image
not
available

37. H. 9.



Autour. Hugo Carolus Ludovicus
v. Dédicace

SACRI ET CANONICI ORDINIS PRÆMONSTRATENSIS ANNALES,

IN DUAS PARTES DIVISI.

PARS PRIMA,

Monasteriologiam, sive singulorum Ordinis Monasteriorum singularem historiam complectens.

Ecclesiæ TOMUS I. Sorethanæ.



NANCEII,


Apud Viduam JOAN. BAPT. CUSSON, & ABELEM-DIONYSIUM CUSSON, Regiæ Suæ Celsitudini à Typis, sub Nomine JESU.

MDCCXXXIV.




AMPL.MUS R.MUS P.D. CLAUDIUS HONORATUS LUCAS DE MUIN. ABBAS PRÆMONST. TOTIUS ORD. PRÆM. GENERALIS REGI CHRISTI.MO A. CONS. ET ELEEMOS. DOCTOR SORBONIC. &c.
Mede sculpsit Nancei

Columna 55.



EMINENTISSIMO
SANCTÆ ROMANÆ ECCLESIÆ PRINCIPI,
NICOLAO MARIÆ LERCARI,
ARCHIEPISCOPO NAZIANZENO,
SANCTISIMI D. N. PIÆ MEMORIÆ BENEDICTI PAPÆ XIII.
PRIMO MINISTRO, ET STATÛS A SECRETIS
S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI.

EMINENTISSIME PRINCEPS,



URGEBAT me dudum gratitudo, urgebat Tuorum recordatio jugis beneficiorum, ut memoris animi significationem aliquam publico testarer indicio. Non enim is ego sum EMINENTISSIME PRINCEPS, qui, cum beneficia modum excessêre, odium retribuam pro gratia, aut injuriosâ oblivione, bonorum, benefactorumve recordationem obruam. Ante oculos obversatur semper liberalis illa protectio, quâ

me & Stivagiensem meam Ecclesiam tutatus es, dum filialem sanctæ sedis Abbatiam, summo Pontifice, ut Episcopo suo speciali, tantò meliore, quantò digniore gaudentem, subducere capiti immediato tentatum est. Memini, & nunquam excident animo illa benignitas, illa adhortatio, quâ me decertantem pro vindiciis jurium sedis Apostolicæ, pro immunitatibus ab ipso totius Ecclesiasticæ jurisdictionis fonte derivatis, congredientem me pugilem nullius nominis, autoritatis nullius, solâ suffultum æquitate causæ erexisti ad præliandum contra potestates, suo si nomine non terribiles, venerandas tamen suâ dignitate.

Memini bonitatis eximiæ, quâ me exulem visitasti consolatoriis litteris, quâ amaros proscriptionis meæ dies contraxisti, ut quantocius patriæ, Fratribus, Clero & populo, quorum regimen vicariâ Romani Pontificis autoritate exercet Stivagiensis Abbas, restituerer. Memini, inquam, & tot gratiarum pondere recreatus magis, quàm oppressus, TIBI debere glorior & summæ æquitati Tuæ, jurium Ecclesiæ nostræ incolumitatem, finem turbulentiæ tempestatis, reducis otii serena tempora, & amœnæ tranquillitatis longinquitatem beatam.

Ecquis enim, PRINCEPS EMINENTSSIME, pacem TE auctore, TE inspectore, TE judice documentorum & Privilegiorum Stivagii, redditam; pacem oraculo Sanctissimi Pontificis Benedicti XIII. consecratam; in Consistoriali Congregatione, suffragio Eminentissimorum Cardinalium ratam audeat infringere, & arguere Pontificem mendacii, dum me immerentem ad Episcopatum Ptolemaïdis renuntians, Abbatiam Stivagiensem nullius esse Diœcesis, & quasi-episcopali jurisdictione potientem, *proclamavit?*
Die 15. Décembris. 1728. *Non est cæcutientis oraculi vox ista, cui applauserint cæci Cardinales; non est præmatura decisio, quæ porrectis tabulis innixa, purpuratorum ex omni gente Patrum calculo sancita est, & in legem abiit, æternæ quietis assecurativam*

Sub illius præsidio penatibus redditus & musæo, nil mihi antiquius fuit, quàm ut TIBI, EMINTISSIME PRINCEPS, agerem in primis gratias ingentes, quòd mihi & meis successoribus hæc otia feceris, quòd Ecclesiam nostram,

vetustissimum Sanctæ Romanæ sedis patrimonium, non tuleris hoc infœlici sæculo avelli à Petri Cathedra, cui à tot sæculis conjuncta adhæret; quòd neque gratia, neque auctoritas quidquam potuerint apud Apostolicam sedem, ad quam nec error, nec perfidia, nec personarum acceptio habent accessum; quòd causam non ex personis, sed personas ex merito causæ dijudicaveris justissimus Sanctissimi Pontificis administer, & omnium suffragio dignus hoc honore sublimi.

Sic enim divina TE *finxit providentia,* EMINENTISSIME PRINCEPS, *ut ingenio facili, judicio exquisitissimo, prudentiâ & sagacitate incredibili, integrâ probitate, abstrusa penetres, dubia dissolvas, intricata reseres, & intrepidâ fronte irrumpas iniquitatem. Sua cuique jura conservans, quæ Cæsaris sunt Cæsari, quæ Dei, quæ Ecclesiæ Christi sunt, reddi satagis, ad censoriæ justitiæ regulam, quæ ut judiciorum, ita & morum tuorum constans est norma, quam sequeris. Innatas* TIBI *has dotes, rerum agendarum usus, exculta scientiis anima, recti & æqui incorruptus amor, optimi & suavissimi mores adeò perfecerunt, ut in actuosa vita semper compos* TUI, *in privata nunquam otiosus inveniaris. In rebus arduis expeditus, in dificillimis placidus, utrasque sine labore exequeris, summâ conficis velocitate, fœlici dirimis exitu.*

Tam raras, tam intimè consociatas sibi virtutes in TE *suspexit Respublica Christiana, dum ministerii pondus, sub quo alii gemunt, portabas,* EMINENTISSIME PRINCEPS, *rerum maximarum sarcinâ, negotiorum mole oppressus nunquam, nec lassus. In communibus quasi ludebas, grandiorum capax; de singulis sollicitus, & inter sollicitudines succedaneas non fuit obstructus Palatii aditus Clientum turbæ; ab alloquio non sunt exclusi supplices; pauper & dives ad conspectum perinde admissi, singulorum petitiones vultu hilari, sermone blando auscultabas, omnibus* TE *sciens esse debitorem. Multiplices rerum alienarum curæ solent homines etiam naturâ gratos, facere austeros moribus, convictu acerbos;* TE *verò, indole* TUA *facilem, elegantem nati-*

vâ comitate, Natalium claritate illustrem, idiomatum peregrinorum apprimè doctum, nunquam rei familiaris anxietas, extranearum multitudo, à venustate sermonis, ab urbanitate morum subduxerunt. Magnus inter magnos, humilis inter ignobiles, omnibus denique omnia factus omnium captabas voluntates, admirationem concitabas. Sed præcipuè illam movebant propriæ utilitatis contemptus, à turpi lucro alienissimus animus, & neglectus fortunæ melioris.

Talem TE *esse decebat administrum,* EMINENTISSIME PRINCEPS, *sub Pontifice* Sancto, impolluto, segregato à peccatoribus, & *Sanctorum quandoque in numerum adscribendo. Talem* TE *noverat Benedictus XIII. dum Beneventanam urbem, eo episcopante, gubernabas. Talem* TE *fuisse probavit severa, sed justissima in prædones sacri patrimonii, in Officiorum prævaricatores inquisitio, quæ reorum proditiones, & tui ministerii rectam demonstravit administrationem. Nec mirum, siquidem in singulis honorum & officiorum gradibus, quos* TIBI *Apostolica Sedes crediderat, illos gesseras integritate tantâ, tot ornaveras meritis, ut aditum paraverint ad altiores, & deduxerint non volentem, neque currentem, sed cunctantem, sed renitentem ad Eminentissimum Cardinalatûs apicem, & secretarii statûs laboriosum munus, sed honorabile, quod* TE *participem secretorum Pontificis, sequestrum potestatis, laborum coadjutorem, Reipublicæ Romanæ administrum constituit.*

Non improvidé, non fortuitò hanc TIBI *provinciam commisit Benedictus XIII.* TUORUM *unica meritorum commendatio primas* TIBI *detulit, & quem virtutibus potiorem sciebat, priorem esse voluit honore. Quales enim Bernardus eligendos esse præscripsit Eugenio III. qui summi sacerdotii gloriam & onera dividerent cum ipso, talem* TE *novit Benedictus XIII. ut cum illo Romani Pontificatûs sustineres pondus & fasces.* „*Non sint attritæ frontis, inquit, sed verecundi, sed timorati, qui* „*præter Deum tantùm timeant nihil, nihil sperent nisi à* „*Deo; qui adventantium manus non attendant, sed necessitates; qui stent viriliter pro afflictis, & judicent in æqui-*

Lib. 4. de considerat.

„ tate pro mansuetis terræ; qui sint compositi ad mores, „ probati ad sanctimoniam, parati ad obedientiam, man- „ sueti ad patientiam, subjecti ad disciplinam, rigidi ad cen- „ suram, catholici ad fidem, fideles ad dispensationem, con- „ cordes ad pacem, conformes ad unitatem; qui sint in judi „ cio recti, in consilio providi, in jubendo discreti, in dispo- „ nendo industrii, in agendo strenui, in loquendo modesti, „ in adversitate securi, in prosperitate devoti, in zelo „ sobrii, in misericordia non remissi, in otio non otiosi, in „ hospitio non dissoluti, in convivio non effusi, in cura rei „ familiaris non anxii, alienæ non cupidi, suæ non pro- „ digi, ubique & in omnibus circumspecti. „

Hisce coloribus Cardinalium caracterem, dum pingit Bernardus, nativum, EMINENTIÆ VESTRÆ caracterem pinxisse quis non judicet? Nolim in gesta, nolim in mores tuos latiùs excurrere, EMINENTISSIME PRINCEPS, ut TE totum ad hoc exemplar effictum ostendam. Prævertit vox publica comparationem, & modestia TUA volentem insistere comparationi, silere imperaret.

Parco igitur jubenti, ne sim audienti gravis, & TUAM quâ me pridem dignatus es, benevolentiam refricans iterum liceat interpellare verbis Gervasii Abbatis de Præmonstrato, ad Leonem Cardinalem S. Crucis, pro Abbate S. Quirici in Umbria Ordinis nostri & Reatinæ Diæceseos, scribentis: „ Supplico VOBIS humiliter & instanter, „ quatenus pia PATERNITAS VESTRA in negotiis suis, in „ quantùm honestas VESTRA permittet, contra male- „ factores suos, tam Abbati, quàm Fratribus esse digne- „ tur defensio & munimen, & stimulus quandoque, si pla- „ cet, exhortantis pariter & imbuentis, ut benè agendo, viriliter se accingant. T. I. Sacræ Antiqui. p. 33. Epist. 33.

Supplicamus & nos humiliter & instanter, EMINENTISSIME PRINCEPS, ut præstitam olim in diebus tribulationis Abbatiæ Stivagiensi deffensionem & munimen, prorogare velis, & me, meosque Fratres in prosperis ut in adversis rebus scuto tuæ protectionis circumdare. Jam fastis, jam domesticis monumentis inscripsimus nostræ gratitudinis monumentum, in anathema posteris: sed ut

publici juris fiat, Annalibus Ordinis nostri appendimus ut Ordo universus, & Litterarius orbis intelligant, quid DIGNITATI, *quid meritis, quid protectioni* TUÆ *debeamus, quantâ gratitudine, quantâve reverentiâ ad vitæ perpetuitatem constamus,*

EMINENTISSIME S.R.E. PRINCEPS,

EMINENTIÆ VESTRÆ.


Dabam Strivagii Kalendis Januarii anni M.DCCXXXIV.

Humillimus & addictissimus servus.
✠ CAROLUS LUDOVICUS HUGO, Episcopus Ptolemaïdis, Abbas Regularis Stivagii Ordinis Præmonstratensis.



REVERENDISSIMO ET AMPLISSIMO
GENERALI,
Reverendissimis Abbatibus & Præpositis, Dilectissimisque Confratribus Sacri & Canonici Ordinis Præmonstratensis.

PRÆFATIO.



IN Comitiis Generalibus Ordinis anno millesimo septingentesimo decimo septimo Præmonstrati congregatis, Præside Amplissimo Abbate Præmonstrati D. D. Honorato Claudio Lucas de *Muin*, totius Ordinis Hierarcha, visum est Patribus & unanimi consedentium Procerum voto sancitum, Annales Ordinis esse conscribendos, ut rerum ante-actarum memoriæ & diuturnitati consuleretur, traderenturque posteris antiquorum gesta laudabilia, quæ sectarentur, mala verò, quæ devitarent, oculis subjicerentur censoriis.

Nihil enim ad æmulationem, nihil ad emendationem nostram opportunius rati sunt Patres, majorum nostrorum factis, quibus eruditi, potenter stimulamur ad bonum, abducimur efficaciter à malo, dum tacito sermone, vel invitos trahunt ad virtutem, virtutum suarum illecebris; vel proclives ad vitia revocant ad mores compositos, vitiosorum fatali exitu conterritos. Vario hoc geminoque rerum obtutu acuuntur legentium animi; æmulantur meliora charismata filii dociles, majorum exemplis provocati; resipiscunt à vitiis degeneres filii, & nominis sui curam habentes timore censuræ, vel disparitate morum attoniti, vitæ laxioris ejurant consuetudinem inveteratam.

Hic primus condendorum Annalium ardor Patres Conscriptos incessit, hæc potissima ratio movit, quam excepit desiderium perennandæ recordationis tot virorum, genere, scientiâ, sanctitate celeberrimorum, quorum memoriam infelicitas aut ingratitudo temporum penè obruerant. Equidem Myreus, Chrysostomus Vander-Sterre, Pagius, Petrus Waghnare, & alii Norbertinæ familiæ alumni, istud historiæ Præmonstratensis argumentum attigerant, tractaveruntque, sed leviori manu, quod Mauritius Dupré Canonicus monasterii S. Joannis Ambianensis, fusiori paululùm calamo prosecutus est in Annalibus suis necdum prælo subjectis; sed cum amplissima materies segesque dicendi, compendio angustiore coarctata videretur, placuit Patribus continenti scriptura, divisis licet libris, hoc grande opus esse comprehendendum ad chronologiæ crisim: utque delibatam ab Agiographis & Historicis, istam Annalium Ordinis

partem plenius elucidatam haberent, præcipiendo mandavit Capitulum generale omnibus & singulis monasteriorum Superioribus, ut sua diligenter scrinia evolverent, mss. codices ad rem Ordinis pertinentes, perlegerent sedulò, & quidquid ad historiæ lumen & decus posset conducere, id totum fide bonâ colligerent transmitterentque Annalium conditori.

Alterum, nec certe minoris momenti incitamentum, urgebat Patres ad Fastorum Ordinis conscriptionem, ipsa nempe monasteriorum notitia ab antiquioribus repetita monumentis, & per seculorun succedentium seriem ad nostram perducta ætatem, tali modo, tali concinnata methodo, ut Abbatum Indicem eventis memorabilibus variatum, non fucatis laudibus, non affectatâ despicatione aspersum exhiberet, traderetque simul ad imminentis interitûs vindictam & cautionem, nec non ad cavillatoris obturandum os, instrumenta fundationum, chartas & diplomata Pontificum & Principum quæ firmandis juribus, stabiliendis præeminentiis monasteriorum prodessent.

Denique cum ea sit rerum etiam optimarum conditio, ut alternis mutationibus sint obnoxiæ, judicarunt Patres necessum esse, diversos disciplinæ & regiminis status per decursus seculorum explorare, declarare causas, authores ostendere, ut retectis ita bonorum malorumve succedaneis originibus, possit sibi suorumque saluti providentissimè consulens Ordo, malis deinceps occurrere, prævertere abusus, falce decretorum rescindere corruptelas, virtutes fovere, & titubantem disciplinam fortibus continere repagulis, ne ultra ad mundanos abrepta mores scandalosè dilabatur Religio.

Pluribus in hæc quatuor capita, & nervosis sermonibus excurrit Amplissimus Generalis, & pro innata dicendi facultate, ornatam leporibus facundiæ orationem Patres auscultarunt, eique applaudentes, provinciam scribendi Annales committendam alicui, quem magis idoneum sciret, ejus arbitrio permiserunt. Nec mora: Amplissimus Generalis istam mihi procurationem imperavit, magis ad benevolentiæ, quâ me pridem dignabatur, affectum, quàm ad ingenii mei tenuitatem attendens. Ast ego operis granditate perterritus, mole difficultatum perpensâ, ineundæ palestræ me sentiens imparem, obedientiæ onus suffugi, & quantùm patiebatur debita Capiti Ordinis reverentia, restiti in faciem imperanti. Reluctantem, renitentem, multisque rationibus excutere jugum conantem, humanissimâ suâ benignitate coëgit Generalis Doctissimus. Iteratæ Prælatorum postulationes ad succollandum humeros oneri, ad parendum votis Archimandritæ compulerunt invitum. Igitur arduæ & periculosæ plenum opus aleæ tractare coactus, statueram apud me præcipuas Europæ Provincias peragrare in quibus Ordo Præmonstratensis floreret, aut quondam florebat ante vastatricis hæreseos impetus, ut per me ipsum archiva scrutarer, veterum monumenta conspicerem, & conscius rerum quas propriis vidissem oculis, illas tantò securius traderem orbi litterario. Consilium laudavit Generalis Amplissimus, statimque propriis stipendiis adorsus iter, agrum Leodiensem, Ruremundensem Episcopatum, Hannoniam, Brabantiam, Artesiam, Flandriam, Terrasciam percurri; Chartas, mss. codices, & quidquid reperi in Monasteriis Librariæ supellectilis, quâ potui sagacitate, excussi.

Anno sequiore, & Vere jam adulto iter aggressus, Campaniam, Picardiam Comite P. Postel Doctore Theologo, nunc Priore S. Joannis Ambianensis lustravi. Cuissiacum redux, Lotharingiam, natale solum, repetere vectus equo debui festinanter, & inter repentinos podagræ assultus quos secundò experiebar, nono Septembris anni 1719. mane summo, conscensis equis profectus, Piscinæ Abbatiam, vulgò Calvomontem duabus à Castro Portiano horis dissi-

tam, appuli ſub veſperum. Itineris labore gravatum feſſumque corpus excivit podagræ humores accenſos, & properantem, illic per biduum ſiſtere æſtuans podagra coëgit. Remiſſo paululùm dolore, & pluvioſi Autumni intemperiem prævertere cupiens, viam proſecutus, per obvia Longivadi, Bellæ-vallis, Briolarum, S. Pauli Virdunenſis, Stagni, Monaſteria tranſiens, in ſingulis per aliquot dies immoratus, amanuenſium Fratrum obſequioſâ charitate adjutus, Chartas perlegi, exſcripſi, inde Muſſipontum acceſſi, & à Reverendiſſimo Abbate comiter exceptus, non modò levandis doloribus, ſed & promovendis laboribus litterariis totum ſe liberaliter impendit. Chartophilacium numeroſis propriæ Abbatiæ inſtrumentorum manipulis dives, & omnium Congregationis reformatæ, præſertim Lotharingiæ Monaſteriorum diplomatis inſtructum armamentarium humaniſſimè aperuit. Muſæum quoque Reverendiſſimi D. Layruelii quondam Abbatis ejuſdem Cœnobii & totius Ordinis ſeculo decimo ſexto cadente Vicarii Generalis, Chartarum, Diariorum, Hiſtoriarum abundanti collectione ornatiſſimum, in fidem noſtram permiſit. Marſupium ingens ab homine arguto, critico, antiquitatis amantiſſimo, ex Germaniæ provinciis quas ut Viſitator conſarcinaverat, verſavimus reverenter, & in hæreditatem patris, jure quaſi ſucceſſivo introeuntes, totam in filiorum, imò & Ordinis utilitatem effudimus ad lares reverſi.

Ineunte Vere anni MDCCXX. Germanico itineri accinctum, rurſus invaſit podagra & frequenti æſtu juſſit nos continere domi, itinerarii laboris impotentem. Ne tamen morbus otium fatale ſtudiis pareret, reſarciendum cenſuimus peregrinationis noſtræ diſpendium litterario commeatu. Typis ergo edidimus præconcepti operis Proſpectum, in quo quid ſcribere meditabamur, quid ad ſcribendum aptè deſiderabamus ab uno quoque Monaſterio, exponebatur. Analyſim iſtam evulgatam Typis ſparſimus, quin & acatholicos Abbatiarum noſtrarum detentores convenimus litteris & ad Proſpectûs accluſi capita reſponſiones rogavimus. Diligentiam & humanitatem in illis plerumque experti, copiam ſuorum documentorum prompto gratoque animo ad Reipublicæ Litterariæ ornamentum fecerunt liberaliter. Obſequium idem Abbates Germaniæ, Bohemiæ, Moraviæ, Veſtphaliæ, Hungariæ præſtiterunt ad Ampliſſimi Generalis juſſionem, cujus Provinciarum Vicarii Generales ſuis mandatis executionem urgebant.

Solos ſenſimus Polonos rebelles Vicarii Generalis Michaelis Wilkouski Abbatis Plocenſis & Hebdovicenſis præcepto, ſeu rogati ſeu territi parere noluerunt; fruſtra Ampliſſimus Generalis nomen & authoritatem interpoſuit, proëdriæ deſpectores, in Caput Ordinis ambitioſo ſupercilio attollentes capita ſua, illius imperium aſpernati ſunt dominationis oſores. Ita reſcripſit nobis die ſeptimâ Julii anni MDCCXX. Abbas Plocenſis. Intimavi inquit, omnibus Conventibus, etiam juriſdictioni Ordinariorum loci ſubjectis, Sanctimonialiumque Præpoſitis mandatum Illuſtriſſimi Generalis, cui fidem non adhibuerunt, imò potius protervè contempſerunt. Obtinueram à religioſiſſima Virgine Abbatiſſa Zverinecenſi, ut ſcriptum daret, in quo ea quæ huic operi conſentanea forent, collecta eſſent declaravitque ſe libentiſſimè tranſmiſſuram; ſed Dominus Zverinecenſis Nicolaus *Loukouski* ejus Eccleſiæ Præpoſitus manualis, promptam dictam voluntatem impedivit. Aſſerens Sanctimoniales hujus loci non eſſe ſubjectas Ordini ſacro, ſed loci Ordinario... Conſideret igitur Reverendiſſima Dominatio Veſtra quis in cauſa? quod candidè optatos & ſollicitè intentos fructus non metat falx mandati Illuſtriſſimi Domini Generalis, imputari non debet ei per quem non ſtat, ſi non faciat, per quem fuerat faciendum. Feci, promulgavi, quid ultra

facere debui? Ecce tantillum ex monumentis autenticis Conventûs mei excerptum, collationatum fideliter transmitto, nec non Conventûs Plocensis.

Contumaciam Polonorum nequeunte Vicario generali domare, Hierarcham Ordinis interpellavimus, ut perduelles cogeret ad obedientiam. Cessit precibus & vilipensæ authoritatis ultorem delegavit D. Abbatem Lucensem, virum injuriæ illatæ Ordinis vertici impatientem, qui pro viribus, pro injuncti officii debito, pro Comitiorum generalium vindiciis strenuè, nunc per litteras, postea per semetipsum egit apud Poloniæ Prælatos, sed casso semper conatu. Immunitatem ab Ordinis jurisdictione opponentes quidam efflagitationibus Domini Lucensis, ne summo Pontifici, aut locorum Ordinariis quibus ultroneâ deditione dudum se subjecerunt, facerent injuriam, fecere sibi, & Annalibus Ordinis damnum, quasi alieno juri noceret amicabilis traditio documentorum quæ ad jurium incolumitatem petuntur. Alii forum Ordinis agnoscentes, sed reverentes minimè, intentatis etiam fulminibus flecti noluerunt ad obsequium. Ad plures requisitiones, ait idem D. Abbas Plocensis post declarationes in visitationibus factas, huc usque non transmiserunt necessaria documenta. Culpari debent quos cum jam sextò monuerim, monere tamen, urgereque pro officii mei munere non desinam.

Lit. 28. Augusti 1724.

Institit equidem sed non magis aures & animum accommodaverunt geminatis anno sequenti instantiis. Imò nec minacibus Domini Lucensis litteris paruerunt. Institi seriò pluries & minaciter, inquit, sed sibimetipsis injuriosi Abbates, ea quæ gloriæ, quæ honoris, quæ posteritatis utilitati futura sunt, malitiosè aut dolosè subtrahunt. Ingemiscit Reverendissimus Vicarius Generalis Poloniæ &c.

Epist. D. Abb. Lucens. 18. Aprilis 1725.

Obfirmatas Polonorum cervices frangere duplicata cum non valeret potestas, Reverendissimum D. P. Ferdinandum Comitem ab Hohberg Abbatem monasterii nostri S. Vincentii Vratislaviensis deprecatorem imploravi, quem necessitudine & viciniâ Polonis junctum opinabar. At ille ingenuè rescripsit quòd à tempore quo Circaria Poloniæ à nobis segregata est, nulla prorsùs cum iisdem ampliùs nobiscum intercedit communicatio. Gentilitiæ namque suæ studentes libertati, Germanos ac vicinos, nec parum curant; & nos in simili de eisdem pariter nihil sollicitamur. Dignetur Amplitudo Vestra apud Reverendum Prælatum Lucensem in Moravia, de eorumdem inquirere statu, qui ante paucos annos Generalis Visitatoris munus in Regno Poloniæ obiit, certe ab eodem plura exactissimè rescies.

Quid sperare, quid timere deberemus rescripserat à sex mensibus Abbas Lucensis. Tamen ne quid intentatum relinqueremus anno 1726. ineunte, iterum litteris provocavi D. Lucensem, quibus 20 Februarii reposuit Polonos rursùs suis excitasse monitionibus, sed responsum non dare amplius suis litteris.

Mortuo R. P. ac D. Vilkouski, & in ejus locum suffecto R. P. ac Domino Præposito *Strzelnensi*, novâ arte, novis precibus, novo molimine rem usque modò desperatam, tentavimus exequi, sed nullo successu. Quæ prius à prædecessore suo acceperamus pauca, hæc eadem transmisit documenta; nec inde plura subministrare potuit. Abjectâ omni spe obtinendorum denuò diplomatum, ad fidem Dlugossi, Cromeri &c. Monasteriorum Poloniæ origines & historiam satis elumbem, confecimus, paucis demptis Abbatiis quarum monumenta ad nos trajecerat R. Abbas Hebdovici.

Marte Turcico deletis duabus supra quinquaginta Præposituris, quas Ordo in Hungaria possidebat, illarum notitiam accuratiorem dum quæritabamus anxii, quam ex editis Historiographis expiscari non poteramus, forte fortunâ ex amicissimo

cissimo Abbate Lucensi recuperatæ Hungariæ Vicario generali accepimus, omnes omnium penè monasteriorum Hungariæ Chartas in Collegio Patrum Societatis Jesu Viennensi exstare, & ad continuationem Annalium P. *Inchoffer* ex Imperatorum præcepto fuisse Patribus tanquam sequestris & futuris historiæ Hungariæ parentibus consignatas. Hoc voluptabili nuntio exhilaratus sperabam accepturum incunctanter Diplomatum sarcinam ab eruditis custodibus, qui sine invidia communicant quæ gratis acceperunt, si per gratum interpositorem hoc reposcerem beneficii genus.

Ab annis duodecim noveram P. Antonium *Steyerer* Archiducissis à Confessionibus, cui reciproco litterarum commeatu & mutuæ necessitudinis vinculo junctus eram. Incumbenti Archiducissarum Austriacarum historiæ quam publici fecit juris, multa suppeditaveram ex archivo Lotharingiæ monumenta, multa contuleram anecdota, quæ ad gratitudinem & consimile beneficium liberalis animi virum stimulabant, quare non ambigebam ad parilis officii mutuam operam virum invitare litteratum: & ut alacriori corde isthoc obsequium præstaret P. *Günther* confratrem ejus, Regiæ Celsitudinis Lotharenæ Confessarium & Comitem Regii Principis Francisci à Lotharingia, pro solemni inauguratione Imperatoris in Bohemiæ Regem, Pragæ commorantis, humaniore epistolâ interpellavi ut amicam impenderet sollicitationem apud P. *Steyerer*. Benevolè exaudivit preces Pater *Günther*; & arreptâ occasione contubernii Patris *Tonnemam* Cæsareæ Majestati à Confessionibus, plura cum illo ad propositum nostrum collocutus, rescripsit 30 Augusti MDCCXXIII. pauca in Collegio Viennensi prostare Diplomata, & hæc pauca ab uno Patre Societatis Jesu congesta, ad diremptionem litis nuper intentatæ in causa Abbatiæ Ordinis nostri.

Non continuò abstinui instantiis ut hoc modicum, quod superesse dicebatur de segete immensâ, compararem; iteratò actorem meum P. *Günther* rogavi ut esset meus instigator; ursit validiùs vota nostra apud P. *Tonneman*, sed non feliciùs. Preces elusit supplicatus, excusatione multimodâ, addens in signum ademptæ totius spei, speciales esse rationes quæ à tradendis Diplomatibus ipsum dimovebant. Non inde quievit officiosissimus P. *Günther*, vix pervenit Viennam, pro mea causa Patres orat, sed incassùm. Patrem *Steyerer* mediatorem appellat, sed frustra. Archiducissam Principi Saxonico nuptam sequutus erat ad sacrum ministerium. Ergo rescissis hac ex parte mediis in quibus confidebam, ad Abbatem Lucensem Vicarium generalem Hungariæ, virum de facie, de alloquio mihi notum, morum urbanitate excultum & scientia, oculos & spem converti, non veritus epistolis lacessere Prælatum in causa Hungariæ, quæ illi erat propria, quem pro extranea Polonorum indefessè laborantem suspexeramus. Frequentis litterarum commeatûs nec pertesus, nec gravatus impensis, ad scrupulos & dubia nostra respondit paratus ad omnia Abbas. Quæcumque licuit, post vastatam toties ab immani Turca, aut à sævientibus Calvinistis Hungariam, recuperare documenta, hæc liberalissimè concessit, ad interrogata nostra celeri calamo respondens, dubitationes eliquavit. Non tamen aspersas tenebris antiquitates sic luce detersit, ut nihil reliquerit obscurum. Fatetur modestè doctus Abbas, in specificandis, uti postulaveram Præpositurarum locis & sitibus imparem se esse, in iis enim, ait, locis, in quibus olim florebat Religio, vix rudera conspicias, aut si rudera supersint, in illis nunc nidificant Calvinistæ. Titulos verò diversæ personæ Ecclesiasticæ tenent, quibus obeuntibus, iterum alii & alii de statu Ecclesiastico à Rege Apostolico nominantur, ac desuper infulantur omnes qui nostri nominis Præposituras obtinent. De bo-

Epist. 2. Octobris 1723.

nis autem temporalibus nihil participant, sed aut ignorantur, aut à secularibus laïcis detinentur. Imò de multarum Præposituraram ubicatione nil scitur. Exinde tamen tenent titulos, prout ipsemet ex meis professis hujusmodi titularem habeo Præpositum infulatum de *Graba*, cujus tamen Præposituræ ubicatio ignoratur: siquidem tot bellorum funesti casus, & tyrannis Ottomannica, direptis inde saxis & lapidibus pro muniendis fortalitiis, solo æquarunt plurima, imò penè universa monasteriorum ædificia de quibus, excepto solo nomine, nullum habetur vestigium aut monumentum quæ omnia per tot seculorum disturbia in cineres abierunt aut in perditionem.

Sic ille 20 Februarii, & 14 Septembris anni ejusdem. Iisdem penè verbis, miserabilem rei sacræ & Ecclesiasticæ interitum lugens recantat. Præposituræ, inquit, in diversis Historiis & Manuscriptis recensitæ, præter nomen, vix aliquid superstitis habent, imò multarum ubicatio ignoratur, quas autem rescire potui jam antehac innuebam. Quas autem innuit suis documentis ut cumque instructas, disces ex Cæsareo diplomate, quod ad petitionem Prælatorum Austriæ, Moraviæ & Bohemiæ evulgavit nuper Leopoldus Imperator. Recuperatâ enim de Turcis Hungariâ, profligatis multiplici conflictu Ottomannis, arcibus expugnatis & regno pulsis per Carolum V. *Lotharingiæ Ducem*, bellicâ virtute, pietate christianâ nulli secundum Principem, Abbates Ordinis quos à Consiliis sanctioribus habebat Imperator, refusis pro parte sua in ærarium Cæsaris, belli ingentis sumptibus, nonnullas redemerunt Præposituras & Ordini asseruerunt postliminiò cum prædiis adjacentibus. Cæteras verò de nomine tantum sibi notas, vel fisco Regio, vel occupantibus, sive Calvinistis, sive Catholicis dimiserunt, in indicibus Ordinis & fastis Regni denuò cognoscendas tantùm. Illarum numerum illustrissimus Petrus *Pazmany* Societatis Jesu Presbyter & Archiepiscopus Strigoniensis in Synodo sua recensuit, & prætermissas in Layruelii catalogo Præposituras addidit.

Possonii impressa an. 1629.

Meliorem utcumque sortem habuerunt monasteria Terræ Sanctæ. Quamvis enim communi Christianorum clade extincta fuerint, illa tamen in historicorum scriptis, non modò quoad nomen & situm, sed etiam quantùm ad Fundatores & memorandos eventus vixerunt post sua fata. Sic vivunt & in æternum vivent in amplissima monasteriorum Angliæ descriptione, decocta licet turbine schismatico cœnobia, quæ Providentiâ authore in spem quasi resurrectionis futuræ, ab irreligiosis manibus, posteritati cum suis juribus transmissa sunt. Novissima Rimeri collectio auxit dicendi materiam, Dempsterus, Boetius, Harsfeldius, Warthonius, Waræus, & alii rerum Angliæ, Scotiæ, Hyberniæ scriptores, tam ubertim de monasteriis disseruerunt, tot tradiderunt monumenta, ut nihil sit ultra quod desideraremus, si Diplomatum collectioni, Abbatum gesta, eventa temporum more Germanorum assuissent, liberales alioqui & effusi authores in reipublicæ Litterariæ & Catholicæ decus.

Daniæ, Sueviæ, Pomeraniæ, Norvegiæ regiones ab alumnis Divi Norberti ad Evangelii lumen adductas, aut firmatas in fide, quam ad infidelitatem proclives temerarant, revectis post ejuratam gentilitatem superstitionibus, nec subire licuit, nec inde monasteriorum penitùs deletorum Chartas originarias eruere. Intrusa hæresis quæ fidem catholicam prostravit, fidei quoque monumenta eodem devoravit impetu, ægrè parcens scriptoribus per quos, velut per traducem, satores Norbertini Ordinis & cœnobiorum erectiones didicimus. Ex fontibus istis qualemcumque rerum nostrarum hausimus notitiam, quibus accesserunt Necrologiorum, Agiologiorum veteris ævi subsidia, facem præferentia indagationibus nostris, & lucem præbentia dubitantibus. Aliam & securiorem

veritatis explorandæ viam inire non potuimus quoties autentica deseruerunt nos oracula, quibus erudiremur.

Hinc exterarum nationum libros volvimus & consuluimus assiduè. Fatemur in adjutorium affuisse opportunissimum, miscellanea virorum clarissimorum & de orbe litterario benemeritorum Lewdvigii, Leibnitii, Hoffmanni, Meimbomii, Matthæi, Lewdsfeldii, Kettneri, Joannis Fabricii, Sagittarii, Rangonis, Valentini *Wenter* sub larvato nomine de Wiæ cogniti, Pesii, Schannati, Martenii & aliorum per quos nunc Respublica innumeris ditata refulget anecdotis, quæ ex cineribus & Bibliothecarum latebris luci publicæ tradiderunt. Eâ fide Protestantes, sinceritate tantâ istud obsequii genus præstiterunt ut longè posthabitis suæ sectæ opinationibus, genuinos textus sibi adversantes evulgarint, probitatem anteponentes religioni & magis antiquitatis litterariæ, quàm suæ fidei, si qua fides est, incolumitati consulentes.

His ducibus, Saxoniæ, Brandeburgi, Pomeraniæ, Brunswici &c. cœnobia aut penitùs deleta, aut Heterodoxorum mancipata potestati, deteximus; quin & monasteriorum à tumultuante quondam hæresi expilatorum, Privilegia & Chartas in eorum spicilegiis restituta reperimus.

Ingrati animi notam incurreremus, si impensa nobis hac in parte officia à R. D. Michaele *Kuel* Abbate Steinfeldensi, Westphaliæ, Wadegotiæ & tractûs Rhenani Vicario generali vigilantissimo, antiquitatum Ordinis peritissimo, reticeremus. Sanè expeditas in dubietatibus nostris resolutiones, in reconditis seculorum secessibus perspicaciam, in subministrandis Diplomatibus, sive emortuorum, sive exstantium cœnobiorum impigram sollicitudinem tantò demirati amplius, quantò fessa annis & studiis senectus faciebat ad improbas inquisitiones nostras minùs paratum. Dignissimus ille tot clarorum virtutibus & zelo Prælatorum hæres, non pepercit curis, non laboribus, quoties ad enodandas difficultates exoratus fuit. De thesauro Ecclesiæ suæ, multarum Ecclesiarum parentis, protulit liberali manu nova & vetera, quæ tam ille, quàm antecessores ejus, magni nominis, magni in Ordine decoris consarcinarant. Nullibi, nequidem in Archimandriæ monasterio supellectilem tantam monumentorum invenias in archivo; unaquæque Ordinis Circaria, sive Provincia suam habet capsulam instrumentis locupletem; sed longè locupletiores sunt Westphalica, Frisia, Vadegotiensis, Yveldensis, Bohemica Circariæ ad quas suos surculos porrexit fœcunda mater Steinfeldia. Cæteri cæterarum Germaniæ Circariarum Vicarii generales, pro communi bono, & in communem Ordinis utilitatem conspirantes sategerunt, ut quique pro sui monasterii adornandis fastis incumberent Abbates.

De Hispanorum obsequio hærebamus anxii. Ex quo à trita Ordinis & Capitulorum generalium jurisdictione, Pontificiâ & Regiâ astipulante authoritate, se subduxerunt, sibique fecerunt Caput, à primo Ordinis Capite distinctum, quod Reformatoris generalis titulo donant, illos, sicut ab aliorum Ordinis membrorum unione fraternâ, ita à verticis obedientia reverentiali taliter alienatos arbitrabar, ut neque procerum decretis, nec nostris moverentur precibus. Discordiæ fomitem nuperis apud S. Sedem jurgiis exarsisse noveram, & inde verebar fore fomitem repulsæ. Sed fefellit opinionem insperatus eventus. Ut primùm enim Annalium programma ad Hispaniæ Congregationis Præsidem epistolâ comite, directum pervenit, illico R. P. D. Stephanum de *Noriega* Abbatem Salmanticensem & Theologiæ Magistrum, nunc Congregationis suæ caput & decus, delegavit Præses qui ad litteras & ad votum Ordinis dedit responsum humanitate conditum.

Præambulæ ſponſionis aliquantò poſt fidem liberavit. Veredis, faſciculum litterariis documentis opimè ſaginatum, trajecit, methodo nitidâ, & apprimè ad propoſitum concinnatis. Gratulatoriâ epiſtolâ benevolo Confratri egimus actiones gratiarum, & ad ſuſcepti laboris perſeverantiam, indefeſſum in labore (quod ignorabamus) Abbatem animavimus. Ingenuitate noſtrâ, vel, quod verius eſt, zelo ſuccenſus Ordinis eruditus Abbas, tranſcribendis Diplomatis, elucidandis Hiſpaniæ candidæ monaſteriis, perſcribendæ magnatum Ordinis hiſtoriæ ſe totum per annos tres devovit, & ſeriatim tranſmiſit per fragmenta, ne temporis dilatio nos teneret ancipites aut otioſos. Incredibile eſt quam multâ, quam argutâ ſagacitate opus iſtud abſolverit, quantâ in eum exarſerim amicitiâ, per amicabilem litterarum conſuetudinem conglutinatâ. Huic optimo & docto Abbati debemus penè omnia, quæ de cœnobiis, quæ de faſtis monaſteriorum Regni Hiſpanici edemus: quid ultrà debeamus illi, alio dicemus loco.

De Hollandiæ cœnobiis pauca dixiſſemus, niſi in adjutorium veniſſet Emonis noſtri Chronicon quod à Mathæo typis datum, ſecundò typographiæ ſubjecimus ad melioris notæ exemplaria, illuſtrata obſervationibus criticis. Acceſſit alterum Sibrandi Leonis noſtri Chronicon quod à R. D. Abbate Diligemenſi perhumaniter communicatum luci publicæ dedimus in Tom. II. *Sacræ Antiquitatis Monumentis.* Plurima quoque ad Friſiæ monaſteriologiam ſpicilegia contulit nobis, laudatus ſupra Abbas Steinfeldenſis. Ex Van-huſio chorographiam cujuſque cœnobii & ſtatum actualem didicimus in iis quæ ſub *Epiſcopatuum Hollandiæ* titulo voluminibus evulgavit.

Poſtquam autem in alienos labores ingreſſi, meſſem alienam noſtræ junximus, de modo, de arte quibus conderemus Annales hæſimus aliquandiù. In eam ieramus proclives ſententiam & methodum, quæ omnia mixtim, ſed chronologicè, Ordinis eventa, ſeu res, ſeu perſonas, ſeu diſciplinam, ſeu monaſteriorum fundationes complecteretur; ſed Abbatum, præſertim Germaniæ, conſilio ab hoc propoſito fuimus avocati. Adverterunt providè, non niſi raptim, & levi penicillo, monaſteriorum hiſtoriam & Abbatum ſucceſſionem poſſe delineari, ſi turbato Ordine, hæc varia aggereremus. Obſervaverunt inſuper non tam ad honorem Ordinis quàm ad utilitatem poſterorum debere Annales conſcribi, ſubindeque eam nos debere ſectari viam, quæ diuturnitati rerum, Prælatorum honori, ſecuritati beneficiorum, fundatorum gloriæ, chartarum & prædiorum incolumitati proſpiceret, in alia poſtmodum liberius excurſuri.

Germanorum votis annuit Generalis ampliſſimus, nec animum renui nec calamum accommodare Capitis deſiderio à quo ſumma negotii pendebat. Opus ergo noſtrum quod continuo ad rationem temporum ſermone fluere debebat, in duas ſecui partes, quarum prima MONASTERIOLOGIAM Ordinis exhiberet, altera HISTORIAM. Prima, cœnobiorum notitiam quantam aſſequi potuimus ſeriem complectitur; Fundatores, Abbatum aut Præpoſitorum geſta, filialium Abbatiarum Indicem, beneficiorum elenchum, ſacri theſauri ſupellectilem, codicum mſſ. catalogum, chartas & privilegia notulis adornata quandoque; & ne jurgium inter Abbatias ratione prioritatis vel antiquitatis ſuboriretur, ne Circariæ de præeminentiis, & paterna monaſteria de authoritate erepta conquererentur, ſingula alphabetico ordine recenſuimus, ſalvo cujuſque jure & primatu. Quatuor tantùm Abbatias ab hac lege exemimus, Præmonſtratum, S. Martinum Laudunenſem, Floreffiam & Cuiſſiacum, quæ totius Ordinis calculo primum in conſeſſibus locum tenent, & veluti in quatuor

Ordinis

Ordinis cardines à primævâ Ordinis origine, seu privilegio antiquitatis, seu œconomicæ institutionis decreto, subvecta sunt; horumque Præsides sub nomine quatuor primorum Ordinis Patrum Abbatum circumferuntur. His longè antecellit Præmonstratensis Abbas, non dignitate tantùm, sed & jurisdictione per totum Ordinem & in tres alios Patres porrectâ.

In Abbatum texenda serie ubi nos deseruit Diplomatum fides, ad supplementum adduximus Necrologiorum aut traditionis scriptæ testimonia. In narrandis Abbatum actis, hanc secuti sumus regulam, quæ de veritate nil imminueret, nec de virtutibus quidpiam rescinderet. Piaculum par esse autumantes larvatis ornare vitiosum virtutibus, & virtutes æquissimis fraudare laudibus. Sanè cum historia testis rediviva temporum, lux esse debeat veritatis, vita memoriæ, magistra vitæ, nuntia vetustatis, iniquum esset luxuriantibus encomiis pravos mores ornare, & blandis adulationibus trahere ad peccata incautos lectores, qui putarent id sibi esse licitum, quod sanctum prædicaremus in aliis. Tales pinximus homines, quales seipsos effinxerunt, probos probè, malos malè delineavimus, non maledicendi prurigine, sed monendi, instruendi desiderio, utque discerent posteri & vitiis & virtutibus suam suo tempore mercedem esse retribuendam. Hinc censoriâ virgulâ strinximus quosdam Catalogos, qui prodigâ manu & in quosdam Abbates indulgentiore, illos Sanctorum albo, illos bonorum cœtui aggregarunt quos ad legitimum revocavimus caracterem, docentibus nos Layruelii Diariis, in quibus veritas homines pinxit, quales per se noverat, vel quales legerat in fastis veterum, vir vitæ integer & naris em.nctæ.

Quoniam verò Monasteriorum historiam ad Ordinis instantiam, emittimus in lucem, de illorum primario auctore, de eorum propagatione, de prærogativis, de origine Paternitatis, de distinctione Circariarum, de Virginum parthenonibus & eorumdem regimine pauca hic dicere juvat ad dicendorum intelligentiam & lectoris solatium.

S. Norbertus illustri Francorum & Germanorum sanguine satus, ab ectâ secularium stemmatum gloriâ, apostolatum induit inauguratus sacerdos. Dum per aspera quæque & per faustos successus id muneris exequitur, Bartholomæus antistes Laudunensis, reducem ex concilio Remensi, & altiora pro animarum salute meditantem, Lauduni sistit precibus, ut Canonicos Regulares S. Martini ab instituto devios, ad regulæ S. Augustini observantiam revocet, quam moribus ejurarant. Tentatâ, sed in irritum, hujus monasterii reformatione, pristino vitæ generi se accingit Norbertus, & quos emendare non potuerat, corrigendos restituit Episcopo, alienis daturus operam. Expeditum ad iter detinet Bartholomæus, & virum solitudinis appetentem, in qua apostolatûs spiritum excitaret identidem, per omnes suæ diœceseos secessus deducit, ut quem ineundæ vitæ solitariæ aptiorem judicaret, illum sibi deligeret ad habitationem. Arrisit præ cæteris horridula Præmonstrati specus, impendentium hinc inde montium jugis consepulta, densis consita arboribus, remota ab hominum consuetudine, ubi Capella in honorem S. Joannis Baptistæ erecta visebatur. Noctem in illa transigens Norbertus, divinis recreatur alloquiis, & superno tactus instinctu illic figere pedem, & ad ostensam cælitùs Augustini regulam, suos, suorumque discipulorum mores componere decrevit. Propositum laudavit Bartholomæus antistes, locum asseruit Norberto & largiùs præbens suppetias, Ecclesiam, domunculas & pauperibus idoneas ædes festinâ curavit manu ædificari. Sociis apostolatûs sui jungit novos discipulos Norbertus, quos per Evangelium genuerat, hos disciplinæ imbuit præceptis, & probatos vitæ austerioris

I. S. Norbertus Institutor Ordinis Præmonst.

consuetudine, Sacramento Religionis secum illigat die ipsâ Natalis Domini MCXX. Talibus auspiciis & portentis, tanto autore prodiit in Ecclesiam Congregatio Canonicorum Regularium, à suæ nativitatis loco Præmonstratensium, & à vestitûs colore, Candidorum, & hunc colorem inter Canonicos Regulares usitatum passim, ex speciali in B. Virginem devotione, ipsamet Virgine suadente, assumptum, traditione autore credimus: Et ita non credebam dum anno 1704. Vitam B. Patriarchæ typis evulgavi. Incredibile videbatur mihi tam singularem, tamque specialem vitæ S. Patris circumstantiam à biographis ejus coævis & testibus, fuisse prætermissam, & fidem seculo decimo quinto cadente exortam, posse jus obtinere civilegii. Augebat incredulitatem suscitata inter Fratres dissensio de forma & colore habitûs, quam B. Pater non apparitionis miraculo, sed aliis rationum momentis composuit, tacitâ penitùs visione, alioqui aptissimâ ad sopiendam Fratrum discordiam. Addebat scrupulos afficta intentio profitendi immaculatam B. Virginis Conceptionem, vestitûs candore, quam ætate Norberti & Bernardi necdum invaluisse, novitas cultûs Lugdunensis Ecclesiæ à Bernardo impetita, testabatur. Nostræ assertionis vindices habebamus P. P. Janningum & Solerium Papebrochii & Bollandi continuatores eximios, in quorum fidem jurare, intemeratâ fide licebat.

II. An B. Virgo vestitum candidum B. Norberto præscripserit.

In illos enim nullus de Ordine nostro insurrexerat. Antuerpiensis Abbatiæ nostræ Patres eruditione conspicui, istud historiæ punctum impunè & nullo reclamante, in rem judicatam abire permiserant; & uti permissam, novo rationum apparatu munitam, adoptavimus. Vix lucem aspexit, cum ecce P. Franciscus *Gautier* duplici dissertatione typis Parisiensibus editâ, P. Joannes *Etheart* Abbas Lucernæ in Neustria, dissertatione aliâ Cadomi impressâ, insurrexerunt in me, & quasi aliquod monstrum funestum Ordini, produxissem, lacessiverunt duri censores. Utrique pugili per nostras responsiones si non fecimus satis, impactas saltem de novitate, & violatione traditionis accusationes refellimus plusquam satis. Non inde murmur apud exteros Abbates quievit. Querulis Amplissimum Generalem litteris convenerunt, & veluti reum profligatæ fidei, pessumdati honoris postularunt. Frequenti conquerentium, præsertim Sueviæ Abbatum, fragore pulsatus Generalis Abbas, scandali occasionem jussit amputari, subductione foliorum quæ legentium oculos læserant. Omnem rixandi aut ultra conquerendi speciem rescissam arbitrabar, rescissione scandali; nihilominùs contra spem sota per annos duodecim offensionis semina, in apertum bellum eruperunt, classicum personante in Capitulo generali R. P. ac Domino Leopoldo *Mauch* Abbate *Minoris Augiæ* & Sueviæ Vicario generali. Aderam præsens: Et pauca dicentem auscultabam auribus arrectis. Convulsæ traditionis, illatæ Ordini injuriæ, & tanquam læsæ-Majestatis sontem arcessebat. Capitalia crimina, nullis fulta probationibus, objiciens, capitali pœnâ elui oportere conclusit virmitissimus.

Ad dicendum pro apologia nostra, provocatus ab Amplissimo Generali, Historiæ Norbertinæ locum ex campo vindicaturus comparui, & quæ me moverant momenta ad dispungendam traditionem novissimam, ex præceptis sanæ critices deprompta, exposui; & testimonio Vincentii Lyrinensis hanc tantummodò traditionem ad fidei tutamentum, multo magis ad Historiæ fulcimentum debere admitti, quæ semper, quæ ab omnibus, quæ ubique tradita est, ostendi. Exacerbavit non nihil Abbatis animum, oratio dicentis liberiùs pro causâ suâ; attamen ad vocem incantantis, postea comiter posuit amaritudinem, & pœnam, quam reposcebat infligi, vertit in amoris testimonia: id unum à Patribus

efflagitans, ut in Annalibus publicâ retractatione priorem ſententiam emendarem. Ita me annuente, ſed non me convicto, ſancitum eſt.

Ut fidem datam liberarem, non more Prothei ad omnem auram verſatilis, ſollicitiùs excuſſi Ordinis ſcrinia, interrogavi doctos quos potui, & maximè Hiſpanos, quos ſciebam traditionis hujus acerrimos vindices. R. P. de Noriega Abbas Salmanticenſis in excribrandis regni monumentis totus, & rerum Ordinis noſtri apprimè peritus, primò humaniſſimis litteris, poſtea diſſertationibus typis anno 1723, Salamanticæ datis, meoque inſcriptis nomini, hoc Hiſtoriæ Norbertinæ caput multiplici argumento probatum, ad me tranſmiſit, quò ceſpitantem animum ad pervulgatam in Ordine fidem, alliceret. Nemo huc uſque quæſtionem eâ verſaverat eruditione, eâ urbanitate adverſarium impugnarat; & vix ſcio an rationum pondere, an comitate ratiocinantis in ejus ſententiam abreptus iverim.

Regulæ Sancti Auguſtini, Conſtitutiones adjunxit Norbertus, ſeu potiùs praxes ex Monaſtica diſciplina decerptas; nolens Beatus Pater ſub Clericalis militiæ nomine, diſcipulos laxiori regulæ inſervire, ſed à laborioſæ pœnitentiæ exercitiis ad apoſtolici muneris functiones alternatim tranſire, tantò paratiores, quantò propinquiores Deo. Ex hac utriuſque ſtatùs confœderatione, quidam à vagitu Ordinis, Ordinem ex albo Congregationum Canonicarum expunxerunt, nec antequam in *Belli-loci* monaſterium diœceſis Trecenſis Auguſtiniani inſtituti, involaſſent Præmonſtratenſes, Canonicorum Ordini fuiſſe aſcriptum propugnarunt. Hoc commentum à P. *Chaponel*, noſtris diebus, ſomniante confictum, Bullis Pontificum, Principum Diplomatis, unione *Belli-loci* anterioribus, confutavi in diatriba quam typis edidi Luxemburgenſibus anno 1702. Siluit à conſpectu ejus Pater *Chaponel*, & meritò. Quis enim neſciat in Chriſto & in Apoſtolis, quos uti formam Cleri regularis ſuſpicimus, præluxiſſe corporis mortificationes, orationis aſſiduitatem, amorem ſeceſſus & ſilentii, dum ſe prædicationis miniſterio adornabant, vel prædicationis operi inſtabant fervidius? Quis neſciat in meditullio Pariſiorum, florente Canonicorum Regularium ſtatu, illos conſueviſſe veſci pane furfureo & herbis agreſtibus?

III. Regulam S. Auguſtini impoſuit Beatus Norbertus ſuis diſcipulis. Addit Conſtitutiones auſteras quæ Canonicum inſtitutum non deſtruunt.

Non culpandus ergo, ſed laudandus B. Pater, quòd ſacra Mariæ otia Marthæ ſollicitudinibus temperaverit; quòd pœnitentiæ labores junxerit apoſtolicis laboribus; quòd diſcipulos in latebris priùs erudiendos, poſtea in publicum emittendos ſanxerit. Hoc vitæ genus quandiù viguit in Ordine, Ordinem verè fecit apoſtolicum, & ex Monaſteriis, tanquam ex virorum fortium Seminariis, eruperunt præcones Evangelici, Epiſcopi inſignes, Flandrenſium, Wandalorum Apoſtoli, Paſtores, Martyres, Eccleſiæ & Ordinis lumina. Nec mirum quòd fervente in alumnis ſpiritu Norberti, certatim Principes & Nobiles ad multiplicatioem Cœnobiorum in quibus Canonici & Monaſtici inſtituti refulgebat ſtupenda & utilis conſociatio, conſpiraverint; quòd ad conditas de novo Abbatias, vel etiam in veteres dilapſas ab obſervantia, poſtulaverint Præmonſtratenſes ardenti ſollicitoque ſtudio, qui populi & cleri mores reformarent.

Duplici illo ex fonte inopina prodiit Ordinis fœcunditas, ut propitios apud Deum exoratores facerent ſibi Principes ſeculi; ut apoſtolicos viros ſibi & genti ſuæ procurarent, quibus erudirentur, iiſque liberaliter prædia, Epiſcopis annitentibus & approbantibus, conferebant ad dotem Monaſteriorum, ſeminantes temporalia, in ſpem metendi ſpiritualia. Aliunde Epiſcopi, liberioris quorumdam Religioſorum vitæ impatienter pertæſi, tanquam vindices piæ Fundatorum delegationis & mortuorum vivi interpretes, non hærebant Principum aut hæredum accedente conſenſu, melioribus agricolis locare vineam Domini Sabahot, &

immorigeris aut sterilibus, substituere probos ad Ecclesiæ decus, ad fidelium utilitatem. Obvia erunt passim lectori in Monasteriologiæ nostræ decursu Cœnobia quæ nunc à Canonicis secularibus, quandoque à regularibus, vel etiam à Monachis ultroneâ deditione, aut Ecclesiasticâ autoritate ad nos transmigrarunt.

IV. Qualem Ordinis formam, qualem regiminis modum S. Norbertus instituit.

Adverterat B. Pater à regulari disciplina excidisse Monachos ex defectu Capitis supremi quod regularum invigilaret observantiæ, quod gregis disseminati custodiæ incumberet, quod autoritate coactivâ præsideret singulis; adverterat multitudinem acephalam, vel potiùs multitudinem Capitum, nulli subditorum præeminenti Capiti, ad discordiam & schisma, in dissolutionem morum esse pronam, ad vitæ emendationem ægrè revocabilem, & istis ut occurreret malis, sagax & providè sapiens Pater, Abbati Præmonstratensi addixit supremati̇æ jura & ejus autoritati singulos subjecit Abbates; sed ne vertex ipse Ordinis, summo rerum judicio gaudens, obsequii gloriam tantùm relinqueret cæteris, nulli obsequens, voluit ut Capitulo generali præstaret obedientiam, ejus subesset jurisdictioni, & ab ejus arbitrio penderet totus. Quare anno quolibet vertente, jussit Comitia congregari quæ tam in capite, quàm in membris reformationem decernerent cum plenitudine potestatis, & ita monarchiam aristocratia temperatam, invexit in Ordinem Norbertus. Quin & ad majorem matricis Ecclesiæ providentiam, quæ ut omnium mater, sic omnibus forma vivendi esse debet, præcepit ut S. Martini, Floreffiæ, Cuissiaci Patres Abbates, per Visitationis canonicæ remedium, disciplinæ Præmonstrati prospicerent, emendarent, corrigerentque culpas delinquentium, ipsum denique Abbatem, si sui Ordinis prævaricator, vel in corrigendo, quod absit, tepidus vel contumax exstiterit, admonerent & per eos unà cum Episcopo judicaretur. Similì penè formâ judicii exauctorandos Abbates pronuntiat Innocentius II. Sed loco Episcopi Patrem Abbatem, sive Abbatem monasterii ex quo assumptus fuerat reus Abbas, judicem cum duobus aut tribus aliis Abbatibus advocatis, sedere præcipit.

V. Patres Abbates Ordinis, & eorum autoritas.

Patrem Abbatem appellamus illum, qui vel collatione fundorum, vel transmissione Abbatis & Religiosorum de gremio Ecclesiæ suæ, vel restauratione post lapsum, excitavit & quodammodò genuit aliud monasterium. Qualem carnales patres in filios, talem spiritualis Pater in sobolem suam exerit authoritatem. Hanc ne extra legitimos limites extenderent Patres, sic arctavit Alexander III. inveteratæ jurisdictionis, aut immoderatæ interpres; » Pater Abbas

Bulla an. 1177.

» curam de profectu filii Abbatis ... habeat, & potestatem habeat corrigendi » quæ in eo noverit corrigenda; & illi tanquam patri reverentiam filialem humiliter exhibeant (Fratres) ... Si Abbas aliquis ... infamis & inutilis aut Ordinis sui prævaricator extiterit ... Si capitulum expectari nequiverit, per Abbatem Præmonstratensem & Patrem Abbatem & alios Abbates quos vocaverit ... deponatur ... cum aliqua Ecclesiarum vestrarum Abbate proprio » fuerit destituta, sub Patris Abbatis potestate ac dispositione consistat, & cum » ejusdem consilio, qui eligendus fuerit, eligatur à Fratribus. Electus autem » non quasi absolutus à potestate Patris Abbatis, vel Ordinis sui, Archiepiscopo vel Episcopo in cujus diœcesi fuerit præsentetur ... Si inter Fratres de » substituendo Abbate discordia fuerit ... & ipsi facilè ad concordiam vel unitatem revocari nequiverint, Pater Abbas, consilio Coabbatum suorum, eis » idoneam provideat personam, & illi eam sine contradictione recipiant in » Abbatem.

Patrum Abbatum prærogativas distendit Gregorius IX. dum illis potestatem impertivit approbandi & designandi Confessarios filiorum Abbatum. Primaria,

Bulla an. 1227.

si tamen

ſi tamen primaria ſunt Statuta Ordinis quæ Pagius edidit, latiùs expandunt Patrum Abbatum jura. Viſitationem annuam filialium Eccleſiarum inſtituere, præeſſe electioni Abbatum, ædificiorum ſtruendorum formam ad Religioſæ modeſtiæ regulas reducere, permutationem bonorum & locationem prædiorum ad vitam concedere, & ſimilia, Patrum Abbatum authoritati ſubjiciunt, quibus per recentiora Statuta nil penè detractum. Imminuta eſt in Colloquio Bonæ ſpei anno 1661, inter Patres Obſervantiæ communis, & Congregationis reformatæ. Ibi enim ad pacis & concordiæ ſtabilimentum utrinque convenerunt : » Patres Abbates de Ordine, non viſitaturos filias Abbatias adjunctas Communitati, & Patres Abbates de Communitate viciſſim non viſitaturos » Abbatias quæ non ſunt de Communitate ; ſalvis tamen juribus Patrum Abbatum, ſive ſint de Communitate, ſive non, præſidendi in electionibus filiorum Abbatum, & eos confirmandi ; permutationem & alienationem bonorum temporalium permittendi, inſpiciendi & ordinandi ædificia & alia temporalia, prout Statuta Ordinis præfigunt.

Alexander III.

Cum Præmonſtratenſis Eccleſia quæ mater eſſe dignoſcitur aliarum, ampliori honore & authoritate digna ſemper exſtiterit, non ſolùm in Monaſteriis quæ inſtituit, ſed in omnibus aliis dignitatem & officium Patris Abbatis obtinet. Imo ea fuit ſemper in Caput Ordinis reverentia, ut ad conſpectum ejus, jure ſuo Patres Abbates quodammodò ſpoliati, conticuerint. Unum eſt quod uſu prævalente ſibi non vindicarat, electionibus Abbatum alterius Filiationis præſidere in præjudicium proprii Patris Abbatis, & electum confirmare poſt electionem ; ſed à Capitulo generali anni MDLXXXVI. id quoque juris aſſertum eſt Abbatibus Generalibus, ſeu beneficio præventionis, ſeu titulo proedriæ. Adeò ut Patris Abbatis œcumenici munia per totum Ordinem obire nunc poſſit ampliſſimus Archimandrita.

VI. Abbas Præmonſtrati Patris Abbatis œcumenici jura exercet.

Jus Paternitatis coævum Ordini, & cuique Abbati ſcrupuloſiùs aſſervatum, intercidit quandoque, vel culpâ Abbatum, vel temporum neceſſitate exigente. Abbas S. Petri Selincurtenſis anno MCLXIV. jure ſuo paterno in Abbatiam S. Auguſtini Morinenſis excidit, rei domeſticæ & alienæ renunciatus inhabilis adminiſtrator, & in Abbatem S. Nicolai Furnenſis tranſiit judicio Capituli generalis. Ejuſdem decreto omnes penè Hungarorum Paternitates reſectæ ſunt anno 1294, & inutilium Patrum loco, filios dedignantium viſitare & corrigere, meliores ex Bohemia & Moravia aſſumpti ſunt. Ergo ex negligentiæ causâ munere ſuo ſpoliabatur immeritus Pater. Ex denegato pariter filiali Eccleſiæ afflictæ ſubſidio, Patrem fruſtrà reclamanti, paternâ juriſdictione privabatur ; uti contigit Abbatiæ Vadegotienſi, quæ calamitatibus attenuatam Haguenoviæ Præpoſituram ſublevare recuſans, paternâ authoritate exuitur immiſericors Pater anno MDCXXXXIV. & *Cellæ Omnium Sanctorum* ſuppetias ferenti, committitur.

VII. Quomodo acquiritur aut deperditur jus Patris Abbatis.

Alio ex capite tranſlata eſt noſtris temporibus Monaſteriorum paternitas. Poſt redemptum de infidelibus regnum Hungariæ, Abbates Auſtriæ, Bohemiæ, Moraviæ, refuſo in ærarium Viennenſe argento, nonnullas Ordinis Præpoſituras recuperarunt & eorum regimen paternum ſuis annexuere Abbatiis. Præter has immutationis aut acquiſitionis cauſas, aliam offert nobis Capitulum generale anni MDXVI. Attendentes quippe Ordinis proceres ex Patrum Abbatum longiore diſtantia, à filiabus Eccleſiis, non eſſe pares aut promptos ad ferendum auxilium, ad Viſitationem obeundam annuatim, & cætera Paternitatis adimplenda officia, tranſmiſſam anno 1294, ad Abbates Bohemos & Moravos Paternitatem in Hungariæ Præpoſituras, Hungaris reſtituerunt ſupremo & ineluctabili Canone.

VIII. De quatuor primis Patribus Abbatibus Ordinis, & de eorum jurisdictione.

De Paternitate trium S. Martini, Floreffiæ & Cuissiaci Abbatum, quos primarios post Præmonstratensem Archimandritam Patres Ordinis nominamus, dixit & decertavit magno æstu, eventu nullo in Comitiis generalibus anni 1717. Reverendissimus Pater *Dionis* Abbas Cuissiaci, se suosque collegas à Vicariatu generali, id est à regimine totius Ordinis, sede primâ vacante, arceri conquerebatur, & hanc provinciam R. D. *Dufour* Abbati Clari-fontis, committi, quam de jure, de consuetudine ad tres primos Ordinis Abbates devolutam contendebat. Triplici ex principio, argumenti sui probationes eruit & pronuntiavit elegantiæ floribus ornatas. 1°. Ex statutis & monumentis veteribus. 2°. Ex usu antiquo & moderno possessionem assecurante. 3°. Ex ratione multiplici Canonum munita definitionibus.

Statuta Ordinis, dist. 4. c. 12. viduatam pastore Ecclesiam Præmonstrati, tribus primis Patribus administrandam delegant, electionis futuræ Præsides constituunt : ad eos igitur ut Præmonstrati regimen, sic totius Ordinis providentia pertinet : alterum affine est alteri; Abbas Præmonstrati in tantum præest Ordini in quantum domui Præmonstratanæ præest; sed tres primi Patres, vacante sede, monasterio præsunt, quidni Ordinis clavo præessent?

Equidem tres Patres non viduatæ solum Præmonst. Ecclesiæ curam in se suscipere debent, sed loco pleno, & vivente Archicœnobiarchâ, ejus curam sollicitiùs debent gerere, annuis Visitationibus in mores, in disciplinam, in temporalium adminstrationem inquirere, ad jussionem Alexandri III. summi Pontificis; sed nihil ultrà, nihil suprà indulgetur illis, quo possint ex momentaneo matricis Ecclesiæ gubernio, in totius Ordinis imperium aspirare. Quid si liceat tutoribus Præmonstrati ad tempus, in universum Ordinem extendere potestatem Capitis, quidni liceret eisdem ex jure visitandi Præmonstrati, cæteras dignitate minores Abbatias visitare? Standum Legislatoris textui, nec fas est consequentiis procul accitis, stabilire jus nullibi datum, inductum nusquam.

Frustra D. Cuissiacensis ad causæ patrocinium allegat pacta amicabilis concordiæ, Guidonem inter Abbatem Præmonstrati, & Joannem Abbatem Sancti Martini de Lauduno, quæ anno 1286, Vicariatum generalem San-Martinensi Abbati adjudicant. Pagio authore id recenset, sed legenti ac relegenti Pagium nihil tale occurrit, imo nec Vicariatus generalis venit in controversiam. Quamvis venisse fateremur, & à tribus Abbatibus jurgii sequestris, San-Martini Abbati assertus esset, non inde causa Cuissiacensis victrix evaderet, quin potius tricipitis multitudinem ab eo invectam pro regimine Ordinis, rescinderet, dum in solo San-Martinensi Abbate jura Vicarii generalis tota & integra coalescere declarat. Si Capituli generalis anni 1533 sancito hæreamus, augetur consequentiæ robur in gratiam San-Martinensis Abbatis. Si enim attento decessu reverendissimi Domini Præmonstratensis præsidentiam arripuit in Capitulo generali Abbas San-Martinensis ut Vicarius generalis, non ergo potuit Abbas Cuissiaci munus istud cum illo dividere; quod si in tres partes scissa non est Capitis defuncti jurisdictio, cur in triadem, præsidentiam dispartiri vellet Abbas Cuissiacensis, & partem unam sibi assumere? Sed quid angimur circà hoc argumentum? quod primam in Capitulo generali sedem, non item Vicariatum generalem Ordinis evincit. De jure Abbas San-Martinensis in generali Procerum Consessu Abbati Præmonstrati accumbit primus, quid mirum si vacante generalatu & Vicario generali non creato, primum ambierit in Capitulo locum?

Bibliot. Præm. p. 963.

Nec quicquam prodest consilio D. Cuissiacensis libellus supplex porrectus Francisco II. Galliarum Regi à Joanne *Despruetis* Doctore Sorbonico & Ordinis Sindico in Pissiaci Comitiis. Nemo enim ambigit tres primos Ordinis Patres

esse totidem Ordinis fulcimenta & quasi columnas, cum ex illis pendeat & ab eorum incumbente vigilantia, salus Præmonstrati; cùm generalium Capitulorum Definitores nati, ad cæterorum electionem votis concurrant & consiliis; cùm electiones Abbatum Præmonstrati moderentur, & intrent ut judices; cùm in majoribus negotiis illos audire & consulere debeat Caput Ordinis. At quantùm ad regimen Ordinis, vacante sede primariâ, nihil inferas ex libello *Destruetis*, quod illud astruat.

Ad rem paulò accommodatius profert arrestum die 4 Julii 1667, manatum à sanctiore Consilio Ludovici XIV. Galliarum Regis, quod editas, vacante Præmonstrati Ecclesiâ, Ordinationes, à tribus primis Patribus, Visitationem monasterii ex officio peragentibus, statuit manere immotas. Ordinationes autem illæ non Præmonstrati solùm, sed Ordinis totius disciplinam & œconomiam tangebant. Non moverentur exteri hoc Senatus-consulto, nec legem faceret credendi, qui alienâ lege non astringuntur, Legislatorem alioqui venerantes. Sed si arresti verba perpendamus, vis tota argumenti eliditur. Quippe Ordinationes istas à tribus Patribus Ordinis unà cum D. Michaële *Colbert* electo Abbate Præmonstrati, & Vicario generali Ordinis renuntiato à Comitiis generalibus, conditas fuisse disertè enuntiat textus arresti, & si secùs factitatum foret, nec Vicarii generalis intercessisset authoritas, irrita prorsùs decreta conciderent.

Ad rationum momenta veniens D. Cuissiacensis hanc in fronte ponit: vel ab ipso Domino Præmonstratensi, vel à generali Capitulo, Vicarius ille generalis, ad Patrum Abbatum humiliationem intrusus creabitur. Si à primo suam mutuatur potestatem, actum erit de potestate illius pereunte Abbate Generali, sicut post Episcoporum fata non perseverat in eorum Vicariis superstitibus, collata potestas. Si à Capitulo generali Vicarius iste constitutus est, contingit plerumque Vicarium morte præoccupari ante Abbatem generalem, & cum raræ sint Congregationes Ordinis, ita cogente infelicitate temporum, per longa annorum spatia gubernatore subsidiario privabitur Ordo, quem sibi ad communis necessitatis sublevamen delegerat. Igitur ne deficiat in Ordine summa authoritas quæ regat, quæ moderetur, quæ corrigat, in triade Patrum, non alibi ad perennem Ordinis œconomiam locanda videtur.

Hoc ingenioso dilemmate parùm proficiet D. Cuissiacensis. Gratis dato quòd à solo Abbate Generali Vicarius instituatur, non continuò putaveris, eo moriente, emori impressam Vicario potestatem; nec quadrat comparatio Vicariorum Episcopalium cum nostris, quia Jurisdictio Episcopalis decedente Prælato migrat in Capitulum ejus Ecclesiæ; at verò integra in Vicariis nostris permanet Generali decumbente: neque à seculis visum est in Ordine nostro Vicarios generales, sive totius Ordinis, sive Circariarum abstinuisse à muniis post Abbatis Præmonstrati obitum, aut ad tres Patres Abbates confugisse Ordinem ut enectam morte concedentis jurisdictionem, prorogationis beneficio exerceant.

Si à Capitulo generali promovendus est Vicarius & humanis eximatur ante Generalem Abbatem, vana quidem erit eligentium providentia; sed capite sano & compote, quid Vicario capite opus est? Si generalis Abbas, ut pote mortalis, suum videat suo tempore diem, non inde in anarchiam incidisse dicendus est Ordo, quemadmodum Ecclesia, obeunte Papâ, non dicitur ex dierum aliquot interregno anarchica. Quòd si in multos annos differtur Abbatis Præmonstrati electio, sicut Richeliano schismate fervente & scindente Ordinis unitatem accidit, tunc ad manum habemus paratum ab Urbano VIII. remedium Pagio forsitan & reverendissimo Cuissiacensi ignotum, quod Pontifex

anno MDCXLI. languenti ex Capitis defectione apposuit Ordini, hoc tenore.

» Urbanus Episcopus servus servorum . . . Prospero felicique statui & gu-
» bernio filiorum Canonicorum Regularium Præmonst. Ordinis, Abbate Ge-
» nerali ad præsens, ut accepimus, destituti, pro pastorali nostrâ sollicitudine,
» quantùm cum Domino possumus consulere volentes, de consilio particularis
» Congregationis, negotiis ejusdem Ordinis pro bono illius regimine à nobis
» præpositæ, quæ rem hanc maturè discussit, Apostolicâ authoritate tenore
» præsentium concedimus singulis, tam in ultimo Capitulo generali, quàm
» postmodum à solo Abbate Generali defuncto, Ordinis hujusmodi constitutis
» Vicariis, seu Visitatoribus permanentibus, Circariarum, seu Provinciarum,
» facultatem indicendi & celebrandi annuatim Capitulum provinciale in loco
» sibi benè viso, cui interim, & donec non fuerit de Abbate Generali huic Or-
» dini provisum, sive per electionem juxta Constitutiones Ordinis, sive per
» deputationem à Sede Apostolicâ faciendam, competat potestas, secundùm
» contingentiam casuum suæ Provinciæ faciendi ea quæ facere posset Capitu-
» lum generale, & ipsi Vicario seu Visitatori permanenti cujuslibet Provinciæ,
» etiam faciendi ea, tam intùs, quàm extrà Capitulum provinciale, quæ facere
» posset Generalis ejusdem Ordinis. In illis verò Provinciis, in quibus hujus-
» modi Vicarii seu Visitatores non exstant, supradictam facultatem indicendi
» & celebrandi Capitulum provinciale concedimus Abbati antiquioris monaste-
» rii, de & cum consilio duorum Abbatum ejusdem Provinciæ, & in defectum
» Abbatum, Priori antiquioris monasterii, in quo eligatur canonicè Vicarius
» seu Visitator permanens, cum in Capitulo provinciali competat omnis po-
» testas super expressa, ita tamen ut omnia & singula superiùs concessa ad nos-
» trum & Sedis Apostolicæ beneplacitum durent. Datum Romæ apud S. Pe-
» trum sub annulo Piscatoris die VIII. Martii MDCXLI. Pontificatûs nostri anno
» XVIII.

En nova regundi Ordinis forma, quam Diis iratis nati Patres nostri tenere debuerunt, Richelio temporaliter imperante; en quam tenere deberet Ordo sede longiùs vacante, cum nullo posteriori decreto priori fuerit derogatum. Mirum quòd tres primi Patres Ordinis non reclamarint læsam potestatem gradûs & dignitatis; mirum quòd Paternitatis spreto jure, quod jactat Dominus Cuissiacensis, seniori cujusque Circariæ Abbati prærogativam accumbendi summo loco in Capitulis provincialibus, & regundæ Circariæ, deferat Pontifex authoritatem neglectis Patribus primis, in sua unoquoque Provincia. Extricet se D. Cuissiacensis ab hac difficultate & toto pectore defensam trium Patrum jurisdictionem vindicet, oppressam Romanæ Sedis oraculo.

Neutiquam se expediet suo illo quod palmare venditat argumento, ex jurisdictionis actibus quos tres primi Patres exercent Præmonstrati, tum erga Abbatem, tum in ejus Capitulares Canonicos, quos Pontificiæ sanctiones subdunt reformationi & correctioni trium Patrum. Eisdem electionis præsidentiam adjudicant; quodque horum majus est, Abbatum Præmonstrati dimissiones excipere posse, ex dimissione Guillelmi II. à tribus quondam Patribus excepta, concludit. Quis autem nesciat jus reformandi, corrigendi, dimissiones admittendi, importare superioritatem in primis Patribus erga verticem Ordinis, quantò magis in Prælatos inferiores? Illam agnovit & publico scripto professus est Reverendissimus Dominus *Colbert*.

Pace tamen eruditi Abbatis dicam, sua supra modum dilatare philacteria; nam si jus visitandi, corrigendi, præsidendi, resignationes acceptandi autocephaliam arguit in tribus primis Patribus, quid fiet de suprematia Abbatis Præmonstratensis

monstratensis in singulas Ordinis Abbatias? quid fiet de ministeriali illo Capite cui trias Patrum superstruitur, summi Capitis moderatrix & arbitra, quam nec Leges Pontificiæ, nec Capitulorum Canones imposuerunt super Capita nostra. Suldeque subvertit Ordinis œconomiam sistema D. Cuissiacensis, quod ne metas transgrediatur quas posuerunt patres nostri, oppono repagula exorbitantibus consequentiis.

Revera tres Ordinis Patres jus visitandi, corrigendi, reformandi Præmonstrati, tam in capite, quàm in membris, provinciam demandatam ab Ordinis nativitate acceperunt, *ut sicut membris singulis Caput praeminere conspicitur, sic (Præmonstratum) decoris privilegio praecellere videatur, sitque (Abbas) filiis in sancta vita speculum, ac angelicæ conversationis exemplum.* Sed visitationis actum qui superioritatem redolet, exercent nomine & autoritate Ordinis, eamque sic arctavit idem Pontifex, ut si deponendus fuerit Abbas Præmonstrati, per vos, inquit, Patres Abbates, ad depositionem ejus nullatenùs procedatis, sed hoc generali Capitulo reservetis, ne momentanea jurisdictio quâ funguntur, illis attollat supercilium.

Præesse electioni, resignationem admittere, autoritativam non indicant functionem, si electus confirmationem à Præside electionis, & resignatarius institutionem ab admittente resignationem, non obtineant. Sed & hoc ultimum potestatis argumentum, ne indulgentiùs permissum D. Cuissiacensi exprobretur. Ad Willelmi II. historiam à qua illud mutuatus, iterum redire obtestamur. Leget, quod nimis properatò legentem fugit, non à tribus modo Patribus, sed ab universali Capitulo fuisse admissam Willelmi II. resignationem. *Cessit regimini Abbatiæ, tribus primis Abbatibus approbantibus, & etiam Capitulo generali*, honoris causâ tres primi Abbates, loco secundo cæteri nominantur; & illa Capitulantium unanimitas ultroneam Willelmi exautorationem excepit. *Pagina Biblioth. Præm. p. 921.*

De Reverendissimi D. Colberti sensu quem sibi propitium laudat D. Cuissiacensis, nihil est reponendum, cùm ejus verba judicaverit subticenda. Finem denique dicendi fecit, in novitatem Vicariatûs universi Ordinis insurgens, & ex novitate periculosum, ac proinde proscribendum concludens: maximè si talis Vicarii electio pendeat ex nutu Abbatis Præmonstrati; absurdum inclamans Rectorem dari Ordini ab eo qui non nisi per multorum vota & sub testimonio trium Patrum Rector Ordinis renuntiatus est.

Nos saniùs sapientium judicio hanc quæstionem protestationis merito & interpositionis titulo pendulam, remittimus. Si tamen animadversionibus nostris locus esse potest, haud temerè dixerim non esse nuperam Vicarii totius Ordinis institutionem. Sub Adamo de *Crecy* Abbate Præmonstrati, Vicarium ejusmodi alio, sed æquivalenti nomine designatum exstitisse legimus sub titulo scilicet, *Locum tenentis Domini Præmonstratensis*, compellatum in articulo VII. initæ concordiæ anno 1315. ipsum inter & Abbates Angliæ, sic legere est. » Item apostatæ Ordinis & alii criminosi ac notoriè irregulares, si ad Dominum » Præmonstratensem venerint, seu ad ejus *Locum tenentem* absolvendi, aut pro » gratia impetranda, Dominus Præmonstratensis, vel ejus *Locum tenens* in ca» sibus sibi concessis ipsos absolvent, & super irregularitate dispensabunt « Iste *Locum tenens* per omnia æquiparandus Vicario Generali totius Ordinis, solo nomine differt. Sequester est jurisdictionis Abbatis Præmonstrati: ad exteros diffunditur ejus potestas, in causis majoribus delegatur judex, & gratiarum dispensator. Viventis Abbatis generalis obibat munia, fortè absentis, aut morbo detenti. Hoc unum est veteris disciplinæ vestigium, quod temporibus Fran-

cisci Cardinalis Pisani revixit magno Præmonstrati dispendio, majore totius Ordinis luctu.

Præmonstratensem Ecclesiam perpetuæ commendæ titulo adeptus, deglutiendo proventui intentus, pastoritiam sollicitudinem transtulit in Patrem Joannem de *Folembray* Abbatem Clari-fontis, inde in Patrem Amatum *de Fonte* Abbatem S. Martini, postea anno 1537. in Patrem Judocum *Coquerel*, S. Justi Abbatem, & anno 1544. in Patrem Antonium *Desprey* Abbatem S. Joannis Ambianensis qui suo nomine præessent Ordini. In Hippolitum Ferrariensem Cardinalem ex resignatione transmissâ anno 1561. Abbatiâ, cùm de subrogando Vicario generali minùs curaret Cardinalis, Prior Præmonstrati coacto Fratrum Capitulo, in Vicarium Ordinis subvexerunt P. ac Dominum Gilbertum de *Tournebulle* Abbatem sanctæ Mariæ de Moncellis die 19. Maii 1565. neglectâ cunctantis Cardinalis Abbatis approbatione; & huic suffectus est anno 1569. P. Antonius *Visconti* Abbas S. Martini Laudunensis; ex Senatus-consulto Parisiensi ad tale quid audendum stimulati Præmonstratenses, insolitum jus sibi arrogarunt. Seculo penè integro, & à restitutione regularis Abbatis evanuit cum nomine Vicarii memoria. Recruduit necdum bene obducta plaga, dum Richelius denegatam sibi ab electoribus Abbatiam invasit. Afflictæ matris statum, perturbationem Ordinis ejusque Hierarchiæ, exposuerunt Urbano VIII. Pontifici Abbatum primores ex omni gente. Tactus intrinsecè, & Proregis Franciæ autoritatem adversam experiri nolens Papa, hanc regiminis inusitatam speciem induxit, quam supra descripsimus. Anno 1663. Abbas generalis Sellerius in Vicarium & Prorectorem generalem fecit, aut potiùs sibi dari passus est Abbatem Domni Martini. Anno 1717. Amplissimus Generalis, obstrepente & contradicente D. Cuissiacensi, Administrum Ordinis accivit R. P. ac D. N. *Dufour* Abbatem Clari-fontis.

Hæc est Vicariorum series quantum ex monumentis & Capitulorum actis elici potuit. Vario modo istud munus collatum, variisque concreditum fuisse personis liquet, tribus Patribus Abbatibus nunquam; nullo tamen horum reclamante, licet pateret locus in Capitulo generali anni 1535. dum Joannes de *Folembray* designatus à Cardinale Pisano Vicarius Ordinis, confirmationem impositi officii rogavit à Patribus. Conticuerunt pariter Patres Abbates dum Joanni de *Folembray* substitutus Amatus de Fonte Abbas Cameræ-fontis, confirmationem requisivit à Comitiis generalibus anni 1537. ut delegatum munus exequeretur. Demum in Capitulo generali anni 1663. Amplissimus Abbas Sellerius unà cum Patribus *providere volens plurimis difficultatibus quæ sede Præmonstratensi vacante occurrere solent, Capitulum creavit & instituit Reverendum admodùm Dominum Abbatem Domp-Martinensem in Vicarium Generalem*, nullo discrepante, Patribus Abbatibus fortè invitis, sed silentibus. Abbas Cuissiaci pro hac Patrum Abbatum inofficiosa præteritione & ex capite duplici primus movit querelam, tum quia hæc dignitas ad Patres Abbates de jure pertineret, tum quia inconsultis Patribus, illam, contra mores antiquos, detulisset Abbati Clari-fontis Amplissimus Generalis Abbas.

Vide acta Capitular.

IX. *Abbatiæ & Præposituræ Ordinis.*

De tribus primis Paternitatibus disserentem longiùs abripuit Domini Cuissiacensis oratio quam dimittere non decebat intactam, nec insolutam referre. Alterum dedignationem saperet, vergeret alterum in dispendium antiquioris disciplinæ. Jam aliò convertimur & de Abbatiis & Præposituris, ambarumque discrimine venit agendum. Si à Fundatore Ordinis B. Norberto auspicemur, eo regente aut nulla aut pauca monasteria alterutro titulo insignita sunt, ne Præmonstratum quidem, cui præerat B. Pater, hâc appellatione gaudebat. Pri-

mum naſcenti Ordini & poſtulanti Norberto conceſſum confirmationis Diploma à Legatis Apoſtolicis, neque Abbatis neque Præpoſiti nomen præfert. Quotquot hujus temporis extant monumenta, neutram denominationem Norberto aſcribunt, quamvis utriuſque ſignificationem ſuis impleverit officiis, tum erga Præmonſtratum quod uti Superior moderabatur, tum erga diffuſum ſuâ ætate & ante Epiſcopales infulas, Ordinem cujus regimini tanquam Caput incumbebat. At ubi ad Magdeburgenſem Epiſcopatum ſublimatus eſt, quos noluit honoris titulos aſſumere, Hugoni ſuæ dignitatis hæredi contulit, & ad ejuſdem nuncupationis conſortium accerſivit Floreffiæ, Antuerpiæ, Bonæſpei, fortè & quoſdam alios aliorum monaſteriorum Superiores, cæteris ſub Præpoſiti denominatione manere & regere permiſſis. Ut hanc nominum varietatem ejuſdem muneris indicativam, in eodem Ordine tolleret Eugenius III. conceſſit Præpoſitis ut nomen & benedictionem Abbatum ſibi procurarent. Ex tunc per B. Hugonem in Abbates ſublevati quotquot ſub Præpoſitorum aut Superiorum appellatione monaſteriis præſidebant. Ex tunc quæ ad Ordinem accedebant, aut pro Ordine ædificabantur Eccleſiæ, titulum Abbatiæ obtinebant à limine fundationis. Saxoniam, Hungariam & Germaniæ Provincias aliquot excipias, quæ Præpoſituræ nomen ſuis ab origine inditum monaſteriis, avidè retinuerunt. Ipſummet S. Mariæ Magdeburgenſis Cœnobium quod B. Norbertus anno 1129. ſuo junxit Ordini, priſtino ſuo Præpoſituræ titulo contentum, Abbatialem faſtidivit, ſeu potiùs ex humilitatis ſenſu, nuncupationem non admiſit, nec voluit filiales Eccleſias glorioſiori titulo donari per Saxoniam. Sæculis poſterioribus, prioris humilitatis immemor, faſtuoſam Primatis Germaniæ denominationem, Epiſcoporum ornamenta & ſupellectilem ambiit Præpoſitus, nec tamen primitivum nomen immutavit ſuo monaſterio, ne antiquitati derogaret, neve monaſtici aliquid innueret Abbatis appellatio. Ita nonnullos Germaniæ Præpoſitos ſenſiſſe præſertim nobilium Collegiorum, advertimus, qui poſt acceptas Abbatum infulas & nomen, utraque poſuerunt, ut Præpoſiti reſumerent denominationem, Canonicorum equeſtris nobilitatis, ut ſibi viſum eſt, rectori convenientiorem. Humanus error eſt, cui ignoſcendum, ſed in Hierarchiam peccans, ſive Ordinis diſciplinam, ſive normam Canonum conſulas. Quis enim Abbatum viſus eſt poſtulaſſe à ſummis Pontificibus in Præpoſitum ſublevari? Certè Eugenius III. non intendit injuriam facere Ordini, nec in humiliore gradu conſtituere Præpoſitos, dum majoribus noſtris indulſit, non causâ elationis, ſed ad majorem Religionis obſervantiam, ut in Abbates transformarentur & benedicerentur in Abbates. Bullæ Pontificum, primò Abbatibus deinde Præpoſitis inſcribuntur. In Conciliorum ſicut & in Comitiorum noſtrorum conſeſſibus, primum obtinent locum Abbates, ſecundum Præpoſiti. Juriſdictione etiam inferiores ſunt & ſede, neque enim fas eſt Præpoſitis ſubditum attondere in Clericum aut ordinare Acolytum. Non illis licet conſecrare Calices & Pontificalibus ſe immiſcere cæremoniis. Hæc apprimè norunt, nec tamen invident.

Vita S. Norb. c. 16. Chron. Balduini ad annum 1126.

Bulla an. 1146.

X. *Duplex Præpoſitorum ſpecies.*

Duplex porrò Præpoſitorum ſpecies viget in Ordine. Alia Virorum, Virginum alia. Illi Canonicis, iſti Sanctimonialibus præficiuntur. De prima ſatis, de ſecunda latiùs diſcurrendum. Ejus originem, deinde juriſdictionem explorabimus. Quicumque originem illius, Ordini coævam aſſerit, primigeniam Sanctimonialium conditionem ignorare convincitur. Illæ ſiquidem antiquitus, ſuam Virorum monaſteriis contiguam, habitationem habebant, adeò ut qui Viris præeſſe ſolebat, idem præeſſet & Virginibus. Prædia, dotes, fundi nunquam aſſignabantur Parthenonibus, quanquam ex intuitu Parthenonum con-

ferrentur à donatoribus, quia communi cibo, communibus proventibus & vestiario, utraque res domestica procurabatur, & benefactores sua censebantur tradidisse Virginibus, dum virili Cœnobio penes quod summa rerum administratio erat, consignabant. Ne tamen largientis intentio fugeret posteros, illam Chartis exprimebat factam donationem in die professionis seu conversionis Sanctimonialium.

Posteaquàm verò Sorores à vicinia Virorum summotæ sunt Capitulorum providentiâ, illarum victui prospicere, & fundos dividere cum illis fategit, & quodcumque deinceps Virgo ad vitæ sustentationem à parentibus obtinebat, hoc totum Parthenonis cedebat utilitati. Sequestratæ Virgines, Patrem qui spiritualibus, Oeconomum qui temporalibus invigilaret exigebant, & utramque sollicitudinem uni, quandoque pluribus Canonicis imposuit Abbas. Lapsu temporum duplex illud ministerium in unam coaluit personam, cui Præpositi nomen inditum est. Istam regiminis formam, seculo duodecimo desinente Parthenones fundati tenere debuerunt; ita ut examen Canonissarum sequeretur semper Præpositus qui temporalia administraret, & animarum incumberet saluti. Quia verò fortunæ angustia sustentando decenter Præposito non sufficiebat, Confessarios qui & Priorum nomen usurpabant, ad utrumque vocabant regimen paupérculæ Moniales.

Ardua nunc & acriter olim versata quæstio diluenda se offert, num Præpositi Parthenonon, albo sint Prælatorum Ordinis accensendi? P. Michaël ab *Hemselrath* Canonicus *Knechstadiensis* anno 1657. edidit Coloniæ Tractatum in quo rem ex professo agitatam resolvit, Canonum, Statutorum, & rationum multiplici apparatu structo ad ruinam jurisdictionis ordinariæ, immediatæ & independentis, quæ Prælatum efficit, & quam à Sanctimonialium Præpositis penitùs abjudicat. In eam sententiam totus propendebat Amplissimus Generalis Capituli Præses anno 1717. Plures opinanti manus dedere & suffragia. Res agebatur Virginum, quibus Præpositorum authoritas gravis & sæpiùs dispendiosa esse consuevit, attamen eventu secundo & penè desperato, sic invaluit Præpositorum causa, ut non tantùm intemerata evaserit eorum potestas, sed etiam præcedentia in concursu Præpositorum virilis monasterii eis adjudicata fuerit, si promotione fuerint anteriores.

Quamvis hoc decreto omnis evacuata sit difficultas, nihilominùs intorta quondam in eorum jurisdictionem tela librabimus. Exorditur author à prima Præpositorum conditione, antequam à virorum claustris Sanctimoniales essent segregatæ. Alios tunc temporis non præfuisse Monialium claustris constat, quàm Abbates qui sub Episcopi autoritate utrique antiquitus Cœnobio præsidebant. Postquam sepositæ fuerunt, & Ordo à jurisdictione Episcoporum solutus, Abbates potestatem originariam in Moniales non diviserunt cum Præpositis, neque diviserunt Pontifices. Integra igitur post elongationem substitit in Abbatibus.

Nec officit eorum jurisdictioni permissa Virginibus suorum Præpositorum electio, cùm Jure Canonico aliam non habeant facultatem, quam eligendi sibi caput œconomicum, seu patrem familias, cap. de elect. in 6. & Statuta Ordinis aliam illis non indulgent licentiam, sed Præpositi earum gubernio ab illis sunt præponendi, quibus dist. 2. cap. 25. §. 2. potestas est data temperandi ad libitum earum administrationem restrictionibus, porro illa potestas ad Patres Abbates pertinet, *præficiantur Monialibus sive Sororibus Ordinis nostri in Præpositos & Priores viri maturi judicii ..... penes Præpositos sit temporalium bonorum administratio sub conditionibus & restrictionibus à Patre Abbate statuendis.* Et §. 16. & 17. ejusdem capitis ubi ingressus intra septa claustri Monialium vetatur

absque

absque expressa Superioris permissione *per hunc Superiorem*, aiunt Statuta, *hanc potestatem habentem, intelligantur, non Præpositi Monialium vel Priores, sed Patres Abbates, vel Prælati authoritatem Patris Abbatis habentes*, & §. 2. *tempore bellorum ad loca tutiora liceat cuilibet Abbati Sorores sibi subjectas transferre.*

Arctis angustatam finibus Præpositorum jurisdictionem, eam dependentem & vicariam esse colligit, cùm à paterno Abbate in administratione Parthenonon, limitationem, pro ingressu in claustra licentiam, pro translatione Virginum ad tutiora loca, sæviente bello, facultatem accipere teneantur. Hac, si bene sapio, de causa, Conradus Præmonstrati Abbas, præcepit Herdrico Fundatori & Præposito Parthenonis Schilvoldiæ, ut sibi, suoque Conventui acephalo deligeret Patrem Abbatem, ne gregem sine authoritate legitima pasceret more mercenarii & intrusi Pastoris: & sanè si à Patribus Abbatibus non delegarentur Præpositi, in eodem asceterio duo in solidum essent Domini, jurisdictiones pares, quod legibus, quod rationi, quod exemplis repugnat & usibus. Propterea anno 1640. Præpositus *Cæsarei nemoris*, vulgò *Kaisersbosck*, secùs Ruremundam, de paritate authoritatis cum Abbate Averbodii contendens, & autocephalum esse se jactitans, compressus est arbitrali sententiâ Theologorum & Jurisperitorum; cui cùm stare nollet, litem instauravit, quam per varios sinuososque circuitus deductam, pacificâ rursùs compositione dirimendam detulit Abbatibus *Parci & Antuerpiæ*, qui » adhibito diversorum utriusque Juris beneperitorum consilio, » tandem, inquiunt, convenimus, conclusimus, resolvimus, laudum sive sententiam arbitrariam, uti laudamus & arbitramur vigore præsentium. Primò itaque » declaramus & solvimus Prælatum *de Everbod* sicut & successores ejusdem nedum Patrem Abbatem conventûs & monasterii Religiosarum de *Kaisersbosck*, » sed & verum immediatum, ordinarium superiorem tam à Præposito quàm à » Priorissa cæterisque Canonissis totoque Conventu in genere & specie habendum esse & haberi debere. 2°. Declaramus & resolvimus præfatorum » Doctorum Lovaniensium consilium, tanquam fundatum, admittendum, eidemque inhærendo, Præpositum tam præsentem, quàm futurum prædicti monasterii de *Kaisersbosck* sub titulo Præpositi esse merum Vicarium R. D. Prælati sui de *Everbod*, nec aliam habere jurisdictionem administrandi dictum » locum quam quæ in commissione ejusdem exprimitur, delegatam scilicet, » semper revocabilem, & tanquam obedientiarium ad nutum amovibilem. » Actum & pronuntiatum die x. Octobris MDCXL. Alterum nec minus celebre præstat exemplum prænobilis Parthenii Hinsbergensis Præposituræ, Ducatûs Juliacensis. Præpositus Patris sui Abbatis Knechstedensis autoritatem volens excutere, & delegatam jurisdictionem profiteri nolens ad legitimum modum censurâ Ordinis reductus est, unà cum suo Conventu quem in suas partes allexerat. Suæ defectionis pœnitentes hoc instrumentum tradiderunt.

» Nos Leonardus *Treveren* Abbas Knechstedensis, Diœcesis Coloniensis & Nos » Gerardus à *Goer* Præpositus, Elisabetha de *Flatten* Priorissa, Anna-Maria de » *Speez* Suppriorissa, Iolanda de *Harff* Vestiaria, Christina *de Beissel* de *Gimenich* » Novitiarum Magistra, Beatrix de *Droeff* Sacristiæ Præfecta, cæteræque Canoniales Virgines monasterii Hinsbergensis Ordinis Præmonstratensis, Diœcesis Leodiensis, significamus & testamur præsenti instrumento pro nobis & » posteris nostris, quòd posteaquam aliquoties antehac in dicto Conventu nostro motus & discordiæ exortæ fuissent, adeò ut modò Præpositus, paulò post » Priorissa, hanc vel illam minimè competentem autoritatem & potestatem in » Ordinis comtemptum seu dispendium, disciplinæ violationem, charitatis & » concordiæ subversionem, monasterii ipsius damnum, animarum & conscien-

»tiarum gravamen, Superiorum despectum, & ulteriùs mundi scandalum usur-
»pare sibi voluissent, ut hujusmodi malo pro nunc & in posterum obviaretur,
» nos finaliter resolverimus, univerimus & in perpetuum obligaverimus prout
» sequitur. Primò & per omnia ut jam à tempore immemoriali haberi consue-
» vit, pro tempore Abbas Knechstedensis, hujus ab ipso in spiritualibus & tem-
» poralibus dependentis Virginei monasterii Hinsbergensis Pater Abbas & im-
» mediatus Superior habebitur, erit & manebit ad modum quo id Ordinis nos-
» tri generalia Statuta in communibus nuper Præmonstrati habitis Capitulis,
» dist. 2. n. 128. 129. 135. 140. 147. extra disputationem præsupponunt, ordinant
» & mandant. Proinde bina ista monasteria Knechstedense & Hinsbergense,
» tanquam unum monasterium, & unum corpus à memorato suo & imme-
» diato Capite per subalternos & mediatos Superiores, Præpositum scilicet &
» Priorissam respectivè quoad Hinsbergense, ordinatè regentur, cum hac ex-
» pressa conditione, ut Knechstedensi monasterio, sui, & Hinsbergensi pariter
» sui, seu fundati seu acquisiti & distincti maneant serviantque proventus.....
» Perpetuus Præpositura titulus Hinsbergensi monasterio integer manet. Quo-
» circa Præpositus ejus pro tempore tanquam Mandatarius & Vicarius sui Abba-
» tis Knechstedensis, uti & Domina Priorissa semper (hujus vel illius obedientiâ
» vacante) auditis velatarum Virginum non impeditarum votis consultivis, ab
» Abbate pro tempore Knechstedensi, prout reliquæ Officiales constituentur,
» & pro exigentia absolventur vigore generalium nostrorum Statutorum, & ab
» illustrissimo Nuntio Apostolico, Vigiliarum Episcopo anno MDCXXII. men-
» sis Augusti die XVII. decretæ, acceptatæ & hucusque observatæ respectivè
» ordinationis.

Ita capitulariter conventum, definitum & declaratum fuit Hinsbergæ anno MDCXLIX. die XXII. Aprilis.

Istius concordiæ articulos suâ Apostolicâ autoritate confirmavit Fabius Chysius Episcopus Neritonensis Innocentii X. Nuntius ad Tractum Rheni die XI. Decembris MDCXLIX.

Denique ad complementum exeritur formula juramenti ad quod Langwadensem Præpositum ante adeptionem Præpositura Pater Abbas tanquam manumissum adigebat anno MDCXXXIII. » Ego Frater Andreas *de Maldert* cons-
» titutus & ordinatus in Præpositum hujus Ecclesiæ promitto Deo tenere Re-
» gulam B. Augustini, Statuta & Privilegia Ordinis Præmonstratensis, necnon
» hujus Ecclesiæ administrationem, tam spiritualem quàm temporalem,
» pro posse meo gerere, bona hujus Ecclesiæ conservare, amissa recuperare,
» corrigenda corrigere; Virgines bonas & obedientes exaltare & in Christo
» diligere; malas & reprobas piè corrigere, non communicando carni & san-
» guini; Virgines in honesta mensa servare habendo temporum & reddituum
» rationem; denique inhærere in omnibus, Statutis & Privilegiis Ordinis; Do-
» mino Præmonstratensi & Capitulo generali, Prælato meo Helissemiensi &
» Patri Abbati, &c.

Ex ista juramenti formula elici quâ possit arte, delegata & manualis potestas Langwadensis Præpositi haud video. Spondere P. Abbati obedientiam, spondere Capitulis generalibus & Domino Præmonstratensi, quid aliud innuit quàm consuetum cuique Abbati ab inauguratione sua sacramentum, quod cùm subalternam & precariam jurisdictionem inferioris Prælati non evincit, cur in Langwadensi Præposito evinceret? Roborant consequentiam acta Capit. gen. anni MDCXXVII. in quibus sistitur Claudius *Marriny* Andreæ de *Meldert* prædecessor, promittens more Prælatorum obedientiam & ad illam admissus, re ma-

turiùs trutinatâ à Patribus Conſcriptis, poſtquam de Præpoſitis conſultum, concluſum fuit, quòd qui Prælati eſſent & ab Abbatibus independentes, ad obedientiam præſtandam admitterentur. De facto admiſſi ſunt R. D. Scheidenſis, R. D. Hinsbergenſis, R. D. Langwadenſis.

Alios igitur independentes Præpoſitos agnoſcebat Ordo, alios dependentes; hincque omnes non decuit eadem menſura metiri, & Statutorum leges immeritò in demolitionem juriſdictionis immediatæ omnium Præpoſitorum depromuntur. Quis generales Ordinis conſeſſus dicere audeat ita inſaniiſſe, ut mimicos Prælatos, Prælatis veris & infulatis accumbere, quandoque præeſſe permiſerint, evehi in Viſitatores, in generales Vicarios promoveri, omiſſis Abbatibus? Et quod ampliùs eſt, quâ fronte jura paterna exercuiſſent in filialia monaſteria obedentiarii propriorum monaſteriorum Rectores, cum ea plenitudine poteſtatis quam in delegatis Superioribus agnoſcere lex prohibet? Quomodò qui Eccleſiæ præeſſe non poteſt, alterius diligentiam, addo & adminiſtrationem, habebit? Atque ut in exemplo Hinsbergenſis Præpoſituræ hæreamus, certè ſi nihil ille autoritatis habet, niſi pro modulo inſtillatæ ſibi ab Abbate Knechſtedenſi, quo titulo jura paterna in S. Gerlaci Præpoſituram filialem obit? Quomodò viſitare, corrigere, reformare poterit abuſus, qui domeſticos emendare non valet ex *propria & innata* juriſdictione? Quod de Hinsberga dicimus, de aliis Friſiæ præſertim Parthenonum Præpoſitis dicendum venit, qui quos genuerant parthenones plenariâ, ſicut Patres decet, poteſtate regebant, ſpectante, approbante Ordine.

Jam verò ut impactis objectionibus fiat utcumque ſatis, parum movet quæ ex Statutis repetita obtenditur. Nam limitatio juriſdictionis quæ à Patre Abbate Præpoſitis Monialium imponitur, vel manuales tangit Præpoſitos, vel nullatenus eorum ordinariæ juriſdictioni detrahit. Cum filiis Abbatibus eadem à Patribus Abbatibus limitatio præſcribitur, quæ ſi dependentiam probat, ordinariam juriſdictionem in Cœnobitas tamen non excludit. Neque eſſet audiendus qui ex eo quod Pater Abbas poteſt in filiali monaſterio præſidere, corrigere Canonicorum culpas in Capitulo, delinquentem punire Abbatem filium, argueret talem filium non niſi delegatâ autoritate ſuis præeſſe ſubditis.

Sententiam in Præpoſitum Cæſarei-nemoris latam de Conſilio Juriſperitorum nec improbare, nec laudare poſſumus, cùm forma judicii non explicet rationes judicantium. Fortè Præpoſitura hæc ab origine manualis, ex adminiſtratorum arrogantia, independentiam ab Averbodienſi Abbate affectaverat. De Hinsbergenſi multa ſuperfluè, multa falsò propoſuit author. Filialem Knechſtedii Hinsbergam facit, eamque ab origine muliebrem tantum, & in utroque hallucinatur. Quidquid ergo à Præpoſitis ex Knechſtedenenſi monaſterio aſſumptis obtruditur in nativæ independentiæ damnum; quidquid oggerunt ut putativo Patri abblandiantur ſerviles filii, commiſſæ domûs proditores Præpoſiti, hoc totum evaneſcit. Hinsberga Præmonſtrati filia, alium Patrem nec agnovit, nec invocavit unquam præter Abbatem Præmonſtrati. Ejus nomine præfuerunt Præpoſitorum Hinsbergæ electionibus anno MD. Jacobus Abbas Inſulæ Mariæ Virginis. Anno MDXLI. Mathias de *Thure* Abbas Knechſtedenii. Anno MDLXXV. Ægidius ab *Hunsbotten* ejuſdem Cœnobii Abbas; qui omnes in electionum inſtrumentis profitentur ſe ad præſidendum ſpecialiter à Reverendiſſimis in Chriſto Patribus Dominis Abbatibus Præmonſtrati immediatè curam paternam Monaſterii Hinsbergenſis gerentibus, fuiſſe deputatos. Ex frequenti hac delegatione paulatim mutuatitiam autoritatem ut propriam ſibi vindicarunt Knechſtedenſes Prælati, & Virgines invi-

ſibilem patrem ex diſſuetudine neſcientes, aſcititium patrem adoptarunt honoris & jurisdictionis alienæ appetentem. Extitiſſe duplex Hinsbergæ Cœnobium indicat Rodolphi Leodienſis Archidiaconi littera anno MCCL. his verbis » Notum eſſe volumus, quòd Cœnobium quondam Sanctæ Mariæ propè Caſtrum » Hinsberg. ex Religioſis Fratribus & Sanctimonialibus Fœminis, Dominus » Goſwinus II. & uxor ejus Aleidis pro ſalute animæ ſuæ conſtruxerunt.» Diſcordia inter Præpoſitum & Conventum nata & ſopita anno 1271. interventu Gerardi de Naſſau Archidiaconi Leodienſis, illud idem oſtendit; nec ante annum MCCCCLXXIX. deſiit virorum Congregatio temporibus Dignæ de *Bocholtz* Prioriſſæ, cui Dionyſius Rickelius Carthuſianus opera inſcripſit *de profeſſione Monialium, de mortificatione vivificâ*, & *reformatione internâ*. Emendandus itaque error aggreſſoris, qui Hilbergenſem Præpoſituram Knechſtedenio ſubjicit, & decurtat in obedientiariam.

XI. *De Sanctimonialibus Ordinis.* A Præpoſitis Monialium ad Moniales ipſas ſermo convertendus. Naſcenti Ordini coæquales eſſe teſtantur Ordinis monumenta. Illarum vivendi genus auſterum delinearunt attoniti Scriptores, generoſitatem ſupra ſexum, virtutes ſupra ætatem demirantes in teneris Virginibus. Ab ipſo Ordinis Orientis diluculo, multiplicatam Virginum prolem, miraculi inſtar narrat Hermannus Laudunenſis. *L. Miracul. S. Mariæ Laudun. l. 3. c. 7.* » Norbertus, inquit, cum ſexu virili, etiam fœmineum ad converſionem ſuſcepit, itaut arctiorem & ſtrictiorem in ejus Monaſteriis videamus » eſſe converſationem fœminarum, quàm virorum. Illi enim tam pro neceſſariis operibus, quàm pro aliis negotiis poſt converſionem ad publicum progredientes, Eccleſiaſticis frequenter, aut etiam ſæcularibus reſponſis, vel delegationibus implicantur. Fœminæ autem mox ut converſæ fuerunt, perpetua deinceps lex manet ſemper intra domûs ambitum, clauſas retineri, nuſquam ulteriùs progredi, nulli viro, non modò extraneo, ſed ne germano & » propinquo loqui, niſi ad feneſtram in Eccleſia, duobus viris converſis, cum » viro exteriùs, & duabus fœminis cum illa interiùs reſidentibus & quidquid » dicitur audientibus. In ipſo etiam converſionis initio, mox ut ſuſcipiuntur ad » reſecandam omnem ſuperbiam & carnalem voluptatem, earum etiam capilli » uſque ad aures tondentur: utque magis Chriſto cæleſti ſponſo placeant, pro » ejus amore, ne in fragili & illecebroſa carne omnino deturpentur, nulli deinceps pretioſam veſtem, niſi ex lana & ovinis pellibus licet habere. Nulli velum ſericum more quarumdam Sanctimonialium, ſed viliſſimum panniculum » nigrum ſuper caput portare, & cum in tanta diſtrictione & vilitate cum ſilentio ſciantur eſſe recluſæ, miro tamen modo Chriſti operante virtute quotidie videmus fœminas non modò ruſticas vel pauperes, ſed & nobiliſſimas & » ditiſſimas, tam viduas, quàm juvenculas, quàm etiam puellas ita converſionis gratiâ, ſpretis mundi voluptatibus, ad illius inſtitutionis Monaſteria feſtinantes, ut pluſquam decem millia fœminarum in eis hodie credamus contineri.

Hiſt. Occid. c. 22. Earum fervorem primitivum prædicabat ſeculo XIII. ineunte, & iiſdem penè encomiis celebrabat Jacobus de Vitriaco. » Caſtis, inquit, matronis ac viduis, » ſanctis & Deo devotis Virginibus, velut lapidibus pretioſis, ad ornatum & » pulchritudinem tam ſanctæ & honeſtæ Religionis convenientibus, quaſi ex » duobus virorum & mulierum parietibus uno angulari lapide conjunctis, jucundum Deo conſtitutum eſt habitaculum... Moniales ſiquidem incluſæ intra ſepta monaſterii tenebantur, ad eas nullus hominum patebat ingreſſus; » & quoniam in Choro & Eccleſia non cantabant, ſed tantùm in ſilentio Orationi vacabant, Pſalteria ſua legentes & Horas Canonicas, vel B. Mariæ Virginis ſecretò cum omni humilitate & devotione dicentes... Commorabantur ſeorſum

» seorsum ejusdem Ordinis Sacerdotes ... qui eis in divinis Officiis servientes » confessiones earum per fenestras audiebant, & eas certis temporibus, verbis » divinarum Scripturarum instruere & informare studebant.

Ad instantiam B. P. Norberti, vel ad resecandam omnis scandali occasionem, amotis à virorum vicinia Virginibus, earum sollicitudo concredita est Sacerdotibus, quos ætas posterior in Prælatos subvexit, utrique præfectos regimini. Pontifices Sanctimonialium victui, paterno providentes affectu, præceperunt Abbatibus penes quos gemini cœnobii bona mixtim confusa olim manebant, ut partem dividerent cum Virginibus æquam, & huic portioni administrandæ curatorem destinarent, qui spirituali eorumdem regimini intenderet.

Ea fuit vel per Præpositorum indulgentiam, vel per humanæ conditionis fragilitatem Sanctimonialium in fervore remissio, ut seculo Ordinis secundo vix desinente, desierint illæ ab instituti sui spiritu, strictiorem observantiam laxiori emollierint temperamento. Inviolatæ reclusionis fregerunt repagula, disruptisque aggeribus quos ad innocentiæ præsidium Norbertus erexerat, munierat Hugo, in publicum prodire cœperunt ornatiores.

XII. De Clausura Virginum.

Autumant antiquitatum Ordinis indagatores aliqui, non adeò strictim clausuram Sanctimonialibus fuisse præscriptam à Fundatore, ut ab ea dispensare non potuerit Ordo. Idque ex *Postulensi* Xenodochio, quod Brabanticè *Postelche-Heyde* dicitur, quarto lapide à *Tongerloa* posito, evinci posse arbitrantur. An. MCLXXIII. florente tum & vigente spiritu Norberti in prole sua virginea, domus hæc hospitalis fundata, Sanctimonialibus nostris, procuranda ad annum MCCLXX. tradita est, & tam pauperibus quàm infirmis per seipsas obsequiosè famulabantur. Quod officii genus stante clausurâ præstare non potuissent. Menco Hortifloridi in Frisia Abbas, Emonis antecessoris sui exequias describens ait: » Corpore (Emonis) Sacerdotalibus indumentis, ut decuit, & mos est de Prælatis, » involuto, & in Ecclesiam processionaliter delato, post lecta Psalteria & Missas celebratas, Sororibus extra portas cum cantu exequiali prosequentibus, & » Fratribus, qui aderant, comitantibus, in navi corpus est collocatum & ad Abbatiam deductum, ubi completis Psalteriis, post nocturnas Vigilias, & Officio » divino & Missis in Capitulo claustri, ubi ipse sibi sepulturam elegerat, est sepultus anno 1237. In Parthenone porrò *Campi-Rosarum*, aliàs *Romersiverf* occubuerat Emo, ejus corpus ad navim & ad maris littora, comitantibus Virginibus, deportatum est, eisque funus lugubri cantu prosequentibus. Etsi intra claustri ambitum mortem obiisse, ex narratione satis constet, magis tamen constat egressas claustro Moniales deduxisse corpus Emonis vectum feretro ad maris oras.

Myræus in Chron. Præm. hist Episc. Silvæ Ducensis sacr. Antiq. Tit. 1. p. 516

Inter pacta concordiæ quæ Adamus I. Abbas Præmonstrati iniit anno MCCCXV. cum Abbatibus Angliæ, articulus VIII. habet » Item Sorores Ordinis » in Regno Angliæ consistentes, quæ ante tempus nostrum exire non consueverunt, de cætero non exibunt, sed gratiam sibi factam de exeundo, à nobis » & à Capitulo generali, cum propter hoc grave scandalum Ordini sit exortum, penitùs revocamus » & hic articulus probat ante tempora Adami licuisse quorumdam monasteriorum Sanctimonialibus extra claustrum egredi, & progredi in publicum. Aliis verò ex speciali & novissima Capituli generalis benignitate hanc fuisse gratiam concessam, ac proinde magis ex consuetudine, quàm præcepto clausuram viguisse concludunt in Monialium Parthenonibus.

Bibliot. m. p. 940.

Certè si ex regulis, si ex institutione & mandato Norberti injuncta esset omnibus indistinctim Sanctimonialium cœnobiis perpetua & inviolabilis reclusio, ut quid Canonissæ Horti-conclusi intra Herenthalii, Brabantiæ oppidi

mœnia anno MCCCCXI. fundatæ, Petrum Abbatem Præmonstrati rogassent ut suâ approbatione roboraret clausuram perpetuam, cui se volebant devovere Sanctimoniales, quasi aliquid novi aut inusitati in Ordine aggrederentur; ut quid Generalis Abbas piam Monialium voluntatem laudans, diceret, hanc inspirante Domino & ad vitam Canonicam perfectiùs peragendum subiisse. Verba sunt approbantis. » Petrus permissione divinâ Præmonst. Abbas.... Quia » sæpè, & multo exposita pleniùs prænominatarum Sororum petitio continebat, » qualiter ipsæ Sorores religiosè vivere, & Canonicam vitam ducere, secundùm » Beati Augustini institutionem & Præmonstratensis Ordinis instituta, sub per- » petua clausura, inspirante Domino, decreverunt; quapropter pro hujusmodi » vita Canonica perfectiùs peragenda petebatur ipsas in præfata domo situata in » villa de *Harenthal* prout præmittitur, ipsis Sororibus data, temporibus inclu- » di perpetuis.... nos dictam earum petitionem....

Earum zelo aggratulans Historiographus Harenthalensis, ignotam Ordini reclusionem perpetuam ab Herenthalii Sororibus invectam laudat, & moribus probasse quod Parthenonis nomen portendebat. Ad justam tamen mensuram reducendum laudatoris elogium. Si originem respicias, non est qui dubitet clathris occlusas Moniales, nullam exeundi habuisse facultatem. Integra, & in Statutis renovata lex ex veteribus cernitur cap. 11. dist. 4. Statutorum quæ nobis humanissimè communicavit R. P. de *Noriega* » Sorores nostræ, inquiunt, » non egrediantur nec evagentur, nisi fortè mittantur de claustro ad claustrum » moraturæ per annum ad minùs. Verum si evidens necessitas ingruerit, prop- » ter quam oportuerit aliquam egredi, fiat de licentia Præmonst. Abbatis; dum » tamen sine periculo possit ejus expectari assensus. Si quis Abbas aliquam ali- » ter emiserit, puniatur secundùm quantitatem excessûs, arbitrio generalis Ca- » pituli, & maximè si scandalum emerserit de Sorore emissa. Tempore verò » Guerrarum liceat cuilibet Abbati Sorores sibi subditas ad loca tutiora trans- » ferre. Quòd si aliter fecerit, Abbas sub quo hoc contigerit, per annum con- » tinuum omni sextâ feriâ jejunet in pane & aqua.

Quæ Pagius edidit velut primaria Ordinis Statuta, hæc post reformationem Gregorii IX. condita clausuram Monialium dist. 4. c. 12. iisdem penè terminis sed mitioribus erga Sorores de Bonolio, clausuram decernunt. Ipsis enim ex prærogativa singulari conceditur » ut semel in anno pro negotiis emer- » gentibus per D. Præmonst. si eidem expedire visum fuerit, exeundi per quin- » decim dies licentia concedatur. Alia non novi, nec vidi Statuta quæ hæc priora emendaverint: sed quemadmodum leges per dissuetudinem abrogantur, ita Constitutiones Ordinis, tepescente Prælatorum zelo, sensim obsolescunt, & mores novissimi, imò & nocivi, moribus prævalent antiquis, sub tolerantiæ & consuetudinis beneficio. Taliter talique fato concidisse reor veterrimam reclusionis & tutissimam innocentiæ legem, custodem & propugnaculum virginitatis. Fortè in gratiam Bonolii indulgentoria statuta, hiatum irrepenti inobservantiæ præbuerunt, & divagandi licentiam induxerunt in Ordinem. Quindenam ex paritate statûs, & causarum similitudine, Sanctimoniales aliorum monasteriorum sibi esse indulgendam ut Bonolii Sororibus, inclamarunt. Et quindena negotiis expediendis, aut explendæ cupidini non sufficiente fœminis clausuræ impatientibus, ultra metas, aut sine metis protraxerunt dies, silentibus interim, aut dissimulantibus Præpositis, quos disciplinæ ardor armare debuerat ad Statutorum ultionem.

Ab illo frequenti Virginum excursu in publicum, prodiit secularium recursus ad Parthenones, profana inde succrevit necessitudo, emarcuit regula-

ritas, latibula columbarum versa sunt in diversoria convivantium, jocantium, ludentium; nulla fuit azili sacri sedes impervia hospitibus; & licet indicta Monialibus reformatione Gregorii IX. iis vetitum esset, ut nulli, sive regulari, sive seculari panderent ingressum in monasteria, nisi evidens necessitas aliud exigeret, nihilominùs spreto Pontificis præcepto, remordente Præpositorum conscientiam solemnis edicti promulgatione, ad eam passi sunt Sanctimoniales assurgere irreverentiam, in eam degenerare inobservantiam, ut Capitulum generale anno 1307. sanxerit pœnis esse coercendas, non violatrices reclusionis (jam tum effræni & inveteratæ licentiæ obsistere piaculum erat) sed illas quæ in omnia monasterii loca, diversoria, propriasque cameras, loquendi aut manducandi causâ, seculares aut religiosos intromittebant » cum » propter frequentes & continuos accessus ad claustra Monialium nostri Ordi- » nis & earum latibula, diversoria seu cameras, locis, horis suspectis & tem- » poribus .... & exinde scandala orta fuerint, & quod pejus est, de die in diem » graviora oriantur; ad obviandum talibus scandalis & periculis, inhibemus » omnibus Monialibus Ordinis nostri, ne aliqua earum viros seculares vel re- » ligiosos alterius Ordinis, in suis locis, diversoriis aut cameris intromittant vel » recipiant, aut cum eis comedant seu bibant. Quod si aliquæ in contrarium fece- *rint .... pœnis coerceantur.*

Instantiori malo medicam apposuere manum Patres nostri, sed ad restitutionem clausuræ quæ minus urgere videbatur, vel quam laxior aliorum Ordinum vita licitam nostro fecerat aut incurabilem, minimè coegerunt girovagas. Ab antiquis velle exemplis errantium apologiam facere arduum est. *Postulæ* Sanctimoniales quas charitatis operibus & infirmorum aut peregrinorum solatio addictas non diffitemur, vel erant Sorores quas ad succurrendum, seu Ordinis tertii appellamus, nullo reclusionis ligatæ voto, foris vacantes operibus, professionem suam candido scapulari præferentes, Religioni per vota, sed quæ simplicia vocantur, mancipatæ. Tales habuit antiquitus Ordo, tales fortè habebat Postula; alias si finxeris, dicendum affuisse de foris Canonicos coadjutores, qui onera partientes cum Canonissis, omnem divagandi, discurrendive locum præcludebant; ita ut nec pauperum subirent ædes, nec manibus suis versarent pauperum lectos. Sed dum interiùs parandis ægrorum & pauperum cibis, lavandis linteaminibus, medicis potionibus diluendis incumbebant illæ, illi extrinsecus distribuebant pauperibus fercula, lectos sternebant, & alia charitatis officia impendebant ægris. Sed etsi pauperum solatio intentæ Sanctimoniales per eorum diversoria, per infirmorum valetudinaria discurrerent Marthæ obsequia in membris Christi æmulantes, non propterea violatæ reclusionis forent postulandæ, tum quòd hospitalis domus intra Parthenonis ambitum contineretur, tum quia leges clausuræ, cum non infringant ingredientes medici, ita nec curationis ratione aut charitatis ergo egressæ Moniales Conventum, clathra suæ solitudinis violasse culpandæ sunt.

Reddita defuncto Emoni funebria officia ab Monialibus *Campi-Rosarum*, cur vitio verterentur aut crimini? suo Abbati, suo Fundatori gratæ parentabant filiæ ex Religionis & gratitudinis debito, quòd si non exsolvissent peccati reas ipsa Religio argueret. Petri Abbatis Præmonstrati Diploma Canonissis *Horti-conclusi* inscriptum, raram eâ ætate, aut penitùs antiquatam esse reclusionem probat. Præcepti antiquitatem & necessitatem ejus observantiæ non destruit. Jugiter ergo lex clamabat impunitatis titulum muta, & scripta Ordinis Statuta auferebant. Quid quantumve illorum infractione peccaverint Moniales, viderint Casuistæ, & timeant Præpositi de quorum manibus sanguis oviculárum

requiretur, ne dum faciliùs fœmineæ fragilitati consulunt, suæ salutis discrimen incurrant. Caveant ne Parthenonum ostia, per venerandam Concilii Tridentini autoritatem, serâ, ut confidimus, non violabili clausa, indiscretè aperiant, ne quas ex arca emiserint columbas, reduces excipiant seculi afflatu potionatas ut serpentes.

VIII. Qualis vestitus Sanctimonialium & Canonicorum.

Quemadmodùm in clausura sic in vestimentis deformaverunt se quondam Moniales. Colorem aliæ album in nigrum immutaverunt, aliæ in violaceum: sed non est cur mutabilitati sexûs subirascamur, cùm Statuta Ordinis quæ Pagius primaria falsò nuncupat, variandi coloris fecerint quodammodo arbitras cap. 12. » Vestimenta quoque Sororum nostrarum sint alba, nisi in remotis parti» bus in quibus ex antiqua consuetudine alium habitum habuerint, de quibus » sustinetur, donec aliud processu temporis, prout meliùs fuerit, ordinetur.

Jam ab antiquo invaluisse in regionibus dissitis licentiam mutandi coloris apud Moniales illæso Ordinis spiritu, palam est; sed ab Ordinis exordio quis credat hanc consuetudinem inductam in Ordinem? ad deliquium pristini rigoris festinantem Norberti disciplinam sapit talis tolerantia, quo tandem agonizante omnem penè colorem sibi permisit, ad nutum, levitas muliebris, quam sectantes Canonici privilegiumque novitatis sibi arrogantes, flavo sive cæruleo colore tinxerunt vestes suas Saxoniæ Canonici. Ad nativum candorem revocatus Ordo, nunc & à seculo niveum ubique resumpsit colorem, habitumque gestat totaliter candidum, si Patres Hispaniarum exceperis, quos ut in forma, sic in colore non nihil variarunt. Cingulum coriacium nigrum & pileum similiter nigrum gestant. » Cingulum sit ex corio nigro absque ullo ornamento, la» titudinis unius digiti cum fibula ferrea. Pileus sit ex feltro nigro cum una sim» plici cordula in ejus circuitu, & alia subtus quâ ad pectus demissâ ipse pileus in » capite firmior teneatur.

Statuta reform. Hisp. dist. 3. c. 22. n. 334.

Tentatam multoties sed frustra illustrem hanc Circariam, viris doctis, religione strictâ, multorum Archiepiscoporum & Episcoporum promotione nobilitatam, ut ad Ordinis unitatem rediret & vestitûs, novis conatibus hoc opus iterum aggressus est modernus Abbas generalis, sed exitu infelici. Reformationem suam sub regimine Provincialis cui & Reformatoris generalis imposuere nomen quasi æmulum nomini Abbatis Præmonstrati, unicè deamantes, hanc excolunt moribus, scientiis, nec patiuntur Pontificiâ & Regiâ protectione vallatam ullatenùs dilacerari. Diversis ritibus, diverso Breviario, diversâque in multis disciplinâ discordat ab Ordine, spiritûs tamen B. Patris Norberti hæredem se profitetur & sectatricem anxiam.

XVI. Circaria Ordinis & Circariarum numerus & monasteriorum.

Regnum Hispaniæ unam multis Abbatiis conflatam efficit *Circariam*, sicut & Hungaria. A Circatore, id est à Visitatore, etymon trahit *Circaria*. Ille enim cujus providentiæ Regni aut Provinciæ alicujus monasteria subsunt, & circumeundo visitat, ut disciplinam vel contineat florentem vel lapsam instauret, ille Circator nuncupatur. Primitus cuique Metropoli suus Circator erat, & ex Diœcesibus monasteria designabantur: sed multiplicatis in una Diœcesi cœnobiis, & una Metropoli plura vel pauciora complectente monasteria, quæ aut non sufficerent, aut excederent diligentiam Circatoris, judicarunt Patres capitulariter congregati anno 1320. non per Metropoles denuò, sed per regiones gentium dividendas Circariorum fines, & Circatorum jurisdictionem. Hac serie, hoc ordine depictas lego in duobus MSS. anni 1331.

Circaria Franciæ.
Circaria Floreffiæ.
Circaria Pontivi.

Circaria

Circaria Brabantiæ.
Circaria Flandriæ.
Circaria Vestphaliæ.
Circaria Vadegotiæ.
Circaria Lotharingiæ.
Circaria Borealis in Galoadia.
Circaria Media.
Circaria Australis.
Circaria Normanniæ.
Circaria Vasconiæ.
Circaria Hispaniæ.
Circaria Burgundiæ Helvetiam comprehendens.
Circaria Frisiæ.
Circaria Sueviæ.
Circaria Bavariæ.
Circaria Poloniæ.
Circaria Moraviæ.
Circaria Græciæ.
Circaria Hungariæ.
Circaria Saxoniæ.
Circaria Daciæ.
Circaria Scotiæ.
Circaria Sclaviæ.
Circaria Noviargiæ.
Circaria Tusciæ.
Circaria S. Andreæ.

Quam regulam, qualemve methodum in ordinatione catalogi hujus secuti sint patres nostri, an temporis, an prærogativæ, an sortis rationem habuerint haud scio, scio tamen antiquitatis plerumque & in plerisque præeminentiam violari, si ad monasteriorum origines attendas. De monasteriorum autem numero subCircariis hisce viginti novem contentorum, vix aliquid certi dicere ex tabulis mss. & editis possumus. Appensa sinistro lateri chori *Cellæ omnium Sanctorum* tabula venerandæ antiquitatis, & à Layruelio Vicarii generalis obeunte munus, in suum relata diarium, hæc præferebat.

» Anno Domini MCXX. sub Romano Pontifice Domino Papa Paschali secundo initium sumpsit Ordo Præmonstratensis in Laudunensi Ecclesia, venerabili Patre Norberto Archiepiscopo Magdeburgensis Ecclesiæ, qui à Sancta Virgine edoctus ut ipsum Ordinem à prædicto Apostolico peteret, & post hoc, locum ubi Caput Ordinis esset, sibi eadem Virgo Præmonstrans, unde & ipse Ordo Præmonstratensis est nuncupatus. Et hæc est vera summa claustrorum ipsius Ordinis prælibati Præmonstratensis. Mille Abbatiæ & trecentæ Præposituræ. Item claustra Canonissarum Sororum nostrarum sunt quingenta. Item in Ordine supradicto sunt sexdecim Episcopatus, & in his sunt septem Archiepiscopi, & novem Diœcesani Episcopi.

In monasterio *Plagæ* in Austria aulæ parietibus appicta, & exscripta ab eodem Layruelio hæc verba legebantur » Dinumerata sunt ubique terrarum hujus candidæ familiæ Cœnobia ante annum Christi MCC. in universum mille Abbatiæ, trecentæ Præposituræ, Cœnobia verò Sanctimonialium quingenta. Insuper in Ordine præfato sunt sexdecim Episcopatus; de his sunt septem Archiepiscopi & novem Diœcesani Episcopi.

Chrysostomus *Vandersterre* refert & asserit in fidem Diplomatis dati Avenione à Stephano Cardinale SS. Joannis & Pauli anno Clementis VI. decimo, Præmonstratensi Ordini, XVI. Cathedras Episcopales esse plenario jure subjectas. Et in illo Diplomate Gerardi Cardinalis à Guardia anni 1344. nuper à nobis edito, universis fidelibus specialiter verò Archiepiscopis & Episcopis inscripto, sic legitur. « Universis... summus Pontifex de solita benignitate personas Ecclesiasticas quæ in humilitatis spiritu sub regulari observantia Domino famulantur ut quietiùs ipsi Deo servire valeant, indulta sibi per prædecessores suos Romanos Pontifices, consuevit, prout eis fore conspicit opportuna confirmationis suæ munimine roborare. Quare dilecti Ecclesiæ filii Abbas Præmonst. & cæteri de Ordine præfato Abbates, Præpositi & Conventus monasteriorum, nobis intimè supplicarunt quatenùs auscultato & perspecto Domini Papæ registro, prout in eodem nobis occurreret de initio & confirmatione antedicti Ordinis Præmonstratensis & aliorum quæ occurrerent per felicis recordationis Dominum Calixtum primitus, & postmodùm per multiplices ejusdem successores confirmatorum juxta traditam nobis formam, ex parte dictorum Abbatis Præmonst. & aliorum Abbatum sub sigillo Pœnitentiariæ Domini Papæ cujus officii curam gerimus, autenticam eidem scripturam faceremus. Invenimus igitur quod sub anno MCXX. sub Romano Pontifice Calixto, Ordo Præmonst. florere cœpit in Laudunensi Diœcesi à Beato & venerabili Patre Norberto Magdeburgensis Ecclesiæ Episcopo, qui à Beata Maria Virgine edoctus fuit, ut ipsum Ordinem à prædicto Papa Apostolico peteret, & locum ubi Caput Ordinis esset, eidem eadem Virgo gloriosa demonstravit. Unde & ipse Ordo Præmonstratensis meritò nuncupatus. Est autem hæc summa claustrorum Ordinis Præmonst. scilicet mille trecenta triginta duo Canonicorum, & quadringenta Sanctimonialium monasteria, trecentæ & quinquaginta Præpositurræ. Item in prædicto Ordine sunt sexdecim Episcopatus quorum septem sunt Archiepiscopatus, alii novem Episcopatus..... Datum 2. Idus Septembris Pontificatûs Domini Clementis Papæ sexti anno 2.

Tantam claustrorum multitudinem nulli exhibent quos vidimus seu mss. seu editos codices. Catalogus à Pagio ex veteribus, ut ait, membranis collectus, in multis deficit, vel ob antiquitatem exemplarium quæ monasteria ævi posterioris non recensent, vel ob novitatem membranarum quæ extinctis monasteriis locum non assignarunt in suis Catalogis. Alterutro vitio laborasse sua originalia necessum est, ut ex pluribus restitutis in nostra Monasteriologia cœnobiis constabit. Ad calcem *Opticæ regularium* apposuit Abbas Layruelius Elenchum monasteriorum Ordinis qualem ex Indicibus manuscriptis *Osterhovii* & *Urspergæ* eruerat, sed interpolatum & dimidiâ monasteriorum parte mutilatum. Alios ex Hispania, ex Steinfeldia, ex *Valle secreta* recepimus Catalogos qui Layruelium in multis emendarunt & Pagium, adulterata nomina corrigentes, numerum augentes asceteriorum, sed nec juncti simul ascendunt ad eam multitudinem quam relata superiùs testimonia proferunt. Nec mirere, Lector, cum ab extraneis scriptoribus plurima didicerim quæ domestici autores ignorabant. Quot ex Anecdotis, ex Chronicis non ita pridem commissis typographiæ deprehendi, quæ rerum nostrarum fugerunt scriptores. Absit ut ignorantiæ aut indiligentiæ majorum nostrorum dari velim. Locorum, Regionum distantia venialem ignorantiam, si tamen culpabilis est ignorantia monasteriorum ad quæ non migrabant, & quibuscum nulla intercedebat necessitudo. Sola Præmonstrati Archimandria ad quam confluere solebant quotannis Ab-

bates & Præpositi ex omni natione quæ sub cœlo est, Comitiorum generalium decreta audituri, poterat cujusque ætatis incrementa & Ordinis sobolescentis surculos ex Capitulantium & responsalium accressente turmâ annotare: nec dubitem ita factum, & in primariæ matris gremio deposuisse aggregationis suæ sacramentum novellos Abbates. Hoc debebant ex officio, debebant ad posteritatis doctrinam, sed ipsa posteritas, invidente temporum succedentium edacitate, an infelicitate dicam, incendiorum conflagratione geminatâ Præmonstrati, devastatione bellorum, Custodum incuriâ, istud sollicitæ antiquitatis monumentum, jure hæreditatis transmissum non accepit. Usque adeò humanam prudentiam fallit humanarum caducitas rerum. Sed etsi seris nepotibus fata eripuerint seriem individuam monasteriorum Norbertinæ gentis, in gentem nihilominùs magnam & numerosam adolevisse à primo nativitatis suæ seculo testis est Lucius II. Papa, qui anno 1144. ad Hugonem I. Abbatem Præmonstrati scribens » Ad uberes fructus, ait, quos sacer Præmonstratensis Ordo, » in agro militantis Ecclesiæ cœlesti institutione plantatus produxit hactenùs, & » continuè producere non cessat, nostræ dirigentes considerationis intuitum, & » attentâ meditatione pensantes quod illi Dominus tantum dederit incremen» tum, ut à mari usque ad mare suos palmites jam extenderit, ex Apostolici » tenemur cura officii circa hujusmodi Religionis augmentum attenti & vigiles » inveniri.

» Lucio concinit Alexander III. anno 1177. Attendentes, inquit, quomodò » Religio & Ordo vester, multâ refulgens gloriâ meritorum & gratiâ redolens » sanctitatis, palmites suos à mari usque ad mare extenderit, ipsum Ordinem » & universas domos ejusdem Ordinis, Apostolicæ sedis præsidio duximus con» fovendas.

Iisdem verbis Lucius III. anno 1180. Urbanus III. anno 1187. Clemens III. anno 1188. Innocentius III. anno 1198. Ordinis propagationem laudant & explicant; nec immeritò, cùm eorum temporibus, in Palæstinam, Daniam, Sueciam, Norvegiam, Angliam, Italiam suos effuderit palmites, qui rursùs post suam transplantationem, in magnam vitem & populosam suis quæque locis spirituali fœcunditate germinarunt. Sic autem in Indicibus depravata quorumdam nomina reperimus, ut casso labore ad nativas appellationes revocare tentaverimus. Tarditatem nostram profiteri debemus, nec erubescimus, ut doctiores surgant, cæcutientibus nobis lumen præstent & ducatum. *Isagrabia*, *Aldebrecht*, *Riltzmadum*, *Linoma* totidem Cathedrales Ecclesiæ intra Saxoniæ Circariam positæ in veteribus Catalogis, & Ordini adscriptæ, non occurrerunt exploranti, interroganti, perscrutanti. Ut in retegendis Cathedralibus frustra desudavimus, ita in monasteriis exoticè nominatis, vanam impendimus operam: Germani suo idiomate, Galli patrio sermone, Hispani, Hungari, Poloni linguâ suâ loquentes & scribentes, ad gentis suæ quique modum & captum scripsere monasteriorum nomina in suis Indicibus, parum solliciti num originariam referrent appellationem.

Interpolatas & corruptas Catalogorum voces quas potui emendavi. Cæteras suo recitatas ordine sub antiquitatis privilegio permisi venire, licet impervias, ne quid sub obtentu meæ ignorantiæ reticerem, quod fortasse veritati detraheret. Pari æquitatis sensu, non hæsi ignota & omissa à Layruelio, Pagio, Miræo cœnobia monumentorum ope comprobata, vindicare Ordini. Cameræ Apostolicæ libros, Chronica è cineribus & Chartophilaciorum tenebris eruta à Leibnitio, Lewdwigio, Hoffmanno, Mainbomio, Bruschio, Georgio Joannis, Leuckfeldio, Balbino &c. quis audeat confutare, & in argumentum

veritatis adducta postulare infidelitatis historicæ ? Illorum ergo cautioni innixis lacunas Indicum reparavimus utcumque ; In suppetias venerunt Paternorum monasteriorum Chartæ, & sic mutuatitiis hinc inde subsidiis, si non numerum bis mille octoginta claustrorum implevimus, eum tamen exhibuimus numerum ut inter Ordines possit evadere Ordo Præmonstratensis splendidus. Quid si Prioratus, Pastoratus jungeres claustris ? Et revera claustri formam alicujus referebant Prioratus illi in quibus duo, tres, quandoque plures versabantur Canonici pastoritiam sollicitudinem regularibus officiis accommodantes.

XV. Causa imminutionis Monasteriorum.

Maxima proh dolor ! & nobiliori parte sui minutus Ordo, luget exsiccatum Præmonstrati verticem, gloriam suam in superstitibus membris penè languentem plorat. Tantæ calamitatis causas & autores si inquirimus, hæresim ante omnia malorum nostrorum originem exstitisse invenio. Dum enim Ziska Taboritarum princeps & armiductor bellum indicit Ecclesiæ, dum furente & facem præferente manu, in sacra quælibet desæviit, Bohemiæ, Moraviæ, Austriæ monasteria prostravit violentus ille turbo, flammis, ferro decoxit ; viginti, duplicato impetu æquavit solo, quorum aliqua necdum surrexerunt ex ruinis. Alterum seculo sequiore, religioni infestum effudit è sinu suo monstrum Religio monastica Lutherum, qui calcatis votis ad omnes ausus animum armavit & linguam. Liberiori vitæ laxans habenas, ad infidelitatem traxit homines captos amore voluptatis, & inductâ morum licentiâ contra Evangelii rigorem, discipulos acquisivit, qui Evangelicæ libertatis titulum jactitantes, fidei dogmata protriverunt, non Mahumetis more aut barbarie Ziskanâ sectam ampliare & tingere sanguine humano voluit, moderatus ab exordio doctor, sed ut primùm potentes seculi suis dementatos erroribus, eorumdem potuit habere defensores, pristinæ mansuetudinis immemor, cogere ad Religionis suæ obsequium renitentes, rebelles armis domare, irrumpere in sacras ædes, & monasteria aperto marte perfringere, protrudere sanctos, & sancta quælibet violare non horruit. Cœnobiorum nostrorum lamentabilis strages in Hassia ab anno 1528. favente Philippo Landgravio initium cœpit, quæ latiùs per Wirtembergæ Ducatum, Palatinatum Rheni, per Saxoniam & Brandeburgi-Marchiam exundans, & protegentibus Regulis propagata, ferale bellum aris declaravit Fridericus III Saxoniæ Dux, Joachimus III. Brandeburgi Marchio, Ulricus Dux Wirtembergæ communi quodam impetu ad Lutheri partes transvolarunt, novitatis, forsan & prædæ lenocinio inescati, genio, Lutheri, & fisco suo totaliter addicti Novatores. Ita exarsit in Principum in res sacras odium, ut nulli pepercerint monasterio. Flevit Ordo super ruinas Ordinis illic florentissimi, & potissimùm super Præposituræ Magdeburgensis desolationem, exuviarum B. P. Norberti custodis. Flevit super tot Monasteriorum, super Episcopatuum regularium vastitatem, nec fuit qui consolaretur. Pomerania, Sclavonia, Norvegia eodem toxicatæ veneno in nostri quoque Ordinis cœnobia furierunt.

Grandi plagæ non minor plaga successit. Ludovico II. Rege Hungariæ in Campo Mohasensi contra Solimannum confligente 29. Augusti 1526. & occumbente, Lutheranus error qui Transsylvaniam infecerat, Hungariam subiit inter strepentes armorum tumultus, & de sceptro contendentibus Joanne de Scepusa Transsylvaniæ Prorege, & Ferdinando Principe Austriaco, marte ancipiti, Solimannus à Scepusa in auxilium accersitus victoriam inclinavit, & diadema asseruit Scepusæ suo confœderato. Inde fides catholica titubavit in regno, & in civitatibus illis profligata est quas obsides, & velut in mercedem impensi subsidii, Turcico jugo supposuit Scepusa. Hac primâ clade corruerunt cum avita fide omnes Hungariæ superioris Præposituræ nostræ & partim Lutheranis ad cultum

tum cessertunt, propitiante Turcâ; aliæ Turcico fisco assertæ conciderunt. Tam infaustis ominibus turbulentior anno 1540. tempestas exorta Hungariam concussit. Isabella vidua Joannis Scepusæ rursus in auxilium & defensionem regni & filii Joannis Stephani hæredis, advocavit Solimannum, qui sub specie protectionis tyrannidem agens, matrem cum filio in Transsylvaniam deportavit & totum penè regnum suo subjecit Imperio.

Protinus extorres fecit, aut captivos monasticæ Religionis sectatores, cœnobiorum eversionibus aut depopulationibus tanquam trophæis insanientem victoriam deturpavit. Quinquaginta tres Ordinis nostri Præposituras, trucidatis aut captivitati mancipatis Canonicis, concessit hæterodoxis ad infidelitates azilum. Illarum aliquas fælicibus Catholicorum armis, Duce Ferdinando secundo, recuperatas, amisit paulo pôst Ordo, in manus Tyranni relapsas miserabiliter, nec ante Leopoldi I. Imperatoris tempora, nec ante Caroli V. Lotharingiæ Ducis reportatas de immani Turcâ victorias licuit de quinquaginta tribus Præposituris vix unam aut alteram redimere, cæteris in ruderibus aut in manu secularium remanentibus.

Tertium imminuti Ordinis nostri principium, ipsa eadem est Turcarum feritas, quæ Jerosolimitanâ, Aconensi, Thebanâ, Patracensi expeditione res Christianorum cum pessumdedisset, etiam monasteria Ordinis crudeli exterminio subvertit & extremos illic emisit spiritus anno 1291. dum Soldanus *Saraf* reliquias Christianorum extinxit.

Altera infælicitatis nostræ origo est, novissimis temporibus excitata apud Hollandos tempestas, quæ anno 1580. communi naufragio religionem absorbuit, & insignem Ordinis Circariam. Excusso Philippi II. Hispanorum Regis Imperio, defectionem suadente & protegente Guillelmo Principe Nassoviæ & Arausionis, ipso tandem conspirante magistratu, oppressa est ab ingruentibus undequaque sectis fides Catholica, acti sunt in exilium Religiosi & monasteria ad prædam data sunt. Quadraginta duo Ordinis nostris Cœnobia isto persecutionis turbine abrepta funditus interierunt. Sancta Maria Middelburgensis, Religione, jurisdictione, opibus celeberrimum totâ Europâ Monasterium, viris doctis, & instructissimâ Bibliothecâ, ædificiis, Templo, sacrâ supellectile famosissimum, iisdem fluctibus consepultum occubuit. Frisia viris Sanctis pluribusque virorum ac virginum Cœnobiis inclyta, consimili fato concidit.

Præiverat & quasi Classicum sonans Anglicana defectio. Quantis omnium penè Ordinum asceteriis exitiale bellum intulit Henricus VIII. Rex, norunt docti & indocti. Omnem cum Romanâ Ecclesiâ societatem abrumpens, fide jam fractâ, reliquias fidei in Cœnobitis & Cœnobiorum monumentis statuit convellere. Inhiantem bonis Ecclesiæ cupiditatem velo pietatis obumbravit Cranmerus Regiæ libidinis succensor, & ne insimularetur avaritiæ Henricus, zelum reformationis ostentabat conjurationis artifex. Monasteriorum depravationem, doctrinæ & morum corruptelas nullâ manu medicâ sanabiles præsupponens, eradicationem totius Ordinis monastici postulandam esse judicavit, & Regali judicio sanciendam. Applausit Rex Cranmeri consilio, & publico edicto omnium Cœnobiorum rescissionem ejuravit. Commissarios nefandi operis ablegavit anno 1536. qui Provinciam hanc quà vi, quà dolo obeuntes, quædam receperunt sponte oblata, cætera violenter extorserunt monasteria, quæ Regali fisco addixerunt Parlamenti Senatores. Tum Rex per satellites, sacra ædificia, majorum suorum monumenta aut sepulchra, omni præposterâ pietati avitæ reverentiâ diripuit, vastavit, diruit. Religiosos Cranmero & Cromwello valde

Burnet hist re‑ .r‑mat. Anglic. p. 1. p. 257 & seq. Sander. de schismate Anglic. fol. 90 190 & seqq.

exosos deturbavit, reluctantes jussis Regiis, aut fidei antiquæ tenaces mulctavit proscriptionibus, vinculis, carceribus.

In Scotiam se receperunt Præmonstratenses alii, perfugium quæritantes à facie indignantis; alii navigio Galliam petierunt veste laicâ personati, unde Norbertinæ Religionis satores in Angliam venerant. Alii meliorem, mitioremque Regis animum expectantes, pererrabant Angliæ vicos, donec restaurandæ Religionis spes affulgeret. Sed omnem lætioris fortunæ spem præscidit indurata Principis anima & ne germen superesset fidei in tribus insulis, Deo ita ad correctionem vel probationem permittente, accidit, ut ipsamet Scotia Religionis afflictæ & profligatæ azilum hactenus & ager, fieret, procurante Jacobo sexto, irreligiositatis totius receptaculum, & ultimæ Ordinis nostri scintillæ, in tribus Regnis excidium Quinquaginta septem Abbatias & Episcopatum Candidæ-casæ duplicata persecutio messuit & avulsit ab Ordine Præmonstratensi; sic tempore brevi multorum seculorum opera falce iniquitatis resecta sunt.

Alienæ dico iniquitatis, forsan & nostræ dixerim, neque enim is ego sum, qui extraneis tantùm causis adversos casus nostraque adjudicem infortunia. Erant intrinsecùs vulpes demolientes vineam Domini Sabaoth, erant hostes domestici disjicientes murum & antemurale, ingressum pandentes inimico circumvallanti sanctam Sion. A quo heu! quoties prostrata sunt Sancta Sanctorum. Ad nos, vel potius ad majores nostros sermo convertitur. Gestis suis, suâ inobservantiâ & regularum despectu iram Dei exciverunt ad ultionem, Cœnobiorum pepererunt ruinam, aut translationem ad alios qui, fructum facerent in tempore suo. Vereor ne aliquando residuum locustæ comedat bruchus, si à Norberti Spiritu, si à Fundatoris instituto degeneres filii vitam componamus & mores.

Eo titulo, eo jure plurima gyrovagorum Monachorum Cœnobia, plures immorigerorum Canonicorum Ecclesiæ accesserunt Ordini nostro, quidni, urgente causâ eadem, quidni ab immeritis & fœdifragis possessoribus hæreditas nostra auferretur, & locaretur genti meliori, si meliores esse desineremus, spoliato possessore. Nihil nobis, nihil nostræ timendum ætati sub providentia generalis Abbatis, qui religionem, scientiam, modestiam spirans moribus, suâ promovet vigilantiâ. Nihil timendum sub Abbatibus, quos regularis disciplinæ vindices, in observantia Statutorum Ordinis strenuos, excolendis Litteris pervigiles novimus. In his enim duobus pendet salus Ordinis, Ordinis, inquam, nati ad ædificationem & instructionem, cujus alumni in alterutro si deficiant, spiritum Norberti non induerunt. Nullo jure militiæ ejus ascripti, nomen habentes, & moribus degenerantes, sunt, quasi non sint, & inimicos veriùs appellaveris, quàm veros Norbertinæ gentis filios. Voluit quippe S. Pater nos esse pios & doctos, voluit nos esse conchas plenas aquæ vivæ & canales aquæ salientis in salutem proximorum. Talis ille fuit homo Dei, Deo plenus, suasivus præco, & salutaris aquæ fistula cælestis. Tales fuerunt ejus discipuli primitias Spiritûs ejus habentes.

XVI. Ordo claruit ab origine viris doctis & ad nostrã ætatem claret.

Neque audiendus est Oudinus, quondam noster, sed à fide & Religione per duplicem apostasiam abjectis, infensissimus Ordinis adversarius & dilaniator impudens. Ille totius humanitatis oblitus, beneficiorum acceptorum à matre, crudeliter immemor, matrem dirè discerpit barbarus filius, odium, calumnias, opprobrium, si posset, sempiternum, pro bonis modum excedentibus rependens inhumaniter. Ordinem, à quo scientiam sitxerat cum pietate à teneris, in ignorantia natum à crepundiis & per succedentium seculorum spatia in ignorantiæ tenebris adolevisse, invaluisse, somniando, an insaniendo, scripsit

In sua *Scriptorum Ecclesiasticorum Bibliotheca*, quam prælo paratam habebat antequam fidei & religionis vincula disrumperet, sed quam à desertione notis contaminavit & aspersit injuriis.

Impactam non Ordini tantùm, sed veritati, calumniam ab homine petulco & profligatæ fidei autore, amplâ confutatione repulsandam, Ordo, majorum suorum honori consulens, censuit, multisque ad me datis ex omni natione litteris provocavit. Partham hanc in me suscipere debui exoratus undique, illam compendiosis & per secula deductis monumentis & rationibus exequar.

A crepundiis ergo Ordinis auspicor & ad primos Ordinis satores tenebrionem Oudinum reveho, ut lucem micasse videat in tenebris, quas fingit. Quis ante delirum hunc transfugam SS. Norberti & Hugonis nomina ignorantiæ nævis inspersit? quis Waltmannum Antuerpiæ Apostolum & in Tanchelmi erroribus refellendis, Norberti Coadjutorem? quis Evermodum Episcopum Raceburgi, Norbertinæ prolis illustrem surculum, Saxonicæ & Vandalicæ gentis lumen & doctorem? quis Milonem Tarvanæ, Godescalcum Atrebati Episcopos ab Eugenio III. in Concilio Remensi adversùs Gilberti Porretani errores, athletas disertos & doctos præsules suscitatos, audeat inspurcare ignorantiæ tenebris? Quis Henricum *Zdick* Olomucensem Episcopum, Regiis natalibus, minùs quàm pietate & doctrinâ celebrem? Quis Gualterum Lauduni, Almaricum Sidonii, Martinum Aduri, Zachariam Chrisopolis Episcopos, à vagitu Ordinis assumptos ex Ordine, ut super candelabrum Ecclesiæ ponerentur ut lucerent, Ecclesiam dixerit opplesse tenebris ignorantiæ quam à crepundiis hauserant à Norberto? Ganniat Oudinus, suadebit nunquam, tot tantosque viros omnium Scriptorum ore laudatos ex scientia & virtute, inter imperitorum classem esse reponendos.

His adjungimus Lucam Abbatem Montis S. Cornelii secus Leodium, Philippum Abbatem Bonæ spei in Hannonia, Adamum Priorem, posteà Episcopum Candidæ-Casæ in Scotia, Bernardum Abbatem Fontis Calidi, & redivivi apud Albigenses Manichelsmi flagellum, omnes editis variæ & sacræ eruditionis operibus famosos. Theodoricum Bernæ, & Jaroslaum Strahovii Canonicos suis chronicis aliquando edendis commendatos illis accenseo. Quos si benè novit Oudinus, quâ fronte Ordinem in cunabulis ignorantiæ natum asserit? si non novit, quâ temeritate blasphemat quæ ignorat, & malè conscius veritatis, mendacium pro veritate calumniando ingerit?

Non igitur à crepundiis vagiit Ordo in fassibus ignorantiæ, sed neque adolevit. Testes appello Episcopatus Olomucensem, Brandeburgensem, Rigensem, Raceburgensem, Havelbergensem, Candidæ-casæ Ordini mancipatos, & solemni lege addictos statutis & regulæ Præmonstratensium; an ex privilegio prævalentis ignorantiæ apud nostros talem metamorphosim inductam à Principibus, approbatam ab Ecclesia, ab omnibus prædicatam astruet delirans Oudinus? an non potius, si sanè sapiat, fateri tenebitur immutationem istam processisse ex florentissima tunc apud Præmonstratenses pietate & scientia. Renuat quantumlibet Oudinus, renuentem adigunt Ecclesiarum documenta & Scriptorum autoritas, quibus suffragantur ad diversos diversarum gentium Episcopatus provectiones Præmonstratensium. Hoc enim 1°. Ordinis seculo Navarrus ad Conseranensem, Joannes ad Adurensem, Bruno in Herfordiensem, Arnaldus in Cauriensem, Ægidius Aldanus in Galloviæ, Gervasius in Sagiensem Cathedrales Ecclesias sublevati, sedes suas nominis & doctrinæ famâ illustrarunt, dum in Claustris numerosa eruditorum turma scriptis florebat, alia prædicationis ministerio intenta, crucem, id est, sacram expiditionem à Romanis Pontificibus delegata

annuntiabat. Apud Germanos Bruno Romesdorfii, Gerbrandus Dockumi apud Hollandos, Gervasius Præmonstrati Abbates, apud Gallos quasi tubæ exaltantes vocem, militiam sub Christi vexillo adunabant, ipsisque junxerunt manus Præmonstratenses alii Abbates ad supplicationem Arnoldi Narbonensis Episcopi, quos idem fidei ardor incesserat pro extirpandis Albigensium quisquiliis. Interim apud Frisios Sibrandus Abbas Horti Mariæ, Emo Abbas Werumi, publica in suis monasteriis ad Frisiorum eruditionem aperiebant gymnasia, quæ sacris profanisque scientiis eminebant. Neque putet Oudinus Doctorum ferax hoc seculum, suis caruisse autoribus. Qui sacris fruebantur otiis, nunc asceticis, modò historicis aut dogmaticis tractatibus condendis incumbebant. Apud Altisiodorenses Robertus chronicon ab orbe condito ad annum 1212. conscribebat, quod ad annum 1217. Hugo ejusdem monasterii Canonicus continuavit. Emo Werumensis Abbas chronicon sui temporis ab ejus successore Menkone porrectum ad annum 1272. nuper à nobis publici juris factum, exarabat. Conradus Abbas Urspergæ editis chronicis, & actis Sanctorum aliquando edendis, florebat apud Suevos. Sequaces habuit Bartholdum Canonicum Marchtalli, qui volumen sub titulo *Speculi Ecclesiæ* composuit, Sibrandum Abbatem Horti Mariani, qui vitas B. Friderici fundatoris & B. Siardi edidit, Eustachium Lensium Doctorem Theologum, cui debet Respublica litteraria Cosmographiam *Moysis lib. 3. seminarium verbi Dei. In Regulam S. Augustini Commentarium. De mysteriis S. Scripturæ. De tropis & schematibus Sacræ Scripturæ. L. 1. in Canonem Missæ. L. 1. de Causis & significationibus nominum. L. 2. Tractatum de Sanctissima Trinitate.* Præmonstrati non minus refulgebat Gervasius Abbas. In Conciliis Romæ & alibi suâ ætate celebratis grande sibi jam fecerat nomen, & distentus licet, non Ordinis modò, sed generalibus Ecclesiæ negotiis, Commentariis doctissimis sacram scripturam elucidabat, litteris ad historiam sui temporis eliquandam summè utilibus, quasque prælo subjecimus nuper, coæquales instruebat, posteros aliquando erudituras. Finem imponit huic seculo Jacobus Atrebas Doctor Theologus, Montis S. Martini Abbas pius juxta ac doctus, à quo habemus de *Laudibus B. Mariæ L. 8. De Conceptione B. Mariæ* Epistolam ad Præpositum, Decanum & Capitulum Atrebatense. *L. 1. Responsionum ad quæstiones sibi propositas.* L. 1. in *ultimam visionem Ezechielis; de triplici fructu Evangelico l. 1. Epistolarum volumen 1. Sermones ad populum varios*

Episcopatibus Ordini unitis pridem novissimus accessit Lithomisliensis Pragæ suffraganeus, sicque seculo Ordinis tertio hæreditariorum Episcopatuum numerus accrevit Ordini, ignorantiam accrevisse quis suspicabitur? sed non ad has tantùm sedes vocatos Præmonstratenses quasi per traducem, putaveris ad extraneas passim Cathedrales Ecclesias accersitos legimus præsules. *Petrus Vitensis* in Hispania Abbas ad Burgensem Episcopatum abreptus, eundem successori suo Abbati Vitensi *Garsiæ* reliquit anno 1313. Andreas *Monachi*, Cardinalis monachi, vulgò *le Moine*, germanus frater, Domni Martini Canonicus, dein Abbas, ad infulas Noviomenses sublimatur. Joannes de Luxemburgo, filius Ducis Moraviæ & Strahovii Canonicus, ad Patriarchatum Aquileiensem, defuncto Marquardo, promotus est anno 1388. Daniel *Taiffel* Furnensis Canonicus episcopatu Gibeldensi donatur anno 1333. Simul ergo viginti duo Episcopi è gremio Ordinis in solia judicantium effusi sunt hoc seculo. Totidem ignaros, totidem indignos tanto loco calumniabitur Oudinus, alios dare Ordo insipiens non poterat. Verùm ad Ordinis sinum unde prodierunt si revertimur, concidit illico calumniatoris temeritas. A Scotiæ Regno exordiar, & ab Abbatia Drieburgi, in qua sacrarum & profanarum litterarum Academia vigebat, & ad quam

confluebant

confluebant ex tota gente viri ſcientiarum amantes, in illa apprimè informandi. D. Radulphus Strodus ſuæ patriæ lumen, & P. Patritius *Philoſophus, Theologus, & Poëta eximius*, Eccleſiam ſcriptis & Ordinem nominibus ſuis decorarunt. Tunglandiæ Abbatia viris eodem tempore doctis coruſcabat, quos inter eminuit Nicolaus *Gordonius* ejuſdem loci Abbas & Academiæ Rector. Dunheldenſem Diœceſim ut Vicarius generalis moderabatur, *Synodalia decreta & Collectionem conſtitutionum* conſcripſit, vir nulli, religione & doctrinâ ſecundus.

In inſulam Cypri hac ætate celebrem fecit *Hayto* Regis Armeniæ nepos, qui celſo animo ſpernens ſeculi pompas in monaſterio Epiſcopiæ Ordinem vovit, non ut in ignorantiæ torperet otio, quale profitebantur Præmonſtratenſes juxta Oudinum, ſed ut ſaluti vacaret & ſtudio. Necdum ab ejus ingreſſu anni effluxerant duo, cum ecce fratrum ſtimulatus exemplo hiſtoriam Tartarorum conſcripſit, quam juſſu Clementis V. ex Gallica Latinam reddidit anno 1307. Nicolaus Salcanus. Joannes Tongrius D. T. Abbas Viconienſis more majorum Academiam excitavit in ſuo monaſterio, & Theologiam Petri Lombardi edocens commentariis locupletavit. *Quodlibetarum quæſtionum volumen*, varia denique edidit opera patrio idiomate, Guillelmo Comiti Hannoniæ & Joannæ Valeſiæ ejus conjugi nuncupata. Hoc magiſtro, hoc Mæcenate doctos fæcunda Viconia, protulit Rogerum *Dechtum*, Nicolaum de *Montigni*, Thomam, Godefridum de *Beauvay* litterariis monumentis ſacræ & hiſtoricæ eruditionis commendabiles; ſed præ cæteris commendabilem Godefridum de *Bauvay*, quem ad Concilium Viennenſe ablegavit oratorem ſuum Guillelmus Hannoniæ Comes.

Vitas Sanctorum Ordinis noſtri ſcribebat interea Joannes *Hoboglandius* Abbas Midelburgi, & in Abbatia Belli-reditûs Leodii, *Faſtus Epiſcoporum Leodienſium* condebat Varnantius; in Branenſi Monaſterio homiliis componendis incumbebat Guillelmus, Pariſienſis Doctor. Otto Præpoſitus Heligenthalii apud Saxones, adoranabat chronica, quæ, Lewdwigio procurante, lucem his temporibus aſpexerunt. Floreffiæ Petrus Herenthalius *Vir variæ lectionis*, in Sacra Scriptura & Patribus verſatiſſimus *Commentr. in Pſalmos, in Cantica Graduum*, in *4. Evangelia; Chronicorum volumen ingens, Catalogum & res geſtas Abbatum Floreffiæ*, inexhauſti laboris Doctor conſcribebat. Cæteris miſſis, quos alibi ad ſua tempora & Ordinem revocabimus, in Petro à *Lutra*, hærebimus viro, teſtibus Trithemio & Myræo, in divinis & ſæcularibus litteris erudito, per totam Germaniam longè celebri, quamque nobilitavit ſuis in *Petrum Lombardum Libris, commentariis in Evangelium S. Joannis*, nec non aliis operibus, puta, de *Prærogativis Eccleſiæ Trevirenſis*, de *Septenis Candelabris*, de *Pontificis Romani eminentiâ*, de *Columnis myſticis*, de *Sacramento altaris &c.*

Eam temporum & rerum calamitatem attingimus, quæ ut Eccleſiæ, ſic monaſticorum Ordinum faciem decoloravit. Sed qui non patitur univerſalis Eccleſiæ regimini incubans Spiritus Sanctus prævalere portas inferi adverſùs eam, eadem providentiâ non tulit monaſticos Ordines in membris aliquibus vitiatos, corrumpi in cæteris & numero & dignitate potioribus. Et certè vix reperias in ſeculorum Ordinis hiſtoria, ſeculum glorioſius illo, quod ingredimur. Nuſquam tot Martyres utriuſque ſexûs aris litavit Ordo, nuſquam athletas fortiores vel doctiores exeruit. Ziskæ & Procopii perſecutio intra Bohemiæ & Moraviæ fines crudeliter laſciviens, & furens in Sancta quælibet, quot monaſteria Ordinis donavit flammis, tot illorum incolas, aut ferro Martyres fecit, aut exules in ſylvarum latebris abſconſos, fame conſumptos & ſiti. Sancti-

moniales Doxanæ, Kaunitii, Corischovii, quas pudoris & religionis amor invictas reddidit, has armatus miles ad fidei & pudoris excidium victimas suo immolavit furori.

Ab ipso prurientis hæreseos conatu stetit contra hæresim *Sobeslawck*, Jodoci Marchionis Moraviæ frater, alumnus Ordinis, Olomucensis Episcopus, & Aquileiensis Patriarcha. Surrexit post illum similis illi, *Joannes* de *Praga* Canonicus Strahoviensis, Episcopus Lithomislii, dein Archi-episcopus Pragæ & S. R. E. Cardinalis, sui seculi miraculum, sermone potens, brachio terribilis, sub infula pius, sub chlamide intrepidus, genio suo tranquillus præsul, miles ex necessitate magnanimus, ad omnia belli paratus discrimina. Impetitam fidem verbo dum tutatur in grege commisso, inimicos fidei, cataphractus antistes & collectarum copiarum Dux, manu ferroque propulsat. Remissis Bohemiæ tumultibus & paci redditus Ordo, evulgatis voluminibus populos erudivit, scribendi perinde ut bellandi peritus Cardinalis. Illorum voluminum aliud *Linea salutis*, alterum, *Exemplar salutis* inscribebatur.

Dum æstuanti apud Bohemos hæresi murum se opponit Joannes de Praga, eidem proscribendæ in Conciliis, aut schismati extinguendo dant operam Præmonstratenses. Jacobus Herrisius Abbas Tungerlandiæ *vir eximius, in Theologicis studiis versatissimus, nec sæcularium litterarum expers, Doctor Sorbonicus* in Concilio Constantiensi Patrum demulsit aures, sive orator diceret ex ambone, sive in consessibus quæstiones fidei ventilaret ut Doctor. Pro ejusdem fidei defensione, librum unum *de Traditione*, alium pro *defensione Georgii Merciorum Comitis* scripsit. Abbas Tongerloæ in Pisano Concilio uti legatus Ducis Brabantiæ famam doctrinæ coram Patribus dicendo comparavit. P. Theodorus *de Andel* Tongerloæ Canonicus juris utriusque Doctor, & inter doctos ita celebris exstitit, ut ad Basileense Concilium non Ordinis tantum & Cleri Flandrici nomine, sed etiam Germaniæ inferioris delectu Orator & procurator fuerit deputatus, & spem deputantium scientiâ & dexteritate superaverit. In eadem Synodo Thomas Martinii Abbas Bellelagiæ hanc de Patribus existimationem reportavit, ut patrum judicio dignus fuerit qui pro negotiis Concilii ad partes Galliæ commissarius transmitteretur. P. Ferdinandus S. Leonardi in Hispania Abbas & Coabbatum ejusdem Regni procurator, in Basileensi & Florentina synodo paci & unitati Ecclesiæ tam solerter, tam efficaciter intendit vir pietate & doctrinâ præcipuus, ut abire hinc volentem propter ingruentes Ordinis & patriæ necessitates jusserit Eugenius IV. sistere, donec instaurata esset concordia, quam suis studiis usque modò fœliciter promoverat. Alios omitto Abbates, qui frequentibus eâ ætate Conciliis interfuerunt, quosque alibi commemorando debitâ non fraudabimus laude, & scientiæ dotem, quam Oudinus protervè denegat restituemus integram, si tamen non sit jam abundè restituta.

Neque enim quisquam mentis sanæ compos arbitrabitur eos à Principibus, à Provinciis, à Clero delectos fuisse oratores in Conciliis, aut à Conciliis designatos procuratores, quos fama ignorantiæ ad istud officium inhabiles divulgasset. Quis somniabit Æneam sylvium à secretis & consiliis assumpsisse ignarum Joannem *Boddin* priorem S. Nicolai Furnensis, quem sibi ad Concilium Basileense properanti Comitem & secretarium adjunxit? Quis Joannem *Seneschal* Abbatem Domni Martini ad synodum eandem à Comitiis generalibus destinatum, Quis *Paulum* Abbatem S. Mariæ extramuros *Placentiæ*, Ducis Mazoniæ senioris legatum in Concilio Pisano postulare, audeat ignorantiæ?

Publica hæc sunt & ineluctabilia jugiter vigentis apud Præmonstratenses

ſcientiæ ſpecimina. Si privatæ deſideret Oudinus, præſtò ſunt, in Hiſpaniâ Joannes de *Colmenares* Abbas Aquilarenſis & Retortæ, Regi Ferdinando à ſanctioribus conſiliis, ſupremi fidei Senatûs Inquiſitor, & Ferdinandus de *Arunda* Abbas Vitis, ejuſdem ſupremi Senatûs Inquiſitor, àquibus varia manarunt eruditionis monumenta. Aderit *Przibislaus* Comes *ab Hoditz* Abbas Lucæ apud Moravos litteris excultus, ingenio celſus, ſagacitate incomparabilis, quem Georgius Rex Bohemiæ celebravit ex diverſis, fælicibuſque legationibus apud Reges, Principes, Civitates, quos ad concordiam reduxit eloquentiæ leporibus. Haud abſimili in dicendo facundiâ excellebat Joannes *Rebez*, qui teſte Leibnitio *magnus & bonus Prædicator* vulgò nuncupabatur Magdeburgi. Ejus ſermones edacitas temporis aut poſterorum incuria nobis eripuit.

In Diœceſi Norvicenſi Thomas *Wigenhallius* Dierami Canonicus hiſtoriam ſui Cœnobii concinnabat, dum in Flandria Guillelmus Abbas Truncinii, Poëmatis, Epigrammatis aliiſque ſublimioris ſcientiæ operibus, quæ anno 1560. debacchans hæreſis Vulcano vovit, incumbebat. Rolandus *Piquot* Abbas Diligemii in ſuburbio Bruxellæ, hiſtoriam ſui temporis Eccleſiaſticam & civilem ad annum 1487. perduxit, & P. Thomas *L'hureux* Domni-Martini Canonicus, *Pſalmos Davidicos commentariis adornavit*, laudatis à Myræo. Theodoricus *Tuldenus* Decretorum Licentiatus, Ordinis Procuratot generalis & Abbas Parchi prope Lovanium, Eccleſiæ & patriæ lumen & columen pro utriuſque defenſione velut alter Ambroſius orans à Principibus & Civibus auſcultabatur. Relationem ſeu propoſitionem coram Maximiliano in primo introitu terrarum ſponſæ ſuæ Mariæ à Burgundia factam anno 1477. refert Sanderus in Bibliothecâ MSS. p. 211. & Tuldeno attribuit. Ejus legationum hiſtoria, ſeu diarium, à doctis ſummè deſideratum, quæſitum ſollicitè, utinam ad poſteros tranſiſſet. Meliorem habuêre fortunam opera Huberti Abbatis Romerſdorffii, Epiſcopi Azotenſis, & Archi-epiſcopatus Trevirenſis Vicarii generalis. *Tractatus ejus in decretales, ejuſque Synodalia decreta* ad Diœceſeos commiſſæ regimen, temporum evaſere injuriam. Huic eruditorum catervæ quidni accenſeam Petrum *Carré*, ex Abbate Albæ-curiæ, Epiſcopum Arauſionis; Petrum de *Fontenay* ex Abbatia Bellæ-vallis ad Nivernenſes infulas provectum, Joannem *Bavor* Abbatem Lucæ ad Lithomiſlii ſedem Cathedralem aſſumptum, Petrum de Caſtelnau ex Abbate Caſtellæ Epiſcopum Aquenſem; quorum doctrinâ & pietate refulget Eccleſia ut ſole luna.

Seculo Æræ Chriſtianæ ſexto decimo ineunte, Ordinis noſtri auſpicante quarto, unicum penè ſollicitudinis genus, ut in Eccleſia, ſic in Ordine fuit, adverſus hæreticos ſacra tueri, ac vaſtatoribus duplici inhiantibus prædæ, duplicem opponere aggerem, ne utramque decoquerent. Multa tamen heu! monaſteria abſorbuit gurgite ſuo hæreſis inſolentior. Horum alia ad incantantis ſuaviter erroris abblandienti ſectæ ultroneas dederunt manus. Daciæ, Pomeraniæ, Saxoniæ monaſteria partim Lutheri inebriata dogmatibus, ad Lutheri partes ſponte ſeceſſerunt; partim Principum interveniente imperio, avulſa ſunt ab Ordine & fide avita. Belbuchenſe eruditorum ſeminarium, præeunte *Bugenhagio*, Chronicis Pomeraniæ, antequam infidelium nomen daret, inclito novitate & ſuavitate adulantis hæreſeos illectum, deficit à fide Catholica.

Gallia à Calviniſtis, Flandria à Geuſiis rebellantibus non minori impetu quaſſatæ, inter ſtrepentes armorum conflictus incolumitati religionis unicè conſulebant, ſuſpendentibus eâ tempeſtate patribus noſtris organa ſua, muſis

conticescentibus, sedentibus, flentibus secus flumina Babylonis super desolatione Sion. Pauci tantùm, quos locorum beatior situs sacris sinebat vacare litteris à procella procul, suis elucubrationibus claruerunt. Talis fuit Razo, qui post abdicatam Truncinii Abbatiam ad Steinfeldensem se recepit, ubi vitæ tranquillioris otia describendæ *B. Hermanni Joseph vitæ*, Coloniæ postea editæ, consecravit. Talis fuit Martinus Petronianus Parchi Canonicus, qui, pacatâ persecutione, Commentariis in *Regulam S. Augustini*, & amplo in *virtutes tractatu*, Typographiæ subjectis Lovanii, inter Doctores emicuit. *Dupasius* Floreffiæ Abbas omnium disciplinarum atque imprimis politioris litteraturæ peritissimus, sacra poëmata Leodiensibus typis evulgavit; hunc, sed alio scribendi genere, secutus Bartholomæus *Erselius* ejusdem monasterii Canonicus, elogium S. Norberti & Catalogum celebriorum Ordinis Præm. per orbem universum Abbatiarum edidit Sylvæ-Ducis. Gaspar *Gellius* Floreffiæ itidem Canonicus, heroico carmine cantavit originem Præmonst. Ordinis & vitam S. Norberti, Lovaniensibus typis emissas in publicum anno 1550. Quas recantavit Michaël *Malcorpius* Canonicus Helissemiensis, & Leodii edidit carmine elegiaco anno 1599. Michaël *Malenus* Abbas Ninovæ in Teutonicam Linguam & ad populorum instructionem vertit Hosii tractatum de *Expresso Dei verbo*, & conciones, quas, vel in Comitiis generalibus Ordinis, vel in Episcoporum conventibus conciliariter, pronunciaverat publicæ luci tradidit græcè latinèque doctissimus Abbas, cui *Bullocus* Anglus uti patrono & Mæcenati dicavit ex gratitudine *Oeconomiam methodicam concordantiarum sacræ scripturæ* typis Plantinianis cusam.

In cœnobio Lidlumensi, Sibrandus Leo vir undequaque Doctus, cujus historias aliquot *T. II. Sacræ Antiquitatis* vulgavimus, eodem florebat tempore, & Frisiorum gesta fortiter apud Syriam eleganti scribebat stylo. Geographiam, Frisiæ quam delineavit primus, illam Jacobus Daventriensis, deinde *Hogenbergius*, postea *Ortelius* in orbis theatro posteritati transmiserunt. Joannem *Herbelin* Branæ Canonicum, Joannem *Schemingerberg* Canonicum Stingadii, Didacum de *Vergara* Canonicum Retortæ, Jacobum à *Panhusen* Steinfeldiæ Abbatem, & alios orbi litterario notos, de nomine tantùm hîc appello, ut in Nicolai Psalmæi patriâ Lotharingi, Calvo-monte ad Erram Diœcesis Virdunensis oriundi, Abbatis S. Pauli Virdunensis, demum ejusdem Civitatis Episcopi, opera paulò latiùs excurram, alibi jam in ejus mores & gesta digressus. A Concilio Tridentino delectus in Secretarium, concertationes & velitationes præambulas canonibus ipsosque Canones sub *Diarii* nomine composuit, & typis edidimus nuper, ut fidem & disciplinam, quas in fonte biberat, per suam propagaret Diœcesim. Utramque in Synodis & decretis Synodicis firmavit, quorum partem aliquam curavimus dare typis. Metropolitas Trevirensem & Remensem, à quibus accitus est ut provincias suas ad Tridentini Concilii mentem componerent, canones tanquam Synodorum parens, & patrum os condidit ad cleri & populi reformationem, ad fidei stabilimentum, & grassantis hæreseos extirpationem. Catechismum etiam tradidit ovibus suis, ut illas adversùs irrepentes in Diœcesim Calvini errores muniret. Litteras tanti Episcopi ad rem Christianam majori ex parte pertinentes, prælo paratas habemus, dandas aliquando, vitâ comite.

Ut Virdunensem Episcopatum, ut Ordinem clarificavit Psalmæus, sic Augustinus de *Bonifas* Abbas Vitis Turiasonensem, Daniel *Taispil* Canonicus S. Augustini Mornensis, Gibeldensem, Joannes Abbas de *Welbeck* Elphinensem, Renatus de *Salla* Abbas Loci-Dei, Lucionensem, Martinus de *Przemesl lovitz* Abbas Graditii, Nicopolitanum, Philippus de *Troussey* Abbas Blancæ-landæ,

dæ, Porphiriensem infulas pietate & doctrinâ ornaverunt.

Dignus sanè iisdem titulis proclamatus est Joannes *Desprueti*s Ordinis vertex, Doctor Sorbonicus, qui adhuc Prior *Gratiæ-Dei*, deputatus est ab Ordine orator ad Colloquium Pissiaci anno 1561. ubi luculenter contra Abbates per commendam intrusos Præmonstratum, tanquam Ecclesiæ & Ordinis regimini infestos, spectante & audiente Carolo IX. Rege Galliarum disseruit. Anno 1566. pro vindiciis realis præsentiæ Corporis Christi in Sacramento Eucharistiæ, triginta septem argumenta Joannis *de Spina* Calvinistæ adversùs eandem præsentiam structa, non Philosophiæ argutiis, sed Scripturarum, Conciliorum, & Patrum testimoniis funditus evertit, & typis subjecit Parisiensibus. Alterum ibidem edidit an. 1570. pro defensione sacrificii Missæ contra Epistolam Francisci *Perocelli* Calvinistæ. Ad Præmonstratensis Abbatiæ & Ordinis regimen, totius Ordinis voto sublimatus, ita proprio gregi præfuit, ut Ecclesiæ non dimiserit diligentiam. Divi Pauli Epistolas *ad Romanos & Corinthios*, *Regulam S. Augustini* Commentariis adornavit. Vindicandæ fidei continuo succensus ardore, singula Calvini dogmata, singulari opere, cui *Anticalvinus* nomen dederat, refellere aggressus est. Sedulò insudantem huic pio labori mors sustulit.

Sæculum XVII. Ordinis V. subeuntibus, lux undique rediviva & vividior affulget, quæ omnes ignorantiæ tenebras non abigit modò, sed doctrinæ facem accendit, & gloriam auget Ordinis. Joannes *Lohelius* Abbas Strahovii scientiâ & pietate apud Bohemos longè celebris in Archi-episcopali Pragæ Cathedra impositus, Bohemiam innovavit in disciplina, in fide roboravit, & suæ sanctimoniæ exemplis reformavit in moribus. Antonius de *Sobre-monte* in Archi-episcopatu Syracusano, Christophorus *Martines* in Panamensi, Hyeronimus *Bernaldo* in Castelli maris, Joannes *Gerez* & Joannes *Perez* in Honduracensi, Benedictus *Garret* in Wiargicano, Ludovicus *Stempouski* in Camenecescensi Episcopatibus constituti, nonne totidem lucernæ ardentes sunt, quæ in domo Dei dederunt lucem, & Ordinis prædicarunt virtutem & doctrinam. Utramque prædicat hodiedum apud Americos Illustrissimus Joannes *Perez* de *Galavis* Archi-episcopus San-Dominici & Indiarum Primas, Salamanticensis antehac Academiæ Doctor & Professor Regius. Alios mitto Episcopali mitrâ redimitos, ut viris scientiâ illustribus faciam locum.

Sola Pragensis Abbatia quantos è suo gremio protulit! Ab inclyto & inclytæ nobilitatis Gasparo Comite de *Questemberg* Abbate Strahoviensi exordior, genio ad ardua quæque expeditissimo, in difficillimis legationibus obeundis sagacissimo, perinde & fœlicissimo, cui Respublica Christiana translationem & relationem translationis exuviarum S. Norberti Magdeburgo Pragam, debet. Orationes elegantissimas, quas ut orator publicus, aut ut Visitator generalis dixit, asservat Strahovia, harum copiam Pragâ quondam Furnas detulit secum Franciscus de *Lameter* Furnensis Canonicus. Bernardus *Sutor* ejusdem Strahoviæ Abbas, vitam S. Norberti Germanico scripsit idiomate. Hyacinthus *Hohman* in Collegio Archi-episcopali Theologiæ & SS. Canonum Professor, Tractatus de *Sponsalibus & Matrimonio* edidit. Bruno *Lindner* librum evulgavit sub hac Epigraphe, *Filum Ariadnæ, seu Refutatio Labyrinthi Lutheranæ Reformationis*. Hyeronimus *Hirnheim* Abbas, S. Norberti sermonem, per partes sectum, multis sermonibus exposuit, *vol. in fol.* Idem de *Typho humani generis Tractatum, in quo vera scientia à falsa discernitur*, edidit. Andræas *From*, *motiva suæ conversionis ad fidem Catholicam*, Godefridus *Steyer* in Archi-episcopali Collegio Professor, *Tractatus de Legibus*, de *Sponsalibus & Matrimonio*, de *Contractibus in genere & specie*, de *Censuris*, Milo Hubatius, *Cathechesim Bohemicam de materia fidei & Sacramento Matrimonii*

idem *de origine & devotione Rosarii*; Amandus *Friedenfelds*, *vitam Sancti Romedii* & *historiam Comitum de Thun*, *historiam Abbatiæ Strahoviensis & panegyres Latinas*; Cyrillus *From*, *Speculum disciplinæ*; Hyeronimus *Kichler* in Archi-episcopali Collegio Professor, *Tractatus de Actibus humanis*, de *Beatitudine*, de *vitiis & virtutibus*; Raphaël *Tobl*, ibidem Professor, Tractatum *de fide, spe & charitate*, Marianus ibidem Professor, nunc verò Strahoviæ Abbas, in *Lib. Decretorum* Gregorii IX. *Quæstiones Canonico-theologicas 3. Vol.* evulgarunt.

Quemadmodum Pragæ, sic alibi passim scriptis Rempublicam ornavêre, Pilckmannus Steinfeldiæ Abbas, *Paradiso religiosæ voluptatis & vitæ religiosæ typicâ descriptione*; Sigismundus Kohel Abbas Lucæ, *Actis Sanctorum Ordinis nostri* domesticâ Typographiâ editis; Martinus *Mertz* Rothensis Canonicus, *Norberto in vita & in translatione triumphante*, nec non *vitâ B. Willelmi Rothensis Canonici*; Hyeronimus *Spenglerus* Canonicus Urspergensis, *Vindiciis & vitâ celeberrimi Conradi Abbatis Urspergensis*; Fridericus *Romelius* Roggenburgi Canonicus, dein Abbas, *Instituto Canonico Ordinis Præmonst. & Tractatu de jure Abbatum*; Richardus *Rhem*, Canonicus Arnsbergæ, *Isagoge in universam hominis Christiani sapientiam*; Benedictus *Fischer* Plagensis in Austria Canonicus, *Centifolio mystico, complectente centum quæstiones de Sacrificio Missæ*; Michaël *Stayn-mayer*, Abbas Osterhovii, *Dogmaticis & asceticis operibus*, Passavii, Monachii & Norimbergæ editis; Bartholdus *Nihusius*, *Communione Græcorum sub una specie*; Joannes *Zahn* Præpositus Cellæ inferioris, *Specula Physico-mathematica historica notabilium sciendorum, in qua mundi admirabilis œconomia & universæ naturæ majestas in triplici mundo, cælesti, aëreo, terrestri .... ostenditur .... 2. Vol. fol.* altero item volumine inscripto, *Oculus artificialis Teledioptricus, sive Telescopium.* Et ne rursus ad germanos redeam, ad hoc & sequens sæculum qui pertinent, hic sistentur, Fridericus *Herlet*, *vitis Sanctorum* bis recusis, Franciscus *Heffner* Canonicus Cellæ Superioris, *concionatore extemporali* octies edito *2. Vol. fol.* famosissimi omnes.

Plurimos, nec ignobiles hoc sæculo protulit Flandria Doctores. Illorum Ducem in fronte locamus Gerardum *Drunæum* Tongerloæ Canonicum, Mathematicum insignem, qui varia, referente Myræo, ingenii instrumenta & documenta reliquit. Prima Ernesto Bavaro Coloniensi & Leodiensi Episcopo, harumce rerum amantissimo, dono dedit. Alia Tongerloæ suæ, reliquit in quibus leguntur *Tabulæ sinuum, de ortu & occasu, de meditatione cæli syderum, de quadrantis astrolabii usu, Kalendarium historicum & poëticum.*

Ejusdem Abbatiæ alumnus & Drunæo æqualis Willibrordus Roschartius, litterarios labores à dissertatione *de Candido habitu*, & à libro *de initiis & progressibus monasticis*, *de vita activa* auspicatus, postea *vitam S. Siardi*, librum *de natura veritatis*, *Microcosmum, seu humani corporis fabricam*, denique *Chronicon Tongerloæ*, prælo tradidit. In Bredana Sanctæ Catharinæ Præpositura, P. Dionysius *Mudzaerts*, *historiam Ecclesiasticam* ab orbe condito ad annum 1623. & *historiam Ecclesiæ Belgicæ* ad an. 1624. conscripsit, & Antuerpiæ publicavit. *Vitas Sanctorum Ordinis Præmonst.* à censore approbatas, & lucem aspirantes composuerat, sed autor luce substractus, illarum editionem procurandam dimisit superstitibus, quos necdum vota Ordinis flectere potuerunt. Augustinum *Wichmans*, Cornelium *Hannegravium*, Joannem *Ægidii*, Laurentium *Landmeter*, Joannem *Conen*, totidem Tongerloæ lumina, eruditis operibus fulgentia, prætereo, ut cæteris Flandriæ monasteriis locus detur.

Occurrit Antuerpiæ Joannes Chrysostomus *Vander-sterre*, Abbas S. Michaëlis, multorum parens librorum, quorum Catalogum exhibuisse, laudasse est.

Panegyricus pro inauguratione Mathai Irselii Abbatis S. Michaëlis anno 1614. *Sermones pro natalibus B. Joseph Hermanni, B Ettermodi Episcopi Raceburgensis, B. Garemberti Abbatis Montis S. Martini, S. Joannis Chrysostomi, de venerabili Eucharistias Vita S. Norberti anno 1622. Natales Sanctorum Ordinis Præmonst. 1625. Vita B. Joseph Hermanni 1627. Vita B. Willelmi Canonici Rothensis 1627. Vita S. Norberti ex antiquis manuscriptis edita anno 1630. Sidera illustrium aliquot Sanctorum virorum Ordinis Præmonst. Hagiologium Præmonstratense, Chronicon Ecclesiæ S. Michaëlis Antuerpiensis;* & hæc tria necdum prodierunt in lucem.

P. Polycarpus *de Hertoghe* ejusdem Abbatiæ Canonicus & Theologiæ Professor, *compendium Theologiæ*, & *vitam S. Norberti* notis instructam edidit. P. Mathæus *de Beu* ibidem Canonicus in controversiis versatissimus, *Colloquium, sive disputationem habitam inter eum & Nathan Vey Ministrum Bergizoma* publicavit Antuerpiæ anno 1631. & Alberto Comiti Bergensi inscripsit. Prosper *Moriconi* Ecclesiæ ejusdem Canonicus, postea Coadjutor Gratiæ Dei apud Saxones, de *Busto B. Mariæ Virginis Magdeburgensis, historicâ & politicâ luce illustrato volumen* emisit. Si ad Theologos monasterii ejusdem alumnos veniam, in promptu sunt *Havermans*, *de Coq*, *Van Ranst*. Macarius *Havermans* adversùs gliscentes per Belgium laxioris moralis libros, opposuit *Tyrocinium Theologiæ moralis* anno 1675. Frenduerunt in illud dentibus suis Casuistæ laxiores, quos defensionibus, disquisitionibus & Epistolâ apologeticâ ad Innocentium XI. compressit

Discipulum & doctrinæ sequacem fecit Havermannus P. Florentium *de Coq*, qui Theologiam ad mentem & principia S. Augustini iterum, iterumque recusam elucubravit. Tractatus de jure & justitiâ ab anno 1686. prælo paratus, anno tantùm 1708. typis Bruxellensibus prodiit in 4.

P. Franciscus *Van-Ranst* Florentii *de Coq*, auditor, Theologiæ moralis partem primam anno 1711. evulgavit Bruxellis. Partem alteram cum integro Theologiæ cursu Typographiæ destinabat anno 1717. Illam vidimus, dum Antuerpiæ versabamur.

In Parcho, tot floruerunt eo sæculo docti, ut Layeruelio visitationem illic instituenti, tot illi occurrerint Doctores, vel Licentiati vel Baccalaurei, quot hujus Abbatiæ erant Canonici. Nec mirum præerant Abbates eruditione conspicui; *Drusium* è multis unum appello, qui statutorum emendationem & compositionem ad canonum apices, ad Capitulorum generalium decreta, tali methodo, tantâ prudentiâ redegit, ut nullæ sint, quas viderim, constitutiones Ordinum majori discretione, sapientiâ majori conditæ. Multis legationibus perfunctus ad Principes, Hispanias pro resarcienda unione monasteriorum Regni cum capite Ordinis deputatus ab Ordine proficiscitur. Infælici exitu absolvit negotium, & famâ doctissimi viri contentus recessit inde. Anno 1606. Visitator & Reformator Universitatis Lovaniensis ab Alberto Archiduce, ab eodem anno 1616. Duacenæ etiam academiæ reformandæ delegatur, utramque legibus optimis instituit, & anno 1627. ab Universitate Lovaniensi in suum conservatorem assumptus est. Ad Reipublicæ, ad Ordinis, ad Principis obsequia semper paratus Abbas, in eo tantùm imperanti Alberto Archiduci restitit, ut Gandavensem Episcopatum recusaverit acceptare sibi delatum. *Masius* Drusii successor & scientiæ hæres, pari sollicitudine excolendis litteris se impendit, earumque dedit specimen in *historia Parchensi* quam anonymus Parchi Canonicus anno 1662. auctam vulgavit in 4°. Idem Masius editionem *expositionis in Evangelium Joannis*, autore Jansenio, procuravit, vitamque autoris in fronte scripsit anno 1631. Franciscus *Vennius* Parchi itidem Prior & Novitiorum Magister anno 1646. *Speculum Religiosorum, totum interiorem hominem, & omnia vitæ religiosæ officia,*

perfectionem obligationemque septem tractatibus repræsentans, edidit Lovanii. Ibidem anno 1662. Eustachius de *Pomereux*, *vitam B. Godefridi Comitis versibus heroicis*, & *S. Norberti Catastrophen*, typis dedit. Averbodii Joannes *Miscum* poëmatibus, doctrinâque clarus laudatur à Grammayo. Adrianus *Merbetius* expositione Dominicæ Passionis sub titulo, *Scala purpurea aliisque in singulas anni Dominicas occurrentia Evangelia & festa Sanctorum Homiliis*, famam sibi condidit. Gabriel *Colines* Canonicus Ninivensis, vitam S. Livinæ, aliàs Vivinæ; Claudius *Sallé* Canonicus S. Andreæ Nemorensis, *collectionem memorabilium suæ Abbatiæ* anno 1651. R. D. *Ledé* ejusdem Ecclesiæ Abbas multis voluminibus, quæ manus nostræ contrectaverunt, *Chronicam* Ordinis confecit. Carolus *du Canda*, Canonicus Domni-Martini vitam B. Caroli Borromæi & S. Thomæ Cantuariensis annis 1614 & 1615. Furnis, Joannes *Manareus*, *in Dominicas & Festa conciones*, *annotationes in Evangelia totius anni*, *annotationes in novum Testamentum*, Joannes *Becardus*, *Apparatum ad Annales Præmonstratenses*, *Indicem & Censuram Scriptorum Ecclesiasticorum*, *Quæstionem Theologicam de pane & vino in exequiis defunctorum offerri solitis*, *Manuale Iprensis Diœcesis* jussu Reverendissimi D. Georgii *Chamberlain* Episcopi Iprensis, Petrus *Waghenare*, *vitam S. Norberti*, *item Præmonstrati Ordinis personas sanctitate*, *genere*, *doctrinâ illustres*, *Originem & Progressum Abbatiæ S. Nicolai Furnensis*, Hermannus *Vermeesch*, *Delicium Virginis Deiparæ*, *sive B. Hermannum Joseph*, *versu & prosa morali illustrem*, Martinus *Grevenschildt*, Præpositus Horti conclusi, *Paradisum sacrarum Meditationum de Mysteriis vitæ Christi*, & *B. Virginis* ediderunt.

Suis quoque Gallia Scriptoribus emicuit. Anno 1605. Tristanus *de Ville-longue* Abbas Bucilii in Terrascia adversùs *Tilenum* & Calvinisticæ Sedani Synagogæ ministros articulos octo, quibus Comitem *de la Val*, ad fidem Catholicam recens conversum provocabant ad defectionem, calamum & confutationem arripuit & typis Remensibus evulgavit sub hac Epigraphe gallica. *Réponse aux huit articles que le Sieur Tilenus & les Ministres de Sedan ont envoyé au Haut & Puissant Seigneur le Comte de la Val*, *pour empêcher sa sainte & heureuse conversion au giron de l'Eglise Catholique*, *Apostolique & Romaine*. Mauritius *du Pré*, Canonicus S. Joannis Ambianensis eruditione variâ, singulari pietate, labore indefesso conspicuus, hæc studiorum suorum monumenta reliquit. *Annales breves Ordinis Præmonstratensis*, typis Ambianensibus. *Vita S. Norberti ejusque Translatio*. Parisiis anno 1727. *Commentationes in Metaphysicam Aristotelis* MSS. *Les Armoiries*, *cris de Guerre*, *devises des Peuples*, *des Nations*, *Princes & Nobles*, *tant anciens que modernes*, in fol. cum figuris MSS.

Inscriptionum antiquarum Romanarum Libri X. in fol. cum fig MSS. *Recueil des Armes*, *Blazons*, *Armoiries & Devises des Papes*, *Cardinaux*, *Archevêques*, *Evêques*, *Monasteres*, *&c.* MSS. cum figuris.

Annales Ecclesiæ S. Joannis, *olim extra*, *nunc intra muros Ambianenses*. fol. MSS. *Natales SS. Galliæ*, *seu Martyrologium Gallo-Francicum*. F. MSS. *Vita S. Norberti & aliorum Sanctorum Ordinis*. fol. MSS.

Tabula Chronographica, *in qua servata annorum serie breviter ostenditur*, *qui Pontifices*, *Imperatores*, *Reges*, *Duces & Principes orbi terræ præfuerunt*, *à Christi Domini Nativitate ad hæc nostra usque tempora*. Fol. MSS. *Annales Ordinis Præmonstratensis*, 3. T. in 4. MSS.

Recueil des Méditations pour tous les jours de l'année. Fol. MSS. *Figures & Représentations des Médailles Grecques & Romaines*, *& autres antiques*. Fol. MSS. cum fig.

Sacra venerandæ antiquitatis monumenta, *numismata aurea & argentea*, *ærea*, *Hæbreorum*, *Græciæ antiquæ populorum*, *civitatum*, *insularum*, *Regum & Principum*, *Romanæ civitatis familiarum illustrium & Consulum*, *Imperatorum & Imperatricum*,

Cæsarum

Cæsarum ac Tyrannorum, Fol. MSS. cum fig.

Tractatus de Sacramentis, de Deo & ejus attributis, de virtutibus Theologicis, de Resurrectione, 2. Vol. fol. MSS.

La vie du B. Herman Joseph. in 4. MSS.

Fasciculus exercitiorum Spiritualium. in 4. MSS.

Commentarius Catenatus in regulam S. Augustini. in 4. MSS.

Jacobus Danus aliàs le Dain, *Doctor Sorbonicus & Canonicus S. Martini Laudunensis anno 1626. Apologiam Christianam Duci Nivernensi inscriptam contra Libellum cujusdam Remensis aurifabri ad Calvini castra transfugæ*, composuit & mandavit typis.

Joannes *Liétau* Canonicus Calvimontis, non longè à Castro-portiani, eleganter & idiomate gallico, *vitam S. Berthaldi* Remis edidit anno 1634. Petrus *Borée* Prior Ressonii, Parisiensibus typis promulgavit anno 1637. *Apotheosin sacri Rosarii.*

Callixtus *de Marloy*, Canonicus Viromandiæ edidit Cameraci an. 1623. *Poëma Sebastiodos*, seu *vitam S. Sebastiani metricâ oratione*; item *aliud de venerabili Sacramento.*

Norbertus *Cailleu*, Doctor Sorbonicus & Prior Præmonstrati anno 1661. *Responsionem ad inquisitionem Joannis Launoii Parisiensis Theologi in privilegia Præmonstratensis Ordinis* displosit typis Friderici *Leonard*, & Censorem Episcopo Laudunensi privilegia Ordinis corrodenti venaliter patrocinantem, acriter & doctè confutavit. Inde mulctatus exilio Pater *Cailleu* ad instantiam Præsulis Cæsaris *Estrei* Viconiam se recepit, ubi anno 1662. Apologiam responsionis suæ & Ordinis exemptionem à jurisdictione Episcopali multimodis probavit argumentis & inscripsit Alexandro VII. Pontifici.

In eodem Præmonstrati cœnobio, Joannes *Pagius* Sorbonicus Doctor & Collegii Parisiensis Præses, vir ambiguæ fortunæ, lectionis multæ, criterii mediocris, *editione suæ Bibliothecæ Præmonstratensis Historiam*, dicere debuerat Præmonstratensem, benè audiit apud doctos, meliùs audiret si Ordinis scrinia fuisset scrutatus.

In finibus Lotharingiæ, inter amœna Vosagi deserta, P. Antonius *Aubertin* Prior Stivagii, vitas S. Asterii & S. Richardis anno 1656. gallico evulgavit idiomate. Ejusdem monasterii Abbas P. Epiphanius *Louïs* Doctor Theologus, Congregationis reformatæ Vicarius generalis, Monialium à perpetua adoratione venerabilis Sacramenti Legifer & Autor, pro earumdem informatione & doctrina edidit Parisiis anno 1674. *La nature immolée par la grace, ou la Pratique de la mort mystique, pour l'instruction & la conduite des Religieuses Bénédictines de l'Adoration perpétuelle du S. Sacrement.*

Alterum anno eodem prodiit volumen, sub titulo, *la vie sacrifiée & anéantie des Novices qui prétendent s'offrir en qualité de Victimes du Fils de Dieu, dans la Congrégation des Religieuses Bénédictines de l'Adoration perpétuelle.* Tertium anno 1676. exiit sub hoc titulo: *Conférences mystiques sur le recueillement de l'ame, pour arriver à la contemplation du simple regard de Dieu par les lumieres de la Foy.* Ejus Epistolas anno 1696. luci publicæ dedit, P. Michaël *la Ronde* pietatem & mortificationem sensuum spirantes.

P. Hugo *Peltre* Prior Montis sanctæ Odiliæ, vitam hujus sanctæ, notis & chartis adornatam gallico idiomate typis Argentinensibus edidit annis 1699. & 1700.

Edmundus *Maclot* Doctor Theologus & Stagni Abbas, reformatæ Congregationis Vicarius generalis, *Historiam veteris Testamenti* anno 1705. & *novi Testa-*

menti anno 1712. evulgavit gallico sermone. Non deceret Hispanos scriptis illustres ex scriptorum catalogo expungere, nominare omnes prolixum foret, celebriores recensere gratum erit. Franciscum *du Bal*, Canonicum & Abbatem Retortæ, Theologorum sui temporis facilè Principem, & veluti Hispaniæ oraculum, litterariæ ducem cohortis præpono, suis operibus *de Sacramentis de Morali, de Censuris, de quæstionibus regularibus, Commentariis in regulam S. Augustini, vitâ B. Hermanni Joseph, Historiâ S. Norberti, aliisque necdum prælo commissis voluminibus famosissimum apud Hispanos.*

Ejus ætate in monasterio B. Mariæ de Hortis excellebat egregius Prædicator Joannes de *Estrada, qui artem concionandi, Sermones panegyricos, Sermones de Quadragesima, Sermones de Maria Sanctissima* tribus voluminibus politiori stylo conscriptos edidit annis 1666. 1670. 1672. Exstant in scriniis facundi hujus concionatoris MSS. eruditæ elucubrationes *contra Judæos; Consilia politico Christiana; Responsio ad serenissimam Venetorum Rempublicam pro cultu Immaculatæ Conceptionis.*

Ludovicum *de Timeo* Canonicum Retortensem ab autore Bibliothecæ Hispanicæ commendatum, ut pote tam sacris, quàm profanis litteris apprimè excultum, commendabilem aliunde facit, *Concionum sacrarum volumen*, Matriti anno 1671. cusum, & *Hexameron Commentario litterali ac Morali illustratum.*

Bernardus *de Leon* Abbas S. Norberti Matritensis & Doctor Theologus, Immaculatæ Conceptionis B. Mariæ Virginis ardentissimus vindex, pro ejus defensione duo scripsit, & domesticis typis edidit volumina anno 1626. *Chronicon Ordinis & vitam B. Norberti emissurum mors sustulit*, an. 1627.

Antonius *Sanchez* abbas Aquilarensis, historiam & originem omnium religionum, monachalium, mendicantium & militarium anno 1630. condidit. Josephus *Bravo* Canonicus S. Norberti Matritensis, Theologiæ Doctor & Professor artium, divinis, inquit Emin. Cardinalis *d'Aguirre*, humanisque litteris præcellens obtentam diu cathedram sponte deseruit. Omnigenæ eruditionis opera composuit Theologica, moralia, polemica, historica, quorum Catalogum attexere suo loco curabimus. Taceo Franciscum *Martinez*, Antonium *Riquexo*, Thomam *Perez*, Michaëlem *Merino*, Thomam de *Avellanda* scriptis celebres, ut veniam ad Magistrum & Professorem Theologiæ R. P. Stephanum de *Noriega* Definitorem generalem Hispaniæ Congregationis, Abbatem Salamanticæ, nunc Reformatorem generalem, quem ut laborum nostrorum Coadjutorem agnoscimus, ita uti Magistrum veneramur in multis. Præter præstitam nobis comiter operam in Annalium nostrorum conscriptione, præter elucidationes doctas in rebus anxiis nobis humaniter transmissas, & in volumen sat grandè turgescentes, duas anno 1723. edidit Salamanticæ dissertationes, libros potiùs nominare deberem. Harum prima meæ tenuitati inscripta hoc titulo donatur, *Dissertatio apologetica Mariano-candida, in qua de constanti revelatione Candidi habitûs Præmonstratensis per Deiparam; de Immaculatæ Conceptionis B. Mariæ Virginis antiquo Præmonstratensium cultu, de Marianis Ecclesiis & specialibus cultoribus Norbertinis, p. 220.* in quarto.

In Lud. Salamantic. Prelud. dis. 4. N. 88.

Secunda sub hac inscriptione prodiit: *Dissertatio historica de S. Dominico de Guzman Ordinis Prædicatorum Patriarcha, Canonico regulari Augustiniano Præmonstratensi, in observantissimo monasterio sanctæ Mariæ de la* Vid, *in qua de utriusque Ordinis, sed præcipuè Præmonstratensis dignitate, instituto, observantia, habitu.* Accedit disgressio Apodictica *de Magistro Joanne de Calmenares abbate Aquilarensi, Ordinis Præmonstratensis, fidei inquisitore, cum Sermone ab eodem Cæsaraugustæ habito ad sacrilegos occisores S. Martyris Petri de* Arbues, *p. 211.* in-4. nunc ut au-

dio, majorem decurrit Palæstram, & Reipublicæ litterariæ breviter majora doctrinæ suæ monumenta largietur.

Si liceat anseri cantum miscere tot olorum cantibus, liceat mihi, non ad jactantiam, sed ad confusionem impostoris Oudini, meum quoque nomen inscribere autorum nostrorum albo, & obolum meum in dives Ordinis gazophilacium injicere. Anno 1699. Faydium de Trinitate malè sentientem & Trioussiam inducentem confutavi, & typis mandavi Luxemburgensibus sub hoc titulo. *Refutation du Systême de Mr. Faydit sur la Trinité.* Apologiam, magis palinodiam, cantare coactus Faydius, sed non qualem debebat, emisit, & illam iterato conflictu aggressus, *Refutationem ejus Apologiæ*, Parisiis evulgavi anno 1702.

P. *Chaponel* historiæ Canonicorum Regularium autorem, de Canonicorum secularium statu & Ordinis nostri Canonico instituto iniquiùs opinantem, censoriâ diatribâ aggressus, librum sub hac Epigraphe edidi anno 1700. Luxemburgi, *Refutation de l'Histoire des Chanoines Reguliers.* Anno 1700. ibidem vitam B. Norberti notis instructam feci juris publici in 4°. anno 1725. primum *Sacræ antiquitatis monumentorum volumen* Typographiæ domesticæ commisi. *Secundum anno 1729. inceptam* Stivagii, & Typographi morte suspensum, nonnisi anno 1731. lucem aspexit in oppido S. Deodati. Alia ad historiam serenissimorum Lotharingiæ Ducum pertinentia & prælo parata composui, dum historiographi munus obirem, quod propter impositam mihi scribendorum Annalium Ordinis Provinciam debui dimittere, Regio Duce Leopoldo annuente. Successiva hæc, & per seculorum decursus continuata virorum doctorum series, quam magna ex parte mutilavimus, brevitati consulentes, procul abigit ignorantiæ tenebras, quibus Ordinem à crepundiis ad sua tempora inumbravit Oudinus. Ignoscas, benevole Lector, si pro veritate, pro Ordinis vindicia, pro mei officii debito, longiùs in probationes mendacii sycophantæ Oudini me effuderim, & hominem evanidâ tumescentem superbiâ, pondere aliorum gloriæ oppresserim; quasi phœnicem Ordinis in re litteraria, ut se efferret insolentiùs, omnium litteratorum nomina & opera lituris ignorantiæ & oblivione sempiternâ delevit, reclamantibus omnium temporum monumentis, publicis, privatis, editis, manuscriptis, quæ scrutatorem scriniorum, Bibliothecarum lustratorem non latebant. Habebat ad manus *Pagii Bibliothecam*, *Miræi Chronicon*, Petri de *Waghenare*, *Personas Ordinis scientiâ illustres*, in quibus legere poterat, nec dubitem legisse, numerosam Doctorum scriptis illustrium multitudinem, quæ à pruritu calumniandi effrænem linguam cohibere debuerant. Sed de Oudino ultra modum dixi; de laboris nostri consortibus, pauca pro gratitudine nunc dicendum. P. Servatius *Neel* Congregationis reformatæ Definitor & tùm Prior *Insulæ-Dei*, totius Normanniæ monasteria, quæ per meipsum, præpediente podagrâ, visitare nequibam, invisit singula, & singulorum archiva lustravit, excribravit documenta, & ad limam severioris critices ventilatam Abbatiarum historiam patrio idiomate exaratam tradidit.

Alter laborum nostrorum Coadjutor fuit P. Carolus *Martin*, his diebus à Rege Ludovico XV. renuntiatus Abbas Cuissiaci. Ille biennio toto operam impendit assiduam, nunc evoluendis scriptoribus, qui ad rem nostram pertinebant, nunc ad veritatis historicæ fidem & regulam emendandis privatis actibus, nunc ad Chronologiæ crisim discutiendis, corrigendisve Diplomatibus per notas ad marginem appositas, utique suâ dignas eruditione.

Hoc subsidio desinente, venit ad suppetias P. Joannes *Blanpain*, qui agilem in exscribendo manum priùs accommodans, sensim scribendi ex propria Mi-


nerva, idoneus evasit, & totum se nostro devovit musæo, dum intercalari podagrâ laborabam, aut extorris patriâ, procul abire coactus sum, Ecclesiæ meæ Stivagiensis vindex nullo vitæ discrimine exarmatus.

Dividunt ergo mecum hujus Monasteriologiæ gloriam, si qua gloria est; vituperationem nolim ut incurrant, in me suscipio totam, qui præeram operi, sed non inde vituperandus videbor, si scribentis intentionem, si necessitatem scribendi ponderet æquus censor. Jussus parui, parendo feci quod potui; non me ut Magistrum, non ut in meapte industria plus æquo confidentem extuli, sed mihi, meis viribus, meoque genio diffidens, aleam ingressus sum, quam declinare non licuit. Si illam decurrens, in errores incidi, ignoscat amicus Lector, & me liberet benevolè, sciens nullum esse tam lynceum, qui tantis in tenebris nihil offendat.

Ut uno quasi conspectu multiplices Ordinis surculos, monasteriorum Fundatores, fundationis annum, situm, Diœcesim, Circarias, Paternitates, videre possit Lector, hanc illi tabulam, Paginâ paulò accuratiorem apponimus.



INDEX



INDEX

CIRCARIARUM ET MONASTERIORUM Sacri & Canonici Ordinis Præmonſtratenſis.

CIRCARIA FRANCIÆ

Monaſteria.	*Fundatores.*	*An. fun.*	*Diœceſis.*	*Civitas proxima.*
PRæmonſtratum.	BArtholomæus Laudunenſis Epiſcopus.	1121.	Laudunenſis.	Laudunum.
S. Martinus Laudunenſis, Filius Præmonſtrati.	Bartholomæus Laudunenſis Epiſcopus.	1124.	Laudunenſis.	Laudunum.
Cuiſſiacum, Filius Præmonſtrati.	Gualterus Miles de Juniigneio, & Agnes de Roceio uxor ejus.	1122. vel circiter	Laudunenſis.	Laudunum.
Aviniacum, Filius Moncelli.	Toparchæ Aviniacenſes.	1145.	Catalaunenſis.	Vitriacum.
Camera Fontis, Filius Vallis ſecretæ.	Alermus & Guido Domini de Cuiſiaco.	1188.	Meldenſis.	Meldæ.
Dei-Locus, Filius Vallis ſecretæ.	Ludovicus Craſſus, Rex Franciæ.	1132.	Senonenſis.	Briena.
Locus Reſtauratus, Filius Cuiſſiaci.	Radulphus Viromanduæ Comes.	1131.	Sueſſionenſis.	Villerſ ad Cotiſ
S. Marianus Altiſſiodorenſis, Filius Præmonſtrati.	Iterius Clericus Altiſſiodorenſis.	1139.	Altiſſiodorenſis	Altiſſiodorum.
Mons Odonis, Filius Vallis ſecretæ.	Fundator ignotus, vel Theobaldus Comes Campaniæ.	1139.	Sueſſionenſis.	Caſtrum Theodorici.
Venerabile Sacramentum Pariſienſe, Fil. Congregationis reformatæ.	Anna Auſtriaca, Regina Franciæ.	1661.	Pariſienſis.	Pariſii.
S. Paulus Senonenſis, Filius Dei-Loci.	Guido Senonenſis Archiepiſcopus.	1192.	S.nonenſis.	Senonæ.
Vallis Chriſtiana, Fil. S. Martini Laudun.	Radulphus Dominus de Recurtis.	1134.	Sueſſionenſis.	Fara, vulgò, *Fere en Tardenois.*
Vallis Secreta, Fil. Præmonſtrati.	Theobaldus Comes Campaniæ.	1133.	Sueſſionenſis.	Caſt. Theod.
Vallis Serena, Fil. Præmonſtrati.	Hugo Albus toparcha Firmitatis, & Joannes Rufus Dom. de *Hela.*	1121.	Sueſſionenſis.	Sueſſio.
Capella ad Plancas, Fil. Belli-loci.	Simon Dynaſta Bello-fortiæ & Emelina ejus ſponſa.	1146.	Trecenſis.	Bellofortia.
Bruyeria, Filia Branæ.	Agnes Comitiſſa Branæ.	1139.	Sueſſionenſis.	Brana.
Domus S. Trinitatis, Fil. Hermeriarum.	Anſelmus & Joannes de Galanda.	1210.	Pariſienſis.	Pariſii.
Bellus-locus, Filius Præmonſtrati.	Oſbertus & Alardus Sacerdotes.	1140.	Trecenſis.	Brenna & Barrum ad Albam.
Brana, Filia Præmonſtrati.	Andræas de *Baudement*, & Agnes uxor ejus.	1130.	Sueſſionenſis.	Brana.
Baſſus-Fons, Filius Belli-loci.	Gualterus Brennæ Comes.	1143.	Trecenſis.	Brenna.
Carthovorum, Filius Belli-loci.	Odo de Balliolo, Dominus de *Chery.*	1133.	Sueſſionenſis.	Brana.
Collegium Pariſienſe, Fil. Præmonſtrati	Joannes Abbas Præmonſtrati.	1255. vel 1252.	Pariſienſis.	Pariſii.
Hermeria, Filia Vallis ſecretæ.	Theobaldus IV. Comes Campaniæ.	1166.	Pariſienſis.	Latiniacum.
Moncellum, Filius Branæ.	Anſelmus Miles de Moncellis.	1142.	Catalaunenſis.	Vitriacum.
Cella Monialium Altiſſiodori, Fil. S. Mariani Altiſſiodorenſis.	Ludovicus VII. Rex Galliæ.	1149.	Altiſſiodorenſis	Altiſſiodorum.
Javagia, Filia Vallis ſerenæ.	Gilbertus cognomine *Parea.*	1160.	Sueſſionenſis.	Firmit. Milonis
S. Crux ſuper Dormannum, Filia Vallis Chriſtianæ.	Radulphus de Recurtis, & Theobaldus Comes Campaniæ.	1141.	Sueſſionenſis.	Dormannum.
Bonolium, Filius Præmonſtrati.	Bartholomæus Epiſcopus Laudunenſis.	1140.	Noviomenſis.	Laudunum.
Carthovorum Monialium, Fil. Carthovori virilis.	Odo de Balliolo.	1134.	Sueſſionenſis.	Brana.
Fontanella, Fil. Præmonſtrati.				
Diona, filia S. Martini Laudunenſis.	Abbas S. Martini Laudunenſis. Capitul. Regiteſtis.	1130.	...menſis.	Regiteſtis.

CIRCARIA FLOREFFIÆ.

FLoreffia, Filia Præmonſtrati.	GOdefridus Comes Namurci, & Ermenſendis uxor ejus.	1121.	Namurcenſis.	Namurcum.
Leffia, Filia Floreffiæ.	Henricus Comes Namurci.	1152.	Leodienſis.	Dionantum.
Vallis Dei, Filia S. Martini Laudunenſis.	Guitterus Regiteſtis & Urſimontii ſummus Dynaſta.	1128.	Remenſis.	Carolopolis.
Bellus Reditus, Fil. Floreffiæ.	Albero Epiſcop. Leodienſis.	1124. vel 1123.	Leodienſis.	Leodium.
Bucilium, Fil. Præmonſtrati.	Herbertus III. Viromanduæ Comes, & Gertrudis uxor ejus.	1148.	Laudunenſis.	Vervinum.
Longivadum, aliàs, Mare, Filius Clarifontis.	Comites Regiteſtenſes.	1142.	Remenſis.	Regiteſtis.

CIRCARIA FLOREFFIÆ.

Monasteria.	*Fundatores.*	*An. fun.*	*Diœcesis.*	*Civitas proxima.*
Thenolium, fil. S. Martini Laudunensis.	Bartholomæus Laudunensis Episcopus.	1130.	Laudunensis.	Vervinum.
Clarus-fons, fil. Præmonstrati.	Henricus de Guisia, & Macharia uxor ejus.	1126.	Laudunensis.	Avena.
Calvimontium, fil. Præmonstrati.	Rogerus Comes Castri Portuensis.	1187. datū Præmonstratensibus, 1146.	Rhemensis.	Regit...tis.
Calvaria, fil. Congregationis reformatæ.	Duces Mantuæ.	1676.	Rhemensis.	Carolopolis.
Colnumnum, fil. Thenolii.	Bartholomæus Laudun.	1132.	Laudunensis.	Lætiniæ.
Helisfemia, fil. Floreffiæ.	Renerus de *Serru* Miles.	1130.	Leodiensis.	Tillemontium.
Rivroella, fil. Bonæ-spei.	Gualcherus Rufus de Lesbinis, & Oldenas de Mathiis.	1140.	Cameracensis.	Barchium.
Bona spes, fil. Præmonstrati.	Raitaldus à Cruce, & Beatrix uxor ejus.	1128.	Cameracensis.	Binchium.
Guvens, fil. Parthenen.	Ignotus.	Ignotus.	Leodiensis.	Leodium.
Herlaymoncium, fil. Floreffiæ.	Osto de Trasignies.	1162.	Leodiensis.	Marimontium.
S. Nicolaus in bosco, Filius Bonæ spei.	Gilla Castellana Bruxellensis, Gillardus de *Ruex*.	1131.	Cameracensis.	Bruxellæ.
Geririacum, Fil. Cuissiaci.	Godefridus Com. Castriportiani.	1131.	Remensis.	Regitestis.
S. Foillanus. Fil. Præmonstrati.	Canonici Fossenses.	1125.	Cameracensis.	Rhodium.
Septem Fontes in Theraicia, Filius Floreffiæ.	Albertus Comes de Chyneio.	1135.	Remensis.	Carolopolis.

CIRCARIA PONTIVI.

Vallis Gaudii, Filia Præmonstrati.	Philippus Rex Augustus, & Bartholom. de Roya.	1221.	Carnotensis.	S. Germanus in Laya.
Marchasium Radulphi, Filius Domni-Martini.	Ausculphus de Monte Capreoli.	1113.	Rothomagensis	Bellovacum.
S. Judocus in Nemore, sive Domnus Martinus, Filius Præmonstrati.	Gilardus de Soiberunes.	1123.	Ambianensis.	Monstrolium.
S. Joannes Ambianensis, Filius Domni-Martini.	Mathildis de Flescicourt, & Ingelramnus Episcopus Ambian.	1126.	Ambianensis.	Ambianum.
S. Justus, Fil. Domni Martini.	Odo III. Episcopus Bellovacensis.	1147.	Bellovacensis.	S. Justus.
Bellus mons, Filius Marchasii Radulphi.	Ausculphus de *Senoz* Dominus de monte Capreoli.	1125.	Rothomagensis	Bellovacum.
Seriacum, Fil. S. Judoci in nemore.	Ansellus de Cayaco.	1127.	Ambianensis.	Abbatis-villa.
Ressonium, Fil. S. Joan Ambian.	Toparchæ Omontii.	1150.	Rothomagensi.	Bellovacum.
Omontium, Fil. Ressonii.	Iidem.	1221.	Rothomagensis	Bellovacum.
Selincurtis, Fil. D. Martini.	Gualterus de Tyrello.	1130.	Ambianensis.	Alba-Mala, Aumale.
S. Andreas in nemore, Filius Domni Martini.	Inguerrannus de Belloramo.	1135.	Ambianensis.	Monstrolium.
Alba Curia, Fil. Marchasii Radulphi.	Gasto Dynasta Pissiaci.	1180.	Carnotensis.	Pissiacum.
Boscomontium, Fil. Ressonii.	Drogo toparcha Mellanti.	1193.	Rothomagensis	Mellantum.
Berticurtum, Fil. S. Joan. Ambian.	Fulco Abbas S. Joan. Ambian.	1138.	Ambianensis.	Ambianum.
Grandis Campus, Fil. Præmonst.	Simon Com. Montfortii, Tolosæ Comes.	1214.	Carnotensis.	Montfortium.
Serques, Filia Liskæ.	Robertus Dominus Liskensis.	1132.	Audomaropolitanæ.	Audomaropolis

CIRCARIA BRABANTIÆ.

Sanctus Michael Antuerpiensis, Fil. Præmonstrati.	Robingus vir nobilis.	1123 accessit Ordini.	Antuerpiensis.	Antuerpia.
Parchum, Fil. S. Mart. Laudun.	Godefridus I. Dux Brabantiæ.	1129.	Mechliniensis.	Lovanium.
Ninovia, Filia Parchi.	Gerardus Constabularius Flandriæ.	1137.	Mechliniensis.	Ninovia.
Hortus Conclusus, Filius Vallis Liliorum ex Pagio, vel Tongerloæ.	Arnoldus de *Craeyenhem* de *Grobendonck*.	1411.	Cameracensis.	Herentalium.
Insula Ducis, sive Ghempe, Filia Parchi.	Reinerus de *Udechim* miles.	1219.	Mechliniensis.	Lovanium.
Reckem, Fil. Belli-reditûs.	Gilbertus de *Reickem*.	1140.	Leodiensis.	Reckeim.
Vallis S. Catharinæ, Filia Præmonstrati.	Servatius de *Lidekerke* Dominus de Breda.	1269.	Antuerpiensis.	Wouda.
Venerabile Sacramentum, Filius S. Michaëlis Antuerpien.	Abbates S. Michaëlis.	1654.	Antuerpiensis.	Antuerpia.
Guvens, Fil. Parthenensis.			Leodiensis.	
Averbodium, Fil. S. Michael. Antuerp.	Arnoldus Comes Lossensis.	1131.	Leodiensis.	Diesthemium.
Collegium Lovaniense, Filius Circariæ Brabantinæ.	Abbates Brabantini.	1571.	Mechliniensis.	Lovanium.
Diligem, Filius Trunchinii.	Onulphus miles de *Wolverten*.	1095. ordini jungitur 1140.	Mechliniensis.	Bruxellæ.
Grimberga, Fil. Præmonstrati.	Walterus Berthout dynasta Grimbergæ.	1110. ordini accedit 1128.	Mechliniensis.	Grimberga.
S. Gerlacus, Fil. Hinsbergæ.	Goswinus Dynasta Hinsbergæ.	1201.	Ruremundensis	Mastricht.
Keiserbosch, Fil. Averbodii.	Elstrudis & Engelbert. Com. Hornanus.	1134.	Ruremundensis	Ruremunda.
Mons S. Joannis, Fil. Averbodii.	Galterus Coloniensis Canonicus.	1142.	Leodiensis.	Maleyca.
Postula, Filius Floreffiæ.	Fastradus de *Wittwick*.	1173.	Sylvæ-ducensis.	Westerloo.
Vallis Liliorum, Fil. Præmonst.	Lambertus Pastor in *Hombeck*.	1233.	Mechliniensis.	Mechliniæ.
Tongerloa, Fil. S. Michael. Antuerp.	Gisilebertus Ruricola.	1130.	Sylvæ-ducensis.	Diesthemium.
Hombeka, Filia Parchi.	Ignotus.	Incertus.	Mechliniensis.	Mechliniæ.
Novum Sartum, Fil. Grimbergæ.	Walterus *Berthout*.	1133.	Mechliniensis.	Grimberga.
Taslembeck, Filius Grimbergæ.	Vidua Ivani Alostani Comitis.	1148.	Mechliniensis.	Tenera-munda.
Waersoot, Fil. Trunchinii.	Ignotus.	Incertus.	Gandavensis.	Gandavum.
Windick, Filius Viconiæ.	Ignotus.	Incertus.	Mechliniensis.	Ninoria.

CIRCARIA BRABANTIÆ.

Monasteria.	Fundatores.	An. fun.	Diœcesis.	Civitas proxima.
S. Maria Middelburgensis, Filia S. Michaëlis Antuerpiensis.	Godebaldus Episcopus Trajectens. & Wilhelmus Zelandiæ Comes.	1128.	Middelburgensis.	Middelburgum.
S. Sulpitius Diesthemiensis, Filius Tongerloæ.	Henricus de Wooren Abbas Tongerloæ.	1457.	Mechliniensis.	Diesthemium.

CIRCARIA FLANDRIÆ.

Mons S. Martini, Fil. S. Mart. Laud.	Ollardus & Ecclesia S. Quintini.	1136.	Cameracensis.	Castellerum.
Viconia, Fil. S. Martini Laudun.	Wido Presbyter & Balduinus Comes.	1129.	Atrebatensis.	Valencenæ.
Viromandia, Fil. Montis S. Martini.	Radbodus Episcopus Noviomensis.	1144.	Noviomensis.	S. Quintinus.
S. Augustinus, Fil. S. Nicol. Furnens.	B. Milo Episcop. Tarvanensis.	1131.	Bononiensis.	S. Audomarus.
Castellum ad Mauritanium, Filius Viconiæ.	Radulphus Princeps Mortaniæ & Castellanus Tornaci.	1151.	Atrebatensis.	Tornacum.
Harchia, Fil. Viromandiæ.	Ignotus.	Incertus.	Noviomensis.	Bohamium.
Truncinium, S. Mart. Lauden.	S. Amandus & Basinus fundatores restaurator Balduinus Comes.	Ad Præmonstr. transiit 1138.	Gandavensis.	Gandavum.
Lifka, Fil. S. Martini Laudunens.	Robertus Toparcha Liskensis.	1131.	Bononiensis.	Caletum.
Bethania, Fil. S. Nicolai Furnens.	Ignotus.	1618.	Iprensis.	Walpen.
Ardeia, Fil. S. Augustini Tarvanens.	Arnulphus Dominus Ardetæ.	1144.	Boloniensis.	Ardeia.
S. Chderamnus, Fil. Liskæ.	Ignotus.	Incertus.	Boloniensis.	S. Audomarus.
Curtis Dominarum, Filia S. Nicolai Furnensis.	Gertrudis Maurianensis, Comitissa Furnensis.	1167.	Iprensis.	Furnum.
S. Nicolaus Furnensis, Fil. Grimbergæ.	Joannes Morinorum Episcopus.	1128.	Iprensis.	Furnum.
Makincourt, Fil. Montis S. Martini.	S. Garembertus.	1125.	Cameracensis	S. Quintinus.
Genliacum, Filius Cuissiaci.	Joannes de *Hangest*.	1421.	Noviomensis.	Calniacum.

CIRCARIA WESTPHALIÆ.

Cappenberga, Fil. Præmonstrati.	Godefridus Comes Cappenbergæ.	1122.	Monasteriensis.	Monasterium.
Marc, Filius Steinfeldiæ.	Hildegundis Comitissa de Moers.	1165.	Coloniensis.	Moers.
Niderehe, Fil. Steinfeldiæ.	Theodoric. Alexand. Toparc. Kerpenses.	1175.	Coloniensis.	Kerpens.
Scheida, Fil. Cappenbergæ.	Wiltrudis vidua Volandi Domini de Scheida.	1143.	Coloniensis.	Weilar.
Sayna, Filia Steinfeldiæ.	Henricus & Everardus Comites Saynæ.	1202.	Trevirensis.	Confluentia.
Steinfeldia, Fil. Præmonstrati.	Sibodo de Hochsteden, Comes de Athe.	1135.	Coloniensis.	Tulpetum.
Stella Mariæ, Fil. Steinfeldiæ.	Milla Abbatissa de Sonnenberg.	1665.	Coloniensis.	Odendorp.
Warlaria, Fil. Præmonstrati.	Otto Comes Cappenbergæ.	1123.	Monasteriensis.	Coesfeldia.
Wena, alias, Wenaugia, Filia Floreffiæ.	Comites Montavienses & Hinsbergenses.	1121.	Coloniensis.	Willenstein.
Junckeide, Filius Knechtedenii.			Coloniensis.	
Arnsberga, aliàs Wedinghusa, Filia Insulæ B. Mariæ ex Pagio, vel Knechtedenii.	Henricus Comes de Arnsberg.	1170.	Coloniensis.	Arnsberga.
Bedburgium, Fil. Præmonstrati.	Theodoricus II. Comes Cliviæ.	1124.	Coloniensis.	Xanten.
Clarholtum, Fil. Præmonstrati.	Rudolphus de Steinforde.	1133.	Osnabrugensis.	Rheda.
Dorlar, Filius Romersdorffii.	Comites de Nassau-Sarbrick.	1220.	Trevirensis.	Giesen.
Dunwaldium, Fil. Steinfeldiæ.	Heidenricus.	1118.	Coloniensis.	Montes.
Fussenich, Filius Hambornæ.	Hermannus Advocatus Coloniens.	1146.	Coloniensis.	Tolbiacum.
Hamborna, Filia Steinfeldiæ.	Gerardus de Wickradt.	1136.	Coloniensis.	Duisburgum.
Mariæ Rode, Fil. Romersdorffii.	Comites de Schoneck.	1131.	Trevirensis.	Confluentia.
Eilen, Filia Hambornæ.	Duces Juliæ.	Incertus.	Coloniensis.	Duren.
Olinghusen, Fil. Præmonstrati ex Pagio, alias Arnsbergæ.	Seginandus & Hadwigis ejus sponsa.	1174.	Coloniensis.	Arnsberga.
Piscina, Filia Steinfeldensis ex eodem, aut Knechtedenii.	Vidua Gerardi Telemarii militis Coloniensis.	1198.	Coloniensis.	Colonia.
Reichstein, filius Steinfeldiæ.	Varrantus de Limburgo.	1152.	Coloniensis.	Montjoye.
Romersdorff, Fil. Steinfeldiæ, ex Pagio Floreffiæ	Albero Archiepiscopus Trevirensis.	1135.	Trevirensis.	Engers.
Rumbeka, Fil. Præmonstrati ex eodem, vel Arnsbergæ.	Philippus Coloniensis Archiepisc.	1193.	Coloniensis.	Arnsberga.
Arnstein, Fil. Præmonstrati.	Ludovicus Comes Arnsteinii, & Guda de Bonneburg uxor ejus.	1139.	Trevirensis.	Confluentia.
Angelica Porta, Fil. Steinfeldiæ ex Pagio, vel Saynæ.	Emericus de Montreal, & Philippus de Wildemburg.	1275.	Trevirensis.	Confluentia.
Altenberga, Fil. Romersdorffii.	Godefridus sacerdos.	1178.	Trevirensis.	Wetlaria.
Alsonum, Fil. Steinfeldiæ.	Ignotus.	Incertus.	Coloniensis.	Colonia.
Beselich, Arnsteinii Filius.	Godefridus sacerdos.	1153.	Trevirensis.	Hademaria.
Bedalinger, Filius Scheidæ.	Comites Marckiæ.	[illegible]	Coloniensis.	[illegible]
Cappel, Filius Knechtedenii.	Principes Nassovii Siegenses.	[illegible]	Coloniensis.	Siegena. Sigeta.
Collegium S. Norberti Coloniense.	Abbates Circariæ Westphaliæ.	[illegible]	Coloniensis.	Colonia.
S. Catharina de Tremonia, Filia Knechtedenii.	Dynastæ Tremonienses.	[illegible]	Coloniensis.	Tremonia.
Cathen, Filius Clarholti.	Abbates Clarholti.	Incertus.	Osnabrugensis.	[illegible]
Ellen, Filius Scheidæ.	Walrudis.	1145.	Coloniensis.	Marckia.
Gartzen, Filius Steinfeldiæ.	Hubertus Dominus in Gartzen, & Sophia de Hessel-rath uxor ejus.	[illegible]	Coloniensis.	Tolbiacum.
Hinsberga, Fil. Præmonstrati.	Golswinus Dynasta Hinsbergæ.	1150.	Leodiensis.	Hinsberga.
Knechtsteden, Fil. Præmonstrati.	Hugo Comes de Spanheim.	[illegible]	Coloniensis.	Colonia.
Vesalia, Filia Cappenbergæ.	Godefridus & Otto Comites Cappenberg.	1124.	Coloniensis.	Vesalia.
Vlotham, Filius Knechstedii.	Otto Comes Ravensburg.	1166.	Coloniensis.	Recklinghusen.
Mons S. Petri, Fil. Arnsteinii.	Ludovicus Comes Arnsteinii.	[illegible]	Moguntinæ.	[illegible]
Berendorff, Filius Scheidæ.	Domini de Ardeia.	[illegible]	Coloniensis.	Verden.
Rattembeck.	Ignotus.	Incertus.	Coloniensis.	Colonia.

CIRCARIA WESTPHALIÆ.

Monasteria.	*Fundatores.*	*An. fun.*	*Diœcesis.*	*Civitas. Proxima.*
Langvaden Fil. Heilishemii aut Knechstedii ex Pagio.	Christianus Dominus de Langvaden.	1156.	Coloniensis.	Colonia.
Furstemberg, Filius.		1125.	Coloniensis.	

CIRCARIA VADEGOTIÆ.

VAdegotia, Filia Præmonstrati.	GIsela vidua Friderici Comitis Sarepontis.	1135.	Trevirensis.	Sara Ludovici. Sarlouys.
Lautisseim, Fil. Præmonstrati ex Pagio, vel Omnium Sanctorum.	Cancro Comes Rheni.	1148.	Moguntinæ.	Heidelberga.
Rhetirs, Filius Romersdorffii.	Gerardus Comes de Nuringis.	1146.	Moguntinæ.	Koënigstein.
Ilbenstadium superius, Fil. Præmonst.	Godefridus & Otto Comites Cappenbergæ.	1123.	Moguntinæ.	Fridberga.
Ilbenstadium inferius, Fil. Superioris.	Iidem.	1123.	Moguntinæ.	Fridberga.
Brumbach, Filius Arnsteinii.	Arnoldus Comes Vedanus, &c.	1157.	Moguntinæ.	Hanauvia.
Cappel, Fil. Arnsteinii, vel Præmonstrati ex Pagio.	Arnoldus Selchofen Archiepiscopus Moguntinus.	1154.	Moguntinæ.	Lippia.
Poëldia Filia S. Mariæ Magdeburg.	Mathildis uxor Henrici Aucupis.	1133.	Moguntinæ	Hartzburgum.
Conradsdorffium, filius Præmonstrati.	Hartmannus de Budingen.	1190.	Moguntinæ.	Schwarzfels.
Eckenback Fil. Arnsteinii, vel Præmonstrati secundum Pagium.	Ludovicus Comes Arnsteinii.	1148.	Moguntinæ.	
Gumersheim, Fil. Arnsteinii.	Ludovicus Arnstenensis Comes.	1148.	Moguntinæ.	Odernheim.
S. Jacobus in monte Drusi, Filius Præmonstrati.	Bardo Archiepiscopus Moguntin.	1164.	Moguntinæ.	Moguntia.
Monasterium Filius Arnsteinii.	Fridericus Dux Sueviæ.	1145.	Moguntinæ.	Alzeia.
Merholtz, Filius Selbodii.	Comites de Hardeck.	Incertus.	Moguntinæ.	Merholtz.
Selbold, Fil. Steinfeldiæ, vel Præmonstrati ex Pagio.	Comites de Hardeck.	Incertus.	Moguntinæ.	Moguntia.
Vallis S. Mariæ, Fil. Arnsteinii, vel Monasterii ex eodem.	Ludovicus Comes Arnsteinii.	1140.	Moguntinæ.	Moguntia.
Habetzburgium, Fil. Ilbenstadii.	Harradus de Merenberg.	1210.	Moguntinæ	Moguntia.
Herde.				
Indemaren, seu Vetus Monasterium.				
Langlen, Filius Indemaren.				
Merzig, Filius Vadegotiæ.	Albero & Hillinus Trevir. Archiep.	1156.	Trevirensis.	Merzig.
Wulferlberg, Fil. Romersdorffii.	Theodoricus Abbas II. Romersdorffii.	1145.	Trevirensis.	Enger.
Domus Rubra, Fil. Præmonstrati.	Ignotus.	Incertus.	Moguntinensis	
Lutra Cæsarea, Filia Rothi, vel Steinfeldensis ex Pagio.	Fridericus Ænobarbus Imperator.	1158.	Vormatiensis.	Keisers-louter.
Kleinboucknom, Fil. Vadegotiæ.	Simon Comes Nassoviæ Sarepont.	1196.	Vormatiensis.	Sarverden.

CIRCARIA YVELDENSIS.

IVeldia Superior, Fil. Præmonstrati.	ELgerus Comes de Hohnstein.	1190.	Moguntinæ.	Hohnstein.
Iveldia Inferior, Filia Superioris.	Idem.	1190.	Moguntinæ.	Hohnstein.
Lauffen, Filius Adelbergæ.	Henricus Comes de Rottenburg.	1466.	Herbipolensis.	Lauffen ad Necharum.
Cella Dei Superior, Fil. Præmonstrati.	Joan. Canonic. Herbipol. & ejus Frater Henricus.	1126.	Herbipolensis.	Herbipolis.
Cella Inferior, Filia Superioris.	Idem.	1130.	Herbipolensis.	Herbipolis.
Gerlachsheim, Fil. Cellæ Superioris.	Ignotus.	Incertus.	Herbipolensis.	Herbipolis.
Schefftersheim, Fil. Cellæ Superioris.	Fridericus Dux de Rottenburg.	1170.	Herbipolensis.	Hohenlo.
Sulzen, Filia Cellæ Superioris.	Ignotus.	1130.	Herbipolensis.	Anspach.
Fraven-Bretungen, Filia Præmonstrati Pagio, aut Vesceræ.	Comites Hennebergæ.	Incertus.	Herbipolensis.	Henneberga.
Hausen, Filia Cellæ Superioris.	Henricus VII. Comes Hennebergæ.	1261.	Herbipolensis.	Kisingen.
Michelfeldia, Fil. Cellæ Superioris.	Ignotus.	1245.	Herbipolensis.	Kisingen.
Spasfarthum, Fil. Cellæ Superioris.	Comites de Reineck.	1295.	Herbipolensis.	Reineck.
Tuckelhausen, Fil. Cellæ Superioris.	B. Otto Pomeranorum Apostolus.	1137.	Herbipolensis.	Herbipolis.
Vescera, Fil. Præmonstrati.	Goswaldus Comes Hennebergæ.	1131.	Herbipolensis.	Mellerichstadium.
Guenerod, Fil. Præmonstrati.	Lantgravii Hassiæ.	1200.	Herbipolensis.	Hassia.
Epeimbac, Fil. Præmonstrati.	Ignotus.	Incertus.	Herbipolensis.	Herbipolis.
Sylva Dominarum.	Ignotus.	Incertus.	Herbipolensis.	Turingia.
Rotha, Filia Cellæ Superioris.	B. Otto Pomeranorum Apostolus.	1130.	Herbipolensis.	Herbipolis.
Secreikem, Filius Cellæ Superioris.	Ignotus.	Incertus.	Herbipolensis.	Herbipolis.
Serna, Filia Præmonstrati.	Ignotus.	Incertus.	Monasteriensis.	Monasterium.
S. Nicolaus de Scheweinfurt, Filius Vesceræ.	Petrus Esel.	1364.	Herbipolensis.	Scheweinfurt.

CIRCARIA LOTHARINGIÆ.

SAncta Maria in nemore, nunc Mussipontana, olim Regiæ-vallis, nunc Præmonstrati filia.	SImon Dux Lotharingiæ.	1126.	Tullensis.	Mussi-pontum.
Regia-vallis, fil. Præmonstrati.	Comites Barri.	1124.	Tullensis.	Commercium.
S. Paulus Virdun. fil. Præmonstrati.	S. Paulus Episcopus Virdunensis.	1131.	Virdunensis.	Virdunum.
Justus-Mons, fil. Bellæ vallis.	Euphemia de Vadronis-villa.	1132.	Metensis.	Theodonis villa
Bella-vallis, fil. Præmonstrati.	Albero Comes de Chiny Episc. Virdunensis.	1136.	Remensis.	Mosomum.
Flabonis-mons, fil. Bellæ-vallis.	Wido de Actimonte, Aigremont.	1138.	Tullensis.	Marchia.
Jandariæ, fil. Regiæ-vallis.	Theodoricus Barri Castellanus & filius ejus Gerardus.	1140.	Tullensis.	Harum.

Rengis-vallis,

CIRCARIA LOTHARINGIÆ.

Monasteria.	*Fundatores.*	*An. fun.*	*Diœcesis.*	*Civitas. Proxima.*
Rengis-vallis, fil. Præmonstrati ex Pagio, aut Regiæ-vallis.	Hadewidis de Aspero-monte & Tulli Capitulum.	1152.	Tullensis.	Commercium.
Paterum, fil. reform. Congregationis.	Joachimus Waltrin administrator componendæ Romanæ.	1662.	Tullensis.	Mirecuria.
Salina-vallis, fil. Justimontis.	Mathildis Comitissa Salmæa.	1157.	Metensis.	Marsallum.
Stagnum, fil. Bellæ-vallis.	Berthaldus Dominus de Faverolles.	1144.	Virdunensis.	S. Michaël. S. Mihiel.
Stivagium, fil. Flabonis-montis.	Incertus.	640. accessit Præmonstrati. 1146.	Nullius Diœcesis, in finibus Argentinensis & Tullensis.	S. Deodatus, vernaculè, S. Diey.
Septem fontes in Bassiniaco, fil. Bellæ-val.	Josbertus Sacerdos.	1137.	Lingonensis.	Calvomontum
Bellum Stagnum, fil. Salinæ-vallis.	Viricus Miles de Bascourt.	1185.	Metensis.	Metæ.
S. Crux Metensis, fil. Bellæ-vallis.	Albertus Metens. Advocatus, & Ida Laride.	1160.	Metensis.	Metæ.
Cruseium, fil. Bellæ-vallis.	Aleidis de Grandi-prato.	1137.	Remensis.	Regitestis.
Cella Dominarum, fil. S. Mar. in nemore.	Fundatores S. Mariæ in Nemore.	1130.	Tullensis.	Mussipontum.
Grangia Dominarum, fil. Flabonis-mont.	Petrus à S. Juliano.	1139.	Tullensis.	Marchia.
Hameri-villa, fil. Justi-montis.	Abbates S. Huberti.	1184.	Metensis.	Metæ.
Domus Dominarum, fil. Regiæ-vallis.	Comites Barri.	1125.	Tullensis.	Commercium.
Vallis Nonnarum, fil. Rengis-vallis.	Wido de Joinvilla & Russa de Montfort uxor ejus.	1154.	Tullensis.	Tullium.
S. Maria in Berca, fil. Septem fontium.	Josbertus Sacerdos, & Lambertus de Gronaio.	1138.	Lingonensis.	Calvomontum
S. Odilia in Stivagio, fil. Stivagii.	Gillibertus primus Stivagii Abbas.	1147.	Nullius Diœces.	San-Deodatus.
Jovillare, fil. Rengis-vallis ex Pagio, aut Regiæ-vallis.			Tullensis.	Ligneum.
Nancelium, fil. Jovillaris.		1145.	Tullensis.	Ligneium.
Planus-mons, fil. Janduriarum.	Odo de Jaria.	1142.	Tullensis.	Barro-ducum.
Bonifagetum, fil. Flabonis-montis.	Willelmus de Bernole.	1145.	Tullensis.	Mirecuria.
Briolæ, fil. Congregationis reformatæ.	Petrus de Cadnet.	1642.	Remensis.	Virdunum.
Mira-vallis, fil. Septem fontium.	Oliverus de Novo-castro, & Virdus de Rebeville.	1157.	Tullensis.	Novum Castrū.
Vallis Dei, fil. S. Pauli Virdunensis.	Henricus Comes Namurci & Luxemburg.	1176.	Trevirensis.	Luxemburgum
S. Odilia in Alsatia, fil. Stivagii.	Atticus Dux Alsatiæ.	1170.	Argentinensis.	Obernhemium
Silva Dominarum, fil. Bellæ-vallis.			Remensis.	Mosomum.

CIRCARIA ANGLIÆ BOREALIS ET SCOTIÆ.

SAncta Agatha, fil. Neuhusii.	ADa de Stavelay, Alanus Bigot, &c.	1195.	Eboracensis.	Richmundia.
Alnewike, fil. Neuhusii.	Eustachius de Vescy.	1158.	Dunelmensis.	Northumbria.
Bliburg, fil. Neuhusii.	Brichtic & Godevinus Oxfot.	1158.		Suffokk.
Blanca-landa, fil. Neuhusii.	Valterus de Bolbeck & Hugo frater ejus.	1164.	Dunelmensis.	Durham.
Cokersand, fil. Croxtonæ.	Theobaldus Walteri frater Huberti Cantuariæ Archiepiscopi.	1206.	Eboracensis.	Eboracum.
Coverham, fil. de Driefort.	Helvisia de Glanville uxor Radulphi de Midelham.	1158.	Eboracensis.	Sadeberg.
S. Agatha, fil. Methei.			Eboracensis.	
Novum Castrum, fil. Viridis Stagni.	David Rex Scotiæ.			
Heppe, fil. Cokersand.	Thomas Goz, & Robertus de Veteri-ponte.	1208.	Carleolensis.	Prestonium.
Wellebec, fil. Neuhusii.	Thomas le Flemmangh Miles.	1166.	Eboracensis.	Nottingham.
Ghines, fil. Alnewick.	Ignotus.	1180.	Dunelmensis.	Northumbria.
Gotze, fil. Præmonstrati.	Ignotus.	Incertus.	Carleolensis.	Cumberlandiæ.
Nova Scrinia, fil. Candidæ-casæ.	Ignotus.	Incertus.	Eboracensis.	Eboracum.
Nova Verina, fil. Candidæ-casæ.	Ignotus.	Incertus.	Eboracensis.	Eboracum.
Candida-Casa, fil. Viridis Stagni & Ecclesia Cathedralis.	Christianus Episcopus Candidæ-Casæ.	1177.	Candidæ-Casæ.	Candida-Casa.
Abbatia Candidæ-Casæ.	Fergusius Comes Glascoviensis.	1180.	Candidæ-Casæ.	Candida-Casa.
Sacrum Nemus, fil. Viridis Stagni.	David Rex Scotiæ.	1140.	Glascoviensis.	Glascow.
Tongellandia, fil. de Cokersand.	Ignotus.	1209.	Candidæ-Casæ.	Candida-Casa.
Viride Stagnum, fil. Præmonstrati.	David Rex Scotiæ.	1176.	Glascoviensis.	Glascow.
S. Andræas, fil. Præmonstrati.	Ignotus.	Incertus.	Candidæ-Casæ.	Candida-Casa.
Casis.				
Callar, fil. Candidæ-Casæ.			Candidæ-Casæ.	
Drieburg, fil. de Alnewick.	David Rex Scotiæ.	1152.	S. Andreæ.	S. Andræas.
Grafex.	Ignotus.	Incertus.	Candidæ-Casæ.	
Ibelma.				
S. Maria in Kelchov.	David Rex Scotiæ.	1125.		
Schelmenemach, fil. Tuamensis			Evectunensis.	
Strebna.				
Werincia				
Oleboch, fil. Stanley.	Willelmus Grandon.	1231.	Cicestriensis.	
Fernia.				
Ferina, fil. Candidæ-Casæ.			Rosmarchiæ.	

CIRCARIA ANGLIÆ MEDIANÆ.

NEwhus, fil. Liskæ.	PEtrus de Gousel.	1145.	Lincolniensis.	Lincolnia.
Auchel, fil. Præmonstrati.			Cicestrensis.	Cicestria.
Brodholm, fil. Neuhusii.	Radulphus de Albaniaco.	1112.	Lincolniensis.	Nottingham.
Bellum Caput, fil. Wellebeci.	Robertus Baro d'Alfreton.	1171.	Cicestrensis.	Derbyum.
Begeham, fil. Præmonstrati.	Radulphus de Dene.	1169.	Cicestrensis.	Cicestria.
Berlings, fil. Croxtonæ.	Radulphus & Richardus de Haya.	1160.	Lincolniensis.	Lincolnia.

CIRCARIA ANGLIÆ MEDIANÆ.

Monasteria.	*Fundatores.*	*An. fun.*	*Diœcesis.*	*Civitas proxima.*
Beautes, fil. Præmonstrati.			Cicestrensis.	
Croxtona, filia Newhusii.	Willelmus Parcarius.	1178.	Lincolniensis.	Waltham.
Durtort, filius de Wellebec.	Henricus Hose, Dom. de Herting & Durfort.	1165.	Cicestrensis.	Sussexia.
Hagneby, filius Præmonstrati.	Agnes de Orreby.	1176.	Lincolniensis.	Lincolnia.
Hales-Owein, filius de Wellebec.	Petrus de Rupibus, Epis. Wintoniensis.	1218.	Wigorniensis.	Schrop.
Lavindane, filius de Wilfort.	Joannes de Bidun.	1187.	Lincolniensis.	Vardinton.
Newbo, filia Newhusii.	Richardus Malebisse.	1233.	Lincolniensis.	Lincolnia.
Stirwould.	Henricus VIII. Rex Angliæ.	1536.	Lincolniensis.	Lincolnia.
Stanley, filia Newhusii.	Radulphus d'Okebruck.	1223.	Cicestrensis.	Derventia.
Tupholme, filius Newhusii.	Gilbertus & Alanus de Newil.	1167.	Lincolniensis.	Lincolnia.
Wilford, aliàs Suleby, fil. Newhusii.	Guillelmus de Wuideville.	1158.	Lincolniensis.	Nortampton.
Talesthem, fil. S. Joannis Ambianensis, aut de Hales secundùm Pagium.			Sancti Davidis, seu Menevensis.	Vallia.

CIRCARIA ANGLIÆ AUSTRALIS.

Tixfordium, filius de Hales.	Petrus de Rupibus Vinton. Episcopus.		Vintoniensis.	
Belingia, filia Langleiæ.			Norwicensis.	Norwicum.
Derham, filius Wellebeci.	Hubertus Valteri Decanus Eboracensis.	1169.	Norwicensis.	Norfolck.
Langley, filius de Alnewice.	Robertus Rogeri filius.	1199.	Norwicensis.	Norfolck.
Langdona, filia Leystonæ.	Willermus de Aubervilla.	1190.	Cantuariensis.	Cantuaria.
Leystona, filia de Wellebec.	Radulphus de Glanvill.	1167.	Norwicensis.	Suffolcia.
Maldona, filia Newhusii.	Rogerus de Perendune, & Robertus Mantell.	1179.	Londoniensis.	Essexia.
S. Radegundis, filia Præmonstrati.	Galfridus Comes Pertici, & Mathildis sponsa ejus.	1199.	Cantuariensis.	Cantuaria.
Torre, filius de Wellebec.	Willem. de Briwer, & Beatrix uxor ejus.	1197.	Excestrensis.	Devon.
Tichfeld, filius de Hales.	Petrus de Rupibus Episcopus Wintoniens.	1219.	Wintoniensis.	Sutampton.
Welingiacum, aliàs Wendlyng, filius Langley.	Willelmus de Wendlyng.	Incertus.	Norwicensis.	Norwicum.

CIRCARIA HYBERNIÆ.

SAncta Trinitas de Lougkea, fil. Præmonstrati.	CLarus Mac-malin.	1215.	Elphinensis.	In tractu Roscomensi.
S. Trinitas in Loughoughter, fil. Præmonstrati.	Idem & Carolus Orely.	1230.	Elphinensis.	Ultonia.
S. Maria de Portu Patrum, filia S. Trinitatis Tuamensis.		1190.	Elphinensis.	In agro Gallivensi.
S. Trinitas Tuamensis, fil. Præmonstrati secundùm Pagium, aut Steinfeldiæ.	Clarus Mac-malin.	1216.	Tuamensis.	Tuama.
Ballimore, filia Præmonstrati ex eodem, aut S. Trinitatis Tuamensis.	Domini de Lacy.		Armachanæ.	Armacha.
S. Crux in Goodborn, fil. de Drieburg.	Alanus de Galwia.		Armachanæ.	Armacha.

CIRCARIA NORMANNIÆ.

SAnctus Joannes de Falesia, fil. Domni Martini.	ROgerus de Virreio, & Gaufredus de Petra ficta.	1159.	Sagiensis.	Falesia.
Lucerna, filia Domni Martini.	Hasculphus de Sublignio.	1145.	Abrincensis.	Abrincæ.
Mons-Dei, filius Lucernæ.	Jourdanus Lexovii Episcop. & Radulphus de Perceio.	1200.	Lexoviensis.	Bajocum.
Silleium, filius Præmonstrati.	Drogo Mathidis ImperatricisMinisterialis.	1154.	Sagiensis.	Argentomum.
Stella, filia Præmonstrati.	Godefridus Com. Vindocin. & ejus atavi.	1130.	Blesensis.	Castrum Reginaldi.
Ardena, filia Lucernæ, vel S. Judoci.	Ajulphus de foro, aliàs, du Four.	1138.	Bajocensis.	Cadomum.
Blanca-Landa, fil. Domni Martini.	Richardus de Haya.	1154.	Constanciensis.	Carentonium.
Bellus-Portus, filius Lucernæ.	Alanus Dominus de Govello Comes Armoricus.	1201.	Briocensis.	Briacum.
Bella Stella, filia Lucernæ.	Henricus de Bello fago.	1215.	Bajocensis.	Condatum super Noreum.
Bellozana, filia Insulæ Dei.	Hugo III. Gornaci Toparcha.	1195.	Rotomagensis.	Gornacum.
Insula Dei, filia Silleii.	Reginaldus de Paveliaco.	1187.	Rotomagensis.	Rotomagum.
S. Georgius, filius Congregationis reform.	Franciscus Dominicus Hamon. Abbas Commendatar. S. Georgii.	1726.	Cenomanensis.	Montorium.
Vadstium, filius Congregationis reformatæ.			Cenomanensis.	Castrum Lidium.

CIRCARIA VASCONIÆ.

CAsa Dei, fil. S. Martini Laudunensis.	FRelo, vel Petrus Comes Bigorritanus.	1135.	Auscienfis.	Auscia.
S. Joannes de Castello, alias, Gratia Dei, filia Casæ-Dei.	Petrus Vicecomes Montis Marciani & Bigorræ.	1140.	Adurensis.	Adurum.
Comba-Longa, filia Casæ-Dei.	Arnoldus de Austria, Comes de Pailhas.	1138.	Conseranensis.	S. Cicerius.
Dei-villa, filia Casæ-Dei.	Navarrus Episcopus Aquensis.	1209.	Aquensis.	Aquæ.
Leunsium, filius Casæ-Dei.	Bertrandus Vice-Comes Narbonæ.	1200.	Baionensis.	Baiona.
Behaumium, filius Leunsii.	Arnaldus de Luxa.	1227.	Aquensis.	Aquæ.

CIRCARIA VASCONIÆ.

Monasteria.	*Fundatores.*	*An. fun.*	*Diœcesis.*	*Civitas proxima.*
S. Maria de Saranceio, fil. Castellæ.	Ignotus.	1580.	Oleronensis.	Olerona.
S. Maria de Ybelina, fil. Fontis Calidi.	Raymundus Episcopus Massiliensis.	1204.	Massiliensis.	Massilia.
S. Margereta, filia Loci-Dei in jardo.			Rupellensis.	Rupella.
Lanna, filia Castellæ.			Condomensis.	
Arrona, seu Arthosium, fil. Casæ-Dei.		1160.	Aquensis.	Aquæ.
Capella, filia Casæ-Dei.	Bernardus Jordanus de Insula.	1142.	Tolosanæ.	Tolosa.
Fons-Calidus, filius Combæ-longæ.	Dynastæ de Durastorr, &c.	1165.	Narbonensis.	
Fontia, filia Casæ-Dei.			Baionensis.	
Plana Silva, filia Præmonstrati.	Gaufredus Episcopus Burdigalensis.		Burdigalensis.	

CIRCARIA HISPANIÆ.

Retorta, filia Casæ-Dei.	Major Comitissa de Allures & Pet. Fernandez.	1143.	Nullius, sive Palentinæ.	Vallis Oletum.
S. Columba, filia Retortæ.	Raimundus Archiepiscopus Toleti.	1152.	Toletanæ.	Toletum.
S. Euphemia, fil. S. Mariæ de Eremitorio.			Portuensis.	Portus.
S. Nicolaus, filius Bellipodii.	Armengaudus Urgellæ Comes.	1148.	Urgellensis.	Urgella.
Aquilare, filius Retortæ.	Opila.	1152.	Burgensis.	Aquilar.
S. Leonardus, filius Retortæ.	Alphonsus VII. Rex & Imperator.	1154.	Salmantinæ.	Abula.
S. Joannes de la Penna, fil. Vitis.	Lupus Comes de Haro.	1162.	Calaguritanæ.	Baquio.
S. Crux de Monzonio, filia Retortæ.	Alphonsus VIII. Rex Castellæ & Toleti.	1176.	Palentinæ	Palentia.
S. Sophia, filia Retortæ.	Alphonsus VII. Rex Castellæ.	1162.	Zamorensis.	Taurum.
S. Michaël de Groz, fil. S. Leonardi.	Alphonsus VII. Rex Castellæ.	1162.	Zamorensis.	Taurum.
Vitis, seu S. Maria de Vite, filia Retortæ.	Alphonsus VII. Rex Castellæ.	1144.	Oxomensis.	Oxoma.
S. Clara de Guadalfajara, filia Vitis.			Toletanæ.	Guadalfajara.
S. Maria de Braza-Corta, filia Vitis.	Ermensendis Comitissa, Almensarde Lara.	1165.	Oxomensis.	Soria.
S. Maria de Choro, filia Vitis.	Petrus Garciæ.	1164.	Oxomensis.	Oxoma.
S. Maria de Tortoles, filia Vitis.	Gundisalvus Perez de Turrecremata.	1161.	Burgensis.	Burgum.
S. Christophorus de Ibeas, filius Vitis.	Alvarez Diaz & Gutterius Ferdinandus.	1170.	Burgensis.	Ibeas.
S. Maria de Villa Petro, fil. S. Christophori.	Gundisalvus & Gutterius Comes de Sandobal.	1277.	Burgensis.	Sandino.
S. Pelagius de Cerrato, filius Vitis.	Oveco Diaz.	1145.	Palentinæ.	Palentia.
S. Michaël de Trevino, filius Vitis.	Munio Gutieres, & Gonzalvus Perez de los Padillas.	1165.	Burgensis.	Villa major.
S. Maria de Buxeto, filia S. Christophori, vel Aquilarensis ex Pagio.	Sanctia Diaz de Frias.	1168.	Burgensis.	Buxetum.
S. Maria de Hortis, filia Vitis.	Gundisalvus Episcopus Segobiensis.	1176.	Segobiensis.	Segovia.
S. Spiritus Abulensis, filius Vitis.	Nummius de Munos.	1177.	Vallis Oletanæ.	Medina del Campo.
S. Saturninus, filius S. Pelagii.	Andreas Woch.	1172.	Vallis Oletanæ.	Zugaramundi.
S. Maria Bellipodii, filia Casæ-Dei.	Dulcia Urgellensis Comitissa.	1155.	Urgellensis.	Belleguarium.
S. Norbertus Salamanticæ, filius Congregationis Hispaniæ.	Congregatio Hispanica.	1568.	Salmanticensis.	Salamantica.
S. Maria Villæ Medianæ, filia Aquilaris, vel S. Christophori ex Pagio.	Maria de Almenar.	1188.	Burgensis.	Villa mediana.
S. Maria de Texo, filia Villæ medianæ.	Alphonsus VIII. Rex Castellæ & Alienor uxor ejus.	1179.	Burgensis.	Trecenum.
S. Norbertus Matritensis, fil. Congreg. Hispan.	Congregatio Hispanica.	1608.	Toletanæ.	Matritum.
S. Joachimus Matrit. fil. Congreg. Hispan.	Joannes de Chaves de Mendoza.	1636.	Toletanæ.	Matritum.
S. Maria de Villa aurea, filia Aquilaris.	Rodericus Fernandez de Valdverna.	1243.	Astoricensis.	Astorga.
S. Crux de Reynoso, fil. S. Pelagii.	Alphonsus VII. & Rica ejus uxor.	1156.	Palentinæ.	Palentia.
S. Maria ultra Dorium, filia Retortæ.	Alienor Regina Arragoniæ, Raimundus Clericus.	1250.	Seguntinæ.	Almansan.
S. Maria de Eremitorio, filia Charitatis.	Rupertus vel Robertus Consobrinus Alphonsi Regis Lusitaniæ.	1175.	Lamacensis.	Rotiz.
S. Maria Charitatis, filia Retortæ, vel S. Leonardi ex Pagio.	Ferdinandus II. Rex Legionis & Galliciæ.	1169.	Civitatensis.	Civitad del Rodrigo.
S. Vincentius Ulyssipon. fil. S. Martini Laud.	Alphonsus Henricus Rex Lusitaniæ.	1147.	Ulissiponensis.	Ulissipo.
S. Paulus de Sondillos, filius S Michaëlis de Trevino.	Munio Gutierrez.	1166.	Burgensis.	Villa-Major.
S. Pelagius de Arenellis, fil. Retortæ.	Diaz Munios.	1168.	Legionensis.	Legio.
S. Eligius.		1170.	Lucensis.	San-Eligius.
S. Julianus de Pereyro.	Sugerius de Salamantica, & Clemens Episcopus Salamanticæ ex Ord. Præmonst.	1156.	Rodericopolensis.	Civitad del Rodrigo.
Vallis-Clara, filia Flabonis-montis.	Raymundus Comes Barcinonæ.	1149.	Tarraconensis.	Tarraco.
Bellipodium, filius Casæ-Dei.	Dulcia Urgellensis Comitissa.		Urgellensis.	
S. Maria Methinensis, fil. S. Saturnini.	Eleonora Regina Castellæ.	1133.	Vallis Oletanæ.	Medina del Campo.

CIRCARIA BURGUNDIÆ.

Corneolum, filius S. Martini Laudunens.	Ansericus Archiepiscopus Vesuntinus.	1134.	Vesuntinæ.	Grayacum.
Grandis-gurges, filius Bellelagiæ.	Ludovicus Abbas Bellelagiæ.	1180.	Vesuntinæ.	Bruntrutum.
Bellus Campus, filius Corneoli.	Comites Montis-bellicardi.	1156.	Vesuntinæ.	MonsBellicardi
Lacus Jurensis, fil. S. Martini Laudun.	Seilgerus d'Oberhoffen.	1133.	Lauzanensis.	Undervoldia.
Fons-Andreæ, filius Lacus Jurensis.	Rodulphus & Meingoldus Dynastæ novi Castri.	1143.	Lauzanensis.	NovumCastrũ.
Humilis-mons, filius Lacus Jurensis.	Guido d'Eververdes & Fratres ejus.	1136.	Lauzanensis.	Fridburgum Helvetiorum.
Locus Dei, filius Lacus Jurensis.	Comites Novi Castri.	1147.	Lauzanensis.	Biella.

CIRCARIA BURGUNDIÆ.

Monaſteria.	*Fundatores.*	*An. fun.*	*Diœceſis.*	*Civitas proxima.*
Vallis Monialium, filia Corneoli.	Anſericus Archiepiſcopus Veſuntionis.	1137.	Veſuntinæ.	Grayacum.
Bellelagia, filia Lacus Jurenſis.	Siginandus Præpoſitus Grandis Vallis.	1136.	Baſileenſis.	Bruntrutum.

CIRCARIA ARVERNIÆ.

PEtrodium novum, fil. Præmonſtrati.	RObertus de Sabolio & Petrus de Brion.	1189.	Andegavenſis.	Sabolium.
Locus Dei in Jardo, fil. Præmonſtrati.	Richardus I. Rex Angliæ.	1194.	Lucionenſis.	Rupella.
S. Gilbertus, filius Dei-Loci.	S. Gilbertus.	1150.	Claromontanæ	S. Portianus.
S. Andræas Claromontanus, filius S. Gilberti.	Guillelmus VII. Comes Claro-montis & Alverniæ.	1149.	Claromontanæ	Claromontum.
SS. Gervaſius & Protaſius de Alba Petra, filius S. Gilberti.	S. Gilbertus.	1150.	Claromontanæ	Claromontum.
Dos, filius Præmonſtrati.	Petrus Anicienſis Epiſcopus.	1162.	Podienſis.	Podium.
Bella-vallis Nivern. fil. S. Gilberti.	Guillelmus III. Comes Nivernenſis.		Nivernenſis.	Molinæ-Engelberti.
Prædium, filius Præmonſtrati.			Andegavenſis.	Andegavum.

CIRCARIA FRISIÆ.

LIdlum, filius Horti Mariæ.	SIbo & Trallingus de Bonnetorp.	1182.	Leowardienſis.	Franeguera.
Merna, filia Steinfeldiæ, vel Dockum ex Pagio.	Taco Abbas Horti-Mariæ.	1163.	Groningenſis.	Merna.
Schilwoldia, filia Mernæ, poſt Horti Mariæ.	Hendricus & amita ejus.	1204.	Groningenſis.	Groninga.
Meerſberg, fil. Bernæ	Folcolodus Topatcha Bernæ.	1134.	Trajectenſis.	Amisfurtum.
S. Barbara, filia Middelburgi.		Incertus.	Midelburgenſis	Haga Comitis.
Monickwordium, filius Bernæ.		1196.	Trajectenſis.	Tiela.
Vera Charitas, filia Dockingæ.			Bremenſis.	Brema.
Voërt, ſeu Babylonia, filia Bernæ.	Beſcela uxor Folcoldi dynaſtæ Bernæ.	1134.	Trajectenſis.	Heulda.
Beretha, filia Dockumi.	Thomas Dockumi Abbas.	1204.	Groninganæ.	Omlandia.
Clooſtar, filius Varlariæ.	Godefridus Comes Capenbergæ.	1123.	Daventrenſis.	Daventria.
Campus Roſarum, fil. Horti Floridi.	Emo Werumenſis Abbas & Emo alter Laïcus.	1214.	Groninganæ.	Fiwelingia.
Heeſwick, filius Bernæ.	Albertus Dominus de Dinthere, Almaric. D. Heeſwici.	1196.	Sylvaducenſis.	Sylva-Ducis.
Inſula B. Mariæ, fil. S. Martini Laudun.	Hermannus de Cuyck.	1128.	Trajectenſis.	Culenburgum.
Zinwinen, filius Inſulæ B. Mariæ.	Domina de Smithuſen.	1228.	Trajectenſis.	Culenburgum.
S. Nicolaus in Alevoſi, fil. Inſulæ B. Mariæ.			Ruremundanæ.	Ruremunda.
S. Antonius in Pomerio, fil. Inſulæ B. Mariæ.	Antonius Vando Planken Abbas Inſulæ B. Mariæ.	1455.	Harlemienſis.	Harlemium.
Mons Oliveti, filius Dockumi.			Leowardienſis.	Dockumum.
Palmar, filius Dockumi.		1200.	Groninganæ.	Reiderwolda.
Trimuntum, filius Dockumi.	Rottardus Dockumi Abbas.	1231.	Groninganæ.	Groninga.
Vallis S. Mariæ, filia Dockumi.	Abbates Dockumi.	1227.	Leowardienſis.	Dockum.
Albæ Dominæ.	Giſelbertus de Amſtele.	1289.	Trajectenſis.	Trajectum.
Berna, filia Inſulæ B. Mariæ.	Fulcoldus miles & Dominus arcis Bernenſis.	1134.	Trajectenſis.	Heuſda.
Bethleem, filius Horti B. Mariæ.	Fridericus abbas Horti B. Mariæ.	1164.	Leovardienſis.	Leowardia.
Vallis Dulcis, fil. S. Michaelis Antuerpienſ. & Middelburgi.	Willelmus Comes Hollandiæ & Roman. Rex.	1247.	Midelburgenſis	Midelburgum.
Bayum, ſive Mons S. Michaëlis, fil. Lidlumi.	Jelmarus Abbas Lidlumi.	1186.	Leowardienſis.	Leowardia.
Campus Regis, filius Inſulæ B. Mariæ, ex Pagio, vel S. Michaelis Antuerpiæ.	Richardis Princeps Delphenſis.	1250.	Trajectenſis.	Delphium.
Cuſemar, filius Dockumi.	Thomas Abbas Dockumi.	1214.	Groninganæ.	Coſmaria.
S. Catharina in Aſtro, fil. Horti Mariæ.	Jelgerus Abbas Horti Mariæ.	1249.	Monaſterienſis.	Monaſterium.
Dockinga, ſive Dockum, fil. Steinfeldiæ.		1200.	Leowardienſis.	Dockum.
Hortus Floridus, filius Præmonſtrati.	Emo Plebanus Huſdingi.	1209.	Groninganæ.	Dammona.
Hortus B. Mariæ, fil. Steinfeldiæ.	Fridericus Paſtor Hallumenſis.	1164.	Leowardienſis.	Ferwerden.
Sepulchrum S. Mariæ, alias Buwerum, filius Horti B. Mariæ.	Buwo de Hartiema.	1204.	Monaſterienſis.	Achtkerſpelen.
Gerkiſclooſter, filius Horti Mariæ.	Gerricus de Hartiema.	1242.	Trajectenſis.	Dockinga.
Heiligerlée, filius Dockumi.	Hendricus Præpoſitus Schilwoldiæ.	1226.	Groninganæ.	Omlandia.
Inſula S. Mariæ, fil. Præmonſtrati.			Monaſterienſis.	Monaſterium.
S. Jacobus in Langen, fil. Mernæ.		1245.	Groninganæ.	Groninga.
Alandr-ripa, filius Horti floridi.	Abbates Horti Floridi.	1240.	Groninganæ.	Embda.
S. Maria in Balna, fil. Præmonſtrati.			Oſnaburgenſis.	Oſnaburgum.
Mariæ-Curia, filia Horti B. Mariæ.	Sylvani.	1196.	Leowardienſis.	Trenta.
Scona Mota, filia Horti-floridi.			Bremenſis.	Brema.
Sinus S. Mariæ, fil. Præmonſtrati.			Trajectenſis.	Trajectum.
Monaſterium, fil. S. Mariæ Middelburgenſ.		1130.	Midelburgenſis	Bula.
Curia S. Mariæ in Baccofeen.	Sylvani.	1230.	Leowardienſis.	Trenta.
Vinea Domini, filia Lidlumi, aut Vallis S. Mariæ ſecundum Pagium.		1266.	Leowardienſis.	Bolivardia.
Winperga, fil. Steinfeldiæ.			Trajectenſis.	Trajectum.
Wrouten-berghe, filius Dockingæ.			Leowardienſis.	Tiela.
S. Nicolaus in Noortdyck, fil. Middelburgi.	Florentius V. Hollandiæ Comes.	1297.	Midelburgenſis	Midelburgum.
Appelska, filius Lidlumi.		1243.	Leowardienſis.	Groninga.
S. Bartholomæus, fil. Inſulæ S. Mariæ.	Richardis amita Willelmi Rom. Regis.	1252.	Ultrajectenſis.	Delphium.
Langemonka.		1240.	Trajectenſis.	

Skiramer,

CIRCARIA FRISIÆ.

Monasteria.	*Fundatores.*	*An. fun.*	*Diœcesis.*	*Civitas. Proxima.*
Skiramer, filius Schilvoldiæ.			Groninganæ.	Trenta.
Buwanum, fil. Horti B. Mariæ.	Buvo.	1142.	Leowardiensis.	
Meersberg, filius Bernæ.	Fokoldus Bernæ Toparcha.	1134.	Trajectensis.	Amisfurtum.
Serna, filia Præmonstrati.			Monasteriensis.	

CIRCARIA SUEVIÆ ET BAVARIÆ.

SAnctus Jacobus in Ruchantiis filius Curwaldiæ, aut Roggemburgi.			Curiensis.	Rinucantia.
S. Lucius, filius Roggemburgi.	S. Valentinianus Episcopus Curiensis.	1140.	Curiensis.	Curia.
Marchtallum, filius Rothi.	Hugo Comes de Tubingen.	1171.	Constantiensis.	Riedling.
Marchtallum inferius, fil. Superioris.	Idem.	1171.	Constantiensis.	Riedling.
Minor Augia, filia Rothi.	Gebizo de Wissemburg & Lorcarda ejus soror.	1145.	Constantiensis.	Ravensburgum
Mesenthal, filius Minoris Augiæ, aut Windpergæ secundum Pagium.	Ortulphus de Wissemburg.	1156.	Constantiensis.	Ravensburgum
Ruthinum, filius Minoris Augiæ.	Lutoldus Comes de Regensberg.	1136.	Constantiensis.	Ruperti-Villa, vulgò Ruperschwill.
S. Nicolaus Haguenoënsis, filius Omnium Sanctorum.	Fridericus Ænobarbus Imperator.	1189.	Argentinensis.	Haguenoa.
Rothum, filius Præmonstrati.	Henna Baronissa de Wildenberg.	1126.	Constantiensis.	Memmingen.
S. Salvator, filius Osterhovii.	Bernardus & Fridericus Beringers.	1309.	Pallaviensis.	Ottenburgum
Sorethum, filius Augiæ.	Beringerus & Conradus Domini de Schussenriedt.	1180.	Constantiensis.	Maris-burgum.
Ursperga, filia Præmonstrati.	Wernerus Comes de Suabeck.	1125.	Augustanæ.	Ulma.
Curwaldia, filia Roggenburgi.	Rudolphus miles.	1150.	Curiensis.	Curia.
Porta Cœli, filia Ruthini, vel Præmonstrati secundum Pagium.	Bertha de Nollingen.	1303.	Constantiensis.	Basilea.
Roggenburgum, filia Urspergæ.	Bertholdus Comes de Biberegk.	1126.	Augustanæ.	Ulma.
Burgum, filia Urspergæ.	Conradus Comes de Scwabeck.	1125.	Augustanæ.	Ulma.
Adelberga, filia Roggenburgi.	Volcknandus de Stauffen.	1173.	Constantiensis.	Schorndorff.
Comestorff, filia Omnium Sanctorum.			Argentinensis.	Argentoratum.
Omnes Sancti, fil. Præmonstrati.	Utta ab Eberstein vidua Welphonis Ducis de Schawenburg.	1192.	Argentinensis.	Oberkirch.
Car, filius Sancti Lucii.	Victor Curiensis Episcopus	1156.	Curiensis.	Curia.
S. Hilarius, filius Sancti Lucii.	S. Valentinianus.	1146.	Curiensis.	Curia.
Commentar, filius S. Nicolai Hagueno.			Argentinensis.	Haguenoa.
Wiltina, filia Rothi.	Haimo.	1137.	Brixinensis.	Ænipontum Inspruck.
Griphen, filius Steingadii, aliàs Vesceræ secundum Pagium.	Ebertus Bamberg. Episcopus & Willelmus Comes ab Hainenburch.	1136.	Salisburgensis.	Griphen.
Nova Cella, filia Urspergæ.	Otto Episcopus Frisingensis.	1140.	Frisingensis.	Frisinga.
Osterhovium, filia Vrspergæ.	Utilo Botorum Rex.	1138.	Passaviensis.	Osterhove.
Plaga, fil. Osterhovii, vindicatur à Strahovia.	Chalchocus de Falckenstain.	1218.	Passaviensis.	Lincium.
Scheftlar, filia Urspergæ.	Baltherich Decanus in Thening & reparator Otto Episc. Frising.	1140.	Frisingensis.	Monachium.
Spainshart, fil. Steingadii, olim Wiltinæ.	Adelsolkus de Reiffenberg.	1145.	Ratisponensis.	Kemmatum.
Steingadium, filius Rothi.	Guelpho VI. Dux Bavariæ.	1147.	Augustanæ.	Monachium.
Windperga, filia Præmonstrati.	Albertus I. Comes de Pogen.	1125.	Ratisponensis.	Ratispona.
B[illegible], filius [illegible].			Passaviensis.	
S. Blasius, filius Windbergæ.	Albertus de Pogen.	1126.	Ratisponensis.	Ratispona.
Gerusium, filius Siloë.	Echertus & Ulricus, Comites de Perneck.	1159.	Passaviensis.	Passavia.
Slaga, filia Osterhovii.			Passaviensis.	
Comz, filius Siloë.			Olomucensis.	
Curwaldia inferior fil. Curwaldiæ.			Curiensis.	Curia.

CIRCARIA BOHEMIÆ ET MORAVIÆ.

STrahovia, seu Mons Sion, fil. Steinfeldiæ.	VLadislaus II. Rex Bohemiæ.	1138.	Pragensis.	Praga.
Doxan, filius Strahoviæ.	Gertrudis Vladislai II. Regis Bohemiæ uxor.	1144.	Pragensis.	Litomericium.
Collegium Pragense, filius Strahoviæ.	Gasparus de Questemberg Abbas Strahoviæ.	1637.	Pragensis.	Praga.
Siloë filia Strahoviæ, aut Steinfeldiæ secundum Pagium.	Sobieslaüs I. Dux Bohemiæ.	1138.	Pragensis.	Czaslavia.
Cotischovium, filius Teplæ.	Woyslava Soror B. Hroznatæ.	1196.	Pragensis.	Plena.
Milovitium, filius Siloë, nunc Strahoviæ.	Bavor Comes de Strakowitz.	1100.	Pragensis.	Clingenberg.
Olomutium, Ecclesia Cathedralis.	Henricus Zdyk.		Olomucensis.	Olomucum.
Tepla, filia Strahoviæ.	Comes Hroznata.	1193.	Pragensis.	Tepla.
Lunovicum, fil. Milovitii, aliàs Siloë.	Bavor Comes de Strakonitz.	1106.	Pragensis.	Milovicum.
Dobrovicum.			Pragensis.	Pardubitz.
Podlazicium.			Pragensis.	Praga.
Fridlandium.			Pragensis.	Praga.
Limovicum.			Pragensis.	Praga.
Drnela, seu Dikolna.			Pragensis.	Praga.
Wesela.			Pragensis.	Praga.
Lithomislium Ecclesia Cathedralis, filia Siloë.	Brzetislaus Bohemiæ Princeps.	1145.	Lithomisliensis	Lithomislium.

CIRCARIA BOHEMIÆ ET MORAVIÆ.

Monasteria.	*Fundatores.*	*An. fun.*	*Diœcesis.*	*Civitas proxima.*
Svitavia, filia Lithomislii.			Lithomislienſi.	Lithomislium.
Kaunitium, filius Siloë.	Willelmus Comes de Kaunitz.	1181.	Olomucensis.	Kaunitium.
Zbetichovium.			Pragensis.	Praga.
Luca, filia Montis Sion.	Otto Dux Bohemiæ.	1190.	Olomucensis.	Znoyma.
Neo-Reichem, filius Zabedovici.	Marquardus Dux Militiæ.	1211.	Olomucensis.	Neo-Reisch.
Zabrdovicum, filius Strahoviæ.	Comes Leo de Klobauk.	1200.	Olomucensis.	Bruna.
Beuz, filius Strahoviæ, nunc Lucæ.			Olomucensis.	Znoyma.
Butsch, filius Lucæ.	Abbates Lucenses.	1194.	Olomucensis.	Znoyma.
Comz, filius Siloë.			Olomucensis.	
Gradicium, filius Strahoviæ.	Otto Princeps Olomucensis, & Euphemia uxor ejus.	1151.	Olomucensis.	Olomucum.
Kimins, filius Siloë.		1145.	Olomucensis.	Olomucum.
Pernetium, filius Gerusii.	Ulricus de Perneck.	1159.	Pataviensis.	Patavia.
Jawardawisle, filius Strahoviæ.			Olomucensis.	Olomucum.
Jehdona, filia Siloë.			Olomucensis.	Olomucum.
Kyrtein, filius Zabrdovici.	Leo Comes de Klaubauk.	1210.	Olomucensis.	Bruna.
Lette, filius Clarholti.		1135.	Monasteriensis.	Monasterium.
Mons Præmonstratus, fil. Graditii.	Joannes Andrisck, & Abbas Graditii.	1710.	Olomucensis.	Olomucum.
Brusium, filius Zabrdovici.			Olomucensis.	Olomucum.

CIRCARIA POLONIÆ.

SAnctus Vincentius Vratislaviensis, fil. Lucæ. vel Steinfeldiæ, secundum Pagium.	PEtrus Wlast.	1190.	Vratislaviensis.	Vratislavia.
Sandeck, filius Hebdovici.	Vladislaus II. Poloniæ Rex.	1410.	Cracoviensis.	Sandeck.
Hebdovicum, sive Brzesko, filius Strahoviæ.	Boleslaus Crispus Polon. Rex, & Ivo Ep. Cracov.	1149.	Cracoviensis.	Bresna.
Czarnovans, filius S. Vincentii Vratislav.	Ludmilla Misconis Ducis Oppoliensis uxor.	1200.	Vratislaviensis.	Oppolium.
Strzelno, filius S. Vincentii Vratislav.	Alexander Zemovitius Dux Cujaviæ.	1124.	Vratislaviensis.	Brestia.
Lencicia,	Nicolaus Schavinzki Castellanus Broslaviæ	1603.	Gnesnensis.	Lencicia.
Lubena, filia Hebdovici.	Ivo Comes de Konski Episcop. Cracoviensis.	1223.	Cracoviensis.	Cracovia.
Presca, filia Strahoviæ.			Vratislaviensis.	Vratislavia.
Viconia, fil. S. Vincentii, olim Domus Dei.			Vratislaviensis.	Vratislavia.
Zverzimec, filius S. Vincentii Vratislav.	Jaxa de Miechow Armiger.	1162.	Cracoviensis.	Cracovia.
Plocko, filius Bresnæ.	Vitus de Chotel Episcop. Plockensis.	1181.	Plockensis.	Plocko.
Zuhovium, filius S. Vincentii Vratislaviæ.			Cujaviensis.	Cujavia.
Buskum, filius Hebdovici.			Cracoviensis.	
Selicasia, filia Swerinciæ.			Vratislaviensis.	

CIRCARIA LIVONIÆ.

RIga, filia Gratiæ Dei, aut Præmonstrati ex Pagio.	ALbertus Archiepiscopus Rigensis.	1208.	Rigensis.	Riga.

CIRCARIA HUNGARIÆ.

SAnctus Stephanus, quondam Præmonstrati, nunc Lucæ, filius.	STephanus II. Rex Hungariæ.	1130.	Varadinensis.	Varadinum.
Palium, filius Saag.			Strigoniensis.	
Jaszo, filius Lucæ.	Reges Hungariæ restaurator Bela IV.		Agriensis.	Cassovia.
Lelez, filius Lucæ.	Boleslaus Vaciensis Episcopus.	1135.	Vaciensis.	Zemblinic.
Czorna.	Stephanus & Laurentius Comites ab Oschl.	1180.	Jauriensis.	Czorna.
Pons S. Joannis, filius Zabrdovici.			Vaciensis.	Vacia.
Turla, filia Pernetii.			Vaciensis.	Turia.
Adon, filius Jaszo.			Varadinensis.	Varadinum.
Abirlos, filius Turnæ.			Vesprimiensis.	Vesprimum.
Almazu, filius Zabrdovici.			Albensis.	Alba Regalis.
Aischa, filius Lucæ.			Varadinensis.	Varadinum.
Bin, filius de Saag.			Strigoniensis.	Strigonium.
Bosouch, filius Graditii.			Strigoniensis.	Strigonium.
Cochwan, filius Strahoviæ.			Strigoniensis.	Strigonium.
Chemi, filius Zabrdovici.			Agriensis.	Borzania.
S. Crux, filia Zabrdovici.			Vaciensis.	Vacia.
Gedir, filius Zabrdovici.			Colociensis.	Batha.
Graba, filia Lucæ.			Vaciensis.	Vacia.
Hottwan, filius Saag.			Vaciensis.	Vacia.
Landec.			Strigoniensis.	Strigonium.
Marichzida, filia Turiæ.			Javarinensis.	Javarinum.
Maegdlin.			Colociensis.	
Ocra, filia S. Stephani.			Agriensis.	Agria.
Olsa, filia Lithomislii.			Vaciensis.	Vacia.
S. Paulus, filius Lucæ.			Varadinensis.	Varadinum.
Pons S. Mauritii, filius Lithomislii.			Javarinensis.	Javarinum.
Rawk, filius Czornæ.			Vesprinensis.	Vesprinum.
Ratold, filius Czornæ.			Vesprinensis.	Vesprinum.
Rockenit, filius Grabæ.			Javariensis.	Javarinum.
S. Spiritus Segedinensis, fil. Saag.			Colocensis.	Segedinum.
Saag, filius Strahoviæ.			Strigoniensis.	Strigonium.
Kukenis, filius Grabæ,			Strigoniensis.	

CIRCARIA HUNGARIÆ.

Monasteria.	*Fundatores.*	*An. fun.*	*Dioecesis.*	*Civitas. Proxima.*
Sadio, filius Saag.			Zagrabiensis.	Villica regalis.
Salanghem, filius Pernetii.			Colocensis.	Colocsa.
Sambock, filius Lucæ.			Vesprinensis.	Vesprinum.
Scaga,			Strigoniensis.	Strigonium.
Scheida, filius.			Strigoniensis.	Strigonium.
Sidow, filius Saag.			Vaciensis.	Vacia.
Steinback, filius S. Stephani.			Strigoniensis.	Strigonium.
Topissa, fil. S. Pauli.			Agriensis.	Agria.
Zardua.			Colocensis.	Zegedinum.
Zemelin.			Colocensis.	Zemelinum.
Thimerocz, filius Sagæ.			Strigoniensis.	
Zurbenelie, filius Czornæ.			Javarensis.	Jauria.
Albei, filius S. Stephani.			Vaciensis.	Vacia.
S. Augustinus, fil. Præmonstrati.			Quinqueecclesiensis.	Quinqueecclef.
Porwick, filius Zabrdovici.			Javarinensis.	Javarinum.
Turocz, filius Zabrdovici.			Strigoniensis.	Tyrnavia.
Horpatz, filius Gradirii.			Javarinensis.	Javarinum.
S. Lambertus, filius Czornæ.			Vesprinensis.	Vasarhely.
Mayk, filius Czornæ.			Javarinensis.	Javarinum.
S. Abraham, filius S. Pauli.			Varadinensis.	Varadinum.
Inghed, filius Saag.			Quinqueecclesiensis.	Vesprinum.
Insula Lazari, filia Aiskæ.			Vesprinensis.	Beranium.
Insula Leporum, fil. Zabrdovici.			Strigoniensis.	Strigonium.
Jurla, filia Lithomislii.			Vesprinensis.	Vesprinum.
Javancia, filia Rubi.			Zagrabiensis.	Zagrabia.
Kapus-so, filia Zemelini.			Colocensis.	Brodrogiensis Comitatus.
Raducium.				
Slanchenmund.			Agriensis.	
Foerla.			Jaurinensis.	
Domaw, filius S. Crucis.			Vaciensis.	
Drozzo, filius.			Agriensis.	
Odon, filius Lucæ.			Waradinensis.	
Schima, filius Cothwan.			Jaurinensis.	

CIRCARIA DANIÆ ET NORVEGIÆ.

Sancta Trinitas Roskildiæ, fil. Præmonstra.	Absalon Episcopus Roskildiæ.	1178.	Roskildensis.	Roskildia.
Ewithenium, filius Præmonstrati.			Roskildensis.	Roskildia.
Vreklesenium, filius Burgilavii.	Absalon Episcopus Roskildiæ.	1179.	Roskildensis.	Roskildia.
Tumetolph, filius Præmonstrati.	Eschillus Archiepiscopus Lundensis.	1175.	Lundensis.	Lundia.
Lunden Archiepiscopalis Ecclesia, filia Burgilavii.	Eschillus Archiepiscopus.	1170.	Lundensis.	Lundia.
Saltus S. Mariæ, fil. Tumetolp.			Lundensis.	Lundia.
Burgilavium, filius Steinfeldiæ.	Eschillus Archiepiscopus Lundensis.	1176.	Lundensis.	Lundia.
Sigeberg, filius Tusbergæ.		1149.	Ansloensis.	Anfloga.
Buscha.			Ansloensis.	Anfloga.
Grafergos, filius Præmonstrati.			Ansloensis.	Anfloga.
Ibure.			Ansloensis.	Anfloga.
Merna.			Ansloensis.	Anfloga.
Tusberga, filius Præmonstrati.	Eschillus Archiepiscopus Lundensis.		Ansloensis.	Anfloga.
Werethe.			Ansloensis.	Anfloga.

CIRCARIA SCLAVONIÆ.

Balkiaschog, filius de Tumetorph.			Rosmarchiensis	Rosmarchia.
Belboga, filia Horti Mariæ.	Casimirus Pomeraniæ Princeps.	1170.	Caminensis.	Treptoa-nova.
Castrum Spei, filius Horti Mariæ.	Anastasia Pomeraniæ Ducissa.	1233.	Caminensis.	Caminum.
Rubus, filius Bethleem.	Anastasia Pomeraniæ Ducissa.	1223.	Caminensis.	Neotreptoa.
De Indagine.			Caminensis.	Caminum.
Brode.	Otto Pomeranorum Apostolus & Casimirus I. Dux Pomeran.	1176.	Caminensis.	Brandeburgis nova.
Gotefwan, filius.			Caminensis.	
Gramzou filius S. Mariæ Magdeburgens.	Bugislaus Vratislai I. Ducis Pomeraniæ filius.	1170.	Caminensis.	Caminum.
Zagrabia, Ecclesia Cathedralis.			Zagrabiensis.	Zagrabia.
Bedoc.			Caminensis.	Caminum.
Boxu.	Casimirus Dux Pomeraniæ.	1170.	Caminensis.	Neo-brandeburgum.
Draomachenium, fil. Præmonstrati.			Caminensis.	

CIRCARIA GRÆCIÆ ET JEROSOLYMITANA.

Colabrica, filia Præmonstrati.	Dynastæ Patracenses.		Patracensis.	Patras.
Episcopia, filia Præmonstrati.	Hugo de Lizignano Rex Cypri.	1209.	Nicosiensis.	Nicosia.
S. Samuel, filius Præmonstrati.	Fulco Rex Jerosolymæ.	1141.	Jerosolymitan.	Jerosolyma.
Bethleem.		1145.	Jerosolymitan.	Jerosolyma.
S. Abacuc, filius Floreffiæ.	Villelmus Patriacha Jerosolymitanus.	1137.	Jerosolymitan.	Jerosolyma.

CIRCARIA ROMANA.

Monasteria.	*Fundatores.*	*An. fun.*	*Diœcesis.*	*Civitas. Proxima.*
SAnctus Alexius, filius Præmonstrati.	SErgius Damalci Metropolita.	1131.	Romanæ.	Roma.
S. Quiricus, filius Præmonstrati.	Innocentius III. Papa.	1215.	Reatinæ.	Reate.
S. Stephanus in nemore.			Tranensis.	Tranum.
S. Lucius Tudertinus, fil. S. Mariæ in nemore.		1135.	Tudertinæ.	Tudertum.
Parvus Pons Brundusii, fil. S. Samuelis in Barolo.	Margaritus Maritimorum Comes.	1212.	Brundusinæ.	Brundusium.
S. Samuel in Barolo, fil. Præmonstrati.	Rogerius II. Calabriæ & Apuliæ Dux.	1149.	Tranensis.	Barolum.
S. Severus, filius Præmonstrati.	Honorius III.	1236.	Urbe-veteranæ.	Urbs-vetus.
S. Petrus de Camerota, fil. S. Samuelis.	Guillelmus III. Siciliæ Rex.	1192.	Policastrensis.	Camerota.
Parlit, fil. Præmonst. aut S. Samuelis.		1212.	Parmensis.	Parma.
Collegium S. Norberti, fil. Tongerloæ.	Adrianus Stalpaërt Abbas Tongerloæ.	1618.	Romanæ.	Roma.

CIRCARIA SAXONIÆ.

Monasteria.	*Fundatores.*	*An. fun.*	*Diœcesis.*	*Civitas. Proxima.*
SAncta Maria Magdeburgensis, filia Præmonstrati.	GEro Archiepiscopus Magdeburgensis.	1129.	Magdeburgens.	Madeburgum.
Gratia Dei, fil. S. Mariæ Magdeburgensis, vel Præmonstrati, secundum Pagium.	Otto Comes de Crudorp.	1131.	Magdeburgens.	Calba.
Litzeka, filia Gratiæ Dei vel Brandeburgi ex Pagio.	Albertus Ursus Brandeburgi Marchio.	1153.	Brandeburgensis.	Brandeburgum
Rene, filius Raceburgi.	Ludolphus Episcopus Raceburgensis.	1239.	Raceburgensis.	Rene.
Aldenberga.	Vicelinus.	1153.	Aldenbergensis	Aldenberga.
Abbio, filius Tumetolphii.			Magdeburgen.	Magdeburgum
Cathedralis Brandeburgica, fil. S. Mariæ Magdeburgensis.	Wigerus Episcopus Brandeburgensis.	1138.	Brandeburgen.	Brandeburgum
Colbecka, filia S. Mariæ Magdeburgensis.		-	Halberstadensis	Halberstadium
Codelinburg, filius Hildeburgrod.			Verdensis.	Verden.
Grobe, fil. S. Mariæ Magdeburgensis.	Ratiborus Dux Pomeraniæ.	1153.	Caminensis.	Vzedom.
S. Georgius Stadensis, fil. Gratiæ Dei.	Rudolphus Comes Stadensis.	1137.	Bremensis.	Stada.
Gloria Dei, filia Gratiæ Dei.		1145.	Magdeburg.	Magdeburgum
Havelberga Cathedralis, fil. S. Mariæ Magdeburgensis.	Anselmus Episcopus Havelbergensis.	1147.	Havelbergensis	Havelberga.
Hilgenthal, filius Cappenbergæ.	Leopoldus de Doren miles.	1314.	Verdensis.	Luneburgum.
Razeburgum Cathedralis, filius S. Mariæ Magdeburgensis.	Henricus Leo Bavariæ & Saxoniæ Dux.	1158.	Razeburgensis.	Razeburgum.
SS. Wipertus & Jacobus, fil. Cappenbergæ.	Beatrix Abbatissa Quindeburgensis.	1145.	Halberstadensis	Quindelburgũ.
Harlingoth, fil. Cathedr. Brandeburgicæ.	Petrus Præpositus Cathedralis Brandeburg.	1441.	Brandeburgens.	Brandeburgum
Heiliberg, filius Steinfeldiæ.	Gelehardus Comes Wirxingerotæ.	1218.	Bremensis.	Luneburgum.
Hildeburgrode, fil. S. Mariæ Magdeburg.	Toparchæ de Ravensburg.	1150.	Verdensis.	Verden.
Lubecka Cathedralis Ecclesia.	Geroldus Episcopus Lubecensis.	1162.	Lubecensis.	Lubeca.
Linoma Cathedralis Ecclesia.			Linomensis.	Linoma.
Milphurdum, filius S. Mariæ Magdeburg.	Henricus Dominus de Wuida.	1193.	Magdeburg.	Magdeburgum
Imbeia Cathedralis ignota.				
Jericho, filia S. Mariæ Magdeburgensis, aut Havelburgensis ex Pagio.			Havelbergensis	Tangermunda.
Rilzmadum Cathedralis Ecclesia.				
Themenz, fil. Cathedralis Brandeburgicæ.		1145.	Brandeburg.	Brandeburgum
Wida, filia Cathedralis Brandeburgicæ.			Brandeburgicæ	Brandeburgum
Ivenac.	Casimirus Pomeraniæ.	1175.	Caminensis.	Caminum.
Oldemburgum, fil. S. Mariæ Magdeburgensis.			Magdeburg.	Magdeburgum
Furstemberg, *hic fortuitò positus est.*				
Draxmarchenium, fil. Præmonstrati.			Caminensis.	Caminum.
S. Maria de Monte Harlungo, filia Cathedralis Brandeburgicæ.	Henricus Auceps Imperator.	1139.	Brandeburgicæ	Brandeburgum

APPROBATIO.


FRANCISCUS CLAUDIUS LUCAS, Doctor Sorbonicus, Dei & sanctæ Sedis Apostolicæ gratiâ Præmonstrati Abbas, totiusque Ordinis Caput & Generalis, Regi Christianissimo à Sanctioribus Consiliis & Eleemosynis, &c.

Visis Approbationibus Reverendorum Patrum Abbatum Stagni & Rengis-vallis examinandis Annalibus Ordinis nostri Præmonstratensis, scriptis ab Illustrissimo & Reverendissimo Domino D. Hugo Ptolemaidis Episcopo & Abbate Stivagiensi, à nobis deputatorum, Licentiam nostram & Facultatem dedimus & concessimus, sicuti præsentium tenore damus & concedimus dictos Annales prælo subjiciendi, in quorum fidem & robur præsentes manu propriâ Secretariique nostri subscriptas sigilli nostri fecimus appressione communiri. Datum in ædibus nostris Parisinis, Nonis Aprilis anni millesimi septingentesimi trigesimi tertii.

F. CLAUDIUS HONORATUS LUCAS, Præmonstrati Abbas & Generalis.

L. S.

De Mandato Reverendissimi Domini, Domini mei Abbatis & Generalis. F. DE VINAY, Doct. Sorb. & Secretarius.



pe, quàm ſperabat, ad terribilis beſtiæ receſſum ab Eremita adductus, & ex improviſo caſu percitus horrore, in hæc vernacula verba prorupit, ſi tamen vernaculum idioma jam tum invaleſcebat: *Saint Jean, tu me*

perennandæ victoriæ anathema. Fabellam hanc veritati, & planis documentorum antiquitatis coævæ textibus repugnantem olim exploſimus * & amandavimus inter apocrypha. Quis enim Fundatoris nomen & ho-

* In vita S. Norberti.

A

trigesimi tertii.

F. Claudius Honoratus Lucas, Præmonstrati Abbas & Generalis.

L. S.

De Mandato Reverendissimi Domini, Domini mei Abbatis & Generalis. F. de Vinay, Doct. Sorb. & Secretarius.



SACRI ET CANONICI

ORDINIS PRÆMONSTRATENSIS ANNALES,

IN DUAS PARTES DIVISI.

PARS PRIMA,

Monasteriologiam, sive singulorum Ordinis Monasteriorum singularem historiam complectens.

PRÆMONSTRATUM.

INCULTA, & mediis in nemorum densissimorum umbris solitudo, incunabulum fuit Ordinis, à nomine loci suum repetentis nomen, quod nec mysterio vacare quibusdam visum est. *Præmonstratum* enim vocabatur, suæque appellationis originem derivabat, si Alueto Gentis Cociacæ Genealogico Scriptori credimus, ex audacissimo Ingelranni Cociacensis Toparchæ facinore, quo ferocissimum leonem viatoribus pridem infestum, deducente ad latibulum Eremitâ, stricto jugulavit ense, postquam pavorem ex inopino feræ & nimium propinquo aspectu conceptum excussisset. Citiùs quippe, quàm sperabat, ad terribilis bestiæ secessum ab Eremita adductus, & ex improviso casu percitus horrore, in hæc vernacula verba prorupit, si tamen vernaculum idioma jam tum invalescebat: *Saint Jean, tu me l'as de près montré;* quasi itineris & conflictûs ducem carperet, quòd de proximitate debellandi hostis non admonuisset tempestivè athletam; qui tamen resumpto protinùs animi robore, factoque impetu, leonem aggressus, de confosso hoste victoriam reportavit. Singularis & generosi certaminis memoriam posteritati tradere volens Ingelrannus, ibidem Cœnobium divo Joanni sacrum exstruxit, ab ineundi prælii prævio, ut ita dicam, clangore, etymon habens, *Præmonstratum* latinè dictum. Quin & ingentem turrim arci Cociacæ addidit, in cujus atrio eminentioris sculpturæ leonem curavit imponi, in perennandæ victoriæ anathema. Fabellam hanc veritati, & planis documentorum antiquitatis coævæ textibus repugnantem olim explosimus * & amandavimus inter apocrypha. Quis enim Fundatoris nomen & ho-

* In vita S. Norberti.

A

norem adjudicare præsumpserit Ingelranno, ubi monumenta suppetunt, quæ beneficio Bartholomæo Præsuli totius monasterii originem & progressus addicunt? Leonis confossi historia si figmentum non est posterioris ævi, prorsus in suis circumstantiis anile commentum redolet Authoris, qui minùs providè *Præmonstratum* cum * Novigento, Ordinis Benedictini asceterio confundens, de primo id effutit, quod secundum sibi vindicat; Cui adhuc incumbit ex pactis, singulo anno vertente, equitem cataphractum statis diebus in Cociacense Castrum mittere phalerato insidentem equo, ex quo desilit ad ingressum urbis, ut solito ritu, superstitiosoque tributo, Leonis statuæ adgeniculatus, clientelarem fidem & reverentiam exhibeat, necnon illi vinum & russolas, ad lunæ crescentis formam effigiatas offerat.

* Nogent.

Inveteratus ille cultus, quem sanior necdum emendavit posteritas, contexendæ historiæ de primordio & fundatore Præmonstratensis Archi-cœnobii, si locum dedit Alueto, sanè hallucinatus est admodùm, quando Præmonstratum Novigento subrogavit, ut malè cohærentis fabulæ assueret eventus. Nomen ergo *Præmonstrati* inditum eremo, in quam Norbertus divertit, præeunte Bartholomæo Laudunensi Antistite, vel ex prato, quod nuperæ arborum eradicationes, & monachorum Vincentianorum labor impiger effecerant; vel, quod verisimilius est, ex fortuita impositione vocabuli derivatum suspicor. At licèt casu id nomen primitùs obtinuerit, æquiore postmodùm illud titulo retinuit sibi, dum scilicet supernâ inspiratione Norbertus eruditus, locum hunc Ordini fundando destinatum sibi à Deo intellexit, & prælegit.

Jam illum incolebat Wido, quem solitariæ vitæ amor incesserat; sed ad novi hospitis adventum, receptui cecinit, & Viconiæ petens solitudinem, Præmonstratensem cessit digniori, horridam profectò, & palustrium aquarum exundantiâ, montium hinc inde propendentium fastigiis, sylvarum proceratum opacitate, sinuosis viarum anfractibus asperrimam, Lauduno horis dissitam tribus, civilis societatis inimicam, sed fovendæ promovendæque pietati, cœlo attestante, accommodatissimam. Hujus vallis iconem graphicè pinxit Philippus Abbas Bonæ Spei: » Ipsa, » inquit, vallis non incongruè *Præmonstrata* » appellatur, dans intelligi, quia humilitas Cle» ricorum ibidem Deo famulantium, non te» merè, non fortuitis est adinventionibus in» choata; sed eam divina misericordia in exem» plum cœteris *præmonstravit*: quibus per » hanc revertendi ad se aditum demonstravit. » Nec vacat quòd hanc vallem divina provi» dentia sic formavit... ut ipsa loci facies videa» tur quiddam grave & asperum præmonere, » eique præmonenti humilis Clericorum obe» dientia respondere. Ad modum enim crucis » eadem vallis in quatuor cornua dilatatur; ejus» que planities, in quatuor angulis terminatur: » à quorum orientali in occidentalem tenditur » latitudo; ab aquilonari verò ad australem » ejus longitudo. Quæ loci facies, cui tanta si» militudo crucis est infixa, quæ vallis non hu» mano molimine, sed naturali opere quodam» modo crucifixa quid monet vel præmonet, » nisi ut ad eam confluentes, mundo vivere jam » non curent, sed se illi, imo Christo crucifi» xione congruâ configurent. Præterea in eam » vallem per quatuor illa cornua divenitur, & » in eis medium quoddam quadrivio, id est » via quadrupla convenitur, ut ei scilicet à qua» tuor mundi partibus convenarum grata mul» tiplicitas infundatur, & in quatuor mundi » partes religionis opinio diffundatur. Hoc est » illud prædium Gethsemani, in quod cum » discipulis veniens Christus orat, in quo tri» stitiâ & sudore, articulo passionis imminen» te, laborat; in quo discipulos suos, qui ti» moris & incredulitatis gravi somno preme» bantur, excitat ad orandum, ne in tentatio» nis irrevocabile præcipitium inducantur..... » In hac valle Clericorum somnolentia & tor» por noxius increpatur: In hac eorum sollici» tudo ad vigilandum & orandum instantiùs » excitatur, &c.

Lib. de Contin. Clericor. c. 120

In hoc terrarum angulo, inter has incumbentium montium fauces, exstabat Capella S. Joannis, in qua Norbertus pernoctans, divinâ revelatione recreatus est. Suavem orantis contemplantisque alternam vicem redux Anisiaco Bartholomæus Episcopus interturbans, audivit à Norberto locum hunc cœlitùs sibi assignatum fore in posterum habitationis suæ sedem, si placeret Præsuli. Placuit propositum, festinansque Bartholomæus, cum Vincentianis Monachis pro redemptione deserti Præmonstratensis paciscitur, & liberum transcribit Norberto. Paucos sodales angustis ædibus, seu veriùs rusticanis latebris circa Capellam nullâ arte dispositis, unà secum Norbertus inclusit, & tyrocinia religionis religioso vivendi genere auspicati sunt; interea dum pusilli gregis dux providus Deum assiduis precibus pulsabat, ut certam vitæ formam dignaretur præscribere. 1120.

Ad supplicantis votum suam Deus voluntatem portento declaravit. B. Augustinus velut de cœlo demissus, regulam suam ostentans, spectabilis apparuit Norberto, eumque amicabili voce compellans, blandè suasit ut militiæ suæ nomen daret. Nec mora; Norbertus Clericali assuetus jugo, verbi divini passim à conversione sua disseminandi laboribus incumbens, totusque spirans apostolicam vitam, sponte & hilariter Augustiniano se suosque mancipavit spiritui, quidquid in contrarium suaderent nonnulli Ecclesiæ Præsules, visionis supernæ haud conscii. Ast quoniam pœniten-

tia, cui se devoverat Norbertus, post abjectos sæcularis pompæ & clari generis fastus, non satis cum temperatæ regulæ lenimentis concordabat, austeris monachorum constitutionibus Canonicum suum Ordinem aspersit, ne quid in suis deesset, quo vel Canonicis æquipararentur, vel postponerentur monachis.

1121. Vide hic Prob. pag. v. vj. & seq.

Insuitatum usquemodò id concordiæ genus laudavit Bartholomæus Antistes; & sese solemni voto ejus observantiæ adstrinxerunt collecti & Evangelii verbo geniti Sodales, Norberto vovendi formam & exemplum præbente discipulis. Ut autem detractoribus ora Norbertus obturaret, frequenti & exterâ prædicatione solitudinis intermittebat abrumpebatque silentium, nusquam remisso pœnitentiæ spiritu; & tot tamque uberes per se & per alumnos pariebat fructus, ut meliorem docendi suadendive eloquentiam stupens agnoverit Ordo Canonicus illam, cui virtutem pœnitentia comes indiderat.

In Norberti gesta, & in Bartholomæi Laudunensis Episcopi beneficentias excurrere instituti nostri non patitur angustia; utrumque 2. parte Annalium Ordinis fusè exequentes, neutrum fraudabimus honore debito. Annos sex præfuit Ordini suo Norbertus; pro cujus perfectione, incremento, dilatatione se totum superimpendit. Pontifices, Episcopos, Reges & Principes urgente zelo adiit, & plerosque rogatus surculos nascentis & florentis religionis suæ inseruit, ad publicæ pietatis desiderium in provinciis, quas apostolico succenderat ardore. Ad Archiepiscopatum Magdeburgensem raptus anno 1126, numerosæ plebi, Clero parùm moribus & disciplinâ exculto tam vigilanter, tam strenuè præfuit, ut redivivum Præmonstrati fervorem in immorigeris antea Canonicis suspiceres. Quin & refulgentem in auctore ipso Ordinis fundati, puritatis candorem, fervorem charitatis demirati Saxones, magnis ab eo precibus discipulos è Præmonstrato obtinuerunt evocari, quos diversis Monasteriis ex Procerum liberalitate dotatis implantavit.

II.

Postquàm verò ad Episcopatûs apicem sublevatus est Norbertus, Ordini regundo præfici curavit, desinente anno 1128, sui apostolatûs individuum comitem, HUGONEM nomine, Fossis, in pago Leodiensi natum. Prima iste virtutis & scientiæ rudimenta in Fossensi Monasterio edoctus, ad altiora sic ascendit, ut à Burchardo Cameracensi Episcopo in partem sollicitudinis, & ad officium Capellani meruerit adscribi. In Norberti autem contubernium transiit, dum Valencenis ad vocem Apostoli & ad Episcopi attoniti relationem, inopino Spiritûs Sancti instinctu exarsit in amorem & imitationem viri, quem natalium splendore, honoribus & divitiis illustrem quondam, tunc verò pœnitentiæ amictu despicabilem, sed prædicationis instantiâ celeberrimum audiebat. Rebus ergo suis ritè dispositis, mense Junio anni 1119 Norberto se tradidit, æternum deinceps itineris & laboris futurum participem. Et certè suo sic adhæsit magistro fidelis discipulus, ut quocumque vel fidei propagandæ vel salutis alienæ amor, per asperos hyemis rigores, aut insidiantium inimicorum pericula abriperet Norbertum, intrepidus sequeretur assecla. Præmonstratensis Templi structuram, majoribus tum Ecclesiæ Christianæ negotiis alibi intento Norberto, suscepit Hugo; quam armata phalanx Dœmonum visibili in operarios facto impetu retardare dum aggreditur, ab Hugone, signo crucis armato & feriente, victa, prostrata, fugataque fuit. Hanc à magistro suo virtutem quasi pro dote acceptam sæpiùs in dœmones exercuit, Religiosorum pietati & Ordinis incremento jugiter invidentes. Non ferebant enim Ordinis famam per universum ferè orbem pervagari, & ad Principum postulationes è matrice Ecclesia Canonicorum colonias, aut Virginum examina transmitti in Belgium, Lotharingiam, Germaniam, Angliam, Hispaniam, Syriam, ubi sanctitatis exemplo populum & clerum ad meliora charismata stimulabant, verboque provocabant.

Porrò inter Abbates primus B. Hugo sæpiùs numeratur, quòd hunc ei titulum concesserit Norbertus ipse, qui eo semper abstinuit, dum ageret Præmonstrati. Magdeburgum advectus anno, ut diximus, 1126, biennio integro Prælaturam & auctoritatem in Præmonstratenses retinuit penes se: eoque elapso spatio, metuens ne novella plantatio Pastore viduata, pateret discrimini, Fratres quosdam remisit Præmonstratum, liberam Patrem & Abbatem eligendi facultatem ad Capitulum istud laturos, cum litteris B. Hugonem indicantibus. Anno igitur 1128, nominante sanctissimo P. Norberto, eligente Fratrum Præmonstratensium catervâ, Hugo Abbas salutatus est. Hos chronologiæ caracteres fusiùs & inconcussis argumentis in Annalibus stabiliemus.

Ad centum & ultra Abbatias, & Sanctimonialium Parthenia fermè totidem excrevit, obstetricante Hugone, Ordo Præmonstratensis; adeò ut in Capitulis Generalibus sub ejus præfectura congregatis, viginti supra centum Abbates, aut Præpositi ex omni gente convenerint. Multiplicato gregi aggratulatus est Innocentius II. dum Lauduni versaretur anno 1131. & Hugonem totamque ejus Congregationem apostolico favore prosecutus, sub B. Petri protectione suscepit. Idem quoque Pontifex, ad Hugonis querimoniam & preces, pacem resarcivit Præmonstratenses inter & Cistercienses temeratam. Solebant isti Canonicos pietate & doctrinâ insignes ad sua mona-

steria, præterito Prælati proprii consensu, pertrahere, sub obtentu observantiæ rigidioris. Frustra desertores ad resipiscentiam & receptores ad restitutionem Hugo interpellarat: Vitæ nonnihil austerioris prætextus effecerat utrosque indociles. Ad obedientiam, & ad primitivi status reditum æquissimâ Hugonis conquestione tactus Pontifex, transfugas compulit, & futuræ migrationi, seu potiùs levitati occurrens, prohibuit ne quemquam Canonicorum suscipere quis auderet denuò, absque libera licentia Prælati sui. Et quidem arctioris disciplinæ obtentus iste nihil ponderis, fucatæ religionis plurimùm habuisse videtur; quod primævorum Cisterciensium pace dixerim: hæc erat enim primigenia Præmonstratensis Instituti severitas, is in præstando officii divini penso fervor, talis abstinentiæ, paupertatis, solitudinis, aliarumque virtutum cultus, ut alibi exempla clariora requirere super vacaneum fuerit, ne dicam repertu difficillimum. Continentissimæ hujus vitæ Sectatores Hugonem & Fratres ejus, largæ Principum Fideliumque donationes comitabantur: Una Milesendis Balduini Jerosolymorum Regis uxor, Præmonstrato Capellam obtulit, instructam calice auri purioris, thuribulo argenteo, casulâ, dalmaticâ, & tunicâ, quatenùs orationum particeps fieret.

Castas, ut diximus, Virgines & Viduas ad religionem anhelantes Norbertus paterno affectu aggregaverat Ordini, & à virorum Monasteriis uno tantùm angulari lapide separatum construxerat eis habitaculum, in quo reclusæ silentio & orationi vacabant tantâ districtione, ut ad eas nullus hominum pateret ingressus aut confabulatio. Postquam verò, inquit Jacobus de Vitriaco Cardinalis, fenestras in ostia converterunt, & primo fervore tepescente improvida securitas torporem & negligentiam inducere cœpit... prudenter in Generali Capitulo, Præside & requirente Hugone sancitum est, ut ad remotiora loca Sanctimonialium ædes transferrentur; & hujus decreti executionem à Parthenone Præmonstratensi ipsemet auctor Hugo exorsus, ad villam *Fontnella*, unâ distantem leucâ à Præmonstrato, Moniales ablegavit: ubi Bartholomæus Antistes territorium non modò contulit, sed & ædificiorum structuram propriis perfecit sumptibus; nolens, inquit, eas ab Episcopio meo expelli, præcipuè ob spiritualis dilectionis affectum, quem habueram erga Dominam Agnetem, uxorem Domini Andreæ de Baldimento, quæ Christo servitura, eisdem Sororibus se conjunxerat.

1141.

Anno 1143, apud Cælestinum II. vehementer conquestus est Hugo, quòd contra inviolabilem huc usque Ordinis legem, Sanctæ Sedis fultam beneplacito, plures Prælati quandoque Episcoporum minacibus litteris præpediti à Comitiis Generalibus se dispensarent; unde & disciplina passim elanguescebat, nec delinquentium reformationi satis provideri poterat. Æquissimo Hugonis zelo favens Pontifex, omnibus Archiepiscopis & Episcopis prohibuit, ne quemquam Abbatum à frequentando Capitulo Generali dimoverent, imò cogerent nolentes. Eugenius III. eidem Hugoni, quem de facie, de moribus & doctrinâ noverat, bullam protectionis & confirmationis bonorum tam Fratrum quàm Sororum de Præmonstrato concessit, anno 1147.

Non minori favore Præmonstrato opitulabantur principes viri. Anno siquidem 1145, Ludovicus VII. Rex Francorum laudavit probavitque largitionem terræ de *Daneri* Præmonstratensibus ab Ludovico Choisiacensi Dynastâ factam. Anno sequenti quædam bona de propriis suis possessionibus eidem Ecclesiæ Rex idem concessit, idipsum rogante & impetrante pro ea B. Bernardo Claravallensi Abbate. Anno 1150, Ludovicus idem, cum *Matthæo de Montmorenceio, perpetuò Ecclesiæ præfatæ possidendum concessit, quidquid in potestate de Atticiaco possidebat post mortem Hadewidis dominæ de Thorotha, quæ eandem Ecclesiam plurimùm dilexerat, suisque beneficiis ampliaverat.* Anno eodem confirmavit Præmonstratensi Abbatiæ possessionem cujusdam nemoris, ad usus Fratrum & Sororum de Bonolio collati. At Galterus Laudunensis Antistes, qui priùs S. Martini Abbas fuerat, non solùm probavit anno 1151, quæ prædecessor suus Bartholomæus munificè Præmonstrato contulerat, sed » considerans quòd hæc Ecclesia ab dicto Bartholomæo plantata & constructa, per manum viri suis temporibus spectabilis religionis Norberti, sicut ubique terrarum in vestigiis successorum ipsius tum patebat, per momenta temporum crevisset & dilatata fuisset multis & magnis temporalium rerum possessionibus; considerans etiam quòd necesse videretur, ut ubi crevisset fidelium multitudo, ibi etiam fieret rerum augmentatio, Hugone Abbate cum fratribus suis id exposcente, ampliavit possessiones eorum, recensens diplomate suo quæ priùs collata fuerant, & addens plurima.

Ita Antistites quidam Præmonstratensium fervore allecti, bonorum temporalium concessione largitionibusque favebant, dum alii seipsos florenti tradebant religioni. Sic Præsules nonnulli ex Claustrorum obscuro secessu ad Exhedræ Pontificalis fastigium evehebantur, dum alii depositis infulis, in tenebrosâ & horrorem spirante solitudine delitescere exambiebant. Id maximè conspicuum fuit, dum anno 1152, ad habitum suscepit B. Hugo Venerabilem Galterum de Sercy, Præmonstrati suave Christi jugum, Cabilonensi Episcopatu dimisso amplexantem. Obiisse ibidem notatur in Obituariis Præmonstrati, & S. Martini Laudunensis, v. kal. Augusti. Tumulatus

est in sinistra chori parte, sub hoc Epitaphio: *Waltherus Episcopus quondam Cabilonensis.*

Sed non in omnium animis sensus iidem insidebant. Vix Galterus noster in cœlum evolaverat, cùm ecce Galterus alter, ex Decano factus Laudunensis Antistes, dolens prædecessorum & Bartholomæi potissimùm pietate & munificentiâ, quibus opitulatus fuerat antiquis Ecclesiis, ut resurgerent, recentioribus, ut essent, imminutos nonnihil fuisse Sedis suæ proventus, opera eorum destruere, liberalitatis monumenta evertere, traditasque facultates vindicare aggressus est. Et quidem Præmonstrato ferale bellum indixit. Apud Samsonem Archiepiscopum, aliosque Rhemis congregatos Provinciæ Præsules, detulit querelas; Bartholomæum ipsum tunc temporis monachum Cisterciensis familiæ agentem Fusniaci, de dissipato patrimonio Episcopali expostulavit. Lubens siluisset reclusus Bartholomæus. At ut auderet aliquid pro se loqui, effecit & imminens famæ suæ periculum, & in pios Præmonstratenses sincera dilectio. Scripsit igitur ad Rhemensem Præsulum Conventum apologeticam Epistolam, quam inter alia Præmonstratensis Cœnobii instrumenta damus in Appendice. Rationum ejus momentis ferè attritus delator Episcopus. Aliunde scripsit pro Præmonstratensibus ad Christianissimum Regem Ludovicum VII. Adrianus IV. Exinde pacificatores fuere Ludovicus Rex, & Samson Remensis Archiepiscopus; adhibiti verò ad consilium Ansculphus Suessionensis, & Balduinus Noviomensis Antistites, cum multis primoribus Curiæ viris, Abbatibus, aliisque, anno 1158, supremum tandem Adriani Papæ judicium rei totius firmavit seriem.

1158. *Du Chesn. Probat. famil. Drocensis, p. 245.*

Rebus ita compositis, jam quietè dies suos habuit B. Hugo, Pontificibus, Regibus, Principibus cunctis denique carus & amabilis. Singula quid memorem collata Ordini, ad ejus instantiam, à Sancta Sede privilegia, immunitates, exemptiones, quæ nostræ Societati denominationem *Privilegiatæ Congregationis* meruerunt. Facilem hunc ad Petri Cathedram procurabant accessum reverentia, quâ Petri Successores prosequebatur Hugo, virtutum ejus claritas per totam Ecclesiam diffamata, animi humilitas ima, quæ Episcopales infulas oblatas sæpiùs recusavit. Tantum virum tot titulis illustrem mors sancta sustulit è vivis die x. Februarii anno verisimiliter 1161. quod fusiùs infra stabilietur, ubi retulerimus Epitaphium ejus superpositum tumulo. De eo sic habet Annalista Leodiensis:

l. X. pag. 245.

» Decessit & hoc anno non paulò clarius patriæ lumen, simul & decus illustre familiæ Præmonstratensis Hugo proximus Norberti Successor; qui & ipse profectò nobilem, sed sincerum de ambitione rerumque humanarum magnitudine triumphum duxerat, constanter rejecto, qui offerebatur, Carnotensi Episcopatu. Hoc felicitatis præ parente suo Norberto adeptus, quod potuisset. Post gubernatam insigni sanctitudine & sapientiâ universam istam familiam totos annos quinque & triginta, ad sanctorum consiliorum & rectè factorum mercedem in cœlos abiit IV. Idus Februarias. Virtutem ejus, non modò dum viveret, orbi testatam Deus voluit prodigiosâ supra naturæ vires morborum curatione, verùm annis etiam post mortem quinis denis, cùm aperiretur sepulcrum, suavissimus exhalavit odor, super omnium aromatum fragrantia, qui mortalibus haud dubiè signaret insignem hominis sanctimoniam, sicut incensum in conspectu Domini.

Ante aram S. Andreæ Corpus B. Hugonis sepultum est: ad sanctuarium anno 1279. adsportatum est, curante Ægidio abbate, & ibidem honorificè sepultum, imposito marmore sacris exuviis, ex odoris suavitate beatitatem viri attestantibus. Hæc quoque Epigraphes tumulo inscripta:

» Hîc jacet Dominus Hugo, qui fuit primus Abbas hujus Ecclesiæ, & rexit Ecclesiam istam cum universo Ordine Præmonstratensi triginta quinque annis, feliciter & quietè. Obiit anno Domini MCLXIV. cujus anima cum Beatis requiescat in pace. Amen.

Ne remoretur quemquam denominatio *Primi Abbatis* sepulcro Hugonis ab Ægidio inscripta; quoniam Norbertus *Abbatis* nullibi assumpsit nomen, illoque primus Hugo immediatus sanctissimi Patriarchæ successor donatus est: Ex humilitatis sensu eo nomine abstinuit pius Institutor, quòd filialium Ecclesiarum Rectoribus ab ipso earum fundationis limine concessit.

Aliud est eodem in Epitaphio, quod eruditissimos præpediat. Dicitur B. Hugo rexisse cum universo Ordine Præmonstratum 35 annis, obiisseque anno 1164. Lucis ut nonnihil affulgeat, duo præmittenda sunt: primùm, nonnisi anno 1128 cadente, Norbertum Præmonstrati Præposituram exuisse, datumque successorem Hugonem nostrum. Alterum, jam anno 1161 Philippum Hugonis successorem Præmonstrati Abbatem agere; id inferiùs, ubi de eo, patebit. Primum stabilietur fusiùs in Annalibus & vita primigenia B. Norberti, atque hoc in opere, ubi *Bonæ Spei* in Abbatiam erectæ statuemus epocham. His positis, sequitur Hugonem rexisse solum 33 annis abbatiali decoratum titulo, & absque ullo ad Norbertum respectu: huic annorum numero, si tempora quæ fluxerunt à promotione Norberti in Archiepiscopum Magdeburgensem, ad supremæ Jurisdictionis depositionem ab eo factam anno 1128, hoc est, biennium addideris, fient 35 anni. Sed observandum in hoc biennio discrimen à reliquo regiminis lapsu, quod nimirùm vi-

cariâ tantùm potestate primùm gubernaverit Hugo; propriâ verò & supremâ jurisdictione usus fuerit ab anno 1128, ad 1161; quo fatis defunctum verosimile est, licèt ad annum 1164, vitæ illius dies protendat Epitaphii scriptor; quod stare non potest, nisi dicas resignationi dignitatis suæ supervixisse triennio. Fieri potuisse conjicimus, attamen haud asserimus factum, nullo id evincente nixi monumento. Difficultatem omnem missam faciemus in Annalibus, si quid, quod rei conducat, potuerimus reperire.

Anno 1660, jussu Augustini le Scellier Præmonstrati Abbatis, sedente Capitulo Generali, secundò levatæ sunt sacræ B. Hugonis exuviæ, & desuper istud Instrumentum confectum est:

» Anno Domini nostri Jesu Christi MCLX.
» Pontificatûs Sanctissimi D.D. Alexandri Pa-
» pæ VII. anno vj. Christianissimi Francorum
» Regis Ludovici XIV. tempore, die 5. mensis
» Maii, horâ nonâ vespertinâ, ad instantiam
» RR. DD. Prælatorum pro Capitulo Generali
» Præmonstrati congregatorum; jussu verò Re-
» verendissimi in Christo Patris ac Domini D.
» Augustini le Scellier, Præmonstrati Abbatis &
» Ordinis Generalis: Nos F. Adrianus Gosletius,
» S. T. D. Præmonstrati Senior Prior; & F. F.
» Claudius Cuillieu Prior Cartouovi, Bernar-
» dus Simonet Septem-fontium in Therasca
» Prior, Antonius Hardi Vallis-gaudii Prior,
» Samson Dolé Dei-loci Prior; Robertus Cayer
» Presbyter, Ecclesiæ Præmonstratensis Ca-
» nonici professi, ad sanctuarium ejusdem Ec-
» clesiæ S. Joannis Baptistæ Præmonstratensis
» cum tribus operariis, duobus videlicet Fra-
» tribus nostris Conversis, & Domestico fa-
» mulo accessimus, & fusis ad Deum preci-
» bus lapidem sepulchralem inscriptum: Hîc
» jacet .... Hugo, qui fuit primus Abbas hu-
» jus Ecclesiæ, & rexit Ecclesiam istam cùm
» universo Ordine Præmonstratensi triginta
» quinque annis, feliciter & quietè: obiit au-
» tem anno Domini 1164, cujus anima cum
» Beatis requiescat in pace. Amen, amovimus,
» & fodiendo terram egessimus ad pedis pro-
» funditatem, aut circiter; & nobis apparuit,
» seu detectum est, lapideum sepulchrum duos
» & medium pedem longum; & visu acceden-
» tes reperimus parvum foramen in angulo à
» fodiente casu factum, per quod conspicien-
» tes, vidimus dictum sepulchrum ossibus ple-
» num, & caput seu cranium hominis esse
» versùs gradus Presbyterii; versùs verò altare
» soleam calcei conspeximus, sonante horâ de-
» cimâ. Et quia non fueramus jussi plura face-
» re, lapidem ad foramen apposuimus; & do-
» nec R. P. Generalis adveniret, sepulchrum
» custodivimus, ne quis manum ad illud appo-
» neret, & aliquid extrahendi causâ foramen
» augeret. Actum in ipso sanctuario die 5.
» Maii anni prædicti, horâ decimâ & mediâ
» vespertinâ, & in fidem coram venerabili
» Sacramento subscripsimus.

Eductæ postmodum sunt Reliquiæ, & in arcula reconsas Sacrarium modò asservat.

Variorum & asceticorum operum auctor exstitit Hugo, quæ recensebimus in Annalium opere.

III.

PHILIPPUS natione Gallus, sanctitate spectabilis, Hugoni subrogatus est. Bellæ-vallis Abbatiam in Argonia rexerat priùs, eâ laude, ut ad Ordinis totius gubernacula, Præmonstrati Canonicorum suffragio sublevari meruerit. Postulationem hanc & demigrationem Pagio ignotam, attestantur monumenta Bellæ-vallis, & Sanctæ Crucis Metensis, eaque potissimùm quæ recenset Metensis Annalista Meurissius, *Livre 3. pag. 709. de l'histoire des Evêques de Metz.* ex quibus præterea Philippum Abbatiis de Buris & de Justo-monte originem dedisse conspicies. Anno 1161, Tulli Leucorum cum esset Philippus Præmonstrati Abbas, subscripsit Henrici Tullensis Episcopi in recognitionem juridictionis Stivagiensis Abbatiæ Diplomati. Anno sequenti subscripsit chartæ Galteri II. Laudunensium Pontificis, quâ laudatur commutatio nonnulla curtis de *Gland* pro altaribus de *Ulliaco* & *Geniaco* facta inter Hugonem de Duaco Cuissiaci Abbatem, & Joannem Abbatem Bucilii. Post biennium inde Capitulo Generali præsidens decreto suo Paternitatem in S. Augustini Tarvanensis Abbatiam D. Nicolai Furnensis Abbati concessit firmavitque. Nec omittendum sanè, quòd Philippus noster de suo Ordinisque sui in Alexandrum III. Pontificem obsequentissimo cultu Litteras dederit, adversùs Octavianum Pseudo-Papam; quas, cùm itineri in Galliam se accinxisset Pontifex Maximus, recepit, iisque Breve scripsit responsorium in Civitate Genuensi anno 1162, Idibus Februarii, Præmonstratensis familiæ constantiam fidei, amorem unitatis Ecclesiasticæ, affectûs adversùm se summi sinceritatem deprædicans, & magnis exornans laudibus; Philippumque adhortans, uti schismaticos, si qui essent in ordine, ad unitatem & obedientiam reducere conaretur; quos pertinaces in errore reperisset, auctoritate suâ supremâ feriret anathemate. Plura Privilegia Ordini indulsit idem Pontifex, quasi paternæ dilectionis pignora, agente & promerente Philippo, quem mors sancta è medio sustulit 8 Januarii, non anno 1174. ut mendosè scripsit Pagius; sed certè ante annum 1172, & fortè anno 1170; quod ad calcem columnæ 929. tom. 2. vet. script. notavit Martenius. Id pro comperto habendum, jam aliquid temporis ab electione Joannis in Philippi denati successorem effluxisse, quando Summus Pontifex Alexander III. anno 1171 vel 1172, VI. Idus Maii datum Tusculi Rescriptum ad Canonicos Præmonstratenses di-

direxit, quo electionem Joannis irritat, & ut alium eligant Abbatem, jubet. Ibi enim asserit accepisse, per eum Abbatem, *Ecclesiam Præmonstratensem & scandalis fatigatam interiùs, & exteriùs mole debitorum gravatam;* quæ exprobratio alicujus temporis elapsi regimen arguit. Certum tamen est, ex eadem Alexandri III. Epistolâ, nonnisi mortuo Philippo ad infulas Præmonstratenses evocatum Joannem. Igitur anno 1170, vel ad summum 1171, occubuisse dicendus est Philippus. Cui successit

IV.

JOANNES, Walteri Comitis Briennensis filius. In Bellilocensi Abbatia Schema Norbertinum induerat, & Abbas ibidem electus anno 1158. Ut ad id honoris fastigium sublimaretur, effecerant virtutes eximiæ; quippe natalium splendorem religione superabat, & tantâ regimen suum prudentiâ condiebat, ut in eum vota & oculos Præmonstratenses Canonici converterent, post decessum Philippi. Postulantium precibus ægrè cessit humilis Joannes, magnoque eligentium plausu exceptus est: verùm Apostolicâ submovetur auctoritate, apud Alexandrum III. calumniis malevolorum appetitus, & quasi fautor Pseudo-papæ, proindeque veluti schismaticus traductus: imò etiam quasi intrusus, utpotè cujus electio contra formam Ordinis celebrata fuisset, tandemque uti dilapidator facultatum Ecclesiæ, & scandalorum seminator. Sic prævaluit accusatorum speciosa delatio, ut Pontifex inauditum damnaverit, & ab adeptâ Prælaturâ judicaverit mandaveritque exstrudendum. En tibi allegatam pluries Alexandri Epistolam.

Martea. vet. script. t. 2. col. 919.

» Alexander Episcopus, servus servorum » Dei, dilectis filiis Canonicis Præmonstraten» sibus, salutem & apostolicam benedictionem. » Credibile fuerat, dilecti in Deo filii, quòd » vocato bonæ memoriæ *Philippo* quondam » Abbate vestro, sopitis contentionibus, se» motis diversis partium studiis, adhibito con» silio seniorum, talis inter vos fieret pastora» lis electio, per quam non ignis dissentionis, » qui jam pridem in domo vestra subortus fue» rat, excandesceret, sed concordia posset & » fraterna unio provenire. Si essetis verè sa» pientes & disciplinati, perficeretis in mansue» tudine opera vestra, & ostenderetis ex bo» na conversatione religionis amorem, & pacis » desiderium vos habere. Nunc autem cùm » sit inter vos zelus atque contentio, nonne, » sicut ait Apostolus, carnales estis, & secun» dùm hominem ambulatis? Sanè cùm scrip» tum sit, *Nihil per contentionem aut inanem » gloriam*, vos ad id quod deliberatione majo» ri ac maturiore consilio in Ecclesia Dei fieri » semper oportet, in impetu spiritûs & calore » animi processistis, & neglecto vestri Ordi» nis instituto, non exspectato illorum Abba» tum consilio & assensu, qui pro facienda » electione ad vos ex more convenerant, & » cum aliquantis vestrûm *ex voluntate commu» ni* de electione tractabant, *Abbatem Belli» loci* voluistis vobis assumere in Pastorem; ho» minem utique de quo pridem audivimus, & » super quo non est necesse ut ad instruendos » nos ullatenùs laboretis. Accepimus enim Ec» clesiam vestram & scandalis fatigatam inte» riùs, & exteriùs mole debitorum gravatam. » Oportet autem eam super humeros diutiùs » regularibus disciplinis attritos in statum pri» stinum relevari. Inde siquidem fuit, quòd » non tam quid vobis placeat, quàm quod vo» bis & toti Ordini expediat, attendentes, de » communi Fratrum nostrorum consilio con» stituimus, ut Abbas ille ad locum suum, di» latione postpositâ revertatur, & vos ejus » obedientiâ absoluti, juxta institutionem Or» dinis vestri ad electionem aliam procedatis. » Per apostolica ergo scripta universitati vestræ » mandamus, quatenùs ascito dilecto filio no» stro G. Garino Abbate S. Martini, necnon » & aliis, qui aliâ vice cum eo & aliquantis » Fratrum vestrorum eligendi Abbatis sollicitu» dinem assumpserunt, ad electionem facien» dam de illorum consilio & conniventia pro» cedatis. Scientes quòd si aliter quidquam » agere tentaveritis, frivolum erit & vacuum, » & nullas vires poterit obtinere. Nos siqui» dem in concedendo vobis Abbate, animarum » compendium, non patrocinium attendimus » personarum; & illud solum volumus ratum » esse, quod regularibus institutis & profectui » Ordinis visum fuerit convenire. Cùm autem » jam dictus Abbas schisma dudùm foverit & » extulerit, licèt ad obedientiam nostram & » Ecclesiæ redierit unitatem, licèt gratiam no» stram & reddiderimus ei, & paternè velimus, » si non eidem se ipse subtraxerit, conservare; » multùm tamen & nobis & toti vestro Ordi» ni posset derogari, si super illam Ecclesiam, » quæ Caput est Ordinis, magisterium ipsum » hoc tempore pateremur habere. Sed & id » communiter debetis attendere, quòd nec » in vestro, nec in Cisterciensi Ordine con» suetudo aut institutio dicitur hactenùs exti» tisse, ut pro superiori loco litigia fierent, & » litigia quærerentur, cùm non solùm pro cul» pa, sed etiam pro suspicione solâ cedere » multi maluerint, quàm sub obtentu aut ob» tinendi regiminis, aut innocentiæ demon» strandæ locum quæsierint disceptandi. Data » Tusculi vj. Idus Maii.

Nec is erat certè Joannes, qui primus ad litium ambages confugeret, pro vindicandâ sibi non quæsitâ dignitate, vel innocentiâ demonstrandâ. Jussis Alexandri obsistere nefastum scelus autumans, licèt præoccupati & circumventi; paruit incunctanter, prioris & quidem humilis fortunæ cupidus, pertæsus altioris. Fratribus igitur de Præmonstrato vale-

dicens, *Bellum-locum* repetiit; unde ad Alexandrum Pontificem Epistolam apologeticam, non recuperandæ Sedis, sed asserendæ fidei suæ sensu, conscripsit, quam subjicimus:

Ex Schedis Clariss. Viri D. Baluzii, quas nobis communicavit Clariss. D. Boivin regiæ Biblioth. Custos.

REVERENDISSIME PATER,

» Audivi auditionem tuam, & expavi, imò » fugi, non velut Adam, criminis conscius, » à facie Domini crimen exprobrantis; sed » quasi filius à conspectu patris irati. Iratam » enim Beatitudinem Vestram adversùs exiguitatem meam intellexi ex litteris, quas ad fra» tres meos de Præmonstrato scripsit; quibus » auctoritate B. Petri & suâ præcipit, ut me ab » administratione Præmonstratensis Monaste» rii, uti lupum ab ovili, protruderent, eo » quòd non per ostium, sicut bonum pasto» rem decet, sed aliunde, per vetitas Schisma» ticorum artes, ut mercenariorum moris est, » ascendissem in candidi gregis caulam. Miror, » Reverendissime Pater, tantas ad ruinam pu» sillitatis meæ strui insidias; sed, pace vestrâ » dixerim, miror ampliùs Vestram Beatitudi» nem ab hominibus iniquis & dolosis circum» ventam, cor suum fidemque suam inclinasse » in sermones hominum, non mihi, sed di» gnitati meæ invidentium; quam quia obti» nere non potuerunt Fratrum suffragio, eri» pere moliuntur mendacii patrocinio. Accu» sant me de pessimo crimine Schismatis, & » Schismaticorum favore ad Præmonstratensis » Monasterii Abbatiam me pervenisse calum» niantur. Certitudinem calumniæ, & fucum » Beatitudini vestræ fecit delatorum auctoritas, » quos ignoro, & quibus parco; veritatem di» cam, & scit Deus quòd non mentior, quòd » nec Octavianum novi, nec cum fautoribus » ejus partem ullam habui; imò in Generali » Coabbatum Conventu, sub Philippo Abba» te bonæ memoriæ viro, anathema dixi, cum » cæteris fratribus, Octaviano; & vestræ Pa» ternitati, tanquam legitimo Papæ, & Suc» cessori B. Petri consociatum me esse palam » professus sum, & hodie profiteor, non ex » intuitu redintegrationis meæ in statum pri» stinum, sed ex devotione meæ fidei, quæ » post naufragium qualecunque honoris mei » integra perseverat. Imò nec spes mea ex ca» su meo emarcuit, quin potiùs invaluit am» pliùs post famæ excidium, & majore confi» dentia, etsi flagellatus, Patrem adeo, rogans» que obtestor, ut Monasterium *Belli-loci*, ad » cujus regimen novâ postulatione Fratres me » revocarunt, apostolicâ dignetur protectione » confovere. Valeat Sanctitas vestra, & Eccle» siæ suæ diu servet incolumem Christus, cu» jus vice fungitur.

V.

DODO, qui passim *Udo* dicitur, Vallis Secretæ Abbas, ad Præmonstratensis Ecclesiæ gubernaculum, post Joannis exauctorationem subvectus, impares tanto oneri supportando humeros cùm sensisset, pastoralem & rusticanam curam à Laudunensi Episcopo sibi oblatam suscepit, relictâ paucos post dies dignitate, quam occupabat anno 1173. Istius quippe anni unicum superest monumentum, ejus nempe subscriptio apposita chartæ Abbatis S. Andreæ Cameracensis in gratiam S. Martini Laudunensis: nisi fortè dicendum sit subscribentis nomen in transcripto & ad nos misso diplomate, librariorum oscitantiâ in *Udonem* defecisse, cùm *Hugonem* referre debeat. Illud mox expendemus.

VI.

HUGO II. doctrinâ & religione insignis, ad Cuissiacenses infulas anno 1160 vocatus fuerat. Eas deposuit anno 1165, atque Præmonstratum reversus, ibi Supprioris officium gessit. Anno 1172, Joanne ad Belli-locenses, juxta Alexandri III. beneplacitum remisso, Dodoneque vel electioni diffiso, vel, ut diximus, onus immensum declinante, de promovendo ad Ordinis apicem Hugone consenserunt Electores. Erat is Summo Pontifici gratissimus, ut qui Cuissiacensium Abbatem cùm ageret, magno zelo adlaborasset pro reducendis ad Alexandri obedientiam desertoribus, multoque successu Octaviani osores fecisset, qui prius addictissimi fuerant. De valida illius ad proëdriam Ordinis promotione satis constat, de tempore ambigitur. Nonnihil difficultatis ingerit laudatum superiùs Diploma Abbatis S. Andreæ Cameracensis de anno 1173, cui subscripsisse legimus in transcriptis *Udonem* Præmonstrati Abbatem, eumque decessorem Joannis. Evanescet porrò omnis ambiguitas, & erroris ansa penitùs resecabitur, si dixerimus dormitasse librarios priores, atque pro *Ugone* reddidisse *Udonem*, sive Dodonem, Hugonis Secundi prædecessorem immediatum, sed non diuturnum. Ab veritatis scopo nostram hanc conjecturam non aberrare evincit aliud anni 1172 Diploma, ubi Hugo Præmonstratensis Abbas, cum Gualtero Archidiacono Laudunensi, probat concambium & altarium permutationem factam inter Abbates Cuissiacensem & Bucilicensem. Jam igitur hoc anno Hugo II. Ordinis moderabatur habenas; nec est in sequiore Dodoni locus.

Jugis jejunii observantiam, ab institutore Norberto præscriptam discipulis, temperasse dicitur Hugo II. de consensu Capituli Generalis, & ad ea temporis intervalla, quæ ab Exaltatione Sanctæ Crucis ad Pascha usque Domini labuntur, reduxisse. De ea disciplinæ immutatione fusiùs in Annalibus.

In frequentibus Comitiis Hugonis II. ætate habitis prodierunt, illo agente, Constitutiones ad rei divinæ, & disciplinæ regularis incrementum accommodatissimæ, quas Alexander III. suâ confirmatione roboravit Anno, 1183.

1183, in Capitulo Generali laudavit Hugo Fraternitatis religiosæ fœdus inter Præmonstratenses Stivagii nostri, & Belliprati Cistercienses sancitum juratumque. Anno 1186, Saxones auctoritate Apostolicâ Urbani III. coëgit, ut ad Generalia quotannis Comitia convenirent Præmonstratum.

Multis pro domo sua, pro Ordine, pro Ecclesia laboribus egregiè perfunctus, obiit anno Christi MCXCII. In Capitulo Præmonstratensi ad dextrum Abbatis Philippi latus mandatus est terræ. Hanc epocham infirmat Pratanus, atque ex monumentis Præmonstrati à se visis asserit jam anno 1189. uti moderatorem comparere Obertum.

VII.

OBERTUS Abbas Vallis Secretæ, antehac sub nomine Roberti in Dipticis & Bullis recensitus, ad Præmonstratensem Prælaturam ascendit, quam duobus annis & dimidio possessam dimisit ultrò, primæ Sedis repetundæ, & pacatioris vitæ flagrans desiderio. Remigrationem hanc anno 1192 factam probare contendit Pratanus ex Obituariis, in quibus præterea mortis ejus dies v. Idus Maii consignata est.

VIII.

GALTERUS ex Abbate Regiæ Vallis anno 1192 Oberto sufficitur. Per Galteri inertiam multùm, inquit Pagius, paucorum annorum spatio regularis observantia de suo splendore deperdidit, quod certè nullo nixus fundamento temerè protulit. Anno 1194 perlustrans, ut conjicimus, Lotharingiæ Monasteria, in dilecta sibi Regia valle hominem exuit 6. Septembris, ibique sepultus est.

IX.

PETRUS Abbas S. Justi, singularis doctrinæ, pietatis & humilitatis exemplar, Præmonstratensium vocis & quasi violentiâ à suo Monasterio avulsus, ad summam Ordinis Sedem ægrè se promoveri passus est pridie Nonas Junii MCXCV. Illud vel maximè in tanto viro laudabile, quòd cùm cæterorum Ordinum Prælati ab Innocentio III. privilegia præ fastu & elatione supercilii turmatim efflagitarent, ipse hoc unum à Summo Pontifice petiit, ut nec sibi, nec suis coabbatibus liceret mitrâ, chyrothecis, aut aliis Pontificalibus ornamentis uti; ne forsan iis utendo sibi viderentur sublimes. Ab eodem Pontifice Diploma aliud obtinuit, quo Abbates & Præpositi Saxoniæ Capitulis Generalibus comparere detrectantes, ad conveniendum districtè coguntur. Administrationis onus & honorem, humilitatis & contemplationis cupidus, dimisit in Patrum consessu Generali pridie Idus Octobr. anno salutis 1201. Ad Cuissiacensis Abbatiæ regimen vocatus descendit anno 1209.

X.

BALDUINUS ex Chartovorensi Prælatura assumptus anno 1201, sedulitati regiminis, austeræ mortificationis jungebat exercitium, carnem perenni cilicio cruentans. Ordinem variis augeri procuravit privilegiis, & à Comite Flandriæ Balduino immunitatem telonii per ditiones ejus obtinuit. Intentum excolendæ religioni & promovendæ observantiæ dissenteria peremit 15. kal. Novembres 1203. & ad Patres appositus fuit in aula Capitulari.

XI.

VERMUNDUS Præmonstratensis Ecclesiæ Canonicus, laborem & dolorem prælationis uno expertus anno, sponte resignavit 3 Idus Octobris 1204. Ad Virdunensem deinde S. Pauli Abbatiam promotus, ibidem occubuit 15 Novembris 1208.

XII.

WILLELMUS DE S. AUDOMARO per succedaneas migrationes, ab Abbatiâ Cuissiacensi, quartâ Ordinis Matre, ad Viromandensem gradu inferiorem transiit; in qua vix unum impleverat annum, cùm ad Præmonstratensem cujus erat alumnus, postulatur, seu veriùs se intrudit. Intrusionis accusatur per Fratres suos apud Sedem Apostolicam. Per seipsum & pro causa sua oraturus Romam petit, & coram Innocentio III. luculenter, homo facundiâ pollens, disseruit, sed ad innocentiæ suæ vindicias minùs efficaciter: unde eruditi famam, cum nota intrusi, & depositionis mulctâ reportavit uno & sesqui anno ab adita possessione.

XIII.

ROBERTUS ex Ardennensi Abbatia, quam dudùm moribus bonis & religionis fervore honestaverat, ad Præmonstratensem Abbatiam translatus est 8. kal. Junii 1206. Magnam exspectationem degeneri vitâ fraudavit; luxui & vanitatibus serviens homo mediocris. Conscientiâ stimulante, aut Capitulorum Generalium sæviente justitiâ dignitatem abdicavit 7 kal. Februarias 1209.

XIV.

GERVASIUS patriâ anglus, Norberti regulam vovit in Abbatia S. Justi, ibidemque constitutus est Abbas; unde ad Thenoliensem postulatus Ecclesiam migravit. Ibi de prioribus ejus actis quædam dicemus. Ad Præmonstratensem Abbatiam evehitur Nonis Februarii 1209. Concilio Lateranensi anno 1215. interfuit, ibique Innocentii III. sic captavit benevolentiam, ut ei Pontifex Monasterium *S. Quirici* in Diœcesi Reatina, amotis monachis liberioribus, contulerit. Inter belli sacri præcones exstitit celeberrimus; Pontificibus Innocentio III. & Honorio III. summè carus, mutuas cum illis habuit litterarum correspondentias, & eorum in arduis Ec-

clesiæ negotiis velut adjutor in Regno Galliæ, nunc dirimendis litibus, nunc collapsæ disciplinæ instaurandæ sequester & judex à Romana Sede deputatus est. Epistolas ejus editas quondam Valencenis, nos ad autographum Steinfeldense collatas, emendatas & notis illustratas edidimus Stivagii anno 1725. Commentarios illius in Psalmos & in Prophetas minores, necnon Homilias quasdam, licèt magno labore & diligentiâ conquirentibus nobis nullibi reperire licuit. Quantùm pro Ordinis splendore & incremento, atque pro regulari observantia, vir ad pietatem & eruditionem verè natus, insudaverit, testantur Ordinis monumenta. Ad Sagiensem Episcopatum, jubente Honorio III. subvectus, ab eodem inauguratus est anno 1220. Ex Cuissiacensibus instrumentis colligimus eum anno etiam 1219. mense Aprili Præmonstrato præsidentem. Quali zelo Ordinis decorem promoverat Abbas, non absimili Diœceseos sibi concreditæ saluti adlaboravit per septennium integrum. Ad suos *Silleienses* post fata translatus, sub hac epigraphe tumulatus est:

In Tom. I. Sacra Antiq. Mon.

Anglia me genuit, nutrivit Gallia, Sanctus Justus, Tenolium, Præmonstratumque dedêre Abbatis nomen; sed mitram Sagia: tumbam Hic locus. Oretur ut detur spiritus astris.

Amen.

Obiit anno 1228. 4. kal. Octobris.

XV.

CONRADUS in aula Imperatoris Henrici VI. à puero educatus, religionem in *Augia minore*, Sueviæ Monasterio, vovit, ibidemque Præposituram adeptus est. Dum verò ad Capitulum Generale conveniret, & in sessionibus maxima eruditionis & pietatis edidisset specimina, ad *Vallis Secretæ* Abbatiam tum vacantem, agente Gervasio, translatus est, ut consilium & auxilium in Ordinis administratione haberet propinquiora. Bibliothecam MSS. instruxit, ad eruditionem discipulorum, quos verbo informabat, & regebat exemplo. Tantum sibi delegit successorem anno 1220 Gervasius; nec certè digniorem dare potuit, qui virtutem suaderet efficaciùs, vitia acriùs emendaret, erudiret doctiùs, & labascantem unitatem Ordinis intimiùs confoveret. Jamjam Saxoniæ Præpositi jugum obedientiæ excusserant, incentore Magdeburgensi Præposito; victûs & vestitûs formam nonnihil mutaverant, Capitulis Generalibus illuserant, illorum decretis refragi, nec jam dignabantur cum cæteris interesse Comitiis communibus. De illorum pervicacia Gervasius querelam moverat, & vindices disciplinæ Romanos appellarat Pontifices. Delegati fuerant Judices in partibus, sed in opere lenti. Rem vividiùs prosequi, & Schismati finem imponere cupiens Conradus, Metas petiit, ubi Judices convenerant; aderat & Conradus Portuensis Antistes, Sedis Apostolicæ Legatus, quem resarciendæ pacis arbitrum esse rogavit. Consensêre partes adversæ, consensêre simul & Judices delegati; sicque post ventilatam hinc inde causam amicabili compositione diremit Episcopus Portuensis: qua supercilio Saxonum nonnihil indulgens, Ordinis unitati rixosos & acephalos penè restituit anno 1224. Et ne pœnitentes concordiæ Saxones aliquando redirent ad vomitum, totam compositionis seriem curavit Honorii III. confirmatione roborari Conradus noster.

Sancto Ludovico Galliarum Regi familiaris; sic & Honorio III. & Gregorio IX. charus exstitit Conradus, & ab utrisque donis auctus est temporalibus. Ordinis Abbatias in Regno Galliæ consistentes regali tutelâ munivit; & Ecclesiam *S. Alexii* in Urbe junxit Ordini, Romam à Gregorio IX. accitus. Quam urbem cùm jam anno 1226. invisisset, ab Honorio III. obtinuerat Abbatiam *S. Severi* prope Urbem veterem, pulsis inde laxioris vitæ monachis.

Tantâ gratiâ, & ut ita dicam familiaritate cùm dignatus esset Conradum nostrum Gregorius IX. mirùm quomodò tam faciles adversariis & delatoribus illius aures fidemque postea dederit, ut ad nonnullorum subditorum murmur de Abbatum onerosa auctoritate, cujus adstipulatorem Conradum venditabant falsô, Inquisitores delegaverit Abbates Frigidimontis & Fulcardi-montis de Cisterciensi Ordine, qui vitam, mores & regimen accusati stricto examine discuterent, & obloquentium inferiorum gravaminibus justitiæ facerent complementum. Obstitit fortiter Conradus, ne provinciam hanc deputati Abbates exsequerentur; sed quantò magis inquisitionis infaustæ delicatulos ministros declinare fategit, tantò austeriores magisque adversantes sibi postmodùm est expertus. Peractâ etenim Præmonstrati & aliorum pagi Remensis monasteriorum visitatione, Venerandum Abbatem, vitâ & moribus ubique commendabilem, laudabili & strenuâ plurium annorum administratione conspicuum, sententialiter amoverunt, eò quòd abdicatam olim, ex humilitatis sensu, dignitatem coram tribus primis Abbatibus Ordinis, Præmonstratum de more visitantibus, illam propria auctoritate ad fratrum instantiam iterùm assumpsisset. Ista exauctoratio anno 1232 cadenti annectenda est. Exstat apud Duchesnium in Probationibus Cociacensis & Ghisnensis familiarum summarium Diplomatis *mense Maio anno gratiæ 1232*, conscripti, quo testatur » Ingelrannus Cociacensis speciali quadam devotione & devotâ dilectione motum se dedisse in puram eleëmosynam Ecclesiæ Præmonstratensi centum solidos Paris. tum cùm Conradus, Abbas & Conventus Præmonstrat. Ecclesiam Præmonstratensem facerent, sicut decebat, solemniter dedicari.

pag. 359.

Igitur etiam mense Maio 1232, Præmonstrati clavo insidebat Conradus: Willelmum tamen ejus Successorem mox videbimus anno 1233, septimo Idus Maii Romæ agentem, atque ibi Diplomata rogantem quatenùs Ordinis Generalem Præpositum.

Duobus à depositione Conradi annis elapsis, Cuissiacenses Canonici illatam tanto viro injuriam dolentes, eamque pro viribus cupientes resarcire, illum post Lamberti mortem anno scilicet 1235, ad quartam Ordinis Prælaturam sustulerunt, quam prudenter & piè rexit ad annum 1241.

XVI.

WILLELMUS II. natione Anglus, vir totius prudentiæ, *Stanleti* in Anglia Abbas secundus, destituto Conrado suffectus ab Apostolicis Judicibus VI. Idus Octobris anni 1233. stante Capitulo Generali, dicitur: qui chronologicus caracter falsò adscriptus est, cùm Romæ ipso anno 1233, septimo Idus Maii ageret, ibique pro Abbatiis in Italia consistentibus conscriberet statuta, quà Præmonstrati Abbas, & Caput totius Ordinis, ut videre est in appendice inter alia Præmonstrati monumenta. Anno igitur 1232 desinente, Præmonstratenses induit infulas. Porrò Romano se statim accinxit itineri: In Urbe dum moras traheret, Gregorii IX. Pontificis, cujus inierat benevolentiam, Capellanus creatus est; atque visitationis adversùm Præmonstratenses officio Cisterciensibus Fulcardi-montis & Frigidi-montis Abbatibus erepto, eodem ipse, jubente Gregorio, & uti juris erat, perfunctus est primùm in Italiæ Monasteriis; Præmonstratum inde reversus, Fratres Conversos ex vestitùs uniformitate Canonicis se arroganter æquiparantes, jussit cappis & caputiis griseis indui. Adversùs hanc ordinationem nonnulli rebellantes, mortem Willelmo, & prædiis rusticanis incendia minati sunt: ast protervos excommunicatione percitos, & ergastulis reclusos coërcuit, donec Gregorii IX. judicium, quod præstolabatur,
1234. recepisset. Willelmi gesta approbavit Pontifex Rescripto suo, & fratres Conversos hactenùs rebelles brachii sæcularis auxilio edomandos esse sanxivit. Fortè, jugo vix assueta Conversorum natio, & humiliationis impatiens, discordiam seminavit, quæ caput à membris avellens, fatale inflixit capiti vulnus: Sic enim in patrem insurrexerunt sævientes filii, ut sub obtentu præcipitis ingenii, & circa res temporales non satis providi, illum in Generali Capitulo indignum conclamaverint, qui Præmonstrato, multò minùs universo Ordini præesset & prodesset. Ingruentem tempestatem nonnisi spontaneâ cessione placandam prævidens Willelmus, prælationem dimisit, probante Capitulo Generali, *Lucernensis*que in Neustria Monasterii præponens secessum, ut liberiùs Deo sibique vacaret, curis & honori valedixit. Sed mutato de repente consilio accessit ad Curiam, & spoliatum se fingens, restitutionem impetravit, & Hugonem sibi subrogatum fecit amoveri. Hinc grandis in Ordine prodiit dissensio, aliis à parte Willelmi, aliis pro Hugonis obedientia stantibus. Dissidii fomitem exstinctum iri Archiepiscopus Rothomagensis & Parisiensis Episcopus, Judices delegati, rati sunt, si restituerent finali sententia Willelmum. Verùm de restitutione ipsa magis ac magis excandescentes Canonici, acerbiùs decertarunt, provocaruntque ad tribunal superius. Causa hinc & inde agitabatur acriter, dum S. Ludovicus, adjunctâ sibi Blanca piissima Matre sua, tantas amicabili compositione tentavit lites componere. At re penitùs infectâ Præmonstrato discessit, & vividior quàm antea efferbuit contentio per inextricabiles rixas deducta. Ancipitem eventum timens, & diuturni litigii pertæsus Willelmus, tandem pacis auscultavit consilium, & quidquid juris habebat, in manibus Papæ resignavit, retentâ sibi, quam creavit Pontifex, annuâ pensione quinquaginta marcarum argenti. Insolitum hunc cessionis modum, pungente conscientiâ, & Conventu Præmonstratensi stimulante, damnavit, ad saniorem paulò post mentem reversus Willelmus, & Angliam, rescissis pactis proprietatis vitium redolentibus, repetiit: ad *Begehamense* Monasterium se recepit, privatamque illic vitam cùm duxisset, pacificè defunctus est.

XVII.

HUGO III. ex nobili Toparcharum * Hircenionis Castri in Terascia oriundus, in Ecclesia Præmonstratensi enutritus ab ephebis, & ibidem mancipatus religioni, Conrado à secretis fuit & studiorum socius, qui priùs Abbatis Gervasii alumnus inclytus, litterarum amorem hoc magistro inspirante hauserat, & multis voluminibus instruxerat Bibliothecam. Ex Priore Præmonstrati Abbas in vim cessionis Willelmi creatus, abbatiam post redintegrationem cedentis incunctanter abdicavit, ultrò sententiæ Apostolicorum Judicum acquiescens ipse, reluctantibus & in contrarium litigantibus Canonicis suis. Lite postmodùm sopitâ, & Willelmo rursus cedente, iterùm Hugo à Fratribus electus est in Abbatem. Pervigilem, mansuetum, affabilem, gratiosum, litteris excultum, scribendi dictandique leporibus ornatum, Regibus & Magnatibus acceptum, Religiosis suis reverenter amabilem Fasti prædicant. A Belâ Hungariæ Rege impetravit, ut Monasteria Ordinis in ejus Regno constituta iisdem gauderent immunitatibus & privilegiis, quibus in Gallia uti consueverant, ex Regum beneficio. Renascens Præpositorum Saxoniæ schisma compescuit: ea de re scripsit Epistolam, quam videas in Appendice, Gulielmus Parisiensis Episcopus, quem Joannes

* Hircon en Tierasche.

Magdeburgensis Præpositus pacis arbitrum interposuerat. *Data* notatur *hac Epistola anno Domini 1239.* die Mercurii in Festo S. Dionysii: peccat autem in chronologiam hic character; siquidem anno 1239. festum B. Dionysii non feriâ VI. sed Dominicâ die celebratum est. Ad Chronologiæ principia epocham ut reducerent Scævola & Ludovicus Sammarthani fratres Tom. I. Galliæ Christ. pag. 444. Guillelmi Epistolam cum anno 1230. nectunt, quo revera, dies Mercurii Dionysio sacra fuit: ast aliunde emergit error, nempe dum Hugoni III. Abbati Præmonstrati scriptam statuunt; hoc enim anno & duobus sequentibus Præmonstrato certissimè præfuit Conradus, ut dictum est supra. Verisimilius est & quasi certum scriptam fuisse anno 1241, quo Paschalis Solemnitas die 31. Martii celebrata est, littera Dominicali F. atque cum die Mercurii necessario concurrebat B. Dionysii celebritas; sicque conjectandum erit amanuensium errore factum, ut numerus I. qui postpositus esse debuit his Romanis characteribus MCCXXXX. præpositus fuerit ultimo X. ita ut pro MCCXXXXI. annus MCCXXXIX. scriptus sit. Nec obstat, quòd compositionis Instrumenta huic Epistolæ in appendice nostro subjecta, anno 1239. confecta dicantur: ea quippe eruimus ex Bibliotheca Pagii, qui chronologiæ rudis cùm errorem in Epistolæ Guillelmi Parisiensis Episcopi characteres chronologicos respersum non detexisset, eandem epocham aliis in diplomatibus servandam esse putaverit.

Effectum sortita est Parisini Antistitis officiosa commendatio. Res ad Capitulum Generale eodem anno 1241. mense Octobri delata fuit; Hugoni Archimandritæ provinciam hanc demandaverunt Ordinis aggregati Primores: Ille assumptis ad consilium Cuissiaci & Loci-Restaurati Abbatibus, edixit, ut ex Saxoniæ Præpositis unus triennio quolibet accederet Præmonstratum pro Generalibus Comitiis, Schedulis omnium aliorum munitus, quibus illi vices suas comparenti Præposito commissas, omnimodamque concludendi, decernendi, subscribendi, &c. facultatem omnium nomine concessam esse testentur, atque præterea speciale deferat mandatum, quo Præmonstratensi Abbati pro novis, necdum ad obedientiam præstandam admissis Præpositis, fidelitatis Sacramentum jurandum ipsi injunctum sit. Sunt & aliæ conditiones levioris momenti. De compositione taliter adornatâ retulit ad Capitulum Hugo; adprobata fuit, & utrimque illius non violabilis promissa est observatio.

Anno 1240, cùm Abbate & Conventu Monachorum de Nongento Fraternitatem inierat Hugo noster, tot adeóque providis conditionibus temperatum, ut omnis discordiæ resecaret ansas, meatus occluderet, & mutuæ caritatis perenne subsidium utrique assecuraret Monasterio. Plura ad Dei cultum, & Ecclesiæ suæ decus ornamenta domi & foris auspicantem mors intercepit 15. kal. Maii, anno, ut autumamus, 1242. Pagius obiisse scribit anno 1240, sed nullo argumento probatum; nec probatum iri credimus unquam, adversùs ea, quæ superiùs de chronologiæ Epistolam Guillelmi Parisiensis Episcopi afficiente characterismo disseruimus.

XVIII.

NICOLAUS HAILGRINUS, de Abbatis villa nuncupatus, S. Joannis Ambianensis Canonicus, à Joanne Sabinensi Episcopo & Cardinali in Sacellanum assumptus, inde ad Abbatiam S. Judoci in nemore fratrum electione promotus est. Virtutum & Doctrinæ claritas illum postea ad Ordinis verticem ascendere, reluctantem licèt, compulit. Postulatum & præsentatum admittere noluit Laudunensis Episcopus Garnerus, nisi præmisso examine. Obsistebant Ordinis privilegia, ne censuram subiret Episcopi; vetabat quoque consuetudo jam diu prævalens: quare ad Sedem Apostolicam gravatus Abbas confugit, & personaliter jus suum Romæ prosecutus est, magno labore, ingentibus expensis, & nullo exitu; nam causæ fervidiùs dum incumbit, febre correptus mortem oppetiit 11. kal. Augusti anno incerto, quamvis continuato errore, quem suprà deteximus, annum 1242, Pagius consignet. Sepultus est in Ecclesia Sancti Alexii, Ordinis nostri.

XIX.

CONO, natione Burgundus, religione conspicuus, Ordinis zelator, miræ industriæ & circumspectionis, eminentis scientiæ dotibus fulgens, in S. Martini Laudunensis Abbatia professus, ad Fontis-Andreæ Abbatiam, dein ad Thenoliensem, postea ad Branensem æmulo velut concursu successivè raptus, singulas illustravit meritis, auxit in temporalibus, doctrinâ excoluit, ditavit virtutibus. Virum famâ & gestis summè commendabilem viduata Præmonstratensis domus non ambegit Patrem deligere. Ædificia ab Hugone III. incepta perfecit; Reformationem in Concilio Lugdunensi ab Innocentio IV. præscriptam invexit in Ordinem, privilegiisque munivit, pro eo quo apud Pontificem pollebat favore, amplissimis. Assiduè muneri intentum vexavit fratrum arrogantia; quam ut mucrone apostolico frangeret, Innocentium IV. adiit, à quo honorificè susceptus, patronum suæ causæ nactus est. Sed ne iterùm tumultuantis Capituli feritatem experiretur, Prælationem in manibus Papæ deposuit, honorum & ingratitudinis plusquàm satur Præsul, pensione tamen centum librarum sibi de Pontificis præcepto reservatâ. Ad propria redux, in Monasterio S. Martini Laudunensis reliquos vitæ dies cùm Sacræ lectioni & quieti religiosæ insumpsisset, viam universæ carnis ingressus est, ibidemque cum honore sepultus fuit. Obiit 3. Nonas Octobris.

XX.

JOANNES II. quem morum integritas, & miraculis sanctitas probata *Beatorum* albo adscripserunt, ex Abbate Clarifontis electus est Præmonstrati Abbas anno 1247. Doctor Parisiensis, studiosorum Mecænas, Collegium erexit in Academia Parisiensi anno 1252, ad candidæ juventutis eruditionem. Sanctis legibus disciplinam firmavit Ordinis. Innocentii IV. Alexandri V. Urbani IV. Diplomatibus variis, privilegiorum & immunitatum oppressores coërcuit; & ne quid ad Patris & Rectoris optimi cumulum deesset, sic gregem imperio moderabatur, ut magis regeret exemplo. Imminentem ultimum diem præsentiens, atque edoctus cœlesti oraculo, per sanctorum memorias, sive altaria frequens oraturus discurrebat. Ad B. Virginis sacellum morti proximus voluit deportari, illicque adgeniculatus & effusus in lacrymas animam efflavit 29 Augusti 1269. Diploma hoc eodem anno feria 3. post Conversionem S. Pauli, hoc est die 29. Januarii confecerat, quo Thenoliensis Ecclesiæ res cùm Ingelranno Cociacensi dynastâ componuntur, quod videas apud du Chesne in Probation. Cociacensis & Ghisnensis familiarum pag. 379. Summam Theologicam more scholastico in tractatus, quæstiones & articulos digestam, nec non homilias in Evangelia composuit. Ante Capituli fores tumulatus hanc præferebat in tumba Epigraphen, *Joannes Secundus*. Titulis honorificentioribus noluit summa humilitas exornari.

XXI.

GUERRICUS Abbas antehac S. Mariani Altissiodorensis, in Abbatem Præmonstrati postulatus est, dignus tanto decessore successor; quem scientia, pietas, probi mores, affabilis convictus, facundia, nobilibus & plebeiis dilectum perinde & venerandum effecerant. Vigebat pariter in illo consilii providentia, sagacitas ingenii, in corripiendo severitas, sed mansuetudine sic condita, ut vitium terrore corrigens, emendati fratris sibi conciliaret animum. Ecclesiæ decoris summè amans, pretiosâ suppellectile templum instruxit. Privilegia Ordinis curavit à Gregorio X. confirmari, & indultas à S. Ludovico Rege libertates instaurari à Philippo filio & hærede obtinuit. Laboribus & pœnitentiâ confectum mors sancta sustulit 6. Decembris 1278. Interfuisse legimus cum Willelmo Viconiensi Abbate Lugdunensi Synodo habitæ anno 1274, non verò 1279, ut malè ad marginem notatum est Tom. 2. *Sacræ Antiq. Monumentorum*, ubi hanc epocham emendes, uti & appositam notam ad paginæ calcem. pag. 227.

XXII.

ÆGIDIUS DE BIEROLIER, vulgò de Flandria dictus, unde oriundus erat, Præmonstrati alumnus, ad S. Michaëlis Antuerpiensis Abbatiam à Joanne de Lyra sponte resignante vocatus anno 1271, sexennio strenuè administravit, & utiliter. Guerrico Præmonstrati subrogatus, Statuta Ordinis à Jure Canonico nonnullis in partibus devia emendavit. B. Hugonis I. cineres haud satis decenter tumulatos, in propitiatorium honorificè sepeliendos transtulit. Ordinis ac propriæ domûs honestati sedulò invigilantem impetivit iracunda Fratrum cohors, quos livor in se invicem armarat; Galli in Flandros quasi à Prælato in officiorum dispensatione præpositos tumultuati sunt, & nationalis præferentiæ reum conclamarunt Abbatem, & amovendum tam ex defectu confirmationis, quàm ex ratione prodigalitatis conjurarunt. Ad Romanam Curiam lite motâ quæstionem deportant, eamque latratibus adversariorum circumventam adit Ægidius, innocentiæ patrocinium quærens. Sed statim advertens Ordinis aut famæ propriæ jacturam imminere, maluit in dispendium nominis sui causam ultroneâ resignatione dirimere, quam scandali scenam spectantibus exhibere Romanis, impendio gregis & domûs. In manibus Martini IV. liberè cessit 17. kal. Januarias 1281. Antuerpiam exinde reversus, privatis pietatis operibus se totum addicens, interiit anno 1286. 16. Julii, & ejus tumulo hoc epitaphium apposuerunt Antuerpienses Canonici.

» Hîc jacet D. Ægidius de Flandriâ, hujus
» Ecclesiæ & posteà Præmonstratensis Abbas:
» Clemens, mens humilis, munda caro, vita jucunda, Ægidium Bierulier commendat utique dignum.
» Grex igitur fidei roget ut vitam requiei
» Perpetuò det ei gratia summa Dei.
» Bis sex centeno, bis terno, bis quadrageno
» Anno decessit. Huic Christus vera quies sit.

XXIII.

GUIDO Corneoli Abbas, per Apostolicam provisionem Præmonstratum accitur x. kal. Martii 1281. Domum & universum Ordinem prudentissimè rexit; rigorem disciplinæ in se recapitulans per alios etiam observari curavit adamussim. Antecessores famâ æquavit; plures præcessit auctoritate. Privilegiis & immunitatibus Ordinis consulens, horum confirmationem obtinuit ab Honorio IV. Quæstionem de Lisquensi Paternitate pridem ventilatam inter prædecessores & Abbatem S. Martini Laudunensis sopivit; & ipse æterno sopori datus 15. Januarii 1287. ad Capituli ingressum sepelitur, sub hac inscriptione simplici, *Gydo*.

XXIV.

ROBERTUS Canonicus Præmonstratæ Ecclesiæ die Martii 12. anni 1287, electus, altero vix anno evoluto præfecturam cum vita exuit,

magnum sui relinquens desiderium fratribus, qui beati regiminis diuturnitatem exoptabant, propter eruditionis, scientiæ, pietatis, prudentiæque præclara specimina.

XXV.

GUILLELMUS DE LOUWIGNIES, Bonæ spei Canonicus, in Decretis Doctor, ab Abbatia Clarifontis ad Cuissiacensem translatus, primo post
1288. adeptam hanc secundam dignitatem anno, rapitur ad Præmonstratensem, vir ingenii felicis, clarus eloquio, exhortatione potens, doctrinâ celebris, conversatione placidus. Pontificum Nicolai IV. Bonifacii VIII. Benedicti XI. beneficiis sæpe præventus, insignes pro Ordinis tutamine gratias ab illis emeruit. Constitutiones quoque, de Coabbatum consilio, in Generalibus Comitiis meliorem digessit in formam, & in nonnullis deficientes, aut excedentes, prudenter ad canonum dictamen correxit anno 1290. An laudi, vel vituperio vertenda, quam efflagitavit, Canonicis Præmonstratensibus dispensatio indulta itinerantibus vescendi carnes, sibi, dum amicos inviserent appositas, ne onerosi susceptoribus hospites essent, penes censorem esto judicium.

Collegii Parisiensis fundum à civili exemit commercio Guillelmus. Denique annis pene septemdecim exactis in officio, sponte cessit dignitati anno 1304. Vitæ verò suæ finem fecit anno 1311. Ad sinistram chori partem conditus, hoc epitaphium in Saxo præfert:

» Hîc jacet Dominus Guillelmus de Lou-
» wignies, quondam Canonicus *Bonæ Spei*,
» Magister Decretorum; qui postea fuit Ab-
» bas Clarifontis, posthæc Cuissiaci; post-
» modùm hanc Ecclesiam rexit, & totum
» Ordinem annis sexdecim & pacificè &
» quietè. Postea sponte cessit anno Domini
» 1304. Parce, Jesu Christe mitissime, af-
» fuit iste. Obiit anno MCCCXI. 8. kal.
» Maii.

XXVI.

ADAMUS DE CRECY, Canonicus Præmonstrati, divinis humanisque litteris apprimè eruditus, ex Priore de *Dorene* in Abbatem promotus anno 1304. Concilio Viennensi sub Clemente V. interfuit; ubi non solùm Ordinis privilegia pontificio diplomate obtinuit confirmari, sed & ultra concessit eidem Clemens motu proprio usum annuli, & Pontificalium insignium in divinis officiis, tam in Ecclesia propria, quàm in aliis pleno jure ipsi subjectis. Et hoc primum est vestigium subinducti in Ordinem pontificii apparatûs, a quo Patres nostri, modestiam sectantes, tantopere priùs abhorrebant. Gratuitam in Adamo hujus fastigii originem nullatenùs culpandam, damnamus in cæteris, qui importunis precibus, aut porrecto auro talem mercati sunt honoris effigiem. Cum Abbatibus Angliæ, ab Ordinis disciplina & ab obedientia pene deficientibus, pacis compositionem iniit anno 1315. feriâ 5, in Cœna Domini, id est 8. die Aprilis 1316, nostro computandi more: eosque ad unitatis centrum nonnihil reduxit. Serviendum fuit necessitati; & Anglis, ne penitùs exirent foras, quædam indulgenda fuere à primordiali discrepantia instituto. Ad reconciliationis argumentum, magnificas ædes pone S. Joannis portam, pro adventantibus Anglis ad Comitia construxit. Quippe sua cuique Circariæ specialis domus erat assignata in ambitu duplicis areæ, ad quam pro Capitulo adventantes Prælati diverterent: Fortè ob diuturnam Angliæ Prælatorum absentiam ab istis consessibus, illorum domicilium alteri cesserat provinciæ, aut aliis addictum fuerat usibus; jam verò ad ovile reductis adunatisque nobilius exstruxit Adamus.

Intendens quoque communi bono providus Pater, & dolens plerasque Abbatias vel fortunæ adversantis casibus, vel invidentium oppressione iniquâ fatigatas, vergere ad ruinam, de qua non possent surgere, nisi charitatis subveniretur subsidiis, sapienter tallias Annuales procuravit institui Patrum congregatorum sanctione anno 1320. generalibus negotiis & necessitatibus Ordinis œconomicè impendendas. In cursu Visitationis Monasteriorum morbo correptus, vitam cum morte commutavit in Abbatia S. Pauli Senonensis 27. Octobris 1327. & ibidem sepultus quievit, usquedum à successore Præmonstratum advectus, ante majorem aram tumularetur anno 1329.

XXVII.

ADAMUS II. DE WASIGNIES, in territorio Laudunensi natus, Præmonstrati Canonicus & Provisor, Jacobo Buciliensi Abbati suffectus, res Monasterii per annos duodecim sic strenuè gessit, ut ad Præmonstratensem Ecclesiam electus ascenderit 10. Novembris 1327. Per annos sex laudabiliter & piè præfuisse Adamum, & consequenter anno 1333 obiisse scribit Pagius. Verùm falsitatis convincitur hæc epocha, ex Mss. Osterhoviensi, apud nos asservato, & fol. 17. referente hac in ultima parte sæculum, ubi additæ sunt ***hæ Constitutiones anno Domini MCCCXXXI. traditæ & editæ per Venerabilem Abbatem Dompnum Johannem Præmonstratensem***, Adami II. successorem. Igitur ante annum 1331, vel ipsius initio anni occubuit Adamus die 12. Octobris. Ad Galteri I. Laudunensis Episcopi sepulcrum Præmonstrati ante aram principem tumulatus, sub hoc epitaphio partim obliterato.

Vixit & immundus Adam nomenque Secundus,
Præmonstratensis Abbas ......
Gratus vitâ, sanctitate decoratus.....

XXVIII.

JOANNES DE CASTALLIONE, Canonicus & Prior

Præmonstrati Abbas electus, scientiâ & religione adeò floruit, ut Archiepiscopali dignitate honestandus visus sit Benedicto XII. quam recusavit humilis Abbas, Ecclesiæ Præmonstrati, & Ordini suo unicè intentus. Calicem & urceolos ex auro purissimo, & alium calicem urceolosque argenteos eleganter elaboratos sacrario contulit. In Capitulis Generalibus constitutiones anno 1331, & sequentibus, sapientiæ & fervoris sale conditas sanxit. Mortalitatem exuit 11. Aprilis 1339. & ad dextrum B. Hugonis latus ante altare primarium sepelitur. Excessum refert epitaphium Pagius, cujus extremas lineas ad chronologiam suam aptavit; utinam lituram oculi divinatorii non supplessent; annum 1343, non legisset, sed 1339. Errorem declarabit epigraphes successoris, ab eodem Pagio industrie mutilata, & à nobis restituenda inferiùs ex marmore conspecto.

XXIX.

Joannes de S. Quintino, ad officialis Cameracensis munus, dum in sæculo degeret, expetitus ob singularem juris peritiam, Præmonstrati solitudinem honoribus anteposuit. Post aliquot probatæ virtutis & religionis annos, in sublimi Ordinis specula Fratrum suffragio collocatur. Privilegia Pontificum, approbatione Clementis VI. communivit, & nova impetravit. Magnæ molis crucem argenteam gemmis lapillisque micantem, veræ Crucis particulâ exornatam, dedit Ecclesiæ. Sancti-Quintini hospitium ampliavit ædificiis, ornavit suppellectile, ut tutum illic, sæviente Marte, perfugium haberent sui Canonici. Anno 1352, vitam cum morte mutavit, & ad sinistram B. Hugonis mandatus terræ, hoc encomio donatus est:

Sancto Quintino de parvo Joa. vocitatus,
Munere divino quondam mansit dominatus;
Istius Ecclesiæ pius Abbas Canonicorum;
Forma pudicitiæ, lux Ordinis, & via morum.
Cum tribus atque decem fulgens annis bene rexit.
Nam omnis luxuriem vitii pro posse neglexit,
Juraque Conventûs & commoda duxit honestè,
Providus atque audax causas agitare modestè.
Anno milleno trecenteno quoque deno
Cum quadrageno decessit, bis sociando.
(1352.)
Joan. in cœlis ductu vivat Michaëlis.

Hæc inscriptio ex ipso marmore syllabatim expressa, in multis discordat ab illa, quam Pagius truncam exhibet, quamque ab ipso mutuati sunt San-Marthani.

XXX.

Petrus de Frigidis-Sanctis, Præmonstrati Canonicus, ob vitæ sanctimoniam electus Abbas, post installationem majore, quàm antea, humilitate, paupertate, pœnitentiâ, charitate emicuit. Monasteriorum Visitationem pedes sæpe confecit: vili amictu, & austeritate victûs rigorem suadens, & flammeis concionibus frangens corda ad pœnitentiam. Privilegia Ordinis ab Innocentio VI. impetravit confirmari. Plenus dierum & bonorum operum concessit in fata 25. Aprilis 1365. atque ante sacellum Beati Martini Ecclesiasticæ traditus est sepulturæ.

Huic successor datus est *Stephanus*, insignis Doctor, ex Altissiodorensi Prælatura ad Parcensem ex reservatione apostolicâ translatus, & ex Urbani V. Decreto ad Præmonstratensem Archimandriam exigentibus meritis evectus; sed urgente fato, ante aditam possessionem morte correptus, locum fecit anno 1368, sequenti.

XXXI.

Joannes de Roignis, ex nobili Pinorum Sanguine satus, Ordinis totius Syndicum egit Avenione tanto successu & eâ laude, ut ad Præfecturam Præmonstrati & Ordinis fuerit sublectus, vir sani consilii, discretionis summæ, providentiæ singularis erga subditos, & erga Ordinem: cujus incolumitati consulens, alienationes bonorum seu per venditionem, sive per oppignerationem Prælatis interdixit, intentatâ pœnâ exauctorationis; eamque Constitutionem Capituli Generalis firmavit decreto. Die 25. Julii 1381. defecit, & gentilitio Dominorum de Pinon sepulcro in capella S. Martini reconditus est.

XXXII.

Joannes de Marla, ex Priore Præmonstratensi factus Abbas, pronum ad ruinam Ordinem suo zelo suffulciit. Sarcinæ gravioris pondere fessus, dignitatem privatæ vitæ postposuit, & anno 1391. vitæ suæ penultimo cessit præfecturæ.

XXXIII.

Petrus Hermi, Canonicus Præmonstrati, Abbas assumptus, Marthæ sollicitudinem otio Mariæ conjunxit, ad utrumque aptissimus. Episcoporum Jurisdictionem, Ordinis paci & tranquillitati infestam, licèt ab Apostolica Sede coërcitam dudùm, penitùs eradicavit, & Monasteria utriusque sexûs, ita decernente Alexandro V. ab omni eorum potestate, dominio, & visitatione liberavit. In Concilio Constantiensi per Procuratorem Joannem Senescalli comparuit anno 1416. Abbatiam Bonæ Spei debitis obligatam, attritamque ære alieno ut relevaret, rei temporalis administrandæ conscripsit methodum, quam videas in Chron. Bonæ Spei pag. 347. quamque observandam ab Abbate & Conventu præcepit strictissimè, die 6. Julii 1420. Floreffiæ tunc temporis mo-

ras trahebat jam ab annis quatuor: quippe Magnatum rapinis, & sui Monasterii, sub obtentu belli, spoliationibus strenuè dum obsistit, armat in se potentes, & fugâ salutem quærere cogitur apud suos Floreffienses; ubi septem annis gloriosè decertans, bravium assequitur die 16. Novembris anno 1423. Jacet in Capella S. Petri sub marmore istud ostentante Epitaphium, quod mutilum luci publicæ dedit Pagius:

Anno milleno, junctis tribus atque decembis,
Quadringenteno, sedenâ luce Novembris,
Tollitur è membris Ordinis ecce caput,
Cleri zelator, Abbas pietate probatus;
Juris Servator, *Hermi Petrus* vocitatus.
Ah! Præmonstratum Pastore tuo viduatum,
Dum decus hoc gratum, credite, morte sopit.
Schismate causante divisam religionem,
Dulciter hortando revocat, moderans, unionem;
Quam priùs ut renovat, sic libertatibus ornat:
Ordo sic exemptus, communi legeque demptus.
Ista fuêre suo tempore continuo.
Floruit ingenio; juvenis formâ speciosus;
Subjectis humilis, in quo discretio vera:
Claruit eloquiis, vir lenis, morigerosus.
Aspera dans reprobis cum pietate merâ.
Quem statuit profugum dissensio Francigenarum,
Hunc recipit refugum Floreffia condolorosa.
Sede carens propriâ, septennis exul habetur.
Nunc rogo mente piâ, Deus illi propitietur.
O venerande Pater! hæc filia sit tua mater,
Te quia nutrivit, ac fine dolens sepelivit.
Virgo Dei genitrix, Petrosis auxiliatrix,
Ut sibi det requiem sempiternam Deus. Amen.

XXXIV.

JOANNES DE MARLA II. primi nepos, eo tempore obtinuit regimen Ordinis, quo civilium seditionum procellis, & scissuris Schismatum lacerata Gallia, Congregationes Regulares internis succutiebat tumultibus, ultimos observantiæ præsagientibus agones. Nutantem ille Ordinis disciplinam annuis tum Præmonstrati, tum ad Sanctum Quintinum, cùm Bruxellæ habitis conventibus, continuit. Basileensem synodum per suos adiit Oratores, Ecclesiæ & Ordinis saluti consulens. Donariis Templum Præmonstratense, sed præsertim baculo Pastorali auro & gemmis rutilante, ornavit. Tabulam quoque aræ principis ex auro puriore affabrè factam erexit. Die verò 23. Aprilis 1436, inter mortuos deputatus sepelitur ad pedes primarii altaris.

XXXV.

JOANNES DE FARA, Canonicus Præmonstrati, candore morum & doctrinâ conspicuus, humilis & sublimis, disciplinæ nusquam remissus zelator, acceptum ab Eugenio VI. diploma pro reformatione Ordinis, executioni mandavit eo animi robore, ut rebellium colla jugo subjecerit religionis. Insignem B. Virginis iconem argenteam, miro artificio auroque fulgentem, in cujus summitate sanguis Christi in vitrea phiala recludebatur, aræ imposuit, sacrique pignoris donatorem his versibus ad basim appictis expressit:

Sanguis in hac tegitur thecâ tuus, alme Redemptor;
Quam, *Fara* quem genuit, offert tibi, Christe, *Joannes*,
Præmonstratensis Abbas: ipsi miserere.

Anno 1442. die 9. mensis Octobris, exponentibus Alberto Abbate, ac Priore, Conventuque Windbergensi, Monasterium suum, filiale Præmonstrati, quacumque ex causa orbum & viduatum Pastore, multis patere discriminibus, donec vacationis nuntiæ litteræ ad Abbatem Præmonstratensem perlatæ sint, indeque responsoriæ, quibus Præses & Commissarius electionis futuræ designetur, fuerint redditæ; annuit benevolè Joannes noster, Vicinos Ordinis ejusdem Antistites ut possint evocare Windbergenses, unum, vel plures; qui nomine Præmonstratensis Abbatis moderetur, vel moderentur electionem; atque postmodùm Electus seipsum Patri-Abbati, vel ejus ad hanc rem Commissario præsentem sistat, aut certè compareat per specialem nuntium, infra semestre tempus, pro Canonica Confirmatione impetranda. Anno eodem Capitulum Generale apud S. Foillanum habuit Joannes de Fara: qui tandem anno sequenti 1443. die 12. Aprilis obdormivit cum Patribus suis.

XXXVI.

PETRUS RODERII, Abbas primùm de Doa, deinde Cussiaci, postea Præmonstrati, pietate & doctrinâ clarissimus, sed sibi ipsi despectus, erga subditos mansuetus, fraternæ charitatis fautor, toti denique Ordini carus, excessit inquit Pagius, die 8. Martii 1449. At istam epocham nonnihil elevat nomen *Joannis* Abbatis Præm. in limine Actorum Capituli Generalis anno 1446, apud S. Quintinum habiti, occurrens.

XXXVII.

JOANNES AGUETIUS, Canonicus & Provisor Præmonstrati, bonitate, eruditione, & paternâ clementiâ spectabilis, simplicitatem columbæ conjungebat astutiæ serpentis. In spiritualium & temporalium administratione perinde sagax, domum suam auxit virtutibus, possessionibus ditavit, totum denique Ordinem Reformationi

formationi Eugenianæ ex parte reluctantem, apostolicis jussit subesse constitutionibus. Obsistebant Reformatoris zelo potentes sæculi; sed infracto animo domuit rebellantes, Nicolai V. accedente patrocinio. Anno 1454, die 21. Octobris, sedente Capitulo Generali, Abbatiæ Bonæ Spei gratificatus est, ex annuis Monasterii illius talliis detrahens remittensque septem francos pro perpetuis futuris temporibus. Die 9. Novembris 1458. Sancto fine potitus in Capitulo sepelitur.

XXXVIII.

SIMON de *la Terriere*, ab originis loco dictus de *Perona*, Ordinis Procurator Syndicus & Collegii Parisiensis Prior; fausta satis sui regiminis exordia infelici & Fratribus funesto conclusit exitu. Inflatum spiritum superbis moribus intendens, prædecessorum dedignabatur gesta, eorumque laudatoribus subirascebatur. Discordias seminabat inter fratres, & seminatas pullulantes que fovebat. Doctos despicabatur, & quasi in censores vitæ suæ furebat insaniens. Injuriarum ultor implacabilis, quibus vindictam per se retribuere non poterat, per nepotes suos de his ulciscebatur. Turbabantur interea Præmonstratæ domûs & Ordinis prostratæ per illum observantiæ regulares; ruinam que minabatur liberiùs gliscens irregularitas. Tanto malo ut occurrerent Patres, ad Paulum II. gemebundi suas detulerunt quærimonias, & exauctorationem Simonis instantissimè efflagitarunt. Causam discussit examinavitque Pontifex: verùm pollicitationibus Simonis, meliorem spondentis vitam, vel misericordiâ tactus Paulus, noluit sævire in Simonem: sed provisionem Monasterii sibi & successoribus suis reservavit, dum illud vacare contingeret. Temperatior hinc factus Abbas, è naufragio vix ereptus, paulò æquiorem vitæ normam tenuit. Indictionem Generalis Capituli, de Patrum beneplacito, ad Dominicam IV. post Pascha transtulit, & deinceps faciendam decrevit. Hunc senio confectum obiisse scribit Pagius 21. Junii 1470, verùm aliud habet MS. codex Diligémensis, in quo sic legitur: » anno 1471. 21. Januarii obiit R. D. » Simon, quondam Abbas Præmonstrati, qui » fundavit unum altare, cum superposita ta» bula, in Ecclesiâ *Insula Ducis* prope *Gemp*, » & ordinavit celebrari Festum Sti. Fursei & B. » Barbaræ in dicto conventu per Festum duplex. » Ac iisdem pro suo anniversario reliquit tres flo» renos Rhenenses, è quibus duo applicandi pi» tantiæ Conventûs in dicto Festo S. Fursei. » Hæc verba, *quondam Abbas Præmonstratensis*, innuunt, juxta phrasim in Ordine usitatam, Simonem sex circiter ante obitum mensibus resignasse. In Ecclesiâ S. Martini Laudunensis, ad aram S. Christophori sepelitur.

XXXIX.

HUBERTUS *Monte-hermerio*, acer ingenio, Theologus & Jurisconsultus celebris, ex Abbate Vallis Dei, transfertur per provisionem Apostolicam Sixti IV. ad Ordinis apicem III. kal. Septembris 1471. Antecessoris sui forte eruditus, quantò magis dignitate auctus est, tantò humilitatem coluit ardentiùs, & caritatem in Fratres, quibus paterné providebat de necessariis, ne temporalium defectus detrimentum inferret in spiritualibus; beneficum in pauperes, hospitalem & gratum advenis, doctorum Mæcenatem se exhibuit, iisque ad Theologiæ & juris Canonici gradus in Almâ Parisiensi Universitate Studentibus viam pandit, ex Sixti IV. Diplomate, ut hoc honoris incentivo excitati, ad Studia inardescerent ampliùs. Ordinem quoque à Gratiarum Apostolicarum effluvio exundante, hoc est, à reservationibus, expectativis, collationibus, commendis, unionibus, boneficentia Sixti IV. exemit: & istiùs ac aliorum à prædecessoribus collatorum privilegiorum defensores impetravit Abbatem Sanctæ Genovefæ Parisiensis, Decanos S. Georgii Coloniensis, & S. Petri Lovaniensis; qui auctoritate Apostolicâ in Ordinis impetiti auxilium assurgerent vindices parati. Joanni de *la Porte* Abbati de Seriaco in pratis postulanti concessit Hubertus in Coadjutorem, cùm Spe futuræ successionis Fr. Thomam Thallet: quam quidem institutionem quò jure fecerit, ipso suo docèt rescripto: » cum » per speciale Privilegium, inquit, à summo » Pontifice nobis Abbati Præmonstratensi con» cessum Prælaturarum & beneficiorum resi» gnationes, cessiones, translationes, permu» tationes, ac debilibus & infirmis Prælatis Ad» ministratores dare & constituere ad nos, tan» quam supremum, & nostri Ordinis Monar» cham unicum, spectet; nos &c. Anno 1477. Grangiam de *Vico Fesenciaci*, ab Monasterio Casæ Dei pendentem, in Præposituram evexit, probante Generali Capitulo. Ad Regis Galliarum Ludovici XI. curiam famâ Huberti advolante, illùm accivit Rex, & Consiliarii, nec non Eleëmosynarii & commensalis perpetui honore insignivit. Consiliis juvit Principem, & à Principe rariùs liberali, largas opes, amplam que privilegiorum Ordinis obtinuit confirmationem. Piis fundationibus Regiam liberalitatem consecravit pauper & devotus Abbas, ac pro temporis hujus more de acquisitis fecit mercimonium spirituale, Canonicos adstringens ad anniversarii pensum, ex donationum suarum intuitu, quasi legitimè parta à Prælato, gratis ad filios non deberent jure devolvi. Anno 1494, die 13. Novembris instituit in Coadjutorem Bonæ Spei Fr, Nicolaum de *Merdop*, cùm iis ritibus & cæremoniis, quàs exscripsit in sua Bonæ Spei Chronica Maghius pag. 434. & seqq. Die 17. Martii 1497, inter psallentium & lugentium Fratrum stipantem catervam obiit Præmonstrati. Vacabat adhuc Sedes die 15. Octobris; cum eò die Si-

mon Vasalli, Prior Præmonstrati in vim Indulti Apostolici, concedentis Prioribus unà & Conventibus Jura Patrum Abbatum, quoties Abbatiæ Paternæ occurreret vacatio, delegat Abbatem S. Mariæ in nemore Præsidem Electionis celebrandæ in Abbatia S. Pauli Virdunensis.

XXXX.

JOANNES *de Lescluse*, ex Abbatiâ Montis S. Martini ad Præmonstratensem Prælaturam postulatus migravit, pietate & scientia venerandus Antistes. Anno electionis suæ primo, litteris Caroli VIII. Francorum Regis accitus est cum Abbatibus S. Martini Laudunensis, Cuissiaci & Branæ, circà Festum Nativitatis Domini: de Reformatione in Ordinem inducenda per integrum mensem disceptatum fuit. Regiæ Majestatis pios conatus jussaque pro virili parte fovit explevit que piissimè affectus Archimandrita; non eo tamen successu, qui regalem sollicitudinem sustulerit. Hinc binis post annis Generali Ordinis Capitulo coëunte Lauduni, nomine Ludovici XII. adfuit Oliverius Regni Cancellarius, requirens, ut ad tenorem quatuor articulorum redactorum in scripta, mores & disciplinam Ordinis reformaret Capitulum Generale; alioqui per alteriùs professionis homines Regem provisurum. Ad Præsidis nutum perlegit Cancellarius articulos, qui pessumdatam hoc in vastissimo Regno religionem in essentialibus punctis præsupponunt, & famæ prædecessorum Joannis inurunt lituram, deturpant regimen, nomina commaculant. Ne quid simile sibi suæque conscientiæ exprobaretur, manum illicò mittens Joannes ad fortia, reformationem auspicatus est. Quià verò inveterato vulneri non poterat nisi indulgens adhiberi manus ad Curam, dispensationem ab abstinentiâ carnium impunè dudum violatâ, & nusquam ullo conatu restituendâ, per Procuratorem Syndicum in Romana Curia Fr. Joannem Gambier, Canonicum Seriaci, instantissimè postulatam obtinuit à Julio II. qui & statuta, mitigationem sub Reformationis nuncupatione invehentia, laudare dignatus est. In hæc jurarunt congregati Patres ad San-Quintinum anno 1505, instigante & præëunte Archimandritâ; horumque postea observantiam omni promovit molimine Joannes. Concordiam cum Saxonibus in sequenti Capitulo firmavit. Hispanos Abbates de Retorta & de sanctaCruce super jure Paternitatis in *S. Sophiam* contendentes, mediâ justitiâ conciliavit, & Paternitatem adjudicavit Retortæ. Demum 18. Maii 1512, in San-quintinis ædibus letaliter decumbens, exhalavit animam.

XXXXI.

JOANNES *Evaard*, moribus optimis, sed scientiâ parùm instructus, electionem suam ægrè admissam, sponte in manibus Præsidum Concilii Pisani Lugdunum translati, resignavit, necdum acceptâ confirmatione.

XLII.

JACOBUS DE BACHIMONT, Parisiensis Doctor Theologus, genere clarus, * eruditione clarior, Domni Martini alumnus, eligitur Abbas Cuissiacensis anno 1505. Anno 1511, mense Novembri. Litteras ad Joannem de Lescluse Abbatem Præmonstrati dedit Ludovicus XII. Rex Galliæ, præcipiens ut Pisanum iter arriperet, cum aliis Prælatis Synodum celebraturus. Verùm Senio morbisque præpeditus, Patres Abbates, aliosque Viciniæ Præpositos evocavit ad se Laudunum; quorum investigato animo, plaudentibus universis, Jacobum de Bachimont, loco sui, ad eam Synodum direxit, amplissimis munitum litteris pro tuenda Ordinis immunitate, tutandisque juribus: quàm commissionem & delegationem probavit, legatum multis laudibus extollens Capitulum Generale in Oppido Sancti Quintini aggregatum anno 1512, mense Maio. Tum verò Cuissiacensem regebat Abbatiam Bachimontius. Itineris sui Comitem accepit Abbatem Thenolii. Disertam ad Patres Concilii in sessione IV. concionem habuit, teste Olivario Franciæ Cancellario; in qua necessitatem œcumenici Concilii argumentis evicit inelu-ctabilibus; eamque Doctrinæ & zeli famam in consessibus sibi peperit, ut Patres ad Ordinis supremum regimen jam ab electoribus expeditum promoverint. Reducem Pisis, & rerum gestarum gloria onustum, ad obedientiam admiserunt Capituli Generalis 1513, gratulabundi Patres: atque laboribus emensis stipendium, officiis in Ordinem præstitis gratitudinis pignora, expensis Bullarum fusis levamen aliquod ut impenderent, generalem talliam indixêre ab unoquoque Prælato, aliam insolitam contributionem à parochis præstandam. Sævìit tamen Julius II. in Patres Synodi, qui Bachimontium promoverant, & in ipsum promotum, in utrosque anathemate disploso: hanc excommunicationem, veluti irritam despexit, utpotè quam Judex tulerat, in cujus mores & vitam œcumenica Synodus inquirebat. Pacatâ nihilominus sub Leone X. discordiâ, ne quid scrupuli facesseret confirmatio prior, novam à Leone impetravit anno 1514. Reformationi Ordinis statim incubuit, & sub approbatione Capituli Generalis variâ statuta promulgavit anno 1517. In capite actorum Capituli Generalis 1518, nominatur Præmonstrati & Branæ insimul Abbas & quidem hic primùm nihilominus si qua necrologio Branensi fides, jam ante præerat Branæ. Mirum quantis jocalibus, ornamentisque aliis ditarit Ecclesiam suam; quam multis ædificiis auxerit domum; quanta sollicitudine Hispaniarum Circariam ab Ordinis consuetudinibus aberran-

* *Vide Morlier in Nobil. famil. Ambian.*

tem ad pristinos mores revocaverit. Die 16. Maii 1531, vitam dierum & bonorum operum plenam consummavit Præmonstrati. Ante primarium altare conditus est sub marmore nigro, quod ne tumulati quidem præfert nomen: hanc sui oblivionem in terris jubens proximus morti Abbas, suumque in cœlis solùm scribi nomen affectans. Vivit tamen in operibus mutis & disertis. Posteritati victurum transmiserunt in suis Necrologiis Canonici Branenses ad diem 16. Maii: » Commemoratio felicis recordationis ac piæ memoriæ R. in Christo Patris ac Domini *Jacobi de Bachimont*, » Sacræ Theologiæ Professoris, Monasterii S. » Judoci in nemore, alias Domni-Martini Re» ligiosi expressè professi, deinde divinâ permis» sione hujus Monasterii, insuper Cuissiacensis, » ac tandem Præmonstratensis Abbatis; qui » quidem suâ providentiâ & vigilantiâ ac soler» tiâ hoc Monasterium nostrum passim indiffe» renter ac funditus eversum, ac maximam » ruinam passum, honorificè reparare studuit. » Nec non in recuperatione terrarum, posses» sionum & reddituum ipsius Ecclesiæ, propter » asperos guerrarum insultus deperditorum, » amissorum & alienatorum, viriliter & provi» dè vigilavit: adeò quòd dominium ipsius Mo» nasterii auxit ad minùs ultra summam octin» gentarum librarum. Cujus denique nomen ac » fama super prospero ac salutari suo tam spiri» tuali; quàm temporali regimine apud omnes » sic invaluit, ut ad summum Ordinis Præmon» stratensis unà cùm retentione hujus Mona» sterii, meruerit, non abs re, provehi gradum. » In quo, omni sinistrâ suspicione cessante, be» nignitas, prudentiâ, clementiâ, misericor» diâ, justitiâ, nec non vitæ ac morum Sancti» tas emicuit & splenduit, ut tanquàm lucerna » accensa non sub modio, sed super candelab» rum posito, Christi fidelibus lumen suum ni» tidissimum ac salutiferum copiosissimè dif» fluderit, potissimùm lumen suæ eminentis » scientiæ; adeò ut prætextu ejusdem, tanquam » sol cæteris astris prævalens, de mandato Re» gum, Principum & Magnatum in Concilio » principali Ecclesiæ tum Turonis, tum Me» diolani, tum Lugduni, tum Pisis celebrato, » cæteros Ecclesiæ Pastores, Rectores & Do» ctores, scientiâ, benignitate & affabilitate » antecellebat, & inter eos primus habebatur. » Præfuit enim hujus Ecclesiæ regimini triginta » & quinque annis, Præmonstrati verò decem » & septem. Nomen itaque ejus apud omnes » Præmonstratenses vivat in ævum. Anima ve» rò, Deo duce, perpetua luce fruatur. Mor» tem autem obiit anno Domini 1531, mensis » verò Maii die decima sexta.

XLIII.

VIRGILIUS DE LIMOGES, de nobili genere natus, & in Theologicâ Parisiensi Facultate Magister, prædicator facundus, facie liberali & venusta, actione gravis, ex Abbate *Insulæ Dei* in Abbatem Præmonstrati assumptus, confirmatur à Clemente VII. 17. kal. Octobris 1531. obtinuit à Patribus Comitiorum Generalium anno 1532. extraordinarium & gratiosum pecuniæ subsidium, ratione solutionis Bullarum in Curia Romana. Præfuit anno uno, mensibus sex, diebus viginti septem, & mortuus est faustè & fortunatè, inquit Pagius, eo quòd Monasterium incipiebat Nobilium frequentiâ gravari, ad disciplinæ regularis, & domesticæ rei detrimentum. Ad aram B. Mariæ Virginis appositus quiescit.

XLIV.

MICHAEL COUPSON defuncto successit, post sopitam inter electores & competitores discordiam gravem. Mirùm enim quot factionibus Capitulantium vota divisa sint. *Plurimi Doctores, genus hominum ambitioni assuetum & superbiæ, cum summam Ordinis præfecturam ambirent*, quæ uni tantùm poterat convenire, electionem ad octo menses protelarunt, vix que tandem viâ compromissi elegerunt Michaëlem *Coupson*, Branæ Abbatem; qui confirmationi impetrandæ dum fervidius instat apud Paulum III. Franciscus Cardinalis Pisanus de nullitate electionem insimulat, & vacuum oratorem cogit abire. Anno 1534. Comitiis Generalibus præfuit Amatus *de Fonte*, Abbas S. Martini, *attentâ*, ut habent istorum Comitiorum actus, *vacatione Sedis Abbatialis Dignitatis Monasterii Præmonstr.* hæc autem honoris fuit non Jurisdictionis præcedentia quia post D. Præmonstratensem primo de jure Sedere loco debet Abbas S. Martini, nisi adsit Vicarius generalis Ordinis & ne defectu Pastoris, ovium salus periclitaretur, creavit Capitulum *Fratrem Mathurinum Dandelle, in jure Canonico Licentiatum, in Vicarium Monasterii Præmonstratensis; quem quidem* jam antea *R. Pater S. Martini in idem officium assumpserat attamen adveniente confirmatione Electionis R. P. Michaëlis Coupson, nuper in ejusdem Monasterii Abbatem electi, tunc isdem R. Pater præfati Fratris creationem, nominationem & institutionem ratam, gratamque habere poterit; si id æquum & laudabile sibi visum fuerit.*

Præfuit ad annum 1533.

XLV.

FRANCISCUS S. MARCI Cardinalis Diaconus, Pisanus nuncupatus, objecto adversùs Michaëlem Coupson lapsu temporis, pro electione præscripti, & devolutionis jure ad Sanctam Sedem ex eligentium negligentiâ pertinente, Abbatiam Præmonstrati obtinuit à Paulo III. nec potuit electus ab ineundâ possessione arcere provisum, quidquid apud Regem Galliæ Franciscum I. oraverit pro suâ & Concordatorum vindicia. Novum istud Capitis ostentum novam peperit in Ordine disciplinam.

Otianti Abbati & substantiam deglutienti suffectus est, ad ejus designationem Vicarius Generalis Joannes de *Folembray*, Præmonstrati Canonicus, & Clari-fontis Abbas; & taliter instituto Pro-Rectori Capitulum Generale anno 1535, confirmationem impertivit. Huic Amatum de Fonte, Doctorem Theologum, primò Cameræ-Fontis, deinde Lauduni Abbatem subrogavit; & isti mortuo successit Judocus Cocquerel in Theologia Magister, & S. Justi Abbas. Capite viduatus Ordo, magnam sibi imminere cladem prævidens, iteratis gemitibus Cardinalem interpellavit, ut pensione retentâ Abbatiam resignaret. Capitulorum precibus accessit Regis Christianissimi intercessio; Sed neutris induci potuit, honore & lucro inescatus Cardinalis. Universam Præmonstrati substantiam devorabat, ne quidem superstite pro Fratribus alendis stipendio sufficienti. Ad eas tandem angustias perventum est, novitiorum admissionem prohibente, & propagationem Ordinis præfocante Commendatarii Abbatis avaritiâ, ut tantæ vexationis non ultra patientes Capituli Generalis 1553. Proceres, Patri Francisco Bottée, Præmonstratæ Domûs Vicario provinciam dederint inquirendi quâ viâ, quibus artibus ad receptionem, novitiorum cogeretur Cardinalis; vel eò perfractè id rennuente, prætermisso consensu minimè necessario, ut eos ipse Bottée ad vestitionem & professionem reciperet auctoritate suâ permiserunt. Pissiaci Comitia anno 1561 habita, Pontifici Regis nomine supplicandum sanxerunt, ut amoto Commendatario, liberam permitteret Præmonstratensibus electionem, assignata Cardinali Pisano recompensatione, qualem sua Majestas duxerit assignandam. Quo quidem decreto fractus, & de tituli securitate anxius Cardinalis, illico juri suo sponte cessit in favorem Cardinalis Ferrariæ, Apostolici tum in Gallia legati.

XLVI.

HYPPOLITUS *d'Est*, Cardinalis Ferrariensis dictus, in vim resignationis acceptam Abbatiam adiit 14. Maii 1562, nullo vel audente, vel volente adversùs Principem regio Ludovici XII. sanguine ex Renata scilicet Matre progenitum, mussitare. Monasterii Vicarium Generalem nominavit Franciscum Bottée, Parisiensis Academiæ Doctorem. Cùm verò Vicariatus Ordinis vacaret per decessum Judoci Cocquerel, Abbatis S. Justi, nec de subrogando successore esset solicitus, licet Senatus-Consulto ad alium subrogandum cogeretur, Canonici Præmonstratenses Capitulariter congregati anno 1565. elegerunt Patrem Gilbertum de Tournebulle, Abbatem de Moncellis, à Capitulo Generali anni ejusdem approbatum 20. Maii. Suo juri postmodum consulens Cardinalis, electum confirmavit. Anno 1572, fatis functo successit.

XLVII.

JOANNES *Despruetis*, Canonicus Gratiæ Dei, seu S. Joannis de Castella, Adurensis Diœcesis, Doctor Sorbonicus & verè doctus; quem Pissiaci regius Conventus pro fide & disciplinâ differentem suspexit, quem è pulpitis Cathedralium Ecclesiarum tonantem Gallia stupens audivit. Ad Præmonstrati infulas unanimi Capitulantium suffragio, & humilibus ad Gregorium XIII. porrectis precibus à Capitulo expetitus, eodem Pontifice concedente, pervenit. Apostolicas provisiones IV. Idus Decembris 1572. expeditas accepit Joannes Bellovaci, dum prædicationi instaret ferventiùs. Possessionem Abbatiæ cùm capessivisset, paupertatis ejus miserti Patres Ordinis in comitia generalia coacti anno 1573, gratiosam effusamque contributionem ex omnibus Monasteriis præscripsêre, quâ ferendis Bullarum suarum expensis uteretur. Nutans ubique per Galliam regularis Ordo, sed maximè Præmonstrati, zelum neo-electi succendit ad instaurationem Norbertinæ familiæ, quam hæresum, Seditionum, impietatum que monstra, obstetricante Calvino, enata in Gallis dilaceraverant & prostraverant penè. Capitula Generalia primùm convocavit, ubi pro ea, quâ pollebat, dicendi suadendique dote, Abbates ad reformationem in se & in subditos inducendam, vivaci sermone compulit. Tum Flandriæ, Brabantiæ, Hannoniæ, Galliæ visitationem canonicam aggressus, quotquot passim abusus offendit sub languidâ binorum Cardinalium præfecturâ impunè subortos, falce religiosæ magnanimitatis resecuit. Hispaniam lustrare volebat, sibique paraverat accessum, missis ad Catholicum Regem supplicibus litteris; sed Patres Hispani tunc novis viventes moribus, quos sibi nuper condiderant, aditum petenti occluserunt, ne regiminis formam immutaret. Romam ergo de jussu Christianissimi Regis petiit anno 1578, & à Gregorio XIII. benevolè exceptus, Pontificum Diplomata in gratiam Ordinis concessa à sæculo renovari fecit. Aliud quoque addidit Pontifex, quo liberam visitandi reformandi que singula singularum Catholici Orbis Provinciarum Monasteria facultatem impertiebatur Joanni. Et hinc attoniti Hispani ad unitatis vinculum sponte redierunt, suamque Capiti obedientiam & subjectionem humilibus litteris anno 1581, devovêrunt. Anno 1583. Synodo Remensi, cui præsidebat Ludovicus de Guisia Archiepiscopus, interfuit Joannes Abbas. Lotharingiam, Germaniamque indefesso pede peragravit, vir omni labore superior, nullo obice minor, & ubique Norberti Spiritum suscitans, temporis & laxitatis inspersas abstersit maculas. Redux ex Apostolicâ missione, & immenso attritus pœnitentiæ laborumque studio, epidemica corripitur ægritudine, quæ vitæ præsenti imposuit finem, æter-

næ datura exordium, die 15. Maii 1596. Ex hac epochâ, Epitaphio mox exscribendo firmatâ, vides erraſſe Pagium, qui Bibliot. Præm. pag. 978. col. 2. obitum Joannis anno 1593. diei que Maii 15. consignat, immemor epochæ jam pridem ab ſe poſitæ operis ejuſdem pag. 308. col. 2. quæ tamen non minùs à vero, quàm ab altero hoc chronologico caractere recedit. Epitaphium ſupra laudatum ſubjicio:

» Cy giſt le corps de trés docte & trés Révérend Pere en Dieu *Jean des Pruetz*, en son vivant Docteur en Theologie & Abbé de ceans; lequel aprés avoir religieusement gouverné cette maiſon & tout ſon Ordre vingt trois ans trespaſſa âgé de 75. ans le 15. Maii 1596. Priez Dieu pour ſon ame.

Ad Caput hæc verba leguntur:

Mihi hodie, cras tibi.

Hoc ſimplici elogio parentarunt manibus tanti viri, tanti que Patris ſimplices filii. Nobis ad elogii complementum, præter ea, quæ jam diximus, addere liceat *Generalis Reformatoris*, titulum paſſim ab eo aſſumptum in chartis, re, ut nomine, fuiſſe impletum abundantiùs. Scriptis & verbo Calviniſtarum placita confutavit, dicendi & ſcribendi æquè peritùs Doctor. Beatiſſimi Patris Noberti cultum publicum procuravit, & promovit. Sui Monaſterii bona infauſtis commendæ temporibus alienata recuperavit impigrè. Hoſpitibus & maximè egenis beneficus, utroſque larga excepit refovit que manu, ſibi parcus Abbas; religionis formam moribus & habitu edocens. In ſtationis clauſtro ſepulcrum elegit.

XLVIII.

FRANCISCUS à LONGO-PRATO, Canonicus Præmonſtrati, Aniſiaco Diœceſis Laudunenſis caſtro oriundus, Collegii Pariſienſis deſtinatus Prior, Vallis ſecretæ electus Abbas, poſtmodum Fratrum vocatione Præmonſtrati præfecturæ imponitur anno 1596. Æmulum habuit D. de Sain-Blancart, regio Henrici IV. Diplomate munitum; qui ſtatu Monaſterii explorato, regiæ nominationi non ſubjecti, ſuum jus ex omni parte caducum D. de Lamet, Arcis Cociacæ Præfecto tranſmiſit. Ille Brevi regio, ut ajunt, inſtructus, bona Monaſterii invadit, & redditus ex bellorum ſtrage ſuperſtites fecit ſuos. Exactorem injuſtum ad ſanctioris conſilii Judices provocavit Franciſcus, indeque negotio juridicè pertractato, manavit arreſtum 14. Junii 1604. intruſum ab omni poſſeſſione & jure poſſidendi excludens: Machinabantur interea Abbates Belgii proprium, ſibi Caput, ſub Provincialis triennalis nomine, fingere, ad inſtar Circariæ Hiſpanicæ; jam jamque Pontificem propitium habentes, rem actam gloriabantur. Sed Franciſcus libelli ſupplicis porrecti certior, hjuus fundamenta non modò ſcriptis exploſit, verùm etiam opere confutavit. Accito enim in Auxilium ſervatio de Layruelz, Doctore Sorbonico, Abbate S. Mariæ in Lotharingia, viro doctrinâ & ſermone plurimùm efficaci, Belgium de conſenſu Archiducis, nec non Lotharingiam, & inferioris Germaniæ partes luſtravit, reformavitque eo zelo, ut reformatorem alium expoſcere ultrà non præſumpſerint. A Paulo V. Eccleſiam SS. Petri & Marcellini obtinuit anno 1609. ad ædificandam ibi Ordinis Abbatiam; ſed votis Franciſci Ordo cùm ſatis propitius non eſſet, evanuêre conſilia. Ingraveſcente demum ætate laboribus exhauſta, Coadjutorem ſibi acceſſivit P. Petrum du Rieux, Canonicum Præmonſtrati, Facultatis Theologicæ Pariſienſis Doctorem, & Sancti Joannis Ambianenſis priorem. Turbavit iſta prælatio animum Pagii Prioris Collegii Pariſini, à quo Prioratu jam Petrum du Rieu expulerat, & totus ad ſupremam Ordinis, dignitatem anhelans, intercedit, & de Abuſu ad Senatum Pariſienſem appellat: à quò irrita ejuſmodi electio proſcinditur. Fruſtratam ſpem cavillationibus Pagii ægre ferens Franciſcus Abbas, illùm à Prioratu Collegii Pariſienſis amovet 5. Octobris 1612. Aſt Pagiùs exauctorationis ſuæ gravamen novo ad Parlamentum recurſu provocat, & officio reſtituitur, Patrum judicio anno 1613. Iſque ſupremus fuit Venerandi Abbatis Franciſci: apoplexiâ enim tactus migravit ex hac vitâ 23. Aprilis, & in ſtationum clauſtro terræ mandatus eſt cum hac epigraphe:

» Hîc jacet Reverendus Dominus Franciſcus à Longo-prato, qui Vallis-ſecretæ primùm, deinde hujus Eccleſiæ Abbas electus anno 1596, tandem Valle-Secretâ reſignatâ, hîc obiit 23. Aprilis 1613. ætatis ſuæ 74.

XLVIIII.

PETRUS COSSETIUS, Canonicus & Proviſor Præmonſtrati, inter diſſidentium contendentium que de Abbatia rixas gaudet tertius hæres. Die enim 31. Maii ad electionem aſſignata, Pagius duos Senatûs Pariſienſis conſiliarios, ut res ſuas promoverent, curavit à Rege ſubmitti Præmonſtratum. Strenuè pro Pagii electione inſtiterunt; ſed obſtabat Petrus du Rieux, plurimorum ad ſe vota trahens. Competitores ambo dum pro viribus certant de bravio, Deus qui de tenebris facit ſplendeſcere lumen ſuum; per Conſiliarios, quibus ambitioſorum contentio diſplicebat, eò rem promovit, ut per viam Compromiſſi, & per ſolos Canonicos Præmonſtratenſes fuerit electus Petrus Goſſet. Ita ſeriem hiſtoriæ ex actis recenſet Pratanus, Pagio nonnihil ſubiraſcens, quod veritatem narrationis adulteraverit, ut deſperatæ ſuæ cauſæ patrocinaretur. Electionis iſtius Inſtrumentum inter probationes ſubjiciemus.

Prædeceſſoris veſtigia terens, Monaſteriorum Galliæ viſitationem inſtituit Goſſetius.

Privilegiorum Ordinis renovationem obtinuit à Paulo v. Capitulum Generale ad stabilimentum disciplinæ regularis convocavit anno 1618, ad quod confluxerunt ex variis plurium Regnorum Provinciis præter quatuor Patres Abbates, Prælati triginta, & Priores innumeri. A sæculo non fuerat conventus celebrior, vix efficaciorem invenias ad reformationis spiritum prius languentem restituendum ubique. Uno quippe impetu, & zelo quodam æmulo Abbates Lotharingiæ, Belgii, & Westphaliæ, excitati, instaurationem morum antiquorum auspicati sunt, & ad eam, præsertim in Lotharingia, provexit perfectionem Layruelius Abbas S. Mariæ Nemorensis, ut primitias fervoris Norbertini in suo renovaverit asceterio; unde ad alia non Lotharingiæ modò, sed Campaniæ, & Neustriæ Monasteria propagatus est, ex quibus anno 1620, sub approbatione Gossetii Congregatio coaluit. Capitulum Generale binis abhinc annis congregatum applausit nascenti Congregationi; totum se impendit, hortatore potissimum Lohelio Archiepiscopo Pragensi, resuscitando Ordinis splendori, & ejus reformationi stabiliendæ. Impellente postea Gossetio sacri cineres B. Patris Norberti è manibus hæreticorum erepti, & ad Bohemiæ Metropolim translati, magno ac regio apparatu in Strahoviensi Ecclesiâ sublimantur. Duodecimo denique Augusti die 1635. vitam integritate, pietate, zelo, observantiâ, beneficentiâ spectabilem posuit, ætatis suæ anno fere octogesimo, & in Capella B. Virginis, quam speciali devotione prosecutus fuerat, conditus est cum hoc epitaphio: » Hîc jacet » R. D. Petrus Gossetius hujus Archicœnobii » Abbas canonicè electus die 31. Maii 1613. » Cui post avitam hîc & in multis aliis Ordinis sui Monasteriis exemplo suo ac Studio » restitutam regularem observantiam, & post » alia multa pro totius Ordinis Reformatione » ab ipso præclarè gesta & instituta, plenus die» rum ac bonorum operum obdormivit in Do» mino 12. Augusti anni 1635. ætatis 80.

Ad effigiati corporis caput legitur:

» Deus Cordis mei, & pars mea Deus in æternum.

» Eleëmosynas illius enarrabit omnis Ecclesia sanctorum.

Ad Pedes:

» Offerebant ejus filii in Christo carissimi.

L.

Ante Gossetii obitum Cardinalis Richelius Abbatiæ inhians, præcursorias à Rege curaverat expediri litteras die 28. Februarii ad Baronem de Lamet Couciacæ arcis Præfectum; ut casu mortis moribundi Gossetii adveniente, præcipitem prohiberet electionem fieri successoris. Officio fungens de Lamet, ipso, die obitûs vetuit Regis nomine; Præmonstratensibus, ne quid attentarent, donec Regia Majestas annuisset. Paruerunt jussis humiles subditi: at ne diu orbata Pastore maneret Ecclesia, ad Regem delegarunt Gervasium le Vasseur, Theologiæ Baccalaureum, Augustinum le Scellier Provisorem, & Præmonstrati alumnos; qui pro accelerandâ electione Ludovico XIII. supplicarent. Annuit Oratorum precibus Rex, suoque sanctioris consilii decreto dato Moncellis * die 27. Augusti Commissarium deputavit D. Lanier, libellorum supplicum Magistrum.

* Monçeaux.

Seriam esse Regis concessionem, proximam que electionem autumantes Canonici Capitulantes, indictionem evulgarunt, quâ ad vigesimum secundum diem Octobris exteros advocabant. Patribus quoque Abbatibus D D. nempe Nicolao le Saige S. Martini, Joanni Roberti, Florestiæ; Annæ Michaeli de Castelnau, Cuissiaci Abbatibus, diem intimavêre congressûs; ad quem invitarunt pariter Ludovicum de Lamet, Vallis serenæ; Jacobum Chastellain, Vallis secretæ; Rogerium de Villa-longua, Bucilii; Philippum Morel, Clari-Fontis Abbates: qui ad indictam diem omnes coïerunt, excepto Florassiensi, qui per Procuratorem comparuit.

Verùm Richelianæ ambitionis artifex & promotor Abbas S. Martini, ad finem obtinendum parata nondum media intelligens, inducias petiit & suasit Cardinali: hic litteras impetravit à Rege quibus electio protelabatur sub obtentu absentiæ D. Lanier ad alias partes ablegati. Rescriptum dilatorium notarii Laudunenses notificarunt Electoribus ipsa die 22. Octobris capitulariter congregatis. Edicto Regio obsequentes Canonici recesserunt. Alterum paulò post manavit à Regia Majestate sancitum, quo ad diem 21. Decembris eligendi facultas indulgebatur. Gratanter illud accepere Canonici, sese que ad opus sanctis accinxerê operibus. Et quia tenebricosas Abbatum S. Martini & Cuissiaci artes infringere aliter quàm orationibus non poterant, has geminarunt, & futuris periculis providâ juris-peritorum consultatione obviaverunt.

Interea Chrysostomus, Antuerpiæ; Chrysostomus, Grimbergæ; Theodorus, Tongerloæ; Joannes, Bernæ; Joannes Ninoviæ; Joannes, Diligemii Abbates, Ordinis saluti exhortatoriâ Epistolâ convenêre Præmonstratenses Canonicos, quâ Apostolico zelo, & suasibilibus apostolicorum virorum verbis illos ad electionem faciendam dignam Deo, dignam Ordine, talem denique & talis hominis, qui dilaceratum & in schisma proclivem Ordinem suis que penè stantem legibus firmaret. » Germani inquiebant, & Belgæ, intentis in vos » oculis animisque suspensi, prudentiam ve» stram, fidem, constantiam implorant. Mi» nimè certè spernendæ vobis, aut negligendæ » Germanorum quærimoniæ jam veteres, iis » neque paucis, ut ipsi mutire, imò clamare

» non desinunt, offensionum causis stimulatæ. » Quid futurum modò, si alienum tibi, aut vi- » tiosum caput imponi videant.... Quare in » locum optimi Patris Gossetii, imò in SS. Nor- » berti locum, vocantibus vobis & statuenti- » bus, videte ne veniat, nisi verè Norbertinus. » Date nobis irreprehensibilem, sine crimine, » non turpis lucri, non honoris cupidum, non » exoticum quempiam, & malarum artium » hominem, non venientem aut suspectum de » Schismate, non pervicacem, non calcitro- » nem, non Giezi, non Simonem. Scientibus » loquimur, & bene cupientibus. Confortami- » ni igitur & estote viri.

Electorum animos, erexit Belgarum adhortatio sic ut præstituto electionis die cùm Præmonstratum adventasset Regis Commissarius, deducens secum Joannem le Paige, Doctorem Sorbonium, Pastorem de Nantouillet, & à Syndicatûs Ordinis exauctoratione, Ordini infensissimum, Richelii fidelem asseclam. Capitulantes concordes adeo & in bonum conspirantes invenit, ut ad curialis auræ flatum nutum ve flectere illos nequiverit. Imò ne Pagio quidem ablatum olim jus suffragii restituere potuit, gratiam hanc à Generali Capitulo pendere allegantibus Canonicis, quam Generale Capitulum anno 1625. ob incompositos Pagii mores auferendam judicaverat. Frustra Abbates tentarunt Capitulantium constantiam, precibus, obsequiis, frustra verbis minacibus, intentatoque Regali fulgure terrere conati sunt; nihil obtinuêre suis artibus.

Horâ igitur post meridiem secundâ ad Abbatiales ædes Conventum, stipante satellitio, advocat regius minister, rogatque ut spoliato Pagio votum & vocem dignetur reddere, sicut & beneficiorum potientibus de gremio, qui ob impetrata aut permutata beneficia sine proprii Prælati consensu à voce activâ exciderant. Petiit ulteriùs ut Abbates ad consilium vocatos, aut ex jure electioni comparentes, ad suffragium admitterent Capitulantes Canonici. At nihil horum evincere potuit. Tantâ constantiâ provocatus ad iram minister, spreto Capitulantium assensu, ad eligendum habiles sua auctoritate hos omnes edixit. Fratrem insuper Antonium le Fevre, mentis nullatenus compotem votantium adscribi jussit numero, quidquid in oppositum reclamarent cæteri.

Rebus ita ad arbitrium Comissarii aptatis, die Dominica 23. Decembris præcipit Missam de Spiritu Sancto, ut moris est, decantari. Eâ absolutâ Capitulum, cinctus militum manu, comitantibus Cociaci Præfecto, & Fisci regii Syndico, ingreditur. Sermonem habuit ad Fratres idiomate Gallico, quem latino excepit Abbas S. Martini, & uterque pro viribus partes Richelii dicendo promovit. Postea electionis duplicem & in Ordine consuetam formam præposuit Abbas, pro sui muneris paterni debito. Nec mora: Adrianus Gosset Prior, Quintinus Bonvalet supprior, & Novitiorum Magister Nicolaus Vairon, Baccalaureus Theologus, Gervasius le Vasseur, itidem Baccalaureus, cæteris numero viginti concinentibus, inspiratione divina velut afflati, uno ore & communi voce P. *Petrum Desbans*, S. Mariæ Majoris Mussipontanæ Abbatem, Congregationis Reformatæ Vicarium Generalem, in Abbatem Præmonstrati, nemine contradicente, elegerunt, & statim *Te Deum Laudamus*, altis & alternis vocibus, ad Ecclesiam procedentes cecinerunt, campanis & organis resonantibus. Illo vix absoluto Commissarius Priorem armata manu prendi jubet in Claustro, dum aliis exitum de Ecclesia præcludunt satellites sclopetis & gladiis strictis viam obserantes. Superarunt nihilominus minitantium repagula fortiores Canonici; sed victi Commissarii emollire nequiverunt, iracundiam, Magis magisque inardescens, Abbates & Beneficiatos, quibus liberaliter vocem activam contulerat, ad Capitularem revocat aulam: Capitulares verò Canonicos, qui ad Dormitorii cellas se receperant, satellitiâ intimatione ad judicium redire compellit. Parent illicò primi, aliis recusantibus totumque electionis negotium consummatum esse palam asserentibus.

Feliciorem sibi spondens successum Abbas Sancti Martini, Conventuales adiit, quos mollibus verbis ad sua consilia conatur pertrahere. Renituntur illi. Obstinatos in proposito terriculamentis obedientiæ, & excommunicationis fulgure vibrato ad Capitularem concessum jubet reverti. At vana imminentis periculi imagine nihil commoti, Abbatem se habere & Generalem responderunt, cui tam ille, quàm ipsi obedire teneantur, totamque Præsidis jurisdictionem abiisse in vapores, ex quo Præmonstrato Abbatem & Caput Ordini imposuerunt electione canonica. Quassatus hoc responso San-Martinensis Abbas, ad Capitulum re infectâ & desperatâ redit, suadet que Commissario, ut seclusis rebellibus, electionem pertractet cum pacificis. Præsidiis opinationi applausit Minister, & quâ potuit decentiâ, tumultuarii isti electores venalia suffragia Richelio tradiderunt.

Ad votum Commissarii electione sic fictâ, dormitorium, Prælatis sequentibus, ascendit, obseratas portas effringi imperat. Irruunt prompti satellites, & ferreum Thesaurariæ ostium effringere dum moliuntur, Canonici ambitum circumvallant, & corpora pro muro objicientes, reprimunt insilientium impetus, parati, ut aïebant, pati omnia, quàm dare in prædam monumenta Ecclesiæ. Steterunt ad horum conspectum acerbi satellites, quievit Ministri furor extremus, & remissiori iræ loco facto, voluit refragos in dormitorio sub nocturnâ serâ concludere. Sed illi liberum debere ad Ecclesiam patere ingressum conclamantes, deterruerunt à consilio. Ne quid tamen ultra au-

derent, accersivit Cociaco militarem cohortem, quam in Claustris, in hortis, & in Ecclesiæ foribus turmatim divisit ad custodiam, quæ à vigesima tertia Decembris ad 26. omnes vitæ commeatus intercepit, & nonnisi spoliis onusta discessit à Monasterio.

Neque hîc stetit Commissarii impotens vindicta. Abbatem agens, officiales à suis amovit obedientiis, alios installavit, duos mancipavit carceri Conversos, nulli pepercit, omnibus succensens. Quibus ad libidinem non tam suam, quàm adulantium Prælatorum, seu veriùs, prædonum peractis, iter versùs Parisios arripit Lanier, custodiâ Monasterii regiis stipatoribus demandatâ, ut nulli eorum, qui favere electioni Richelianæ noluerant, liber esset eundi, redeundi ve locus, sed etsi ad oculum penè observarentur à vigili milite, litteris non potuit commeatum occludere attenta satellitis præcautio. Seriem utriusque electionis Patri Cornelio Hanigrave, Romani Collegii nostri Præsidi, & Ordinis in Urbe Syndico transmiserunt. Cardinalem Spada Ordinis protectorem pro eadem causâ litteris informarunt, & utrumque mediatorem pro confirmatione Patris Desbans obtinendâ constituerunt. Renuebat ille tantis se immiscere periculis, & tanto humeros jugo succollare. Hinc formidandi Cardinalis potentiam reveritus; illinc Ordinis regimen in se suscipere timens, vir ad ima quæque demissus: unde & suos electores humilibus responsis datis in Civitate Remensi 25. Decembris anni 1635 obtestabatur, ut à prosecutione sui juris temperarent.

Non ita Richelius, ad Generalatûs apicem totus aspirans, sentiebat. Caducum licet ex omni parte, & intrusione violentâ partum qualecumque jus tutans, litteris regalibus protexit, & administrationem Monasterii, sub œconomatûs titulo arrogavit sibi, donec Bullis apostolicis institueretur. Illas omni conatu, & omni arte suffurari tentavit apud Urbanum VIII. Sed fraudulentæ vanæ que electioni nusquam dignatus est patrocinari Pontifex; in hoc tamen non laudandus, quòd legitimè & canonicè electo confirmationem rogatus minimè impertiverit. Irato & implacato Pontifice, fruitus est interim Richelius, substantiam deglutivit Monasterii, Vicarium Generalem pro regundo, vice sui, Ordine constituit Abbatem S. Martini Laudunensis, architectum Richelianæ promotionis: & licet exteræ nationes nec delegantis, nec delegati Jurisdictionem agnoscerent, illi tamen subditos esse Gallos fecit imperiosus Pro-rex, donec impendentia supremæ diei fata oculos aperuissent cæci. Tunc enim iniquè adeptam Præmonstrati possessionem intelligens, de usurpatione redituum indoluit, & testamenti secretioris tabulis mandavit fieri restitutionem Præmonstrato. An morientis vota adimpleta fuerint, nescimus. Moritur 4. Decembris 1642.

LI.

Defuncto Richelio, & in libertatem assertâ Ecclesiâ Præmonstratensi, Ludovicus XIII. naturalis & insitæ pectori justitiæ resumens sensus, jura electionis restituit Capitulo. Igitur die 26. Januarii 1643. D. Foulquet, libellorum supplicum Magistrum, electionis futuræ Commissarium destinavit; qui ad Regis mentem suffragiorum libertati consulens, hoc unum à Præside & Capitulantibus expetiit, ut in Abbatem assumerent tantummodò Francigenam, quem in conscientiâ judicarent magis idoneum. Eò collimabant vota Capitulantium, & desiderium istud accenderat foverat que in animis Electorum Venerabilis Pater Judocus de Clerq, Canonicus Ninivensis, Theologiæ tum Professor Præmonstrati. Noverant penè omnes de facie, de loquela, noverant de zelo P. *Petrum Raguet*, Congregationis Reformatæ Canonicum, ejusdemque Definitorem, & in deffensandis illius juribus vindicem acerrimum in Capitulis Generalibus. Hunc probatæ fidei, religionis antiquæ virum, Reipublicæ candidæ tam administrandæ, quàm reformandæ idoneum maximè, per viam Compromissi elegerunt, & electum laudavêre Abbas S. Martini Præses, & D. Foulquet, Regis hac in parte Minister.

In Ducatu Barrensi versabatur tum Raguetius, primùm que promotionis suæ nuntium, & acceptationis faciundæ jussorem habuit Patrem Petrum de Thienville, Congregationis Vicarium Generalem. Paruit præcipienti humilis Raguetius, & Parisios tendit, Regis expetiturus mandatum, quod *Breve* appellant. Jam præverterant, circumvenerantque Regis animum malevoli Fratres, non personæ Raguetii, sed professioni ejus Reformatæ sine causâ infensi, adeo ut electionem canonicam, quibus potuerant, nævis insimulassent, totisque effecissent conatibus, ut postulanti Raguetio Breve denegaretur.

Institit ille, & supplicibus libellis suæ causæ æquitatem; contra detractores propugnavit. Negotium ad tribunal Conscientiæ discutiendum dirimendum que remisit Rex; & ad Patrum vota Breve Regium Raguetio traditum est XI. Julii 1643, litteras simul commendatitias scripsit Ludovicus XIV. Urbano Pontifici, Cardinali Antonio Barberino, Regni Galliæ Protectori, & Marchioni de Fontenai in Curia Romana Legato, quibus Bullarum Apostolicarum urgebat expeditionem.

Fraudatis hac decisione adversantium cavillationibus, aliam iniere viam Veteratores, ut electi confirmationem eluderent. Per procuratores suos intentant litem in Curia Romana, & ad Parisiensem senatum provocant de abusu. Utrique tribunali sistit se Raguetius, & Romæ per Congregationis Reformatæ Syndicum pro sui juris munimine tam efficaciter perorat, ut victoriam de inimicis reportaverit Urbani judicio;

cio; qui tamen Bullarum impetrationem non putavit accelerandam, neSenatûs-consulto Romanæ Curiæ cessaretur & in irritum abiret dispendiosa sententia. Priùs ergo fori secularis præstolandum esse decretum ratus, adversum sibi Parlamentum appellatione ad sanctius consilium mediâ declinavit. Illic magno rancore Abbas Albæ-Curiæ, Ordinis Procurator, paucos habens suarum partium asseclas, contra Raguetii electionem invectus est, eamque ex multiplici capite impetivit.

I. Quòd Paulus DE FONTAINE Præmonstrati Canonicus ad electionem convocatus non fuerit, ipsoque omisso stare nequeat electio. Sed figmentum istud revellebat Raguetius ex contextu processûs; in quo Nicolaus Collart, Prior S. Justi, nomine procuratorio Pauli de Fontaine Supprioris sui, suffragium dedisse legitur.

II. Quòd Raguetius in Capitulo Generali anni 1630, censurâ fuisset inustus, & ad quamcumque Dignitatem & officium declaratus inhabilis. Huic prætensæ nullitati occurrebat Raguetius, ipsam Capituli sententiam de nullitate convincens. Quippe crimen hoc unicum fuit sæviendi causa & occasio, quòd Abbatias Silleii & Bellæ-Stellæ inNeustriâ Reformatæ Congregationi incorporavisset, dum Visitatoris munus obiret, comitans Vicarium Generalem. Si crimen est, pietatis crimen est, ad quod audendum patrocinabantur Pontificum Bullæ, & Senatûs arresta.

III. Quòd Judocus de Clerq, Canonicus Ninoviensis in scrutatorem fuisset assumptus, reclamante sanctione canonicâ Capitis *Quia propter, de Electione.*

Verùm istam objectionem confutabat Raguetius appositione glossæ in Caput allegatum, definientis nullatenus de essentiâ electionis esse, ut scrutatores sint de Collegio, modò non sint laici. Ita pariter sentiunt Guido Papon, Joannes à Capistrano, Cardinalis, & Mandagotius, qui resolutionis fundamenta venerantur, ex apostolicâ confirmatione quondam datâ Abbati Tullensi, cujus electionem nonnulli infirmandam opinabantur quòd ex sex scrutatoribus, tres, qui non erant de Collegio, fuerant acciti.

IV. Quòd Compromissarii nec seorsim ad deliberandum se receperint, nec numerum renuntiaverint suffragiorum, quæ Raguetio obtigissent.

Ad quæ reponebat Raguetius constare ex textuali relatione electionis, Compromissarios à quatuor Abbatibus electionis moderatoribus petiisse consilium de dignissimo eligendo Abbate, nec quidquam iis inconsultis egisse.

Quantùm autem ad recensionem numeri suffragiorum, reponebat cum Tamburino, manifestum esse in electione factâ per Compromissum non esse necesse ut publicetur, quot quisque habeat voces; *de Jure Abbat. T. 1. Disp. 5. q. 6.*

V. Quòd Raguetius, ut potè Congregationis Reformatæ alumnus, non potuerit eligi, sed postulari tantùm, ut puta Instituti professorem, disciplinæ Ordinis, & Generali Capiti penitus adversantis.

Frivolam hanc nullitatem solidioribus argumentis explosit, se que Religiosum Congregationis strictæ observantiæ, nec degenerem, nec à Capite sejunctum probavit: unde per electionem, non per postulationem ad Abbatiam Præmonstrati pervenire debuisse conclusit. Nec timendum, quod instar monstri horribilis ostentabant adversarii, totum Ordinem à Capite illicò fore avulsum, si semel Reformatus in verticem ipsius sublevaretur; istud enim præsagium hominis esse psichici reposuit, abstinentiam horrentis, quam Patres coluerunt, & quam remisit Pontificum indulgentia, cui contradicere nolebat Raguetius.

VI. Quòd Raguetius, utpotè Lotharingus, ad supremam Ordinis dignitatem ascendere non potuit, renitentibus Regum Concordatis, omnem alieginam à Prælaturarum Regni adeptione excludentibus.

Palmare istud argumentum, testium nube & juridicis inquisitionibus elisit Raguetius, se que ex Bacaraco * ad fluvium murtham, Regiæ ditionis oppido natum demonstravit. Addidit insuper ab inveteratâ consuetudine & de benignitate Regum indiscriminatim patrios & exteros ad Ordinis fuisse assumptos regimen. Eamque innatam Ordini facultatem eligendi digniores ex omni gente, quæ sub cælo est, ad sera tempora propagatam, in novissimis Cardinalibus Italis revixisse.

* Bacarat.

Obruti tam ponderosis rationibus adversarii cecinerunt receptui. Abbas Albæ Curiæ arma posuit, & 16. Octobris 1643, coram Notariis Castelleti Parisiensis Bouchard & de Riviere, intercessionem revocavit. Accessêre Abbates Galli, Priores innumeri, & ita ad nihilum penè redacta opponentium cohors defectionem ominabatur. Hanc suaserat Capitulum Provinciale 21. Aprilis anni ejusdem celebratum Præmonstrati Præside S. Martini Abbate, ad quod confluxerant Circariarum Franciæ, Floreffiæ, Pontivi & Lotharingiæ Abbates & superiores: his namque considentibus lectum est rescriptum Urbani Papæ 8. de anno 1641, die 8. Martii, quo eligendi Abbatis Præmonstratensis licentiam concedebat; & quasi hoc Rescripto iterandæ electionis ansam captare intenderent opponentes, priorem de Raguetio factam rescindere moliebantur. At Patres congregati, saniùs opinantes, hoc emisêre decretum; » Capitulum decrevit censuitque & de» claravit præfatum Rescriptum nullius ampliùs » esse virtutis & roboris, cùm ejus exsequendi » tempus præterierit: siquidem per electionem

juxta Ordinis Consuetudines de Abbate Generali fuit provisum.

Non absterriti sunt tamen à proposito nonnulli, ex reformationis odio in reformatum Raguetium decertantes, litem Romæ & Parisiis protrahentes fervore constanti, incerto & quasi desperato exitu. Spem litigantium erexit
1644. Urbani 8. decessus, & Innocentii X. inauguratio. Tunc enim novis artibus novi Pontificatûs tribunalia aggressi, electionem Raguetii per abusum & violentiam brachii secularis factam, calumniantes, irritari, & alteram fieri obtinuerunt, parte inauditâ, per Rescriptum diei 12. Maii. 1645.

Hoc Diplomate muniti, auspicandæ electionis apparatum struunt, encyclicas ad congressum spargunt litteras, subreptitiè facultatem eligendi emungunt à sanctiore consilio. Ovantes de victoriâ prostravit inopina Regis Sanctio, omnem eligendi licentiam rescindens, & Rescriptum Pontificis, uti fraudulentèr impetratum, resignari in manibus regiis præcipiens. Digitum hîc esse Raguetii, non æquitatis regiæ judicium, subodorati Præmonstratenses, obedientiam paulò post deposuêre & reverentiam; posthabito que mandato regali, ad electionem P. Augustini le Sellier processerunt die 31. Augusti, omissis, ut patet ex contextu arresti, juris & Ordinis solemnitatibus, reclamante Abbate Cuissiacensi, recedentibus nonnullis de consessu Canonicis Capitulantibus. Unde indignatus Rex, & pro tribunali sedens die 14. Septembris 1645, hanc electionem judiciali decreto irritavit, his verbis; » le Roy étant en » son Conseil, la Reine Regente sa Mere presente, à cassé & annullé, casse & annulle ladite élection faite de la personne de Frere Augustin le Sellier, pour General de l'Ordre de Premontré, au préjudice de la signification de l'Arrêt de son Conseil, portant défense de passer outre à la susdite élection: fait sa Majesté trés expresses défenses & inhibitions audit Sellier de s'entremettre en la fonction de General dudit Ordre, en vertu de sadite pretenduë élection, comme entreprise par attentat contre son autorité & les loys du Royaume, & à tous les Religieux de le reconnoître pour General dudit Ordre, & de lui rendre aucune obéïssance .... Fait au Conseil d'Etat du Roy, Sa Majesté y etant, la Reine Regente sa Mere presente, tenu à Fontainebleau le 14. jour de Septembre 1645. LOUIS.

Attrito per hanc irati Principis sententiam æmulo Sellerio, maxima resurgendi spes affulgebat Raguetio competitori: attamen ne diuturnitate schismatis disciplina latiùs diflueret sub anarchiæ privilegio, ab ulteriore acquisiti juris prosequutione abstinuit Raguetius, humilemque Regi & Reginæ porrexit libellum, quo abdicans sponte, ut Abbatiæ & Ordini de Abbate Generali provideretur, his instituit rationibus:

» Au Roy, & à la Reine Regente sa Mere. » Il a plû à Leurs Majestes accorder au Pere Raguet elû General de l'Ordre de Premontré des Patentes, pour mettre à execution la Bulle, qu'il a obtenuë, aux fins, de faire voir la validité de son élection, & la nullité de la derniere, deja civilement cassée.

» Mais son âge & foiblesse ne pouvant lui permettre de voir la fin d'une si longue voie, qui requiert trois Sentences conformes, & admet autant de changement de Juges, que les parties voudront, jusqu'à ce qu'elles conviennent, pendant lequel tems l'Ordre, qui gémit depuis tant d'années, redoubleroit encore ses pleurs.

» Declare que pour appaiser la tempête excitée par qui que ce soit, de peur que l'occasion de la durée de ces calamitez ne lui soit imputée, il veut être jetté dans la Mer, & enseveli dans un profond oubli, sans plus vouloir songer à son élection, dont il se deporte absolument.

» Supplie Leurs Majestez de pourvoir à l'Ordre d'un bon Superieur, ou en le nommant d'autorité .... à cause des abus commis ez dernieres élections, ou en faisant admettre à une election nouvelle des Deputez des Provinces, puisque la plupart des Religieux de Premontré sont des jeunes gens sans experience, qui ne connoissent les plus capables de l'Ordre: ou enfin, en leur en proposant six ou sept, pour en élire un d'iceux, comme eux mêmes se proposent, mais à leur fantaisie.

» Chose deplorable! de voir si peu de bons Abbez audit Ordre, qui neanmoins ont l'entiere direction d'icelui dans les Chapitres & par tout, à l'exclusion des Prieurs, que même ils instituent à leur gré. C'est pourquoi il supplie Leurs Majestez de maintenir la Reforme, ou Congregation, contre les menaces de ces Pasteurs du tout mercenaires, qui souvent n'ont rien de religieux que l'habit, qu'ils prennent seulement pour avoir plus de moyen de se flatter; au lieu que les vrais Religieux quittent leurs biens propres, pour le porter dignement. Ce seroit exposer un bon regime, de permettre qu'il dépendit d'eux, comme ils voudroient.

» Supplie enfin Leurs Majestez de lui octroyer sur les fruits de ladite Abbaye, mis en sequestre, & regis par œconome, la somme de dix mille livres, pour dedommager ceux qui de bonne foy ont soutenu sa cause, non sur les biens de l'Abbaye, comme il falloit, mais sur leur bourse; & outre ce une pension modique pour sa vie, qui ne sera pas longue.

» Son fondement, c'est la justice de ses poursuittes, qu'il a été commandé de faire sur son élection, suivie de Brevet & d'Arrêt, en vertu de quoi, selon l'usage & la disposition du droit il pouvoit tout reçevoir par ses mains sans ce-

» conomes. Que s'il a mieux aimé céder à la vio» lence de ses adversaires, que de faire plus » grand bruit, sur l'assurance qu'on donnoit à » sa cause, il n'est pas pourtant hors de raison de » repeter une partie des biens, dont il pouvoit » disposer s'il n'avoit été empeché par force. » Joint que par deux Congregations de Car» dinaux il a été jugé qu'il auroit des provisions, » à charge d'un Adjoint non Reformé, & de » celebrer à Rome le premier Chapitre Gene» ral. Que si Leurs Majestez n'ont pas voulu » accepter ces modifications, comme prejudi» ciables à l'Estat, il n'est pas juste que portant » toute la peine, il perde les frais des poursuit» tes, aussi bien que le titre.

F. S. Raguet.

Pacatis hac supplicatione tumultibus, facilis fuit competitori Sellerio via ad placandos Principum animos. Ipse verò Raguetius pia otiantis Mariæ officia sectans, extremos vitæ dies confecit Genliaci.

LII.

AUGUSTINUS LE SELLIER, ex Priore Carthovorensi, Abbas Præmonstrati electus est anno *1647*, vir disciplinæ regularis tenax, morum gravitate spectabilis, pietate & rerum gerendarum fœlici experientiâ conspicuus, & ad instaurationem Ordinis potissimùm in Galliâ obscurati, à Deo misericorditer datus; omnem à limine possessionis operam dedit, ut disjectos sanctuarii colligeret lapides, & deformatam Ordinis faciem, suffragante Anarchiâ, pristino restitueret decori. Capitula Generalia annis *1657*, *1660*, *1663*, *1666*. convocavit, & providis sanctionibus resecuit corruptelas, bonos revexit mores & Norberti spiritum reduxit. Congregationi Reformatæ non ex malevolentiâ, sed ex zelo vindicandæ suæ auctoritatis, ut putabat; nonnihil imminutæ, infensus aliquandiù visus est: sed homo pacis, pacem quærens, non jurgia, Instituti laudabilis non ardore impetendi, aut convellendi desiderio actus, attritæ Ordinis Jurisdictioni subigendi amore, & propagandæ uniformis Reformationis cupidine exæstuans, summam totius controversiæ in amicabili congressu, & à pacificis hinc inde arbitris terminari voluit in Abbatiâ Bonæ Spei. Accurrit ipse patronus & causæ vindex Reverendissimus Generalis; advolarunt P. P. de Severy, Floreffiensis, Libertus de Pape, Parcensis; Philippus Babeur, Domni-Martini; Augustinus de Felleries, Bonæ Spei, Abbates, Norbertus Caillieu Prior Præmonstrati & Doctor Sorbonicus, à Capitulo Generali *1660*, delecti Judices & concordiæ sequestri. Aderant ex parte Congregationis Reformatæ PP. Nicolaus Guinet, S. Mariæ Majoris Mussi-pontanæ Abbas, & Vicarius Generalis; Edmundus Sauvage, Bucilii; Petrus de Thienville, Senior Abbas S. Mariæ Majoris, & Prior S. Pauli Virdunensis, Doctor que Theologus; Sebastianus Colignon, Superior S. Josephi Nanceiani; Vincentius Cunim Prior Ressoniensis; Josephus Thorel, Prior Montis Dei; Isidorus Amour, Abbas Cuissiacensis. Hi omnes post litatam Deo pacis hostiam, tractatum concordiæ auspicati sunt 11. Julii *1661*, & quinque sessionibus negotium absolverunt tam prosperé, ut eliquata utriusque partis jura ineundæ posteris disciplinæ modum, & formam præstiterint jurisdictionis.

Anno *1663*, Cæsar Cardinalis Estræus, Laudunensis Antistes, Canonicorum S. Martini civitatis ejusdem immunitates fatali conquassarat arresto, & uno vulnere Privilegia enecaverat Ordinis. Inflictam jurisdictioni plagam pandit gemens & explicat Capitulo Generali, promptam que urget Sellerius medelam, paratissimus ipse ad pericula pro salute periclitantis gregis. Nec mora, ad Regem Ludovicum Magnum legatio decernitur; sex Abbates præeunte & præloquente Sellerio Regiam adeunt: orat pro Ordinis in columitate Ordinis, Caput, & æquissimum sic eloquio demulcet Principem, sic rationibus convincit, ut dilaniatas Ordinis immunitates solemni Diplomate resarciverit Rex Optimus. An. *1665*. Sellerius magnus animo, humilitate major, abdicationem Dignitatis meditatus, propositum Capitulantibus edidit. Obstiterunt illi, Patrem nolentes dimittere, meliorem habere desperantes. Institit iterum, & primâ die Februarii *1666*. stante coram Domino de Barillon, supplicum libellorum Magistro, futuræ electionis regali Commissario, exuit Prælaturam in aulâ Capitulari, Capitulantes Canonicos pro subrogando sibi successore idoneo vehementer exhortans. Præconceptum animo, & desideratum summoperé Colbertum, sui Monasterii Priorem, clanculùm suggesserat, & commendarat electoribus, ut poté juvenem magnæ Spei, & favore regio subnixum. Ne voto fraudaretur Sellerius, sortem electionis in manibus resignantis commisit pars Canonicorum major, statim que Colbertum proclamavit Abbatem. Obstrepuit reclamantium multitudo Spontaneæ cessioni, & electioni subsecutæ opponens se viriliter. Causa ad S. Sedem provocata est: lite pendente coiit Capitulum Generale anno *1666*, quod moderatus est, ut Præses, Sellerius. Finitâ tandem per Ducis Calniaci, * ablegati Galliæ interventionem in Romanæ Curiæ tribunali, causâ, Colbertus Archimandriam obtinuit, & à Patribus Capituli Generalis anni *1670*, salutatus est Generalis. Eodem anno, die autem 15. Januarii occubuit Branæ Sellerius, ingens sui desiderium Ordini, at maximè Præmonstrato relinquens.

* Chaulnes.

LIII.

MICHAEL COLBERT, ex gente & Sanguine Colbertorum toti galliæ notissimorum, oriun-

dus, tumultuario more electus, juridicâ Romanæ Curiæ sententiâ amotus est; sed patrocinante Ludovico XIV. proëdriam Ordinis ex Indulgentiâ Clementis IX. conscendit. In mores & personam Michaëlis Colbert, venenato stilo insurrexit nuper crudelis parricida & ingratus transfuga Casimirus Oudin in Editione Lipsiensi Operis sui *de scriptoribus Ecclesiasticis*. Refellendis pravi hominis, quem ejurata fides infideli deteriorem, imo incredibiliorem facit, non immoror calumniis. Domino suo stat, aut cadit Colbertus Oudini debacchantis non movendus judicio. Mitem supra mensuram, alloquio affabilem, in correptionibus mansuetum, assiduum in lectione Colbertum suspexit Ordo, extremis præsertim vitæ temporibus. Sororem viduatam conjuge D. Plote, Rothomagensis Senatûs Principe, litteris pietatem spirantibus, & publici juris factis, christianè consolatus est, mœrens frater. Collegium Parisiense fovendis Academiæ alumnis pridem erectum, sed vetustate caducum, communibus Galliæ & Lotharingiæ Abbatiarum expensis restitui curavit. Præmonstratum hortis, piscinis, suppellectile variâ, & ornatu multiplici decoravit & instruxit. Capitulo Generali præfuit anno 1686. ibique Priores Commendatarum Abbatiarum, Jurisdictionem ordinariam ambientes, suæ subjecit jurisdictioni. Quin etiam non nullos in famam suam, suumque regimen irreverentiùs deblaterantes, Patrum judicio compressit. Moritur Parisiis in suis ædibus 29. Martii 1702, ætati suæ 69. & in Collegii Ecclesiam deportatus quiescit.

LIV.

Claudius Honoratus LUCAS DE MUIN, Doctor Sorbonicus, & Theologiæ Professor, Præmonstrati alumnus, & ibidem quondam Prior; postquam Philippus de Celers Domni-Martini Abbas in Abbatem Præmonstrati assumptus 14. Maii 1702, valedixit electioni suæ, in ejus locum suffectus est. Quadringentis librarum millibus oppignoratam domum non liberavit modò, sed pene totam innovavit à fundamentis. De parcimoniâ Thesauros faciens, suis, alienis que necessitatibus sufficit abundè. Galliam, Lotharingiam, Rheni provincias, & Belgium visitavit, & pace restitutâ Europæ, convocavit Generale Capitulum, quod anno 1717, celebratum est Præmonstrati. Totus sibi & Ordini, sic propriis consulit rebus, ut extraneis tantùm credas incumbere, facilis acuti que ingenii, ornatæ ac profundioris doctrinæ virum, Doctorum Mœcenatem.

PATERNITAS.

Omnium licet totius Ordinis Ecclesiarum communis sit Mater Præmonstratum; non tamen omnes immediatè genuit: peperit enim filias, matres effectas postea; quæ jurisdictionis prærogativam & maternitatis honores in prolem sibi subjectam acquisivêre. Prolixiùs foret in immediatas Præmonstrati filias, suo alibi recensendas Ordine, discurrere, sufficiat hoc loci dicere, primarias effudisse Abbatias S. Martini Laudunensis, Floreffiæ & Cuissiaci.

Florebat intra Præmonstrati ambitum insigne sanctimonialium Parthenium, quod ad *Fontanellam*, inde *Roserias*, postea *Bonolium* translatum, ibidem exstinctum est sæculo XIII.

PASTORATUS.

Doran, non longè à Guisia.
Hanapia, gallicè *Hanapple*, ambæ Diœcesis Laudunensis.
Heppeville, prope Hamum.
Offoy.
Douchy, Diœcesis Noviomensis tres illæ.

SACRÆ EXUVIÆ.

In phialâ vitreâ asservantur guttæ Sanguinis Christi. Hanc phialam Joannes de Marla, Abbas, occlusit in summitate iconis B. Mariæ, quam pretioso metallo & eleganti arte fabricatam majori aræ imposuerat, ut jam diximus.

Ossa pleraque SS. Gereonis, Ewaldorum & Ursulæ, quæ B. Norbertus Coloniâ devexit Præmonstratum. In nobilioribus thecis illa decentêr reclusit Jacobus Bachimontius Abbas.

Ossa S. P. Norberti, & integrum corpus B. Hugonis successoris ejus.

MONUMENTA MAGNATUM.


Exstat sepulcrum Galteri de *Sercy* nobilis Burgundi, & Episcopi Cabilonensis, in alâ sinistrâ chori, sub hoc Epitaphio; *Valterus quondam Episcopus Cabilonensis*. Hic abdicato Episcopatu Norbertinum Schema induit Præmonstrati, ut diximus.

Non longè à Galtero quiescit corpus Henrici Comitis Namurcensis, cujus ista habetur memoria in obituario ad diem 25. Aprilis; » Commemoratio Henrici Comitis Namurcensis, hîc quiescentis.

In Capellâ hæreditariâ domûs Cociacæ, plurimi ejusdem stemmatis Proceres tumulati sunt; quos inter eminet *Ingelramnus*, quem Præmonstrati fundatorem falsò, benefactorem verè dixisset Aluetus. Omitto alios potentes à sæculo, quos pietatis ardor & suffragiorum aviditas ad Præmonstrati azilum, spretis mundi illecebris adduxerat, ut pœnitentiæ hostias se litarent.


Nuperis temporibus in eâdem Ecclesiâ jus sepulcri obtinuit Long-vallorum *de Haraucourt* inclyta proles, & in Capellâ B. Mariæ Virginis assurgit epitaphium Achillis de Longueval, hoc tenore:

» Hîc jacet Achilles de *Longueval* de Manichamp, qui longâ clarissimorum Serie avorum perillustris, traditum sibi à Majoribus splendorem propriâ virtute auxit, præclarissimis belli facinoribus illustravit. Vix puber-




ORDINIS PRÆMONSTRAT DESCRIPTIO
1 Ostium
2 Domus
3 Hortus
4 Temp
5 Claust
6 Dormi
7 Biblio
8 Domus
9 Infirm
10 Hortus Conventualis
11 Ostium Conventus
12 Stabula
13 Columbarium
14 Moletrina
15 Horrea

» tatem ingressus, Ludovicum XIII. in Spinalicam expeditionem secutus est. Primos feliciùs auspicari non poterat annos, quàm in hostes numinis, Regis & Patriæ. Tribunus dein militum, Præfectus Castrorum, Legatus exercituum navalium terrestriumque, summâ non semel cùm potestate Copiarum Ductor, Alsatiæ utriusque Feræque Gubernator in Veromanduis, gnavam utilemque Regi & Regno in Galliâ, Germaniâ, Italiâ, Catalaunia, Belgio, navavit operam. Felix qui pugnis quam plurimis & oppugnatis oppidis supra quadraginta, adfuerit, felicior sanè, cui supernè datum sit plures ante mortem annos, aulâ & negotiis procul, & vacare sibi, & beatæ studere æternitati. Obiit prope octogenarius die 3. Junii MDCLXXVII. *Vide probationes à pagina II. ad pag. XLI.*



S. MARTINUS LAUDUNENSIS.

S. Martinus Laudunensis. Filius Præmonstrati. Diœcesis Laudunensis. Circaria Franciæ.



IN suburbio Laudunensi Collegialis Canonicorum eminebat Ecclesia Divo Martino Episcopo nuncupata, quæ temporibus Bartholomæi *de Vir*, Lauduni Antistitis ab regulari vitâ sic defecerat, ut nec religione, nec numero proficeret, imò per imperitiam & negligentiam Canonicorum labasceret, atque in spiritualibus & temporalibus de die in diem imminueretur. De loci imminente ruinâ sollicitus Præsul, Norbertum ex Remensi Concilio reducem præfecit Collegio, sperans tanti viri facundiâ & exemplis frangendos ad pœnitentiam Canonicos. Sed optimi Antistitis spem fefellit pervicacia Canonicorum, & Norberti conatus fraudavit induratorum obstinatio. Hinc ad propositi sibi Apostolatûs munia rursùs animum & vota convertens Norbertus, provinciam sibi à Bartholomæo commissam deserit, iter ad alios magis dociles arrepturus. Abeuntem multâ prece detinuit Præsul, & in Præmonstrati eremo, quam ad habitationem delegit S. Patriarcha, quasi alter Joannes Baptista ad prædicationis officium inde erupturus, collocavit. Collectos undequaque discipulos aggregavit Norbertus, quos eidem regulæ adscriptos, in unum fecit Ordinis institutum coalescere. Multiplicatæ gentis surculum putavit Bartholomæus, qui nascentem foverat sobolem, inserendum Ecclesiæ S. Martini Laudunensis. Communicat Norberto consilium, & collatis insimul ad finem desideratum mediis, in hoc unum ambo conveniunt, ut rebelles amoveret Præsul, cessuros docilibus locum. Expulit ergo priores incolas, & Norberti alumnos, Duce *Galtero*, Radulphi discipulo quondam, implantavit in Ecclesiâ Sancti Martini.

I. ABBAS.

Depauperatam domum, possessionibus penè cunctis spoliatam adiit anno 1124. GALTERUS, doctrinâ, virtutibus, præsertim paupertatis amore commendabilis, patris sui Norberti viva imago. Tenuem fortunam, ut sublevaret, aut potiùs ut exuberantis meriti viro gratificaretur Francorum Rex Ludovicus VI. anno 1130, Ecclesiæ B. Martini opitulatus est: Ludovicus VII. ejus in solio successor pari commiserationis, & existimationis affectu vineam de *Rota* contulit anno 1138. Ex his beneficiis Regalis Abbatiæ titulum vindicavit sibi Cœnobium Sancti Martini; saltem non apparet aliunde potuisse repeti. Telonei & pedagii immunitatem prius indulserat Hugo Castellanus Cameracensis, & anno 1140. Franco Castellanus Bruxellensis, laudante Godefrido Lotharingiæ inferioris Duce, viginti solidos monetæ Nivellensis annuatim percipiendos in villa *Holem*, Gualtero elargitus est in eleemosynam. Paupertatem Abbatiæ istius primigeniam, superefluentesque postmodum de parcimoniâ & fidelium largitionibus divitias, alendo ingenti Fratrum numero sufficientes graphicè sic pinxit Chronicarum Laudunensis Ecclesiæ scriptor, circa annum 1149. » Postmodùm ergo, » inquit, videns Episcopus (Bartholomæus) in » eodem loco Præmonstratensi jam non parvum numerum Fratrum religiosè viventium » convenisse, rogavit Domnum Norbertum, » ut aliquos ex ipsis in supra scriptâ B. Martini » Ecclesiolâ, in quâ ipse rogatus remanere noluerat, poneret; qui eam ad Dei honorem » construere, & eam augmentare studerent. Acquiescens ille precibus Pontificis, paucos ex » Fratribus suis ibi posuit, Abbatem que eis virum religiosum Domnum *Gualterum* præfecit. Cui Deus, orante, sicut credimus, B. » Martino, tantam confestim gratiam contulit, » ut de ipso quoque illud videatur posse dici, » quod de sacrâ puellâ Ragueli patri ejus Angelus dixit; propterea nullus habere potuit » eam, quoniam huic timenti Deum debebatur conjux filia tua. Similiter illam S. Martini » Ecclesiolam cùm plures ab Episcopo regen-

» dam suscepissent, nullus que eorum ibi pro» ficere potuisset; huic Abbati *Galtero* tam bo» na fortuna per divinam gratiam comes ad» hæsit, ut infra duodecim annos *plusquam* » *quingentorum Fratrum* Deo servientium ibi » numerus inveniretur. Unde non immeritò di» xerim eam illi à Deo reservatam. Pauperta» tem tamen tantam in primis ibi sustinuit, ut » præter unum asinum, Burdinum nomine, ni» hil penè aliud haberent; quem in proximam » Sylvam Vosagum manè ducentes, ligna que » cæsa dorso ejus imponentes, Laudunum re» ducerent, & ex venditis lignis panem sibi » emerent, multotiès tandiu jejuni manentes, » donec panis ille emptus post Nonam eis de» ferretur. Ipsi tamen, consolante Abbate Gal» tero, in tantâ penuriâ non deficientes, sed » assiduè Deo servientes, & manibus propriis la» borando paulatim proficientes, ad tantam jam » Deo donante provecti sunt abundantiam, ut ex » vineis suis tria millia modios vini frequenter ha» beant; & tam in terrarum, quàm molendino» rum quàm & in pecorum possessione cuncta» penè Laudunensis Episcopatûs Cœnobia præ» cellant. Caritatis etiam & hospitalitatis tanta » ibi affluentia reperitur, ut propter hospitum » assiduam susceptionem, propter pauperum » quotidianam relevationem mirum in modum » videatur ibi Deus omnia multiplicare: adeo » ut jam inter præcipua & excellentia Franciæ » Monasteria computetur. Nec sibi solùm tunc sufficiebat, alendisque pauperibus San-Martinensis Abbatia; edendæ proli jam diu apta erat; addit enim mox laudatus scriptor, » ex solâ prædicti S. Martini Ecclesiâ, cui adhuc » primus Abbas Domnus *Galterus* præest, jam » duodecim alia processerint Monasteria »: scribebat verò anno 1149, ut colligimus ex eò quòd ibidem asserit necdum triginta annos ab fundatione Præmonstratensis Ordinis effluxisse.

Bartholomæo ad Fusniacenses Monachos secedente, ad Laudunensem cathedram evehitur Galterus noster anno 1151, honoris contemptor, quamvis eo dignissimus; cujus actus fusius prosequendos in Annales rejicimus.

II.

GARINUS, ex Priore S. Martini, ad Viconiensis Abbatiæ Prælaturam anno 1128, à Gualtero Laudunensi submissus, ab eodem revocatur anno 1151, ad regimen S. Martini. Pingui jam satis Abbatiæ B. Hugo Præmonstrati Abbas partem territorii de *Audegnis* sub modico censu contulit. Vidimus Diploma de anno 1156, ubi se *Guarinus pauperum Christi servum* inscribit. Et reverâ, quamvis prædives scripserit Cœnobium laudatus supra Chronicæ Laudunensis scriptor, si tamen quingentorum Fratrum ibi alendorum memineris, non est quod divitem adeò Abbatiam credas. Certè paupertatis ejus misertus Joannes Abbas S. Auberti Cameracensis, partem territorii, quam habebat retrò curtem de *Senicourt* Garino donavit anno 1164, anno eodem subscribit Garinus Decreto Capituli Generalis, quo Paternitatis jura in Abbatiam S. Augustini Tarvanensis ab Abbate S. Petri Selincurtensis transferuntur in Abbatem Sancti Nicolai in Furnensi oppido. Inter Cathedralem Ecclesiam Laudunensium, & Canoniam S. Martini subortam difficultatem super alodiis quibusdam de Montiniaco, & nemore de *Athies* amicabiliter composuerunt Gualterus Episcopus, & Garinus Abbas annis 1167, & 1171. Pacificationi primæ subscripserunt Philippus Præmonstrati, & Guillelmus Bucilii Abbates. Pietatem Garini, & miram in prosperis & in adversis moderationem coævus scriptor valdè commendat. Beatitatem morientis prævisio mortis, & horæ designatio annuntiant: sub felicibus hisce auspiciis migravit 4. Idus Septembris 1171.

III.

BARTHOLOMÆUS DE MONS. Huic Adam Abbas S. Andreæ Cameracensis Castelli relaxat anno 1173. sex Galetos frumenti, & chartæ relaxationis subscripsêre Hugo II. Præmonstrati, Guillelmus Cuissiaci, Gregorius Thenolii, & Bartholomæus ipse S. Martini Abbates. Anno 1176, à Viardo Clerico terram secùs *Juxancourt* non longè ab Axona in eleëmosynam recipit. Anno eodem arbitrum controversiæ inter ipsum & Albericum filium Nicolai Vice-Comitis de *Sorbun* excitatæ super decimâ altaris *d'Arincourt* constituit Joannem Abbatem S. Berthaldi de Calvomonte. XVI. kal. Aprilis. Obiit anno 1179.

IV.

GALTERUS ex Abbate Regiæ vallis Bartholomæo sufficitur, ut indicat Charta Confœderationis Stivagienses inter & Bellipratenses anno 1183 sancitæ, cui sic subscribit *S. Galteri, tunc Regiæ vallis, nunc S. Martini Laudunensis Abbatis*. Regiminis sui exordia auspicatus est à Fraternitatis sacro fœdere, quod pepigit 1180. cum Abbatibus S. Vincentii, & S. Joannis Laudunensis; quo quidem cautum erat ad litium quarumcumque definitionem, à nullâ deinceps sæculari, extraneâ ve personâ, sed à duobus Canonicis San-Martinensibus, & duobus Monachis alter utrius Abbatiæ irrefragabiliter quæstionem esse terminandam: spondent sibi prætereà tres illæ Abbatiæ mutuum charitatis & orationis subsidium; & istius confœderationis testes fuêre Hugo Præmonstrati, Hugo Branæ, Ticelimus Maris, seu Longiuadi, Abbates. Hanc quoque confirmavit anno eodem Willermus Remorum Archiepiscopus, Sanctæ Sabinæ Cardinalis, & Apostolicæ Sedis Legatus. Anno 1183. Galterus in præsentiâ Godefridi Viconiæ, Ticelini S. Pauli Virdunensis, Herberti Montis S. Martini, Gre-

gorii Thenoliensis, Aufridi Clarifontis, Godescalci Buciliensis, Herberti Castelli ad Mauritaniam, Roberti Liskensis, Pauli Furnæ, Abbatum, recognoscit Ecclesiam S. Martini debere annuatim Ecclesiæ Viromandensi septem modios & dimidium tritici; quem censum solvere anteà tenebatur Viromandiæ Fratribus Jacobus Dominus de Guisiâ: à quo ut se exoneraret, in San-Martinenses transfudit, iisdem terras donando contiguas grangiæ Marigniaci. Ab istâ præstatione se postmodum redemerunt numeratâ pecuniâ Parisio Abbati Viromandiæ. Solemni pacto restituta est pax anno eodem inter Galterum & Robertum de Petræ ponte. Hic adhuc in Patris potestate constitutus, domos Ecclesiæ S. Martini invasit hostiliter, & per vim à colonis Petræpontis sexaginta quatuor modios frumenti & unum avenæ abstulit: quem ad restituendum cùm frustrà Rogerus Episcopus sollicitasset, excommunicationis displosit sententiam Præsul, & terram Petræpontis subdidit interdicto. Obstinatam filii pervicaciam Pater ejus Hugo execratus, ad Episcopi clementiam, Galtero Abbate intercedente, confugit; Patri tandem se socium adjunxit Filius pœnitens, & ducentis quadraginta libris in indemnitatem refusis Ecclesiæ S. Martini, præstitoque priùs juramento de non diripiendis ultra ejus domibus, ab excommunicatione & interdicto solvitur: & ut ampliori satisfactione insons Pater nocentis Filii crimen dilueret, octodecim galeatos frumenti, quos ei debebat censualiter Balduinus Abbas Bucilii, in San-Martinenses transtulit anno 1184. Evolutis exinde duobus annis, ad pristinam Regiæ-Vallis solitudinem remeavit vir otii Mariæ cupidus.

V.

TICELINUS anno 1188, à Philippo Comite Flandriæ & Viromandiæ impetrat immunitatem ab omni theloneo & pedagio pro sex quadrigis halecum & salis, singulo quoque anno, per Flandriæ & Viromandiæ terras meantibus, ex intuitu amoris Dei, & ad resarcienda damna, quæ Comes tempore belli San-Martinensibus intulerat. Anno 1189, acquisivit in territorio Portiano duo sextaria frumenti. Idibus Maii mors ejus in Necrologio consignatur. Ultra annum 1189, non præfuit.

VI.

WIDO DE SPERNACO, à Cuissiacensibus ad San-martinenses translatus infulas, Rogerum de Roseto socium ascivit sibi in dominio de *Altaribus* anno 1190. Nominatur in actis annorum 1189, & 1191.

VII.

ÆGIDIUS DE MARSY.

VIII.

OYLARDUS DE DOMNO-MARTINO vendidit anno 1201, uxori Hugonis de *Dom-Marc*, pratum in territorio de *Torrain* situm.

IX.

WIBERTUS, Thomæ militi *d'Escly*, publico instrumento profitetur anno 1204, deberi à se illi novem libras & septem solidos Remensis Monetæ super redditibus villæ de *Torrain*, in pago Regitestensi. Anno 1205, communibus expensis constructionem villæ in territorio de *Senicourt* aggreditur cum Rogero Dynastâ Roseti. Anno 1206, partem molendini de *Bitri* relinquit Mathildi & hæredibus ejus, sub annuo censu sex & triginta essenio-rum bladi meditanei. Anno 1207, cum Gilberto Fusniacensi Abbate arbiter & Judex, adjudicavit Bucilio majoratum *d'Effry*.

X.

RAYNALDUS DE RIBEMONTE, ex Canonico S. Martini evasit Monachus S. Vincentii, habitumque Monachalem induit. Facti posteà pœnitens, & ad priora vota reversus, ex Metropolitæ consilio, in pristinæ professionis loco benignè susceptus est, & à secundis votis dispensatione impetratâ, eligitur S. Martini Abbas. Scripsit ad eum Innocentius III. anno 1211. Exstat Epistola Lib. 3. num. 4. Tom. 2. edit. Baluzianæ: ex ea disces quanti esset apud Pontificem existimationis Raynaldus noster: Hujus est tenoris;

» R. Abbati S. Martini Laudunensis, Præ» monstratensis Ordinis.

» Intelleximus quòd cùm antequam esses as» sumptus ad regimen Abbatiæ in Monasterio » tuo fueris laudabilitèr conversatus, ad Mona» sterium Sancti Vincentii Laudunensis nigri » Ordinis accessisti; ubi cùm aliquandiù in ipso » habitu permansisses, demum ad cor reversus, » de Metropolitani & aliorum religiosorum » consilio ad primam domum curavisti redire: » in quâ tandem in regularis observantiæ disci» plinâ taliter Deo & hominibus placuisti, quòd » pro tuorum exigentiâ meritorum Fratres tui » te sibi præfecerunt unanimiter in Pastorem. » Quia igitur in suscepto regimine laudabilitèr » diceris profecisse » ne occasione moræ, quam » in prædicto Monasterio protraxisti, quasi de » ipsâ teneram conscientiam retinendo, in sus» ceptæ administrationis executione tepescas; » attendentes quod in Canone cautum est, ne » quis Canonicus Regularis, nisi, quod absit, » publicè lapsus fuerit, efficiatur Monachus, & » si factus fuerit, ad Ordinem Canonicum re» vertatur, ultimus in choro manendo, cucul» lam in memoriam delaturus: Discretionem » tuam monemus attentiùs & hortamur, per

» per Apostolica scripta tibi mandantes, quatenùs circa curam gregis tibi commissi sollicitudinem gerere studeas indefessam; & taliter sequentia bona continuare prioribus, quòd dignum exinde possis à Deo meritum expectare. Datum Laterani VII. kal. Martii Pontificatûs nostri anno XIII.

XI.

GALTERUS III. in diversis contractibus annorum 1215, 1218, 1223, appellatur. Finali judicio Gervasii Præmonstratensis Abbatis parochiam de *la Lobe*, à Cuissiacensibus prætensam obtinuit anno 1226. Haud dissimili exitu Jacobum Suessionis Episcopum, jus procurationis in grangiâ de *Vassen*, hodie *Versen*, ambientem cùm vilipendio privilegii Apostolici, compescuit: Abbatis S. Auberti Cameracensis tribunal à Pontifice assignatum refugiens Episcopus, suæ diffisus causæ, ad aliud amicabile provocaverat, ne totam perderet. Perdidit tamen per arbitrorum sententiam, nempè Conradi Præmonstratensis, Gervasii Branæ Abbatum, & Everhardi Canonici Majoris Ecclesiæ Suessionensis. » Auditis, inquiunt, rationibus utriusque partis, & inspectis diligenter privilegiis Ordinis Præmonstratensis à Sede Apostolicâ indultis, de consilio bonorum virorum, pronuntiavimus dictam Grangiam de *Vassen*, secundùm tenorem dictorum privilegiorum, à præstatione dictæ procurationis liberam esse penitùs & immunem; eidem Episcopo super hoc perpetuum silentium imponentes. Actum mense Novembri anno Incarnationis 1226.

Præerat adhuc Galterus anno 1228, in mense Novembri, uti constat ex contractu tunc temporis inito: unde emendandus error eorum, qui V. Idus Septembris anni ejusdem obiisse scribunt.

XII.

HUGO, Dei-loci priùs Abbas.

XIII.

JOANNES DE *SAISINCURTE*, anno 1243, in vim juris patronatûs sibi delati à Cæciliâ nobili Dominâ de Cyriaco, ad Capellam castralem de Lobia præsentavit Joannem Clericum.

XIV.

WALTERUS DE DUACO. In jus vocavit coràm Abbate & Priore S. Vincentii Laudunensis, deputatis à Sanctâ Sede conservatoribus Privilegiorum Ordinis Præmonstratensis, Margaretam Comitissam Flandriæ, violatricem immunitatis pedagiorum & theloneorum ab Theodorico & Philippo Flandriæ Comitibus indultæ; ipsamque ad reparationem oppugnatæ libertatis adegit anno 1245.

Hoc tempore B. Thomas Canonicus S. Martini Laudunensis, superno, ut creditur, actus Spiritu, iter dudum aggressus ad conquirendas reliquias Sancti Martyris Laurentii, quibus erat summè devotus, inventum in Hungariâ beati Martyris sinistrum Brachium piè suffuratus, pro more illius ætatis, asportavit, secumque advexit Laudunum. Quibus ritibus, quâ pompâ & apparatu receptum sit sacrum pignus edisces ex hoc veteri fragmento apud nostros reperto San-Martinenses: » anno 1220. (hîc est chronologicus error, quem infrà emendabimus;) sub Anselmo Laudunensi Episcopo B. Thomas Religiosus Sancti Martini, ex Monasterio sanctæ Crucis de *Zelesz* in Hungaria, Ordinis Præmonstratensis, attulit Brachium Sancti Laurentii Martyris. De hoc felici negotio præmonitus *Walterus de Duaco*, Abbas S. Martini, Anselmum Laudunensem Episcopum adit, & quæcumque de Brachio S. Laurentii audierat & acceperat, fideliter enarrat. Quod ubi resciviſset Anselmus, aspexisset & examinasset, protinùs in genua provolutùs est; & totus Clerus cum omni populo. Deinde post aliquot menses *Walterus* Abbas, pro excipiendo S. Laurentii Brachio feretrum pretiosissimum auro gemmisque corruscans fieri curavit; & ab ipso exoratus humilitèr Anselmus, Pontificalibus ornamentis indutus in conspectu omnium S. Laurentii Brachium suscipiens, ex edito loco toti populo venerandum exhibuit; ac statim enarravit quomodò pignus illud Româ Antiochiam, ex Antiochiâ in Hungariam, ac tandem ex Hungaria Laudunum per venerandum Thomam delatum fuerat. Cujus Brachii translationem signis & virtutibus Deus Omnipotens comprobavit & commendavit.

Certum est ante annum 1243. San-Martinensem Canoniam non rexisse Walterum de Duaco, qui tamen adventantes excepit exuvias. Igitur hoc solùm anno Laudunum advectæ sunt: tum etiam Laudunensem Ecclesiam regebat Anselmus, cujus successor non comparet apud San-Marthanos ante annum 1248. Hac stante chronologia, cætera concordant: Indulgentiarum Diplomata duo ab Innocentio IV. concessarum annis 1244, & 1245. Alia ejusdem argumenti ab variis Præsulibus emanata, à Garnero Laudunensi, Galtero Tornacensi, Ambianensi Gerardo, Petro Catalaunensium Episcopis.

XV.

JOANNES quondam Abbas Clari-fontis.

XVI.

JOANNES DE *BETHUNIA*. Hi duo Abbates in Elencho San-Martinensi nullo regiminis anno notati, hoc ordine reperiuntur, probationes in documentis vidimus nullas. Paucis certè annis ambo confecerunt administrationis suæ tempora; siquidem à Waltero de Duaco ad Gerardum usque de *Festieux* tres tantùm intercurrunt

currunt anni, gratis dato quòd Walterus post reportatam victoriam de Margareta Flandrensi anno 1245, desierit esse in vivis.

XVII.

GERARDUS DE *FESTIEUX*, ab anno 1248. rexit; & anno 1249. commutavit quædam prædia in villa de *Curieux*, cum Bucilienfibus nostris. Moritur ipso Nativitatis die S. Joannis Baptistæ anni 1254. Jacet in navi Ecclesiæ ante imaginem S. Martini, cum hoc Epitaphio:

» Hic jacet Dominus Gerardus de *Festieux*, » hujus Ecclesiæ Abbas septimus decimus. » Cujus anima requiescat in pace. Amen. Orate pro eo. Obiit autem anno Domini » MCCLIV. In nativitate B. Joannis Baptistæ.

XVIII.

JOANNES DE *RENEVILLE*.

XIX.

JOANNES DE *BURCEIO*, electus anno 1258. Obiit anno 1261.

XX.

PETRUS DE *PETRIGNY*. Anno 1269. cum Joanne Præmonstrati Abbate inter nobilem virum Ingelrannum Cociaci Dynastam, & Abbatem Conventumque Thenolii grandem sopivit discordiam arbitrario judicio, Feria III. post Conversionem S. Pauli.

XXI.

WILLELMUS DE *MARLA*.

XXII.

JOANNES *d'Estreez*. Circa annum 1283. ingentes rixas habuit cum Guidone Abbate Præmonstratensi circa Paternitatem in Liskense Monasterium utrimque prætensam. Defuncto enim Hugone octavo Abbate Liskensi, accurrit Joannes Laudunensis Abbas, jure potior & tempore, præfuitque electioni *Balduini*. Re perfectâ supervenit Archimandrita Guido, atque in Capitularem aulam inductis Canonicis quibusdam obtemperantibus sibi, aliam celebravit electionem de persona *Willelmi de Pixehan*; idque majoris odii causa fuit. Post varias contentiones, litesque ad Sedem Apostolicam deductas, causâ cecidit Guido, victoriâ potitus est *Joannes* noster, ut fusiùs dicemus in historiâ Liskensis Abbatiæ. Palmam hanc reportavit Joannes *d'Estreez* in Capitulo Generali anno 1286. celebrato.

XXIII.

MILO DE *CURIGNY*. Cujus regimen luctuosâ hâc Epistolâ pinxit Petrus Harentalius Prior Floreffiæ; qui libertate haud dissimili, manes recèns mortui sui Abbatis Petri de Solra, fuerat prosecutus:

» Petrus peccator, Abbati S. Martini Laudunensis.

» Æmulator zeli illius extremi & districti » Judicis, cujus ventilabrum in manu ejus ad » purificandam aream suam, & de cujus ore » procedit gladius utrâque parte acutus ad faciendam vindictam in prævaricatores legis, » & in gratiæ contemptores. Abbati S. Martini Laudunensis, Præmonstratensis Ordinis, » declinare à malo, & facere bonum.

» Ut opposita juxtà se posita elucescant, recitatâ priùs nobilitate & excellentiâ præfatæ » Ecclesiæ, in quâ dudùm viguit religionis fervor, conversationis honor, ac professionis devotio, quantùm à pristino statûs sui honore » ipsa declinaverit, quanquam constet id te non » ignorare; ut tamen vexatio det intellectum » ad emendationem, si placet, seu ad confusionem tuam, si displicet, non solùm tibi, verùm etiam legentibus, charitatis zelo pandere curabo. Nobilis siquidem præfata Laudunensis illa recolendæ prælationis Ecclesia, » in Ordine secunda, suprà firmam fundata petram, in vertice illius egregii montis Laudunensis collocata, piissimi patroni B. Martini » munita præsidio, tibi, cui specialiter loquor, » titulo Pastoris adscripta: hæc, inquam, nobilis basilica, dudum excellentiâ dignitatis » præclara, sanctæ opinionis & honestatis relatione per orbem terrarum longè latèque diffusa, in personis spiritualiter exercitatione » ornata virtutum, ac temporaliter divitiis & » possessionibus diffusiùs ampliata, benedictionibusque largifluis in tantùm referta exstitit, » ut ipsius Ecclesiæ Pastori & filiis meritò coaptari poterat illud Davidicum, *à fructu frumenti, vini & olei sui multiplicati sunt*; ac » in loco hoc speciali quâdam prærogativâ impleri sentiebatur. *Quoniam timentibus Deum nihil deest, nec iis qui eum diligunt in veritate*. Quomodò hoc? nisi quia nihil ibi indisciplinatum, nihil inordinatum, nihil citrà, nihil suprà modum, nihil ibi indecens, sed omnia quieta erant & consona; adeo ut universa, disponente sapientiâ, in mensura, pondere » & numero, quantùm infirmæ humanitati possibile est, geri videbantur. Nam Caput & » membra præfatæ Ecclesiæ cohærentia sibi servabant unitatem spiritûs in vinculo pacis, caput cordi, & cor capiti sibi invicem vires » suas refundendo communicabant, dum Abbates & Pastores spirituales, profecto viri, » tui prædecessores imbecillitatem infirmorum » sine murmuratione sustentabant, debiles fovebant, necessariaque unicuique distribuebant, prout cuique opus erat. Versâ vice » etiam inferiores debitum superioribus suis » honorem, obedientiam deferebant. Sicque » Caput & membra quasi unum Corpus in unitate cordis & animæ compactum & connexum per omnem juncturam laudabilis & imitandæ subministrationis hujusmodi pacato

» consistebant animo, & crescebant in ædificationem sui in charitate. Longè procul dubio ab illis languor capitis, aut contagio membrorum. Erat ergo in omnibus & singulis munda religio, sanam operans conversationem. Quis enim de salute & pulcritudine corporis dubitet, cùm præesset caput incolume & lucidum, nec habens aliquam partem tenebrarum? Necesse enim semper est sub sano capite membra æquè una inveniri. Quid ampliùs loquor de hac solemni dudùm Ecclesiâ tuisque prædecessoribus.... ejusdem Ecclesiæ Rectoribus; nisi quòd hi sicut piscinæ in Hesebon, sicut columbæ, quæ lacte sunt lotæ, residentes juxta fluenta plenissima, qui seipsos in compunctione mundabant, & lavabant suos etiam subditos, ne exorbitarent per circumspectionem custodiebant, & in purissimis scripturarum fontibus, quomodò se & alios regerent, speculantes, universa ipsis cooperabantur in bonum, secundùm propositum vocatis sanctis. O Domina! post primam in Ordine Præmonstratensi, Ecclesiarum ut pridem prodires secunda; quàm longè à statûs tui nobilitate perceptâ miserabiliter es dilapsa! Proh dolor! universo penè Ordini præfato innotuit dejectio; tribubus, & populis, compatriotis præsertim tuis admirantibus, quomodò tu perditioni proxima desolari sic patiaris, non habens consolatorem.

» Durum quippe & intolerabile tributum est, offendi à deffensore, desolationem à patre pacis & mercenarium habere pro Pastore, atque à viro proprio viduari. Tu Ecclesia præfata apud degeneres vulgique aures prærogativis ex præmissis nobilis quondam reputata, quomodo sic conversa es retrorsum ignobilis effecta? viduata es, & jure vocaris vidua, quia virum non habes, cujus disponaris consilio, disponaris solertiâ, à quo authoritatem virtutis concipias masculinæ.

» Horum malorum, Domine Abbas, cui alloquor, dicunt te actorem, qui te noverunt addicunt etiam. Postquam præfatam intrasti Ecclesiam, ut pastor esses ejusdem, commoti sunt & conterriti ipsius filii, considerantes te velle præesse, non prodesse, ad divitias tendere, non amicitias alere, titulo prælationis gloriari, non Ecclesiæ negotiis vacare, dignitatibus fulgere, non Fratrum necessitatibus ministrare. Hoc enim nihil aliud est quàm pastoris locum occupare, sub umbra quidem officii præeminere, nec in aliquo complere officii veritatem. Proh pudor! si tantus tamque solemnis locus Laudunensis præfatus sale infatuato respergatur. Quid dicam, nisi quòd sterilis factus est, nomenque ejus versum est in ignominiam, fructuum non ferens ubertatem. Ex sale nimirum sparso terræ sterilitas venit. Væ dicitur pastori, cùm exstat dissipator, non dispensator; non deffensor Ecclesiæ, sed offensor; non instructor subditorum, sed destructor. Debet enim Abbas subditis esse religionis exemplar, forma vitæ, speculator domûs Israël, Ecclesiæ murus, terribilis malis, benignus bonis, ac totius Apostolicæ Doctrinæ prosecutor & hæres. Audi igitur, Domine Abbas præfatæ Laudunensis Ecclesiæ, audi & sustine patienter: columbina enim commotio mea in te, nec de felle amaritudinis hæc procedunt; verba enim mea non sunt odii, sed amoris; non rancoris, sed caritatis; plena desiderio ut resipiscas ab errore, si quo teneris. Æmulor te Dei æmulatione, si tamen non zelaveris facere iniquitatem. Revolve in azylo conscientiæ tuæ, quo intrasti animo, aut ad quid venisti; an ut præesses, aut ut prodesses? an ut congregares, aut ut dissipares? an ut pasceres, aut ut perderes? vices summi patrisfamilias geris: Attende ergo te de acceptis talentis rationem districto Judici redditurum, noli gloriari in divitiis, in delitiis & honoribus. Ignoras aut dissimulas, quia tu ebrius diceris, & filii tui esuriunt. Scito, omnis ignorans ignorabitur. Certè sic vivere, non est filios tibi commissos pascere, sed depasci; non est sequi Christum, sed persequi; non est dicere Christo testimonium, qui venit ministrare, sed detestari; non est in cruce Christi gloriari, sed in vanitatibus potiùs damnari. Si attenderes quod Paulus Apostolus in nullo consulat gloriandum, nisi aut in Domino, aut in cruce Christi, aut de testimonio conscientiæ puræ, certè censeres non exorbitandum in dominatione. Mors certè erit in olla, in tua videlicet Ecclesia, nisi in te & per te sale Apostolico verus eam condierit Helizæus. Memorare diligenti discussione quomodò debitum persolvisti in officio tuo pastorali. Tempus enim breve est. Nostra mors cruenta & insatiabilis, missis præconibus suis senectute & imbecillitate animam urget ad exitum. Judex ante januam assistit, exire compellit, vocat ad judicium, rationem exacturus de lucro talentorum tibi creditorum. Recogita in secreto conscientiæ hæc & his similia: etsi principem te constituit Dominus, noli extolli, sed quasi unus esto ex illis. Tunc proculdubio fructuosè & laudabiliter explebis ministerium tibi commissum, si non alta sapiendo, neque ambulando in magnis sed neque prudentiæ tuæ innitendo, sed ad temperantiam humilibus consentiendo, & ad instar illius qui dixit, non veni ministrari, sed ministrare, subjectis tuis, servatâ disciplinæ regularis rectitudine, reddendo singulis competentia, te affabilem & amabilem studeas exhibere. Ita sanè implebis officium pastorale; & in hoc maximè, si errores pristinos, quibus culparis, exstirpes, caveasque ne te vitiosa & reprehensibilis vita contemptibilem reddat; sed vigore & puritate religionis, mitis & humilis conversationis uni-

» tabilem te præbeas. Si timendo increpationes » divinas, quas per Ezechielem & Jheremiam » Prophetas super iniquos ovium Dei pastores » terribiliter intonat; metuendo asperum illud » & tremendum Prælatis verbum, Judicium » durissimum in hiis qui præsunt fiet, & poten- » tes potenter tormenta patientur: si, inquam, » istud formidando, & mores actusque corri- » gendo, ad reddendum prælationis tuæ sum- » mo Judici rationem non tantùm pro te, sed » pro ovibus curæ tuæ creditis, vigilanter te » præpares, congruum te exsecutorem pasto- » ralis ministerii exhibebis. Cœterùm ne cures » quærere, quis sit homuncio, qui talia lo- » qui audeat; qui præsumat arguere, quem » non novit. Novi equidem te, & si non ad » plenum facie, famâ tamen ampliùs novi; fa- » mâ utique, quæ de te celebri rumore vici- » norum & Ordinis aures implevit, & quod la- » pides sanctuarii ac ædificiorum tuæ Abbatiæ, » quasi in capite omnium platearum dispergun- » tur. Hoc itaque famâ vulgante audivi, & » conturbatus est venter meus, à voce contre- » muerunt labia mea; & propterea, zelo tui du- » ctus, scripta tibi de te transmitto, si fortè ve- » lis apprehendere disciplinam, nequando, » quod absit, irascatur Dominus, & pereas » de via justa. Quod avertat à te, convertens » animas Dominus Jhesus Christus, cui est ho- » nor & gloria in sæcula sæculorum.

An profuerit Epistola hæc, & utrum mores pravos emendaverit Laudunensis Abbas Milo, ignoramus; nec de gestis ejus ultra habemus quidquam.

XXIV.

JOANNES DE *CASTELLIONE*, Electus Abbas Præmonstrati anno 1333. ita fert Necrologium San-Martinense: aliter tabulæ Præmonstratenses, quæ ex Priore Archicœnobii Abbatem electum referunt.

XXV.

JOANNES DE *BRUERIIS*.

XXVI.

JOANNES DE *MALBODIO*.

XXVII.

BERTRANDUS DE *ROSETO*, jacet propè altare S. Sebastiani sub hoc Epitaphio:

» Bertrandus de Roseto quondam Abbas » hujus Ecclesiæ, qui obiit anno MCCC- » LVIII. nonâ horâ die animarum, de nocte. » Orate pro anima ejus.

XXVIII.

JOANNES BENEDICTUS: inhumatus ante Sacellum S. Joannis Baptistæ, hâc semi-exesâ inscriptione decoratus jacet:

. . . . Joannes Benedictus
Natus de Fara: tibi cedat pessima fera.
Heu! cur tu cineri succumbis, regula cleri,
Gemmaque virtutum, fis cinis atque lutum.
O mors! quàm dura & quàm pessima sunt tua jura!
Non est tam fortis, qui vincat vincula mortis.
Mors miserata parum, non horruit hunc tumulatum.
Compatiens, humilis, assiduè dicit in imis.
Quisquis eris qui transieris, sta, prospice, plora.
Sum quod eris, quod es ipse fui; pro me, precor, ora.

XXIX.

JOANNES *VAIRETUS*. Exposuit summo Pontifici Clementi VII. Monasterio suo plures Ordinis ejusdem Ecclesias, tanquam filias subesse speciales, quarum Prælati ex privilegio Pontificalia induerent; indignumque videri minorem esse honore, qui esset jure potior: requirebat igitur, ut Pontificis instar, usus sibi concederetur mitræ solemnis, annuli & chirotecarum. Annuit Clemens privilegio dato Avenione kal. Octobris, Pontificatûs sui anno XIV. id est æræ Christianæ 1392. Præerat adhuc Joannes anno 1426. quo Instrumentum fraternitatis intimæ cum Abbatia Bonæ-Spei conscripsit. Vide Chron. Bonæ-Spei pag. 357.

XXX.

BALDUINUS BRANENSIS.

XXXI.

PETRUS DE *PONTE*. Jacet ad cornu Epistolæ altaris B. Mariæ Virginis, cum hoc epitaphio:

Vermibus hîc donor, & sic ostendere conor,
Qualiter hîc ponor, ponitur omnis honor
Petrus de Ponte.

Obiit anno 1461.

XXXII.

JACOBUS LE *NOIR*, in navi Ecclesiæ sepultus sub tumba hanc præferente inscriptionem:

» Hîc jacet Dominus Jacobus, hujus Ec- » clesiæ Abbas trigesimus secundus; qui obiit » anno Domini MCCCCLXXXV. die XIX. Octobris.

XXXIII.

JOANNES *POULALLIER*. Anno 1496. mense Februario renovavit fraternitatis sanctæ fœdus cum Carolo Luxemburgensi Laudunensium Antistite, & Ecclesiæ S. Joannis Oppidi ejusdem Administratore, seu Commendatario perpetuo; quod quidem ictum fuerat anno 1180. uti diximus. Ante altare B. Mariæ Virginis quiescens Joannes, istud habet, ex vetustate nonnihil oblitteratum, encomium:

. . . . tricesimus Abbas

Tertius, illustres inter habendus avos.
Hic est, hic ardens quem vexit ad æthera virtus,
. . . . religionis apex.
Quas sibi Christus oves mandavit . . . . .
Rebus & exemplo pastor ovile docet.

XXXIV.

JOANNES *BUCQUET*; cujus Epitaphium in navi Ecclesiæ inscriptum, accipe:

Quem natura dedit mortalem, & gratia vivum
Bucquetum . . . .
Octo qui lustris vixit cum quatuor annis
. . . .
Mille & quingentis viginti sexque peractis
Nonâ post decimam Junius hunc perimit.

Ejus tempore, anno scilicet 1502. jubente Generali Capitulo, in Abbatia San-Martinensi ædificata sunt ergastula pro facinorosis totius Ordinis hominibus. Anno 1504. aliud Generale Capitulum statuit ut pro expensis cujuslibet Religiosi in his carceribus detenti damnatique ad arctum panem, & aquam limpidam, quotidiè decem turonenses denarii ab Abbate proprio penderentur &c. Anno 1508. in Comitiis Generalibus laudata & confirmata fuit donatio cujusdam domûs in vico de *Lætitia* facta per istum Joannem Conventui suo. Anno 1509. constitutus est Circariæ Floreffiensis Visitator. Anno 1512. impetravit à Patribus in Capitulum universale congregatis licentiam celebrandi in Ecclesiâ suâ Festum B. Josephi, ad instar Festi IX. Lectionum; atque in visitatorem Circariarum Franciæ, Floreffiæ & Brabantiæ sublectus est. Alia Festa anno 1516. obtinuit fieri in San-Martinensi Canonia, putâ de Apparitione B. Micaëlis Archangeli per modum Duplicis, & de Præsentatione B. Mariæ Virginis, Triplicis ad instar, absque octavis. Ritus etiam singulares, de licentia Procerum in Comitia adunatorum anno 1518. invexit; edixit nempe, ut per Conventûs sui Novitios quotidiè post missam de B. Maria Virgine ter cantaretur versus, *Monstra te esse Matrem*, adderetque Sacerdos, sacro mox operatus, *Post partum*, & Collectam *Concede*. Anno sequenti Patribus itidem congregatis intimavit ab se Conventuque suo comparatos fundos, pro alimentis uni Religiosorum San-Martinensium Parisiis studenti præstandis in ævum. Laudatus summoperè Præsulis in litteras ardor, atque piæ fundationis probata series. Aliam anno 1520. iniit semitam eòdem ducentem: commodavit Ordini summam quingentarum librarum per modum reditûs redimibilis, eâ lege, ut Ordo uni ex San-Martinensibus Canonicis Lutetiæ studenti quotannis pro pensione præstare teneretur viginti quinque libras, quousque esset summa capitalis commodanti refusâ. Anno 1526. nominatur in Actis Generalis Conventûs *Abbas S. Martini Laudunensis & Viconiensis Monasteriorum*. Hæcque fuit meta laborum; ejus quippe successor insequentis anni 1527. obedientiam præstitit primùm: hancquoque mortis epocham adstruit Epitaphium relatum suprà.

XXXV.

ADRIANUS PELLETIER. Anno 1527. obedientiam præstitit Abbati Præmonstratensi, atque pro suo Monasterio in Generali Patrum Conventu impetravit, ut tenerentur novitii, post absolutam B. Virginis Missam, sabbatinis diebus cantarent Antiphonam *missus est* &c. Ejus tumulo Amatus de Fonte Successor hæc appendit carmina;

Labile quisquis aves perituri culmen honoris,
Et necis & vitæ sæpe revolve vices.
Unicus ecce tibi patet ortus, & exitus idem.
Has, Adriane, fores nudus utrasque subis.
Dic, age; vivis adhuc, an dormis, an vel utrumque?
Dormio, vivo simul, funus utrumque facit.

In inferiori autem lapidis parte hoc habetur disticon,

Me genuêre patrem Fratres; tricesimus Abbas
Quintus eram: post me Doctor Amatus adest.

Obiit anno 1530.

XXXVI.

AMATUS DE *FONTE*, S. T. Doctor Parisiensis, à Capitulo Generali 1512. instituitur Prior Collegii Parisiensis. Anno 1530. Abbas S. Martini eligitur. Capitulis Generalibus annorum 1531. 1533. 1537. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44. præsedit: Anno quidem 1531. *attentâ infirmitate & absentiâ R. Generalis*, ut ferunt acta hujus Capituli: item anno 1533. *attento decessu R. Patris Præmonstratensis*. Aliis verò annis tanquam Vicarius Generalis Cardinalis Pisani, Commendatarii Præmonstratæ domûs Abbatis, annis 1534. & sequentibus creatus est Visitator variarum Circariarum. Obiit Samosiaci nonis Augusti, vir doctrinâ, experientiâ rerum, morum integritate conspicuus, anno 1545.

XXXVII.

ROBERTUS DE LENONCOURT, Catalaunensis Episcopus.

XXXVIII.

Carolus Cardinalis à Lotharingia anno 1548. Monasterium interim regebat *Venerabilis Frater Reginaldus du Puys, S. T. Professor*, sub denominatione *Vicarii Generalis* pro parte Rmi. Cardinalis: hujus est mentio in Actis Capitulorum Generalium annis 1554.

1556. habitorum. Aliud de anno 1557, confirmat & approbat pensionem ab Eminentissimo Principe assignatam Fr. Jacobo de *Lassus* in Theologia Baccalaureo, pro adipiscendis gradibus cæteris. Cardinali dimittenti successit anno 1565.

XXXIX.

ANTONIUS *VISCONTI*, ex Ordine Hieronimitarum, S. T. Doctor, vetera reparavit ædificia, nova construxit. Nomine Cardinalis Ferrariensis, Abbatis Præmonstrati, tanquam Vicarius Generalis Ordinis, pluribus Capitulis Generalibus præfuit. Concilio Provinciæ Remensis interfuit anno 1583. Cardinali Lotharingiæ benefactori suo addictus, confœderationi Procerum Regni, sub obtentu religionis, infaustis Henrici III. temporibus, se devovit anno 1586. Conjuratorum partibus profligatis, in Italiam protinùs se recepit Abbas, malorum sibi imminentium præscius, & in oppido Aquæ-pendentis moritur anno 1588.

XL.

CLAUDIUS *BAZIN*, Regi à Consiliis & eleëmosynis, habitum & professionem Ordinis assumpsit, & regularis vitæ amans, eam in suum Monasterium induxit, verbo & exemplo. Parisios profectus, ut consanguineis ultimum vale diceret, morbo correptus interiit 30. Decembris 1611. in Augustianorum Majoris Conventûs Ecclesia sepulto hoc monumentum posuêre mœrentes Filii.

» R. Pere en Dieu Frere Claude Bazin natif de Troyes, Conseiller & Aumônier ordinaire du Roy, & Abbé de S. Martin de Laon, Ordre de Premontré, aprés avoir été nourri à la Cour de Henry III. & IV. servit Leurs Majestez prés & sous M. de Gesvres, Conseiller du Roy en ses Conseils privez & d'Etat, & secretaire de ses Commandements, par la faveur & bienveillance duquel il auroit été pourvû de laditte Abbaye. Lassé des vanitez de ce monde, s'étant resolu d'en quitter tous les honneurs, pour se donner en tout au service de Dieu & à l'honneur de son Eglise, avoit, pour plus dignement s'acquitter de sa charge d'Abbé, pris l'habit de Religieux en l'ordre dudit Premontré, & en icelle qualité ayant regné dans ledit Ordre pendant l'espace de trois ans cinq mois, & en icelle maison retabli la regle d'icelle, sous l'observance de laquelle lui vivant, & faisant vivre ses Religieux, l'honneur au monde lui en étoit acquis; Dieu ayant voulu lui en donner la gloire en son saint Paradis l'a appellé de ce monde, d'où avant que de partir, aprés avoir reconnu sa mort, rendit graces à Dieu, & se resouvenant toujours de son vœu monastique sous la regle de S. Augustin, absent de sa maison, a élû sa sepulture en ce lieu, où son corps repose cy-devant sous cette tombe: puis recommandant son ame à Dieu, l'a lui a remise en ses mains le Vendredy 30. jour de Decembre 1611. jour de son decés à Paris.

Passans, priez Dieu qu'il lui fasse misericorde. Abbatiam ex cessione Domini Bernardi *Potier* de *Gesvres* obtinuerat; quam, quia regularis erat, retinere secularis non potuit.

XLI.

NICOLAUS LE SAIGE, patriâ Normannus, ingenio & artibus potens, œconomiâ præcipuus, ædes Abbatiales à fundamentis ædificavit; sacristiam pretiosâ ditavit suppellectile; alienatas villas redemit; vasa argentea inaurata & elaborata curiosé ad sacrum altaris opus procuravit; religionis observantiam promovit religiosus ipse. Ordinis tamen censuram & vituperium non vitavit, quando factionis Richelianæ Antesignanus, Richelium in Abbatiam Præmonstrati voluit intrudere, in spem, ut dicebant, adipiscendi ab impotente gregis regundi Archimandrita Vicariatûs Generalis Ordinis. Obiit Parisiis 13 Aprilis 1645. unde Laudunum revectus, in Ecclesiâ suâ tumulatus est.

XLII.

CARDINALIS JULIUS MAZARINI.

XLIII.

CARDINALIS MANCINI.

XLIV.

FRANCISCUS DE CLERMONT, Episcopus Noviomensis.

XLV.

LUDOVICUS DE CLERMONT, Episcopus Laudunensis. Ut primùm Abbatiam adiit, mensæ Episcopali de consensu Regis Ludovici XIV. perpetuâ unione incorporare annisus est; pulsata & frequenter rogata ad hunc effectum sancta Sedes restitit petitioni, quam probè noverat funestam Ordini. Resectâ enim hâc secundâ Ordinis Paternitate, quantum corpori integro vulnus infligatur, quantæ Caput ipsum pateat malorum colluviei, docuerunt præteritorum temporum experimenta.

XLVI.

Id tandem evicit Dominus *de la Farre*, Ludovici *de Clermont* in Episcopatu & in San-Martinensi Abbatia Successor. De istius Abbatialis tituli suppressione fusiùs dicetur in Annalibus.

PASTORATUS.

S. Martinus de Myceio (Micy.)
S. Dyonisius de Ponte ad Bussiacum (Pont à Bussy.)

Laudunensis Diœceseos.

S. Lambertus de Alobio (La Lobe.)
S. Nicolaus de Igneo monte (Inomont,) cum filiali de Arnicurte (Arnicourt.)

S. Maria de Hoigniaco (Hoygnon.)
S. Maria de Reginæ-villa (Renneville.)
Diœcesis Remensis.
S. Genovefa de Salmociaco (Salmoncy.) quondam palatio regum.
Diœcesis Laudunensis.

PATERNITAS.

Respectu totius Ordinis Abbatia S. Martini secundæ Paternitatis juribus gaudet. Specialia autem exercet in Abbatias, quarum fuit immediata parens; eas subjicimus.

1. Parthenon de *Diona*. (*Dione*.)

2. Parcum, ad Lovanii muros, à Godefrido Barbato Duce Lotharingiæ inferioris anno 1129. fundatum Galtero Abbati S. Martini datur.

3. Liska, nunc in Diœcesi Bononiensi, subjecta est Galtero Laudunensi Abbati, & à Milone Tarvanensi Præsule confirmatur anno 1132.

4. Lacus-Jurensis, ab Ebelone, & uxore ejus fundatus anno 1220. atque ab Geraldo de *Rougemont* Lausanensi Episcopo approbatus, deductæ ex San-Martinensi Abbatia Coloniæ cedit.

5. Corneolum, in Diœcesi Bisuntina, conceditur Galtero Abbati, & ab Anserico Archiepiscopo eidem confirmatur subjicitur que anno 1134.

6. Casa Dei, Galtero eidem submittitur à Willelmo Archiepiscopo Auscitano anno 1135.

7. . Saleghem, ex Simonis Episcopi Tornacensis charta anni 1136. Abbatiæ S. Martini subditum est; nunc *Truncinium* vocatur, ex quo illuc translati sunt non multò post tempore Fratres in *Saleghem* priùs constituti.

8. Preguenhem, aliàs Pettinghem, Sanctimonialium asceterium, ex eodem diplomate, à S. Martini Cœnobio pendet.

Vallis Dei, ad consilium & ordinationem Galteri traditur, ut habet Charta Rainaldi Archiepiscopi Remensis anni 1137. 9.
Insula B. Mariæ.
Viconia. 10.
S. Vincentius Ulissiponensis. 11.
S. Vincentius Uratislaviæ, nunc Lucensi 12.
Abbati subjectus. 13.
Thenolium.

Reliquiæ Sacræ. 14.

Insignis portio crucis Christi, pretioso inclusa metallo, gemmis & lapillis radiante, Jerosolymis advecta Laudunum: in pixide affabrè facta hodiè asservatur.

Brachium sinistrum S. Laurentii martyris, cujus historiam supra descripsimus.

Ossa S. Bartholomæi in brachio argenteo acclusa, & pretiosis lapidibus exornato.

Pars lanceæ, quæ Christi latus aperuit.

SS. Petri & Matthiæ Apostolorum, & Sancti Blasii ossa.

Pars digiti S. Martini Turonensis.

Semi-costa Sancti Joannis Baptistæ, & altera Sancti Christophori.

Maxilla Sancti Constantii Archiepiscopi, & altera Sanctæ Mariæ Magdalenæ.

SS. Innocentium ossa.


Reliquiæ SS. Firmini Martyris, Apollinaris, Norberti, & Hilarii.

In lipsanis aræ principi impositis penè sunt integra corpora SS. Macarii Episcopi, Eusebii, Marini, Favillini, Sambariæ, Ravaoniæ, Bobiliæ, & Frigiæ. Vide probation. A Colum.


* ij. ad Colum. L.

FLOREFFIA.

Floreffia Fil. Præmonstrati. Diœcesis Namurcensis. Circariæ Agnomensis.



NORBERTO Præmonstrati iter relegenti, & sacrarum Reliquiarum thesaurum, quem Coloniæ repererat, quo suum enascens Monasterium ditaret, adsportanti, occurrit Ermensendis Conradi Comitis Lucemeburgi & Clementiæ de *Longwic* filia illustris, & à decessu Alberti Comitis Dasburgensis nupta Godefrido Namurcensium Comiti. Celebratissimarum Norberti virtutum opinione, & Reliquiarum sanctarum reverentiâ allecta Princeps, hospitem religiosissimè excepit, & hominis admirata sanctitatem, rogavit ut è sociis suis aliquot Floreffiæ relinqueret, qui religiosam Instituti sui familiam auspicarentur ibidem. Roganti Norbertus annuit, & sacrarum exuviarum parte illic depositâ, *Richardum* præfecit Abbatem, qui surrecturo asceterio curas impenderet, & munificæ Principis coadjutor incunctanter promoveret opus. Anno igitur 1121. coadunatos in structi Monasterii, ad ripas fluminis Sambræ, unâ & sesqui horâ à Namurco, possessionem, Canonicos immisit Ermensendis: Cœnobio indidit nomen *Salve*, & Ecclesiam solemni inauguratione consecravit Albero Episcopus Leodiensis. Qualis & quantus fuerit Richardus, quem regundo gregi Norbertus præposuit, descripsit Petrus Herentalius Floref-



us ante annum 1134.
piscopus Leodiensis ap-
partis decimarum apud
n, ab quadam *Methil-*
nus superior, eandem
per manum Gerlandi
siones Gerlandus suo
etenim Nicolaus Ca-
itione ejus & *religiosi*
s Præmonstratæ Eccle-
loreffiæ altare de Ca-
Joberti, anno 1140.
Præsulatûs sui V. *Po-*
iam, Herlaymontium,
primævæ fundationi
5. sententiæ Conradi
Maximini Treviren-
nuarii datæ subscrip-
ab Arnulpho de Tre-
lini Abbatis S. Lau-
n de *Tylehut*. Ger-
cripsit Henricus Co-
sui Godefridi in Flo-
largitionesque con-
51. Religiosos Præ-
em Ecclesiam, amo-
è Floreffia submisit
t parta legitimè fir-
ntii II. Papæ, Con-
eratorum protectio-
nterpellavit. Anno
meracensium *adpe-*
Gerlandi venerabilis
Sanctæ Religionis
semper vernat flore,
altare de Bellora-
re pertinentibus, li-
Floreffia contradi-
rincipes Floreffien-
sub duce Gerlando
sincera pietate con-
, potentissimisque
rat. Henricus Na-
es anno 1161. tra-
s Ecclesiam de *Ve-*
sam esse sui in hanc
prærerquàm quòd
que famularetur,
ogenitorum illius
epulturam sibi pa-
o 1165. subscrip-
andri Leodiensis
henonis de Hins-
ntis. Apparet ul-
9. cum Huberto
Ecclesiæ B. Pauli
extremum vidit
... 1175. in spiritualibus &
temporalibus auctam Floreffiam relinquens.

GERLANDUS natione Allemannus, inquit citatus jam Petrus ab Herentalio, pietate & rerum agendarum peritiâ insignis, destinato ad regendam *S. Abacuc* in Palestina Ecclesiam


IV.

HERMANNUS patriâ Germanus, summus te-


S. Maria de Hoigniaco
S. Maria de Reginæ-vill
Diœcesis Reme
S. Genovefa de Salmoc
dam palatio regum.
Diœcesis Lau

PATER

Respectu totius Or
ni secundæ Paternitati
cialia autem exercet ir
immediata parens; ea
1. Parthenon de *Dio*
2. Parcum, ad Lova
Barbato Duce Loth
1129. fundatum G
datur.
3. Liska, nunc in Di
cta est Galtero Laud
ne Tarvanensi Pra
1132.
4. Lacus-Jurensis, al
fundatus anno 122
Rougemont Lausane
deductæ ex San-Ma
cedit.
5. Corneolum, in D
ditur Galtero Abba
piscopo eidem conf
no 1134.
6. Casa Dei, Galter
lelmo Archiepiscop
7. Saleghem, ex Si
sis charta anni 1136
ditum est; nunc *Tr*
illuc translati sunt n
tres in *Saleghem* p
8. Preguenhem, al



Floreffia Fil. Præmonstrati. Diœcesis Namurcensis. Circaria Agnomnis.



ORBE
legenti,
thesaur
rerat,
rium ditaret, ad
sendis Conradi C
mentiæ de *Long*
Alberti Comitis
do Namurcensiu
Norberti virtutu
sanctarum reverentiâ allecta Princeps, hosp-
tem religiosissimè excepit, & hominis admi-
rata sanctitatem, rogavit ut è sociis suis aliquot
Floreffiæ relinqueret, qui religiosam Instituti

piscopus Leodiensis. Qualis & quantus fuerit
Richardus, quem regundo gregi Norbertus
præposuit, descripsit Petrus Herentalius Floref-

fienfis Canonicus, fagax Antiquitatis indagator, & de re litteraria benè meritus; cui non tantùm faftus fuæ Abbatiæ ad fæculum XIV. deductos debemus, fed etiam eventus extraneos hiftorico ftilo complanatos criticè tranfmifit pofteritati. Pauca & fynopticè de opere ejus delibabimus; cætera ex diplomatibus, five Chartulario venerandæ Antiquitatis, cujus copiam nobis magna humanitate fecit modernus Abbas, & à coætaneis vel fupparibus fcriptoribus repetituri.

I.

RICHARDUS multo religionis fervore laborans, Ecclefiam fuam, quæ *Salve* dicta fuit, cum feftinatione perficere & privilegiis communire procuravit. Amplum ab Alberone Leodienfi Epifcopo pro afferendis Floreffiæ libertatibus impetravit Diploma, ab Honorio II. poftea inftauratum, quo à fubjectione Archidiaconi & Decani Floreffia eximitur, & Epifcopo folum & merum jus afferitur benedicendi Abbates canonico Fratrum fuffragio electos. Anno 1125. pii fundatores Godefridus Comes Namurci, & Ermenfendis uxor ejus, affentientibus filiis fuis Alberto & Henrico, Richardo Abbati Ecclefiam *S. Laurentii de Sarto* contradiderunt: quod ut effet irrevocabile donum, *feipfos in matre Ecclefia*, (Floreffienfi nempe) *reprefentantes, Godefridum filium Henrici Comitis del Roche, qui tunc fortè aderat, eandem traditionem de manu fuâ fufcipere fecerunt*: & eodem minifterio tranftulerunt in Richardum. Hinc oblationis & doni fidejuffor obfefque quodammodo Henricus Comitis *del Roche* Filius. Confectum defuper multis nobilibus præfentibus & collaudantibus Inftrumentum: deinde anno 1130. rei geftæ feriem probavit, fuoque Diplomate adftipulatus eft Alexander Leodienfis Epifcopus. Cujus quidem Alexandri authoritate judicioque Joannem Leodii Archidiaconum, immunitates Floreffiæ corrodere tentantem, compefcuit Richardus; qui demum expletis diebus peregrinationis fuæ obiit anno incerto, & fepultus eft in cæmeterio Capellæ primitùs fundatæ.

II.

ALMARICUS, vir religiofus, Divi quondam Norberti in Apoftolatu comes, facræ & evangelicæ rei fedulus promotor, pufillo gregi pafcendo, erudiendifque populis dum intendit, ad terram fanctam ablegatur Concionator; dein ad Sidonienfem Epifcopatum rapitur anno circiter 1152. Vide gefta ejus in ferie Abbatum *S. Abacuc*.

III.

GERLANDUS natione Allemannus, inquit citatus jam Petrus ab Herentalio, pietate & rerum agendarum peritiâ infignis, deftinato ad regendam *S. Abacuc* in Paleftina Ecclefiam Almarico fucceffor datus ante annum 1134. quo anno Alexander Epifcopus Leodienfis approbat donum mediæ partis decimarum apud *Verofle* Floreffiæ factum, ab quadam *Methilde*, & tanquam Dominus fuperior, eandem largitionem ipfe facit per manum Gerlandi Abbatis. Varias poffeffiones Gerlandus fuo Monafterio acquifivit; etenim Nicolaus Cameracenfis Antiftes petitione ejus & *religiofi viri Amici fui Hugonis* Præmonftratæ Ecclefiæ Abbatis, contulit Floreffiæ altare de Capella ad fontem S. Audoberti, anno 1140. regni Conradi Regis III. Præfulatûs fui V. *Poftulam, Hengelo, Wanziam, Herlaymontium, Excele, Leffiam* junxit primævæ fundationi Gerlandus. Anno 1146. fententiæ Conradi Regis pro Monafterio S. Maximini Trevirenfis Spiræ pridiè Nonas Januarii datæ fubfcripfit. Anno 1148. recepit ab Arnulpho de Trefonia per manum Wafcelini Abbatis S. Laurentii Leodienfis decimam de *Tylehut*. Gerlando eidem Diploma infcripfit Henricus Comes Namurci, quo Patris fui Godefridi in Floreffienfes munificentiam, largitionefque confirmat & auget anno 1151. Religiofos Præmonftratenfes ad Leffienfem Ecclefiam, amotis fecularibus Canonicis è Floreffia fubmifit Abbas anno 1152, & ut parta legitimè firmiùs confifterent, Innocentii II. Papæ, Conradi III. & Friderici I. Imperatorum protectionem & confirmationem interpellavit. Anno 1154. Nicolaus Præful Cameracenfium *ad petitionem dilectiffimi fui Gerlandi venerabilis Abbatis de Floreffia, ubi Sancta Religionis odor, dulci redolentiâ novo femper vernat flore, altare de* Solra-Bertoldi, *& altare de* Belloranio, *cum omnibus ad ea jure pertinentibus, liberè & abfolutè Ecclefia de Floreffia contradidit*. Non foli Ecclefiæ Principes Floreffienfium religionem eximiam fub duce Gerlando venerabantur, & in eorum fincera pietate confidebant; fæculi Proceribus, potentiffimifque Dynaftis fenfus ille inditus erat. Henricus Namurci & Luzeleburgi Comes anno 1161. tradens Floreffienfi Monafterio Ecclefiam de *Veterivilla*, proteftatur immenfam effe fui in hanc Ecclefiam dilectionem, quæ præterquàm quòd Deo devotiffimè diu noctuque famularetur, etiam amantiffimorum progenitorum illius corpora recluderet; quam fepulturam fibi pariter fperat, vovetque. Anno 1165. fubfcripfit Gerlandus Chartæ Alexandri Leodienfis Epifcopi, fundationem Parthenonis de Hinfberga recenfentis & confirmantis. Apparet ulteriùs in charta de anno 1169. cum Huberto Præpofito & Henrico Decano Ecclefiæ B. Pauli in Infula Leodienfi; tandem extremum vidit diem anno circiter 1173. in fpiritualibus & temporalibus auctam Floreffiam relinquens.

IV.

HERMANNUS patriâ Germanus, fummus re-

ligionis amator; cui anno 1175. Joannes de *Fang*, liber homo, contulit allodium de *Aroze*, & Ecclesiam de *Rosets*; hic verò Joannes quondam Canonicus S. Lamberti Leodiensis, postmodùm Conversus factus est Floreffiæ: donationes illas laudavit Henricus Namurci Comes, Diplomate suo, cui subscripsêre *Herimannus* Abbas Floreffiæ, *Joannes* Abbas septem fontium, aliique, *in Ecclesiâ ante altare, ponè sepulturam Comitis & Comitissæ fundatorum.* Sui Monasterii disciplinam & facultates sub tutelam Sanctæ Sedis, & in eâ sedentis Alexandri III. reposuit Hermannus anno 1178. Novam & multiplicato Canonicorum cœtui commodiorem, erexit Ecclesiam; cujus dùm fundamenta excavarentur, novi fontes, seu fontium scaturigines ægris medentes, & salubres sanis, manarunt non procul ab Ecclesiæ atrio. Anno 1185. Instrumentum conscripsit donationis cujusdam eleëmosynæ in gratiam sui Monasterii jam pridem factæ ab Injorrando de *Orbais*, pro pitantiâ Conventûs: quod equidem donum hæredes Injorrandi in die sepulturæ ejus *coram altari B. Virginis innovaverunt*, & super majus altare Ecclesiæ Floreffiensis prædictam eleëmosynam deponentes obtulerunt confirmandam ab Episcopo Leodiensi Radulpho, atque ab Henrico Comite Namurci. Ex illo Diplomate conficies dicti Injorrandi materteram fuisse Milesendem de *Gournai*: subscribunt dicti Episcopus, & Comes; Eustachius senior *de Ruz*, Cono *de Wandigeis*, Ægidius de *Cymaco*, & Filii ejus Alardus & Walterus; Ludovicus Comes de *Chisneio* &c. Bello flagrante inter Balduinum Hannoniæ Comitem & Henricum Comitem Namurci anno 1188. post direptam urbem, & Castrum Namurci reductum, Floreffiæ Claustrum & officinas victor Balduinus flammis hostilibus absumpsit. In Floreffienses ita desæviente Hannoniæ Principe, iisdem piè compatiebatur J. Dominus de Cymaco. Radulphum Leodii Pontificem crucesignatum, moxque in transmarinas partes perrecturum convenit anno 1189. supplicavitque ut pauperibus Floreffiensis Ecclesiæ Fratribus sine loco, sine tecto, bellorum injuriâ, gyrovagis, Canoniam conferret vacantem in Ecclesiâ B. Pauli, quam sibi priùs contulerat. Annuit Præsul, & de eâ investivit Abbatem Hermannum, ejusque in perpetuum successores, eò tenore, quòd unita censeretur in augmentum dotis Monasterii, nec unquam de eâ fas esset Abbati absque Conventûs sui consensu disponere. Superest hodiedum hæc charitativa donatio; pacificè, inquam, grossos fructus ut appellant, percipit Floreffia; nec idcircò Canonicum ibi ministraturum tenetur alere.

His aliisque piorum beneficiis erectus Abbas, prostratas restituit ædes, Fratresque reduxit unum in ovile; & ea fuit Templi Floreffiensis in calamitatibus suis fortuna, ut cùm è favillis excitatum fuisset, consecratorem habuerit B. Isfridum Ordinis nostri Razeburgensem Episcopum. Tot cladibus acceptus superior, tot exantlatis viriliter laboribus Hermannus, piè obdormivit, & tumulatus est in Capitulo anno 1193.

V.

JOANNES DE *AUVELOIS*, homo Apostolicus & Sanctus, Floreffiensem Ecclesiam ornavit moribus probis, & promovit incrementa rei temporariæ. Fecit anno 1197. ut Albertus Episcopus Leodiensis, rogantibus eum Henrico Duce Lovaniensi & Willelmo Fratre ejus, confirmaret eleëmosynam Injorrandi, de quâ superiùs. Tranquillè ducebat dies suos, vir otii Mariæ admodum cupidus, dum anno 1202. lacessitus per R. Decanum S. Pauli in Insula Leodiensi, & B. Abbatem de *Publico monte*, quasi invitus Ecclesiæ suæ jura per litium ambages tutari debuit: sopita fuit discordia mense Septembri, authoritate G. Episcopi Prænestini, Apostolicæ Sedis Legati. Sed tumultûs & inquietudinis impatiens Joannes, paulò post contemplationi ut liberiùs vacaret, curam abjecit pastoralem, obiitque Prior suæ Ecclesiæ, & sepultus est ante altare S. Servatii die 2. Decembris anni incerti: hoc unum exspiscari potuimus eum vixisse etiam, imo adhuc rexisse anno 1202. siquidem hoc anno ad ejus preces Hugo Leodiensis Episcopus confirmat bona collata à nobilibus viris Filiis Hugonis de *Means*.

VI.

WERRICUS, ex Lessiensi Prælatura vocatus ad Floreffiensem, Hugonem de Florinis & uxorem ejus Elizabetham approbatores habuit donationis quarumdam decimarum factæ ab Gisleno Castellano de Bellomonte anno 1211. Atque Alardus Dominus de Cymaco eodem tempore annuit ut Balduinus Filius ejusdem Castellani cederet partem aliquam decimarum sibi competentem. Ab Innocentio III. privilegiorum renovationem obtinuit anno 1212. Werricus, & à Philippo Comite Namurcensi, Fratre Balduini Imperatoris Constantinopolitani, accepit partem sanctæ Crucis; quæ ut primùm in Ecclesiâ Floreffiæ reverenter collocata est, non modicas sanguinis guttas, Conventu Religiosorum, & populorum cœtu spectantibus, stillavit, in ipso *Inventionis S. Crucis* Festo. Cujus prodigii perennandi causâ, hos versus posteritati consignarunt testes Canonici Floreffienses, ipsi thecæ argenteæ, quâ pretiosum lignum accluditur inscriptos:

Hæc Crux, quæ luxit nobis, bis sanguine fluxit,
Quam scio, quòd tinxit cruor ac benedixit.

Exstabat tunc temporis in Ambitu Floreffiensis Abbatiæ Xenodochium, pauperibus & peregrinis excipiendis Abbatum pietate, ut vero-

simile est, constructum. Pauca, quæ hanc hospitalem domum illustrare possent, in manus nostras devenerunt. Reperimus Diploma Willelmi de *Perveis*, Fratris Ducis Lovaniensis, quo confirmatur donatio facta hospitali pauperum ab Jacobo de *Sombreffia* in extremis agente, anno 1209. Item Iolendis Marchionissa Namurci & Comitissa altissiodorensis anno 1213, de conscientia mariti sui Petri Marchionis, remittit Xenodochio Floreffiensi census nonnullos.

VII.

HELINUS, scientiâ, probitate, facundiâ, Abbas undequaque commendabilis. Ad instantiam Innocentii III. crucem suscepit anno 1213. & unà cum Cardinale de Vitriaco transmarinam arripuit peregrinationem, vir verè Apostolicus, & in opere Domini laboriosè desudans, Catholicorum rebus prosperè cedentibus, Cœnobio S. Abacuc præficitur: cui instaurando dum sedulus invigilat, hostium perfidiâ excedere compulsus, *Episcopiæ* Ordinis sui Ecclesiæ in Diœcesi Nicosiensi substitit, ibique mortuus est 21. Augusti anno 1218. Hæc fusiori stilo in Annalibus. Interim consule Tom. I. *Sacræ Antiquitatis Monumentorum* pag. 38. & Fisen Hist. Leod. ad annum 1213.

VIII.

NICOLAUS devotionem in religione, sollicitudinem in temporali gubernatione, tanquam bonus pastor habuit. Benevolum sensit in se Arnoldum Lossensem Comitem, qui anno 1218. calculo suo probavit donationes Floreffiæ factas in *Excele* ab Ludovico Fratre suo, qui tum è vivis abierat. Monialibus de Wanzia indulsit Nicolaus facultatem cantandi horas canonicas in Ecclesia. Vivis exemptus Idibus Aprilis, ad Gerlandi latus sepelitur anno 1220.

IX.

JOANNES DE *Hoïo*, tam apud seculares quàm Ecclesiasticas personas, vitæ venerabilis & opinionis religiosæ. Abbati Fratribusque Floreffiæ concessit anno 1222. Hugo Episcopus Leodiensis, decimas de *Warnans*, quæ gradatim ab inferiore Superiori resignatæ fuerant; scilicèt à duobus militibus Waltero de *Mondale*, ab isto transierant ad Illustrem virum Theobaldum Comitem Trecensem, qui Comes in manu Episcopi eas reposuerat: Præsul tandem Floreffiæ tradidit. Totius rei seriem recenset, adprobatque Gertrudis Comitissa Metensis & Dasburgensis anno 1223. mense Januario. Morienti B. Ivettæ extrema religionis officia ministravit Joannes Abbas, & mortuæ parentavit anno 1227. ejusdemque vitam ab Hugone Floreffiæ Canonico scribi curavit. Anno 1229. testamenti Hugonis Leodiensis Episcopi executor cum aliis apparet. Beneficos

Histor. Fusniac. p. 15.

expertus est anno 1235. Henricum Marchionem Namurci, Comitem Vianensem, & Margaretam ejus uxorem, à quibus aliquam sylvæ partem accepit. Mortuo ex contagione Philippo Namurci Comite in obsidione Avenionensis urbis occupatæ, & infectæ erroribus & armis Albigensium, Margareta Soror, Henrico Comiti Vianensi nupta, Namurcenam ditionem occupat, occupato interea temporis Bizantii Imperatore Balduino, genuino Comitatûs hærede. Initio regiminis, hoc est paulò post annum 1226. bello petita est à Ferrando Flandrensi Comite, ab eo capta est Golsina, Floreffiaque vastata, cum adjacentibus villis. Non minorem cladem passum est Monasterium, dum Bizantio redux anno 1237. Balduinus Imperator, Margaretam Sororem Comitatu indebitè detento, excedere renuentem, adorsus est, admotisque copiis, Urbem & Castrum Namurci *non sine magna impensa Sanguinis Namurcensis*, coëgit ad deditionem; interim namque latè fusus miles expansam circùm regionem devastavit. Illatum se invito, Floreffiæ damnum, aliquatenùs resarcivit Balduinus anno 1239. confirmans Floreffiensibus quasdam possessiones habendas & *utendas* iis omnibus juribus, quibus tempore *piæ recordationis Philippi Fratris sui quondam Comitis Namurcensis*. In suis litteris *hæredem Imperii Romaniæ, & Comitem Namurcensem* se inscribit. Hoc eodem anno Prælaturæ pondus excussit Abbas Joannes.

X.

JOANNES DE *CAPELLA* ex Prælatura Septemfontium postulatus, adit Floreffiensem, strenuus religionis deffensor, doctorum fautor, ipse doctus, Bibliorum & MSS. ævi antiquioris magnam comparavit copiam, & ad exscribendos sacros codices, exemplo & verbis, Canonicos stimulabat. Huic anno 1243. mense Novembri Balduinus Castellanus de Bellomonte plurima bona contulit; consensit Balduinus Miles, Filius ejus primogenitus, & quia proprium sigillum non habebat, postulavit Chartæ apponi sigillum Illustris viri Johannis Comitis Suessionensis & Domini de Cymaco. Prædicta approbavit anno 1245. mense Februario, Margareta Flandriæ & Hannoniæ Comitissa.

XI.

DOMITIANUS Altare sanctæ crucis affabrè structum, curavit à Roberto Leodiensi Antistite consecrari 3. kal. Martii 1246. Ecclesiam quoque ab eodem ædificatam consecravit anno 1250, Petrus Episcopus Albanensis. Ipse verò Abbas vitam, abdicato prius regimine, exuit 6. kal. Februarii.

XII.

PETRUS DE *CAPELLA*, mediati prædecessoris Frater, stillantem vidit crucem in ipso In-

ventionis ejus Festo; viderunt spectantes populi, qui pannulis lineis sanguinem reverenter exceperunt, miraculum attoniti laudantes, impendens ominantes malum, quod anno 1258. experti sunt, dum Henricus Comes Luxemburgensis Castrum Namurcense militari manu expugnatum intravit.

XIII.

THEODORICUS nominatur anno 1260, sabbatho post Epiphaniam, in Charta Jacobi Cantoris Hoyensis, & Officialis Leodiensis Ecclesiæ. De Namurcensi Comitatu, numeroso & latè sparso milite, disceptantibus, annis 1261, & 1262. Guidone Flandro, & Henrico Luxemburgensi succedaneas alternæ obsidionis calamitates Floreffia miserè sustinuit. Anno 1265, mense Decembri paciscitur cum Capitulo Fossensi super præsentationibus ad Ecclesias de *Auloiz* & de *Franires*.

XIV.

WALTERUS DE *OBBAIS* fidelis Domini servus, & industrius Gubernator, Abbatiam murali cinxit ambitu, Infirmitorium nobili structurâ ædificavit; cujus parietes variis decoravit picturis; quas inter suadebant ministri, ut stemma gentilitium appingi juberet: at modestus Abbas, patrem suum veluti rusticum & agricolam, cui ex humeris occa, loco clypei, dependebat, voluit ut exhiberet pictor. Capitulo Generali anni 1270, præsens promovit pro viribus suppressionem Monialium in toto Ordine: hinc manavit decretum de non admittendis ultra ad habitum, sed admissæ permitterentur in habitu emori. Anno 1275. Guido de Hannonia Archidiaconus & Custos Ecclesiæ Leodiensis, scripsit ad omnes Presbyteros sibi subditos, *quatenus obtemperarent Mandatis Abbatis Floreffiæ vice Archidiaconi fungentis in parochia Floreffiensi, cum appendittis suis, maximè in provocationibus ad synodum personarum in dicta parochia delinquentium, & quoties dictus Abbas de monendo & excommunicando litteras dederit.* Etiamnum perseverat illa Archidiaconalis jurisdictio in Abbate Floreffiensi super eam parochiam, ita ut Visitationes instituat, Pastorem seu Vicarium propriâ auctoritate præficiat &c. quasi Episcopali jure gaudens; quod fuit commune omnibus Archidiaconis in Diœcesi Leodiensi, & in Abbate non desiit post erectionem Namurcensis Præsulatûs. Ab anno 1270, ad 1280, plurimùm rumoris & dissidii fuit inter Johannem Ducem Brabantiæ & Walterum nostrum, ratione juris-patronatûs Ecclesiæ in *Helmont*, vel *Harleymont*, quod tandem Floreffiæ adjudicatum & assertum est. Diplomata sex eâ de re cusa sunt; nec usquam fit mentio Religiosorum in *Helmont* commorantium, & quasi Prioratum è Floreffia pendentem constituentium: imo veluti de pura meraque & rurali parochia sermo instituitur. Attamen *Harleymontium* catalogo Monasteriorum Ordinis adscripsêre plures auctores; quos, ubi nos Ordo chronologicus ad nomen istud adduxerit, refellere est in animo. Postquam verò Walterus plurimùm tempore suo Ecclesiæ Floreffiensi profuit, sepultus est cum Patribus suis kal. Maii 1280. Sequenti epitaphio memoriam ejus posteris transmiserunt grati filii:

Abbas *Walterus* jacet hic, in Dogmate verus;
Floruit ingenio, virtutibus, ordine Dijo.
Lux fuit in reprobis, pacis fuit assecla nobis;
Improba damnavit, nec non laudanda probavit.
Flos obiit florum, Walterus regula morum.
O flores flete, & pro se sic vota vovete.
Christe, perenne chari patris nostri miserere:
Hunc salva gratis, Zeraphim jungendo beatis.
Anno milleno, bis centum, septuageno,
Denos præbebis, Waltero patre carebis.

XV.

WALTERUS DE *ZEEZ*, formosus, prudens, audax, religione probatus, & in Ecclesiæ suæ juribus deffendendis imperterritus usque ad vincula. Pro libertate Curiæ suæ de *Herlaymont* tutandâ, dum iter arriperet anno 1289, ab militibus Domini de *Trasegnies* armatâ manu interceptus est cum Præposito seu Provisore, & Sacellano suis, & per aliquot dies in captivitate detentus; interim dirè vexabatur, quò bonorum Ecclesiæ suæ dispendio propriam redimeret libertatem, nec cessit unquam. Tandem cùm ab hostibus suis ad *Floreville* tutò servandus duceretur, à Præposito de *Bulhon* in via agnitus est, & liberatus. Abbatiam sponte resignavit mense Augusto 1289. Anno incerto vitæ amisit usuram: tumulatus est ante altare B. Petri, cum hoc Epitaphio:

WALTERUS DE *ZEEZ*, quem de grege mors fera deles,
Heu! cinis efficitur, & in hoc tumulo sepelitur.
Corpore formosus & stirpe fuit generosus;
Moribus ornatus, & relligione probatus:
Patris habensque statum, rexit fugiendo reatum,
Liquit Primatum, se fecit ad omnia gratum;
Perpetuum cœli lumen sibi conferat Hely!

Hic *Arnulphum* quemdam obtrudunt *Galliæ Christianæ novæ* scriptores, qui cum Arnulpho Gemblacensi pro Guidone Flandrensi Comite legatione defungens, Philippo Franciæ Regi bellum dixerit circa annum 1290. vel potiùs Regiæ Majestatis aspectu perterritus, legationis onus socio suo Gemblacensi Abbati obeundum permiserit, ipse obmutescens. Verùm multiplici ex capite hic erraverunt Authores, alioquin doctissimi; namque

XVI.

JOANNES DE *LOVANIO* Floreffiæ præsidebat, Walteri sine medio Successor. In chartulario Floreffiensi, eo quidem optimæ notæ, legere est Instrumentum, seu sententiam dictam ab Waltero de *Marneffe*, vices agente Guidonis de Hannonia Archidiaconi Leodiensis, inter *Joannem* Abbatem ejusque Conventum, & Hawidem relictam Godefridi dicti *Pierchevael* super jure patronatûs Ecclesiæ de *Bovines*, anno 1290. feria V. ante Festum B. Petri ad Vincula. Sed & Legatio illa Flandrensis ad annum 1297. remittenda est, proindèque mediati Successoris istius Joannis tempora: obiit enim anno 1293. vir ab ineunte juventute Deo & Religioni mancipatus, per omnes officiorum gradus ascendens, & ad diversas certatim & successivè Prælaturas postulatus. Primò Præposituram rexerat Winagiensem; ex illa ad Saynensem Abbatiam translatus fuerat, inde ad Romersdorffiensem, postea ad Steinfeldiensem, denique ad Floreffiensem suam Ecclesiam votis Conventûs sui unanimibus. Hujus tumulo tale inscripserunt Epitaphium:

Sancta suis annis fuit, & pia vita Joannis;
Lovanio natus, tumbâ jacet hac tumulatus.
Hic juvenis Christum sequitur, mundum fugit istum.
Floreffiensis Pastor fuit, atque Senensis,
Et Steinweldensis, Romstorff, ac Winagiensis.
Anno milleno septem, sex, septuageno,
Ac ducenteno, juncto numero sibi deno,
Augusto mense, mortis truncatur ab ense.

XVII.

ÆGIDIUS DE *NYELLE*, ex Prælatura Septem-Fontium in Therascia, ad Floreffiensem destinatur ab Patre Abbate, Ordinis Præposito Generali, ad quem designatio Abbatis, ob discordiam electorum, fuerat devoluta. Ægidius doctrinâ & rerum agendarum dexteritate commendabilis, principum virorum sibi devinxit benevolentiam: hinc aucta est Floreffia Eleemosynis largisque donationibus. Inter benefactores istius ævi, Godefridus eminet, Comes Vianensis, Dominus de *Corroit*, *Yries*, *Pervies* & *Grimbergis*, cum Filio suo Philippo, cujus sunt litteræ scriptæ sabbatho post solemnitatem Omnium Sanctorum anni 1292, bienno post obiit Ægidius 18. kal. Septembris 1294.

XVIII.

Hugo de *REFAYS*, zelator Ordinis, & temporalium pervigil provisor. Hic ineunte anno 1297. cum Arnulpho Abbate Gemblacensi & aliis ablegatus est à Guidone Flandriæ Comite ad Philippum Francorum Regem, belli indicendi causâ. Trepidasse asserit Dyonisius San-Marthanus *Gallia Christiana* Tom. 3. col. 563. Floreffiensem Abbatem, atque Regiæ Majestatis aspectu perterritum, timidiùs hanc provinciam exsecutum fuisse; unde totum legationis onus Gemblacensi incubuerit. Non indicat eruditus, & ab omni levitatis suspicione liberrimus scriptor, ubinam gentium compererit, quosve apud authores detexerit, putidum hunc Hugonis nostri nævum: forsan, si conjecturis locus est, ex Gemblacensium documentis, Abbatem proprium cum alterius impendio extollentium, ista hausit. Verùm errorem redarguunt levantque, eorum omnium quos vidimus, scriptorum testimonia; Abbatem Floreffiensem passim in capite Legationis collocant; unus Petrus ab *Oudegherst* disertè asserit per eumdem, Guidonis comitis ad Regem verba perlata modestè, sed minas intentatas fortiter, pro ratione sui muneris. Hîc instituti non est nostri differere, quàm fœda & indecens fuerit Guidonis arrogantia in Dominum suum rebellantis; hoc unum dicimus Floreffiæ Præsulem audacter nimiùm egisse, nedum illius redarguatur trepidatio. Videsis orationem ad Regem Philippum apud cit. *Oudegherst* fol. 218. Benefactorem sensit Hugo Abbas anno 1300. dominicâ die ante divisionem Apostolorum, Joannem Namurci Comitem, Flandriæ Comitis filium. Anno 1304. Officialis Leodiensis Archidiaconatum Abbatis Floreffiæ litteris suis agnovit firmavitque. Anno eodem Henricus Comes Luxemburgi super jure patronatûs Ecclesiæ de Tohongia paciscitur cum Hugone nostro, qui apoplexiâ tactus, curam pastoralem deposuit, & paulo post amisit vitæ usuram VI. kal. Martii 1306.

XIX.

NICOLAUS DE *GESTIAL*, vir solidè doctus, & artium Magister, sed rerum secularium minimè peritus. Postquam per quadriennium præfuisset, è medio insurrexerunt testes iniqui, sub habitu religioso seculariter viventes, qui Dominum Præmonstratensem advocarunt, suumque Abbatem falsis testimoniis oppressum è sua dignitate per judicialem sententiam obtinuerunt amoveri; & ad parochialem Ecclesiam de *Aublen* Pastor ablegatus, ibi diem clausit extremum 19. kal. Febr.

XX.

PETRUS DE *SOLRA*, Abbatis Nicolai Sacellanus, *Scholæ Parisiensis benè litteratus Magister, bonus dictator & scriptor*; sed ambitione turgidus, Abbatem Nicolaum proditoriè accusavit, & in ejus dignitatem involavit. Malè partam, malè gestavit Abbatiam; *nam in cœna fecit sibi sua fercula, cum accensis tædis & facibus cereis ministrari, assumens statum inconsuetum, & adeo pomposum, quasi prædecessores ignorassent, quid Abbatem deceret.* Obiit

VI. Nonas Julii, sepultusque est ante altare S. Augustini 1314.

XXI.

ÆGIDIUS Canonicus Præmonstrati, discordante Conventu in electione, factus est Abbas Floreffiæ; rebelles invenit, rebelles præcipiti morte præventus, dimisit VII. Idus Augusti 1314.

XXII.

ROBERTUS DE *TOURNOUT*, homo magnæ religionis, boni regiminis, & conversationis humillimæ: sed inveniens Fratres supra modum insolentes, & sancto suo regimini adversantes, clanculùm Joannem de Thenis-monte, Capellanum suum, cum sigillo & litteris resignationis, transmisit ad Præmonstratensem Abbatem anno 1316. Et post abdicationem Magister in *Postula* creatus est.

XXIII.

WERRICUS dilapidator Floreffiæ, proscriptus est anno 1321, & ex albo Abbatum expunctus.

XXIV.

GODEFRIDUS DE *REYVES*, discordante Conventu, ad supplicationem Comitis Namurcensis factus est Abbas, vir strenuus, eloquens, formosus corpore, benignus bonis, malis austerus, in temporalibus sagax, desolatam restauravit Ecclesiam. Ad gradus altaris sancti Petri jacet cum hac epigraphe:

Anno milleno trecenteno duodeno,
Atque bis undeno numerato tempore pleno, *
* 1334. Octobri mense, duodena dies furit ense
Virtutis cupidum de *Reyves* in Godefridum,
Verum Pastorem, sitientem semper honorem.
Quem debet verè meritò Floreffia flere.
Nam defloratam penitùs rebus & viduatam
Tantus protector, animosus rexit ut Hector;
Hanc opibus, more, patris ditavit honore,
Summum Rectorem rogitemus ut sibi rorem
Præstet de cœlis, quò tendit quisque fidelis.
Nobis virgo dya precibus succurre Maria.

XXV.

HUGO DE *HOUYSTEBB*, magni prædecessoris immeritus successor, ignorantiâ, simplicitate despicabilis. Regimen inutile clausit 3. kal. Februarii anni 1336.

XXVI.

GILLENUS DE *NAMURCO* specie formosus, sed corde pusillo nimis. Quatuor ex metallo liquato columnis, altare majus cinxit. Cameras Canonicorum struxit in Domino, & septimo currente sui regiminis anno, sponte cessit, 1342.

XXVII.

THEODORICUS DE *WARNANS* aptè & laboriosè rexit Ecclesiam; dilapsa revocavit bona, proventus ad rem vestiariam assignavit, invidiam exterorum patientiâ superavit. Obtinuit ab Duce Lotharingiæ Inferioris licentiam utendi & fruendi pacificè sylvarum, quas Ecclesia Floreffiensis possidebat juxta Nivellam, anno 1343. Correptus, infirmitate Leodium navigio petiit, ut medicos consuleret; ibidem morte sublatus, in Ecclesiâ Belli-reditûs cum hoc Epitaphio inhumatus jacet:

M.C. ter undeno quinquageno simul anno 1361.
Augusti mensis Nonis, mortis necat ensis
Nostrum Prælatum *Theodoricum* decoratum
Moribus, & natum de *Warnans*, hîc tumulatum;
A te delatum, Floreffia, plange vocatum;
Pastorem gratum, facti probitate probatum.
Annis vigenis prudenter nosque decenter
Rexit & ardenter: Deus adsit ei patienter.
Alme Pater cœli, veniam concede fideli
Ac humili famulo, qui jacet hoc tumulo.

XXVIII.

JOANNES DE *PERWEIO*, Decretorum Doctor, ex Magistro de *Postula* electus Floreffiæ Abbas. Inter ipsum & Theodoricum de *Horne*, Dominum temporalem de *Perweis*, lis & discordia mota est; quam terminarunt *Wenceslaus* de Bohemia Dux, & Johanna Ducissa Brabantiæ; compositionis instrumentum Bruxellæ Datum est 4. Octobris 1365. Tactus apoplexiâ Joannes interiit anno 1379. Hoc funebri encomio saxum ejus sepulcrale ornatum est:

Hâc sunt in fossa Patris Venerabilis ossa
De *Perweis* natique, *Joannes* rectè vocati:
Non dans se vanis, primò fuit Aurelianis,
Decretis Doctor, noster & inde Prior.
Postula post ipsum se gaudet habere Magistrum.
Tandem præficitur huic Ecclesiæ pius Abbas
Ter ferè sex annis; hinc mortis debita solvit
Anno milleno ter centum septuageno,
Atque novem jungas, * quarto Juliique Kalendas. * 1379.
O Deus æternam donet ei requiem.

XXIX.

PETRUS DE *BLEHAIN*; obiit undecimo administrationis suæ anno 1390.

Huc usque Petrus de Harentalio.

XXX.

ALARDUS DE *ORASIO* præfuit sex annis, &

ſepultus eſt in Eccleſiâ Floreffienſi ante altare B. Virginis anno 1396.

XXXI.

ÆGIDIUS DE *HARENTALLE*, generoſâ & clarâ ſtirpe ſatus. Jacet in medio navis ſub tumba, cui ſuperſcriptum eſt hoc epitaphium:
» Hîc jacet Dompnus Ægidius de *Harentalle*,
» Abbas hujus Eccleſiæ Floreffienſis; qui obiit
» anno Domini MCCCLXXXXIX. & Martii xxiv. Orate pro .....

Perpetuam cœli lucem ſibi donet Iheſus;
Æternæ det ei pariterque locum requiei.

Circa limbos tumbæ & latera:

Miræ ſculpturæ præſens deſcribit imago
Ægidium..... generoſa propago
Stirpe dedit clarum; dignæ diſcretio mentis
Effecit gnarum teſtantibus experimentis.
Nam tener ætate ſubiens hanc relligionem,
Indolis ut gratæ mundi ſprevit livionem;
Quem numquam piguit compleſſe patris monumentum.
Commiſſum ſtuduit ſemper geſtare talentum.
In quo non latuit divi ſpirantis omen.
Qui tandem meruit Abbatis capere nomen.
Hoc ſibi mauſeolum fecit vivendo parari.
Ipſi, Chriſte, polum des, perpetuò que beari.

XXXII.

JOANNES DE *HARCHEES*, laudabiliter rexit. Interfuit Concilio Piſano per Procuratorem anno 1409. Obiit anno 1414. Vide Concil. Labbe Tom. XI. col. 2226.

XXXIII.

NICOLAUS DE *BLEHEIN*, dies vidit & habuit malos, dum ſcilicet Leodienſes Joannem Comitem Namurci, admotâ militari manu, infeſtarunt; tunc enim Floreffia cladem magnam ſuſtinuit, omnes Canonici in fugam verſi, Monaſterium vaſtatoribus permiſerunt. Hoſtibus prævalentibus furentibusque, obſiſtere ſuis viribus cum nequiret Joannes, Comitatum ſuum vendidit, accedente Procerum conſenſu, Philippo Bono Burgundiæ Duci, ſervato ſibi uſufructu ad vitam, anno 1421. Pacatis tumultibus, anno 1436. prælati plurium regionum Brugas à Philippo Duce convocati convenêre ad ſolemnem proceſſionem die Inventionis Sanctæ Crucis fieri illic ſolitam; convenit inter alios Abbas Nicolaus, & pretioſum Chriſti ſanguinem ab Joſeph de Arimathia collectum, pompatico portavit apparatu. Inde reverſus reſignavit ſuam dignitatem.

Succeſſionis ordine hîc adſcribit San-Marthanus, ſecutus D. Dupin in Bibliotheca Authorum Eccleſiaſticorum Sæc. xiv. *Petrum de Harentals.* Nobis autem conſtat Herentalium diu Priorem, numquam Abbatem fuiſſe.

XXXIV.

BALDUINUS DE *FOUCEEN*, vel de *Fourny*, bello exuſtas reparavit curtes, & pluribus annis adminiſtratum providè Monaſterium, in manibus Patris Abbatis ultro reſignavit. Fatis verò conceſſit anno 1449.

XXXV.

LUCAS DE *EYCH*, antea Magiſter *Poſtulæ*, vir Deo & hominibus gratus, frugi in victu, in habitu modeſtus, aquilam æneam in medio chori, opus ſuo auctore dignum, erexit. A ſummo pontifice Nicolao V. jus mitræ ſibi ſuiſque Succeſſoribus obtinuit anno 1450. Inter Fratrum gemitus & deſideria, fraternitatis amans exceſſit; & ut perennis ejus memoria perſeveraret apud poſteros, in chori atrio ſepelierunt mœrentes filii anno 1465.

XXXVI.

GERARDUS DE *EYCH*, ex Magiſtro Poſtulenſi factus Abbas, prædeceſſoris veſtigia ſecutus minimè, parta ab ipſo, malè expendit: memoratur ſub annum 1483, in hiſtoria editâ BonæSpei. Diuturno regimine duram Floreffiæ inflixit plagam. Poſtulæ, quam rarò deſeruit, vetulus moritur menſe Julii anno 1492.

XXXVII.

JOANNES *SAMPEYN*, eruditione pollens, & fraternâ caritate præcipuus, ſuos benignè fovit, & deceſſoris ſui mores, moribus ſanioribus emendavit. Depauperatum adeò Monaſterium offenderat, ut intermiſſionem talliarum Ordinis ad vitam ſibi concedi poſtulaverit, impetraveritque ab Capituli Generalis Patribus 1499. œconomiâ ſuâ paululùm reſtituit rem, atque ſui deſiderium relinquens, obiit x. Junii anno 1508.

XXXVIII.

ÆGIDIUS DE *SORLEZ* oppignorata pridem, aut alienata bona Monaſterii redemit. Canæ ſenectutis pondere & dignitatis ſollicitudine fractus, ſponte honores exuit, & ad Capituli votum unanime, tranſtulit in nepotem, virum ad altiora natum, anno 1516.

XXXIX.

GODEFRIDUS *MARTINI* S. T. D. cœpit à limine vetera diruere ædificia, nova conſtruere, inculta ornare; Floreffiam antiquis ſtructuris humilem, recentioribus efferre, Templum ſacellis, altaria ſtatuis æreis, ſacriſtiam ornamentis auro & argento nitentibus, inſtruere. Impetravit à Patribus Capituli Generalis in Præmonſtrato celebrati anno 1518, cui ipſe adfuit, licentiam celebrandi *in ſuo Monaſterio & aliis Eccleſiis Parochialibus eidem Monaſterio ſubjectis* (ratione Archidiaconatûs &

jurisdictionis quasi Episcopalis) *solemne Festum præsentationis gloriosæ Virginis Mariæ, sicut de Festo Nativitatis ejusdem fieri solet, exceptis Octavis*. In altero Generali Capitulo ibidem habito anno 1526. Patrum censuræ objecit formulam professionis Floreffiensium usu receptam, quâ profitens vovebat obedientiam *secundùm statuta Ordinis Præmonstratensis*; hæc verba abradi, & de cætero omitti decreverunt Patres, ut esset uniformitas in Ordine. Tanta porro dicendi pollebat facundiâ Godefridus, ut sæpe ad Principes ablegatus pro Reipublicæ causâ fuerit; & ipsis Namurcensis Concivibus ita carus exstitit, & spectabilis visus est, ut eum tanquam digniorem elegerint, qui Carolo V. Imperatori, Civitatem solemni apparatu primùm ingredienti, claves præsentaret. In Claustro, exigentibus meritis, dignus habitus est, qui primaria obiret munia. Circariarum Floreffiæ & Brabantiæ Vicarius Generalis & Visitator renuntiatus est in Capitulis Generalibus. Duarum provinciarum ambitu non concludebatur piissimi pastoris sollicitudo; hæc erat omnium & in omnes Ordinis Ecclesias latè expansa: in quas ne subeundi aditus pateret erroribus, istud decretum in Capitulo Generali 1534. sancitum curavit: » Annuendo » supplicationi per R. P. Floreffiensem Capitu- » lo factæ & exhibitæ, Capitulum inhibet om- » nibus & singulis Prælatis & Religiosis Ordi- » nis nostri, sub pœna perpetui carceris, ne de » cætero præsumant legere, deffendere, seu » quomodò libet disputare de Lutherana hæ- » resi, seu opera per ipsum Lutherum compi- » lata & descripta apud se habere & manu te- » nere; nec non quæstionem habere de qui- » buscumque hæresibus per Theologos Univer- » sitatum reprobatos, contra fidem catholicam, » sacramenta Ecclesiastica, Mandata Dei, & » Ecclesiæ malè agentibus: intellecto quòd in » pluribus locis pestis Lutheranæ incrementum » suscipit, in non modicum ipsius Ecclesiæ & » fidei catholicæ dedecus, vituperium, oppro- » brium, & detrimentum. » Supplicavit anno 1542. idem Godefridus Capitulo Generali quatenus sibi fas esset Religiosos suos incitare & cogere ad cantandam antiphonam *Salve Regina* in choro post Matutinum, post Missam Matutinalem, sextam, nonam & Vesperas. Annuêre Patres, & scriptâ ad supplicem Abbatem Epistolâ, magnis laudibus extulerunt pium zelum pro unitate Ordinis, quam inviolatam se cupere protestatus fuerat, *ut tunica illa inconsutilis Christi in nostro Ordine Candido, à primaria sua institutione per Patres nostros delata, numquam dividatur*. Plebeïorum amor, Nobilium deliciæ, pauperum pater. Obiit 21. Novembris 1548. hoc epitaphio donatus est:

Infelix cecidit Godefridus, Gallia luge!
Candidioris honos Ordinis eximius.
Lugeat orbatus tanto nunc Præsule Clerus;
Nunc lacrymis oculos Candida turba riget.
En obiit vernans sanctæ flos religionis;
Decessit nostræ vera lucerna domûs.
Mortuus est, vitam pretio sed mortis adeptus:
Mors vitæ est justis janua perpetuæ.

XL.

JOANNES *DOTEN* ex Priore Abbas, diligenter rem domesticam promovit. Festum S. Nominis Jesu in suam Ecclesiam celebrandum invexit; & Festo Inventionis Sanctæ Crucis recurrente, spiritum Domino Jesu reddidit V. Nonas Maii anno 1552.

XLI.

GUILLELMUS *DOUPPAIX*, (Dupasius) vir acerrimi ingenii, multæ lectionis, gravitatis venerandæ, omnium disciplinarum scientiâ, sed politioris præsertim litteraturæ præditus eruditione;

Cui similem numquam genuit Floreffia florem,
Non habuit, nec habet, non habitura parem;

Ut quidam poëta coævus cecinit non minùs verè, quàm peritè. In sæculo Magisterii lauream adeptus, Gymnasiarcha docuit. Religionis amplexato institutum, erudienda in sacris litteris juventus Floreffiensis committitur, & isto munere perfunctus est, usque dum ad Prælaturam evectus ascenderet. Anno 1560. Circariæ Floreffiæ renuntiatus est Vicarius & Visitator à Capitulo Generali. Eodem munere per totum Belgium functus est, præfuitque anno 1572. Capitulo Provinciali in Cœnobio Parcensi celebrato. Eo regente, magnam ab Henrico II. Rege Galliæ Dionantum expugnante, villas longè latèque redigente in cineres, passa est ruinam in curtibus suis Abbatia Floreffiensis. Longè majorem ex debacchante in Belgio hæresi sustinuit. Tam miserabilis & tetri furoris incendia ut devitaret Abbas, clanculùm unà cum suo Conventu Leodium se recepit, datoque ad prædam Monasterio, quod eleganter instaurarat, animos sollicitus Pastor in tuto posuit. Ibi exsul agens, ab exilio ad patriam cœlestem evocatur anno 1578. septimo Novembris: hoc Epitaphio Cænotaphium ejus instruxerunt Floreffienses;

Occubuit Leodii septenâ hâc luce Novembris
Douppaix floriduli duxque paterque gregis;
Quinque ævi lustris atque uno præfuit anno,
Tam dextrè ut pauci dexteritate pari;
Floruit hoc sub Patre annos Floreffia multos,
Doctrinâ eximiis & pietate viris.
Moribus ac sensu canus, maturus ut ævi,
Plus minùs undenas vixit olimpiades.

In Belli-Reditûs Ecclesia ante summum altare jacet Abbas Guillelmus hâc Epigraphe

Insignis;
Splendida marmoreis quæ surgere busta columnis
Dat Floreffiacæ candida turba domûs;
Quà lapis heroo insignitus carmine cari
Condita visuris indicat ossa patris.

XLII.

ÆGIDIUS DAISCHELET, ut proceribus sic plebeiis gratus, electus est à Capitularibus Floreffiæ Canonicis, & Fratri *Huberto Simonart*, litteris nominationis ab Archiduce Austriæ Matthia obtentis munito, oppositus. Rem totam ex Capituli Generalis 1579. decreto clarè edisces: » Item ad aures Capituli Generalis » pervenit, post obitum bonæ memoriæ *Guilielmi Douppey*, ultimi Abbatis B. Mariæ Flo» reffiensis, nostri Ordinis, Namurcensis Diœ» cesis, R. D. Præmonstratensem misisse satis » amplum Vicariatum Confratri nostro Abba» ti Lessiensi, ut electioni Abbatis futuri præsi» deret ejus nomine. Interim dum diuturnio» rem moram in eligendo Religiosi traherent, » Fratrem *Hubertum Simonart*, ejusdem Mo» nasterii Floreffiensis Religiosum, Prioratûs » Postellæ Priorem, vel Magistrum, quasdam » litteras nominationis ad dictum Monasterium » impetrasse à serenissimo Archiduce Austriæ » Matthia; & per dictum R. D. Præmonstra» tensem confirmatum, ac tandem à Religio» sis fuisse electum Fratrem *Ægidium Daischelet*, & Regi Catholico gratum, & per dictum » R. D. Præm. confirmatum. Capitulum ita» que declarat dictum R. D. Præmonstrat. me» tu cadente in constantem virum, utrisque » providisse, perculsum, ne nobilis domus » conflagraretur, & bona dissiparentur, sed ab » utroque Confirmato conservarentur. Ni» hilominus tamen Capitulum Generale veri» tati & electioni factæ per Religiosos, lauda» tæ & approbatæ per Regem Catholicum fa» vens, præfatum Fr. *Ægidium Daischelet*, » tanquam verum Abbatem & Confratrem re» cipit ac declarat; præfatum autem *Simonart* » non electum à Religiosis, nec à Regia Maje» state nominatum reprobat, & inhibet sub pœ» na privationis beneficii & officii sui, ne no» mine Abbatis utatur, nec fructibus gaudeat: » Mandantes insuper omnibus Religiosis dicti » Monasterii, & Prioratûs Postellæ, ne eum » tanquam Abbatem recipiant, nec obediant, » sub pœnis contra inobedientes in statutis con» tentis. » Sic confirmatus Ægidius, administrationem suam vigilantiâ & benignitate temperavit. Propter irrumpentes liberos prædones, ejus insidiantes vitæ, & Bruxellis ad prædam excursitantes frequenter, in perfugio Namurcensi sibi quæsivit azylum lacessitus Abbas. Walterum à *Corswarem* Administratorem regularem Cœnobii Tongerloensis nominatum à Rege, tanquam Brabantiæ Vicarius Generalis confirmavit. Anno 1592. Prælaturæ suæ 13. diem clausit extremum 25. Maii, & in sacello Sanctæ Catharinæ sepultus, hoc marmori insculpto elogio donatur:

Proh: dolor; hâc recubat sub crypta Aischeltius Abbas
Floridulæ plora grex generose domûs;
Et cœleste, ora, tuus intret Pastor ovile,
Qui sibi commissas tam bene rexit oves.
Sed quia mors certa est, quamvis incerta sit hora,
Fatalem hic nequiit præteriisse diem.
Omni vive die tanquam moriturus eodem;
Omnis namque dies ultimus esse protest.

XLIII.

HENRICUS EERSEL: cujus laudes cecinit, Vicariatûs officium committens anno 1605. Capitulum Generale his verbis: » Quia ex re» latione R. Generalis nostri aliorumque fide » dignorum Prælatorum, constat Dominum Ab» batem Floreffiensem, venerandum Ordinis » nostri *Parentem* (hoc est, tertium Ordinis » Patrem) in promovenda Monastica discipli» na acuratum, & in tuendis Ordinis nostri » privilegiis strenuum esse; id tamen nonnun» quam cum per se, ratione ægritudinis, præsta» re non posse, Capitulum injungit ut ad eum » Commissio omnibus suis numeris absoluta, » cum plenitudine potestatis in Circariis Flo» reffiæ, Brabantiæ, & Flandriæ, nec non cum » potestate substituendi, inter cætera inseratur » mandatum de omnibus earumdem Circaria» rum Sororibus recludendis ».

Huic anno 1606. denato consecratum est istud sepulcrale elogium:

Non ingrate patrem, fili, & quicumque viator,
Quâ prece, quâ ve potens es pietate juva.
Occubuit Marti septenâ heu! luce fidelis
Sacrati *Erselius* duxque paterque gregis.

XLIV.

JOANNES ROBERTI, Vicarius Generalis Westphaliæ & aliarum Circariarum pluries renuntiatus. Anno 1613, è vivis sublato Francisco à Longo-prato Præmonstrati Abbate, viduatam hanc principem Ecclesiam accessit Joannes, tertius Ordinis Pater; & pro jure suo, absentibus Abbatibus Laudunensi & Cuissiacensi, licet convocatis debitè, datis sibi ad consilia sociis Abbatibus Bucilii, S. Mariæ Majoris Mussipontanæ, Vallis-secretæ & Vallis-serenæ, solus præfuit electioni R. Petri Gossetii. Totus in Ordinis promovendum decorem, & Monasteriis reformationem inserendam anhelabat, adlaborabat Joannes; potissimùm verò sollicitus erat ut decretum Capituli Generalis 1618. de erigendis in qualibet Circaria seminario & Novitiatu communibus, sortiretur effectum. Ejus labore, studio, precibus, mandatis, structum est seminarium, seu Collegium, & erectæ communis Novitiatis ædes in Circaria West, ha-

liæ. Scriptum desuper instrumentum terimus datum 19. Martii 1619. Ejus Epitaphium sic legitur;

Hîc jacet Reverendus admodum Dominus Joannes Roberti, hujus Floreffiensis Ecclesiæ Abbas; qui cùm ferè xxxiii. annis laudabiliter præfuisset, ac res Monasterii tam in temporalibus, quàm in spiritualibus bene amplificasset, obiit anno Domini MDC. XXXIX. mensis Decembris Septimo.
Requiescat in pace.

XLV.

CAROLUS DE SEVERY; annis 1655, 1657, 1660. &c. Vicarius Generalis Floreffiæ & Flandriæ renuntiatus est; distracta sunt & R. Præmonstratensi reservata ea Monasteria, quæ Regi Christianissimo suberant. Obiit anno 1662. & in medio chori jacet cum hâc inscriptione;

En marmoreum speculum
Intuemini mortales:
CAROLUS DE SEVERY.
Nobili prosapia oriundus,
Hujus Ecclesiæ 44. * Abbas fuit;
Stetit annis LVII.
Sedit annis XXII.
Abiit viam universæ carnis
Pridiè nonas Septembris MDCLXII.
Hîc tandem dormit resurrecturus.
Decorem Domûs Dei dilexit;
Testantur marmora.
Ne sis, Lector, marmore durior;
Unà lacrymare & precare,
In pace sit locus ejus,
Benignâ severitate.

* quia Vericus 23. ex Albo Abbatum expunctus est, uti dilapidator.

Vacavit Sedes Floreffiensis aliquot mensibus, siquidem Patres Capituli Generalis 1663. Aprili mense cadente habiti, viduam orbamque Floreffiam postquam gementes recensuerunt, alios Abbates, qui Patrum Abbatum vicibus fungantur, legunt, & comites sociant Abbati Cuissiacensi pro Canonica Præmonstratensis Monasterii visitatione instituenda; atque BonæSpei Abbatem deputant, qui sequioribus annis idem obeat munus, quousque Floreffiæ de Abbate fuerit provisum.

XLVI.

GUILLELMUS DE JALLET: cujus exstat in medio navis Ecclesiæ hoc epitaphium;

Virtutum odore
Vigilate.
Hîc sepultus jacet
R. admodum Dominus
D. Guillelmus de Jallet.
Hujus Ecclesiæ 45. Abbas;
Præfuit annis XII.
Virtutum odore.
Raptus est ad æternitatem
Morte Subitaneâ
XVII. Kal. Augusti,
Anno salutis MDCLXXXVI.
Ætatis LXIV.
Tu lector vigila & ora
Ut illi & tibi sit
Requies æterna.

XLVII.

CHRISTOPHORUS DE HEEST; vitæ & gestorum summam ex ejus monumento intellige:

Timenti Deum nihil deest.
Sub hoc sepulcrali monumento
Jacet admodum Reverendus Dominus
Christophorus de *Heest*,
XLVI. Abbas Floreffiensis
Qui necdum anno Sedis nono exacto
Et vitæ quinquagesimo
Septimo vix elapso,
Timore Dei clarus
Mortalitatis finem
Et Immortalitatis initium
Invenit VI. Martii MDCLXXXVI,
Successorem Fratrem germanum
Dominum Ignatium sortitus est,
Qui
Ipsi, sibi, & tibi
Hoc timoris speculum posuit.
Requiescat in pace.

XLVIII.

IGNATIUS DE HEEST, cujus habes Epitaphium sequens:

Hîc jacet Reverendus Dominus
Ignatius de Heest
Hujus Ecclesiæ Abbas XLVII.
Præfuit annis ferè XIV.
Propter bellorum calamitates
Infaustus.
XX. Julii anno Nativitatis Christi
MDCC. suæ LXII.
Post diuturnam invaletudinem
Dormivit in pace.
Æternam precare ei, lector;
Ut posteri tibi.

XLIX.

BERNARDINUS DE LA PERLE, ab infesto Marte dirutam reparavit domum, & Vicarii Generalis Provinciarum Floreffiæ & Flandriæ partes magno animo sustinens, intercipitur urgente fato, anno 1718. Ejus memoriæ hoc dedit elogium successor;

Bernardinus ego cognomine *Perla* vocabar,
Vir pius & prudens, Præsul eramque vigil:
Provisor, Pastorque bonus, mox inclytus Abbas,
Ter micui, exemplo, mente, labore meo.

Floreffina domus sub me instaurante revixit;
Tuta meisque fuit, me vigilante, quies.
Annis octodecim rexi, plus septuaginta
Vixi, lector, ave, fausta peccare, vale.
Obiit 17. Decembris MDCCXVIII.

L.

LUDOVICUS DE *WARDE*, aliàs *Van-Werdt*, anno 1719. benedictionem percepit. Domum penè totam, meditato incendio deletam, excitavit à fundamentis; Bibliothecam ingenti MSS. supellectile pretiosam ornavit; totusque ad modestiam & ad domûs decorem ampliandum compositus, feliciter præest.

Monumenta Sepulcralia.

GODEFRIDUS Namurci Comes, sanctam conversationem Floreffiensium Fratrum sub Beato Abbate Richardo contemplatus, & tantarum virtutum pio lenocinio captus, abjecto secularis dignitatis fastu, pauperem Christum sequi pauper & inops aggressus est: Monasticæ vitæ tyrocinium in Floreffia recens expensis suis constructâ, fecit, in albo Fratrum Conversorum adscriptus, cursum suum consummavit dignè Deo. Tumulatus est in Sanctuario, occlusisque humilis Conversi manibus rude marmor, solum *Godefridi* nomen inscriptum præferens, appositum est.

Eodem sepulcro, non absimili modestiâ, donata fuit Ermensendis, Godefridi conjux piissima. Horum filius & hæres Henricus, & uxor ipsius Agnes etiam simplici marmore cooperti diù jacuêrunt; cuique tumbæ inscripto dumtaxat singulorum nomine.

Verùm ut munificentissimorum fundatorum memoriam aliquo splendiori titulo transmitterent ad posteros Floreffienses nostri, curarunt elogium istud incisum marmori, Sanctuarii cancellis incrustato, consecrare:

A Regiæ stirpis majoribus ortum æque repetunt
Godefridus & Ermensendis;
Imperatores, Reges, Heroes, Sacrorum Principes,
Divos
Numerant inter posteros & seros nepotes.
Probandæ Regiæ munificentiæ
Una sat est Floreffia.
Infimorum Conversorum professo statu,
Ostentationis fastum depresserunt,
Illuserunt veste candidâ,
Vixerunt conjuges pacifici.
Faxis, lector, dormiant Confratres
In pace.

Duplici ex capite præfatum Epitaphium novitatis postulat eruditus P. Sollier, (a) nimirum quod Godefridus & Emerlendis ibidem dicantur numerare Imperatores, Reges, Heroes, inter *seros nepotes*. Item, quod vox *Divus*, pro *Sancto, in rebus Ecclesiasticis prisci usûs* non sit. Fateor his vocibus, *seros nepotes*, sat constare, quod jam superius insinuavimus, scilicet non statim à morte utriusque conjugis, appictum fuisse isthoc Epicedium: at non sequitur ex iis ad novissima usque tempora procrastinatam fuisse illius confectionem. Legatur siquidem attentè *Chesneius*, (b) Et patebit jam ante annum 1200. à Godefrido, & Ermensende numerari potuisse *Imperatores, Reges, Sacrorum Principes, Divos, inter posteros, & seros nepotes.*

Alteri autem ejusdem eruditi viri censuræ (quâ contendit vocem *Divus* pro *Sancto*, in rebus Ecclesiasticis prisci usûs non esse) nihilo magis assentiri possum. Reperitur quippe hoc sensu usurpata in vita S. Eulogii, authore Alvaro Cordubensi Coætaneo, ubi meminit *Divinæ memoriæ Vuistremiri, Toletanæ Sedis Episcopi.* (c) Ibidem dicitur *Divæ memoriæ... Eulogius.* (d) Item in Chronico Einsidlensi. *Gregorius Divæ memoriæ Abba obiit.* (e) Et apud Dodechinum, nuncupatur Burchardus *Abbas Divi Jacobi Moguntiæ.* (f) Et postea *Arnoldus Præsul Moguntinus... in Nativitate Divi Joannis Baptistæ... occiditur.* (g) Author Chronici Tongerloensis, in Præfatione B. Virginem *Divam* appellat. Joannes *Legatus* chronicon suum inscribit, anno 1500. *Domino Henningo, Monasterii Divi Godehardi Abbati.* (h) Krantzius de Henrico Episcopo agens, hæc habet. *Primum posuit lapidem majoris Ecclesiæ Lubicensis.... in honorem S. Joannis Baptistæ, ac Divi Nicolai.* Et paulo post. *Iste vero Pontifex in urbe Lubica Divi Benedicti, sui Ordinis erexit Monasterium.* (i) Vide etiam Syllabum Abbatum Wertinensium, ubi author hæc habet. *Nobilissima stirpis S. Ludgeri sex Episcopis inter Divos relatis.* (k) Vide pariter Meierum in Annalibus Flandricis, Sibrandum Leonem per totum. (l) Et chronic. Laurisham. T. I. p. 124. desinens anno 1179.

In alio marmore ad oppositum locato, legitur *Henrici* Filii, & *Agnetis*, ejusdem conjugis funereum istud carmen.

D. O. M.

Vis scire quàm non sit aliena à bellicâ fortitudine
Christiana pietas?
Henricus, Namurci, & Luceburgi Comes,
Godefridi, & Ermensendis non degener Filius,
Utramque felici fœdere copulavit.

(a) Act. ss. Tom. VI. Junii pag. 25.
(b) Hist. Luxemburg. & Limburg. pag. 51. & seq.
(c) Tom. IV. Hispan. Illustr. pag. 226.
(d) Ibid pag. 313.
(e) Veter. Analat. Mabillon. pag. 368. n. c.
(f) Tom. I. Scriptor. Pistor. pag. 667. col. 2. n. c.
(g) Ibid. pag. 677. col. 2.
(h) Tom. II. Scriptor. Rer. Brudsw. pag. 405.
(i) Lib. V. Vandal. cap. 41.
(k) Tom. III. Scriptor. Rer. Brunsw. pag. 600.
(l) Tom. II. Sacræ Antiquit. Monum. pag.

Bello strenuus, pace pius,
Fundatam à Parentibus Floreffiam fovit, dotavit,
Ditavit bonis, sublimavit honoribus, in tantum dilexit,
Ut apud ipsam, cum Agnete conthorali sepeliri voluerit,
Anno MCLXXX.
Principibus dilecta viris Floreffia, juges
Manibus ipsorum grata repende preces.

In collaterali area dextra Ecclesiæ, legitur hæc tumbæ lapideæ incisa inscriptio.

Chi gist Baderois ki fut freres à Monsignor Johan Domont ki funda cette chapelle; kis Signor Sohier & Dame Bessela ...... in de nonilet ki trepassa en l'an de l'Incarnation Ihesus Christ. 1278. le Merkedy aprés *invocavit.* étois Johans ki fit cette chapelle gist à Floreffe & s'y fist fair un auteil de xv. LB. de blans par an, & se laiat v. bonire de terre por achater IIIIXX paire de sols & 11. muid de spiate.

PATERNITAS.

Jus paternum exercet Foreffia in
Bellum-Reditum
Hellissæmium
Leffiam
Romersdorffium
Septem-fontes
Postulam
Sanctum Abacuc
Weneau, Parthenonem
Wanziam, Parthen.

PASTORATUS.

Floreffia dioe. Namur.
Solra Sancti Gaugerici vulgò *Solre St. Gery* — dioe. Leod.
Bellus-mons — *Beaumont* — dioe. Leodien.
Obasius — *Obais* — dioec. Namur.
Lacus magna — *Grand Leez* — dioec. Namur.
Vetus-Villa — *Vieuville* — dioec. Namur.
Salturia — *Saulthour* — dioec. Leodien.
Warnantum — *Warnant* dioec. Leodien.
Capella — *la Chapelle* vulgo *Harlaymont* dioec. Camera.
Snennis — *Senennes* — dioec. Namur.
Franierium — *Franiere* — dioec. Namur.
Aveloisium — *Avelois* — dioec. Namur.
Thimeonium — *Thimeon* — dioec. Namurc.
Traisigniacum — *Traisignies* — dioe. Namurc.
Overpelium — *Overpelt* — dioec. Leodi.
Houtalenium — *Houtalen* — dioec. Leod.
Farciene dioec. Leod.
Aublain. dioec. Leod.
Vlliers en Faigne ejusd. dioecesis. In nonnullos horumce pastoratuum, jure Archidiaconatûs hæreditarii, ordinariam exercet jurisdictionem Abbas. Gaudet etiam Floreffia uno Canonicatu in Ecclesia S. Pauli Leodiensis.

SACRÆ EXUVIÆ.

Portio Ligni Sanctæ Crucis de qua mentionem fecimus supra.

Brachium S. Gereonis quod Norbertus Coloniâ redux, contulit Floreffiæ, & thecæ auro obductæ, decenter inclusum à Carolo *de Severi* Abbate XXXXV.

S. S. Martyrum Thebæorum ossa varia.

S. S. Ursulæ & sociarum insignes Reliquiæ ab eodem S. P. Norberto traditæ & Lipsana Heteromalli acclusæ antiquitùs.

Quatuor thecæ argento obductæ, quas Bernardinus *de la Perle* recondendis diversorum S. S. ossibus, suâ jussit ætate fabricari. Harum altera corpus S. Valerii continet, fortè Hyponensis Episcopi.

Manuscriptorum Index.

Biblia sacra nitido & eleganti caractere scripta, fol.
Biblia figuris, auro & minio ornata fol.
Biblia Sacra majori caractere fol. scripta ad jussum Joannis de Capella X. Abbatis, creati anno 1239.
Leviticus cum glossâ interlineari. 1. vol. in 4.
Daniel cum glossâ interlinerai in 4.
Novum Testam. eximio caractere scriptum in 4. Alterum in 8. Tertium cum glossâ interlineari SS. Patrum. fol.
Daniel cum glossâ interlineari
Psalterium in 4.
Homiliæ Origenis in Genesim. fol.
..... in Matthæum fol.
..... in Josue & Cantica; item Haymo in Cantica. fol.
Cypriani opera in 4.
Eusebii Historia Ecclesiastica. fol.
Ambrosii diversa opera. fol.
Item Ambrosii opera minutissimo caractere. 4.
..... super Lucam. fol.
..... Commentarius super Epistolas Pauli. in 4. bis.
..... de Resurrectione mortuorum. in 4
Hyeronimi opera minutissimo caractere in 4.
..... Comment. in Psalmos in 4.
..... in Ezechielem Prophetam. fol.
..... in Danielem prophetam, cum Libro de Viris. Illustribus. in 4.
..... in Minores Prophetas. in 4. bis.
..... item in Minores Prophetas. fol.
... Liber Quæstionum Hebraïcarum. in 4.
... Commentarius in Matthæum. in 4.
Chrysostomi homiliæ variæ. in 4.
Augustini Tractatus in Psalmos. fol. mutilum.
...... in Johannem. fol. bis.
...... in Psalmos, à quinquagesimo primo ad octogesimum exclusivè. fol.
Augustini opera varia; item & aliorum Patrum. fol.

..... Commentarius in primos L. Psalmos. fol.
..... de Civitate Dei. fol.
..... Libri de Magistro, unde malum, Soliloquiorum & de Ordine agendi. in 4.
..... diversa opera in 4.
..... de Doctrina Christiana. in 4.
..... Contra Faustum. fol.
..... Opera varia. fol.
..... Sermones de diversis. in 4.
..... de Consensu Evangelistarum. in 4.
..... Epistolæ, fol. maximo.
Cassiodori historia tripartita. fol.
Gregorii Magni Decretalium Libri V. fol. ter.
...... Registrum Epistolarum. fol.
...... Liber Moralium. fol.
...... Commentarius in Librum Job. fol.
...... Moralitates in Job. fol.
...... Libri decretalium. fol. maximo.
...... Libri Dialogorum. fol.
Paterius in vetus Testamentum. in 4.
Isidori Episcopi Libri tres; I. quod Deus summus & incommutabilis sit. II. de Sapientia. III. de flagellis. in 4.
..... Liber de Officiis. in 8.
Ven. Bedæ Commentar. in Evangelia. fol.
..... Historia gentis Anglorum. fol.
Collationes Patrum. fol.
Liber Officialis perantiquus.
Haymonis Commentarii in Epistolas Pauli. fol.
..... Expositio in Isaïam prophetam. fol. bis.
Yvonis Carnotensis collectio Decretorum. in 8.
..... Epistolæ in 4.
Expositio Epistolarum B. Pauli Apostoli à quodam Floro collecta ex scriptis S. Augustini II. Tomus. fol.
Anselmi Cantuariensis Liber, *Cur Deus homo*. Item Hugo super Regulam B. Augustini. in 4.
Burchardi Episcopi Guerinaciensis liber de Jure Canonico. fol.
Hugonis à S. Victore Opus de Sacramentis ad secundam eruditionem sacri eloquii, quod est fundamentum scientiæ. in 4. bis.
..... diversa Opera, cum Epistolis Bernardi. in 4.
..... super Matthæum. in 4.
..... super Ecclesiasten... fol.
..... Liber sententiarum. in 4.
Bernardi Sermones in 8. item fol.
..... mediationes. fol.
..... Epistolæ. fol.
..... diversa Opera. in 4. item in 8.
Petri Lombardi sententiarum Libri 4. fol.
..... Expositio in Epistolas Pauli. fol.
Petri Pictaviensis summa Quæstionum. in 4.

Gratiani Decretum. in 8.

Richardi Liber de statu interioris hominis post lapsum: item Epistolæ & Sermones D. Bernardi, in eodem. fol.

Antiquum Ordinis Præmonstr. Ordinarium. in 8.

Radulphi Monachi Flaviniacensis Expositio super Leviticum; pars secunda. Item Johannes Damascenus de Gestis Barlaam & Josaphat. 1. vol. fol.
Petrus Riga in vetus Testamentum. in 4.
Historia Scholastica. fol. bis.
Raymundi Summa de Casibus in 4.
Sermones Fratris Johannis de *Rosires* anno Domini 1277.

In fronte voluminis leguntur quædam carmina in laudem istius libri, cum hac inscriptione; » Versus cujusdam monachi Sancti Mariani » Autissiodorensis, Præmonstratensis Ordinis, » de laude libri. Liber in 8.

Sermones & homiliæ Sanctorum Patrum. fol. bis.

Chronica Fratris Martini, Domini Papæ Pœnitentiarii. fol.

Legenda de Sanctis, seu Vitæ & Passiones plurium Sanctorum. fol. ter.

Alberti de Brixia, Ordinis FF. Prædicatorum Liber de officio sacerdotis. in 4.

Speculum Ecclesiæ. in 4.

Speculum B. Mariæ in Angelica salutatione, editum à Fratre Ægidio de Roma, Doctore Theologo, Ordinis Eremitarum S. Augustini. in 4.

Collectarius Evangeliorum, finitus anno à nativitate Domini 1364. in crastino Processi & Martiniani Martyrum. Hunc verò collectarium prædictum composuit Fr. Petrus, Prior Ecclesiæ Floreffiensis. *Hæc scripta sunt propriâ manu ejusdem Petri de Harentals. Notatur manu aliquantulùm recentiori;* » Obiit prædi» ctus Dominus Petrus de Harentals anno 1390. » Pridie Idus Januarii.

Epistolæ & diversa opera Petri de Harentals, fol. maximo.

Collectarius super Librum Psalmorum finitus anno 1374. in mense Januario. die 4. Auctore Petro de Harentals, Priore Floreffiensi, dicatus *Joanni* de *Erde*, Episcopo Leodiensi. fol.

Formula Novitiorum. In fine scriptum est: » Frater Joannes de Monte de Laud. hunc scrip» sit librum in *Herlamont*, anno à nativitate » Domini MCCCC.

Clementinæ Constitutiones. fol.

Statuta Ordinis Præmonstratensis, *quæ vigebant anno 1463.* in 8.

Sermones Fratris Anthonii, Præmonstrat. Ordinis prædicatoris, de omnibus Dominicis totius anni, conscripti per manus Fratris Johannis de *Lyedorp*, anno Domini 1423. Opus eruditione sacrâ plenum, & eloquii non inelegantis. in 4.


Julianus Toletanus de origine mortis, & de animabus defunctorum. in 8.

Calepinus. fol. magno.

Flavius Joseph de Captivitate Judaïca. fol. maximo. Vide probationes à col. L. ad col. LX.

CUISSIACUM.

Cuissiacum. Filius Præmonst. Diœcesis Laudun. Circaria Franciæ.

N declivi montis non longè ab Axonæ ripa, in solo vini potentis feraci, lætissimam, quâ Rhemos itur, planitiem aspectante, agris & pratis lepidè consito, assurgit nobilis Cuissiaci Abbatia, ædificiorum structuris, hortorum amœnitate, jurisdictionis prærogativâ, & quarto paternitatis in toto Ordine, gradu commendabilis. B. Lucas ex Decano Laudunensi primus solitudinis hujus incola, comites non amore loci captos, sed salutis desiderio ferventes, sibi fecit ab anno 1115. cum quibus vitæ rigidioris formam profitens, exemplar vivendi cæteris fuit. Ecclesiolam sanctæ Mariæ temporum injuriâ collapsam, ad orationis obsequium restituit, & à synodali consuetudine emancipatam, coëuntibus clericis destinavit, sub approbatione Bartholomæi Episcopi Laudunensis.

Hoc magistro & duce, vivebant ad canonum tenorem regulares Clerici, & pro instituti sui officio circumsedentes parochias verbis hortabantur & exemplis, ad æternitatis capescendæ bravium. Arcta erat pusilli gregis fortuna, ingens perfectionis ardor, & ad Bartholomæi Episcopi vocem prompta obedientia. Hinc docilem præbuit congregatio annutum Episcopo suadenti, ut ad Norberti Ordinem tum virtutibus, & maximè Apostolico zelo micantem, se conferret, eodem spiritu eodemque patre, natalibus, scientiâ, pœnitentiâ ubique clarissimo, regendam.
1. Anno, ut conjiciunt, 1122. Lucas (a) & discipuli ejus ultroneâ deditione, se suaque paucula, Norberto tradiderunt, à quo militiæ Augustinianæ sub candido habitu, inscripti sunt. Ducem novellæ coloniæ præfecit congregationis ipsius auctorem Lucam, sub cujus regimine fundis adolevit & numero. Certatim quippe nobiles addiderunt nascenti Abbatiæ, ad sustentationem, proventus: Alii disciplinam B. Lucæ spontè amplexantes, bona sua per manus Episcopi transmiserunt. Gualterus miles virtutes cominùs florentis Asceterii demirans, eidem obtulit assensu Ermengardis de *Roceio* uxoris suæ, quidquid in territorio Cuissiaci possidebat, unà cum duabus decimæ partibus Villæ de *Jumigniaco*.* Haud dissimili pietatis sensu, Godefridus Comes *Castri-portiani** dedit gratuitâ liberalitate *Gerigniacum** ad quod Lucas insigne Canonicorum ablegavit examen, qui Deo laudes psallerent & alia obirent clericalis vitæ munia. Eodem zelo actus Nicolaus Toparcha de *Rumigniaco** locum de *Gland* ad constructionem Abbatiæ concessit per manus Raynaldi Rhemorum Antistitis. Usque adeò divulgata Lucæ sanctitas, provocarat ad liberalitatem Provinciæ Optimates. Quantò magis Principes Ecclesiæ beneficos sensit, quibus & amicitiæ consortio, & litterarum reciproco commeatu & fraternitate, pio fœdere erat conjunctissimus? Bartholomæum Laudunensem intelligo, Raynaldum Remensem, Simonem Noviomensem Episcopos, & Bernardum Abbatem Claræ-vallis. Insignem hanc præeminentiam suo monasterio indidit humilis alioqui Abbas, ut quartum in in Ordinis Hierarchia & in procerum consessu locum obtineret Cuissiacensis Prælatus. Ex antiquitate fundationis frustra præcedentiæ & jurisdictionis istius originem repetunt, cùm alias priores (b) extitisse constet, quas honore inferiores videmus Abbatias. Ergo vel ex meritis Lucæ, vel ex Capitulorum sanctionibus hierarchicam ordinantibus & disciplinam ordinis, processisse judicandum est. Unde verò *regalis* Abbatiæ titulum asciverint Cuissiaco neo-terici, necdum potuit exploranti innotescere, nisi fortè quòd anno 1126. Ludovicus VI. regio præcepto confirmaverit Suessione existens, donationes à Bartholomæo Episcopo Laudunensi factas B. Mariæ de Cuissiaco; at ex hoc capite si regiæ fundationis reposcat nomen, commune erit cæteris, quæ nonnisi sub approbatione Regis collata à fidelibus bona adierunt. Diuturni, fœlicis & sancti regiminis cursum viribus exhaustus, senio deficiens, virtute robustus, multorum monasteriorum Pater, absolvit Lucas, & v. Januarii M. C. LVI. senilem animam meritis & signorum gloriâ inclytam, Christo reddidit. Ejus corpus contra illorum temporum morem, in Sanctuario condiderunt mœsti filii sub hac Epygraphe:

Dominus Lucas primus Abbas hujus Ecclesiæ.

Modestiam refert inscriptio, sanctimoniam sepulti, annuntiat locus sepulturæ.

GUIDO Canonicus Antissiodori in discipli- 2.

* Jumigni.

* Château-Porcien.

* Gerigny.

* Ramigny.

(a) Deficiente primordiali fundationis Chartâ, quo præcisè anno collata fuerit B. Norberto Cuissiacensis Ecclesia, determinate arduum est. Ponderosis R. D. Dionis moderni Abbatis (qui diatribam pro vindicanda sui monasterii antiquitate mihi inscripsit) argumentis diligentiùs examinatis, ad annum circiter 1122. celebris illius Abbatiæ primordia videntur referenda.

(b) Purà Floreffiam, Capenbergam, & alias.

nam B. Lucæ se tradidit, hausit mores magistri & ad dignitatem ejus, Fratrum vocatus est electione. A Roberto Abbate majoris monasterii, sub annuo censu emit quidquid in territorio *Disiaci* * possidebat. Radulphus de *Porta-martis* per manum Sampsonis Remensis, Archiepiscopi, contulit Guidoni pingue allodium de *Alta-villa* * anno 1157. Celeberrimæ conventioni factæ inter Galterum Episcopum Laudunensem & Præmonstratensem Ecclesiam, anno 1157. subscripsit Guido, nec ultra nomen ejus inter acta invenias, quippe qui cessit oneri & honori Abbatialis dignitatis, ipsique subrogatus est.

* Disy.

* Hauteville.

3. GERARDUS DE S. QUINTINO Canonicus Præmonstrati, qui abdicavit anno 1160.

4. HUGO DE DUACO, ex Archicœnobio Præmonstrati eductus, altaria de *Erviley*, & de *Alta-villa* à Sampsone Archiepiscopo Remensi, impetravit anno 1161. ad opus sanctarum fœminarum de *Gerigniaco* id est, Sanctimonialium. Anno sequenti per commutationem curtis de *Gland* & de *Signiaco-parvo*, acquisivit ab Joanne Abbate Bucilii altaria de *Ulliaco* & *Geniaco* eorum appenditiis. Concambium laudavit Galterus Episcopus Laudunensis, & ejus chartæ subsignavit anno 1162. Philippus Abbas Præmonstrati. Eandem chartam legimus repetitam anno 1172. coram Gualtero Archidiacono Laudunensi, aliisque Canonicis Laudunensibus, & Hugone Abbate Præmonstrati, priùs Abbate Cuissiaci. Ex quo infertur eundem post abdicatam dignitatem anno 1165. ad proedriam Ordinis fuisse provectum anno 1170. Id etiam evincitur ex veteri MS. Cuissiacensi anni 1211, ubi legitur in catalogo 19 priorum Abbatum, ***Hugo de Duaco Canonicus Præmonstratensis, postmodùm Abbas Præmonstrati.***

ELBERTUS DE RABODIMONTE * obtinuit à Capitulo & Canonicis S. Laurentii de *Roseto* * quidquid possidebant in territorio *Disiaci*, sub censu sex modiorum frumenti, & hanc cessionem firmavit Galterus Lauduni Episcopus anno 1167.

* Ribemont.
* Rosey.

5.

6. WILLELMUS Cuissiacum debitis gravatum, liberare non valens, ad Carthovorensem Ecclesiam, Abbas postulatus, transiit, anno circiter 1174. In Capitulo generali anni 1172 sedit inter Patres, ordine tertius, Floreffiensi Abbate tum absente.

7. JOSSELINUS Canonicus Cuissiacensis, legitur Willelmo substitutus. Eo regente, Odo Canonicus Noviomensis, contulit Eccelesiæ Cuissiaci altare de *Genliaco*, cum omnibus appenditiis suis, anno 1177. Hanc donationem Rainaldus Noviomensis Episcopus, & Philippus Viromandorum Comes, eodem anno confirmarunt. Pedum legitur posuisse anno 1178.

8. HUGO DE ARTESIA Canonicus Cuissiacensis, uno post promotionem suam anno, amplissimam ab Alexandro III. bonorum Cuissiacensium confirmationem obtinuit. Parem dedit Galfridus de *Balaham* * eorum quæ à patre suo Comite, fuerant Cuissiacensibus collata. Anno 1182 Willelmus Rhemorum Archiepiscopus & S. R. E. Cardinalis tituli S. Sabinæ, Hugoni & Fratribus Cuissiacensibus, administrationem parochiarum de *Alta-villa*, de *Son*, & de *Neo-villa* contradidit. His actis, Hugo, ut totus Deo sibique viveret, Abbatem exuit anno 1178.

* Hodie Balhan non longè à Cistro-Pottensi.

GUIDO DE SPARNACO Canonicus Vallis-Serenæ, ex Abbate Septem-Fontium in Therascia, postulatur Abbas Cuissiaci, Dormitorium & officinas ex lapidibus quadris construxit, totiusque ambitum Abbatiæ cinxit lapidibus similis formæ. Anno 1189, Odonem Dominum de *Hamo* * Elizabeth ejus uxorem, Odonem, Gaufredum, Mariam, Margaretam, Rotaliam, liberos eorum, fratresque Girardum & Simonem benefactores Cuissiaci, ad participationem orationum admittit (*a*) & hoc ipso anno ad S. Martini secundam Ordinis Paternitatem assumitur. 9.

* Ham.

HUGO Canonicus Corneoli, posteà Abbas Dei-loci, Cuissiacum transfertur, vexationes Joannis Comitis de *Roceio*, cum ipso Joanne pœnitente, & Henrico fratre Comitis annuente, per mediationem Willelmi Archiepiscopi Remensis, amicabiliter terminat & componit, anno 1191. Rogerus Laudun. confirmat anno 1194. donationes factas B. Mariæ Cuissiacensi, à Clarembaldo Domino *Roseti* & Elizabeth parentibus suis, ac præsertim molendina de *Rubiniaco* * & de *Mont-Cornet*, cui donationi Rainaldus Rogeri Episcopi frater, accesserat. Anno 1195. ad S. Martini Laudunensis infulas, mortuo Ægidio de *Marsy*, expetitus, transmigravit Hugo. 10.

* Rubigny.

WILLELMUS DE S^{to}. AUDOMARO, Canonicus Præmonstrati, primo electionis suæ anno, cum Philippo Francorum Rege paciscitur de construenda villa, seu pago in curte *Disiaci*, eâ lege quòd Cuissiacenses quindecim carrucatas terræ sibi retinebunt, cum decima territorii, altaribus & presbyterio, de cæteris verò proventibus medietatem partitur Rex cum Cuissiaco. Quibus conditionibus ritè hinc inde firmatis, Rex suscipit Ecclesiam & bona Cuissiacensium sub sua tutela, & Guillelmum Abbatem ab annuo censu trium modiorum, eximit. Quia verò Guillelmus vel Canonici Cuissiacenses, in exercitio electionis liberæ, ab Episcopis aut ab Abbate Præmonstratensi, interturbati fuerant, adeunt Cælestinum III. qui jura protegit, & suo Rescripto confirmat, 1195. Ad Viromaudensem præfecturam Abbas Wilelmus transiit anno 1203. Quo vix exacto ad Præmonstratensem ascendit. 11.

* Ex MS. Cuissiac. anni 1216.

(*a*) Odo autem plura beneficia confert in Cuissiacenses, hinc statuitur missam in perpetuum singulis diebus cantandam in curia de *Rocy*, in cujus Ecclesia omni tempore lampas ardebit.

12. LUDOVICUS Canonicus Cuissiacensis, magnam pro re parva, sustinuit litem, contra Nicolaum de *Basochiis*. De parte molendinorum de *Coursenton* vertebatur quæstio; ad Nivelonis Suessionensis, Theobaldi Ambianensis, Bartholomæi; Belvacensis Episcoporum, tribunal per commissionem olim delata, finalem habuit decisionem, sed rursùs recruduit discordia, & nonnisi per compositionem anno 1206. sopita fuit. Anno 1207. instante & conquerente ad S. Sedem Abbate Ludovico, de alienatione *Diziaci*, facta à Rege Philippo, in præjudicium initi tractatûs, quo sancitum erat nunquam ad alienas manus partem Diziacensis dominii, quod Regi obvenerat, posse transferri. Innocentius III. mandat Episcopo Parisiensi, Archidiacono & Magistro Petro *Peverel* Canonico, ut Regem, Regisque pietatem ad rescindendam alienationem istam, Ecclesiæ Cuissiacensi damnosam, exhortentur, atque ut contra invasores bonorum Ecclesiæ Cuissiacensis, defensores strenuos opponat. Archiepiscopo Remensi & suffraganeis ejus eodem anno, per Apostolica scripta injungit ut excommunicationis fulmine percellant, quos deprehenderint rapinam aut injurias intulisse Cuissiacensibus. Intentatam à *Roseti* Canonicis litem circa patronatum Ecclesiæ de *Diziaco*, reportavit anno 1208 coram deputatis à S. Sede judicibus. Regimen & dignitatem optimus resignavit Abbas anno 1209.

13. PETRUS DE *S. MEDARDO* à prælatura *S. Justi*, ad Præmonstratensem promotus anno 1195. & Sexcennio laudabiliter administratam, abjecit anno 1201. ad Cuissiacensem postmodùm passus est, vir humilis & Fratrum precibus obsecundans, assumi. Pacavit anno 1210. renascens de jure patronatûs *Diziaci* jurgium, per arbitros judices, Vibertum *Bucilii*, & Walterum *Calvimontis* Abbates, à partibus delegatos. Anno 1212. obtinuit à Stephano Episcopo Noviomensi, confirmationem altaris & decimæ *Genliaci*, cum personatu & cantuario. Addidit & jus Patronatûs Capellæ Castralis Alberti d'*Hangest*, ejus loci Toparchæ. Anno eodem Hugo Comes de *Geniaco*, vendidit Abbati Petro, quidquid habebat in territorio Cuissiaci, de consensu Hersendis uxoris suæ. Honorius III. ad supplicationem Petri, Rescriptum protectorium submisit Archiepiscopo Remensi & Suffraganeis ejus, anno 1216. Sequenti autem anno Galterus miles de *Novo-Castro*, vir seculo nobilis, antequàm religionis habitum in Ecclesia Cuissiaci indueret, obtulit sextam partem decimæ quam habebat in *Vassonia*, * & huic oblationi Joannes Comes de *Roceïo*, subscripsit. Confirmavit Anselmus Laudunensis Episcopus suo diplomate. Multis pro Ecclesia laboribus perfunctus Abbas, ad vitam, uti piè creditur, beatam evolavit die 7 Martii, anni 1217. In capitulo ante innovationem monasterii, sepultus jacebat.

* Vassogne.

14. PETRUS DE ORCHEIO* Branæ Canonicus, Vallis-secretæ Abbas, posteà Cuissiaci, rerum agendarum & œconomicæ administrationis laude clarus, ab initio suæ installationis, conquestus est apud S. Sedem quod Archiepiscopus Remensis Canonicos Cuissiacenses, licet regimini animarum idoneos, ad vacantes Ecclesias, in quibus jure patronatûs gaudebant, admittere pastores contradiceret, in vilipendium Statûs Canonici & privilegiorum pontificiorum. Honorius III. legitimam conquerentis causam, totiusque causæ examen, per Apostolica scripta anno 1219. commisit Abbati & Priori S. Victoris, & Archidiacono Parisiensi, mandans ut, re discussâ, omnique remotâ appellatione, parti læsæ plenum justitiæ facerent complementum. Anno 1222. ab *Juminiaci* dynastis suscepit in Eleemosynam omnes aisantias & pascua de *Juminiaco*. Plurimos Petrus pro Ecclesiæ suæ tutandis juribus, labores sustinuit, plurima pro cultûs divini, pro disciplinæ augmento devoravit mala, quibus finem mors imposuit 7 Martii 1227.

* Orchiâ.

15. GOSWINUS octavo Januarii 1233.

16. LAMBERTUS. De ipso, & patre & matre ejus, fit memoria in necrologio ad 24 Februarii & 13 Martii 1235.

17. CONRADUS à Præpositura Augiæ minoris, ad Vallis-secretæ infulas, inde ad Præmonstrati apicem sublimatus anno 1220. de utraque Ecclesia benè, de toto Ordine optimè meritus, depositionis tamen sententiam ad querulas inferiorum delationes apud S. Sedem, incurrit, lite per delegatos judices instructâ, anno 1233. Inflictam tanto viro, injuriam resarcire volentes Cuissiaci Canonici, dejectum à prima sede, ad quartam Ordinis prælaturam evocarunt. Necrologium ad diem 4 Aprilis hæc habet: ***Comm. bona memoria D. Conradi, qui primùm Ecclesia Pramonstratensis, dein hujus loci Abbas fuit.*** 1241.

18. PETRUS DE *MONTE-MIRABILI** anno 1242. accepit ab Theodoro & Hersende de *Belruco* viginti quatuor solidos, quotannis solvendos in posterum, pro annua & vitali pensione quatuor filiarum suarum, monialium in *Gerigniaco*. Petri memoriam hanc ad 17 Julii, habet liber obituarius: ***Com. bona memoria Domini Petri de Monte-mirabili, qui ædificavit capellam S. Joannis anno 1244. Eodem obiit.***

* Montmirel.

19. JOANNES DE *CERGIIS* parentes habuit Ecclesiæ Cuissiacensis benefactores, de quibus ad 17. Augusti ista fit mentio: ***Com. patris & matris F. Joannis de Cergiis, qui dederunt nobis decem libras.*** Eo temporis ad Abbatiæ dignitatem necdum ascenderat Joannes, hinc Abbatis reticetur hoc loco nomen. Sed ad 1. Aprilis venerabilis Abbatis titulo insignitur. Anno 1247. Innocentius IV. Pontificio diplomate eximit Cuissiacenses ab onere pensionum, ratione beneficiorum quæ possident.

20. GERARDUS DE ROSETO in capitulo jacebat, tumbâ sequentem præferente inscriptionem:

Hic jacet Dominus Gerardus de *Roseto*,
Abbas hujus Ecclesiæ.

Eloquio & doctrinâ potentem fuisse narrant Annales, diem mortis ad 3. Junii annotant, annum supprimunt.

21 BALDUINUS in claustro ad limina capituli inhumatus, lapide sepulchrali, sed nunc mutilato, tegebatur; hæc verba, quantùm licuit, exscripsimus:

Balduinus Abbas hujus Ecclesiæ.

Ad limbum autem:

Pro Duce te gregis, æthera qui regis,
Obsecro, Christe, crimina dilue,
Ne Balduini, defleat iste. . . . .
Archimandrita. . . . tegit quem hæc petra
potita. . . . .

22. PETRUS DE CODILLACO vivebat anno 1265.

23. WALTERUS DE *BRIANNIA*. 1276.

24. WALTERUS DE *LOVANIO* anno 1286. subscripsit ut testis, arbitrariæ sententiæ inter Guidonem Abbatem Præmonstrati & Joannem Abbatem S. Martini Laudunensis, quam videre est in Biblioth. Præm. p. 1078. Mortem ejus necrologium 6. idus Februarii sic recenset: ***Anno M. CC. LXXXVII. obiit F. Walterus, Abbas hujus Ecclesiæ, natus de Lovanio.*** In circuitu verò tumbæ, ad marginem versus illi leguntur:

Lovanii natus noster jacet hîc tumulatus
Walterus Pastor, vixit castus quà Castor.
Hunc Bona-spes * aluit, sapiens. . . . . . .
. . . . Rapuit, quem salvet vera Sophia.

* Abbatia Bonæ-spei.

25. PETRUS DE *DIZII* duodecimo Kalendas Octobris anni 1288. obiit. His versibus sepulchrum ejus ornatur:

Qui regis æthera, non baratri fera sentiat
iste,
Sed loca prospera, det tua dextera, te rogo,
Christe,
Qui spatium vitæ rectè duxit, Paradisi
Gaudia, de *Dizii* Petrus, capiat sine lite.

26. GUILLELMUS DE *LOUVIGNIES* Canonicus Bonæ-spei, Abbas Clari-fontis, dein Cuissiaci, ipso electionis suæ anno, Præmonstrati efficitur Archimandrita 1288.

27. PETRUS DE *SAIRY* in medio Sanctuarii prostat, cæteris tumbâ insignior, tum ab effigie viri, tum ab aliis ornamentis pontificalibus & cælaturis, cum hac Epigraphe inscripta desuper:

Hic jacet F. Petrus de *Sairy* Abbas hujus Ecclesiæ.

Et ad limbos:

Artubus Abbatis P. (Patris) de Cuissy tumulatis
Illic, spiritui det Deus æde frui.
Moribus egregius mansit, prudens & honestus,
Spernens incestus, ille bonusque pius.
Undecimo, mense, D. bis, C. ter necis ense
Octobris, strato, tu Deus astra dato.

Id est, anno 1311. mense Octobris. Explicationem hanc ex liberiore istius ætatis licentia, facile deduximus, sed laudis materiam ex incestuum contemptu, quo jure aucupari poëta potuerit, non liquet, nisi fortè de incestu beneficiorum intelligas, quasi filialem scilicet Abbatiam cum matre possidere noluerit.

JOANNES anno 1315, defunctus. 28.

RADULPHUS DE *VERGIIS* moritur circa annum 1330. Eo regente, puta 1317. Joanna de *Vassonia* in testamento suo Cuissiacenses precatur, uti corpus suum quasi unius ex Sororibus, post obitum habeant & sepeliant. 29.

SIMON DE *AHARIS* * successivè fuit Abbas Justi-montis, Branæ, Calvi-montis & Cuissiaci. Jacet in claustro juxta fores Capituli, hâc inscriptione ornatus. 30.

* Ahar. Villa Diœcesis Metensis.

Ex Aharis natus jacet hîc Simon tumulatus
Vir prudens, justus, quia Justi-montis honestus
Pastoris bravio primò, post munere Divo
Abbas Branensis, Calvi-montis fuit ensis,
Demum Cuissiaci separatur ab arce tenaci,
Post mortem serum cum Christo regnet in
ævum.

Mors illius consignatur anno millesimo trecentesimo quadragesimo septimo.

JOANNES obiit anno millesimo trecentesimo nonagesimo nono. 31.

PHILLIPPUS die sextâ Februarii moritur anni 32.
. . . . . .

PETRUS DE *RODERIIS* ex Abbate de *Dos*, assumptus est ad Cuissiacum, & anno 1443. ad Præmonstratensem Ecclesiam translatus. 33.

NICOLUS DE *HERBONVILLE* anno 1473. unà cum Jacobo S. Martini Laudunensis Abbate, & toto Prælatorum comitia generalia habentium Lauduni, conventu, concessit die 17. Maii subsidiariam pro bullarum supportandis expensis, contributionem, ab toto Ordine præstandam R^mo^. ***Patri & nobili viro Huberto de Montherme*** ex Abbatia *Vallis-Dei* ad Præmonstrati proëdriam assumpto. Jus mitræ & pontificalium usum, impetravit anno 1462. Hujus sepulcrum in medio Chori sequentem exhibet Epigraphen: 34.

Hîc jacet Dominus Nicolaus de *HERBOVILLE* quondam Abbas hujus Ecclesiæ, qui impetravit mitram nostram, & obiit in vigilia sancti Joannis Baptistæ anno Domini M. CCCC. LXXXVII. Orate pro eo.

Propter impetrationem mitræ, curavit successor ejus, hujusmodi ornamentum, beneficii alternandi gratiâ, in ejus lapide sepulchrali insculpi.

TUGDUALDUS *ERENNIUS*, vel ut habet MS. S. Pauli Virdunensis, de *Vennes*, anno 1498. in Capitulo generali renunciatus est Circariarum Normanniæ, Angliæ & Scotiæ Visitator. 35.

Anno sequenti in Provinciis Lotharingiæ, Burgundiæ, & Sabaudiæ, idem munus obire jussus est. Addita est Alvernia anno 1500. Remotas regiones, putà Hungariam, Austriam, Poloniam, Bohemiam, Moraviam, Tusciam, Siciliam, Calabriam, Cyprum, Terram Hyerosolymitanam lustrandas accepit, cum facultate substituendi, anno 1501. Sola Lotharingia anno 1503. ei obtigit, & similiter anno sequenti. Usque ad annum 1505. Cuissiacensem rexit Ecclesiam, ex qua ad S. Pauli Virdunensis Abbatiam demigravit. Jam pluries ad inferiores Cathedras translatos Abbates Cuissiaci deprehendimus. Suspicionem inde sui primatûs & honoris in Ordinis hierarchia haberemus, nisi de parentum humilitate, usque ad honoris contemptum, constaret nobis.

36. JOANNES DE *BACHIMONT* 11. Augusti anni 1505. confirmatus Abbas Cuissiaci, quam Abbatiam regebat adhuc anno 1511. siquidem Capitulum generale illius anni, ratam habet sententiam, latam per judices commissarios & delectos ab R^mo. P. Joanne Præmonstrati, Joanne S. Martini Laudunensis, & *Jacobo Cuissiacensi* Abbatibus. Legitur tamen, Cuissiaco relicto, ad Branensem transiisse Abbatiam anno 1508. quod stare nequit. Imo anno 1512. *idem Jacobus, sacra Theologia Professor, Cuissiacensis Abbas*, ut habent acta Capituli generalis, designatus est ab Domino Præmonstratensi, qui ejus & totius Ordinis nomine, Concilio Pisano interesset; quam designationem laudant Comitiorum Proceres; inde porro reversus est, auctus dignitate Præmonstrati Abbatis, ut dictum est in Præmonstrato.

37. JOANNES *EVRARD*. 1519. Defuncto Joanne, pro eligendo successore convenerunt Cuissiacenses, votaque confluxerunt in quemdam *Balduinum Hardy* ejusdem monasterii Canonicum. Illum respuit Abbas Præmonstratensis. Provocarunt ad Parisiensem Senatum Cuissiacenses. Coacto, anno 1524. Capitulo generali, ad Ordinis proceres adunatos confugerunt, tria postulantes: Primum, ut attentâ paupertate sui monasterii, quam æs alienum & litium anfractus pepererant, Talliæ hoc anno ab eis non extorquerentur: secundum, ut juberetur Procurator Ordinis suas partes accommodare & adjungere, in prosecutione litis ad Senatum delatæ. Tertium, ut adversùs D. Præmonstratensem nominarentur aliquot Abbates, qui causâ discussâ, neo-electum *Balduinum Hardy*, confirmarent, vel à ministerio pastorali amoverent penitùs. Primum negatum est. Ad secundum, dictum fuit supplicatum iri Senatoribus & Cancellario Franciæ, quatenùs vitiligatores ad Ordinis tribunal remittere dignarentur. Ad 3um dictum fuit causam discutiendam, & litibus finem imponendum per Capituli Patres, si Cuissiacenses appellationi ad Senatum factæ, renuntiarent. Sponte cessit juri suo Balduinus, eique concesserunt Comitiorum generalium anni 1525. Patres, primam sedem in Choro & in Capitulo, & ubique post Abbatem, qui fuit.

GUICHARDUS quidam, nominatus in actis anni 1525. 38.

AMATUS DE *FONTE* Abbas Cameræ-fontis, postulatur ad Cuissiacensem anno 1528. Ad Laudunensem posteà prælaturam anno 1530. Promovetur. 39.

BALDUINUS. 1547. 40.

JOANNES DE *VENDOSME* sub marmoreo lapide effigiem exhibente Prælati, pontificalibus ornamentis induti, jacet in Sanctuario. Hanc ad limbum marmoris gothico caractere sculptam, inscriptionem legimus: 41.

> Cy gist noble & venerable personne Messire Jean de *Vendosme*, Abbé de céans & Prieur de *Caïen*, qui trespassa le Vendredy neuviéme jour de Novembre 1571. Priez Dieu pour son ame.

Erat ille Joannes filius Jacobi Vindocinensis & Joannæ de *Rubempré*, qui quidem Jacobus spurius fuit Joannis Burbonii Comitis & Philippæ de *Gournay*. Honorificam de hoc Prælato memoriam facit necrologium Cuissiacense, œconomiam ejus deprædicat, in recuperandis possessionibus vigilantiam extollit. Peramplo murorum circuitu vineas cinxisse refert, multisque laudabiliùs gestis illustrasse suum regimen.

FRANCISCUS *CASTELLNAN DE LA MAUVISSIERE*, cui anno 1608. sicut & tribus aliis primis Ordinis Patribus, dicatum est à Pagio Breviarium cusum Parisiis. In manus summi Pontificis resignavit anno 1610. in favorem nepotis sui, qui fuit. 42.

ANNAS MICHAEL DE *CASTELNAN*. Capitulo generali interfuit anno 1618. Anno 1622. creatus est Visitator monasteriorum de Perrodio novo, de Stella, & Stella de Jardo. Hujus Epitaphium excipe: 43.

> Hîc jacet Dominus ANNAS MICHAEL DE *CASTELNAN* Abbas hujus Ecclesiæ & Ordinis Præmonstratensis quartus Pater, qui obiit die ultimâ Januarii anni 1643. ætatis suæ quinquagesimo quarto.

PETRUS *DESBANS* S. T. D. S. Mariæ Majoris Mussipontanæ Abbas, Vicarius Generalis Norbertinæ Congregationis, imò Abbas Præmonstrati anno 1635. electus, ad Cuissiacensem prælaturam transfertur è Mussipontana, anno 1643. & moritur anno 1649. Optimo parenti monumentum istud posuerunt Cuissiacenses: 44.

> Hîc jacet R. P. ac D. PETRUS *DESBANS* S. T. D. S. Mariæ Majoris Mussipontanæ primùm, dein Cuissiacensis Abbas, Communitatis Norbertinæ Prisci rigoris olim Vicarius, totius vitæ integritate, humilitate, patientiâ, charitate & doctrinâ non minùs, quàm gubernandi laude conspicuus, obiit

obiit 15. Aprilis M. DC. XLIX. Natus 76. annis. *In fide & lenitate ipsius sanctum fecit illum.*

45. DYONISIUS L'*EVEQUE* eodem quo nominatus, anno, denatus Rhemis, in Ecclesia S. Dyonisii, ubi primam professionem emiserat, inquit necrologium ad diem 2. Septembris, anno 1649. sepelitur.

46. ISIDORUS *AMOUR* Norbertinæ Congregationis alumnus, diù, sed non utiliter, præfuit; in choro tumulatum, magnis supramodum elogiis exornarunt. 1676.

47. GABRIEL DE *MOUT DE RIBERPRE'*, ex Canonico & Suppriore S. Victoris Parisiensis, ad Regis nominationem, Abbas Cuissiaci renunciatur; habitum & professionem Præmonstratensium amplexatus, mores & pietatem induit, obiitque 24. Februarii anni 1704. Cui gratus successor, sequentem consecravit Epigraphen:

D. O. M.

Reverendus admodùm Pater
GABRIEL DE *MOUT*
DE *RIBERPRE'*,
Abbas Regularis hujus Ecclesiæ,
Totius Ordinis Præmonstratensis quartus Pater.
Pietas in eo tanta
Ut virtutes produxerit cæteras.
Hinc docta simplicitas, simplex ingenuitas, ingenua humilitas.
Hinc orationis studium, seculi fastidium, religionis officium.
Crucis inter amplexus,
Quæ negabat mortalibus,
Totus soli Deo
Transferebat commercia.
Ibi composuit mores, ibi apposuit amores, ibi deposuit mœrores.
Cuissiaci factus novus hospes,
Egenis pater, afflictis tutor, omnibus solamen fuit.
In sinu pauperum sacras abscondebat opes,
Ministrabat prodiga charitas,
In cœlo thesaurisabat provida paupertas
Perpetuis quæstibus æthera pulsabat,
Ejus meta cœlum.
Plus crescebat ætas, crescebat & ardor
Et ut disceret mori, quotidie moriebatur.
Animam tandem rapuere toties repetita suspiria.
Ad gaudii divini fontes
Aut sponte vinculis avulsis advolavit ipsa,
Quam mors naturæ debita cœlo, reddidit,
Die vigesimâ quartâ mensis Februarii
Anni M. DCCIV.
Obiit octogenarius.

48. JOSEPH *DIONIS* alumnus reformatæ Congregationis, origine Neustrius, S. T. D. hodie præest & templo, insignis & elegantis structuræ, erigendo, totus incumbit.

Reperiuntur & alii qui præfuére Cuissiaco; sed quia regiminis tempus est incertum, seponuntur.

RADULPHUS *LE MERCIER*. Ad diem 22. Januarii de eo sic habet necrologium Cuissiacense: *Com. pia mem. D. Radulphi* LE MERCIER, *quondam Abbatis hujus Ecclesiæ.* 1.

SIMON: Ibidem ad decimam Aprilis: *Reverendi Fratris Simonis* LE MERCIER, *Sacerdotis & Canonici, & quondam Abbatis.* 2.

STEPHANUS: Hujus est in eodem obituario ista commemoratio ad diem 16. Maii, *Domini Stephani, Canonici Vallis-secretæ, quondam hujus Ecclesiæ Abbatis.* 3.

ADAMUS DE *CASTELLIONE*: Ad diem 22. Junii: *Comm. Domini Adæ de* CASTELLIONE, *hujus Ecclesiæ Abbatis, & S. T. Doctoris.* 4.

PETRUS DE *CHAUNI*: præfuit annis quinque, qui priùs per annos quindecim Prioris functus fuerat officio. 5.

NICOLAUS D'*ACHY*. 6.

PATERNITAS.

Jus paternitatis ratione generationis spiritalis, exercet Abbas Cuissiaci in Abbatias.
Loci-Restaurati in Comitatu Valesiæ, &
Genliaci in Picardia propè *Calniacum.*
Olim eodem jure gaudebat in dirutum à seculis
Gerigniaci Parthenonem, & in Prioratum conventualem
Rodulphi-vadi (*Roüez*) propè *Genliacum.*
Cujus prædia & fundi dudùm ad alienos transierunt. Colligitur etiam ex actis B. Lucæ territorium de *Gland* transcriptum à Nicolao Toparcha *Rumigniaci*, B. Lucæ ad fundandam ibidem Abbatiam, sed eventus spem donatoris elusit.

PATERNITAS
Respectu Ordinis.

In catalogo Procerum Ordinis, quartus Pater & Abbas, ab origine audiit Dominus Cuissiacensis. Ex hac prærogativa manarunt honoris & jurisdictionis tituli. Est enim in Capitulis generalibus Definitor natus, & cæterorum Definitorum electioni ab Abbate Præmonstrati faciendæ, Consiliarius assidet. In electionibus Abbatis Præmonstratensis, quoties viduata Ecclesia successorem exigit, cum Laudunensi & Floreffiensi Abbatibus, præses & moderator assistit. Et sicut penes illos tres, cura pastoralis viduatæ Ecclesiæ matricis residet, ita dum pastorem habet, ipsum visitare & ejus subditos, possunt & debent. An verò ad illos tres Patres, totius Ordinis suprema directio, ex jure sit devoluta, pendente interregno, hoc est, quandiù Præmonstratensis Ecclesia, pastore orbata

est, ardua quæstio, quam Dominus Cuissiacensis in Capitulo generali anni 1717. firmo latere, totisque nervis, assertivè propugnavit, ut Vicariatum generalem assertum & delatum Abbati Clari-fontano, ex hypothesi vacationis Abbatiæ Præmonstratanæ, evinceret. Nos alibi & suo tempore hanc materiam ventilabimus, ad specifica Cuissiacensis Abbatiæ privilegia modò reversuri.

PASTORATUS.

Evilliacum—Eveilly—secus ripas Axonæ.
Diziacum—cum filiali Villæ-nemorosæ—*La Ville-aux-bois.*
Yviacum—*Yvier.*
Geniacum—*Geny* cum filiali *Pargniaco.*
Hi quatuor in Diœcesi Laudunensi.
Sion, cum filiali—alta-Villa—*Haute-Ville.*
Neo-Villa—*La Neufe-Ville.* Ambo Diœcesis Remensis.

SEPULCHRA MAGNATUM.

In atrio olim Capituli, vel sparsim in Claustri areis, Abbatum & Procerum corpora terræ mandabantur. Ex quo domus Cuissiacea à fundamentis innovata fuit anno 1687. hæc ad Ecclesiam deportata, cum tumbis, quæ translationem poterant pati. Inter eas quædam erant obliteratæ, quædam integræ, aliæ mutilæ, quidquid autem ex singulis vel legendo, vel conjectando licuit eruere, referemus.

In medio Capituli:

Hic jacet Petrus miles, Dominus de *Maisy.*

Ipse est qui jus piscandi cum duabus navibus, seu cymbis, in Axona tribuit Cuissiacensibus anno 1142. A villa de *Maisy* Cuissiaco penè contermina, gentilitium trahebat nomen Petrus ille, qui inter benefactores connumeratur.

In claustro lapis occurebat sat oblongus, effigiem Domicellæ repræsentans, cum his versibus:

Hoc in sarcophago tumulatur Ahanna propago,
Est Namurcigenæ legistri lucis amænæ;
Ipsi solamen omnipotens det amen.

Istius Annæ Namurcensis, filiæ Doctoris legum, alibi ne vestigium quidem invenimus, annum & diem mortis primitùs incisos, vetustas corrosit.

Proximus hærebat lapis grandior, cataphracti militis effigiem habens, scutum in femore gestantis, palisque variantibus descriptum:

Cy gist Wa. . . . dou Bos-le-Duc, qui trespassa en l'an de l'Incarnation notre Seigneur M. CC. LXXXI. ou mois de Novembre. Priez pour son ame que Dix labsoille.

Ad Capituli fores erat tumba Gualteri, cognomento *frangentis hastam.* Domini de Cuissiaco, & *Jumignio*, Fundatoris, pro stemmate hastam fractam in scuto habentis, pro Epigraphe circumscripta capiti, hæc leguntur:

Walterus miles Dominus de *Jumigni.*

Et in lapide suffecto:

Gualterus frangens hastam Be. . . . .

Id est, Benefactor.

In Choro infra stallum Abbatis, visitur insculptum lapidi, gentilitium stemma de *Castelnau* cum hoc disticho:

Cor patris,* & nati* cineres hæc continet urna
Gesta, genus, nomen nobile, stemma docet.
Obiit Pater Parisiis kal. Aprilis 1626. filius verò Hîc 13. kal. Septembris 1636. Orate pro eis.

* Urbani de *Castelnau* Baronis de *Mauvissiere.*
* Annæ, cataphractæ cohortis Ducis.

Paulò inferiùs prostat idem gentis de *Castelnau* stemma gentilitium, superpositum inscriptioni huic:

Cy gist le corps de Messire Anne de Castelnau, Seigneur & Baron de la Mauvissiere, qui trépassa le 7. jour de Novembre 1639. Priez Dieu pour son ame.

Inter chorum & cancellos, sequentia monumenta reperiuntur:

Cy gist Messire Pierre Machés Chevalier de Beaurieu.

Sous cette pierre gist Madame Mahaut de Baurieu, jadis femme Monseigneur Bauldovin de Maisy Chevalier, qui trépassa l'an de l'Incarnation notre Seigneur M.CC.LXXXI.

Mathildis ista, filia erat Petri *Machez* de *Bello-rivo* (Beaurieu) & Hersendis filiæ Theodorici de *Bello-rivo.*

Sed jam de Joanne Franciæ Cancellario, cujus sepulchrum in Ecclesia Cuissiacensi inter cætera eminet, dicendum. De hoc Joanne nobilem habet memoriam necrologium 30. Martii:

Commemoratio venerabilis memoriæ Domini Joannis de *Vassoignia* Episcopi Tornacensis, in Capella S. Joannis tumulati, qui dedit nobis centum libras Turonenses pro anniversario suo in perpetuum & plenariè faciendo.

Capellam S. Joannis dotavit quibusdam annuis redditibus anno 1286. approbante Philippo Pulchro Francorum Rege & in testimonium appellationis regiæ, gratitudinis suæ publicum procuravit erigi monumentum Episcopus, statuam scilicet Regis columnæ impositam à latere dextro altaris sublevando. Parentibus suis Dominis *Douches* & de *Vassogne*, se-

pulturam communem in Capella S. Joannis sibi delegit, ejus verò tumulum Episcopali haud indignum caractere, nullâ invenias inscriptione decoratum. Statua Pontificalibus instructa infulis & strata tumulo fornicibus adornato, Pontificem annuntiat, & tumbæ adjacentes patrem & matrem ipsius, genealogiographis incognitos, referunt.

Cy gist Dame Blanche, mere de Messire Jean de Vassoigne Evêque de Tournay, qui trépassa l'an de grace 1282. au mois de Décembre. Priez Dieu pour l'ame de ly.

Cy gist Herbert le Sauvage, pere de Messire Jean de Vassoigne Evêque de Tournay, qui trépassa l'an de grace 1263. au mois de Septembre. Priez pour ly.

Ex causidico in curia Regis & Canonico Tornacensi, Nomophilax seu Cancellarius Franciæ, & postea Tornacensis Episcopus evasit, Joannes de *Vassonia* anno 1300. in natali solo mortuus.

In navi Ecclesiæ prostat tumba incisam habens figuram equitis cataphracti, cum sequenti Epigraphe.

Cy gist Messire Raould de Cramaille, Chevalier Sire de Cramaille dou Tiloloy, qui trépassà en lale d'Aragon l'an MCCIII. XXV. jour du mois de Juing. Priez Dieu pour ly.

Cy gist Haut & Puissant Messire Odon de Cramaille Baron de Valloe, mourut au mois de May l'an 1242. Priez Dieu pour son ame.

Sileo Ebaldi Domini de *Ouschia*, sepulti 1268. Aleydis de *Diyzel*, & aliorum procerum tumulos, qui non nisi in tabulis scriniorum vigent.

Manu-scripta.

Expositio S. Ambrosii in psalmum 118. in fol. ejusdem de festis id est de baptisterio in fol.

Tractatus Origenis in Leviticum. in fol.

Libri moralium, & Tractatus in Ezechielem D. Gregorii. 4. tom. in fol.

Expositio Evangelii secundùm Joannem & Marcum, per venerabilem Bedam 1. tom. in fol.

Isidorus de moralibus.

Guillelmus Peraldus Archiepiscopus Lugdunensis, summa de vitiis, 1. tom. in 4.

Paschalii commentaria in Lamentationes & Apocalypsim. Ejusdem expositio in Actus Apostolorum in fol. 1. tom.

Historia sacra ignoti authoris.

Vitæ SS. Eremitarum, Monachorum, Abbatum, & Hominum Laicorum seculo renuntiantium 1. tom. in fol.

Expositio Evangelii & explanatio totius anni, authore Joanne de Abbatis-Villa & ejusdem sermones 1. tom. in fol.

Constantini Monachi Cassinensis ad Glaconem discipulum suum, explicatio latina Galeni cum commentariis. 1. tom. in fol.

Expositio divini Mysterii à Cenomanensi Episcopo nomine Hildeberto. 1. tom. in fol.

Quatuor Libri Theologiæ Petri Lombardi. in fol.

Adami de *Corlandon* Decani Laudunensis opera Theologiæ & Variæ solutiones quæstionum in sacram Scripturam, Michaëli Archiepiscopo Senonensi, magistro suo, dicata.

Excerptum supra quartum sententiarum de diversis magistrorum Theologiæ, videlicet Fratris Alexandri, F. Bonaventuræ de Ordine FF. Minorum, & FF. Thomæ & Petri de Ordine FF. Prædicatorum; istud autem excerptum fuit F. Widerici Canonici Cuissiacensis, & nota ubicumque invenies B. ante quæstionem, est illa Fratris Bonaventuræ, ubi P. Fratris Petri, &c.

Codex Justiniani cum commentariis & glossis.

Decretum Gratiani cum glossis.

Sermones per annum ex diversis.

Quatuor Libri commentariorum Rabani Mauri in Exodum.

Conciones Variæ Guillelmi Lugdunensis.

Conciones Variæ Roberti de *Vimiaco* Canonici Cuissiacensis, habitæ tam in Capitulis generalibus, quàm in festis totius anni.

Aristotelis Libri Ethicorum, priorum & posteriorum. Vide probat. à col. LXI. ad col. LXXXI.

SANCTUS ABACUC.

S. Abacuc Bl. Floreffia. Diœcesis Jerosolimitana. Circaria Jerosolimitana.

ALmaricus Abbas Floreffiæ, Apostolatûs Sancti Norberti comes, tantam in Belgio & in Galliâ famam ex concionibus comparârat, eo successu populos succollaverat jugo pœnitentiæ, ut ad altiora quæque natum hunc judicans Innocentius II. testis zeli, virum ad ardua audendum pro Christi Evangelio, in terram sanctam ablegaverit prædicatorem anno 1136. Selectam Fratrum turmam collegit Almaricus; & Apostolico munitus diplomate, transmarina petiit. Feliciter appulsum, honorificè excepit Rex Jerosolymorum Fulco: Hospitem fovit, venerabilis Patriarcha Willelmus, quondam Prior Dominici sepulchri; &

ad impositi muneris partes obeundas, strenuum commilitonem adjuvit religiosus antistes.

Eam in docendo, in prædicando, & sibi & suis peperit gloriam Almaricus, ut illos certatim Episcopi expeterent in ministerium coadjutores. Syriæ Ecclesias verbo Dei & moribus informarunt; imò quasi nubes, per Palestinam volantes, nunc in templis, modò in castris cruce signatorum, ipsimet signati Præmonstratenses, Apostolatûs sic exeruere Vires, ut & jugo infidelitatis, aut schismatis obduratione pridem lassos, ad lucem revocaverint & unitatem. Laboribus non tam fractos, quàm exhaustos viribus, humaniter reficiebat Patriarcha humanissimus; utque viros nulli attitulatos Diœcesi, Jerosolymæ faceret incolas, quantis potuit precibus obsecravit.

Arridebat Almarico urbs miraculis & mysteriis inclita: sed Regis, Procerum, militumque frequentia, volentem retraxit, & ad secessium, Sancti *Abacuc* nomine, & religioso cultu antiquitùs illustrem, maluit divertere; in quo & sacra quietis captaret otia, & Evangelico ministerio commodiùs instantiùsque incumberet.

Anno igitur 1137. in solitudinem Sancti *Abacuc*, procurante Willelmo Patriarchâ, Laudante Fulcone Rege, immissi sunt Præmonstratenses; quibus Abbatem præfecit Almaricum Willelmus. Secretioris vitæ non sic amavit latebras, quin ad Episcoporum postulationes, & ad summi Pontificis mandata in opus Evangelii se impenderet Almaricus. Dum Phœniciam, sacris imbuendam dogmatibus, pervenisset, Bernardus Sydonis Episcopus naturæ debitum solvit anno 1152. Illico Clerus Populusque, votis concordibus, Almaricum Præsulem deposcunt. »Mortuo, inquit Guillelmus Tyrensis, Domino Bernardo bonæ »memoriæ Sydonensi Episcopo, substitutus est »ei Almaricus, piæ in Domino recordationis, »Abbas Canonicorum regularium Ordinis »Præmonstratensis, in eodem loco qui dicitur »Sancti *Abacuc*, sive Sancti *Joseph*, qui co»gnominatus est ab Arimathiâ; vir simplex & »timens Deum, & egregiæ conversationis, qui »in Ecclesiâ Lyddensi, per manum Domini »Petri, fœlicis memoriæ Tyrensis Archiepis»copi, munus consecrationis dicitur recepisse, »quoniam ab urbe obsessâ, nulli longius ab»scedere dabatur licentia.

Willelmus, Tyrens. Hist. Orient. l. 17. p. 926.

Multis perfunctum pro Ecclesia, pro grege, pro Ordine laboribus, mors sancta beavit anno MCLXIII. & ipsi suffectus est Rainaldus. Abbatiale verò regimen, ad Episcopatum provectus, Balduino resignarat, viro probato, & numerosi cœtûs provido Rectori; sub cujus Administratione, incertâ licet plerumque Rei christianæ fortunâ, floruit Monasterium Sancti *Abacuc*. At postquam Saladinus, anno MCLXXXVI. quarto Nonas Julii, magnâ Christianorum strage, victoriam reportavit juxta *Thoronum Ethin*, postquam urbes, arcesque, vel armis expugnatæ, vel deditione ultroneâ victori cesserunt, ipsâ quoque Jerusalem obsidione cinctâ, imminenti, minantive Saladino se subdidit, statim in finitima quæque loca tyrannico more sæviit hostis, in prædam & religionem perinde inardescens; Abbatia Sancti *Abacuc* communi clade interiit; paucis fugâ elapsis Canonicis, cæteri gladio enecti sunt.

Jacob. de Vitri. Hist. Jerosol. n. 94. p. 1118.

Ex hinc erraverunt in solitudine profugi Præmonstratenses, & pro armorum sorte, nunc miseri, modò erecti in spem, huc illucque se receperunt. Ad Acconensem urbem, a Philippo Franciæ, & Richardo Angliæ Regibus domitam, evocati refugerunt, donec, recuperatâ Jerosolymâ, tutus ad pristinam suam sedem accessus foret. Eo degebant loci, tanquam in azilo exules, dum Hillinus Abbas Floreffiæ anno 1213. ad instantiam Summi Pontificis Innocentii III. & preces Jacobi de Vitriaco Aconensis Episcopi, transmarinum aggressus est iter: unde abeuntem commendavit Regi Jerosolymorum Joanni de *Brienna* Gervasius: commendavit & Alberto de *Castro-Valteri* Patriarchæ Jerosolymitano. »Specialiter nos rogamus, ut cùm regra»tiatus populo suo Dominus, funiculum hæ»reditatis suæ reddiderit adoratoribus crucis »suæ, possessiones Ecclesiarum Ordinis nostri, »videlicet S. Samuëlis, *&* S. *Abacuc*, qua»rum prima est Præmonstrati; secunda, filia »Floreffiæ specialis, eidem Abbati restitui ju»beatis, ut cùm populus gaudebit gentium »incredulitatem confusam, & terram debito »cultu restitutam, nos quoque eò pleniùs pos»simus congaudere gaudentibus, quò prædi»ctis possessionibus reversis ad Ordinem, nihil »nostro deesse gaudio sentiemus.

Epist. 37. 38. Gervasii, p. 38. Sacræ Antiq. monumentor.

Pro eâdem restitutione supplicavit anno 1220. Gervasius Friderico II. Imperatori, ad auxilium Terræ Sanctæ magno apparatu se accingenti, scribens in hæc verba. »Sanè cùm »inter alias Religiones, quas in orbe terrarum »summus Agricola mirâ varietate plantavit, »professionis nostræ semen fuderit in terram, »quam proprio sanguine consecravit, in dua»bus Ecclesiis, videlicet S. Samuëlis, *&* S. »*Abacuc*, quæ fundatæ fuerunt ibidem, & »destructæ postmodùm, cùm Gentes venerunt »in hæreditatem Domini, & Templum san»ctum ex spurcitiis suis polluerunt, Magnifi»centiæ vestræ attentissimè in Domino suppli»camus, quatenùs intuitu Dei, & totius Or»dinis Orationum, in hoc per gratiam vestram »sentiamus auxilium, & consilium vestrum in »tempore opportuno, cùm dexterâ illâ san»ctâ expulsi fuerint Chananæi, Gentium in»credulitate fusâ, quòd illæ duæ prænomina»tæ Ecclesiæ, (quarum alteri, videlicet S. Sa»muëlis, præfecimus latorem præsentium, vi-

„rum venerabilem Magistrum Ægidium Ca„pellanum vestrum,) Ordini nostro reddan„tur.

Verùm tentata tam infeliciter, & à tot Regibus & Principibus Terræ Sanctæ redemptio, cassam reliquit Gervasii intercessionem. Denique anno 1291. idem infidelitatis turbo, qui Christianorum reliquias decoxit in Terra Sancta, absumpsit Præmonstratanæ Religionis residuam 'à seculo inter adversas Ecclesiæ fluctuantis calamitates hæreditatem.

ABBIO.

Abbio Fil. Tumphorphii. Diœcesis Magdeburg. Circaria Saxoniæ.

TRes MSS. Indices hanc Præposituram sub Magdeburgensi Diœcesi constituunt, cum Layruelio, eamque asserunt *Tuphtolmii*, sive *Tumtorphii* sobolem. Pagius expunxit illam è suo Catalogo, rerum Ordinis non omnino gnarus autor. Quâ verò Magdeburgensis agri parte *Abbio* substiterit, ignoro, nihil referentibus mihi Documentis Saxonicis, de situ illius.

S. ABRAHAM.

S. Abraham. Filius Sancti Pauli. Diœcesis Varadin. Circaria Hungariæ.

PRima occurrit ordine alphabetico, Præpositura Sancti Abraham, non ordine generationis Monasteriorum, in Hungaria. Tantas tamque varias Regnum illud in Religione passum est calamitates, alterno martis sævientis impetu; eò usque Ecclesiarum status, ab irrumpente Turcâ, aut Calvinistâ ingruente, concidit, ut vix omnium nomina Cœnobiorum ab interitu potuerit Catholicorum fugitiva posteritas vindicare. Quotquot ex flammis, vel ex Turcomanico furore evaserunt primævæ antiquitatis documenta, hæc ad Calvinistas partim, partim ad Laicos, bonorum Ecclesiæ invasores, transierunt, quæ revocatis postliminio ad suas ædes Religiosis, nec restituere, nec communicare voluerunt, extorres licet, meliorem ex renasciturо quondam bellorum tumultu fortunam avidiùs suspirantes. Apud Abbatem Sanctæ Crucis in Austria, & in Scriniis Collegii Societatis Jesu Viennensis nonnulla extare Præpositurarum nostrarum autographa, edoctus per famam, hæc quantâ potui humanitate expetii, & per R. P. *Günther* Celsitudini Regiæ * Lotharenæ à Confessionibus, in Regis Bohemici Inauguratione anno 1723. consistentem Pragæ, dein Viennam appulsum, Principis Francisci * à Lotharingiâ regium asseclam. Multis precibus hæc iterum rogavit vir officiosissimus, ut descripta ex tabulis traderentur mihi, sed benevolo quamvis & instante animo urgentem P. *Günther*, dimiserunt ipsissimi Confratres, vacuum, litterariæ urbanitatis obliti. Forte ad concinnandam perficiendamque P. *Inchofferi* Historiam, monumenta hæc continuatori pridem desiderato, reservant.

* Leopold. I.

* Franciscus III. Leopoldi I. successor.

Interim quidquid aliunde nobis suppeditatum, vel proprio partum labore circa unam supra quinquaginta sex Præposituras quas Ordo noster, in Hungaria feracissimus, possidebat, exponemus. Et quidem de numero tot Monasteriorum, non est quod hæreamus, cùm omnis ævi indices Ordinis talem referant, & nuperum assertorem habeamus Illustrissimum Petrum *Pazmany* Archiepiscopum Strigoniensem Societatis Jesu antehac alumnum, qui post inquisitiones magno labore, majori solertiâ factas, declaravit in sua Synodo *Posonii* anno 1629. editâ, totidem in Hungariæ Regno floruisse Præposituras Ordinis Præmonstratensis; Elenchum Layruelii, superadditis Monasteriis quinque, augens & emendans.

Originaria Paternitas, quam genituræ titulo quædam Præposituræ obtinebant, in alias ex Patrum incuriâ, ad alios Patres, imò ad alienigenas, authoritate Capituli generalis anno 1294, deportata fuit. Hinc Sancti Abraham Præpositura penè ad oras dilabentis *Chrysi* assurgens, & intra fines Varadinæ Diœceseos posita, excusso paterno Sancti Pauli imperio, in Abbatis Lucensis jurisdictionem, ejusdem Capituli sancito immissa, transiit; nec ejus subducta est ferulæ per immutationem paternitatum factam anno 1516. à Comitiis Generalibus. Ast ubi Pseudo-Reformatorum secta Hungariam infecit, monasterium S. Abraham ad manus venit Acatholicorum, illudque articulo 6. instrumenti pacis initæ sub Ferdinando III. Imperatore anno 1647. iisdem assertum est.

Hist. de statu Relig. in Hungaria p. 45. & append. p. 83.

ADELBERGA.

Adelberga. Filia Roggenburgi. Diœcesis Constantiensis. Circaria Sueviæ.

ADELBERGA, illustre in Wirtenburgico Ducatu Præmonstratensis Instituti Cœnobium; inter *Hochenstauffen* & *Schorndorff* situm & ab utroque uno distans milliari, nomen sortitum est ab ipso monte *Adelberg*,* cui accumbit. In hujus montis umbilico vi-

* Mons aquilæ.

ſcebatur arx *Eberſperg*, ſedes ***Wolcknandi*** de ***Stauffen;*** qui cum arcem illam, (cujus hodiè rudera in nemore Adelbergæ proximo conſpiciuntur) incoleret, ab eâ nomen mutuatus eſt, & quandoque ab *Ebersbach*, altera habitationis ſuæ ſede. Communem habebat originem, communemque protapiam *Wolcknandus* cum Sueviæ Ducibus, qui ex Baronibus de *Hochenſtauffen* in Sueviæ Duces evecti, ab Henrico IV. Cæſare, Conradum III. & Fridericum I. Imperatores, aliorum ſatores Imperatorum, effuderunt. Patre orbatus *Wolcknandus*, in ſpem generis propagandi, matrimonium contraxit, ſed nullâ, expectatâ licet per plures annos, ſuſceptâ prole, totum, quà latè patet, Eberſpergenſe Dominium, ad Suæviæ Duces revolvendum hæreditario & fiſci jure, divino cultui dedicare conſtituit. Fridericum I. Imperatorem ſupplici convenit libello; votis ſecundum facit Principem, aut invenit, & quidquid jure ſanguinis & feodi ad eum pertinere poterat, tranſcripſit ad pii operis complementum Fridericus, eo titulo, fundatoris inſigniendus honore. Horum igitur Germaniæ Principum auſpicio & munificentiâ primam lucem *Adelberga* vidit. Volcknandus, quoſdam griſei habitûs monachos, ut verbis MS. hiſtoriæ utar, qui more Eremitarum diverſa loca, obtentu arbitrariæ religionis, ac devotionis attemptare ſolebant, congregavit, eiſque prædictum prædium cum ſuis attinentiis committendo tradidit, ad conſtruendam ibi Eccleſiam divinis ſervitiis aptam, & congruam Religioni. Cujus operis curam & ſollicitudinem vocati Monachi in ſe ſuſcipientes, per aliquot annos ibi moram faciendo, minùs profecerunt. Nec mirum: non enim erant de ſemine eorum, per quos ipſa Eccleſia, ut civitas, erat ædificanda; Et quia diù occupare non poterant, quæ aliis ad gloriam parata fuerant, novitatis amore iterum tracti, Domino fundatori valedicentes, totumque negotium & jus ſibi contraditum reſignantes, deſerto loco, abierunt. Monachis ejuſmodi dilapſis, quos Carmelitas, needum Europæ notos, interpretantur quidam ſeræ eorum nativitatis ignari, Volcknandus, pergit MS. Chronicon, nequaquam à cœpto deſtituens, alios vineæ ſuæ palmites plantandos cenſuit. Imperatorem igitur, cujus Procurator ſummus tunc temporis erat in Provinciâ, adit, ejuſque conſilio & præcepto, prædium in *Adelberg* Abbati de *Rothâ* nomine *Otheno*, & ſuis Confratribus, qui tunc temporis, miræ ſanctitatis & Religionis æſtimabantur, obtulit, ut ibidem Monaſterium Clericorum inſtituerent. Oblationem reverenter factam Abbas de Rotha, & ſui Confratres gratam ſuſcipientes, Conventum Clericorum, Converſorum, & Sororum ſubmiſerunt, qui ipſum locum inhabitarent, & excolerent. Sed quia jam dictus nobilis miles Volcknandus, ea quæ rectè obtulit, non rectè diviſit, nomen enim Advocati ſibi voluit adſcribi, & jus patronatûs reſervari, ſicque famulos Dei tributarios fieri. Hâc de cauſâ & apud Deum, & apud homines votum ſuum non meruit promoveri; unde & ipſi de *Rothâ* Canonici, ſicut ſuprà dicti Monachi, propter ipſius Eccleſiæ difficillimos aditus, terram ſterilem & inanem, ac ſitientem reſignantes, & omnibus dimiſſis, redierunt ad ſua primitiva. Videns autem prædictus miles & diſcretus Volcknandus votum ſuum à diabolo, omnium bonorum adverſario, præpediri, Præpoſitum & Fratres de *Roggenburg*, quos divini fervor amoris, & odor bonæ opinionis ubique divulgarat, accivit, & ut deſiderium ſuum ex ipſis impleret, propoſitum voluntatis ſuæ eis expoſuit, de conſtruendâ Conventuali Eccleſiâ in prædio ſuo *Adelberg*, quod dudùm Deo dicaverat, nec tamen plenè ad effectum perduxerat, eorumque conſilio & arbitrio id fideliter ordinandum, favore Regiæ Majeſtatis adhibito, attentiùs commiſit. Præpoſitus verò de *Roggenburg* & ſui Fratres prudenti conſilio uſi, hanc in ſe curam diſpoſitionis velle ſuſcipere aſſerebant, tali conditione, ut Eccleſia in *Adelberg*, cùm omnibus ſuis appenditiis, mancipiis, poſſeſſionibus jam habitis, & in futurum acquirendis, coram Regibus & Principibus perpetuâ libertate gauderet, ut quæcumque eccleſiaſtica ſæculariſque perſona, Prælatus, vel ſubditus, ipſius Eccleſiæ res, vel poſſeſſiones alicui, nomine Advocati, obligaverit, honore, ſi quem habet, privetur, & à communione Eccleſiæ, Fratrumque, perpetuò ſeparetur, ejuſque factum omnino irritum habeatur. Et ut hæc omnia rata & firma eſſe valeant, ad approbandum & corroborandum Sanctæ Rom. Eccleſiæ Summo Pontifici * præſententur.

Anno igitur ab Incarnatione Domini MCLXXIII. Præpoſitus de *Roggenburg*, inito conſilio cum Fratribus ſuis, Conventum deſtinavit ad prædictum locum *Adelberg*, ejuſque Præpoſitum de gremio propriæ Eccleſiæ, Ulricum nomine, inſtituit; qui cum videret ipſum locum omni ſolatio deſtitutum, cœpit pavere & tædere ſuper nimiâ Fratrum paupertate, dicens intrà ſe, ſatius ſibi fore humerum oneri non ſupponere quam ipſi ſuccombere, & cùm iter diſponeret ad Roggenburgenſem Eccleſiam, ut clàm Fratribus, curam hujus ſollicitudinis poſſet exonerare, ad quandam Beatam fœminam * in proxima Roggenburgani Cœnobii villâ, quæ *Meſſa hoven* dicitur, incluſam, cui, merito ſanctitatis, ſpiritus Prophetiæ ſubjectus erat, quam ſibi in Matrem ſpiritualem adoptaverat, divertit, ut mutuò fabularentur & conſolarentur, & ſecum quærerent de ſtatu utriuſque & ſalute. Inter cætera vero puſillanimitatem cordis, & cauſam propter quam venerit, intimavit; & ut materna viſcera valentius moveat, filium ſe no-

* Alexandro III.

*Gertrudem nomine cujus meminit Necrologium Roggenburgi V. Kal. Junii Sororis nomine eam compellans.

minat, flens & dicens: Ora Mater pro Filio tuo, si fortè Deus tuis precibus exoratus, dignetur aliquo nobis futurorum præsagio præmonstrare quem finem plantatio novella, ad quam destinasti sumus in *Adelberg*, sit habitura. At illa filiali affectu mota, piâ voce respondit: Fili: hâc nocte in pace requiesce, teque & omnes actus tuos Deo commendare stude, & quæ mihi Dominus de te per Spiritum suum dignabitur revelare, ea cràs, si quæsieris, parata ero tibi renuntiare. Et fecit sic.

Crastinâ autem die reversus est ad S. fœminam properè, quia delectabat eum verba prophetantis audire. Quem ut illa respexit, benignè salutavit, atque in hunc modum verba sibi intulit. Fili Charissime, fidei pusillæ; quare dubitasti? hæc enim dicit Dominus, confortare & viriliter age, esto Dominus Fratrum tuorum: dabit itaque Deus tibi de rore cœli, & de pinguedine terræ abundantiam. Insuper in cunctis prosperaberis ad quæ manum miseris, & in hac mortali vita laudabilis valdè & gloriosus eris. Quia verò nullum malum erit impunitum, propter peccatum diffidentiæ, quod commisisti, quandò Deus te elegit in sortem ministerii sui, & penuriam non sustinens, fugam iniisti, nec sperasti in divitiis largitatis Dei, idcircò extrema gaudii luctus occupabit, & antequàm viam universæ carnis ingredieris, scandalizaberis non sine infamia Ecclesiæ, cui præeris gloriâ & honore. Præpositus Ulricus lætatus in his quæ dicta sunt ei, animatusque, initia prophetiæ attendens, sed ad finem non prospiciens, prophetissæ valedixit, Deoque gratias egit, planissimè sciens, quia quæcumque promisit Deus potens est ea facere, viâ quâ venit, cum gaudio rediit; de consolatione acceptâ, Fratrum suorum corda in dubiis fluctuantia, bonæ spei anchorâ confirmare cupiens, dixit eis: ne sitis deficientes animo, quia propè est ut veniat nobis auxilium & salus à Domino...... Reverendus Præpositus & sui Fratres, timore pariter & amore concitati, in eodem loco, quem elegit Dominus, confestim cœperunt Ecclesiæ fundamenta fodere..... sed quia dilectus Deo Præpositus Ulricus, multis Dei gratiæ donis erat repletus, litterali scientiâ apprimè eruditus, morum honestate præclarus, jucunditate & largitatis munere gloriosus, affabilis omnibus, omnium in se provocavit effectum: unde tam noti, quàm ignoti, ad quos fama probitatis ejus evolarat, dispersis rerum stipendiis, & muneribus largis eleëmosynæ, prout cuique Dominus inspiraverat, manum ejus adjuvabant in fabrica murorum & lignorum, non solùm ipsius Oratorii, verùm etiam adjacentis ejus Claustri: sicque factum est, Deo annuente, ut cujus initia erant parva, per tria annorum lustra, incitamenta viderentur habere majora. Crescente itaque structurâ ædificiorum, crevit numerus quoque Canonicorum, Conversorum, Laïcorum, atque Sororum; quibus erat anima una, & cor unum in Deo; quorum fervore dilectionis, & gratiâ hospitalitatis provocati vicini eorum & cognati, terrigenæque ipsorum, nec non & alienigenæ, subsidia ipsis innumera præstiterunt, & nonsolùm ipsis, verùm & posteris ibidem Deo in perpetuum servituris. Insuper & Nobiles provinciæ, relictis sepulchris Patrum suorum, ad Ecclesiam in *Adelberg* se vel vivos, vel defunctos transferri volebant, ibique sepulturam eligebant, propter insignem religionis evidentiam, & orationum frequentiam.

Anno eodem MCLXXVIII. gloriosus Romanorum Imperator Fridericus, Ecclesiam in *Adelberg* in fundamentis tantùm distinctam, & nondùm in altum erectam, causâ orationis & consolationis, adire & visitare dignatus est; contigitque eum filios suos Nobiles, qui posteà Imperiali dignitate sibi succedebant, videlicet Fridericum & Henricum, atque Philippum, & alios suprà duodecim Optimates, & famosos Principes secùm in Comitatu habere; inter quos simul aderat venerabilis Monasteriensis Episcopus, qui precibus dicti Præpositi & Conventûs, ad dignitatem ipsius Ecclesiæ extollendam, in præsentia Majestatis Regiæ, etiam Illustrium Principum & Nobilium virorum, dedicavit & consecravit altare publicum in honorem B. Mariæ, S. Udalrici Episcopi, ad laudem Dei.... insuper ad decorem & majorem Festi pulchritudinem, Sanctimoniales fœminæ, eâdem die benedicto velo castitatis, & ab eodem Episcopo sibi imposito, spretâ carnali liberorum propagine, cœlesti sponso perenni mente, actu & habitu, in matrimonio sunt collocatæ.

Defuncto Friderico, * major Ecclesia dedicata est à religioso Baruthensi Episcopo * vii. kal. Augusti, Philippo Imperatore Regnante, procurante venerabili Udalrico, ad laudem Dei, & Domini nostri Jesu Christi, B. suæ Genitricis semper Virginis Mariæ, S. Udalrici Confessoris atque Pontificis, & omnium Sanctorum.

* 1190.

* Fortè *Barith* Franconiæ oppidum, sed Episcopali Cathedrâ non invenio decorarum vel ex Amanuensis oscitantiâ, loco *Berytensi* irrepsit, *Baruthensi*.

Interim Volcknandus diebus & meritis plenus, relicto Adelbergensibus amplo patrimonio, occumbit; Et Nobilium more, Adelbergensis Ecclesia Patrono suo erigit tumulum gentilitiis insignibus micantem, scilicet verre in campo rubro, verris pedibus cæruleo tereti insistentibus. Moritur & ipse venerabilis Pater Udalricus, Deo & hominibus amabilis, qui sic novit vitæ suæ moderamina tenere, ut meritò fieret judex alienæ. Novit parcere subjectis, & debellare superbos, litteratos, & Dei ministros honorare ut dominos; Conversos Laïcos domare, ut famulos. Hic dum Ecclesiam duos de quadraginta annis rexisset, & de lacu miseriæ extulisset, incidit in torrentis impetum, qui omne genus hominum secum trahit ad occasum; Et cum defecisset corpori-

virtute, nec posset omnibus respondere, insolens illa Conversorum turma, cleri semper inimica, cœpit cervicem erigere, discordias seminare, lites & contentiones multiplicare, dicentes, quòd Ordinis eorum æqua quidem Clericorum & Laïcorum receptio & professio, sed non æqua personarum acceptio, & præbendæ exhibitio. Quod dictus Præpositus jam decrepitus sedare solitò voluit, sed præ valetudine non licuit, tantóque magis dolebat, quò nemo vicem ejus gerebat. Tunc quidam juvenis nobilis, qui ejus ministerio semper astitit, unus ex eorum genere, qui solent dicere, faciamus mala, ut eveniant bona, errore deceptus, sperans in læsione spiritualis Filii Præpositi, Præpositum sibi ampliùs placari, assumptis sibi sociis, unum de Conversis cœpit, qui jam dictæ turbationis causa fuit, eumque feriens traxit, & oculos ejus evulsit, sicque pii Patris gratiam, quam tali scelere consequi putavit, plenè amisit. Quamobrem ipse quoque juvenis iram inimici incurrit, qui & eum oculorum lumine privavit. In hâc igitur gravi hominum jacturâ, omnibus clarè patuit, quòd uterque eorum, impio zelo vehementer exacerbavit Præpositi animum. . . . . itaque Præpositus, totaque simul Ecclesia infamiâ hujus cruentæ mortis valdè, diúque notati, & opprobriis hominum satiati, honoris & gratiæ multa passi sunt dispendia, & in his malis omnibus & pressuris, Præpositus Udalricus resignavit Ecclesiæ curam, quam in diebus suis fecerat gloriosam; sed in fine dierum reliquit ignominiâ plenam. Hoc autem factum est, ut B. Gertrudis Inclusæ superiùs memoratæ, hæc eadem prophetantis, veritas probaretur. Deinde post menses quatuor, Deo remisit animam, quam fortitus erat virtutibus plenam. Sed & hoc ad cumulum beatitudinis ejus adjiciam, quod ad funebria ejus, plures Prælati Ordinis Præmonstratensis, depositionis ejus nescii, Deo disponente, convenerant, ut viri venerabilis corpus tam venerandum, hymnis & laudibus prosequerentur, usque ad locum sepulchri. Itaque quicumque ista legit in nomine domini admiratus, non pigeat dicere, anima ejus requiescat in pace. Amen.

Ita ad litteram Chronographus coæqualis, quem ex originali exscripsit Roggenburgi Layruelius Abbas S. Mariæ, in decursu Visitationum. Ab incunabilis, ut ad provectiores annos, imo & ad occasum, fastus Adelbergæ prosequar, dicam scientiarum non minùs quàm virtutis illic extitisse palæstram, ad quam erudiendi moribus & doctrinâ juvenes selectæ Nobilitatis submittebantur. Unde & Fridericus Imperator Philippum natu minimum, qui posteà & ipse, variâ licet fortunâ, Imperium tenuit, cum tribus ephebis nobilibus, Adelbergam imbuendum ablegavit. Horum alter à magistro, cui Rudolphus nomen erat, severè correptus, in illum tam immaniter sævit, ut prata silvatica petentem pædagogum, causâ recreationis, simul adorti, simul prostraverint, pugnis incesserint, eique effoderint oculos. Sceleris barbariem horrens Imperator, in tetrum carcerem fame & siti macerandos conjecit Juvenes, ulteriore puniendos supplicio. Verùm flos nobilitatis Germanicæ, ipsemet Philippus Princeps, æquissimam Friderici iram multiplici intercessione placaverunt. Atro huic facinori alludens scriptor, Raderici versus apposuit. Vol. 3. Bavar. Sacræ.

Hoccine Doctori pubes scelerata, minervæ
Offers? ipsa tuis exoculanda stilis.
Naturæ mystes, quem clara flagyra creavit,
Hoc olim sacro fudit ab ore melos.
Dignas Cœlitibus, Genitoribus atque Magistris
Pro meritis grates reddere nemo potest:
Et tu pro cultu mentis, damnata Juventus,
Hoc pretium solvis? perge, feri, atque peri.

Porrò nobilis illa Adelbergæ schola magnos omni ævo viros produxit, è quibus, paucis ante eversum Cœnobium annis, claruêre P. Leonardus Dyrius Abbas, Suevicæ Provinciæ Visitator generalis, Juris Pontificii Doctor & interpres, cujus extant lucubrationes MSS. P. Guillelmus Ulinus, linguæ sacræ in Tubingensi, & Ingolstadiensi Academiis publicus Professor, & litterarum ibidem, post cruentam anni 1540. à lue acceptam cladem, restaurator eximius, qui & nonnullis operibus nomen posteritati consecravit. Præludium, paratis prælo scriptis, dederunt binæ Dissertiones, altera *de laudibus Aquila*, altera *de studio linguæ Sanctæ*. Mors invida cæteras intercidit. Impress. Tubingæ anno 1510. Impress. Ingolstad. anno 1540.

Advocatiam Adelbergæ tanti fecit Imperator Fridericus, ut ne alius, quàm ex familia de *Stauffen* protector esset, peculiari Diplomate sanciverit anno 1181.

» Fridericus divinâ favente Clementiâ Romanorum Imperator .... Notum esse igitur cupimus omnibus Imperii nostri fidelibus, quòd Claustrum *Adelberg*, & omnia ei attinentia recepimus in nostram pacem & protectionem. Statuimus & unà cum *Volcketenando* in *stauffen*, qui fundator fuit loci illius, dabit aureum unum, in signum & recordationem, quòd illud Claustrum deffendi debet ab ipso Apostolico, & ab illo qui fuerit Dominus de *Stauffen*. Volumus & ut nullum habeant Sub-advocatum, præter illum, quem Præpositus & Conventus de *Adelberg* elegerit. Ut igitur hæc rata & incommutabilia permaneant, præsentem paginam jussimus conscribi, & nostræ Majestatis sigillo insigniri ..... Hujus rei testes sunt, Henricus Abbas de *Lorchen*. Udalricus de *Anhusen*. Ludovicus Comes de *Helffenstain*. Godfridus de *Vinnanden*. Billingus de *Justingen*. Adalbertus de *Megingen*. Rupertus de *Gudenlffingen*. Volcknandus, Fridericus, Conradus, Bernoldus de *Stauffen*. Gerungus

» rungus de *Urabach*. Udalricus de *Bechberg*. » Egeno & Adelbertus de *Valdhusen*. Henri- » ricus *Berarageret*, & Adelbertus de *Lorchen*. » Diopoldus de *Schellenback*, & alii quàm plu- » res. Signum D. Friderici Romani Imperii Il- » lustrissimi Imperatoris. Ego Godefridus (*a*) » Cancellarius Imperialis aulæ, vice Christiani * » Moguntini Archiepiscopi, & Archicancellarii, » recognovi. Acta sunt hæc anno Dominicæ » Incarnationis MCLXXXI. Indict. XIV. re- » gnante Domino Friderico Romanorum Im- » peratore gloriosissimo, anno Regni XXX. » Imperii XXVII.

* De Christiano dicemus, ubi de *Minor-Augia*.

Datum in Castro *Stauffen* VIII. kal. Junii feliciter. Amen.

Volcknando absque mascula prole paulò post defuncto, inquit Crusius, omnia ejus bona, omniaque jura ad Fridericum Imperatorem devoluta fuere: Adelbergensis subinde Cœnobii tutela ad ipsum migravit; quàm excepère Henricus VI. Philippus, & Fridericus II. Romani Imperatores, & Conradus Suevorum Dux ultimus; quo in Italia anno MCCLXVIII. per summam injuriam sublato, in Monasterii tutelam successère Austriaci Duces. Sed cùm ab illo remoti essent, suam vicem Wittembergensibus Comitibus commisère anno MCCLXXXXI. eo tamen pacto, ut nulla inde jurisdictio, seu civilis, seu criminalis, neque ullum aliud dominium ipsis emergeret, ut suis reversalibus litteris protestatus est Comes Eberhardus, quarum partem à Crusio, homine hæretico, ex industria omissam, ipsâ Diplomatis expositione genuinâ, restituo.

» Eberhardus (*b*) de *Wurttemberg* Comes, » præsentium litterarum inspectoribus univer- » sis salutem. Cùm in Ecclesia de *Adelberg*, » Præmonstratensis Ordinis, Constantiensis » Diœcesis, divinus cultus pariter & hospi- » talitas copiosè vigeant & abundent, dignè » ipsam Ecclesiam cum omni sua familia, & » ejus rebus mobilibus & immobilibus quibus- » cumque, pro favore amplectimur, & gratiâ » prosequimur speciali. Sanè in favoris & gra- » tiæ hujusmodi efficaci augmento, Domino » Dominorum firmiter promittimus, ac ejus » Matri Virgini stipulamur, quòd memora- » tam Ecclesiam ac ejus Congregationem, in » suis juribus & libertatibus fideliter foveamus, » & quòd eamdem Ecclesiam à quibuslibet in- » juriis malignantium, juxtà posse nostrarum » virium, deffendemus; quòdque memoratam » Ecclesiam per nullam exactionem, vel grava- » men, servitiorum extorsionem, aliqualiter » molestabimus. Recognoscimus etenim pro no- » bis, & omnibus successoribus nostris, sub ha- » rum testimonio scripturarum, quod nec Pro- » genitores nostri hactenùs habuerunt, nec » etiam nos hactenus *ullum dominium, vel jus* » *advocaticum, aut jurisdictionem aliquam in Ec-* » *clesia prænotata*. In hujus itaque recognitionis » evidentiam has litteras ipsi Ecclesiæ, pro suffi- » cienti testimonio, dedimus, sigillorum nostro- » rum & universitatis Civium in *Esslingen*, mu- » nimine roboratas, testimonio virorum hone- » storum Volfrani de *Pernhusen* juvenioris, Wol- » frani . . militum, Marcardi Capitanei, Ruperti » Schulteti, Juratorum & Scabinorum de *Esslin-* » *gen* omnium accedente. Datum *Esslingen* anno » Domini MCCXCI. XIV. kalend. Septembris Indict. IV. Temporum successione, advocatiæ jus, fiduciariâ commissione Wittembergensibus concreditum ab Imperio, in proprietatem, antichriseos, seu hypothecæ nomine, sis obligatum est, & à Carolo IV. Imperatore redemptum, ut testantur suis tabulis Eberhardus & Ulricus Comites.

» Nos Eberhardus (*c*) & Ulricus Comites de » *Wurttemberg*, Germani Fratres, nostro & » hæredum nostrorum nomine, testatum fa- » cimus hisce litteris, quòd Illustris & Clemen- » tissimus Dominus Cæsar noster Carolus de » Roma & Rex Bohemiæ, duo monasteria *A-* » *delberg* & *Stambem* (*d*) quæ hypothecæ jure » ab Imperio obtinebamus, refusis MDCCC. » libris talerorum in solidum, è manibus nostris » redemerit; atque idcircò eumdem D. Impe- » ratorem nostrum, ipsumque Imperium de » soluto debito quittamus & liberamus: ita » quidem ut neque nobis, neque hæredibus » nostris, quidquam juris in illam hypothe- » cam supersit. Et fortè si hypothecæ obliga- » tio aliqua quæ annum & diem hujus quit- » tanciæ præcesserit, atque Imperio, aut præ- » dictis Monasteriis, ob datam hypothecam » adversetur, vel nunc vel in posterùm à nobis, » vel hæredibus nostris exhibeatur, ea robore » careat & firmitate. Et in horum fidem sigil-

(*a*) Scriniis per undecim ad minus annos, præfuit Godefridus, ut colligere est ex variis Diplomatibus Friderici I. apud Miræum, Goldastum, & Corpus juris Civilis extantibus. Ortum habuit è nobili familia de *Piesenberg*. Ad Herbipolensem Cathedram evectus est, non anno 1182. ut mendosè habet Bruschius; sed 1184. ut habet Munsterus. Sacræ in Palestinam expeditionis Comes renuntiatus, lethali morbo, quem ex intolerabili æstu contraxerat, interiit, anno 1190. ac sepultus est in maximo Antiochiæ templo. Arnoldus Lubec. l. 3. Hist. Slavor. cap. 34. scribit, *fuisse virum prudentem & eloquentem, qui etiam secundùm datam sibi gratiam, peregrinationem memoratam magnâ ex parte rexerit*. De eo plura vide apud Wenckerum, *l. de Cancellariis & Vice-Cancellariis Imperialibus*.

(*b*) Eberhardus Comes de *Virtemberg* anno 1304. opposuit se Regi Romanorum Alberto, & invictus permansit. Plenus dierum obiit anno 1315.

(*c*) Cùm maxima discordia orta fuisset anno 1388. inter Civitates Imperiales & omnes Principes Sueviæ & Bavariæ, nec non & alios Nobiles, magna pars Bavariæ per ignem destructa est. Eberhardus & Ulricus Comites de *Wirtemberg*, cum Civitatum Incolis prælium commiserunt Dominicâ proximâ post Assumptionem Mariæ, in campo juxta Civitatem *Weil*, & multi ex utrâque parte ceciderunt. Eberhardus Comes Senior victoriam obtinuit, & Ulricus VI. nomine interemptus est.

(*d*) Hoc est *Steinheim*, Ordinis S. Augustini, Diœcesis Augustanæ apud Wittembergios in ditione Heidenheimensi, & Steinheimensi oppido; hujus Monasterii advocatia ex Alberti I Imp. concessione, concessa est & delata Monasterio Konigsbrunnensi* fundato ab eodem Imperatore anno 1302.

* Ordinis Cistert.

-la nostra appressimus hisce litteris, quæ datæ sunt Stutgardiæ, dio lunæ post Festum Corporis Domini nostri, anno à Nativitate Christi MCCCLXI.

Beneficio igitur Imperii, vel hypothecario jure, traditam Wirtenbergensibus advocatiam *Adelbergæ*, ut primum redemit Carolus IV. Cæsar, hanc suæ genti & posteritati asseruit, nec nisi subalternam clientelam Comitibus contulit exercendam, sub suprema Cæsarum Majestate; ut in litteris concambii declaravit Eberhardus Comes anno 1393. Quidquid ultrà ab iis factum, aut præsumptum, usurpationem tyrannicam arguit, jus non evincit; stet ergò inconcussè probatum.

I. Adelbergensem Ecclesiam tam quoad ipsum fundum, quàm quoad personas & res, ex primæva sua fundatione, ab omni Advocatiæ onere, extitisse liberam; & nonnisi ad malignantium hominum in bona Ecclesiæ inhiantium, compescendam aviditatem, ad tutelam Friderici Imperatoris confugisse; quam Sueviæ Ducibus transmisit, & isti Austriæ Archiducibus.

II. Comites Wirtembergæ, nullam ratione territorii, nullam ratione principatûs, habere advocatiam in Adelbergensi Monasterio; nec habuisse unquam, nisi beneficiariam & subalternam, sub Imperatorum beneplacito.

III. Jus illud protectionis precariæ Wirtembergensibus concessum, profitente Eberhardo Comite, in diplomate suo, ***nullum iis Dominium, nullam jurisdictionem***, in Adelbergensi Ecclesia acquisiisse; sed tantùm illam in suis ***libertatibus & juribus fideliter fovere***, à quibuslibet injuriis deffendere; nec ullis exactionibus, gravaminibus, & servitiis fatigare tenebantur.

IV. Etsi Adelberga intrà fines Ducatûs Wirtembergensis, constituta sit, nullatenùs tamen supremo Dominio Ducum, vel Comitum unquam subjectam pependisse, palam efficitur, ex ipso fundatoris Wolgknandi ad Imperatorem Fridericum recursu, dum Adelbergam sacris usibus destinare voluit. Neque enim ad Wirtembergæ dynastas, sed ad Imperatorem Fridericum, ad quem feodali jure Adelberga respiciebat, licentiam petiturus accurrit: luculento sanè argumento Imperii legibus & Dominio immediatè paruisse, à suæ constitutionis exordio, Monasterium, & in ea immediatione perstitisse, donec Ulricus II. cognomento ***Adamatus***, Wirtembergiæ Comes, anno circiter 1456. Adelbergam novis molitionibus sibi cœpit subdere, Advocati nomen, in tyrannidis infestæ hostilitates convertens.

Berchtoldus Dyrius Abbas, ingenti animo Principis ausus, quos humanitate reprimere non valuit, provocatione ad Romanum Pontificem aggressus est antevertere: in ipsa Eslingensi civitate, ipso meditullio Wirtembergici soli, vir constantissimi pectoris, territorialem Principis jurisdictionem, quin & Principis, hoc appellationis remedio, compressit audaciam. Pari robore armati Leonardus Dyrius, & Ludovicus *Vernhen*, Berchtoldi Successores, Christophorum Wirtembergæ Ducem, ab evertendo Cœnobio, ab opprimenda ejus libertate deterruerunt aliquandiu: at hæreseos prævalente impetu, opus seculorum, monumentum pietatis avitæ, Imperatorum munificentiâ, Velphonis Boiorum Ducis liberalitate, imò Comitum Wirtembergæ donationibus auctum, uno furoris turbine demolita est. Rei totius historiam lugubrem in elencho Prælatorum subjicimus. 1467.

I.

ULRICUS, qui & Udalricus passim dicitur, Præpositorum primus, cujus acta in antedictis recensuimus, piè in Domino quievit anno 1216. Ab illo, paucos subministrant documentorum quisquiliæ, ex naufragio superstites.

II.

HENRICUS *GRIESS*. Anno 1393. concambium fecit cum Eberhardo Comite Wirtembergensi, quo transfertur in Præpositum & ejus Canonicos jus patronatûs Ecclesiæ in ***Hunningen***, Constantiensis Diœcesis, in commutationem juris patronatûs similis, Ecclesiæ de ***Kurchusen***, Vormatiensis Diœcesis, concessi Eberhardo, per Præpositum & Canonicos Adelbergæ.

III.

RUPERTUS *GOTELER* primus Abbatialibus infulis decoratus, vixit ad annum 1443.

IV.

THEOBALDUS ***ZIECHER***, decretorum Doctor, obiit anno 1466.

V.

BERCTHOLDUS *DYRIUS*, cujus zelum & constantiam laudavimus suprà, Ordinis nostri ceremoniales libros, & Statuta typis edita Argentinæ, evulgavit. Piis ejusdem conatibus Sanctimoniales Adelbergenses, ad oppidum Lauffense migrarunt, Pontificiâ desuper impetratâ dispensatione. Extat ejusdem Berchtoldi etiam inter hæreticos memoria, in Ecclesia parochiali ***Handsholz***, quam à fundamentis extruxerat, ubi in modum precantis ante Virginem Deiparam adgeniculatus, hoc effatur.

Berctholdus cognomine *Dyer* Venerabilis Abbas
Hanc tibi, Christe, sacram condidit Ecclesiam.
Et rogat clemens intrantis vota popelli
Exaudire velis. Dic, bone lector, amen.
Annalem numerum si quis fortasse requirat;
Hunc infrà pictum, versibus absque, legat.
MCCCCXC.

VI.

LEONARDUS *DRRUS*, Juris utriusque Doctor, Maximiliano, & Carolo V. Cæsaribus, à Consiliis, Sueviæ & Bavariæ Visitator generalis à Capitulo constitutus anno 1532. ut irrepentem Lutheri hæresim, disciplinæ regularis ominantem excidium & fidei, coluberet Abbas eruditione clarus, & zelo fervescens, præstitit utrumque, Principum, ac præsertim amicissimi sui à juventute Christophori de *Stadion*, Episcopi Augustani, fultus præsidio. At qui à suo, & à Provinciæ Monasteriis errorem, rimas quærentem sibi, quibus subiret, exclusit, conflagrationem suæ Abbatiæ præpedire nequiit. Sexto kalendas Maias, concitata à
1525. Muncero Rusticorum turba, Adelbergam incendio evertit; excisam restauravit Leonardus; Sed haud stabilis ejus fortuna fuit. Ulrico III. Wirtembergensium Duce in Lutheranorum castra transfugiente, extremus Adelbergæ dies imminebat. Erat Ulricus turbulenti & rerum innovandarum studiosissimi Princeps ingenii, Religioni Catholicæ infestus, Imperatoris dominationem spernens, quam bis sensit sibi funestam, duplici exilio è ditione sua pulsus; omni intereà Dominio ad Carolum V. & Ferdinandum Fratrem devoluto, quod post quindecennium, & Principum interventu, reconciliato restituerunt Duci, eâ tamen lege, ut usurpata Ecclesiasticorum bona & Monasteriorum, redderet spoliatis. Conditionem, suâ plusquam contentus sorte, acceptavit Ulricus; sed vix rerum potitus, contra datam Ferdinando fidem, proscriptis mox Catholicis, Lutheranos & Zuinglianos concionatores, cathedris præfecit. Melchiorem Volmarum, qui Galliam inficeret erroribus, immisit; Monasteria depopulabundus, ipsamque occupavit Adelbergam. Irato Principi tantisper cedens Leonardus Abbas, Geppingam secessit, atque cùm alii passim Prælati carceribus recluderentur, Leonardus ob egregia facta, venerandamque canitiem, tanti habitus est, ut ibidem victus, honorque decens, à Duce suppeditarentur. Ejus verò Canonicis dilapsis ad benevelos Confratres, statim Ulricus templum & turrim destrui, lapides ad Schondorffensem munitionem, ut propugnaculum sibi contra Cæsarem faceret, jussit deportari. Triennio extorris Leonardus Geppingæ moritur anno 1538.

VII.

LUDOVICUS *VERNHER* exacerbati in Imperium, Ulrici Ducis virus viresque expertus est: malum quippe malo cumulans ad perduellionem natus Princeps, Smalcaldico fœdere Protestantes sibi devinxit, & sacras, quas Deo abstulerat, exuvias, expendit in belli nervum. A Carolo V. profligatus & Cæsaris victoris clementiam exorans, veniam impetravit Ulricus: Sed benignitate istâ non factus æquior, Catholicos, maximè Ecclesiasticos viros, possessionibus suis exturbavit. De violenta spoliatione conqueritur Ludovicus Abbas in Augustanis Comitiis: intentat minaturque dira Imperator; at ne evomere cogatur Ulricus, quæ malè voraverat, Helvetiorum implorat tutelam, quæ ab hostili equitatûs Cæsarei invasione Wirtembergæ agros non exemit. Pœnitantiâ, seu magis devastatione fractus Ulricus, Ferdinandi iram placat obtentu sanioris consilii & doloris; restitutioni Prælatorum in suis Cœnobiis sanciræ à Proceribus Augustanorum Comitiorum, annuit, Principi tamen jure patronatûs reservato; sicque suus Adelbergæ redditus Antistes Ludovicus, qui plenè administrandæ rei munere potitus, manum admovere cœpit ad fortia; suos revocavit ad Claustrum, & diruta reparavit ædificia.

Triennio à pace facta, fatis suis defungitur Ulricus Princeps; cui Christophorus, malo Patre pejor Filius, succedens, Catholicos novis artibus expugnavit; non armis quæ Patri malè cesserant, sed fraudulentis machinationibus impetivit. Favebant exitiali odio prudentia civilis, militarisque negotii sagacitas, addicta Ferdinando Cæsari fidelitas, quibus ad quidlibet impunè audendum, innitebatur. Hinc ad Cœnobia rursus evertenda animum adjiciens, paulatim, per partes & per cuniculos illa appetiit: Ludovico enim Adelbergæ Abbati imprimis præcipit, ut permissio Sacrorum catholico ritu faciendorum in ejus Cœnobio, non extenderetur ad parochias Cœnobio subjectas. Leges posteà novas, novosque vivendi mores Abbati & Canonicis præscribere tentavit. Ast suasibilibus Principis sermonibus, litteris fidem spirantibus & constantiam, respondit intrepidus Abbas; quibus ultrà modum exasperatus Christophorus, ultrices flammas concepit, suo tempore erupturas. Continuit tamen illas astutâ versutiâ, ad incendium provocatas ab invidentibus, usque ad annum 1565. qui fuit vitæ laboriosæ & laborum Ludovici terminus. Illi in Fratrum sinu mortuo, ætatis suæ LXXV. & Adelbergæ sepulto, isthoc Epitaphium appenderunt Canonici mœrentes.

Ludovicus *Werhner*, patriâ Hochdorffensis cis *Necarum*, ingressus Monasterium Adelbergense anno Domini. MDV. ætatis xv. in Ordine Præmonstratensium, partim in Monasterio, partim alibi Ecclesiæ serviens,
inculpatè trivit vitam.
Tandem Cœnobio restituto suo Abbate
Ultimus sui Ordinis, postrêmus more veteri
Anno Christi MDXLVII. sub Duce Wirtembergiæ
Udelrico
Abbatiæ præfectus,
eam magnâ laude & singulari œconomiâ

& studio usque ad finem vitæ
administravit
Anno Christi MDLXV. die v. Januarii
fato perfunctus
Reliquum mortalitatis huc in sinum Matris omnium deponi voluit.
Quod posteritas illi succedens F. C.
in Christo resurrectio mea.
Anno D. MDLXV. gubernante Ducatum
Wurtenbergicum Duce Christophoro.

Post Patris excessum, qui supererant Adelbergæ Præmonstratenses, fugam meditari cœperunt. Continuit territos Roggenburgensis Abbas, donec Dux Christophorus, larvam benignitatis deponens, per vim intrusit Abbatiali throno Christophorum Bunderum, hominem perditæ fidei: tunc enim ne à lupo vorarentur oves candidæ, ad primigenium ovile, Roggenburgum confugerunt; atque in hunc modum per varios casus, per tot discrimina rerum, nobilis ille mons *Adelbergensis* corruit, non erigendus denuò, nisi Dominus ille, in cujus manu cor Regis est, ædificaverit domum.

PATERNITAS.

Adhærebat Adelbergæ mœnibus, sacrarum Virginum parthenon: ibi ad annum 1476 stetit. *Lauffam*, Ulrico Comite Wirtembergensi procurante, migravit. Contra illas decrevit Capitulum Generale anni 1518. ne indulgentiis, quæ largiùs in Germania concedebantur, abutentes, sub earum prætextu, quidquam in præjudicium Religionis & professionis attentarent. Vide probat. à col. LXXXI. ad col. LXXXIIJ.

ADON.

Adon Fil. Gazzov. Diœc. Waradinensis. Circar. Hungariæ.

SUb paternitate S. Stephani, primarii totius Hungariæ candidæ monasterii, Præpositura *Adonensis* erat; sed anno 1294. ex decreto Capituli generalis transiit ad Lucensem Abbatem paterna jurisdictio. Est autem Adonensis Præpositura in Waradinensi Episcopatu, & ab Episcopali Civitate tribus circiter horis dissita, ad *chrysi* fluentis littus, in Transylvanica provincia, hodiedùm spectabilis in ruderibus, & in vico cognomine. Anno 1516. post funestam cladem illatam Hungariæ Monasteriis, Patres in Comitiis generalibus congregati, ad Hungarorum instantiam, & ad mutuum auxilium, Paternitates Præpositis comprovincialibus restituerunt, & Jazzovio subdiderunt *Adonensem* Ecclesiam.

SANCTA AGATHA.

Sancta Agatha. Fil. Methei Diœcesis Eboracensis Circaria Angliæ.

IN Eboracensi Diœcesi Cœnobium Beatæ Agathæ nuncupatum, nobis portendit Layruelius, quod filiale facit *Methei*, & in Eboracensi agro collocat. Mirum quod Matrem hic indicans, alibi ipsam prætererit. In tota enim sua Monasteriologia *Metheum* non occurrit; in aliis indicibus non reperi; ex quo fonte deprompserit, ignotum cæteris Cœnobium, vir in rebus Ordinis versatissimus, me penitùs latet.

SANCTA AGATHA.

Sancta Agatha Fil. Neuthusi Diœcesis Eboracensis. Circaria Angliæ.

ROaldus Constabularius Abbatiam in honorem Sanctæ Agathæ, secùs *Richmundiam* in agro Eboracensi instituit, & ex parte dotatam auxerunt Ada de *Stavelay*, Alanus Bigot de *Bartone* & Richardus *le Scrope de Bolton* fundorum collationibus. Hos inter benefactores, de munificentia præcipuè commendatur Richardus de *Bolton*, qui annuente Eduardo III. Rege, eodemque approbante, Decem Canonicorum, & duorum Capellanorum præbendas, ultrà numerum præexistentem à fundatione Canonicorum, erexit, assignato ad eorum sustentationem, annuo reditu centum quinquaginta librarum percipiendo de Maneriis *de Brignale*, *Caldewelt*, *Clif* super *Tese*, *Thornton*, *Stiward*, *Brakene*, *Sledme*, *Disfort* & *Middelton-Quernhowe* Eboracensis Comitatùs villis. Tantò autem libentiùs Rex favorem, consensumque suum institutioni piæ accommodavit, quantò majorem ex fundatoris intentione, partem in Mystarum votivis precibus obtinebat, ad salubrem Statûs sui integritatem, ut loquitur in suo Diplomate, quod ad Richardi nuper Cancellarii sui postulationem evulgavit, in hæc verba.

» Rex omnibus ad quos .... salutem. Sciatis » quòd de gratia nostra speciali concessimus, » & licentiam dedimus Richardo *le Scrope de* » *Bolton*, quòd ipse dare possit & concedere » Abbati, & Conventui S. Agathæ in Comi» tatu Eboracensi, quemdam annuum reditum » centum & quinquaginta librarum percipien» dum de Maneriis de *Bringale*, *Caldewelt*, » *Clif* super *These*, *Thornton*, *Stiward*, *Bra*» *kene*, *Sledme*, *Disford*, & *Middelton Quern*» *howe*, cum pertinentiis in Comitatu prædi» cto, quæ quidem maneria de aliis, quam de » nobis in capite immediatè tenentur, ut dici» tur, ad terminos Paschæ, & Sancti Michaë» lis, per æquales portiones, cum sufficienti » clausula districtionis in maneriis prædictis, » habendum & tenendum eisdem Abbati &

» Conventui & successoribus suis in perpetuum, » pro sustentatione decem Canonicorum ca- » pellanorum, ultra numerum Canonicorum » jam in eadem Abbatia communiter existen- » tium, ac duorum capellanorum secularium » Divina pro salubri Statu nostro & hæredum » nostrorum, ac ipsius Richardi & hæredum » suorum dum vixerimus, & pro animabus » nostris cùm ab hac luce migraverimus, & ani- » mabus progenitorum nostrorum, & ante- » cessorum dicti Richardi, & omnium fidelium » defunctorum, juxta ordinationem ipsius Ri- » chardi, celebraturorum; nec non pro susten- » tatione viginti & duorum pauperum in Ab- » batia prædicta inveniendorum & sustinendo- » rum, pro Statu & animabus prædictis, juxta » ordinationem prædictam, ut prædictum est, » oraturorum in perpetuum.... T. Rege apud » *Westm.* XX. die Maii.

Tantæ liberalitati, alteram addidit Richardus idem, quam regali hoc diplomate Rex Eduardus III. comprobavit.

» Rex.... sciatis quòd licentiam dedimus » .... Richardo de *Scrope* nuper Cancellario » nostro, quòd ipse manerium suum in *Promp- » ton* super *Smale* cum pertinentiis, quod de » nobis non tenetur in capite & valet per an- » num in omnibus exitibus, juxta verum va- » lorem ejusdem, libras decem, solidos tres, » & quatuor denarios..... dare possit & assi- » gnare Abbati & Conventui Sanctæ Agathæ » juxta *Richemond*, habendum & tenendum » sibi & successoribus suis. T. Rege apud *West- » muns.* 8. die Maii. Vide prob. à col. LXXXIIJ. » ad col. LXXXIV.

AHIRLOS.

Ahirlos Fil. Turna Diœcesis Vesprimens. Circaria Hungariæ.

HAnc Præposituram in indicibus omissam, lego in Sancitis Comitiorum generalium anni 1516. eamque paternæ autoritati Præpositi Chornensis subjectam. Neque confundendam puto cum *Jurla* quæ Javarinæ seu Joriensis Diœceseos finibus acclusa exhibetur, cùm *Ahirle*, aliàs *Ahirlos*, intra Vesprinienssis Comitatûs ambitum contineatur, vix nomine solo superstes.

AISCKA.

Aischa Fil. Lucæ Diœcesis Varadinens. Circaria Hungariæ.

IMmutato nonnihil nomine *Ockham* apellat Layruelius, *Alskam* verò MS. index Osterhoviensis, Sancti Stephani filialis ab origine, Præposituræ fuit, quæ postmodùm Abbati Lucæ in Moravia, subjecta usque ad excidium permansit.

ALANTRIPA MARNÆ, ALIAS MARIÆ.

Alantripa Marna Fil. Horti-floridi. Diœcesis Groningana. Circaria Frisiæ.

IMprovidè Pagius Præposituram hanc Monialium cum *S. Jacobo in Langen* confundit, ut suo loco probabimus. Ad *Dollarti* fluminis sinum situs erat Parthenon *Ripa marna*, & sub initium seculi XVI. ab æstuante mari submersus interiit. *Illud Monasterium*, inquit Sibrandus Leo, *à rapido fluvio* Dollart *consumptum, modo non exstat. Agri, cæteraque suppellectilia Abbati fundatori in Witteverum cedunt.* Annum diluvii non notat; sed colligitur illud contigisse post annum 1519. ex supplicatione Fratrum & Sororum *Veteris Claustri in Merna*, quâ Joannem de *Auveiller*, Steinfeldiæ Abbatem, rogant, ut Joannem *Clivis*, Præpositum in *Ripa B. Mariæ*, postulatum *Merna* Abbatem, confirmare paternâ sua auctoritate dignetur. Desiisse autem *Ripam Mariæ* ante annum 1570. conjicimus ex charta delegationis datæ anno 1571. Joanni *Gelmunden* Abbati in *Lidlum*, à Jacobo Panhusio Abbate Steinfeldensi, ad visitanda Frisiæ Monasteria, singillatim enumerata; inter quæ *Ripa Mariæ* non legitur in catalogo.

Post famosum anni 1287. diluvium, Visitatores Ordinis in *Ripa Marnæ* invenerunt nonaginta Sanctimoniales superstites ex naufragio, juxta Sibrandum.

ALBA-CURIA.

Alba curia Fil. Marchasii Radulphi. Diœcesis Carnotens. Circaria Pontivi.

NOn longè à Pissiaco (*Poissy*) à Pissiaci inclyto Dynasta Gascone, seu Gastone de *Chaumont*, Franciæ stabuli Comite, ejusque nobili conjuge Æluya de Montmoranciaco, fundatur Albæ-Curiæ Abbatia anno 1180. Arnulphum Abbatem Marchasii-Radulphi, quem Gasto operis sancti voluit habere consortem, fecit & Neo-monasterii patrem, ab eoque submissos Canonicos, & Aymonem coloniæ Ducem destinatum, pactis priùs cum Abbate Columbensi Guimberto, & Euphemia sanctæ Mariæ de Alta-Bruyeria,* ex Fontis-Ebraldi Ordine, Priorissâ, concordatis, induxit tam in possessionem Capellæ, ab Alberico milite quondam extructæ, quàm territorii adjacentis, quod *Alba-Curia*, & passim in chartis veteribus *Curia alborum* dictitabatur. Ab his tenuibus initiis Canonia sumpsit originem: à superadditis tùm

* *Haute-Bruyere.*

à fundatore, tùm à Bouchardo Montmorancii, tùm à Philippo Augusto, beneficiis, perfectionem obtinuit. Anno 1191. Ecclesia decentior à fundamentis excitata, cultui divino, consecratur ab Episcopo Carnotensi * sub invocatione Beatæ Mariæ Virginis.

* Reginaldo de Bar.

I.

Anno 1187. Abbas AYMO conventionem cum Canonicis de Pissiaco pro decimis & novalibus inierat, & anno 1192. ad ejus supplicationem, Philippus Augustus Rex Franciæ, in San-Germani castro existens, & suas, & Gasconis largitiones, nec non aliorum donationes factas Ecclesiæ de Alba-curia, protectoris diplomate confirmavit. Benè & religiosè stabilitam domum rexit Aymo usquè ad annum 1200. & 4. Kalend. Septembris piè in Domino obdormivit.

II.

Anno 1207. JOSSELINUS, concambium fecit * cum Amaurico de Pissiaco; qui pro quinque modiis vini in torculari de *Mulmans* censualiter percipiendis, assignavit Josselino & Fratribus viginti quinque solidos in *redditu, quem hæreditario jure possidebat in Portu de* Melun.

Commutationem novo auxit beneficio, viginti solidos censuales, pro anima uxoris suæ Evæ, conferendo Albæ-curiæ. Gasco & Robertus filii Gasconis Fundatoris, & Simon de *Estonvilla*, suis donationibus pauperculam Albæ-curiæ domum, sed virtutibus locupletem, promovere studuerunt, spiritualia pro temporalibus metentes. Dies exitûs Josselini ad 6. Kal. Septembris in obituario notatur.

III.

DROGO 26 Februarii 1241. fatis functus est. Sub ejus regimine Bochardus Dominus Montismoranciani ratum habuit, anno 1238. legatum octo librarum Parisiensium, quod ejus defuncta soror Aeluya, seu Adelis, Gasconis de Pissiaco conjux, fecerat Abbati Albæ-curiæ, percipiendarum *in traverso cujusdam insulæ, sitæ propè S. Dyonisium quæ* Castelier *dicebatur.*

IV.

GUILLELMUS, anno 1242. à Marguareta uxore Godefridi de Pissiaco militis, accepit pro remedio animæ suæ undecim solidos.

V.

JOANNES DE *MALATURRE*, hujus meminit obituarium ad diem x1. Augusti. *Commemoratio piæ memoriæ Joannis à Malaturre, quondam Abbatis hujus Ecclesiæ.*

VI.

SIMON DE *CRESPERIIS* (Crespieres) jacet ad Sanctuarii gradus sub hoc sepulchrali lapide:

Hîc jacet Dominus Simon de Cresperiis, quondam Abbas istius loci, qui decessit anno 1297. mense Martio. Orate pro eo.

VII.

STEPHANUS, de quo ad v. Nonas Octobris, necrologium: *Com. Domini Stephani quondam Abbatis hujus Ecclesiæ.*

VIII.

JOANNES DE *PONTI-SARA* florebat anno 1330.

IX.

MARTINUS.

X.

GUILLELMUS DE *MANTE*, ex Canonia Grandis-campi assumptus.

XI.

ROBERTUS DE *LUPARIS*, ex Gaudii-vallis obituario moritur 25. Februarii 1391.

XII.

PETRUS, in actis anni 1397. recensitus.

XIII.

THOMAS DE *NEEZET* Gaudi-vallis Canonicus, Abbas eligitur Albæ-curiæ, moritur anno 1403.

XIV.

PETRUS GILBERTUS *PASQUIER*. Obiit anno 1437.

XV.

JOANNES *BRUNEL*, Abbas Marchasii-Radulphi, sed Anglorum hostilitatibus, à suo ruinoso pulsus Monasterio, ad filiæ thorum aspiravit. Factâ igitur priùs Tituli & Paternitatis abdicatione, supplex à Domino Præmonstratensi postulavit, ut ad filialis Ecclesiæ regimen, inops pater eligeretur; non per Religiosos Albæ-curiæ, qui aut bello, aut fame perempti, vacuum fecerant locum, sed per Jacobum Abbatem Gaudii-Vallis, & Joannem de *Hamo* Baccalaureum Sorbonicum, Priorem Collegii Parisiensis compromissarios electionis à Domino Præmonstratensi deputandos. Favit Abbas Generalis: faverunt Electores, in domo Sanctæ Trinitatis Parisiensis congregati, & 25 Aprilis 1437. exulem & profugum patrem induxerunt electione canonicâ, in filiæ amplexus. Ididem decessit 9. Novembris 1460.

XVI.

JOANNES *ANQUERRAND*, impetravit à Ludovico XI. ex speciali gratia, sed fundationibus regiis (de quarum numero Albam-curiam esse Rex judicabat) haud indebitâ, ut omnes intentandæ lites, in palatio instruerentur, terminarenturque, sive ut actor, sive ut deffensor, Abbas compareret. Istud Diploma, quod *committimus*, nunc vocant, datum fuit 12 Maii 1476.

XVII.

RADULPHUS de *PELLEGUE*, primâ Novembris obiit, 1495.

XVIII.

PETRUS *CARRE'* ex Dominicano Præmonstratensis, post votorum nuncupationem declaratus est successor Radulphi de *Pellegue*, adiitque Abbatiam ex spontanea possessoris cessione, anno 1487. Regi fuit ab Eleemosynis & ab intimis consiliis. Anno 1491. ad Episcopatum Arausicanum provectus, priorem abdicavit infulam, in favorem Simonis de *Maugrion*.

XIX.

SIMON DE *MAUGRION*, ad chori ostium tumulatus, hoc Epitaphium in lapide præfert.

Ci gist R. P. en Dieu Frere Simon de Maugrion, Abbé de ceans, qui trépassa le Vendredy x. jour de Juin MDXIX. Priez Dieu pour lui.

XX.

PETRUS LE *COURTILLIER*, electorum ultimus, obiit 23. Januarii 1554. Cæteri Abbates ex nominatione regia, quamvis regulares, Abbatiam obtinuerunt.

XXI.

PETRUS DE *LA BERTECHE*, Ordinem sancti Benedicti profiten s, ne professionis mutaret habitum, nunquam invisit Abbatiam, cujus proventus fecit suos usque ad annum 1584.

XXII.

JOANNES DE *LA SALLE*, filius Joannis, Regii castri San-Germani in Laya Gubernatoris, Præmonstratensi militiæ, post nominationem regiam inscriptus, eâ pietate vixit, eâ sagacitate rexit, ut manes ejus lapideo hoc encomio fuerint prosecuti Canonici Alba-curienses:

» Adsta viator, & specta mortalis viri, imò
» Jam mortui, humiles reliquias.
» F. Joannes de LA SALLE hîc jacet
» Archimandrita hujus domûs;
» Qui ingenio elegans, sanguine clarus, moribus conspicuus, pietate ultrà tempora mirabilis, in caula, non in aula, cum grege, non cum Rege, suam vitam exercuit,
» Solitudinis amator & sectator ingens,
» In qua crevit, adolevit & sepultus est.
» Fratrum suorum amantissimus, cum quibus vixit, & ex æquo. Nam ut primus honore, ita præcipuus in labore, domûs curas, & orationum horas, unà tractans fortiter & industriè, atque ut par esset fratribus, nec minus utilis, eremi vestem induit, albusque conscientiâ, albam togam accepit lubens. quid hoc facto humilius? Sed viator quid vilius, & hoc seculo rarum magis? fecit quod bonum Abbatem decuit: tu fac quod bonum Christianum; & viro bono, bonam partem adprecare. Salve, & vale.

XXIII.

LUDOVICUS DE *SOPPITE*, Ordinis assumpto habitu, & professione factâ, reformationem sui Monasterii aggressus est, vocatis in auxilium PP. *de la Belliere* Baccalaureo Sorbonico, Andreâ *de la Forge*, & Joanne *de la Marre*, Canonicis sancti Joannis Ambianensis, quibus coadjutoribus disciplinam instauravit. Die 8ª. mensis Octobris anni 1661. Obdormivit in Domino.

XXIIII.

JOANNES DE *PENILLON*, Facultatis Parisiensis Doctor Regi à consiliis & eleemosynis. Laudabilem vitæ cursum ex hac funebri & encyclica epistola intelliges.

» Anno 1702. die 20. Octobris, mediæ noctis silentio, obdormivit in Domino R^dus Pater ac Dominus Joannes-Baptista de Penillon, Abbatiæ Regalis sanctæ Mariæ de Albacuria Religiosus expressè professus, & dignissimus Abbas, omnium Præmonstratensis Ordinis Abbatum senior & honor, ætatis suæ anno 80. professionis canonicæ 62. Sacerdotalis dignitatis 55. Abbatialis 41. Præstanti in corpore virtus & forma quædam infulis digna, Regi Christianissimo gratum fecere & acceptum. Confratribus suis mansuetudo reddidit amabilem; pietas imitabilem præstitit; religio venerabilem constituit: quibus tùm verbo, tum exemplo præfuit & profuit; imò & exteris omnibus factus est Christi bonus odor in omni loco, in aula & in caula. Ut dispensator fidelis & prudens patrimonii Christi, restituit decorem templi & suffulsit: ædes Abbatiales ab imis cœpit ædificare, & sumptibus magnis consummavit. Extremis vitæ bilustris, quia placita erat Deo anima ejus, paralisi, cœcitate, aliorumque morborum tentatione probatus & examinatus, dissolutionem sui corporis imminere persentiens, brevique se iturum ad domum æternitatis suæ, in patientia possidens animam suam, benedicebat Domino, lætabundo similis, & in alieno corpore periculum obeunti; sæpiùs ingeminans, secundùm multitudinem dolorum suorum, consolationes divinas lætificare animam suam, & in Domino sperantem se non confusum iri in æternùm, sed morte justorum moriturum. Suscepto tandem matris Ecclesiæ Sacramentorum solamine, medios inter Fratrum ploratus & ululatus multos, plenus dierum in pace decessit.

XXV.

F. MICHAEL *BRODE*, Theologiæ Licentiatus in alma Facultate Parisiensi. 15. Febr. obiit anno 1714.

XXVI.

FRANSICUS DE *RAIMBERT*, Canonicus Præmonstratensis Hermeriarum, Baccalaureus Sorbonicus, primùm Renemolii Prior curatus intra ambitum Vivarii Versalliensis, anno 1715. Abbas à Rege renuntiatus, claustralium locorum ædificationi totus incumbebat anno 1719. quod nos læti vidimus & aggratulati sumus.

PASTORATUS ET BENEFICIA.

NOstra Domina Ayæ-Comitis (la Haye-le-Comte) parochia Diœcesis Ebroïcensis.

S. Joannes de *Laleu*, beneficium simplex, ejusdem Diœcesis.

Sanctæ Radegundis Prioratus item simplex in Suburbio Sancti Germani in Laya, Diœcesis Parisiensis.

Sanctus Ægidius, Prioratus simplex propè Albam-curiam Diœcesis Carnotensis.

Canonicatus in Collegiali Ecclesia Pissiaci annexus Abbatiæ.

RELIQUIÆ SAGRÆ.

Unam tantummodò recensebimus per se memorabilem & ratione donatricis Annæ ab Austria, Francorum Reginæ, tutissimam. Portio est ossea Beatæ Annæ matris Beatissimæ Virginis Mariæ. Crebra miracula & fastis Albæ-curiæ consignata, veritatem sacri hujusce pignoris attestantur. Ab illorum enumeratione, brevitati consulentes, abstinebimus.

MONUMENTA SEPULCRALIA.

In medio chori, incisæ saxo statuæ Gasconis & Aeluyæ de Montmoranciaco ejus conjugis, Rithmico hoc elogio funebri exornantur.

Dominus Gasco, cum muliere hîc jacet;
In cinere, & vermibus ambo cibus.
Miles famosus, audax, fortis, gratiosus,
Laudabilis, morosus, mitis, sapiens, speciosus,
Progenie Regis nobilis, hic fuit oriundus.
Quem tu terra tegis, homo Christi crimine
mundus,
Justus, mansuetus, mundi carnalia sprevit;
Adversis lætus, omni virtute repletus,
Gasco de Domibus.

Aquilam in casside habet, gentilitia familiæ arma; jam verò quibus titulis suffulciatur regia progenies, ex qua originem Gasconis Encomiastes deducit, necdùm potui laboribus & lectionibus meis assequi. In Duchesnio & Anselmo scrupulosis Familiarum indagatoribus, pauca vidi, licet multa legerim; imò dubium ingessit Anselmus, dùm ex conjuge Aeluya dicit manasse in Gasconem Dynastiam Pissiaci; cùm aliundè non constet mihi penès Montmoranciacos illam aliquando patrimonialiter fuisse: nec credibile sit abjecto familiæ nomine *de Chaumont*, Gasconem assumpsisse cognomentum Pissiaci, ob adductam ex matrimonii tabulis Pissiaci toparchiam. Sagacioribus scrupulum propono, opus nunc persequor. Sunt & alia ejusdem generis Epitaphia: unum Guillelmi de Pissiaco: alterum Simonis de Pissiaco denati anno 1328. die Festo Cathedræ sancti Petri, in Februario. Tertium est Joannæ de Pissiaco sponsæ Domini de *Gaucourt*, demortuæ anno 1373. collateralem habet sui conjugis tumbam, sub hac inscriptione.

Ici gist noble homme Messire Jean de Gaucourt Sieur de Maison, qui trépassa L'an de grace MCCCLXXXIII. le Dimanche premier de Febvrier.

Icy gist Monseigneur Hue de Crespieres Chevalier la jeune Reine: Priez Dieu pour ly, que Dieu mercy ly face. Vide Probationes à col. LXXXV. ad col. LXXXIX.

ALBÆ DOMINÆ.

Albæ Dominæ Diœcesis Trajectensis. Circaria Frisiæ.

MOnialium Ordinis Abbatia in urbe Trajectensi, juxta portam *Witte-Vrouwen-poort*, ad finem 13 seculi, nobilitate & ædificiis famosa, nunc in suis penè ruderibus spectabilis, nec fundationis suæ annum certum, nec fundatorem nominatim suum, imò nec matrem cujus est propago, ex superstitibus tabulis indicat. Giselbertum de *Amestele*, nobilis hujus Abbatiæ institutorem anno 1289. frustra venditat *Vanhusen*, cùm ex charta donationis præxistentem conventum colligas, non verò erigendum suspiceris. Sic enim habet.

Episcop. Traject. p. 59.

» Ego Giselbertus Dominus de *Amsteile* » miles, notum facio universis præsentes litteras visuris, quòd dedi Conventui Albarum » Dominarum in Trajecto apud quas filia mea » Elisabeth in consororem & monialem est re- » cepta, omnem decimam meam majorem & » minutam in *Bodegraven* purè & simpliciter » propter Deum in eleemosynam perpetuò » possidendam. Volo autem & constituo, quòd » dictæ Elisabeth filiæ meæ tres libræ, & Elisa- » beth de *Insula*, moniali prænominati loci, » quæ jam dictæ filiæ meæ præest, una libra de- » nariorum in Trajecto usualium dentur de su- » pradictis decimis, quoad vixerint annuatim. » In cujus rei testimonium duxi sigillum meum » præsentibus appendendum. Datum anno Do- mini

» ni MCCLXXXIX. Feriâ quintâ post festum » Beatæ Agathæ.

Titulus Abbatiæ, quo Parthenium illud passim à Scriptoribus insignitur, singularis est in Ordine, nec aliundè, quam à vulgi arbitrio credidissem inolevisse, nisi in membranis Necrologi, Abbatissæ nomen fuisse Magistris assertum, legissem. An ab origine, an ab usurpatione irrepserit? dicere non ausim, secundùm primitivam Ordinis legem, ab Abbatissis non consuesse regi, Virginum monasteria, in dubium est; sed fortè legem emendavit hîc ut alibi, disciplinæ provida innovatio.

ALBEI.

Albei. fil. S. Stephani. Diœcesis Vaciensis. Circariæ Hungariæ.

PRæpositura Diœcesis Vaciensis, quam omisit Pagius, errore crasso; etenim illam legere potuit in Capitulorum generalium Decretis, vel saltem ex Layruelii Optica nancisci. Matrem habuit *Albeiensis* Præpositura, *sancti Sthephani* Ecclesiam.

ALDENBERGA.

Aldenbergæ Cathedralis Ecclesia.

ECclesia Cathedralis Aldenbergæ asseritur Ordini nostro ab omnibus penè catalogis, tam editis, quàm manuscriptis. Sic porrò ad Ordinem transisse præbendas Canoniales, post restitutum Episcopatum, ab annis octoginta quatuor vacantem, scribunt nostrates Historici. * Vicelinus à S. P. Norberto presbyter consecratus, & Religioni suæ mancipatus, ad Slavos Apostolus transiit; ubi post revocatam gentem ab infidelitate patria, ad Episcopatum Aldebergense, procurante & inaugurante Hartwico Archiepiscopo Bremensi, sublatus est anno 1153. (a) Canonicos Præmonstratenses ad suam accersivit Ecclesiam, Assentiente Henrico Leone, qui in Norberti alumnos propensioris erat animi, ut palam in Evermodo Raceburgensi Præsule, beneficiis assiduè cumulato, demonstravit.

* Chronic. Lubecens. apud Meimb. p. 394. Waghenare in Supplem. S. Norb. Patriarchæ. p. 515. Layruel. in Catalog. monaster. p. 419.

Vicelinus quinque annis, & hebdomadibus novem exactis in Episcopatu, humanis exemptus est, & in ejus locum suffectus Geroldus Ducis Henrici Capellanus, scripturis divinis & scientiâ sic imbutus, ut nullum haberet parem Saxonia. Hic Lubickam profectus, in foro publico Dei verbum prædicavit, convertit ad fidem populum, & ex illius conversione, in eam gentem proclivior factus, de deserenda Aldenburga continuo paganorum afflicta incursu, & de transferenda Episcopali sede in urbem Lubickensem populosam, seriò deliberavit. Applausit consilio Dux Henricus, & assignatâ duodecim Fratribus Canonicis, ad victum sufficienti dote, migravit Lubeckam Geroldus, quarto Episcopatus sui anno, æræ christianæ 1162.

Hæc narratio antiquis indicibus, & Agialogis Ordinis nostri subnixa, ex circumstantiis dubia evadit; nam licet à B. P. Norberto consecratus fuerit presbyter Vicelinus, non constat certis argumentis, eum Ordini Norbertino fuisse per vota dedicatum; imò monasterium Sigebergense quod erexit, non Præmonstratense, sed Augustinianum profitebatur institutum: Et ex illo sicut & ex alio, *Faldera, seu Novum Monasterium* dicto, cooperatores Episcopatûs sui Fratres advocabat Vicelinus, ut testatur ejus vita versibus antiquis scripta, à Canonico Falderensi; & ex compendio vitæ, & translationis ejusdem, à Canonico etiam Falderensi exarata, Tom. I. Script. Brunsvic. Leibnitii, prima quidem p. 774. altera verò pag. 780.

Præterea Chronographi, qui de Aldembergæ Episcopatu scripserunt, Helmoldus, Crantzius, Arnoldus, & alii, de Præmonstratensibus Canonicis in Aldembergam invectis à Vicelino, non loquuntur, quin potiùs innuunt, illius Cathedralis Canonicos, Ordini S. Augustini fuisse adscriptos.

S. ALEXIUS.

S. Alexius filius Præmonstrati Diœcesis Romanæ. Circariæ Romanæ.

IN Monte Aventino vetus & venerabilis erat Basilica sanctis Alexio & Bonifacio sacra, sed injuriâ temporum sacerdotalibus penè destituta officiis, dum Sergius Damasci Metropolita, à Saracenis pulsus, Romam appulit exul; illum pro sua humanitate excepit Benedictus VII. Pontifex, & Basilicam SS. Alexii & Bonifacii, ad secessum postulanti, Sergio concessit anno 975. Nec mora Sergius Basilicam convertit in monasterium, & florentem S. Benedicti regulam collectæ imposuit Fratrum coloniæ. Viguit disciplinæ regularis forma sub Abbatum regimine, & cæteris Romæ monasteriis exemplar vivendi exstitit potissimùm famosissimo Leone Abbate, ad quem Adalbertus Bohemorum Apostolus, ab effera gente Pragâ ejectus, se recepit anno 990. ibi monastico indutus habitu, summâ cum laude vixit, donec Pragam

Baron. ad an. 977. Annali. Bened. T. 3. pag. 655. T. 4. p. 68. & seq.

(a) Huic Chronologiæ adversatur duplex vita Vicelini, quarum mentio fit in fine hujus articuli: Ex illis enim Vicelinus inauguratus est Episcopus anno 1149. & morte sublatus anno 1154. id. Decembris, quibus concinit Helmoldus in Chronico Slavorum, cap. 78. apud Leibnit. tom. 2. Scriptor. Brunsvic. pag. 600.

unanimi civium revocatus desiderio, redire, Synodi Romanæ decreto & Joannis XV. autoritate accedente, compulsus est, anno 994.

Seculo XII. cadente mutavit Religio, & præsidentium mores ad laxiorem vitam resoluti, in dissolutionem traxere monachos. Tentatam reformationem à summis Pontificibus, de quorum proprietate erat Abbatia, elusit indurata liberiùs vivendi licentia; adeo ut rescando penitùs inveterato malo, spes alia non affulgeret, nisi ad alienos transferretur hæreditas, qui fructum facientes, inspersam loco sancto labem, boni nominis odore & Religionis observantiâ, eluerent. Ad Præmonstratenses, tum in Italia laudabilem, & in omnium ore laudatam agentes vitam, aciem mentis providè direxit Gregorius IX. & Conradum Ordinis gestantem habenas, Romam evocatum, hujus sui voti jubet esse promotorem; jubenti paruit Conradus, & accepto diplomate sequenti, reversus Præmonstratum, agmen Fratrum illicò transmisit Romam, quos Gregorius, eliminatis Benedictinis, in sancti Alexii monasterium induxit.

Gregorius Episcopus Servus servorum Dei, dilectis filiis Abbati & Conventui salutem & Apostolicam benedictionem. Officii nostri credimus laudabiliter prosequi actionem, cùm nos, quibus omnium Ecclesiarum est sollicitudo commissa, de iis quæ ad jus & proprietatem beati Petri pertinere noscuntur, specialiter cogitamus sicut earum necessitati & utilitati dignoscitur expedire. Attendentes ergo non modicum lapsum monasterii sancti Alexii de Urbe, Sedis Apostolicæ specialis, positi in loco qui Mons Aventinus vocatur, & cupientes illud in spiritualibus & temporalibus, sicut indiget, in melius reformari. Cùm Religio vestra, cujus bonus odor longè latèque diffunditur, Deo sit & hominibus gratiosa, de Fratrum nostrorum consilio, monasterium ipsum cum omnibus Ecclesiis, possessionibus, juribus & pertinentiis suis, salvo censu Romanæ Ecclesiæ debito, ac servatâ ipsius monasterii libertate, vobis vestrisque successoribus præsenti privilegio duximus concedendum, ità quòd Abbas, Canonici & Conversi ejusdem, qui pro tempore fuerint, Regulam & Ordinem Præmonstratensem tenere debeant inviolabiliter; ac tu, fili Abbas, & Successores tui, visitandi, corrigendi & reformandi secundùm Ordinis statuta plenam habeatis ibidem, & liberam potestatem. Nulli ergò hominum, &c. Si quis autem, &c. Datum Laterani VIII. kal. Februarii 1231. Pontificatûs nostri anno IV.

Ad annum 1425. stetit illic, & floruit Ordo Præmonstratensis, qui tandem authoritate Martini V. Pontificis discedere coactus est, ut locum faceret Lupo Olivetano, Congregationis Hieronimitarum generali quondam Magistro, postea monacho Carthusiensi, denique ad pristinum reverso institutum, cui & novas leges vivendi dixerat; illum Martinus V. Parisiis vacans Theologiæ, studiorum habuerat comitem; & inde fovebat ut amicum, cui ut azilum, adversus infensos & obstrepentes Hieronimitanos Eremitas, honestum daret, in sancti Alexii Monasterio collocavit, Præmonstratensium procul amandato conventu. Ad hæc tempora ibidem subsistunt Hyeronimitæ, & ne vestigium Præmonstratanæ Religionis antiqua reclamet jura, Nicolai *ABBATIS-VILLÆ*, Præmonstrati Archimandritæ anno 1241. XI. kal. Augusti Romæ denati, & in sarcofago S. Bonifacii à parte dextra Ecclesiæ sepulti, tumulum inscriptione ornatum abraserunt. Onuphrius in Chronic. Mauroli de Ordine Religi.

Franciscus à *LONGO-PRATO* ad Ordinis proëdriam assumptus, & Ordinis utilitati & decori totus invigilans, monasterium Romæ instaurandum judicavit, ut negotiis Ordinis, personarum tranquillitati, disciplinæ incolumitati foret denuò meliùs consultum. Vota sua Paulo V. Pontifici per ablegatos oratores insinuavit, & propitium esse rogavit supplicibus litteris optimus & suasivus Abbas: supplicem exaudivit benignus Pontifex; & Ecclesiam SS. Petri & Marcellini, titulo Cardinalis insignem, ad sedem monasterii assignavit, eâ conditione, ut totus Ordo ad dotem conferret mille quingenta auri scuta pro redditu annuo. Bullam his pactis, variisque ornatam privilegiis, emisit Paulus V. 8. idus Novembris anno 1609. hoc tenore.

Bulla Pauli V. P. Max. pro Monasterio Ord. Præmonstratensis in Urbe Roma erigendo 1609.

Paulus Episcopus Servus servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam, ad fructus uberes quos dilecti filii Canonici Regulares Præmonstratensis Ordinis, eorum exemplari vitâ moribusque ad præclaras virtutum laudes compositis, in vinea Domini Sabaoth proferre non cessant, debitum respectum habentes, & attentè considerantes quòd Ordo hujusmodi à B. illo Norberto tot miraculorum gloriâ illustri, divino instinctu ante quingentos annos institutus, & per Sedem Apostolicam approbatus, inter alios similium Canonicorum Ordines veluti præclarum flumen à perenni cœlestium Paradisi amœnitatum fonte per diversas mundi partes profluxit, & quamplurimos viros litterarum scientiâ, ac etiam vitæ sanctitate, miraculorum splendore fulgentes protulit. Dignum, quin potius debitum reputamus, ut Ordo ipse cum personarum regularium sub ejus vexillo virtutum Domino famulantium, commoditate, & spirituali consolatione, & in dictæ sedis conspectu nostræ provisionis ministerio propagetur. Cùm itaque in alma Urbe nostra, quæ Beatorum Petri & Pauli, ac infinitorum aliorum Christi Martyrum sanguine decora, atque Catholicæ Religionis caput, & Romani Pontificis Sedes existit, ac in ea cæ-

teri Ordines Regulares per Sedem eandem approbati, singula, & nonnulli eorum plura domicilia cum non exiguo decore dictæ Sedis retineant, Præmonstratensis Ordo præfatus, nullum adhuc monasterium aut Ecclesiam recepit, & propterea negotia felicem directionem Ordinis, ac illius personarum hujusmodi tranquillitatem, nec non Ecclesiarum monasteriorumque, rerum quoque & bonorum primodicti Ordinis manutentionem & conservationem concernentia, quæ crebra & gravia præfatis Canonicis cum dicta Sede tractanda occurrunt, non levia incommoda patiuntur: Ecclesia autem SS. Petri & Marcellini de eadem Urbe, quæ una ex antiquioribus illius Ecclesiis & titulus Presbyteri Cardinalis existit, ac in qua quatuor duntaxat canonicatus, & præbendæ seu totidem perpetua simplicia beneficia ecclesiastica, Canonicatus nuncupata, fore dignoscuntur, debitis obsequiis, & servitiis careat, in eaque divinus cultus non vigeat, & si dicta Ecclesia prædicto Ordini ad effectum juxtà eam unum monasterium dicti Ordinis construendi (ut infra) concederetur, profectò hâc ratione divini cultûs in ipsa Ecclesia restitutioni seu augmento, nec non Ordinis propagationi, illiusque Canonicorum commoditati, & spirituali consolationi, ac Sedis & Urbis hujusmodi splendori, plurimùm consultum foret, ac prædicti Canonici eidem monasterio unum redditum annuum mille & quingentorum scutorum auri, in auro ex bonis prædicti Ordinis assignaret. Nos maturâ super his deliberatione præhabitâ, singulares personas dictorum Canonicorum à quibusvis excommunicationis, suspensionis & interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis, â jure vel ab homine, quâvis occasione vel causâ latis, si quibus quomodo libet existunt, ad effectum duntaxat præsentium consequendum harum serie solventes, & absolutas fore censentes, motu proprio, non ad ipsorum Canonicorum vel alterius pro eis nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate Ecclesiam præfatam unà cum ejus campanis, calicibus, patenis, libris, crucibus, vasis, sacris reliquiis, thecis etiam argenteis, cæterisque paramentis & ornamentis, ac universâ supellectile, nec non parvâ arcâ illi contiguâ primodicto Ordini ad effectum juxta eam unum monasterium cum claustro, cimiterio, refectorio, dormitorio, hortis, hortalitiis aliisque membris & officinis necessariis & opportunis construendi, duntaxat titulo Presbyteri Cardinalis ac canonicatibus & præbendis seu beneficiis, illorumque, ac ejusdem Ecclesiæ bonis proprietatibus possessionibus, censibus, fructibus, reditibus, proventibus, juribus, obventionibus & emolumentis universis salvis, & in eo in quo nunc reperiuntur statu remanentibus, Apostolicâ authoritate, tenore præsentium sine alicujus præjudicio concedimus & assignamus, ipsumque monasterium, ex nunc prout ex tunc, & è contra postquam sic constitutum fuerit, licet redditus hujusce modi assignatus extiterit in monasterium regulare prædicti Ordinis pro uno Abbate perpetuo, qui tam hâc vice, quàm quotiescumque deinceps perpetuis futuris temporibus monasterium prædictum vacare contigerit, per Canonicos ejusdem monasterii pro tempore existentes, servatâ formâ canonum statutorumque & rituum primodicti Ordinis ab eadem sede etiam approbatorum, eligi & confirmari debeat. Ac mitrâ, baculo, annulo, sandaliis, cæterisque insignibus pastoralibus, in dicto monasterio uti, nec non calices, corporalia, thecas, patenas, vestes, pallas, casulas, tabernacula, urceos, ac campanas, ac in quibus sacri olei ac chrismatis usus requiritur, alia vasa atque paramenta & ornamenta ecclesiastica, juxtà privilegia primodicto Ordini, ejusque Abbatis desuper à dicta sancta Sede concessa, & postmodum præfatâ authoritate approbatâ & confirmatâ, quatenùs sint in usu, nec sub ullis revocationibus comprehendantur, & non aliàs pro usu dictæ Ecclesiæ duntaxat, benedicere, & post missarum, vesperarum, matutinorum officia benedictionem solemnem super populum inibi præsentem, prout alii Abbates dictæ Urbis usum mitræ & baculi potestatem habentes, elargiri solent; dummodo tamen Cardinalis titularis ibi præsens non sit, vel si affuerit, ejus ad hoc accedat assensus, & non aliàs, similiter elargiri, nec non cimiterium, & alia loca ipsius monasterii divino cultui dicanda per aquæ priùs ab aliquo Catholico Antistite gratiam & communionem dictæ Sedis habente, benedictæ aspersionem, si ea quoquo modo pollui contigerit, reconciliare liberè & licitè valeat, nec non competente numero, saltem 12. Canonicorum primodicti Ordinis qui inibi in spiritu humilitatis, & sub regularis vitæ disciplina divinis laudibus insistere, necnon conventuales ac alias missas decantare & celebrare, aliaque divina officia, nocturna pariter atque diurna etiam decantare, & sub obedientia pro tempore existentis Abbatis dicti monasterii erigendi, perpetuò degere debeant, authoritate & tenore præfatis, & sine alicujus præjudicio erigimus & instituimus, illique sic erecto & instituto, pro ejus dote ac Abbatis & Canonicorum inibi pro tempore degentium sustentatione, onerumque ipsius monasterii supportatione, redditum præfatum etiam ex nunc prout postquàm assignatus fuerit, prout præfertur, ita quòd liceat Abbati & Canonicis monasterii erigendi hujusmodi pro tempore existentibus, corporalem, realem & actualem possessionem bonorum in quibus ipse redditus consistet, per se vel alium, seu alios eorum ac dicti monasterii erigendi nominibus, propriâ authoritate apprehendere, eundemque redditum, necnon eleemosynas & oblationes ipsi monasterio seu

Ecclesiæ pro tempore faciendas percipere, exigere, & levare ac in suos communes, ejusdemque monasterii usus & utilitatem convertere, cujusvis licentiâ minime desuper requisitâ, Apostolicâ authoritate & tenore præfatis applicamus, & appropriamus; nec non Superioribus primodicti Ordinis unum Abbatem & competentem numerum Canonicorum hujusmodi, in dictum monasterium introducendi licentiam & facultatem tribuimus & impartimur. Insuper monasterio erigendo hujusmodi, illiusque Abbati, Canonicis & personis pro tempore futuris, ut omnibus & singulis privilegiis, prærogativis, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, facultatibus, indultis & gratiis, tam spiritualibus quàm temporalibus, quibusvis aliis monasteriis seu Ecclesiis primo dicti Ordinis illorumque Abbatibus, Prioribus, Superioribus, Canonicis & personis in genere vel specie, etiam per viam communicationis & aliis quomodolibet concessis, ac quibus illa & illæ de jure, usu, consuetudine, aut ex privilegio aut aliàs utuntur, fruuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, frui, potiri, & gaudere possunt & poterunt quomodolibet in futurum, similiter & pariformiter, ac sine ulla prorsus differentia, uti, frui, potiri, & gaudere liberè & licitè valeant, in omnibus & per omnia perinde ac si illa monasterio erigendo illiusque Abbati, Canonicis, & personis hujusmodi specialiter & expresse concessa essent, authoritate Apostolicâ & tenore præfatis indulgemus, eidemque Abbati quæcumque statuta, ordinationes, capitula & decreta ac monasterii erigendi illiusque personarum hujusmodi ac rerum & bonorum spiritualium & temporalium curam, regimen & gubernium, directionem & administrationem, ac eorumdem Canonicorum receptionem, ætatem, qualitatem, victum, amictum, instructionem, directionem, disciplinam, nec non modum & normam recitationis divinorum officiorum, precum, orationum & aliorum suffragiorum pertinentia, & aliàs utilia, licita tamen & honesta, sacrisque canonibus & Concilii Tridentini decretis atque institutis regularibus primo dicti Ordinis non contraria à nostro, & pro tempore existentis Romani Pontificis in dicta Urbe Vicario in spiritualibus generali examinanda, & approbanda, faciendi & condendi, ac quoties pro eorum & temporum qualitate expedire videbitur, illa mutandi, corrigendi, moderandi, reformandi, & alia ex integro, præviis tamen examine, approbatione hujusmodi, condendi, plenam, liberam & omnimodam facultatem & potestatem authoritate Apostolicâ & tenore similibus concedimus & impartimur. Postremò monasterium erigendi, illiusque Abbates, Canonicos & personas hujusmodi omniaque & singula pro tempore futura eorum bona, prædia, domos, possessiones, casalia, terras, vineas, jura, census ac alia quæcumque mobilia & immobilia ac se moventia bona, fructusque & emolumenta quæcumque inde provenientia, tam in dicta Urbe quam extra eam ubilibet locorum consistentia, ab omnibus & singulis datiis, gabellis, vectigalibus, impositionibus, collectis, pedaciis, angariis, proangariis, cavalcatis, equitatibus, taliis, belletinis, tractis, commissariis eorumque salariis, satellitum & aliorum etiam militum sub vexillo S. R. E. militantium & stipendiatorum ac quarumcumque aliarum personarum, hospitum, nec non subsidiis donativis & aliis quibuscumque oneribus, ordinariis & extraordinariis tam realibus quam personalibus & mixtis, etiam ratione grani, vini, olei, animalium vivorum & mortuorum, & aliorum quorumcumque obsoniorum, tam per mare & aquas ductorum, quàm per terram, undecumque ad Urbem præfatam, tam pro victu & vestitu quam quocumque alio usu suo referendorum & conducendorum, ac molitura grani, & perceptione salis, nec non quorumcumque fructuum, tam ex propriis eorum fundis quàm aliorum colligendorum, similiter pro suo usu emendorum, cujuscumque generis, speciei, & qualitatis existentium ac etiam ex urgentissimis causis per quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores nostros, ut etiam nos, & Sedem præfatam impositis & quomodolibet, imponendis, quæ hic etiam pro sufficienter expressis haberi volumus, illorumque solutionibus & contributionibus authoritate Apostolicâ & tenore paribus, penitùs & omnino eximimus & liberamus, mandantes & districtè præcipientes dilectis filiis moderno, & pro tempore existenti Cameræ Apostolicæ Camerario, Præsidentibus, & Clericis ac Commissariis, Agentibus & Officialibus quibuscumque ne deinceps perpetuis futuris temporibus, Abbatem & Canonicos ac personas hujusmodi in præmissis & circa ea, directè vel indirectè, quovis prætextu seu quæsito colore, vel ingenio, molestare, perturbare, vexare, inquietare & quoquo modo impedire audeant seu præsumant; sed præmissa ab omnibus inviolabiliter faciant. Decernentes easdem præsentes sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus aut aliis contrariis dispositionibus, etiam per nos & successores nostros Romanos Pontifices pro tempore existentes, & Sedem præfatam sub quibuscumque verborum formis & expressionibus, ac cum quibusvis Conciliis & decretis pro tempore faciendis nullatenùs comprehensas, sed semper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum & validissimum statum restitutas, repositas & plenariè reintegratas, ac de novo etiam sub quacumque data posteriori per Abbatem & Canonicos præfatos quandocumque eligendos concessas, semperque validas & efficaces existere ad suos plenarios & integros effectus, sortiri & obtinere tie-

que in præmissis, &c. Et ita per quoscumque judices quâvis authoritate fungentes, etiam causarum Apostolici palatii Auditores ac ejusdem S. R. E. Cardinales sublatâ eis, & eorum & quâvis authoritate aliter judicandi & judicari & definiri debere irritum quoque & inane si secus super his à quoquam quâvis authoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca venerabilibus Fratribus nostris Patriarchæ Hierosolimitano, & Episcopo Loanensi, ac dilecto filio Curiæ causarum Cameræ Apostolicæ generali Auditori, per Apostolica scripta motu simili mandamus, quatenùs ipsi vel duo aut unus eorum per se, vel per alium, seu alios præsentes litteras, & in eis contenta quæcumque, ubi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte dictorum Canonicorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant authoritate nostrâ præsentes litteras, & in eis contenta hujusmodi ab omnibus ad quos spectat, & pro tempore spectabit inviolabiliter, observari, nec non præfatos Canonicos eorumque singulos illis pacificè frui, & gaudere, non permittentes illos vel quempiam ipsorum desuper per quoscumque quomodolibet, indebitè molestari, contradictores quoslibet & rebelles per sententias, censuras & pœnas ecclesiasticas aliaque opportuna juris & facti remedia, appellatione post positâ, compescendo, ac legitimis super his habendis, servandis processibus, sententias, censuras & pœnas ipsas, etiam iteratis vicibus, aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, non obstante Constitutione, felicis recordationis, Bonifacii PP. VIII. Prædecessoris nostri, in qua cavetur ne quis extra suam civitatem vel diœcesin, nisi in certis expressis casibus, & in illis ultra unam dietam à fine suæ Diœcesis ad judicem evocetur; seu ne judices à dicta Sede deputati, extra civitatem vel diœcesin in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere, aut alii vel aliis suas vices committere audeant, seu præsumant, & in Concilio generali edita de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis authoritate præsentium ad judicem non trahatur, & aliis Apostolicis constitutionibus, nec non Ecclesiæ SS. Petri & Marcellini Urbis, Ordinis hujusmodi juramento confirmatis, Apostolicâ vel quâvis aliâ firmitate roboratis statutis & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis & litteris Apostolicis Ecclesiæ SS. Petri & Marcellini ac Urbe præfatis, nec non dilectis filiis Populo Romano, aliisque Superioribus & personis sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus & insolitis clausulis, irritantibus & aliis decretis in genere vel specie aut aliàs quomodo libet concessis, approbatis & innovatis, quibus omnibus & singulis pro illorum sufficienti derogatione aliàs de illis eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua exquisita forma ad hoc servanda foret tenore hujusmodi ac si de verbo ad verbum nihil penitùs omisso, & formâ in illis traditâ observatâ inserti forent, præsentibus pro similiter sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hâc vice duntaxat, harum serie specialiter & expressè derogamus cæterisque contrariis quibuscumque, aut si aliquibus communiter & divisim ab eadem sit Sede indultum quòd interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrarum, absolutionis, concessionis, assignationis, erectionis, institutionis, applicationis, appropriationis, tributi impartitionum, indulti, voluntatis, exemptionis, liberationis, præcepti, decreti, mandatorum, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac BB. Petri & Pauli Apostolorum se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ 1609. Octavo idus Novembris. Pontificatûs nostri anno quinto.

SCIPIO DE URSINIS.
Locus Plumbi
SCIPIO COBELLUTIUS.

Tantos tamque laudabiles Francisci Abbatis Generalis conatus, tam beneficos summi Pontificis in Ordinem sensus fraudavit Ordo ipse, sibi suoque commodo haud satis prospiciens: quod cunctus Ordo præstare, vel noluit, vel non potuit, per se solum maximâ ex parte & magnanimo ausu aggressus, perfecit R^mus Adrianus *Stalpaerts* Tongerloæ dignissimus Abbas, dum ad suorum eruditionem & Ordinis tutamen anno 1618. Collegium sancti Norberti Romæ erexit in quo sacris Litteris Religiosi vacant sub magisterio Præsidis qui Syndici Ordinis in Romana Curia solet officio insigniri.

Almazu. Fil. Zabrdovici. olim S. Stephan. Diœcesis Albæ regalis. Circaria Hungariæ.

ALMAZU.

Apud Pagium *Almask* scribitur, & sancti Stephani appellatur soboles, quam anno 1294. Abbatiæ Zabrdovicensi invenimus adjudicatam, Capituli generalis edicto. Media inter fluvios Danubium & Sarwitzam Præpositura hæc eminebat; quam victor Solimanus,

captâ Alba-regali, æquavit solo circa annum 1543. sub Turcico jugo ingemuit Comitatus Albæ-regalis, donec anno 1688. Romanorum Imperatori Leopoldo I. expugnatione restitutus, ad fidem rediit; sed necdum Ordini Præpositura Almazuensis addicta est.

ALNEWIKE.

Alnewike. Fil. Neuhus. Diœcesis Dunelmensis. Circaria Angliæ.
* Durham.

IN agro Northumbrensi, intrà limites Diœceseos Dunelmensis, * sedente tum Villelmo in Episcopatu, Stephano Regnante, anno Christi 1147. prodiit *Alnevicum*, prima *Neuhusii* soboles, parentem habens Eustachium de *Vescy*, abnepotem Ivonis militis strenui, patriâ Normanni, Villelmi Angliæ domitoris, belli & victoriarum comitis indefessi, qui post subactam Angliam, junxit sibi in matrimonium filiam Villelmi *Tysone* Baronis de *Alnewike*, & de *Maltone*, à quo, hæreditatis jure, utramque Baroniam consecutus, utramque transmisit in filium Joannem de *Vescy*, patrem Eustachii. Hic ferventis in Neuhusio pietatis & religionis æstu quasi accensus, ad suos lares evocavit Canonicos, qui Abbatiæ locarent fundamenta, & distractas ex Baronia Alnewikii hæreditates, capesserent ad sustentationem. Ad votum Eustachii, coloniam Fratrum ablegavit Abbas Girlo, & dotem satis amplam, per manus Villelmi Episcopi Dunelmensis sibi transcriptam, accepit. Ecclesiam in honorem B. Mariæ propriis struxit sumptibus, largus fundator; structam auxêre beneficiis paternæ devotionis æmuli Filii, & Ecclesiam de *Gysnes* junxerunt avito patrimonio, in qua paulòpost Sanctimonialium Parthenon non ignobilis, floruit; cujus meminit Gervasius Abbas Præmonstrati Epist. 69. & 70. falsò Alnewikium titulo & dignitate Abbatiali minuit Monasticon Anglicanum, documentis reclamantibus, renitente epistolâ nomine Gervasii ad Benedictum Abbatem de *Alnewick* inscrptâ anno 1212. obsistente demùm Abbatialium Filiarum prosapiâ; has enim peperit, teste antiquissimo Circariarum indice, Abbatias *Drierburg*, seu magis *Bliboùrg*.

Novum Castrum.

Langeliacum.

Talis partus haud degenerem matrem arguit, nunc communi strage deletam. Vide Prob. à col. LXXXIX. ad col. LXXXXI.

ALTENBERGA.

Altenberga. Fil. Romersdorffii. Diœcesis Treviroensis. Circaria Vuesphaliæ.
(a) Lohn.

INter *Biel* & *Dalheim*, secùs civitatem *Vezlariam*, ad *Lohne* (a) fluvii ripas, mons, *Altenberg* dictus, assurgit. Pro jure pascuorum hujus inculti montis, flagrans extitit diù controversia inter Dynastas de *Daltheim*, & vicinæ villæ, nomine *Oberbiel* incolas. Godefridus quidam sacerdos litem satagens dirimere, à dynastis de *Daltheim* montis proprietatem petiit supplex, & obtinuit; & tandem prætensum jus suum eidem concessit Oberbielensis Communitas. Adepto monte, Godefridus S. Nicolao sacrum, Templum ædificavit; sibique modicam construxit ædem, animo sedem suam figendi in hoc monte. Ast paulò post Engelberto Abbati Romersdorffiensi, sanctarum Virginum Ordinis candidi secessum, quæ Deo, ad instar instituti de *Wulfsferberg*, militarent, liberaliter, vel, ut aiunt, divino instinctu, locum concessit anno 1178. Donationem laudavit Arnoldus Archiepiscopus, approbavit & Alexander Papa III. anno 1180. & sub his auspiciis nobile Virginum examen ex *Wulfersbergensi* Parthenio collectum, imposuit Altenbergæ Engelbertus sub magi-
1. sterio.

2. LAODOMIÆ, cui anno 1248. successit.

3. CHRISTINA Filia nobilis Equitis de *Biel*, quæ obiit 22. Aprilis 1248. illi suffecta dicitur.

SANCTA GERTRUDIS * Ludovici Landgravii Hassiæ & Thuringiæ, & S. Elisabeth filia, SS. albo inscripta, de qua in Annalibus amplior sermo erit. Desiit vivere anno 1297.

* Vide notas ad Chartas Henrici Landgravii Hassiæ & Adolphi Imper.

CATHARINA Comitissa Nassovii, mortua 4.
1324.

GERTRUDIS Comitissa Nassovii 1359. 5.

ANNA Comitissa de Salmis, x. Martii 1385. 6.

CATHARINA Comitissa Nassovii. 7.

LYSA Comitissa. 8.

HADEWIGIS Comitissa. 9.

MAYNA Comitissa de *Limburg*. 10.

WILLEBURGIS Comitissa. 11.

JUTTA Comitissa. 12.

ANNA Comitissa de *Reneck*. 13.

ANNA Comitissa de *Solms*. 14.

IMAGINA Comitissa. 15.

ELCKA Comitissa de *Zeigenheim*. 16.

CATHARINA Comitissa de *Solms*. 17.

Et istæ XI. seriatim in schedis scrinii notatæ, & suis quæque diebus relatæ in Necrologio nec regiminis ingressum, nec finem exhibent.

AGNES Comitissa de *Braunfels*, soror Co- 18.
mitis Ottonis, obiit 21. Maii 1490.

AGNES Comitissa de *Solms Braunfels*, fra- 19.
tri suo Bernardo in Arce *Braunfels* acatholicam religionem primò profitenti & ad defectionem provocanti Sanctimoniales Altenbergæ, restitit generosa soror, ejusque constantiam æmulatæ 46 virgines, in fide perseveraverunt. Obiit pia mater 1531.

ANNA DE DUDELSHEIM 1552. 20.

MARIA DE ROLSHAUSEN, Altembergam à 21.
Philippo filio Bernardi, Comite de *Solms*, ad perduellionem illectam, in fide conservavit, 1539.

22. MARIA SCHENERIN de *Sweinsberg* 1580.

23. DOROTHEA DE *DUDELSHEIM*, linguæ latinæ perita, & pro defensione fidei, ac juribus Ecclesiæ suæ indefessa zelatrix 1602.

24. ELISABETH DE *SCHEID* de *Weschpfenning* 1626.

25. ANNA ELISABETH *RIDESELIN* de *Bellenheim* 1635.

26. CHRISTINA DE *BATERIN*, sub cujus magisterio octies à militibus hæreticis expoliata fuit Altenberga, & anno 1643. die 24 Septembris, domus Vezalariæ ad refugium ædificata, cum omnibus monasterii Clenodiis, ab iisdem hæreticis in cineres redacta fuit 1644.

27. CATHARINA DE *DERS* 1655.

28. MARTHA MAGDALENA DE *HOPPEN*, cujus ætate à Suecis iterùm devastata fuit Altenberga 1684.

29. ANNA MARGARETA *FORSTMEISTERIN* de *Gelhausen*, annosa & jubilaria, à pluribus annis utiliter & sanctè Patthenoni præsidens, ruinosam instauravit Altenbergam, & B. Gertrudis in se spiritum habens, suis impressit Sororibus, & 26. Julii ad Patrem spiritum abiit anno 1721. Huic suffecta est.

30. CATHARINA MARGARETA DE *CALENBERG* antehàc Priorissa, habens tredecim equestris & inclytæ nobilitatis sub se virgines, quarum hìc elenchum subjicimus.

CHRISTINA AMALIA DE *BOTNEBURG*.
ANNA ELISABETH DE *HEDESTORFF*.
ANNA ELISABETH DE *HAZFELD*.
MARIA SOPHIA DE *CALENBERG*.
ANNA MAGDALENA DE *BURSCHSDORFF*.
ANNA MARGARETA DE *SCHLEIFFRAS*.
MARIA ELISABETH DE *METS*.
HELENA VERONICA DE *KETSCHAU*.
ANNA FRANCIA DE *KETSCHAU*.
ANNA CATHARINA DE *SCHLEIFFRAS*.
ANNA HENRICA *SCHENCKIN* de *Schweinsberg*.
MARIA SUSANNA *VOITIN* de *Salsburg*.
MARTHA MAGDALENA DE *BALSERIN* cum quatuor Sororibus laïcis.

PASTORATUS.

Oberbiel.
Niderbiel.
Stiendorff.
Albshausen, nunc à Ministris Protestantibus occupati, quibus tamen institutionis litteras, pro jure suo Magistra confert.

SACRÆ RELIQUIÆ.

Præter corpus S. Gertrudis, quod in Ecclesia sub lapideo sepulchro, ad quatuor pedes suprà terram erecto, asservatur, SS. Reliquiis gaudet Altenberga.

Pars magna Brachii S. Elizabeth Landgraviæ, argenteo acclusa brachio.

Annulus sponsalis ejusdem sanctæ.

Cantharus argenteus, quo eadem sancta Marpurgi in servitio pauperum utebatur, & in cujus operculo, hæc insculpta leguntur verba.

Cantharus sancta Elizabeth MCCXXXVII.

Casula rubra holoserica, ex toga nuptiali sanctæ Elizabeth, in qua ex auro intexti sunt duo magni leones, gentilitium Hassicum hinc & inde multis varii coloris lapidibus ornatum.

Amplus calix, in cujus pede hæc legitur inscriptio.

Gertrudis filia B. Elizabeth me fecit.

Caput B. Gertrudis, circà quod in umbraculo, intexta sunt hæc verba. *B. Gertrudis filia S. Elizabeth, Magistra in Altenberg.* Vide Probat. à col. LXXXXj. ad col. cij.

SANCTUS ANDREAS CLAROMONTANUS.

S. Andreas. Fil. S. Gilberti. Diœcesis Claromontana. Circaria. Alverniæ.

GUillelmus VII. Claromontis Comes, & Alverniæ Delphinus, Roberti III. Alverniæ Comitis filius, & ex asse hæres, Provinciæ Comitatu ab suo patruo Guillelmo VIII. invasore, pulsus, Claromontensem pagum, & inanem penè titulum Delphinatûs Alverniæ, in sortem ab occupatore accepit. Tenuis fortuna inditam sibi à pueritia pietatem non imminuit, sed residuum patrimonii opulentioris divisit cum Christo, ad remedium animæ suæ, & dilectæ conjugis Joannæ de *Calabria*, filiæ Guidonis Comitis Alboniæ. (*a*) Suburbium civitatis ipsius Claromontanæ, & antiquissimam, sed prorsùs ignobilem tunc temporis Ecclesiam S. Andreæ, sacris sancti Tigridii (*b*) Alvernorum Archidiaconi, exuviis venerandam, elegit, in qua divino cultui, & sub anathemate partem suorum bonorum litaret, Ordinique manciparet Præmonstratensium.

Anno igitur 1149. tabulis solemnibus totam fundationis sat pinguis, seriem consignavit, & evocatos è sancto Gilberto Canonicos, in sancti Andreæ immisit Ecclesiam, sub Abbatis Præfectura victuros. An verò ad mentem fundatoris fuerint ab origine constituti Abbates, dubium facessit, Alexandri III. Bulla, anno 1174. Gualterio Priori Ecclesiæ S. Andreæ inscripta. Neque enim probabile est, prætерito irrevocenter Abbate, postulatam, aut concessam fuisse Priori confirmationem dotis, & Privilegiorum sancti Andreæ, nisi tunc vacantem supponas Ecclesiam, aut suo viduatam Abbate;

(*a*) Justel filiam Guillelmi Ducis Calabriæ III. appellat, qui Guillelmus filius erat Rogeri I. Siciliæ Ducis.

(*b*) S. Tigridius urbis Arveniæ civis, Archidiaconus fuit S. Illidii Arvernorum Episcopi, & ejus frater germanus. De illo agit Gregorius Turon.

quod quidem probabilius esse suadet Guillelmi VII. Comitis Claromontani diploma inscriptum Abbati & Conventui S. Andreæ anno 1149. nisi forte suspiceris, ob insufficientiam Canonicorum, vel ob impares sustendandæ numerosiori mystarum turbæ proventus, desiisse per tempus titulum Abbatis qui anno 1188. in Durando revixit: illum enim Abbatis nomine compellat Clemens III. in suo Diplomate, quo monasterium, ejus possessiones, & privilegia Apostolico favore prosequens, communivit. A Durando ad seros successores honor iste propagatus, in ipsis etiam Commendatariis perseveravit. Abbatiam sancti Andreæ Philippus Augustus Galliæ Rex, suam quodammodo fecit, dum jurisdictionem ejus immunitatemque ab omni vectigali, decima, censu, & onere, majestalibus asseruit litteris anno 1189. Ne tamen piissimo Guillelmo Comiti, gloriam fundationis eriperet, illum Cœnobii authorem, *magni Ducis* titulo insignitum, appellat. Quam appellationem *Magni Ducis* interpretari arduum est, cum Dynastiam ducalem nunquam possederit. Fortè ex summo rei militaris imperio isthoc nomen obtinuit, quod ipsi Robertus I. Delphinus Alverniæ, & Claromontis Comes, ejus abnepos, denegavit in charta confirmationis anni 1249. quâ sui atavi beneficia recolens collata monasterio sancti Andreæ, instaurat, & speciatim *Jura Justiciarum Alta & Bassa, in Sauzeto, Vedrina, Villa nova*, & aliis, approbatione suâ sanxit.

Philippus III. Rex Galliæ, sibi, suoque regali Dominio ascripsit sub tutelari nomine Abbatiam sancti Andreæ, quam uti hæres propatrui sui Guillelmi Magni Comitis sibi vindicabat, quamque Ludovicus VIII. avus ejus 8. Novembris anni 1226. defunctus *Monpenserii*, visceribus & corde, in amoris argumentum, illustrarat testamenti sui tabulis; unde & regalem deinceps haberi voluit: nec non privilegia locis annexa regalibus, perpetuò ibidem vigere, & indultas à Pontificibus præeminentias stare illibatas; præcipuè verò jus mitræ gestandæ, quod ad petitionem ipsiusmet Regis, Abbati S. Andræ concesserat Joannes XXI. Singulare prorsùs, & peregrinum in Ordine Præmonstratensi privilegium, tunc temporis spirante humilitatem.

Pari benevolentiâ affecti Reges posteri ergà S. Andreæ monasterium, paribus cumularunt gratiis, utinam & hanc addidissent, ut à Commendatariis totam penè pii fundatoris exhaurientibus substantiam, exemissent. Non prostrata tamdiu jacuisset Regia domus, versa ex paupertate in tuguriolum, & disciplinæ regularis extremos, nostris temporibus, non egisset agones, in pusillo grege, arctum panem, & brevem vix habente aquam. Sollicitâ, ut audio R^mi Generalis vigilantiâ, jam colorem optimum resumpsit Abbatia, jam divini refloresecit cultûs assiduitas, & multiplicatâ laudantium Deum cohorte, quam frugalis pascit œconomia, suo decori restituta est domus Dei & revirescit observantia.

Quoniam documenta sancti Andreæ ab anno 1149. nullum suppeditant Abbatis nomen, à Durando catalogum auspicabimur, qui anno 1189. hoc titulo insignitur.

DURANDUS à Clemente III. Bullam hoc anno obtinuit pro confirmatione statûs & proventuum S. Andreæ. Translationi corporis S. Austremonii in monasterium * Mauzacense interfuit anno 1197. cessit paulò post, & in superstitis locum assumptus est. 1.

* Mauzac.

JOANNES I. qui ab anno 1196. ad 1200. subscriptus in actis legitur. 2.

THOMAS I. donationibus factis Monasterio S. Illidii * sistitur testis an. 1200. 1203. 3.

* S. Allire.

JOANNES II. ab anno 1204. ad 1208. vixit Abbas, agente adhuc in vivis Durando. 4.

THOMAS II. anno 1214. 5.

GUILLELMUS I. anno 1240. florebat. 6.

PETRUS I. anno 1242. 7.

GUILLELMUS II. *POMPARD* 1251. 8.

GUILLELMUS III. *UZENDA*, aliàs *de Merdoigne*, obiit an. 1259. Illi successisse videtur Hugo de sancto Andrea, qui testis & subscriptor fuit testamenti Roberti I. Comitis Claromontis, & Alverniæ Delphini anno 1262. scrupulum ingerit nihilominùs omissio tituli *Abbatis*. Vide *Baluze, Hist. de la Maison d'Auvergne*. 9.

PETRUS II. de *CHAMAILLERE*, obiit 28. Januarii 1265. 10.

PETRUS III. *TEYSSERS*—8. Februarii 1278. 11.

GUILLELMUS IV. de *LA BESSA* 12. Martii 1296. Medios inter Guillelmum & Geraudum assuit Sanmarthanus Stephanum anno 1296. & Bertrandum de *Plonziaco*, anno 1300. Sed in nullis S. Andreæ chartis obvios. 12.

GIRAUDUS *UZENDA*, 11. Novembris 1304. Illi supponitur ab eodem authore, Joannes, nusquam visus. 13.

BERTRANDUS DE *PLAUZAT*——1307. 14.

ASTORGIUS *BARAT*, resignatâ prius Abbatiâ, moritur 24. Januarii 1353. 15.

JACOBUS DE *SERRE* utiliter præfuit: dominium de *Bravane* comparavit suo monasterio; instituitur anno 1347. executor testamenti Hugonis Delphini Præpositi Brivatensis; intereſt anno 1351. sequester pacis inter Abbatem & Monachos sancti Illidii: moritur 14. Januarii 1353. 16.

MATHÆUS *JAUMAR*————1371. 17.

STEPHANUS *RAUZIER*, separationem mensæ primus invexit————1374. 18.

GUILLELMUS V. *SIMOND*, vivebat anno 1403. 1404. 19.

STEPHANUS *ISSARTEL*, obiit 23. Octobris 1437. 20.

BERALDUS DE *VOLPILIERS*, denascitur 18. Septembris 1451. 21.

JOANNES

XXII.

JOANNES III. DE *VOLPILIERS*, anno 1485. amore sanguinis fascinatus, nepoti suo, Clerico seculari, Abbatiam ex resignatione transmisit. Proditorios verò dies ad 5. Decembris anni 1492. indignus Abbas adduxit.

XXIII.

GUILLELMUS VI. DE *VOLPILIERS*, Commendatariorum primus, obiit 19. Julii 1529.

XXIV.

CLAUDIUS DU *PRAT*, Episcopus Mimatensis, in Ecclesia sancti Andreæ sepelitur 8. Februarii 1533. nullum tamen exstat monumentum ejus impositum corpori.

XXV.

PHILIPPUS DE *LA CHAMBRE*, Cardinalis dictus Bononiensis, S. Andreæ, & Magniloci, non tam Abbas, quàm prædo. Obiit anno 1549.

XXVI.

TIBERIUS CRISPUS Cardinalis, tituli sanctæ Agathæ, Abbatiam tenuit ad annum 1556.

XXVII.

TIBERIUS CRISPUS, Civis Romanus, cessit sub reservatione pensionis, super Episcopatu Bononiensi, in gratiam.

XXVIII.

PROSPERI Cardinalis, tituli sanctæ Mariæ de *Angelis*, dictæ à sancta Cruce, Episcopi Bononiensis, Arelatensis Ecclesiæ perpetui administratoris. Triplici Rotæ sententiâ ejicitur è possessione Abbatiæ anno 1580. & resignans iterùm occupat; iterùm quoque sub tributo pensionis mercatur Abbatiam anno 1582.

XXIX.

JERONIMUS *RAVASQUIER*, onerariâ conditione impetratam Abbatiam, sub onere simili transtulit, anno 1585. Stephano qui sequitur.

XXX.

STEPHANUS DE *LA BARGE*, Canonicus & Archidiaconus Lugdunensis, ibidem 7. Januarii 1602. obiit.

XXXI.

CAROLUS VALESIUS, Alverniæ Comes, Franciæ Protho-Prior, Caroli IX. Galliæ Regis filius spurius, Melitensi militiæ adscriptus, primùm Abbas sancti Andreæ ex resignatione efficitur, sed matrimonio subsequente, & inito 6. Maii 1591. cum Carola de *Montmorantio*, abjecit Clericatum, non tamen Abbatiam, quam filio Ludovico minorenni contulit.

XXXII.

LUDOVICUS VALESIUS, Dux Engolismensis, Abbatiæ intrusus, ad patris exemplum, ipsam cum uxore commutavit, Henricâ *de la Guiche*, 8. Februarii 1629.

XXXIII.

HENRICUS *ARDIER*, Canonicus Parisiensis, & Rothomagensis Parlamenti Senator, in Thermis Borboniensibus 29. Septembris 1664. sublatus.

XXXIV.

GASPARDUS DE *TOURREIL*, Regii fisci in Tolozana curia Procuratoris filius, nominatur à Rege 8. Januarii 1665. & 14. Martii 1712. à morte dispungitur Abbas.

XXXV.

JOANNES-ANTONIUS DE *NEVENSTEIN*, Alsata, Doctor Sorbonicus, Episcopi Argentinensis Vicarius generalis, 3. Aprilis 1713. renunciatus à Rege Abbas, 8. Aprilis adiit possessionem.

PASTORATUS ET BENEFICIA.

S. Catharina, monasterialis parochia.
S. Joannes de *Mardogna*, cum filiali *Rupe Donneza.* (*Roche Donneza.*)
S. Julianus de Sussiaco. (*Sussat.*)
S. Maria de Sauzeto frigido. (*Sauzet le froid.*)

PRIORATUS SIMPLICES.

S. Andræas de Sayato, (*Sayat*) unitus perpetuò Prioris Claustralis dignitati.
S. Joannes de Mardogna. (*Merdogne.*)
S. Blasius de Monteleonis. (*Montleon.*)
S. Andræas de Brolio. (*du Breüil.*)
Duo sunt beneficia, seu potiùs officia claustralia, alterum Sacristæ, alterum Præsidis & magistri infirmorum.
Item Vicariæ sex in titulum beneficii, vel præstimonii erectæ subsistunt.
1° *de Gerzat.*
2° Comitum Claro-montensium.
3° *de Cornon.*
4° *de Vareilles.*
5° *de Ville-Soubroug.*
6° *de Mathucieres.*
Proventus eis assignatos, in massam communem congerunt Canonici Vicariarum ejusmodi titulares, ut tenuis alioqui Capitulantium mensa victum & vestitum subministret Canonicis.

SACRÆ RELIQUIÆ.

Digito indice, manûs sinistræ S. Sebastiani, gloriatur Ecclesia sancti Andreæ.

MONUMENTA SEPULCRALIA.

In Crypta jacent illustrium Fundatorum corpora. Altare impositum, à sinistro latere, appellatur Capella Delphinorum Alverniæ, ibique prostat mausolæum lapidis albicantis, quinque pedes habens latitudinis, longitudinis decem, figuris hinc inde ornatum triginta sex, arte incisis.

Cor & viscera Ludovici VIII. ab eodem Principe legata, possidet.

Jacet ibidem Robertus I. Alverniæ Delphinus, & Claromontis Comes, mortuus anno 1262. die x. Aprilis. Vide Probat. à col. CXLIV. ad col. CXLVIIJ CLX.

SANCTUS ANDREAS IN NEMORE.

S. Andreas in Nemore, Fil. Domni-Martini. Diœcesis Ambianensis. Circaria Pontivi.

* Le Canche.

IN vico de *Maresquel*, secùs amnem *Cantium*, * loco Alnetis consito, ædificatum est sancti Andreæ Cœnobium anno Christi 1135. Dotem & territorium suppeditante Inguerranno Toparchâ de *Belloramo*, & Hugone filio ejus, Arthesiæ nobilibus & inclytis Proceribus. Hunc illis honorem tabulæ primordiales asserunt, quem iniquiores Gazetius & Locrius, Scriptores Belgici, suffurantur, ut Guillelmo de sancto Audomaro, gratis impertiant. Ex suo situ & alnetis frequentibus Abbatiam obumbrantibus lepidè, monasterium obtinuit nomen ab origine, *sancti Andreæ in Alneto*. Ad annum 1157. stetit Abbatia in suo fundationis solo; sed vel populari strepitu, vel fluvii importunis alluvionibus vexati Canonici, ad pacatiorem secessum, * gratamque planitiem, duabus ab *Hesdinio* * leucis, suas transportarunt ædes, à priore loco duobus dissitas milliaribus. Illic cœlo sereno, grato prospectu agrorum feracium, sylvarum fugientium umbrâ placidiore, sed rarissimâ fruuntur aquâ.

* Grens-vourt.

* Hesdin.

E viciniore sancti Judoci, seu Domni-Martini cœnobio accivit Inguerranus Canonicos aliquot, qui, duce & magistro Anschero, prima Ecclesiæ in *Alneto* fundamenta ponerent, in honorem B. Andreæ Apostoli consecrandæ. Constitutos Fratres, & miro virtutum fragrantes odore, fovere cœpit vir nobilis Landricus, eisque villam de *Bloovilla*, * ad sustentationem, benignè largitus est. Sedem, non mores, ex utilitate dum mutavêre Fratres, Hugone filio fundatoris, in transmarina expeditione defuncti, annuente, beneficum experti sunt Radulphum Militem de *Brineur*, qui ut orationum fieret particeps, his villam *Brunelli-prati* * transcripsit, sub approbatione Gualteri Tyrelli, Principis de Pissiaco, * supremi, & territorialis Dynastæ.

* Bloovilla, à Monstrolio ad mare, villa distans unâ horâ.

* Bignopré.

* De Poix.

I.

ANSCHERUS Abbas qui à limine fundationis, autoritatem Samsonis Episcopi Ambianensis interpellarat, ad stabilimentum monasterii, & Religionis fulcimentum, posteà Alexandri III. Pontificis, in hunc finem, imploravit auxilium, quod gratanter impendit Pontifex, statum, & possessiones sancti Andreæ sub Apostolica tuitione suscipiens. Tum Anscherus ad majoris Templi structuram convertit sollicitudines; saxa parat, invitat fabros, & de parcimonia thesauro comparato, primarium meditatur ponere lapidem; sed morte præventus, feliciter in Domino obdormivit, domum non manu-factam in cœlis quæsiturus, XII. Decembris 1168. Ejus ossa è veteri sarculo eruta, in medio chori Ecclesiæ recondita sunt anno 1642.

II.

HUGO ab exordio suæ administrationis, anno videlicet 1170. bona suæ Ecclesiæ à Theobaldo Episcopo Ambianensi, & à Mathæo Boloniensi Comite, confirmari obtinet. Parem ei gratiam indulsit Desiderius Episcopus Morinensis, in cujus Diœcesi varias possessiones, ex largitione Clarembaldi de *Thiembronia*, præcipuè vallem *Vestoldi* (*a*) fuerat consecutus. Jerosolimam proficiscens Inguerranus Miles, Dominus de *Frimieux*, tradidit eidem Hugoni, ut pium iter bearet Deus, sylvam *Brunelli-prati*. (*b*) His incrementis temporalibus, at spiritualibus longè magis locupletatum cœnobium, morte interveniente, 27. Decembris 1178. dimisit B. Hugo.

III.

GOSSELINUS testis accedit in multiplici instrumento sancti Joannis Ambianensis, ab anno 1179. Hugonem Comitem sancti Pauli, Lambertum Episcopum Morinensem, Philippum denique Augustum Regem Franciæ, protectores nactus, personas, prædia, ipsumque sancti Andreæ monasterium, sub eorum custodia & deffensione constituit. XI. Februarii 1199. viam patrum ingreditur Gosselinus.

IV.

ROBERTUS Dominum de *Bloovilla*, Robertum nomine, Jerosolymitanam peregrinationem ex voto aggredientem, aliquandiù hospitem habuit, ut piis probatus exercitiis, christiano ritu votum exolveret. Ad itineris expensas mutuatam ab Abbate Roberto pecuniam redemit cessione duorum avenæ modiorum census annui, anno 1201. quo etiam Guillelmus de sancto Audomaro, donationes per Landricum factas, nemoris ad Ivonis villam * ratas habuit. XVI. Aprilis 1208. obiit Robertus.

* *Le Valivin*, secus Cantium,

V.

GUIDO ad annum 1214. præfuisse legitur.

VI.

SENOLDUS ex Priore Abbas factus, Ecclesiæ

(*a*) *Val-Vestaud*, distans 7. leucis à S. Andrea: 4. à sancto Audomaro.

(*b*) *Bruneau-pré*, secùs viam publicam, quæ gallicè, *la Chaussée de la Reine Brunehaud*, dicitur.

suæ bonorum confirmationem ab Honorio III. impetrat anno 1217. eodem Prælaturæ valedixit.

VII.

TESSO, Templum fornicibus testudinatum, sacrâ per Episcopum Ambianensem inauguratione consecravit 26. Julii 1220. Dormitorium & claustrum, quæ priùs ligneis tabulis structa, & vili luto illita erant, ex lapidibus ædificavit, ac tandem de Fratribus, & de monasterio benè meritus Abbas, obiit 26. Augusti 1230.

VIII.

JOANNES DE *RESNE* 7. Octobris occubuit anno 1242.

IX.

HUGO DE *FRUSGES*, tria ab Innocentio IV. Diplomata recepit data Lugduni anno 1247. quorum altero alienationem bonorum sancti Andreæ prohibet: item ne Fratres compelli possint ad receptionem, seu provisionem alicujus in beneficiis, seu pensionibus, absque speciali mandato Sedis Apostolicæ: altero autem ibidem dato 2. Octobris ejusdem anni, confirmat Pontifex monasterii bona, exemptionem decimarum, novalium, vetatque ne Fratrum quispiam de loco discedere, nisi arctioris Religionis obtentu, præsumat. Robertus Attrebatensis Comes, Frater S. Ludovici Francorum Regis, dedit anno 1248. ad Hugonis Abbatis instantiam litteras, quibus mandavit » Ballivis suis, » quatenus res & bona Ecclesiæ » sancti Andreæ in Nemore, cujus personas, in» quit, ob suorum exigentiam meritorum, sin» cerâ diligimus in Deo charitate, recommen» data haberent; de molestationibus eorum in» debitis, maturam justitiam exhiberent, cum » ab ipsis super hoc fuerint requisiti.

Intentatam ab Archidiaconis Morinensibus jurisdictionem in grangias sancti Andreæ, Abbas Hugo strenuè repressit, & à Radulpho Episcopo Morinensi, publicam scripto obtinuit declarationem immunitatis grangiarum, & villarum sancti Andreæ, ab omni jurisdictione Episcopali, anno 1254. Hanc annis 1272. 1336. litteris professi sunt Archidiaconi Morinenses. VII. Februarii 1255. moritur Hugo.

X.

EUSTACHIUS, Ecclesiæ suæ bona, sita in Comitatu sancti Pauli, concedente Guidone Comite, è commercio civili exemit anno 1257. Robertus verò Comes Attrebatensis, sancti Andreæ monasterium in suam protectionem suscipit, suamque ergà Abbatem Eustachium benevolentiam litteris testatam reliquit anno 1268. datis Lutetiæ Parisiorum, mense Novembri. Octobris autem 26. sequentis anni, extremos clausit dies Eustachius.

XI.

SELLO Canonicus Dom-martinensis, in Philippi III. Regis Francorum protectionem se, suamque Ecclesiam immittit anno 1278. Prælaturam fractus senio, abdicat; paulò post vitam exuit XXXI. Octobris 1283.

XII.

RADULPHUS.

XIII.

THOMAS.

XIV.

GUILLELMUS. Horum trium nulla, nisi in Obituariis, occurrit mentio. Horum regiminis diuturnitas certo annorum computu indeterminabilis, clauditur seculo XIV. inchoante.

XV.

JOANNES D'*EMBRI*, ab ineunte administratione ejus Colloquium factum est in Abbatia sancti Andreæ, & inita compositio pacis inter Adamum Abbatem Præmonstrati ex una parte, & Abbates Angliæ, ex altera, super variis disciplinæ quæstionibus. Concordiæ testes subscripserunt Abbates sancti Martini Laudunensis, Domni-Martini, S. Petri *Selincurtensis*, *Lisquensis*, *sancti Andreæ*, *Languedonæ*, *&c.* anno 1315. feriâ V. in Cœna Domini. Suum cœnobium in specialem custodiam Caroli IV. Francorum Regis, transmisit Joannes Abbas anno 1323. Et XVII. Aprilis 1328. viam universæ carnis ingressus est.

XVI.

PETRUS *GRENIER*, viginti quatuor annis rexit, & totidem adversùs invasores bonorum sancti Andreæ, Ballivum nempe, & Actores de *Bello-ramo*, Dominorum suorum, stabuli Comitum, autoritate fultos, decertavit. Moritur. 21. Octobris 1351.

XVII.

JOANNES DE *MONTFELON*, 22. Januarii 1374. obiit.

XVIII.

JOANNES DE *FORESTEL*.

XIX.

JOANNES LE *CLERCQ*, impetitam à Joanne Episcopo Ambianensi jurisdictionem Ordinis, volente sibi subjicere Abbates S. Andreæ, & Domni-martini, in Concilio Constantiensi acriter, & vividè propugnavit, unde à Patribus manavit decretum hujus tenoris.

Declarat Concilium dictos Abbates cum » suis Ecclesiis, ab omni potestate, & jurisdi- » ctione Episcopali exemptos, ut potè Sedi A- » postolicæ subjectos, imposito super prædictis » perpetuo silentio. Et prætereà ipse Episcopus, »

»in expensis quinquaginta librarum auri boni & »justi ponderis, providâ moderatione taxatis, »condemnatur.

XX.

GUILLELMUS *DU BUS*, 7. Septembris 1417. moritur.

XXI.

INGUERRANNUS *DE FRUGES*, pro recuperatione bonorum alienatorum, judicem & commissarium ad partes, impetravit à Martino V. Abbatem *S. Judoci ad mare*, anno 1428. & Nonis Aprilis 1440. dignitate priùs depositâ, occubuit.

XXII.

ISAAC *FLAHAUT*. 7. Aprilis 1460. è vivis ereptus est.

XXIII.

JOANNES *TIEULLER* 3. kalendas Martii 1474. fato cessit.

XXIV.

PETRUS *BAILLET*, Obituarium suæ Ecclesiæ renovari curavit, & 6. Octobris 1483. mors ejus inscripta ibi legitur.

XXV.

SIGERIUS *LE MAISTRE*, propter minùs rectam bonorum administrationem, cedere cogitur, auctoritate Capituli generalis anni 1498. & in ejus locum ab eodem Capitulo substituitur.

XXVI.

DYONISIUS *DAVLAU*, Prior Monasterii S. Andreæ Claromontensis in Arvernia, regularis disciplinæ zelo, & scientiarum ornamentis clarissimus, sæpe ad ardua Ordinis negotia ablegatur à generali Capitulo; & ad partes Angliæ commissarius, pro resarcienda concordia fructuosè deputatus non semel, ad Capituli generalis votum sublectus est Abbas sancti Andreæ. Quâ generositate jura Ordinis passim vindicarat, eâdem & majori, factus Abbas deffendit. Ducentas quadraginta auri libras pro communibus Ordinis negotiis Capitulo generali consignavit, & in gratitudinis argumentum, Abbas Præmonstrati Abbatiam S. Andreæ à Talliarum Ordinis contributione exemit anno 1520. Quantùm Ordini, tantùm suo profuit monasterio vir moribus & œconomiâ præcipuus. Oppignorata prædia redemit, census annuos ducentorum sextariorum, refuso liberavit argento. Denique dierum plenus, & meritorum, in pace quievit 25. Octobris 1521. Prædecessorum imagines in parietibus Ecclesiæ pictas versibus exornarat; ipsius verò imagini gratus successor hæc inscripsit carmina.

Surgit imago recens cunctorum in pariete Patrum,
Conspicuo structas latere, ornatasque reliquit:
Ac aliis vastata locis quinque eruta bellis
Culmina villarum struxit, molesque refecit:
Ac delubra domûs, idem labentia pressa
Fœnore restituit, censuque redemit iniquo,
Omnia cùm tollat, benefactis invida mors est,
Hic Abbas virtute viget, nec tolle vetustas.

XXVII.

JOANNES *PINTE*, rerum agendarum peritus, virtutis laude commendabilis, octogenarius moritur Audomaropoli, quò, propter bellorum tempestates, confugerat, 10. Octobris 1557.

XXVIII.

JOANNES *DOSTREL* ex Coadjutore Abbas, Coadjutorem quoque sibi septuagenario designavit. Moritur 10. Aprilis 1581.

XXIX.

JACOBUS *VAINET*. Secundo regiminis ejus anno, hæretici ex Gallia, in auxilium Flandrorum properantes, Arthesiam depopulantur; nec sacris quidem parcentes, hujus Ecclesiæ lipsana argentea diripiunt, ejusdemque cœnobii duos Canonicos, aliis clanculùm dilapsis, vario, duroque modo divexant, tam in odium fidei, quàm in spem reperiundæ pecuniæ. Unum ex illis, Firminum d'*Anelet*, primò pedibus sursùm versis, dein collo suspensum aliquandiù tenent, posteà ad palum alligatum, igne accenso circumdant, aliisque suppliciis afficiunt; postremò vinctum cum socio Jacobo *le Maire*, Dunkerkam divehunt, & semi-exanimes includunt tetro carcere: Firminum & Jacobum ad defectionem iteratò sollicitant, sed vanis artibus generosi athletæ illudunt; unde hoc Epigramma P. *Waghenare*.

Impia Firminum pendit sus déque caterva,
Et furit in pensum subdita flamma virum:
Nectitur ad currum, rapiturque per arva, nec ipsis
Cedit Firminus, Firmus ubique fuit.

Die Dominicâ *Quasimodò*, anni 1605. quidam milites Hollandi, numero xxvv. circà vesperam, è contiguo nemore in hanc Abbatiam irrumpentes, manu forti & armatâ, sacram, civilemque suppellectilem auferunt, ipsumque Abbatem in lecto jacentem infirmum, violenter cum Cellario abreptum, *Seclusam* Hollandiæ oppidum, deportant; unde nonnisi post unius anni captivitatem dimissus est, ærumnis confectus. Hesdinii 25. Aprilis 1606. mors sancta calamitosæ vitæ finem imposuit.

XXX.

CLAUDIUS *REISVICH* post novemdecim an-

norum laudabilem administrationem, Abbatiâ dimissâ, Hesdinii in ædibus sancti Andreæ animam Deo reddidit, 15. Octobris 1625.

XXXI.

JACOBUS DE CAMPAGNE vix octodecim mensibus rexit. 16. Januarii 1627. sublatus est.

XXXII.

NOEL DUCANDAS, 28. Septembris Hesdinii moritur 1635.

XXXIII.

NICOLAUS ZEDÉ, Ferdinando Austriaco, Cardinale Toletano, & Præfecto Belgii approbante, Abbas assumitur 6. Aprilis 1636. ex Priore monasterii. Vicarius generalis Provinciæ Pontivi renunciatur anno 1648. Sanctæ Mariæ Magdeburgensis Præpositus constituitur à R^mo P. *le Scellier* Abbate Præmonstrati, & Ordinis Capite; eaque dignitas cum omnibus ei annexis præeminentiis, juribus, prærogativis, Abbatiæ sancti Andreæ perpetuis futuris temporibus annectitur, anno 1665. die secundâ Novembris 1680. octogesimo ætatis suæ anno, efflavit animam, Deo, & hominibus dilectam, Nicolaus. Infinita sunt propèmodùm quæ gessit, quæ scripsit pro Religionis bono, pro litterarum, & litteratorum perfectione, pro deffensione jurium Ordinis, pro elucidatione antiquitatis abstrusæ, pro illustrandis Ecclesiæ suæ, & Ordinis veteribus monumentis. Pauca hæc & homine modesto, furtim quasi surrepta, typis evulgata sunt, *Catalogus, sive Fundationes Abbatiarum Ordinis nostri : Index Circariarum Ordinis Præmonstratensis. Kalendarium Historicum pro totius anni decursu.* Volumina plura MSS. nos contrectavimus, ab eodem indefesso & oculato scriptore composita, quæ ad lucem aspirant.

Ipso vivente, & incitante, viros doctos, & ad regularis vitæ normam efformatos, fudit S. Andreæ Abbatia. Duorum hic meminisse juvabit; Philippi *Babeur*, ex Priore San-Andreano, Abbatis Domni-Martini, Statuum Artesiæ moderatoris, semel, & iterùm ad Christianissimum Regem deputati à Comitiis, & ad Episcopatum Attrebatensem eorumdem votis postulati. Claudius *Salé*, Nicolai Abbatis alumnus, & studiorum comes, *Chronicon* edidit typis San-Audomarensibus, anno 1670. *rerum memorabilium sui monasterii*: quædam edenda reliquit posteris opera, quibus respublica litteraria fraudatur ægrè.

XXXIV.

ANTONIUS GODART septuagenarius, eligitur Abbas: anterioris vitæ modum, modestiamque retinens, nihil sibi indulsit. Humilitate, simplicitate, Statutorum observantiâ singularis. Obiit 30. Aprilis 1688.

XXXV.

ANDREAS THOMAS, à promotione sua, ædificiorum structuram aggressus, claustralem domum, & Abbatiales ædes à fundamentis renovavit. Anno 1696. factâ expostulatione in Capitulo Provinciali, Parisiis habito, super irregularitate nonnullorum Vasconiæ monasteriorum, hæc ei Provincia visitanda, reformandaque committitur: quo successu, probavit eventus. Anno 1717. in Capitulo generali Vicarius generalis Hispaniæ declaratus est.

PASTORATUS.

Nullos habet, verùm in grangiis *Brunelliprati* Diœcesis Ambianensis, & *Vallis-Restoldi* Diœcesis Boloniensis, duos habet obedientiales Canonicos, qui villicis Sacramenta administrant, ab Abbate submissos, & ad ejus nutum revocabiles.

SACRÆ RELIQUIÆ.

Pars ossis sancti Andreæ, in capsula deaurata.
Pars ossis sancti Blasii, in protome argentea.
Ossa SS. Siardi, Mauritii & Victoris.
Ossa SS. martyrum Gorcomiensium.

Vidimus in hoc monasterio Biblia sacra MSS. charactere majusculo, summâ arte & elegantiâ, opus duodecimo seculo exaratum.

SEPULTURÆ.

In choro jacet sub hoc lemmate corpus Jacobi de WAIL, Cantoris Ambianensis.

Hic situs est Jacobus de *Wail*, Ambianensis
Cantor, fons juris, parcus sibi, largus egenis.
Orate pro eo.

Ibidem quiescit Vincentius Decanus Monsterolienfis, cum hoc Epitahio.

Ter & septem C. bis L. & X. bis, junge, videbis
Quando migravit justus, pius, atque suavis;
Proh dolor! hic datus est Cleri flos Monstroliensis,
Pauperibus fieri murus cupiebat, & ensis;
Largus in hospitio dabat hic cum munere vultum.
Heu! quia conspicio cum vermibus esse sepultum.
Tabescit carie fons juris, & arca Sophiæ;
Flos datur ille die vitæ, vas Philosophiæ.

In choro legitur mutila inscriptio Roberti de *Ballolio*, & Aëlis de *Blequin* Dominæ de *Thiembronne*. Vide Probat à col. CXLIV. ad col. CXLVIJ.

S. ANDREAS.

S. Andreas. Fil. Præmonstrati. Diœcesis Candidæ Casæ. Circaria Scotiæ.

INtrà Diœcesim Candidæ Casæ, Abbatiam sub patrocinio S. Andreæ, invexit Layruëlius in suam Monasteriologiam. Pagius hanc prætermisit; illius non meminere indices duo mss. ætatis venerandæ, quos in musæo nostro asservamus. Undenam istius Abbatiæ notitiam habuerit vir eruditus, mihi inerudito nondùm innotuit. Fortè Ecclesiam S. Andreæ in Comitatu Fisæ sitam, & Archiepiscopali sede, ab Ebernetheo * translatâ, autoritate Sixti IV. anno 1471. gaudentem, innuere voluit, tanquam Ordini mancipatam. Sed neque in Cathalogis nostris assertam Præmonstratensibus lego, ante & post innovationem Ecclesiæ.

* Ebernethy.

ANGELICA-PORTA.

Angelica-porta Fil. Sayna Diœcesis Trevirensis. Circaria Vestphaliæ.

EX mirabili Angelorum apparitione, Parthenon iste originem & etymon sumpsit. Emericum de *Monreal*, Fundatorem agnoscit & fundi Dominum. Cis mosellam inter montium hinc pendentium concava, duabus à Cardona horis, medias inter sylvas, prænobile hoc virginum monasterium, suo horridum situ, implantatum est, circiter anno 1255. & Cisterciensi Ordini addictum, evocatis è *Cumeda* Monialibus quæ illud incolerent. Paucis illic steterunt annis, non tam loci solitudine quàm jejunæ nimium dotationis parcimoniâ deterritæ. Philippus de *Wildenburgh* desertam habitationem pretio comparavit, ab hæredibus Emerici, & accersitas ex Ordine sancti Dominici Moniales de monasterio *Arduensi*, fortè *Mariendal*, illas in possessionem Angelicæ-portæ immisit, anno 1262. At quoniam Superioribus Ordinis insciis, & improbantibus, facta est hæc translatio, velut alienas dimiserunt, & Ordinis substraxerunt providentiæ. Gosliinus Abbas Saynensis Parthenonem desolatum miseratus, curam ejus in se suscepit, & paulòpost de consensu Henrici Archiepiscopi Trevirensis, schemate illas induit Norbertino, anno 1275. Hæresi Lutheranâ ingruente, ad Romersdorffienses transiit Sanctimonialium vicinarum administratio, quæ sub annum 1672. restituta fuit Saynensibus ex decreto Capituli generalis. Sic porro sanctitate & nobilitate inclaruit hoc cœnobium, ut certatim nobilissimæ Virgines ad illud confluerent: ac ne multitudine in posterum gravaretur, sanxit Guido Abbas Præmonstrati, anno 1235. ne ultra viginti virgines admitterentur ad habitum. A primævo splendore sanguinis haud degeneres, à pietate pristina non deviæ, hodiedùm perseverant Sanctimoniales, sanctæ Beatricis antesignanæ, & Sororis quondam suæ æmulantes exemplum, cujus pretiosis fruuntur exuviis.

Hist. Trevir. t. 2. p. 163. fallitur, hanc mutationem ad annum 1276. rejiciens.

Sub Priorissæ titulo, primæ Parthenonis rexerunt Magistræ, uti R. D. Adolphus *Damen* modernus *Sayna* Abbas autumat, idque probatum censet ex necrologiis, in quibus hæc leguntur, *anno Domini 1406. Commemoratio* » *Venerabilis ac Religiosæ* » Dominæ Lysæ de *Frymberck* Priorissæ Sanctimonialium in An- » gelica-porta: Martyrologium conscribi pro- » curavit, librumque animarum »

I.

Ergo Magistræ nomen audiit apud Angelico-portanas tantùm ab anno 1450. quo quidem tempore prænobilis & venerabilis Domina Margareta *Kratz* de *Scharffenstein* regebat sub titulo Magistræ, rexitque autore traditione, sed magno Ecclesiæ suæ incremento, majori pauperum solatio, annis octoginta duobus, miraculis etiam vivens insignis extitit. Exhausta eleemosinis granaria implevit ad preces ancillæ suæ liberalis Dei providentia, anno 1530. & mercedem promissam misericordibus concessit, anno 1532.

II.

AGNES DE *LOPPEINSTEIN*. 1562.

III.

MARGARETA *BOSSEN DE WALDECK*. 1595.

IV.

CATHARINA DE *WILDBURG*. 1628.

V.

ELIZABETH DE *MEZENHAUSEN*. 1641.

VI.

REGINA-ELIZABETH *DE MEZENHAUSEN*. 1666.

VII.

ANNA-ELEONORA-MARGARETA *VON DE'R LEYEN ZU NICKENIG*. 1698.

VIII.

ANNA-CATHARINA-GERTRUDIS *VON WENZ ERNIDER-LAHNSTEIN*. 1699.

IX.

CAROLA-MARGARETA *DE PIESPORT*. 1719.

X.

ISABELLA-EMERENTIANA DE *GULPEN*, hodie laudabiliter præest. 1720.

SEPULCHRA.

Præter varia variorum Comitum, Baronum, Procerumque mausolæa, ac præsertim familiæ de *Manderscheid*, extant magnifica Marchionum Badensium Epitahia, ac præsertim Serenissimæ Principis Mariæ, viduæ Eduardi Badensis, denatæ anno 1636. Item Wilhelmi Francisci Marchionis de *Baden*, & *Hochemberg* Comitis in *Sponheim*, sepulti anno 1645. Item Serenissimæ Principis Mariæ-Lucretiæ Marchionissæ Badensis, tumulatæ anno 1654. Vide Probat. à col. cij. ad col. ciij.

SANCTUS ANTONIUS IN POMERIO.

S. Antonius. Fil. Insulæ B. Mariæ. Diœcesis Harlemensis. Circariæ Frisiæ.

FRanciscanorum ab origine Conventus D. Antonio sacer, extitit, qui Præpositura evasit postmodùm; amotis enim anno 1455. Minoritis, & *Harlemio* pulsis, Antonius *Vande-Plancken*, Abbas insulæ B. Mariæ, in eorum hæreditatem intravit vocatus.

Tenuem mendicantium fortunam in pinguia vertens prædia, tot junxit reditus, quot alendo Canonicorum duodecim Collegio sufficerent. Cùmque monasterii ædificia, aut vetustate caduca, aut distributione minùs accommoda forent, innovavit anno 1484.

A matrice Ecclesia segregatus, & sui juris factus Præpositus, cœpit paulatim Ordinis vigorem imminuere in se, & indulgere subditis liberiorem vitam. Georgius Egmundanus, Trajectensis Præsul, paternis monitionibus ad saniorem mentem, & candidos mores revocare Canonicos & Præpositum enixus est: verùm emendationis tempore, per patientem moram incassùm expectato, ad pristinas sedes Insulæ B. Mariæ remisit tandem Præpositum cum Canonicis, eorumque bona, ac census, assentiente Paulo III. Romano Pontifice, transtulit, anno 1541. die 9. Februarii, ad Xenodochium sanctæ Elizabeth.

Petrus de *Zuyren*, Abbas Insulæ B. Mariæ, iniquiùs ferens extinctam Harlemii Præposituram, & de restitutionis aliquali spe adblandiens sibi, tres submisit Harlemium Canonicos, anno 1545. viros probitate, & scientiâ spectabiles, qui sub obtentu vitalitiam pensionem, extrusis Canonicis reservatam, percipiendi, ibidem morarentur; & laudabili conversatione vulgi gratiam emerentes, ad priorem statum res Præposituræ adducerent. Sed Xenodochii Rectores, ipsaque civitas, ad pauperum necessitates, magis quàm ad Præposituræ restaurationem propensi, omnem præcluserunt collimantibus reditum.

APPELSCHA.

Appelscha. Fil. Lidlumi. Diœcesis Leovardiensis. Circariæ Frisiæ.

MOnasterium Appelschæ in Præfectura Stellingwervica, antiquitùs in Archidiaconatu S. Mariæ Ultrajectensis, & ab erectione Episcopatuum, in Diœcesi Leovardiensi, constitutum, nomen à vico *Appelscha* derivavit. Immutato postmodùm nomine, *Luxmundi* appellatum est. Septuaginta illic vivebant Canonici, ex recensione facta, anno octogesimo septimo post millesimum ducentesimum.

Ad vicum *Schamer*, aliàs *Skiramer*, in finibus Trentowaldiorum, quinto à Groninga lapide, translatum est Cœnobium *Luxmundi*, anno 1296. & fano parochiali additum. Præpositus Schilwoldiæ, pro innata, & hæreditaria in Ordinem, quem profitebatur, repugnantia, monasterium *Lucismundi*, ab Ordine avulsit, & ad Crucigeros, per artes, & Potentum suffragia curavit transferri, anno 1400.

Hist. Episc. Groning. p. 53. Sibrand. Leo in vita Abbat. Lidlumi. tom. 1. monum. sacr. Antiq.

AQUILAR.

Aquilar. Fil. Retortæ. Diœcesis Burgensis. Circariæ Hispaniæ.

EXtrà muros prænobilis villæ de *Aquilar*, Marchionatûs titulo notæ satis, insigne & cognomen monasterium splendet sub editissima rupe, olim asperorum montium latebris, quercetorum angustiis densioribus, sentium anfractibus spinosis, ferarum latibulis, horrida; jam verò, licet eminentiâ suâ, ingratum à Septentrione permittat aspectum, peramœna cultæ vallis planities, arboribus consita, fluminis de *Pisuerga* alveo intersecta, gratissimum à Meridie exhibet obtutum. Fons copiosus subterraneo, longoque meatu è latere rupis exæstuans & erumpens, in tres sectus alveos, monasterium, ejusque septa irrigat & fœcundat, rursùsque in unum confluens, quasi Præmonstratensium famulatui deservire paratus, statim *Pisuergam* inflatus ingreditur.

Opilam Monachorum Abbatem, habuit Aquilarense monasterium autorem, totamque fundationis historiam eventis intextam mirabilibus, testamento suo consignavit anno 822. Monachorum nihilominùs habitationi non destinavit structam ædem Opila Monachus, sed Collegio Clericorum addixit (quantùm ex testamenti, barbariem redolentis, contextu colligitur) quos sub Abbatis regimine constituit.

Cùm verò primus in se administrationem Collegii susceperit Opila fundator, Monachismi schema, quod ex devotione assumpserat, exuisse dicendus erit, ut Clericalem profiteretur cum Clericis regulam: nisi malis conjectando dicere, sequestratam à Clericis turmam Monachorum sacris initiatam Ordinibus, implantasse Aquilarensi cœnobio.

Opilæ, successit Opila alter prioris sobrinus, qui successorem designavit sibi Analsum; cujus ætate monasterium sancti Michaëlis de *Confor-cos* à Comitissa Offressa collatum, annectitur Aquilarensi, seculo decimo inchoante. Ipsa autem Comitissa Religioni se mancipavit, & in capella sanctæ Mariæ Magdalenæ jacet tumulata. Analsum Ceyla excipit; Ceylæ Lecenius successor datus est Roderici Ducis *Dias de Bivar* *, egregiis belli facinoribus celeberrimi, consanguineus, & Alphonso VI. Castellæ Regi charus, à quo in donum accepit Domum sanctæ Eugeniæ in territorio Aquilarensi sitam. Ibi Ecclesiam erexit Lecenius Abbas, quam Paschalis Burgensis Episcopus, consecravit, & in perenne monumentum, lapide incisis caracteribus, hanc inaugurationem posteris tradidit legendam, his verbis: *ob honorem Salvatoris & sanctæ Eugeniæ Virginis, & cæterorum sanctorum, quorum reliquiæ hîc conditæ sunt, Paschalis Burgensis Episcopus consecravit istam Ecclesiam* XVIII. *Kal. Februarii sub æra MC. Abbas Lecenius.*

* Dictus vulgò *le Cid.*

Joannes post Lecenii decessum, regimen capessivit. Defunctos Rodericum Ducem, & Rodericum Comitem Ossorium regio propè funere, uti benefactores munificos extulit, gratus Abbas; qui ad perennandam gratitudinis, & virtutis mavortiæ memoriam, posuit Roderico Duci statuam, præferentem strenuum Equitem, districto, elatoque gladio, insidentem equo.

Andræas Abbatum ultimus, & Ecclesiæ florentis olim, tunc depauperatæ œconomus infidelis, pulsus est cum suis quinque superstitibus Clericis, ut locum faceret Præmonstratensibus. Ecclesiastica & Regalis autoritas nolentes, invitosque, amovit anno 1152. & Sanctium *Retorta* Abbatem, Episcopo Burgensi approbante, Alphonsus VII. in possessionem monasterii S. Augustini immisit; hoc enim nomine appellabatur Collegium, ex nomine patroni, quod ex mutatione loci exolevit postea; cùm enim sedes monasterii primitiva, habitatoribus ingrata, & vitæ necessariis minùs opportuna videretur, ad petitionem Sancti Abbatis, à *Villa Herrera*, ad Ecclesiam sanctæ Mariæ Regalis, haud longè distantem à primo suo situ, translatum est cœnobium ab Alphonso VII. Rege, approbantibus Comitibus *Nuno*, *Alvare*, *Almento*, Patronis Ecclesiæ, qui jus patronatûs ad instantiam Regis, Sanctio transmiserunt anno 1169.

Vix anni effluxerant duo, cùm Andræas exautoratus Abbas sancti Augustini, de repetenda priori sede sollicitus, coram Legato Apostolico Jacintho de *Bobo*, qui ad sedem Petri dein evectus, Cælestini III. nomen habuit, querulosam litem fecit Præmonstratensibus, quasi seculari autoritate freti, in vilipendium ecclesiasticæ potestatis, manus immisissent violentas in Abbatiam. Rei seriem & eventum ex judiciali decreto discimus.

» Jacinthus (a) Dei gratiâ S. R. E. Diaconus Cardinalis, Apostolicæ sedis Legatus, dilectis » in Christo filiis Andreæ Abbati, & univer- » sis Canonicis sanctæ Mariæ de *Aquilar* Præ- » monstratensis Ordinis, salutem in Domino. » Sacro-sanctæ Romanæ Ecclesiæ consuetudo » exigit, ut quoties lis aliqua sub ipsius exa- » mine, judicio, vel concordiâ, legitimum » finem sortitur, negotii series, litterarum » committatur ex ordine monumentis, ne » fortè propter hominum mutabilitatem, quæ » firma debent stabilitate consistere, levitate ali- » quâ valeant temerari. Cùm autem inter vos, » & Andræam quondam Abbatem de *Aquilar*, » cùm aliis Clericis secularibus, qui cum eo » erant, coram nobis quæstio verteretur, su- » per Ecclesiam sanctæ Mariæ de *Aquilar*, » proposuerunt contra vos, laïcali potentiâ » se inde fuisse ejectos, & vos in eandem Ec- » clesiam intromissos. Vos respondetis, vos non » violenter intrasse, sed Burgensis Episcopi au- » toritate, ad cujus jurisdictionem præfata Ec- » clesia pertinet, eandem possidere: quod liqui- » dò monstrabatur, quia idem Episcopus te » Andream Abbatem ad titulum illius Ecclesiæ » in Abbatem benedixit, & te posteà in Abba- » tem confirmavit. Vobis namque in hunc mo- » dum altercantibus, nos malentes causam istam » concordiâ & judicio terminari, licet vos esse- » tis parati sententiam nostram suscipere, par- » tes nostras interposuimus, & tam per nos, » quàm per venerabiles Fratres P.. Burgensem, » & M.. : sanctæ Mariæ Episcopos, & plures » Abbates, aliosque prudentes viros, qui nobis » assidebant, vos ad concordiam statuimus re- » vocare, cujus tenor talis est. »

Præmissis siquidem coram nobis, quòd præ- » fato Andreæ quondam Abbati secularium, » daretis pro bono pacis, Ecclesiam sancti Cy- » priani, duo jugera boum cum omni appara- » tu, triginta oves, viginti capras, quinque » porcos, & tres vaccas, & duodecim modios » tritici; & quando ad Ecclesiam vestram veni- » ret cùm tribus sociis, & tribus equitaturis, » eum reciperetis, etiamsi septies veniret in an- » no. Et ipse debebat omnia prædicta tanquam » bonus pater-familias custodire, & eorum fru- » ctibus vivere, & domum vestram, & Ordi- » nem diligere, & pro posse honorare. Ita ta- »

(a) Cardinalis in *Cosmedin* Adriani IV. legatus, in Pontificem sublectus est 18. Kal. Maii 1190. & Celestini III. nomen accepit.

men,

» men, quòd suprà nominata omnia, post ejus » obitum, Ecclesiæ vestræ ex integro remane- » rent. Quam compositionem præfatus Andreas » recipiens, datâ fide in manu nostra, sicut su- » prà dictum est, eam se observaturum promisit. » Prætereà quinque sociis ejus, videlicet Joan- » ni Martini, Petro Pelagii, Petro Stephani, » Dominico Petri, & Roderico Roderici, qui » præstimonia in eadem Ecclesia habuerunt, » promisistis pro compositione, quòd quandiù » viverent, daretis cuilibet sex modios tritici, » duos Tocinos (a) singulis annis: insuper da- » retis eis decimam vini & totius annonæ, & » animalium, exceptis gallinis, & ovis, præfatæ » Ecclesiæ de *Aquilar*; & de Quineta mortuo- » rum, decimam de caseo, & butyro, & de » lacte, de oleribus ad sufficientiam. Quam » compositionem duo illorum, scilicet Joannes » Martini, & Petrus Pelagii receperunt tam pro » se, quàm pro aliis tribus, quia, ut asserebant » coram nobis, & illis præsentibus, nec contra- » dicentibus, satis haberent. Quocircà de con- » silio venerabilium Fratrum Episcoporum, » Abbatum, & aliorum prudentium, qui no- » biscum erant, procedentes, vobis mandavi- » mus, ut quæ prædicta sunt, illis daretis, ultrà- » que de *Aquilar*, & ejus possessionibus, eis de » cætero non respondeatis; sed in ea secundùm » B. Augustini regulam & Præmonstratensium » tenorem viventes, Deo gratam fraternita- » tem exhibeatis, eamque cùm omnibus per- » tinentiis suis vendicantes, deinceps in omni » pace, ac quietè possideatis.

Rebus ita compositis, anno 1172. inter Clericos seculares, & Abbatem, utique secularem, primos monasterii incolas, ad Ecclesiam sancti Cypriani se receperùnt manumissi Clerici, & sportulas ex concordiæ pactis, annuatim percepere. Suam interim S. Mariæ Ecclesiam, cæterasque cœnobii ædes absolverunt post pacificam possessionem, quieti Præmonstratenses, & anno 1223. regnante Ferdinando III. Rege, Michaële infulam Abbatialem obtinente, 3. kal. Novembris, Templum regio apparatu consecravit Mauritius Burgensis Antistes. Sequenti autem anno Honorius III. Summus Pontifex institutam innovatamque domum, ejus bona, vivendi formam, prærogativas, protectorio diplomate roboravit. Certatim Reges & Episcopi renascentem splendidè Abbatiam cumularunt honoribus, insignierunt privilegiis, & quidem spiritualibus, quorum illud haud infimum putem, quòd Abbas in parochialibus Ecclesiis patronatûs sui, ordinariâ jurisdictione Episcopali gaudeat. In eisdem, aut in earumdem parte maxima mixtum, merumque exercet imperium vitæ & necis arbiter Abbas.

I.

Ex monasterio Retortensi, fœcundo totius Hispaniæ Seminario, primùm assumpsit Abbatem Sanctius Michaelem, quem subductæ Fratrum coloniæ imposuit in *Aquilar*, ad quem Alphonsi VII. diploma, anno 1169.

II.

ANDREAS, anno 1172. pacis inducias fecit, cum cognomine Andrea Abbate sancti Cypriani, & ab Honorio III. confirmationem bonorum Abbatiæ impetravit, anno 1225.

III.

MICHAEL II. inaugurationem Ecclesiæ Aquilarensi procuravit, (si fides Chronico, & cælato lapidi danda sit,) anno 1223. sed annum emendavi, ex authentica Honorii III. Bulla Andreæ inscripta, anno 1223.

IV.

MARCUS præerat 1231. quando sanctus Rex Ferdinandus confirmavit Prædecessorum privilegia.

V.

GARCIAS *GUTTIERRE'S*, cui anno 1243. facta est insignis donatio monasterii sanctæ Mariæ de *Villa aurea*.

VI.

GOMETIUS. Huic Ferdinandus *Sanchez* de *Tobar*, donavit Ecclesiam sancti Petri de *Tobar*. Præfuit ad annum 1256.

VII.

PELAGIUS *ROTZ*, præfuit ad annum 1262.

VIII.

PETRUS *GARCIA*. 1275.

IX

PETRUS II. 1280.

X.

GUNDISALVUS, quem secundum nominant, nos verò primum, spatio deficiente, in quo primum collocemus, nullis alioqui documentis probatum. Huic anno 1291 Toparchæ Sandovalenses monasterium villæ cognominis tradiderunt, & percipiendarum decimarum jus, contrà Canonicos Collegialis Ecclesiæ Aquilarensis stabilivit.

XI.

APPARITIUS, cui donata est Ecclesia sanctæ Eulaliæ *de Lon*, cum pluribus vassallis, in Provincia de *Liebana*. (b) Obiit 1300.

XII.

ÆGYDIUS *DE PEREZ*, gratitudinis ergò concessit Dominis de *Sandoval* vicum de *Rezgada*, cum vassallis. Et an. 1311. Infans Castellæ

(a) Duos petasones.

(b) Est Vallis in montanis Burgensibus, amœnitate, & populorum frequentiâ celebris, in qua situm est S. Turibii, Ordinis Benedictini, Cœnobium.

Petrus, Regis Sanctii filius, roborat jus decimæ, & omnium tributorum, nec non regalium exactionum, quo fruebatur Aquilarensis Abbatia. Addit insuper, ex intuitu Abbatis, & Capellani sui, quem Infans è monasterio solebat assumere sibi, jus percipiendi tributa de Judæis. 1312.

XIII.

JOANNES GONZALEZ, à Dominis de *Sandoval*, villam de *Rezgada* ab Aquilarensibus antehàc acceptam, gratiosè recepit, an. 1317.

XIV.

JOANNES regebat, anno 1337. hujus successor immediatus ignoratur.

XV.

PETRUS III. præsidebat, anno 1405.

XVI.

PETRUS DE *VALBERZOSO* florebat annis 1424. 1427.

XVII.

GUNDISALVUS DE *NESTAR* vivebat anno 1430.

XVIII.

ALFONSUS DE *ESPINOSA*, ad annum 1452. præfuit.

XIX.

JOANNES DEL *PUERTO*, an. 1468. agebat in vivis.

XX.

JOANNES DE COLMENARES S. T. Doctor, Regnorum Hispaniæ Visitator generalis, Capellanus, & à sanctioribus Regum Catholicorum consiliis, Inquisitor pravitatis hæreticæ, & in causa B. Martyris Petri de *Arbues* Cæsar-Augustani Canonici, à sceleratis inter psallendum matutinas interfecti in choro, Judex designatus, Aquilarensem simul, & Retortensem gubernavit Abbatias. Plura eruditionis monumenta conscripsit, quorum præcipua sunt, *Oratio funebris Principis Joannis* habita ad populum; *Epistola ad F. Paschasium Episcopum*, Tractatus *de Inquisitione*, *Sermones de diversis*, *Oratio panegyrica B. Petri Martyris Cæsar-Augustani*: Ordini Cisterciensi horum autorem adjudicat Zurita Historiographus; quâ fide id effecerit contrà publicam fidem, & domesticas probationes, non capio. Nisi fortè magni nominis viros, licito furto, sibi vindicare, juris sit publici. Obiit anno 1512. priùs in Coadjutorem dato sibi.

XXI.

FERDINANDO *DUQUE DE COLMENARES*, patrui degenere nonnihil hærede, cujus tota laus est, laudabilem ætate suâ habuisse, fovisseque, virum P. Hyeronimum de *Castro* S. T. Doctorem, humanis, divinisque litteris instructum, & celeberrimum Concionatorem.

XXII.

GARSIAS DE *VITE*, Canonicus *Vitis*, virtutum opinione notissimus, amoto Ferdinando successit. Et ad annum 1530. rexit feliciter. Eo demortuo, Capitulum spreto Patre Abbate Retortensi, elegit in Abbatem P. Petrum de *Sarmiento*, cui noluit confirmationem impertiri Pater Abbas, sed in electi locum, proprio, & devoluto jure, instituit Abbatem P. Antonium *del Aquila*. Hic paci, & renitentium Fratrum saluti consulens, cessit dignitati. Gallaicus Tribunus nomine *Gayoso*, vacantem Romæ impetravit Abbatiam; sed priusquàm Apostolicæ litteræ conficerentur, jus suum resignavit Didaco *Rubin* de *Celis*, sub pensione octoginta ducatorum. Ex resignatione Abbatiam adiit Didacus, qui in possessione exagitatus, titulum, sub reservatione pensionis, transtulit in Abbatem S. Pelagii de *Arenellis* Alphonsum *Minno*, eâ tamen lege, ut triennalis deinceps foret Abbas.

XXIII.

ALPHONSUS *MINNO*, post evolutum triennium cessit, anno 1538. 16. Aprilis.

XXIV.

ALPHONSUS *DIEZ*, 7. Maii 1538. electus, cessit anno 1541.

XXV.

JOANNES *MORENO* ad annum duntaxat 1542. præfuit. Postquàm enim Alphonsus *Minno* censuris compulsus à Didaco *Rubin*, ob non solutam pensionem, Romam petiisset, iterùm abdicat Abbatiam, in favorem Petri de *Villaroel*, cum onere pensionis solvendæ Didaco *Rubin*.

XXVI.

PETRUS DE *VILLAROEL*, Prior Ecclesiæ Vallis Oletanæ, Abbatiam ex resignatione adiit, anno 1542. & ne triennalis electus Joannes *Moreno*, de sua dejectione nimiùm gravaretur, Priorem perpetuum fecit. Præfuit ad annum 1564.

XXVII.

DIDACUS DE *ANGULO*, in vim sessionis 25. Concili Tridentini, cap. 21. datus est Æmulus Petro de *Villaroel* Commendatario, ab Abbate Retortensi, electionem Conventûs moderante, & exclusum à sua dignitate secularem Petrum, ob non emissam à semestri professionem, prætendente. Ingens, & dispendiosa lis inde suborta, quam amicabilis compositio terminavit.

XXVIII.

INNOCENTIUS DE *SOBREMONTE*, anno 1572. Abbatiam obtinet.

XXIX.

DIDACUS DE *VERGARA* in primo Provinciali Capitulo ad S. Mariam de *Hortis* Segoviensem congregato, Abbas triennalis eligitur, ad tenorem Constitutionum Reformationis in eodem intimatarum, anno 1573.

XXX.

ANTONIUS DE *TAPIA*, electus anno 1576.

XXXI.

FRANCISCUS DE *MELGAR*, Canonicus Charitatis, electus anno 1579. Ecclesiam tabellis, sculpturis, clatris, organis, sacerdotali supellectile ornavit.

XXXII.

DIDACUS DE *MANDIETA*, Canonicus S. Michaelis de *Trevino*, electus anno 1582. per Conventum, autoritate Gregorii XIII. toto rexit triennio, vir sanctitatis famâ spectatissimus.

XXXIII.

THOMAS DE *QUIXADA*, Canonicus *Vitis*, insignis Ecclesiastes, sacræ Scripturæ interpres eximius, non paucis eruditionis suæ monumentis superstitibus clarus, eligitur à Conventu, & ad annum 1588. rexit.

XXXIV.

DIDACUS *MARTINEZ*, Aquilarensis Canonicus per Conventum electus, à P. Provinciali suspenditur, sed à Nuntio Apostolico, causâ examinatâ, restitutus, præfuit ad annum 1591.

XXXV. & seq.

Ne in fusiori syllabo triennalium Abbatum attexendo, onerosi simus Lectori, sat fuerit specialis notæ viros, missis aliis, recensere. Magistrum ergò Hyeronimum de *Ona*, qui & Generalis Reformatoris locum tenuit, appellabo, electum anno 1603. quem præcesserat Joannes *Terreros*, quondam Provincialis. Referam Michaëlem de *Ayla* anno 1615. electum, Ferdinandum de *Rebolledo*, obsequiis misericordiæ, pestiferis ab illo impensis, sub annos 1630. 1631. inclytum; Ferdinandum de *Zaldivas*, singulari doctrinâ prædium; Michaëlem *Merino*, ad Generalatûs* provectum apicem; Norbertum *Alvarés*, electum anno 1645. jurium sui monasterii adversùs Marchiones d'*Aquilar* strenuum vindicem; Joannem *Gonzalez* de *la Cuesta*, politiorum artium, & Architecturæ peritissimum; Franciscum de *la Castaneda*, virtute, & Religionis observantiâ spectabilem; Angelum de *Arze*, Concionatorem generalem perpetuum; Sebastianum de *Zevallos*, doctrinâ clarissimum, mortificationis, & patientiæ exemplar; Hyeronimum *Gonzales Thenorio*, in S. T. laureatum, Concionatorem generalem perpetuum, qui anno 1721. feliciter regebat, habens sub se triginta Canonicos, diu, noctuque famulantes Deo, & vicinis exemplo prælucentes.

* Hispaniæ.

PATERNITAS.

Exercet jura Paternitatis Aquilarensis Abbas
1°. In Parthenonem sanctæ Mariæ de Villaaurea, vulgò *Villoria*, olim Canonicorum Præmonstratensium, nunc Canonissarum Cœnobium.
2°. In Monasterium S. Joannis de *la Penna*, ab Ordine similiter avulsum.

PAROCHIÆ.

Sancta Columba, in villa de *Salazar*, à quatuor Canonicis deserviri antiquitus solita. Illic miraculum accidisse testantur Chronica monasterii Aquilarensis, & in hunc referunt modum. Quâdam die unus ex Canonicis nostris, non exigui meriti, ut factum probat, volens Sacrum peragere, & vinum pro sacrificio celebrando deesse cùm videret, à quodam Judæo ibidem inhabitante, & vini copiam habente, petiit; quod cùm perfidus ille denegaret, Sacerdos Dei, fidei zelo armatus, & spe, ac fiduciâ plenus, aquam ex proximo fonte Acolythum haurire jubet, quam in ampulla allatam, in vinum mirabiliter conversam reperit, unde & divinæ Majestati immaculatum justitiæ, & gratiarum actionis Sacrificium lætus obtulit. Manifestante Deo in eventu tam mirabili, & nostræ fidei Catholicæ apertum testimonium, & hæreditariam Norbertinæ legitimæ prolis fiduciam, nec minùs Judaïcam cæcutientis populi, (si forte resipiscat) perfidiam. Fons autem ille, ex quo hausta fuit aqua in vinum conversa, usque in præsentem diem, in rei memoriam *fons miraculi* ab Incolis appellatur.

Monasterialis sanctæ Mariæ parochia, cum filiali sancti Augustini Ecclesia in *Herrera*, & sanctæ Julianæ in *Corvio*.
Sancti Salvatoris in vico de *Enestares*.
S. Michaëlis de *Brannosera*.
S. Euphemiæ de *Valberzosa*.
S. Petri de *Tobar*.
S. Martini de *Medianedo*.
S. Mariæ de *Zilla-major*.
Habet & alias parœcias, quarum jus patronatûs penes Abbatem residet.

SACRÆ RELIQUIÆ.

In statua B. Mariæ tutelaris Patronæ monasterii, conditæ sunt Portio lapidis, cui Christus cælos petens, insidebat; & Exuviæ SS. Ju-

lianæ, Basilicæ, Eulaliæ, & S. Jacobi Apostoli.

In statua S. Joannis Baptistæ, artis exquisitæ, recluduntur Reliquiæ SS. Andreæ Apostoli, Lucæ Evangelistæ, S. Joannis Præcursoris, SS. Justæ, & Ruffinæ.

Statua S. Pelagii Episcopi Cordubensis, quam Fundator Opila reperit, continet Reliquias S. Stephani Proto-Martyris, SS. Innocentium, S. Theodori, S. Demetrii, SS. Nazarii & Celsi.

Has inter Imagines eminet statua Christi in sepulchro jacentis, quam à Nicodemo sculptam inveterata traditio asserit, & à temporibus Opilæ, ad radices elatæ rupis, ab Alpidio fratre illius detectam, in loco qui *la fetura* dicitur, ubi, furente Maurorum Hispaniam devastante bello, à Christianis fuerat absconsa. Inventionis istius memoriam Festo solemni celebrant quotannis Canonici seculares Collegialis Ecclesiæ Aquilarensis, & quoties imminet irati Dei, aut aëris inclementis flagellum, toties magno apparatu, concursu populorum incredibili, Clero numeroso stipante; sequentibus semper signis, circumfertur. Sileo miracula à multis retrò seculis, ad nostram ætatem patrata, quorum illud vel maximum occurrit, quod è latere effigiati Christi, exhalet suavissimus, & jugis odor.

MAGNATUM SEPULCHRA.

Tot Procerum mausolæis splendebat Aquilarensis Ecclesia, ut sacris functionibus obeundis, vix spatium relinquerent. Unde amotis Cenotaphiis, collecta sarcophagis ossa humi mandata sunt. Has inter Exuvias numerabantur Ossoriorum, Sandovalorum, Castanadarum, Faxardorum, Menriquesiorum, Figueroarum, aliorumque Hispanicæ Nobilitatis corpora. In Capitulari loco, medius est lapis fœminam referens, sequenti epigraphe, corrosis penè caracteribus ornatam.

»Nata de claro sanguine, sublata jacet hîc
»Agnes tumulata, Adonis fœcunda, pia, mi-
»tis, à crimine munda, prudens, facunda,
1301. »procul est à morte secunda. Æra 1339.

Ad dexteram hujus monumenti, est aliud Militis, Ducisvè effigiem exhibens, ad cujus caput legitur.

»Condidit hoc monumentum, Regula ma-
»gnificus, prudens, & pius, amicus, cujus
»erat cura, nobis deffendere jura. Hîc jacet
»Nunnius Diaz de Castanneda, Deus ani-
1293. mæ ejus parcat. Æra 1331.

Ad sinistram verò tumuli Agnetis, sponsus ejus, sub lapide cælato & inscripto jacet.

»Hîc jacet D. Petrus Diaz de Castenneda,
»maritus Dominæ Agnetis Rodriguez de
1300. »Villalobos. Æra 1338.

Ad Altare S. Pelagii, ad parietem, & sub arcu, jacent Ferdinandus *Diaz*, filius Didaci *Fernandez* Ducis, Gometius de *Quixada*, & hujus uxor Maria, qui anno 1280. donarunt Aquilarensi monasterio oppidum, & Ecclesiam de *Zilla-major*, cujus modò Abbas habet dominium spirituale, & temporale.

In Capella S. Mariæ Magdalenæ septem conspiciuntur sepulchra, quorum inscriptiones plurimæ fugiunt oculos legentium: has in antiqua tabula legibiles, subjicimus.

Hi sunt Filii Nobilium, & Proceres, quorum corpora jacent in hac Capella. Domina Offressa; hæc est, quæ post Comitem Ossorium, donationibus ditare cœpit hoc monasterium. Domna Maria Ximena, filia Ximenii Gonzales de los Cameros. D. Joannes Perez, filius Joannis Diaz, & nepos D. Comitis Gometii, & Comitissæ Domnæ Æmiliæ. D. Ferdinandus Alvarez Ximenés, filius D. Alvari Ruiz Ximenés, & Domnæ Todæ de Guzman. D. Ferdinandus Ruiz, Comes de Valduerna, & Asturicæ, Pater Domni Roderici Fernandés, cognominati *El feo** qui Fundator extitit monasterii Ordinis nostri de Villa aurea propè Asturicam, olim Canonicorum, nunc Monialium. Guterius Ruiz Duque, D. Garzias Ruiz Duque, fratres. »

*Deformis.

In Capella S. Jacobi, jacet Domna Sanctia de *Roxas*, uxor D. Gometii *Manrrique*, Castellæ Præsidis majoris.

Circà Sacristiam est & aliud sepulchrum, sub hac inscriptione.

Hîc jacet Joannes Farxardo, Præses de Murcia. »

Et non procul ab illo, extat.

Hîc sepulti jacent illustres, & honorati Equites D. Ferdinandus Diaz, filius D. Didaci Fernandés Duque: & D. Joanna uxor ejus, & D. Arias Gomes Quixada, cum uxore sua D. Maria. Æra 1318. »* * 1280.

In claustro cernuntur mausolæa Opilæ I. Abbatis, & Sanctiæ uxoris D. Lupi Diaz, sub æra 1221. demortuæ 17. kal. Decembris. Tumulo autem illius imminet appensa ad parietem hæc inscriptio.

Hîc jacet D. Sanctia de Frias, uxor Lupi Dias, filia D. Didaci d'Assures, Comitis Asturicensis, & fratris D. Comitis Petri Assures, quæ Monasterium S. Mariæ de Buxeto, nobis ædificavit. »

Sed & in Ecclesiis monasterio adhærentibus, præsertim in Ecclesia SS. Apostolis Petro & Paulo dicatâ, prostant monumenta Heroum. Visitur enim illic arctissima specus, penè relinquens locum sarcophago lapideo, cui obliteratis nonnihil litteris, hæc imposita est Epigraphes.

Aqui jaze sepultado el ezforsado y noble
Cavaller ô Bernardo del Carpio defensor

»del Espanna Hijo de D. Diaz Condé del »Saldana y de la Infanta Domna Ximena »Hermanna del Rey D. Alonso el Segundo, »vamado el Casto, murio el anno de 850.

Quod latinè redditum sonat.

»Hic jacet tumulatus strenuus, & nobilis E»ques Bernardus à Carpio Hispaniæ deffen»sor, filius Sanctii Diaz, Comitis de Saldania, »& Infantissæ Domnæ Ximenæ sororis Re»gis Alphonsi II. Casti cognominati. Obiit »anno 850.

Ille Bernardus bellicis virtutibus & victoriis celebratus apud Historicos, ab aliis exsufflatur, uti suppositius heros. Verùm muti lapides existentiam illius clamant, & effossum, spectante Carolo V. Rege & Imperatore, sepulchrum, damnavit incredulos spectatores. Gladium Bernardi adhærentem lateri cadaveris, sustulit ex reverentia Princeps, & in armamentario Matritensi deposuit.

Intrà specum eandem sepultus fertur Ferdinandus *Gallo* Burgensis, Bernardi Vexillifer, qui in prælio de *Ronzevalles*, adversùs Gallos fortiter inito, oculum non vexillum potuit amittere. Illius lapidi insculpta idiomate hispanico verba isthæc leguntur.

Pues en la vida Bernardo
Seguimos buenas venturas
Juntemos las sepulturas.

Quasi latinè dixeris,

Ergo si in vita, Bernarde,
Æquavimus gesta pulchra,
Jungamus modò sepulchra.

In Ecclesia S. Salvatoris de *Sandoval* olim monasterio, nunc Prioratu, ab Aquilari pendente, cernuntur Sandovaliæ gentis, & Progenitorum illustris prosapiæ Ducum de *Lerma*, insignes tumuli; ad cornu Epistolæ, jacet Didacus de *Sandoval*, mortuus anno æræ hispanicæ 1219. Illi adjacet Domna Gontroia, uxor 1181.
Gutrei *Dias*, denata æræ hispanicæ anno 1309. 1271.
à parte Evangelii, requiescunt Maria *Gomes* de *Sandoval* 1341. æræ hispan. Domna Thetesia uxor Gundisalvi 1447. æræ hispan. 1303. 1409.

In Ecclesia S. Petri de *Tobar*, Prioratu Aquilarensi, jacent Dynastæ loci Fernandus, Sanctius de *Tobar*, eorumque posteri, satores generis & familiæ Marchionum de *Versanga*. Vide Probat. à col. ciij. ad col. cxj.

ARDEÏA.

Ardeia Fil. S. Augustini Tarvanensis. Diœcesis Bononiensis Circaria Flandria.

A loco sui sitûs, & ab oppido cognomine, Tarvanensis olim, nunc Bononiensis Diœceseos, hæc Abbatia suum sortita est nomen. Arnulphum *Ardeia*, vulgò *Ardres*, Dominum, habuit fundatorem, anno 1069. Canonicis secularibus hanc ab origine deputaverat Ecclesiam, à Drogone Tarvanensi Episcopo, eâ donatam libertate, quâ gaudebant Canonici Audomarenses. Anno 1144. Balduinus Arnulphi hæres & nepos, elanguidam dolenter videns Canonicorum in obeundo Dei servitio observantiam, Præmonstratenses Canonicos, Milone Tarvanensi Episcopo incentore, subrogavit. Ita Meyerus, *Annalium Flandriæ* l. 4. f. 44. v. Miræus *Chron. Præmonst.* 113. Et ne fortuitus scribentis videretur error, in novissima Diplomatum Belgii editione, à Francisco *Foppens* orbi litterario traditâ, & notis adornatâ, anno 1723. f. 179. Summista capitum, hæc Balduini chartæ verba præfixit. *Balduinus Ardensis Toparcha, Ardense Canonicorum secularium Collegium, ab avo suo Arnulpho fundatum, vertit in Canonicorum regularium Ordinis Præmonstratensis Abbatiam, anno 1144.*

In ore duorum vel trium testium, quos antiquitatis explorandæ amor, & in discernendis genuinis diplomatibus sagacitas, vix ulli secunda, subvexit in judices, stare omne verbum debere assererem, nisi evidentia, chartarumque inspectio utrumque authorem erroris arguerent. In promptu probatio hallucinationis adest: sic enim habet Balduini præceptum, à Miræo, & Chesnecio, in *probat. Familia Gishnensis*, fol. 170. relatum.

Balduinus, Dei permissione, hæres, & Do« minus Ardeæ, Ecclesiæque S. Audomari Ar« densis dictus Præpositus... Cum Præpositura « Ardensis Ecclesiæ, nobis hæreditario jure suc« cesserit habenda, hinc Clericorum sive Cano« nicorum, in eadem Ecclesia servientium con« siderans negligentiam, hinc periculum, & « æternum animæ pensantes excidium... quæ« dam altiora super Ardensis Ecclesiæ statu, al« tiore consilio destinavimus. Accepto itaque, « super ejusdem Ecclesiæ ordinatione, divino « responso, sanoque consilio à Domino Milone, « Morinensis Ecclesiæ Episcopo,... in quietam « possessionem dedimus venerabili Abbati « Theodorico, & Monachis S. Mariæ *de Capella*, « in villa, antiquo nomine *Brugnam* dictâ, de« gentibus, & eorum successoribus omnia jura, « omnesque dignitates, quæ in Ecclesia S. Au« domari Ardensis nobis hæreditario jure suc« cesserunt, totamque eandem Ecclesiam cum « universis Ecclesiæ rebus... perpetuo jure pos« sidenda. Hoc addito, quòd mortuo uno jam « dictæ Ecclesiæ Clerico, vel Canonico, succe« det ei Monachus; sicque mortuis omnibus « Canonicis, Monachi succedent in locum Ca« nonicorum... Hujus rei testes sunt Dominus «

» Milo, Morinensis Episcopus, Præmonstratensis Ordinis Canonicus. . . facta est autem » hæc Transactio in Ecclesia S. Audomari Ardensis, & in plena Synodo Tarvanæ solemniter recitata, & approbata, Dominicæ Incarnationis, anno 1144.

Non eget commentariis planissima Balduini charta. Transfert Ardensem Præposituram Monachis *de Capella*, quæ est Abbatia Ordinis S. Benedicti, propè Caletum, ab Eustachio II. Boloniensi Comite fundata: nullum ibi verbulum de traditione Ardeii facta Præmonstratensibus, uti per oscitantiam Editor Miræi nuperus Capiti LVIII. appinxit.

Transcriptionem hanc posteriora Acta firmaverunt, ut in Lamberto Ardensi, Comitum Ghisnensium historiographo legere est: adeo ut spatium fingi non possit, in quo Balduinus, pœnitens immutationis per eum factæ, alios, pulsis monachis, ad Ardense monasterium convocaverit inquilinos. A feris nepotibus paternæ dispositionis vindicibus, nihil legimus innovatum. Adde quòd, excepto Myræo, nullus, cujuscumque ævi, catalogus, Ardensem Abbatiam Ordini Præmonstratensi adscribat.

ARDENA.

Ardena. Vel Lucerna. Diœcesis Bajocensis Circaria Normaniæ.

* Herman. p. 166.

ARdena, uno ab Cadomensi urbe milliari sita, in agri Bajocensis penè meditullio, fundatores habuit Ajulphum de *Foro*, quem nuperus Bajocensis Ecclesiæ scriptor gallicus * appellat *Arnould du Four*, & Asselinam ejus uxorem, generis nobilitate præcipuos, tenerâ in B. Virginem devotione commendabiles, & in promovendo ejus cultu fervidos. Illos iterato monitu excitatos, & visione provocatos mirabili, incessit ardor ædificandæ Ecclesiæ, in honorem B. Mariæ in Ardena. Propositum firmavit Gislebertus, patriâ Cadomensis, è Præmonstrati, vel, ut aiunt, S. Judoci * monasterio, ad prædicationem, pro more sui tunc vigentis Instituti, à divo submissus Norberto. Appellentem benignè exceperunt Ajulphus, & Tesselina; consilium de supernis infusum suo communicant Hospiti, ad locum sibi præmonstratum deducunt, & quantis possunt precibus, virum cogunt struendæ quamprimùm Ecclesiæ curam in se ut assumat. Ac ne seminanti spiritualia, deessent temporalia, quibus sustentaretur, septem acras terræ concesserunt, ad victum. Favit supplicum votis Gislebertus, dumque materiali templo pias manus admovent fundatores, ipse discipulos verbo & exemplo adunare satagit, qui vitæ genus æmularentur.

* Vide quæ diximus in Abbatia Lucernæ.

Hist. de Bayeux, p. 102.

* Douvre.

Sub Episcopatu Richardi II. filii Sampsonis Dynastæ *Dubris*, * primaria hujus Ecclesiæ fundamenta locata sunt, anno 1121. ita San-Marthani, Arthurus de *Monstier* & *Herman*; quibus fortè facem prætulit vetus Chronicon Ardenæ, gothicis caracteribus scriptum, anno quidem incerto, sed nullatenùs coævo fundationi.

Quoniam verò angustius Templum erat, aliud excitatum est decentius, & à Richardo III. Episcopo Bajocensi, filio Roberti Comitis Glocestriæ, nothi Regis Angliæ Guillelmi cognomine Rufi, consecratum est anno 1138. illicque regulares Canonicos, quos Gislebertus in Christo genuerat, inseruit, concedentibus Villelmo de *Baron*, Oleardo de *Hermanvilla*, Waltero, & Garino Monacho, filiis Ajulphi de *Foro*. Prima hæc fuisse congregati Canonicorum cœtûs, exordia, judicares ex Richardi Episcopi diplomate, nisi ex ejusdem textu adverteres plura præcessisse dona Canonicis Ardenæ facta, ante consecrationem Ecclesiæ majoris. Solus cavillator alios quàm Præmonstratenses, ab origine incolas Ardenæ, dixerit; licet enim Præmonstrati vox, in tabulis non appareat, in traditione legitur, asseccurante perpetuitatem nostri Ordinis in hoc monasterio. Adde quòd reticentia *Præmonstratensis Ordinis* passim in aliorum Cœnobiorum diplomatibus reperitur, absque Ordinis præjudicio: aut si quod infert, stare debet, etiam ex Ardena proscribendum Ordinem tempore Richardi I. Regis, conclude; cùm in ejus chartis post annum 1189. Ardenæ concessis, non Præmonstratenses, sed simpliciter, *Canonicos regulares*, appellet, Ardenæ Ascetas. Nihilominùs irrefragabili testimonio Lucii Papæ II. constat, quòd ab anno 1144. sub Gisleberto *Augustini Regulam, & Institutionem Fratrum Præmonstratensium* profitebantur Ardenenses.

Constitutum monasterium Bajocenses Episcopi speciali favore, & largitionibus magnis excoluerunt: Reges Angliæ Richardus, & Joannes, illud ab omni tributo liberum, auxerunt Baroniâ de *Thesnariis*. * Quo autem anno ex Prioratu in Abbatiam sublimata fuerit Ardena, non adeò clarum est. A Philippo d'*Harcourt* Bajocensi Episcopo, & Richardi III. successore, Romam deductum Gislibertum Priorem narrant fastus Ardenses, illicque à Lucio II. obtinuisse confirmationem bonorum Prioratûs sui, anno 1144. In charta Henrici Bajocensis Episcopi de anno 1191. datâ Rothomagi, sistitur ut testis Gilbertus Prior Ardenæ. Diversum à Gisliberto, qui primævam fundationem anno 1121. excepit, suspicatur Autor *Neustriæ piæ*, idque annosa suprà modum ætas suadet. Supponamus enim annos attigisse triginta, dùm prædicaturus Evangelium Gislibertus appulit Cadomum anno 1121. consequens erit anno 1191. habuisse ætatem centenariam, & ultrà,

* Thesnieres.

quandò testis comparuit chartæ Henrici Episcopi. Prætereà Guarinus primus Ardenæ Abbas, in locum defuncti Gisleberti suffectus, obiit anno 1180. non ergò Gilbertus, testis chartæ Henrici, idem esse potuit, ac Gislebertus, cooperator fundationis Ardenæ. Putarem ego paucis ab Italico itinere diebus supervixisse Gislebertum. Illius meminit Necrologium Kal. Junii. » Commemoratio B. Patris » Gisleberti primi Superioris hujus Ecclesiæ; » eamque fundavit anno 1121. & multos an- » nos in magna pietate rexit, & auxit.

I.

» Defuncto autem Gisleberto, pergit Chro- » nicon, Valterus, filius Ajulphi fundatoris, pro » zelo, & affectu maximo, quo monasterium » Ardenæ prosequebatur, Præmonstratum se » contulit, ibique summis precibus, & lacry- » mis à Capitulo generali petiit, ac tandem ob- » tinuit, idem monasterium in Abbatiam pro- » moveri. Decreto igitur Capituli generalis » Canonicis Ardenensibus exhibito, Frater » Guarinus Abbas primus Ardenæ electus est.

Erat ille Fundatoris filius, & inceptum à Gisleberto monasterium, opere complevit. Mortuus anno 1180. in Patris tumulo sepelitur.

II.

ROBERTUS viginti sex annis summâ laude monasterium rexit, & anno 1206. omnium calculo dignus inventus est, qui ad totius Ordinis apicem ascenderet. Vita posterior Electi, spem delusit Electorum; luxui, dissolutioni, liberalitati licentiùs indulgens, loco & dignitate motus est.

III.

NICOLAUS unà cum 25. Religiosis à ruente Templi fornice oppressus, interiit, circà annum 1230.

IV.

RADULPHUS. 1260.

V.

GUILLELMUS. 1282.

VI.

THOMAS Canonicus de *Monte Dei*, obiit anno 1297.

VII.

JOANNES *LE BLOND*, Templi instaurationem cœpit, & esse desiit anno 1324.

VIII.

NICOLAUS *AUBERT*. 1360.

IX.

GUILLELMUS *GRAVERON*. 1385.

X.

GERVASIUS. 1395.

XI.

MATTHÆUS *JOURDAIN*. 1399.

XII.

HENRICUS. 1404.

XIII.

PETRUS. 1427.

XIV.

ROBERTUS *CHARTIER*, claustrum extruxit, Chartularium compilavit: Carolum VII. Regem Galliæ, Cadomum ab Anglis occupatum, obsidentem anno 1450. excepit hospitio; & post expugnatam civitatem 6. Julii, Rex in gratitudinis argumentum, stemma Abbatiæ Liliis aspersit. Hinc bipartita insignia gestant Ardenenses. In primo, cæruleum campum Liliis sine numero aureis micantem. In secundo, B. Mariam Virginem stantem pedibus suis. Septimo Maii fatis functus Robertus anno 1464. ad gradus Presbyterii majoris altaris, sub hac Epigraphe, tumulatur.

Hic jacet Dominus Robertus piæ memoriæ, quondam hujus monasterii Abbas, qui eidem utilissimè ac honorificentissimè triginta septem annis præfuit, maxima bona procurando.

XV.

JOANNES *DU PONT*, mente & corpore, sub ætatis deliquium, fatiscens, Coadjutorem Joannem *Turgis* è Monte-Dei, oblatum à Generali Ordinis recusavit, &, licet viribus impar, Abbatiam cum morte sola, voluit commutare. Obiit anno 1478.

XVI.

RICHARDUS *DE LA VAL*, Lucernæ itidem Abbas, utramque gessit usquè ad mortem, quæ obtigit 20. Martii 1496.

XVII.

RICHARDUS *DE LA VAL*, secundus, primi nepos, & utriusque Abbatiæ hæres. Ardenensi postmodùm unicâ contentus, illic 21. Septembris occubuit 1507.

XVIII.

PETRUS *DE LA VAL*, Rector Ecclesiæ de Rupella, per resignationem patruelis sui Richardi secundi à Julio secundo admissam, primus Ardenæ Commendatarius Abbas extitit. Anno 1515. quâ arte Abbatiam obtinuerat, eâdem transtulit in Petrum *du Vivier*.

XIX.

PETRUS *DU VIVIER*; ad instantiam Religiosorum, Abbatiam in pristinum regularitatis statum restituit cessione spontaneâ. 1523.

XX.

THOMAS DE *CHAUVAT*, ereptum è fecularibus titulum, proditoriè, & inter epulas, rursùs ad feculares devolvi patitur, per refignationem ultroneam, anno 1540.

XXI.

MARGARINUS DE *LA BIGNE*, Officialis Bajocenfis, Doctor Sorbonicus, fcriptis in orbe litterario notiffimus, 7. Decembris 1558.

XXII.

BAPTISTA DE *VILLEMOR* ab Henrico II. nominatus, Abbatiam adiit 1560. Annis 39. in fumma temporum varietate, inter bellorum, & hæreticorum turbines fedit, & luxit expilatam Ecclefiam, ad excidium ufque ruentem domum, fugatos ab ingruente hæretico Religiofos. Duobus vix poft ruinam fuperftitibus domi Canonicis, refurgendi ex tanto cafu Ardenæ nulla fpes affulgebat; defperatum tamen opus P. Joannes *de la Croix* Bellæ-ftellæ Canonicus, vir pietate, zelo confpicuus, aggreditur, & perficit. Difperfos revocat, ædificia regularia reftituit, obfervantiam ex integro reftaurat, cooperante Baptiftâ *de Villemor*, qui Abbatiam fratri refignans, ceffit anno 1609.

XXIII.

PETRUS DE *VILLEMOR*, Parifienfis Senator, fratris fui nullatenùs veftigiis infiftens, aufterum Religiofis, ac Reformationi adverfarium fe exhibuit. Tandem pro bono pacis, ceffit an. 1613.

XXIV.

GUILLELMUS DE *GOLLODE'* habitum & Ordinem profeffus, nec habitum moribus honeftavit, nec Ordini favit, totam domûs fubftantiam deglutiens, affignatâ fingulis Canonicis ad arctum victum modicâ penfione. Refignavit primùm Ludovico *Goffelin*; fed re infectâ, & mutato fenfu, ceffit in favorem Georgii *Sallet*, anno 1637.

XXV.

GEORGIUS *SALLET*, filius Georgii in Curia Rothomagenfi Procuratoris Regii, pacem & uberrimos ab inftallatione fua fructus attulit Ardenæ. Majores pollicentem mors intercipit 8. Septembris 1641. Ardenæ fepultus eft in Capella S. Norberti.

XXVI.

ANTONIUS DE *MORENVILLIER*, Capellanus olim Georgii *Sallet*, dein in Abbatia fucceffor. Ejus tempore, P. Joannes *de la Croix*, poft inductam Reformationem, poft reparata ædificia, poft aggregatam Congregationi antiqui rigoris Ardenam, anno 1629. poft quinquaginta annos in Prioratu utiliter & fanctè completos, obiit pridie Nonas Januarii 1654. natus annos tres fuprà octoginta. Defiit verò Antonius *de Morenvillier* anno 1661.

XXVII.

HENRICUS *LAISNE'*. 1670.

XXVIII.

LUDOVICUS-ANNAS *AUBERT*, Bullas obtinere non valens, ceffit. 1671.

XXIX.

LUDOVICUS DE *FOURBIN DE LA MARTHE*, in virtute refignationis, & Arrefti Senatûs Caftrenfis, poffeffionem arripuit, anno 1671. & fequenti poffefforem exclufit.

XXX.

JOACHIMUS *FAUTRIER*: Bullas impetravit anno 1673. Defiit vivere anno 1709.

XXXI.

GASPARUS *FOGASSE DE LA BASTIE*, Doctor Sorbonicus, Archidiaconus Carnotenfis, & Vicarius generalis hodiè poffidet 1725.

PASTORATUS.

Blanca-herba——*Blanche-herbe.*
Sanctus Conteftus——*Saint Conteft.*
Coulomb.
Brolium——*le Breüil.*
Bladum——*Blaid.*
Secretus fons——*Segrie-fontaine.*

Hi fex Paftoratus, in Diœcefi Bajocenfi.

Menilium——*le Mefnil.* Sagienfis Diœcefis.
Cuyum——*Cuy.* Sagienfis Diœcefis.
Sancta Trinitas in Eremo——*Sainte Trinité de l'Ermitage.* Diœcefis Bajocenfis, Capella.
Sanctus Nicolaus. Sagiens. Diœc. Capella.
S. Thomas. Bajoc. Diœc. Capella.
S. Conteftus de Athia, Paftoratus; Diœc. Bajocenfis.
S. Quintinus de Ella——*d'Elle*, Paftoratus Diœc. ejufdem.
Berjou. Ejufdem Diœcefis Parochia. Vide Probat. à col. cxj. ad col. cxv.

ARNSBERGA.

ARNSBERGA.

Arnsberga. Fil. olim Insulæ B. Virginis, nunc Knechstedii. Diœcesis Coloniensis.

ANno 1170. ab Henrico Comite Arnsbergensi fundatur Arnsbergæ Monasterium, quod & *Wedinghusanum*, à primo loci Toparcha Wedekindo, magno Saxoniæ Duce, dicitur. Ab arce Arnsberga quadringentis circiter passibus dissitum, in amœno colle positum & ad Ruram* amnem, vastissimum aliquod visuque pulcherrimum, Theatrum exhibet. Pium Henrici Comitis opus Philippus & Bruno Colonienses Archiepiscopi, laudaverunt; confirmavere posteà Celestinus & Gregorius Summi Pontifices; magnisque tum fidei, tum pietatis exemplis ab origine sua, sed præsertim funestis hæreseos Lutheranæ, & promotoris illius, Hermanni de *Weda* Archiepiscopi Coloniensis, temporibus, refulsit hoc cœnobium, cujus Rectores primò Præpositi, dein Abbates extiterunt. Horum antesignagnus fuit.

* *Roure.*

I.

REINERUS, cujus beata mors fastis consignatur ad annum 1184.

II.

CHRISTIANUS Bullam confirmationis à Celestino III. obtinuit an. 1196. Henricum Comitem & Fundatorem monasterii, uxore illius Ermengarde defunctâ, ad habitum Religionis admisit, ex discipulo sancto, sanctitatem magistri conjice, defuncti circà annum 1200.

III.

ARNOLDUS, sicut & prædecessor, sub Abbatis nomine circumfertur 1218.

IV.

HERMANNUS DE *STOPHENBERG*, nobilitatis inclytæ Præsul, & disciplinæ vindex acerrimus, in causa Friderici Abbatis Clarholtensis judex à Gervasio Abbate Præmonstrati delegatus anno 1219. inutilem & nocivum Ecclesiæ Abbatem deposuit.

V.

HARTMODUS, à Gregorio IX. obtinuit Bullam, quâ cavebat, ut nullus, aut subreptionis astutiâ, aut violentâ manu Præposituram invaderet, sed is tantùm, quem communis consensus, vel Fratrum pars major eligeret, secundùm Deum, & B. Augustini regulam. Circa annum 1227. decessit.

VI.

HARTWINUS fatis fungitur anno 1237.

VII.

OTTO 1241.

VIII.

WILLELMUS 1250.

IX.

HENRICUS 1269.

X.

EUSTACHIUS, *Dei patientiâ* Præpositum Arnsbergensem se inscribit anno 1270.

XI.

WIGARDUS 1297.

XII.

GERARDUS 1313.

XIII.

JOANNES *MAKEN* 1320.

XIV.

THEODORICUS 1321.

XV.

HENRICUS *L'ANGE*, cessit anno 1339.

XVI.

GERARDUS II. 1346.

XVII.

BERTHOLDUS, anno 1351. à Judicibus laïcæ potestatis suprà modum divexatus, impetravit ab Electore Coloniensi inhibitoriales litteras ad omnes Westphaliæ Judices, ne tale quid denuò præsumerent, sed causæ ad Officialem Coloniensem, si quas Arnsbergenses haberent, deferrentur judicandæ. Obiit anno 1348.

XVIII.

HERMANNUS DE *MEDEBACK* 1370.

XIX.

BURCHARDUS, ex Pratanis annalibus.

XX.

GODEFRIDUS DE *PLETTENBERG* 1392.

XXI.

HYERONIMUS vivebat anno 1400.

XXII.

ARNOLDUS *WULFF* 1408.

XXIII.

CHRISTIANUS.

XXIV.

GERVINUS *A SCHUNGELL*, anno 1432. in-

debitas, aut contrà juris formam factas à suis prædecessoribus alienationes, aut oppignorationes, rescindi autoritate apostolicâ obtinuit. Fato cessit anno 1454.

XXV.

HERBORDUS DE *MEINERSHAGEN*, cessit an. 1470.

XXVI.

WIDEKINDUS DE *PLETTENBERG* 1486.

XXVII.

JOANNES *MEESEN*, cui debetur monasterii restauratio. decessit 1511.

XXVIII.

JOANNES *BOCK* vigesimâ septimâ Junii anno 1513. occubuit.

XXIX.

ADRIANUS *TUTEL* dimisso Præpositi titulo, nomen Abbatis, olim à prædecessoribus assumptum, rursùs approbante Capitulo generali de anno 1518. in se resuscitavit. Obiit, multa pro fidei deffensione passus, an. 1531.

XXX.

HERMANNUS *LILIE*, adversùs Buceri & Hermanni Coloniensis Archiepiscopi, in apostasiam lapsi miserabiliter, machinationes, acriter verbo & opere decertans, illibatam in se, in suis, & in parochialibus Ecclesiis fidem servavit 1550.

XXXI.

JOANNES *STOCKHAUSEN* pari constantiâ adversùs hæresim irrepentem decertans, ei præclusit aditum, & victor obiit 1555.

XXXII.

MICHAEL *BRANDIS* vir magnanimus, maximo sui monasterii damno denascitur anno 1581. post cujus obitum Truchsesius Coloniensis Archiepiscopus, fidei catholicæ desertor, sacra invadens loca, Arnsbergenses & præcipuè Bernardum *Tutell* ibidem parochum, ad defectionem minis, verberibus, carcere, devastationibus frustra sollicitavit. Vacantis Ecclesiæ Prælatum vetuit institui, ut pastore destitutæ oves, ad hæretici caulam faciliùs cogerentur. Septennio integro viduitatem passi Arnsbergenses, in fide immoti, ad electionem, respirante, sub Archiepiscopo Ernesto, Ecclesiâ, processerunt, & electus est.

XXXIII.

JOANNES COSTERUS qui pace suis redditâ, ad reformationem, hortatore Joanne Lohelio Abbate Pragensi, postea ejusdem urbis Archiepiscopo, se accinxit. Pilkmannus Steinfeldensis Abbas, vir seculo illo, erga Ordinem benè meritus, ob propagandæ reformationis impigrum zelum, ab Joanne Costero evocatus ad subsidium, eam invexit disciplinæ regularis observantiam, ut Franciscus de *Longo-prato* Abbas Præmonstrati, & Ordinis caput, gratulatorias Conventui scripserit litteras, de reformatione tam laudabiliter, tam strenuè susceptâ, & à P. Christophoro *Pilekmans* tam sapienter inductâ. Post consummatum laudabilioris vitæ institutum, piè obiit Joannes anno 1610.

XXXIV.

GODEFRIDUS *REICKMAN*, post triennale interregnum à Kremmerio Abbate Knestedensi ablegatus, ut electioni præsideret, unanimi Fratrum voto electus est. Laureâ doctorali paulò post Coloniæ insignitus, se totum Patriæ, Ordini, suoque monasterio, vir omnium capax, impendit. Commissarius Cleri Westphalici, ad debitum statûs officium & disciplinam, genus sacerdotale reduxit. Cappenbergensem Præposituram & Vezaliense cœnobium, quod tunc Ordinis, nunc verò acatholicorum ditionis est, regularitati restituit. Anno 1626. à Capitulo Provinciali, Coloniæ habito, sublectus, ad recuperandum Cappellensem Parthenonem, in Nassoviensi Comitatu situm, & quem Comites antea hæretici occuparant, violentâ manu expulsis virginibus, ardua tentavit apud Comitem ad avitam religionem reversum, sed jam Patribus Jesuitis Collegii *Sigenæ* assertam Candidarum hæreditatem redimere, licet interpositâ authoritate Pontificis, non potuit. Totum Westphalicæ Circariæ tractum ad pristinos mores adigere, assistentibus sibi Kremmerio Knestedensi, & Christophoro *Pilekmans* Steinfeldensi Abbatibus, aggressus, iter Præmonstratum versùs arripit. Leodii ab infenso sistitur milites patriam repetere coactus, Generalis Abbatis implorat auxilium; commissionem obtinet. Ferdinandi Coloniensis Metropolitæ, qui & Monasteriensis Episcopus erat, protectoriales litteras impetrat, & utroque fultus diplomate, reformationem auspicatur; rebelles ad obedientiam, accitâ Imperatoris authoritate, compellit omnesque Westphaliæ & Rheni Abbatias felici successu ab anno 1614. ad 1627. perducto, strictiori subjicit observantiæ. Sub tanti Abbatis regimine, tantoque roboratus exemplo P. Petrus *Conradi* Arnsbergensis Canonicus, & Pastor, ab Hassico milite, in odium fidei, sclopeto miserè occubuit. Hujus tumulum versibus istis Confratres mœsti exornarunt.

Fregisti petram glans, heu inopina sclopeti
Conradi tergum, dum malè cauta petis.
Gloria prima stolæ, tibi Candide, candida vita,
Sed melior proprio sanguine tincta stola.

Haud parùm absimili mortis genere, insignis Abbas filium per tribulationes secutus, obiit 1643.

XXXV.

THEODORUS *Kelner* ex Pastore Verlensi in Abbatem assumptus, P. Petrum *Schultes* Seminario Coloniensi Præsidem dedit, ex quo post quinquennium, ad Præposituram Rumbeckanam postulatus venit. P. Fridericum *Hoyng* autoritate apostolicâ monasterii Knechtedensis Administratorem destinatum ablegavit. Denique cæteris, & suo asceterio utilis Abbas moritur anno 1649.

XXXVI.

LAMBERTUS *Toppius* ex Præpositura Olinghusana, Abbas renuntiatus, decessit anno 1653.

XXXVII.

HENRICUS *Coecius* Præpositus anteà Rumbekanus, ad requisitionem Ferdinandi de *Furstenberg* Episcopi Paderbornensis, concessit P. Fridericum *Hoyng*, qui anno 1660. ad Aulam accersitus, Consiliarii ecclesiastici, Assessoris, Historiographi munia, homo doctus & doctor, obiit. In gravissimis negotiis tùm Imperium, tùm Ecclesiam spectantibus, frequens & fructuosè illo usus est Episcopus. Historias temporum scripserat Fridericus, sed in messem defuncti, alius introivit, & publici, sub ementito nomine, fecit juris. *Neuhusii* in aula Paderbornensi denato, honorificè parentavit mœcenas Episcopus, cui post mortem supplex, suffragia petens, apparuit, & apparitionem litteris testatam reliquit Furstenbergius scribens Michaëli *Reinhartz*, qui Abbati Coecio fuerat suffectus anno 1663.

XXXVIII.

MICHAEL *Reinhartz* in Archi-cœnobio Præmonstratensi, ad quod educandus, ob grassantem in Westphalia pestem, Novitius fuerat à Prælato suo submissus, mansit per annos quinque, ibique votis nuncupatis, ad suum monasterium redux, Prior constituitur, postmodùm Abbas. Oblatum sibi jus mitræ, modestè recusavit. Ferdinando Imperatori Patrem Richardum *Rham* ex ingenti solertia & humilitate cordis benè notum & charum eidem Principi postulanti tradidit, ut ad Anglicanam, diversasque Europæ Aulas ablegaret. Sacrarium supellectili sacrâ, divinum officium simphoniâ & musicâ, Abbas Michaël exornavit. Moritur anno 1688.

XXXIX.

NORBERTUS *Bicker* ante hàc Prior, à multis post installationem, militibus divexatus, omnes aut in judicio superavit lites, aut compositione terminavit amicabili. Humaniorum scholarum magistros, ad supplicationem civitatis Arnsbergensis, in suo monasterio pridem institutos, auxit, & palæstram aperuit juventuti; quin & ad instantiam Ordinum patriæ, philosophiam publicè in Gymnasio *Norbertino Laurentiano*, præcepit edoceri, anno 1712. ipse verò fatis concessit, & concedentem musæ planxerunt anno 1715.

XL.

CAROLUS DE *Bergh* laboriosum regimen morte interveniente terminavit in Februario anni 1724. & in ejus locum sublectus est.

XLI.

HERMANNUS *Ascheberg* antea Prior monasterii, quem de facie & eloquio novimus in Capitulo generali 1717.

DE JURE PATERNITATIS.

Gaudet Wedinghusanum monasterium jure Paternitatis in

Ohlinchusen, Præposituram Virginum in Westphalia, illudque jus contra Præpositum Scheidensem, id ambientem, autoritate Capituli generalis, præsidente Generali Conrado, fuit Ecclesiæ Arnsbergensi solemniter confirmatum, anno 1231.

Pari jure fruitur in *Rumbeck* Præposituram itidem Virginum, dimidiâ circiter ab *Arnsberg* horâ distantem.

DE PAROCHIIS.

Arnsbergensis unita fuit per Philippum & Brunonem Archiepiscopos Colonienses monasterio Wedinghusano, à limine fundationis. Abbati competit tanquam loci Archidiacono, jus Synodi & synodalis justitiæ exercitium in transgressores parochianos loci.

Filialem habet Ecclesiam, seu sacellum sancti Georgii intra muros Arnsbergæ, ibique ad solatium populi sacra fiunt, & conciones habentur singulis Dominicis mediâ post sextam.

Werll, Verlensis parochia, ab anno 1196. collata fuit ab fundatoris utroque filio Henrico & Godefrido. Traditionem & incorporationem habuit ratam Adolphus Coloniensis Metropolita, anno 1200. confirmavit Innocentius III.

Sacellum in *Bergstrass* intra ejusdem parochiæ fines extructum, à Comite Godefrido de *Rudenberg* collatum, Innocentius III. anno 1357. Wedinghusano univit monasterio.

Husten. Hustensis Parochia in municipio *Husten* pagisque adjacentibus, data est anno 1336. & donatio à Conone Ecclesiæ Coloniensis, vacante Sede, Administratore, confirmata anno 1369. distat sesqui circiter horâ, secùs descensum *Ruræ*, ab Arnsberga. Antiquissima creditur Ecclesia, ad quam, depositâ gentilitate, Saxones & Westphali primùm confluebant.

Rieneren, in districtu Marcano consistens parochia, quam minister acatholicus cum Pastore Religioso, æquâ vix parte dividit.

Wedinghusen, sive monasterialis parochia.

SACRÆ RELIQUIÆ.

Os sancti Laurentii Patroni Ecclesiæ.

Pars notabilis corporis sanctæ Apolloniæ V. & M.

Brachium beati Richardi Canonici & Sacerdotis Arnsbergensis.

MAUSOLÆA.

In medio domûs Capitularis prostat Mausolæum fundatoris opere antiquo efformatum; cui sequens inscriptio incisa est.

Henricus Comes ac Ermengardis Comitissa
Quorum sunt ossa monumenti condita fossâ.
Hos Deus in regno faciat gaudere superno
Namque fuere loci constantes hujus amici.

A latere sinistro Ecclesiæ, altare marmoreum in honorem sancti Nicolai, erexit familia Furstenbergica, ibique sepulturam elegerunt duo nobilissimi Patriæ Patres Gasparus & Fridericus de *Furstenberg*, quorum ultimus Ferdinandi Episcopi Paderbornensis & Monasteriensis, pater fuit.

Sub vasto lapide sepulchrali tumulata jacet Beatrix Comitissa Arnsbergæ, uxor Comitis Godefridi, hujusque monumentum Genius parieti desuper appictus, digito indicat cum hac Epigraphe

Hic tumulata jacet quondam Comitissa Beatrix:
Hæc fuit Arnsbergæ dominans, sed sanguine *Ritberg*.

Ne illustris familiæ Arnsbergensis notitia penitùs intereat, ex cineribus sacris, venerabilibusque documentis excitatam, jubet gratitudo subjicere oculis posterorum. Vide Probat. à col. cxv. ad col. cxix.



OTTO COMES ARNSBERGÆ

Ludis Equestribus intererat anno 936.
Godefridus Comes Arnsbergæ claruit anno 1007.
Fridericus senior Comes Arnsbergæ uxorem habuit N....Bavaram, filiam Ottonis Bavari.

Godefridus de Kuick, Florentium Hollandiæ Comitem, interfecit.

Henricus Romam profectus cum Imp. Henrico V. apud Pontificem, pacis obsidem egit anno 1111.

Fridericus cognomento Bellicosus, ob varia prælia quæ contra Coloniensem, vel Monasteriensem Episcopos, vel Comitem Capenbergæ diversis temporibus conseruit, obiit anno 1123.

Hermannus contra Henricum Imperatorem in prælio Wolfenholdensi decertans occubuit anno 1115.

Judith Godefridi Comitis Capenbergæ uxor.

Conradus Comes Arnsbergæ pugnans contra Bernardum Episcopum Paderbornensem occumbit, anno 1143.

Sophia Bernardo Comiti Lippiæ, desponsata.

Godefridus † improlis.

Henricus Comes Arnsbergæ uxorem habuit Agnetem de Rudemberg. Abbatiam Wedinghusam ambo fundarunt anno 1170. ambo ibidem sepulti.

Henricus junior.

Henricus niger.

Henricus III. esse desiit circa annum 1265.

N.... uxor Comitis Tecklenbergi.

Aleidis Adolphi Comitis Althenani, conjux, & avia S. Engelberti Coloniensis Archiepiscopi.

Henricus senior nuptus Ermengardi, jacent in aula Capitulari Wedinghusæ.

Godefridus Cruce signatus Terram Sanctam petiit anno 1215.

Hermannus à Rudenberg Burgravius in Ebromberg, Dominus de Ritberg.

Conradus Comes de Ritberg.

Fridericus.

Otto.

Conradus Comes de Ritberg ex Beatrice Bronckhorstiana.

Aleidis uxor Comitis Hoiensis.

Gertrudis nupta Comiti Deipholdii Conrado, denato anno 1426.

Conradus-Otto.

Gerardus Archiep. Bremensis.

Ermengardis Sanctimonialis in Olingbusa.

Godefridus Comes Arnsbergæ uxor N........

Henricus improlis.

Aleidis uxor Bernardi IV. Comitis Lippiæ.

Godefridus Comes Arnsbergæ. uxor Beatrix de Ritberg, sepulta in Widinghusen.

Fridericus.

Johannes Canonicus Trajectensis & Præpositus Meschedensis.

Ludovicus Comes Arnsbergæ obiit anno 1313. ex Petronilla Juliacensi habuit.

Gerardus Canonicus S. Gereonis.

Vabramus Canonicus Aquensis Præpositus Meschedensis.

Fridericus Abbas Steinfeldiæ. O. P.

Godefridus ex Scholastico Monasteriensi, Episcopus Osnaburg. Archiep. Bremen. † 1363.

Willelmus Comes Arnesbergæ ex Anna conjuge.

Mechtildis Sanctimonialis in Olinghusen.

Aleidis.

Conradus Canonicus Osnaburgensis.

Willelmus Præpositus Meschedensis.

Godefridus Comes Arnsbergæ, Westphaliæ Marescallus, ex Anna Clivia uxore sua, prolem non suscipiens, Comitatum Arnsbergæ vendidit Metropoli Coloniensi 25 August. 1368. & anno 1371. defunctus, in sacello Mariano templi Metropolitici tumulatur.

ARNSTEIN.

Arnstein Fil. olim Gratia Dei in Saxonia, nunc Præmonstrat. Diœcesis Trevirensis Circaria Westphaliæ.
* *Godstat* in Episcopatu Magdeburgensi.

BEatus Ludovicus Arnstenii Comes, & Guda de *Bonneburch* Comitissa, ejus uxor, Arcem Arnsteniam ad fluvium *Lohnam*, uno supra Confluentiam milliari, in montis alti vertice, qui idiomate latino *Lapis aquilæ* dicitur, in celebrem commutarunt Abbatiam anno 1139. Ex inclyta Gratiæ Dei * Canonia, quam Comes Otto de generosa Saxonum stirpe satus, paucis abhinc annis erexerat, B. Comes Ludovicus, Ottonis consanguineus, duodecim Canonicorum, & Conversorum totidem, examen eduxit, quod Abbatiæ Arnsteinensi, approbante Trevirorum Archiepiscopo Alberone, implantavit, accedente simul consensu Synodi generalis.

I.

Coloniæ Fratrum dux erat Godefridus, Ecclesiæ Metropoliticæ Magdeburgensis Scholasticus, & alumnus Norberti, vir gratiæ singularis, & meriti, *quem cæteri Fratres, veluti cælestem quemdam radium sequebantur*, cujus sanctitatem æmulati fundatores, se ultrò disciplinæ, & Professioni Præmonstratensium, sub hoc magistro, subdiderunt, suaque ad divini cultûs incrementum tradiderunt liberaliter. In qua quidem donatione comprehendebantur septuaginta duæ Ecclesiæ, quas jure patronatûs possidebant, allodia plurima, quæ ab omni servitute, ab omni advocatiæ & deffensionis oneroso sæpiùs patrocinio, liberarunt, ne sub obtentu protectionis, res & pax monasterii pessùm daretur. Unde ad nostra tempora, celeberrima Arnsteinensis Abbatia, solum protectorem novit, sponte adoptatum, Trevirensem Metropolitam, & ad Imperium immediatè respicit, gladii plenario jure gaudens.

Constitutum Arnsteinii Ordinem, totiusque fundationis œconimiam confirmavit, ad petitionem Godefridi Abbatis, Innocentius Papa II. anno 1143. Roboravit suo diplomate Conradus Imperator anno 1146. Qualis, quantusvè fuerit Godefridus Abbas, ex actis vitæ B. Comitis Ludovici, ab autore coævo scriptis, accipe. » Venerabilis Pater Godefri-» dus, super custodiâ gregis Dominici officiosâ » charitate sedulus excubabat; creditum sibi » talentum, in reditu Patris familias, duplicato » cum fœnore reportare contendens. Hic in » fundamento, quod Christus est, aurum, ar-» gentum, lapidesque ædificans pretiosos..... » erat enim consilio providus, opere strenuus, » doctrinâ dulcifluus, miræque humilitatis, & » abstinentiæ.

Ejus verò mortem sic refert. » Eo tempore, » vivæ memoriæ Pater Godefridus, anno duo-» decimo, quo suprà Domini familiam fuerat » ordinatus, ingravescente carnis molestiâ, quar-» to idus Octobris, in itinere Præmonstratensi feliciter obiit, sepultusque apud *Vadegotzin*; » cujus ossa postmodùm in Ecclesiam suam *Arn-» stein* honorificè delata, ante altare beatorum » Petri & Pauli Apostolorum, debito cùm ho-» nore sunt posita. »

Annus mortis, cùm anno regiminis compatus, coincidit in 1151. igitur duodecimo Octobris, properantem ad generale Capitulum mors intercepit *Vadegotia*, ad Saram. Ejus Epitaphium sic se habet.

Aspice flos ubi sit, flos quem Saxonia misit,
Non homo, sed sydus, Pater hìc pausat Godefridus.
Quem tuba nectarea, vitæ claustralis idæa
Annis bis senis, templi præfecit habenis.

II.

EUSTACHIUS, ad Prælationis officium suc-» cessit, & ipse vir virtutis, & gratiæ singularis, » ut meritò ipsi & cura dominici crederetur » ovilis, & rei gubernatio temporalis. Ab Hilli-» no Trevirensi Archiepiscopo, & ad instantiam Ludovici fundatoris, obtinuit anno 1156. novam possessionum, & florentis in *Arnsteinio* Ordinis confirmationem. In Ecclesiam *Beselich* à sacerdote Godefrido sibi datam, Sanctimoniales induxit. Mortem ejus compendioso elogio enarrat autor vitæ B. Ludovici. » Hoc tempore, felicis memoriæ Eustachius Abbas, cùm viginti» novem annis in castris Domini strenuè mili» tasset, solutus carnis ergastulo, Deo, apud» quem spiritus mortuorum vivunt, reddidit» animam 1180. »

III.

RICHOLPHUS successit, » cujus multa in pro-» curatione domûs Dei, inveniuntur insignia» probitatis. » Funus B. Ludovici fundatoris anno 1185. denati, honorifico apparatu prosecutus est, & piis parentavit lacrymis. Ipse verò vigesimâ quintâ Februarii mortalem vitam exuit 1196.

IV.

HERBORDUS, obtinuit anno 1196. jus patronatûs in *Bubenheim*. Huic Joannes Trevirensis Archiepiscopus indulsit anno 1197. confirmationem Ecclesiarum, & bonorum, quæ erant de patrimonio Arnstenii. Anno eodem Cunegundis Comitissa Nassovii donavit Herbordo Abbati amplissimam sylvam in *Estenervorst*.

V.

HEIDENRICUS. Sub ejus regimine anno 1208. ab Joanne Archiepiscopo Trevirensi, Ecclesia monasterialis consecratur. Anno 1211. juridicè exautorato successit.

VI.

ANSELMUS, anno 1227. Prælatutam abdicavit.

VII.

THEODORICUS magno labore, & expensis, libros ad pensum divini officii comparavit, quibus absque ulla immutatione, aut tergiversatione uti præcepit Conradus Præmonstrati Abbas, eique Capitulum generale adhærens, anno 1228. Contrà invasores prædiorum & privilegiorum osores, ad Gregorium IX. Pontificem querelas detulit Theodoricus, quas, ut potè æquitate subnixas, suscipiens Pontifex, Moguntinum, & Trevirensem Archiepiscopos, eorumque Suffraganeos, per speciale rescriptum constituit anno 1230. vindices & judices injuriarum, quas Arnsteinensis Canonia patiebatur à prædonibus. Anno 1250. Mechtildis Comitissa Saynæ, vidua Henrici Comitis, dono dedit Arnsteinensi Abbatiæ Ecclesiam in *Winden*, pro remedio animæ suæ, & sui sponsi. Concessionem approbavit Arnoldus Trevirorum Archipræsul anno 1264. laudavit Alexander IV. anno 1266. Obiit Theodoricus anno 1255.

VIII.

ORTWINUS cessit anno 1259.

XI.

ARNOLDUS 1272.

X.

HERMANNUS resignavit anno 1276.

XI.

JOANNES obiit anno 1283.

XII.

HERMANNUS II. 1291.

XIII.

WIRRICUS 1297.

XIV.

RORICUS 1301.

XV.

HENRICUS 1303.

XVI.

GERARDUS 1307.

XVII.

THEODORICUS cessit anno 1315.

XVIII.

ROBERTUS cessit 1323.

XIX.

WILLELMUS DE *STAFFEL*, Ecclesiam restauravit, & peste grassante, populum per se, verbo pavit, & Eleemosynis. Ignobiles ad professionem, nobilibus à peste sublatis, admisit primus, ut dilapsa ad sustentationem nobilium bona, pauperum frugalitate redimeret 1367.

XX.

GERARDUS *BURSCHET* 1368.

XXI.

HENRICUS DE *MILEN* 1380.

XXII.

ARNOLDUS DE *CRUMMENAU*, prodigâ suâ administratione dignus qui amoveretur anno 1397.

XXIII.

PETRUS *PRINTT* cessit 1399.

XXIV.

JOANNES DE *ULBACH* 1420.

XXV.

ORLEBUS A *LACHEIM* 1446.

XXVI.

DANIEL *RABENOLD DE DENBURG*, pro recuperandis possessionibus, sive ad firmum, sive per Emphiteusim, sive per alienationes, aut oppignorationes illegitimè distractis, adlaboravit apud Nicolaum V. summum Pontificem, ab eoque per mandatum, judices obtinuit in sua causa deputari Decanos B. Mariæ, & S. Victoris Moguntiæ an. 1452. obiit 1458.

XXVII.

MEFFRIDUS 1473.

XXVIII.

FRIDERICUS *RUSSMAN* 1478.

XXIX.

FOLBERTUS DE *HEEZE* 1479.

XXX.

PETRUS DE *SELBACH ZOHE'* 1489.

XXXI.

ADAMUS *MONTHEBURANUS*, nobilium Prælatorum seriem clausit, à qua ignobilibes huc usque fuerant exclusi 1527.

XXXII.

JOANNES *BECHETIUS* 1531.

XXXIII.

LAURENTIUS *BACH* 1545.

XXXIV.

HENRICUS *MONSCH* Joanni Trevirorum Archiepiscopo à sanctioribus consiliis, Bibliothe-

cam monasterii sui erexit, multisque instruxit voluminibus, ad quorum margines, notas propriâ manu, ad intelligentiam conscripsit posterorum 1556.

XXXV.

HENRICUS *SCHAPP* 1574.

XXXVI.

EMMERICUS DE *NASSAU*, cognomento Diabolus Abbas 1592.

XXXVII.

PETRUS MARIOMAGUS, sub cujus regimine, non solùm à vastante lue, sed etiam ab infestantibus hæreticis, dura quæque monasterium pertulit, maximè à vicinis Comitibus, quos error ad Lutheri partes adduxerat, spirituque impleverat vertiginis in sacra quælibet sævientis. Uno quippe, eodemque impetu, Monasteriensem Abbatiam in Comitatu Nassoviensi sitam, absorbuerunt, & amodò à Comitissa de *Runc-kel* possidetur. 2°. Alteram ejusdem nominis *Munster*, in Palatinatu constitutam. 3°. Montem sancti Petri, Præposituram virorum intrà Palatinatûs limites existentem. 4°. *Hurtzelbrun*, in eodem solo, virorum Abbatiam. 5°. *Enckebach* Præposituram virginum ibidem. 6°. *Gommersheim* in Palatinatu superiori, 7°. Vallem S. Mariæ 8°. *Brumberg* in Comitatu Nasso-Cassellico. 9°. *Cappell*, virginum cœnobia: vix Arnsteinio parcitum, bonis aliunde mutilato. Obiit inter hæc devastatoris inimici incendia Abbas Petrus 1604.

XXXVIII.

JOANNES *HORN*. Horas B. M. Virginis, & Defunctorum vigilias in pristinum usum revocavit, & recitationem invexit in chorum. Pestis plurimos depasta Canonicos anno 1612. cæteros ad fugam compulit usque ad Septembrem, donec sereno cælo, accessus factus est tutior. Obiit Joannes 1620.

XXXIX.

JOANNES *BINGEL*, pro restitutione filialis Abbatiæ Monasteriensis à Friderico III. Palatino Comite, olim usurpatæ, diù, multo labore, gravibusque impensis apud Ferdinandum II. Cæsarem, & Maximilianum Bavariæ Ducem litigavit, infracti vir animi, quem mors incumbentem operi fervidiùs, exarmavit anno 1631.

LX.

WILLELMUS *ESCHENAW*, à Mansfeldiano, & Sueco milite spoliatus, & per vim trusus è suo monasterio, omnem sacram, profanamque suppellectilem, seque miserum vidit in captivitatem abduci. Ereptam sibi, & Ordini filialem Præposituram *Beselich*, strenuè coram Aliferio Nuntio Apostolico, & in Romana Rota vindicavit, adversùs Nassovios Comites, & Collegium Hademarense: litem intentatam, magnis deductam sumptibus, transmisit dirimendam posteris, morte præoccupatus anno 1663.

LXI.

ANTONIUS *SCHLINCKMAN*, bellis, variisque casibus afflictam Ecclesiam suam, & alieno ære gravatam resignavit 1697.

LXII.

PETRUS *ALDENHOVEN* 1702.

LXIII.

JOANNES *SCHWENG*, electus 6. Februarii 1702. ruinosas Templi turres quatuor instauravit, villas sex struxit à fundamentis. Usum mitræ à Carolo Principe Lotharingiæ & Electore Trevirensi impetravit anno 1711. quæ concessio jure, an contrà Juris ordinem, & privilegia nostra sit, videat. Vivit adhuc Joannes ad sui utilitatem monasterii anno 1725. natus 69.

JUS PATERNITATIS.

Exercebat olim in *Munster*, virorum Abbatiam, à Friderico Sueviæ Duce, B. Ludovico Arnstenii Comiti datam, anno 1145. nunc viâ facti, pulsis Religiosis, detinetur ab Electore Palatino.

In *Gummersheim*, virginum Parthenonem à Ministerialibus sancti Stephani Metensis dotatum; nunc viâ facti, ab eodem Electore possidetur.

In Vallem sanctæ Mariæ. Hæc virginum Præpositura, quæ à *Bethlenrode* in *Staden*, & hinc à B. Ludovico Arnsteinensi in vallem sanctæ Mariæ translata, germanicè *Marienthau*, ab eodem Electore occupatur, ab annis 79. hæresi patrocinante.

In *Enkenbach*, Parthenonem monasterio, *seu Munster*, vicinum.

In *Cappel*, sive Capellam, virginum Parthenonem, propè *Fiegen*, sub jurisdictione Principum Nassoviæ. Ab iisdem quondam acatholicis fuit usurpatus; restitutum ab eis ad Catholicam fidem reversis, per Urbani VIII. manus, non Arnsteinio, sed Collegio Patrum Jesuitarum Siegenæ, addixerunt anno 1627. sed auxiliante manu Principum, per viros nobiles, à sua possessione Patres deturbati sunt, & in Ecclesiam Collegiatam virginum nobilium Parthenon versus. Harum pars media Catholicismum, pars altera Calvinismum profitetur, & utrisque nubendi relicta est libertas.

In *Brumbach*, * Præposituram virorum à Principibus Hassiæ-Cassellanis, & Darmstadiensibus usurpatam. Professoribus acatholicis in *Hannau*, reditus annuos applicuere ambo Principes. * Nunc *Bramberg.*

In *Beselich*, virginum Præposituram anno 1153. vel circiter, à Godefrido Sacerdote fundatam,

datam, à Comitibus Nassaviis hæresim profitentibus dereptam, restitutam Ordini, anno 1620. ab iisdem Comitibus, post ejuratam hæresim, possessam per annos sex pacificè, emunxerunt Patres Societatis Hadamarienses anno 1627. & partiti sunt hæreditatem cum Principe Hadamariensi. Super hac invasione lis pendebat adhuc in Curia Romana, anno 1665.

PASTORATUS.

S. Margareta, ad pedem montis monasterii.

Kirtorff, modò à Prædicante administratus.

Oberndieffenbach, modò a Prædicante regitur.

Niderendieffenbach, nunc à Prædicante occupatur.

Winden, cum succursali villa de *Weinaer*. Vide Probat. à col. cxix. ad col. cxxiij.

ARTONA.

Artona Fil. Casæ Dei. Diœcesis Aquensis Circaria Vasconiæ.

HÆreticorum vastationem & incendia tanta, tamque frequentia subiit Artonæ cœnobium in diœcesi, Aquensi anno circiter 1160. à *Casa-Dei* Canonicis ab origine instructum moribus, ritibus & disciplina Ordinis, ut ne fundatorum quidem nomina ex favillis, imò nec per famam ad posteros evaserint. Unum ex hac universali depopulatione superstes obituarium, ipsumque mutilum, fortunâ meliore erupit, ut pars aliqua extinctæ antiquitatis, in Abbatum commemorationibus saltem subsisteret. Eodem monumento usi editores novissimi Galliæ Christianæ, seriem Abbatum non ex annorum computu, sed ex mensibus contexerunt, antesignano excepto, cujus memoria licet ad diem 27. Novembris incidat, in capite tamen aliorum præposuerunt, isque erat.

Guillelmus, à Bernardo II. Abbate *Casæ-Dei*, ut creditur, submissus cum Fratrum colonia Abbas Artonæ.* Jam Capellæ cœnobium secùs Garumnam in diœcesi Tolosanâ propè *Granatam* erexerat Bernardus, dùm fundandæ Artonæ incubuit. Is est forsitan Guillelmus Abbas Artonæ, inquiunt novi editores Galliæ Christianæ, qui anno 1178. recepit donum Vicecomitis *Seula*.

* Artous.

Arnaldus 31. Januarii obiit.
Joannes II. 13. Martii.
Raymundus *Arnaudi* 16. Martii.
Petrus I. 23. Aprilis.
Petrus II. 28. Aprilis.
Carbonellus 15. Maii.
Bernardus 10. Julii.
Arnaldus II. 19. Julii.
Guicharnaldus 17. Augusti.
Arnaldus *Sancy* 12. Septembris anni 1280.
Bertrandus 14. Septembris.
Bernardus II. 18. Septembris.
Antonius d'*Ortegui* 1318.
Guillelmus II. *de Rustaing.*
Michael de *Monsegur* 1415.
Joannes de *Forcade* 16. Februarii 1461.
Bertrandus de *Cassos* 1489. & ex hinc chronologicè cæteri fluunt Abbates.
Bertrandus de *Bergay* vixit ad annum 1514.
Joannes de *Nauguers* ad annum 1543.
Joannes de *Branne* ad annum 1509.
Salvatus de *Harse* Episcopus Tarbensis quem editores novi Galliæ Christianæ ad annum 1630. Abbatem egisse scribunt, cui adimunt Episcopatum anno 1602.
Gratianus *Garderard* 1648.
Arnaldus *Lami* mortuus anno 1664. in Ecclesia monasteriali tumulatus.
Ludovicus de *Montesquiou d'Artagnan* 1715.

Quamvis autem Artona tam multis afflicta cladibus, & solo æquata jacuerit aliquandiù, jamjam Superiorum vigilantia & laboribus surgit splendidior ædificiis, & paulatim recuperatis prædiis, incipit frui æquiore fortunâ.

Tribus Pastoratibus monasterio pridem collatis & unitis, regulares subserviunt Canonici. Primus *Pagole*, secundus *Hartingue*, tertius *Subernoa* nuncupatur, quibus addenda est dignitas Diaconatûs sancti Laurentii.

AUCHEL.

Auchel. Fil. Præmonstrati. Diœcesis Cicestrensis. Circaria Angliæ.

ABbatiam hanc Layruëlius apposuit in Circaria media Angliæ, intra fines diœcesis Cicestrensis, eamque sub Filiatione Præmonstrati. Layruëlio concinit antiquissimus index, descriptus in rotulo pergameneo. Ab utroque dissentiunt duo catalogi mss. seculo xiii. quibus suffragatur silentium Pagii, & Monasticon Anglicanum, quod etsi in descriptione cœnobiorum quandoque deficiat, hic tamen defecisse culpabiliter, dissuadent testium concordes sententiæ.

AVERBODIUM.

Averbodium Fil. S. Michaelis Antverpiensis Diœcesis Leodiensis. Circaria Brabantiæ.

LOcus erat in Diesthemensi agro, tribus à Taxandria milliaribus, cui nomen *Averbodium*, nemore consitus, latronum latibulis, & deprædationibus celebris, in Brabantia, sed longè celebrior frequentibus miraculis, quæ suffixa annosæ quercui, imago B. Mariæ Virginis operabatur: ad quam, ut aiunt, concertim, voti causâ, affluebant populi, [illegible]

nil territi periculis. Accurrit & Lossensis Comes Arnoldus, gratitudinis solvendæ, & litandi cultûs ergò, ob instans vitæ discrimen, ex quo nuper evaserat incolumis; dùmque illic effusus in preces aliquandiù hæreret, de ædificanda B. Mariæ Ecclesia, adunandisque boni testimonii mystis, orantem subiit cogitatio, abeuntem incessit operis implendi ardor. Nec mora, accersitos è San-Michaële Antuerpiensi Canonicos, religionis & doctrinæ famâ toti Belgio notissimos, sui propositi conscios facit, ejusdemque rogat esse coadjutores.

Waltmannus *altissimæ humilitatis, divinæ sapientiæ & eximiæ pietatis* Abbas, Lossensis Comitis postulationibus annuit, & beatum Andream coloniæ mittendæ præfecit ducem.

Quoniam verò, pars aliqua Averbodiensis allodii ad S. Trudonis Ecclesiam pertinebat, cessionem hujus ab Abbate Radulpho obtinuit Comes, Stephano Episcopo Metensi approbante, ad quem, jure summi dominii, S. Trudonis Abbatia respiciebat. Talibus auspiciis fundamenta Religiosæ domûs locavit Andreas à Comite gratanter exceptus, & à Leodiensi Episcopo immissus in possessionem anno, juxtà Sanderum, MCXXVIII.

Duplici argumento, sed utroque fragili, firmat suam opinionem. Horum prius est, quòd charta confirmationis data fuit ab Alexandro, tùm Archidiaconi obeunte munus, & gerente vices Alberonis Episcopi nuper defuncti, kalendis nempè Januarii, in cujus locum 17 Martii, anni ejusdem 1128. suffectus est. Ast chartæ præfixa appellatio, *Custodis & Provisoris* in Episcopio Leodiensi, vacantem neutiquam Episcopatum innuit, sed Episcopi nomen, humili circumlocutione designat. Quippe trita hæc est humilis Episcopi, formula diplomatum ab Episcopatu adepto. Ac ne quid ambiguitatis ex stilo resultet, hanc penitùs resecat subscribentis Brunonis Archiepiscopi Coloniensis Apographum. Ille Friderici immediatus successor, anno 1132. cathedram Coloniæ adivit, fatis consumpto Friderico sub finem anni ejusdem. Igitur diploma Alexandri anterius esse non potuit anno 1131. quo quidem Pontifex Innocentius II. Leodium venisse testantur scriptores (a), & Lotharium Imperatorem, stipante Episcoporum, Abbatum & Principum comitatu, adventasse referunt. Aderat cum illis Arnoldus Lossensis Comes, Cæsari clientelari beneficio obnoxius, qui occasionem adstantis Romani Pontificis arripiens, propositum fundandi cœnobii apostolicâ obtinuit authoritate confirmari, cujus confirmationis tùm impetratæ meminit fundator in primigenio Averbodii diplomate, quod sub annum 1135 emisit.

At non inde certior evadit fundationis Averbodii epocha: variant authores huc illuc abrepti vel conjecturis, vel verisimilitudine. Myræus in Chron. Belgico originem hujus monasterii an annum 1133. consignat. Ab eo dissentiens Mantelius Hist. Lossensis, lib. 5. pag. 102. ad an. 1131. illam revehit, sententiam secutus Bartholomæi Fisen l. 9. p. 226. hist. Leod. Averbodienses delusi diplomate Stephani Metensis, intercessioneque Gerardi Cardinalis sanctæ Crucis ad primam ejus legationem in partes Teutonicas, quam unicam autumant, referentes, fundatum jam anno ad minus 1127. Averbodium suum gloriantur, & hanc chronologicam notam stabilire multis conatibus tentarunt, & quidem ingeniosis, quibus ultro daremus manum, si veritas historiæ candorem non exigeret ab historico. Ab diplomate Alexandri Leodiensis Episcopi disquisitionem auspicabimur. Ibi testatur Præsul qui se *divinâ ordinante clementiâ Dominici gregis in Episcopatu Leodiensi humilem custodem & provisorem inscribit*, (quod supra notavimus dum argumento per Sanderum inde petito fecimus satis.) *Ernelfum* (lege Arnoldum:) *de* Los, *allodium quod nominatur* Averbodo, *Domino ibi famulari volentibus dedisse &c. Hoc autem stabilitum est in nostris diebus*, ait, *me teste, me presente, temporibus quoque Litherii Imperatoris, Brunonis Archiepiscopi Coloniensis.* Ex hac charta aliquid certi expiscari fas est, quamvis charactere chronologico destituta. Averbodium ab Arnoldo Comite Lossensi cultui sacro dicatum est temporibus Brunonis Coloniensis Archiepiscopi. At Bruno successit in Coloniensi cathedrâ Friderico I. hic autem fatis functus est anno 1131. VIII. kal. Novembris. igitur annum 1131. Averbodii nativitas non excedit, nec in tempus valdè remotum rejicienda est illius fundatio. Siquidem Alexandro Leodii Episcopo de simonia apud Summum Pontificem impetito, dies dictus est, quo Romæ causam pro se peroraret: at quia iter illud suscipere neglexit, nec objectum diluit crimen, loco motus fuit anno 1134. in Concilio Pisano. Ergo hunc annum præcessit ejus charta; igitur & Averbodium hoc anno anterius.

Insuper Arnoldus fundator, in instrumento suo anni 1135. donationem suam *à Patre nostro universalis Ecclesiæ Pontifice beatæ memoriæ Innocentio firmari se fecisse* asserit. Atqui Innocentius II. anno 1131, Leodium adivit, quâ occasione datâ usus est Comes Lossensis pro impetrando Pontificis assensu, firmandaque, quam meditabatur, asceterii erectione. Hic breviter Papebrochii cavillationem perstringam: ratus est vir eruditus diplomati Arnoldino inesse falsam epocham, annum puta 1135. quo tempore *bonæ memoriæ* verba, Innocentio II. qui ad annum 1143. dies protraxit suos, non

(a) Id testatur Diploma Lotharii in gratiam Collegiatæ S. Joannis Leodiensis cui subscripsit S. Norbertus. Apud Martenne vet. hist. t. 1. p. 705.

convenicbant : hanc tanti viri oscitantiam retundit Mantelius hist. Loss. p. 103. » Verba » illa, inquit, *Pontifice bonæ memoriæ Innocentio*, non significant illum tum obiisse, cùm » vitam protraxerit ad annum 1143. sed quòd » pius Comes suavissimæ Pontificis Leodii præsentiæ recoleret memoriam. » Et sapienter quidem cùm absentium perinde ac non existentium imagine memoria benè aut malè soleat affici. Phraseos ejusmodi exempla suppeditare haud arduum fuerit (*a*) nunc ad fundationis ætatem revertamur.

Rem extra dubium omne positam crederes ex modo dictis : refragantur Averbodienses quia Stephanus Metensis Præsul in diplomate anni 1136. dato, dicit se motum petitione Gerardi venerabilis sanctæ Crucis Cardinalis, tunc etiam apostolicæ sedis Legati, ad transcriptionem partis allodii in gratiam Averbodiensis Ecclesiæ, quæ jam fundata erat. Sed Gerardus Cardinalis legatione ad Germanos fungebatur, non anno tantum 1127, ut Baronio visum est, sed 1126. quo tempore B. P. Norbertus ad Magdeburgenses infulas, suasore & promotore Gerardo Legato raptus est. Unde Averbodium jam tùm prodiisse inferunt.

Verùm ut hæc difficultas evanescat, notes, velim, duplicem legationem obiisse Gerardum, primam anno 1126. alteram anno 1135. ad Lotharium Imperatorem jubente Innocentio II. ut Cæsarem ad vindictam Romanæ Ecclesiæ armaret adversùs Rogerium Siciliæ Regem. De posteriori legatione loquitur Metensis Episcopus. Quòd autem chartæ Stephani de anno 1136. subscribat Gerardus, ne te remoretur, siquidem verosimile est his in partibus remansisse penès Imperatorem, quò efficacius urgeret illius discessum : at nonnisi anno 1136. itineri accinxit se Lotharius, quod evincit Pagius Baronii sagax emendator.

Pro antiquitate sui monasterii argumentum majoris ponderis proponunt Averbodienses. In charta Stephani, Gislebertus Comes de *Duracio* memoratur assensum præbuisse donationi quà sancti Trudonis advocatus : sed anno 1128. hunc amisit titulum ex Trudonensi chronico lib. 12. tom. 7. Spicilegii Acheriani, & magno chronico Belgico. Opinantur inde donationem præsulis Metensis, accedentemque advocati Giselberti consensum præextitisse anno 1128. Epochæ verò anni 1136. diplomati affixæ, nullo negotio respondent instrumentum priùs confectum, sed nonnisi eo anno exscriptum.

At nullius est momenti objecta Giselberti exauctoratio, quæ quamvis anno 1128. obtigisse supponatur, haud prohibuit quominùs advocatus subsequenti tempore audierit, tùm in cit. chron. Trudonensi, cum apud alios, illius regionis & ævi scriptores. Nec mirum, quandoquidem Episcopo Leodiensi Ecclesiasticam fecit satisfactionem Giselbertus, à quo ut excommunicationis vinculum, quo pridem irretitus fuerat unà cum ex-duce Lovaniensi, solveretur, impetravit : ex chronico Trudonensi t. VII. Spicilegii pag. 498. quidni & Comitatum *Duracii* ademptum, & gratiam pontificis, nec non & advocatiam cœnobii San-Trudonensis quod sub suum patrocinium susceperat Alexander Leodiensis Præsul (ex chron. magno Belgico) receperit. Nec id solùm conjectando dictum reputes; rem certam efficit sæpius cit. chron. Trudonense, legatur attentè à pag. 505. ad finem : ubique recensetur Gislebertus & Comes, & Advocatus.

Quod addunt Averbodienses, instrumentum Stephani confectum ante 1128. sed anno solùm 1136. exscriptum, effugium est; detur enim Amanuensis operâ transcriptum fuisse anno 1136. licet cusum priùs; tempus exscriptionis non in corpore diplomatis inseruisset, sed diplomati subnexuisset sejunctim. Sed ante 1128. chartam confectam dicere, vana suppositio est, cum subscribant Bruno Coloniensis Archiepiscopus, immediatus successor Friderici I. anno 1131. denati, & Albero Leodiensis Præsul anno 1135. Alexandro suffectus.

Stet ergo inconcussâ origo Averbodii & ejus originis annus 1132. Natalium splendorem nobilitarunt Leodienses Episcopi immunitatibus, & beneficiis eamque Abbatibus inauguratis prærogativam indulserunt, ut Canonicorum sancti Lamberti collegio aggregarentur, ab ipso inaugurationis die, Lossensis pariter Comes Ludovicus, hæreditariam Archi-capellani, Consiliarii & Sigilliferi Regulorum Lossensium indidit dignitatem. Ita sensim aspirante Deo, & Principum largitionibus, ex humili sacello, in insignem Abbatiam evasit Averbodium.

I.

Primus nascentis Ecclesiæ deputatus est Abbas, B. Andreas Gregorio VII. Pontifice summo, & Annone Coloniensi Archipræsule. In Castro de *Rees* super Rhenum in patria Cliviacensi natus, patrem habuit Everardum civitatis & castri de *Rees* Dominum totius nobilissimum Cliviæ : matrem verò Cunigundem, Domini de *Altena* filiam, Hadevigis (si historiographo fides est) S. P. N. Norberti matris germanam sororem. Ambæ devotissimæ sorores invicem sæpius invisere, miscere colloquia, & simul demorari assolebant, maritis interim bello navantibus operam. In iis mutuis frequentationibus, quasdam habuisse narrantur vi- Vide hist. B. Andreæ Typis edit. Antuerp. an. 1682.

Henricus Leodiensis Episcopus in diplomate anni 1149. dicit *præsente bonæ memoriæ Andrea Abbate ipsius loci* (Averbodii) constat autem diuturnos egisse dies Andream post hunc annum, illud diploma habes ad calcem hujus historiæ.

(*a*) Vide chartam Hugonis Leodiensis Episcopi de anno 1213. ubi hoc Archi-capellani officium confirmat Abbatibus Averbodii. Ad calcem hujus historiæ eam videsis, at in signum avitæ dignitatis Sigilliferi & Consiliarii hodiedum supremus Comitatûs Lossensis Drossardus, ut vocant, Averbodiensi Abbati quotannis offerre tenetur, & solet, par Calcariorum deauratorum.

siones, præsertimque formosi juvenis, albis induti, vidisse de nocte ostentum, in præsagium amantissimæ prolis. Andreas juvenile decurrens stadium, Coloniam missus, liberalibus artibus imbuitur. Illum Hermannus de *Altena*, Cunegundi proximus, Archiepiscopus Coloniensis, peramanter suscepit, & educavit honestè: jamque efformatum pro ætate, suæ Metropoleos Canonicatu, & exinde S. Gereonis Præpositurâ dignatus est.

At B. Andreas natale deserens solum, Romam proficiscitur, Principum Apostolorum cruore purpuratam, deosculaturus humum. Româ pergit Jerosolymam, Sarracenis bellum illaturus. At Godefrido, Jerosolymorum Rege demortuo, & attritis Christianorum rebus, Romam revertitur, ingens sui desiderium, splendentemque virtutis famam sacris relinquens incolis. Romæ Pontificem summum sedere ediscit Paschalem II. cui, dùm Cardinalem ageret, benè notus fuerat, & charus. Ad humillima pedum suæ Sanctitatis oscula pro voto admissus, auctum Raineri honorem, semper verò æqualem ejus in se expertus est benevolentiam. Anno 1107. Pontificem Gallias ad Concilium Trojæ in Campania, migrantem, secutus est. Hic autem reperto consodali suo, S. Godefrido d'*Ally* Ambianensi Episcopo, mentem aperuit suam, de dando novigentinorum Monachorum Religioni nomine. Obstitit Godefridus, consilii sui rationem ex revelationibus petitam esse prætendens. Mœrens inde B. Andreas, Episcopali tamen judicio stare non abnuit, habitâque discedendi facultate, Coloniam ad fratrem suum Bonnensem Præpositum reversus est: cùm autem Archiepiscopo innotuisset Andreæ dexteritas, ut suo nomine, in Imperatoris aula, Ecclesiastici deputati gereret vices, Spiram illum transmisit. Hoc officio laudabiliter perfunctus Andreas, iterùm Viennam Galliarum, nomine Archiepiscopi Coloniensis Friderici, mittitur ad Synodum; in ipso itinere Carthusianorum rigorem statuit amplecti. Sed divinitùs effectum est, ut à Carthusiæ Priore pateretur repulsam; etenim alteri debebatur Ordini. Itaque Gratianopoli, ubi tunc agebat, Laudunum proficiscitur, jubente & in somnis apparente sibi B. V. Mariâ. Laudunum pervenit, & inde Præmonstratum: ad consobrini sui Norberti genua provolutus, nascentis Ordinis alumnum se postulat admitti. Annuit lubens Norbertus. Andreas autem, etsi jam ætate provectus, nil tamen de juvenilis pietatis fervore remiserat, ad humilia quæque, & vilia semper paratus, onerosa & molesta gratanter auscultans, orationis fervens amator.

Cùm quâdam die ad interiorem sylvam secessisset, ut Deo vacaret liberiùs, ecce occurrunt de repentè duo mercatores, quos stricto ense adoriebatur furibundus Thomas de *Coucy*, illum Andreas, spiritu Dei commotus, stare præcipit, & arma ponere: extemplò lupus ille ferox, in ovilem versus est mansuetudinem; ad terram disjecto ense, B. viri pronus salutat genua. Ab hujus Thomæ carceribus, tres legitur pariter liberasse mercatores injustè detentos, venerabilis Andreas; his, & similibus præclaris facinoribus virtutum, dignum se præstitit, qui Norberto Tanchelinum apud Antuerpienses debellanti sociaretur: hoc in munere obsessum à dæmone virum liberavit, in virtute SS. Eucharistiæ Sacramenti, quo septingentos, & ultrà, ex astantibus, ab errore reduxit ad veræ normam fidei.

Antuerpiæ ab anno 1123. cùm piè degisset, anno 1132. in primum Averbodii Præsulem delectus est, atque Abbatiali, licet reluctans, jugo succollavit humeros. Pluribus miraculis claruit Abbas. Legitur namque panium multiplicationem à Deo impetrasse, in pauperum gratiam; Arnoldi Comitis Lossensis filio pristinam ægrotanti restituisse valetudinem; B. Valtmanni, S. Michaëlis Antuerpiæ Abbatis, inter sacra facienda, visione fuisse recreatus; unde ad fratres suos istud obitûs illius retulit præsagium, quod verum esse, sequenti die receptæ Antuerpiâ litteræ confirmarunt.

Ipso procurante, Abbatia sancti Joannis propè *Masekam*, & Parthenon *Uronen Klooster*, & à translatione suâ *Keisersbosch* latinè *Cæsareum Nemus*, in Comitatu Hornano, sesqui milliari à Ruremunda, prodierunt. Agnitâ viri sanctitate, soror Arnoldi fundatoris Sophia *de Los*, Hungariæ Duci nupta, ad ipsum anno 1132. urbanam epistolam scripsit, in qua illum cognatum suum, & affinem nominat: Epistolæ junctum erat pretiosum SS. Reliquiarum munus. Hist. Los. ses. tit. x. p. 301.

Tandem B. Andreas, plenus dierum, & bonorum operum, obdormivit in Domino XI. Augusti 1166.* ad crepidinem altaris summi tumulatus sub hac Epigraphe.

*Vel circiter.

Sidus in hoc clarum tumulo jacet Ecclesiarum,
Cœnobii primus, pius Andræas, Pater hujus.

II.

STEPPO, sive Stephanus, beatorum albo adscriptus à Middelburgensi Abbate Hooglandio, beatique Arnikii spiritualis pater, à Godefrido III. Lotharingiæ Duce, chartam in Averbodii favorem, *ob bona religionis, ac sanctæ conversationis odorem* inde manantem, obtinuit anno 1180. & à Christo remuneratore gloriam 12. Octobris 1189.

III.

SIBERTUS Parochiales Ecclesias, tàm Prædecessoribus suis, quàm sibi à Patronis collatas, Apostolicâ Innocentii III. authoritate munivit anno 1200. Adjacens Averbodio Parthenium trastulit anno eodem ad villam de *Keysersbosch*. Sacellum sancti Nicolai de *Wahanges* ædifica-

vit, dotem suppeditantibus Henrico IV. Lotharingiæ Duce, Henrico Domino de *Jaca*, & Willelmo Toparchâ de *Dongelberg* fratre ejus. 28. Decembris 1202. ad Patres abiit.

IV.

ALEXANDER raræ pietatis, rariorisque humilitatis Abbas, ad preces Imainæ, Godefridi III. Lotharingiæ Ducis relictæ, & à viduitate ad Belisiensem Monialium Abbatiam assumptæ, collapsam cœnobii disciplinam instauravit, eo successu, ut Reformatori, ac successoribus ejus, quantùm ad spirituale regimen, Parthenium suum subdiderint Moniales, approbante Hugone Petrapontio Episcopo Leodiensi: ac ne viderentur tanti beneficii ingratæ, Personatum de *Neré* in Comitatu situm Hornano, mensæ Averbodiensi contulerunt. (*a*) 27. Novembris 1206. Alexander obiit.

V.

EGGERICUS, virtute & doctrinâ cum optimis comparandus, B. Arnulfo miraculis post, & ante facta inclyto, parentavit anno 1208. Biennio abhinc & ipse Eggericus tumulo donatus est 28. Januarii.

VI.

GODEFRIDUS, præclarum Religionis decus, Ludovico Comiti Lossensi, ex pietate, amicissimus, ejusque conscientiæ moderator, in Archicapellanum promotus, id officii ad successores suos, laudante Episcopo Leodiensi Hugone, transmisit. Consiliarii, Camerarii & Sigilliferi munera junxerunt Comitis hæredes, & illa ad annum 1336. hoc est, ad mortem usque improlis Comitis Ludovici gessere munia Abbates Averbodii 11. Aprilis 1215. raptus est Godefridus.

VII.

BALDUINUS Engelberto Coloniensi Metropolitæ familiaris, multa, eo opitulante, ad monasterii reparationem, beneficia consecutus, dirutas incendio suscitavit ædes. Dissidiorum amicabilis penè omnium arbiter, renitentes ad pacem etiam per miracula, adegisse fertur, & in monumentum famosæ reconciliationis, Ecclesiam *Aldebissen*, primariam posteà Ordinis Teutonici Commendariam, mediis ædificavit in juncis. Veræ religionis strenuus vindex, & pacis assertor Balduinus, ad Deum pacis migravit, 12. Octobris 1226.

VIII.

ROBERTUS. Variis Pastoratibus auxit monasterium. Reliquias S. Ermelindis (*b*) in capsa argentea, sed à sacrilegis denudata, reconditas à tempore Pipini, visitavit jussu Joannis Episcopi Leodiensis, easdemque visas sigillo munivit, & reposuit anno 1236. biennio ante mortem, quam 22. Septembris oppetiit.

IX.

JOANNES DE *BOSSUT* stemmate nobilissimus, mores virtutum candore nobilitavit, & exemplis. Stillantem ex particula crucis Christi sanguinem, dùm in monasterio *Hoydonckano* versaretur, vidisse refert Sanderus, utinam monasterii hujus situm narrator indicasset. Floreffiense suspicarer, ubi id prodigium evenisse protestantur scriptores, nisi nominum discrepantia obsisteret. 21. Julii 1258. obiit Joannes.

X.

WALTERUS DE *WESEMALE*, ex illustri prosapia Dominorum de *Wesemale* oriundus, sicut genere, ita & virtute, ac præclarè gestis excelluit. 4. Augusti 1270. migravit ad Dominum.

XI.

GODEFRIDUS DE *TESTELT*, disciplinæ, & Religionis amans, obiit 11. Septembris 1274.

XII.

JOANNES DE *TIELDONCK*, proventuum Ecclesiæ suæ æquissimus vindex, anno 1277. mense Septembri paciscitur cum Waltero Floreffiensi Abbate super jure patronatûs Ecclesiæ de *Durepelt*. Resignavit anno 1279. resignationi superstes ad annum 1297.

XIII.

OTTO DE *LOVANIO*, Parochialium Ecclesiarum de *Nievenhem*, de *Buggenem*, de *Haelem*, de *Roggel*, jus patronatûs, monasterio suo filiali de Cæsareo nemore transcripsit anno 1288. sequiore autem occubuit 28. Februarii.

XIV.

JOANNES DE *ROTSELAER*, Canonicus sancti Michaëlis Antuerpiensis, & Pastor in *Coersel*, in Abbatem electus, domum in temporalibus, & spiritualibus amplificavit, prudens in utrisque administer. Arnoldo Comiti Lossensi, agenti in extremis affuit, & mortuum funereis honoribus in Averbodio prosecutus est. Maria de *Vienne* Arnoldi conjux, Joannem testamenti sui executorem esse voluit; usque adeò utriusque emeruerat & amorem, & honorem, vir sanctus, affabilis, Principibus charus, & ex hoc vel maximè laudabilis, quòd Prælaturam abdicaverit anno 1304. vitæ humilis & privatæ sectator.

(*a*) Honorem hunc cum onere pariter & quæstu, jamdudum abdicarunt Averbodienses Abbates; adeoque Personatûs de *Neré* præsentatio ad Belisiensem Abbatissam postliminiò fuit devoluta.

(*b*) Hæ Reliquiæ in oppido de *Meldert*, vulgò *Meldaria* requiescunt. Illic vitam cœlibem exegit sancta Ermelindis, & post mortem ei augustiorem tumulum Dux Pipinus extulit, & in confini loco, virginum struxit collegium, Normannorum, ut creditur, eversum manibus.

XV.

JOANNES *QUISTWATER*, ex Provisore Abbas, ex probitate & suavitate morum commendatus, 6. Augusti 1311. moritur.

XVI.

JOANNES *PISTORIUS*, vir venerabilis; piâ ac blandâ dexteritate monasterium gubernavit, annis quadraginta tribus, 29. Julii 1354. fato functus.

XVII.

REYNERUS DE *ARSCHOT*, fervens justitiæ cultor, anno 1355. transigit cum Engelberto Leodiensi Episcopo. Anno 1356. obiit 10. Novembris.

XVIII.

ARNOLDUS DE *VENLO*, ex illustri Geldriæ Ducum stirpe originem ducens* Venlonensis Pastor extitit, ubi Dominus esse debuisset. Abbas electus Averbodiensis, haud degenerem natalitiis vitam gessit, verbo & exemplo suis prælucens. Sortem subiit communem 6. Nonas Martii 1360.

* Illius non meminit Knippenberg in Hist. Eccles. Ducatûs Gelriæ Fil. esse debuit Henrici & Seinaræ, si paternâ lineâ descendit ex Geldrorum Ducum sanguine.

XIX.

HENRICUS DE *VINCXSELE*, 19. Julii 1369. moritur.

XX.

ARNOLDUS DE *TULDEL*, primus à Sede Apostolica confirmationem, contrà Ordinis, & consuetudinis jura, impetrasse insimulatur, (jure, an injuriâ) à Grammayo. Eruditionis monumenta pleraque litteratus Abbas reliquit, & monasterii Præfecturam 25. annis tenuit laudabiliter. Kal. Martii 1394. exuvias mortales posuit, laude immortali dignus Præsul.

XXI.

JOANNES *MULTORIS* ab *Herlaër*, virtute, & genere clarissimus, sanctimoniæ, & castitatis titulo passim in monumentis insignitus, persecutiones gravissimas virili animo sustinuit, nec carceribus quidem fracto. Anno 1398. erectæ Canoniæ in *Corsendonk* (a) Paternitas ei à Joanne Bavaro, Episcopo Leodiensi, adjudicata est, ita postulante Mariâ de Brabantia, Rainaldi Ducis Geldriæ viduâ, ibique Henricum Priorem instituit. Confectus senio decessit 29. Decembris 1422.

XXII.

DANIEL *LAECKMAN* integram vitæ, scelerisque puram animam reddidit, 15. Augusti 1441.

XXIII.

JOANNES *BAUDOUIN* S. Nicolai Furnensis Canonicus, S. T. D. Philippo Burgundiæ Duci à sanctioribus consiliis, Eugenio IV. familiaris, ab illo Abbas Averbodiensis constituitur, dùm Romæ legationem nomine Philippi Ducis obiret. Jus mitræ, & pontificalium impetravit ab eodem Pontifice. Vicarius generalis Brabantiæ renunciatus, laudabiliter officio defungens, laudabiliori humilitate utramque dignitatem exuit per cessionem anno 1458. Diem vidit ultimum 26. Januarii 1460.

XXIV.

ARNOLDUS *VANDEN VALGAET*, abdicavit anno 1482.

XXV.

BARTHOLOMÆUS *VANDEN VALGAET*, totus bonitas, & beneficentia, magnis tribulationibus probatus est, harum vel maxima fuit, Templi, & officinarum combustio, quam fulgur è cælo cadens anno 1493. miserabiliter intulit. Tantæ cladi superstes, lugubrem protraxit vitam ad an. 1501.

XXVI.

GERARDUS *VANDER SCHAEFT* de *HOHELOEN*, juris utriusque Licentiatus, Deum timens, domui suæ providè consulens, modestus, vitæ frugi, œconomiæ tantæ, ut Templum, Dormitorium, Bibliothecam, suo ambitu, sed præcipuè libris insignem exædificaverit. Plura intùs & foris, sive ad Dei cultum, sive ad hospitii commoditatem suscepta, mirabiliter perfecit. Adriano VI. Pontifici sic charus, & familiaris fuit, ut eum fratrem compellaverit, & pontificalibus decoraverit paludamentis. In senectute bona, meritorum magis quàm dierum plenus, obiit 20. Julii 1532.

XXVII.

DYONISIUS *VANDER SCHAEFT*, Gerardi ex fratre nepos, Decretorum Doctor, cognatæ virtutis æmulator, IV. Nonas Martii 1541. Patruo conjunctus est.

XXVIII.

PAULUS *GIELMANS* ex Provisore Abbas, magna tentare, fato instante oppressus, non potuit, ad maxima natus Præsul. V. Idus Maii 1543. patrum viam ingressus est.

XXIX.

HYERONIMUS *SMETZ*, aliàs, juxtà Sanderum, *FABRI*, 12. Octobris 1546. consumptus est.

XXX.

MATTHÆUS *SUOLDERS*, innatâ suavi morum gravitate, & administrandi dexteritate commendabilis, Ordinum Brabantiæ mens, &

(a) Monasterium Canonicorum regularium Ordinis sancti Augustini, Congregationis Lateranensis, Capituli Vindesemensis, unius milliaris spatio à municipio Turnhoutano distantum, in loco peramœno fundatum, anno 1393. à Maria, Joannis Brabantiæ Ducis natu minima.

consilium in arduis, aureâ, argenteâque suppellectile Templum instruxit, æterni templi factus hospes die 26. Novembris 1565.

XXXI.

ÆGIDIUS *HERNS*, zelo disciplinæ, nulli secundus, Collegii Lovaniensis autor, & promotor præcipuus, Ordinum Brabantiæ Commissarius & Assessor, Reipublicæ & Religioni summè utilis Abbas, obiit 7. kal. Octobris 1574.

Ingruentes ab obitu Ægidii per Belgium hostiles tumultus, Electorum ab Acatholicis expulsio è monasterio, ad electionem successoris non tulere procedi. Undecim annis Pastore viduatus grex, huc illucque profugus, erravit, donec remissô tantisper seditionis æstu, ad proprios lares reversus, invitatore Arnoldo *Vander Heyden* Priore, elegit in Præsulem anno 1585.

XXXII.

ARNOLDUM *VANDER HEYDEN*, patriâ Leodiensem, qui rebus licet in arctissimis, collectos Fratres fovit, & resarciendo ac reparando gregi, quatuordecim ingenuos adolescentes admisit in sodalitium. Ast implacati Martis necdum satur furor, in exilium rursùs ejecit adunatam Congregationem. Arnoldus Diestæ morbo corripitur, & 3. Octobris 1588. ibidem extremos edidit spiritus.

XXXIII.

MATHIAS *VALENTINI*, judicio Cardinalis & Legati Petri Aloysii Caraffa, *vir antiquæ probitatis, & prudentiæ*, in Abbatem assumitur, furente adhuc persecutione, anno 1591. Luctuosam ejus monasterii faciem, Hispanus miles, igne submisso, miserabiliorem fecit anno 1594. absumpta est enim voraci flammâ, simul cùm ædibus, ingens, & MSS. locuples Bibliotheca, Litteratorum maximo luctu, & jacturâ irreparabili. Anno 1604. ab exilio reversus Mathias, pauper & modicus, immensum aggreditur opus. Ædes prostratas in meliorem formam erigit, Templum nobilius excitat è favillis, rem domesticam auget proventibus, disciplinam pristino restituit fervori; quin & filiale Parthenium bellicis fragoribus, à regulari observantia nonnihil imminutum, ad clausuræ, & Statutorum normam revocavit, accitâ in hunc finem ex Gempensi monasterio Præfectâ Maria *Vanden Sanden*, virgine Religionis zelo conspicuâ. Utrumque cœnobium visitans Petrus Aloysius Caraffa, per tractum Rheni Nuntius Apostolicus, anno 1628. de Averbodiensi hoc scripto tradidit. » Magnum paravit animæ nostræ solatium, Pater » misericordiarum, & Deus totius consolatio» nis: atque ad hos extremos limites Apostoli» cæ visitationis, videri potest voluisse nobis, » post diuturnam fatigationem, levamen gratum suppeditare, dùm suæ Providentiæ con» silio disposuit, ut pacem esse huic domui, & » filios pacis habitare in ea, comperiremus: spiritum verò S. Norberti Fundatoris, ita inter » ipsos vigere, ac si non ita pridem sanctæ ejus » exuviæ & ossa quæ tandiu inter inimicos fidei » custodivit Dominus, ad lucem extrahi voluerit, ut filiorum reflorescere sanctitatem atque » in partibus his, ad Ecclesiarum subsidium » adhuc dici debere esse superstitem, omnes aspicerent. »

Ita Nuntius Caraffa: nec mirabere, si oculatum scriptorem Joannem Bapt. *Grammaye*, de Averbodii statu tùm florentissimo differentem audias. » Ecce, inquit, tibi Patres, quos » si pagina ipsa vivos repræsentaret, relucentem » ex fronte modestiam, habitantem in cultu » religionem, in labris prudentiam, in toto corpore majestatem liceret contemplari. » Missos deinde in Hollandiam plerosque, ad deffensionem fidei, Canonicos recenset; alios ab hæreticis trucidatos narrat gregi dominico incubantes, scilicet Adrianum de *Bergis*, Pastorem in *Vorst*, Valterum *Scuyttens*, Pastorem in *Suctendael*, Engelbertum *Beets*, Parochum in *Rummen*: Excurrit posteà in erudita poëmata P. Joannis *Miscum*, autoremque ab exemplari vita magis contemplandum, quàm à doctrina, & minerva poëtica prædicat. Patrem Joannem de *Resimont* Pastorem Venloæ, variarum linguarum peritiâ, rerum agendarum dexteritate, doctrinâ profundâ, multiplici & semper felici apud Batavos legatione incomparabilem venditat, quippe qui suâ *prudentiâ & labore Hannoniam à flammis, Flandriam à periculo, Brabantiam à metu, liberavit.*

Hæc erat Averbodii sancta, & læta facies, regente Mathiâ, talem reliquit moriens 12. Martii 1635. Abbatialis Præfecturæ anno 44. Commissariatûs Ordinum Brabantiæ anno 19.

XXXIV.

NICOLAUS *AMBROSII*, quondam Collegii Lovaniensis Præses, Litteratorum mœcenas, vir doctus, Bibliothecam exstruxit, suæ inaugurationis primum & felix monumentum consignans, quod imitarentur. Amplam Virgini matri dicavit Ecclesiam in *Corsenbosch*. Probatis districto Theologorum Lovaniensium & medicorum examine miraculis decantatam; ad quam, Sandero teste, concursus undique à magna quotidiè frequentia, sæpius uno die quinque, sex, septem millia notata; uno Assumptionis Festo decem millia. Mansuetam & piam Nicolai administrationem mors immitis abbreviavit 9. Julii 1647.

XXXV.

SERVATIUS *VAES* Nicolao surrogatus, qualem à prædecessoribus observantiæ vigorem acceperat, talem servavit illibatum: suis suo prælucens exemplo subditis, nihil ætati gran-

devæ indulgens, in sacrorum librorum lectione assiduus, in frequentatione chori pervigil, in vindicanda disciplina fervidus. Basilicam cœptam anno 1655. absolvit anno 1673. & 23. Junii, Antonius de *Blavier*, Leodiensis Suffraganeus, solemni ritu, illam inauguravit. Ecclesiam in *Cortenbosch* dotavit & ornavit, amplumque ipsi adjunxit domicilium ad habitationem trium aut quatuor è gremio Canonicorum, qui affluenti populo sacra jugiter administrarent, pœnitentiam & confessiones exciperent: quibus & subsidiarios, multitudine sic exigente, non rarò submittebat. E vivis excessit pius Abbas, Pater 90. fermè religiosorum, (quos, uno tantùm dempto, per professionem Christo Jesu genuerat) anno ætatis suæ 90. penè completo, 18. Januarii 1698.

XXXVI.

STEPHANUS *VANDER STEGHEN*, à Rege Hispaniarum Carolo II. ex Pastore civitatis Venlonensis, Averbodiensi præficitur Canoniæ. Ampliora struxit ædificia, ultimam jam à decessore suo auspicatæ turri, manum admovit, Abbatiales de novo ædificavit ædes & Bibliothecam novam, quam ingenti decoravit numero voluminum. Domicilium Canonicorum in *Cortenbosch*, in cineres redactum, magnificentiùs restauravit: Templum ipsum pulcherrimo amplificavit atrio, novumque in eo princeps altare, quo nihil splendidius, nihil augustius, collocari fecit. Denique intùs & foris felici Canonicorum suorum nonaginta trium statui prospiciens, etiamnùm inter vivos octogenario major perseverat, Statuum Brabantiæ, uti prædecessores sui, Assessor ordinarius.

PATERNITAS.

Primum ordine temporis, & generationis monasterium, quod ex Averbodii sinu prodiit, est *Cæsareum nemus*, quod patrio idiomate *Keyserbosch* dicitur, in suburbanis Ruremundæ insigne Parthenium.

Alterum, est virorum Abbatia in monte sancti Joannis, vulgò *sint Jansberg*, propè *Maseyckam*, non longè à Mosæ alveo, & hujus rudera inspeximus anno 1716.

PASTORATUS.

Tessenderloo, in Comitatu Lossensi, ab Arnoldo fundatore collatus.

Glabeeck, superius & inferius, ex liberalitate Comitis Ludovici.

Cosen & *Bruysthem* à Theodorico de *Altena*.

Corsel, à Ludovico Advocato Hasbaniæ.

Renckelinghe, ex dono Prioris Vallis scholarium Leodiensis.

Oppiteren, à Michaele de *Rothem* Milite.

Rummen, ex concessione Villelmi de *Montferrant*.

Oosthan, ex donatione Arnoldi Comitis de *Loos*, anno 1281.

Suetendael, aliàs *Suerbroeck*, ex beneficentia Comitis Arnoldi, & Margaretæ ejus conjugis, anno 1304.

Suylre ab eodem Comite.

Batsheer, ex Godefrido de *Wihonge* Milite, anno 1416.

Hechtele, anno 1337. acquisitus.

Et isti omnes Pastoratus intra ambitum Comitatûs Lossensis subsistunt, & à Leodiensis Episcopatûs spirituali pendent jurisdictione.

Wesemale, ex dono Arnoldi de *Wesemale*, Marescalli Brabantiæ, anno 1232.

Rotselaer, à Gerardo de *Rotselaer* Dapifero Brabantiæ, anno 1280.

Testelt, & *Misselbroeck*, anno 1198. à pluribus patronis transcriptus Averbodio.

Et istæ Parochiæ subsunt Archiepiscopatui Mechliniensi.

Eyndthout anno 1252. à Bertoldo Dynasta *d'Oesterloo*.

Vorst anno 1320. à Joanne *Vander Ghalen* Domino de *Vorst*.

Velda, anno 1260. ab Henrico de *Velda* Milite.

Oostmal, & *Veerle*, à Guidone Episcopo Cameracensi anno 1316.

Et isti sub Episcopatu sunt Antuerpiensi.

Balen, ex munificentia Nicolai d'*Olmele* Militis an. 1266.

Hooghemierdt, ex Theodorico de *Altena*, anno 1221.

Et hi ambo in Episcopatu Buscoducensi.

Venlo, à Gosvino de *Milne* Milite traditus an. 1259.

Blerickx, ab Ostone de *Borne*, anno 1219.

Uterque in Ruremundensi Episcopatu.

Jacea major, ex concessione Gerardi, & Henrici Dominorum de *Jacea*, anno 1207.

Zittaert, ex donatione Mariæ de Brabantia, an. 1330.

Ambo Diœcesis Namurcensis.

SACRÆ RELIQUIÆ.

Particula ligni sanctissimæ Crucis, pretiosissimâ thecâ acclusi.

Pars sincipitis B. Joannis Bapt. à Principe Salmensi collata.

Dens ejusdem S. Præcursoris à Gerardo Lossensi, reduce ex Palæstina, traditus Averbodio.

Corpus S. Celestini Martyris.

Os pollicis S. Vincentii Martyris.

Furca Lamboidis sanctæ Vitæ Martyris.

Os irriguum ad tertiam vertebram, de SS. Martyribus Thebæis.

Os suppedion sanctæ Brigittæ Virginis.

Os costale S. Bartholomæi Apostoli.

Articulus secundi digiti auricularis S. Mathæi Apostoli.

Pars

Pars catenæ sancti Petri.

Os spinæ dorsi B. Evæ reclusæ in sancto Martino Leodiensi.

Nonnulla ossa, & capita Sociorum sanctæ Ursulæ. Vide Probat. à col. cxxiij. ad col. cxxx.

S. AUGUSTINUS TARVANENSIS.

S. Augustinus Tarvanensis Fil. S. Nicolai Furnensis Diœcesis olim Tarvanensis modò Bononiensis Circaria Flandriæ.

ANtiquitate suâ, primævæ fundationis authoribus, restauratoribusque, Sanctorum numero adscriptis, magis est spectabile S. Augustini Anglorum Apostoli, cœnobium, quàm amœnitate loci, rivulorum salubritate, alluentis mænia fluminis *Lisæ* aspectu, & ad commoda quæque situ peropportuno, quem ornat hinc inde in monticulos compacta tellus, per medium extensam detegens planitiem. Hic ab anno 553. à Beata Radegunde Gallorum Reginâ fundatum asserunt quidam regionis authores * hospitale modicum, atque inibi collocatas fuisse Moniales quæ pauperum, peregrinorumque inservirent necessitatibus. Sed hoc etsi probabilitate non careat, conjectura tamen est. Fundatoris, seu Restauratoris, pòtiori jure, certioribusque monumentis Miloni Morinensium Episcopo, vindicabimus honorem. Is anno 1131. Petri Sedem occupante Innocentio II. & sancto P. Norberto, cujus aliquandò discipulus & collega laborum fuerat, adhùc in vivis agente, ex Abbate Dom-martinensi, sive S. Judoci in Nemore, ad Morinenses assumptus infulas, quò fervoris spiritum, Episcopalibus quandoque distractum muniis, faciliùs suscitaret in se, Canonicorum Præmonstratensium ex *Selincurtensi* à se pridem fundato cœnobio coloniam evocavit Tarvanum, ut inter Confratres suos, Præsulatûs onere aliquantulùm seposito, severioris interim vacaret exercitiis monastices. Huic novellæ plantationi non defuit Fundatoris pietas, sed illam ædificiis & necessariis officinis instructam, redditibus, decimis, aliisque pinguibus ditavit aut ditari procuravit patrimoniis; inter quæ præcipua fuit collatio nobilis S. Philiberti Comitatûs, qui inter vicos de *Rimboval* & *Herly*, ad viam Monstroliensem situs est, terræ jugera ad minùs sexcenta continens. His dotatæ censibus, & Flandriæ Comitum largitionibus ampliatæ S. Augustini Abbatiæ, primum præfecit Abbatem Alelmum ex Selincurtensi Canonico.

*P. Malbrancq. hist. Morinor.

I.

ALELMUS quatuordecim è Selincuria adductis Canonicis Tarvanum, præfectus est anno 1131. huic, in augmentum dotis, contulit anno 1140. Abbas S. Petri Corbeiensis ad B. Milonis petitionem, totam terram, quam possidebat in villa de *Laires*, eâ lege, ut quotannis in festo S. Remigii, solveret Ecclesia S. Augustini Tarvanensis, Corbeiensi Abbatiæ solidos decem. Adjecit pius fundator anno 1147. altaria de *Nielles*, de *Baienghem*, de *Haringhe*, & de *Rincq*, Eugenio III. laudante & approbante donationem. A fervore primitivo deficiens paulatim Alelmus, judicio Capituli generalis, loco motus, ad domum Professionis redire compellitur anno 1152.

II.

DROGO ex *Selincuria* assumptus, eodem Milone agente, anno 1153. suscepit ab Amalarico, (*) terram S. Philiberti sub annuo censu duorum modiorum cum dimidio. Philippi Flandriæ Comitis indignationem incurrit Drogo, justâ, an injustâ causâ, silent annales: sed incendium referunt illatum monasterio, ab irato Principe. Iram ut placaret Ordo, autorem alioqui malæ administrationis conscium, disciplinæ minus tenacem, contemptibilem & odiosum Principi, exautoravit decreto Capituli generalis anni incerti, & Paternitatem ad S. Nicolaum de *Furnis*, perpetuâ & irrevocabili sanctione transtulit anno 1164. remissisque ad *Selincuriam* Abbate Drogone & sociis, novum Abbatem, novamque coloniam eduxit è san- Nicolao Furnensi. Huic decreto subscripsere Philippus Præmonstrati, Varinus S. Martini Laudunensis, Gerlandus Floreffiæ, Geroldus Viconiensis, Gilbertus Montis sancti Martini, Adam sancti Judoci Abbates.

III.

ABSALOM à Willelmo S. Nicolai Furnensis Abbate ad S. Augustinum destinatus Abbas, neglectam à prædecessoribus disciplinam, dispersa monasterii bona instauravit. Philippum Flandriæ Comitem priùs infestum, ita sibi conciliavit, ut non solùm ad pœnitentiæ lacrymas, cor ejus fregerit, sed ad superabundantem pro damnis, adduxerit compensationem; combusta integravit; monasterium reddidit splendidius & viginti librarum annuâ solutione, pascualiumque camporum donatione fecit locupletius. Neque hæc fuit benefici Principis ultima liberalitas; addidit decimam de *Cuhen*, & exemptionem ab omni vectigalium & telonii exactione. Milo Tarvanensis Episcopus, Milonis Fundatoris in Episcopatu successor, & pietatis hæres, concessit altare de *Glominghem* anno 1169. Bonis auctam, regularitate insignem, Abbatiam deseruit *Venerabilis Absalom*, dum Deo & hominibus charam efflavit animam 7. Maii 1177.

(*) Editores Galliæ Christ. novæ, dicunt tom. 3. col. 539. terram S. Philiberti collatam fuisse a Johanne de *Herly* & filio ejus Gerardo. Unde hunc donatorem eruerint nescio. Bulla Eugenii III. Amalaricum largitorem hujus prædii nobilis, expresse asserit, nec alium Tarvanensis fasti quos vidimus, agnoscunt.

IV.

RODULPHUS è gremio sui Collegii electus, à Philippo Flandriæ Comite decimam halecum in Calquilla propè Caletum, ab ipso suæ installationis exordio suscepit. Ipsi quoque in eleemosynam dedit Otto de *Rebeska* quadraginta quinque marcarum pensiones, viginti sex mensuras terræ cum investitura nemoris *de Solchorch*. Et eam donationem laudavit Willelmus Castellanus sancti Audomari, suis litteris, anno 1183. Et anno 1187. ad patres abiit Rodulfus.

V.

Hunc Abbatem ignorarunt Editores nuperi Galliæ Christ.

WILLELMUS Comitis Philippi liberalitatem, uti antecessores, expertus, obtinuit ab eo quatuor terræ mensuras in villa de *Blessy*. Divisionem terræ sitæ in villa de *Cubem*, amicabili transactione, fecit cum Joanne Abbate S. Bertini, primo suæ installationis anno. Gosselinus Tarvanensis Canonicus, & Fundatoris nepos, tradidit Willelmo, de consensu Lamberti Episcopi, altare & jus patronatûs de *Morbecq* anno 1197. Sic autem odor vitæ bonæ ex sancti Augustini asceterio in Provincias diffusus erat, ut turmatim Magnates, Balduinus Flandriæ Comes, Willelmus de *Bergis* & alii, in spem participationis orationum, possessiones offerrent, quin & ipse Clemens III. Pontifex, promovendo monasterii commodo intentus, Archiepiscopis & Episcopis tutelam & illius deffensionem injungit, dato ad hoc diplomate, anno 1188. E vivis excessit Willelmus an. 1206.

VI.

WIDO, vir pacificus, atque rei familiaris, intùs & foris administrator sedulus. Obiit anno 1218. quo quidem à Ludovico Philippi II. à Francorum Regis filio, decem mensuras terræ in Parochia de *Blessy*, ad reparationem illati damni accepit.

VII.

ÆGIDIUS, pietate & rerum gerendarum dexteritate commendabilis, paciscitur cum Capitulo S. Petri Ariensis super decimis anno 1219. Capellam de *Ponte-Robardi*, quæ hodiè Præpositura de *Rousbrughe* dicitur, acquisivit, Adamo Morinensi Episcopo collaudante, anno 1220. A foragio liberam obtinuit vecturam vinorum ab Emporio sancti Audomari ad S. Augustinum à Willelmo Castellano san-Audomarensi. Benè merentis Prælati fama, ad sancti Foillani Abbatiam rapuit invitum anno 1221. & non priùs, cùm anno eodem sententiam obtinuerit à Richardo Abbate S. Valerici, Apostolico judice, adversùs Justitiarium & Scabinos Caleti pro decima halecum in Calquella.

VIII.

JOANNES DE *ZILLERS* œconomus fidelis & prudens, partas à suis antecessoribus, possessiones auxit comparatione novarum. Confirmationem bonorum & immunitatum Ecclesiæ suæ impetravit ab Adamo Morinorum Præsule anno 1223. & lites à quibus horrebat, inter vicinos Magnates & Prælatos judex arbiter sæpè assumptus, pacificè componebat. In pace & ipse requievit 22. Septembris 1234.

IX.

THOMAS Fraternitatis amans, sociale fœdus iniit cum Abbate & Conventu sancti Joannis-in-monte, * anno 1234. Tales autem erant amicabilis concordiæ leges, ut quoties ex utroque monasterio Fratres deliquissent, ad alterum secederent monasterium, donec, discusso negotio, pro ratione delicti puniretur reus, vel innocens absolveretur. Plurima à Proceribus, sed potissimùm à Thoma Flandriæ & Hannoniæ Comite beneficia adeptus, obiit 1240.

* Hæc Abbatia in Tarvanensi solo destructa, Ipram modò translata est.

X.

GODEFRIDUS inter varios tractatus, quos in decursu sui regiminis conclusit, unus ad disciplinam & ritus sui temporis maximè pertinet, quo nimirùm paciscens cum Pastore de *Morbecq*, ei, pro bono pacis, oblationes Paschæ, Pentecostes, Purificationis B. Mariæ, Adorationis Crucis in Parasceve, Natalis Domini, & quas nubentes post benedictionem super altare ponunt, unà cum minutis animalium decimis sub annuo 60. solidorum Flandrensium censu, reliquit anno 1245. moritur an. 1251.

XI.

VALTERUS confraternitatem cum Cisterciensibus de *Claromarisco* sanxit. Obiit 1275.

XII.

JACOBUS DE *FASQUES*, pietate insignis, & patrimonii suæ Ecclesiæ ultor zelosus, armavit Episcopum Morinensem contrà Robertum de *Crescequa*, qui cursum aquæ alluentis Abbatiam, malitiosè diverterat. Excommunicationem incurrit Robertus, à qua absolvi non potuit, donec damnum resarciret. Anno 1279. per sententiam Ballivi Audomarensis tredecim mensuras terræ in villa *Blessy*, Ecclesiæ suæ restituit, & anno sequiore vitâ defungitur.

XIII.

JOANNES DE *VITERNES* assignat infirmitorio sui cœnobii decimas de *Bayenghem* anno 1281. à Bonifacio VIII. licentiam obtinuit suis Canonicis adeundi successiones suorum parentum; & à Desiderio Morinensi Episcopo confirmationem bonorum sui monasterii anno 1293. Obiit autem anno 1310.

XIV.

BALDUINUS scripsit Epistolam Waltero Abbati Furnensi anno 1314.

XV.

JOANNES DE *REBREUVES* nobilis & humilis Abbas, Romam missus pro negotiis Ordinis, dignitatem in manibus summi Pontificis resignavit. Redux ex itinere, labore fractus & senio, obiit 1348.

XVI.

ADAMUS, Dominum *de Rebecq*, invasorem decimæ illius loci, ad restitutionem, per sententiam Præpositi Monstreolensis, adegit; & Ballivum Morinensem qui in Parochia de *Blessy* hæreditatem illegitimè apprehenderat, in præjudicium jurisdictionis Abbatialis, ad reddendam fisco Abbatiæ, coegit. Paciscitur anno 1353. cum Eustachio de *Constans*, invasore jurisdictionis *Arnoldi-Vallis* vulgò *Arnoald*. Denique inter belli procellas, quibus Arthesia affligebatur, miseriis exhaustus, obiit Adamus anno 1362.

XVII.

JOANNES *VERMANS*, Clementi VII. * Tarvanensem Episcopatum ante suam exaltationem occupanti plurimùm gratus, ad ejus familiare consortium pervenerat, ipsumque hospitem sæpè recepit. In gratitudinis monumentum, Pontifex factus, indulgentias liberaliter effudit ad reparationem Templi, quod bellorum furor incenderat. Hoc uno donatus beneficio, Joannes obiit 1377.

* Robertus de Geneva.

XVIII.

JOANNES *ROGIER* ad summum Pontificem Avenione degentem, à Joanne Abbate Præmonstrati, & generali Capitulo ablegatus, tam sagaciter Ecclesiæ & Ordinis negotia pertractavit, ut paulòpost, iteratâ legatione, Romam à Cap. generali fuerit submissus. Jolandis Barri & Casleti Comitissæ gratiam inierat, & benefactricem sæpiùs comprobavit. Exemptionem Ordinis à Jurisdictione Episcopali adversùs Joannem & Matthæum Episcopos Morinenses fortiter tuitus, obiit 28. Martii anno 1411.

XIX.

OSTO DE *COQ*. Tam multa, tamque præclara ad monasterii sui utilitatem & disciplinam gessisse memorant, ut alterius quasi fundatoris nomen reportarit, moriendo in senectute bona anno 1444.

XX.

JOANNES *ROBBES*, verbo & opere Fratribus prælucens, disciplinam libens habuit, ut doceret, metuendus imposuit, ut timeretur. Ætate fatiscente, Coadjutorem sibi assumpsit Jacobum *Smingher*, & fato urgente decessit 5. Augusti an. 1466.

XXI.

JACOBUS *SMINGHER*. 1478.

XXII.

JOANNES *LIPPINS*, in calamitatibus & miseriis medias inter bellorum tempestates vivens, ad villam seu curtem de *Beauregard*, cum suis fugere coactus est, ubi peste sublatus, in Ecclesia de *Haringhe* sepultus est, cum hac marmori insculptâ Epigraphe.

Hic jacet venerabilis Pater & insignis Dominus Joannes *Lippins*, quondam Abbas in sancti Augustini cœnobio propè Morinum, & hujus Ecclesiæ collator, qui vitam cum morte commutavit anno Domini 1486. Kalendis Septembris.

XXIII.

CHRISTIANUS *DU PUIS*, humilitatis plusquàm dignitatis amans cessit, anno 1497.

XXIV.

NICASIUS *DE REDIIS* aliàs de *Rhedes*, domum incendio concrematam, parentum suorum inter Tarvanos nobilitate & pietate præcipuorum, subsidiis instauravit. Danielem sui cœnobii Canonicum * ad Gibeldensem (a) Episcopatum, & sub Ludovico de *Luxemburg* ad Suffraganeatum Tarvanensem, deinde ad Wormosellæ Præposituram, gaudens vidit evehi, & ipse post 29. annorum vitam, in laborioso regimine transactam, diem lubens vidit ultimum, anno 1526.

* Nomine Tu, pal.

XXV.

JOANNES *BAUCHEREL* sub approbatione Caroli V. Imperatoris, Belgiorum Principis, Abbas electus, vivere desiit attritus bellorum molestiis, anno 1545.

XXVI.

ROBERTUS *PICAVET*, de ipso sic ferunt annales.

Robertus natione Burgundus, furiales inter « bellorum tumultus, ad Abbatiale munus pro- « vectus est anno 1545. vix credibile est quanta « mala, quantasque sub hujus Abbatis regimine « Ecclesia nostra perpessa sit ærumnas, non so- « lùm ex continuis hostium, per has plagas gras- « santium, depopulationibus, sed potissimùm « ex urbis Morinensis Gubernatoris Galli, in « nos super omnia malevoli, & in Abbatem « præsertim indignabundi, ferocitate, qui ob « cursorem equum ipsi denegatum, & Adriano «

(a) Aliàs Gabala.

»de *Croy* exercitûs Imperialis Ductori, gratis »concessum, tanto furore percitus est, ut vin»dictam omnem spirans, nec personæ dignitati, »nec loci sanctitati parcens, simulato tuendæ »& conservandæ civitatis prætextu, Ecclesiæ »navim, turrimque funditùs everti, campa»nas avelli, cæteraque ædificia deleri, impio »& tyrannico jussu demandarit. Ad hunc »igitur lamentabilem statum redacti Fratres, »domum deserere coacti, ad Præposituram »nostram de *Rousbrugge* transire debuerunt, »ibique permanserunt, donec urbe Morinensi »funditùs eversâ jussu Caroli V. & bellorum »sedatâ tempestate, ad monasterium reversi »sunt, ubi beato fine quievit dignissimus Ab»bas, die quartâ Octobris 1559. Eversio au»tem urbis accidit anno 1553.

XXVII.

BENEDICTUS *BAUCHEREL* curam suscepit monasterii devastati, & taliter depauperati, ut pro sustentatione Fratrum, vasa sacra, thecas argenteas, ipsumque pastorale pedum oppignoraverit, quæ, martis irâ paulisper defervescente, redemit: Ecclesiæ, chorique diruta tecta reparavit pro posse; & fessus ætatis & ærumnarum, sponte Abbatiam resignavit anno 1569.

XXVIII.

MICHAEL *WALLART* ex parentibus Anglis ob persecutionem Henrici VIII. ad Arthesiæ partes profugus, in *Blessy* juxtà Ariam natus, Abbatiam assecutus ex resignatione, ipsam, morte præmaturante, dimisit ætatis anno 33. Æræ Xti 1571.

XXIX.

PETRUS *SMITZ* san-Nicolai Furnensis Canonicus & Pastor *Neoportûs* in Abbatem eligitur: quarto post electionem mense obiit anno 1571.

XXX.

ADRIANUS DE *NEUVILLE* ad omnia quæque dura natus videbatur, usque adeò procellosa fuit sui regiminis ætas. Carcerem, ludibria, vapulationes, à *Geusiis* Arthesiam depopulantibus, patienter sustinuit, succumbere nonnisi mortis voluit legibus: hanc Audomaropoli excepit in pervigilio sancti Bartholomæi 1596. unde ad S. Augustinum sepeliendus reducitur, sub pulpito collectarum.

XXXI.

GUILLELMUS DE LA *HAYE*, Principibus & Magnatibus ob præclaras corporis & animi dotes summè gratus, in dicendo facundus, sæpè ab Provinciæ Arthesianæ Comitiis ad Albertum Belgii Principem Orator ablegatus est. Virum ad ardua natum mors intercipit anno ætatis 34. Salutis 1599. 14. Augusti.

XXXII.

BALDUINUS *PAUCHET*, senex electus, in senectute bonâ, breve sed bonum regimen consummavit 28. Decemb. an. 1602.

XXXIII.

JACOBUS *CORBAUT*, humilitatis & paupertatis rigidus sectator, nec dominum se vocari passus est, nec supellectilem nisi arctam habere voluit. Domum & Ecclesiam de suæ paupertatis œconomiâ instauravit, pauperum nihilominùs liberalis provisor. Obsidione Ariensi instante ad San-Nicolai Furnensis Abbatiam quæsivit perfugium. Illic ruentis sui monasterii, & dispersionis Fratrum plangens calamitates, consumitur 8. Januarii 1642.

XXXIV.

AUGUSTINUS DE *PARIS* bellicoso tempore electus, deplorabilem sui monasterii statum alternis hostium devastationibus obnoxii, luxit in domo refugii Ariensis, ubi mortem oppetiit x. Octobris 1651.

XXXV.

HUGO *DU CAMP* ex coadjutore Abbas, disciplinam bellorum strepitu interruptam, restituit, revocavit ad regularem Dei cultum dispersos Fratres, & eis pietate & exemplo prælucens, ad pietatem incitabat. Intrà Octavam S. Norberti, dignus tanto Patre Filius moritur, 17. Julii anni 1677.

XXXVI.

AUGUSTINUS *WILLERON* ex Magistro Novitiorum, & concionatore Apostolico, Abbas factus, à prædicatione non abstinuit. Navim Ecclesiæ funditùs eversam, restituit, & turre molis ingentis, terminavit frontem. Baroniam de *Clarcq*, variosque monasterii fundos ex necessitate abalienatos, remensâ pecuniâ recuperavit. Ad Galliæ Regem semel & iterùm à Provinciæ Comitiis Orator & Deputatus generalis, Statûs negotia sagaciter confecit. 3. Januarii 1708. Audomaropoli moritur.

XXXVII.

FERDINANDUS D'*AUCHY*, ornandæ Ecclesiæ, augendo proventui, disciplinæ & studiis promovendis totus hodiè intentus est. Annis 1711. & 1713. ad septem Provinciarum fœderati Belgii Status generales, ex parte & nomine Cleri Arthesiani Orator missus, legationem obiit solerter adeò, ut rursùs anno 1717. in Deputatorum collegium fuerit ascitus. Anno eodem à Capitulo generali ad Galliæ Regem oraturus delegatur, & Visitator Circariæ Pontivi renuntiatur Procerum judicio.

PASTORATUS.

Bayenghem.

Cacquelle---Calquelæ.
Haringes,
Rincq, concessus à Milone Tarvanensi Episcopo anno 1147.
Gomelinghem, à Milone II. Episcopo Tarvanensi datus anno 1159.
Stavele.
Winingasala---*Winnezeele*.
Bochut.
Nieles.
Resbeck---Resbecka.
Morberck.
Leulinghem.
Mencque.
Præpositura de *Rousbrugge*.
Hocquinghem.
Hi omnes in diplomate Desiderii Morinorum Episcopi recensentur, anno 1174. & in alio Adami ejusdem urbis Episcopi, anno 1223.

RELIQUIÆ.

Insignes habentur sancti Augustini Anglorum Apostoli, busto argenteo inclusæ.

Inter Reliquias computari possunt Ossa venerabilis Joannis II. Morinorum Episcopi, anno 1212. defuncti, quæ ex Ecclesia B. Mariæ Morinensis ad San-Augustinianam magno & pio apparatu translata anno 1631. sequenti inscriptione tumulum exornavit Jacobus *Corbaut* Abbas.

Hic jacent ossa Reverendissimi Domini
Joannis II. Episcopi Morinensis
Inventa in Ecclesia B. Mariæ Morinensis
Solo adæquatâ,
Vigesimo Martii, anno MDCXXXI.
Et die sequenti hunc translata,
Permissu Reverendissimi D. Petri Faventii
Audomarensis Episcopi.
Obiit anno MCCXII.
Die beati Vincentii lucescente.
Requiescat in pace.

Vide Probat. à col. CXXX. ad col. CXLIV.

S. AUGUSTINUS.

S. Augustinus Fil. Præmonstrati. Diœcesis quinque Ecclesiensis. Circaria Hungariæ.

HAnc sobolem Præmonstrato adjudicat Pagius. Layruelius Insulæ Lazari filiam esse asseverat. Inter contendentes non est qui dirimat litem, imò nec contentionis superest locus, cùm ab Ordine defecerit Præpositura.

AVINIACUM.

Aviniacum Fil. Moncelli, Diœcesis Catalaunens. Circaria Franciæ.

** Avigny.*

GIslebertus *Moncelli* Abbas, ut primùm collectos ex Branensi monasterio Canonicos novellæ suæ plantationi inseruit, virginibus ad eandem vitæ formam aspirantibus construxit parthenonem, non, ut mores antiqui ferebant, in contiguo Abbatiæ & solo pariete divisum, sed in villa de *Aviniaco* * spatiis separata non tantis à monasterio, quin promptam opem postulantibus Canonissis, ferre posset Abbas; sed neque tàm proximis ut contubernium ex proximitate, aut scandalum ex quasi convictu, generaretur. Ab ipsis penè orientis Abbatiæ crepundiis parthenonem extitisse suadet Eugenii III. Bulla anni 1147. in qua *Aviniacum ubi Sorores degunt* confirmat. Tempus defitionis parthenonis non assignant documenta *Moncelli*, indictum cæteris Galliæ parthenonibus bellum à Capitulis generalibus fæmineo sexui infestis, hunc & alios communi fato sepelivit.

Fundatorem habuisse Guidonem de *Dompetra* vulgò de *Dampierre* & Helvidem uxorem ejus, constat ex Guidonis de *Joinville* Catalaunensis Episcopi charta anni 1174. sub hoc tenore.

Ego Guido Catalaunensis Episcopus... Notum fieri volumus quòd Guido de *Dompetra* & Helwidis uxor ejus pro remedio animæ suæ, in terra sua ædificaverunt Ecclesiam de *Aviniaco* consentientibus & laudantibus filiis suis scilicet Willermo de *Moilain*, Andrea & Milone. (*a*) Obtuleruntque eidem Ecclesiæ campum in quo sita est (*b*) pertinentem à campo Petri Pinguis, usque ad pratum de *Avigny*, cum eodem prato, pratum quoque de Insula & campum qui vocatur *de Arrodi*. Decimationem quoque totius annonæ in.... *Moilain* videlicet carrucarum, molendinorum & terragiorum suorum, exceptis seminibus & taleatis. (*c*) Usum in piscatione quæ est à ponte *Altavilla* usque ad *Moilain*. Usum totius nemoris sui, exceptis deffensis suis, ad ignem faciendum seu ad ædificia construenda. Pascua porcorum, pecorum, & animalium in sylva & planitie & etiam jura ministerialium concessit prædictus Guido & filii sui, duo molendina quæ habet à quibusdam Militibus Helduino de *Moilain* & Adam de *Cusantia* sub censu viginti quatuor sextariorum annonæ, & terram quorumdam Militum Widonis de *Hattoncurte* & Berardi fratris ejus, quæ est à *Sanbuco* de *Horicort* usque ad *Avigny*. Terram etiam *Hoeri* de *Perta*, excepto uno campo quem tenet Dietus de *Perta*, pro quo alium campum eis reddidit. Terram etiam Tecetæ quæ sine hæredibus corporis sui defuncta est & campum in confinio pontis *Nova ville*. Dimidiam partem molendini *Dezgigny*. Piscaturam etiam liberam à

(*a*) Albericus in Chronic. præter hos Guidonis filios recensèt Guidonem Episcopum Catalaunensem & Ansericum.
(*b*) Lege incipientem.
(*c*) Fortè idem quod censualibus seu indominicatis redditibus.

consueto cursu *Merna* usque ad divisionem aquæ de *Sapignicourt*. Concessit etiam hominibus terræ suæ tam liberis, quàm servis ut si quis eorum ad eos converti voluerit, cum possessione sua liberè veniret, salvo censu atque terragio, excepto quod Militibus liceret dare totum feodum, non partem, salvo scilicet hominio suo. Si quis etiam in seculo remanens, partem feodi quam ab eo teneret, dare vellet. Et si quis hominum suorum eis terram suam vendere vellet, penitùs liceret, salvâ consuetudine ejusdem terræ. Ut autem omnis litigandi occasio futuris temporibus substrahatur. Ego Guido præsentis paginæ scriptor, sigilli mei astipulatione confirmo, testibus qui hoc viderunt vel audierunt subnotatis.

S. Thomæ Abbatis sancti Petri.
S. Joannis Abbatis sancti Memmii.
S. Balduini Archidiaconi.
S. Jacobi Magistri.
S. Hugonis de *Moranpunt*.

Actum est hoc anno Incarnationis Verbi MCLXXIV. Data Catalauni per manum Gerardi Cancellarii.

BALKIASCHOG.

Balkiaschog. Fil. Tumpthorsii. Circaria S. Andreæ & Sclavoniæ.

SOlus, inter Historicos Ordinis, Pagius, hanc Abbatiam in albo monasteriorum reposuit, accuratioribus, quàm nos, catalogis subnixus. Sed ubi gentium substiterit hæc Abbatia, ex designatione autoris capere non valeo. Diœcesim *Rosmarchiæ* neque in geographicis, neque in historicis reperio Scriptoribus: Provinciam Rossiæ lego in Scotia; *Rossam* in Irlandia, sive Hibernia, civitatem invenio Episcopalem; in Sclavonia nullum occurrit hujus nominis oppidum; an Pagius, *Rosmarchiam* appellavit, quod *Rossam* nominamus? ægrè putaverim, cùm ad Circariam Hiberniæ illa pertineat, & paragrapho singulari expenderit Hiberniæ & Scotiæ monasteria, non revocanda amplius sub Circaria Sclavoniæ & sancti Andreæ, in qua *Balkiaschog* collocavit.

BALLIMORE.

Ballimore. Fil. S. Trinitatis Tuamensis. Diœcesis Armachanæ. Circaria Hyberniæ.

MOnasterium de *Ballimore*, inverso nomine *Balinanval* à Layruelio & Pagio appellatur, & à Waræo ad patrium idioma, latinum accomodante, *Ballimore* nuncupatur; in diœcesi Armachana, vel, ut scribit Waræus, in Provincia Lageniæ consistebat. Rem planè incredibilem addit, dùm monasterio Canonicorum Præmonstratensium adhæsisse asserit parthenonem Ordinis Cisterciensis, separatis tamen ædificiis utrique gregi assignatis: hinc suspicatur à Cisterciensibus indiscriminatim (P. 197.) vindicatum Ordini suo *Ballimore*. Sed credo hominem ex vulgi fama id narrantem, errasse: tùm quia cautum erat Concordatis inter utrumque Ordinem sæpè & solemniter juratis, maximè anno 1140. ut monasterium Ordinis unius, esset in Anglia separatum ab alio duabus leucis; tùm quia moris erat antiqui in Ordine Præmonstratensi, ut virili cœnobio contiguum jungeretur parthenium. (Vide Gervas. Epist. 56.)

Lacæos fundatores habuit *Ballimore*, at quo anno? incompertum nobis est.

SANCTA BARBARA.

Sancta Barbara. Fil. Middelburgi. Diœcesis Middelburgensis. Circaria Frisiæ.

SAncta Barbara Hagæ-Comitis, Præpositura virginum, cujus exordia ignoramus. Non enim prima nascentis cœnobii tempora designat spontanea traditio Præpositi & Sanctimonialium in manus Abbatis Middelburgensis * anno 1496. capitulariter facta, quâ se suumque conventum filiali obsequio & obedientiâ irrevocabili, devovent. Jam duodecim virgines parthenonem coluerant; jam sub Præpositi vivebant regimine, jam matricem debebant agnoscere Ecclesiam, ex cujus alveo manassent. Putarem ergò eas originariæ Paternitatis, quam nescio, excussisse jugum, ut præpotenti Middelburgi Prælato se subderent, solemni pacto, cujus tenor sequitur.

(* Joannis de West Cappel.)

"In nomine, &c. Cunctis pateat evidenter, " quòd anno Nativitatis Domini MCCCCXCVI. " Indictione quartâ decimâ, die verò mensis Septembris vigesimâ, horâ diei ejusdem quintâ " post meridiem, vel quasi, Pontificatûs SS. in " Christo Patris, ac Domini nostri D. Alexan- " dri divinâ providentiâ, hujus nominis Papæ " Sexti, anno ejus V. In venerabilis ac Religiosi " in Christo Patris ac D. D. Joannis de *West-* " *cappel* Abbatis sanctæ Mariæ Middelburgensis, " Præmonstratensis Ordinis, meique Notarii ac " testium infrà-scriptorum, & propter hoc vo- " catorum pariter ac rogatorum præsentiâ, per- " sonaliter constitutæ religiosæ ac devotæ Perso- " næ Gertrudis filia Nicolai, Priorissa, Delia " filia Andreæ, Adriana filia Henrici, Maria " filia Willelmi, Mathildis filia Nicolai, Hilde- " gardis filia Joannis, Beatrix filia Joannis, Ma- " ria filia Nicolai, Martina filia Isbrandi, Mo- " niales; dein Maria filia Willelmi, Hildegardis " filia Gerardi, necnon Mathildis filia Hugonis, "

» Conversæ repræsentantes Conventum & Capitulum, prout asseruerunt, B. Barbaræ Haghensis Præm. Ordinis, nec non capitulariter, » prout asseruerunt, & moris est, in loco capitulari, Spiritûs sancti instinctu, prout placuerit, specialiter congregatæ super certis pactis » seu conventionibus, clausulis & articulis, in » quadam papyri scedula in vulgari lingua » conscriptis, & ad conservationem & decorem » Religionis, pariter & augmentum devotionis earumdem Sororum desuper confectis, & » per eas, ac per me Notarium publicum infrà-scriptum, eisdem præfatis Monialibus & Sororibus publicè prælectis, ex earum certa & prævisa sententia, non vi, dolo, fraude, aut quâvis aliâ sinistrâ machinatione circumventæ, » sed deliberationibus providis, & benè maturis, prout asseruerunt, desuper sæpissimè » præhabitis, omnibus meliori modo, viâ, jure, » causâ ac formâ, quibus meliùs, firmiùs, ac efficaciùs potuerunt, & debuerunt, conjunctim » & divisim, ac quælibet earum seorsim, prout » & debuit, pro se & sequacibus suis, per earumdem juramentum in manibus discreti ac » religiosi viri D. Joannis Olardi earum Præpositi, anno, mense, die, quibus suprà, solemniter & canonicè præstitum, & nunc denuò in manibus ejusdem Notarii Presbyteri » infrà-scripti legitimâ stipulatione innovatum » promiserunt, juraverunt, ac quælibet earum » promittit & jurat per præsentes omnia & singula infra-scripta, in dicta papyri scedula » conscripta, sicut præmittitur, jurata & publicata.... quæ quidem papyri scedula sequitur.

» Ego Gertrudis Nicolai filia... Capitulum Conventûs S. Barbaræ Hagæ, diœcesis Trajectensis, hoc tempore repræsentantes, notum facimus omnibus præsentes lecturis, vel legi auditurls, post bonam deliberationem & tractatum capitulariter super subsequentibus punctis, rebus, & articulis congregatæ, ad Religionem nostram, rationemque vivendi exantlandam & meliorandam, Deoque in eadem aptiùs & ferventiùs serviendum pro nobis nostrisque posteris, nos, nostrûmque singulas, dedimus & submisimus, damus & submittimus subjectioni & obedientiæ nostri Reverendi in Christo Patris D. Joannis de *West-cappel* Abbatis Conventûs Dominæ nostræ Middelburgensis, sub & cum certis pactis, atque conditionibus hîc infrà-sequentibus. In primis Reverendus noster in Christo P. ac D. Abbas prædicti Conventûs S. Mariæ Middelburgensis habebit & retinebit curam atque paternitatem rerum tam temporalium quàm spiritualium in nostro prædicto Conventu super Præpositum & Moniales, tam Conversas, quàm Sorores, ejusdemque monasterii Pater Abbas æstimabitur, cum tali præeminentia, quam quilibet Patrum-Abbatum Ordinis Præmonstratensis super filios & filias suas habet... In quorum fidem, nos Priorissa, & Communitas, &c. &c. «

Vide Coroll. 3. vitæ S Norberti, p. 971.

Hoc cœnobium in matricula Circariarum Ordinis prætermissum, sic adoleverat seculo decimo quinto labente, ut vagiens tunc temporis sibi fingere absurdum sit. Ita verò famosum fuit, ut totam ferè Hagam redderet candidam. Ab immutatione cultûs concidit, civili commercio dedicatum.

Bataviæ sacræ part. 2. p. 238.

BARLINGS.

Barlings. Fil. Oxtenea. Diœcesis Lincolnensis. Circariæ.

RAdulphus, & Richardus de *Haya*, communi pietatis instinctu impulsi, villam de *Barlings*, Comitatûs, & diœcesis Lincolnensis insigne prædium, ad constructionem Abbatiæ, contulerunt Abbati de *Neubusio*; proximamque Barlingæ villam de *Oxenia* * junxerunt ad dotem Canonicorum. Constituto monasterio, regale patrocinium indulsit Henricus II. & vicissim Proceres augendis ejus possessionibus intenderunt: Aloysia de *Lasey*, Lincolniæ, & *Sarum* Comitissa, rusticanum *Manerium de Swaton*, cum feodis Militum, & homagiis tradidit. Mathildis de *Longespe*, vidua Villelmi Comitis Lincolniæ, villam de *Cavenby*, cum advocatione Ecclesiæ, homagiis, redditibus, concessit ad augmentum, & sustentationem quatuor Canonicorum. Robertus *Bardolf*, terras de *Scoftorn*, & de *Carleton*, cùm Ecclesiarum advocatia transcripsit.

* Oxeney.

Pertæsi ingratioris sitûs de *Barlings-grange* Canonici, Oxeniam se receperunt, nec tamen ex immutatione loci, nomen mutavit suum Abbatia in Elencho monasteriorum Ordinis, imò & in diplomatibus, si unicum excipias, Roberti *Bartolf*, sub appellatione de *Barlings*, passim audiit Abbatia. Vide Probat. à col. CXLVII. ad col. CXLIX.

S. BARTHOLOMÆUS.

S. Bartholomæus Fil. insula B. Mariæ. Diœcesis Ultrajectensis Circaria Frisiæ.

EXtra portas Delphensis oppidi, ad australem partem *Campi-regis*, quâ in Maeslandiam itur, Præposituram virorum sancto Bartholomæo sacram fundavit, non Borslaus Ostervandiæ & Zelandiæ Comes anno 1430. ut placet autori Bataviæ sacræ * sed Richardis Willelmi Romanorum Regis & Comitis Hollandiæ amita. Jam suum Delphense palatium,

* Par. 2. p. 230.

cui Campi regii nomen erat, virginibus Præmonstratanis transcripserat pia Princeps, alterum ejusdem instituti, sed virilis sexûs, monasterium condere voluit, & fundum ab Imperatore Willelmo impetravit anno 1251. & per tabulam hanc Rex tradidit Richardi.

„Willelmus Dei gratiâ Romanorum Rex semper Augustus. Universis imperii fidelibus „præsentem paginam inspecturis gratiam suam „& omne bonum. Volentes dilectam Amitam „nostram Richardem domicellam de Zellan-„dia, prosequi gratiâ speciali, eidem tenore „præsentium duximus concedendum quòd si „tandem in civitate nostra de *Delf* conven-„tum Religiosorum, vitam regularem professo-„rum, ædificare contigerit, de redditibus terræ „nostræ in *Delf*, quæ *Hurwac* vocatur...... „jugera quæ vulgo *Mergen* nuncupantur, „sive per emptionem, sive Eleemosynarum lar-„gitionem, ad conventum, modo quocunque „perveniat, liberè habeat & quietè possideat... Anno 1251. VIII. kal. Julii Indict. 2.

Compos voti Richardis, Rodolphum Abbatem Insulæ B. Mariæ sui propositi coadjutorem accersivit, qui strenuam impendit operam accelerandis ædibus, parando templo, & Fratrum selectam turmam immisit anno 1252. nomenque *S. Bartholomæi in Jerusalem* imposuit monasterio.

Eruditus *Van-Husen* sine cautione cujusquam Autoris, Carthusianæ religioni istud cœnobium addicit ab origine sua. Dissentiunt Opmerus & *Bataviæ sacræ* Autor, * sed uterque ab vero aberrat dum ex San-Bartholomæo translatos Præmonstratenses Midelburgum asserit, ut malè feriatorum Canonicorum regularium mores emendarent. Cùm ante conditam S. Bartholomæi Præposituram & ab anno 1128. ex Antuerpensi Abbatia, Godebaldo Ultrajectensi Episcopo promovente Præmonstratenses fuerint evocati, qui malè feriatis Canonicis regularibus succederent.

In Episcopatu ultraject. p. 421.

* Opmerus Oper. Chron. ogt. p. 657. Bataviæ sacræ, p. 230.

BASSUS FONS.

Bassus fons. Fil. Belli-loci Diœcesis Trecensis. Circaria Franciæ.

BElli-loci propago, Bassus-fons, secùs Albæ fluvium positus, cui adjacent sylvæ Brenenses, monasterio vix contiguæ. Fundatorem veneratur Gualterum Brennæ Comitem, quem Bellus-locus benefactorem præcipuum jam senserat. In suæ Dynastiæ solo, & suæ civitati quodammodo adhærentem voluit religiosus Comes, habere Inquilinorum Belli-loci coloniam, ut eorum convictu ad pietatem horum exemplis, ad virtutes potentiùs traheretur, moveretur efficaciùs. Munifico Comiti, gratus favit Abbas Odo, & Fratrum turmam, sub Anscheri præfectura, ad Gualteri votum transmisit, anno 1143. Adventantes, pro sua in Ordinem devotione, viros conversatione sanctâ sibi charos plurimùm, benignè suscepit, & tabulis, suâ, suorumque filiorum approbatione munitis, bona hæreditatis suæ novis transcripsit hospitibus ad eorum sustentationem. Liberalitatem Fundatoris, Hatto Trecensis Episcopus ecclesiasticâ sanxivit authoritate anno 1146. ad petitionem Anscheri; cujus successor Balduinus, pro firmiori stabilimento suæ Congregationis, apostolicam imploravit, impetravitque ab Eugenio III. confirmationem anno 1148.

Quotquot ex fastis, aut ex catalogo exangui depromptos Abbates nacti sumus, sub aliena cautione tradimus juri publico.

I.

ANSCHERUS desiit Abbatiam administrare anno 1148.

II.

BALDUINUS promotor fuit Bullæ Eugenianæ anno 1148. ad an. 1158. præfuisse scribit Mauritius *Dupré*, penès quem sit fides. Anno 1154. subscripsit chartæ *Simonis Domini Belfortis* pro Abbatia nostra Capellæ ad plancas.

Duchesne; preuves de Broyes & Châteauvillain, p. 19. & 20.

III.

JOANNES Abbatem agebat an. 1166.

IV.

GUIDO 1174.

V.

REYNOLDUS 1188.

VI.

GAUFREDUS 1214.

VII.

JOANNES de Monasterio in *Dervis*.

VIII.

NICOLAUS DE LONGEVILLE 1240.

IX.

RADULPHUS.

X.

FULCO 1245.

XI.

GUERMUNDUS ex Priore *de Moncellis*, Abbas Bassi-fontis.

XII.

EUSTACHIUS 1252.

XIII.

WILLELMUS, ex sancti Joannis Ambianensis monasterio assumptus 1282.

XIV.

XIV.

ANDREAS.

XV.

NICOLAUS *LE DER*.

XVI.

SIMON *L'ALLEMAND*.

XVII.

PETRUS *PLICATORIS*.

XVIII.

JOANNES *DE SOMMEVOIR*. 1372.

XIX.

JOANNES *DE BUSSIERES* 1406.

XX.

JACOBUS *DE RAMPIGNY*.

XXI.

ALANUS *LE MARONIER* 1460.

XXII.

LAURENTIUS *BACHELIER* 1495.

XXIII.

CLAUDIUS *THUILIER* 1514.

XXIV.

JOANNES *HENNEQUIN* 1526.

XXV.

PETRUS *VINCENT*, regularium Abbatum ultimus 1538.

XXVI.

SEBASTIANUS *DE LAUBESPINE*, Epiſcopus Lexovienſis.

XXVII.

GUILLELMUS *DE TAIX*, Majoris Eccleſiæ Trecenſis Decanus 1599.

XXVIII.

JOANNES *CHALONS* obiit 1616.

XXIX.

GILBERTUS *DE CHOISEUL*, Convennarum Epiſcopus, poſteà Tornaci.

XXX.

FRANCISCUS *MALET DE GRAVILLE* 1653. ceſſit.

XXXI.

FLORENTIUS *HANOM DE LAMYVOIE*, Decanus, & Vicarius generalis Trecenſis. 1687. moritur. Jacet in Sanctuario Eccleſiæ Baſſifontis.

XXXII.

DYONISIUS-FRANCISCUS *DE BOUTHILLIER DE CHAVIGNY*, Epiſcopus Trecenſis, deinde Senonenſis Archiepiſcopus, ceſſit Abbatiæ anno 1716.

XXXIII.

JACOBUS *LANGLOIS*, Vicarius generalis Trecenſis, Abbas modernus.

PASTORATUS.

Unicum habet, Preſſiacum (*Preſſy*) in Diœceſi Trecenſi.

RELIQUIÆ SACRÆ.

Partem digiti indicis, argenteâ thecâ incluſam exhibent, ipſamque eſſe S. Joannis Baptiſtæ, trium, & ultrà, ſeculorum ſuffragio innixi, autumant. His aſtipulantur Epiſcoporum Trecenſium, & Catalaunenſium litteræ ævi antiquioris, hoc eſt, ab anno 1377. quibus, à Galtero Comite de Brienna, Duce Athenarum, è Tranſmarina expeditione reverſo, Reliquiam hanc collatam fuiſſe Baſſo-fonti, declaratur. Vide Probat. à col. CXLIX. ad col. CLI.

BAYUM
Sive Mons ſancti Michaëlis.

Bayum. Fil. Lidlumi Diœceſis Leovardienſis. Circariæ Friſiæ.

IElmarus Abbas Lidlumenſis ab initio regimine, numeroſam ad eum confluentem Neophytorum turbam, intrà ſui monaſterii ſepta concludere nequiens, partem aliquam ad viciniorem Hennardanæ Præfecturæ locum, qui *Bayum* ſeu *Bajom* dicebatur, ablegandam eſſe judicavit. Cellas, Eccleſiam, cæteraſque regularis vitæ accommodas, curavit extrui officinas, in erecto colle pagi Winſumenſis, cui nomen Montis S. Michaëlis indidit. Sub Prioris præfecturâ totius monaſterii adminiſtrationem poſuit, anno 1186. & ſub illa ſic adolevit, ut in gentem excreverit magnam. Ad noviſſimos uſque diſſipati in Batavia Catholici cultûs dies, parthenium illud viguiſſe, diſcimus ex oculato teſte Sibrando. (a) Nunc verò ſuis ruderibus vix priſtinum edocet ſuæ amplitudinis ſtatum, ſolo Bayumenſi ſuperſtite vico, cujus parochiam ab antiquis temporibus, regere conſueverat Lidlumenſis Canonicus.

(a) Tom. 1. Sacr. Antiquit. Monum. fol.

BEANTES.

Beantes. Fil. Præmonstrati. Diœcesis Cicestrensis. Circariæ Angliæ mediæ.

HUjus Abbatiæ nomen & situm mutuatus est Layruëlius ab Indicibus mss. Urspergæ & Ofterhovii, quibus concordat Catalogus pergameneus convolutus, venerandæ antiquitatis, in musæo nostro asservatus. In Matricula cœnobiorum, istud prætermisit Pagius noster.

Si conjecturis locus esse debet, dicam ingenuè, quod non infundatè suspicor, *Beantis* nempe Abbatiam, corrupto nomine suo, idem referre, quod *Begeham*; & ad credendum multa me movent credibilitatis momenta. Primum est Diœcesis & filiationis utriusque conformitas. Secundum, quòd ex Indicibus qui *Beantes* in albo monasteriorum recensent, *Begeham* sit expunctum, quod tamen indubitanter debet restitui. Tertium est Monastici Anglicani haud affectata *Beantis* reticentia. Isto rationum pondere si non moretur Lector, hærere saltem debet, ne præcipitem pigeat consensum præstitisse, donec obscuræ narrationi allucescat historica veritas.

BEDBURGIUM.

Bedburg. Fil. Præmonstrati. Diœcesis Coloniensis. Circariæ Westphaliæ.

Annal. Cliviæ part. 2. p. 188. Archiv. Steinfeldiæ.

BEdburgium à Ludolpho Comite Cliviæ in monte S. Joachimi, ut oratorium, sive precationis locus esset, prope Clivos ædificatum anno 800. labentibus posteà temporibus à Theodorico nominis secundo, filio Conradi, anno 1124. in Parthenium Ordinis Præmonstratensis, sub regimine Præpositi, conversum est. Patrem agnoscebat, ipsum Ordinis caput, & Fundatorem B. Norbertum, à quo prima jacta sunt Virginei hujus cœnobii fundamenta seculo decimo sexto ineunte, nec Ordinem, nec Patrem immorigeræ Sanctimoniales, selectæ nobilitatis filiæ, agnoscere voluerunt. Favebant laxioris vitæ cupidini Cliviensium Procerum intercessiones: astipulabatur Joannis Ducis Cliviæ authoritas, querulis Virginum circumventa interpellationibus; totam Provinciam votis propitiam faciebant disciplinæ impatientes Virgines, sub obtentu indisciplinati Præpositi, quem de administratione prava in temporalibus, culpabant, & degenerem ab Instituti sui regulis passim calumniabantur.

Hisce præjudiciis plus æquo commotus Joannes Princeps, & Fundatoris ostentans zelum, Leonem Papam X. libello supplici convenit, in quo primos authores monasterii, primigeniumque ejus statum exponens, ægrè conquestus de Paulo *Overheyde* actuali Præposito, tanquam dissipante bona Bedburgii, quique majorem substantiæ residuæ partem deglutiens, minimam, ad Virginum inclytæ nobilitatis sustentationem, vix permittebat. Addebat, de tanto gravamine reparando frustrà Priorissam & Moniales, geminatis litteris & nuntiis institisse apud Superiores Ordinis, ad quos, cùm accessus sit difficilis, maximè verò ad Patrem Abbatem, cui de providendo remedio salutari, cura incumbit, nusquàm exauditas fuisse, sed in pejus abiisse omnia, & breviter abitura in nihilum, nisi resectâ Præpositi dignitate, & excussò Ordinis jugo, in Canonissarum secularium Collegium parthenon, sub regularis disciplinæ prætextu, nutans, & penè collapsus, immutaretur.

Narranti Duci, & pietatem præferenti in sua narratione, benigniùs se accommodans Pontifex, Bullam emisit 5. Augusti MDXIX. in qua librans rationes & momenta Ducis Cliviæ, secularitatem ad votum Principis, proscriptâ regularitate, invexit, Præpositi nomen extinxit, & proventus ejus mensæ Capitulari sexdecim Canonissarum perpetuò univit, æqualiter, sicut & cæteros monasterii & Parochiæ *Kellensis* redditus inter eas dividendos: Decanam loco Priorissæ, regundo Capitulo idoneam, voluit præponi per electionem, quam ritè factam, Præpositus Xantensis, loci Archidiaconus, confirmare debeat. Binam Decanæ portionem assignavit, & tàm illi, quàm Canonissis, cùm ad legitimam pervenerint ætatem, obedientiam, castitatem, & stabilitatem perpetuam vovere præcepit. Paupertatem dispunxit Pontifex, ne secularitati derogare videretur. Ab illius tamen observantia noluit immunes esse illas, quæ post votorum nuncupationem ibidem perseverare, & Canonissis secularibus se conformare eligerent, licet ab omni jugo Religionis, & Ordinis superioritate absolvat, sub obedientia Archiepiscopi Coloniensis, & Xantensis Præpositi victuras denuò.

Ne autem prioris Instituti memoria penitùs evanesceret, injunxit Pontifex, ut sigillo uterentur consueto, divinum officium, ac omnes horas Canonicas, tàm diurnas, quàm nocturnas, juxtà ritum pristinum suppressi monasterii, & secundùm libros inibi consistentes, decantarent, recitarent, & legerent.

Bullæ executionem demandavit Pontifex Everardo *Holland*, Decano Collegiatæ Ecclesiæ in *Wischel*, qui ad Canonissarum querelam, Præposito Paulo recusanti obedire mandatis Apostolicis, abdicare dignitatem, acceptare pensionem septuaginta florenorum, restituere Chartas & documenta monasterii, absti-

nere ab officio, præcipit ut intrà sex dies, ab administratione bonorum, ab occupatione domûs Præposituralis desistat, ipsamque Decanam & Canonissas permittat suis juribus uti & frui, sub pœnis censuræ & mulctæ pecuniariæ.

Mali ingravescentis, & instantis periculi fractus timore Præpositus, vindicem suæ, & Ordinis causæ advocat in auxilium Steinfeldiæ Abbatem Joannem *Schuyff*, Westphaliæ Vicarium & Visitatorem generalem. Advolat ille, & urgentis negotii progressum promptâ oppositione retardare nititur; subreptionis & obreptionis Bullam insimulat, nullitatis capita detegit, crimina in Præpositum impacta, de falsitate convincit; mutationis subreptæ causam, in ipsarum Monialium mores incompositos, & disciplinæ regularis impatientes, intorquet; inaudito Patre Abbate, summo totius Ordinis vertice, & irreverenter prætèrito, non debuisse obtendit monasterii filialis, nec potuisse fieri, immutationem, quæ avellit ab ejus obedientia Virgines, ex voto sibi subditas, nec ante gravatas, nec priùs conquerentes de justitiâ denegatâ: Principem clementissimum falsis Potentum relationibus deceptum, veritate relationis, & relatorum non satis probatâ sinceritate, favorem suum rebellibus & immeritis ultrò impendisse allegat apud summum Pontificem, qui narranti Duci plùs justo fidem adhibens, & ipse præoccupatus, decretum de abrogando Religionis statu, in Ordinis vilipendium, promulgavit. Subindeque *Apostolos* appellare, & à contentis litterarum Apostolicarum ad sanctam Sedem, & aliàs ubi opus fuerit, provocare, tàm ex deductis, quàm ex deducendis rationibus, declaravit die 6. Octobris, & suæ declarationis & appellationis Instrumentum judici delegato contradidit.

Pensatâ apellationis, & momentorum ejus æquitate, attentâ granditate quæstionis, in qua salus Virginum vertebatur, Judex definitionem causæ in se suscipere timuit, ne suæ conscientiæ vim faceret, quæ obreptionem in Bulla clarè advertens, nullitatem arguebat impetrationis. Quare ad Sedem apostolicam partes pleniùs agitaturas quæstionem, remisit, interlocutoriâ sententiâ suâ 3. Decembris 1519.

Infelicem subodorantes ex hoc judicio fore exitum suæ causæ Virgines, si semel ad Romanum Tribunal ventilanda traheretur, Ducem Cliviæ, quem patronum senserant in dispensationis prosecutione, mediatorem implorarunt à limine litis. Adfuit precantibus Princeps indulgentior, & concordiæ viam tentans, partibus hinc & inde præsentibus, amicabili compositione suasit sopiendam esse litem, aliàs interminabili & dispendioso processu Romæ agitandam. Non renuit exautoratus à Leone Præpositus; sed ne quid contrà Religionem peccaret, arbitros pacis ascivit Abbates Steinfeldiæ, Hambornæ, & Knecstedenii.

Convenerunt Ducem, comite Præposito, tres Prælati; varias protulerunt in medium concordiæ ineundæ rationes: in eas tandem devenerunt, pro temporum infelicitate meliores, quarum prima fuit, ut Præpositus, ad tenorem Bullæ Apostolicæ, Præposituram abdicaret, cederet domo, litteras, sigillum officii, & privilegia monasterii extraderet. Secunda. Ut virgines 105. florenos bonos, pro annua pensione penderent quotannis Præposito, quandiù ageret in vivis. Tertia. Ut hæc pensio ad septuaginta florenos aureos reduceretur juxtà Bullæ præscriptum, si Prælati & Superiores Ordinis, contrà Bullam juridicè insurgerent, & ad Romanum Tribunal, infirmandam provocarent. Quarta. Ut proventus à Festo S. Martini soluti, obtingerent virginibus; qui verò ante hunc diem soluti sunt, cederent Præposito. Quinta. Ut Præpositus computus suos, & rationes exhiberet coram Consiliariis, & amicis Canonissarum Collegii, & post eorum examen, computûum libros traderet Decanæ, & Capitulo.

Cùm ex tenore Concordati, integram haberet Ordo litis intentandæ, & Bullæ infirmandæ libertatem, judicavit Abbas Steinfeldensis, totius rei seriem communicandam esse Ordinis Generali, de cujus negotio & jurisdictione agebatur potissimùm in hac causa. Submisit ergò nuntium, & mali impendentis horrorem vivacibus litteris exposuit Jacobo de *Bachimont* Præmonstrati Abbati; maximè verò institit, ut totis nervis se opponeret facinori Sanctimonialium, quod in exemplum, & perniciem Ordinis vertendum prædicebat; cæteras enim Monialium domos ad defectionem pronas, jugum incunctanter succussuras disciplinæ & Ordinis, aiebat, si Bedburgii transiret inulta perversitas.

Neque hic stetit infracta Steinfeldensis Abbatis pro deffensione domûs Dei constantia. Magnates Provinciæ, Principes, mirâ sollicitudine, ad patrocinium æquissimæ reclamationis allexit; jurisperitos ad scribendum stimulavit, nec labori, nec sumptibus parcens zelosus Abbas. Secundioris fortunæ auram efflabat Curia Principis, pristini erroris pœnitens. Cùm generale Capitulum coiit, festinus ad illud advolavit Abbas, & conscriptos illic Patres ad vindictam Norbertini patrimonii, eloquentiæ suæ nervis, & funestorum auguriis provocavit. Cœtum movit rationum pondere, ad fortia mittendam protinùs manum censuere Patres, seque operis inchoandi, & perficiendi autorem, actoremvè constituit Romæ; Generalis Abbas, cui omnes in suppeditandis subsidiis se paratos fore promiserunt.

Ergò appellationis rescriptum suo nomine obtinuit Jacobus de *Bachimont* Præmonstrati Abbas; Virginibus intimavit illud Steinfeldensis Præsul. Trepidas, ad resipiscentiam, eventûs sinistri præsagium, vix revocavit: at pavi-

das erexit & roboravit Ducalis favor, cujus interventu alimentarem denegarunt Præposito pensionem, tanquam à perceptionis jure, ob intrusam appellationem excidisset. Prætereà inofficiosis diverticulis causam protraxit Romæ per Procuratores suos Princeps, & ita per dedalæos meatus, Ordinis Syndicum, ipsumque Ordinis Caput, sufferendis impensis litium planè impar, exhausit.

Verùm nec diù irato Deo fruitæ sunt Canonissæ perduelles. Medios inter belli Belgici tumultus, demoliti sunt hostes seculare Collegium, bona illius invaserunt, & prostratas de superbiæ solio, conculcaverunt pedibus suis filias Sion, ruinis fatalibus consepultas usque modò. Vide Probat. à col. CLI. ad col. CLXXXIV.

BEDILINGER.

Bedilinger Fil. Scheida. Diœcesis Coloniensis Circaria Vestphaliæ.

IN Comitatu Marckiæ, ad *Lenam* fluvium, & infrà oppidum *Werdel*, Parthenonem erexerant, dotarantque Markani Comites, quem regimini Scheidæ Abbatis supposuerant. À seculo dirutus est Parthenon, nec lapidem suprà lapidem Aquilonaris turbo reliquit. In rusticanam villam versum est monasterium, eamque Scheidenses vendiderunt, reservatâ sibi tantùm parochiali Ecclesiâ, cui ad annum 1640. inservierunt. Prævalente tùm hæresi sub præsidio Comitis acatholici, ad Protestantes Ministros, regulare beneficium devolutum est, ab illisque occupatur ad nostram hanc ætatem.

BEGEHAM.

Begeham. Fil. Præmonstrati. Diœcesis Cicestrensis. Circaria Angliæ Australis.

IN Comitatu Sussexiano, temporibus Henrici II. Regis Angliæ, Radulphus *de Dene* Miles clientare suum feodum d'*Otthàm*, de consensu Gilberti Domini de *Aquila*, in Abbatiam erexit sancto Laurentio sacram, *pro salute corporis, & animæ suæ, pro salute corporis, & animæ Roberti filii sui, & pro salute corporis, & animæ Domini Henrici Regis.* Traditionem Dominicalis fundi, pratis, stagnis, nemoribus discreti, & ad *Begeham* usque porrecti, confirmatione suâ munivit Fundatoris filius & hæres, Robertus *de Dena*, qui paternæ liberalitati addidit terram de *Telletone*, cum piscaria in marisco. Cùm verò *propter magnas, & intolerabiles loci inedias*, ultrà commorari in *Otthàm* nequirent Canonici, ad proximam, cœli & soli melioris, villam de *Begeham* seu de *Benlin*, invitante Roberto de *Turnham*, fundi Domino, annuente Richardo Comite de *Clare*, consentiente Elâ *de Dene*, Dominâ de *Saukeville*, Radulphi Fundatoris filiâ, transmigrarunt. Et ut novi hospites, in *Begehamensi* territorio exultantes, de fortunæ pinguioris incremento lætarentur ampliùs, totam terram de *Brokeleq*, terram de *Kingeswude* in *Sandrig*, & circumvicina prædia quædam illis concessit, primi fundatoris liberalitatem non æmulatus modò, sed supergressus. Horum instar, Galfridus *de Say*, Ecclesiam de *Grenewich*, de assensu Gilberti de *Glanvilla*, Roffensis Episcopi, tradidit Begehamensi Abbatiæ. Benedictum Gilberti successorem, pro impetranda hujus donationis confirmatione, litteris convenit Gervasius Abbas Præmonstrati, & Begehamii Pater. *Epist. 73.*

Undenam verò rem canonicè factam su bantecessore, ut protestatur charta Galfridi, urget quasi infectam Gervasius apud successorem Benedictum? fortè assensum Gilberti, necdùm scriptis præstitum, postulabat à Benedicto impendi. Joannes Rex Angliæ translationem Begehamii, cunctasque possessiones ejus, duplici firmavit diplomate, quorum prius anno regni nono prodiit, æræ communis 1187. posterius, anno regni 12°. id est anno 1200. Denique Eduardus II. institutum ab Henrico III. emporium in villa de *Rokelaunde*, Abbatiæ patrimoniali fundo, singulis septimanis, & unius nundinæ annuæ per tres dies, erectionem approbavit, cæterasque Benefactorum posteriorum concessiones, suo firmavit chirographo.

S. Joannis Ambianensis Necrologium, ad diem 18. Octobris meminit Rogeri Abbatis de *Begeham*, quem primum fuisse suspicor. Vide Probat. à col. CLXXXIV. ad col. CXCV.

BEHAUMIUM.

Behaum. Fil. Leunsii Diœcesis Aquensis. Circaria Vasconiæ.

IN vico de *Behaum*, ab antiquis temporibus, vigebat monasterium duplex, Virorum scilicet alterum, aliud Virginum, sub Prioris gubernio utrumque consistens, & sub *Arnaldi de Luxa* dominio temporali. Nulli Ordini, nulli regulæ specialiter addictum erat duplex istud asceterium, & inde ad irregularitatem proclivius. Noviter, & in vicinia exurgens *Leunsii* cœnobium, & observantiâ regulari fervens, movit Arnaldum, Behaumii Fundatorum ne-

potem, ad subdendas regulæ Præmonstratensi geminos conventus suæ ditionis.

Propositi sui seriem cum *Gallardo* Aquensi Præsule contulit: approbavit Episcopus; statimque ad *Leunsii* Abbatem Nicolaum profectus, suscipiendam ei provinciam, Deo acceptabilem & Episcopo, sic persuasit, ut, deducente Arnaldo, Behaumium adierit, ubi solemni chartâ proprietatem bonorum, & proventuum Prioratûs, Abbati transcripsit Arnaldus. Fratres, & Sorores, ad intentionem Fundatoris, seipsos, installato Superiori, spontè subdiderunt; voverunt obedientiam, & Præmonstratensi militiæ consecrarunt, anno 1227. Non imminuit veteris Instituti normam, sed attemperavit Ordini Nicolaüs, & excultas aliquandiu per seipsum novellas plantationes, tradidit gubernandas Priori, quem illuc transmisit cum sociis.

Duplicis hujusce asceterii novimus exordia; nescimus tempora interitûs. Virgineum illic, ut alibi per Galliam, præmortuum fuisse non dubito: Virile autem, si conjecturis locus esse debet, eâ creditur ætate enectum, quâ per Vasconiam impunè luxurians hæresis, innumera prostravit monasteria. Cùmque instaurandis omnibus rediviva Religio non sufficeret, majoribus minora servierunt, & proventus Prioratuum filialium, matricibus Ecclesiis fuerunt addicti.

Nunc Behaumium in Pastoralem curiam evasit, cui Abbas Leunsii, jure suo patronatûs, de Canonico regulari providet. Vide Probat. à col. cxcv. ad col. cxcvi.

BELBOGA sive *BELBURG*.

Belboga. Fil. Horti Mariæ Diœcesis Camin. Circaria Sclavoniæ

NObilitate, opibus, præeminentiis insigne apud Pomeranos monasterium Belburgense, uno tantùm quadrante à *Neo-Treptoa*, secùs *Regam* fluvium à Casimiro Pomeranorum Principe hujus nominis primo, erectum & dotatum anno 1170. sedente Conrado Caminensi Episcopo, traditur Fratribus, non Lugdunensibus, ut somniando scribit P. Wvia (*a*) in sua Caminensis Episcopatûs Historia, (*b*) sed Lundensibus, quos nempe ex *Lunden*, sive Lundino Scanorum Metropoli Casimirus evocaverat, aut ultrò venientes exceperat benigniùs. Cujus Instituti fuerint illi Fratres ignoravit Bugenhavius, aut ex qua prodierint Ecclesia: Nos ex Cathedrali *sanctæ Trinitatis* Lundensi decerptos, Religionemque Præmonstratensem profitentes, ostendemus inferiùs.

Licet Casimirus adventantes liberaliter prædiis, seu villis undecim dotaverit, & Ecclesiam Teptoviensem post decessum Parochi transcripserit monasterio, nihilominùs nec amœnitas loci, nec soli pinguedo potuit diù novos continere incolas. Tenuitate proventuum, vel fortassè populorum moribus absterriti, ad pristinas sedes remigrarunt. Jam Belburgum, à *Belbog* Idolo Pomeranorum, Deum album, eumque bonum significante, dedicaverat Deo vero Conradus Caminensis Antistes, & dolebat Sigevinus successor ad prophanos rediisse usus, quod pridem fuerat cultui divino consecratum. Hortatur Bugislaum II. Pomeraniæ Ducem, ejusque matrem Anastasiam Sigevinus, ut monasterio manum ultimam adhibeant, & Dei laudes ressuscitent in loco sancto, Fratresque ex Horto Mariæ apud Frisios & apud exteros magnâ refulgentes gloriâ meritorum, advocent, qui ut laborum erant patientes, apostolico zelo fervidi, doctrinâ insignes, propagandæ fidei, & religioni sublimandæ idonei erant ministri.

Consilio ministri acquiescens Dux Bugislaus, festinam ædificiis perficiendis operam adhibet, atque per legatos Abbatem Horti Mariæ B. Siardum *litteris invitatoriis exorat ut quam primùm Canonicorum turmam ablеget in* Belburg. *Venite*, inquit, *servi Dei*, *venite*, *dabo vobis terram fluentem lacte & melle*. Venerunt ad preces Bugislai, ex Siardi imperio, & sub Ottonis regimine victuri Fratres, (*c*) quos pari affectu Bugislaus II. & Frater ejus Casimirus II. nec non amborum mater Anastasia exceperunt gratulabundi, eodemque anno 1208. additiis prædiis, primitivam auxerunt fundationem Belbogæ, nomen quoque illius immutarunt in *Castrum S. Petri*, quia sancto Petro cœnobium nuncuparant, illudque munierant propugnaculis ad tuitionem habitantium.

Sic floruit sub Abbate Ottone pietas in Belbogensibus Canonicis, sic sub Sigebodio viguit juncta pietati eruditio, ut Principes certatim aut avorum fundationes firmarent novis diplomatibus, vel donationibus novis ampliarent: Sic Uratislaus Dux Demminensis anno 1254. (*d*) Barnimus I. Dux Slavorum, Fundatoris

(*a*) Genuinus author Histor. Episcop. Camin. tom. 2. Ludwig. est Georgius seu *Jurga* Valentinus *Winter* J. U. D. Comes Palatinus, mortuus anno 1623. modestiâ vel timore ductus, nomen suum dissimulavit, inquit Martinus *Bergo*, Orig. Pomeran. p. 238. Præcisam mutuati nominis causam refert Zeilerus Cent. 2. Epist. 36. quia, inquit, jussu Celsissimi sui Principis hoc scriptum contra Archiepiscopum Gnesnensem in Polonia, emiserat, qui Episcopatum Caminensem suæ Diœceseos esse contra fidem historicam affirmabat.

(*b*) Tom. 2. Script. Rerum. German. Ludwig. p. 584.

(*c*) Sibrandus Leo, Tom. 2. Sac. Antiq Monum. p. 229. & seq.

(*d*) Bugenhag. *Pomerania*, lib. 3. p. 146. mirum fortè videri posset, tot Principum, præsertim exterorum, confirmationibus munitum fuisse donatorum diploma. Sed 1°. Jacobus Gnesnensis Archiepiscopus accersiri debuit, cujus antecessores per plura secula nisi sunt Caminenses Episcopos sibi subjicere, donec à Joanne XXII summo Pontifice repressi, conticuerunt. 2°. Uladislai a Primislao Polonorum Duce Pomerani Præfecti, confirmatio necessaria vel inde visa est. quòd Mistwino II. Pomeraniæ Duce mortuo improli, anno 1295. Primislaus ille, quem sibi successorem Mistwinus asciverat, supremum in Pomerania dominium obtineret. 3°. Interfecto Wenceslao III. Poloniæ Rege & Pomeraniæ Duce, anno 1306. eundem Uladislaum Cracoviæ, Cujaviæ, ac Lanziciæ dynastam, constituerunt sibi Ducem Pomerani. At paulò post facti pœnitentes, Waldemarum Brandeburgi Marchionem ei subrogarunt. Anno demum 1319. fatis functo Waldemaro Ducatus Pomeraniæ superioris ad Uratislaum IV. citerioris jam principem, postliminii jure devolutus est. Vide Bugenhag. l. 3. p. 139. & seq.

Bugislai I. pronepos, anno 1269. Uratislaus IV. Slavorum & Cassubiæ Dux anno 1319. Jacobus Gnesnæ Archiepiscopus, Uladislaus Dominus Poloniæ, & Dux Pomeraniæ, anno 1298. Valdemarus & Joannes, Brandeburgici Marchiones, anno 1311. qui etiam pacto sese adstrinxerunt ad defensionem bonorum Belbogæ ab Episcopi Caminensis impetitione, si quandoque tentaret illa invadere.

Intereà dum Principes Belbogæ monasterium aut largitionibus, aut protectionis tutelâ muniebant, ipsemet Abbas augendo cultui & multiplicando mystarum numero intentus, civitatem *Treptoam* ab Uratislao Slavorum Duce, pensis centum argenti marcis, emit anno 1242. & hanc acquisitionem approbarunt venditoris successores, quibus antiquius nihil erat, quàm domum sanctimoniæ famâ, doctrinæ celebritate, juventutis informandæ zelo commendatam, ornare privilegiis, augere proventibus, honorum titulis decorare. Nobiles, Optimates, Principes ipsimet, inter clientes Belbogæ gloriabantur adscribi, & præstito Abbati fidelitatis sacramento, totos se defensandæ Abbatiæ devovebant. Temporibus Arnoldi Abbatis anno 1337. & anno 1400. adversùs regionis Nobiles nonnullos, monasterii prædiis aut juribus insidiantes, aperto marte, collatis clientum signis, pugnarunt Belbogenses Vassali, & inimicos ad rogandam pacem, post diruta eorum castra, compulerunt victores. (*a*)

Hæc minima est Belbogæ gloria. Majorem obtinuit ex accurata regularum observatione, & fama virtutum, ad cujus odorem cucurrerunt selectæ nobilitatis plerique juvenes, ut Deo se manciparent. Hæc pauca de monasterio, per quatuor secula florentissimo; pauciora de Abbatibus dicere cogimur, ex monumentorum *Teptoa* latitantium defectu.

I.

Primus qui occurrit, quemque ordine primum credimus, est Otto; cujus conversatione & divinis eloquiis compuncta Anastasia Bugislai I. uxor, *novum in Slavonia sacrarum Virginum erigere cœnobium* constituit, (*b*) in quo seipsam Christo sponso, grato, licet vespertino, sacrificio litavit.

II.

SIGEBODIUS Ottoni successor datus est, agente Selgero Horti Mariani Abbate. (*c*)

III.

TITBOLDUS, ex illustri Broitzorum genere, Belbogæ factus Abbas, paciscitur cum Bugislao, Slavorum Duce, anno 1285. mediamque partem civitatis Neo-Treptoæ *in verum & legale feudum* illi confert Titboldus, ita ut tàm ipse Dux, quàm hæredes ipsius, præstare debeant *Abbati, Conventui, & Ecclesiæ fidelitatis juramentum.* (*d*) Anno 1287. paciscuntur iterum iidem pro amplificatione civitatis Treptoensis, & *jus Lubicense* Incolis & Consulibus concedunt. (*e*) Obiit anno 1290. inclytus Abbas, & illi suffectus est.

IV.

SIGEFRIDUS DE *LOBESE*, equestris familiæ de *Betsten* hæres ditissimus: sed pauperrimus spiritu, se suaque religioni dedicans, Belbogæ Institutum amplexatus est. Ad Abbatiales postmodùm infulas sublevatus, circa annum 1320. vivendi finem fecit.

V.

ARNOLDUS anno 1337. contractum iniit cum Senatu Treptoviensi occasione molendini de *Betsin* & de *Santfeldes*. Testes subscripsere Heino, & Henningus de *Wachost*, Sabellus & Wlphekinus de *Gummetouve*, Conradus *Mandwel*, *Ecclesiæ seu monasterii Belbucensis Vassalli.* (*f*)

VI.

JOANNES *BALIEWINUS* ultimus Abbas, Academiam in suo monesterio instituit, suis primò Fratribus profuturam, sed paulòpost utilitati publicæ consulens, vicinis & exteris secularibus, perinde communem fecit. Scholarum moderatorem præposuit Fratrem Joannem *Bugenhagium* anno 1517. virum suo tempore omnigenâ eruditione clarissimum: sed novellæ Lutheranorum sectæ præstigiis dementatus anno 1520. suum protinùs dementavit pariter Abbatem, Confratresque Canonicos iisdem imbuit erroribus. Redux è Comitiis Wormaciensibus Dux Pomeraniæ Bugislaus, Abbatem simul & Canonicos Belbogenses è finibus suæ ditionis extorres esse jussit, anno 1522. & monasterii bona Præfecto suo administranda commisit. Georgius in demortui parentis Bugislai locum evocatus, anno 1523. Catholicam religionem acerrimè tutatus est: verùm eo peripneumaciæ doloribus extincto, anno 1531. successor ejus Philippus, hæresim serpere passus est, quam in Comitiis Treptoæ anno 1534. publici juris fecit, priscâ religione prorsùs abolitâ. Haud multò post cœnobium igne cælesti absumptum, vix in ruderibus conspicitur. (*g*) Vide Probat. à col. CXCVI. ad col. CC.

(*a*) Origin. Pomeran. p. 270.
(*b*) Tom. 2. Sacr. Antiq. Monum. p. 229.
(*c*) Ibidem p. 232.
(*d*) Origin. Pomeran. p. 190.
(*e*) Ibid. p. 195.
(*f*) Ibid. p. 287.
(*g*) Catholicæ religionis extinctionem apud Pomeranos habes fusè descriptam in historia Episcopatûs Caminensis jam citatâ, p. 637. & seqq.

BELINGIA.

Belingia. Fil. Langeleia. Diœcesis Norvicensis Circaria Angliæ Australis.

QUam Layruëlius, cum mss. Indicibus, Belingiam, hanc Pagius Welingiacensem Abbatiam appellat, in Norvicensi Diœcesi incumbentem. Corruptum in utroque nomen primâ fronte judicabam, & loco *Belingia*, aut *Welingia*, supponendum esse *Barlings* censueram. Sed ab opinione nostra nos abduxit Circariarum diversitas, & Episcopatuum. *Belingia* quippe in Circaria Angliæ Australis, & *Barlings* in Medianæ Circaria reponitur. Prima in Norvicensi, hæc in Lincolnensi Diœcesi consistit. Illa Langeleiam, ista Croxtonam agnoscit matrem. Suppressum à Monastico Anglicano hoc cœnobium, Monasteriologiæ restitui debet.

Anno 1316. in quo pax, & concordia resarcita est Anglos inter, & Ordinem, à quo, per apertum schisma, se avulserant, solemni fœderi per articulos novem deducto, subscripserunt Abbates Angliæ præcipui, quos inter Abbas de *Welinge*, apographum apposuit, unà cum Abbate de *Berling*.

Vide Pag. 941. Biblioth. Præm.

BELLA-STELLA.

Bella stella Fil. Lucernæ Diœcesis Bajocensis Circaria Normanniæ.

* Beaufoug.

Vide Neustr. piæ, p. 911. Herman. h. des Evêq. de Bayeux, p. 213. Chartes mss. de l'Etoille.

* Cerisy.

NOn longè à Condato super Noræum *(Condé sur Noiron)* & quatuor à Viria *(Vire)* leucis, ad radices, & intrà imminentium hinc inde montium fauces, Abbatiam Bellæ-stellæ erexit anno 1215. Henricus de Bello-fago * Miles, assentiente ejus sponsâ nobili Ediciâ, filiâ Richardi de Rorinvilla: erectionem confirmarunt anno sequenti Robertus *des Ableges*, Episcopus Bajocensis, & Robertus Pullus Rothomagensis Metropolita. E Lucernæ monasterio prodierunt primi incolæ Bellæ-stellæ. Sed antequam in Abbatiæ dignitatem assurgeret, prælusisse Eremitas sub Norbertino habitu, qui Capellam in vertice montis *Ceresii* * habitabant, haud procul à Bella-stella, constans est traditio, quam defectus monumentorum facit nutantem.

Incuriâ veterum, aut bellorum incendiis, tam multa interierunt Regum, Pontificumque Diplomata, ut seriem Abbatum mutuatitiis partim ex documentis, partim incerto Necrologii ordine contexere teneamur.

I.

PETRUS agmen ducit, & tàm suo, quàm Capituli nomine spondet anno 1218. Ediciæ Fundatrici, per duos Canonicos sacerdotii præstiturum officia, in sacello *Ceresii*.

II.

GUILLELMUS, cujus meminit Obituarium 20. Junii. » Comm. D. Guillelmi quondam Abba-» tis II. hujus Ecclesiæ. » In actis anni 1229 refertur.

III.

RICHARDUS ad 2. Junii legitur in Necrologio. » Commemoratio Richardi III. Abbatis » hujus loci. » Sub annum 1261. Jure patronatûs, præsentavit ad Capellam de *Bevel*, Guillelmum *Moret*.

IV.

GUILLELMUS *DUREDENT*.

V.

RADULPHUS.

VI.

RICHARDUS II.

VII.

THOMAS.

VIII.

ROBERTUS *AUGIER*.

IX.

GAUFRIDUS transegit anno 1300.

X.

JOANNES à S. Georgio, stagnum infeodavit anno 1302.

XI.

ROBERTUS *BONAMY*, in actis 1307. 1311. actor comparet.

XII.

JOANNES DE *BROCOTTES*, anno 1316. in diversis chartis intervenit ut actor, aut testis.

XIII.

JACOBUS DE *BARCOURD*.

XIV.

ROBERTUS III. Decimas emit anno 1379. Grangiam de la *Maltotiere* reparavit an. 1382.

XV.

PETRUS *LE PETIT* hoc præfert nomen in charta anni 1396.

XVI.

JOANNES *FRANGIPANES*, Italus, ex Illustri Frangipanorum gente oriundus, florebat anno 1417.

XVII.

ROBERTUS *CHANCIE'*, vivebat anno 1424. ejusque temporibus Henricus IV. Angliæ Rex, post occupatam Neustriam, possessiones Bellæ-stellæ confirmavit.

XVIII.

RICHARDUS *LOYSON*.

XIX.

MICHAEL LE *BAOUST* ab an. 1433. ad 1445. agebat in vivis.

XX.

RICHARDUS *BEQUET* 1455.

XXI.

JOANNES *HUBERT* ab anno 1455. ad 1475. rexisse deprehenditur ex actis.

XXII.

PETRUS LE *PRINCE*.

XXIII.

JOANNES *GALLIER* refertur in actis annorum 1480. 1485. 1496.

XXIV.

THOMAS DE *CHANCEREL*, 1515.

XXV.

JOANNES LE *PRINCE*, Regularium ultimus, obiit 22. Julii 1540.

XXVI.

JACOBUS D'*HARCOURT* possedit Abbatiam annis 12.

XXVII.

PHILIPPUS *DE LA GRAINERIE*, supplicum libellorum Magister, possessionem adiit 27. Januarii 1553. Abbatiæ dispendio domesticos ditavit, & ut perduellis, ab Henrico IV. Rege proscribitur, 1589.

XXVIII.

ANTONIUS *DE CRUX*, Dominus de *Belle-fontaine*, Baro de *L'Archampt*, uxoratus, & Calvinista, interposito nomine Gilberti *Burnel* Sacerdotis, Abbatiam, ejusque proventus clanculùm, sub confidentiarii velo, adeptus, bona, suppellectilem sacram diripuit, pulsosque ex monasteriali Ecclesia Canonicos, ad domesticam Capellam secedere, ut sacra facerent, coëgit. Ipse paulò post ejectus, locum fecit Petro *Scarron*.

XXIX.

PETRUS *SCARRON*, Gratianopolis Episcopus, apostolicè provisus 1° Martii 1620. cessit an. 1626.

XXX.

JACOBO *GOUDART*, Parisiensi Sacerdoti, qui & ipse cessit, 1628.

XXXI.

PETRO *ROUSSEL*, Pastori de *Benedent*, Diœcesis Lexoviensis, & in Parlamento Rothomagi Senatori, 1647.

Sub hoc Abbate, Bella-stella reformationem recepit anno 1630. & Congregationi fuit unita.

XXXII.

JACOBUS *CHARTON*, Doctor Sorbonicus, Canonicus Metropoleos Parisiensis, & Vicarius generalis Archiepiscopi, in possessionem, vi Bullarum, immissus est anno 1648.

XXXIII.

CLAUDIUS *CHAPELIER*, Doctor Sorbonicus, sacræ Capellæ Parisiensis Canonicus.

XXXIV.

PHILIPPUS *CHAPELIER*, Doctor Sorbonicus, & ejusdem Capellæ Canonicus.

XXXV.

CAROLUS DE *MASSOTER*, *de Verneuil*.

XXXVI.

PETRUS DE *VILLONGUE*, modernus possessor.

PASTORATUS.

Bevel ——	Diœcesis Lexoviensis.
Darnieres ——	Diœcesis ejusdem.
Brocottes ——	Diœcesis ejusdem.
Bernay ——	Diœcesis Sagiensis.
Chanut ——	Diœcesis Bajocensis.

S. Maur-Capella in castro Viriæ, patronatûs laici, sed à Canonico Bellæ-stellæ necessariò deservienda.

Mensil-vineman, Pastoratus Diœcesis Constans. Vide Probat. à col. cc. ad col. cciij.

BELLA-VALLIS.

Bella-vallis Ord. Præmonstrati. Diœcesis Remensis Circaria Lotharingiæ.

BElla Vallis, quæ *Aurea Vallis* & *Lacus Virensis* primitùs dicebatur, in *Valle Dioleti*, (a) duabus à *Mosomo* (b) horis, & in pago Argonensi (c) sita, ab Herberto viro venerabilis vitæ, incolebatur, antequam Albero Virdunensis Episcopus anno 1133. Abbatiam

(a) *Vaudieulet.*
(b) *Mouzons.*

(c) *Argonne.*

tiam ibidem implantaret sub Regula S. Augustini. Quoniam verò locus ille à Renaldo Comite Barrensi, in feodum possidebatur, & ab ipso Henricus Comes *Grandis-prati*, clientelari beneficio, idem tenebat prædium; ambo cessione spontaneâ in fundationem concesserunt. Tum Radulphus qui à viginti annis S. *Petri-montis* * regebat Abbatiam, advehens secum Fratrum coloniam, quos amor paupertatis & arctioris vitæ zelus incesserant, prima religionis austeræ tyrocinia in Bella-valle exorsus est; An ad Præmonstrati formam, ambiguum est, cùm charta fundationis primigenia, tacito Præmonstratensi Instituto, solius Regulæ sancti Augustini observantiam obtendat. Nihilominus Hugo Præmonstrati Abbas, suâ subscriptione firmavit Alberonis Diploma; sed forsan ut testis, & non ut donatarius. Ut ut sit de primordiali vivendi genere Bellæ-vallensium incolarum sub Abbate Radulpho, certum est ab anno 1137. (a) eos ad normam Præmonstratensium, habitum & mores composuisse, uti planum est ex charta Rainaldi Archiepiscopi Remensis, & ex Innocentii II. Bulla, Philippo Abbati inscriptis; quem primum Bellæ-vallis Præmonstratanæ Abbatem si dixeris, Radulphum ex albo Abbatum ejusdem familiæ expungas necesse est, ipsumque fatearis præfuisse Canonicorum è *sancti Petri-monte* advectorum Collegio, qui posteà Militiæ candidæ dedère nomen & induere mores quos Radulphus postea in *sancti Petri-montem* invexit.

* *S. Pierre-mont*, Diœcesis Metensis.

I.

PORRO PHILIPPUS ille ex Archicœnobio ad novellæ plantationis culturam à B. Hugone submissus, bono virtutum odore, rapuit ad suæ professionis amplexum, Alexandrum Militem de *Duno*, Rainardum de *Grand-pré*, Hugonem Toparcham de *Sorceio*, Rufum Dominum d'*Aultry* & de *Cressy*. Quin etiam virgines cum mulieribus ad professionis religiosæ vota aspirantes, in *Crisseii* parthenio adunavit. Inter cæteras pietate & nobilitate insignes emicuerunt *Aleidis* mater Goberti de *Aspero-monte*, *Ledevidis* de *Sorceio*, *Ermengardis* de *Montigniaco*, ambæ Nicolai Militis de *Villanis*, filiæ.

Ex fastis Bellevallensibus discimus Philippum ad solitudinem *Stagni* secessisse, ut suorum ibidem coloniam insereret. Quibus & suffragatur charta jam referenda.

II.

THEODORICUS I. impetravit anno 1141. à Samsone Remorum Archiepiscopo, confirmationem loci & terræ de *Fontanellis*, quam *Pontius de Burgo*, annuente Cæciliâ conjuge suâ, Fratribus de *Lacu-Virensi* in præsentia Comitis *Regis testis* * Vitheri, concesserat. Brevissimum verò ipsius fuisse regimen intelligimus ex sequentibus: Etenim

* *Rethel*, hodiè *Mazarin*.

III.

PHILIPPO rursùs Bullam inscribit Eugenius III. anno 1145. confirmatricem loci de *Wamelis*, qui modò nuncupatur Bella-vallis, & aliarum ejusdem monasterii possessionum, quas jam tunc à variis, in eleemosynam acceperant. Eidem largitus est Samson Remensis Archipræsul, Capellas S. Mariæ & S. Stephani super *Arnam* rivulum, subscribentibus Josleno Suessionensi Episcopo & Hillino S. Theodorici Abbate. Anno 1159. concambium iniit cum Joranno Mosomensi Abbate. Tandem anno 1160. ad Ordinis totius præfecturam postulatus, migrat Præmonstratum, eique suffectus est

IV.

JOANNES I. cui collata est iterum ab Engobrando Milite de Altreio (*Autry*) terra de *Wamele*; quam Philippo prædecessori dudum Alwidis Abbatissa Ecclesiæ S. Petri Avesnacensis sub modico dederat censu. Hanc donationem anno 1161. firmavit Samson Remensis Archiepiscopus. Eandem, & priorem terræ ejusdem, Philippo factam, ut modo diximus, confirmavit postmodùm Jordanus S. R. E. Cardinalis, in Gallia & Germania legatus, post annum 1188. Eodem pariter anno 1161. Indict. IX. Epacta XXI. Wido Miles de *Unco* * de consensu conjugis suæ Mathildis, & filiorum suorum Henrici Clerici, Soheri & Alberti, contulit Ecclesiæ Bellæ-vallis, & Joanni ejusdem Abbati, sedem molendini cum x. falcaturis prati super *Alориam* fluviolum; item triginta falcaturas prati juxta eundem fluviolum: terram quoque de *Rochia*; * ex quibus postmodùm crevit & coaluit Prioratus de *Fontanellis*. * Anno 1162. concessit eidem Joanni Cono Abbas S. Vitoni Virdunensis, allodium & quidquid juris habebat apud *Noar* & *Wesopiam*.

* Vonc.

* Roche.

* Fontenelle.

V.

THEODORICUS II. anno 1170. paciscitur cum *Odone* Abbate & Conventu S. Dionisii Remensis, circa ea quæ idem conventus in parochiis de *Talleio* * & *Noart* possidebat. Anno 1172. eidem Theodorico amplissimam bonorum Ecclesiæ Bellæ-vallis, confirmationem indulget

* Tailly.

(a) Hinc exsufflès Martenii conjecturam qui *T. 1. Veterum Scriptorum* f. 864. scribit Ordinem Præmonstratensem in monasterio Bellæ-vallis, agente potissimum Philippo Bonæ-spei Abbate, fuisse implantatum: si quidem ex chartis supra recensitis, & ante *Ademarum*, & ante *Philippi* ad Speienses infulas (anno 1155.) evectionem, jam in Bella-valle vigebat Præmonstratensium Institutum. Ut omittam, nullum in Bellævallensium Abbatum serie occurrere Abbatem nomine Ademarum. Denique gratis fingit Martenius, Philippum Bonæ-spei Abbatem cogitasse de inducenda in sancti Petri-montem Præmonstratensium disciplina: quod non improbabiliter alteri tribuisset Philippo, qui ex vicina Justi-montis Abbatiâ Ordinis Præmonstratensis, postulatus ad sancti Petri-montis clavum Eugenii III. tempore, consedebat, adeòque ante annum 1155.

Henricus Remensis Archiepiscopus. In ea quoque recenset plurimos, à Philippo Abbate ex utroque sexu ad conversionem adunatos. Hinc inferas Abbatem illum qui chartæ donationis curtis de *Medio-monte*, à Petro Gorziensi Abbate, Bellæ-vallensibus factæ, anno 1171. post Petrum *Belli-prati*, Joannem S. Clementis, & Stephanum S. Crucis Metensis Abbates, & Priorem ac Præpositum Bellæ-vallis, hoc modo subscribit, *Theodoricus quondam Abbas Bellæ-vallis*, alium esse à nostro Theodorico & probabiliter eundem, cui superiùs indultam vidimus possessionum Bellæ-vallis confirmationem à Samsone Remorum Archiepiscopo.

VI.

AMELIUS Theodorico successit, eique anno 1174. Henricus Remensis Archipræsul impertivit confirmationem decimarum de Vallibus, ab Ingubranno juniore, Toparcha *Altreii*, indultarum. Approbavit etiam quidquid Hellisindis Abbatissa de *Avenaco* * charitativè ad sustentationem Fratrum Bellæ-vallis, contulerat. Ille idem Amelius anno sequenti sacrum fraternitatis fœdus cum Waltero S. *Petri de monte* Abbate, iniit, & de utriusque Capituli assensu decretum est, ne una Ecclesia alterius Ecclesiæ Professum, contra stabilitatis suæ votum solemne reciperet, nisi Abbatum accederet mutua consensio, ut levitati & insolentiæ transeuntium occurreretur. Hujus concordiæ testes & mediatores fuerunt, Abbates sancti Pauli Virdunensis, sanctæ Crucis Metensis, *Salinæ-Vallis* & *Stagni*. Demum postulante Amelio, confirmat Willelmus Remensis Metropolita anno 1177. donationem curtis de *Medio-monte*, Fratribus Bellæ-vallis, à Petro Gorziensi Abbate anno 1171. factam.

* Avenay.

VII.

BALDUINUS I. anno 1179. motam inter ipsum & Haibertum Militem de *Sorceio* discordiam, super terram quæ dicitur S. Stephani secùs *Wiseppe*, per interpositionem Goberti de *Aspero-monte* Dynastæ, *Duni* sopivit.

VIII.

Successit Balduino VIVIANUS, qui concordiam inter Ecclesiam Stivagiensem Præmonstratensis, & Bellipratensem Cisterciensis Ordinum initam, & postmodùm interruptam, ut suscitaret, plurimùm allaboravit, cum aliis nostri Ordinis Abbatibus, & chartæ fraternitatis eâ de re in Capitulo generali anni 1183. editæ, subsignavit. Illius chartæ autographum asservatur in Archivis Bellipratensibus.

IX.

BALDUINUS II. anno 1190. Epactâ XII. concurrente VII. impetravit ab Henrico Comite & Domino *Grandis-prati*, confirmationem bonorum in pago de *Noar* sitorum, quæ Bertrandus Miles de *Ursi-monte*, Bellæ-vallis Ecclesiæ concesserat.

X.

DROGO à Willermo Archiepiscopo Remensi parœciam de Tailliaco * impetrat, ab eoque investitur anno 1195. & anno 1199. obtinet illam ab uno de Canonicis Bellæ-vallis deserviri. Per manus ejusdem Archiepiscopi tradit Drogoni anno 1194. quidquid apud *Noart* possidebat Nicolaus Miles de *Villanis*, idque ob receptionem filiarum suarum ad habitum Religionis in Parthenio *Cressiaci*.

* Tailly.

XI.

NICOLAUS ad ipsius petitionem Soibertus Abbas Mozomensis, sigilli sui munimine roborat donationem apud *Helphies*, à Martha Mosomensi muliere, factam Ecclesiæ Bellæ-vallis, in conversione filii sui Hugonis, anno 1209.

XII.

JOANNES II. anno 1211. professionem hominii ab Jacobo de *Monzay* excepit, ob fundos clientelares de *Boulain*.

XIII.

ODO tractatum habuit anno 1218. cum Goberto de *Aspero-monte*, & communibus impensis villam *Belli-clari* * in prædiis d'*Amelle* & de *Frinichamps* erigunt, eâ lege, ut Abbatia Bellæ-vallis jus decimationis habeat in terragiis, censibus, & furnis, residuum verò proventuum penès Gobertum maneat.

* Beau-clair.

Goscelo statuit anno 1225. & injunxit Sanctimonialibus de *Crissiaco*, ne ullam in Sororem admitterent, donec earum numerus ad denarium imminutus esset. De Gocelone ad 4. non Martii, hæc habet necrolog. S. Pauli Virdun. Comm. Gocelonis Canonici & Sacerd. sancti« Pauli quondam Abbatis Bellæ-vallis pro cujus« anniversario habemus decem solidos.«

XIV.

PHILIPPUS II. quem ex solo catalogo Abbatum novimus, cujus certè autoritas ex anachronismis, & ex perturbato Abbatum Ordine, plurimum nutat. Marlotius in appendice Metropoleos Remensis, leviorem prorsus huic elencho fidem dedit, plus æquo credulus autor.

XV.

JOANNES III. anno 1240. paciscitur cum Rembaudo Ballivo Clari-montis, in præsentia Jacobi Abbatis de *Elberio*. (a)

XVI.

THEODORICUS III. qui in charta anni 1241.

(a) *Elberium*, alias *Cheberium*, Ordinis Cisterciensis in Archidiœcesi Remensi monasterium.

Abbatem *Laci-Virensis*, se inscribit, dedit Fratri Godefrido ad opus suum & sororis Odæ, curiam & terram de *Fontanillis*, ut exinde sustentarentur, & in alia domo Religionis, si voluerint, se collocarent. Hujus donationis testes fuerunt Anno Humilis-montis & Geroldus Vallis S. Augustini Abbates. Novum in Ordine exemplum ista manumissio, & usufructuaria proprietas fundi, exhibent.

XVII.

SIMON rixam habuit cum Theobaldo II. Comite Barri, & altam justitiam ejus voluit excutere, ut Grandi-pratensi Comiti illam asseret. De attentato conquestus est Theobaldus ad Capitulum generale, à quo plenam satisfactionem accepit in hunc modum.

Ex archivis suæ Celsitud. Regiæ Lothar. Regist. Barr. T. 1. f. 16.

» Viro Nobili & potenti Theobaldo Comiti » Barri-Ducis Frater Joannes, Dei patientiâ, Præ» monstratensis Abbas, & Abbatum ejusdem » Ordinis Capitulum generale, & cum oratio» nibus paratum obsequium ad suæ beneplaci» tum voluntatis. Nobilitati vestræ tenore præ» sentium mandamus, quòd nullâ ratione vo» lumus nec intendimus, quòd aliqua injuria » seu aliquod præjudicium vobis fiat à venerabili » Fratre Simone Abbate Bellæ-vallis, quantùm » ad custodiam ejusdem Ecclesiæ, si vir nobilis » Comes Grandis-prati, qui est ejusdem Eccle» siæ Advocatus, in ipsius custodia negligens » existeret, vel remissus, salvo tamen in om» nibus jure alieno. Cæterùm quia Ecclesias » nostri Ordinis, ac personas ejusdem, quæ sub » vestra ditione existunt, dilexistis hactenùs & » fovistis, Nobilitatem vestram rogamus atten» tè, quatenùs erga dictas Ecclesias & perso» nas, vestra devotio non lentescat, sed easdem, » intuitu Dei & orationum totius Ordinis, » contra adversantium insultus, si qui fuerint, » velitis per vestram gratiam, manu vestræ po» tentiæ defendere. Datum Præmonstrati in » Capitulo generali, anno Domini 1260.

XVIII.

JACOBUS Canonicus Archicœnobii Præmonstratensis, in Bellæ-vallis Abbatem assumptus, concessit anno 1273. Clarembaldo de *Bello-monte*, * ad extinctionem pensionis duodecim librarum Parisiensium, domum de *Fontenillis* cum appendiciis suis, ad vitam Clarembaldi. Anno 1280. querelas ad Capitulum generale detulit Conventus Bellæ-vallis, contra Jacobum Abbatem suum, quòd Parthenium Crissiacense indiscretâ Sanctimonialium admissione, gravaret; Patres justis conquerentium gravaminibus & saluti consulentes Parthenonis, ita sanxerunt.

* Beaumont en Argone.

» Guido, Dei patientiâ, Abbas Præmonstra» tensis, & ejusdem Ordinis Capitulum gene» rale.... Noverit universitas vestra, quòd cùm » olim tempore Domini Goscelonis Abbatis » Bellæ-vallis in *Argona*, ipse & Conventus suus solemne juramentum præstiterint, quòd in » domo Sororum de Crissiaco, quæ est Eccle» siæ Bellæ-vallis immediata possessio, nullam » de cætero reciperent in Sororem ibidem, do» nec receptarum numerus ad decennarium im» minutus esset; & postmodum tres indutæ » sunt in domo, autoritate sui Superioris & Or» dinis, Fratribus qui quondam juramentum » emiserant, nullum consensum præbentibus in » hoc facto; ipsos omnes & singulos pro dicta» rum trium Sororum inductarum in ea, ipsis » quasi invitis & renitentibus, pronuntiamus » & denuntiamus universis & singulis nullam » notam perjurii incurrisse, quibus injungimus » ne de cætero recipiant, sive recipi permittant » in domo prædicta aliquam Sororem, donec » secundùm inhibitionem antiquam, ipsarum » receptarum numerus ad decennarium sit re» dactus. Sustinemus tamen & volumus quòd » tres prædictæ Sorores ibidem degentes cum » aliis remaneant. Datum anno Domini 1280. » sequenti autem Jacobus, Abbatia abdicatâ, Præmonstratum se recepit.

XIX.

JOANNES IV. Canonicus Thenoliensis, testis subscripsit compositioni litis motæ anno 1286. ex occasione Paternitatis super *Liskam*, ab Guidone Præmonstrati hinc, & à Joanne S. Martini Laudunensis inde, Abbatibus. Anno 1293. post intentatam litem adversùs Nicolaum de *Altreio* & Isabellam Comitissam *Regis-testis*, ejus conjugem, super jurisdictione & placitis de *Noart*, à Joanne in Forensi justitia vindicatis, partes ambæ in seniorum pagi testimonia compromittunt. Anno 1300. judicio Roberti Remensis Archiepiscopi, adjudicantur Joanni & Ecclesiæ Bellæ-vallis, piscatura & molendinum de *Anement*.

XX.

JOANNES DE *LOIGNIES* Prælaturæ admotus est anno 1303. ut constat ex registro pergameno acceptorum & expensorum rationes continente, quod ab adeptæ dignitatis exordio procuravit. Anno 1311. compromisit cum Roberto de *Champy* pro pacificandis discordiis super juribus ab utroque in *Noart* disceptatis. Ut verò totus Deo vacaret, abdicavit post tredecim regiminis annos, nec tamen ante annum 1356. finem fecisse vivendi docemur ex ipsius elogio sepulchrali, inciso in marmore, quod olim ad Presbyterii gradus extabat hujusce tenoris.

Archimandrita pollens laudabile vitâ,
Joannes de *Loignies* jacet hic, per secula dignis
Laudibus in Christo, grege commemorandus in isto,
Quem si nosse velis, prudens, pius atque fidelis
Moribus ornatus, annis tredecim trabeatus,

Pastoris bravio fuit intus munere dio.
Anno MCCCLVI. Orate pro eo.

XXI.

BALDUINUS DE *BELLO-MONTE*, cujus sanctitatem, regiminis solertiam, Annales Bellæ-vallis magnificè commendant; parvus erat corpore, sed religione maximus, amator solitudinis, orationi assiduus, sibi parcus, in egenos effusus, verbo & exemplo potens, providus temporalium administrator, Ecclesiæ cultûs & sacræ suppellectilis procurator sedulus, & indefessus promotor, Episcopis charus, Fratribus amabilis. Synodo Remensi anno 1323. interfuit, feriâ tertiâ post festum sancti Martini, ut Præpositura de *Crisseio* jura contra invasores tueretur. Ab Eduardo I. Comite Barri-Ducis Custode & Advocato Bellæ-vallis, vecturarum relaxationem, ad quas ratione domûs, dictæ *de la Brode*, juxta *Satanacum*,* tenebatur, obtinuit, ad quam gratiam moveri se, ait Princeps, ob reverentiam Abbatis, & Fratris Richardi *de Mallevault* Eleemosynarii sui & Canonici Bellæ-vallensis. Decimo Kal. Augusti anni 1348. spiritum Deo reddidit. Ante majus altare, sub marmore albicante reconditum fuit ejus corpus. Effigies est incisa, cujus cor ab Angelis sublevatum conspicitur, & ad limbos sic legitur.

* Stenay.

Hîc jacet Dominus Balduinus de *BELLO-MONTE*, Abbas hujus Ecclesiæ.

Devotus, sobrius, pius ac industrius Abbas,
Ut solis radiis, virtutum luce micabas,
Jus latriæ dans Ecclesiæ tu multiplicasti,
Ac ideo sine fine Deo sic te sociasti,
Annis octo quater, nos pascens ut pia mater,
M. semel & c. ter, ter xjvs te capit æther,
1348.
Tu spiramen das Augustas ante Kalendas,
Luce, pater, denâ, requieque potiris amœnâ.

Antiquis concinuerunt posteri Bellævallenses hoc carmine.

Bellæ-vallis honos, nostri *BALDUINE* memento,
Cui sunt tot dotes, quot carmine verba sequuntur;
Gloria pastorum, lux fulgens, regula legis,
Pastorum speculum, vallis dux, juris imago,
Lux vallis, morum reparator, gloria plebis,
Fulgens dux, reparator templi, pacis amator,
Regula juris, gloria pacis, formula dulcis,
Legis imago, plebis amator, dulcis adesto.

XXII.

JACOBUS DE *BELLO-MONTE*.

XXIII.

RICHARDUS DE *MAULOVANO*.

XXIV.

JOANNES DE *VILLEMORT*.

XXV.

JACOBUS DE *RANCONADO* anno 1374. transigit cum civibus *Vallis-Dulieti*.* Anno 1377. concordiam iniit cum Gerardo Priore Prioratûs de *Mamis*. Anno 1402. sacramentum fidelitatis præstitit Archiepiscopo Remensi. Obiit v. Idus Decembris juxta Obituarium Virdunense.

* Vaudieulet.

XXVI.

JOANNES DE *BUSANCY* Abbatem agebat anno 1414. ut legitur in contractu locationis domûs & pratorum *Satanaci*.

XXVII.

PONSARDUS *FERRY*, 12. Aprilis anni 1417. aream vendidit secùs domum *de la Borde*, Gerardo de *Martis-villa*.*

* Marsville.

XXVIII.

JOANNES DE *WIMY*.

XXIX.

JOANNES DE *DAMOUST* obiit anno 1442.

XXX.

NICOLAUS HUARDUS. Istum Bellæ-vallis Abbatem ex solo novimus Obituario antiquo S. Pauli Virdunensis.

XXXI.

HENRICUS DE *CESSE* Claustrum & Conventum de novo construxit, & post triginta sex annos Præfecturæ, obiit anno 1479.

XXXII.

PONSARDUS *OSTELLES* Bellæ-vallis Canonicus, subrogatur 25. die Martii 1479. procurante Huberto patre Abbate & Præside, totiusque Ordinis Generali.

XXXIII.

PONTIUS *DUFER* anno 1490. 22. Septembris, instituit Joannem *Sibille* Ecclesiæ suæ Tabellarium. Cùm anno 1502. electioni Abbatis de *Stagno*, sede tunc per mortem Joannis *Daniel* vacante, præsidere per se ob urgentem morbum non posset, ablegavit qui suo nomine præesset Joannem *Louppot* Canonicum Bellæ-vallis. Moritur autem anno 1503. mense Februario & juxta computum nostrum anno 1504.

XXXIV.

JOANNES *COLLART DE VERPEL* confirmatur 7. Martii 1504. à Joanne *Desclusa* patre Abbate, qui *se judicem & Superiorem generalem Ordinis* inscribit. De isto Joanne *Collart* lamentabilem hanc habet memoriam Necrologium Bellæ-vallis.

„Commemoratio Domni Joannis de *Verpel*

» quondam Abbatis hujus Ecclesiæ. Gubernavit » ipsam triginta annis, postea in magnum Ec- » clesiæ detrimentum resignavit in manibus se- » cularium, unde ærarium exhaustum est & » divinum officium imminutum. Tamen re- » quiescat in pace.

Istius verò resignationis autor fuit Franciscus I. Rex Galliæ, qui ut regni sui limitibus benè consuleret, Joannem *du Sar*, Militem Jerosolimitanum, præceptorem de *Boux* & de *Merlan*, Abbatem Bellæ-vallis, amoto Religioso investivit, sub pensionis reservatione anno 1533. licet Antonius Dux Barri & Lotharingiæ, Bellæ-vallis deffensor, reclamaret.

XXXV.

Joannes *du Sar* Abbatiam permutavit anno 1545. cum Nicolao de *Joyeuse*.

XXXVI.

Nicolaus de *Joyeuse* anno 1559. molendinum de *Wiseppe* locat. Obiit anno 1587. in Ecclesia Bellæ-vallis tumulatus.

XXXVII.

Antonius de *Joyeuse* superioris nepos, post sex annos Abbatiam custodiendam commisit suo pedagogo

XXXVIII.

Gilmaro, qui paucis annis administratam restituit, factus parochus *de Sy*.

XXXIX.

Thomas *Boucher* illam primò assecutus contra spem Grandi-pratanorum, mensam Abbatialem à Conventuali, approbante summo Pontifice, separavit, documenta à prædecessoribus surrepta, restituit; & anno 1607. post plures Præsulatûs annos, commutavit cum Thenoliensi Abbatia.

XL.

Franciscus de *Joyeuse* filius Antonii quondam Abbatis, Bellam-vallem ex commutatione Thenolii adeptus, Reformationem in suam Abbatiam, suadente & procurante Layruëlio Ordinis & Generalis Gossetii Vicario, induxit anno 1622. Sequenti autem valedicens Statui Ecclesiastico Abbatiam resignavit consanguineo suo

XLI.

Renato de *Ficquelmont*, qui possessionem adiit ipso sanctæ Magdalenæ die, junxitque simul Abbatias *Mozomi* & *Eslani*. Obiit anno 1654.

XLII.

Petrus *Berthier* Episcopus Montalbanensis, jus suum in Abbatiam Bellæ-vallis anno 1655. transtulit in

XLIII.

Claudium de *Joyeuse*, cui anno 1662. successit

XLIV.

Jacobus *Testu* Senator Parisiensis, mortuus anno 1705.

XLV.

Franciscus *Carbonnet de Canisy*, Episcopus Lemovicensis senior, cui successit anno 1724.

XLVI.

Claudius *Thouvenin* Presbyter Tullensis Diœcesis.

PATERNITAS.

Jus habet paternitatis in Abbatias *Stagni*, Diœcesis Virdunensis, *Justimontis* & *sanctæ Crucis*, Metensis Diœcesis, *Septem Fontium* in *Bassiniaco* & *Flabonis-montis* in Barri Ducatu, Tullensis Diœcesis. Habuit etiam duo Sanctimonialium monasteria, quorum unum mœnibus adhærebat Abbatiæ, alterum stabat *Crissiaci* propè *Grandi-pratum.** *Grand-pré.

PASTORATUS.

Vallis in *Dioleto*, gallicè *Vaudieulet* cum succursali de *Smode*.

Noacum, gallicè *Noart* cum annexis de *Baricourt* & de *Champis*.

Talliacum, gallicè *Tailly* cum succursali de *Bocley*.

Fossatæ, gallicè *Fossé*.

Longivadum de Cruce, gallicè *Longué la Croix*.

Et isti Pastoratus in Remensi Archidiœcesi, à munificentia Guillelmi Archiepiscopi in Ordinem transierunt & regularitatem.

Habet etiam Bella-vallis tres Prioratus simplices, *Cressiacum*, *Fontanellum* vulgò *Fontenilles* propè *Attiniacum* & sanctum Stephanum ad *Arnam*.

MONUMENTA SEPULCRALIA

Antequam Hugonoticus furor in sacra & profana quæque desæviens annis 1572. & 1636. Bellæ-vallis Ecclesiam populabundus devastasset, extabant Mausolæa antiquitate & nobilitate insignia, quorum unum Domini Ingobrandi Toparchæ de *Altreio* & Castri Mozomensis Præfecti, eminebat in Sacello BB. Petri & Pauli.

Alterum erat Henrici Comitis de *Grandiprato*, cujus corpus sarcophago clausum, in medio Chori honorificè tumulatum conspiciebatur. Plures ex eodem sanguine sati, elegerunt proavi sui sepulturam, & nostrâ ætate, ibidem finem vitæ, & quietis locum sortitus

Fr. Angelus de *Joyeuse* Bellæ-vallensis Canonicus, hæreditario tumulo donatus est anno 1673.

SACRÆ RELIQUIÆ.

Dens S. Christophori, ut piè creditur.

Dens S. Laurentii Martyris.

De capillis & lacte B. M. Virginis pretioso jocali & indice antiquo acclusis.

De præsepio & sepulchro Christi.

De lapide molari cui alligatus S. Crispinus, *in axonam* præceps actus est.

Fragmentum, lapilli purpurei coloris, hoc titulo insignitum, *Du hanap dans lequel notre Seigneur institua la Cène.*

His annumerandum Caput sanctæ Gertrudis Virginis & Martyris, quod in Ecclesia parochiali Vallis de *Dioleto* asservatur, magnoque colitur honore in agro Remensi, quamvis de ejus ortu, vita & martyrio quidpiam certi non invenias consignatum in scriptis veterum.

CODICES MSS.

Biblia sacra duobus majoribus voluminibus & magno caractere exarata.

Item sacra Biblia, minori tùm caractere tùm volumine conscripta. In capite horum Bibliorum scripsit propriâ manu Mabillonius, *Biblia infiniti valoris, & servatu dignissima.*

Item aliud Bibliorum volumen sed imperfectum.

Item alius Bibliorum Tomus cum notis.

Novum Testamentum seorsim conscriptum.

Quatuor Evangelia distincto volumine exarata.

Duo volumina Evangeliorum totius anni per Ecclesiam, intra Missarum solemnia, deferenda.

Concordia quatuor Evangeliorum secundùm Mumonium.

Psalterium perantiquum.

Liber Actuum Apostolorum & Epistolarum Pauli, aliarumque Novi Testamenti.

Maxima Membrana convoluta continens Chronicon totius Historiæ sacræ, cum figuris.

Origenes super Leviticum & plures alios scripturæ Libros.

Ejusdem Homiliæ sexdecim in Genesim.

S. Ambrosii expositio super Psalmum 118. & Libri officiorum.

Historia Ecclesiastica Eusebii cum aliquibus aliis Operibus ejus, & quibusdam S. Ignatii Antiochensis Epistolis.

S. Joannes Chrysostomus super Matthæum Evangelistam.

Item Libri de compunctione & reparatione lapsi sub nomine S. Joannis Chrysostomi.

Hieronymus in Isaiam Prophetam.

Idem in Lamentationes Jeremiæ. in 4°.

Ejusdem Expositio in Psalmos.

Secunda pars Epistolarnm ejusdem.

Expositio super vitas SS. Patrum, de Græco in Latinum à S. Hieronymo translata.

Codex antiquus Honorii Augustodunensis.

Duo volumina Etymologiarum S. Isidori Hispalensis.

S. Augustini Libri de Civitate Dei.

Ejusdem tria volumina Explanationum in Psalmos.

Item Tractatus in Joannem. 2. vol.

Item Epistolæ. 2. vol.

Collationes Patrum à Cassiano editæ. 2. vol.

S. Gregorii Papæ Dialogorum Libri IV. Liber Pastoralis.

Item Homiliæ in Ezechielem.

Ejusdem aliæ quadraginta Homiliæ.

Ejusdem Moralia in Job. 6. vol.

Cassiodori Historia tripartita.

Concordantia discordantium Canonum Gratiani.

Helladius de vitis SS. Patrum.

Rupertus de divino Officio.

Explicatio Anastasii Abbatis in Lamentationes Jeremiæ.

Anselmus super Epistolas Pauli.

S. Bernardus super Cantica Canticorum.

Item de Libero arbitrio.

Liber Casuum notabilium eidem attributus.

Liber de eruditione Religiosorum eidem etiam attributus.

Hugo à sancto Victore super Regula Divi Augustini. 1. vol.

Item de Vita Canonicorum. 1. vol.

Vita sancti Norberti ab autore coætaneo scripta, tribus voluminibus contenta, sed recentioris ævi.

Sex volumina Legendarum, authore Rogerio, seu Ruggero Fuldensi Monacho, anno 1156. collata.

Nonnulla antiqua Breviaria Ordinis Præmonstratensis.

Duo Missalia ejusdem Ordinis, in quibus neque de Conceptione, neque de Visitatione, nec de Præsentatione B. V. fit mentio.

Petri de Riga Canonici S. Dyonisii Remensis, Historia sacra veteris & novi Testamenti, scripta carmine heroico.

Tria volumina Haymonis in Epistolas Pauli & Apocalypsim, in quibus legitur D. Ambrosii opus in Epist. ad Corinthios.

Cornelius nepos Historicus.

Liber de virtutibus & vitiis, opus sancti Raymundi de Penna-forti. in 4°.

Nicolaus de Lyra super Biblia. 4. vol.

Compendium Theologiæ veritatis, ignoti autoris.

Liber Magistri sententiarum.

Sermones Dominicales Fratris Guidonis Dominicani. 2. vol.

Alii Sermones pro toto anno, anonymi.

Plures Homiliæ, absque nomine autoris. 1. vol.

Manipulus florum magistri Thomæ de Hybernia socii Sorbonici.

Organum Aristotelis.
Ejusdem Metaphisica.
Philosophia ignoti autoris.
Tractatus de oculo & apibus.
Invectiva in hominem.
Liber D. Bernardi de Libero arbitrio.

Introductio juniorum Religiosorum, bona & utilis ac notabilis valdè, à quodam sanctissimo viro composita.

Revera utilissimus liber & magnâ spiritûs discretione conscriptus. Conveniat moribus Præmonstratensium; attamen in capitulo de labore insinuat mendicantes esse Fratres suos.

Vitæ SS. Patrum auctore Gennadio.

Alios plures mss. codices flammis devoverunt heterodoxi in Bellam-vallem sævientes. Vide Probat. à col. cciij. ad col. ccxvj.

BELLA-VALLIS.

Bella-vallis Fil. S. Gilberti Diœcesis Nivernensis Circaria Arverniæ.
* Moulins en Gilbert.

DEcem à Niverno horis, duabus à Molinis Ingelberti, * intrà vallis amœnæ angustias tenuis assurgit Abbatia, quæ patrio idiomate *Bellevaux* nuncupatur, incertum Fundatorem habens, certam appellans Matrem, Abbatiam nempè sancti Gilberti. Nivernensi Comiti Guillelmo III. adjudicandum fundationis honorem suadet assidua ejus ergà Ordinem nostrum munificentia, quam Altissiodorenses experti sunt. Suadet templi, & ædificiorum nobilis ab origine structura, & dotis amplitudo. Verùm ista magis ex voto, quàm ex probabili conjectura, dicta velim. Adeo enim Thalassiarchæ *Collignei* infesta Galliæ vexilla, Bellam-vallem ferro & igne devastarunt, anno 1560. ut non reliquerint lapidem super lapidem, sed communi strage, ædes, chartas, sacram suppellectilem, quin & nonnullos Canonicos deglutiverint.

Ad annum 1618. flevit Ordo super prostratam Dei domum, unusque, aut duo superstites Religiosi, luctuosam in tuguriolis vitam agentes, desolatæ Sion præstolabantur redemptionem, sed non erat qui consolaretur. Blasius *Cornu* Commendatariorum primus, ex ruinis Ecclesiolam excitavit, Abbatiale sibi struxit hospitium, & Canonicum quem suæ sortis miserandæ, habebat comitem, obscurâ domunculâ reclusit, aptiorem nolens, aut non valens ædificare. Possessiones universas Ecclesiæ, tanquam res sui dominii, tractans, sub censuali tributo laicis oppignoravit, de proventibus centum libras Turonenses superstiti deputans Canonico.

Nec mitiùs, nec meliùs cum sua Ecclesia egit Gabriel *Mignot* Blasii in commenda successor. Sed P. Augustinus *le Scellier* Abbas Præmonstrati, & Ordinis Caput, statum *Bellævallis* in visitatione canonica miseratus suprà modum, hunc in formam meliorem immutare statuit. Anno igitur 1662. P. Norbertum *Gosset*, virum religione, & rerum agendarum peritiâ conspicuum, illuc destinavit Priorem. Duram, sed homo ad ardua quælibet & aspera natus, provinciam hanc in se suscepit. Possessiones monasterii illicitis contractibus alienatas, licitâ redemptione recuperavit; Ædes monasterii è ruderibus ad nonnullorum Canonicorum habitationem, quos ad officii divini pensum, & observantiæ regularis fulcimentum judicavit advocandos, suscitavit. Sicque paulatim Religio, cujus erant extincta penè vestigia, instituto sex Canonicorum Collegio, reflorere cœpit. Ad annum 1691. indefessi laboris christianos conatus mors sancta coronavit. Faciem monasterii in colorem optimum mutatam, Priores sequaces & optimi instauratoris æmulantes zelum, non passi sunt deturpari.

Aliquorum Abbatum nomina ex alienis mutuata scriniis, aut catalogis subjicimus; dolentes nec primam fundationis epocham, nec primum potuisse ostendere Abbatem. Quantum ex probabili conjectatione possumus assequi, puto circà annum 1152. * jacta fuisse fundamenta *Bella-vallis*, & ad illam ex sancto Gilberto submissum Abbatem, qui formam disciplinæ inveheret.

* Legitur, Tom. 2. [illegible] Abbatis Bellæ-vallis ad S. [illegible] Unde consequens est Bellam-vallem jam exstitisse seculo 12°. [illegible] in [illegible] Galli. Christian. Tom. 3 pag. 800.

Anno 1390. PETRUS regebat.

Anno 1418. ROBERTUS *GIRARD*.

Anno 1437. JOANNES *DE LANLU*.

Anno 1452. PETRUS *DE FONTENAY*, Juris utriusque Doctor, Prior Lurciburgi, ad Episcopatum Nivernensem hoc anno assumptus, moritur an. 1499. atque ante aram principem jacet tumulatus, hâc superpositâ inscriptione.

In Reverendi, atque piissimi quondam Nivernensis Præsulis, Domini *PETRI de FONTENAYO*, in utroque jure Doctoris, defendendum ab omnibus interitum:

Ecce Nivernæo *Petrus* memoratus in orbe,
Qui *fonte* à *Nayo* nobile nomen habet.
Præsul erat, prodesse volens, præesseque nolens,
Sic onus huic placuit, non vitiosus honor.
Sic nova fulgebat gemmati gloria Juris,
Ornabatque gradum pagina sacra suum:
Elatâ non mente fuit, miseroque popello
Porrexit largâ plurima dona manu.
Assiduè sincera Deo libamina fudit,
Contentusque suas Pastor alebat oves.
Hujus in hoc fragili putrescit pulvere corpus,
At pius æthereo spiritus axe viget.

Obiit die 3. Junii, an. Domini 1499. Episcopatûs sui 39. ætatis verò suæ 66.

Anno 1161. JOANNES *DE LANLU*.

Anno 1513. JACOBUS DE *CHAMDION*.

Anno 1541. FRANCISCUS DE *FONTENAY*.

Anno 1567. HELINUS *DE LA MOIGNON.*
Anno 1584. CAROLUS *DE MOREL.*
Anno 1618. BLASIUS *CORNU* Commendatariorum primus.
Anno 1651. GABRIEL *MIGNOT.*
Anno 1688. N. *DE BUSSY DE RABUTIN* nominatus à Rege; modò Abbatiam possidet.

BELLELAGIA.

Bellelagia. Fil. Lacus-Jurensis. Diœcesis Basileensis. Circaria Burgundia.

* Delemont.
* Porentrui.
* Bielle.
* S. Ursanne, germanicè Sanderst.
* Bellelay.

IN Episcopatu, & Principatu Basileensis Episcopi, in finibus Delemontanæ * Præfecturæ, circà illa montis Jurassi juga, quibus olim à Burgundia, Helvetia, & Rauracia disterminabantur, in valle, montibus circumquaque cinctâ, solo, si climatis naturâ suâ frigidi, situm attendas, satis temperato, septem à Bruntruto * leucis, à Delemonto, & Biella * quinque, tribus à sancto Ursicino * distans Bellelagia, * in Abbatiam Ordinis nostri erigitur à Siginando, quondam Monasterii *Grandis-vallis* Præposito, circà annum 1136. Adalberone Episcopo Basileensi tùm præsidente. Fundatum cœnobium Ortliebus Comes Friburgensis, & Ecclesiæ Basileensis Antistes, addititiâ dote Parochiarum, & nemorum ampliavit. Hunc æmulatus Humbertus de *Novo-castro*, Sedis, & benevolentiæ hæres, depauperatum ob schisma, & bella Imperatores inter & Pontifices sævientia, meliori fortunæ restituit, impensis liberaliter pecuniis, quibus vastatæ ædes, & oppignorata prædia restituerentur & redimerentur.

His Parentibus beneficis nata Bellelagia, in insignem excrevit Abbatiam, præeminentiis etiam civilibus. Statuum Basileensis agri perpetuâ gaudet præsidentiâ; Jure civilegii fruitur in Bernæ, Solodori, & Biellæ civitatibus. In territoriali suo ambitu, summi Dominii exercet justitiam; sed quod his omnibus majus est, in medio circumlatrantium hæreticorum gremio, fidei avitæ, & sinceræ pietatis indeficientem ab origine sua facem, intemerata servavit Bellelagia, virtutis, & scientiæ cultrix, ipsis etiam ex utroque capite, acatholicis quodammodò sacra.

Vivente P. ac D. Georgio *Voirol*, viro candore morum, zelo domûs Dei, & necessitudine mihi plurimùm commendabili, Bellelagiam invisimus, & fulgentem in recentioris templi structura, sed præsertim in Canonicorum disciplina regulari, spiritum Norberti suspeximus, perennitatem adprecantes. *Anno 1713.*

De nominis etymo, & de causa originis Bellelagiæ, pauca pro tempore dixerim, ne vulgi famâ consecratam traditionem, superbo videamur dedignari supercilio. Ferunt itaque Siginandum *Grandis-vallis* Præpositum, venandi causa, remotiores petiisse sylvarum plagas, & ab obvio apro venatorem fugiente, sic fuisse abreptum in nemoris densa, ut sole cadente, noctem illic transigere debuerit insomnem, sine comite: sole autem redivivo, viam pridiè tentatam rursùs aggreditur, sed post varias cursitationes, eò revertitur, unde fuerat digressus. Iterùm & tertiò tentat egressum ex infelici meandro; sed infelici semper, & pari successu. Attonito ob rei insolentiam Siginando, & quasi fame enecto venit in mentem, votum vovere Deo, ut si à discrimine vitæ salvùm ad sua contingeret reverti, in eodem loco, ubi pernoctarat, Oratorium B. Augustino exstrueret. Quasi exauditæ orationis conscius, viam toties tentatam, & tam anxiè quæsitam, dirigente Deo, arripit Siginandus, & prospero cursu ad suas pervenit ædes. Post reditum, voti haud immemor, ecclesiolam ædificat sub Augustini nomine, fundos adjicit, è Lacu-jurensi evocat Canonicos, & instituto cœnobio, *Bellelagia* vocabulum imposuit, ex porca sylvestri, quam in eodem loco famuli venando occiderant, quamque Siginandus aspiciens, & ejus magnitudinem demiratus, exclamasse fertur, vernaculo idiomate, *Belle laye*, hoc est, *Pulchra porca.* Ita Fasti Bellelagienses, quos conterraneus author, ad popularis linguæ tùm vigentis, sensum accomodavit, ne sui monasterii nomen vacaret mysterio. Ut ut sit de origine vocabuli, rem certam tenemus, nec alteri quàm Siginando, suæ nativitatis debet exordium Bellelagia, cui Abbatem præfecit

I.

GEROLDUM, ex Abbatia *Lacûs-jurensis*, cum sociis quibusdam advectum. Ille recenter institutam Abbatiam ab Innocentio II. an. 1141. confirmari impetravit. Eugenius quoque III. plantationis novellæ incrementa promovens, approbavit, sancivit anno 1148 uniones Ecclesiarum de *Boëscourt*, *Tavanne*, & sancti Ursinici, cùm monasterio Bellelagiæ. Ad majorem sui Conventûs securitatem, & pacem, acquisivit posteà Geroldus ab Ortliebo Episcopo Basileensi, titulo dotis, districtum, seu curtinam Bellelagiensem, unà cum jure Patronatûs Ecclesiæ sanctæ Mariæ Magdalenæ, quam dotationem Lucius III. postulante Ludovico Geroldi successore, confirmavit anno 1181.

Antiqua Bellelagiæ monumenta de Geroldi pietate, zelo, industria, loquuntur. Morte sanctâ laudabilem vitam consummavit pridiè Kal. Aprilis 1170.

II.

LUDOVICUS, morum honestate, & religione conspicuus, Ordini propagando sic intentus fuit, ut è sua domo Canonicorum coloniam apud *Grandigurgitem (Grandgourt)* transtulerit,


10
10
1 . Ecclesia
2 . Bibliotheca .
3 . Domus abbatialis .
4 . Domus Hospitum
5 . Archivium .
6 . Domesticorum domus .
7 . Equile .
8 . Granarium .
9 . Domus Sutorum .
10 . Molendinum
11 . Taberna .
12 . Lateraria .
13 . Horrea .
4 . Area .
13
13

lerit, sub regimine Radulphi; quam institutionem non laudavit modò Clemens III. sed in Abbatiam, surculum hunc Bellelagiæ sublimavit anno 1187. sequenti autem Philippus Præpositus sancti Ursicini, Theodoro Archiepiscopo Bisuntino approbante, resignavit Abbati Ludovico jus patronatûs Parochialis Ecclesiæ de *Montegnez*. Denique dierum, & operum bonorum plenus, 18 Aprilis moritur optimus Abbas, anno 1202.

III.

RICHARDUS, post mortem Radulphi, primi Abbatis de *Grandigurgite*, recuperavit Abbatiam à Benedictinis sancti Morandi propè *Altkirch*, ignoto titulo, usurpatam. Synodus Provinciæ Basileensis, ad cujus tribunal quæstio fuerat devoluta, causam addixit reclamantibus Bellelagianis, & sub nomine Prioratûs possidendam restituit Abbatiam, anno 1208. Honorius III. anno 1223. ad petitionem Richardi, immunitates & privilegia Bellelagiæ innovavit, confirmavitque. Anno 1236. iniit contractum super allodio empto in *Geriviler*, & 17. Februarii anni sequentis, in Domino obiit 1237.

IV.

HENRICUS I. Capitulo generali anni 1238. interfuit, ibique adjudicata sunt Bellelagiæ bona in Pago *le Puix*, Præpositurae Florimundanæ in Suntgowia, à Canonicis *Belli-campi* possessa. Anno 1242. acquisivit à Lutoldo Episcopo Basileensi, & ejus Capitulo, jus Dominii super territorium de *Montignez*, & ibidem decimandi ad quintum manipulum. Ex Capitulo generali anni 1256. ad sua revertentem Henricum morbus apprehendit in Abbatia sancti Martini, & 16. Octobris ejusdem anni, naturæ debitum solvit 1256.

V.

JACOBUS I. plura bona acquisivit in pagis Abbatiæ suæ circumvicinis. Obiit secundo regiminis anno, Christi 1258. die 22. Maii.

VI.

CONRADUS, fatis fungitur octavo Novembris 1270.

VII.

PETRUS DE *VARRES*, sui monasterii subditos, vel territorii sui incolas ab omni genere servitutis exemit erga Principem Basileæ, sub onere præstationis annuæ, & per capita-familias, unius Capponis, & ymiæ avenæ. 23. Februarii obiit 1292.

VIII.

BURCHARDUS, die 19. Februarii 1316.

IX.

LAMPERTUS, die 18. Julii 1320.

X.

PETRUS II. die 26. Decembris 1336.

XI.

HENRICUS II. anno 1341. obtinuit à Benedicto XII. confirmationem donationum factarum, ratione patronatûs Ecclesiæ sancti Ursicini, seu Albæ Ecclesiæ Parochialis in *Neovilla*, cum Capella ibidem. Obiit anno 1350.

XII.

PETRUS DE *VANNES* III. in Grandigurgitis Ecclesia jacet. Desiit anno 1354.

XIII.

JACOBUS II. 1358.

XIV.

JOANNES I. quo procurante, instituta fuit anno 1362. Confraternitas inter Abbates Erlacensem Ord. S. Benedicti, de *Fruensberg*, seu de *Aurora*, Ordinis Cisterciensis, Fontis-Andreæ, Loci-Dei, seu *Godstat*, & Bellelagiæ Ord. Præmonstratensis, S. Petri *Medii-Lacûs*, Ordinis Cluniacensis, & quidem omnes, Bellelagiensi excepto, Diœcesis Lausanensis. Porrò legibus fraternitatis cautum erat, ut singuli quolibet anno Biellæ convenirent propriis sumptibus, illic celebraturi anniversarium pro defunctis Confratribus. Anno 1529. his omnibus monasteriis, præter Bellelagiam, sub Hæreticorum potestate redactis, charitativus iste congressus desiit. Desiit & ipse Joannes anno 1363.

XV.

JOANNES II. ab Urbano V. obtinuit confirmationem privilegiorum & immunitatum à Pontificibus impertitorum Bellelagiæ. Anno 1374. acquisivit à Comitibus de *Thierstein* jus patronatûs in *Longa-aqua* eodem anno, 2ª. Decembris, obiit 1374.

XVI.

JOANNES III. anno 1389. præsidebat electioni Joannis *Oschen*, in Abbatem *Portæ-cœli*; illumque, nomine Patris Abbatis Domini Præmonstratensis, cujus vices, ex ejus commissione, agebat, benedicendum præsentavit Episcopo Constantiensi. Naturæ debitum solvit 23. Octobris 1398.

XVII.

JANNOES IV. cognomine DONTZELETI, anno 1399. nomine Abbatis Præmonstrati, rexit electionem Joannis *Buttel*, Abbatis *Portæ-cœli*. Sequenti anno Andream Bipontinum,

successorem denati Joannis *Buttel*, Cathedræ Abbatiali *Porta-cæli* imposuit. Obiit die 20. Septembris 1401.

XVIII.

HENRICUS *NEU* III. in Decretis Baccalaureus, litteris & scientiâ exculrus, Episcopi Basileensis Humberti Vicarius generalis, tam in temporalibus, quàm in spiritualibus renuntiatur anno 1412. à Capitulo generali anni 1414. Procurator generalis Ordinis, pendente Constantiensi Concilio, instituitur, eique Paternitatis jus in *Portam-cæli* transfertur. De Patribus Concilii benè meritus, ob suam in dicendo facundiam, in promovenda fide & reformatione zelum, accepit ab eis, pro se & suis successoribus, jus mitræ, & à Sigismundo Imperatore, teste eruditionis & constantiæ ejus, protectionem Cæsaream pro Bellelagia, confirmationem privilegiorum ejus, nec non jus Civilegii cum civitatibus Berna, & Solodoro, consequutus est. Ecclesiam Bellelagiensem fortuito incendio an. 1402. incineratam reparavit ex parte: à suis villicis & colonis jugum patriæ servitutis, pretio mensæ Episcopali penso, excussit. Jus patronatûs Ecclesiæ in *Altorff*, in *Perlis*, à Nicolao de *Truchsses* de *Ottendorff*, & à Dominis de *Eptingen*, obtinuit. Felicis gubernationis cursum intercurrens tempestas turbavit: Dux enim Hugolinus nomine, stipatus Burgundionum numeroso satellitio, & à Richardo de *Lat* Neocastrensi, instigatus, de nocte, vi & armatâ manu irrumpens, devastans omnia, calices & sacram suppellectilem asportans, ipsum quoque Abbatem anno 1417. captivum abduxit in *Lillam* ad *Dubim*,* nec liberum dimittere voluit, donec libertatem magno redemisset pretio. Solutus à vinculis Henricus, tristem anno integro confecit vitam, meliorem quæsiturus, moritur 27. Decembris 1418.

* Le Doux.

XIX.

FLEICHMANNUS de recuperandis Abbatiæ suæ spoliis, & documentis ab Hugolino per vim ablatis, sollicitus, Urbanum V. adiit, & miserabilem Ecclesiæ suæ statum Pontifici exponens, armavit manum ejus vindicem contra prædones, quos, disploso in eos excommunicationis fulmine, ad restitutionem compulit. Moritur 21. Septembris Fleichmannus 1426.

XX.

JOANNES DE *CASTELLO*, Concilio Basileensi, tàm proprio nomine, quàm ratione deputationis Abbatum de *Marbach*, & Vallis sancti Gregorii, nec non Præpositorum de *Ruffach*, de *Salberg*, &c. interfuit. Huic etiam in mandatis dedit Capitulum generale anni 1430. ut provideret de domo in urbe Basilea, ad quam commodè delegati Ordinis versùs generalem Synodum, possent se recipere: quod quidem præstitit, sed desideratum Concilii finem mors præceps videre non passa est. Obiit 21. Aprilis 1434.

XXI.

PETRUS IV. cognomine *MARTINII*, Professus Viconiæ, à Capitulo generali Bellelagiam submissus est ut vacanti sedi præesset. Hanc designationem approbavere Bellelagienses; meliorem sperare non poterant. Erat enim Petrus rerum ecclesiasticarum, & civilium peritissimus, arduorum negotiorum capax, & tàm ab Ordine, quàm à Concilio Basileensi, in difficillimis illorum temporum quæstionibus, sæpè ut mediator, quandoque ut arbiter aut judex constitutus fuit. Hinc anno 1435. à sanctâ Synodo ad Galliæ partes Commissarius ablegatus legitur, ut latiùs exponunt Annales. Die 13. Octobris moritur 1439.

XXII.

FLEICHMANNUS II. cum suo Conventu vix pacem habuit. Divisiones præbendarum, seu pitantiarum, à proprietatis spiritu subintroductas, vel mutilare, vel resecare volentem, ad Tribunal Ordinis, Canonici, appellatione interpositâ, traduxerunt. Capitulum generale ad partes misit Priorem Præmonstrati, & Abbatem *Lacûs-Jurensis*, qui tanquam Judices attentatum Abbatis damnavere, abusum pro justitia, consuetudinem pro veritate laudantes. Undecimo Septembris moritur infelix, sed pro æquitate litigator, 1448.

XXIII.

JOANNES VI. cognomine *RIER*, resignat an. 1456.

XXIV.

JOANNES *GRUEL* VII. 1483.

XXV.

JOANNES VIII. ex Abbatia *Porta-cæli* assumptus, die 17. Septembris obiit anno 1490.

XXVI.

JOANNES IX. cognomento *BRULLARD*, Confraternitatem Capitulorum Bellelagiensis, Lucellensis, Grandis-vallis, S. Uriicini, renovari procuravit anno 1504. paulopost senio confectus, dignitati, voluntariâ resignatione, valedixit 1508.

XXVII.

NICOLAUS *SCHNELL*, in utroque foro versatissimus, ad Consilii sanctioris Cameram ab Episcopo Basileensi adscitus, Provinciarum Burgundiæ, Arverniæ, & Sabaudiæ Visitator, magna cum laude hisce muneribus perfunctus est. Anno 1523. unionem *Porta-cæli* cum sua Abbatia impetravit à Clemente VII. Parochiales item Ecclesias de *Basse*, & de *Bassecourt* incorporavit suo monasterio, anno 1513. Parochiam de *Bevillard* acquisivit. Anno 1516. Jus civilegii cum Biellensibus stricto fœdere

sanxivit. Monasterium & Ecclesiam incendio dirutam, à fundamentis excitavit: sed quod majus est, utrumque à circumlatrante, & grassante hæresi servavit incolume. Die 12. Junii piè defunctus est 1530.

XXVIII.

JOANNES X. cognomine de *BELLEFOND*, religione & constantiâ spectabilis, qualem requirebant illa tempora turbatissima, in quibus Biellenses, Neostadenses, Vallenses sancti Hymerii, & penè tota vicinia à fide defecerant: in quibus Canonici è Parochiis Neovillanâ, Perlanâ, Aquâ-longâ, Taxfeldanâ, Valbringensi, violenter ejecti, loco cedere Pseudoministris cogebantur: in quibus denique Episcopus Basileensis, Territorii Dominus, Basileâ proscriptus à tumultuante populo, qui Oecolampadium Episcopum proclamaverat, nunc in Castro *Purseck*, modò *Bruntruti*, nunc *Delmonti* profugus, à facie suarum ovium, vel à Bernensium furore latitando declinabat, mirum quomodò inter tot pericula, tot hostes prædæ avidos, fidem persequentes, intactâ fide, monasterio illæso, salvus evaserit Joannes Abbas, & servaverit suos! prodigio par est tanta prudentia, tanta fortitudo, quam Bellelagienses omni præconio exornant, quamque à Deo mercede æternâ cumulatam prædicant, die 19. Decembris 1553.

XXIX.

SERVATIUS *FRIDEZ*, Diarium scripsit de *miseria sui temporis*. Calamitates vicinorum, à sæviente magis ac magis hæresi illatas, luctuoso pingit stilo, suas, suique monasterii tertiò incensi deflet; illud, quam primùm & qualiter licuit, reparavit. Ærumnis confectus, non superatus, vivere desiit 22. Februarii 1561.

XXX.

ANTONIUS *FOTTEL*, optimus œconomus, mediocriter litteratus, visitationem, & reformationem sui monasterii suscepit Joanne Francisco Bonhomio, Episcopo Vercellensi, & legato Pontificio incitante, qui ad mentem Concilii Tridentini, mores antiquos, seu magis, pravos abusus emendans, præbendarum, & pitantiarum divisiones, aliosque proprietatis dudùm subinductæ, nævos absterfit. Obiit Antonius 25. Februarii 1574.

XXXI.

JOANNES XI. die 3. Februarii decessit 1579.

XXXII.

VERNERUS *BRISELANCE*, reformationis præscriptæ à Legato, tenax, omnem à se ipso, & à suis Canonicis eliminavit proprietatis maculam; asceterium cinxit mœnibus, ut suis evagandi occasionem, aut extraneis, subeundi interiora domûs, locum tolleret; Visitatores Ordinis, quos à tempore extinctionis *Lacûs-jurensis*, matricis Ecclesiæ, non habuerat Bellelagia, advocavit, maximè ut Basileensi Episcopo, jurisdictionem regularem, ex defectu Superiorum invadenti, præcluderet iter. Usque enim adeò authoritatem suam Episcopus extenderat, ut electionibus Abbatum solus præesset, solus confirmaret, & interposito juramento, ad observationem Statutorum, quorum ipse erat artifex, electos adstringeret. An jure, an injuriâ, ad Ordinis detrimentum, Ordine ipso negligente suam jurisdictionem, id Prælatus attentarit, penès sapientem sit judicium: sed an ex suppleta semel, & iterùm Superiorum negligentia, indeclinabile, & perpetuum jus possidendi, moderandi, confirmandi electiones acquisiverit, nemo, quòd credam, ausit affirmare. Nam immiscere se non potuit Episcopus Basileensis regimini ovilis alieni, proprium & supremum habentis Pastorem, nisi ex Tridentinæ Synodi provida disciplina, hoc est, titulo legati Apostolici, & nomine summi Pontificis. Porrò jus illud transitorium est, nec migrat ad successores per traducem, nisi Superiores religiosi per incuriam, denuò Episcopis successoribus præstent occasionalem & momentaneam exercendæ juridictionis causam.

XXXIII.

DAVID *JUILLERAT* ex infima plebe, Bellelagiæ subulcum agebat, dum ad Religionem, propter micantem ingenii præstantiam, & miram in discendis litteris humanioribus facilitatem, assumptus est. In altioribus scientiis ita excelluit, ut ex Prioris officio, raptim ad dignitatem Abbatialem, uti omnium dignissimus, omnium Capitularium calculo, ascenderit. Rem domesticam sedulò procuravit, scientias promovit indefessè, sed timiditatem, originis suæ vitium, excutere non potuit. Die 17. Febr. obiit 1637.

XXXIV.

JOANNES-PETRUS *CUENATTE*. 6. Martii *1666*.

XXXV.

JOANNES-GEORGIUS *SCHWALLER*, tempore Suevici belli, nobilis ille Solodoranus, Bellelagiæ desertæ saluti solus invigilavit, & contra Prælatum, cæterosque Conventuales à parte Episcopi Basileensis stantes, pro Ordinis & monasterii immunitate, diù decertavit. Factus Abbas, disciplinam regularem verbo, sed magis exemplo vindicavit, Religionis amantissimus. *26*. Martii *1691*. obiit.

XXXVI.

NORBERTUS *PERIAT*. Die 12. Novembris *1692*.

XXXVII.

FRIDERICUS DE *STAAL* nobilis Solodoranus, ab intestino dolore, morbo tùm populari, ju-

venes cum junioribus, Principes cum subditis enecante, ereptus est 23. Aprilis anni 1696.

XXXVIII.

Joannes-Georgius *Voirol* amans recti, vitiorum hostis, cultor scientiarum, exemplar disciplinæ, modestiæ norma, paupertatis sectator, cui debet Bellelagia amplum ædificium, Templum, quale inter Helvetos nec majus, nec ornatius invenias, suppellectilem sacram magnificentiæ templi non imparem. Hæc omnia propriis conspexi oculis, & laudavi; dicerem, miratus sum, nisi virtutes, quas suspexi in Prælato, præoccupassent admirationem. Non vidi etenim in convictu affabiliorem, humiliorem in honore, in fide propaganda fervidiorem, prudentiorem in regendo, in amicitia constantiorem, in opinando seu privatim, seu palàm sagaciorem. Viderunt mecum Proceres Ordinis in Capitulo generali anni 1717. cui Definitor assidebat, & ex quo rediit, dignitate Vicarii generalis per Burgundiam, insignitus. Talem virum in flore ætatis, annum 47. agentem, magna pro Deo, pro Religione, pro patria, pro monasterio meditantem, mors abstulit in Præpositura *Portæ-cæli*, ubi sub hac Epigraphe, sepulturæ impositâ, jacet.

» Hic jacet R^mus in Christo Pater ac Domi-
» nus D. Joannes Georgius *Voirol*, Eccle-
» siæ Bellelagiensis Abbas 38. Obiit 17. Au-
» gusti an. 1719. Requiescat in pace, amen.
Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.

XXXIX.

Joannes-Baptista *Semon*, S. T. Doctor & Professor, hodie præest.

JUS PATERNITATIS.

Habet Bellelagia in *Portam-cæli*, & in *Grandigurgitem* olim Abbatias, nunc Prioratus unitos Ecclesiæ matrici, in quibus Priores, ad nutum Abbatis amovibiles, præsident.

PAROCHIÆ.

I. S. Ursicini de *Neovilla*, *antiquitùs *Nuerol*, vulgò *Alba-Ecclesia*, seu *Neustad* ad Lacum Biellensem, data ab Amædeo Episcopo Lausanensi, anno 1140. in Acatholicorum manus anno 1533. devenit, servato tamen jure Patronatûs, & Pastoris primitivi qualitate in Abbate Bellelagiensi semper salvâ, uti constat ex pactis anno 1533. initis Magistratum inter & Abbatem de *Bellefond*.

* Neuville.

II. Perlæ, germanicè *Bietterlen*, gallicè *Perle*, ejusdem Diœcesis Lausanensis, sub ditione nihilominùs Basileensis Episcopi. Tribus ab urbe Solodoro horis, ab urbe Biella, gallicè *Bienne*, duobus fermè milliaribus hæc Parochia distans, Calvino-zuinglianis subest ministris.

III. Longa-aqua, gallicè *Longeau*, medio Biellam inter & Solodorum itinere; à Comitibus de *Thierstein*, ad Dominos de *Barenfels*, & ab istis ad Bellelagiam jus Patronatûs descendit anno 1374. Ista parochia communi fato & torrente, ab hæresi absorpta est.

IV. Taxfelden, gallicè *Tavanne*, Diœcesis & ditionis Basileensis, unâ leucâ à monasterio distans, ab Ortliebo Comite de *Fribourg* & Episcopo Basileensi tradita, & ab Eugenio III. confirmata anno 1148. Heterodoxorum autoritati, & legi subjecta est, & Succursalis ejus, sancti Leonardi in *Chindon*.

V. *Bevillard* Diœcesis & ditionis Basileensis, anno 1513. ab Episcopo Christophoro Bellelagiensibus concessa & unita. Anno 1530. Religione veteri abjectâ, Zuinglii dogmata, adinstar Grandis-vallensium amplexati sunt Parochiani, Abbate stipendium præconi solvente, à quo se liberavit postmodum, per resignationem juris & unionis in manus Episcopi.

VI. *Genevez*, Diœcesis & ditionis Basileensis, intra limites Bellelagiensis territorii sita, ab approbato Canonico intra gremium residente administratur. Ex dono Episcopi Ortliebi hæc parochia processit.

VII. *Altorff*, olim *Bariscourt*, nunc *Bassecourt*, ejusdem Diœcesis, in Valle Delemontanâ, per commutationem factam cùm Dominis *Truchesess* de *Ottendorff* cessit Bellelagiæ anno 1405. & anno 1523. ei incorporatur.

VIII. *Boecourt*, quondam *Boëschort*, ejusdem Diœcesis in Valle Delemontanâ, ex munificentia Orthebi Episcopi circà annum 1139. Bellelagiensibus pauperculis contradita, unitur anno 1522.

IX. *Gerviller* seu superius *Pfettershausen*, ejusdem Diœcesis, ditionis Gallicanæ, sub Præfectura Phirtensi donata ab Abbate Murbacensi anno 1194. Radulfo Abbati *Grandigurgitis*, transiit anno 1629. per concambium ad Lucellensem Abbatiam.

X. *Montegnez*, Diœcesis Bisuntinæ, ditionis Episcopi Basileensis, sub Præfectura Bruntrutana, non longè à Prioratu *Grandigurgitis*, contraditur Grandigurgitanis Præmonstratensibus à Philippo Præposito Collegialis Ecclesiæ sancti Ursicini, approbante Theodorico Bisuntino Archipræsule anno 1189.

Duas insuper possidebat Capellas Bellelagia, unam in *Walbringen*; in Diœcesi Lausanensi, haud procul ab urbe *Biell*, suprà montem, cui civitas subjacet, & mediis in vineis, cujus adhuc visuntur rudera; aliam in summitate montis de *Repetsche*, in honore sancti Martini, nunc solo æquatam.

JURA ET PRÆEMINENTIÆ
Abbatiæ Bellelagiensis.

Ab immemoriali tempore Abbas Bellela-

giensis, in Comitiis Statuum Provinciæ; gaudet Prohedriâ, seu Præsidentiâ; per eum convocantur, & tanquam Præses, vota & resolutiones colligit, & ponderat, executioni mandat.

Habet insuper jus civilegii, seu municipii cum Berna, & Solodoro, quibus urbibus, gloriosæ recordationis Sigismundus Imperator, jus prætorium, & deffensorium impertivit erga Bellelagiam, in Concilio Constantiensi dùm resideret anno 1414.

Simile municipium cum Biellensibus contraxit Abbas *Schenell*, anno 1516. sub iisdem deffensionis, & assistentiæ, tam personarum, quàm rerum Bellelagiæ, conditionibus.

RELIQUIÆ SACRÆ.

Bellelagienses asservant insignes Reliquias de brachio S. Germani Martyris, quondam Abbatis antiquissimi monasterii *Grandis-vallis*, quod in Præposituram postea mutatum est.

Item S. Vitalis corpus integrum. Vide Probat. à col. ccxvj. ad col. ccxxx.

BELLI-MONS.

Belli-mons. Fil. Marchasii Radulphi. Diœcesis Rothomagens. Circaria Pontivi.

AUsculphus de *Senooz*, Transmarinam peregrinationem aggressurus, propitium sibi, & itineri, ut Deum demereretur, Abbatiam *Marchasii-Radulphi*, vulgò *Marcheroux*, in Diœcesi Rothomagensi, tribus à Bellovaco horis, fundavit, & ad monasterii dotem, præter varias possessiones, Villam *Belli-montis*, sesqui-horâ distantem à monasterio, contulit. Eò loci Abbas Ulricus qui vixit ad annum 1162. erexit parthenonem, cui Ausculphus abnepos, summam, ut aiunt, transcripsit jurisdictionem. Necrologia *Marchasii-Radulphi*, S. Justi, & S. Judoci passim Priorissarum, Suppriorissarum, & Canonissarum Belli-montis, recurrente anniversario die obitûs, commemorationem faciunt. Extinctum à seculis hunc parthenonem fuisse, non ambigitur; quanquam ab anno 1552. tantùm in Ecclesiam Parochialem, Sanctimonialium Oratorium subvexerit Episcopalis autoritas, reservato nihilominùs præsentationis jure, Abbati *Marchasii-Radulphi*.

Sub finem seculi decimi tertii, non priùs, illatæ Sanctimonialibus cladi, Bellum-montem succubuisse suadet charta Joannis de *Monte-Capreoli*, * anni 1256. Ausculphi Fundatoris hæres degener Guyardus, Joannis frater, Abbatiam damnis, populationibus, injuriis divexarat; quibus resarciendis medicam ut apponeret manum Joannes fraternæ hostilitatis improbator, cessit Abbati, quidquid juris, « proprietatis, jurisdictionis, venationis, aucu- « pationis, seu alterius cujuscumque juris habe- « bat in Abbatia *Marchasii-Radulphi*. . . . salvis « solùm dicto Joanni, & animabus successorum, « & antecessorum suorum dicti monasterii elee- « mosynarum & orationum suffragiis, pro eo « quòd ab antecessoribus ipsius Militis, funda- « tum fuit antedictum monasterium. « Eâdem spontaneâ cessione transfert omne jus, & jurisdictionem in gratiam *Sororum domûs Belli-montis, ad Abbatiam prædictam pertinentis*... Actum in præsentia Religiosorum virorum « Præmonstrati, & S. Justi Abbatum anno « 1256. mense Julio. «

*Mont-chevreuil.

Anno eodem Philippa Joannis uxor, donationi accessit, & sub testimonio Odonis Rothomagensis Archiepiscopi, conscripsit confirmationis chartam.

BELLIPODIUM

Sive S. Maria de *Las Avellenas*.

Bellipodium Fil. Casæ Dei. Diœcesis Urgellensis. Circaria Hispaniæ.

IN Cataloniæ Principatu, & Diœcesi Urgellensi, duabus à civitate *de Balaguer* leucis, loco aliquantulùm elato, situ jucundè spectabili, positum est monasterium *Bellipodii*, beatæ Virgini inscriptum, & ex hoc Tutelaris nomine, necnon ex vicinia oppidi d'*Avellanes*, plerumque *S. Maria de las Avellanas*, & patrio idiomate *Bellpuig*, aliàs *Belpuch* nuncupatum.

Prima Abbatiæ sedes fuit ad pedes rupis, obscuram præbentis specum orationi accommodam, quam sub nomine Ecclesiæ *de Muro* tum audiisse, & Comitissæ de *Pallas* expensis erectam tradunt. Incoluit illam B. Joannes de *Organa*, primus Bellipodiensium Abbas, virtutum & miraculorum famâ toto Principatu longè celebris, cujus pretiosæ exuviæ in antiqua etiamnùm superstite Ecclesia, reconditæ asservantur. (a)

Processu vero temporis, cùm in amœniori

(a) Sumptuosum in Ecclesia Bellipodiensi Sacellum super excitavit B. D. *Bover* Abbas, ad quod jamjam transferenda disponunt Beati illius ossa Præmonstratenses.

loco aliud suscitasset monasterium, *sancti Nicolai de fontibus amœnis* dictum, ab Ecclesia de *Muro* unâ fermè leucâ distans, Dulcia Urgellensis Comitissa; relictâ priori sede, ad novum istud domicilium haud multo post *Muri* incolæ convolantes, Bellipodiensis novi (sic enim denominabatur ad differentiam veteris priùs in *Muro* erecti) cultoribus adunati sunt. Hanc verò Dulciam, Raymundi Berengarii Barcinonæ Comitis, & Petronillæ, ut aiunt, filiam, Armengaudo Urgellæ Comiti, postmodùm autem Sanctio II. Lusitaniæ regi nuptam asserunt varii Scriptores Hispani: (a) Quæ quomodò cum certioribus illius ævi monumentis conciliari queant, prorsùs ignoro.

Esto enim Belli-podii monasterium suos à Dulciæ Urgellensis Comitissæ munificentia natales habuerit; at certè Fundatricem hanc, nec Sanctio copulatam, nec Raymundi Berengarii filiam extitisse probandum nobis incumbit. Priùs tamen discutiendum est quocum ex pluribus illis Urgellæ Comitibus, quos Armengaudi nomine indigitant, matrimoniale fœdus inierit. De tribus tantùm ultimis extat difficultas.

Et quidem copulata non est Armengaudo *de Castella* nuncupato, monasterii Retortensis Benefactori, quidquid in oppositum sentiat noster Mauritius *Dupré*. (b) Quamvis enim conjugem nomine Dulciam habuerit, (c) certum est eam priùs è vivis ereptam, quàm ad Hispanicas oras penetrarint Præmonstratenses. (d) Adde eandem Raymundi, & Petronillæ (quæ circa annum 1135. in lucem effusa est) filiam existere non potuisse.

Neque etiam Armengaudorum ultimo, (qui maribus haud relictis obiit 1208.) Dulcia sociata est; sed altera nomine Alvira, ut constat ex actis conventionum inter eundem Armengaudum & Arnaldum de *Castro-bono*, habitarum, anno 1190. (e) & ex donatione, ab eodem Armengaudo facta præfato Arnaldo, quibus subscribit Alvira Comitissa. (f)

Superest ergo, ut Dulciam hanc Armengaudo *Castelia* filio, nupsisse dicamus. Et sane tempora congruunt: regebat siquidem tunc *Casa-Dei* Abbatiam Bernardus III. cui Bellipodiensis monasterii construendi curam commisit, expensasque subministravit prædicta Fundatrix, ex fastis *Casa-Dei*. Jam vero quòd eadem Dulcia nec Sanctio Lusitaniæ Regi conjuncta, nec Raymundi & Petronillæ filia extiterit, sic conficitur.

1°. Lucius Marineus, (g) & Franciscus Tarapho (h) volunt Armengaudo nostro uxorem fuisse non Dulciam, sed ipsius sororem, alteram Raymundi filiam, nomine Eleonoram, ut ait Hyeronimus Blama. (i) Idem asserunt Petrus Michaël Carbonnel, (k) & Petrus de Abarca, Aragoniæ regni Chronographus, (l) & alii plures, quos ideo laudamus, non ut iis fides adhibeantur, sed ut authores authoribus opponantur.

2°. Qui Comitum Barcinonensium gesta conscripsit Monachus Rivipullensis, author fermè sinchronus, unicam Raymundo tribuit feminei sexûs prolem, nempè *Dulciam, quæ nupsit Regi Sancio Portugalensi.* (m) Ne verbulum quidem habet de matrimonio Dulciæ cum Armengaudo, de quo etiam tacent accuratiores alii Lusitaniæ Scriptores. Et certè improbabilis omnino videtur ea conjunctio, in tanta potissimum ætatis utriusque disparitate: Dulcia quippe non nisi mediante anno 1153. lucis usuram accepit; (n) Ermengaudus autem anno 1154. grandævo Patri, (o) IV. kal. Julii defuncto, jamjam nubilis sufficitur. (p)

3°. Monachus ille Rivi-pullensis, modò laudatus, cui sanè major, quàm aliis novioribus, est adhibenda fides, ait (q) Armengaudum nostrum accepisse *uxorem, neptem videlicet illustrissimi Domini Raimundi Berengarii, supradicti Comitis Barcinonæ.* Non fuit igitur ejusdem Raymundi filia.

4°. Vetus Necrologium Retortense, ad viij. kal. Januar. Dulciæ memoriam agens, hæc habet. *Obiit Dompna Dulcia, Urgellensis Comitissa, quæ fundavit Abbatiam nostri Ordinis, quæ dicitur Bellus-podius.* Eccur obsecro, Urgellensis tantum Comitissæ titulo Dulciam decorasset, si revera decessisset Lusitaniæ throno imposita?

Verumtamen cum ex traditione, in Ordine nostro recepta, & ex allegato Retortensi Necrologio, certum sit Dulciæ Urgellensi Comitissæ Bellipodiensis monasterii fundationem adscribi, probabiliùs conjicimus, hoc nomine insignatam fuisse illam Raymundi Berengarii neptem, quam Armengaudus, anno 1154. Urgellæ Comes effectus, *accepit uxorem.* Huic opinioni, præter jam allegata, favent tabulæ *conventionum & donationis*, superiùs laudatæ, quibus post Armengaudum, & Alviram ipsius conjugem, Dulcia subscribit, hoc modo. *S. Ermengaudi Comitis. S. Alviræ Comitissæ. S. DUL-*

(a) Surita, Tom. 1. Annal. lib. 11. ad an. 1162. Bernardus de *Leon*, lib. VI. Chronic. cap. *de fundatione Bellipodii.*

(b) In brevibus annalibus, ad an. 1154.

(c) *Marc. Hispan* col. 1239.

(d) In Hispaniis non fixere tentoria sua Præmonstratenses ante annum 1136. & tamen jam ab anno 1126. *Arsendim*, thori consortem habebat Armengaudus. *Marc. Hispan.* col 1261.

(e) *Marc. Hispan.* col. 1381.

(f) Ibid. col. 1382. Vide etiam Tom. 1. veter. script. col. 1070.

(g) Tom. 1. Hispan. illustr. fol. 378.

(h) Ibid. fol. 558.

(i) Tom. 3. Hispan. Illustr. fol. 648.

(k) Histor. Hispan. fol. 54.

(l) Tom. 1. Annal. ad an. 1162. fol. 212.

(m) Gesta Comit. Barcinon *Marc. Hispan.* col. 547. suffragatur Alphonsus, Hispaniarum Rex, cognomento sapiens, in sua Chronica, apud *Florian de Ocampo*, fol 96.

(n) Vide Testamentum Petronillæ matris, quo jamjam enixura primogenitum suum Ildefonsum, testatur, & illius regni prospicit, 11. nonas Aprilis 1152 *Marc. Hispan* col 1314.

(o) *Vixit in Comitatu LIII. annis, & mortuus est Christi anno MCLIV.* Ita author Gestor. Comit. Barcinon. *Marc. Hispan.* col. 544.

(p) Ibid. col. 548.

(q) Ibid.

An. 1190. *ciæ Comitissæ. S. Arnalli de Castro-bono*, &c. Ille siquidem subscriptionum ordo insinuare videtur hanc Dulciam fuisse matrem Armengaudi Donatoris, adeoque viduam Armengaudi nostri, qui *fuit anno Domini* MCLXXXIIJ. *sub Ildefonso Rege Arragonum interfectus, cum fratre suo Gaucerando de* Sales *apud Valentiam à Christianis.* (*a*)

Hâc admissâ conjecturâ, novum exurgit argumentum, *Dulciam* Bellipodii Fundatricem à *Dulcia* Lusitaniæ Regina, discriminans: Etenim regnabat adhuc cum Sanctio marito, anno 1190. eadem Raymundi, & Petronillæ nata, adeoque diversa est à Dulcia nostra, quæ prætactis tabulis eodem anno subscribit.

Maternæ pietatis hæres non degener Armengaudus VII. (*b*) Urgellensium Comitum hujus stirpis ultimus, Bellipodiensis monasterii dotem dicitur liberaliter ampliasse. (*c*) Morti siquidem proximus, & paterni sepulchri locum in Ecclesia Bellipodii, ad sui corporis inhumationem eligens, centum quindecim millia librarum aureæ monetæ, monasterio legavit, Regemque Arragonum (*d*) testamenti tabulis institutum Comitatûs hæredem (*e*) legati vadem obligavit.

Beneficorum Principum æmulâ liberalitate, ad honoris & opulentiæ gradum sic excrevit Abbatia, ut in circumjacentes villas, & oppida d'*Avellanes*, de *Thartereu*, d'*Os*, de *Villanova*, de *sancta Lina* spiritualem, & temporalem extenderit jurisdictionem, & Baronis titulo insignitus Abbas, inter Principatûs Proceres judex sedere meruerit, sedeatque ad hanc diem.

Verum tot tamque fatales bellici furoris strages, ultimo potissimum inclinante seculo, subiit Bellipodiense monasterium ut non minorem in spiritualibus, quàm in temporalibus passum sit jacturam, ut resurgendi vix spes affulgeat. Nihilominus mediante sagaci Domini de *Bover* Abbatis prudentiâ & zelo, restaurata sunt ædificia solo fermè æquata, reditus annui redintegrati, & ad vicenarium numerum (quantus ducentis abhinc annis ibidem degere non consueverat) crevit Canonicorum Præmonstratensium turma.

Anno 1557. Hispanicæ Congregationi, ad tenorem Apostolici, & Regii diplomatis, unitum est Bellipodii monasterium, & à Paternitate *Casæ-Dei* subductum; at reformati regiminis impatientes Canonici, paulòpost illud à suis excussêre cervicibus, seseque propriis legibus, nullo ad Patrem Abbatem, nullo ad Congregationem servato respectu, regere cœperunt, regii Senatûs authoritatem unicè venerantes; cui tres à Conventu electos præsentare de triennio in triennium ad vacantem Abbatiam consuescunt, quem maluerit è tribus designanti, unum qui Bullis Apostolicis provideri tenetur. Hanc disciplinæ acephalicæ formam servant usque ad id tempus, magnò regularis vitæ dispendio, & Ordinis dedecori.

Illustres olim è gremio suo fusos, pietate & scientiâ viros gloriatur Bellipodium, nostrâque ætate protulit eximium D. & Patrem Benedictum *Garret*, Episcopum Nicaraguæ in America, Caroli II. & Philippi V. insignem Ecclesiasten, anno 1718. piè in Domino defunctum.

Etat Epistola 114. Gervasii Abbatis Præmonstrati, in qua Willelmum Abbatem Bellipodii, ad Carthusienses secedere volentem, absolvit ab onere Prælationis, & migrare concedit ad austeriorem Religionem. Aliorum seriem non licuit nobis proferre, quia erudito Domino Abbati de *Noriega*, licet pluries, ut votis & laboribus nostris obsecundaret, postulanti, ulteriora denegata sunt documenta.

Præter venerabiles S. Joannis de *Organa* Reliquias, de quibus supra, Sandalium B. M. Virginis, ab Armengaudo Urgellensi Comite, anno 1204. Constantinopolim advectum, ostentant Bellipodienses Canonici.

Prioratus à monasterio pendentes habet Bellipodium S. Nicolaum, de quo inferiùs.

S. Mariam de Bona requie, septem à monasterio leucis disterminum, in lata & jucunda planitie, versùs concham de *Tremp*, in quo resident duo Canonici. Hujus nomenclaturæ « occasionem dedisse ferunt incolæ, & nostri » Bellipodienses, quòd aliquando piissimus ille « Comes Armengaudus latam ac delitiosam ter- « ritorii illius planitiem venationis causâ discur- « rens, & præ lassitudine in loco illo, ubi modò « constructa est Ecclesia, aliquantulùm requies- « cens, sacratissimam cœli Reginam in somnis «

(*a*) Ibid.

(*b*) Surita, lib. VI. Annal. cap. 16.

(*c*) Is erat Alphonsi, seu Ildephonsi, anno 1196. extincti filius, princeps *armis strenuus, probitate clarus*. . . *nobilis in omnibus factis suis*. *Marc. Hispan.* col. 552. Post partam multiplicem de Mauris victoriam, coacto ex suis exercitu numeroso, Tolosam advolat, auxilium daturus Raymundo Comiti Tolosano, qui Eleonoram, prædicti Regis sororem duxerat uxorem, quemque, ut potè Albigensium fautorem, in arcto posuerat Simon Comes Monfortius, Cruce-signatorum exercitûs ductor. Collatis autem ad *Murellum* arcem signis, Monfortius S. Dominici ibidem adstantis, & aliorum piorum monitis roboratus, cum exigua suorum caterva (eum quippè sequebantur octinginta duntaxat equites, & mille pedites) tantâ audaciâ, successu tam prospero irruit in hostes, ut momento temporis exercitum Petri, & fœderatorum, centum hominum millia sub signis habentium, funditus prostraverit, Regemque ipsum cum variis Aragoniæ proceribus obtruncarit, anno 1214. Id. Septembris. *Promptus ad libidinis vitio virtutes, quæ in eo maximæ fuerant, turpiter fœdasse visus est* (*Petrus*) *uxore innocentissimâ repudiatâ propinquitatis prætextu*. Mariana, lib. XII. cap. 11.

(*d*) Istud Armengaudi Testamentum variis bellorum motibus præbuit occasionem. Illo enim sine maribus denato (filiam nempè Aurembiayxem vitâ fruentem relinquebat) hæreditatem ejus protinùs arripuit Geraldus *de Capraria*, ipsius ex sorore nepos. At Urgellensi Comitatui inhians Petrus Aragonum Rex, Geraldum in castro de *Loranz* inclusum obsessit, eumque cum uxore ac liberis captum, in Aragoniam captivum transmisit, Urgellensem Comitatum Dominio suo protinùs annectens. Illius nihilominus possessionem, mortuo Petro anno 1214. transmisisse ad Pontium de *Capraria*, Geraldi filium docet Monachus Rivipullensis, Marc. Hispan. col. 554. contradicente licet Aurembiayxe, quæ Urgellensis Comitissæ nomine audiebat adhuc anno 1230. Marc. Hispan. 520. Jurium vero suorum cessionem fecit Aurembiayx, non Petro, ut perperam asserit Surita, sed Jacobo ipsius hæredi, qui anno 1233. solitis denominationibus honorariis titulum Urgellensis Comitis adjunxit. Nec tamen ex hac cessione pacificam Comitatûs possessionem adeptus est Jacobus, ut videre est Marc. Hispan. col. 529. 554. 555.

„viderit, illum de sua ibidem abscondita imagi-„ne certiorem facientem: quam è somno evi-„gilans diligenter requisitam, ac feliciter in-„ventam, ibidem sub mysterioso præfato titulo „de *Bon-repos* venerandam collocavit, & sui „monasterii de Bellipodio Præmonstratensibus „Canonicis Marianæ Ecclesiæ custodiam, & „regimen, perpetuumque cultum commisit. Ubi in præsentiarum Imago illa miraculosè„ reperta magnâ fidelium devotione, & concur„su colitur. „ Ita noster Noriega, *dissertat Mariano-candida*, pag. 158.

S. Mariam *de la Alegria*, seu *lætitiâ*, Diœcesis Illerdensis. Decem abhinc annis Bellipodiensibus concessus est ille Prioratus, in quo actu residet unus Canonicus.

BELLOZANA.

Bellozana Fil. Insulæ-Dei. Diœcesis Rothomagensis Circaria Normanniæ Australis.

HUgo III. *Gornaci* Toparcha, Hugonis, & Gerardi avorum, christianis virtutibus, & facinoribus bellicis famosissimorum, haud degener filius, postquàm in expugnatione Ptolemaidis herois gloriam sibi pepererat, à Richardo Anglorum Rege, ad pacandam seditionem in Anglia, ab Eliensi Episcopo, Cancellario regni, excitatam improvidè, submissus est mediator. Quali animo inimicos Christi domuerat, tali hostes patriæ compressit, pacis factus interpres, & sequester. Motibus regni feliciter sedatis, *Gornacum*, domesticis negotiis consulturus, petiit, ibique sacro indulgens otio, de ædificanda Ecclesia in *Braii* * saltu, haud procul à domo sua rustica, ut liberiùs divinis vacaret, cogitavit. Majorum exempla pietatem stimulabant abnepotis, & collegia Canonicorum, Monachorum asceteria, claustra Virginum, in agro Brayensi ab eis suscitata, ad simile quid audendum provocarunt. Ergo anno 1195. in nemoroso secessu, binis ab oppido *Gornaci* leucis, octo ab urbe metropolitica Rothomagensi horis, monasterium, collatis ad Canonicorum sustentationem proventibus sat amplis, erexit, & desumptos ex *Insula-Dei* Fratrum manipulos, cum approbatione Gualteri Rothomagensis Archiepiscopi, immisit in possessionem loci, & dotis.

* Bray.

Quia verò repentinis Angliæ necessitatibus ita exigentibus, transfretare cogebatur, opere necdùm consummato, infectam fundationem absolvit redux anno 1198. & stante Gualtero Metropolitâ chartam conscripsit suæ donationis obsidem, quam in ara majori positam, suo munivit apoghrapo.

Non minus Cisterciensium Ordini beneficus extitit Hugo. Illius enim liberalitati Moniales S. Albani, à Bellozana uno vel altero milliari dissitæ, suam debent originem anno 1200. Majora pro Dei honore meditantem abripuit Philippi Augusti Franciæ Regis, in Neustriam invasio, quæ & Joannem Regem Anglorum ditione spoliavit, & Proceres Anglicæ genti addictos, fecit extorres. Fata Regis sui secutus Hugo, jacturam expertus est bonorum, ad annum 1214. improlis vixit, christianè moritur; magno Bellozana luctu Fundatorem planxit, bellis à nativitate penè attrita: prædiis *Gersia*, & *Garnesia*, * quæ ex munificentia Regis Joannis tenebat in feodum, miserabiliter denudata, grandiori postmodùm clade seculo XIV. afflicta, decorem deperdidit suum, sensim deperditura & nomen, nisi ad interitum festinantem, ultronea Dei compatientis benignitas, nostris temporibus suscitasset Patrem Henricum *Bluvete*, Parisinum origine, œconomiâ præcipuum, zelo spectabilem, qui dispersos Sanctuarii lapides collegit religiosè; dissipata prædia strenuè vindicavit, & ruinosam undequàque domum, à fundamentis excitavit, ornavitque ita, ut nunc Bellozana splendeat in templi parietibus, fulgeat in ædificiis, & mystarum duodenario numero gaudens, sacris nocte & die, operetur decenter.

* Jersey, & Garnesey.

Ut primùm verò in Neustriæ possessionem pervenerunt Galliæ Reges, Fundatoris assumpsere nomen in chartis Bellozanæ, & quotquot à Richardo, & Joanne Anglorum Regibus beneficia dimanarant, sibi arrogarunt; novisque diplomatibus priora confirmantes, nonnullas adjecerunt largitiones: quas inter, eminet hæditaria Canonicatûs sancti Hildeverti apud *Gornacum* unio, quam Carolus VI. an. 1399. fecit in gratiam Abbatis, & ad compensationem damnorum, quæ Bellozana pertulerat ab ingruente bello, & gladio vastatore.

I.

RADULPHUS ex *Insula-Dei* submissus, Abbas primus Bellozanæ præfuit.

II.

GUILLELMUS, in charta Roberti Archiepiscopi Rothomagensis, anni 1212. recensitus.

III.

ELERIUS anno. 1233.

IV.

DURANDUS primâ die Februarii, sed anno incerto, Abbas Bellozanæ refertur in Obituario *Blanchalanda*.

V.

RICHARDUS ad diem XI. Decembris, ibidem notatur Abbas Bellozanæ.

VI.

GUILLELMUS II. in charta anni 1330. sistitur Abbas.

VII.

VII.

JOANNES *MARTIN* vitâ defungitur an. 1338.

VIII.

NICOLAUS mensarum divisionem instituit anno 1350. die 3. Octobris.

IX.

GUILLELMUS III. in Obituario *Lucernæ* ad diem 3. Decembris.

X.

ANDREAS *HESTREL*, anno 1388. locavit feodum Bellozanæ nuncupatum, in Insula Jerseiæ, ex munificentia Regum Angliæ descendentem.

XI.

JOANNES *BRUNET* anno 1403. florebat.

XII.

MATHÆUS anno 1411. Anniversarium solemne, pro parentum suorum solatio, fundavit.

XIII.

HUGO *PARENT* ad annum 1440. rexisse colligitur ex tabulis.

XIV.

JOANNES *PINART*, Abbatem egisse ad an. 1466. ex monumentis evincitur.

XV.

JOANNES *LE CLERC*, ex Priore de *Thil*, in Abbatem assumptus, obiit anno 1499.

XVI.

JOANNES *BOUDET*, antea S. Luciani Pastor, fatis fungitur anno 1518.

XVII.

ANTONIUS *D'OUTRELEAU*, excessit è vivis anno 1521.

XVIII.

ROBERTUS *COPPIN*, ex Priore factus Abbas, comparet in tabula de die 11. Octobris 1521. Obiit eodem anno mense Decembri, post aliquot menses regiminis.

XIX.

MICHAEL *LE LONG*, Baccalaureus Theologus, *Fiscani* Monachus, & Prior de *Vesquemont*, ad præsentationem Francisci I. Regis, à Capitulo electus. Obiit 6. Maii 1539. tumulatus est in Sanctuario.

XX.

HERALDUS *DE SERVISA*, Abbas Commendatarius, esse desiit anno 1543.

XXI.

FRANCISCUS *VATABLE*, seu *GUESTEBLED*, celebris in Academia Parisiensi, Hæbraicæ linguæ Professor regius, Abbatiam adiit anno 1543. quam, morte interveniente, dimisit an. 1547.

XXII.

JACOBUS *AMIOT*, vir eruditissimus, Historiæ Æthyopicæ, & Vitarum Plutarchi, interpres gallicus, ex dono Francisci I. Bellozanam obtinet, Galliæ Proto-Eleëmosynarius, & ejus in Concilio Tridentino Orator, magna ubique specimina doctrinæ edidit. Anno 1592. vitâ defungitur, qui ab anno 1564. Abbatiam dimiserat, quam ex cessione capessivit

XXIII.

PETRUS *RONSART*, Poëta suo tempore famosus. Regendo beneficio, nec à natura, nec à Deo destinatus, Abbatiam sponte abdicavit in favorem

XXIV.

JOANNIS *MOMMONT* anno 1564. qui per resignationem cessit anno 1576.

XXV.

JOANNES *TOUCHART*, Caroli Borbonii Cardinalis Vindocinensis Pædagogus, ejusdemque in Rothomagensi Ecclesia major Archidiaconus, litteris græcis & latinis ornatissimus, cujus eruditionem præclara ingenii monumenta testantur, Abbas Bellozanæ renuntiatur, & post fata Ludovici de *Brezé*, Meldensis Episcopi, successor ei designatus est, sed mors Bullarum expeditionem prævertit.

XXVI.

CAROLUS *BROSSIN*, Dominicanus professione, Ducis Meduanæ Ecclesiastes, Abbatiam adipiscitur.

XXVII.

JOANNES *RENARD*, Pastor de *Montjavoux*, propè Gisorsium, suffectus Carolo *Brossin*, obiit anno 1626.

XXVIII.

JOANNES *COTNARD* ad annum 1668. gessit Abbatiam, quam senio fractus resignavit

XXIX.

JACOBO *DE FIEUX*, qui Episcopatûs Tullensis Coadjutor à Rege nominatus anno 1675. & Episcopus factus paulò post, Abbatiam fratri suo transmisit

XXX.

STEPHANO *DE FIEUX*, Vicario generali, Officiali, & majori Archidiacono Rothomagensi, die 21 Novembris 1694. donato.

XXXI.

PETRUS DE *HANGEST d'Argenlieu*, Præpositus S. Gervasii Suessionensis, die 28. Maii, anni 1701. decessit.

XXXII.

DYONISIUS *LEGER*, sacræ Parisiensis Facultatis Doctor, Archidiaconus Andegavensis, & Vicarius generalis, sacræ Capellæ Canonicus, ædes Abbatiales restituit, & decorem domûs Dei totus diligens, sedulam ornatui illius operam adhibet.

PASTORATUS.

Sancta Margareta Bellozanæ.

Breve Monasterium, gallicè, *Brémontier*, cum filiali sancti Leonardi de *Merval*.

S. Lucianus.

S. Petrus de *Elboto*, vernaculè, *Elbeuf*.

Sta Maria *du Thil*, cum succursali de *Riberpré*. Omnes in Diœcesi Rothomagensi consistentes.

Prioratus Vallis Guyonis, olim Conventualis, in Diœcesi Carnotensi.

Præbenda Canonialis in Ecclesia S. Hilderverti Gornacensis.

Vide Probat. à col. ccxxx. ad col. ccxxxvij.

BELLUM CAPUT.

Bellum Caput. Fil. Welbeci Diœcesis Cicestrensis. Circa. in Anglia Mediana. * Dorvent. * Derby.

AD Montium radices, secùs *Derventionis* * alluentis ripas, in Comitatu Derbiensi, * & intrà Episcopatûs Cicestrensis fines, Robertus Baro d'*Alfreton*, Dominus de *Norton*, & de *Marnham*, in expiationem sacrilegi facinoris, & cædis violentæ, quam B. Thomæ Cantuariensi Episcopo intulerat IV. Kal. Januarii anno 1170, vel 1171. secundùm Anglos, annum à Nativitate Domini tunc incipientes. Ecclesiam in ejus honorem, & in proprio fundo, qui *Beauchief* vernaculo idiomate dicebatur, exstruxit, ibidemque evocatos è *Welbeco* Canonicos sub Abbatis præfectura collocavit. Pro sceleris, seu veriùs, pro doloris modo, modum æquavit piæ liberalitatis Fundator. Quatuor parochiales Ecclesias, quarum jus patronatûs exercebat, in patrimonium Abbatiæ delegavit, decimas, agros, molendina, prædia junxit, contulitque, ad subsidium vitæ Canonicorum, quos apud sanctum Martyrem deprecatores veniæ constituerat. Willelmus Roberti filius, paterni criminis haud conscius, in eluendo ejus parricidio, aut in amovenda maledictione, quam tantum nefas ad posteros trahere poterat, piè sollicitus, dotem auxit multiplici beneficio. Hunc seri nepotes imitati, diversis temporibus, diversas, ad cultûs incrementum, & ad emerendam B. Martyris intercessionem, contulerunt possessiones, Eduardi II. Regis approbatione roboratas.

* Originem, & originis causas celebris hujusce monasterii ex archivis recensitas, nonnihil elevat historia martyrii S. Thomæ Cantuarensis Archiepiscopi. Testibus enim Mathæo Paris, & Hectore Bohetio, Anglorum illo gentis, isto Scotorum, Historiographis, nullus sicariorum quatuor, qui Thomæ, lethali vulnere, vitam sustulerunt, *Roberti* nomine appellabatur, nec *Alfretoniæ* cognomen habebat. Cùm Archiepiscopus, cum Clericis suis, inquit Paritius, in thalamo resideret, Villelmus de *Fraci*, Reginaldus filius *Ursi*, Hugo de *Marv le*, & Richardus *Brito* de Normannia, venientes tanquam furiâ injecti, subitò in thalamum irruperunt &c. Per quatuor suos familiares (Henrici Regis) ait Bohetius, Willelmum *Breton*, Hugonem *Morveil*, Willelmum *Fraci*, & Reginaldum *Fittes*, contra fidem datam.... fœdissimè, crudelissimèque trucidavit, quanquam id posteà negaverit, (Henricus Rex.)

* Math Paris in vitâ Henrici II. sub an. 1171. Bohetius lib. 13 hist. Scotor. vide etiam Herbertum in hist. quadripartita.

Certè integrâ fide dùm Scriptores illos legimus, nutat fides historiæ monasterii, ambigitque animus, an suppares historicos, in narrationem concordes, an potiùs innatam traditionem monasterii in membranis vetustioribus ab exordio exaratam, debeat adoptare. Forsan authores ambo in nominum appellatione erraverunt, in quem errorem vix lapsum credas coævum fundationis Scriptorem. Ut ut sit, non ante annum 1170. potuit hæc Abbatia ædificari, cùm hoc tantùm anno, sanctum Thomam, cui nuncupata fuit, in sanctorum numerum publico Diplomate retulerit Alexander III. ipso Cinerum die.

Culpandus hîc, ut alibi, Editor Monastici Anglicani, qui contrà Chartarum exertam fidem, *Bellum caput* Prioratibus accenset, quod Abbatiæ titulo fulgens legit in Diplomatibus, potissimùm in Eduardi II. confirmatione, quam hic annectimus.

Charta Eduardi II. Regis Angliæ, donationes Fundatoris, & donatorum beneficia recitans & approbans.

REx omnibus ad quos, &c..... salutem. Donationem quam Robertus filius Ranulphi fecit Deo & sanctæ Mariæ & sancto Thomæ Martyri & Fratribus in Ordine Præmonstratensi professis, de loco qui dicitur *Beauchief* cum pertinentiis, qui in *Dorhesele* situs est, ad Abbatiam construendam & de Ecclesiis de *Norton*, *Alferton*, *Wimandeswald*, & *Edwaldeston*, & de molendinis de *Norton*, cum omni multura, & operibus suis, & de sarto Hugonis juxta *Meresbrox* & uno

* Idem quod pannagii apud Anglos. Pannage significans pecuniam solutam pro pascendis porcis sive glandatione.

tofto in *Leys*, & uno tofto juxta domum Alani, & de tota decima Pannagii * totius terræ suæ & de duabus bovatis terræ in *Wimandeswald* de dominio suo, & de uno tofto continente tres acras terræ cum pertinentiis. Donationem etiam & confirmationem quas dictus Robertus fecit præfatis Fratribus de una bovata terræ in *Wimandeʃ-wald* quæ fuit Alexandri cum tofto suo, & de una bovata terræ quæ fuit *Lunechild* viduæ cum pertinentiis. Donationem etiam & confirmationem quas idem Rogerus fecit eisdem Fratribus de loco qui dicitur *Broxhirst* cum pertinentiis. Donationem etiam & confirmationem quas Willielmus filius Roberti fecit eisdem Fratribus de molendino de *Aston* cum omni multura.

Donationem, concessionem, & confirmationem quas Robertus filius Willielmi de *Alfertona* fecit eisdem Fratribus de illa terra cum pertinentiis quam Helias de *Trowey* de eo tenuit. Donationem etiam, concessionem & confirmationem quas idem Robertus fecit Canonicis prædicti loci de sexaginta acris terræ per perticam viginti quatuor pedum in *Alferton* cum bosco supercrescente. Donationem etiam, concessionem & confirmationem quas idem Robertus fecit eisdem Canonicis de tribus acris terræ per perticam viginti quatuor pedum juxta rivulum qui descendit de Abbatia ad majorem rivum de *Shewe* ex parte Aquilonis, & de una libra cimini de terra de *Sireokkes*. Donationem, &c. quas idem Robertus fecit eisdem Canonicis de viginti quatuor acris terræ per perticam viginti quatuor pedum in *Nortone* cum bosco supercrescente. Donationem, &c. quas Thomas filius Willielmi de *Chanvorth* fecit prædictis Canonicis de una bovata terræ cum pertinentiis quam Adam filius Joannis *del Cliff* aliquando tenuit de ipso in *Nortona*, & de quinque acris assarti cum uno parcello in bosco de *Nortone* quas idem Adam de ipso tenuit, & de ipso Adam cum tota sequela sua & eorum catallis & de una bovata terræ in *Bradewaye* & de octo acris assarti in eodem bosco de *Nortona* cum pertinentiis quas Thomas filius Hugonis de *Bosco* de ipso tenuit & de ipso Thoma cum tota sequela sua & eorum catallis, & dimidia bovata terræ cum pertinentiis in *Cokshet* quam Wynora de ipso tenuit & de ipsa Wynora cum tota sequela sua & eorum catallis & de uno assarto cum uno tofto, cum pertinentiis in eadem villa, quæ Henricus le *Bercher*, de ipso tenuit, & de sex acris terræ cum pertinentiis jacentibus juxta aquam de *Sewe*, quas Richardus de *Mora* de ipso tenuit, & de quatuor vigintia cris terræ cum pertinentiis in Bosco de *Nortone* jacentibus ex parte Aquilonari parci Abbatis & Conventûs de *Beauchief*. Donationem etiam, &c. quas prædictus Thomas fecit Abbati & Conventui loci prædicti de XVIII. sol. reditûs quas Robertus le *Redsmith* sibi reddere consuevit pro tenemento quod de ipso tenuit in *Swanwyk* juxta *Alfertone* cum pertinentiis, & de illo toto assarto cum tofto & crofto & pertinentiis, quod Rogerus Faber de ipso tenuit in *Birchewode* in soca de *Alfertone* & de una bovata terræ cum pertinentiis, quam Adam de *Birchewode* de ipso tenuit in eadem villa, & de tota illa terra cum pertinentiis, quam Rogerus le *Bercher* de ipso tenuit in prædicta soca de *Alfertone*, & de toto illo assarto quod vocatur *Robert Rideings* cum pertinentiis, & de duabus solidatis reditûs de tenemento quod Rogerus *Mous* tenuit in *Alfarton*, & de duobus denariatis reditûs, de tenemento quod Nicolaus *Thorald* de ipso tenuit in *Alfertone* & de illa bovata terræ cum pertinentiis, quam Richardus *Horeghe* de ipso tenuit in *Bradeweye*, & de Roberto *del Grene* nativo suo cum tota sequela sua & omnibus catallis suis; & de toto tenemento quod de ipso tenuit in bondagio in soca de *Nortone* cum pertinentiis. Donationem, &c. quas idem Thomas fecit, &c. de tota illa terra cum pertinentiis, quam Richardus de *Mora* de ipso tenuit in *Cokshete*. Concessionem, &c. quas idem Thomas fecit, &c. de toto illo assarto integrè cum pertinentiis in Bosco de *Nortone*, jacente ex parte Aquilonari parci dictorum Abbatis & Conventûs cum tota longitudine & latitudine usque ad filum aquæ de *Sheve*. Donationem, &c. quas idem Thomas fecit, &c. dictis Canonicis de uno tofto & crofto cum ædificiis & pertinentiis suis in *Cokshete*, quod Joannes Faber de ipso tenuit & de uno cartilagio in *Aufertone* juxta horreum prædictorum Canonicorum. Donationem, &c. quas idem Thomas fecit prædictis Abbati & Conventui de tota illa placea terræ, quæ vocatur *Cyclif*, cum bosco supercrescente. Donationem, &c. quas idem Thomas fecit, &c. de tota illa terra quæ vocatur le *Whitex* & de duodecim acris terræ in loco qui vocatur *Barsfelds* & de illa placea terræ quam Petrus *Textor* de ipso tenuit in *Alfertone*. Donationem, &c. quas idem Thomas fecit, &c. de quodam assarto, quod Robertus *Forestarius* de ipso tenuit juxta bercariam dictorum Canonicorum, & de tribus acris terræ quas Robertus *del Childre* de ipso tenuit juxta clausum dictorum Canonicorum; & de octo acris terræ & dimidia quas Ranulphus de *Storches* de ipso tenuit; & de quinque acris terræ & dimidia, quas Richardus *Everard* de ipso tenuit in *Alfertone* cum pertinentiis. Donationem, &c. quas idem Thomas fecit, &c. de tota illa terra cum pertinentiis, quam Thomas de *Bosco* & Willielmus *Tynet* de ipso tenuerunt in le *Wodesetes*. Donationem, &c. quas idem Thomas fecit, &c. de tota illa bovata terræ cum toftis, croftis, ædificiis & omnibus aliis pertinentiis suis, quam Richardus *Hore* de ipso tenuit in *Bradewaye*. Donationem, &c.

quas idem Thomas fecit, &c. de illo annuo reditu quinque solidorum, quem sibi solvere consueverunt pro illa terra quam dicti Abbas & Conventus de eo tenuerunt in soca de *Nortone*. Donationem, &c. quas idem Thomas fecit, &c. de libero & quieto passagio habendo ad feriam suam de *Marnham* tam terris quàm familiæ suæ, de Abbatia prædicta & de omnibus aliis locis suis, cum omnibus animalibus, rebus ac cariagiis suis quibuscumque, & quandocumque opus habuerint in meliori navigio feriæ suæ prædictæ. Donationem, &c. quas idem Thomas fecit de una placea terræ jacente ex parte Occidentali aulæ suæ in *Alfertone*. Donationem, &c. quas Thomas de *Chaworth* Miles, Dominus de *Nortone*, fecit dictis Abbati & Conventui de toto illo hameleto in soca sua de *Nortone* quod vocatur *Grenehill* simul cum mora de *Grenehill*, & cum homagiis, wardis, releviis, &c. & de omnibus terris & tenementis quæ Hugo de *Parva Nortone* de ipso tenuit in Villenagio in parva *Nortone*, & *Wodesetes*, & de ipso Hugone cum tota sequela sua & omnibus catallis suis. Remissionem, &c. quas idem Thomas fecit, &c. de duodecim solidis & octo denariis reditûs, quas præfati Abbas & Conventus sibi reddere solebant pro diversis tenementis quæ de ipso tenuerunt in *Alfertone* & *Nortone*. Donationem, &c. quas idem Thomas fecit, &c. de omnibus terris, &c. quæ de ipso tenentur in Villenagio in *Wodesetes* juxta *Nortone*; & de omnibus villanis suis ibidem cum totis sequelis suis & omnibus catallis suis. Donationem .... quas idem Thomas fecit, &c. de Rogero de *Brandewaye*, Gilleberto de *Brandewaye*, & *Emma* ad novum molendinum, nativis suis, cum omnibus catallis, sequelis, sectis, & serviciis suis, & cum omnibus terris, toftis, croftis, & ædificiis quæ de ipso tenuerunt in *Nortone*. Donationem, &c. quas idem Thomas fecit dictis Abbati & Conventui de toto Wasto quod jacet inter terras & tenementa sua, quæ habent inter socas de *Alfertone* & *Nortone* cum pertinentiis, & de terrâ ubicumque eisdem necesse fuerit per totum Wastum suum ad fossas suas ampliandas & levandas capiendum, & de terra & turbis ad domos suas emendandas & cooperiendas. Donationem, &c. quas idem Thomas fecit de licentia & libera potestate ad carbones fodendos, levandos, asportandos & cariandos ad utilitatem & profectum suum, & eorum tenentium tam liberorum, quàm nativorum quotiescumque sibi necesse fuerit, tam in terris tenentium dictorum Abbatis & Conventûs, quàm in terris suis propriis & Wastis inter terras suas infra socas de *Alfertone* & *Nortone*. Concessionem etiam quam idem Thomas fecit, &c. de terris suis & terris tenentium suorum tam liberorum quàm nativorum à goldis mundandis per se & suos secundùm consuetudinem in socis de *Alferton* & *Nortone* usitatam.

Donationem, &c. quas Lucas filius Warneri de *Beygle* fecit dictis Canonicis de tota terra, quæ vocatur *Harewode* cum pertinentiis; & de pastura ad quadraginta vaccas & duos tauros cum exitu duorum annorum & ad decem equas cum exitu trium annorum & ad boves carucarum suarum; & ad octingentas oves & triginta porcos, & ad quadraginta capras per omnem communiam de *Beygle*, undique & ubique, & de concessione liberi *eschap*, de omnibus animalibus prædictis. Donationem, &c. quas Radulfus *Musard* fecit dictis Canonicis de Villula de *Hauley* cum hominibus absque ullo tenemento. Donationem, &c. quas idem Radulfus fecit, &c. de tota terra quam habuit in villa de *Wadeself* cum pertinentiis, & cum hominibus & eorum serviciis. Donationem, &c. quas idem Radulfus fecit dictis Canonicis de tota terra cum bosco superexistente in *Hauley* cum multuræ libertate. Donationem, &c. quas Radulfus *Musard* filius Radulfi *Musard* fecit, &c. de tota terra & toto prato in *Hinkersthull*, de feodo de *Staveleye*. Donationem, &c. quas Walterus de *Furneus* filius Roberti de *Furneus* fecit, &c. de tribus bovatis & una acra terræ & duobus toftis in *Birlay*; & de una placea prati in *Bettona* quæ vocatur *Ormesmedwe*; & de duabus acris terræ & dimidia quæ vocantur *Ormesland*. Donationem, &c. quas Willielmus filius Andreæ de *Hetone* fecit dictis Canonicis de viginti solidis reditûs percipiendis de tenentibus suis in *Goltborp*. Donationem, &c. quas Joannes filius Richardi *Daniel* fecit dictis Canonicis de undecim solidis reditûs cum pertinentiis in *Swynstone* & *Billingley*. Donationem &c. quas Gerardus de *Furnival* fecit dictis Canonicis de pastura Herbagii in foresta sua de *Folwode*, sufficiente ad tringinta vaccas & ad earum exitum trium annorum, & de una acra terræ in eadem foresta ad logias faciendas ad prædictas vaccas. Donationem, &c. quas idem Gerardus fecit dictis Canonicis de viginti solidis reditûs percipiendis de molendino suo de *Sheffeild*. Donationem, &c. quas Mathildis de *Lovetot* fecit dictis Canonicis de una marcata reditûs percipienda de molendino suo de *Sheffeild*. Donationem etiam & confirmationem quas eadem Mathildis fecit dictis Canonicis de tota eleemosyna quam Gerardus de *Furnival* vir suus, eis dedit. Concessionem etiam & confirmationem quas Thomas de *Furnival*, Dominus de *Halumshire*, fecit dictis Abbati & Conventui de grangia sua de *Folewode*, & de totâ terra ad prædictam grangiam pertinente cum pertinentiis, & de communia pasturæ sufficiente, in liberis chaceis & pasturis suis de *Folewode* & *Rynelingdene*, ubique ad omnia animalia sua, exceptis capris;

& de omnimodo aisiamento bruerii, quarrerii, turbarii, juncti & freugerii ad domos suas cooperiendas, & alia necessaria sua facienda, & de terra de Wasto suo sufficienter capienda ad fossas suas emendendas & relevandas. Donationem, &c. quas Thomas de *Furnival* filius & hæres Thomæ de *Furnival*, filii Gerardi de *Furnival*, fecit dictis Abbati & Conventui de quatuor acris prati cum pertinentiis in *Sheffelde*, in *le Bradenge* ex parte occidentali de *Hallexer*. Donationem, &c. quas Willielmus *Barre* de *Tivershol̄te* fecit dictis Canonicis de una bovata terræ cum duobus toftis & croftis, cum pertinentiis in *Staneleia*, & de pastura trecentis ovibus, viginti vaccis, uni tauro & octo equabus cum toto exitu suo tam vaccarum quàm equarum, donec sit trium annorum, & sexdecim bobus, & de communia ad necessaria sua facienda in bosco & plano. Donationem, &c. quas Willielmus filius Galfridi de *Stanleia* fecit, &c. de octo placeis terræ divisim jacentibus cum pertinentiis in *Stanleia*. Donationem, &c. quas Willielmus filius Radulfi *Barry* de *Tiversand*, fecit &c. de dimidia marcata reditûs cum pertinentiis, quam Willielmus filius Galfridi de *Stanley*, ei reddere solebat. Donationem, &c. quas Gervasius de *Bernax*, fecit &c. de toto reditu cum pertinentiis in *Brom*, quem emit de Jordano *Hering* de *Heringthorp*. Donationem, &c. quas Robertus filius Radulfi de *Reresby*, fecit &c. de quatuor solidatis & quatuor denariatis reditûs percipiendis de terra quam Rogerus de *Marxham* quondam tenuit de eo in soca de *Cassover*. Donationem, &c. quas Richardus *del Bernes*, fecit &c. de duobus messuagiis & duobus toftis cum pertinentiis in *Ashover*. Donationem, &c. quas Lucas de *Beigle*, fecit &c. de reditu dimidiæ marcæ in molendino suo de *Beygle*. Donationem, &c. quas Sarlo filius Vaneri de *Begley*, fecit dictis Canonicis de dimidia marca in molendino suo de *Begley* annuatim percipiendi. Relaxationem, &c. quas Thomas de *Chawvorth*, fecit &c. de toto illo servicio calcarium deauratorum quæ sibi annuatim solvere tenebantur ad Pascha, pro tota illa terra & tenemento cum pertinentiis, quæ de ipso tenuerunt in *Wymondwold*, & quæ habuerunt de dono Rogeri de *Allirtone*. Concessionem, &c. quas Thomas de *Chawvorth*, filius Willielmi de *Chawvorth*, fecit &c. de omnibus terris, &c. quas iidem Abbas & Conventus habent de dono & concessione Thomæ de *Chawvorth* avi sui, cæterorumque antecessorum suorum in *Wymondwold* & *Marnham*, & in socis de *Nortone* & *Alfertone*. Remissionem, &c. quas Willielmus filius Richardi filii Alani de la *Bradwaye*, fecit &c. de toto jure & clamio quod habuit in tota illa terra cum pertinentiis quam Petrus de *Birchehewed*, dedit prædicto Richardo Patri suo, in liberum maritagium cum Margeria filia sua. Remissionem, &c. quas Thomas filius Rogeri, filii Adæ *del Clyf*, fecit &c. de toto jure suo & clamio quod habuit in tota illa placea prati quod vocatur *Mosexer*, & de duabus acris terræ in le *Wodesetes*. Remissionem, &c. quas Rogerus filius Willelmi de *Holyns*, fecit &c. de toto jure & clamio quod habuit in toto illo tenemento cum pertinentiis, quod habent de dono & concessione Willielmi de *Holyns* Patris sui, in le *Holyns* habendas & tenendas in puram & perpetuam eleemsynam præfatis Abbati, Fratribus & Canonicis & successoribus suis ratas habentes & gratas eas pro nobis & hæredibus nostris, &c. Confirmamus, &c. Teste Rege apud *Lincoln*. xx. die Februarii.

BELLUS-CAMPUS.

Bellus-Campus. Fil. Corneoli Diœcesis Bisuntinensis Circaria Burgundia.

UNo quadrante ab oppido Montis-bellicardi distans, ad Dubis * oras, in amœnâ planitiè situs est Bellus-campus, gallicè *Belchamps*, Ordinis Præmonstratensis Abbatia, Comitum Montis-bellicardi religiosum opus, *Corneoli* spiritalis soboles, nunc enecta à Wirtembergicæ gentis Principibus, Comitatûs Montis-bellicardi ex Henrica, ultima Henrici Comitis prole, hæredibus, ab anno 1394.

* Le Doux.

Hujus cœnobii natales, & Fundatorem non exhibent *Corneoli* parentis origines, non referunt Bisuntinensis Ecclesiæ fasti; istud prætermisit san-Marthani *Gallia Christiana*. Sub Archiepiscopi Humberti temporibus, avitos è *Corneolo*, & in *Bellum-campum* immissos fuisse Canonicos, testatur Humberti successor Theodoricus de *Monte-falconis*, in charta compositionis & consecrationis Ecclesiæ Belli-campi, anno 1183. conscriptâ. At quoniam ab anno 1134. ad annum 1161. Bisuntinensem Ecclesiam rexit Humbertus, arduum est assequi annum in longævi regiminis decursu, quo præcisè Corneolenses iniere possessionem Belli-campi. Inaugurationis Ecclesiæ epocha, nec seram, nec proximam evincit monasterii erectionem. Solebant enim nostri à fundationis limine, intra Oratorii angustias decantare laudes Deo, nec apponebant manum ad amplioris templi structuram, donec benefactorum liberalitas, quandoque festina, quandoque tarda, sumptus impendisset necessarios ad perficiendum: & certè rem in exemplo Belli-campi elucidatam conspicimus; licet enim ante annum 1161, qui fuit Humberti supremus, Præmonstratenses Bellum-campum incoluerint, attamen anno tantùm 1183 à successore ejus Theodorico dedicata est Monasterialis Ecclesia.

In quæstione obscura, quam originaria fundationis charta eliquaret, ut dicam quid sentio probabilius; opinor Belli-campi fundamenta anno 1156. vel circiter, locata à Theodorico III. Comite Montis-bellicardi, quem ad hanc ætatem vixisse suspicor; vel ab Amædeo *Montis-Falconis* toparcha, qui improli avunculo suo Theodorico successit ex matre hæres. Opinionem vel emendabit, vel confirmabit Archivista Montis-bellicardi, dum ad Reipublicæ litterariæ votum, ereptas manu hostili chartas à Principibus, obsequiosâ manu restituet luci publicæ per typographiam.

Paucas è vastatione subductas, eruimus ex Corneoli scriniis. Harum prior est, donatio annualis censûs centum solidorum super salinas oppidi Salinensis, facta in pervigilio Pentecostes anni 1261. ab Joanne Burgundiæ Principe, in gratiam Belli-campi. Altera est Mathildis Borboniæ, Odonis Comitis Burgundiæ conjugis, quâ Abbatiæ eidem triginta solidos, ad animæ suæ & sponsi sui Odonis, delegat annuatim. Tertia est, Margaretæ Cabilonensis, vulgo de *Châlon*, Comitissæ Montis-bellicardi, & Hugonis de Burgundia Aballonis * dynastæ, conjugis, anni 1388. quâ capellam à se exstructam in Ecclesia Belli-campi, dotat annuo censu francorum quindecim, assignato super salinas. Ultima est Maximiliani Romanorum Imperatoris, & Philippi Archiducis Austriæ 8. Decembris 1493. confirmantium pias prædecessorum Burgundiæ Principum donationes.

* Avallon.

Veteris ævi monumenta imo & medii, cùm deficiant, seriem Abbatum ab exordio repetere, aut ad temporum rationem deducere non aggredimur. Unum legimus in antiquis extitisse Abbatem Humbertum nomine, qui anno 1189. visitur inter testes donationis parochiæ de *Montigny*, traditæ à Theodorico Archi-præsule Bisuntinensi, pauperrimæ domui *Grandigurgitis*. Hoc Abbate regente, Ecclesiam Belli-campi Archiepiscopus idem inauguravit anno 1183. Ab Humberto ad annum 1400. intercipitur Abbatum catalogus in arce Montis-bellicardi sub captivitate gemens. Posteros ex documentis Corneoli expiscabimur. Illorum antesignanus erit.

REGINALDUS DE *CAMPELLO*, quem anno 1403. Pontius de *Petra-jovis* (Pierre-jus) canonicè visitavit, quà Pater Abbas Belli-campi.

VALCHERIUS DE *ALBIS*, Reginaldi successor, à Gerardo de *Arcu*, Patre Abbate, visitatus est anno 1415.

Anno 1457. ad postulationem Religiosorum Belli-campi, Gerardus *Lauternier* Corneoli Abbas, litem & informationem juridicè instruxit, contra Joannem *Blanchon* Belli-campi Abbatem, & convictum de excessibus, exautoravit Pater Abbas 20. Augusti.

Anno 1511. GUILLELMUS *FALLOT* Abbas Belli-campi, de consensu Patris Abbatis Joannis de *Marmier*, prælaturam resignavit Patri Joanni *Vaucher*.

JOANNI *VAUCHER* demortuo suffectus est anno 1524

JOANNES *LAICHOT*, cui successit anno 1531.

HUGO *JAIGUIN*, qui paternam Abbatis Corneoli jurisdictionem detrectans, autoritate Capituli generalis anni 1532. per Abbatem S. Martini Vicarium generalem Burgundiæ, ad reverentiam & obedientiam patri Abbati præstandam, sub interminatione coactus est. Obiit anno 1547. & cum illo Belli-campi egregia facies, flatu hæretico cœpit marcescere. Hoc quippe anno Georgius Wirtembergicus Princeps & Comes Montis-bellicardi, ad Lutheri sectam abreptus, furere in religiosos & religionis jura invadere exorsus est. Petrum *Vourron* Canonicum Belli-campi, posthabitâ electione Fratrum, instituit Princeps Abbatem, Capitularibus in Principis ausum non audentibus palam assurgere. Sed Corneoli Abbas vindex disciplinæ & sui juris, P. Nicolaum *Avesne* Pastorem d'*Angirrai*, paternâ quâ ipollebat authoritate, Abbatem nominavit, & ntruso dedit æmulum. Inter competitores jurgium, Comitem inter & Abbatem Corneoli ingens prodiit discordia. Ne alter succubuisse videretur alteri, medius surrepit inter utrumque sequester pacis, qui servato quadamtenùs utrique suo jure, litem sic diremit, ut institutus à Comite Abbas, in possessione maneret; & Nicolaus *Avesne* à Patre Abbate nominatus, in Coadjutorem asciceretur dotatus annuâ viginti quatuor aureorum pensione. Compositioni annuit Antonius *Perchel* Abbas Corneoli & subscripsit 14. Augusti 1548. ut Principis benevolentiam demereretur, cujus iram experiri periculosum fuisset, fervente hæresi.

Anno 1551. humanis exempto Petro *Vourron*, Abbatiam adiit Coadjutor, sed possessorem non sivit Princeps esse diù pacificum. Officium Ecclesiasticum suspendit & organa, & quod maximum erat inclementiæ complementum, passus est Abbatem & Canonicos, violentâ manu protrudi ex cœnobio, à furentium civium turma; fingensque conjurationem nec suasisse, nec probare, proscriptum Abbatem hospitio & mensâ excepit. Gravem sibi & aulicis hospitem ægrè ferens, paulòpost jussit secedere ad pastoralem curam, quò posset liberiùs in bona monasterii irruere. Equidem amoto Abbate, suppellectilem sacram, codices, diplomata, omnemque substantiam monasterii arripuit Princeps, & fundos addixit fisco. Depredationem eminùs audiit Abbas, & vivaci correptus dolore, interiit anno 1554.

Quamvis omnem recuperandi monasteri spem eriperent Principis cupiditas, & inopina sævities, nihilominus visum est Abbati Corneoli satius esse nomen & titulum Abbatiæ Belli-campi transmittere ad successorem, quàm oblivione sepelire, ut si aliquando arridens temporum felicitas permitteret, titularis habens jus ad rem, faciliori viâ, Abbatiam restitueret

Ordini post liminio. Igitur Reginaldum *Mailly* præfecit Abbatem, & solemni quantùm licuit, possessione, immisit in jura Abbatiæ. Proventus à parte Burgundiæ fecit suos Reginaldus, ad Comitatum Montis-bellicardi neutiquam ausus accedere. Reginaldo defuncto in ejus locum præfecit Pater Abbas anno 1586.

HUGONEM *MAULDINET*, cujus annos, & successoris nomen, si quem habuit, ignoramus. Cùm autem Ferdinandus II. Imperator victricibus armis compressisset hæresim, & ad deditionem bonorum Ecclesiæ constrinxisset usurpatores regalibus præceptis, Abbas *Rothi*, Vicarius generalis Sueviæ, munitus Cæsaris mandato, Ludovicum Fridericum Wirtembergæ Ducem, Comitem Montis-bellicardi interpellavit anno 1629. ad restitutionem Belli-campi, Cæsaris nomine. Rem suam ab alio inceptam prosperè, prosecutus est per seipsum Pater Abbas, & Capituli generalis subnixus authoritate, magno animo, majori rationum pondere, oravit Comitem pro vindicanda filiali domo. Ad congressum amicabilem postulante Ludovico Friderico principe, descendit cum primoribus aulæ Consiliariis. Negotium tractavit cum illis. Certatum est hinc inde pro juribus, & ad pacis ineundæ articulos ventum erat; sed ante conclusionem moritur Princeps, & interim Imperii inclinatâ non nihil fortunâ, religionis fecit nutare prosperitatem. Hinc molliori manu versanda fuit recrudescens sub tutoribus controversia.

Anno 1631. Julium Fridericum Wirtembergensis Ducatûs & Montis-bellicardi Administrum, ad iteratum examem, quà precibus, quà Imperatoris mandato, invitavit Abbas Corneoli & adduxit. Mense Martio redintegrata sunt comitia; articuli ventilati rursus; pro Principe, Commissarii militarunt acriter, pro aris pugnabat doctissimus Abbas & doctè. Tandem post velitationes multas, quarum inimici erant judices, in eam dissidentes coïere concordiam trigesimo Martii, quâ, sub beneplacito tamen R^mi Generalis Gossetii, & sub Principum Wirtembergensium approbatione, sancitum est: monasterium Belli-campi, omnemque ejus ambitum, cum Templo, ornamentis, codicibus, esse & fore pro tunc restituenda Abbati Corneolensi: sub ea tamen conditione ut liceret Comiti, quandiu acatholicam religionem sectaretur, partem aliquam habere in ædificiis cœnobii ad suam, aut alterius personæ nobilis, habitationem. Præterea jus patronatûs omnium beneficiorum, extra Comitatûs limites consistentium, cum omnibus eorumdem documentis, Abbati redditum est. Insuper omnes fundos, possessiones, reditus extra Dynastiam Montis-bellicardi existentes, relaxarunt Commissarii. Denique ut fundationis onera & Fundatorum voluntates non fraudarentur piacularibus sacrificiis damnarunt Comitem ad solutionem summæ octo millium sexcentarum sexaginta librarum, quam in acquisitione fundorum expenderet Abbas, unde sacrificulorum provideret sustentationi.

Transactionis taliter initæ tabulas porrexit R^mo Generali Gossetio comprobandas mense Julio, Abbas Corneoli. Has legit, laudavit Gossetius, & modificationibus temperatas quas priùs in scriptis miserat Corneolum, suo munivit apographo 23. Julii. A die 27. Martii administer Princeps, easdem fecerat suo chirographo ratas, & eo spectante 30. mensis Martii in possessionem claustri, Ecclesiæ, ambitus Abbatiæ Belli-campi immissus est Corneoli Abbas per Notarios. Quantùm ad vasa aurea & argentea, codices, chartas & capitalem summam octo millium sexcentarum sexaginta librarum petiit inducias Princeps, quæ in præscriptionem, dilatione temporis, abierant, aut abiisse ratus est Leopoldus Eberhardus Montis-bellicardi Comes, dum urgentem P. Laurentium de *Visemal* Abbatem Corneoli, ad solutionem fœnorum, & principalis summæ, titulo præscriptionis elusit. Sed ad Senatum Bisuntinensem provocatus Princeps, contradictorio & solemni Arresto, anni 1702. die 31. Martii damnatus est, & Fiscus ad pendendas quingentas viginti libras quotannis, usque ad reluitionem sortis, addictus est.

Hæc sunt Belli-campi fata. His pactis quæ infelicitas temporum extorsit, ad heterodoxos Principes transivit Norberti hæreditas sancta, nunc acervo lapidum, & infidelitatis obruta trophæo. Ex Pastoratibus octo, sex ad jus patronatûs Principis nunc pertinent, & qui priùs à Canonicis Belli-campensibus administrabantur omnes, vix duobus præesse conceditur, nempè

Chevremont & *Grange*. Alii sex à Lutheranis ministris modò occupantur

Voconcourt.
Brenesier.
Xaincourt.
Valantaigney.
Bodoncourt.
Vaulgecourt.

Vide Probat. à col. ccxxxij. ad col. ccliij.

BELLUM STAGNUM.

Bellum stagnum Fil. Salinæ Vallis Circaria Lotharing. Diœcesis Metensis.

PRæpositura hæc Monialium, filia Salinævallis, quam Laytuelius & Pagius *Bellum stagnum* nuncupant, hanc monumenta domestica *Bellumri-vum* dicunt, gallicè *Berup*, quinque horis à matrice Ecclesia sejunctum, tribus à civitate Metensi, secùs oras præterlabentis rivuli, dividentis Lotharingiæ fines, à Territorio Metensis Episcopatûs, positum.

Exordia istius Præpositurae, documenta non explicant, incrementa ejus variis Benefactorum

donariis reteguntur. Anno 1215. Viricus Miles de *Bascourt*, laude & assensu Helvidis uxoris suæ & filiorum suorum dedit Ecclesiæ B. Mariæ apud *Bellum-rivum*, cursum rivi ad molendinum. Miror Hugonem Capellanum *Belli-rivi*, traditioni accessisse testem, prætermisso Præposito. Fortè jam tum ex Præpositura in Conventum simplicem, sub Priorissæ præfectura defecerat Bellus-rivus.

Anno 1234. Petrus Advocatus Metensis, & Havidis mater ejus, ad augmentum virginei cœtûs, nonnullas adjecerunt possessiones in vicinia. In eo secessu substiterunt Sanctimoniales, donec vel Ordinis censorius ensis resecuit illas, vel bellorum impetus campestre parthenium vastavit.

Nunc verò in prædium nobile, summâ jurisdictione gaudens, ornatum Ecclesia, ad quam pauci coloni statis concurrunt diebus, ut sacris operanti stipendiario Sacerdoti, intersint, redacta est Præpositura, ejusque proventus matri Ecclesiæ sunt conjuncti.

BELLUS-LOCUS.

Bellus locus Fil. Præmonstrati Diœcesis Trecensis Circariæ Franciæ.

OSbertus & Alardus Sacerdotes, vitæ rigidioris & solitariæ cupidi, desertam *Bervillæ* Ecclesiam ad *Albæ** ripas, & à Barrensi civitate duabus & semi-leucis separatam, inhabitarunt, locum ex arridente planitie, & sinuosi fluminis meandro bellissimum. Ut sui domicilii, ac ineundæ disciplinæ statum firmarent ambo sacerdotes, Philippum Episcopum Trecensem convenerunt, in cujus Diœcesi rudera exstabant Ecclesiæ sancto Salvatori, & B. Marco pridem nuncupatæ, & ab eo non solùm Ecclesiam, sed & susceptæ vitæ sub regula S. Augustini, confirmationem impetrarunt anno 1112. sub Episcopi auspiciis sic convaluit Congregatio & numero Fratrum, & virtutis famâ, ut Airardus Brenensis* Comes, in cujus Dynastiæ finibus excreverat surculus germinis Augustiniani, statim ad sustentationem Fratrum, amplam patrimonialis fundi partem, in villa de *Jussens** contulerit, cum jure pascui, & lignationis.

* Aube.

* Brienne.

* Gissey.

Quam donationem Walterus Brennæ Comes, & Airardi filius, laudavit anno 1122. in præsentia Henrici Episcopi Trecensis, & paternam liberalitatem auxit novis beneficiis, de assensu Adelaidis sponsæ, Airardi, Andreæ, Mariæ, & Helvidis filiorum suorum.

Constitutam Abbatiam, & suis stantem legibus, Apostolico munimine petiit Abbas Odo roborari. Postulantis preces intercessione sua suffulsit Episcopus Trecensis Hatto, & ad utriusque supplicationem, manavit Bulla Innocentii II. anno quâ invectus in *Bellum-locum* Ordo, & collata monasterio prædia assecurantur.

I.

Ad annum 1140. sub Augustini regula, nullis temperata constitutionibus, vixerunt Bellilocenses, donec Ordo Præmonstratensis bonum Christi odorem effundens per Galliam, ad simile vivendi genus eos allexisset. Ex Præmonstrato matrice Ecclesia, accersivere viros opere, & sermone potentes, qui genuinum Norberti spiritum inseruere. Illum tam copiosè exhibit Abbas Odo, ut tenendi gubernaculi & propagandæ Religionis capax, judice Hugone ipso Archimandritâ, fuerit renuntiatus, & in dignitate, quam priùs obierat laudabiliter, instauratus suffragio Patrum perstiterit. 21. Aprilis 1146. finem vivendi fecit Odo, & in ejus locum suffectus est.

II.

RADULPHUS, qui anno 1147. confirmationem obtinuit ab Eugenio III. ne adeptionem bonorum, aut mutationem Ordinis cavillator quis impeteret. Parem sponte suâ, ad cautelam, dedit Radulpho Walterus, Brennæ Comes, paternæ liberalitatis approbationem. Regimen Radulphi seriùs auspicantur, qui anno 1147. initia illius assignant, cum Hattonis Episcopi Trecensis chartæ in favorem *Bassifontis* exaratæ anno 1146. testis appelletur. Anno 1154. subscripsit Instrumento *Simonis Domini Belfortis*, pro Abbatia nostra Capellæ ad plancas.

Du Chesne Preuves de Broyes & Château-villain, pag. 19. 20.

III.

JOANNES, Valteri Brennensis Comitis filius, anno 1158. in Abbatem sublectus, *Iteratam ab Alexandro III. monasterii sui protectionem, tuitionemque impetravit anno 1175. uno penè à Prælatura Præmonstratensi abdicata, anno: ad eam quippe, suffragio Fratrum, post Philippi mortem vocatus fuerat; sed malevolorum calumniâ amotus est paucis ab installatione diebus, & ad Bellilocensem sponte rediit. Ut Abbas Belli-loci subscribit anno 1182. chartæ Simonis Domini *Bellifortis*, pro Abbatia de Bullencuria in Diœcesi Trecensi. Vide du Chesne *Preuves de la Maison de Broyes & de Châteauvillain*, pag. 21.

* Eodem anno subscripsit chartæ compositionis factæ inter Galterum II. Episcopum Laudunensem, & Abbatiam Præmonstrati.

IV.

STEPHANUS vivebat anno 1185.

V.

NICOLAUS anno 1188. moritur.

VI.

JOANNES II. huic Clemens III. Bullam inscripsit anno 1188. & parochiales Ecclesias de *Saucourt*, & de *Blaignicourt* à Manasse Lingonensi,

gonensi, & Manasse Trecensi Episcopis obtinuit. Pacem, mediante Garnero Episcopo Trecensi arbitro, resarcivit anno 1202. cum Fratre Simone de *Jassaine*, Religioso sancti Michaëlis Tornodorensis, super tractu decimarum de *Branna* & *Jassaine*. Anno sequenti obiit, & ad cornu Evangelii sub hac Epigraphe tumulatus est.

» Hic jacet Dominus Joannes piæ memoriæ
» Abbas istius loci, vir religiosus, qui obiit
» anno Domini 1203. 7°. kal. Junii, & qui
» viderit sepulturam ejus, dicat, anima ejus
» requiescat in pace.

VII.

PETRUS, anno 1230. denatus, ad cornu Epistolæ hoc Epitaphio donatus est.

Hîc qui cuncta regit, Dominum perducat ad æthra
Petrum, quem petra protinùs ista tegit.
Hoc quod es, ipse fuit, quod & est, eris, hoc memorare.
Dissolvi voluit & cum Sanctis habitare.
Quod sibi concedat Trinus & unus. Amen.

Sacræ Antiq. Monum. pag. 85. Hujus Abbatis tempore, Gervasius Præmonstrati Abbas, canonicam *Belli-loci* visitationem instituit, ut *quosdam ipsius Ecclesiæ Fratres pro excessibus emittendos*, ad alia monasteria ablegaret; at quidam Canonicus consanguineos ex insidiis eduxit, qui armatâ manu Capitulum ingressi, Gervasio, & aliis Abbatibus graves intentavere minas, nisi ab omni mulcta flagitiosos Canonicos eximerent. Totam hujus rei seriem confectam habes in Gervasii Epistola 96ª sacræ Antiq. Monum. p. 85.

VIII.

ROBERTUS.

IX.

GUILLELMUS.

X.

REGINALDUS.

XI.

GUIDO in actis 1303. & 1310. Abbas nominatus.

XII.

JOANNES DE *VENDEUVRE* florebat anno 1321.

XIII.

NICOLAUS.

XIV.

GIRALDUS.

XV.

PETRUS II.

XVI.

ALANUS LE *MARONNIER*.

XVII.

NICOLAUS *JONQUEREUIL*.

XVIII.

PETRUS III.

Isti omnes nullâ chronologicâ notâ designati, successivo hoc ordine ad fidem Catalogi, fuerunt dispositi.

XIX.

PHILIPPUS *MARCHAND*, cujus extat sequens Epitaphium.

Cy gist religieuse Personne F. PHILIPPE MARCHAND, humble Abbé de céans, qui trépassa le 15. Janvier 1514.
Priez Dieu pour lui, disant *requiescat in pace*.

XX.

DESIDERIUS *SYLVESTRE*, domum, campanilia, domûs fornices ædificavit. Temporalis suæ administrationis rationem feriâ v. in Cœna Domini quotannis Patri Abbati reddere consueverat. 23. Octobris 1557. obiit, & in Sanctuarii meditullio sepultus est, hâc inscriptione ipsi impositâ.

Cy gist religieuse Personne F. DIDIER SYLVESTRE Abbé de céans, qui trépassa le 23. Octobre 1557. Priez Dieu pour lui.

XXI.

ANTONIUS *CARNERIOLE*.

XXII.

PETRUS *SENNETON*.

XXIII.

JOANNES *GOBINET*.

XXIV.

SEBASTIANUS *SENNETON*, cessit anno 1600.

XXV.

CAROLUS DE *BORDEAUX* ex Senatore Parisiensi per resignationem factus Abbas Belliloci, professionem emisit, & primus Pontificalium usum obtinuit à summo Pontifice, anno 1622. nepoti suo per dimissionem Abbatiam transmisit.

XXVI.

PETRUS *LE BRUN* anno 1641. Abbatiam abdicavit in favorem *P. Aubert*.

XXVII.

NICOLAUS *AUBERT*, Ordinis Syndicus, & Vicarius generalis Circariarum Campaniæ &

Burgundiæ, zelo religionis & disciplinæ præcipuus, obiit anno 1684.

XXVIII.

ANTONIUS *HARDT*, Canonicus Præmonstrati, Prior Gaudii-vallis, ex Pastore de *Jaucourt*, fit Abbas Belli-loci anno 1684. sed morte possessionem præveniente, sexto à nominatione sua mense, sublatus est, & in medio populi, translationem exuviarum ejus ex amore præpedientis, sepultus est.

XXIX.

HENRICUS *DU CAUROT*, Canonicus S. Martini Laudunensis, Ordinis Procurator Syndicus, septemdecim annis gubernaculum gessit, & subitaneâ morte præoccupatus, die sancto Laurentio sacrâ, 1701. dimisit.

XXX.

JOANNES-CHRISTOPHORUS *MATHON*, Doctor Sorbonicus, Burgundiæ & Campaniæ Vicarius generalis 1. Novembris anni 1701. à Rege Galliæ designatus Abbas, dignitatem exuit spontaneâ cessione anno 1730.

PATERNITAS.

Tres genuit filias Bellus-locus, quarum prior est *Carthevorum* in Diœcesi Suessionensi. Vide in *Carthevoro* quid in utramque partem super hac Paternitate agitavimus. Sed causam audio finitam, dùm hæc scribimus, & Carthovorum restitutum Abbati Belli-loci.

2° Est Bassus-fons.

3° Capella ad Planchas. Ambæ Diœcesis Trecensis.

PASTORATUS.

Possidet duos: Primus est *Jaucourt* in Diœcesi Lingonensi, ex concessione Manassis Episcopi, de anno 1188.

Secundus *Blaignicourt*, ex donatione ejusdem Episcopi de anno eodem.

SACRÆ RELIQUIÆ.

Anno 1490. Jacobus *Vaguier* Episcopus Trecensis, ad supplicationem Abbatis Belli-loci, sacra Sanctorum lipsana, pheretris ex vetustate ruentibus, visitavit, & in thecas decentiores, Reliquias involucro pergameneo designatas transtulit, suo munitas sigillo, & apographo. Illarum elenchum hic atteximus.

De Cruce D. N. Jesu Christi.

De Capillis B. Mariæ Virginis.

Pars magna corporis S. Bobini Episcopi Trecensis.

Pars ossis notabilis de corpore S. Marci.

Pars digiti S. Andreæ.

Costa S. Laurentii Martyris.

Os humerale S. Blasii Episcopi, & Martyris.

SS. Cosmæ & Damiani digiti duo.

SS. Innocentium, & sanctæ Claræ ossa.

Uno, sed insigni mausolæo gloriatur Bellus-locus, Gualteri Brennæ Comitis, Ducis Athenarum, Franciæ Constabularii, qui 20. Septembris 1356. in conflictu Pictaviensi occisus, ad Belli-loci monasterialem Ecclesiam delatus est, ibidemque honorifico apparatu, sub hoc lemmate sepultus.

Cy gist très excellent Prince Monseigneur Gualthier Duc d'Athenes, Comte de Brienne, Seigneur de Liche, Connestable de France, qui trépassa le 20. Septembre 1356. en la bataille devant Poitiers, quand le Roy Jean fut prins.

Vide Probat. à col. ccliij. ad col. cclvij.

BELLUS-PORTUS.

Bellus-portus *Fl. Lucernæ* *Diœcesis* *Briocensis* *Circaria* *Normanniæ* *Borealis.*

* L'Isle de S. Rion.

* S. Brieux.

ALanus Dominus de *Govello* & Comes *de Penthievre* Henrici Comitis & Petronillæ filius, de illustri Britanniæ Aremoricæ Comitum, ortus sanguine, Princeps ad pietatem à natura compositus, & fundatione monasterii *Insulæ S. Rionis* * jam clarus in Ecclesia, Abbatiam *Belli-portûs* erexit, septem à Briocensi * civitate horis, & ascitis è Lucerna Canonicis, regulæ addixit Præmonstratensium. Dignam benefico autore dotem accepit monasterium, amplissimo suo ambitu, sylvis, pascuis, piscationibus, Ecclesiarum unionibus ad utramque Britanniam porrectis, quondam opulentissimum, & alluentis Oceani undis à Septentrione munitum, pro muro.

Nascentem Canoniam Briocensis Episcopus Josselinus fovit, & diplomate suo confirmavit anno 1202. haud absimili protectione illam dignatus est anno eodem Innocentius III. Pontifex. Solus in Fundatoris munificentiam insurrexit Joannes *Meschin* * Episcopus Dolensis, qui à Victorinis Canonicis translatam ferebat ægrè Abbatiam *Insulæ S. Rionis*, ad Præmonstratenses Belli-portûs, sperans fortè reduces aliquandò Victorinos ad pristinam habitationem, quam ultrò deseruerant. Gravabatur insuper donatione trium Pastoratuum suæ Diœceseos, quasi ad alienos versâ hæreditate, direptioni darentur oves. Verùm maturiùs re libratâ, & Præmonstratensium sanctitate inspectâ propiùs, sensum mutavit & linguam. Alani laudavit opus, liberalitatem ejus suâ roboravit approbatione, & in artham amoris, & fœderis, Belloportui contulit sancti Mandetii * caput, summâ ad nostram ætatem veneratione, magno populorum fructu asservatum. Aderant & testes, obfirmarunt concordiam, Bartholomæus Archiepiscopus Turonensis, Hervæus Ceno-

* Vulgo *de la Moesche.*

* *S. Mandet* de illo nihil Saussæus, nihil D. Chastellain habent in suis Martyrologiis. Nec P. A. Lobineau in sua Britonum historia: Abbatem fuisse scribunt in Britannia, Bonville Mandetium sæculo 8. Belli-portuenses, ejusque festum celebrant 18. Novemb.

manensis, Petrus Rhedonensis, Godefridus Nannetensis, Petrus Macloviensis, Giechoncius Venetiæ, Guillelmus Cornubiæ, Episcopi.

Conanus frater Alani, & fraternæ pietatis æmulus, Castrum suum *de Ravendale*, illiusque proventus, quos abundè possidebat in Anglia, Bello-portui transcripsit, unà cum jure patronatûs Ecclesiarum: cui donationi suo accessit suffragio Guillelmus Episcopus Lincolnensis.

Ne autem donatoris fraudaretur intentio, providit Innocentius III. suo Rescripto anni 1207. per quod Abbati de Bello-portu indulsit facultatem ad ultramarinas regiones mittendi suos Canonicos, qui etsi peregrini idiomatis ignari, regere nihilominùs Parochias per Vicarios linguæ Anglicæ peritos licitè possent.

Variabilis hominum indoles, nec priorum exemplo, nec utilitatis publicæ incentivo allecta, sed novitatis plerumque agitata spiritu, amat convellere patrum limites, & pristinas non horret infringere sanæ vetustatis sanctiones. Isthoc animo actus Briocensis Præsul, intemeratas prædecessorum leges, & aviti amoris ergà Bellum-portum fœdus dirumpens, à Parochiarum administratione Canonicos submovit, licet ab anno 1246. solemni Concordato confirmatos, & Alexandri IV. munitos diplomate. Pontificem appellavit Abbas, læsæ authoritatis vindicem; ast Episcopus imminentem sibi censuram, prohibitivo decreto declinavit, quo Clericis Diœcesanis vetuit, manans quodlibet à Curia Romana Rescriptum mandare executioni, ipso priùs non conscio, aut non permittente.

Illusæ Pontificiæ authoritatis crimen, ipsi Pontifici intimavit Abbas, & ad ejus monitionem Alexander IV. Cantorem Constantiæ delegavit, qui salutaribus consiliis Briocensem ad saniùs sapiendum instigaret, spoliatosque restitueret beneficiis. Non profuit monitoris adhortatio. Turonensis Metropolitæ interposita est à Pontifice authoritas, & censuris armanda fuit Apostolicis, quas Briocensis reverenter formidans, nocendi abjecit animum, intrusumque secularem sacerdotem in Parochiam de *Plouha* depulit. Sopita difficultas recruduit sub Joanne Briocensi Episcopo. Is bellum indixit Ordini fatale, privilegia impetivit, visitationem canonicam instituere, Abbatem ad Synodum citare præsumpsit, renuentem censuris, & excommunicatione feriit anno 1411.

Mirabili hoc attentato stupefactus Abbas, ad Archiepiscopum Turonensem provocavit primò, at meliùs postea consultus, Abbatis sanctæ Genovefæ Parisiensis, à Joanne XXIII. constituti privilegiorum Ordinis sequestri, & vindicis, tribunal appellavit. Appellantem excepit benignè, & per subdelegatum suum Gerardum *Michaelis*, Canonicum & Cantorem Virdunensem, prohibuit Briocensi Episcopo, sub excommunicationis pœna, ne ultrà Belli-portûs Abbatem lacesseret, aut Romanæ sedis impugnaret privilegia. Intentatum fulmen despicatus est Præsul, vibrantis authoritatem spernens; unde anno 1414. Belli-portensis Abbas ad Romanam Curiam confugit. Anno integro acriter disputatum est, tandemque finali sententiâ, censuræ Episcopales, tanquam à judice non habente potestatem, proscriptæ sunt, & Abbati privilegiorum asserta est possessio.

Infractus hoc judicio Episcopus, imò in victorem insolescens audacius, Abbatem* inhumanitùs captum, carceri mancipavit; tùm festinus Belli-portum petit, & hostili manu monasterium subiens, canonicam visitationem instituere tentat: Canonici pro viribus obsistunt, parere jubenti detrectant, & Romanam sedem, injectâ appellatione, implorant. Martinus V. querelam clementer auscultat, & diuturnæ captivitatis, quam patiebatur Abbas, misertus, Cardinalem de *Brancariis* judicem ad partes, & cognitorem ablegat, qui post ventilatam per omnes sinuosæ tricæ anfractus causam, Abbatem libertati restituendum, sub anathemate, sanxivit. 23. Octobris 1423.

* Joannem Bosthur.

Quæstionem de privilegiis intactam Bartholomæo *Guischardi* dirimendam commisit anno sequenti Pontifex idem. Agitatam, versatamque per omnes sensus privilegiorum materiam, Eugenius IV. anno 1433. in favorem Belli-portûs plenariè conclusit, & Joannis XXIII. & Alexandri V. Bullas, quibus Ordinis jurisdictio, libertates, prærogativæ eliquantur, innovavit. His repagulis needùm coërceri potuit prurigo Briocensis Episcopi. Iterùm litibus Belli-portum vexavit, sed infelici semper exitu. Romæ, judicio Petri *Nardi*, Auditoris sacri Palatii, revinctus est. Non quievit Episcopus, sed ulteriori sententiâ rem postulavit definiri. Petrum *Martini de Caveis rubeis*, Papæ Capellanum, & sacri Palatii Auditorem, obtinet judicem, à quo similiter damnatus, tertiò alios judices interpellat, Laurentium de *Arecio*, & Robertum de *Cavalcantibus*, ambos S. Palatii Auditores, quos pariter sensit suis prætentionibus adversos. Interritum litigatorem supremo denique judicio attrivit Eugenius IV. & tres sententias conformes, calculo suo approbans, Anselmum de *Breda* Leodiensis Ecclesiæ Canonicum, & Archidiaconum Hannoniæ, executorem Rescripti Apostolici designavit. Provinciam hanc à summo Pontifice sibi concreditam, Anselmus incredibili animo confecit. Ducem Britanniæ supremamque ejus Curiam Eugenii decreto nactus obsequentes, ipsum Episcopum in ordinem, & obedientiam redegit. 1435. 1436. 10. kal. Julii.

I.

RADULPHUS è Monasterio Ardennensi accersitus, à Josselino Briocensi Episcopo, Bel-

li-portûs primus Abbas instituitur anno 1202.

II.

GUILLELMUS *LARCHER* uno administratam anno Abbatiam dimisit.

III.

SIMON.

IV.

ROGERIUS.

V.

HERVÆUS DE *BAZOGES*, Episcopus Dolensis, anno 1265. * electus, gestatam annis quatuor laudabiliter Infulam abdicavit, & in Belli-portense monasterium, ex humilitatis & pœnitentiæ desiderio secedens, religiosam illic vitam professus est. Fratrum postea votis, in Abbatem assumitur, reluctans colla supposuit oneri; refectorium ædificavit, fovit disciplinam, micuit virtutibus, & regimen sanctum pretiosâ morte consummavit.

* Non legitur hic Episcopus apud san-Marthanos fratres.

VI.

ROBERTUS DE *FONTE-VIVI.*

VII.

YVO DE *QUERITT.*

VIII.

MICHAEL *GAUTIER.*

IX.

GUILLELMUS.

X.

PETRUS D'*AGAVILLE.*

XI.

JOANNES DE *MONTMARTIN.*

XII.

JOANNES DE *HUMO.*

XIII.

MICHAEL *VIVIEN*, S. Yvoni amicitiâ conjunctissimus; eidem morienti astitisse feruntur; ipse verò Abbas 4. Octobris anni 1304. viam iniit universæ carnis.

Vide Bolland. ad diem 19. Maii T. 4. Maii, p. 560.

XIV.

ANDREAS *FABRI*, testis sistitur in processu inquisitionis miraculorum S. Yvonis, factæ anno 1330. declaratque ab febre continua, cujus æstu laborabat à quatuordecim septimanis, convaluisse per S. Yvonis invocationem, & præsentiam corporalem, ut videre est apud Bolland. ad diem 19. Maii, p. 579.

XV.

JOANNES *CANET.*

XVI.

GUILLELMUS DE *POMERIE*, ædium Abbatialium structor obiit 12. Novembris 1355.

In computu annuo proventuum Abbatiæ, hoc tempore, à Provisoribus eliquato, viginti millia modiorum frumenti annuatim percipiebat ex suis villis Bellus-portus, Angliæ reditibus non computatis. Anno 1352. subscripsit Guillelmus, cùm cæteris Abbatibus, Episcopis, & Proceribus Britanniæ, instrumento, quod Joanna Britanniæ Ducissa confecit, tradiditque Legatis, quos direxit in Angliam de libertate Caroli Blesensis tractaturos.

Hist. de Bretagne, Tom. 2. p. 492.

XVII.

JACOBUS *MORICEAU*, 19. Aprilis defunctus anno 1373. huic Abbati, ejusque monasterio litteras salvæ-guardiæ, & confirmationis omnium possessionum indulsit Eduardus III. Angliæ Rex an. 1359.

Ibid. p. 498.

XVIII.

JOANNES *CILLART*, denatus anno 1397.

XIX.

JOANNES *BOSCHIER*, intrepidus pro deffensione immunitatum Ordinis, & Abbatiæ suæ jurisdictionis, adversùs Briocensem Episcopum propugnator usque ad vincula; magnis licet sumptibus repullulantes hinc inde discordias compescuerit, nihilominùs domi & foris ædes instauravit caducas, & sacrarium ornavit argenteis jocalibus. Joanni V. Duci Britanniæ charus, hunc hospitio frequens excepit, anno 1420. ad Bellum-portum iter arripientem Principem, ut ibi pernoctaret, ex insidiis appetere voluit Oliverius Comes de *Penthievre*, sed inimici elusit ferales insidias dilatus in alium diem adventus Ducis, aliam carpentis viam. Inter tumultuantis Britanniæ scissuras, suo Principi addictus, fidem servavit integram, & exactis in regimine annis 45. piè moritur anno 1442. provectæ ætatis, virtutis probatæ senex.

XX.

JOANNES *HUET*, in brevi consummatus, nepoti locum fecit.

XXI.

PETRUS *HUET*, juris utriusque Doctor, à Cardinale de *Coetivy*, ad Britanniæ partes, pro informatione miraculorum B. Vincentii Ferrerii, albo sanctorum referendi, submisso, Pontificalium usum impetravit anno 1456. Hujus Abbatis tempore florebat in Bellò-portu Yvo *Belhuet*, Canonicus & Sacerdos, mortificatione, Religionis studio, fervoris spiritu spectabilis. Anno 1464. fatis functus, multiplici & gloriosâ apparitione visibilem se pluribus exhibuit, *quasi*, inquit Necrologium, *peteret canonizari.*

XXII.

ALMARICUS DE *LA ROCHE*, ex resignatione in manibus Pontificis Sixti IV. facta, Abbas suffectus est anno 1479. esse verò desiit ex cessione ultronea, anno 1490.

XXIII.

ROBERTUS DE *LA VALLE'E*, obiit an. 1498.

XXIV.

JOANNES LE *BIGOT* Abbatum regularium ultimus, 4. Septembris 1540. moritur; & ante mortem ejus, avidior Commendatariorum natio in Abbatiam inhians, illam invaserat, senescentis ultra spem Prælati impatiens.

XXV.

GUILLELMUS *QUEMPER DE LANASCOL*, Trecoricensis Canonicus, involavit in Abbatiam ex regia nominatione anno 1532. morte urgente hanc dimisit, an. 1546.

XXVI.

SIMON DE *MAILLE'*, Archiepiscopus Turonensis.

XXVII.

HYPPOLITUS Cardinalis de *FARNEZE*.

XXVIII.

TORQUATUS DE *GONDY*.

XXIX.

CLAUDIUS DE *LA ROCHEFOZE'* adiit Abbatiam anno 1581.

XXX.

CLAUDIUS DE *MARBEUF*, anno 1598. provisus.

XXXI.

FERDINANDUS *CHASTAIGNER*, anno 1600. installatus.

XXXII.

GABRIEL *LAURENDEAU*, anno 1608. designatus Abbas.

XXXIII.

NICOLAUS *DAVID*, anno 1618. nominatus à Rege.

XXXIV.

LUDOVICUS *CHASTAIGNER DE LA ROCHEFOZE'*.

XXXV.

CAROLUS *CHASTAIGNER*.

XXXVI.

ANNA *CHASTAIGNER*, ex resignatione antecessoris creatus Abbas à Pontifice, anno 1639.

XXXVII.

ALEXANDER DE *LA ROCHEFOUCAULT*, à Rege Abbas designatus, anno 1679.

Vigente Commendâ, viguerunt illic Priores, morum probitate, zelo disciplinæ regularis, rerum temporalium administratione commendabiles. Quos inter eminuerunt P. Franciscus *Martin*, Canonicus S. Joannis Ambianensis, qui ad tenorem Statutorum Ordinis, domûs regimen strictè composuit. Observantiæ ejusdem tenax P. Vincentius *Royer*, invectam regularitatem non modò fovit, sed etiam ædificia reparavit è fundamentis, instruxit hortos lepide, sacristiam sacerdotali suppellectile auxit, Ecclesiam ornamentis sic fecit splendidam, ut Britanniæ cæteras vincat decore. Denique ad annum 1690. perductum regimen transmisit, uti formam regendi, sequioribus.

PASTORATUS.

Plouzec, in Ecclesia monasteriali.
Yvias.
Plouha.
Etable.
Pordic.
Plelo.
Plouvara. Diœcesis Briocensis.
Plouagat.
Chastel Audren.
Goudelin.
Bocho. Diœcesis Trecorensis.
Insula de Brehat.
Querity.
Perros, in duas scissus Parochias, quarum altera *Lanevés*, secunda *Lanvigner*, in Diœcesi Dolensi.

In Anglia Pastoratus possidebat infrà scriptos.

Waltam.
Benelobi.
Belesbi.
Hautecleve.
Bavendala.
Brilegai.
Hawardebi.
Alewardebi.
Belebi.

SACRÆ RELIQUIÆ.

S. Rionis Archiepiscopi Bituricensis, ut aiunt, * cranium, thecâ argenteâ acclusum.

Ejusdem os brachiale thecâ argenteâ reconditum.

Caput sancti Maudetii Abbatis Britonis, cujus monasterium anno 878. vastatum & extinctum, in Insula cognomine, florebat olim.

* Nullus inter Episcopos Bituricenses occurrit S Rio. in Biographis legitur S. Riocus & Rovenus in Britannia minori.

Hujus Sancti Reliquiæ Burdigalam translatæ sunt, præter caput, & os superius brachii, quæ anno 1202. cesserunt Abbatiæ Belli-portûs. Festum S. Maudetii 18. Novembris, ritu solemni celebrant Belli-portenses.

MONUMENTA SEPULCHRALIA.

In Sanctuario Ecclesiæ Belli-portensis eminent arcuatis sub fornicibus mausolæa duo. Horum alterum exhibet hominis cataphracti figuram, in clypeo sculpta gentilitia *Goellorum* arma * gestantem.

* D'argent au chef de gueule

Alterum, statuam mulieris incumbentis sustinet. Sub his insignibus monumentis quiescunt Fundatorum corpora. In Capitulo saxea, & prominens visitur imago Ducissæ, coronam habentis in capite; nullam verò nec temporis, nec nominis notam præferentis ad limbos. Joannam Britanniæ Ducissam, Comitissam de *Goello*, & Caroli Blesensis uxorem, de Fundatorum sanguine materno satam, illic tumulatam esse conjectant, ex traditionis suffragio, quam rerum Britannicarum Scriptores elevant, dùm in Choro Minoritarum *Guingampi*, anno 1384 sepultam astruunt. Vide Probat. à col. CCLVIJ. ad col. CCLXXIJ.

BELLUS-REDITUS aliàs Mons S. Cornelii.

Bellus-reditus. Fil. Floreffia Diœcesis Leodiensis Circaria Floreffia.

OLim in monte S. Cornelii juxta Leodium, Abbatia stetit; inde Leodium translata, ut locum, sic nomen mutavit. Alberonem Episcopum Fundatorem agnoscit; Floreffiam parentem veneratur. Quo autem anno Religiosos antea in Monte S. Cornelii Deo militantes, & à seculo XII. ineunte sub Episcopali viventes manu, amoverit Albero ut Præmostratenses induceret, variæ sunt Authorum sententiæ. In eam libens propenderem, quæ asserit anno 1121. Alberonem in advocandis ab initio Episcopatûs sui viris religiosis ad diœcesim suam, promptum & fervidum, accersivisse è Floreffia cœtum Canonicorum, quos Ecclesiæ bono, & disciplinæ Cleri instaurandis promovendisque, noverat aptissimos. Verùm ne id asseveranter dicam efficit monumentorum defectus; necnon & impotentia gignendi quâ tum laborabat Floreffia, sub finem istius anni dumtaxat vagiens. Insuper charta Alberonis anno 1124. in plenaria Synodo liberam declarantis & banno confirmantis Ecclesiam Montis S. Cornelii, ne verbulo quidem injecto de Ordine Præmonstratensi, remoratur nos, ne præcoces Bello-reditui Præmonstratensi natales adscribamus. Sed tamen hoc anno Canonicos è Floreffia desumptos, in possessionem Montis S. Cornelii missos fuisse suspicari liceat, ex modo dicta emancipatione & substractione de manu Episcopali. Quippe immutatio regiminis, immutatos incolas nonnihil suadet.

Incassùm hæreremus stabiliendæ epochæ, monumentis convincentibus destituti. Id unum certò constat, quocumque anno contigerit, Præmonstratenses in Leodiensem agrum migrantes, magnum quid secum attulisse emolumenti. Etenim huic virorum fortium turmæ fortissimus præerat Lucas; non solùm vitæ sanctioris exemplo, sacrâve eloquentiâ, vel precibus, virtuti per urbem amplificandæ, exornandæque strenuam navavit operam; ast etiam hæreticibus, veluti per cuniculos in Rempublicam proserpentibus bellum internecinum intulit.

Fisen Hist. Leod part. 1. pag. 224.

Tam sedulò & viriliter in opere Domini laborantem Lucam temporali mercede donavit Alberò. Seculares viri recentium hospitum *Montis-Cornelii*, piâ moti conversatione, facultatum suarum partes haud exiguas, illis ad sublevamentum contulerunt. Hos inter enumerantur Petrus & Fridericus de *Jupilia*, Rogerus de *Basseine*, Franco Miles, Oudelinus *Villeir*, Episcopi Camerarius, & alii plures; quos ad charitatis officia alliciebat Lucas, suæ charitatis exemplo.

I.

Inter illius ævi Scriptores celeberrimus Lucas audiit: in exponendis divinis voluminibus nobile sortitus erat ingenium; in secularibus litteris eruditè instructus, epistolas & sermones leporibus exornabat. Optimum fuisse civem attestatur Carolus Langius, Canonicus Leodiensis, eumque laudat de præstitis beneficiis ingentibus, concivibus suis *Ballonii* Castrum obsidentibus. Denique IX. kal. Novembris, dierum & meritorum plenus Abbas, vitæ integritate, prophetiæ dono, cælitum convictu spectabilis, animam luce de cœlo demissâ perfusam, efflavit anno 1179. Sacros ejus cineres è *Cornelii-monte* ad *Belli-reditûs* monasterium adsportarunt migrantes Canonici, ut piè creditur.

II.

GERARDUS testis fuit chirographi & donationis septem bonariorum terræ, & duarum curtium in *Mirmorte*, testamenti tabulis legatorum ab Eca, pro Anniversario suo, & Bolandi mariti sui anno 1170. Tunc tantùm erat Diaconus. Post Lucæ obitum, licet ætate minor, virtute grandævus, ad Abbatialem evehitur infulam. Pastoratum de *Louverval* impetravit. V. kal. Octobris obiit anno circiter 1189.

III.

GOSSEVINUS ab anno 1190. Abbatem egisse deprehenditur in charta donationis duorum bonariorum terræ per Joannem Canonicum sancti Pauli, ab Hugone Leodiensi Episcopo patronatum Ecclesiarum de *Simplaeldt*, & de *Soumaigne*, postremum concedente Winando Equite, obtinuit annis 1203. & 1204. Obiit kal. Martii 1205.

IV.

ALEXANDER accepit ab Innocentio III. anno 1205. confirmationem donationis & possessionis Ecclesiarum B. Nicolai supra pontem Leodii, B. Bovonis in *Louverval*, S. Lamberti in *Bofoit*, S. Regii de *Simplici via*, & S. Lamberti in *Sumaigne*.

V.

ENGELBERTUS.

VI.

JOANNES sub Abbate Goswino Prioris obiba officium. A Wigero Milite jus patronatûs de *Grembede*, de consensu Hugonis Episcopi Leodiensis, obtinuit anno 1223.

VII.

GUILLELMUS DE *TONGRES*, filius Guillelmi de *Tongres* Militis, à patre suo moriente, hæres institutus fuit duorum bonariorum terræ in *Radecheim*, sub onere Anniversarii anno 1237.

VIII.

PETRUS, ad quem directa fuit Bulla Innocentii IV. anno Pontificatûs 3. Christi 1245.

IX.

NICOLAUS. Hujus tempore ad portam urbis trans-mosanam sub arduo Monte-Cornelii, domus ampla in Xenodochium simul & Cœnobium extructa, ad morbidorum & sanorum, utriusque sexûs habitationem, administranda committitur Religioso Cornelii-montis, sub nomine & authoritate Prioris anno 1248. Acta Nicolai ad annum 1260. extenduntur.

X.

JOANNES DE *FLERON*. Ipsi cessit Willelmus vir nobilis de *Radecheim*, jus patronatûs Ecclesiæ parochialis ejusdem loci, & successoribus ejus anno 1260. Transtulerunt quoque in Joannem Abbatem, perpetuum Vicariatum capellæ, modò parochialis Ecclesiæ sancti Remacli in Ponte, (intra cujus limites Mons-Cornelii comprehendebatur,) Gassilius Decanus Ecclesiæ Aquensis & Capitulum. Anno 1273. ab hoc Vicariatu excidit, incuriâ successorum, Bellus-reditus. Nonis Septembris fato functus est Joannes 1273.

XI.

HENRICUS DE *FEXHE*, cujus tempore, & Joannis Guidonis seu Flandri, Episcopi Leodiensis, fuit facta permutatio Castri Cornelii-montis cum Bello-reditu. Rem ita contigisse narrat Chapeavillus. Mense Aprili 1288. Cùm monachi Cornelii-montis per gentes Ducis Limburgensis longo tempore nimis fuissent " hospitalitate gravati, de consensu superiorum " suorum, cum Episcopo ad locum habitationis " Fratrum Minorum Leodiensium, unde mi- " graverant, in manibus Episcopi remanentem, " de Castro cum Episcopo permutarunt, quo " loco nunc Monachi famulantur Deo. Causam permutationis admittimus, contendimus de tempore. Nam anno 1287. totum hoc concambium ab utraque parte initum, approbavit cum toto Capitulo, Joannes Episcopus. Tom. 2. fol. 321.

XII.

JOANNES *EUREGNEE'S* ex Præposito seu Provisore, factus Abbas, in possessionem Belli-reditûs inductus fuit primus, anno 1290. per Officialem Leodiensem, & Papa Nicolaus IV. translationem approbans, eadem privilegia, easdemque immunitates, quibus Cornelii-mons fruebatur, indulget Bello-reditui.

XIII.

REMBALDUS ex Obituario tantùm notus, Kalendis Februarii, paucis mensibus cursum absolvit.

XIV.

EVERHARDUS Abbatem agebat anno 1293. Huic Odo Abbas sancti Victoris Parisiensis, locum de *Beaurepaire* & quidquid juris ex donatione Baldradi Archidiaconi Leodiensis acquisiverat, contulit anno 1296.

XV.

GODEFRIDUS.

XVI.

HENRICUS DE *BONNA* 13. Kal. Aprilis 1310. defunctus.

XVII.

HENRICUS DE *ARSICH*. Anno 1327. testis subscripsit, sed jam ut exautoratus Abbas.

XVIII.

HENRICUS DE *DYSON*. Lapidi ejus sepulcrali insculptum Epitaphium diem mortis & annum indicat.

Dum ver finitur, hîc Henricus sepelitur
Qui fuerat dictus de *DYSON*, sit benedictus
Ecclesiæ dignus pater extitit atque benignus
M. C. ter, X totidem septem jungantur ibidem. *

* 1337. nono kal. Junii.

XIX.

HENRICUS DE *HACCURIA*, filius Joannis de *Mouche* Domini *Delcange* & de *Haccuria*, obiit 13. idus Julii 1348.

XX.

LIBERTUS DE *COUWAREM*. Petræ sepulchrali incisos versus encomiasticos aliquâ sui parte mutilos, hos accipe

. . . . Libertus nomine, quamvis
Liber & ingenuus frater, supplex adolescens,
Præpositus juvenis, aulæ vir conditor Abbas
Horto contiguæ: majora deinde paratus
Ædificasse, nisi senio priùs occubuisset.
Suprema summè liber requiescat in aula.

Dies mortis ad 14. kal. Octobris legitur in Obituario. Annus præsumitur 1353. erat ille Abbas satus de sanguine Baronum & Comitum de *Couwarem* in Hasbania.

XXI.

NICOLAUS DE *PONTE-INSULÆ*, 18. Augusti 1363.

XXII.

JOANNES DE *LEODIO*. 20. Decembris mortuus, hâc inscriptione sepulcrali dignoscitur.

Hîc jacet Dominus JOANNES de LEODIO, Abbas hujus Ecclesiæ, qui obiit anno à Nativitate D. N. Jesu Christi MCCCLXXXVII. cujus anima per misericordiam Dei requiescat in pace. Amen.

XXIII.

JOANNES DE *WARNANTO*, ad illum submissa fuit Bulla Bonifacii IX. anno 1389. pro usu Pontificalis annuli. Per procuratorem Synodo Pisanæ interfuit. Ejus Epitaphium ex Langio mutuati reddimus.

Hîc jacet venerabilis Pater JOANNES de *WARNANTO*: hic Abbas fundator quotidianæ missæ in supremo altari, qui obiit anno Domini 1418. mensis Maii die 6.

Istius fundationis missæ quotidianæ explicationem ex Libro mortuario accipe. *Com. Domini Joannis de Warnanto Abbatis* hujus Ecclesiæ, pro qua habet Conventus 28. modios speltæ hæreditariè distribuendos quotidiè sacerdoti dicenti summam missam, duas quartas speltæ vel valorem.

Unde colligitur communem vitam exolevisse à Bello-reditu tunc temporis, & sportulanos evasisse fratres.

XXIV.

ARNULDUS DE *WARNANTO* prædecessoris consanguineus, Prætor Curiæ Abbatialis, deinde Abbas, moritur 7. kal. Maii anno circiter 1424.

XXV.

NICOLAUS DE *BIERSES* obiit 5. nonas Maii 1430. & dedit Fabricæ Ecclesiæ octo modios speltæ hæreditariè apud *Aurotum*, & etiam 4. marcas hæreditariè, ut fert Necrologium.

XXVI.

GUILLELMUS DE *HERCK*. 22. Jan. obiit 1436.

XXVII.

HELINUS DE *WARNANTO*. 7. kal. Maii moritur. 1449.

XXVIII.

JOANNES *DROMMAIRE*. Nono kal. Februarii obiit 1451.

XXIX.

HELINUS *PERLANDI*, excessit anno 1466.

XXX.

JOANNES DE *WARNANTO*. Nonis Maii migravit 1469.

XXXI.

HENRICUS DE *OPERBASIO* dictus de *BUILHON*. In ejus sepulcrali saxo hæc leguntur.

Hîc jacet Dominus HENRICUS de *OPERBASIO* Abbas hujus Ecclesiæ, acceptus ex Floretha, qui incorporavit præbendam sanctæ Crucis, & obiit anno MCCCCLXXXXI.

XXXII.

BARTHOLOMÆUS *FILENS* dictus de *TONGRIS*, cooptatur in Collegio Canonicorum sanctæ Crucis Leodii anno 1492. octavo Junii 1498. obiit ut testatur Epitaphium ejus.

BARTHOLOMÆUS de *TONGRIS*, obiit anno MCCCCLXXXXVIII. VII. die mensis Junii. anima ejus requiescat in pace.

XXXIII.

GOSSUYNUS *HEMONNET*, cessit anno 1525. & obiit idus Janu. 1426.

XXXIV.

MARTINUS DE *VILLER* ex Canonico sanctæ Crucis, factus Præm. Canonicus, Abbas eligitur anno 1525. & 4. idus Augusti moritur, anno 1526.

XXXV.

LEONARDUS DE *LIMBOURGK*, post jactæ Ecclesiæ monasterialis fundamenta occubuit 1546. 19. Augusti.

PASCHASIUS

XXXVI.

PASCHASIUS dictus à *JEMEPPIA*, decimo septimo ab electione die, xv. kal. Octobris 1546.

XXXVII.

JACOBUS à *BOVERIA*, Ecclesiam absolvit & viii. kal. Nov. 1553.

XXXVIII.

NICOLAUS *LIMBOURGK DE BILSTAIN*, à cubiculario trucidatus 3ª Martii 1565. Immane hoc facinus narrat Surius in Commentar. brevi p. 774. Abbas, inquit, Præmonstratensis, Leo- » dii, famulum habuit, quem certa de causa » jussit à se discedere, & alium sibi dominum » quærere; tulit hoc ægrè famulus, & interim » hæret ad aliquot dies apud Abbatem, atque » ut priùs, cubicularii fungitur officio. Paucis » autem elapsis diebus, Abbate è quodam con- » vivio, jam serò, cubitum adeunte, homo cru- » delis, nihil tale suspicantem, ferâ, & plus- » quam barbarâ crudelitate, in ipso cubiculo » jugulat, multamque secum pecuniam è cu- » biculo eodem auferens, equum Abbatis ster- » nit, & abscedit, cùm priùs nescio quæ men- » dacia de Abbate ad familiam retulisset. Ejus » Epitaphium sic se habet

D. O. M.

D. Leonardo patruo suo, & Nicolao *Limbroch* fratri suo, hujus domûs Abbatibus, R. D. Leonardus *Limbroch* ejusdem monasterii Abbas posuit.
Primus obiit anno 1546. Augusti 19.
Alter à cubiculario trucidatus 3ª Martii 1565.

XXXIX.

JOANNES à *FLEMALIA*, tertio idus Septembris 1571.

XL.

JOANNES DE *SARTO*, juris apprimè consultus, primæ missæ fundator, & multorum instaurator ædificiorum iv. Nonas Januarii, obiit anno 1584.
Sibi subsequens struxit mausolæum.

POSTERITATI.

Hoc mausolæum sibi struxit SARTIUS Abbas
In vigili Christi dum statione manet.
Quis fuerit ne quære, docent monumenta: sub ista
Omnia virtutum nomina mole premit.

Cingit verò tumbam hæc inscriptio. Hîc R. D. D. JOANNES DE *SARTO* hujus domûs Abbas, qui obiit 1584. Janu. 2ª.

XLI.

LEONARDUS DE *BILSTAIN* à *LIMBOURG*, frater Nicolai xvii. kal. Aprilis migravit, anno 1614.

XLII.

ADAMUS *SLINS*, 17. Junii mortem oppetiit anno 1623.

XLIII.

JOANNES *SNAEP*, Decanus pastorum civitatis Leodiensis, requiescit ante summum altare sub eodem lapide cum Leonardo de *Bilstain*, & utrique communis est inscriptio.

Rᵈᵒ Domino LEONARDO DE *BILSTAIN* Abbati quondam suo, Rᵈᵘˢ Dominus *SNAEP* etiam Abbas hujus domûs, memoriæ ergò monumentum hoc posuit. Obiit ille anno salutis 1614. Hic verò anno 1638. mensis Aprilis die 17. Lector utrique benè precare.

XLIV.

NICOLAUS *GOMZE'* restauravit aulam majorem, conditam à Domino Liberto de *Coutrerem*: acquisivit villam de *Renne* cum jurisdictione temporali, tertio Nonas Julii decessit 1657.

XLV.

ANTONIUS *JAMAR* Theologiæ Doctor, præses Seminarii Norbertini Coloniæ, dein pastor in *Simpelveld*, postea sancti Nicolai ad Pontem Leodii, demum Abbas electus 10. Julii 1657. acquisivit villam *Houpleulen* propè *Renne*; & xii. kal. Janu. 1663. hoc titulo insignitus, jacet ad gradus summi altaris.

D. O. M.

Hîc jacet Reverendus admodum & amplissimus Dominus Antonius *JAMAR* sacræ Theologiæ Doctor, hujus domûs Abbas, qui obiit 21. Decembris 1663. Requiescat in pace.

XLVI.

AMBROSIUS *DU FRAISNE*. De eo sic eloquitur Necrologium ii. kal. Aprilis. Commemoratio Reverendi Domini Ambrosii *de FRAISNE*, Abbatis hujus Ecclesiæ, qui obiit anno 1695.

XLVII.

PETRUS-ALEXANDER DE *FALOIZE* ex pastore sancti Nicolai electus Abbas 11. Aprilis 1695. & iv. Nonas Augusti 1706. moritur. En monumentum marmori incisum, quod sibi paraverat vivens.

D. O. M.

Monumentum hoc Frater Petrus-Alexander de *FALOISE* Abbas hujus Ecclesiæ, vivens & expectans resurrectionem mortuorum, sibi posuit.

Arduis tam apud Ecclesiasticos Judices tum

in Imperiali Curia, litibus pro libertate Reickemensis Ecclesiæ, tum pro recuperatione pastoratûs ejusdem loci, superatis, Franciscum Gobertum de *Aspero-monte* Comitem de *Reichem*, ab insolitis usurpationibus & sacrorum jurium deprædationibus coercuit, annis 1700. 1703. authoritate judiciorum.

XLVIII.

HENRICUS *JULLIN* Philosophiæ & Theologiæ per annos 14. Professor, deinde sancti Lamberti pastor in *Soumagne*, Lutheranismum, in finibus Leodii innascentem, extirpavit; ad Abbatialem dignitatem 18. Augusti subvectus, multa intus & foris excitavit ædificia, promovit studia, & jurium ac privilegiorum Ordinis propugnator indefessus, magnis sumptibus, labore majori, Patrem Franciscum *de la Motte*, à Pastoratu de *Louverval*, ad Prioratum de *Reecheim* translatum, & obedientiæ renitentem, per diversas diversorum Tribunalium sententias, ad quæ refragus provocarat Abbatem, compressit.

PATERNITAS.

Jus paternitatis exercet in Parthenonem de *Reecheim* intra fines Leodiensis territorii consistentem, duabus à Leodio horis dissitum.

PASTORATUS.

Altare seu Oratorium sanctæ Mariæ in curia *Jupilia* donavit Albero Virdunensis Episcopus anno 1152. Abbati de Cornelii-monte. Gerardus Abbas sancti Pauli Virdunensis, dedit anno 1255. in augmentum dotis, Ecclesiæ & Abbati SS. Apostolorum Montis-Cornelii, quidquid habebat in Leodio & in *Jupilia*, in censibus, reditibus, terris, pratis, sylvis, pro quatuor libris Turonensibus censûs annui, sub onere quotidianæ missæ in Capella de *Jupilia* celebrandæ.

Jupilia ministerialis ejusdem Episcopi Alberonis, duos mansos & quatuor bonaria terræ ibidem, contulit Abbatiæ Cornelianæ, anno 1153.

Porro totum Jupiliæ agrum sanctus Rex Henricus Haimoni Virdunensi Episcopo tradiderat, ipsumque diù tenuerunt successores Haimonis. Jupilia verò ad quam ventitabat sæpè Pipinus, locus est ad voluptatem à natura velut effectus, in clivo arduorum montium, vallibus aliquot intercurrentibus abruptorum, quos densæ opacabant sylvæ. Subjecta vallis, præterlabente Mosâ, longè amœnissimum sui præbebat spectaculum. Inde ab Aurotano vico, qui jam urbi Leodiensi suburbanus est, in longum protenditur intra Jupiliæ conspectum, ad aliquot milliaria, umbrosis semper clausa montibus, limpidisque fontibus irrigua. Posteri Pipinum secuti, locum exornarunt ædificiis, & utramque Mosæ ripam ponte junxerunt, quò vallis objectæ deliciis fruerentur commodiùs, extructoque ibidem palatio, Jupiliæ ripam reliquerunt, amaruntque potiùs lævam, cui factum est nomen *Heristallum*, frequenti deinde Principum, Regum, Imperatorumque secessu celebratum. Mansit appellatio geminis pagis, hodiè ignobilibus. Heristallum sinistram, dexteram Mosæ ripam tenet Jupilia, primo ab urbe milliari.

Trameeterius 1 p. 1. 4. sect. 34. p. 87.

Sancti Nicolai juxta Pontem Leodii, ex concessione Wederici Advocati urbis; in qua quidem Ecclesia ipse sepultus est, cum uxore sua, ut ait Bulla Victoris IV. de anno 1162.

Louerval ad tres circiter leucas ultra Namurcum, Diœcesis Leodiensis. Hanc Ecclesiam dedit Adelina pro anima filii sui Arnolfi, cum molendino eidem Ecclesiæ adjacente, ut habetur in præfata Bulla. Unio autem seu impersonatio *Louerval* cum Abbatia Cornelii-montis, facta est anno 1187. per Albertum majoris Ecclesiæ Leodiensis Præpositum & Archidiaconum.

Simpelweld, sive simplex via, ex donatione Episcopi Hugonis anni 1203, quo quidem anno in fraternitatem Cornelii-montis voluit recipi, & suos successores adoptari in posterum.

Simpelweld autem est in patria Limburgensi, tribus circiter horis ab Aquis-grano.

Soumaigne ex liberalitate Winandi Equitis, & amborum filiorum ejus, anno 1204. & approbatione Rodulphi Archidiaconi Leodiensis anni ejusdem; nec non confirmatione Innocentii III. 1206.

Grimbede, vel *Grimby*, ex largitione Wigeri militis de *Wege*, Gertrudis uxoris suæ, & Ludovici filii eorum, quam Hugo Leodiensis Episcopus approbavit anno 1224.

Reiekeim sive *Radecheim* à Willelmo nobili viro de *Radecheim*, datus fuit Joanni Abbati & successoribus ejus, anno 1260. confirmatus à Scholastico Tongrensi, Vicario generali Henrici Episcopi Leodiensis anno 1262.

Sancti Remacli in suburbio Leodii, à Garsilio Decano Aquensis Ecclesiæ, donatus Joanni Abbati Cornelii-montis, anno 1274. à successoribus ejus quomodo ereptus fuerit ignoro.

SACRÆ RELIQUIÆ.

SS. Materni; Thebæorum Martyrum; Fratrum Machabæorum. SS. Jacobi & Barnabæ. Sancti Stephani Martyris. S. Ægidii Abbatis. S. Malachiæ. Costa sanctæ Agathæ. SS. Lamberti & Remacli; de sancta Christi Cruce, & sepulchro; de lacte B. V. sancti Joannis Baptistæ, &c. quæ thecis ut plurimùm argenteis inclusæ, publicæ venerationi exponuntur.

MONUMENTA.

In priore Cornelii-montis Ecclesia, magnates plerique jus sepulchri habebant, & teste Transmosano scriptore coæquali, scutis gentilitiis Procerum muri fulgebant & Epitaphiis,

Pratanorum præsertim illustris familia mausolæis insignibus erat distincta. Tot insignium virorum & Benefactorum cineres, secum ad Belli-reditûs Ecclesiam demigrantes, transtulere Corneliani. Vide Probat. à col. CCLXXIJ. ad col. CCLXXXIX.

BERENDORFIUM.

Berendorff. Fil. Scheida Diœcesis Colon. Circaria Westphaliæ.

INsignis Prioratus virorum, & Scheidæ nobilis, non ignobilis partus Berendorfium, ad fluvium Ruram subsistens, anno circiter 1146. fundatum, à Dominis de *Ardeia*, haud procul à *Verda* civitate. Hunc Prioratum Calviniana hæresis grassans in his partibus, vastavit, & in prædium ab hoc tempore versum est Berendorfium, cujus proventus & fundos sic corrosêre passim nobiles, ut penè in nihilum pinguis evaserit dos & fundatio.

BERETHE.

Berethe Fil. Dockinga Diœcesis Groningensis Circaria Frisiæ.

AMplissimus veteris Præfecturæ in *Omlandia* vicus *Berethe*, Amasam inter & Lavicam, in Diœcesi Groningana situs, Parthenone Ordinis Præmonstratensis nobilitatus est ab Abbate Dockumensi, anno circiter 1204. juxta Emonis Chronicon. Quis ille fuerit Abbas fundator, assequi non est datum: Thomas quippe (quem in Dockumensium Prælatorum serie primum appellabimus,) cùm gubernio admotus fuerit anno duntaxat 1226. primus absolutè Dockumi rector haud venit appellandus. Scribit clarissimus *Van-husen*, Berethæ Sanctimoniales, anno 1214. translatas ad *Cusemar*, seu Portam S. Mariæ, alterum ejusdem Ordinis Parthenium, ab eodem Abbate Dockumensi fundatum. Pace docti viri dicam, nullo fulciri momento, immo reclamantibus posterioris ævi monumentis, asseri prætensam hanc transmigrationem. Enimvero Sibrandus Leo (cujus testimonium aliàs tanti fuit) recensionem faciens Monasteriorum, quæ post ferale diluvium anni 1287. Visitatores in Frisia lustraverant, in *Berethe*, seu, ut loquitur Sibrandus, *in Bertha Frisia Orientalis*, XL. Canonissas repererunt. Ergo ex *Berethe* examen Virginum ad Portam S. Mariæ nondum avolarat anno 1327. qui fuit prædictæ visitationis epocha.

T. II. f. 59. Episc. Groni.

Quin etiam ad interitum usque Catholicæ religionis in Hollandia, perseverasse Parthenium istud, evidens est ex charta sequenti; quam eò lubentiùs hîc apponimus, quòd ex ea evincatur apertè, pleraque illa utriusque Frisiæ Monasteria, non antè invalescentem in illis partibus hæreticorum potentiam excidisse, illorumque Paternitatem jam tum ad Steinfeldiæ Abbates fuisse devolutam.

Charta Jacobi Steinfeldiæ Abbatis, quâ Joanni Lidlumensium Abbati, jura Paternitatis in utriusque Frisiæ monasteriis committit.

JAcobus Panhusius, Dei gratiâ monasterii Steinfeldensis Abbas, ac Monasteriorum Frisiæ Occidentalis, Groninganæque ditionis, nec non & Orientalis Frisiæ, Pater Abbas & Superior, Ordinis Præmonstratensis, Coloniensis Diœcesis: Dilecto nobis in Christo Confratri & Domino Joanni Geelmudensi, Abbati vallis S. Mariæ in *Lidlum*, salutem in Domino sempiternam. Summo nostro dolore ex tuis litteris intelleximus, Frater dilecte, monasteriorum trium nostri Ordinis dispersionem; quorum primum, videlicet Abbatiam in *Vitte-verum* non reluctante, nec fidem præstante ipso Abbate nostro Ordini, invasit temerariâ manu Episcopus Groningensis D. R. Joannes *Knifius* (a) Reliqua duo monasteria in Frisia vestra, nempè Hortum D. Virginis Mariæ primarium cœnobium, Episcopus Leovardiensis Cunerus Petri vertit in Collegium Canonicorum. At quo jure Præposituram Bolsvardiensem, ne in diplomate suo unquam nominatam, (b) ut dicitur, invaserit, aliquandò, cum dabitur opportunitas, latiùs disseremus, modò dissimulabimus. Intellexi præterea ex tuis litteris maximum Prælatorum quorumdam, tam Abbatum, quàm Præpositorum, & Priorum in servanda nostra Religione, & Statutis neglectum; immo nulla in vestra Provincia fieri Capitula: visitationes & inspectiones rerum Ecclesiasticarum, quâ sic Religio nostra candidis-

(a) Joannes Knyssius, ex patritia Knyssiorum familia Ultrajecti natus, Ordinem Fratrum Minorum *de observantia* ingressus, Christophori Brunswicensis, Bremensis Archiepiscopi, & aliorum Principum rogatu, legationem ad Julium III. Pontificem cum egisset, in Prædicatorum Generalem assumptus est: & anno 1560. ad votum Philippi II. Hispaniarum Regis, designatus primus *Groningæ* antistes, ut Episcopatûs dotem (ex opulentis celeberrimæ Abbatiæ *Ads-werdina* fundis jam sufficienter ditatam) adaugeret, Abbatem Floridi horti, seu *Vitte-verum*, ejusque Canonicos, callidis machinationibus dementavit, votorum ac regulæ frænum eis laxans, & quocumque vellent, promittens migrandi licentiam. Hoc ilicio delusi Vitte-verumenses, alias *non satis regulariter viventes*, regularem disciplinam protinus habitumque projecerunt, & Knyssius arreptis monasterii redditibus, splendidissimas tum Abbatis, tum Conventûs ædes solo æquat, lapidibus & lignis Groningam, ad Episcopalis Palatii fabricam translatis. Prostrato autem Verumensi monasterio, tentavit & filiam ejus, videlicet *Campum rosarum* penitus extinguere: verùm aviditati ejus aggeres opposuit vir zelans Ordinis honorem, & piam Fundatorum intentionem Jacobus à *Panhuysen* Steinfeldiæ Abbas.

(b) Accuratam Pianæ illius Bullæ notionem non habebat Jacobus: quippe cum in ea *Bolsverdiana Præpositura*, non minùs, quàm monasterii *Maria-gaerdt* unio Episcopali mensæ Leovardiensi præscribatur, his verbis: *& quæ conventu caret, Præpositura beatæ Mariæ Bolsverdiana, ejusdem Præmonstratensis Ordinis, &c.*

ſima conſervetur, atque hâc viâ omnis Epiſcoporum in attentandis ſcrutationibus temeritas excludatur. Nos igitur & vobis, & veſtro periculo metuentes, noſtroque Ordini Præmonſtratenſi condolentes, cujus honori & amplitudini, pro noſtra obedientia, quâ Patri Abbati in Præmonſtrato, & totius Ordinis ſupremo, ex noſtrarum litterarum tenore obſtricti ſumus, perpetuò ſtudemus & animo, & corpore, ad honorem & laudem omnipotentis Dei, & ſalutem animarum omnium Fratrum, & eorum, qui Ordini ſubjecti ſunt. Cupientes igitur ſummoperè conſervare noſtrum Ordinem, regulam, ſtatuta, Patrumque ſanctorum placita, quorum gnaviter inhæremus veſtigiis; & quoniam Abbas in *Marigarde* (*a*) ut præfati ſumus, ab Ordine noſtro, aſſumpto habitu Canonici ſecularis, cum toto Cœnobio deſcivit, & obalienatus eſt, ideoque monaſteria omnia & ſingula olim filiali obedientiâ ſibi obſtricta, ad nos, tanquam ſuum verum, & legitimum Patrem Abbatem, pleno jure devoluta eſſe noſcuntur: Ne igitur prædicta monaſteria viduitatem ſuam deplorare habeant, illorum providentiam in noſtram curam ſuſcepimus, & ſuſcipimus. Sed quia propter itineris diſtantiam, illis præſentialiter, ut res quidem poſtularet, quotidiè adeſſe nequimus, ne tamen noſtra abſentia illis detrimentum pariat, curandum nobis erit, ut aliorum diligentiâ, & ſollicitudine, quæ per nos exerceri minimè poſſunt, ſuppleantur. Et poſtquam ex fideli narratione D. Sibrandi (*b*) Fratris veſtri, legati ad me miſſi, veſtram intelleximus prudentiam, doctrinam, morumque probitatem, immo ab ipſo Patre Abbate *Horti Mariæ* proximum, cujus hactenùs ab ipſa veſtri monaſterii fundatione filius extitiſti, tibi pro noſtra authoritate præfata, curam hanc & ſollicitudinem his noſtris committimus litteris, omnium monaſteriorum infra nominandorum, tam in Friſia Orientali, quæ etiamnùm ſuperſunt, quàm in Occidentali, & Groningana ditione. Præterea te generalem noſtrum conſtituimus Commiſſarium, & Viſitatorem omnium monaſteriorum in iſtis tribus provinciis præfatis, his legibus, & modis. Nempè ut ab ipſis noſtris modò tertiò litteris, & commiſſione, ſine ulla dilatione iter arripias, & ab ipſo Documano monaſterio omnia cœnobia gnaviter viſites, addito tibi D. Sibrando prædicto, tanquam coadjutore, & ad hæc à nobis præſtito juramento, deſignato ut à latere tibi ſit loco Notarii noſtri Ordinis; ſic ut omnis ſecularis perſona extra Ordinem noſtrum excludatur. Qui Sibrandus tametſi omnibus modis nobis reluctaretur, ſeque iſti provinciæ inidoneum judicaret, noſtris attamen precibus & adhortationibus eò inductus fuit, onus illud ut ſuſciperet. Concedentes vobis plenam poteſtatem, ut ſi quando hunc ex cauſis rationabilibus abeſſe, aut migrare è ſeculo contingat, alium ejus loco doctrinâ & prudentiâ idoneum, edito juramento fidelitatis, ſubſtituas. Non ignoramus ſanè quantùm ex monaſteriis piè inſtitutis, & rectè adminiſtratis, in Eccleſia Dei ſplendoris atque utilitatis oriatur; ideòque neceſſarium eſſe duximus, quò faciliùs & maturiùs, ubi collapſa eſt virtus, & regularis illa diſciplina, inſtauretur, & conſtantiùs, ubi conſervata èſt, perſeveret, ut religioſi tam viri, quàm mulieres, ad regulam, quam profeſſi ſunt, vitam inſtituant, & componant. Atque imprimis quæ ad ſuæ profeſſionis perfectionem, ut obedientiæ, paupertatis, & caſtitatis vota, cum ſacro ſilentio, & ſi quæ alia ſunt ad communis vitæ diſciplinam conſervandam neceſſaria, fideliter obſervent, omnis cura diligentiaque adhibeatur, tam in Capitulis Provincialibus, quàm Viſitationibus annuis, ne ab inſtituto majorum recedatur: *ne* (inquit ille) *transgrediaris terminos, quos poſuerunt Patres tui.* Tum enim maximè, ſi Deum verè colimus & amamus, & proximum mutuo amore & benevolentiâ ſuperare conati fuerimus, ſacro ſancto Concilio Tridentino debitus honor & obedientia exhibebitur, & monaſteriis ita pietate & doctrinâ inſtitutis, quàm minimùm damni accreſcet, honeſtatis autem, gratiæ apud Deum & homines plurimùm. Modus viſitationis, juxta Capitulum primum Statutorum noſtrorum, Diſt. 4. & ex injuncta nobis à D. Præmonſtratenſi cura hic erit. Ubi veſtra dignitas ad aliquod monaſterium acceſſerit, fiet per Campanæ pulſum in Eccleſia conventus. Cantabitur Hymnus *Veni Creator:* addes ℣. deinde Collectam, *Deus qui corda.* Peractâ invocatione, accedes domum Capituli, & factâ admonitione vel per te, vel adjunctum tuum, ſi quid ſchiſmatis, aut litis inveniatur, tam apud Monachos, quàm ſacras Virgines, compones, & omnia in concordiam rediges, haſque tuæ Commiſſionis litteras illis prælegès. Miſſo conventu, cum ipſo Abbate, vel Præpoſito, aut Priore ages; ab ipſo omnium redditutum, cenſuum agrorumque rationem exiges, atque in Libro Rationali per tuum Notarium in acta rediges, omniumque horum plenam notitiam capies. Sic etiam tuâ providentiâ providè cures quæ omnia ſint pia, bona & ſalva. Hæc quotannis ſine intermiſſione hâc formâ, incipiendo à feria ſecunda poſt feſtum venerabilis Sacramenti, curabis, addito tuo comite coadjutore Notario, fieri, ſub pœna inobedientiæ, & acrioris inflictionis, ſi neceſſum ſit; & ut cætera monaſteria abs te, tuoque monaſterio,

(*a*) Abbas Horti-mariani, ſeu *Marie-gaerde*, ideo dicitur ab Ordine cum toto cœnobio deſciviſſe, quia reſolutis à Pio IV. illorum votis, *ad ſtatum Canonicorum ſecularium* reducti ſunt: & Abbas quidem Archidiaconatu, Religioſi novem antiquiores totidem præbendis in Cathedrali Leovardienſi donati ſunt; cæteris verò collati ſunt Canonicatus, ex Capellanearum ſeu Vicariarum ejuſdem Eccleſiæ ſuppreſſarum fructu creati.

(*b*) Hic eſt celebris ille Sibrandus, cognomine Leo, pietate & doctrinâ ſpectabilis, de quo fuſior erit ſermo in Bibliotheca Scriptorum Ordinis.

velut primario, exempla sumant, summâ industriâ curabis in tuo cœnobio ut omnia pia & tranquilla sint, utque tuas Ecclesias tuæ fidei & Archidiaconatui commissas, ipse visites, aut per tuum Provisorem ad hoc destinatum, visitari cures; sic ut nullo seculari Officiario ab Ordine nostro alieno, ulla irrumpendi in tuam jurisdictionem detur occasio: cui & nos pro nostra authoritate perpetuò invocati resistemus. Peractâ autem visitatione, vel quando commodiùs vobis visum fuerit, ne aliqua malignandi adversario, qui circuit tanquam leo rugiens, quærens quem devoret, occasio relinquatur, consultum nobis visum est, ut tuum quoque monasterium in *Lidlum*, ad præfatam formam & modum visitetur, per Reverendos Dominos Abbates in *Dockum*, & *Merna*. Hoc imprimis inter Patres, & Fratres pacis & concordiæ seminarium futurum erit. Habet T. D. Ecclesias parochiales, quibus nostri Ordinis Fratres præsunt, *Sexbirone*, *Castrobiron*, *Bemaroni*, *Barlkoni*, & *Menaldoni*. Mandamus in virtute S. obedientiæ ut diligenter modo prædicto visites, & observes. Monasteriorum in Frisia Occidentali, quorum visitationem præfatam tibi committimus, nomina hæc sunt. Abbatia S. Bonifacii in *Dockum*: Præpositura in *Feen-closter*: Præpositura in *Buven-closter*: Prioratus in *Bethleem*: in *Woërt*: in *Bajom*. In Groningensi agro, Abbatia in *Merna*: Præpositura in *Cusemaria*: in *Schiltvolda*: in *Heiligerlée*: & Prioratus in *Nyeclosler*. In Comitatu Embdensi, Præpositura in *Langen*: in *Bertha*. Horum Cœnobiorum omnium, ut Commissarii & Visitatoris nostri generalis curam in modo prædicto tibi, tuæque fidei committimus; ita tamen ut nobis, tanquam primario Patri Abbati, nostrum jus maneat integrum, quantùm ad confirmationem vestræ Abbatiæ *Lidlum*, *Dockum*, & *Merna* attinet; quam confirmationem nobis reservamus: ut si quando vel necessitas, vel opportunitas aut mihi, aut successori meo dabitur, à visitatione generali minimè excludamur; sed pro Patre Abbate supremo & legitimo agnoscamur; concessione hâc usque ad nostram, aut successorum nostrorum revocationem duraturâ. Cura igitur, mi Frater, munus tuum, tibi his nostris litteris concessum, summo labore ut exequaris, sisque memor te aliquando ab ipso Domino & Salvatore nostro Jesu Christo tuam recepturum cum Sanctis omnibus mercedem. Vale, Frater in Christo charissime, cum tuis nostrisque omnibus, quorum orationibus me recommendatum optamus Christo Domino. Datum *Steinvelda*, sub sigillo nostro Abbatiali manûsque subscriptione, anno partæ salutis millesimo quingentesimo septuagesimo primo, die decimâ quintâ Junii.

Jacobus à PANHUYS, monasterii Steinveldensis Abbas, Visitator Circariæ Westphaliæ, Pater Abbas monasteriorum in partibus Frisiæ.

BERNA.

Berna filia Insula B. Mariæ. Diœcesis Trajectensis. Circaria Frisiæ.

* Heusden.

MEdio ab *Heusdâ** lapide, in pago Teisterbantiæ, & vico de *Herbt*, arx Berna ad Mosam sita, Fulcoldus Miles proprietario possidebat jure. Ille armis & opibus potens, suis etiam Dominis, Hollandiæ Comitibus, bellicosæ virtutis facinoribus, & Castri æmulâ munitione formidabilis, Cuickianæ familiæ fœdere strictò conjunctus, & promptus ad auxilium, in prælio Hermestano partes Cuyckii, contrà Florentium Hollandiæ Comitem, sequutus, magnâ strage, & Florentio illatâ ex insidiis morte, victoriam junctis cum socio armis, reportavit. Theodoricus fratris interfecti ultor impatiens, Fulcoldum agglomeratâ militum manu, persequitur, fugientem arctat, & ferè prædâ potitus, ad ripam fluminis, ultimum pereuntis asylum, videt Fulcoldum confugere: qui angustiis undique involutus, implorato B. Virginis auxilio, aquis natando se committit, & ad oppositum fluminis littus feliciter & incolumis perveniens, elusâ insectantis inimici rabie, statim de immutandâ arce in Præmonstratense Cœnobium, ad honorem B. Virginis, votum fecit Domino. Evocatis igitur ex Insula B. Mariæ Canonicis, suum illis Castrum tradidit anno 1134. primumque illic Abbatem Robertus Insulæ Abbas designavit Everardum, sub cujus disciplina Fulcoldus mundo valedicens, stupendo planè exemplo, humilis Conversus Bernæ effectus, annis quindecim sanctissimè vixit, humilitatis & patientiæ probatus exercitiis, inter quæ & bubulci officium, vaccas sæpiùs ipse mulgens, exercuit. Decessit 12 Aprilis 1149. inter Sanctos Ordinis annumeratur ad obitûs sui diem.

I.

Everardus sanctitate insignis, & liberalibus studiis eruditus apprimè, socios secum advehens Gerardum Priorem, Onulphum, & alios commilitones natos Bruxellis, & scientiis imbutos, Bernæ possessionem adiit, & Andreâ Trajectensi Episcopo approbante, Ecclesiam & cæteras Claustri officinas ex ligno ædificavit. Virorum & mulierum ad Bernam tantus factus est concursus, ut multitudini non sufficeret ampla, sed vilis habitatio, pro singulo sexu, distinctis terminis præparatæ. Fulcoldi enim, & uxoris ejus Bescelæ conversio, quos melliflua Everardi eloquentia Religionis jugo subdiderat, sic famam magistri, & monasterii divulgaverat sanctitatem, ut turmatim Cænobio Bernensi, & Parthenoni *Woërt*, quem Bescela instituerat, discipuli ultrò se dantes offerrent. Ob palustrem situm, è Babilonia ad

Woërt septuaginta Sanctimoniales, magistrâ Bescelâ præeunte, transtulit Abbas Everardus. Gerardo Priori interea sanctissimè defuncto, subrogavit Albertum de *Berze*, quem ambitio taliter incessit, ut ad infulas, interpositâ calumniâ in Prælatum, præsumpserit aspirare. Robertum Patrem Abbatem, & Gaufridum Trajectensem Episcopum judices interpellatos, Bernam procuravit accersiri: tam corruptos domi, quàm foris subornatos muneribus, testes produxit accusator, quos proborum testimonia, & vitæ insontis suffragium arguerunt falsitatis. Non quievit impostor, iteratò Episcopum pecuniâ illectum, judicem appellat, coram eo ventilat causam; sed cùm optimi quique ex utroque Conventu, pro Abbate totis starent viribus, perfidorum fracta est conspiratio, & Albertus accusator, Prioratu motus, in Saxoniam exul pellitur, ibique in domo Ordinis, ad gradus Sanctuarii de repente corruens, subitâ morte correptus est.

Infelicem hominis perditi exitum lacrymis prosecutus est Everardus Abbas; amissum per id temporis, sed morte beatâ, Theodoricum, luxit pariter. Erat enim Theodoricus librorum indefessus scriptor, eventuum sui temporis enarrator egregius, in concinnandis homiliis & prædicatione non inelegans orator, Sanctimonialium de *Woërt* curam cum Onulfo amico dividebat, iisque verbo prælucebat & exemplo. Laborum & meritorum finem inopina mors imposuit; dùm enim ægrotanti Onulpho charitatis impendere officia satagit, ipse subitaneo dolore correptus, rapitur in extasim, in lectum deportatur æger; decumbentem interim Onulphum B. Maria visitat, eumque his affatur verbis, ***mi dilecte, non modò morieris, sed revoluto anno ad me demùm demigrabis, amico autem tuo hìc mora non valet, quia in instanti mecum est regnaturus.*** Nec mora, Onulphus de imminenti morte admonet amicum, ad Confessionem puram, ad participationem Corporis & Sanguinis Christi, jacentem, sed infirmitatis mortalis neutiquàm conscium, urget precibus. Cedit instantis amici consilio Theodoricus, & ecce Sacramentis munitum placida mors intercipit, feliciori vitæ restituendum. Hunc paulò-post Everardus Abbas, lapidibus ad structuram Templi congregatis spirituali jam dudùm ædificato & ornato, secutus est anno 1168. XVIII. kal. Octobris.

II.

HUGO Matricis Ecclesiæ Canonicus, & ante conversionem Capellanus Godrefridi Trajectensis Episcopi, natione Morinensis, probatus Magister, arte physicus, religiosâ & honestâ conversatione commendabilis, austerioris & quotidiani cilicii pœnitentiâ carnem macerans, ad Bernensem Abbatiam promotus est. Templum ab inauguratione auspicatus, consummationem, morte præocupatus, successori dimisit anno 1176. VIII. kal. Aprilis.

III.

GODESCALCUS Prior de *Postula*, & Floreffiensis Canonicus, in ædificatione Templi plurimùm sollicitus, innundatione aquarum, septimo regiminis sui anno, dura passus, pecorum mortem, diruptionem aggerum, paupertatis angustias generosè sustinuit, providè mederi voluit, arrepto ad hunc finem itinere versùs Coloniam, quam ut attigit, & frugibus comparandis invigilat, morte opprimitur in domo avunculi sui Aufridi Decani S. Andreæ, pridiè Idus Januarii 1186. & in ejus Ecclesia ante fores Dormitorii sepultus est. De illo extant hi versus.

> *Wylica* cui vitam dedit, & *Floreffia* vestem,
> *Postula* cui laudem, *Berna* dat ampla pedum.

IV.

EVERARDUS II. Canonicus Bernensis, homo religiosus & timens Deum humilitate & sanctitate celebris, Turrim Ecclesiæ & Dormitorium lapidibus ædificavit, Priore Arnaldo suppetias ferente. Vigesimo primo regiminis sui anno revolvente, fractus corpore, & simultatibus quorumdam divexatus, sponte Abbatiam resignavit an. 1207.

V.

HENRICUS filius Hermanni de *Alfen* prosapiâ & moribus nobilis, ex parte matris de Fundatoris Fulcoldi genere satus, Refectoria Clericorum & Laïcorum, nec non ædes Abbatiales extruxit. Novennio ab installatione, non sine gravi Ecclesiæ damno depositus abscessit 1216.

VI.

ARNOLDUS ab infantia Bernæ educatus, & ibidem posteà Prior, suis pro Ecclesiæ incremento laboribus, dignus qui Ecclesiæ præesset, vastatas suo tempore à vorace flamma curias & Ecclesiam de *Merbeck* instauravit 1224.

VII.

HENRICUS loco motus ex injuria, voto communi Cathedræ redditus, octavâ à restitutione septimanâ moritur VIII. Idus Julii 1228.

VIII.

THEODORICUS, reliquias SS. Machabæorum à Coloniensi Ecclesia impetravit; & factorum suorum pertæsus, absolutionem in Capitulo generali obtinuit, anno 1233.

IX.

LUDOVICUS triennio laudabiliter rexit: magnâ precum instantiâ absolutionem à Capi-

tulo generali petitam obtinuit ægrè, an. 1236.

X.

WALTERUS, in cujus electione desinit Bernensis Chronographus. Sequentes ex Necrologio, & Abbatum Syllabis colliguntur.

XI.

HENRICUS II.

XII.

ALARDUS.

XIII.

BALDWINUS.

XIV.

JOANNES.

XV.

ARNOLDUS II.

XVI.

WALTHERUS.

XVII.

NICOLAUS.

XVIII.

GERARDUS.

XIX.

RODOLPHUS.

XX.

JOANNES II.

XXI.

NICOLAUS II.

XXII.

JOANNES DE *BEERS*.

XXIII.

JOANNES DE *PAEP I.*

XXIV.

JOANNES DE *PAEP II.*

XXV.

GERARDUS DE CLOOTWICK.

XXVI.

ROBERTUS DE *DOERN*.

XXVII.

GODESCALCUS DE *VEEN*.

XXVIII.

INGRAVIUS *ROMPOT*.

XXIX.

PETRUS DE *HEMERT*.

XXX.

MARCELLUS DE *MACHEREN*.

XXXI.

ALEXANDER DE *OSSCH*.

XXXII.

ARNOLDUS DE *WICK*

XXXIII.

ARNOLDUS DE *MALSEN*. Obiit anno 1515.

XXXIV.

JOANNES *BIERKENS*, obiit eodem anno.

XXXV.

ÆGIDIUS *INGENLANDT*, obiit anno 1527.

XXXVI.

CONRADUS DE *MALSEN*. Primus à S. Sede infulas obtinuit. Sublatus est 22. Januarii 1549.

XXXVII.

OTTO DE *BOETZELAER*, diem vidit ultimum 25. Julii 1552.

XXXVIII.

THEODORICUS *SPIRINCK*, ex *Wel*, fato cessit 1. Julii 1584.

XXXIX.

ADRIANUS *UITCMIUS*, interfuit Concilio Provinciali Mechliniensi; & Synodo Buscoducensi. Moritur 19. Decembris 1606.

XL.

ARNOLDUS *VESSEMIUS*, obiit 24. Augusti, 1608.

XLI.

JOANNES *VERCUYLEN*, grassantibus per Belgium Calvinistis, iteratâ desolatione desolatam luxit Abbatiam suam. Hæc furentium prædæ sæpius data, flammis demum assumpta, quæ fuerat priùs religionis & pacis habitaculum, conversa est in Bellonæ officinam: quippecùm ex illius ruderibus excitatum fuerit in eodem loco molendinum, conficiendo pulveri tormentario destinatum. Obiit Joannes 1. Novembris 1621.

XLII.

JOANNES *MOORS*, à Capitulantium cœtu, in hospitio suo Sylvæ-ducis, post Bernæ conflagrationem, moram trahente, fublectus, Domum Fratrum in communi viventium (qui antea in eadem civitate humaniores docebant litteras) pretio comparatam, anno 1623. in Abbatiæ formam adaptare cœperat; cum ecce ex improviso Sylvâ-ducis, anno 1629. ab hæreticis captâ, denuò jubetur cum Canonicis

suis, & reliquo Clero è civitate migrare. Non habentes igitur quo pedem figerent Bernenses, consistere coacti sunt in *Bernhese*, qui Tractus est terrarum partim *Heesvycensis*, partim *Dintherensis* jurisdictionis, ubi miseram, & hæreticorum illecebris deliniri nesciam, finivit vitam Joannes, anno 1641.

XLIII.

LEONARDUS *Bosch* multiplicari vidit mala gentis suæ. Cùm enim ne in ipso quidem *Bernhese*, Brabantiæ territorio, securam potuissent adinvenire mansionem Bernenses, quin & omnes eorum proventus & fundi Fisco Fœderatorum Belgii fuissent iniquè prorsus addicti, anno 1648. Leonardus tandem, cum paucis suis, refugium in oppido Vilvordiensi propè Bruxellas acquisivit; ubi & ipse dormivit anno 1668.

XLIV.

JOACHIMUS *Kerkers* ad plures abiit, anno 1676.

XLV.

HENRICUS *Van-Dale* 1692.

XLVI.

LUCAS *Jongers*, 1694.

XLVII.

NORBERTUS DE *Jode*, diem clausit extremum 12. Septembris, 1705. Sepultus in Abbatiâ Grimbergensi.

XLVIII.

LEONARDUS *Maes*, restaurando pro posse monasterio suo jugiter adlaboravit. Cujus votis annuens Capitulum generale anni 1717. Præmonstrati celebratum, ac deplorans florentis olim monasterii sortem, quantis potuit precibus, & rationibus, Proceres Ordinis invitavit, ad subsidium prædicto Abbati Leonardo charitate ferendum, quò collectas Vilvordiæ quisquilias, in pristinum honoris & disciplinæ statum restituere queat. Obiit 8. Februarii anno 1728. & Grimbergæ sepultus est. Cui successit.

XLIX.

GERLACUS *Van Malsen*.

MONUMENTA SEPULCRALIA.

Ad latus Chori celebris quondam Bernæ Abbatiæ, turbarum impetu incensæ, tumulum Arnoldi *Van-der Sluysen*, hâc Epigraphe adscriptum, legisse se testatur Gramayus.

Qui fuerat gratus cunctis, jacet hîc tumulatus,
Heusdini natus, ex clara stirpe, vocatus
ARNOLDUS Miles de *Slusa*. Spernere viles
Actus hic novit, falsos à seque removit.
Fortis, formosus, prudens erat, & animosus.
Justus, pacificus, probitati semper amicus.
Finiit is vitam, morum gravitate politam,
Quarto reddendas à mense Decembre Kalendas,
Anno milleno Domini, noviesque noveno,
Et bis Centeno, ternoque quoque cum duodeno. 1296.
Gaudeat in cœlis, hic oret quisque fidelis:
Hoc Pater, & Flamen sacrum, Natusque det. Amen.

PATERNITAS.

Jure Paternitatis olim gaudebat Bernæ Abbas in monasterium.

S. Jacobi de *Languen*, quod aliàs dicebatur Alandt-ripa Magnæ.

Quatuor etiam filiali jure sibi subditas habebat Præposituras Bernensis Abbatia.

1°. Fuit Meersbergensis.
2°. Monickvordensis.
3°. *Heezwick*.
4°. *Weert*, Parthenium.

PASTORATUS.

Berlichum, ex donatione Præpositi, & Capituli Sancti Salvatoris Ultrajectensis, anno 1240.
Ontheusden.
Ulym.
Engelen.
Dyckuysen.
Lytoya.
Heezwick, ex donatione Wulravi à *Benthem*, & Agnetis uxoris ejus, anno 1284.
Orthen.
Buscus, hi ambo pastoratus ab Henrico II. Duce Brabantiæ, ablati Bernensibus, & Monialibus Dominicanis de *Aurigen* contraditi. Vide Probat. à col. CCLXXXIX. ad col. CCXCIJ.

BERNETUM.

Bernetum, filiæ Gerusii. Diœcesis Passaviensis Circaria Bavariæ.

IN Indice Pagii, Præpositura hæc Virginum, sub Paternitate *Gerusii* collocatur; hanc in aliis numero quinque Catalogis, nec in ipso Layruelio reperi, qui post Bavaricam, Suevicam, & Westphalicam Provincias peragratas, post lustrata Abbatiarum Scrinia, suam contexuit Monasteriologiam. Negativum argumentum firmat Gerusii, fatentis sterilitatem suam, declaratio. Neque enim probabile est, memoriâ hominum excidisse Parthenonem, quo uno fœtu gloriari poterat Gerusium.

Neque dicas, bellorum incendiis incineratam

tam funditùs domum, suis modò privari documentis quibus paternitatem suam stabiliat, aut prolem extinctam sibi vindicet. Certè ipsa rudera notitiam perrennassent, si tentasset temporum, aut hominum malignitas illam oblitterare. Invitos quippe muta saxa edocent, aut si vox deficit in lapidibus, oralis præsertim in monasteriis traditio, majorum insignia facta non permittit oblivione sepeliri. Gratis igitur à Pagio inductum *Berneti* Parthenonem ex apocriphis, vehementer suspicor, dum suæ Bibliothecæ extremam apposuit manum, Nantolii Pastor.

BERTRICURTUM.

* Bertricurtum. Fil. S. Joannis Ambianensis. Diœcesis Ambianensis. Circaria Pontivi.

SUb Abbate Fulcone, Monasterium sancti Firmini Ambianensis, ad oras fluvii *Ceyle* (Seile) translatum anno 1136. crevit coëuntium undequàque Religiosorum numero, crevit & famâ sanctitatis tantâ, ut virgines, senes cum junioribus seculo renuntiantes, Fulconis magisterio se subdiderint, & Ordini dederint nomen. Adscriptas Religioni per Professionem Sanctimoniales, cœnobio acclusit, quod *Bessunum* vocabatur, Abbatiæ contiguo. Gisla de *Pinchonio* (Pequigny) Sororum regimini præfecta est à Fulcone.

Erat illa & natalium splendore, & candore morum Virgo spectabilis, ad quam Virgines turmatim concurrebant; quas cùm *Bessuni* angusta domuncula capere non posset, ad *Bertricurtum* * à Fulcone ablegatæ sunt, cum Magistra. Huic pia mater Beatrix, viduata Gerardo conjuge, solitudinis sociam se adjunxit.

* Uno milliari distat Ambiano.

Brevem illic fecere stationem Sanctimoniales. Nactus quippe locum vitæ regulari ineundæ aptiorem in *Valle-Guidonis*, * ad hunc se cessum agmen deduxit Fulco Abbas. Quo præcisè anno, ignotum nobis; certum nihilominùs illam transmigrationem ante annum 1139. contigisse: siquidem Guarinus Ambianensis Antistes, in suo Diplomate, bona & possessiones Ecclesiæ S. Joannis recolente, & confirmante, Fratres in Valle-Guidonis habitantes recenset, eorumque annonæ consulit; Fratres, inquam, Sororibus spirituali ministerio deservientes. Fixerunt illìc sedem suam Moniales, non ampliùs amovendæ loco, illìc & vitam egerunt placidam; sed seculo XIII. finem invenerunt, dùm in sexum fœmineum subiratus Ordo, in stragem illius conjuravit.

* Valojon.

Tres in unum confluxisse Parthenonem, nominibus, & stationibus duntaxat diversum, liquidò constat. Sed miror à prima *Bessuni* habitatione, inclytum Parthenoni nomen mansisse, * post translationem suam ad Vallem-Guidonis, ubi per duo secula viguit, sub Priorissarum administratione, quarum prima fuit

* Apud Myræum, apud Mss. Codices.

I.

GISLA, sive GISELA DE *PINCHONIO*.

II.

AGNES DE COISY.

III.

EMELINA.

IV.

MARIA.

V.

ANNA.

Sic enim in S. Joannis Necrologio nominantur, tacito, non die, sed anno mortis earum.

BESELICH.

Filia Arnstenii. Diœcesis Trevirensis. Circaria Vestphaliæ, olim Vadegotiæ.

TRans Loganam amnem, haud procul à Collegio sancti Lubentii, sublimi ac viridanti in colle & in parœcia *Dickirchen* Diœcesis Trevirensis, anno Christi 1153. Hillino tum episcopante, Godefridus spectatæ virtutis Sacerdos, Præposituram Sanctimonialium Ordinis Præmonstratensis, instituit, & filiali obsequio subdidit Eustachio Abbati Arnstenii secundo. Rei totius seriem in B. Ludovici Arnstenii Comitis vita narravit coæqualis Scriptor.

T. 1. Monumen. S. Antiqu. p. 42.

» Hujus (Eustachii Abbatis) temporibus, » quidam Sacerdos nomine Godefridus, Ec» clesiam, quæ *Beselich* nuncupatur, quam » in parochia *Dieckirchen*, consensu Domini » Alexandri Trevirensis Archidiaconi, constru» xerat, cum omnibus attinentiis, animalium » scilicet & fructuum infra curiam constitutis, Fratribus de *Arnstein* contulit ob spem » salutis æternæ; ut iidem Fratres ibidem Mis» sarum solemnia perpetuò procurarent. Qui » etiam Conventum Sanctimonialium illicò » dirigentes, primitias Domino Sabaoth dedi» carunt bonorum operum, ex proventu. Erant » ejusdem loci Domini de *Cazenelborgen*, tunc » temporis Advocati; sed ipsam Advocatiam » pro amore Jesu Christi, & intemeratæ Ma» tris ejus, cum omni jure totaliter abdican» tes, in manus Fratrum prædictorum & Con» versi Comitis Ludovici, cum integritate om» nium infra curiam existentium, libertate » perpetuâ tradiderunt. Quem locum Hilli» nus eo tempore Trevirorum Archiepiscopus » & Apostolicæ Sedis Legatus, sub tuitione » sua, suorumque successorum suscepit specia- »

» li gratiâ deffensandum. Jam dicto Alexan-» dro Archidiacono jus suum in ea penitus re-» signante, & ad majorem ac perpetuam facti » hujus firmitatem statutum est, & privilegiis » confirmatum, ut Ecclesia memorata, Trevi-» rensis Ecclesiæ Archiepiscopo aureum dena-» rium, vel duodecim Confluentiæ monetæ » denarios argenteos, annuatim persolvere te-» neatur.

Ab annis centum & ultra, à Comitibus Nassoviis hæresim profitentibus, Parthenon direptus est. Posteà verò reversi ad fidem Catholicam Comites, illum anno 1620. restituerunt Ordini, & pacificè postliminio revocatæ Sanctimoniales, per annos sex possederunt. At veluti restitutionis factæ pœnitentes Nassovii, vel quasi meliora æmulantes, anno 1627. redditos hæredibus proventus & fundos iterum assumentes, erigendo Hademariæ Collegio Patrum Societatis Jesu addixerunt magna ex parte, minimam sibi retinentes. Ob expilationem immerenti factam Ordini, graviter conquestus est apud Imperatorem Ferdinandum Joannes *Bingel* Arnsteinii Abbas. Principi Savelli, suo in Romana Curia Oratori, Cæsar dedit in mandatis, ut præpediret quominùs Ordo Præmonstratensis Beselicensi Parthenio (in quod ipsius autoritate jam tum fuerat redintegratus) denuo spoliaretur. Ad Aliferium postea, sedis Apostolicæ Nuntium, delatam litem prosecutus est Abbas, tractis coram eo Judice Detentoribus Patrimonii Norbertini. Vindex traditionis alieni fundi sistitur Nassovius; hinc inde magno æstu ventilatur causa; obiit lite pendente Abbas; causam Willielmus *Eschenear* successor, magnanimo corde instaurat, & Norbertum *Horichem* Abbatem Steinfeldiæ ac Provinciæ Vicarium generalem, in auxilium vocat. Coloniæ, dein Romæ apud Rotæ Judices, litem agitarunt junctis viribus Abbates ambo. Pace Monasteriensi confectâ, finitam arbitrantes causam, authores fœderis interpellarunt ambo, ut spoliatos in integrum restituerent, ad tenorem pactorum Tractatûs pacifici. Sed cùm proventus *Beselechii*, ad Catholicorum devenissent manus, quæstionem ad alios spectare Judices responderunt.

Ergo ad Romanæ Curiæ Tribunal, iterum provocanda fuit appellatio. Patres Societatis, & Hademarum Principem in jus vocavit Abbas Romersdorffiensis, anno 1665. Ab hinc scriptis acriter decertatum, Patribus interim, & adhuc modò, gaudentibus de aliena fortuna.

Litteræ Ferdinandi Imperatoris ad Principem Savelli, suum in Romana Curia Oratorem.

FERDINANDUS,

ILlustris, fidelis, dilecte. Litteras nuper ad Vos dedimus, quibus pia desideria Comitis Joannis Ludovici Nassovii, incrementa Religionis Catholicæ meditantis, promoveri desiderabamus. Inter alia supplex Sanctitati suæ rogabat, in ditione sua unum, alterumve monasterium, Virginibus Regulam Benedictinorum, & Præmonstratensium professis, olim fundatum, authoritate Apostolicâ in usus Seminarii, aut Collegii PP. Societatis transformari. Nobis quidem semper ea stetit sententia, & jam tum repetitis decretis sancivimus, unicuique, ex justitiæ præscripto, sua reddenda, neque temerè, conquisitis licet coloribus, immutandas esse supremas Fundatorum voluntates, præsertim ubi supersunt ejusdem Professionis Religiosi, qui in hæreditates simul operasque succedant: prout intelligimus monasterium *Beselich* jam tum authoritate nostrâ incolere Patres Ordinis Præmonstratensis, qui in Ecclesiâ Dei operæ pretium faciunt; ac proinde nolumus illos indictâ causâ destitui possessione & juribus, quæ per temporum etiam injurias conservaverunt. Omnino favemus Religioni, quâcumque etiam viâ incrementa sumat majora, ita tamen ut Ordinibus, per Dei gratiam florentibus, patrimonia sua maneant intacta. Curabitis proinde, si quid hoc loci Sanctitas sua putaverit innovandum, saltem ut Ordo Præmonstratensium, qui pacificam ibidem possessionem adeptus est, & stationem suam in Ecclesia Dei strenuè tuetur, conqueri non possit, authoritate nostrâ Imperiali, causæ suæ præjudicatum fuisse. Datum in civitate Imperiali Ratisbonæ, die 18. Sept. anno 1630.

BETHANIA.

Nunc S. *Joseph Furnensis.*

Bethania Filia S. Nicolai Furnensis. Diœcesis Iprensis. Circaria Flandriæ.

IN oppido Wulpensi Xenodochium mediante seculo XV. fundatum, administrabant Hospitales vestales, *Grisea Sorores* tunc dictæ. *Bethania & sancti Augustini* nomina habebat Xenodochium, pauperibus & peregrinis excipiendis destinatum. Licet Ordinem Præmonstratensem non profiterentur Sorores, Abbatis tamen Furnensis paternæ authoritati subjacebant, ejusque regebantur præceptis.

Sub finem XVI. seculi vastata fuit ab heterodoxis, & æquata solo domus Bethaniæ, quæ tum erat extra muros Furnenses: sacram prophanamque suppellectilem, & instrumenta bonorum, flamma vorax devoravit. Hinc de-

paupératæ, lugentesque Sorores, statuerunt domicilium suum Furnensibus mœniis accludere. Delegerunt Oratorium quoddam, *sancto Josepho* sacrum; amortizationem fisco penderunt, & Abbatis Furnensis consilio crumenâque potentes, suscitarunt enectum Parthenonem de cinere & favillis.

Attamen Præmonstratensium regimini assuetæ Virgines, huic Ordini ut insererentur peroptabant; applaudebat Furnensis Archimandrita, dolens Abbatiæ suæ nullam superesse sobolem fœmineam, ex quo fatis concesserat Præpositura de *Hem*, seu *Curtis Dominarum*. Etenim virgineo cœtui, suscipiendi novi statûs jamjam cupido, exhibet Præsul majora illis, Præmonstratensibus effectis, subsidia præstanda, majorem sollicitudinem ab Furnensibus Abbatibus fore impendendam; onera graviora ferè non subituras. Igitur Regulæ Augustini, quam unicam legem cum Evangelio, sectabantur, jungunt Moniales Ordinis nostri observantias, ritus exercent, totamque fermè agendi rationem imitantur, ad tyrocinium novæ vitæ, quam vivere avebant. Præerat tum insigni sancti Nicolai Abbatiæ Christianus Druvæus; ab eo suam olivæ Præmonstratensi insertionem efflagitant unanimi consensu Bethanienses. Postulantium fervorem gratuito audivit excepitque sensu Druvæus: sed quia ad Capituli generalis proximè imminentis, arbitrium rei totius eventum judicavit referendum esse, Præmonstratum petiit anno 1618. & Comitiorum Definitor creatus, quò libuit, pro sua dicendi copia & facilitate, Procerum inflexit animos, istudque in gratiam unionis & incorporationis Bethaniensium, Decretum cusum est. » Capitulum generale statuit & decernit, ut Moniales Xenodochii » Wulpensis, quondam extra, jam verò in civitate Furnensi commorantes, & monasterio » S. Nicolai ibidem immediatè subjectæ, modò utantur Regulâ, Statutis & Officio divæ » Virginis conformiter ad usum nostrum & » praxim, in omnibus etiam futuris temporibus externè gestent candidum habitum, pariformiter cum cunctis Monialibus Ordinis » nostri Præmonstratensibus, tanquam germanæ Sorores admittantur, & admittendas » esse declaravit.

Ex Capitulo generali reversus Abbas, apparatu solemni Sorores Griseas Ordini adscripsit, ipso die Præsentationis B. Mariæ anni 1618. Inter Missarum sacrificia singulæ singulari voto nomen dederunt Ordini, & scapulari nigro in album immutato, Præmonstratenses evaserunt habitu & mente; sed solum Officii B. Mariæ Virginis pensum quotidiè persolvunt, ex Capituli generalis, illas tali conditione adscribentis Ordini, indulto.

Non interruptam Magistrarum seriem ex Obituario decerpsimus.

I.

PETRONILLA *MOERS*, prima fuit Priorissa Xenodochii Bethaniensis. Huic anno 1485. 7°. Januarii defunctæ, suffecta est

II.

GERARDA *VAN-HAESBROUCH*. Obiit 1. Aprilis 1521.

III.

MARIA *GODSCHALCH*, tertia Priorissa *Bethaniæ*, seu in *Rivo*. Esse desiit 16. Martii 1538.

IV.

CATHARINA *PLETS*, excessit è vivis 10. Decembris 1584.

V.

ADRIANA *HWITZ*. Eâ Præfecturam gerente, devastatum est Xenodochium, & translatæ sedes in oppidum Furnense. Obiit 11. Octobris 1612.

VI.

JOANNA *PASST*, cujus tempore immutatio statûs & Ordinis contigit: postquàm rursus in Magisterio votis Capitularium & Patris Abbatis confirmatione stabilita est. Sexta est in Ordine Magistrarum Bethaniensium: secunda Priorissa Parthenonis S. Josephi Furnensis, primaque ab suscepto Præmonstratensium Instituto: quâ ratione conciliantur varii diversorum instrumentorum calculi. Rexit annis octo, Virgo moribus & prudentiâ celebris, quæ die 9°. Novembris 1626. apposita est cum patribus suis.

VII.

MARIA *BAILLAERT*, obiit 3. Junii 1654. post regimen 29. annorum.

VIII.

NORBERTA *LE PREVOOST*, priùs Suppriorissa & Magistra Novitiarum. Rexit per annos septem. Obiit 4. Februarii 1661.

IX.

MARGARETA *CAPPE*, 23. Januarii 1667. defuncta.

X.

ELIZABETH *DE CONINCH*, fœmina viriles gestans animos: delegata fuit, quæ superioris & inferioris Germaniæ partes lustraret, subsidiariam pecuniam ab Abbatibus & Superioribus Ordinis quæsitura: commissam sibi provinciam gnaviter implevit, quo successu, probavit eventus. Ecclesiam satis elegantem redux construxit, in qua visitur statua medium pedem alta, Salvatorem flagellatum exhibens,

miraculis & curationum beneficiis celebris admodùm, ad quam frequens est populorum concursus, appensaque vota argentea. Monasterium similiter à fundamentis auspicata Elizabeth, festivis, spatiosis & commodis ædibus ultimam admovit manum, priusquàm lucis usuram morte amitteret anno 1703. die 20. Januarii.

XI.

THERESIA *DONCHE*, priùs Magistra Novitiarum, clavum tenuit per 10. annos, extincta die 1. Januarii 1713.

XII.

ALDEGUNDIS *HENNEQUIN*, post 16. regiminis annos laudabiliter completos, denata est anno 1729. die 11. Julii.

XIII.

MARIA HERMANNA DE *RUESCAS*, per omnes gradus & officia interiora domûs dignè conversata, ad locum superiorem, Sororum omnium votis, evecta est. Reluctans jugo subdidit humeros 28. Julii 1729. & eodem die ab R^{mo}. Matthæo *Van-Capple*, Abbate S. Nicolai Furnensis meritissimo, confirmata. Præest viginti quatuor Monialibus; indesinens curam & operam omnem navat promovendo decori domûs Dei & servandæ regulari disciplinæ, singulas Sorores exemplo præcedens, & adhortationis sanctæ stimulans lenociniis.

Ad solius Officii B. Mariæ Virginis pensum tenentur Moniales Bethanienses; ut jam præfati sumus. Clausuræ strictæ jugum nusquam subierunt; attamen ægrè admodùm in publicum prodeunt, nec nisi cum venia Abbatis Furnensis. Sacro professionis die quæque Soror almutium gestat, more virorum, illud nunquam ulterius gestatura. Excipiendis earum Confessionibus Abbas S. Nicolai nonneminem ex suis Canonicis deputat, Præpositi titulo insignitum, verùm ad nutum amovibilem.

BETHLEEM
in Frisia.

Bethleem. Fil. Horti B. Mariæ Virg. Diœcesis Leovardiensis. Circaria, Frisia.

FRidericus Abbas Horti Mariani post conditum suum cœnobium, accurrentibus Virginibus ædes contiguas struxit anno 1164. sed minùs tutum judicans, inquit Sibrandus Leo, utrumque sexum simul habitare, sacris Virginibus seorsum cœnobium statuit in Bethleem, ad honorem B. Mariæ Virginis. Ita ille. Est autem positum Bethleem in Præfectura Octo-pagica, & intra fines Diœcesis Leovardiensis. Vide Van-Husen Hist. Episcop. Ultraject. Et Episcop. Leovard. p. 60. ubi numerus chronologicus 1110. emendandus est.

BETHLEEM,
in Terra Sancta.

Bethleem in Terrâ sanctâ. Circaria Jerosolimitana

HUjus monasterii notitiam debemus Anselmo Havelbergensi Episcopo, qui libro primo Dialogorum anno 1145. Eugenio III. Papæ inscriptorum, sancti Norberti virtutes & Apostolatum multis laudibus extollens, Congregationes quoque multas ad perfectionem Apostolicæ vitæ ab eo informatas fuisse & ad omnes penè Provincias Occidentis latissimè fusas laudans, subdit, *extendit etiam palmites hac eadem sancta Societas in partes Orientis, nam in Bethleem una, & in loco quem vocant sancti Abacuc, alia Congregatio est.*

Spicileg. T. 13. p. 111.

Testimonium ejus omni exceptione majus esse, suadet scribentis eruditio, & rerum Orientis explorata cognitio, quam comparavit Constantinopoli Legatione fungens, nomine Lotharii II. Imperatoris.

Henningus in 6. diem Junii, vitam S. Norberti eruditè tractans & notis adornans more suo, hoc Anselmi loco utitur ad demonstrandam propagationem Ordinis in Oriente; sed miror virum in omnigena lectione versatissimum, ignorasse Dialogos Anselmi à doctissimo Dacherio fuisse editos ab anno 1677. T. 13. Spicilegiorum insertos ad fidem Manuscripti Cisterciensis Abbatiæ. Non ergo unicum, ut putavit, extat in toto mundo exemplar, nec typis postulat evulgari denuò, jam nitidè bis impressum Parisiis.

Acta SS. Junii p. 816

BEUZ.

Beuz. Fil. Strahovia. Diœcesis Olomucensis Circaria Moravia.

BEuzscensis Parthenon in Moraviæ finibus, & in Olomucensi Episcopatu, leucis octo ab Lucensi Abbatia separatus, proles antiqua fuit Strahoviensis monasterii; quam per agros Moraviæ debacchans Zizckana hæresis extinxit, ejusque fundos ad seculares manus transtulit post ruinam ædificiorum, Ecclesiasticæ substantiæ vastator & prædo Zizka. Post re-

missos belli furores, restitutamque Religioni pacem, non continuò prædam Ecclesiis, aut Ecclesias legitimis hæredibus refuderunt malæ fidei possessores: sed parta victoriis insolentibus prædia, quasi legitimè & per traducem comparata, servaverunt ut plurimùm. Gregorius *Klein* Abbas Lucensis, de recuperando Ordinis patrimonio religiosè sollicitus, de laicali manu Beuzscensem Parthenonem auro penso, redemit anno 1676. ibique Administratorem Canonicum imposuit, qui avitæ pietatis monumenta paulatim resuscitavit. Illi modernus Abbas Parochum junxit & Capellanum, qui spiritualia regerent.

B I N.

Bin Fil. de Saag. Diœcesis Strigoniensis Circaria Hungariæ.

A Proprio & originario patre, Præposito sancti Stephani, avulsa est filia *Bin*, vel ut in aliis lego catalogis *Baen* Præpositura, ut Abbati Montis-Sion traderetur anno 1294. sed anno 1516. ad Præpositum de *Saag* Paternitas in *Bin*, præcipiente Capitulo generali, translata est; & penes eum resedit, usque dum Turcarum armis Strigonium ejusque Comitatus, subacta sunt anno 1543. Tunc enim barbaris cessit in prædam Præpositura Binensis, & sub eorum tyrannide penitùs interiit; necdum à recuperatione Comitatûs Strigoniensis anno 1683. feliciter facta, resurgens.

B L A N C A-L A N D A

Blanca-landa. Filia Domni-Martini. Diœcesis Constantiensis. Circaria Normanniæ.
*Carentan.
*Coutance.
*Baronem & Constabularium Normanniæ asserunt San-Marhani.

SUb Patrocinio sancti Nicolai Episcopi Myræ, fundata est Blancæ-landæ (*Blanche-Lande*) Abbatia, in Diœcesi Constantiensi, quinque à Carentonio * horis, sex à Constantiâ *, per Richardum de *Haya*, vulgò *la haye du Puitz* *, Militem, virum illustrem, & per Mathildem ejus sponsam inclytam, anno 1154. A loci sterilitate, nemoribus consiti, nomen sortita est Abbatia. Protectores & Confirmatores munificos habuit Richardum Episcopum Constantiensem, & Henricum II. Regem Angliæ, Normanniæ Ducatu potientem; denique Carolum VI. Regem Galliæ. A Dom-Martinensi monasterio ablegati sunt Canonici, qui disciplinam in *Blanca-landa* instituerent, quibus Abbas præfectus est.

I.

RANULPHUS DE *RUNCHEA*, cui successit

II.

PETRUS cognomento Poëta, ex arte Poëtices, quam callebat. Arbiter pacis extitit inter Abbates *Cæsaris-burgi* *, & sancti Salvatoris Vicomitis *, anno 1206. Testis quoque adfuit in negotio Abbatiæ Hambeiensis *. Dies verò ejus exitûs recensetur ad 12. Novembris.

*Cherbourg.
* St. Sauveur le Vicomte.
*Hambeie, Ord. S. Bened. Diœc. Constant.

III.

ROBERTUS DE *RAVENOVILLA*.

IV.

NICOLAUS DE *AVAVILLA*.

V.

THOMAS de sancto Laudo, 1262.

VI.

ROBERTUS *HYRON*.

VII.

THOMAS DE *SAINTE MERE EGLISE*.

VIII.

ROBERTUS *HARDY*, anno 1331. desiit.

IX.

JOANNES *PILABOUT* 1337.

X.

GUILLELMUS DE *CESELLO*.

XI.

NICOLAUS DE *BONAVILLA*.

XII.

ALBINUS *LE ROUX*.

XIII.

THOMAS DE *INSULIS* 1400.

XIV.

RICHARDUS.

XV.

THOMAS II. 1446.

XVI.

THOMAS III. 1452.

XVII.

NICOLAUS *MULOT*, obiit anno 1483. ut testatur ejus Epitaphium sequens.

Hac sub Pyramide, nunc sunt tria corpora Patrum;
Quorum sub clamyde, prior exemplaria Fratrum
Exhibuit, ritus hic ampliat, arteque, donis

Ecclesiæ, dictus Nicolaus MULOT, in annis
M. semel,& C. quater, decies octo, unum ter,
Est obitûs annus, sed septimus, ac Februarius.

XVIII.

ROBERTUS *ROUSELIN.*

XIX.

PETRUS *LE FEBVRE*, è vivis sublatus est anno 1507.

Ejus Elogium in eadem Pyramide insculptum legitur.

Hîc Petrus latuit Fabri massa sub eadem
Abbas, qui patuit, quinis febre quâdam
Succubuit fatis, sacra sumens tunc bene gratis.
Mensis ut intendas Julii, decimoque Calendas,
Quingentis annis septenis, milleque junctis,
Hîc obit, in scamnis tribus hic sit gloria suis.

XX.

PETRUS *PITEBOUT*, decessit 6°. Februarii, 1513. communi tumulo, & Pyramide honestatus, hanc habet Epigraphen.

Corpus ab hac petra Petri *PITEBOUT* oneratur.
Qui leget hæc metro, roget nunc luce fruatur:
Huic qui præcessit, nam præscuit intima morum,
Horum concessit jus mitræ Canonicorum.
Decessit juvenis, mitram tenuit modò senis
Annis, sol Februo radiabat lumine sexto.

XXI.

LAURENTIUS *MULOT.* 1526.

XXII.

NICOLAUS *LE MAISTRE*, ex doctrina, & morum probitate commendatur. Obiit 22 Maii 1537. exaratum ejus funebre encomium in lapide, sic legitur.

Nicoleos jacet hîc, doctrinâ, moribus usu,
Religione potens, ipse Magister erat.
Ipse Magister erat tum re, tum nomine & Abbas
Blanca-landanæ, Duxque, Paterque domûs.
Mille & quingentos annos, trigintaque septem
A Christo cùm sol volveret, ille obiit:
Maïus undenos bis solis viderat ortus.
Mens vivat cœlo, molliter ossa cubent.

XXIII.

ROBERTUS *CARRON.*

XXIV.

PHILIPPUS *TROUSSET*, Episcopus Porphirensis, ab irrumpentibus hostibus, quos civici belli ardor ad immania quævis armarat, barbarè occiditur 25. Maii 1590. Gallico idiomate parentarunt ad sepulchrum illius mœrentes Religiosi, in hunc modum.

Lorsque la fureur guerriere des ennemis » de notre fortune, ne cessoit de poursuire de » près les meilleurs piliers de l'Eglise, Messire » PHILIPPE TROUSSEY, digne Evêque de Porphire, & vigilant Abbe de cette Maison, » pour l'honneur de Dieu, & la conservation de » ses freres, reçût un coup mortel d'une main » sanglante, le 25. May 1590. Passant de ce » monde à l'autre, a laissé un extrême regret » à tous ses parens, amis, & serviteurs domestiques, lesquels pour la memoire de son » nom, ont dediez ces vers, avec larmes, à » la Posterité.

Ainsi le Loup meurtrier, moins par faim » que par rage, »
De l'innocent troupeau, fait un piteux ravage : »
Ainsi par l'Aigle fier perit le Cygne doux, »
Ainsi feront des fleurs les tempesteuses » bizes : »
Ainsi la fleur, le Cygne, & l'Agneau de » l'Eglise, »
A souffert de la bize, & de l'Aigle, & des » Loups. »
Mais TROUSSEY, qu'à bon droit l'on te » nomme Porphire, »
Aussi quand tu souffrois n'aguerres le martyre ; »
Ton sang qui le teignit, fit preuve de ton » nom.
O malheureux auteur de tes heureuses » peines, »
Et ne puisse être oüi, qu'aux tenebreuses » plaines, »
Le nom infâme auteur de ton plus beau » renom.
Or dors en bon repos, l'Enfer épouvantable »
Attend de ton meurtrier l'ame ja miserable :
Plutôt pour son forfait tu rends à Dieu » tes vœux ;
Soient ces vœux exaucez, & qu'il se reconnoisse ; »
Il aura de ta mort une tres rude angoisse, »
Ainsi qu'auras soulas de vivre dans les » Cieux. »

XXV.

FRANCISCUS *TROUSSET*. Magnifico mausolæo insertum accipe Elogium illius.

Piis manibus
Nobilissimi, & Reverendi Patris Francisci TROUSSEY, qui Cœnobium hoc, eximiæ pietatis Abbas, multos per annos plurimâ cum laude rexit, suique desiderium non mediocre reliquit.

Quisquis in hanc properas divino ductus Eremum
Auspicio, & vanas sponte relinquis opes;
Post Norberteium, felici sorte, Parentem,
Qui jacet hic, vitæ sit tibi norma sacræ.
Trosseus ipse fuit, Fratrum quem turma fidelis,
Quem populus vasto sparsus in orbe gemit.
Ortu majorum, majorum stemmate clarus,
Artibus, ingenio, sed pietate magis
Pastores legit gregibus, firmavit alumnos
Exemplis; inopum depulit ære famem.
Fecit ut in terris, quæ nomine candida fertur,
Re quoque sit cœlis, candida facta domus.
Pectore plura gero, sanctè quæ plura peregit:
Sed reticere jubet, sanguine natus amor.
Gaudeat ergo polo, necnon memor usque nepotis
Hunc regat in cœlo, texit ut ante solo.

Philippus TROUSSEY, Fratris filius mœrens posuit.
Obiit 22. Februarii 1614.

XXVI.

PHILIPPUS *TROUSSEY*, qui amantissimo patrueli Epitaphium erigendum curavit, dignitatem ejus, Canonicorum suffragio, assequutus, Commendatariis moriendo locum dedit: horum primus

XXVII.

CARDINALIS *GRIMALDY*.

XXVIII.

CAROLUS FRANCISCUS DE *RACONIS*, Episcopus Vaurensis.

XXIX.

N..... DE *S. GERMAIN*.

XXX.

N....... *DE LA SALLE*.

XXXI.

N....... *BOYER*.

XXXII.

FRANCISCUS *LE VASSEUR*, Abbas modernus.

PASTORATUS.

Douville ——— Douvilla.
Lestre.
Arneville ——— Arnevilla.
Estoublon, Beneficium simplex.
Brocquebœuf, Benef. simplex.
Sancta Marguareta, Benef. simplex.
Cottebrune.
S. Denys le Vestu.
Ravenoville.
S. Aubin de la Pierre.
Creteville.
Bloville.
S. Simphorien.
S. Pierre d'Alonne.
Notre-Dame d'Alonne.
S. Germain le Gaillard.
Anteville la Venelle.
Pretot.
Bolleville.
Angoville.
Gorge.

Omnes isti Pastoratus in Diœcesi Constantiensi.

Sancta Margareta de *Duey*. Diœcesis Bajocensis.

MONUMENTA SEPULCHRALIA.

Fundatorum tumuli eminent in transverso Ecclesiæ, è regione Septentrionali, cum hac Epigraphe,

Hic jacet corpus Domini Nobilissimi viri Richardi de *Haya*, Militis, Fundatoris hujus Ecclesiæ, cujus anima pacem habeat cum beatis.

Vide Probat à col. ccxcj ad col. ccxcv.

BLANCA-LANDA.

Blanca-landa Fil. Neubusis. *Diœcesis Dunelmensis* *Circaria Angliæ Borealis.*

NOn longè ab Episcopali civitate Dunelmensi * secùs fluenta Weræ * & in Comitatu Northumbriæ, Abbatiam Ordinis Præmonstratensis, sub B. M. Virginis patrocinio erexit, episcopante Hugone de *Pusat* Dunelmi, Walterus de *Bolebek*, eique Blancælandæ * imposuit nomen, quale sub Henrico II. indiderat Richardus de *Haya*, monasterio ejusdem Ordinis in Neustria condito. Ad sustentationem duodecim Canonicorum & Abbatis, prædia assignavit, vetuitque augeri Fratrum multitudinem sine consilio Episcopi, & Advocati approbatione. Piæ donationis consors esse voluit Hugo de *Bolebek*, Fundatoris Frater, qui paternam hæreditatem ex parte collatam Blancæ-landæ, totam transcripsit, spontaneâ sui juris cessione.

* Durham. * Werre. * Blanche-lande.

Walteri chartam suo munivit apographo

Hugo Dunelmensis Episcopus, quem vitâ functum anno 1188. novimus ex Mathæo Paris, & quidem ætate provectum, & annosi regiminis confectum senio. Cùm verò nec Advocati nec Comitis Northumbriæ, nec Angliæ Justiciarii titulos præferat Hugo de *Pusat*, quos insano fastu, & ingenti pretio, vir stolidè ambitiosus, comparatos ostentabat, consequens est, ante adeptos hosce honores conscriptam fuisse fundationis chartam. Sub annum 1154 referente eodem Parisio, Romæ ab Anastasio Papâ IV. consecratus est iste Hugo Regis Stephani nepos, Dunelmi Episcopus. Ergò medio tempore inter annos 1154 & 1188. prodiit Blanca-landa, Henrico II. regnante, post fata Stephani Regis, qui anno 1154. dies vidit ultimos.

Sub Prioratûs nomine Blanca-landa traducitur à compilatore *Monastici Anglicani*, quam sub Abbatiatibus infulis natam adolevisse protestantur Diplomata. Vide probat. à col ccxcvj ad col. ccxcvij.

SANCTUS BLASIUS.

Sanctus Blasius. Filius Vindberga. Diœcesis Ratisbon. Circaria Bavaria.

VIndbergensi Abbatiæ junxit Gebhardus Abbas, Parthenonem qui a Tutelari nomen obtinuit Cellæ sancti Blasii, & situ *Meysenthal* cognominatus est. Erectum sub ejus nuncupatione Templum consecravit anno MCLVIII. Hartwicus Ratisbonensis antistes. Heilwidem Fundatoris Alberti filiam & plures alias insignes stemmate virgines & viduas, illic inhabitasse, ex variis Benefactorum donariis, ex Necrologii Vindbergensis commemorationibus dignoscitur. A nascentis Gynæcei exordio Salmanus de *Fridinge*, Christinam filiam suam sacro, se devoventem cœlestis Sponsi thalamo, dotavit rusticanâ domo in *Majerperge*, ad cujus exemplum Swikerus de *Perndorff*, Blasiano Parthenoni prædium de *Ruozingh*, concessit, eo die quo filia ejus Elizabeth Religionem professa est. Ad commodiorem Sororum subsistentiam & infirmarum sublevamen, Henricus Abbas nonnullos proventus destinavit & traditione chirographâ sub Windbergensis Capituli approbatione contulit anno 1264. Sortem auxere monasterii beneficiis suis Jutta Advocati Windbergensis quondam uxor, postmodùm Conversa; Hadevidis & Liukardis Comitissæ, ex Fundatoris prosapia ambæ, virginitatis ibidem voto emisso, illustres. Anno 1440. stabat adhuc pietatis flore vernans Collegium illud Canonissarum, cujus aram principem hoc anno Udalricus Ratisbonæ suffraganeus consecravit. *Paulo post ad evitandas plurimas incommoditates*, quas Chronographus Vindbergensis judicavit reticendas, desiit antiquæ Religionis monumentum & superstes Ecclesia, in Parochialem immutata hodiedum huic officio deputatur.

BLIBURG.

Bliburg Filia Nebus. Diœcesis Circaria Angliæ Borealis.

TEmpore Henrici II. Regis, anno circiter 1158. *Brictich*, & Augustinus filius ejus Godevinus *Oxfot*, & Botilda, filia ejus, aliique fideles, communi & pari devotionis zelo ferventes, monasterium de *Bliburg*, in Comitatu Suffolciensi, in honorem B. Mariæ Virginis fundaverunt. Novis Benefactorum donariis excrevit paulatim dos primaria. Non potuit tamen addititiis largitionibus assurgere cœnobium in Abbatiam; sed intra Prioratûs Conventualis humilem fortunam remansit, si Monastico Anglicano credimus, penès quod sit nostra, & Lectoris fides: neque enim aliundè notitiam habuimus hujus monasterii, cujus ne quidem Indices Ordinis meminere, nisi forsan sub nomine *Drieburg* vel *Bilebi* insinuaverint *Bliburg*, corruptis, aut ex Autographo malè restitutis litteris. Sed neque situs monasterii utriusque potest scribentis emendare errorem, cum *Drieburg* in Scotia, *Bliburg* autem in Angliæ regno consistat.

Donatores, illorumque dona Richardus primus Rex, recitavit in charta confirmationis, quam 18. Februarii dedit in gratiam monasterii. Annum regni tacet Diploma. Conscribi non potuit ante annum 1188. à quo regni primitias auspicatus est Richardus. Vide probat à col. ccxcvij. ad col. ccc.

BONA-SPES.

Bona-spei Filia Præmonstrati Diœc. Cameracensis Circar. Floreffia.

IN partibus Hannoniæ, non procul à Binchio, tribus leucis à Montibus, provincia Metropoli, positum est celebrè *Bona-spei* monasterium, in eminenti colle, aëre gaudens salubri, & amœno situ pulcherrimos habens ab Oriente, Septentrione, & Occidente prospectus, campis circumdatum arabilibus, qui ad mille passus regiis ab Oriente sylvis, & indè propriis per meridiem ad Occidentem extensis, non injucundè clauduntur. Intra & extra expansos murorum ambitus, fertiles vineis assurgunt colliculi, quos prata, & pascua latiùs porrecta circumcingunt, alluentibus distincta rivulis, qui in progressu crescunt in vivaria, & moletrinas vertunt.

Rainardi

Rainardi Militis, qui à *Cruce* cognomen habebat, & Beatricis ejus uxoris, pietati pariter & liberalitati suum debet Bona-spes exordium. Verè etenim pius uterque Parens, partim ex intimo grati animi sensu, ob revocatum B. Norberti prædicationibus, ab hæresi Tanchelina ad lumen fidei Catholicæ filium suum Guilielmum; partim ex innato filii sui affectu, (qui ut pristini erroris maculam promptiùs atque securiùs elueret, Norberto adhærens, Præmonstrati, sub habitu & professione Canonica sese devoverat,*) primò quidem villam *Ramelgias*, vulgò dictam de *Ramignies*; deinde *Sarta-Richewini*, in quibus & accludebatur ipse *Bona-spei* locus, Præmonstratensi Ecclesiæ obtulit, ac transcripsit.

* Obiit Diaconus vi. Non. Maii ex Obit.

Etenim Ramelgias missi sub Odonis Magisterio, Norbertinæ disciplinæ alumni, cùm radices mittere meditarentur, & ad consecrandum *Atrii* locum, Diœcesanum Antistitem Burchardum convocassent; *non invento competenti loco*, ad Alodium *Sarta-Richewini* vulgò dictum, ab eodem Rainardo, & *aliis participibus suis*, sibi tunc collatum, transvolarunt: ubi cùm stationem figere cœpissent, *loci importunitatibus compulsi*, tandem ad commodiorem *Bona-spei* mansionem transmigravere.

Circa tempus fundati hujusce monasterii variant Authorum sententiæ. Placet Miræo (*a*) erectum illud fuisse anno circiter 1129. Pagius (*b*) conditum asserit anno 1127. Ast utrumque falli convincimur ex charta Burchardi, eodem anno 1127 data, in qua, post relatam Ramelgiarum donationem, subjungit: *Processu verò temporis, petitione Fratrum, ibidem Deo regulariter servientium, ad atrium sacrandum convocati, &c.* Ergo ante annum 1127. Ramelgias incolebant Fratres, ibidem Deo regulariter servientes.

Neque tamen adduci possum, ut credam cum Maghio Bonæ-spei Abbate, (*c*) Ramelgiis posita fuisse anno 1121. hujusce monasterii fundamenta. Supponit quippe eruditus Abbas, factam hujus Alodii donationem à Rainardo, intuitu filii sui Guillelmi, quem ab hæresi Tanchelina fidei Catholicæ gremio restituerat, Coloniâ redeundo, anno 1120. Norbertus: verùm gratis omnino fingitur bellum Tanchelmitis à Norberto indictum fuisse, ante annum 1123. Præterea, si altero nascentis Ordinis anno, suos jam vidisset natales Speiense Collegium, eccur illius mentionem, in præfati Ordinis, & possessionum ejus confirmatione (*d*) omisisset Honorius II? maximè cum San-Michaëlitani nuperrimè nati, meminerit. Immo crediderim, in laudato Diplomate, Ramelgiarum, non quidem ut monasterii tum existentis, sed ut Alodii Præmonstratanæ Ecclesiæ collati, mentionem hisce fieri verbis: *Confirmamus..... alodium* Ramengeis, *cum molendino.* Cui conjecturæ adstipulatur editor Vitæ S. Norberti, apud Pagium (*e*) cujus verba reddimus. *Anno sequenti, hoc est 1126. vir sanctus duo suscepit alodia: primum de* Claro-fonte, *in Laudunensis Alterum de* Ramengiis, *cum molendino, in Cameracensi Diœcesibus. In quibus alodiis, eo ordinante, duo postmodùm constructa fuere monasteria Præmonstratensis Ordinis*, Clarifontis *scilicet &* Bonæ-spei

Igitur anno 1126. Allodium de *Ramelgiis* accepit B. Norbertus: illuc extemplò Fratrum ablegavit agmen, qui ibidem *Deo regulariter servierunt. Processu verò temporis*, id est sub finem anni 1127. transierunt ad commodiorem locum, dictum *Sarta-Richewini*, unde in locum, qui *Bona-spes* dicitur, translati, fixerunt sedes suas. Interim verò colonia Fratrum regimini Prioris obtemperans, Præmonstrato planè subdita erat, nec suis privatis legibus vivere fuerat concessum. Res in eo statu perseverarunt ad B. Hugonis tempora, qui, S. Norberto ad infulas Magdeburgenses sublato, in Abbatem Præmonstratensem, agente SS. Patriarcha, Fratrum communibus votis, electus est anno 1128. *Is statim post introitum suum Abbatem ad locum, qui* Bona-spes *dicitur, exposuit.* Id contigit anno 1129. Sed nonnisi anno 1131. benedictione Abbatiali donatus est, uti evincit quidam Frater Henricus, Canonicus Bonæ-spei, qui suâ manu conscripsit duo insignia Bibliorum volumina, eleganti caractere. Ejus, in fronte primi voluminis, orationem, rationemque & tempus scribendi operis, quia non nihil illustrando regiminis B. Hugonis initio conferunt, & susceptæ Abbatialis consecrationis ab Odone primo Abbate, certa tempora præfigunt, propriis terminis referre non pigebit.

Burchardi Episc. Camerac. Diploma an. 1127.

Vita sancti Norberti, act. SS. Junii Tom. 1. p. 851. num. 101.

Placeat tibi, quæso, gloriosa Virgo Maria, » oblatio laboris mei, quem pro honore tui » nominis & utilitate Fratrum in Ecclesia de » *Bona-spe* tibi servientium, in scribendo hanc » historiam sustinere volui. Neque enim filio » tuo Domino meo Jesu Christo, æstimo fore » ingratum, quidquid tibi fuerit placitum. » Accipe ergo munus oblatum, in quo ferè » per triennium, quamvis non continuè, la- » boravi; brumali enim tempore istud inter- » misi, quibusdam levioribus operam dedi. » Hujus verò operis magnitudinem in duobus » voluminibus collegi, primum inchoans ad » Genesim, ultimum terminans ad Apoca- » lypsin. *Incheavi autem completo ab Incarnatio-* » *ne Domini anno millesimo centeno* XXXII. *mense Augusto, die* XXVI. *ejusdem mensis*, feriâ VI. lunâ XI. anno concurrente IV. concurrente » V. anno Epactarum XII. Epactâ I. sub Papa »

(*a*) In Elencho monast. Ordinis Præm. fol. 73.
(*b*) Biblioth. Præm. fol 463.
(*c*) Chronic. Bonæ spei fol. 67.
(*d*) Biblioth. Præm. fol. 392.
(*e*) Fol. 391.

» Innocentio; anno 2°. Papatûs sui, aurigante » currum Remensis Ecclesiæ Reginaldo venerabili Archiepiscopo; Cameracensi Ecclesiæ » præsidente Domno Lyetardo, anno prælationis suæ secundo; sub Domno Odone, Ecclesiæ nostræ primo Abbate in *Bona-spe*, » anno consecrationis suæ tertio; sub Imperatore Romanorum Lothario; sub Comite Haynoensium Baldewino Hyolendis. Eodem » quoque anno Basilicæ nostræ fundamentum » positum est; praecedenti verò anno atrium » consecratum est. Terminavi autem hoc opus » anno ab Incarnatione Domini MCXXXV. » mense Julio anno concurrente XII. concurrente I. anno Epactarum XV. Epactâ IV..... » Ego Frater Henricus, Ecclesiæ in *Bona-spe* » humilis filius, hæc volumina manu & calamo scripsi.

De epochis mox relatis fusiùs in Annalibus ad annum 1131. erit dicendum. Interim quod ad rem sufficiat, observatu facile est istum Fr. Henricum incepisse anno 1133. die 26. Augusti, anno tertio consecrationis Odonis, primi Abbatis Bonæ-spei; ergo ad finem anni 1130. vel certè ad initium sequentis, inaugurationem esse referendam, nemo negarit. Joannes Syvrius, alter Bonæ-spei Canonicus & Prior, qui obiit anno 1322. in Chronico suæ Ecclesiæ scripserat anno 1131. Præsulem Cameracensem Lyetardum *Bonam-spem* venisse, *& Ottoni primo Abbatialem benedictionem jurisdictionis impendisse*. Res extra dubium inde posita; quapropter Maghio, Chronici Bonæ-Speiensis scriptori visum est lituris opplere ea loca, quæ prætensæ monasterii sui antiquitati adversabantur, & hunc præcipuè textum. Bonam fidem appello vindicem attentati quod propriis conspexit oculis P. Blanpinius. Plura in lucubratiunculam Maghii, dicteriis & injuriosis prædecessori suo declamationibus refertam, animadvertere facillimum fuerit, quippe

Medetur aliis ipsius ulceribus scatens.

Sed præstitutæ historiographo moderationis memores, ab his temperamus. Unum est, quod censoriâ virgulâ dignum, silentio prætermittere non licet.

Exscribit pag. 14. Chronici sui, Diploma Roberti de *Petra-Ponte*, confirmantis, ad humilem postulationem Abbatis Bonæ-spei, donationem huic Ecclesiæ factam ab Huberto Milite de *Cymai*, de decima apud *Danies*, idque de assensu Eustachiæ conjugis suæ: cui instrumento annum 1126. subnectere plenis litteris placuit Maghio Abbati. Verùm attentiùs inspicienti chartam hanc in Chartulario Bonæ-spei, quadringentos annos antiquo, deprehensum est tertium numerum recentiori manu fuisse vitiatum; quis numerus loco vigesimi restituendus sit, statim non apparet. At reperio ejusdem Roberti de *Petra-ponte* chartam de assensu ejusdem Eustachiæ uxoris suæ anno 1191. apud Marten. *Anecdot.* Tom. I. col. 637. quis verò dixerit eosdem Robertum & Eustachiam jam tum ab anno 1126. conjugii fœdere junctos, filiumque, subscribendi nominis peritum, & præstandi assensûs capacem, Joannem habentes, etiam anno 1191. utrumque superstites in chartis potuisse comparere. Præterea Hugo de *Petra-ponte*, frater dicti Roberti, anno duntaxat 1200. creatus est Leodiensis Episcopus. Tandem nec Burchardus Cameracensis Episcopus in suo Diplomate anni 1127. vel Lietardus illius successor, in charta de anno 1131. nec Innocentius II. in Bulla anni 1137. neque Fridericus Imperator in Diplomate de anno 1166. istius donationis meminere; aliàs minimorum beneficiorum haud immemores: primus Cælestinus Papa III. anno 1194. ejus habuit mentionem.

Discutiendis & exsuflandis ratiunculis, quibus natalitium San-Michaëlitanæ Abbatiæ annum Maghius sugillat, * hic supersedebimus: enimverò, ex modò dictis, & inferiùs, ubi de S. Michaële agemus, addendis, perspicuum est istud monasterium Speiensi exsistere origine anteriùs. Duplici illa Rainardi donatione, plurimis paulò post aliorum beneficiis, atque donationibus auctâ, in florentissimam tandem Abbatiam Bona-spes excrevit, & omnium tum Ecclesiæ, tum seculi Principum authoritate ac confirmatione munita, floruit, boni odoris famam longè latèque respergens. Verùm Fratris cujusdam professi, cui nomen erat Robertus, desertio, & ad Claravallense monasterium transmigratio, quæ anno circiter 1150. contigerat, gravissimis statim querimoniis ansam dedit Præmonstratensibus adversûs Cistercienses: quas cùm ad S. Bernardum, monasterii sui nomine, Philippus, Bonæ-spei Prior, eleganti, libertimoque stylo detulisset, enormibus ipse calumniis impetitus sive oppressus est, & ex suo Prioratu deturbatus, durissimo mulctatus est exilio: unde post iteratas D. Bernardo, Bartholomæo Laudunensi, & ipsi etiam Summo Pontifici Eugenio III. Apologeticas Litteras, vix tandem dissipatâ calumniâ, Capituli generalis sancito, pristinæ dignitati restituitur, ac non multò post Odoni sufficitur.

* fol. 15.

I.

ODO Canonicus Cathedralis Ecclesiæ Laudunensis, visis, quæ passim fiebant, miraculis, ad sacrarum contactum Reliquiarum, quas post conflagratam majorem Ecclesiam, ipse cum adjunctis sibi sociis, circumferebat, ad salutarem fractus pœnitentiam, Cuissiacum, cum Luca, ejusdem Ecclesiæ Archidiacono & Decano, secessit; ac deinde inter Norberti discipulos, Ordini Præmonstratensi nomen dedit. Ramelgias postmodùm à S. Norberto missus, anno 1155. cessit dignitati; evolutis-

que nonnullis à cessione annis, genibus in nuda humo positis, ad morem supplicantis, & in cœlestium contemplatione defixus, animam exhalavit, anno incerto. (*a*)

II.

PHILIPPUS à loco nativitatis, *HARVENGII* cognomen habens, post sopita Ecclesiæ suæ dissidia, Odoni sponte cedenti sufficitur, anno 1155. Spiritualibus, & temporalibus sollicitè invigilans, incredibile est quot & quantis prædiis, aut prædiorum portionibus suum locupletarit monasterium. Parochiales Ecclesias quindecim, offerentibus Patronis, collaudantibus Episcopis, ipsis etiam annuentibus summis Pontificibus, à Canonicis suis regendas accepit. Divinis, humanisque litteris perfectissimè excultus, non pauca singularis eruditionis opera, Tractatusque pietatis conscripsit. Nec minùs opere quàm sermone potens, omni virtutum dote emicuit, liberalitate potissimum in pauperes, unde *Eleemosynarii* cognomine meruit insigniri. Tandem laboribus & senio confectus, Pastorales curas deposuit, anno 1182. & 13. Aprilis anni subsequentis, sancto fine quievit. Mortuo isthoc lugubre carmen cecinerunt Fratres, & marmori incisum, perrennandæ tanti viri memoriæ causâ, posteris transmiserunt.

Marcescit florum flos Philippus, via morum,
Sub me. Sanctorum sit consors, Christe, tuorum.
Christe Jesu! non da Philippo morte secundâ
Lædi, sed tribue vivere perpetuò.

III.

GODESCALCUS, ex Abbate Buciliensi, ad Bonæ-spei Prælaturam assumptus, obiit 1186.

IV.

JOANNES DE *VALENCENIS*, altare de *Gennetines*, cum omnibus appenditiis, à Godefrido de *Otenies*, & Beatrice de *Liemal* obtinuit, donationem confirmantibus Lucio III. & Alberto Leodiensi Episcopo, anno 1187. Abbatialem dignitatem abdicavit anno 1188. & anno sequenti vitâ functus est.

V.

ALLELINUS, Calvimontis Abbas, Joanni subrogatur. Primo sui regiminis anno, à Clemente III. bonorum omnium, & Ecclesiarum parochialium impetravit confirmationem, cum facultate ponendi in earum singulis *duos vel tres de Canonicis suis, quorum unus Diœcesano Episcopo præsentetur, ut ei curam animarum committat; ita quòd ei de spiritualibus*, Abbati *autem de temporalibus, & de Ordinis observantia debeat respondere*. Eodem anno Godefridus de *Thuin*, Jerosolymam profecturus, omnem, quâ monasterium diù vexaverat, querelam deponens, altare de *Curcellis*, & *ipsius altaris beneficia, videlicet decimas, dotalitia, census*, quæ omnia *multis annis successione hæreditariâ, sed possessione injustâ tenuerat.... Ecclesia de Bona-spe.... in eleemosynam jure perpetuo possidendam* confert. Anno 1190 Joannes d'*Orbaix*, *suffragiis Bonæ-spei, spem salutis adipisci desiderans*, donat altare Montis supra *Sombreffiam*, cum ipsius appenditiis, sub assensu Nicolai de *Ham*, à quo illud in feudum hæreditario jure susceperat. Dignitati cessit Allelinus, anno 1192. eique subrogatus est

VI.

ROBERTUS DE *HARMIGNIES*, vir, ex Joanne *Sivry* (*b*) religiosus, & justus. Indulsit ei Cælestinus III. duo Diplomata, quorum altero violentos bonorum, & personarum Bonæ-spei invasores, injustos piorum legatorum detentores, temerarios denique jurium ac privilegiorum violatores competentibus pœnis coërcet: altero idem monasterium in suam, & B. Petri protectionem suscipiens, omnia bona hactenùs legitimè acquisita, aut in futurum acquirenda confirmat, novisque privilegiis dictam exornat Ecclesiam. Mensibus decem & octo transactis, piè, ut vixerat, obiit Robertus, 9. Decembris 1194.

VII.

JOANNI DE *CLARO-FONTE* parochialium Ecclesiarum, in sua Diœcesi contraditarum monasterio Bonæ-spei, possessionem confirmat, anno 1195. Joannes Cameracensis Episcopus. Eidem, anno 1196. Albertus Leodiensis Episcopus, contulit Ecclesiam *Calvimontis*, cum omni integritate sui juris, à Godefrido de *Calmont* liberè & absolutè in manus dicti Episcopi resignatam. Hanc concessionem confirmavit Cælestinus III. Dignitatem exuit Joannes, anno 1197.

VIII.

JOANNES DE *BRUILA*, anno 1202. exemptionem ab omni winagio, vel theloneo, à Balduino Hannoniæ Comite, obtinuit. Prælaturæ onus & honores deposuit, anno 1204.

IX.

PETRUS *SCOTUS*, sexto regiminis mense, solitudinis, quàm dignitatis amantior, cessit.

(*a*) In tabella, quam vidi Bonæ-spei, dicitur B. Odo obiisse Præmonstrati anno 1156. In Necrologio dies assignatur prima Febr. Mortis annum quidam consignant 1158.

(*b*) Fuit ille Bonæ-spei Prior, & illius monasterii Chronicon ad annum 1317. perduxit.

X.

RAINARDUS, Canonicus S. Foillani, & Abbas Castelli, in Petri locum suffectus; cui ab officio, post unum Prælationis annum, amoto, successor iterum designatus est, electione Fratrum

XI.

JOANNES DE *BRUILA*. Dignitatem postliminio adeptam, licet otii Mariæ cupidus, non dimisit ultra: Expertus enim quid incommodi frequentes illæ cessiones inferrent, aliis exemplum præbuit, & argumentum judicandi, satiùs esse pedum gubernare, quandiù Deus dederit, quàm tradere alternis manibus, & quidem sæpiùs infructuosè, gestandum.* Boni Pastoris vices laudabiliter exequutus est ad 29. Aprilis 1221.

* Anno 1213 subscripsit ut testis Instrumento commutationis quorumdam prædiorum inter Hillinum Abbatem Flotefsiæ & Obertum de sancto Vedasto.

XII.

ARNOLDUS, sive Arnulphus de *ERPSE*, ex Abbate sancti Michaelis Antuerpiensis, ad Spaienses insulas, postulatione Fratrum assumptus, protectorio Diplomate personas, & possessiones Bonæ-spei, à Gregorio IX. muniri curavit anno 1229. Comparavit ab Abbate, & Conventu Præmonstrati anno 1234. stabulum, excipiendis suis & successorum suorum equis, Capitulorum generalium tempore destinatum. Eum decessisse, vel cessisse eodem anno discimus ex monumentis monasterii S. Foillani; quippe

XIII.

ELGERUS ex Abbate S. Foillani fit Abbas Bonæ-spei, anno 1234.

XIV.

GERARDUS *BENCHIENSIS*, de quo nihil, præter nomen, ad nos usque pervenit.

XV.

JOANNES DE *GENNETINES*. anno 1243. nominatur in charta donationis Vicecomitatûs de *Villercilla Brayosa*. Tertio Kalendas Decembris vitæ finem sortitus est 1253. Ad ipsius instantiam, Innocentius IV. bonorum & jurium monasterii confirmationem erogavit: duobus quoque aliis Diplomatibus præcipit idem Pontifex Archiepiscopis Remensi, & Coloniensi, eorumque Suffraganeis, & aliis Prælatis, per utramque Provinciam constitutis, ut injustos bonorum monasterii Bonæ-spei invasores, detentores legatorum, decimarum novalium exactores, aliosque quoscumque perturbatores, aut jurium violatores censuris coerceant. Duobus item aliis Brevibus expressè prohibet, quominùs ultra duas diætas Speienses Cœnobiarchæ in jus trahantur, nequidem ab ipsis Sedis apostolicæ Legatis, absque speciali mandato, hujusce privilegii expressam faciente derogationem. Beneficium S. Ægidii de *Fageto*, ab Ægidio Milite de *Sarto* fundatum, & Capellæ S. Nicolai in *Bosco* annexum, sub assensu Cameracensis Episcopi, de manu Fundatoris accepit Joannes, anno 1253.

XVI.

JOANNES DE *MONASTERIIS*, Capellam propè Infirmitorium, magnam Aulam hospitum, amplissimam insuper Basilicam, multaque alia ædificia construxit, ac plurima Ecclesiæ suæ bona comparavit. Carne solutus est anno 1270. VII. Kal. Junii.

XVII.

ADAM DE *CULTISSORRA*, super familiam Domini constitutus, adimplendo muneri jugiter seipsum impendit. Erga suos piè viventes totus mellitus; in corrigendis, absque cujusquam acceptione, delictis, censor intrepidus; pauperum, & egenorum tenerrimus pater, nunc furtivis, modò patentibus obsequiis abundanter iis, etiam propriâ manu succurrebat. A pestilenti mulierum consortio, incontinentiæ vel umbram declinans, abhorrebat. Perficiendis, quibus prædecessor primam manum admoverat, sacris ædibus, initia sui regiminis sic consecravit pius & providus Abbas, ut Ecclesiam omnibus suis partibus completam consecrari curaverit, anno 1274. ab Ingeranno Cameracensi Episcopo. Novum Dormitorium, ac Claustrum inchoavit, ac ferè perfecit. Plurima quoque monasterii ædificia aut à fundamentis excitavit, aut antiquata reparavit. Quin & Navim Templi, à Campanili, inter divina officia, ex improviso ruente oppressam, unà cum eodem Campanili protinus restauravit. A Gregorio X. singulare privilegium obtinuit, cantandi, præter morem, *Gloria in excelsis*, *Te Deum laudamus*, & *Alleluya*, in Festo Annuntiationis B. Virginis, * Quadragesimæ diebus occurrente. Decorem domûs Dei sic dilexit, ut & vasis sacris, & variis paramentis, & choralibus libris suam decorarit Ecclesiam. Plurimùm etiam, sub tam prudente rei familiaris administratore, prolata sunt monasterii latifundia. Tandem corporis debilitate, præ variis, quibus premebatur, infirmitatibus, ad extrema perductus, ut soli Deo postmodùm liberiùs vacaret, dignitati valedixit, & pretiosâ morte sanctam complevit vitam, nono Kal. Februarii, anno 1286.

* Patronæ & Tutelaris.

XVIII.

WALTERUS DE *FLAVENNES* præfuit quatuor annis cum dimidio (*a*). Claustrum & Dormitorium, ab antecessore inceptum, consummavit. Ad ipsius postulationem, indulsit Nicolaus IV. Indulgentias devotè visitantibus Ecclesiam Bonæ-spei, *in Purificationis*, *Annuntia-*

(*a*) Anno 1286. Prælaturæ primo, die 5. Octobris, & ut testis subscripsit arbitrariæ sententiæ inter Guidonem Abbatem Præmonstrati & Joannem Abbatem S. Martini Laudun. latæ, quam videas in Bibliot. Præm. pag. 1078.

tionis, Assumptionis, & Nativitatis Beatæ Mariæ Virginis, & sancti Augustini Confessoris, festivitatibus, & per octo dies festivitates ipsas immediatè sequentes, nec non & in Anniversario die Dedicationis ejusdem Ecclesiæ. Cessit officio Walterus, anno 1290. & privatis religiosæ vitæ muniis operam dantem, mors intercepit, tertio Kal. Novembris. Tantâ olim eruditione floruerat, ut etiam publicis in scholis Lutetiæ Parisiorum legerit Sententias.

XIX.

JOANNES DE *VALENCENIS*, hujus nominis secundus, cognomine, sed non re, *Crudelis*, in arte medica diligenter versatus, à Bonifacio VIII. omnium immunitatum, jurium, ac libertatum monasterii sui, novam impetravit confirmationem: Itemque à Guidone Cameracensi Episcopo, Canonicos in Pastoratibus delinquentes, revocandi obtinuit facultatem, vel potiùs, jamdudùm concessæ à summis Pontificibus, & hactenùs usu roboratæ facultatis approbationem. Duas etiam Capellas in *Morlanvez*, & in *Seneffia*, quarum alteri Beghinagii nomen est, alteri S. Joannis, approbante Episcopo, cum jure patronatûs, accepit, per suos, si libuerit, Canonicos deserviendas. Per septemdecim annos laudabiliter expletum regendi munus sponte dimisit 1°. Maii 1308. & pridie Idus Junii ejusdem anni piè defungitur.

XX.

JOANNI subrogatus est GERARDUS DE *MASNUI*, vir corpore formosus, verbis jocundus, Musices arte peritus, circa regimen Pastoralis officii zelum quidem habens, at non experientiam. Beneficium S. Joannis *in Bosco Hanniæ*, à Joanne *Sauffes*, Domino de *Bouffois*, fundatum, Petri Cameracensis Episcopi consensu, cum jure patronatûs, consecutus est. Prædecessoris adinstar, anno 1316. feriâ sextâ ante Assumptionem B. Virginis, dignitati renuntiavit, & intra Octavam Nativitatis ejusdem, vivendi finem fecit, relinquens Ecclesiam Bonæ-spei, temporum injuriâ, & Principum (subsidia terræ Sanctæ prætexentium) exactionibus, nudatam bonis mobilibus, & gravissimis debitis oneratam.

XXI.

JOANNES DE *VALENCENIS*, hujus nominis, tertius, cognomento *Boves*, in Gerardi locum ad infulas postridiè Assumptionis evehitur. Inauditâ novitate, Missam pro suis peccatis, singulo quoque anno, quandiu viveret, & post mortem Anniversarium, recurrente quolibet anno, faciendum extorsit à Conventu, pecuniarios villarum de *Bruille*, & de *Vellercilla*, census annuos, hujus rei gratiâ, temerariò & ridiculè oppignorante. Fato functus est tertio Kal. Januarii 1323.

XXII.

SIMON DE *LOBIIS*, sepultus dicitur juxta Gerardum de *Masnuy*, ex Abbatum Bonæ-Speiensium Catalogo. Concordi Fratrum electione substitutus est ei, mense Augusto 1324.

XXIII.

JOANNES *BREURA*. Tertio Kal. Septembris 1328. diem vidit ultimum.

XXIV.

JOANNES DE *NINIVE*, cessit anno 1328.

XXV.

JOANNES DE *BARBANCON*, anno 1336. die 24. Octobris unà cum Jacobo Helenchiniensi, suis & aliorum monasteriorum Præmonstratensis, Augustini, Benedictini, & Cisterciensis, Ordinum nominibus, Diœceseon Leodiensis & Cameracensis, concordiam inierunt cum Joanne Lotharingiæ Duce. Decessit IV. Kal. Septembris. 1342.

XXVI.

HUGO DE *SARTO*, decimo septimo Kal. Junii, 1345.

XXVII.

MATTHÆUS DE *LENS*, septimo Kal. Januarii, 1353.

XXVIII.

JOANNES DE *VINEA*, juris utriusque Lauream adeptus, religiosâ conversatione plurimùm commendabilis, obiit quinto Id. Januarii, 1369. Insculptâ sepulchrali ipsius lapidi hâc Epigraphe, Parentis nomen & virtutes posteris commendarunt grati filii.

Præfuit in annis, Bona-spes, tibi cura Joannes.
Christe! tuæ vitis genimen sibi porrige mitis.
Vinea cognomen dedit huic, Baptistaque nomen:
Cui crebris vita morum gemmis redimita
Extitit, & variæ fulgens splendore Sophiæ.
Grammaticæ flores, Rhetoricæque lepores
Novit: Jure quoque fuit illustratus utroque.
Martha ministrando fuit, atque Maria vacando.
Quater X. sena novies luce novata
Jam decessit, cujus laus cedere nescit.

Necrologium ad diem 9. Januarii hanc habet Commemorationem: » Piæ memoriæ viri » moriginati Domni Johannis de *Vinea*, condam hujus Ecclesiæ Abbatis; qui vitæ laudabilis, religiosissimæque conversationis semper exstitit.

XXIX.

JOANNES *SORTES*, Musicæ artem callens, duas composuit Prosas *Ad floridam*, & *Quæ est ista*. Obtinuit pariter à summo Pontifice licentiam cantandi *Alleluya*, in die Annuntia-

tionis Dei-paræ Virginis, in Quadragesimam incidente. Vivere desiit tertio Non. Aprilis 1394.

XXX.

PETRUS DE *MALONIA*, bonorum Crucifixi parùm prudens dispensator, Ecclesiam suam ad eas adduxit paupertatis angustias, ut anno 1420. Petrus Ordinis Generalis, & Bonæ-spei Pater Abbas, temporalium regimen ei subtrahere, ac honestæ cuidam seculari personæ committere coactus fuerit, quæ determinatam pecuniæ summam singulis mensibus, tam Abbati, quàm Religiosis, per manus Cellarii distribueret, uniuscujusque necessitatibus expendendam, residuumque debitis impenderet extinguendis. Alieno igitur ære, non minùs quàm annorum pondere, gravatus Joannes, humeris suis impari se subtraxit dignitati, nec multò post vitæ, anno scilicet 1421. Nec silentio prætereundum maximam fortassis horumce debitorum partem ex christiana ejusdem Abbatis liberalitate dimanasse, dum grassante per Hannoniam, anno 1398. gravissimâ peste, Bindii civibus ad extremam pauperiem redactis, duo florenorum millia (Summam tunc temporis valde notabilem) in afflictorum levamen distribuit.

XXXI.

ÆGIDIUS *MAXE'*, viâ Spiritûs sancti Petro succenturiatus, sacræ facultatis Theologicæ Parisiensis Licentiatus, Fraternitatem iniit, anno 1426. cum Joanne Abbate, & Conventu S. Martini Laudunensis. E vivis sublatus est VIII. Id. Decembris 1444.

XXXII.

WILLELMUS *SCHENIEL*, monasterii sui spiritualibus & temporalibus, toto quindecim annorum, & aliquot mensium spatio, prudenter invigilans, mortalitatem exuit VI. Nonas Maii, 1460.

XXXIII.

PETRUS DES *FOSSETS*, à Ludovico XI. Francorum Rege summam 3700. Coronatorum, monetæ tunc temporis in Galliis usitatæ, obtinuit. Hanc Ludovicus Ecclesiæ Bonæ-spei, adhuc Delphinus, & exul à patre apud *Genapiam* agens, voverat, in gratiarum actionem miraculosæ sui liberationis ab imminenti mortis periculo, per toxicatas vestes, ad se Parisiis missas, infallibiliter inferendæ, nisi in somnis admonitus à Deipara (cujus sacræ Imagini, Bonæ-spei asservatæ, assiduum cum pietate cultum, toto exilii tempore frequens exhibuerat) à venenatis vestibus abstinuisset. Migravit è seculo Petrus, pridie Id. Augusti 1478.

XXXIV.

ANTHONIUS DE *MERDOP*, vir magnæ sollicitudinis & prudentiæ, pinnaculum Templi, ædes Abbatiales, & alia plura necessaria construxit ædificia. Senio confectus, dignitatem resignavit in manibus Huberti Præmonstratensis Abbatis, illâque protinùs Resignantis nepotem investivit laudatus Generalis, die 21. Junii, 1495. & anno sequente, Kalendis Septembris, appositus est cum patribus suis Anthonius.

XXXV.

NICOLAUS DE *MERDOP*, regimen vix adeptus, distrahere & alienare cœpit, in gratiam sui fratris, monasterii fundos, sub exiguis censibus. Verùm semel, & iterum ab Huberto Generali objurgatus, Ecclesiam suam deinceps tantâ administravit prudentiâ, ut omnibus exoneratam debitis, transmiserit successori. Viam universæ carnis ingressus est XV. Kal. Octob. 1510.

XXXVI.

JOANNES *CORNU*, viâ Compromissi, præsente, simulque præsidente Joanne de *l'Escluse*, Abbate Præmonstratensi, canonicè electus, 25. Septembris, 1510. novum Refectorium, novum Claustrum, Portam, aliaque plurima construxit ædificia, & Sacristiam vario paramentorum genere, sacrâque supellectili pretiosissimâ instruxit. Senectute gravatus, viginti sex annis in monasterii regimine fideliter laborando peractis, animam Deo reddidit tertio Decembris 1537. Coadjutorem, futurumque sui successorem, jam ab anno 1532. obtinuerat à Clemente.

XXXVII.

JOANNEM *DEPPE*. Duplicem hic vidit & luxit monasterii sui deprædationem, alteram anno 1543. alteram 1554. Speiensibus interea huc & illuc dispersis. Nec grangiis, seu colonorum habitationibus pepercit flamma vorax. Nihilominùs alternis illis calamitatibus haud quàquam fractus Joannes, restaurandis ædibus animum applicuit; Sacristiam expilatam, & nudata altaria, pretiosis ditavit paramentis. In eo tamen vel maximè culpandus, quòd gratuitas donationes tot ac tantas, sub nomine mutui, sed sine ulla spe refusionis, indiscretè distribuerit, ut Mutuatoris cognomen publicè sit consecutus. Excessit è vivis III. Id. Julii 1555.

XXXVIII.

PETRUS *DESPERIES*, rei familiaris non segnis administrator; efflavit animam VI. Kal. April. 1559.

XXXIX.

JOANNES *TREUX*, electione Fratrum, suf-

fragante Carolo V. Imperatore, pedum consecutus, infelicissima vidit tempora. Annis siquidem 1562. & 1563. violatam Ecclesiæ suæ immunitatem Ecclesiastico decreto redintegrari curat. Anno 1568. Auriacus Princeps, ingenti cum exercitu in Germania collecto, in auxilium Acatholicorum Belgii fœderatorum, transmisso Rheno ac Mosâ, properans, Brabantiam, deinde Hannoniam ingressus, monasterium Bonæ-spei (pretiosissimis quibusque sacris vasis furto nocturno non ita pridem spoliatum, Religiosis & famulis, *Binchium*, manu vacuâ, fugere coactis) tradidit militibus expilandum, & totius residuæ quâ sacræ, quâ profanæ supellectilis direptione factâ, Templum in quo insignes asservabantur plurium Divorum exuviæ, & omnia ædificia (exceptis sex Sacellis, ac Bibliothecâ) variasque villas viciniores flammis absumpsit. Anno 1572. civitate Montensi à Ludovico Nassovio improvisè captâ, quæcumque illuc ad hospitium suum Speïenses asportarant, expilata sunt, & inter alia, plures Calices, quorum unus erat ex auro solido conflatus; Statua aurea S. Joannis Baptistæ, ejusdem Sancti dentem manu gestans; Crux ingens aurea, partem sacri ligni continens inclusam, aliaque non pauca vasa sacra, aurea & argentea, & paramenta pretiosa; insuper & centum millia florenorum futuris necessitatibus destinata. Anno 1577. obsesso à Gallis captoque Binchio, quidquid superat, sublatum pariter atque direptum est, & Prælatus ipse in captivitatem adductus, vix amissam libertatem, mediantibus sex florenorum millibus, recuperavit. Principibus rebellantium Hannoniæ Ordinum exosus factus, Binchio iterùm pellitur; sed Valencenas ingressus, latitavit in Conventu Dominicanorum, usque ad reconciliationem Hannoniæ cum Hispaniarum Rege factam, 12. Septembris 1579. Tunc Montes reversus, post undecim menses qualiscumque tranquillitatis, cùm de reparandis Monasterii ruinis seriò cogitaret, jamque operi manum admoveret, fato concessit 25. Augusti 1580. sepultus in Templo S. Waldetrudis.

XL.

JOANNES *Luc*, monasterium Bonæ-spei ad eas paupertatis angustias redactum invenit, ut pro Canonicorum suorum sustentatione, ac debitorum extinctione, coactus fuerit, annuente Joanne de *Pruetis*, Ordinis Generali, nonnulla immobilia alienare, annuosque reditus creditoribus assignare. Ad ipsius instantiam, Abbatibus Bonæ-spei concessit anno 1601. Clemens VIII. jus mitræ, aliorumque pontificalium Insignium. Ex libello supplici à Speïensibus Abbati Floreffiæ, Vicario generali Circariæ, porrecto, discimus Joannem multò plus faciundæ satis vanitati suæ, quàm procurando Ecclesiæ, ac monasterii commodo invigilasse. Lucis amisit usuram 29. Januarii 1607. Tumulatus est in Claustro, cum superposita Epigraphe quæ præcedentia confirmat.

XLI.

NICOLAUS CHAMART, ex Pastore de *Morlanwez*, ad Prælaturam assumptus, extinguendis primùm debitis ingentibus, ab antecessore contractis, curam convertit. Exinde restaurando Templo, ab annis 40. combusto, & annis duodecim consummato, altaribusque, stallis, organis, & insignibus diversi generis ornamentis decorato, sedulus incubuit. Turrim etiam excitavit, obelisco sublimi & eleganti, horologio, campanis, & modulantibus tintinnabulis distinctam. Anno 1613. F. Sebastianus *Deppe*, Pastor de *Morlanwez*, primum Asperi-collis Sacellulum ædificavit, in quo pro peregrinorum illuc confluentium devotione, Missæ sacrificium Archiepiscopus Cameracensis celebrari permisit, & Archiducissa Missam singulis diebus Sabbatinis celebrandam fundavit. Postmodùm verò fidelium eleemosynis, & Pastoris sollicitudine reditibus excrevit. Anno 1616. præpotenti Archiducis Alberti auxilio, comparatum corpus B. Friderici, Abbatis primi, & Fundatoris *Horti-Mariani*, in Frisia, Ordinis Præmonstratensis, approbante Cameracensi Episcopo, Binchii fidelium venerationi solemniter expositum 6. Decembris, & post sacra Missarum solemnia, totius urbis comitante clero, & populo, in Ecclesiam Bonæ-spei translatum est. Anno 1617. impetravit à Capitulo Binchiensi particulam spinæ dorsi S. Abelis, Archiepiscopi Remensis, antea Lobiensis Abbatis. Sacellum, in ædibus Abbatialibus, S. Nicolao sacrum erexit. Bibliothecam notabili voluminum numero locupletavit. Septa monasterii præalto cinxit muro. Denique persolutis omnibus domûs suæ debitis, & coacervatâ successori summâ 75000. florenorum, Binchii hominem deposuit, 26. Septembris 1642. humilitatis, tenerrimæ in Fratres charitatis, ac potissimùm frugalitatis cultor eximius. Ne tanti Parentis præsentiâ fraudarentur filii, corpus ejus ad monasterium revectum, in medio Chori terræ mandarunt.

XLII.

AUGUSTINUS DE FELLERIES, Nicolao *Chamart*, electione Fratrum, & suffragio Regis Catholici, renuntiatus est Abbas, anno 1642. Pastoratum *Hannia*, tum regebat, & quidem laudabiliter & fructuosè. Plebis & Procerum captarat sociali contubernio benevolentiam. Moribus compositis dicendi lepores, & concionandi artem ornabat. Archiducem Austriæ, quem sæpiùs habuerat auditorem, sibi devinxerat prædicandi lenociniis, & in argumentum existimationis & amoris, ab eo Principe catenâ âurea, numismate pendulo instructâ, fuerat donatus. Rempublicam litterariam concionibus, scriptis su-

per *Ave Maria*, & aliis de Passione Christi, stilo eodem exaratis, dictaverat. Talis denique ab omnibus proclamabatur, qui pensitatâ meritorum ratione, ad eminentem Prælaturam ascendere dignus judicaretur. Ad Bonæ-Speiensem promotus, publicis aggratulationibus excipitur à populo, & clero, portenta augurante, & Bonæ-spei ominante felicitatem. Nihilominùs tot faustas prædictiones, probabilibus ante actæ vitæ testimoniis innixas, fefellit versipellis Abbas (teste Historiographo Bonæ-spei, eorum, quæ viderat, & quorum pars magna fuerat, relatore. Cui tamen ne omnino credas,) Comitas enim Augustini Pastoris, ab adeptis infulis versa est in imperiosam indolem. Contradictionis impatiens, fraternas non tulit monitiones. Reverentiam à subditis exegit servilem: tecto etenim capite, limina Abbatialis domûs ne Priori quidem permisit attingere. Parcus & austerus in Fratres, totum se in consanguineos liberalem effudit. Hospitia *Binchii*, *Nivellæ*, *Montium*, nepotibus tradidit gratis ad habitationem; & quos gratuito excipiebat hospitio, eosdem, monasterii sumptibus lautè alebat, & vestiebat superbè. Numerosæ consanguinitati, & Prælato interea ambulanti in magnis, cùm non sufficerent pingues Bonæ-spei proventus, jam devoratâ prædecessoris amplâ successione, absumptisque pecuniis ingentibus, quas vel ex dotibus Novitiorum sexaginta, vel ex refusis Capitalibus extorserat, monasterium tandem mutuatitio gravavit ære, & septuaginta florenorum millibus oppignoratum, moriens reliquit. Super prodigum, & infidelem patrimonii Christi administratorem tacitis gemitibus (neque enim audebant publicis ad servitutem, tyrannico more, adacti) collacrymabantur Canonici, nec erat qui consolaretur eos. Hominem propriâ dignitate turgidum, adtitio Vicarii generalis munere præpotentem verebatur, immo & venerabatur Generalis ipsemet Augustinus le *Scellier*, qui in obeunda visitatione Bonæ-spei, nequidem ausus est convictum, & omni censurâ dignum prædonem, anathemate conquassare. Senem, sed ad Cœnobii salutem seriùs, dolorosissimi morbi acerbitates ex superbiæ solio detruserunt, humili sepulturæ dandum, anno 1671. Eo vivente habita est Bonæ-spei, anno 1661. celebris illa Collatio, inter Abbates communis Observantiæ, & Communitatis antiqui rigoris, quæ *Colloquium Bonæ-spei*, deinceps appellata fuit.

XLIII.

ENGELBERTUS *MAGHE*, triginta quatuor duntaxat annos natus, emenso Philosophiæ, ac Theologiæ Lectoris stadio, ad infulas, omnium votis evectus, monasterii sui Chronicon, publici juris fecit, anno 1704. In eo peccavit multiplici ex capite. Circariarum Flandriæ, atque Floreffiæ Vicarius generalis & Visitator creatus, domi, & foris aliquam sibi collegit existimationem. E vivis evolavit, 29. Octobris, 1708.

XLIV.

JOANNES *PATOUL*, providè præfuit. Dormitorium, Bibliothecam, Capitulum, Refectorium perpulchrum, & ædes Abbatiales structuræ elegantis, Sacristiam, ornamenta pretiosa, struxit, comparavitque, obiit die 13. Januarii 1724. En ejus encyclicam Epistolam.

JESUS, MARIA, NORBERTUS.

Anno ab Incarnatione Verbi septingentesimo vigesimo quarto supra millesimum, die tertiâ mensis Januarii, circà horam sextam vespertinam, in Abbatia Beatæ Mariæ Bonæ-spei, Sacri Ordinis Præmonstratensis, Diœcesis Cameracensis, sanctæ Matris Ecclesiæ Sacramentis præmunitus, apoplexiâ tactus, viam universæ carnis ingressus est plurimùm Dilectus nobis in Christo Confrater

REVERENDUS ADMODUM AC AMPLISSIMUS

Dominus D. F. JOANNES *PATOUL*, Jubilarius.

Præfatæ Ecclesiæ Abbas XLIV. ætatis suæ 75. Prof. Rel. 57. Sacerd. 52 Jubil. 7. Prælaturæ 15. illud propheticum seriò perpendens: *Bonum est viro cùm portaverit jugum ab adolescentia sua*, junior Deo sese offerre non distulit, Canonicæ Regularitatis studiosissimus, & ergà Divam Virginem piissimus; lacteis deinde Religionis confortatus uberibus, calceatus pedes in præparationem Evangelii, Parochiam de *Famelico-Rodhio* summâ cum laude per annos 16. gubernavit, quod verbis docuit, exemplo firmavit. Ad Abbatialem dignitatem sublimatus, humilitatem velut anchoram retinuit, in ea crescens atque proficiens, ei maxima cura fuit templum solemni decorare cultu, & magnificis illud ornamentis exornare, dormitorium, claustrum, infirmitorium, bibliothecam & hospitum ædes, sibi parcens, de novo ædificavit. His & plurimis piissimis operibus intentus, in frequentandis tamen divinis Officiis fortem, strenuum, & indefessum sese exhibuit: denique plenus dierum, & gloriâ jubilei laureatus, religiosè, ut vixerat, inter adstantium Confratrum preces, orans, obdormivit in Domino. Quia tamen in multis offendimus omnes, & nihil coinquinatum intrat in regnum cœlorum, Precum & Sacrificiorum vestrorum suffragia ex charitate flagitamus, ut quantociùs æternâ

Requiescat in pace.

XLV.

HYERONIMUS *PETIT*, primùm in Curcellensi & Anderlucensi parochiis vigilantissimi Pastoris

Pastoris gessit vices per septennium, exin Prioris claustralis officium subiit, eoque per annos non minùs octo eâ laude & fructu perfunctus, ut communibus Fratrum votis in Abbatem fuerit sublectus anno 1724. Hodie præest, vir frugi, modestus, regularis disciplinæ vindex amabilis, qui Fratres suos vinculo pacis, mutuæque dilectionis adunatos, tenerrimo fovet affectu; exteros quosque humanitate multâ, maximâ urbanitate excipit. In Ordine Vicarius generalis per Circarias Floreffiæ, & Flandriæ; in Republica deputatus Statuum Hannoniæ; utrique perinde utilis & acceptus. Utinam ad Nestoream ætatem!

MONUMENTA. SEPULCHRALIA.

Præter tumbas plurium Abbatum recens appositas inscriptasque, visuntur in Basilica Bonæ-spei aliquot Epitaphia. Primum ad parietem dextrum Capellæ secundæ inter eas, quæ Sanctuarium circumambiunt. » Chi devant..... Bauduins de Senzelles, Ecuyers » Seigneur de Fantegnies, de Beievene, de » Mierbes saint Marie, jadis Prevo de Binch, » trespassa l'an M. IIII^c. &..... Et enprés » lui gist Damoiselle Margueritte Dou....... » se Espeuze, trepassa l'an M. IIII^c. &...... » Priez pour leur ame.

In eadem parte: » Chi devant gist Godefroy » Clauves en son temps, Consillier de Mon- » signeur le Duc de Bourgoigne, & ossy de » ciestre Eglise, que trespassa en l'an mil qua- » tre chens &...... le.... mois.... priez » Dieu pour son ame. *Pater noster.* Vestes Præmonstratensium indutus exhibetur, quem S. Joannes Divæ Virgini offert & commendat.

In Navi. » Hic jacet R. ac V. D. F. Petrus » Salcedo, ex illustri Hispaniæ familia ortus, » hujus Ecclesiæ Canonicus. Obiit 1713. 18. » Novembris, &c.

PATERNITAS.

Habuit olim Bona-spes Parthenonem in *Rivroël.*

SACRÆ SANCTORUM EXUVIÆ
In Templo monasterii Bonæ-spei fidelium venerationi exposita.

Ossium fragmenta, & Cineres ex sacris corporibus sanctorum Martii, Polycarpi, Valerii, Honorati, & Stephani, ac Terentiæ, Margariæ, Sambariæ, Baldinæ, & Margaritæ, ex Ursulana societate Martyrum, in conflagratione anni 1568. servata.

Corpus B. Friderici, primi Abbatis Horti-Mariani in Frisia, Ordinis Præmonstratensis.

Corpus S. Anastatii, Martyris Romani.

Corpus S. Victorii, Martyris Romani.

Corpus S. Felicis, Martyris Romani.

Corpus S. Sabini Martyris Romani.

ALIÆ INSIGNES RELIQUIÆ.

S. Frederici, Trajectensis Episcopi, & Martyris.

Duo ossa oblonga SS. Thebæorum Martyrum.

Gorcomiensium Martyrum.

S. Severini Martyris.

S. Ursmari Episcopi, antea Laubiensis Abbatis.

S. Abelis, Archiepiscopi Remensis, Laubiensis Abbatis.

S Drogonis Confessoris.

S. Macharii.

S. Crescentiæ Martyris.

S. Mariæ Oigniacensis.

ALIÆ MINORES.

De. S. Petro.

De. S. Andræa Apostolo

De. S. Simone Apostolo.

De Cingulo S. Thomæ Apostoli.

De S. Foillano, Episcopo & Martyre.

De S. Laurentio.

De S. Faustino.

De S. Marcellino, Papa & Martyre.

De S. Blasio.

De S. Saturnino Martyre.

De SS. Sergio, Baccho, & Apollinari, Martyribus.

De S. Basilio Confessore.

De S. Honorato Episcopo.

De S. Bernardo Claraevallensi Abbate.

De S. Mauritio.

De S. Martino.

De S. Candido.

De S. Livoldo Subdiacono, qui Corpora SS. Virginum sepelivit cum Clamatio.

De S. Exuperio Martyre.

De S. Maximino Martyre.

Dens S. Barbaræ.

De S. Felicula, Virgine, & Martyre.

De S. Cæcilia, Virgine, & Martyre.

Ex Capite S. Secundæ Virginis & Martyris.

De S. Maria Ægyptiaca.

De S. Genovefa Virgine.

De junctura B. Agnetis, Virginis, & Martyris.

De S. Rolende Virgine.

De S. Agatha, Virgine & Martyre.

De S. Magareta.

Ibi etiam asservatur insignis imago B. Mariæ Virginis, de *Bona-spe* dictæ, miraculis celeberrimæ. Verùm de ea in Annalibus ad annum 1460.

INDEX PASTORATUUM ECCLESIÆ BONÆ-SPEI.

Pastoratus S. Martini de *Leugnies*, propè Belli-montes, Diœcesis Leodiensis, ab Henrico II. Leodiensi Episcopo concessus, anno 1161.

S. Bartholomæi de *Familiarraux*, olim Ca-

meracensis, nunc Namurcensis Diœcesis, à Nicolao Cameracensi Episcopo, an. 1162. concessus.

Hayna S. Pauli, Diœcesis Cameracensis, ab eodem Nicolao datus, an. 1163.

SS. Quirici & Julittæ, de *Seneffia*, olim Cameracensis, nunc Namurcensis Diœcesis, ab eodem oblatus, ann. 1167.

S. Trudonis de *Thorembaix*, Diœcesis Leodiensis, à Wicardo de *Thorembaix*, Gozvino de *Turninis*, & Mathilde de *Lerinis*, approbante Lucio III. concessus, anno 1172.

S. Lamberti de *Orbaix*, Diœcesis Leodiensis, ab Ingorrando, Godefrido, & Jacobo Militibus, eodem Lucio III. & Henrico Leodiensi Episcopo approbantibus, concessus, an. 1172.

S. Georgii de *Erkelines*, Diœcesis Cameracensis, ab Alardo Cameracensi, confirmante Alexandro III. attributus, ann. 1175.

Stæ. Crucis, Diœcesis Cameracensis, ab Hugone de *Harveng*, & Roberto fratre ejus, sub approbatione Alardi Episcopi, & confirmatione Alexandri III. concessus, an. 1177.

Montis S. Genovefæ versùs *Lobium*, ejusdem Diœcesis, & ab iisdem eâdem donatione concessus.

Montis Stæ. Aldegundis, in eadem Diœcesi, & ejusdem donationis.

De *Caneriis* } ejusdem Diœcesis, & ejusdem
De *Ressais* } donationis.

De Haina, quæ dicitur *Poterie*, ejusdem etiam donationis.

S. Martini de *Anderluvia*, propè *Fontanas*, per eandem donationem.

Stæ. Aldegundis de *Felluy*, per eandem quoque donationem. Omnes enim præfatæ Ecclesiæ unico Diplomate datæ, & confirmatæ fuerunt ab iisdem, & eodem anno.

S. Martini de *Morlanvez*, apud parcum de *Marimont*, Diœcesis Cameracensis.

Stæ. Gertrudis de *Gennetines*, Diœcesis Namurcensis, à Godefrido de *Othenies*, & Beatrice de *Liemale*, sub Lucii III. & Alberti, majoris Præpositi Leodiensis, approbatione concessus, ann. 1187.

S. Lamberti de *Curcellis*, propè *Trasigniacum*, Namurcensis Diœcesis, à Godefrido de *Thuin* concessus, an. 1188.

Stæ Mariæ de *Monte* supra *Sombreffiam*, Namurcensis item Diœcesis, à Jacobo d'*Orbaix* collatus, an. 1190.

S. Bavonis de *Calvo-monte*, Diœcesis Leodiensis, à Godefrido de *Calvo-monte*, de consensu Alberti Leodiensis Episcopi, an. 1196. oblatus.

S. Martini de *Coy*, Diœcesis Leodiensis, à Nicolao Clerico, & Theodorico Milite de *Haya*, consentiente Joanne Leodiensi Episcopo, anno 1237. collatus.

S. Amandi de *Ysinghen*, Diœcesis Mechliniensis à Florinensi monasterio ad Cœnobium Bonæ-spei accessit, anno 1300. vi Transactionis, ab Hugone Leodiensi Episcopo confirmatæ.

S. Ursmari de *Vellercilla*, Diœcesis Cameracensis, ab origine monasterii, ad Speienses translatus.

Præter hæc Curata, seu Pastoralia beneficia, sunt insuper alia quædam, Bonæ-spei monasterio annexa, curam animarum secum minimè trahentia; qualia sunt.

S....... de *Moriamez*, Diœc. Leod.

De *Soumoy*, ejusdem Diœcef.

De Boscohania, gallicè *Boisd'haine*, Camerac. Diœc.

Stæ. Genovefæ propè Chimiacum gallicè *Chimay*, Diœc. Camerac.

De *Sanzelle*, Leod. Diœc.

Capellania S. Nicolai in *Bosco*, & ei adjuncta.
Capella S. Ægidii de *Fageto*.
Capella B. Mariæ in *Gisteux*.
Capella in *Felluy*.
Capella S. Joannis Baptistæ in *Seneffia*.
Capella in *Ancielsart*.
Capella S. Joannis Baptistæ in *Erkelines*.
Capella Castri, in eodem loco.
Capella S. Andreæ in *Morlanvez*.
Capella Dominæ nostræ de *Aspero colle*.
Capella S. Catharinæ in *Manage*.

CATALOGUS
Alphabeticus Librorum Mss. qui in Bibliotheca B. Mariæ Bonæ-spei asservantur.

Beatus Odo, monasterii Bonæ-spei primus Abbas, institutioni & profectui spirituali suorum multò plus, quàm temporalium incremento advigilans, transcribendos hinc inde comparavit codices, eosque magnis sumptibus, nec minori labore, per juniores Canonicos, pulcherrimis caracteribus, in pergameno curavit exarari. Eodem studio laudabiliter occupatis aliquot Abbatibus subsequentibus, usque ad tempus adinventæ Typographiæ, provisum est abundè lectioni mensæ quotidianæ, & codices (juxta Augustini regulam) certâ horâ petentibus. E diversis bellorum, & incendiorum cladibus evaserunt superstites.

A.

Alani, de Arte bene dicendi. Ejusdem opera contra Hæreticos, Judæos, Waldenses, & Paganos. Prolegus dirigitur *Reverendissimo Domino S. W. Dei gratiâ, Principi Montis-Pessulani.*

Albini Quæstiones in Geneosim.

Alberti de Colonia, Compendium Theologiæ.

Ambrosii in Psalmum *Beati immaculati*. In Lucam. De Trinitate, contra Arianos. De

Incarnatione Domini. De Spiritu sancto. De Fide. De Patriarchis. De Officiis. De Virginitate, & viduitate. De Bono mortis. Hexameron. De Sacramentis. De Gedeone. Apologia Prophetæ David.

Anselmi, Dorobernensis Archiepiscopi, Monologion. Prosologion. De Incarnatione Verbi. De Peccato originali, & conceptu Virginali. De Processu Spiritûs sancti. De Veritate. De libero Arbitrio. De Casu Diaboli. De pane Sacrificii, contra Græcos.

S. Augustini, de Passione Domini. De Consensu Evangelistarum. De Pastoribus. De Ovibus. De Avaritia. De Luxuria. De decem Chordis. Contra Hæreses. De Disciplina Christiana. De Symbolo. De diversis Hæresibus. De libero Arbitrio. De Trinitate. In Epistolam Pauli ad Romanos. Libri Retractationum. Contra Maximum. Contra Pascentium. Contra Felicianum. De vera Religione. De Proprietate non habenda. De Gratia, & libero Arbitrio. De Correptione, & Gratia. De decem præceptis, & decem plagis. Contra Faustum. De Beata vita. Enchiridion. Soliloquia. De fide, & Symbolo. De Academicis. De Quantitate animæ. De Ordine rerum. De Immortalitate animæ. De verbis Apostoli. De diversis Quæstionibus octoginta tribus. Sermones triginta quinque. Super Joannem. De verbis Domini. De Sermone Domini. De Agone Christiano. De videndo Deo. De Civitate Dei. Liber Confessionum. Epistolæ ad Hieronymum. De duabus animabus. De opere Monachorum. De Cura pro mortuis. De Utilitate credendi. De Natura boni. Octoginta quæstionum ex veteri Testamento. De eo, quod dicitur, *Mulierem fortem, &c.* Problemata. De Pœnitentia. Ad Conjugatos. De versu Psalmi, *Deus manifestè veniet*. De Sacrificio vespertino. De Missione Spiritûs sancti. De laude pacis. De amore Dei, & proximi. De Natali Machabæorum. De versu Psalmi, *Deus quis similis tibi*. De Apostolo Paulo. In illud Psalmi, *Jocundabitur*. De eo quod scriptum est in Ecclesiastico, *Fidem posside cum proximo*. De Continentia. De eo quod scriptum est, *Concordia Fratrum*. De Baptismo parvulorum contra Pelagianos. De Prædestinatione gratiæ Dei. De Moribus Manichæorum. Retractatio. De moribus Ecclesiæ Catholicæ. Contra Epistolam fundamenti Manichæorum. De Dogmatibus Ecclesiæ. De Bono conjugali. De sancta Virginitate.

Aurelius Prudentius Poëta.

B.

Barptolomæi Anglici, aliàs *Glaunvyle*, ex nobilissimo Comitum Sudovolgiorum genere Franciscani, de Proprietatibus rerum.

Barptolomæi Betriensis, Quæstiones Dominicales.

Bedæ Venerabilis, de Temporibus. Super Epistolas Canonicas. De Templo Salomonis. In Cantica Canticorum. Super Parabolas. Super Librum Tobiæ. Super *Mulierem fortem, &c.*

S. Bernardi Sermones varii, & Epistolæ.

Bernardi Papiensis Breviarium Decretalium.

Biblia Sacra Pluribus Codicibus sunt descripta.

Biblia Sacra, metro exarata.

Boëtii, de Trinitate. De Consolatione Philosophiæ.

Bonaventuræ Cardinalis, in quatuor Libros Sententiarum. Breviloquium Pauperis, cui initium est, *Flecto genua, &c.*

Britonis Summa.

C.

Cantoris Summa, de verbo abbreviato.

Cassiani Collationes de Vitis Patrum.

Cypriani de Oratione Dominica.

Cæsarii Sermones ad Monachos.

Claudii Episcopi super Librum Ruth.

Clementis Papæ Epistola ad Jacobum fratrem Domini.

Commentarius in Leviticum, & Librum Numerorum. Bis, diversus.

Commentarius in Psalmos, ex Patribus. Bis, diversus.

Commentarius in Matthæum. Bis, diversus.

Commentarius in Lucam.

Commentarius in Paulum, ex variis operibus S. Augustini.

Commentarius in Epistolam primam Joannis, per Homilias.

Commentarius in Apocalypsim, per Sermones.

Commentarius in Cantica Canticorum, per Sermones.

D.

Daris Phrygii Historia Trojanorum, Interprete Cornelio.

Durandi Speculum juris.

E.

Ebrardi Elementa Grammaticæ, cum Commentariis.

Eleutherii, Tornacensis Episcopi, de Trinitate.

Epistolæ D. Pauli, in Capita non distinctæ, cum Glossa.

Eucherii Lugdunensis Episcopi Opera.

Evervini Steinveldensis Præpositi, ad D. Bernardum Epistola.

Eusebii Cæsariensis Episcopi, de sancto Pascha Sermones XII.

F.

Flavii Justiniani Institutionum, Tomi tres.

Flori Tertia pars, id est Expositio in Epistolas D. Pauli, ab ea, quæ est ad Ephesios, usque ad finem.

Flores diverſorum Patrum.
Fulcherii Carnotenſis, de Geſtis Jeroſolymorum.

G.

Gaufredi de Tancredo Summa.
Gloſſa ordinaria in tota Biblia.
Gennadii, de Viris illuſtribus.
Gilberti Commentarius in Lamentationes Jeremiæ. In calce operis hæc leguntur. *Hæc ſufficiant in expoſitionem Lamentationum Jeremiæ, quæ de Patrum fontibus emiſi ego Gilbertus, Antidiorenſis Eccleſiæ Diaconus.*
Gratiani Decretum.
Gregorii magni Epiſtolæ. In Cantica Canticorum. In Job. In Ezechielem. Dialogi.
Gregorii Decreta.
Guidonis Sermones.

H.

Haymonis ſuper Cantica Canticorum.
Hyeronimi in Oſée. In Joël. In Amos. In Abdiam. In Eccleſiaſten. In Danielem. Quæſtiones ad Algaſiam, & Marcellam, ac Diſputatio de ratione animæ, in uno volumine. Epiſtolæ. Commentarius in Matthæum. De Viris illuſtribus.
Henrici Balazenſis, Ordinis Prædicatorum, Opera, contra Hæreticos.
Hilarii de Trinitate. De Synodis contra Conſtantium Auguſtum, & contra Arianos.
Hildeberti ſuper Canonem Poëma.
Hiſtoria Britannorum.
Hiſtoria Treverorum.
Hugonis Cardinalis in Pſalmos L. priores.
Hugonis de Folieto, Corbeyenſis Monachi Opera.
Hugonis à S. Victore, de Sacramentis. De Charitate. De Virginitate Mariæ. Sermones. In regulam S. Auguſtini.
Hildephonſi de Pudicitiâ B. Mariæ Virginis.

I.

Joannis Ahlatitii, de Morbis & remediis.
Joannis Damaſceni Libri quatuor.
Joannis de Deo Cavillationes. Liber Judicum. De Diſpenſationibus, & Relaxationibus.
Joannis de Rupella Summa.
Joannis de Tornamira Clarificatorium, de Speculatione curationis morborum.
Joannis Januenſis, Ordinis Prædicatorum, Catholicon.
Joſephi, de Antiquitatibus Judaïcis.
Iſidori Etymologiæ.
Joannis Lectoris Summa, de Quæſtionibus Caſualibus.

L.

Laurentii Dumelmenſis Monachi, Hypognoſticon, de veteri, & novo Teſtamento.
Liber de Medicina animæ.
Liber de Charitate, ſeu dilectione Dei.
Liber Diætarum Iſaac.
Legendæ Sanctorum. 2. vol.
Liber Paſtoris.

M.

Manuale Confeſſariorum.
F. Mauritii Diſtinctiones.

N.

Nicolai de Lyra Reſponſio ad quemdam Judæum, Chriſto nequiter inſultantem. Poſtilla in utrumque Teſtamentum.
Nicolai Ghorani Diſtinctiones.

O.

Odonis ſuper Canonem Miſſæ.
Origenis in Numeros. In Jeſum Navè. In Librum Judicum. In Cantica Canticorum.

P.

Papiæ Elementarium.
Paſchaſii Diaconi de Spiritu ſancto.
Pauli Diaconi Chronicon. Legenda Sanctorum juſſu Caroli Magni edita.
Petri Comeſtoris Hiſtoria Scholaſtica.
Petri Damiani de Contemptu ſæculi. Liber exemplorum.
Petri de Tarenteſia, ſeu Innocentii IV. In IV. Libros Sententiarum.
Petri Lombardi in omnes D. Pauli Epiſtolas.
Philippi Abbatis Bonæ-ſpei Opera omnia.
Pharetra.
Priſcani de Arte Grammatica.
Pomerii (Juliani) de Vitâ contemplativa, Libri III.
Proceſſus Religioſorum.
Prudentii Poëtæ Opera.

R.

Radulphi in Leviticum.
Raymundi Summa.
Richardi à S. Victore, de duodecim Patriarchis.
Roberti Holkot Sententiæ.
Ruperti Tuitienſis Abbatis, de divinis Officiis per annum.
Ruffini Hiſtoria Eccleſiaſtica.

S.

Sigeberti Gemblacenſis, de Viris illuſtribus.
Symmachi Epiſtolæ.
Stephani in Exodum, Leviticum, & Numeros.
Summa Brionis.
Summa de Vitiis.
Summa de Virtutibus.
Summa, Qui benè præſunt, &c.
Summa omnium Decretorum, & Conciliorum.

T.

Thomæ Aquitanis Pars prima, & Secunda Secundæ. In primum, & tertium Sententia-

rum. Quæstiones disputatæ. Commentarius in Ethicen.
Thomæ Cantuariensis Epistolæ.
Tractatus varii de Jure Canonico.
Tractatus de ordine, numero, & significatione Sacerdotalium indumentorum.

V.

De vitiis Capitalibus, ac de Sacramentis.
Viaticus, à Constantino editus, de Morbis, & eorum Remediis.
Vincentii Speculum Historiarum.
Vitæ Patrum.
Wiberti Novigentanæ Ecclesiæ Abbatis, in Genesim.
Willelmi de *Conches* Philosophia, de homine exteriore, & actibus ejus.

TOPARCHIÆ
à Monasterio Bonæ-Spei pendentes.

Vice-Comitatus de *Vellercilla* quoad mediam partem. Baronatus de Calvo-monte.
Vide probat à col. ccc. ad col. cccvij.

SANCTUS BONIFACIUS in Dockinga.

S. Bonifacius in Dockinga. Diœcesis Leovardiensis. Circaria Frisia. Fil. Steinfeldiæ.

IN Leovardiensi, olim Trajectensi Diœcesi, situm erat primum, & antiquissimum (*a*) totius Frisiæ orientalis Collegium sancto Bonifacio (regionis illius Apostolo, & à Frisonibus, relapsis ad ejusdem oppidi pomaria in odium fidei trucidato) nuncupatum, primitùs occupabatur à Canonicis in communi viventibus. Verùm defervescente Canonicorum spiritu, & Norberti discipulis bonum in Frisiæ Provincia spirantibus odorem, è Steinfeldia evocatum est agmen, qui Religionis candidæ semen ibidem insereret. Quo autem anno innovatum fuerit Dockumense monasterium, assequi necdum mihi licuit.

Jam ab anno 1204. invectam illuc Præmonstrati disciplinam fuisse ex Emmonis Chronico (*b*) planum est. Ex eodem accepimus, ad annum 1225 (*c*) Conradum, Præmonstratensem Abbatem, suo, & Capituli generalis nomine, præcepisse Abbatibus Horti B. Mariæ, *Dockumi*, & Vallis B. Virginis, ut Præpositum *Skelwalde* (*d*) censuris compellerent, ad Patrem Abbatem sibi, & suæ Præposituræ, *secundùm debitum Ordinis*, deligendum. Eodem referente Chronographo, inter Prælatos, ad Leodiensem Synodum, pro vindicanda Engelberti Coloniensis Archiepiscopi morte, indictam à Conrado Cardinali & Episcopo Portuensi, ad Teutoniæ partes Legato, convocatos, legimus Abbates Floridi Horti, & *Dockumi* comparuisse (*e*) Anno 1239. post mortem Emonis, Sibrandus Abbas Horti B. Mariæ, Præses electionis deputatus ab Abbate Premonstratensi, Patre Abbate Floridi Horti, Consiliarium & Assessorem sibi asciviſſe Abbatem Dockingæ discimus. (*f*) Nomen Assessoris hujus, à Chronographo suppressum, ex Steinfeldiæ Necrologio, & schedis è Frisia submissis restituo, & Elenchum Abbatum, non nihil interturbatâ serie, subjiciam. Primus occurrit, si non ordine, saltem antiquitate

I.

THOMAS. In causa Herdrici, *Schilvoldiæ* Præpositi, Commissarius Judex constitutus est à Decano Coloniensi: Deinde à Conrado Portuensi Episcopo, sedis Apostolicæ Legato, ut Theodoricum, Monasteriensem Episcopum (cujus Officialis erat Herdricus) moneret, quatenùs prædictum Herdricum à procuratione negotiorum suorum absolveret. In causa homicidii Henrici Plebani de *Ripa*, judex interfuit, anno 1228. Electioni quoque Pauli, II. Abbatis *Floridi Horti* adfuit, anno 1239. Ex Emonis Chronico.

II.

ROTHUVARDUS, morte subitaneâ, in *Horto Florido*, ubi electionis Consiliarius sedebat, sublatus est, anno 1242. teste Menkone. (*g*) Ecclesiam suam tam in spiritualibus, quàm in temporalibus, in recto statu conservarat, & in multis emendaverat.

III.

METELLUS.

IV.

GERBRANDUS, insignis Belli sacri præco, & amicitiâ Ludovico IX. Galliarum Regi conjunctus, frequenter ab eo litteras accepit, ut ad sanctam expeditionem Frisones excitaret verbo & exemplo, potens concionator: A Clemente IV. institutus sacræ militiæ dux, fideles ad arma coëgit, sponte nomen dantes viro, quem signa & virtutes commendabant. Hujus meminit Menkonis Chronicon, ad annum 1269.

V.

PONTETUS.

(*a*) Ex Schotano.
(*b*) Sacr. Antiquit. Monum. t. 1. pag. 451.
(*c*) Ibid pag. 473.
(*d*) Aliàs Schilvoldiæ.
(*e*) Ibid. fol. 486.
(*f*) Ibid. fol. 517.
(*g*) Ibid. fol. 523.

VI.

BERNARDUS.

VII.

ROTWARDUS.

VIII.

FOLLERIUS.

IX.

CUNO.

X.

MEINOLDUS.

XI.

WALKARDUS.

XII.

WILFREDUS.

XIII.

PROPTETUS.

XIV.

REMBERTUS, florebat anno 1385.

XV.

TIBRANDUS.

XVI.

RICHARDUS.

XVII.

PETRUS Canonicus Lidlumensis, cessit anno 1451.

XVIII.

JACOBUS DE *MONFORDIA*, Canonicus Horti-floridi, Frisiæ Visitator generalis. Obiit 1488.

XIX.

JOANNES DUIVELDANUS, seu *de Duvelandia*, nobilitate conspicuus, & potentum subnixus favore, Dockumensi Prælaturæ intruditur: ex qua anno 1506. Saxonis principis auxilio, ad pinguiorem *Lidlumi* Abbatiam transfertur, utrique funestus Abbas. Tandem in *Mernam* involavit.

XX.

THEODORICUS DE *LOVEN* obiit anno 1529. Visitator Frisiæ, à Patre Abbate Steinfeldensi, anno 1527. fuerat institutus.

XXI.

HENRICUS *A ZUTPHANIA*, Obiit 1541.

XXII.

THEODORICUS, desiit 1558.

XXIII.

HENRICUS *KESSEL*, ad Concilium Provinciale Ultrajecti, ab Archiepiscopo Friderico Schenko condictum, ad annum 1565. evocatus, venire cùm detrectasset, minacibus litteris, intentatâque censurâ, ab exasperato Præsule ad comparendum interpellatur, unà cum Lidlumensi Abbate & aliis; qui ne de contumacia arguerentur ut culpabiles, responderunt, non posse se ejusmodi evocationi parere, cum extra fines regionis Frisiæ fieret, contra antiquas & approbatas consuetudines, atque privilegia, remque à Senatu Leovardiensi judicialiter pensitatam, uti moribus Provinciæ adversantem, displicuisse. *Nos, etsi*, inquiunt, *non dubitemus, quin rationibus allegatis, etiam secundùm sacros Canones, excusemur, quominùs eò venire cogamur, tamen & privatim volumus testari nostri animi erga tuam Reverendissimam Celsitudinem benevolentiam, atque promptam obedientiam in iis, quibus consuetudinibus, nostraque regionis privilegiis nihil derogatur.* Patrios Frisiæ mores veneratus Schenkus, Concilium auspicatus cum Suffraganeis, & Abbatibus S. Pauli, & Insulæ B. Mariæ, tandem illud absolvit.

Et in hoc Abbate Henrico antiquissimum totius Frisiæ Cœnobium, cujus Antistes oppidanæ Ecclesiæ Pastor erat, desiit, cultu avitæ Religionis desinente.

PATERNITAS.

Sequentes habuit filiales Ecclesias *Docum*, seu Dockingensis Abbatia.

Wrouw-ton-dalle, Abbatiam virorum, quæ alio nomine, Vallis S. Mariæ dicitur.

Feen Klooster, seu Montem oliveti.

Cusemar, seu Portam S. Mariæ.

Trimunte, Præposituram Virginum.

Palmar, Præposituram Virginum.

BONIFAGETUM.

Bonifagetum Filius Habenis-Montis. Diœcesis Tullensis. Circaria Lotharingiæ.

Ab incumbentibus, & vallem contegentibus, fagis, nomen *Bonæfagi*, seu *Bonifageti*, patrio & veteri idiomate *Bonfail*, sortitum est monasterium, binis à civitate Mirturia* dissitum horis. In declivi montis, secus prælabentis fluvioli *Madonis* *, sæpe intumescentis oras, adversantes inter & pendulos hinc & inde montes, loco solitudinem & quasi horrorem spirante, & in Vosegi latibulis, structum est anno circiter MCXLV. Bonifageti Cœnobium, quod patriâ linguâ modò *Bonfaiy*, appellatur. Fundatorem habuit Wil-

* Mircourt.
* Madon.

* Ard es. lelmum de *Bernole*, Toparcham de *Archis* *, fecùs Romaricomontem, virum generis splendore inter Lotharingos inclytum, cujus frater Valentiam matrimonio sibi junxerat, sororem Guntheri Canonici Flabonis-montis, totam Ordini, vel potiùs pietati addictam mulierem, quæ ad promovendum opus largas Willelmo de *Bernole*, rem sanctam auspicanti, opes subministravit, fraternæ liberalitatis æmula.

Conditum & honestâ dote instructum monasterium, Stephano Abbati Flabonis-montis obtulerunt gemini fundatores, ut militiæ Norberti ascriptos, sub Abbatis ferula, illuc induceret Canonicos. Spontaneam oblationem, grato excepit affectu Stephanus, & Guntherum Valentiæ fratrem, probatæ virtutis Religiosum, præfecit Canoniæ ducem. Novos Bonifageti incolas gratulatorio Diplomate in bonorum possessione confirmavit illicò Mathæus I[us]. Dux Lotharingiæ, ad instantiam Guntheri. Atque ut Ecclesiasticæ autoritatis suffragium, seculari potentiæ robur adderet & munimen; Virduni existentem Eugenium III. convenit Abbas, anno 1147. & pro suæ nascentis Abbatiæ firmando ampliùs statu, protectoriam Bullam impetravit. Temporali fortunâ, ex largitione benefactorum crescente in dies, crevit insimul Religiosorum turba, quibus excolendis in virtute, integrum se Guntherus impendebat, secularium licet distentum sollicitudinibus. Ad illum quippe advolabant ex vicinia nobiles & rustici, ut ex ejus ore sacra vitæ melioris documenta capesserent. Erudiendos æquabili charitate admittebat, vir ad utrosque benignè acclinis, & pœnitentiam moribus & habitu præferens, efficaci verbo subeundam suadebat tyronibus. Annis decem, ut suis sic exteris summè utilis & charus, regimini insedit Guntherus, æternùm victurus in cœlo, decessit anno salutis 1155. aut circiter

II.

Ascelinus, Gunthero sufficitur electione Fratrum, prædecessoris non degener Successor in quo tanta pietas splenduit, & in dicendo lepores tanti enitebant, ut affluenter Nobiles, ejus magisterio se subderent, & ultro in eleemosynam partem bonorum suorum transferiberent Bonifageto. Inter alios beneficum sensit Ascelinus, Guillelmum de *Briachori* Militem, qui allodii de *Faxal* partem hæreditario jure sibi competentem, unà cum adjacente molendino, contulit, spectante & attestante Guidone Abbate *Calmosiáci* * Cohæredes donatoris, sua quique jura & allodii partes ad se pertinentes, instigante Guillelmo, vendiderunt Ascelino Abbati; & tam donationem, quàm emptionem suo chirographo roborarunt Dux Mathæus, & Ducatûs hæres Simon. Nonnulla pretio, quædam oblatione fidelium prædia comparavit * *Bebulii*, * *Gresillis* & * *Moi*-

* Chamousy Abbatia Can. Reg. Cong. Salvatoris nostri.

* Beholy. * Grezil. * Maroncourt

rincuria œconomus Abbas, Fratrum & Sororum provisor vigilantissimus. Accesserant enim ad illum conversionis ergò Virgines, quas more majorum in contiguo recluserat ædificio, austerioris vitæ jugum amplexantes, rerum temporalium, perinde ac spiritualium pabula ab eodem pastore recipientes. Ne verò patrimonium Christi & pretia peccatorum, profana cupiditas, invadere præsumeret, judicavit providus Abbas, substantiam domûs suæ, & pauperum Christi sub Apostolicæ sedis patrocinio constituendam. Obedientiæ Octaviani, qui Victoris V. nomen assumpserat, suberat tum Lotharingia. Illum ut Pontificem venerabatur Fridericus Imperator; Imperatoris instar Mathæus Dux Lotharingiæ, ex Bertha uxore, Friderici Frater, Victoris sectabatur partes, & penè omnes Ducatûs Ecclesiæ, uti legitimum Pontificem auscultabant. Ad illum commorantem Tulli * accurrit Ascelinus, anno 1162. & totam pauperculæ suæ domûs substantiam, Apostolicâ rogat & obtinet protectione muniri. Non cessavit Ascelinus velut apis argumentosa, sed frugi, de parcimonia sua, augere Bonifageti proventus. Acquisivit de Viderico Abbate * *Clari-loci* Allodium de * *Janneio* intra fines parochiæ * *Gihenneii*, de consensu Lotharingiæ Ducis Mathæi, & approbatione Petri Episcopi Tullensis anno 1174. Terras quoque de * *Jorseio*, & decimas comparavit alibi, quas idem Episcopus à Prædecessore suo Henrico pridem confirmatas, iterum ratas fecit suo Diplomate, sub testimonio Henrici Abbatis *Morimundensis* *, Petri Abbatis *Belli-prati*, * Simonis Abbatis *Rengis vallis*, Valteri Abbatis *Regiæ-vallis*, Arnulphi Abbatis S. Mariæ ad nemus. Ad annum 1180. fidelis & prudens concreditæ domûs administer vixit Ascelinus, & vigesimâ quartâ Julii mercedem accepturus, abiit ad Patrem familiâs.

* Toul.

* Clairlieu Abb. O. Cister.

* Janney.

* Gigney.

* Jorsey.

* Morimond O. Cister.

* Beaupré O. Cister.

III.

Wiardus, altero ab adepta possessione anno, singula monasterii sui prædia, ut poneret in tuto, Lucii III. protectoriis litteris curavit singula stabiliri anno 1181. Willermus & Gerardus germani Fratres, cognomine *Ronzars*, filii Alberici de *Bella-rupe*, * contulerunt Abbati Wiardo in perpetuam eleemosynam & pro remedio animarum suarum, *omne usagium* pasturarum, & lignorum, in pratis & sylvis, villam inter de *Vallois* & aquas d'*Adompt*, mediantibus; suamque donationem anno 1228. sigillo Alberti de *Darneio* * roborarunt. Odo Episcopus Tullensis donum suâ confirmatione sanxivit. Finem vivendi fecit Wiardus anno circiter 1230.

* Belrup.

* Darney.

IV.

Cono, inveteratam discordiam, & litium semina, homo pacificus extinxit, & mediante

Mathæo II. Duce Lotharingiæ, jurgii sequestro, pax inter Bonifagetum, & Beatricem sponsam Martini *d'Ecle*, de assensu filiorum ejus Bizontii & Petri, instaurata est anno 1231. Dux idem anno 1232. Ecclesiæ *Monstreoli sicci* * à Simone *Clarimontis* & Wichardo fratre ejus traditam unà cum decimis, & jure lignandi ac pascendi in nemoribus, laudavit & approbavit. Deficiunt documenta quibus cursum vitæ Cononis definiamus, successorem habuit

[* Monstreuil-le-Sec.]

V.

NICOLAUM DE *VILLA*, genere clarum, à cognominis Toparchiæ * Dynastis oriundum. Ejus temporibus anno 1236. manavit à Gregorio IX. Bulla in gratiam Bonifageti, quâ possessiones ejus seriatim enumeratas, confirmat Pontifex.

[* Ville-sur-Illon.]

VI.

HERBERTUS anno incerto ad Abbatiales infulas sublectus, mense Martio anni 1268. à Guidone & Joanne Dominis de *Bazolimonte* * confirmationem impetravit omnium possessionum quas antecessores eorum contulerant in eleemosynam Bonifageto. Eodem in vivis agente Herberto, anno 1271. Laureta filia Wiardi de *Adompnio*, * tria frumenti Rezalia annuo & perpetuo censu legavit Ecclesiæ Bonifageti, percipienda in molendino de *Prey-moulin*. Herbertum excepit

[* S. Baslemont.] [* Adomp.]

VII.

AUBERTUS qui anno 1277 à Joanne & Ferrico filiis Joannis Toparchæ de *Darneio*, * arbiter & divisor paternæ hæreditatis delectus, amicabili compositione sortem utrique assignavit ex æquo. Obiit anno 1287. & in ejus locum accersitus est

[* Darney.]

VIII.

SIMON Canonicus *Miravallis*, & pastor de *Morionville*, die Mercurii, post primam Dominicam Quadragesimæ, anni 1287. electus. Ferricum II. Lotharingiæ Ducem quem antea infensum, infestumque Bonifageto, dolens fuerat expertus Simon, eundem postea anno 1292 munificum & illati damni resarcitorem probavit, dum ad compensationem injuriæ, decursum amnis Madonis proprietario transcripsit jure Ecclesiæ Bonifageti, à Molendino de *Hucheloup*, ad pontem de *Ferrey*, nec non totum rivum à Pago de *Bainville*, in Madonis illabentem sinum. Probavit insuper translationem allodii de *Maxamoit* ad Bonifagetanos factam à Geliato Clerico *Montisfortis*, cui Princeps illud in remunerationem acceptorum beneficiorum pridem, ex gratitudine concesserat. Augendæ rei domesticæ intentus Abbas, nemus de *Vioncheneys* partim à Willelmo de *Belrup* Milite, partim à Guedone de *Roboy* Equite, sub titulo allodii possessum, pretio comparavit, annis 1299. & 1303. Incolas Villæ de *Morancourt* electionem Præfecti, vulgo *Maire*, sibi vindicantes, coram judicibus convenit Abbas, rationum oppressit pondere, & indebito jure, per decretoriam sententiam spoliatos, jussit quiescere, ab inceptis, anno 1324. nonagenarius obdormivit in Domino Simon, longævi regiminis felicitate commendabilis, anno 1332. administrationis suæ 45.

IX.

GERARDUS, die Veneris post Conversionem sancti Pauli, anno autem Christi 1332. electus Abbas, Joannem 22. interpellavit vindicem adversus invasores bonorum Bonifageti. Prodiit Rescriptum à Pontifice quo Lingonensi Officiali præcepit, raptores cogere ad restitutionem, displosis adversus contradictores, Ecclesiæ censuris. Anno 1341. Marguareta filia Theobaldi II. Ducis Lotharingiæ, Guidoni à Flandria, anno 1311. nupta, postmodùm Comiti de *Chisneio* secundis juncta nuptiis, & utroque viduata, pro utriusque salute, duplex Anniversarium, annuente Abbate Gerardo, fundavit in Ecclesia Bonifageti, pro quorum honorariis stipendiis, viginti duos francos assignavit in proventibus dominii sui de *Haraul* annuatim percipiendos.

X.

THEOBALDUS solo nomine notus.

XI.

LUDOVICUS ab anno 1360. ad 1378. gessit Abbatiale pedum, ut ex variis actibus & concordatis colligitur.

XII.

PETRUS DES *ROCHERS* ad annum 1382. dies porrexit.

XIII.

OLRICUS DE *NEUFCHATEL* anno 1390. sedebat in clavo; diem & annum mortis ejus in fastis non legimus.

XIV.

DOMINICUS DE *VELOTTE* obiit anno 1439.

XV.

DESIDERIUS DE *GRAND*, Canonicus Miravallis ad Bonifageti infulas, Canonicâ Fratrum electione ascendit 18. Martii 1439. Installationem ejus repentina bellorum clades, funesto quodam omine, monasterium depopulata est. Alternis Burgundionum & Gallorum armis Lotharingia inermis, & suo destituta Duce Renato, sic devastata est, anarchiâ stante, ut ne sacris quidem fuerit parcitum ædibus. Fugitivi & spoliati Bonifagetenses, monasterium prædonibus

prædonibus dimiserunt, victum & azilum in regionibus dissitis quæritantes, donec remisso hostium impetu, aut procul actis prædonibus, tutus ad proprios lares foret reditus. Vix sexennio integro cœnobium repetere licuit, obsistente grassantium latrunculorum turbine. Ast ubi serenitas alluxit, dispersum revocavit gregem pius Pastor, & eo præeunte, dissipatos Ecclesiæ suæ muros collegerunt reduces Canonici, struxerunt sibi tuguriola, & pauperem ac socialem vitam degentes, paulatim instaurarunt ædificia, recuperarunt fundos, eorumque inopiam miseratus Erardus de *Jalneio* * Dominus de *Legevilla* *, delegavit illis tria resalia frumenti pro anniversario, annuatim persolvenda. Incumbentem structuræ domûs & disciplinæ regulari, eripuit Bonifageto suum Prælatum *Flabonis-mons*, & viâ postulationis evexerunt in suum Abbatem, anno 1450.

*Janey *Légéville.

XVI.

GUILLELMUS DE *REMONCOURT* præside Desiderio de *Grand*, Patre Abbate Bonifageti, in ejus locum substitutus est anno 1450. Procerum amorem & benevolentiam captans, eorum quoque beneficentiam sibi devinxit religiosis suis moribus. Ludovicus de *Thuilliere* Toparcha *Montis-gaudii* *, Jacobus de *Hassonisvilla* *, Joannes de *Savigny* patriæ magnates, Guillelmum honore prosecuti, eundem donis liberaliter ad consummationem operis sancti, cumularunt: Jusque patronatûs parochiæ de sancto Valerio, moriens Jacobus de Hassonis villa Bonifageto transcripsit sub hæredum approbatione 1455. Anno 1456. magnum sui desiderium, majusque pietatis nomen relinquens optimus Abbas, humanis eximitur.

* Montjoye. * Haussonville

XVII.

NICOLAUS *MAGNIEN* de gremio Capituli assumptus, veterem querelam cum *Basolimontis* incolis, per interpositos mediatores sopivit anno 1457. florentissimæ nobilitatis viros, quibuscum amicitiæ Christianæ vinculo junctus erat, Christianâ sepulturâ in templo Bonifageti donavit. Ipse verò suam ibidem habuit anno 1480.

XVIII.

GERARDUS *RAULIN*, anno 1490. cadente, occubuit.

XIX.

JOANNES DE *CORTESIIS*, Juris utriusque & Theologiæ Doctor, prælaturam eruditione suâ ornavit, per annos octo, & ad patres appositus fuit anno 1498.

XX.

JOANNES *MORIZOT* Canonicus *Miravallis*, obiit die 2. Martii 1506. depauperatæ & rursum spoliatæ domûs infelix Abbas ad eas rerum angustias redactus est, ut nec ornamenta, nec calices suppeterent ad sacrificium. Statum miserabilem sanctæ Romanæ Ecclesiæ exposuit, ut ad commiserationem & solamen, optimam moveret matrem. Præerat tum Alexander VI. qui pecunias nescius irrogare afflictis, largas indulgentiarum opes succurentibus desolato Bonifageto, profudit, anno 1501.

XXI.

NICOLAUS DE *ROYER* in sortem Abbatiæ exilis vocatus, annis septemdecim per multas tribulationes, & necessitates, collapsa ædificia è ruinis excitavit, & sacram coëmit supellectilem pro decore domûs Dei. Intentatam litem interea à Gerardo d'*Haraucourt* Domino *Ubziaci* * vindicante sibi sylvam Tarpæ * adjacentem villæ *Fascalis*, nolens pauper & pacis cupidissimus Abbas, per tricarum cuniculos dirimere, arbitrio Gasparis de *Hassonis-villa*, *Albimontis* * Gubernatoris, & Antonii de *Ville* pagi cognominis Toparchæ, commisit, quibus placuit viginti quinque jugera cum omni dominio, addicere actori Gerardo d'*Haraucourt*; cætera verò dimittere Abbati, cum omni jure & jurisdictione. Judicio sequestrorum steterunt partes & apografis munierunt anno 1520 Fatis cessit anno 1523. Nicolaus, eique datus est dignitatis & egestatis hæres

* Ubzy. * La Tarpe

* Blamont

XXII.

NICOLAUS DE *BREUX*, anno 1526. exemptus è vivis.

XXIII.

THEODORICUS *DESCHAULX* die 8. Decembris 1526. electus, emit anno 1529. à Priore de *Bleurvillâ* O. S. B. quidquid habebat, vel habere poterat in decimis *Monstreoli-sicci*. Anno 1539. amovit à pastoratu *Bazoli-montis* Fratrem Antonium *Barbier* immorigerum, cui suffecit Claudium *Garset* probatæ capacitatis & vitæ laudabilis Religiosum. Obiit Theodoricus anno 1539.

* Bleurville.

XXIV.

STEPHANUS DE *MARTHOT*, ad exitium Bonifageti, non tam Abbas, quàm prædo intrusus, omnia pessumdedit. Moritur prodigus & helluo, anno 1562.

XXV.

NICOLAUS *PRECHEUR*, quondam Canonicus * *Darneii*, & *Vitelli* * pastor, ad redemptionem Bonifageti datus desuper, liberandis prædiis, reparandis ædibus, se totum devovit homo frugi, qui jacturas & anteacti regiminis infausta tempora eluisset, si modicæ fortunæ proventus, ex concessione pontificia non divisisset cum eo Hector de *Ligniville*, Abbatiâ pingui sancti Salvatoris Lodovensis aliunde provisus. Contra hanc inusitatam pensionem, divini Officii minuentem ministros, attenuatæ domûs exhaurientem proventus, reparationi ædificiorum assignatos, insurrexit religiosus Ab-

* Darney. * Vitel.

bas, & penes arbitros Sebastianum *Symonet*, Archidiaconum de *Portu*, Claudium *Castellant* Scholasticum Tullensem, Desiderium *Paton* Officialem Tullensem & diù & acriter certatum; sed non adeò feliciter, quin Abbas, præstantiora Bonifageti prædia, *Fassallum* scilicet, cum allodio de *Bazoliis* corrodenda tradere pensionario debuerit. Reliquum quod superfuit substantiæ, hoc totum piis dedicavit usibus, patrimonii Christi fidelis dispensator, die 4. Decembris anni 1577. in Domino piè defunctus, in Sanctuarii meditullio sepelitur honorificè.

XXVI.

JOANNES GENTILHOMME prædecessoris ex sorore nepos, avunculi relegens vestigia, ejus & pietatem & œconomiam sectatus est. Laudabiles illius conatus, liberali manu adjuvit Carolus III. Dux Lotharingiæ, & ad sublevamen paupertatis monasterii viginti resalia frumenti, sub onere Anniversarii solemnis, percipienda annuatim in dominio *Domparii** delegavit Fratribus, anno 1584. Futuræ felicitati sui cœnobii consulens providus Abbas, coadjutorem sibi delegerat anno 1581. Georgium de *Mitry* stemmate & virtute conspicuum, utriusque Juris & Theologiæ, in facultate Parisiensi Doctorem, & *Mediani monasterii** Professum. Hunc Bonifagetum accersivit, ut schema & professionem Præmonstrati, ad præceptum Pontificis voveret, ejusque consiliis in administratione uteretur. Paruit vocanti coadjutor, & consors laborum sui benefactoris dum vixit, hæres evasit Prælaturæ post mortem ejus anno 1589.

* Dompaire

* Moyen-Moutier O. S. B. Abb.

XXVII.

GEORGIUS DE MITRY dignitatem suam moribus, scientiâ, & virtutibus illustravit. Anno 1614. Christophorum de *Mitry* de capitulantium consensu, fecit sibi coadjutorem, & anno 1617. consanguineos, Toparchas *Falconis-Curiæ*,* invisens, morbo correptus, ibidem morte sublatus est die 7. Decembris. In parochiali Ecclesia sepultus quiescit.

* Faulx-concourt.

XXVIII.

CHRISTOPHORUS DE MITRY Bonifageti Canonicus, Henrico Lotharingiæ Duci & Carolo IV. à Sanctioribus consiliis, sanctæ Sedis apostolicæ Prothonotarius, collapsos ambitûs conventualis muros erexit, atrium seu porticum Ecclesiæ struxit à fundamentis; bona oppignorata redemit ex parte, Congregationis reformatæ rigorem, anno 1635. invexit in suum monasterium; & die 21. Julii 1653. obiit octogenarius in villa sancti Valerii, ubi ante aram principem tumulatus est.

XXIX.

DAMASCENUS PERIN, Supprior monasterii sanctæ Mariæ Mussipontanæ, præside Patre Petro de *Thienville* ejusdem cœnobii Abbate & Vicario generali Congregationis reformatæ, electus est Abbas die 30. Julii 1653. Vir bonus & simplex, sed infructuosus Abbas, qui annis quatuordecim, regiminis otiosi & sterilis decurso stadio, dignitatem exuit, ne censoriâ Ordinis virgulâ exueretur.

XXX.

GODEFRIDUS MOURON Prior sancti Pauli Virdunensis, morum innocentiâ, Religionis zelo, sincerâ in Deum pietate spectabilis, die 26. Februarii 1667. præside R. P. Nicolao Guinet Abbate S. Mariæ Majoris & Vicario generali Congregationis reformatæ, in Abbatem electus est. Quantùm pro regulari disciplina, pro structura ædificiorum, pro fundorum recuperatione vir pauper & modicus laboraverit, notum est domesticis, extraneis compertum. Vitam in conspectu hominum pretiosam, morte sanctâ & pretiosâ coram Deo, conclusit 29. Junii 1698. In Sanctuario conditus, hoc Epitaphio ornatur.

Hic jacet Reverendus admodùm Pater Godefridus MOURON Abbas regularis, hujus monasterii datus à Deo Restaurator, Præmonstratensium antiqui Rigoris tenax Professor, Vir rectus, timens Deum, recedens à malo, omnibus diebus vitæ suæ, bonorum operum plenus ad Dominum migravit die 29. Junii anni MDCXCVIII. Requiescat in pace.

XXXI.

ARNULPHUS SIMON Prior Cuissiaci, Visitationum comes & regiminis Congregationis Definitor, die 26. Julii 1698 electus est in Abbatem, præside Joanne *Charton* Abbate *Rengis-vallis*, & Doctore Theologo. Qualis fuerit P. Arnulphus, majore loco dignus, disces lector ex encyclica & funebri littera quam hìc brevitati consulentes attexìmus.

REVERENDI PATRES.

Die IV. Aprilis, anni MDCCXXI. Reverendus admodùm Dominus & Venerabilis Pater Arnulphus SIMON, B. Mariæ de Bonifageto Ordinis Præmonstratensis, Abbas, nostræ Congregationis insigne lumen, & fulcimentum, cui in Scholarum magisterio, in Vicarii generalis iterum renuntiati munere, in moribus ad pietatem, modestiam, humilitatem compositis, illuxit & profuit, è vivis sublatus est. Virum superioris ingenii, cordis ad ima quælibet, & ad sui despicientiam demissi, effusæ charitatis in Fratres, rigidioris in seipsum censuræ, indefessum disciplinæ regularis vindicem, Crucis discipulum: In arâ Crucis, longo mortificationum martyrio, probatam litavit hostiam pœnitentia Sacerdos. Grandi lethargo pressum è somno excitavit Sponsus, ut arrham immortalitatis morienti præberet. Exomologe-

sim sacram pœnitens fecit, Viaticum æterni commeatûs, geminatâ priùs fidei, & votorum professione, suscepit: & licet torridus macie, & artubus ex assidua corporis afflictatione imbecillis, de lecto exiliit exanimis penè, ut in genua astans, habitu corporis testaretur Deum quem fide vividâ, amore fervido, hospitem recipiebat. Sacramentis Ecclesiæ taliter munitus, animam mundano pulvere vix in corpore sordescentem, consignavit Creatori purissimam; magnum linquens Fratribus luctum, ingens sui desiderium Congregationi nostræ, Proceribus & Plebeiis celebrem sui nominis, suæ pietatis & doctrinæ famam. Piaculares, si quid expiandum remanet, preces pro tanto, tam benè merente de Congregatione, de Patria, de Fratribus Prælato, ætatis suæ annum LXVIII. regiminis Abbatialis XXI. agente, impensiùs efflagitat lugens Bonifagetum, exsiccatum plorans gloriæ suæ verticem.

XXXII.

FELIX *MALCUIT* Prior Stivagiensis & Theologiæ Lector, præside ex deputatione Reverendissimi Generalis P. Francisco *Lorrain* Abbate Salinæ-vallis & Vicario generali Congregationis reformatæ, in Abbatem assumptus est 21. Maii 1721. possessionem adiit 8. Julii. Domum totam à fundamentis ædificare auspicatus, Deo propitiante, & subveniente œconomiâ, quâ pollebat, consummaturus erat in brevi vir sibi parcus, & disciplinæ zelator, nisi ætate adhuc florente, & amplissimi Generalis assistens Visitator Galliæ monasteria lustrans, Cuissiaci obiisset 25. Julii 1726. In Capitulo tumulatus ibidem requiescit.

XXXIII.

ANTONIUS *VARNIER* Magister Novitiorum in Abbatia sanctæ Mariæ Mussipontanæ, electus 12 Septembris 1726. nunc præsidet & incœpta à prædecessore ædificia laudabiliter prosequitur.

PASTORATUS.

Bazoli-montum *Saint Baslemont.*
Monstreolum-siccum, *Monstreux le-sec.*
Sanctus Vallerius, *Saint Vallier.* Diœcesis Tullensis omnes. Hanc ultimam parochiam ultroneâ cessione & ad Pareti construendi dotem tradidit in commutationem Paretanæ Parochiæ Abbas Bonifageti Damascenus *PERIN.*

MONUMENTA SEPULCRALIA.

Cy gist Jean-Louis de Thuillieres, Seigneur de Montjoye & de Hardemont, qui trepassa l'an 1453. le 24. du mois de Decembre. Priez Dieu pour lui.

Cy gist Isabeau de Thuillieres, jadis femme de Monseigneur Jehan Louis de Thuilieres, qui trépassa l'an 1423. le 19. d'Octobre. Priez Dieu pour elle.

Cy gist Jacques de Hassonville, jadis Seigneur de Montreux-le-sec, qui trépassa l'an 1455. la vigile de saint André.

Cy gist Damoiselle Havy de Hassonville, fille de Messire Jean de Hassonville, Chevalier, Senechal de Lorraine, femme de Jehan de Savigny, fils de Messire Ferry de Savigny Marechal de Lorraine, Seigneur de Savigny & de Valfroicourt, lesquels Jehan de Savigny & Damoiselle Havy de Hassonville ont fondé en cette Chapelle en l'honneur de notre Dame & de sainte Marie-Magdelaine, deux Messes chacune semaine, lesquelles deux Messes se doivent dire & celebrer le Mardy & Vendredy ensuivant, laquelle Damoisell: alla de vie à trepassement le lundy dixiéme Janvier en l'an* septante & treize. * 1473.

Cy gist noble Ecuyer Jehan de Savigny, Seigneur de Savigny & de Valfroicourt, fils de Ferry de Savigny, Chevalier, Marechal de Lorraine, lesquels Jehan de Savigny & Damoiselle Havy d'Hassonville fonderent deux Messes chacune semaine, lequel Jehan de Savigny alla de vie en trépassement l'an de grace 1466.

Cy gist Messire Ferry de Savigny, Chevalier & Marechal de Lorraine, en son vivant Seigneur dudit Savigny & de Valfroicourt, qui trépassa l'an 1488. le 18e. jour de Decembre. Priez Dieu pour luy.
Vide probat à col. cccvij. ad col. cccxviij.

BONOLIUM.

Bonolium. Filius Præmonstrati. Diœcesis Noviomensis. Circaria Franciæ.

UTriusque sexûs saluti consulens B. P. Norbertus, Viduarum, ac Virginum cohortes, intrà angustæ suæ vallis fauces, in eadem domo, sed alio tecto & oratorio, excepit, & informavit regulis, tantâ austeritate, sed charitate tantâ conditis, ut ipso adhuc superstite, plusquàm decem millia Sanctimonialium, in variis monasteriis Religioni se consecraverint. Non à proposito illas absterrebat inviolabilis clausuræ professio, non retardabat vestimenti ignobilis apparatus, non verebantur victûs rigorem, imò ad conspectum mortificationis inardescentes certatim nobilissimæ Virgines, magisterio Norberti se devovebant; & sanctis moribus honestabant vitæ genus quod fuerant amplexatæ. Licet obloquentium ora, publicus sanctæ conversationis rumor obturaret, visum est B. Hugoni & Patribus Capituli

generalis anni MCXL. à contubernio vel propinquitate Fratrum Sorores sejungendas esse, & remotiori transferendas loco, ut omnis calumniæ resecaretur occasio, & scandalum fugâ præverteretur. Author consilii Hugo, promotor extitit operis, suoque exemplo ad obedientiam cæteros adegit Abbates. Bartholomæus antistes Laudunensis pro suo in Ordinem effusissimo affectu, & pro singulari dilectione, quâ Agnetem, Comitissam *Brana*, à viduitate sua Christo dicatam Præmonstrati, prosequebatur, azilum obtulit dispergendo Parthenoni, & in curte sua *Fontanella*, extruxit sumptibus suis habitationem Virginibus, vivarium, terrasque adjacentes illis transcripsit. Anno 1141. Dimisso sacello SS. Prothasii & Gervasii, & Xenodochio, quod primarium fuerat Præmonstrati hospitium Virginei cœtus, ad *Fontanellam*, uno lapide separatam à Præmonstrato, sacræ Virgines, Bartholomæo deducente, migraverunt.

Paucis illic annis steterunt Virgines; volente, & utiliùs fore opinante Hugone, ad curtem de *Roseriis* jussit abire conventum. Hujusce transitûs probationem nobis subministrat sera quidem, sed authentica Radulphi Domini de *Cociaco*, Charta, quâ datam pridem B. Hugoni fidem, de non inquietando Abbate Præmonstrati, propter translationem Sororum è curte de *Roseriis*, & revocationem earumdem ad pristinam sedem *Roseriarum*, scripto firmat, ac renovat, anno 1178.

Sed jamdudùm ex loco & habitatione Roseriarum mutarant sedem Sanctimoniales ad Bonolium *. Altare & curtem Bonolii propè *Hami* oppidum, à primæva sua dote possidebat Præmonstratum *(a)* & inter possessiones ejus recensetur in Bulla Innocentii II. Ad hanc curtem, quâ de causâ nescio, sua rursùs tabernacula, ad Hugonis præceptum transportarunt demissæ Virgines. Quo anno transmigrationem istam ex obedientia susceperint, tacuit, aut nescivit Pagius. Conjecturis explorandum reliquit posteris.

* Bonoil.

Ex Diplomate Ludovici VII. Francorum Regis, novimus à Balduino de *Bologne*, Episcopo Noviomensi datum fuisse nemus, quod *Nemus Episcopi*, antiquitùs vocatum est, quod inter villam de *Flavi*, & *Bonolium* est, ad opus Fratrum & Sororum apud *Bonolium*, Deo servientium. Eam donationem suo consensu & approbatione Rex muniit anno 1150. Lauduni consistens. Episcopalem Noviomi cathedram adiit Balduinus II. post fata Simonis apud Seleuciam denati, anno 1148.

* P. 416. Bibl. Præmonstrat.

Igitur vel primo vel secundo ab installatione sua anno, nemus illud ad opus Fratrum & Sororum Bonolii, tradere debuit, ut donatoris beneficium, cùm Regis confirmatione posset conciliari. Ergo ante annum 1148. præextitisse Bonolii Præmonstratanas Virgines, nefas est dubitare.

Miraberis Lector, intra annorum viginti octo spatium gyrovagas quodammodò Virgines strictæ clausuræ addictas, tentoria sua in tam diversis collocasse sitibus: à *Præmonstrato*, ad *Fontanellam*, migrarunt; à Fontanellâ transierunt *Roserias*, & à Roseriis se *Bonolium*, contulerunt.

In hac ultima statione ultimam viderunt sortem sacratæ Virgines. Veruntamen seriùs in Archi-Parthenonem, quam in alios, legimus desævitum. Etenim cùm plures in Præmonstrati vicinia, occasione decreti, *de non recipiendis in posterum Sororibus*, editi, scandalizarentur, de communi consensu Patrum Capituli generalis, anno 1240. statuit & ordinavit Hugo, hujus nominis III. Præmonstrati Abbas, ut processu temporis in Bonoliensi Parthenio reciperentur de more Sorores, sub his tamen conditionibus.

1° Ut nulla admitteretur, nisi de communi consensu Abbatis, Prioris, Supprioris, & aliquorum majorum Ecclesiæ Præmonstratensis.

2° Ut tam receptæ, quam recipiendæ, vicenarium numerum aliquatenùs non excederent.

3° Ut Ordinis observantiis ad invicem se conformarent.

4° Ut illa, quæ ad mandatum Abbatis, magisterium post ipsum Abbatem super omnes Sorores obtineret, non diceretur vel vocaretur Priorissa, sed Magistra; cùm nec ipsa, nec earum domûs magister, curam animarum haberent annexam.

Hujus statuti confirmationem ab Innocentio IV. impetravit Abbas Hugo anno 1248. Perpetuæ clausuræ legibus adstrictas fuisse Bonolienses, evincitur ex dispensatione, quam legimus iis specialiter indultam cap. IV. Statutorum, quæ Pagius primaria perperam vocat. *(b)* Sic enim ibidem habetur. Permittitur autem, quòd Sororibus de Bonolio semel in anno, pro negotiis emergentibus, per Dominum Præmonstratensem, si eidem expedire visum fuerit, exeundi per quindecim dies, licentia concedatur. Eisdem Sororibus districtiùs inhibendo, ne vacante Ecclesiâ Præmonstratensi, exeant quoquo modo. Quòd si exierint, tanquam fugitivæ recipiantur, & sine remissione aliqua perpetuò careant velo suo.

Floruit in prima sacri illius Gynæcei sede B. *Rycuvera*, cujus virtutes in altera Annalium parte describemus. Vide probat à col. cccxviij. ad col. cccxxj.

(a) Allodium de *Bonolio* servo Dei Norberto tradiderat Noviomi, ab anno 1114. *Olardus* Dominus de *Ham*, per manus Legatorum Petri Leonis, & Gregorii S. Angeli Diaconi, Cardinalium.

(b) Statuta illa extant *Biblioth. Præm.* 777. Quòd autem falsò primaria denominentur, demonstrabimus *Part. II.* hujus operis, ubi evulgabimus alia Statuta antiquiora, ex Hispaniæ Archivis eruta, & nobis humanissimè à Reverendissimo D. de *Noriega*, nunc Vitensi Abbate, communicata.

B O R U.

Boru, Fil... Diœc. Caminensis. Circ. Sclavonia.

FLorentem in Pomerania, quam non ita pridem plantaverat magnus *Otho*, Bambergensis Episcopus, Catholicam fidem, ut propagarent Pomeraniæ Duces, monasteria in suis erexerunt ditionibus, ut plurimorum verbi Dei præconum adminiculo, gentes in fide firmarentur. Etenim post erectum à Werslao I. *Julini* Episcopatum: (a) post fundatam à Ratiboro, ipsius Fratre *Stolpensem*, (b) & *Grobensem*, (c) & à Bugislao, & Casimiro ejusdem Werslai pia propagine, *Belburgensem* (d) Abbatias, duo pariter alia superaddidit Casimirus, *Born*, nimirum, & *Ivenac*, Ordinis Præmonstratensis domicilia, (e) circa annum 1170.

In Pomeraniæ Ducatu, non procul à Neo-Brandeburgo, positum erat illud Boruense monasterium, cui dotando seipsum liberaliter impendit Princeps magnificus, divini cultûs incremento totus incumbens.

B O S C O M O N T U M.

Boscomontum. Filius Ressonii. Diœc. Rothomagensis. Circaria Ponteivi. * Meulan.

HUgone Ressonii Abbatiam regente, anno 1193. Drogo, Toparcha *Mellanti* *, & *Guillelmus* frater ejus, Canonicus Bellovacensis, uno eodemque pietatis sensu moti, Prioratum conventualem in dynastiæ villa, quæ *Boscomontum* dicitur, vulgò *Boismont sous Lothie*, tribus à *Pissiaco* leucis, extruxerunt, & dotarunt proventibus. Canonicos ex Ressoniensi Abbatiâ evocatos, trajecit Hugo, sub Prioris victuros regimine. Illic ad disciplinæ regularis apices exegerunt vitam, donec in Galliam irruentes Angli, Mellantumque depopulantes, Prioratum ipsum campestrem æquaverunt solo.

Ab hoc excidio in hodiernum usque diem non resurrexit, sed in pastoralem curam redactus, à Canonico Præmonstratensi administratur. Ædes Curionis, totusque ambitus presbyterii, in quibus à prima fundatione Prioratus extabat, nullius temporali subsunt jurisdictioni; sed plenè & integrè feudi adinstar, ad Pastorem attinet summum jus, summumque dominium.

B O S O U C H.

Bosouch. Filius Saag. Diœcesis Strigonien. Circaria Hungariæ.

GRabæ antiquitùs suberat *Bosouch*, sive *Bosock*, paulò post à paterna jurisdictione summorum, Abbati *Graditii*, addictum est. Verùm anno 1516. ad Hungarorum instantiam, factâ Paternitatum innovatione in Capitulo generali, Saagensi Præposito suppositum fuit *Bosouch*, nunc ab Ordine abstractum in Hontensi, Hungariæ superioris, Comitatu, quatuor ab Castro Sagensi horis, & in cognomine Villa *Bosouch*, consistebat.

B R A N A.

Brana Filia Præmonstrat. Diœcesis Suessionensis Circaria Franciæ. * Braine. * La Vesle. * S. Jued.

BRana *, Suessionensis agri vetus oppidum quod dilabentis *Vidula*, allambit fluvius, in amœna valle, quatuor à *Suessione* leucis positum, arce ad verticem accumbentis montis, quasi propugnaculo, munitum antiquitùs, Inclytorum Dynastarum sedes, jam à seculis Comitatus titulo insignis, nobilitata fuit amplius sacro Beati Evodii *, Rothomagensis Episcopi, pignore; cui ut cultum honoremque Comites impenderent majorem, in ambitu Castri, quod vetere diruto, pridem in planitie secùs oppidi mœnia, erexerant, Ecclesiam Collegialem, sancto Evodio nuncupatam, fundaverunt, ibidemque ipsius exuvias magno deposuerunt apparatu.

Laxior Canonicorum vita, Andreæ de *Baudement*, Campaniæ & Briæ Seneschallo, & Agneti, piissimis conjugibus, & Branæ Dynastis, exosa, ipsi quoque Gosleno Suessionensi Episcopo, virtutis cultori, & vitiorum censori rigidissimo, intolerabilis, Goslenum impulit, ut ad instantiam Fundatorum, procaces Canonicos, & impatientes disciplinæ, protruderet, in eorumque sortem vocaret Præmonstratenses, moribus & famâ tum celeberrimos. Anno igitur 1130. subductam è Præmonstrato Fratrum coloniam, in Branense collegium immisit Episcopus: novos incolas humanissimo exceperunt affectu Andreas, & Agnes, novisque cumularunt beneficiis, ad liberalitatem sanctâ eorum conversatione accensi, succendendi postmodùm

(a) *Hist. Episcop. Camin.* Tom. II. Script. Rer. German. *Ludwig.* 533.
(b) Ibid. 576. Ita omnes Pomeranorum Historici, contra *Helmoldum*, qui L. II. *Chron.* cap. 4. apud *Leibnit.* Tom. II. *Script. Rer. Brunswic.* 622. Stolpensis cœnobii fundationem *Bugislao*, & *Casimiro* adjudicat.
(c) Tom. II. *Script. Rer. Germ.* 534. 576.
(d) Ibid. 584.
(e) Ibid. 581.

zelo Religionis, quam uterque vovit, ille in Clara-vallensi cœnobio, & ista Præmonstrati: & illorum adinstar Theobaldus de *Brana*, filius eorum, Norbertino instituto adscriptus est. Avorum pietatem æmulata est Agnes, Guidonis Branæ Comitis, filia, & neptis Andreæ, Roberto *Drocarum* Comiti, filio Ludovici VI. Franciæ Regis, in matrimonium locata. Hæc enim, ut Proavorum tutelari Patrono, suoque benefactori monumentum honoris & gratitudinis daret honorificum; amplissimam Ecclesiam, artis, & ornatûs elegantiâ vix ulli secundam extruxit, & vitris ex Anglia adductis, mirabili penicillo colorumque inassequibili temperamento, & varietate stupendis, fenestras clausit.

Du Chesne Hist. Drocar. l. 1. p. 18.

Tantis sumptibus, tantâ pietate consummatum grande opus, pompatico apparatu consecrarunt *Albericus*, Remensis Archi-præsul, & *Haynardus*, Suessionensis Episcopus, anno 1216. & ex vetere Ecclesia feretrum S. Evodii, in recentiorem, cum maxima SS. Reliquiarum supellectile deportarunt. Hoc thesauro ditata Brana, propriis Fundatorum, ac regiis Posterorum exuviis donata, fastuosis refulsit eorum imaginibus, & mausolæis, hodieque refulget. Junctum Ecclesiæ monasterium quale fuerit primitùs, ædificiorum recens fabrica, ad Architectonices regulas bellissimè assurgens, dicere non patitur. Qualis verò fuerit illic habitantium vita, novimus ex fastis. Atque utinam in successoribus recapitulatam contemplaremur! Luximus remissum disciplinæ fervorem, Matutinarum de nocte suppressum officium, octoginta librarum millibus domum oppignoratam, & ad quinque Canonicorum sustentationem vix sufficere amplum patrimonium, quod viginti alendis, & hospitalitati fovendæ largiter suffecisse non ita pridem conspeximus. Meliorem fore aliquandò ruentis monasterii fortunam suadet vigilantis Patris Abbatis & Generalis providentia; nec credimus virum œconomiâ fertilem, & propriis Archi-cœnobii restauratorem magnificum, filialis Branæ passurum suâ ætate, suo regimine, jacturam in spiritualibus & in temporalibus excidium, ut undè vita manavit, indè procedat Branæ resurrectio. Hæc dum typographis committere parati eramus, accepimus gratè & hilariter R^mum. Generalem tantis occurisse malis & pro sua in Ordinem vigilantissima sollicitudine in florentem statum feliciter restituisse Branam.

Du Tillet, Hist. de France. Gallia Christian

Anno 1725

I.

PETRUS, à B. Hugone, Abbate Præmonstrati, Branæ primus deputatus est Abbas, non Gilbertus, ut San-Marthanis placuit, cujus nomen in Chartis nullibi occurrit. A limine aditæ possessionis, Albertus de *Caleiaco*, de consensu Raynaldi Suessionum Comitis, partem ut haberet aliquam in orationibus Congregationis sanctæ, tradidit Petro, per manus Gosleni Episcopi, decimam villæ de *Sancto Albino*. Eodem pietatis sensu motus Ludovicus VII. Francorum Rex, decimas de *Vailliaco** transcripsit Branæ Fratribus. Provinciæ optimates donis certatim mercabantur Religiosi cœtûs intercessiones; usque adeò invaluerat opinio virtutis Petri, quem *Venerabilis* titulo, compellat Goslenus. Petro potissimùm authore & magistro, Andreas de *Baldimento*, & ejus sponsa Agnes, seculi honoribus valedicentes, Religionis jugo colla subdiderunt. Petrus ipse valedixit mundo, 23 Aprilis, anni 1149.

* Vally.

II.

RADULPHUS, Petri successor, Agnetem Guidonis de *Baldimento* filiam, & Branæ Dominam, benefactricem sensit, more majorum, & ab ea, per manum Gosleni Suessionum Episcopi, recepit, anno 1150. vivarium, quod est apud *Anci*, ob remedium animæ suæ, prædecessorum suorum, & Milonis mariti sui, Comitis de Barro ad Sequanam, testibus Hugone Præmonstrati, Godefrido Castri-Theodorici, Girelmo Carthovori Abbatibus. Nupta deinde Roberto á Francia, Drocarum Comiti, anno 1152. quam à tenuibus initiis fuerat auspicata, liberalitatem, ad ampliora protelavit, magnam scilicet Ecclesiæ molem, quam cernimus, immenso sumptu, sed immensâ magis pietate inchoavit, ornavit, ac perfecit: uno seculo vix crederes perfectibilem. Ad Radulphi instantiam, confirmavit Anastasius IV. possessiones omnes B. Mariæ, & Sancti Evodii de Brana, anno 1154. Chartæ compositionis inter Galterum II. Episcopum Laudunensem, & Abbatiam Præmonstrati sancitæ anno 1158. subscripsit Radulphus; ad patres suos appositus est anno 1163.

III.

ULRICUS DE BRANA Abbas, Capitulo generali anni 1172. inter Patres consedisse legitur. Qui anno 1170. per concambium à Wilelmo Cuissiaci Abbate, accepit vineas.

IV.

BALDUINUS bonorum suæ Abbatiæ confirmationem, duplici Bullâ, ab Alexandro III. impetravit, de annis 1176 & 1179 Specialem quoque obtinuit, quâ tres Canonicos in Ecclesia de *Cersolio** annuit summus Pontifex collocandos, quorum unus Diœcesano Episcopo respondeat de spiritualibus; de temporalibus autem Abbati rationem edere teneatur, & ad nutum ejus, ad claustrum remeare. Ad petitionem Theodorici Flandriæ Comitis, Azonem, Branæ Canonicum, ad curiam Principis Magistrum & Doctorem, submisit Balduinus. Tanto autem Doctor ille fuit in pretio, ut ejus intuitu *Quinque millia halecium* Branensi Abbatiæ quotannis gratuitò concedi,

* Cerseuil

injunxerit Gisleberto Castellano Bergensi: quod donum solemni Chartâ traditum, perpetuis duraturum temporibus sanxit, approbante Milone Tarvanensi Episcopo. Matthæus Boloniæ Comes, precibus inclinans *Valteri Magistri sui*, *Canonici Branensis*, in perpetuam eleemosynam largitus est quoque ***decem millia aleciorum singulis annis in perpetuo, ad festum S. Andreæ perpetuò persolvenda*** Ecclesiæ Branensi, 1171. Et hanc donationem ultroneam Ida Boloniæ Comitissa, filia Comitis Matthæi, ratam habuit, anno 1188. Finem vitæ Balduini Abbatis ignoramus. Abdicatam fuisse ab ipso Abbatiam ante annum 1178. colligitur ex pacto concordiæ tunc inito inter Capitulum Suessionense, & Branenses Canonicos, super Mortuas-manus de *Blanzi*, cujus mediatores extiterunt Herbertus Vallis-serenæ Abbas, & Balduinus *quondam Abbas de Brana.* Immo etiam ipsum jam ab anno 1176. liquet ex sequenti.

V.

GUERRICUS Amicabili compositione motam terminavit litem, quam ei Guido, Abbas S. Joannis de *Vineis*, intentarat super decimis de *Ostello*, anno 1176.

VI.

HUGO, cui Robertus frater Regis, Comes Drocarum & Dominus Branæ, unà cum charissima Agnete, uxore sua Comitissâ Branæ, pro remedio animæ Henrici fratris sui, Remensis Archiepiscopi, nec non ejus prædecessorum, concedit anno 1179. ut singulis diebus in nemore suo tantùm scindant Branenses, educantque ligni, ad sui monasterii usus, quantùm una biga cum duobus equis asportare potest.

VII.

LUDOVICUS, à Roberto Milite, filio Milonis *Balene*, dono accepit decimam in territorio *Legie*, anno 1186. & sequiore, oppignorationi vineæ subscribit.

VIII.

PETRUS II. denatus anno 1199.

IX.

HERMERUS. Huic Gaufridus Miles de *Margival* tradit per manus Nivelonis Suessionum Episcopi, tertiam partem terragii de *Curi*, in eleemosynam, & duas partes Hermerus pretio comparat, anno 1206. de consensu Nicolai, Domini *Basochiarum*, de cujus feodo movebantur. Sub iisdem conditionibus acquisivit à Joanne, Milite de *Roucort* territorium de *Barbonval*, anno 1208. Ad annum 1220. dies suos protraxit Hermerus; sed in subscriptionibus, Abbatis exauctorati nomen assumit.

X.

BENJAMIN, cum Abbate *Igniaci* paciscitur super ductum aquæ ad domum de *Cotizaut*, anno 1214. *Moncellum*, anno sequenti postulatus Abbas, immigravit.

XI.

STEPHANUS, rationum & pietatis motivo, *Yolem*, seu *Yolendam*, viduam Roberti, Branæ & Drocarum Comitis, impulit ad restitutionem jurium *Mortuæ-manûs*, & *Foris-maritagii*, quæ Comes Robertus, dum viveret, abstulerat. Hâc restitutione factâ, Stephanus Abbas absolutionem Yoli impertit, anno 1218. Hujus temporibus, solemni pompâ Branensem Ecclesiam consecrarunt Archiepiscopus Remensis, & Episcopus Suessionensis, anno 1216. Inter Stephanum & Cononem occurrit medius Gervasius restituendus Branensium Abbatum catalogo ex Charta S. Martini Laudunensis anno 1226. in qua Gervasius Branæ Abbas, sistitur arbiter.

XII.

CONO, Sancti Martini Laudunensis Canonicus, Abbas Andreæ-fontis, deinde Thenolii, postea Branæ; denique anno 1241. Præmonstrati.

XIII.

GERARDUS, anno 1244. Corpus S. Evodii in novam Capsulam, solemni apparatu transferri per Episcopos Suessionensem, & Laudunensem procuravit: de qua translatione sequentes leguntur versus.

Præsule Rothomago, sedet hospite Brana beato:
Gaudeat Evodio capsâ præsente vocato;
Quem Florentinus, Celinaque, regna regente
GallicaClothario, Domino genuêre favente.
Hic vas fecisti gemmis auroque decorum,
Anno milleno ducenteno quoque quarto,
Cum quadrageno Domini pariter sociato.

XIV.

HUMBERTUS florebat anno 1250. Cujus Epitaphium tumbæ in Sacristia inscribitur hoc elogio.

Hîc jacet Humbertus Abbas, virtutis amator,
Sol patriæ, manus Ecclesiæ, pacis mediator.
Hunc, quem defunctum famæ commendat honestas.
Summa Dei secum faciat gaudere potestas.

XV.

ÆGIDIUS DE SUESSIONE.

XVI.

JOANNES, mortuus anno 1287.

XVII.

GUILLELMUS.

XVIII.

MARTINUS DE *MONTE*, jacet in Capitulo, ſub hac Epigraphe.

Hîc jacet D. Martinus de *Monte*, Abbas hujus Eccleſiæ, qui obiit anno Domini MCCXCIII. in craſtino Annuntiationis B. Mariæ Virginis. Ejus anima requieſcat in pace

XIX.

JOANNES DE *BOURGOGNE*.

XX.

GUILLELMUS DE *MONTS*, 1328.

XXI.

SIMON DE *ARRHIS*, ex Abbate *Calvi-montis* factus Branenſis, & inde tranſlatus Cuiſſiacum, circa annum 1330.

XXII.

ÆGIDIUS DE *VAILLIACO*, 1348.

XXIII.

PETRUS DE *DISIACO*, 1380.

XXIV.

ÆGIDIUS DE *CAPONIS*, 1394.

XXV.

JOANNES DE *NOVA-VILLA*, 1417.

XXVI.

GALTERUS, 1427.

XXVII.

ROBERTUS PICHETTUS DE *MONTAIGU*, 1432.

XXVIII.

JOANNES *CHANGEUR*, 1445.

XXIX.

GERVASIUS, ex Ordine Prædicatorum aſſumptus, 1454.

XXX.

JOANNES *LE FEBVRE*, dictus de *Limet* 1496.

XXXI.

JACOBUS DE *BACHIMONT*, S. T. D. Canonicus Domni Martini, obtinuit anno 1501. à Georgio de *Amboſia*, Cardinali Legato, jus mitræ, & pontificalium, ſibi & ſuis ſucceſſoribus. Anno 1511. Præmonſtratum, poſtulatus, tranſiit, ſervatâ in commendam Abbatiâ Branenſi.

XXXII.

MICHAEL *COUPSON*, Cameræ-fontis Canonicus, Abbas primùm Gaudii-vallis, poſteà Branæ, Eccleſiam odeo, variiſque ornamentis illuſtravit. Anno 1533. Abbas Præmonſtrati electus, adire poſſeſſionem prohibetur à Paulo III. qui primariam Ordinis dignitatem Cardinali Piſano deſtinarat. Ante Sacriſtiæ fores inhumatus, hoc epitaphio donatur.

Sub hoc lapide clauditur cadaver R. P. Michaëlis *COUPSON*, dudùm Cameræ-fontis Religioſi; qui primum Gaudio-vallis, & nobis præfuit: tandemque in hujus loci Abbatem electus, priori ceſſit monaſterio. Anima ejus luce æternâ fruatur. Obiit autem anno Domini 1540. menſis verò Decembris die 24.

XXXIII.

CLAUDIUS DE *LONGUY*, Cardinalis de *Givry*, Commendatariorum primus, vel potiùs, ex prærogativa purpuræ, ultimus Regularium Abbatum.

XXXIV.

NICOLAUS *WATIN*, 1567.

XXXV.

CRISPINUS *VIGIER*, 1582.

XXXVI.

LUDOVICUS *LE FEBVRE*, dictus *la Bauderie* 1590.

XXXVII.

ALEXANDER DE *LA MARK*, filius Roberti Ducis Bullonii, Branæ Comitis, & Anthoniæ *de la Tour-Limiieil* 1625.

XXXVIII.

LUDOVICUS DE *LA MARK*, Ludovici, Marchionis de *Mauny*, Cadomi Gubernatoris, filius ſpurius.

XXXIX.

JOANNES DE *HOLCE*, Epiſcopus 1685.

XL.

JACOBUS *MINET* de *Merille*, poſſidet.

PATERNITAS.

Moncellum in Diœceſi Catalaunenſi.
Bruyeriæ Parthenon ſecus Branam.

PAROCHIÆ, ET PRIORATUS.

Ceriolium, à Goſleno Sueſſionenſi Epiſcopo. Anno 1147. contraditum.

Bouquy, Officium clauſtrale, in Diœceſi Bello-vacenſi,

Bellovacensi, non longè à *Compendio*, à Canonicis & Decano S. Cornelii ejusdem urbis concessum, anno 1147. Firmini-curtis *, in Diœcesi Carnotensi, Prioratus, à Roberto, Drocarum Comite, anno 1282, fundatus, sub invocatione *B. Mariæ septem gaudiorum.*

* Firmincourt.

SACRÆ RELIQUIÆ.

Inter sacra Branensis Thesauri pignora eminet sacra corporis Christi hostia, in qua sub humana specie spectabilem se præbuit Christus Judææ incredulæ numerosoque astantium fidelium cœtui, ut infidelem convinceret, & in fide roboraret credentes. Hujus memorabilis prodigii historiam sic referunt.

» Anno Dominicæ Incarnationis millesimo » centesimo quinquagesimo tertio, illustris & » potens Domina Agnes Comitissa Drocarum » & Branæ, igne divini amoris accensa, cujus » corpus in medio chori Ecclesiæ Beati Evodii » de Brana, in tumba lapidea tumulatum est, Ec» clesiam præfatam ex immensa devotione fun» davit, & ædificavit, ac Canonicos, Præmon» tratensis Ordinis Conventum instituit in ea» dem. Quo tempore placuit illi, cujus sapientiæ » non est numerus, & qui vult omnes salvos fie» ri, sui sacro-sancti corporis miracula suscitare. » Erant nempe eodem tempore multi Judæi, » cum uxoribus suis & filiis, commorantes in » Brana, inter quos erat quædam juvencula non » modicùm speciosa, quam dicta Comitissa te» nerrimè dilexit, cupiens ipsam de parentum » suorum perfidia ad fidem Christi converte» re, & speciosum corpus ejus speciosiori fidei » nostræ pulchritudine decorare, quam dicta » Comitissa de domo suorum parentum abstra» ctam, & violenter per servientes, & familiares » ad propriam domum adductam, unà cum » puellis suis suo proprio obsequio mancipavit, » eamque coëgit diebus singulis ad Ecclesiam » pergere, & divinis servitiis interesse, consu» lens illi, ut in remissionem suorum peccato» torum Baptismi gratiam perciperet, & fieret » Christiana, monstrans eidem & prædicans, » quòd in sacro-sancto Eucharistiæ Sacramento » non phantasticum, sed verum Christi cor» pus, formatum manu Sancti Spiritûs in utero » Virginis, pro redemptione generis humani » confixum in arâ crucis infallibiliter contine» tur; qui & tertiâ die resurgens ascendit in » cœlum, & sedet ad dexteram Dei Patris, in» de venturus est judicare vivos, & mortuos. » Hæc, & similia quotidie dictam Judæam » edocens, nihil omnino proficere potuit, di» ctâ Judæâ in perfidia remanente, & dicente, » quòd nunquam præmissa crederet, nisi cor» pus Christi in manus Sacerdotis, cum carne » & sanguine, in ara crucis appareret. Quo » audito, dicta Comitissa à sancto proposito non » desistens, omnium auxilium invocavit; & » accedens ad Dominum Ausculfum, tunc » Episcopum Suessionensem, Diœcesanum su» um, præmissa omnia eidem luculenter ape» riens, consilium, & adjutorium illius sup» pliciter imploravit. Prænominatus verò Epis» copus dictæ Comitissæ devotionem tam ar» dentem attendens, aures benevolas ejus pre» cibus inclinavit, & solemnes processiones in» colis circumvicinis indicens, omnes populos » ad tertiam diem, ad dictum monasterium » beati Evodii convenire præcepit. Dictâ verò » die Comitissa præfata, omnes Judæos, Branæ » manentes, cum uxoribus & filiis, ad Eccle» siam convenire præcepit. In præsentia igitur » Dominorum Henrici, Archi-episcopi Re» mensis, fratris Roberti, viri Comitissæ, Aus» culfi Episcopi prædicti, Petri Abbatis dicti » loci, Comitissæ supradictæ, & plurium no» bilium virorum, & mulierum, quos ipsa Co» mitissa eòdem convocarat, nec non totius » populi, & Judæorum prædictorum, quidam » devotus Religiosus dicti monasterii, Missam » de Spiritu Sancto solemniter celebravit in » majori altari præfatæ Ecclesiæ: inter cujus » manus, horâ immolationis, sacro-sanctum » Christi corpus in cruce suspensum, omnibus » adstantibus visibiliter apparuit in modum cu» jusdam pueri, prout omnes tam Christiani, » quàm Judæi, qui tunc ibidem aderant, vera» citer sunt testati: & clamaverunt dicti Judæi » cum uxoribus & filiis, ineffabili voce di» centes: Videmus, videmus, ipsum Christi cor» pus carnaliter, corporaliter extensum in cruce, » sicut Domina Comitissa nobis toties indicavit; » ita firmiter esse credimus, & petimus omnes » baptizari, in Nomine Patris, & Filii, & Spi» ritûs sancti, qui cæcam nostram perfidiam, » gratiæ & fidei suæ lumine, sic misericorditer » dignatus est illustrare; & quidem omnes, unà » cum uxoribus, & filiis fuerunt illicò bap» tizati. Sacramentum verò, per quod miracu» lum illud apparuit, de consilio Archi-epis» copi, & Episcopi prædictorum, & juxta vo» luntatem Comitissæ, propter honorem, & » novitatem ipsius miraculi, custoditum fuit, » & positum in proprio calice, in quo consecra» tum extitit, in quadam theca aurea, & re» conditum in armario ipsius Ecclesiæ, ubi abs» que quavis corruptione permansit usque in » præsentem diem, sicut datur ocularitet vi» deri: dederuntque præfati Domini Archiepis» copus, & Episcopus, etiam aliqui Romani » Pontifices, multas Indulgentias omnibus, qui » de bonis suis dictæ Ecclesiæ, in honorem » præfati miraculi, darent eleemosynas, in lau» dem ipsius, cui est honor, & gloria, per in» finita secula.

Ita Canonicus quidam Branensis narrat celebre illud miraculum, cujus memoria singulis annis solemni processione, feriâ quartâ intra Octavam Pentecostes, recolitur: cujus authenticitati suffragantur Summi Pontifices in suis Bullis, & Episcopi Suessionenses in chartis desuper confectis: cujus perennandi gratiâ, &

Casulam, quam induerat illius Sacrificii minister; & ferrum Caracteristicum, in quo præparata, & excocta fuerat species Panis; & Calicem figuræ perantiquæ *(a)* in quo peracta fuit ea specierum consecratio, studiosissimè asservant Branenses nostri. Quin & in majorem hujusce portenti venerationem, celebris erecta est in Ecclesia Branensi Confraternitas, sub titulo *Venerabilis Sacramenti*, Summorum Pontificum Bullis confirmata, variisque decorata privilegiis.

Etsi miraculum illud falsitatis arguere nullatenùs arrideat, tamen circunstantias loci, temporis, ac personarum, à recentioris ævi sciolo imprudenter intrusas, veritati toto cœlo repugnare mihi est certissimum. 1°. Enim asserit narrator ille Canonicos Præmonstratenses in Ecclesiâ S. *Evodii de Brana*, ab Agnete, *Comitissa Drocarum & Brana* fuisse institutos: verùm constat Canonicis secularibus suffectos fuisse Præmonstratenses, quatuor ante illius Agnetis tempora, lustris. 2°. adstruit miraculum illud contigisse in Ecclesia, quam *ex immensa devotione fundavit, & ædificavit* prædicta Agnes. At certum est illam Ecclesiam tunc temporis vixdum inceptam, ante annum 1216. non fuisse consecratam. 3°. Illius portenti (quod contigisse ait anno 1153.) testes appellat *Henricum* Remensem Archiepiscopum, & Petrum, *Dicti loci*, Branæ Abbatem. Nihilominùs Henricum ad Remenses infulas anno duntaxat 1162. assumptum, & Petrum ante annum 1150. viam universæ carnis ingressum, legimus in authenticis illius ævi monumentis. Nuperi ergo scriptoris imperitia, ut nihil veritati historiæ præjudicet, dicendum, non Agnetis, sed Yolandis de *Conciaco*, sponsæ Roberti II. Drocarum & Branæ Comitis, temporibus, stupendam hanc Christi in Eucharistiæ apparitionem contigisse. Illa enim consecrationi Ecclesiæ, & non alia, interesse potuit. Jam fatis cesserat Agnes, jam marito viduata piis se devoverat operibus, Yolandis superstes. His semel restitutis circunstantiis, quas narrator antiquatæ non nihil quoad temporis epocham, traditionis, ignorabat, nihil est quod eventum non asseveret.

Jam verò ut alias prosequamur ejusdem Ecclesiæ Reliquias, prostant ibidem corpus integrum Sancti Evodii, Archiepiscopi Rothomagensis.

Sanctorum Barnabæ, Lucæ & Nicasii Martyris, in theca eburnea, arte eleganti elaborata.

Tabulæ inauratæ, variis distinctæ cellulis: in quarum prima exstant portiones, de Ligno, de Sudario, de Præsepe, de Spongia Domini: de Capillis S. Joannis-Baptistæ: de Sanctis Petro, Jacobo, Bartholomæo Apostolis: de costa S. Cæciliæ: Dens S. Clotildis.

In 2°. S. Mathiæ Apostoli: S. Stephani: S. Joannis Baptistæ, S Philippi ossa: Portio manûs S. Thomæ Apostoli: de sepulchro B. Virginis: Dens S. Leonis magni, Papæ.

In aliis, discretisque thecis, inclusa sunt ossa S. Joannis Baptistæ: Articulus digiti S. Nicolai, Myræ Episcopi: Brachium, & pars Capitis S. Evodii: Brachium S. Firmini Episcopi Ambianensis: aliud S. Romani, Rothomagensis Archiepiscopi: Cranium, & plura ossa S. Florentiæ Virginis, & Martyris: Pars magna Capitis S. Verennæ V. & M.: Maxilla inferior, & semi-costa S. Clotildis Reginæ: Dens unus, & semi-costa S. Laurentii Martyris: Mentum, & dens S. Bertholdi Confessoris, Ecclesiæ Calvi-montis Patroni: duo Articuli digitorum S. Amatoris Episcopi Altissiodorensis: Costa S. Crispini: alia S. Oswaldi Regis: de Capite S. Helenæ: Os S. Ludovici Francorum Regis.

SEPULCHRA MAGNATUM.

In medio Chori eminet statua Agnetis de *Baldimento*, quæ amisso Milone, Comite *Barri ad Sequanam*, ad secunda vota transiit cum Roberto I. Comite Drocarum, filio Ludovici, cognomento *Crassi*, Regis Francorum.

Quos autem parentes habuerit Agnes illa, inquiritur: an scilicet patrem agnoverit Theobaldum Campaniæ Comitem? ut prætendit Herbelinus noster, à San-Marthanis confutatus: an Hubertum, Comitem Werthusii? uti sentit Lallouëtius: an potiùs Guedonem de Baldimento, Brannæ & Faræ, aliorumque locorum Dynastam, in cujus & matris Aleidis hæreditatem sola superstes introïerit? ut autumant San-Marthani & P. Anselmus, queis præiverat Duchesnius, quibus & nos adstipulamur. Ast huic Agneti honorem & titulum abjudicamus Fundatricis Abbatiæ nostræ Sancti Evodii de Brana, ut illos restituamus Andreæ & Agneti de Baldimento; quorum ille Cisterciensem, hæc Præmonstratensem Ordinem professa est.

In Sanctuario extat cuprea tumba Roberti II. prioris Roberti & Agnetis filii majoris-natu, cum hac inscriptione.

Stirpe satus Regum, pius, & custodia legum:
Brannæ Robertus Comes, hîc requiescit opertus;
Et jacet Agnetis situs ad vestigia matris.
An. Gratiæ MCCXVIII. Die Innocentium.

Ad sinistram illius, extat tumba item cuprea Yolendis de *Couci* ejus uxoris, quam, post mortem Mathildis de Burgundia, assumpserat sibi in uxorem, anno 1184. Epigraphen Hispani eraserunt, anno 1650. dum populabundi sub Archiduce Leopoldo, in Gallias excurrebant. Restitutam ex MSS. subjicimus.

(a) Eodem in Calice, quem claudit operculum ritè adaptatum, asservatur etiamnum species illa consecrati Panis. Collocatur autem Calix iste in tabula argentea, cui leguntur insculpti caractere pervetusto sequentes duo versus.

Ad vitam vita sitientes, ore, venite:
Et vinum vitiò de vera sumite vite.

O fidei sanæ lux quondam maxima Branæ.
Quæ tumularis ibi, pax sine fine tibi!
Nobilis hic Yoles sita, carnis libera mole:
Sed veluti sol, est generosâ lucida prole.

Obiit Yolendis 18. Martii, 1222. Utriusque filius Robertus III. jacet secùs cancellos, ad introïtum Chori, sub tumulo cupreo, hanc ad limbos præferente inscriptionem.

Hic jacet Illustris ex Regum sanguine natus,
Drocarum, Branæque Comes Robertus humatus.
Hic in amicitia Theseus fuit; alter in armis
Ajax; consilio pollens, fuit alter Ulysses.
Anno Domini MCCXXXIII.

Huic adjacet monumentum Petri Drocarum, fratris supradicti Roberti. Britanniæ Comitatum Petrus ex Aleïde conjuge, filia & hærede Guidonis, Comitis Britanniæ, assequutus, ad patres suos post mortem (a) colligi, & communi sepulturâ donari voluit. En tibi inscriptio.

Petrus, flos Comitum, Britonum Comes, hic monumentum
Elegit, positum juxta monumenta Parentum.
Largus, magnanimus, audendo magna probatus;
Magnatum primus, regali stirpe creatus.
In sancta regione, Deo famulando, moratus:
Vitæ sublatus, rediens, jacet hic tumulatus.
Cœli militia gaudens de milite Christi,
Summâ lætitiâ Comiti comes obviet ipsi.
Anno Domini MCC..........

Fallitur ergo P. Anselmus, qui tumulatum Petrum asserit in *Villa nova* propè Nannetem, Britanniæ oppidum.

Ad stalli Abbatialis pedes, visitur tumba Roberti Vice-Comitis *Castro-duni*. Is filius erat natu minor Roberti III. Drocarum Comitis, & Gentis Castro-dunensis stirps & origo, nuptus primùm Clementiæ Castro-dunensi: secundò Isabellæ de *Villebeon* (b). Epitaphium ære incisum, subjicio.

Anno milleno sex ac vicibus quoque deno,
Cum bis centeno demptis octo duodeno,
Nobilis, & gratus fuit hâc tellure locatus
Robertus, vitæ pensis bona condere gesta:
Drocensis frater Comitis; fortes prece sitis
Hoc vos, qui legitis, missus in alta sit is.

Uxor ejus Clementia, è regione, & in cuprea tabula, hanc habet epigraphen.

Pace Clementissa jacet ista proxima missâ,
Et sponsi lateri, non posset plus bona quæri:
Nobilis, & Clemens, ob bona plus vehemens.
Qui transis, ora, in pace sit absque mora.
Spiritus ipsius det Deus ipse pius.
Dicat quod fiat quisque, morique fiat.

Joannes I. Roberti III. Drocarum Comitis primogenitus, Ludovici IX. individuus in bello sacro comes, in insula Cypro fatis functus, anno 1248. Nicosiæ sepelitur. At sponsa illius Maria Borbonica, hæreditarium mariti sepulchrum suum esse voluit, in Sanctuario Branensis Abbatiæ. Totum cupreum est, auro, gemmis rutilans, elatum ad quinque pedes, & nobilis feminæ sustentans statuam procumbentem, cum hac inscriptione ad caput:

Cy gist Madame Marie de Dreuës, fille Monseigneur Archembaud de Bourbon. Priez pour s'ame. Elle trespassa la Vigile Saint Barthelemy, en l'an de Grace. MCCLXXIV.

In circuitu splendidi illius mausolæi, fulgent imagines & stemmata proavorum, & consanguineorum, hoc ordine disposita, & distincta Litteris.

AD PEDES.

Messire Erchembaud, fil Messire Erchembaud.

La femme du fil Messire Erchembaud, suer Messire Gaucher de Chastillon.

Messire Erchembaud de Bourbon, Pere Madame de Dreuës.

La Mere (c) Madame de Dreuës, femme Messire Erchembaud.

Le Roy de Navarre Thibaut.

AD LATUS DEXTRUM.

La Royne de Navarre, fille Messire Erchembaud, femme le Roy Thibaut.

Le Roy Thibaut de Navarre, Fieus au Roy & à la Royne de Navarre dessusdits.

La Royne de Navarre, fille le Roy Loüis de France.

Le Roy de Navarre einné fil au Roy & à la Royne dessusdits.

La Royne de Navarre, fille le Comte Robert d'Artois, frere le Roy Loys de France.

Le Duc de Bourgongne.

La Duchesse de Bourgongne, fille au Roy & à la Royne de Navarre dessusdits.

Le Duc de Lohorreine.

(a) Hanc oppetiit, dum redux ex sua expeditione facta, cum S. Ludovico transfretaret, anno 1250.

(b) De illis fit commem. ad 11. Kal. Julii in obituario Branensi, his verbis: *Commemoratio pia memoria Domini* Roberti de Drocis, *militis, filii illustrissimi viri* Roberti *Comitis Drocarum, & Domini Brana, qui dedit nobis in eleemosynam duos baccinos, & duospotos argenteos valentes circiter octoginta libras, & centum libras fortium. Dedit etiam nobis in aliis, ludicribus valentscirciter xl. libras Turon. Pro cujus anima, necnon & pro inclyta quondam uxore sua Clementia Vice Comitissa Castrodum qua contulit nobis centum libras, fiet solemne servicium annuatim.*

(c) Beatrix de Mont-luçon.

La Duchesse de Loheraine, fille au Roy, & à la Roine dessusdits, femme au Duc.

Messire Pierre Escuyers, fius au Roy, & à la Royne de Navarre dessusdits.

Messire Guilleaume Clerc, fius au Roy & à la Royne de Navarre dessusdits.

Messire Guilleaume de Bourbon, fius au Seigneur de Bourbon dessusdit.

La femme Messire Guillaume, fius au Seigneur de Bourbon dessusdit.

AD LATUS SINISTRUM, à pedibus ad caput.

Le Comte de Nevers, fius le Duc de Bourgongne.

La fille Messire Erchembaud le joenne, femme audit Comte de Nevers.

Messire Jean, frere audit Comte de Nevers.

La Dame de Bourbon, femme au devant dit Jehan, suer à la Comtesse de Nevers.

Le Roy de Sesille.

La Royne de Sesille, fille au Comte, & à la Comtesse de Nevers devant dis.

Le fius le Roy Loys, Messire Jehan.

La Comtesse de Nevers, suer à la Royne de Sesille, la femme Messire Jean dessusdit.

Messire Jehan de Chalon.

La femme Messire Jehan dessusdit, suer à la Royne de Sicile.

Li Sires de Marcueil.

La femme au Seigneur de Marcueil, fille Messire Erchembaud de Bourbon le Pere.

Le Comte de Dreuës, maris Madame de Dreuës.

AD CAPUT.

Madame de Montfort, femme le Comte Robert, fius au Comte Jean devant dit.

Le Comte Robert de Dreuës, fius au devant dit Comte Jean.

La Comtesse de Damp-Martin, suer au Comte Robert.

Le Comte de Damp-Martin, maris la Comtesse devant ditte.

Frere Jean le Templiers, fieus au Comte Jean desseur dit.

Ab irrumpentibus Hispanis, avulsæ fuerunt ab hoc sepulchro gemmæ, & lamellæ aureæ: scuta etiam gentilitia ex parte mutila, aut abrasa, insanientis militis furorem coarguunt.

Robertus IV. Drocarum, & Branæ Comes, Joannis I. filius, in Capella S. Stephani inhumatus, hoc monumento designatur, referente in Probationibus familiæ Drocensis, pag. 280. Du Chesne.

Magnus in orbe Comes, morum gravitate disertus,
Justitiæ fomes jacet hâc in parte ROBERTUS,
Pulcher & illustris, constans, nec fraude palustris.
Christum mente piâ coluit cum matre Maria.
Hunc Dominum Claræ, Montis fortisque, Drocarum,
Et Branæ didici, sancti simul & Valerici.
Compatiens miseris, quibus & miserando medêris,
Munus opis celeræ tribuens huic miserere.

Obiit XVIII. Kal. Decembris anno Domini MCCLXXXII.

Specialem sibi recentes Dynastæ Capellam ad sepulturam, sub invocatione S. Dyonisii; illicque frequentes, & insignes conspiciuntur Rocciorum tumuli. Horum primus sic habet.

Cy gist Haut & Puissant Prince Monseigneur Simon, Comte de Roucy, & de Braine: qui trépassa en son Hôtel du Bois lez Roucy, en l'an de grace MCCCXCII. le Mardy XVIII. jour de Fevrier.

Cy gist aussi tres Haute & Puissante Dame Madame Marie de Chatillon, Comtesse desdits lieux, & femme dudit Monseigneur le Comte, qui trépassa l'an de grace MCCCXCVI. le XI. d'Avril. Et leur fit faire cette Sepulture R. Pere en Dieu Monseigneur Jean de Roucy, par la grace de Dieu Evêque & Duc de Laon, Pair de France, leur fils.

Altari ejusdem Capellæ proximè hæret Mosolæum Hugonis Comitis de *Roceio*, cum hac epigraphe.

Cy gist Haut & Puissant Seigneur Hue, Comte de Roucy, & de Braine, qui trépassa en l'an de l'Incarnation de notre Seigneur J. C. MCCCXCV. le XXV. d'Octobre. Priez Dieu pour son ame.

Cy gist Haute & Puissante Dame Madame Blanche de Coucy, Comtesse desdits lieux & femme dudit Monseigneur le Comte, qui trépassa en l'an de grace notre Seigneur MCCCCX. le XXIV. Fevrier.

Infra Comitis Simonis sepulchrum, prostat Joannis Comitis tumba, cum hoc epitaphio.

Cy gist tres noble Prince Monseigneur Jean Comte de Roucy, & de Braine, qui trépassa en la bataille d'Azincourt, de lez Blangy en Ternois, le Vendredy XXV. jour d'Octobre, le jour SS. Crespin & Crespinian, l'an de grace MCCCCXV. Priez Dieu pour son ame.

In cuprea tumba ejusdem Sacelli, visuntur effigies Joannis, & Hugonis de *Roceio*, cum hac inscriptione.

Cy gist Monseigneur Simon de Roucy, Seigneur de Pontarcy, fils de Monseigneur Simon, Comte de Roucy, & de Braine, & de Madame Marie de Chatillon, qui trépassa l'an de grace 1402 le Dimanche apprès la S. Jean-Baptiste.

Cy gist Hue de Roucy, fils de Monseigneur Hue Comte de Roucy, & de Braine, &

de Madame Blanche de Coucy; qui trépassa l'an de grace 1412. le Dimanche 18. d'Août: Et leur fit faire cette Sepulture, Monseigneur Jean de Roucy, Evêque & Duc de Laon, Comte d'Anisy, Pair de France, frere dudit Monseigneur Simon, & oncle dudit Hue.

Priez pour leurs ames.

Ejusdem metalli, sed voluminis minoris, est non procul ab ista, tumba Caroli de *Salustes*.

Cy gist Charles de Salustes, ainé fils de Haut & Puissant Prince Thomas, Marquis de Salustes, & de Madame Marguerite de Roucy, fille de Monseigneur le Comte Hue, & de Madame Blanche de Coucy; qui trépassa l'an de grace 1406. le 6. jour de Septembre.

Ex Joanne III. Comite de *Roceio*, & Isabella de *Monte-acuto* *, prodiit unica proles Joanna *Roceii*, hæres ex asse Comitatuum Branæ & Roceii, quos in Sarrabruksensem domum intulit, tabulis matrimonii, quod cum Roberto, Comite de *Sarbruke*, *Commerceii* Dynasta, contraxit; Et ex quo suscepit Michaelem in flore juventutis denatum, & Sepultum Branæ: Joannem Catharinæ Aurelianensi nuptum: Mariam, Joanni de *Meloduno*: & Joannam Christophoro de *Barbançon* desponsatas. Edmundus verò masculus natu major, Patris exuvias ad Collegialem San-Nicolai Commerciensis Ecclesiam deportari curavit, & utriusque Comitatûs, Roccionensis, & Branensis adiit hæreditatem. Is jure sepulchri usus, Branæ inhumatur ad gradus Sanctuarii, anno 1465. Guillelma à *Luxemburgo*, ejus uxor, in Collegiali Ecclesia *Montis-acuti* sepulturam elegit.

* Montaigu.

Robertus à *Sarbruke*, Edmundi, & Guillelmæ filius, unà cum conjuge sua Maria de *Ambasia* *, paterno tumulo reconditi fuerunt Branæ, hic anno 1504. illa 1519. Guillelma, Roberti, & Mariæ filia, Comitatum Branæ consecuta, Robertum *de la Mark*, III. nomine, Franciæ Marescallum, Sedani Principem, conjugio sibi junxit. Fatis functa magnificum obtinuit, in Branensi Capella Mausolæum, hac epigraphe inscriptum.

* D'Amboise.

Cy gist Haute & puissante Dame, Madame Guillemette de Sarrebruche, en son vivant, Comtesse de Braine, Dame de Pontarly Neuf-chatel, la Ferté-Gaucher, Villemer... Dame d'honneur de la Reine, & Gouvernante de Mesdames de France, Veuve de feu Haut & Puissant Seigneur Messire Robert de la Mark, Maréchal de France, laquelle trépassa en son Chatel de Braine, le Jeudy 20 Septembre 1571.

Robertus ejus conjux, cor suum sancti Evodii Ecclesiæ legaverat: Et in Sanctuario honorificè, anno 1537. collocaverat superstes & mœrens sponsa. Robertus de la Mark, ordine quartus, Dux Bullonii, & Branæ Comes, Franciæ Marescallus, communem habet in tumulo, cum Francisca Brezea * conjuge, inscriptionem, nescio an sepulturam.

* De Brezey.

Franciscæ jacet hîc Brezeæ corpus: utrinque
Nobilis, à Petri Brezæi stirpe paterna.
Armis qui primus pro rege iit obvius Anglis,
restituitque suis urbes ex hoste receptas.
Nec stirps inferior materna (*a*) à Pictone ducta,
Guillelmo Comite, Sanctorum in Templa recepto.
Talibus orta, Duci nupsit Bullonio, cumque
Captivum (*b*) nullo victum pretioque, minisque
Emptum multo auro, moribundum ex hoste recepit.
Sed patris orba, tamen sua pignora texit, & auxit,
Conjugio affines jungens per regna potentes:
Sic rexitque domum, coluit sacra, fovit egenos.

Obiit 1577. die 14. Octobris.

In Navi Ecclesiæ, juxta Odeum in marmore sculptum hoc legitur epitaphium, pavimento impositum.

Ermenfredus Franciscus, Baro d'*Oiselet* S. R. I. Marchio, hujus nominis tertius, inclytorum liberæ Burgundiæ Principum, à Stephano Comite directâ masculorum serie decimus quintus, & illustrissimus nepos. Corporis formâ, & animi dotibus verè insignis, generoso & avito genio, & exemplo, in ipso ætatis flore Martis castra insecutus, præmaturæ, Heu! mortis præda Branæ factus, piè, ac christianè diem clausit ultimum, die 19. Augusti 1652. ætatis 19.

Illustrissima Carolina *de la Baume*, Philiberti Emmanuelis, Comitis de *Saint Amour*, Marchionis de *Saint Genist*, filia, filio suavissimo, crudeliter sic erepto, & hic propè consanguineos Comites quiescenti, ordinatis pro ejus salute, in hoc Cœnobio fundationibus, hoc mœroris & amoris monumentum poni curavit.

MANUSCRIPTI CODICES.

Tot Principum, tot Procerum sepulchris nobilitata Brana, manuscriptorum codicum numero olim insignis habebatur. Verùm quod alibi, hoc Branæ contigisse dolemus. Hostes partem ex invidia decoxerunt: partem ex ignorantia dilabi, aut ad profanos usus detorqueri permiserunt desidiosi, aut avari cu-

(*a*) Diana de *Poitiers*.

(*b*) Anno 1553. in expugnatione Castri de *Hesdine*.

stodes. Quod ex ruina superest, paucis exhibeo.
Glossa in Genesim, à Joanne de *Abbatis-villâ*, Canonico Branensi, anno 1210.
Ejusdem Commentaria in Libros Exodi, & Levitici.
Ejusdem in Numeros, Deuteronomium, & Cantica Canticorum, & in Isaïam.
Ejusdem in Danielem, Tobiam, Judith, & Esther.
S. Ambrosii, in Abraham: in Psalmum 118. Homiliæ: in Evangelium Lucæ Commentaria.
S. Gregorii Moralia in Job, & Epistola ejus ad Petrum. Ejusdem Dialogi.
Postilla Nicolai de Lyra super Psalterium.
Ejusdem repertorium super Biblia Sacra.
Paraphrasis in Psalterium.
Flores Psalmorum, à Lieberto, priùs Insulano Canonico, postmodùm S. Ruffi Abbate, & à Joanne de *Abbatis-villa* in tria volumina digestum. Glossa in Psalterium.
S. Bernardi in Cantica Canticorum: De Dispensatione: Et in Evangelium *Missus est*.
S. Hyeronimi Commentaria in XII. Prophetas minores.
In IV. Evangelistas
Concordia quatuor Evangelistarum.
S. Augustini Tractatus in Evangelium Joannis.
Ejusdem Confessiones.
Commentaria in Acta Apostolorum, à Joanne de *Abbatis-villa* Canonico Branensi anno 1210.
Petri Lombardi Commentaria in Epistolas ad Romanos, & ad Corinthios.
Anonymi Commentaria in omnes Epistolas Canonicas.
In Apocalypsim.
Gilberti Commentaria in Epistolas S. Pauli.
Historia scholastica, seu Expositio S. Scripturæ, ad utilitatem Theologiæ Candidatorum, à Magistro Petro *Comestore*, dicata Villelmo *de Champagne*, Archiepiscopo Senonensi.
Ejusdem Liber Allegoriarum in V. & N. Testamentum.
Libri IV. Sententiarum.
Analitica Mysteriorum.
Chronica Fratris Martini Pœnitentiarii.
De Officiis divinis, & de Tabernaculo.
Evagrii, Vitæ Sanctorum.
Joannis Livaci, Vitæ Sanctorum.
Anonymi Vitæ Sanctorum.
Isidori opera. III. Vol.
Petri Cantoris Summa, inscripta Abel.
Vita Caroli magni, jussu Imperatoris Friderici scripta.
Commentaria in Biblia sacra, duplici magno volumine, & eleganti stylo scripta.
Quadruplex Breviarium, antiquum, cum triplici Missali, ad ritum Ordinis Præmonstratensis.

Vide Probat. à col. CCCXXj. ad col CCCXXVj.

BRANDEBURGENSIS Ecclesia Cathedralis.

Brandeburgensis Ecclesia. Filia S. Mariæ Magdeburg. Circaria Saxoniæ.

OTTO I. Imperator, propagandæ fidei, & amplificandæ religionis Christianæ zelo incensus, de consensu fratris sui Brunonis, & Gereonis Ducis, Episcopatum in civitate Brandeburgica erexit, primumque ibi episcopum constituit Thitmarum, quem anno 968. suffraganeum Archiepiscopi Magdeburgensis esse voluit.

Postquam verò B. Norbertus Instituti sui fratres in Ecclesia S. Mariæ Magdeburgensis imposuit, certatim Episcopi hoc sanctum vitæ genus in suas induxerunt Ecclesias. Wigerus Brandeburgensis Præsul dilatandæ regularis disciplinæ cupidus, quam Magdeburgi Professius foverat, ut Præpositus S. Mariæ hanc in suis Canonicis inseruit*, abjectâ procul secularitatis originariæ licentiâ. Talem porro observantiæ formam præstituit, ut deinceps ad Episcopatum nullus assumeretur, qui non priùs Ordini candido fuisset solemni professione ascriptus, nec Canoniales præbendæ aliis, quàm Præmonstratensibus conferrentur. Ast quoniam diœceseos, seculariumque personarum sollicitudinibus implicatus Antistes, interiori regimini non poterat intendere, claustralem regebat disciplinam Præpositus, & tam ille, quàm Capitulares Canonici, Episcopum eligere assolebant. Id juris ad Lizekensem Præposituram Ordinis ejusdem, & diœceseos Brandeburgicæ, specialem filiam, sibi ab antecessoribus suis hæreditariâ velut successione commendatam, extendit Volmarus anno circiter 1187. »Hoc quoque visum est, » inquit episcopus ille, huic paginæ inserere, » quod in electione Episcopi, post Præpositum »Brandeburgensem, qui primam in electione » vocem habet, secundam Præpositus Lizecensis habeat; deinde utriusque Ecclesiæ Canonici liberè eligant, sicut justitiâ dictante, » mos obtinuit omnium Ecclesiarum Cathedralium.

Anno 1138

Fridericus Brandeburgi Episcopus & Præmonstratanæ Religionis alumnus itidem, ob reverentiam *Reverendissimi* Patris Norberti, cujus exuvias possidebat sanctæ Mariæ Magdeburgensis Ecclesia, in testimonium quoque gratitudinis, ob derivatum ad suæ Cathedralis Canonicos Præmonstratense Institu-

tum, concessit Magdeburgensi Præpositurae jus patronatûs Ecclesiæ parochialis de *Burch.* » Considerantes, inquit, qualiter præfata Ec» clesia S. Mariæ tam jugiter, quàm præclarè, » præ cæteris sit dotata, ac præfulgeat corpo» re *Reverendissimi* Patris Norberti, qui ibi» dem memoriter in tumba requiscit, atten» dentesque quomodò nostra Ecclesia cum si» milibus salutiferis gaudet & fulcitur *Edictis* » *Norbertinis*, cupientes nunc oportuno tem» pore prædictam Ecclesiam B. Mariæ, aliquo » speciali salutare, ad dei Patris omnipotentis, » ac ad laudem almæ Virginis Mariæ, jam » dictæ Ecclesiæ patronæ, nec non ad deco» rem serenissimi Patris Norberti &c. volu» mus.........

Ex motivis paribus anno sequenti 1309. transtulit in cœnobium idem Sanctæ Mariæ Magdeburgensis jus patronatûs in parochiam de *Schartowe.* Quo præcisè anno Præmonstratensis disciplina ab hac episcopali Ecclesia exoleverit, mihi usque modò investiganti inexpertum est: ad annum 1471. stetisse constat ex Buschio, Saxonicorum monasteriorum reformatore; an ultrà viguerit ibidem Ordinis splendor, nescio. Eximios nihilominùs, ab invecta regularitate ad seculum decimum quartum, illic sedisse Episcopos, referente Wembomio, cognoscimus. Hos inter eminuerunt Sifridus filius Alberti Marchionis Brandeburgici, ad Bremensem posteà Archiepiscopatum postulatus anno 1179. Alter extitit Norbertus ex Præposito in Episcopum decimum octavum Brandeburgensem assumptus, & anno circiter 1194. à Ludolpho Archiepiscopo Magdeburgensi consecratus. Hunc ex gente & genere S. Patris Norberti satum, suspicantur scriptores Ordinis, magis æquivoco nomine, quam autoritate innixi. Cæterorum Episcoporum seriem hîc attexere, aut in eorum excurrere gesta, tentaret me tot virorum nominatissimorum gloria, nisi oportuniùs id præstandum videretur in Annalium decursu. vide probat. à col. cccxxvj. ad col. cccxxx.

Apud Leibnitz hist. Brunsv. T. 2. p. 816.

In Chron. Bremen. & Magd.

Annal. Du Pré.

BRESCHA.

Brescha Filia Montis Sion. Circaria Poloniæ. Diœcesis Vratislaviensis.

HUjus Abbatiæ meminit Layruelius, eam quoque indices Urspergensis & Osterhovien. albo monasteriorum Poloniæ locaverunt. Mirum quòd inter filiales Domos mater Mons-Sion illam non comprehenderit.

BRIOLÆ.

Briolæ. Filia Congreg. antiq. rigoris. Diœcesis Remensis. Circaria Lotharingiæ.

PEtrus de *Cadnet*, generis splendore conspicuus, martem sequutus à pueritia, cataphractæ militiæ Præfecturam sub signis gallicanis adeptus est. Castri Dunensis ad Mosam à Rege præpositus Gubernator, ad Leodienses & Hollandos ablegatus est Orator iterùm, obeundis regni negotiis majoribus. feliciter provinciam sibi demandatam exequutus, & suo redditus Duno, uxorem Annam de *Chicolet* prolem amisit. Viduitatis annos, abjectâ chlamyde, in Oratorii Domini Jesu Congregatione transegit, mundanæ dignitatis generosus contemptor, & prima virtutis specimina, in evulgatis Psalmorum Davidicorum paraphrasibus edidit. Dein partem hereditatis suæ piis operibus volens impendere, *Briolis*, ubi Toparchiam possidebat, domum Religiosam fundis utcumque dotatam ædificavit, & accitos è Congregatione Norbertina Vicarium generalem, P. Petrum *Thienville*, Simonem *Raguet*, & Norbertum de *Villers*, ejusdem Definitores, instituit piæ fundationis hæredes anno 1642. Regiis Parlamenti Parisiensis tabulis erectam, confirmari procuravit domum anno eodem, & in Comitiis Congregationis sequioris anni, authenticâ approbatione munitam fundationem, solemni, & iteratâ oblatione transcripsit. Virduni tùm consedebant Proceres Congregationis, qui ut piis benefici Fundatoris intentionibus faverent, Pastoralem *Briolarum* curiam, sancti Pauli Virdunensis Ecclesiam filialem, nascenti monasterio, perpetuis uniendam temporibus, incorporarunt, sic ut ab parocho regulari, amovibili ad nutum, administraretur.

Illicò Fratrum turmulæ, & secularium ovium gregis præstitutus est pastor P. Macarius *Guinet*, qui ad Stagnensem Abbatiam promotus posteà, ne obedientiæ videretur refragus, migravit. Sed ne votis ovium, & Fratrum deesset postulationibus, Abbatiam dimisit ultrò, ut pristinæ suæ sorti, & parochianorum balatibus pastor optimus teneros affectus acclinans, se restitueret.

Lætam messem de laboribus exurgere gratulabatur sibi Fundator, oculatus testis; ac ne quis improvidâ, aut maleficâ manu opus Dei moliretur destruere, Apostolicam convenit authoritatem, ut suâ protectione dignaretur firmare, quod episcopali, & regio Diplomate constabiliverat. Annuit æquissimis petitionibus Alexander VII. ac totam fundationis seriem Bullâ suâ roboravit anno 1660.

In tuto positam suæ pietatis operam videns Cadnetius, ædificiorum structuræ capaciori, admovit manum beneficam, non pepercit sumptibus, nec indulsit fastuosæ ostentationi, sed talem struxit domum, quæ Religiosam deceret modestiam, superfluitatem excluderet. Intentum promovendæ Religioni, charitatis erga pauperes impendendis officiis sustinendæ

morborum afflictationi, constanter & christianè assiduum, mors sancta intercepit Briolis 4. Maii 1664. Fundatori munifico parentarunt mœsti filii, sed spiritum Patris in se resuscitantes, nihil de piis intentionibus, nihil de fervore, de sollicitudine pastorali remiserunt, imò pensum officii divini, quod priùs ob Canonicorum paucitatem exolvere nequibant, addiderunt obsequiis pastoralibus Ascetæ, ad utrumque promptissimi.

Stat itaque Briolensis Canonia nunc ad monasterii formam, in villa cognomine, quinque à Virduno, unâ à Duno dissita leucis, non longè à præterlabentis Mosæ littoribus, in planitie viridantibus pratis lepidè arridentibus consistens, nulli Abbatiæ subjecta; Congregationi, ejusque regimini addicta immediatè. vide probat ad col ccccxxxj.

BRODE.

Brode. Diœcesis Magdeburgensis. Circaria Saxonia.

HOc cœnobium lego in Indicibus Layruëlii, Urspergæ & Osterhoviiin aliis suppressum. In quâ diœcesis Magdeburgensis parte situm sit? tempus quo defecerit ab Ordine? ad quas devenerit manus? ignoro.

BRODHOLME.

Brodolme. Filia Newhusi. Diœcesis Lincolnensis. Circaria Angliæ.

PRæposituram Monialium, seu potiùs, monasterium duplex in villa de *Brodholme*, Comitatûs Nottinghamensis, & Lincolnensis diœceseos, amœno recessu, fundavit Radulphus de *Albaniaco*, juxtà cœmeterium Ecclesiæ S. Botulphi de *Sarelby*. Quo tempore id pietatis monumentum ediderit Radulphus, incompertum est: ætate Eduardi II. hoc est, ab ineunte seculo xiv. floruisse, & Optimatum largitionibus ditatum, originis anterioritatem ostentare palam est, definire arduum. Quippecùm hujus Præposituræ notitiam nec Ordinis documenta subministrent, nec in albo monasteriorum legatur. Ex sola Eduardi II. Charta, nostram qualemcumque & loci, & paternitatis, imò & existentiæ cognitionem accepimus. vide probat. à col. ccccxx. ad col. ccccxxxiij.

BRUMBACH.

Brumbach. Filia Arnsteinii. Diœcesis Moguntin. Circaria Vadegotia.

BIno ab Arnsteinio lapide, Brumbacensis Præpositura Virginum distans, ab Arnoldo II. Vedano Comite & Metropolita Coloniensi, fundatur anno 1157. Nomen obtinuit à Villa de *Brumbach*, quam Beringerus de *Gamberg*, ad pium opus cùm Arnoldo contulisset, ille totum hoc prædium ædificando & dotando Parthenoni consecravit, auxitque proventibus.

Quo tempore Hassiæ Principes Catholicam abjecêre fidem, uno impetu innumeras pristinæ fidei & religionis avitæ ædes devastarunt, inter quas Brumbachum corruit ejusque bona Castellani & Darmstadienses Principes inter se diviserunt, quæ postmodùm, ne viderentur piæ substantiæ voraces, sustentandis acatholicis pauperibus Hannauviæ, destinarunt. Vix rudera monasterii à seculo æquati solo, Præposituræ insignis memoriam perennarent, nisi litteris transmitteremus posteritati.

BRUSIUM.

Brusium. Filius Zabrdovici. Diœcesis Olomucens. Circaria. Moravia.

PRæpositura Virginum, quam immutato nomine, & matre, nuncupat *Bruë*, Layruëlius. Dudùm extincta est.

BRUYERIA.

Bruyeria. Filia Branæ. Diœcesis Suession. Circaria Francia.

CUm Branensis Abbatia, oppidi & Castri mœnibus angustata, spatium non haberet, in quo Sanctimoniales, pro more Ordinis, in vicinia Claustri locarentur, illas ad radices Montis sanctæ Mariæ, sesqui-horâ ab oppido Branensi, constituit Radulphus Abbas, ad instantiam Agnetis Branensis Comitissæ. Istius Parthenonis meminit Charta concordiæ initæ anno 1140. inter Canonicos sanctæ Mariæ de Monte & Branæ Canonicos, quâ molendinum & aquæ decursus asseruntur Branensibus sub annuo censu septem modiorum frumenti. Pacificationis author Goslenus Episcopus Suessionensis Chartam conscripsit ut mediator, cui subscripsêre ut testes, Godefridus Abbas *Castri Theodorici*, Gerlinus Abbas *Carthovori*, Petrus Abbas de Brana, Thomas Decanus de Monte.

Prædium

Prædium Bruyeriæ post extinctionem cœnobii, evasit in beneficium simplex, quod Claustrale appellant. Sub hoc titulo possessum pridem & diù à Fratribus, possidetur amodò per viam unionis à Seminario Suessionensi.

BUCILIUM.

Bucilium. Filius Præmonstrati. Diœcesis Laudunensis Circariæ Floreffia.

* Aubenton.

* Vervin.

* P. Anselme en son hist. des Grands de France p. 35. T. 1.

IN Diœcesi Laudunensi secùs amnem *Aubentononium* *, tribus à *Verbino* horis, in fertili Terasciæ solo, pratis, nemoribus, agris & aquis alluentibus, distincto variè, fundatum est seculo decimo labente, Bucilii monasterium ab Herberto tertio Viromandiæ Comite, Pipini (*a*) Regis Italiæ, & Caroli Magni sanguine sato, abnepote non degenere, & ad instantiam piissimæ conjugis Gertrudis : hoc enim nomine Bartholomæus Episcopus, illam compellat, Genealogicis authoribus * credibilior, qui Ermengardem vocitant, eique fundationis eripiunt honores, ut Alberto II. deferant. Sanctimoniales, tacito Professionis & Instituti nomine, illuc Gertrudis immisit, testante eodem Bartholomæo. Quo fato, quibusve de causis, Præmonstratenses Canonici, Monialibus expulsis, successerint (*b*), Fasti non referunt, dissimulavit Bartholomæus, fortè ex indulgentia, ne Virginum labem ad posteros propagaret.

I.

Subinducti Præmonstratenses à B. Hugone, in hæreditatem & beneficia regii Fundatoris introierunt. Accessit iis ex liberalitate Bartholomæi Laudunensis, statûs mutationem approbantis, larga Pastoratuum concessio. Reges Galliæ, Guisiæ, & Aveniæ Domini, Toparchæ de *Rumigniaco*, florentis monasterii fundos, novis ampliarunt donationibus, quas PERSICUS Abbas regimini Ecclesiæ præfectus, Eugenii III. roboravit Diplomate, anno 1148.

Bartholomæo Laudunensi Episcopo, ad Fusniacenses secedente, & monachum professo, Galterus ex monasterio sancti Martini Laudunensis, ad Episcopalem sublimatus cathedram, & pro suo in Ordinem affectu, prædecessoris tabulas iteratâ approbatione roboravit, anno 1151. Non illius præsulis, nec prædecessoris, imò nec Eugenii III. autoritas repagulum fuit adversùs Fusniacenses, non dicam invidos, sed malè consultos litigatores. Parochialem Ecclesiam d'*Esperss*, multiplici titulo assertam Buciliensibus, sibi arrogarunt.

II.

Querela ad arbitros delata, & conclusa, ex generalium utriusque Ordinis Capitulorum sanctionibus, irrefragabilis judicii formam obtinuit, ab iisque innovata sunt pacta Fraternitatis pridem evulgata, in hunc modum, jam tum PHILIPPO, *PERSICI* successore, tenente Bucilii clavũ.

» Nos Abbates Præmonstratensis, & Cistercienssis Ordinis pariter congregati, querelas » quasdam quæ inter Fratres nostros emerserunt, charitatis fraternæ zelo, & rationabili consideratione terminavimus. Quocircà utriusque Ordinis authoritate statuimus, » quæ ibidem sunt definita, irrefragabiliter » utrinque teneri, secundùm recognitionem » personarum, quarum arbitrio definita noscuntur. Sed & hoc quoque utriusque Ordinis authoritate statuimus, & firmavimus, ut » compositio & societas inter utrumque Ordinem olim firmata, & deinceps irrefragabiliter observetur, ut nulli nostrûm liceat indè aliquid dispensare, vel aliquid, contrà » formam illam, sibi invicem indulgere, absque communi assensu generalis Capituli Præmonstratensis, & Cisterciensis. Quidquid autem contrà illam compositionem præsumptum fuerit, penitùs amittatur, & qui præsumpserit, graviter puniatur. Commemoratio quoque, & plenarium Officium pro omnibus & singulis defunctis utriusque Ordinis, quotannis invicem fiat. Anno ab Incarnatione Domini 1153. hæc statuimus, & » vice utriusque Capituli generalis hoc statuimus, nos Abbates. Ego Hugo Præmonstratensis. Ego Garinus sancti Martini Laudunensis. Ego Gilbertus Viromandensis. Ego » Philippus de sancti Petri-monte, sive Buciliaco. Ego Joannes de Septem-fontibus. Ego » Balduinus de Basso-fonte. Ego quoque Vicardus Pontigniacensis. Ego Robertus Claræ-vallis. Ego Lambertus Morimundensis. » Ego Willelmus de Fonteneto. Ego Robertus de Fusniaco, cum multis aliis utriusque » Ordinis.

Plures istius concordiæ copias in membranis, antiquitate venerabilibus, legi, antiquissimam vidi in loco restaurato, quæ subscriptioni Philippi Abbatis de sancti Petri-monte, non habebat additam ad æquivocationis determinationem, *de Bucilio*. Hinc Philippum testem, & promotorem pacis autumabam esse Bellævallis Abbatem primum. Nunc verò ex historia Fusniacensi edoctus, sententiam mutare non hæreo, & Philippo Buciliensi actori restituo chirographum.

Anno 1155. Burchardus Dynasta Guisiæ

(*a*) Pipinus ille filius erat Bernardi, Italiæ Regis, quem genuerat Pipinus filius Caroli Magni.

(*b*) Joannes de *Lanci*, Prior Fusniacensis in historia Fusniac. pag. 109. asserit Moniales Bucilienses reformationem Præmonstratensem amplexas fuisse, priusquàm viris facerent locum. Dicit, sed non probat, nec nos aliquid certi de prætensa reformatione habemus.

de assensu Aleidis sponsæ, Godefridi fratris sui, & in gratiam Philippi Abbatis, Bucilium ab omni jure vinagii, commeatûs, vectigalium, emptionis & venditionis exemit, in suæ ditionis toparchia. Curtim de *Communione*, nunc autem de *Mondrepuy* dictam, partim à Bliardo de *Firmitate*, & Burchardo de Guisia collatam Bucilio primitùs, totaliter concessit Joannes de *Iriconio* *, medietatem alteram, quæ sui erat dominii, sponte tradens Abbati Philippo, 1156.

* Irson.

III.

JOANNES, rixam habuit cum Alberico Thenolii Abbate; sed Philippi Abbatis Præmonstrati interventu, & prædiorum commutatione factâ, ad concordiam redierunt anno 1162. Parochiales Ecclesias de *Uliaco*, & de *Geniaco* * Cuissiacensi dedit Abbatiæ, quæ ex gratitudinis, aut compensationis sensu, Prioratum de *Glande*, & altare de *Siniaco parvo* * Bucilienfibus reddidit, anno 1162. approbantibus Philippo Præmonstrati, Guarino Sancti Martini Laudunensis, Gilberto sancti Quintini Abbatibus. Hunc Gilbertum Viromandiæ Abbatem credo, qui sancti Quintini se Abbatem inscribit, ob loci Viromandensis reverentiam, quem sanctus Quintinus martyrio consecravit. Abdicatâ dignitate, Joannes Præmonstratum repetiit, ubi Prioris officio fungebatur anno 1172.

* Ully, & Geny.

* Gland & Signy-le-petit.

IV.

WILLELMUS, Branæ Canonicus, Bucilio præficitur. anno 1167. Signo suo roboravit concordiam inter cathedralem Ecclesiam Laudunensem, & Canoniam San-Martinensem, occasione allodii de *Montiniaco*, & sylvam de *Athnes* amicabiliter initam.

V.

LUDOVICUS, prædium *Montis-putei* * in villam seu pagum, communibus cum Jacob de Guisia impensis, jurium ac dominii divisione, conventionibus statutis, erexit anno 1170. Jacobus Laudunensis Episcopus concordata laudavit anno 1173. & pastoratum villæ adjudicavit Canonicis Bucilienfibus.

* Mondrepuy

VI.

GUILLERMUS subscribit chartæ anno 1176. Et hoc existentiæ illius argumentum suggessit nobis Pater Desiderius Canonicus Præmonstrati, rerum nostrarum sedulus promotor.

VII.

GODESCALCUS Bucilio dum laudabiliter præest, rapitur à Canonicis Bonæ-spei, & in suum Abbatem postulatum, obtinent, anno 1182. si fides instrumentis Bucilii & Bonæ-spei. Reperitur tamen anno 1183. ut Bucilii Abbatem subscripsisse Diplomati confœderationis inter Præmonstratenses & Benedictinos Laudunenses. Hinc conjicio necdum adiisse Bonæ-spei Abbatiam, quam ab anno 1182 Philippus Harvingius exuerat sponte, aut vivente Philippo seniore Abbate, servasse priorem titulum, aut saltem nomen Abbatiæ Buciliensis, ob reverentiam tanti viri qui ad annum 1183. dies protraxit.

VIII.

PETRUS. illi Jacobus de *Avesnis* in procinctu expeditionis suæ ad Loca sancta, concessit *dilectæ Ecclesiæ suæ Bucilii*, immunitatem ab omni teloneo, vinagio, vectigali & pedagio in ditionibus suis de *Guysia*, de *Landrecies* & de *Lescheriis*. Hanc libertatis chartam laudavere Adeluya uxor, Galterus & Jacobus eorum filii an. 1187. & an. 1188. sistitur ut testis chartæ Hugonis II. Abbatis de Præmonstrato. Anno 1192. paciscitur cum Abbate S. Michaëlis in Teraścia, per mediatores à Rogero Laudunensi Episcopo deputatos, super territorio de *Bluy*.

IX.

WALTERUS obiit anno 1195.

X.

JOANNES II. ab Helena Domina Guysiæ in eleemosynam & pro anniversario sui conjugis in transmarina expeditione defuncti, censum triginta solidorum recipit anno 1196. Rogerus Episcopus Laudunensis parochiales Ecclesias de *Curieux* & de *Buire* Canonicis regularibus Bucilii, ab iisdem deserviendas in perpetuum, eodem anno tradidit mense Novembri.

XI.

GUIDO societatem charitatis & precum instituit inter monasterium Bucilii & S. Remigii Remensis, anno 1200. Majoratum d'*Effry* * suæ Ecclesiæ assecuravit, judicio Abbatum Gilberti Fusniacensis, & Wuiberti S. Martini Laudunensis, arbitrorum, anno 1207.

* Villa filialis Luzorii.

XII.

WIBERTUS, anno 1210. cum Waltero Calvimontis Abbate, Judex à partibus delegatus, adjudicat Cuissiaco, contra Capitulum *Rosetense*, patronatum Ecclesiæ de *Dysiaco*. Archiepiscopum Remensem, ejusque Suffraganeos, monitis & scriptis Apostolicis armavit ad vindictam Innocentius III. xiv. sui Pontificatûs anno, adversùs invasores bonorum Bucilii, ad supplicationem Wiberti; qui perversam Advocacatorum sui monasterii administrationem non sustinens, rursùs eos Apostolicis censuris, & minaci Honorii III. Rescripto compressit, anno 1218. Ab eodem Pontifice jus antiquum emittendi ad curas Pastorales tres Canonicos, innovari obtinuit, anno 1220. quo Wiber-

tus ipse impetrator defunctus est.

XIII.

ARNULPHUS anno 1220. Remigium d'*Hareigny*, totamque familiam ejus admittit ad fraternitatis participationem. Anno 1228. litem componit cum Abbate sancti Michaelis.

XIV.

PONSARDUS anno 1233. transactionem fecit cum Nicolao Abbate Lætiensi. Anno 1237. apud Gregorium IX. conquestus, quòd Enguerranus, Dominus de *Couceio*, de *Fara* & *Marla*, * in vilipendium immunitatis à vinagio, pontagio, & aliis secularibus præstationibus, indultæ Bucilio, à bonæ memoriæ Ingerrano de *Farra*, & filio ejus Thoma, ipse Enguerranus successor eorum, molestaret exactionibus transeuntes currus Bucilii, per ejus dominia, & terras; Pontifex super hoc providere volens, in mandatis dedit Episcopo Laudunensi, ut violatorem Ecclesiasticæ libertatis moneret, & per censuras, si necesse foret, illum, illiusque terras interdicto subjiciens, cogeret ab ejusmodi vexationibus desistere. Anno eodem, Ponsardus, ejusque monasterium, fraternitatis iniit fœdus, cum Abbate Nicolao, illiusque Conventu Lætiensi.

* Coucy. La Farre. Marle.

XV.

BLIARDUS, Claustrum, Dormitorium à fundamentis excitavit, & recrudescentem, cum sancti Michaëlis Monachis discordiam, arbitrio Milonis Laudunensis Canonici, Joannis Canonici, & Præpositi Buciliensis, Laurentii Monachi sancti Michaëlis, definiendam permisit an. 1240. Anno 1245. ad petitionem Nobilis viri Nicolai de *Rumigniaco*, & Elizabeth uxoris ejus, Garnerus Episcopus Laudunensis Capellam Castri de *Martigniaco* contulit Bliardo Abbati, ejusque monasterio univit deserviendam ab uno ex Canonicis Bucilii. Anno 1252. Iterus Laudunensis Episcopus concessit Bliardo, & Conventui S. Petri Buciliensis, parochiales Ecclesias de *Luzoir*, & d'*Effry*. Anno 1258. Ingerranus, de assensu fratris sui Hugonis de *Rumigniaco*, pratum, & jus eundi materiatum in suis Terasciæ nemoribus, ad instaurationem domorum *Glandis*, & *Signiaci parvi*, contulit Abbati eidem, denato 1264. In medio Capituli jacet, hoc lemmate inscriptus.

Hic jacet Dominus BLIARDUS Abbas hujus loci, Structor domûs hujus, & ædificator,
Mensibus hanc binis, sex annis, atque viginti
Ecclesiam rexit . . . .

XVI.

RAYNERUS. Ex conventione inter Hugonem de *Rumigniaco*, & Philippam ipsius uxorem, ex una parte; & Abbatem Raynerum, ex altera, novem modii frumenti laudabilis, & avenæ septem, triginta libræ Parisienses, & septuaginta capones assignantur ad sustentationem Capellani Martigniacensis, anno 1266. A Gregorio X. privilegia Abbatiæ suæ confirmari impetrat anno 1272.

XVII.

GOBERTUS, anno 1273. cum Joanne de *Chastillon* Comite Blesensi, Avesnarum, & Guisiæ Dynastæ, quæstionem ex occasione molendini, & alti dominii villæ de *Monteputei* excitatam, composuit. Sequenti anno, consummationis suæ videt finem Gobertus, & ad stallum Prioris in choro depositus, hanc epigraphem, innovatione pavimenti deletam, præferebat.

Abbas GOBERTUS jacet hîc, bonitate repletus,
Maximus orator, simplex, & pacis amator,
Provisor largus, in rebus vidit ut Argus,
De Wimi natus; tecum sit Christe beatus.
Moribus imbutus, Messiam corde secutus,
Parùm regnavit. Ad Christi velle migravit.
Hinc Deus oretur, ut totus sanctificetur.

Ad limbum verò

Abbas Gobertus de Wimi anno Domini MCCLXXIV. 1. Kal. Januarii obiit. Orate pro eo.

XVIII.

MAHIUS; cujus ætate Hazardus de *Satanaco*, * jus vitæ & necis Buciliensi Abbati surripere ausus, apud Joannem Blesensem Comitem, fundationis vindicem, & hæredem Fundatoris, de invasione accusatus, traducitur. Jurgii Judices, Hazardo annuente, Comes illicò delegat Walterum de *Rupigny*, Joannem de *Poissy*, Nicasium de *Rochefort*, Milites; defuncto interea Comite Blesensi, Petrus Alenconii Comes, & ditionum Joannis ex conjuge hæres, intentatam litem est prosecutus, & sententiam à Judicibus latam pro assertione jurium Bucilii, vividè mandavit executioni, anno 1281.

* Stenay.

XIX.

JACOBUS subscribit cuidam chartæ anno 1291. Fraternitatem init cum Joanne Abbate Bellæ-vallis, anno 1294. Commendatur in Fastis, ex integritate fidei, & doctrinæ, quibus illuxit domui, & patriæ.

XX.

ADAMUS DE WASSIGNY, privilegia & bona monasterii sui, protectoriis litteris Joannis XXII. communivit anno 1322. Ad Præmonstrati regimen vocatus, res Ordinis egregiè promovit.

XXI.

JOANNES III. dignitatem præstantiùs exor-

navit virtutum suppellectile. Guidonem Comitem Blesarum ut Fundatorem interpellavit, ut Jacobum de *Rochefort*, invasorem agrorum & jurium Buciliensis Abbatiæ in villa de *la Haye*, compesceret, juxta Sacramenti præstiti leges, & ut Fundatoris debita requirebant. Rationibus, consiliis, & minis frustrà ad restitutionem provocato usurpatore, ad arma ventum est, & concerto prælio, miserè concidit Jacobus detentor. Fraternæ cædis ultores Tassardus, Nicasius, & Willelmus de *Rupe forti*, suos ad arma cogunt, collectisque militum manipulis, Comitem aggrediuntur, terras ejus vastant, flammis & ferro, Guisiæ & Avesnarum Dynastias exinaniunt, insequentis Comitis eludunt fugâ conatus; dispersi villas depopulantur, & qui aperto marte pugnare detrectabant, clanculùm, & per cuniculos victores, & prædis onusti revertebantur. Prædones, non belligeros, ad pacem & inducias invitare coactus est Guido. Willelmum Hollandiæ, Hannoniæ, Zelandiæ, & Frisiæ Comitem obsidem pacis obtulit, gratum hostibus. Suscepere oblatum, & ipsi summam ulciscendæ injuriæ commiserunt. Willelmus procerum judicio discutiendam litem detulit, qui pensatis undequàque rationibus, ex æquo discordiam sopivere anno 1326. hoc maximè præcaventes, ut deinceps Abbatiæ Bucilii nulla in personis, nulla in rebus inferretur injuria. Ipso restitutæ tranquillitatis anno obiit Joannes Abbas, in cujus sepulchrali lapide legebatur,

Ornat lapidem Joannes Abbas. MC. ter X. trina cum sex, in ultima mensis Novembris obiit.

XXII.

MATHÆUS, de quo in fastis hæc habes. Sacrâ excelluit in exedris facundiâ, singulari prudentiâ & pietate emicuit. Litem gravissimam ab Arnulpho Leodiensi Episcopo, de pingui allodio malè intentatam, supremus Viromanduorum Judex in Mathæi diremit gratiam. Paucis contractum dissidium verbis fusiùs evolvit Judicis sententia. Narrat Dominos de *Bancigny* ratione suæ Advocatiæ, potestatem suam in curtim de *Gillonsard*, intrà limites de *Bancigny* consistentem, extendisse, refragosque curtis colonos, armatâ manu, trusos fuisse in carceres, pro quibus liberandis causam dicturus, ad Viromanduorum Judicem provocavit Toparchas de *Bancigny*, Abbas Buciliensis; cùmque immunitatem allodii sui juridicè probasset, ad reparationem illatæ injuriæ invasores condemnavit. Anno 1383. Mathæus è vivis sublatus, & in atrio chori tumulatus, hâc ornabatur inscriptione.

Abbas Mathæus jacet hìc, pietate repletus,
De *Curieux* natus, tecum sit Christe beatus.

Ad Limbos. Anno Domini MCCCLXXXIII. VIII. Idus Augusti, obiit Mathæus Abbas hujus Ecclesiæ. Orate pro eo.

XXIII.

JOANNES IV. dictus sapiens, ex gravitate morum, & scientiarum profunditate. Suum Bucilii territorium à *Martigniaco* divisit anno 1385. ita volente, ad pacis securitatem, Joanne I. Lotharingiæ Duce, *Rumigniaci*, & *Martigniaci*, ex avia sua Isabelle de *Rumigniaco*, Toparchâ. Anno 1394. Joannis sanctè mortui tumulum laudibus his asperserunt grati filii.

Hìc adest Abbatis sapientis tumba Joannis,
Bis tribus & quinque, noster Pater extitit annis.
Et jacet in tumulo repletus pneumate sacro.
Tempore pestifero nos rexit corde benigno:
Fonte fuit genitus Mauberti, mente serenus
Ablatus fuit.
Illi requiem, & in Christo explievit ann. D. MCCCICIV. Kal. Septembris obiit Dominus Joannes Abbas hujus Ecclesiæ. Orate pro eo.

XXIV.

JOANNES LE PENOCER, Fraternitatem iniit cum Joanne Abbate Clari-fontis anno 1450. quo vitâ excessit. Ejus tumulus hâc epigraphe inscriptus, choro insidebat.

Anno Domini MDL. pridiè Idus Maii obiit Joannes *le Penocer*, Abbas hujus Ecclesiæ. Ejus anima requiescat in pace. Amen.

XXV.

ROBERTUS intentus rei divinæ & Canonicæ suorum disciplinæ, obiit anno 1494.

XXVI.

GERARDUS OGIER, simplex moribus, & prudens animo eminuit. denascitur anno 1500.

XXVII.

JOANNES LE PRINCE, sub Ludovici XII. protectione & tutela, Abbatiam suam posuit, ab eoque magnificum impetravit Diploma x. Septembris 1502.

XXVIII.

PETRUS FOUAN, duris admodùm temporibus munus Præfecturæ sustinuit 1532.

XXIX.

JOANNES VINCENT, candelabrum æneum ad Sanctuarii gradus, suo nomine, & stemmate, erexit.

XXX.

JOANNES DE BAQAUCOURT, anno 1542 reparationi Buciliensis Ecclesiæ sedulò incubuit.

XXXI.

JACOBUS DE HAPTANCOURT.

XXXII.

CLAUDIUS DE *CHANLEUX* ab anno 1575. infulas tulit, quas Triftando à *Villa-longa* refignavit.

XXXIII.

TRISTANDUS à *LONGA-VILLA*, cæcus ab infantia, facræ nihilominùs Theologiæ Doctor eximius, Tranfubftantiationis apologifta, tum verbo, tum fcripto * celebris, Henrici I . Regis Galliæ Cathechiftes, & Concionator ordinarius, doctorum & eruditorum Mœcenas; frequenti convictu Anglici Doctoris, & in Remenfi Academia Profefforis famofiffimi, nominè *Keliffo*, delectabatur, illiufque utebatur contubernio, ut fuos ad fcientiam, ex mutuis collationibus informaret. Vallis-Dei regebat Abbatiam, moribufque imbuerat, dum ad Bucilii regimen in multis labefactatum, venit. Mirum quanta ad difciplinæ regularis inftaurationem, quanta pro redimendis fundis, prædecefforum incuriâ alienatis, aut ex pravitate oppignoratis, impenderit. Renafcentem, fub Lairuelio, fpiritûs Norbertini æftum, fuis ut inftillaret alumnis, tres Muffipontum tranfmifit Canonicos, qui fub hoc Magiftro, & Reformatore, vivendi difcerent artem, & Religionis caperent d᾿ cumenta. Non fefellit fpem Prælati provida fuorum manumiffio, magnos quippe, & magni nominis Priores ex reduce colonia habuit, Hugonem de *Paffavant*, Provinciæ Vifitatorem fæpè ablegatum, Petrum *Barbier*, rigidioris jejunii, abftinentiæ perpetuæ, orationis affiduæ, virum, & in liberandis energumenis nemini fecundum; Benedictum de *Vandi*, facundum verbi Dei præconem, & apud Martigniacenfes, ubi Paftor obiit, ex charitate & zelo commendatiffimum. Ex fe, & ex fuis de Ordine benè notum, & benè merentem Triftandum, Capitulum generale Oratorem ad curiam Romanam, pro innovatione, & tuitione Privilegiorum Ordinis deftinavit, unà cum Edmundo *Martin*, S. Mariani Altiffiodorenfis Abbate, anno 1605. Cæcum Roma fufpexit, demirata eft luminofum, & in deffenfione jurium Ordinis folertiffimum athletam. Coadjutorem fibi providit annofus fenex, & ne quem fors degenerem daret, nepotem à fe excultum, fanguinis nobilitate & moribus inclytum, affumpfit, cui moriens, Abbatiam, duplicemque in voto fpiritum configna vit anno 1631. Sub marmoreo lapide patruum fuum in fanctuario reverenter condidit haud ingratus nepos, fimplici epigraphe infcriptum.

* Edidit anno 1605. fub hoc titulo. Reponfe à huit articles que le Sieur Tilenus & les Miniftres de Sedan ont envoyez à Haut & Puiffant Seigneur le Comte de Laval, pour empêcher fa fainte & heureufe Converfion à la Foy Catholique. A Rheims, en 1605. Chez la Veuve Jean de Foigny.

Hic jacet Reverendus in Chrifto Pater, & Dominus TRISTANDUS de *VILLE-LONGUE*, Doctor Theologus, Chriftianiffimi Henrici IV. Francorum Regis Confiliarius, & Ecclefiaftes ordinarius, licet ab infantia cæcus, Abbas Bucilienfis, qui annum agens fexagefimum nonum, religiofiffimè obiit die undecimâ Junii, anno falutis MDCXXXI.

XXXIV.

ROGGERIUS DE *VILLE-LONGUE*, anno 1649. inter armorum tumultus, armatus quandoque Abbas, & loricatus incedens cum militum manu, obiit; poft cujus exitum, Bucilienfes Canonici è Reformatorum gremio Abbatem fupplices poftularunt à Rege, iifque datus eft

XXXV.

EDMUNDUS *SAUVAGE*, cui ex Diplomate regio, & Pontificis Innocentii X. Bulla injunctum fuit, reformationem inducere in Bucilium. Faverunt Religiofi communibus poteftatis utriufque defideriis, & anno 1651 ab inauguratione Edmundi *SAUVAGE* 2°. ultrò ambierunt, & exofculati funt reformationem. Vaftatas ab hoftili incurfu ædes, pendente obfidione Rupis regiæ * Edmundus reparavit, ac ne in futurum fubftantia monafterii ab helluonibus Commendatariis deglutiretur, menfarum divifionem regiâ authoritate ratam, inftituit, homo paupertatis fcrupulofus fectator. Ex zelo Religionis, & ex intuitu reformationis propagandæ, pinguem fatis Bucilii Abbatiam, pro Jovillarenfi defolata commutavit, cùm Patre Carolo *du Frefnoy*.

* Rocroy.

XXXVI.

CAROLUS *DU FRESNOY*, 1688.

Ejus tempore, anno 1678. Rex Ludovicus XIV. Gandavum petens, fuâ præfentiâ Bucilium cohoneftavit, & in anathema tanti honoris, marmore infculpto dies menfis, & annus confecrati funt, fub hieroglifo folis, & cum hoc lemmate, *Gandavum currens fol victor, hic ftetit.*

XXXVII.

SERVATIUS *FROUART*, Congregationis reformatæ alumnus, officium Proviforis agebat Bucilii, quandò illuc divertit Ludovicus XIV. Ex colloquio dignum judicavit Princeps, beneficiorum etiam minimorum memor, qui vacantem Abbatiam adminiftraret: & quidem non petenti, nec cogitanti contulit. Prævertit, imò fuperavit fpem Regis Servatius, laboriofam admovendo manum & à fundamentis univerfam domum excitando, fuâ elegantiâ, totius Terafciæ primariam. Moritur anno 1712. & in Sanctuario tumulatus, hoc epitaphio dignatus eft.

Hic jacet Reverendus admodùm Pater ac Dominus SERVATIUS *FROUART*, ftrictioris Obfervantiæ Ordinis Præmonft. hujus monafterii Abbas, & reædificator, qui piè obdormivit in Domino, regiminis anno XXIV. ætatis LXVIII. reparatæ falutis MDCCXII. Novembris die XXVII.

Optimam habet repositam gratiam.
Requiescat in pace.

XXXVIII.

ANTONIUS *TRUDAINE*, Ordinis Præm. & communis Observantiæ, vir mitis & pacificus. Plesseii in Rodio * mortem oppetiit 13. Maii 1717. Consanguinei exuviis ejus parentarunt, corde ad filios remisso; quod ad Sanctuarii gradus inhumatum, sequenti inscriptione designatur.

* Plessy le Roy.

Hic jacet cor Reverendi admodùm Patris ANTHONII *TRUDEINE*, Abbatis regularis hujus monasterii, qui Plesseii in Rodio obiit die XIII. Maii, anni MDCCXVII.
Requiescat in pace.

XXXIX.

FRANCISCUS *HUMBERT*, ex Vicario generali Congregationis reformatæ, à Rege Ludovico XV. in Abbatem Bucilii sublectus, hodiè iteratò Vicarius generalis regit.

PASTORATUS.

Bucilium, villa mœnibus Abbatiæ penè adhærens, cum filiabus *de la Herye*, & de *Buyre*, Diœcesis Laudunensis.

Harcigny, ejusdem Diœcesis.

Curieux, ejusdem Diœcesis.

Martigny, cum succursali de *Bemont*, ejusdem Diœcesis.

Neuve Maison, cum filiali *Ohy*, ejusdem Diœc.

Luzoir, cum filiali *Effry*, ejusdem Diœc.

Mondre-puys, ejusdem Diœc.

Havy, Diœcesis Remensis.

Tarsy, cum annexa de *Fligny*, ejusdem Diœc.

Signy le petit, cum filiali de *Brugnon*, ejusdem Diœc.

Ultra hos Pastoratus regulares, habet insuper Abbas sub patronatu suo duas Capellas, alteram in *Signiaco*, dictam *Gland*, alteram Castralem in *Martigniaco*, translatam, à Castri destructione, in Ecclesiam Parochialem.

MONUMENTA SEPULCRALIA.

In Sanctuario jacet Illustrissima Princeps Joanna de *Chastillon*, filia Joannis Comitis Blesensis, & Alcidis de Britannia. Ab anno 1263. in matrimonium locata fuerat Petro Alenconii Comiti, sancti Ludovici filio minori natu, de quo prolem non suscepit. In viduitate pia transactos dies, morte sanctâ conclusit, 19. Januarii 1261. Errat P. Anselmus, dum sepultam in Abbatia de Guichia * narrat, contra monumentorum fidem.

Tom. I. p. 321. Hist. Geneal. de France.

* De la Guiche.

Ibidem sepultus est Hugo de *Chastillon* II. nomine, Joannæ consanguineus, & Avesnarum, ex testamento Joannæ, hæres.

RELIQUIÆ SACRÆ.

Os de Brachio sancti Arnulphi Turonensis Archiepiscopi. Asservabat olim crucem auream, & gemmatam, portione Crucis Christi ornatam; sed ab Herberto Fundatore, Canonicis sancti Quirini Viromanduensis tradita fuit, ut Hermondivillam Buciliacensi Parthenio concederent. Hanc crucem, quæ etiam Buciliensis hodiè cognominatur, venerati sumus in cursu litterarii nostri itineris.

MANUSCRIPTA.

Manipulus Florum. Thomæ Hibernici, Socii de Sorbona, liber ad pietatem sectandam, & vitia devitanda conscriptus, exemplorum floribus, textibus Scripturæ, & Patrum concinnatus est locis.

Petri Lombardi Sententiarum Libri. IV.

Hincmari Remensis Archiepiscopi de Fonte anima.

Magni Aurelii Cassiodori Senatoris Liber de anima.

Gilberti Abbatis Westmonasteriensis Disputatio Judæi cujusdam & Christiani ad invicem, de fide Catholica, sacro scripturarum testimonio, conferentium.

Hugonis de sancto Victore Liber de Spiritu, & anima.

Memoriale metricum Veteris, & Novi Testamenti.

Sancti Isidori de rebus Theologicis, anno 1141. in Abbatia Casæ-Dei scriptus.

Liber de amore, & dilectione Dei, & Christi & aliarum rerum, » & de formula vitæ, quam » Alberanus Causidicus Brixiensis, de ore sanctæ » Agathæ compilavit, ac scripsit, cùm esset in » carcere Domini Friderici Imperatoris, in ci- » vitate Cremonæ, in quo positus fuit, cum » esset Capitaneus Gavardi, deffendens locum » ipsum, ad utilitatem communis Brixiæ anno » Domini 1238.

Collectiones locorum communium, ordine Alphabetico digestorum, quas excepit F. Augustinus *le Bel*, Pastor de *Hareigny*, in gratiam Concionatorum. 2. T.

Vide probat. à col. CCCXXXIV. ad col. CCCXXXIX.

BURGILAVIUM.

Burgilavium. Filius Stemfeldiæ. Diœcesis Lundensis. Circaria Daniæ.

ESchyllus ex antistite Sellandiæ, factus, universi Cleri suffragatione, reluctante licet Rege Daniæ Erico, Lundensis Archiepiscopus, inter acerbitates temporum, quas vidit, & quarum pars magna fuit, vir autoritate, & sanguinis regii claritudine præpotens, sic reipublicæ promovit negotia, ut Ecclesiæ honori, & saluti populorum vires intenderit.

Du Pré Annal.Brev. p. 41.

In Cathedralem Lundensem Canonicos Præmonstratenses induxit, qui disciplinæ Ecclesiasticæ vigorem in Clero foverent, & docerent exemplo. Insuper duo monasteria ejusdem Ordinis in sua Diœcesi instituit. Horum prius fuit *Burgilavium* anno 1176 fundatum, medias licet inter adversantium sibi Regum tempestates, quorum Sueno, clathris vimineis Præsulem arctaverat, perpetuum, inquit Berengius *, Regum turbinem, qui jam olim mulctatus, … nondùm deposuerat ferociam … sacri muneris attemeratam dignitatem correxit novâ in Palæstinam profectione, & Clara-vallensi, quod credidit, secessu propitiavit Deum. In illam enim solitudinem abdidit ad ultimum sese, & posito pallio, cumque pallio terrenis curis, successorem in munere suo Absalonem accepit. Ita Berengius infesto animo & stilo furenti Eschyllum impetit, cui D. Bernardus, rerum testis & judex æquissimus, causæ persecutionem, compatiendo scribit, & de molestiis ejus exasperari confitetur.

* In Floro Danico p. 319.

Epist. 314.

De Eschyllo Crantzius *l. 5. & 6. Daniæ*, Saxo Grammaticus *l. 14. hist. Daniæ*, magna & mirabilia eloquuntur; sed qualiscumque fuerit Archiepiscopi, bellicis & popularibus distenti negotiis vita, prorsùs finis, qui in Christiano potissimùm laudandus est, omni laude in Eschyllo dignus erit. Ille enim senio fractus, & tutum salutis aspirans portum, incumbentes sibi honoris & Regni fasces, ipso Rege discessum Pro-regis ægriùs ferente, ad Claram-vallem Monachatum induit, & ibi seniles annos tot virtutibus exornavit, ut in Necrologio Cisterciensi ad diem x. Aprilis, in albo Beatorum conscribatur. Obiit anno 1181.

Præposituræ Burgilaviensis meminit Gervasius Abbas Præmonstrati Epistolâ 108. sed illam nomine paululùm vitiato *Burgalensem* appellat. De Eschyllo sic habet Obituarium Præmonstratense ad 7. Idus Septembris, » Commemoratio R. D. Eschylli quondam Archiepiscopi Lundensis, & Monachi Claræ-vallis, » qui fundavit tres Abbatias nostri Ordinis in » Dania, & dedit quinquaginta marcas argenti » ex devotione, ut B. Laurentii festum duplex » fieret, & tam in Festo ipso, quàm in anniversario suo, generali piscium refectione Conventus reficeretur.

P. 96. T. 1. Sacræ Antiq. Mon.

Secunda Abbatia ab Eschyllo fundata fuit *Tupholm*. Tertiam non novimus de nomine, nisi sit *Euvid*, vel *Vul*, à Layruelio & ab antiquis monasteriorum descriptoribus relata.

BURGUM.

Burgum. Filius Ursperga. Diœcesis Augustana. Circaria Suevia.

HUjus Parthenonis notitiam debemus P. Francisco *Pierre* Canonico regulari in *Wettenhausen*. Ille in sua Suevia Ecclesiastica, de hoc cœnobio, à collectoribus catalogorum monasteriorum Ordinis prætermisso, sic habet.

» Burgense fœmineum Ordinis Præmonstratensis domicilium, Diœcesis Augustanæ in » Marchionatu Burgoviensi, paris instituti Imperiali cœnobio Urspergensi, non tam loco » vicinum, quàm origine, seu institutione coætaneum. Auctrix seu fundatrix hujus fuisse » perhibetur illustrissima Domina Schwinhildis, Conradi Comitis de *Schwabeck* & *Baltzhausen* primarii fundatoris Urspergensis, » germana Soror, circà annum 1125. vitæ » ac morum innocentiâ celebris, quæ & in novo templo suo Burgensi, post fata completa, » tumulum accepit. Ejus tamen pia fundatio, » non nisi usque ad annum 1440. constitit, religioso nimirùm hujusmodi Claustro, cujuscumque demùm culpâ, seu ratione, tunc » temporis in totum abrogato.

Ista Schwinhildis soror erat Giselæ Comitissæ de *Schwabeck*, Virginis præditæ corporis & animæ dotibus eximiis, sed præsertim pietate à sua ætate tenerrima inclaruit, Canonissarum secularium in loco Edelstettensi, Burgoviensis Marchionatûs territorio, haud procul ab Abbatia Urspergensi inædificavit Collegium SS. Joanni & Paulo sacrum. Illic cùm puellis nullius voti vinculo adstrictis, vitam duxit sanctam, solemni castitatis voto ipsa innodata.

BUSCHA.

Buscha. Diœcesis Ansloensis. Circaria Norvegia.

HUjus cœnobii meminit Layruelius, meminerunt & catalogi Urspergensis, & Osterhoviensis. In Diœcesi Ansloënsi, & Norvegiæ Regno consistebat hæc Abbatia; quo Fundatore, quove anno sit edita, ignoramus; imò nec tempus desolationis ejus aliud possumus indicare, quàm tempus exterminii Religionis in Norvegia.

BUSKUM.

Buskum. Filius Hebdovici. Diœcesis Cracoviensis

Circaria Polonia.

PRæpositura Buskensis primitùs in Vitoviensi monasterio, Diœcesis Gnesnensis florebat, donec anno 1240. Tartari Poloniam vastantes, in tractum Syradiensem irrupissent, & in *Vitovium* facto impetu, Sanctimoniales barbarò mortis genere trucidassent omnes, tribus tantùm exceptis, quæ in sylvam præcipiti fugâ se recipientes, saluti consuluerunt,

& reliquias Parthenonis aliquandò redivivi in *Busko* salvaverunt. Tutum quippe azilum eò loci ratæ, commutatione cum inhabitantibus in Busko Canonicis factâ, Vitovium transcripserunt illis, & residuam Parthenonis scintillam ad Buskense deportarunt cœnobium. Sic paulatim revixit virginea cohors, accessione neophytarum, ut in magnam excreverit gentem sub Præpositi, ut moris est, administratione, & Paternitate Hebdovicensi, quam anno 1441. excutere cùm tentasset Præpositus, Eugenii IV. autoritate & sententiâ ad obedientiam & frugem restituit Nicolaus Abbas Hebdoviensis.

Quam Layruëlius *Buxenam*, filiam Viconiæ, & Pagius *Buxenensem* filiam Vitoniæ appellarunt, nos cum Polonis *Buscensem*, & *Busko* nominamus, filiam non Viconiæ, nec Vitoniæ, sed Hebdovici, tot titulis assertam matri suæ, ut ab ea non possit avelli. Frustra Viconiam & Vitoniam in Polonia finxerunt autores ambo, quibus adscriberent Paternitatem *Buski*: nulla est in toto Regno Abbatia, quæ vocetur hoc nomine. Putarem loco Vitovii intrusisse Vitoniam, aut Viconiam, ex corruptis indicibus suam texentes matriculam. Simili errore laboravit Layruëlius, dum *Bressam* pro *Bresna* scripsit *Vitovii* matrem.

B U T S C H.

Butsch. Filius Lucæ. Diœcesis Olomucensis. Circariæ Moraviæ.

IN Vicinia celebris Abbatiæ Lucensis, erectus est non ignobilis Parthenon, à villa *Butsch*, in qua insertus est, suum derivans nomen. Gloriosè substitit sub Præpositurae titulo ad tempora Hussitarum numerosâ prole, & conversatione sanctâ florens Parthenon. Illum messuit hæreticus furor, nec potuit è ruinis suis usque modò resurgere. In parochialem Ecclesiam, monasterialis versa est, cui filialis annectitur *Domanul*, & utraque pendens à patronatu Abbatis Lucensis, administratur à Canonicis *Lucæ*.

B U W A N U M.

Buwanum. Filius Horti B. Mariæ. Diœcesis Leovardiensis. Circariæ Frisiæ.

IN orientali Frisia, Diœcesi Leovardiensi fundatum est *Buwanum*, à nobili quodam *Buvone*, villæ San-Augustinianæ incolæ, atque censibus sat amplis ditatum, unde huc avocatæ è Bethleëmitico Parthenone Moniales ab Elgero Abbate *Horti B. Mariæ*, commodè sustentarentur. Ut id opus aggrederetur Buvo, Fratris Gerrici, qui prior monachis struxerat monasterium, exemplo concitatus est. Nec fraternæ cessit pietati; nil quippe facultatum ad proprios servavit usus, sed totam rei pecuniariæ redituumque summam sub annum 1242. Elgero sponte donavit Abbati, ut Buwanæ construerentur ædes. Porrò iste Parthenon vulgari idiomate dictus est *Sepulchrum sanctæ Mariæ*. De eo sic loquitur Vorperus Thaborita Chronic. Fris. cap. 32. » Eodem tempore fuit in pago S. Augustini vir quidam dives & nobilis » nomine *Buvo*, nec uxorem habens, nec liberos, qui construxerat jam pridem Sacellum B. » Nicolao in suo patrimonio ex conniventia » Episcopi Monasteriensis, in cujus Diœcesi » prædicta Ecclesia erat sita, quam etiam sufficienter ad Sacerdotalem sustentationem dotaverat. Videns posteà Fratrem Gerricum ex » suis bonis, ad honorem omnipotentis Dei, » Claustrum construxisse Monachorum, se se » hoc ampliùs ad similia facienda incitatum suspicabatur. Accito igitur per nuntium Domino Elgero Abbate *Horti-Mariæ*, Ordinis » Præmonstratensium, aperuit ei suæ intentionis secretum, dicens, se relictis seculi vanitatibus, omnia quæ possidebat, eidem penè velle » resignare: quod & ita factum est. Nam Abbas » prædictus curam ipsius monasterii ab Episcopo Monasteriensi, in cujus Diœcesi est constructum, in districtu videlicet *Octopagorum*, » vulgò *Achtkerspelen*, suscipiens, introduxit » in illud Moniales Ordinis Præmonstratensium, ex Bethleem assumptas, cujus prima » Ecclesia consecrata est anno Domini 1245.

Tempus quo esse desiit Buvani Parthenon, ignotum nobis est. Attamen constat 1°. eum anno 1287. floruisse, siquidem teste Sibrando Leone, hoc anno à deputatis Visitatoribus Abbate Floridi-horti, & Præposito Schildvodiæ, Buwani repertæ sunt moniales centum septuaginta. 2°. sub annum 1559. constat adhuc stetisse integrum, siquidem Regnerus *Asperen* post obitum Godefridi Sylvii Abbatis *Horti-Mariæ*, ex Præpositura Buwana in Abbatem & successorem ejus assumptus fuerit.

C A L I S.

Calis. Circariæ Scotiæ.

HOc cœnobium in Indice Layruëlii & MSS. Pergameneo convoluto legi, nec Diœcesim, nec Paternitatem indicantibus, sed solam Circariam, quæ est Scotia.

CALLAT.

CALLAT.

Callat. Filia Candidæ Casæ. Diœcesis ejusdem. Circaria Angliæ Borealis.

PAgius, & Catalogi Urspergensis, & Osterhoviensis hoc monasterium prætererunt. In duobus aliis indicibus annotatur tanquam proles Candidæ-Casæ, intrà ejusdem Diœcesin constituta. His concordat Monasteriologia Layruelii p. 398.

CALVARIA.

Calvaria Circaria Floreffia Diœcesis Remensis. Fl. Congregationis Reformatæ. * Mont-Olympe. * Charleville. * Artche.

CAlvaria Hyeronimianorum domuncula fuit, in vertice monticuli posita, cujus radices præterlabens Mosa alluit, Arcem *Montis Olimpi* * à Ludovico XIV. Gallorum Rege dirutam, prospectans à Meridie, Carolopolim * ab Oriente semi distantem horâ habens, gratam offerens oculis, ex varietate arridentium circumquàque agrorum, pratorumque, planitiem, sinuosi fluminis decursu irriguam. Mantuæ Duces, summi Arcæ * & Carolopolis Dynastæ, cœnobium istud, humile suis ædibus, proventibus tenue, ædificarunt, illicque Italiâ accersitos Hieronimianos imposuere. Angustia victûs, Religiosorum paucitas, Superiorum Ordinis languens vigor, longè ab oculis Præsidentium sequestrata Domus, prona denique ad defectionem hominis indoles, in degeneres paulatim traxerunt mores, sibi quodammodò relictos Monachos; adeò ut disciplinæ acerrimus vindex Mauritius *le Tellier*, Archiepiscopus Remensis, de emendandis, & ad instituti observantiam reducendis Monachis, sæpè & seriò admonuerit, interpellaritque Ordinis Præpositos. At cùm nec ejus instantiis parerent, nec ad meliorem frugem sponte redirent subditi, illicò de præscindenda Domo, ejiciendisque immorigeris, deliberavit. Zelum acuebat populorum frequens querimonia, provocabat Concilii Tridentini imposita Episcopis authoritas, urgebat necessitas amputandi scandali, virum, aliundè Reformationis promotorem, ad opus inchoandum determinavit suscepta Carolopolis visitatio. Ibi enim propiùs malum palpans, & remedii promptioris necessitatem advertens, Hyeronimianos voce publicâ accusatos, juridicâque informatione convictos, procul abire jubet, locum cessuros Præmonstratensibus reformatis, quos intimè fovebat, ob accuratioris disciplinæ professionem, vigentem apud illos.

Advocat Congregationis Vicarium generalem Edmundum *Sauvage*, Abbatem Jovillaris, & P. Hyacinthum *Collart*, Salinæ-vallis Abbatem, cum quibus de inducendis in Calvariæ domum Præmonstratensibus, colloquium habuit. Rem gratam Ecclesiæ, reipublicæ acceptam facturos demonstrat, & ad præstandum assensum, benevolentiæ urget affectibus. Annuerunt votis Archiepiscopi Patres ambo, & ad præceptum ejus Hyeronimitæ accersiti, compositionis articulos cum aptis, ad formam transactionis redegerunt, quos Illustrissimus Præsul suâ approbatione munivit, sub hoc tenore.

Charles Maurice le Tellier par la grace de Dieu Archevêque de Reims, premier Pair de France, Legat né du St Siége Apostolique, sur la Requete à Nous presentee par le Vicaire general de la Congregation de l'etroite observance de l'Ordre de Prémontré, tendante à ce qu'il nous plût agréer & omologuer le Traité qu'il a fait avec les Religieux Hieronimites du Mont-Calvaire de notre Diocese, le 17. du present mois d'Août, par nos ordres, & sous notre bon plaisir, vû ledit Traité, connoissant par nous-même, au moyen de la visite que nous avons faite à Charleville au mois de Juillet dernier, ou nous avons reconnu le fondement & la justice des plaintes qu'on nous a faites depuis plusieurs années, que ce monastere étoit pour tomber dans les derniers désordres par l'abandonnement qu'en ont fait les Superieurs qui sont en Italie, & que quoy qu'ils n'ayent pû ignorer la necessité qu'il y avoit d'y apporter des remedes efficaces, ils avoient negligé au point que depuis deux ans il n'y auroit point eû de Superieur, ce qui auroit mis ce monastere en un état que l'on peut s'imaginer d'une Communauté qui n'auroit point de Chef, & la chose étant d'une notorieté publique, nous n'aurions pû nous exempter d'en prendre connoissance, de quoy nous fimes dresser notre Procez verbal du jour quatorzieme de Juillet. Sur quoy lesdits Religieux dudit monastere reconnoissant que dans l'etat des choses, toute l'inspection & disposition de leur monastere nous étoit devolue par le Concile de Trente, sont recourus à nous, & nous ont supplié de traiter avec les Superieurs de l'etroite observance de l'Ordre de Prémontré, sur le pied des projets faits depuis plusieurs années, aux fins de leur abandonner ledit monastere pour y faire servir Dieu selon l'intention du Fondateur; ce que nous leur avons permis. Ensuite dequoy a été fait ledit Traité du 17. du courant, que nous avons loüé, agreé, & ratifié, loüons, agréons & ratifions par ces presentes, dans la certitude que nous avons, que l'on ne peut attendre que des desordres, qui vont au deshonneur de l'Eglise, & au scandale du prochain, pendant que ce monastere demeurera dans l'etat ou il est: Nous avons ordonné, & ordonnons, sous le bon plaisir de

Monsieur le Duc de Mantoüe, & de l'agréement de son Conseil Souverain à Charleville, que les Peres de l'étroite observance de l'Ordre de Prémontré en prennent pleine & entiere possession, & pour cet effet, de notre autorité ordinaire, & de celle qui nous est donnée par le Concile de Trente, leur avons donné, & transporté, donnons & transportons ledit monastere en toute proprieté, pour en joüir par eux à jamais, comme des choses incorporées dans leur Congregation, & à eux appartenantes, avec tous les fonds, revenus, dependances, meubles & immeubles, de quelque nature & condition qu'ils soient, titres, papiers, enseignemens, avec les exemptions, immunitez & privileges, dont ils sont en possession ez monasteres de leur Congregation, qui sont dans notre Diocese; & par tout ailleurs, leur avons enjoint, & enjoignons d'entretenir dans ledit Monastere du Mont-Calvaire le nombre de Religieux suffisans pour satisfaire aux charges de la Fondation, celebrer l'Office divin, & y entretenir la discipline, & observance reguliere, avec l'édification des peuples, comme aussi de pourvoir à l'entretien, à la nourriture, & à la subsistance des Religieux Hieronimites, qui leur abandonnent leur monastere, conformement à ce qui a été stipulé avec eux, par ledit Traité du 17 du courant, que nous voulons être exécuté selon sa forme & teneur. Donné à Paris sous le sceau de nos Armes; & le Seing de notre Secretaire ordinaire, le 26. Août 1676. *Signé* CHARLES M. ARCH. DE REIMS, & plus bas par Monseigneur, Signé *d'*ARBON avec paraphe, & sur le revers, cejourdhuy 7. Septemb. 1676. de l'Ordonnance, & en execution de l'Arrest de la Cour du jourd'huy, les presentes ont été enregistrées sur le Registre extraordinaire d'Icelle par moi Greffier Secretaire de laditte Cour, soussigné CARBON, avec paraphe.

Tractatum, judiciumque Archiepiscopi Remensis summa Carolo-polis Curia, senatûs-consulto & publicâ authoritate comprobavit die 7 Septembris anni ejusdem in hunc modum.

Vû par la Cour la Requête à elle presentée en assemblée extraordinaire par les Religieux de l'étroite observance de l'Ordre de Premontré, tendante à ce qu'il leur fut permis pour les causes y mentionnées par provision, & sous le bon plaisir de S.A.S. Fondateur de la maison & Couvent du Mont-Calvaire, situé en cette Souveraineté, de se mettre en possession de laditte maison & Couvent; Vû aussi le Traité en datte du 7. Aoust dernier, passé par devant les Notaires au Châtelet de Paris, entre lesdits Religieux de Premontré, & ceux dudit Mont-Calvaire, ensemble la ratification dud. Traité du 23 dudit mois d'Août, Signé CHARLES M. ARCH. DUC DE REIMS, & scelle, fait sous le bon plaisir de S. A. S. pour les causes & motifs y portez, & aux charges y contenuës, specialement d'entretenir dans ledit Mont de Calvaire le nombre de Religieux suffisans pour satisfaire aux Charges de laditte Fondation.

La matiere mise en déliberation, oüis sur ce, & consentans les gens de S. A. S. la Cour a permis, & permet aux Religieux de l'etroite observance de Premontré par forme de provision sous le bon plaisir de S. A. S. & à charge d'en apporter un acte en bonne forme dans six mois, de se mettre en possession de la dite maison & Couvent du Mont-Calvaire, aux Charges dudit Traité, & de laditte ratification, lesquels seront enregistrées, pour y avoir recours, en cas de besoin.

Donné par laditte Cour Souveraine d'Arches & de Charleville le 7. jour du mois de Septembre 1676. & expedié par moi Greffier Secretaire en icelle, sous le Scel de ladite Souveraineté les jour mois, & an susdits. Signé CARBON avec paraphe.

Hâc utrâque approbatione munitus Vicarius Generalis, in realem Calvariæ possessionem inductus est per Robertum *Bertrand*, Presbyterum Carolo-polis, Decanum veteranum, & Congregrationi Reformatæ incorporata est domuncula, ibique institutus Superiorcum nonnullis Canonicis, qui viventibus Hieronimitis, communibus congregationis Norbertinæ impensis, sustentabantur.

Ne verò deinceps cavillantes Hieronimitæ regressum tentarent, judicavit Illustriss. Archiepiscopus, Ducis Mantuani litteris roborandam esse mutationem à se invectam in Montem-Calvariæ. Principem informat, & supplici libello convenit; conveniunt & Superiores Congregationis, & ad Archiepiscopi supplicationem æquissimè inclinans Dux Ferdinandus Carolus, suæ Serenitatis sancito, initos tractatus, substitutionemque Præmonstratensium confirmavit, in hanc formam.

Ferdinand Charles par la grace de Dieu, Duc de Mantoüe & Montferrat, Prince Souverain d'Arches & Charleville, à tous ceux qui ces presentes lettres verront, salut.

Charles Maurice le Tellier Archevêque & Duc de Reims, Nous ayant remontré que dans le cours de ses visites dans son Diocese, il se seroit transporté dans un certain monastere, nommé le Mont-Calvaire, Ordre de St. Jerome, proche des Villes de Charleville, & de Maiziere, dependant de notre Principauté & Souveraineté d'Arches, dans lequel il auroit trouvé plusieurs désordres, & dereglemens inveterés, & auxquels les Archevêques ses Predecesseurs n'auroient jamais pû remedier par la voye ordinaire des Superieurs Majeurs dudit Ordre de St Jerome, à cause de leur éloignement en Italie, & de la petitesse ou revenu du susdit Monastere, ce qui l'auroit obligé d'y ap-

porter lui même le remede necessaire, selon le pouvoir qui lui en est commis par le Concile de Trente, & sous notre plaisir, & pour cette fin il auroit appellé les Religieux de l'étroite observance de Prémontré, établis dans plusieurs autres Maisons de son Diocese, comme le moyen le plus prompt & le plus efficace à y rétablir la discipline réguliere, & y acquitter les Fondations qui y ont été faites par nos Prédecesseurs; au moyen de quoy les Religieux Jeronimites residents au nombre de trois dans ledit monastere, se seroient accommodez avec lesdits Religieux Reformez de l'Ordre de Prémontré par un Traité fait le 17. du mois d'Août, sous notre bon plaisir, requerant à cet effet ledit Sieur Archevêque notre agrément, & consentement pour rendre ledit Traité solide, & l'établissement desdits Religieux de Prémontré dans ledit monastere du Mont-Calvaire stable & permanant.

A ces Causes, ayant égard à la Requête dudit Sieur Archevêque & souhaittant favoriser le choix qu'il a fait desdits Religieux de Premontré dans ledit monastere du Mont-Calvaire, dont la pieté & l'observance nous est connuë, nous avons de notre pleine puissance, & autorité consenti, & consentons, agréé & agréons, par ces presentes signées de notre main, l'introduction & l'établissement des susdits Religieux de l'étroite observance de S. Norbert, Ordre de Prémontré, dans ledit monastere du Mont-Calvaire, dépendant de notre Souveraineté d'Arche, pour y pratiquer les fonctions de leur observance, & y exécuter ponctuellement les Fondations de nos Prédecesseurs. Si donnons mandement à nos amez & féaux les gens tenans notre Cour Souveraine à Charleville, qu'ils ayent à régistrer, & homologuer les presentes, avec l'Ordonnance dudit Sr Archevêque, & Duc de Reims, & le Traité fait avec les susdits Religieux Jeronimites, & tous autres à ce requis, pour en faire joüir librement & paisiblement, & perpétuellement les susdits Religieux Prémontrez; nonobstants oppositions & appellations quelconques; Car tel est notre bon plaisir. Donné à Mantoüe le 28. Avril 1677. Signé *FERDINAND CHARLES*, avec paraphes *REGLIEU*, avec paraphe; *CHIPPIUS*, avec paraphe, & plus bas *Nicolaus Gaillardus Cancell. Cub[li]. M[ri]. S[mo]. Domino, relatione D. Comitis Annibalis Chieppii ejus Celsitudinis à Secretis status, scripsit.* Et plus bas, est apposé le sceau des armes de S. A. S. & sur le revers: les presentes ont été régistrees sur les régistres ordinaires de la Cour pour être éxécutées, suivant son Arrest du 8. Juillet 1677. Signé *CARBON*, avec paraphe.

Exhinc in pacifica possessione manserunt Præmonstratenses, licèt irrito conamine reditum sibi facere moliti fuerint impotentes Hyeronimiani, in domum, tenuitate suâ, omni invidiâ minorem.

CALVIMONTUM.

Calvimontum. Filia Præmonstrati. Diœcesis Remensis. Circaria Floreffia.
* Rhetel
* Chateau porcien.

IN Pago Remensi, tribus à *Regiteste* * milliaribus, duabus à *Portuensi - Castro* horis, Mons à calvitie sua, *Calvus* nuncupatus, sed dumetis & nemoribus consitus undique, secretum præbuit, quinto exeunte seculo, habitaculum BB. Berthaldo & Amando, ex Scotorum regio, ut creditur, sanguine satis; quibus se comites adjunxerunt viri Proceres, & Virgines inclytæ, ut sub Berthaldi magisterio, cum omni pietate & humilitate, discretis dissitisque cellulis, Domino deservirent. Oliveriam & Liberatam de genere Dominorum de *Altavilla* juxtà traditionem antiquam, progenitas, & sanctitate celebres, è schola prodiisse, creditur Berthaldi.

Exempto humanis Berthaldo, ad eremum & sepulchrum illius, confugerunt multi, ut hæreditatem caperent salutis; solitariam alii vitam eligentes, alii ducentes canonicam. Primitivæ hujus institutionis nulla suppetit Charta, nec ante annum 1087. adunatos illic substitisse Canonicos cum Eremitis, ex authenticis colligitur. Diploma Rogeri Comitis Portuensis datum anno 28. Regni Philippi I. & collativum villæ *Remandi-curtis*, * Ecclesiæ sancti Confessoris Berthaldi de *Calvo-monte*, innuit jam tùm in Collegiale Capitulum evasisse Ecclesiam Calvimontis; idque clariùs explicat Charta Sampsonis Remensis Archiepiscopi de anno 1142. confirmativa donationis allodii factæ *Radulpho & Garnerio Eremi cultoribus*, per Henricum Comitem de *Castello*, & Clarembaldum de *Roseto*, * sub consensu Canonicorum de *Calvo-monte*, decimam ejusdem loci prædictis Eremitis concedentium.

* Remaucourt.

* Rosoy.

Præpostera, fateor, hæc sunt monumenta, ad fidem astruendam temporum ævi remotioris. Ergò ut certa ab incertis separemus, & traditioni populari, suam qualemcumque relinquentes autoritatem, vestigio tuto incedamus, dicendum censeo sub undecimi seculi finem, dotatam Calvi-montis Ecclesiam, adolevisse in cœtum Canonicorum, qui anno 1146. Florentis tùm in Gallia, Ordinis Præmonstratensis religionem amplexari volentes, è Præmonstrato Rectorem advocant Joannem, B. Hugonis Abbatis alumnum, cui se suaque solemni voto nuncuparunt, approbante Sampsone Remensi Archiepiscopo, confirmante Eugenio III. anno 1147. assentiente Henrico Comite *Grandis-prati*, & uxore ejus Elizabeth, Dominâ Calvi-montis. Eam porro in se, & in suis discipulis vivendi formam, moribus, pietate, animarum zelo effinxit Abbas Joannes, ut non

oculos modò Magnatum, sed & liberalitatem & amorem allexerit. Quo præcisè anno finem fecerit vivendi pius Abbas, tabulis non fuit consignatum. Illi successit

II.

CÆSARIUS, cui anno 1158. collata sunt à Monachis sancti Nicasii Remensis, sub annuo censu, altare & Ecclesia de *Remaucourt*, cum pratis, pascuis, terris cultis & incultis. In Chartophilacio S. Nicasii, Cæsarius nominatur *Vir spectata virtutis & doctrina.*

III.

JULIANUS interfuit Capitulo generali anno 1172.

IV.

JOANNES, arbiter inter Bartholomæum Abbatem S. Martini Laudunensis, & Albericum filium Nicolai Vice-comitis de *Sorbrun*, super decima altaris *Arincourt*, constitutus est anno 1176.

V.

ALELMUS à Willelmo Remensi Archiepiscopo & Cardinali sub titulo S. Sabinæ, bonorum Calvi-montis impetravit confirmationem anno 1182. Rogerus *Roseti* & Calvi-montis Dominus, Patris sui Reginaldi & antecessorum suorum Ecclesiæ Calvi-montis Fundatorum exempla secutus, Alelmo ac Conventui ejus devotus quàm maximè, paternas donationes roboravit & ampliavit suo Diplomate anni 1195.

VI.

ALBRICUS.

VII.

ALELMUS II. apud Honorium III. anno 1216. amarè conquestus de illatis monasterio suo injuriis, & de importunitate inferentium, ob torpentis justitiæ in Prælatis exercitium, Pontifex gementis auscultans Abbatis voces, duriùs Metropolitam & Suffraganeos ad vindictam oppressorum armavit, strictoque anathemate, in dilapidatores jussit esse procedendum. Anno 1219. Rogerus Dynasta *Roseti* & Calvimontis, contulit Alelmo & Fratribus ejus fundatum à se Prioratum *Gerigniaci.* * Obiit Alelmus anno 1219.

* Gerigny.

VIII.

HENRICUS, innovari curavit à Gregorio IX. privilegia, & confirmari possessiones suæ Abbatiæ anno 1227. Obiit 1231.

IX.

ODO, ab eodem Pontifice Gregorio, specialem Bullam pro beneficiis monasterio suo unitis, obtinuit, anno 1236. sigillatimque recensentur *Calvus Mons, Rubigny, Valles, Baudimontum, Romania, Mainbressy, Mainbressy parvum, Hardoye, Roqu gny, Meliandi mons, Gruerene, Domm liacum Brenna, Adon, Romedi-curtis, sanctus Ferreolus*, à bonæ memoriæ H nrico & Willelmo, Archiepiscopis Remensibus, tradita. Ad annum 1245. Odonis gesta perducuntur, nec ulteriùs vitam produxit. 1246.

X.

PETRUS DE BANCIGNY, cujus memoria in Obituario sic legitur. *Commem. Petri de Bantigny, cui & Conventus data est domus in oppido Remensi sita, cum multis terris arabilibus, pro quibus omnibus tenetur Conventus singulis septimanis IV. Missas facere. Obiit 26. Novemb. 1256.*

XI.

JOANNES DE LOGNY, impetravit anno 1266. à Thoma, Rege Navarræ, Campaniæ ac Briæ Comite, bonorum in feodis præfati Comitis consistentium, amortizationem. Obiit anno 1273.

XII.

ALARDUS tractatum concordiæ iniit cum Capitulo *Roseti*, super quibusdam censibus, anno 1277. Pactum sanxivit Ægidius, Præmonstrati Abbas, jure paternitatis, anno 1280. Alardus moritur anno 1285.

XIII.

SIMON DE AMARIS, collatas sibi à Gilberto de *Bello-rivo* possessiones, quas Gilbertus ipse à Thoma de *Asperomonte*, Domino Calvimontis, in feodum tenebat, amortizavit beneficio Philippi *Pulchri*, Francorum Regis, anno 1295. Joannes d'*Herbigny* suam quoque hæreditatem anno 1306. transtulit ex intuitu Dei, in Simonem & Conventum ejus. Anno 1328. à Branensibus postulatus Abbas, cessit, Calvo-monto.

XIV.

PETRUS DE BEAUCIGNY, donationes Ecclesiæ suæ factas, in manibus Officialis Laudunensis, à Joanne de Calvo-monte Presbytero, acceptavit anno 1333. Obiit anno 1347.

XV.

JOANNES obedientiam vovit Remensi Ecclesiæ anno 1348. Obiit an. 1365.

XVI.

RADULPHUS DE CHASTILLON, personam, monasterium, servos & possessiones sub Caroli V. protectione constituit, & in se Rex suscepit, anno 1368. Obiit an. 1383.

XVII.

JOANNES III. obiit anno 1409.

XVIII.

PETRUS DE *ROQUIGNY*, Xenodochium pro peregrinis ad sanctum Berthaldum confluentibus, exstruxit. A Joanna de *Chastillon* Calvimontis Domina, Roberti de *Bethune*, Vicecomitis Meldarum, conjuge priore, argenteam lampadem accepit, & centum libras ad suppeditandum oleum, ut jugiter coram pheretro S. Berthaldi luceret, illudque donum propriis testatum litteris reliquit anno 1429. Obiit an. 1444.

XIX.

JOANNES *LOCHART*. 1469.

XX.

GOBERTUS DE *ROQUIGNY*.

XXI.

JOANNES *HARDY*. 1497.

XXII.

PETRUS LE *FROUART*. 1517.

XXIII.

GOBERTUS *COUSIN*, pretiosis jocalibus Ecclesiam exornavit, multa acquisivit bona monasterio. Regularium Abbatum ultimus, & Fratrum verus amator, obiit 6. Julii Parisiis anno 1550. & in medio Chori PP. Augustinianorum, sepultus jacet.

XXIV.

STEPHANUS *LALLEMAND*, in commendam primus obtinuit, obtentam resignavit, ut nuptiali se jugo submitteret.

XXV.

MATTHÆUS *CHAION*, Clericus Carnotensis, resignatarius Stephani *Lallemand*, à Canonicis Calvomontensibus, non nisi post latam in eos sententiam excommunicationis, admissus est anno 1557. Obiit anno 1560.

XXVI.

CLAUDIUS LE *ROY*, ejus tempore furens in Gallia hæresis, armavit Sedanenses in loca sacra, ipsoque sanctissimæ Trinitatis Festo, monasterium Calvo-montense impetentes, Religiosos crudeliter divexarunt, carceribus mancipaverunt vinctos, vasa sacra, aras, calices aureos & argenteos confregerunt. Reliquias calcarunt pedibus, & præda onusti, quam putant utiliorem, reliquam alio tempore asportaturi, discedunt. Illicò Abbas pius collectas sanctorum Reliquias, & pheretro acclusas, imponit currui, Remosque transmittit, noctis silentio. Currûs ductorem constituit quemdam nomine *Noë*, virum magni animi, moribus probis sibi notum, hæreticum licet; iter arripit *Noë*, vixque milliare secundum confecerat, cùm cælum densis obvolvitur tenebris, & manibus palpando iter quæritat ductor anxius, ne in hostium insidias, quorum è propinquo audiebat clamores, incidat incautus. Canonici duo, vecturæ comites, divinum implorant auxilium, & ecce tibi plusquàm sexcentæ faces, veluti stellulæ currum undequàque circumstant, tantùm emittentes luminis, ut de quærenda via non fuerint ampliùs solliciti. Quo quidem miraculo ad auroram usque continuato, tactus *Noë*, hæresim ejuravit. Post reparatum cœnobium, à Sedanensibus majori parte succensum, obiit Claudius *le Roy*, anno 1614.

XXVII.

STEPHANUS *GALINET* à Domino d'*Aubilly* Calvi-montis Toparcha, frequenter se suosque Religiosos dolens iniquis turbari vexationibus, de transferenda ad pacatiorem locum Abbatia, medio inter Calvi-montum & Castrum-portuense itinere, ubi delectarentur in multitudine pacis, cogitavit. Consensere Ordinis Superiores; nec mora, Abbas Stephanus, impellente d'*Aubilly*, in *Piscinis*, sic enim locus appellabatur, à fundamentis monasterium extruit, & ad illud migrarunt Religiosi die 23. Junii, quæ est dies Octava Festi S. Berthaldi, anno 1623. secumque processionaliter, & maximâ, quâ potuerunt, reverentiâ, sacras in monasterium recens transtulerunt Reliquias, clanculùm tamen, & sine ullo apparatu, ne cives tutelaribus patronis orbati, tumultuarentur. In Ecclesiam ab episcopo Tarcensi suffraganeo Henrici à Lotharingia Archiepiscopi Remensis, consecratam, sacra invexerunt lipsana. In ipso autem Præmonstratensium exitu ex Calvi-montis oppido, vaticinans quidam hæreticus, versus hos camino cameræ Abbatialis inscripsit.

Jadis le saint Pere Berthaud
Chassoit les Diables d'icy haut,
Mais bien plus fort fut d'Aubilly
Qui chassa saint Berthaud d'icy.
Il faut bien garder le retour,
Que saint Berthaud ne vienne un jour
Chasser d'Aubilly à son tour.

Obiit verò Stephanus *Galinet* die 14. Septembris 1638. & tumulatus jacet ante gradus Presbyterii cum hoc Epitaphio. » Hic jacet D. » Stephanus de *GALINET* Abbas Commendatarius, qui nostrum à Calvo-monte oppido » translatum huc monasterium, immunitatis Ec- » clesiasticæ conservandæ gratia, à solo ædifica- » vit. Obiit 14. Septembris 1638.

XXVIII.

EUSTACHIUS *PICOT*, Canonicus sanctæ Capellæ Parisiensis, dilapsam è suo monasterio disciplinam, assistente sibi P. Joanne *Lietau*

Priore, pro viribus restituit, sed tanto operi consummando imparem se sentiens, Reformationi & Congregationi antiqui rigoris, eodem suffragante Priore, suum subdidit monasterium. Pio proposito meliùs & saniùs consulti, annuerunt Religiosi, sicque 24. Septembris anni 1641. P. Petrus *Thienville* Abbas sanctæ Mariæ Majoris Mussipontanæ, & Congregationis reformatæ Vicarius generalis, accersitos dictæ Congregationis Religiosos illuc introduxit, & in possessionem realem jurium & bonorum mensæ Conventualis immisit solemniter, constituitque Priorem P. Bonaventuram *Messin*. G- tulans sibi de tam felici innovatione, obiit Eustachius *Picot* anno 1648.

XXVIII.

CIRICIUS DE *VILLERS LA FAYE*, Episcopus Petragoricensis, cui successit

XXIX.

ÆGIDIUS DE *FONTAINE*, & isti

XXX.

ANTONIUS DE *DENONVILLE*.

PASTORATUS.

Calvomontum, cum succursali *Adon* primitùs Ecclesiâ Matrice.

Rubigny, cùm filiali de Vallibus, *Vaux*.

Saint Ferjeux, Sanctus Ferreolus.

Remaucourt, Remaudi-curtis.

Roquigny.

Gevron, cum filiabus, Domnis *Dommiliacum*, & *Boigny*, *Baudimentum*.

Hardoye, cum succursali d'*Ognie*.

Membressy, & *Membresson* filialis.

Montmeliand, Meliani-mons.

Sanctus Joannes in Bosco, cum filiali sancti Gorgonii, vulgò *Freti*.

La Romagne, Romania, omnes in Diœcesi Remensi, sed non omnes ex Willelmo & Henrico Archiepiscopis processerunt, cùm *Calvi-montum*, ex liberalitate Rainaldi & Rogeri Toparcharum, & *Adon* ex concessione Henrici de *Grand-pré* provenerint.

Oignie.

Mesnil, in Diœcesi Leodiensi.

SACRÆ RELIQUIÆ.

Pars magna corporis sancti Berthaldi, & præcipuè caput ejus thecâ argenteâ deauratâ inclusum.

Ossa plurima sancti Amandi.

Item sanctarum Oliveriæ & Liberatæ.

SEPULCRA MAGNATUM

Rogeri Comitis Castroportuensis, & Elidis matris ejus, quorum ossa è ruderibus Calvomontensis Ecclesiæ eruta, ad novam Ecclesiam in *Piscina*, honorificè deportata fuerunt.

Item Rogeri de *Roseto* Domini Calvimontis, qui in Charta ab eo data anno 1195. suam in eadem Ecclesia sepulturam elegerat, » Notum facio, inquit, quod Ego in Castellanea Calvimontis, videlicet Ecclesia, quam » præ cæteris Ecclesiis sub dominio meo Deo » servientibus diligo, de qua Ecclesia Frater » sum, & esse volo, tam in vita, quàm in morte, propriam meam cum solemni voto, post » decessum meum, elegi sepulturam &c.

Item Guidonis de *Pargny*, unà cum uxore ibidem tumulati, anno 1184.

Item Radulphi Domini de *Euchry*, & Idæ uxoris ejus sepultæ ibidem, anno 1197.

Vide probat. à col. cccxl. ad col. cccxlviij.

CAMERA-FONTIS.

Cameræ-fontis. Filia Vallis secreta. Diœcesis Meldensis. * Chambre-fontaine.

IN declivi montis, & ad concham fontis Camerati, binis à Meldensi civitate horis, ædificata est Abbatia Ordinis nostri, suam ab ipso cui incumbebat Camerato fonte * etymon derivans. De anno fundationis ambigit Mauritius *du Pré*, qui post ventilatas hinc inde, variè opinandi causas, in eam inclinat sententiam, quæ sub annum 1201. originem monasterii assignat. In aliam nos rapuit documentorum inspectio partem, præsertim Diploma Mariæ Comitissæ Trecensis, datum anno 1190. in quo Princeps Serenissima, suâ approbatione & sigillo roboravit acquisitionem triginta jugerum terræ arabilis, factam à Canonicis Cameræ-fontis, de Hugone Toparcha de *Monthion* *. Suos igitur, jam tum videbat Abbatia natales, quæ comparandis prædiis advigilabat. Sed quo authore edita fuerit, ipsa Fundatoris subducta donationis Charta, rem in dubio reliquit. Dubium utcumque abigit serius Diploma Petri de *Cuisiaco* * episcopi Meldensis, anni 1246. per quod collatum à fratribus suis Alermo Cantore Meldensi, & Petro in episcopatu successore, & Guidone Domino Cuisiaci, *omne jus justitiæ in toto ambitu in omnibus terris, pratis, vineis & nemoribus in eo contentis*, primam dotem, primumque Cameræ-fontis fundum constituentibus, laudat & confirmat: hinc enim promptum est concludere, montem *Bruyeriæ*, in quo monasterii prima fuit sedes, pertinuisse ad eorum proavos, penes quos *jus justitiæ* in eodem ambitu residebat: at ne quis in conclusione scrupulum patiatur, subdimus Alermi præceptum, anni 1257. ab episcopatu Meldensi adepto conscriptum, ubi sic effatur. *Notum facimus, quòd cùm olim nos & frater noster Guido de* Cuisy, *cognoscentes, Ecclesiam Cameræ-fontis, à parentibus & prædecessoribus nostris ex parte fundatam, &c.* Non dicit ex toto fundatam

* Villa distans à monasterio leuca hora.

* Cuisy villa secus Abbatiam.

quia ab anno 1244. Canonici ad radicem montis in loco planiore, fundamenta posuerant novi ædificii, quod ad culmen perductum anno 1257. honores & titulum Fundatoris dividebat inter Cuisiacos Toparchas & Alphonsum Lusitaniæ Principem, postea Regem ordine tertium; qui situm locando monasterio aptiorem, proprietatis jure ex dote Mathildis Comitissæ Domni Martini & Bononiæ, suæ conjugis, possessium tradiderat anno 1245. Abbati & Canonicis Cameræ-fontis. Id territorii exemit à civili commercio Philippus *Pulcher*, Rex Galliæ, majestalibus litteris anni 1293. » Amortizamus, inquit, de septem arpentis terræ ubi nova Abbatia situatur, & viginti arpentis terræ cum tribus quarteriis in loco dicto *dez Aulnois*, cum omni jure & justitia in eisdem, & in cunctis possessionibus dictorum Religiosorum, cum quitatione gueriæ, sitis in Comitatu Dompni-Martini de eleemosyna Domini Alfonsi Comitis Dompni-Martini & Bolloniæ.

Assertam ecce legis Alphonso Fundatoris novi dignitatem, ex collatione fundi in quem Abbatia translata est, sed non ita ut primis monasterii authoribus idem honos detrahatur, quem sibi ex dono pinguiori & anteriori munificentia pepererant. Nihilominùs ex nupera dote, gloriosior evadens Camera-fontis, regalis monasterii nomen assumpsit, suoque primigenio stemmati, fornicatum exhibenti fontem, quinque insperserit Lilia. Ast unde hæc scuto Lilia assuerit, ut regii cœnobii decus venditaret, non satis video; neque enim ex parte benefactoris Principis, neque ex liberali ejus sponsæ, gentilitiis armis procedere potuit superimposita nobilitatis tessera hæc, nisi alludere voluerit Heraldicus author stemmati Philippi de Francia, quem Mathildis primò sibi sponsum adjunxerat. Ex Valle-secreta suos Camera-fontis incolas mutuata est, quos Obertus Abbas sub præfectura Milonis trajecit.

I.

Miloni suffectus est anno 1207.

II.

Galterus de *Malo respectu*, gallicè *Mauregard*, villâ distante à Camera-fontis leucis quatuor, unde oriundus erat, vir genere & pietate inclytus, cujus contubernio, potentes ad virtutem accensi, multa nascenti Ecclesiæ beneficia erogarunt. Hos inter emicuerunt Domini de *Monte-jovis*,* de *Pleneto Pompona*, de *Plessæto* Episcopi, & de *Mongiaco**; ab his posterioribus, insigne prædium *Goillia** à monasterio sesqui-horâ dissitum, accepit Galterus, temporalia pro spiritualibus metens, alienæ messis nunquam cupidus Abbas. Anno 1232. plenam mercedem consecuturus, ad remuneratorem Christum abiit.

*Mont-jon. *Mongé. * Goelle.

III.

Milo de *Cuisiaco*, frater Petri episcopi Meldensis, quem Christo & Religioni genuerat Galterus, in patris sortem dignus introivit filius, generosæ stirpis *Cuisiacorum* surculus illustris, pœnitentiæ & Apostolici zeli exemplar, quod paucis annis lucere permisit Deus; 18. Februarii 1236. extinctum beavit vitæ sanctæ finis sanctior.

IV.

Arnulphus primo suæ administrationis anno parochialem Ecclesiam de *Petra-Elevata*, vulgo *Pierre-levée*, obtinuit à Joanne & Hugone de *Quinciaco*, sub approbatione Petri, Meldarum episcopi. Fatis fungitur anno 1239.

V.

Richardus, de quo ad diem v. Martii Necrologium hæc habet. » Commemoratio R. D. ac Fratris Richardi Abbatis, qui per annos quadraginta nostræ Ecclesiæ præfuit. Hujus enim tempore Magnates Cameræ-fontem donis auxerunt suis, & sedes antiquæ Abbatiæ ad radices montis, procurantibus Alphonso Portugaliæ Principe, & Mathilde, Comitissa de Dompno-Martino, ejus consorte, fuit translata. Sponte venerabilis Abbas anno 1279. oneri & honori valedicens, residuum vitæ spatium in humilitate consummavit, anno 1280. v. Martii.

VI.

Laurentius ad prædecessoris exemplum, Religionem fovit, promovitque pietatem, Fraternitatis sacrum fœdus pepigit cum Canonicis *Hermeriarum*, pro mutuo tum in vita, tùm post mortem subsidio charitatis suppeditando. Pactum iciit in mense Januario anni 1284. die verò ix. Februarii 1290. diem vidit supremum.

VII.

Joannes I. doctrinâ spectabilis, Durando suâ ætate Doctori celeberrimo, familiariter conjunctus, litteras excoluit. Parochialem Ecclesiam de *Cuisiaco* valdè attenuatam, ad preces Durandi episcopi & amici, regendam suscepit, & suo univit cœnobio, triginta septem annis regimen confecit, & absolvit laudabiliter 1327.

VIII.

Joannes de *Yverniaco* (Yverny) die 17. Julii anni 1335. raptus est.

IX.

Simon de *Yverniaco* xix. Augusti 1347.

X.

Joannes de *Campanio* (Compens) 2. Oc-

tobris 1355.

XI.

SIMON II. 23. Septembris 1378.

XII.

OUDARDUS, 1. Octobris 1400.

XIII.

JOANNES *COURROIE* 28. Novembris 1423.

XIV.

JOANNES *CHEVANCE* 15. Octobris 1438.

XV.

PETRUS *AUBERT* 18. Octobris 1464.

XVI.

RENATUS DE *FONTENAY* Canonicus Præmonstrati, ex Coadjutore Cameræ-fontis, Abbas factus, Abbas esse desiit 16. Augusti 1485.

XVII.

GUILLELMUS *ALIX* 17. Januarii 1506.

XVIII.

* Vide Abbatiam sancti Pauli Virdunensis

AMATUS DE *FONTE* *, Sorbonæ Doctor post gestam Cameræ-fontis Prælaturam laudabiliter, ad Cuissiacensem sublevatur anno 1528. ex qua ad Laudunensem S. Martini sustollitur anno 1530.

XIX.

ÆGIDIUS LE *TAVERNIER* regularium Abbatum ultimus, pietatis & œconomiæ domesticæ monumenta relinquens, diem fecit extremum 25. Septembris 1536.

XX.

ADRIANUS *LAMET* commendatariorum primus, idemque Ambianensis Ecclesiæ Decanus 26. Novembris 1562.

XXI.

GASPARUS DE *VERNAY DE LA GARDE* 1565.

XXII.

ASCANIUS *DU MAS*. 1598.

XXIII.

INNOCENTIUS *MOYREAU* Abbatiam dimisit anno 1609.

XXIV.

FRANCISCUS DE *VILLIERS* ad annum 1620. possedit Abbatiam.

XXV.

PETRUS *BOUGUIER* summi Parisiensis Senatûs Judex, collabentes Cameræ-fontis ædes, prostratam Ecclesiam ex prædecessorum incuria, propriis excitavit sumptibus. majus templum & majori decore struere meditantem, invida pietati mors sustulit anno 1652. & ad fatalem resurgentis paulatim ex ruina, Abbatiæ sortem, suffectus est illi

XXVI.

FRANCISCUS *MOLE'* libellorum supplicum Magister, Sanctæ Crucis & Sancti Pauli Virdunensis trigamus Abbas, qui tot monasteriis ad annum 1712. ruinosè præfuit, nulli profuit.

XXVII.

IGNATIUS DE *BRANCAS*, Lexoviensis Episcopus, successor designatus à Rege 15. Augusti, Abbatialis ædis solo æquatæ possessionem adiit, luxit desolatam per circuitum & intùs Ecclesiam, reparationem spopondit, quam clamorosi lapides Sanctuarii expostulant; sed necdum lentas accinxit operi manus sponsor largus, quem Canonici vellent experiri efficacem.

PASTORATUS.

Congiacum, vulgò *Congi*, ex donatione Anselli episcopi Meldensis anno 1199.

Petra-Elevata, *Pierre-levée* non longè ab Abbatia *Jotri* *, ex concessione Joannis & Hugonis de *Quincy* Militum, facta anno 1237. ab origine sacellum erat, in quo Divinis operari tenebantur ex mente donatorum, duo Canonici Cameræ-fontis, anno eodem Petrus Meldensis episcopus, de consensu patronorum in Ecclesiam parochialem immutavit. * Joire.

Cuisiacum à Durando Meldarum episcopo traditur anno 1327.

Alta-Domus, *Haute-maison*, propè Jotrum, ex concessione eorumdem Hugonis & Joannis de *Quinciaco* anni 1237.

Præter hos Pastoratus, habet Prioratum simplicem antiquitùs dictum *Domus de Fontanis Doon*, vernaculè *Rougel*, nunc verò *Rouget* non procul à *Firmitate subtùs Jotrum*.* Hugo, Gervasius, Nivardus & Guaco Fratres Milites de *Chamigny*, illum anno 1209. fundaverunt, ut pro remedio patris eorum, piaculares illic hostias litarent tres Canonici Cameræ-fontis. Gaufridus episcopus Meldensis piæ Fratrum institutioni aggratulans, suum apposuit apographum. * La Ferté sous Joire.

Alermus episcopus Meldensis secularibus Presbyteris ab administratione hospitalis Domûs, sive Xenodochii Dompni-Martini amotis anno 1263. illius regimini duos præposuit Cameræ-fontis Canonicos, quorum alter magisterium exercebat in temporali. Ast ubi Ludovicus XIV. Rex Galliæ Leprosarias Nosocomiis publicis incorporavit, omnis magisterii authoritas imminuta est, & ad stipendiarii Sacerdotis angustatur officium.

SACRÆ

SACRÆ RELIQUIÆ.

Os de Brachio ſancti Quirini martyris, ad quod, venerationis & ſolatii ergò, frequentes advolant peregrini.

Os de corpore ſanctæ Margaretæ cum cingulo ejus. Quis unicum denuò eſſe credat, juranti & cingenti monacho Pariſino ?

SEPULCHRA PROCERUM.

Cy giſt Damoiſelle Jeanne de Cuiſy, jadis femme Anſel de Cuiſy & Jean Ruffin de Freſnoy, qui trépaſſa l'an de grace MCCCXIV. le Samedy après la Fête S. Luc Evangeliſte. Priez pour s'ame.

Cy giſt Meſſire Guy de Pompone, Chevalier jadis Sires de Ver, qui trépaſſa l'an de grace MCCCV. le jour de Fête S. Laurent. Priez pour s'ame que Dieu bon mercy ly faſſe.

Cy giſt Guy, Seigneur de Cuiſy, qui trépaſſa l'an de grace MCCLXXXI. le 3ᵉ jour d'Avril, priez pour l'ame de ly.

Cy giſt Madame Agnés de Cuiſy, femme de Meſſire Jean de Ligny Chevalier, qui trépaſſa l'an de grace MCCCXLV le 13. jour d'Avril. Priez pour l'ame de ly.

Icy giſt Iſabeau de Soiſy, jadis femme de Monſieur Jean de Pompone, icy giſt auſſi Meſſire Jean de Pompone Chevalier Sire de Ver, qui trépaſſa l'an MCCC. & VII. le 4. jour d'Avril le Jeudy devant Pâques floris. Priez pour l'ame de ly.

In Clauſtro jacent corpora Magnatum ſequentium.

Icy giſt Lancelot de S. Marc Sires de Vigueil, fils du dit Chevalier qui trépaſſa l'an de grace MCCCXXXI. le darrien Dimanche de Juignes.

Cy giſt Madame Marguerite femme Monſieur Lancelot de S. Marc, & depuis femme Monſieur Jean Dormont Chevalier, qui trépaſſa le Lundy XXVI. jour de Juings l'an MCCCLVII. Priez pour l'ame de ly.

Cy giſt Monſeigneur Lancelot de S. Marc Chevalier Sires de Vigueil, qui trépaſſa l'an MCCC & XXX. le Mardy devant S. Clement.

In Capitulo.

Cy giſt Vautier de Bus, Seigneur de Moncy le Viez qui fonda cet Autel & qui trépaſſa l'an de grace M..... Priez pour l'ame de ly que Dieu en ait mercy.

In Capella Sanctæ Margaretæ.

Cy giſt Meſſire Pierre de Cornillon, Chevalier de Ver, Sires de Quincy. Priez pour l'ame de ly.

Vide probat. à col. CCCXLVIIJ. ad col. CCCXLIX.

CAMPUS REGIS.

Campus Regis. Filius Inſulæ B. Mariæ. Diœceſis Ultraject. Circar. Friſiæ. Chronicon. magnum Belg. p. 241 Hiſt. Epiſc. Traject. p. 417 Bataviæ ſacræ part. 2. pag. 230.

SUb Pynackerenſi Parochiâ, ad muros Delphenſes, quâ Rotterodamum itur, nobilem Virorum ac Virginum Præpoſituram, patrio idiomate *Coninksvelt* dictam, fundavit Inclyta Princeps Richardis Domicella Hollandiæ & Delphii, amita (a) Willelmi Comitis Hollandiæ, & Romanorum Regis : accitoſque ex S. Michaële Antuerpienſi Canonicos & Sanctimoniales, duplex erexit cœnobium; & utriuſque dotem auxit Florentius Hollandiæ Tutor, conceſſis ei ad ſubſidium jure patronatûs Eccleſiæ de *Pynacker*, & omnibus proventibus ejus anno 1257. Quam donationem habuit ratam ſuo Diplomate Henricus Trajectenſis Epiſcopus anno 1259. approbavere Alcydis ſoror Willelmi Regis Romanorum, & Yegthidis Hollandiæ Comitiſſa, Regis ejuſdem mater.

Henricus Taborita l. 8.

Archiva Steinfeld.

Innocentius IV. ex intuitu pietatis Fratrum & Monialium Campi-regis & ob reverentiam Fundatricis, Regium-Campum Apoſtolicâ protectione tuitus eſt anno 1252. & à ſolutione decimarum & novalium exemit anno 1253. hinc malè aſſignatam fundationis epocham ad an. 1255. inferas, cùm Innocentii IV. pontificatus ultra an. 1254. non ſe extenderit. Hinc falsò ad remedium animæ nepotis ſui Willelmi Regis Romanorum, dixerunt ſcriptores ſtructum à Richarde Parthenonem, cùm anno tantùm 1256. ruſtici Friſones in paluſtri ſolo hærentem Willelmum occiderint; niſi malis dicere, etiam pro vivente piaculares hoſtias, obtuliſſe. Chronicon Inſulæ B. M. refert ſub Rodolpho Abbate hujus cœnobii, incœpiſſe Eccleſiam Campi-Regii in Nativitate Domini 1252. Diploma Innocentii III. datum an. 1252. v. Idus Octobris errorem emendat Chronici.

Idem Pontifex Innocentius IV. ad querulas Coninkſveldenſium delationes, præcepit Archiepiſcopo Colonienſi, & ejus Suffraganeis, ut pro virili, oppreſſas à malefactoribus Sanctimoniales deffenderent, & à ſolutione decimarum liberas, Apoſtolicis privilegiis non paterentur fraudari.

(a) Scribit *Beka*, fol. 88 & *Chronicon magnum Belgii* 241. Richardim hanc fuiſſe Sororem Willelmi Regis; at perperam; Etenim eam vocat *amitam* ſuam Willelmus ipſe in Chartis annorum 1248. & 1251. apud Huſſenium extantibus Hiſt. Epiſc. Ultraject. 417. Innocentius IV. in ſuis Bullis.

Anno 1488. Innocentius VIII gratulatur Catharinæ Priorissæ in *Campo Regis*, ejusque viginti quatuor Sanctimonialibus, quòd ad fidei deffensionem, pecunias liberaliter effuderint, iisque indulgentiam impartitur, qualem Sixtus IV. concesserat illis ex eo quod pro deffensione fidei contrà Turcas, de bonis suis contulerant.

Quantùm ex generis nobilitate, & professione virtutis Moniales inclaruerunt, tantùm Præpositos Parthenonis doctrinâ & rerum Ecclesiasticarum peritiâ excelluisse testantur frequentes summorum Pontificum ad eos directæ delegationes, pro componendis Cruce-signatorum litigiis, aut Clericorum dissidentium controversiis. Extant hodie ejusmodi Rescripta Clementis IV. & V. Joannis XXII. Benedicti XII. Innocentii VI. Urbani V. Innocentii VIII. & jugis ista mandatorum series, perennatam in Præpositis juris dicundi sagacitatem, Romanæ curiæ exploratam demonstrat,

Chronic. Goud. Religionis habitum pia Fundatrix, Religionem moribus suis dudùm referens, assumpsit in Campo-Regio, illicque vitam humilibus obedientiæ obsequiis consecratam, sanctissimè clausit anno 1266. Devastato monasterio, urna ejus plumbea in Templum novum translata est anno 1572. Guillelmus Arausicanus Princeps, assertor libertatis Hollandiæ, arma adversùs Hispaniam dum moveret anno 1584. Delfas aggeribus munierunt Hispani, & ne receptaculum suburbanæ domûs præberent hosti, Connixveldiam solo æquarunt. Militaris providentia deditionem urbis non impedivit, victor Princeps invasit Delfas, & legitimi Principis autoritate proscriptâ, Religionem uno ausu Catholicam proscripsit

Collectas hinc inde prænobilis cœnobii quisquilias, & è pulvere erutas, in spei nostræ argumentum, & ad posterorum doctrinam exposuimus. Superest ut Præpositorum & Magistrarum seriem, acceptam ab eximio monumentorum Hollandicorum indagatore D. *Vanhusen*, subnectamus. (a)

SERIES PRÆPOSITORUM Campi-Regii.

Gerardus, florebat anno 1280.

Henricus *Byl*, vivebat anno 1314.

Arnoldus præerat, anno 1326.

Nicolaus, anno 1329.

Joannes *de Woudrichem* ab anno 1347. ad 1358.

Gysebertus anno 1398.

Willelmus *Scuyter*, ab anno 1399.

Udo altare S. Petri Schiedami contulit anno 1427.

Willelmus *Van-Doesburch* florebat anno 1460.

Joannes *Braetsbeck*, translatus ad Insulæ B. Mariæ Prælaturam anno 1467.

Hermannus de *Rossum*, anno 1515. factus Abbas Insulæ B. M.

Nicolaus *Van-Keten* ab anno 1515. ad annum 1528. regimen gestasse legitur.

Abraham *Vanevelt* agebat in vivis anno 1550.

Jacob *Starck*, Vicarium generalem Campi-Regis se inscribebat anno 1572. & hic disjecto monasterio præfuit ultimus.

SERIES MAGISTRARUM.

Aleydis *Goëdelyns* quæ anno 1322. dedit cœnobio novem jugera, & domum in officio Kotelano cum vaccis quinque.

Anno 1398. Elizabeth *Van-Antwoort.*

Anno 1421. Catharina *Muys Van-Holy.*

Anno 1488. Catharina, quæ cum suo conventu Crucem sumpsit.

Mathildis *Van-Meteren* præerat anno 1528.

Anno 1535. Alyda *Van-Malsen.*

Anno 1540. Elizabeth *Van-Adrichem.*

Catharina *Utenham* ultima Magistra, Ibelstadii defuncta ætatis suæ 89. æræ Christi anno 1596.

Vide probat. à col. CCCXLIX. ad col. CCCLV.

CAMPUS-ROSARUM.

Campus Rosarum. Fil. Horti Floridi. Dioec. Groningana. Circaria Frisiæ.

PAtrio nomine *Romeswert* primitùs appellabatur Campus-Rotarum: lapsu temporis sub *novi Claustri* sive *Nyckloofter* vocabulo audiit apud Omlandos Parthenon ille in Fiwelingiorum agro positus, non procul à monasterio *Feldwert* Ordinis S. Benedicti, ad quod Emo Laicus* Sacerdos declinans, habitum monachilem induerat: unde paulò post egressus, in suæ proprietatis fundo Oratorium struxit anno 1204. amitinumque suum Emonem Husdingæ Plebanum, accersivit sui propositi conscium & coadjutorem. Pari voto, unoque sensu, Oratorium & vicinas ædes Sanctimonialibus Ordinis Præmonstratensis delegarunt anno 1214. Collectam Virginum turbam Emo Werumensis Abbas, moribus informavit, & disciplinâ; ibidemque vivendi finem fecisse narrat his verbis Menconis Chronicon, sub annum 1237. » R. P. Emo & piæ recordationis apud Deum & homines, in nocte B. Luciæ » Virginis, quam semper dilexit specialiter ac ei » servivit, Vigiliam ejus jejunando.... accedente festo ejus, supplicavit eidem Virgini, » morbo invalescente, ut si eo anno secundùm » Dei ordinationem, esset moriturus, eâ nocte » ipsius precibus ad requiem transiret. Eâdem » igitur, dictis Matutinis, coram positis Fratribus & Sororibus in novo Claustro, cui ipse » tanquam rigator, nomen *Campus Rosarum* » imposuit, de laboribus & ærumnis carnis erep-

* Id est, secularis Sacerdos.

Sacræ Antiq. Monum. p. 516.

(a) Hist. Ultraject. 419. & 420.

„ tus, dormivit cum patribus suis; omnibus, qui „ adstabant, Fratribus non modicùm flentibus.... nec non & Sororibus, quas ipse tanquam oviculas debiles & infirmas..... cò sollicitiùs nunc blanditiis demulcendo, nunc etiam minis & terroribus deterrendo, uni viro desponderat Virgines castas exhibere Christo.

Anno 1220. ab irrumpente & Frisiam devastante diluvio, domus Campi-Rosarum magnam rerum & ædium sustinuit jacturam, quam sic pinxit Emo in Chronicis, „ Venit diluvium, „ & operuit subitò totam terram, & mansionem Virginum & Sororum, & submersit oves, & boves, & universa pecora earum.... quid facerent illæ agniculæ nunquam expertæ talem cladem: cœperunt quærere tutam stationem, & se connexis manibus tenere gregatim, confiteri ad invicem & pallere, & ad exitum præparare. Cumque domus illa, in quam conscenderant,..... jam ictibus procellarum dissiparetur, divisæ sunt ab invicem, & pars conscendit Oratorium, pars altera domum Australem, & statim domus post fugam earum, stare ultrà non valuit. Porrò ex collisione trabium fractæ domùs, rumpebantur partes alterius, & tunc præparabant se, & animas suas Deo commendabant connexæ manus & mentes; & aquæ innundaverunt in altum..... tamè Deus pepercit Oratorio misericorditer, quod propter sui eminentiam, facilè potuit expugnari à ventis, propter semetipsum, & serenissimam Virginem matrem suam, & Ancillas suas, & fugit mare.

Ibid. p. 458.

Tantæ cladi reparandæ celerem apposuit manum Werumensis Abbas; non tamen ante annum 1261 potuit opus perfici. Vix perfectum est, cùm ecce inundatio intumescens conventum Occidentalem, & partem tignorum Parthenonis diruit. Terræ motus diluvio succedens, sic murorum fundamenta commovit, ut parietibus inhærentia excusserit altaria. Ibid.

Anno 1287. iterùm æstuantis maris fluctus monasteria Frisiæ absorpserunt. Quantam Campus-Rosarum sustinuerit ruinam, ex Werumensis Abbatiæ conterminæ, strage conjicimus. Attamen utrumque cœnobium fatis hisce superstites floruit, usque dùm Dei flagellum hæresis, utrumque decoxit.

CANDIDA-CASA.

Candida Casa. Filia Viridis Stagni. Diœc. Candida Casa. Circaria Scotia.

CAndida-Casa, antiquitùs *Leucophia*, hodiè *Witherna*, sedes Episcopalis Scotiæ, Glascoviensis Metropoleos suffraganea, ad Præmonstrat. Canonicos anno 1177. transiit, vocante & postulante Christiano Episcopo, Religiosos *Viridis-stagni*, qui in Clerum, regularem invexerunt vitam, ad extremos Religionis Catholicæ in Scotia halitus duraturam. Ex hac immutatione status, nomen Fundatoris obtinuit Christianus in Nechrologiis plerarumque Ordinis Abbatiarum. Walterus agmen Canonicorum *Viridis-stagni* in Candidam Casam deduxit, illosque rexit sub Prioris titulo, qui ad successores manavit conventualis Ecclesiæ Præfectos. Sub hac nuncupatione Adamus ejusdem loci Canonicus, Soliloquiorum libros duos, Waltero inscripsit, facto postmodùm Casæ Candidæ Episcopo, Walterum excepit * Adamus, eruditione celebris, cujus opera evulgavit Antuerpiæ Godefridus Ghiselbertus Prior sancti Nicolai Furnensis anno 1659. Præter Cathedralem Ecclesiam, alia duo Ordinis nostri monasteria extitisse dicit Dempsterus in Historia gentis Scotorum. Horum alterum erat Abbatia, aliud Prioratus; ambo intra civitatis ambitum; ambo à Fergusio Comite Glascoviensi fundata.

* V. Anecdota P. P. z. t. 1. Pat. 2. p. 337.

Prior Cathedralis Ecclesiæ, cui incumbebat cura Canonicorum, sub Episcopi authoritate, qui passim dicebatur & Abbas, Comitiis generalibus Ordinis, suo se sistere debebat ordine & tempore.

Præerat Canonicorum illius Ecclesiæ Collegio, anno 1505. Henricus Prior, & Circariæ Scotiæ Visitator ad revocationem usque constitutus. Inter ipsum, & Quintinum Abbatem *Viridis-stagni* * subortum dissidium, à Capitulo generali anni sequentis sic diremptum est. *Videlicet, quòd amodo ipse Prior usque ad revocationem Capituli generalis sit Visitator Circariæ Scotiæ, cum autoritate substituendi prædictum Abbatem Quintinum loco ipsius ad visitandum prædictam Circariam, & factâ visitatione per dictum Abbatem non poterit prædictus Prior annulare vel cassare ordinationes factas per eundem Abbatem, & casu quo præfatus Prior ante dictum Abbatem obierit, præfatus Abbas Sedis animarum authoritatem visitandi habebit usque ad revocationem dicti Capituli generalis.*

* Aliàs Sedis-animarum.

Ut Episcopatûs onera faciliùs Antistes posset sustentare, Capella regia Sterlingensis reditibus ejus annexa est. Postmodùm verò eidem superadditi sunt fundi Abbatiæ de Trauglandia, ejusdem Diœcesis, Ordinis Præmonstratensis, per Bullam Clementis VII.

CAPPEL.

Cappel Filia Arnstenii. Diœcesis Mogunt. Circaria Vadegotia.

AD oras fluvii *Lippiæ* & ad pagum *Drasſi*, Cappellensis Parthenon, eò loci fuit erectus, qui ab anno 784. Capellà instructus fuerat à Carolo Magno, ut Francis ibidem occisis, christianâ parentaret ſepulturâ. Proventus ad piacularia ſacrificia additos fuiſſe à Principe pro fama eſt, quos ſucceſſu temporis auctos tranſcripſit Arnſtenienſi Abbati Arnoldus *Selchovſen*, Archiepiſcopus Moguntinenſis, anno 1154. ut Sanctimoniales illic collocaret ſub Præpoſiti gubernio.

Virginibus ſtemmate inclytis ſplenduiſſe Cappellam, faſti referunt Arnſtenienſes; nobilitatem generis æquabant virtutibus; nec ante ſeculi decimi quinti occaſum, à tramite Religionis deflexiſſe culpantur. Cùm indulgentior Præpoſiti ferula, & otiantis P. Abbatis cenſura non revocaret devias ad diſciplinæ tenorem, Bertholdus de *Henneberg* Archiepiſcopus Moguntiæ paternâ monitione, Adamum Montheburanum Abbatem Arnſtenii perſtrinxit, juſſitque, datis ad hoc mandatis 15. Augusti 1494. ut in Veſtalium Cappellenſium vitam paulò liberiorem, inquireret, & ad priſtinam vivendi obſervantiam revocaret errantes. Paruit Abbas & pro ſui officii debito, viſitationem inſtituit, in qua reſectis abuſibus, ad ſeveriorem diſciplinam paternâ autoritate adduxit.

T. I. Hiſt. Mog. p. 505.

Laxavit reformatis & Ordini reconciliatis Virginibus habenas, graſſans paulò poſt per Germaniam hæreſis, quæ vires acquirens ſerpendo, Comitatum Lippienſem, tempore Simonis Comitis, invadere auſa eſt. Verùm obſiſtens Simon irrepenti, frontemque jam attollenti errori, Lippiam ipſam arcem & propugnaculum hæreſeos expugnavit, & Paſtores pſeudo-evangelicos, ſolum coëgit vertere. Fatis functo Simone, anno 1536. Bernardus filiorum natu major, errorem à patre profligatum blandè auſcultans, hunc in pleriſque Dynaſtiæ ſuæ locis conſtabilivit. Per traducem filio ſuo Simoni VI. moriens anno 1576. tranſmiſit, & iſte, filio cognomini conſignavit in dotem.

Sub hoc Simone nuncupante *Craſſo*, quod à proavis tentatum, ſed infectum erga Cappellam fuerat, audentiùs conſummatum eſt. Nobiles & Catholicæ Sanctimoniales, quas reverita, aut venerata erat hæreſis uſquemodò, irreverenter proſcriptæ ſunt, & Magdalena filia Comitis, Abbatiali Cathedræ impoſita, Lutheranas Veſtales, expulſis Catholicis Virginibus, ſubſtituit. Expetita poſt modùm ad thorum Comitis Ritbergici, Abbatiam pro ſponſo dimiſit, & ad Annam Mariam ſororem, quaſi titulo hæreditatis, migravit Abbatia, quam anno 1690. gerebat.

Adverſùs filialis monaſterii prædones viriliter pugnavit Ægidius ab *Humboven* Abbas *Kneeſtedii*, ſumptibus, vitæ diſcrimini & viarum periculis ultrò ſe committens, nihil prætermiſit, quò Chriſti & Ordinis patrimonium vindicaret. Sed prævalens in Germania hæreſis, caſſos fecit Abbatis conatus. Inſtauravit illos Leonardus *Treveren*, deceſſoris æmulatus zelum. Hoc unum de multiplici labore præmium reportavit, ut portionem aliquam Norbertinæ hæreditatis eriperet è naufragio, qui totam ſalvare non potuit. Prædium unum Cappellæ obtinuit, cui affixit Præpoſituræ nomen & decus, quaſi in ſequeſtro poſitæ; ibidemque Canonicum, Præpoſiti Cappellenſis dignitate, inſignem conſtituit, cum ſocio, divinis uſque in hanc diem operantes.

CAPELLA AD PLANCAS.

Capella ad plancas. Filia Belli-loci. Diœceſis Trecenſis. Circaria Franciæ.

AB oppido Bellofortienſi unâ & ſeſqui horâ diſtans erat locus, ad Comitum *Bello-fortiæ* amœnitatem lepidè à natura inſtructus, qui *Capella* dicebatur, etymon habens à ſacello tabulis compacto, ad quod, orationis causâ, Chriſtiani, & pii Proceres, in Campaniæ Comitatu famoſiſſimi, divertebant. Illic Symon Dynaſta *Bello-fortiæ*, & Emelina ejus conjux, pari voto, & communi devotione, Abbatiam Ordinis Præmonſtratenſis, ſub annum 1146. conſtruxerunt; conſtructam ſuâ confirmatione munivit Eugenius III. anno 1147. dum Pariſiis verſaretur. Simon Fundatoris filius, paternam dotem auxit novis beneficiis anno 1152. quibus Joffridus *Joinvillæ* * Toparcha, & Campaniæ Comitis Henrici Seneſcallus, de conſenſu Felicitatis uxoris ſuæ, addidit terras *Longevillæ* * adjacentes, quas antiquitùs, nullo forſitan ſucceſſu, Rogerus Joffridi pater contulerat. Anno eodem 1157. Olivarius Miles de *Droniaco* * partem cujuſdam terræ ſitam in territorio ſancti Audoënii, pro remedio animæ ſuæ, & pro filia ſua, quam in Eccleſia Capellæ ſervitio Dei mancipaverat, donavit. Is erat exiguus monaſterii fundus, multorum Fratrum ſuſtentationi modicæ ſufficiens, & largo egenorum victui.

* Joinville.

* Longeville.

* Dronet.

I.

Subductam ex Bello loco coloniam primus rexit GALTERUS Abbas, cui Eugenius III. Bullam confirmatricem fundationis inſcripſit anno 1147. In medio Sanctuarii tumulata ejus oſſa, noſtris diebus à P. *Leſcot* Priore moderno monaſterii, reperta ſunt in ſarcophago, unà cum

stola panni serici, alterâ parte villosi, & calice cyprio deaurato.

II.

REGINALDUS anno 1172. præfuisse legitur.

III.

OBERTUS testis subscribit anno 1182. Chartæ Simonis Domini *Bellifortis* pro Abbatia de *Bullencuria* in Diœcesi Trecensi. Vide du Chesne. *Preuves de la maison de Broyes & de Chateauvillain. pag. 21.* successores ejus paucos ex tabulis hos collegit Mauritius *du Pré*, nullâ temporis ratione servatâ.

IV.

GUILLELMUS.

V.

GERMUNDUS ex Priore *Moncelli*, Abbas Capellæ designatus.

VI.

GALTERUS II. quo desinit & deficit Abbatum series, ob interpolata horum temporum documenta. Primus post secula occurrit

VII.

STEPHANUS *REMY* anno 1501. electus Abbas.

VIII.

JOANNES *NANTHIER* anno 1519. electus, præfuit ad annum 1528. Prælaturam abdicans, transmisit in

IX.

JOANNEM LE SELLIER, quem P. Abbas *Belli-loci* confirmavit. Anno 1545. fatis functo Joanni successit ex nominatione regia

X.

JACOBUS *DU PLESSIS*, Prothonotarius Apostolicus, quem excepit

XI.

CLAUDIUS *l'HOSTE*, qui possessam aliquot annis Abbatiam, transcripsit in filium

XII.

NICOLAUM *L'HOSTE*. Hic professione emissâ Præmonstrati, dignitatem primo restituit decori. Capitulo generali 1618. interfuit. Post ejus fata, irrecuperabili damno, abiit Capella ad Commendatarios: hodie quintus eo titulo Abbatiam detinet; & sub horum regimine, Pastoratus *Charchericurtis* * ab Athone Trecensi Episcopo concessus, ad seculares, paucis ab hinc annis, Parochos, per Abbatum incuriam translatus est, cum filiali Ecclesia de *Rambercourt*. * Chaceri-court.

SS. RELIQUIÆ.

Sanctæ Floræ Virginis & Martyris, inter tutelares monasterii Patronas ab omni ævo ascriptæ, caput asservat Capella, ejusque Festum 29. Julii celebrat solemni ritu.

Hanc esse eandem colligo, quam in Martyrologio Romano sub eam diem recolit Baronius, & Martyrem sub Gallieno Imperatore illustrem decantat. Anno 861. translationem illius ac sociarum, factam refert Joannes Aretinus episcopus. Qualiter verò ad Capellenses sacrum pignus devenerit, ignorant ipsimet Reliquiæ possessores, maximâ instrumentorum parte spoliati. Vide Probat. à col. CCCLV. ad col. CCCLVIII.

CAPPELLA
propè Coloniam.

Cappella. Fil. olim. Floreffiæ, postea Knechstedii. Diœcesis Coloniensis Circaria Vestphaliæ.

NObilium Virginum insignem Præposituram *Cappellam*, duodecimo seculo vix mediante, in Siegeno Principatu construxit Willelmus Miles, cognomento *solidus*, *& constructam dotavit bonusculis quibusdam, piè cogitans de salute animæ suæ*. Tenui fortunâ instructam, tradidit *sanctis Dominabus, ut in ea religiosè viverent & per sanctam Religionem pro se & pro aliis indesinenter Deo supplicarent*. Hic non stetit pii Fundatoris sollicitudo atque futuri providentia: etenim metuens ne cœptum opus, superioris potestatis destitutum patrocinio, brevi corrueret, Adolpho de *Altena* Coloniensi Archiepiscopo, locum illum obtulit, supplicans, ut eidem de personis idoneis provideret, easque autoritate foveret suâ.

Florebat tum Religio Præmonstratensis variis in regionibus, & multiplicata jam tum monasteriorum proles. Floreffiam moderabatur eâ tempestate Joannes de *Auvelois*, vir apostolicus, qui sanctissimi P. Norberti virtutes moribus exprimebat. Adolpho notum cum fecerat pietatis, & sanctissimæ conversationis fama celebrior. Illum accivit Præsul, eique transcripsit Cappellam Diplomate suo tenoris sequentis:

» In Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. » Adolphus Dei gratiâ Coloniensis Ecclesiæ » Pastor humilis, Christi fidelibus in perpetuum. » Quæ sanctè & religiosè fiunt, quantò Christo » gratiora sunt, tantò majori diligentiâ transinitti merentur ad notitiam posterorum. Series » enim annorum nonnumquam reddit obscurum, quod præteriit, & ideo necessaria est » scripti inspectio, ut per eam servetur in memoria, quod ex caritate principium accepit & » promotionem. *Willelmus* Miles, cognomine

» *Solidus*, de propriis bonis Capellam construxit, & constructam dotavit bonusculis quibusdam, piè cogitans de salute animæ suæ. Ecclesia prædicta, quæ proprio nomine *Capella* vocatur, data est sanctis Dominabus, ut in ea religiosè viverent, & per sanctam Religionem pro se & pro aliis indesinenter Deo supplicarent.

» Locum totiens nominatum, & universa ad eum pertinentia Willelmus Miles in manus nostras resignavit, nostræ discretioni, & eorum qui nobis in dignitate succedent, regimen loci, defensionem, & protectionem fideliter committendo in præsentia plurimorum, ut Ego & successores mei Advocatiam loci semper teneremus nunquam eam transferri ad manus aliorum. ***Abbati de Floreffia & suæ Ecclesiæ locum illum subjecimus, ut Sorores religiosè viverent, juxta Abbatis præceptum & consilium, & illius personæ, quæ per Abbatem, Capellæ præficeretur.*** Si autem persona, quæ per Abbatem loco jam dicto præficitur, ad regimen loci non suffecerit, vel minùs religiosa inventa fuerit, Abbas hanc personam deponere debet, & aliam magis utilem & plus idoneam substituet. Ordinabitque etiam prudentum consilio & propter cautelam rationabilem, ne numerus Sororum excederet numerum quadragesimum, nisi illa intercederet necessitas, unde Ecclesia multùm posset juvari, & propter quam religiosè dispensari posset contra primam ordinationem. Quando de hoc numero continget Sororem decedere, alia suscipietur communi consensu ad hoc inclinato, nullâ re interveniente, quæ aliquid sapiat, quod sit irreligiosum. Statutum etiam est, Abbate præsente & approbante, spiritualem curam hujus domunculæ Ecclesiam Floreffiensem nunquam debere à se removere, ne Sorores destitutæ maneant, & compellantur inconsolabiliter deflere Patris spiritualis defectum. Tres Sacerdotes, cum uno Diacono in eodem loco continuò esse debent, qui ibidem jugiter Deo deserviant, & Sororibus in spiritualibus provideant. Istis statutis Abbas Floreffiensis interfuit, & de manu nostra suscepit locum præsentibus quibusdam de Fratribus ejus. Conventus etiam totius Ecclesiæ Floreffiensis ad hoc suum consensum inclinavit fraternè & benignè, cùm nostræ litteræ ad eum pervenissent pro hoc ipso impetrando. Ut autem hæc rata & inconvulsa permaneant, sigillo nostro & Ecclesiæ Floreffiensis sigillo corroborata sunt. In præsentia plurimorum nostrorum sunt hæc instituta, Ludewici majoris Præpositi; Udonis majoris Decani: Brunonis.... Præpositi: Theodorici S. Gereonis Præpositi: Tirrici S. Andreæ Præpositi: Tirrici SS. Apostolorum Præpositi: Ludewici S. Severini Decani: Hildebrandi S. Comberti Decani: Giselberti S. Andreæ Decani; Ivonis SS. Apostolorum Decani: Herimanni majoris Ecclesiæ secundi Decani: Herimanni Corepiscopi: Rodulphi Scholastici. Nobiles etiam terræ hujus interfuerunt, Henricus Dux de *Lembore*; Lutharius Comes de *Hostaden*: Willelmus Comes Juliacensis: Henricus Comes de *Seyna*, & fratres ejus Everardus, Arnoldus & Fredericus, Comites de *Althena*: Gerardus Comes de *Are*: Everardus de *Hengebach* & filius ejus Willelmus: Albertus de *Safenberg*: Gerardus & Conradus de *Blankenheim*. Aderant etiam ministeriales B. Petri Henricus de *Volmusteine*, & frater ejus Gerardus; Herimannus de *Alfethra*: Herimannus Camerarius de *Bacheim*: Herimannus Advocatus Coloniensis: Herimannus Scultetus de *Susato*: Otto Camerarius, & alii quamplures tam Clerici, quàm Laïci. Acta sunt hæc anno Dominicæ Incarnationis MCXXXVII. Indictione xv. Præsidente Romanæ cathedræ Cælestino Papa III. Regnante Henrico Romanorum Imperatore semper Augusto.

Strictissimâ hâc, sed non durabili lege & vinculo, subjectum est Floreffiensi Abbati, Cappellense Parthenium.

Quo pacto, aut quo præcisè tempore, Floreffiam declinaverit, ut se subderet *Knecstedenio*, nescimus: id tamen contigisse ante seculi XIII. finem testatur nota hæc exscripto mox Diplomati in Chartulario Floreffiensi annexa: ***Patet ex quodam obituario Floreffiensi dictam Capellam in monasterium Virginum erectam fuisse diù sub directione Floreffiensium; ex eo quod plurimæ Virgines defunctæ notentur, non secùs ac Wanzienses &*** Postellanæ, ***& vocentur*** Sorores nostræ. ***Qualiter autem à Floreffia dicta Capella separata fuerit, non satis innotescit.*** Exaratum est primigeniâ manu hoc additamentum, sed Chartularium ipsum pergameneum ***ex authenticis & originalibus transcriptum est, jubente Reverendo Patre Ægidio de*** Noëla, ***Divinâ providentiâ Abbate Ecclesiæ Floreffiensis, primo creationis suæ anno, qui fuit anno Domini*** MCCLXXXII. ***in die B. Mariæ Magdalenæ per F. Gerardum de Colonia, Canonicum Helencinensem.***

Floruit invigilante Knecstedensi Præsule, qui in Abbatis Floreffiensis paternitatem successerat, floruit, inquam, pietate, floruit Religionis zelo Cappellensis Parthenon, usque ad seraRuperti Bavari, Archiepiscopi Colonienlis, tempora: tunc enim in eam prolapsæ sunt Canonissæ morum corruptelam, ut ipsas tanquam incorrigibiles in diversa emiserit cœnobia, arctiori jugo & clausurâ continendas; in ipsos deinde monasterii proventus injecerit manum, ne quod à piis donatoribus, ad pios usus fuerat collatum, prophanis inserviret. Non movit Rupertum melioris vitæ ineundæ geminata promissio; non flexit concors Ordinis supplicatio. Æquiorem in Hermanno de Hassia, successore Ruperti judicem nactus Ordo Præmon-

stratensis, fecit sibi placatiorem. Cùm enim Proceres in Capitulo generali ad S. Martinum Laudunensem congregato, anno 1498. humili epistolâ, & per Abbates Steinfeldiæ, Cappenbergæ, & Arnsteinii delegatos oratores, Hermannum super restitutione Parthenonis reverenter exorassent, spopondissentque Præsuli tales denuò esse inducendas in Cappellam Sanctimoniales, quæ seniorum labem moribus religiosis abstergerent, illicò ad lenitatem revocatus, rescidit pœnale judicium Ruperti, & conscriptis tabulis, Parthenonem cum omnibus suis juribus & bonis, restituit Ordini.

Ab hinc ad annum 1504. bonum Christi spiravit odorem Cappella. Ejus famam nonnihil minuit Margareta de *Kobenrode* Sanctimonialis Professa, quæ ad seculum evolans, Gurcensem Cardinalem ad Germaniæ partes Legatum pro expeditione sancta in Turcas promovenda, sic delinivit lacrymis, & nummis placavit, ut dispensationem in votis, & matrimonii contrahendi obtinuerit licentiam, partibus inauditis. Ex subsecuto Monialis apostatæ connubio ingens scandalum Reip. natum, magnam Cappellæ mussit infamiam, quasi sceleris consciæ. Querulas Abbati Steinfeldiæ litteras conscripsit Hermannus, & reformationis vatem & vindicem interpellavit. Ocyùs advolavit Abbas Joannes, negotium exploraturus. In acta probationes redegit, & Archipræsulem vulgi rumoribus præoccupatum conveniens, adeò luculenter Monialium causam dixit, ut totum, si quod erat, crimen in præcipitem Legati dispensationem refuderit, nihil veritus purpuræ majestatem, ubi innocentiæ causa vertebatur.

Qui potuit casti Parthenonis tutari famam, non potuit illum vindicare ab interitu, in quem conditores ipsiusmet cœnobii conjurarunt Nassovii Comites, dum errore infecti, ad errorem trahere voluerunt Virgines fidei integræ; illas blandis sermonibus alliciendo, istas tormentorum intentatis aut adhibitis cruciatibus, ad defectionem provocando.

Steterunt pleræque immobiles, & tortoribus ipsis fortiores juvenculæ, spreverunt minaces iras, & supplicia. Fractus quasi ad pœnitentiam Comes, malos ex parte animos posuit, passusque est ut Collegium æquâ divisione in catholicas, & acatholicas Virgines scinderetur, æquali gauderent sportulâ, & alternis stationibus laudes Deo canerent, diversis labiis.

Joanne II. Nassovii & Siegenæ Comite fatis functo anno 1623. Joannes III. paternæ ditionis, at erroris neutiquàm hæres, hæreticos generali edicto è Dynastia Siegensi proscripsit anno 1626. laudabile facinus laudabili minùs consilio dedecoravit. Triticum & zizania simul è Cappellensi Gynæceo, ad malevoli votum eradicans, Virgines fidei Catholicæ, unà cum acatholicis expellere, totamque earum substantiam tradere Patribus Jesuitis constituit: utque ritu catholico, non satis recolendas Sanctimoniales spoliaret, sub Romani Pontificis approbatione, & sub specie religionis exturbandas judicavit. Urbanum VIII. igitur supplici convenit libello, & quæsitis à falsitate, veri coloribus, Asceterium olim à Franciscanis, modò à Cisterciensibus Monialibus occupatum, earum Ecclesiam calvinisticis personare dogmatibus, ipsas denique Moniales veneno hæreseos potas, exposuit; gratissimum proinde, ac utilissimum fore Religioni Catholicæ, si extinctis Virginibus, domus regularis, illiusque fructus Collegio societatis Jesu erigendo *Siegæ* destinarentur.

Favit Pontifex supplicantis petitionibus, & 18. Julii 1627. monasterium suppressit, omnemque illius dotem addixit Societatis Patribus. Papali rescripto munitus Comes, solemni programmate invadit Cappellæ bona, sacram suppellectilem, Chartas Archivii sequestro Prætori tradit, Prædicantem cum sua prole pellit in exilium, & Virgines catholicas, quasi erroris conscias, spoliat violenter indistinctim.

Persecutionis novæ in neophyto catholico horrorem execrans Siegensis Nobilitas, Comitem à consilio frustrà avocatum, formali oppositione aggreditur, & contestatâ denuntiatione adversus illatam Sanctimonialibus injuriam, reclamavit, familia de *Han de Bercken*, Fundatores repræsentans, tumultuariæ seditionis caput & dux, oppositiones suas juridicè deduxit, Fundatorum pias intentiones defraudatas objiciens, Ordinique Præmonstratensi subductum Parthenonem à seculis ipsi unitum, & nullâ juris servatâ formâ, partibus quoque inauditis avulsum, conquestus est; hæterodoxarum Virginum agmen admixtum catholicis, rescindi monasterii legitimam non præbuisse causam arguit; cùm ad sanam fidem degeneres aut reduci potuerint, aut indociles amoveri, statu & fundatione semper integris. Propterea-que contra attentatam à Comite innovationem, spoliationem injustam, violentam extrusionem, protestari declaravit.

Non abstinuit Comes ab inchoato opere, propter improbantium juridicas rationes; & quamvis Franciscani Romæ ex falso supposito tumultuarentur, jam jamque decretum suspensionis, à Congregationis de *Propaganda fide* Judicibus impetrassent; quamvis ex errore facti Cistercienses apud Pontificem pro restitutione monasterii voces geminarent querulas; quamvis denique Joannes Abbas Ninivensis Præmonstratensium Procurator generalis, æquiore titulo, ab invasione membri Ordinis ad Papam meliùs informandum provocaret, nihilominùs spreto Tribunalis sancti Decreto provisionali, posthabitis contestantium Ordinum clamoribus, sub Prætoris manu, Virginum exulum posuit bona, earum nequidem miseratus inopiam.

Succedentibus annis Comites *Siegæ*, fide dispares, de successione paterna usque ad discordiam contendentes, ad Monasteriensem

congressum gravamina detulerunt, quæ judicio Cæsareæ Majestatis amicabiliter terminanda, commisit Procerum conventus. Pendulâ interim definitione, fidei utriusque Domicellæ in *Cappel* subinductæ sunt, sed neutræ, Religionis voto adstrictæ. Sub annum 1658. P. Willielmus *Heimbach*, Canonicus Steinfeldensis, & pro tunc Romersdorffii Theologiam prælegens, adivit Cappellense Parthenium » in loco, » inquit, situm valdè horrido, & sylvestri, ab » Abbatissâ, seu Magistra pro tempore catho» lica, benevolè susceptus sum: in Templo Sa» crificium Missæ obtuli, simul observans & » notans, quòd in eodem Templo mensa posita » fuerit pro Cœna calvinistica hæreticarum » Virginum inibi existentium, & hâc tempesta» te instar Canonissarum secularium viventium, » nullas tamen Horas legentium, etsi ab uno » latere chori, reperiantur stalla duodecim, & » ab altero sex. Vestigia etiam quædam admi» nistrationis Jesuiticæ reperi, vi cujus catho» licus Pastor catholicis Virginibus divina admi» nistrat.

Anno 1665. Celsissimus Princeps Joannes Franciscus Desiderius Nassovius, Siegenæ Comes, & Ducatûs Limburgensis Prorex, Steinfeldiam divertens 4°. Octobris, plura pro repositione Ordinis in *Cappel* spopondit humanissimo Abbati; sed nec ipse, nec ejus, alioqui Catholica posteritas, sponsionem liberarunt.

Anno 1720. P. Henricus *Freissem*, Magister Novitiorum in Abbatia Saynensi, talem nunc esse Cappellæ statum à Quæstore loci catholico acceptam, submisit his verbis: » quinque sunt hoc anno 1720. ibi Canonissæ, seu » Domicellæ nobiles, seculares, catholicæ; » quinque acatholicæ. Alternant in electione » Abbatissæ, quæ modò est acatholica de *Kes*» *sel*. Templum adhuc exstat præclarum. In eo » alternis horis faciunt Officium Sacerdos Ca» tholicus, & Prædicans Lutheranus. Venera» bile, calices, & paramenta Sacerdotalia » custodiuntur à catholicis Domicellis, quæ in » extante adhuc choro Virginum, persolvunt » choraliter officium Marianum. Acatholicæ » etiam suos psalmos horis statutis; quamvis » & horam Officii, & locum declinantes, quan» doque ad templum non strictè observent. Ha» bet quæque suas ædes separatas, non omninò » magnas: Abatissa nobiliores, præter gallinas, » & parva quædam culinaria. Habet quæque » Domicella circiter tringinta quinque Impe» riales.

Seculo XIV. labente jam ad degenerem deflexisse vitam Præmonstratenses Canonissas, vitiumque simoniæ irrepsisse in admissionem Novitiarum, intelliges ex sequenti Charta & lugebis.

Nos Gertrudis *Von Heygen*, &c. Catharina de *Zeppenfeld* Priorissa & Conventus monasterii *Keppel*, fatemur publicè in his litteris pro nobis & posteris nostris, notumque facimus omnibus visuris, audituris ac lecturis, quòd nos cum præscitu & consensu nobilis & chari gratiosi nostri Domini Comitis Joannis in *Nassaw* & nobilis charæ nostræ gratiosæ Dominæ Margarethæ de *Marca* Comitissæ in *Nassaw*, Protectorum & Fundatorum nostri prædicti monasterii, uti etiam cum scitu & consensu Reverendi nostri spiritualis Patris Domini Arnoldi Abbatis in *Arnstein*, sine cujus consensu & scitu nullum omninò statutum erigere possumus, nec debemus, unanimiter & insimul habito consilio, in hoc convenimus, quòd in perpetuum servabitur & servari debebit, & nos debemus & volumus inviolabiliter servare, & promisimus & promittimus vigore præsentium ita & taliter ut Religiosas Virgines decet & æqum est promittere pro nobis in monasterio modò præsentibus, ac futuris posteris statutum illud servare eo modo quo sequitur; & judicant nostri præfati Domini & Dominæ, quod illud monasterio nostro utile & proficuum futurum sit. Primò habebimus 24. Præbendas & non ultra, hunc numerum nec ulli debebimus aliquam earum promittere aut dare nisi una ex 24. vacua fuerit, aut per mortem aperta, & tunc nec volumus nec debemus suscipere Filias vel Præbendam concedere nisi de equestri stirpe natis, & nec volumus, nec debemus aliquam pro Sorore accipere nisi quæ nobilis sit, & dum Præbendam suscipit, dabit pecuniam vel clenodium & donum ut sequitur scriptum. Primo 50. florenos aureos materiâ & pondere justos, quos Magistra recipiet, & de iis dabit Priori sex Turones, Magistra sex Turones, Sacellanus tres Turones, quælibet Religiosa Virgo tres Turones; ulteriùs filia dabit Priori & Magistræ cuilibet duas amphoras vini, & cuilibet quatuor simulagines, Priori duas gallinas, & totidem Magistræ, Sacellano amphoram vini & duas simulagines gallinamque, uti & cuilibet Virgini. Item dabit filia Conventui 24. ulnas panni linei & 20. ulnas mensalium, sexdecim ulnas mantilium; etiam dabit Priori & Magistræ cuilibet clenodium non infrà valorem sex Turonum; ulteriùs filia offeret cereum trium librarum immissis duobus Turonibus qui manebunt Priori, cereus verò sancto Joanni.

Etiam dabit filia mediam marcam valoris Sigenensis pro scabello & panno, quæ tamen manebunt Ecclesiæ: ut hæc prædicta puncta & articuli inviolabiliter maneant, rogavimus nobilem nostrum gratiosum Dominum Joannem Comitem in *Nassaw* & Dominam Margaretam de *Marca* Comitissam in *Nassaw*, in quorum protectione & patria sumus, ut amborum sigillum primò litteris hisce appenderent, quod nos Comes Joannes & Domina Comitissa fatemur, quod scilicet nos prædicti duo, ad instantiam monasterii, sigillis nostris munierimus & roboraverimus; & pro majori firmitate rogavimus nostrum charum spiritualem Patrem

Patrem Dominum Arnoldum Abbatem in *Arnstein*, ut & ipse suum consequenter apponeret, quod nos Arnoldus Abbas fatemur quod pro utilitate nostri monasterii *Keppel*, sigillavemus, & sic nos quoque Gertrudis Magistra & Catharina Priorissa & totus Conventus, commune Conventûs sigillum ultimò litteris his-ce addidimus, quæ datæ sunt post Christi Nativitatem 1392. die S. Antonii Confessoris. Vide probat. à col. CCCLVIII. ad col. CCCLXIV.

CAPELLA.
Propè Tolosam.

Capella Filia Casæ-Dei. Diœcesis Tolosana. Circaria Vasconia.

AD Garumnæ littora, tribus à Tolosa leucis, in prominentis monticuli vertice, cujus radices, sinuosus decurrens per circumcingentes sylvas, alluit rivus, in Garumnam muros allambentem ab Oriente, se exonerans, posita fuit anno circiter 1142. Abbatia Capellæ, & dotata ab Bernardo *Jordano de Insula*, * prosapiæ illustris, & Comitum *Insula-Jordani* inclyto autore & summo Dynastâ. Fundationis tabulas excepit anno 1143. Bernardus Abbas Casæ-Dei, qui subductam è suo monasterio Religiosorum turmam implantavit in Capella. Paternas donationes confirmavit anno 1171. Jordanus de Insula, & beneficiis auctas, tradidit Guillelmo Abbati Capellæ.

* Lisle en Jourdain.

Sacræ Antiq. monumenta p. 13.

Quo tempore Albigenses per Vasconiam spargebant hæreseos venenum, & Tolosatum agro inhiabant, Capellensi Abbatiæ præerat Joannes, vir potens in opere & sermone, qui pro Ecclesia & ejus asserenda fide, strenuus episcoporum & prædicatorum commilito, adversùs Albigenses maximo fructu decertabat verbo & calamo.

Talem virum, tantâ eruditione & pietate tantâ clarissimum, B. Dominicus in auxilium afflictæ Ecclesiæ, ad Tolosates appellens, ut primùm de fama novit, voluit nosse ex contubernio. Venit Capellam, Abbatis virtutem, in suis Canonicis relucentem, suspexit, doctrinam ex alloquio demiratus in præsule, exarsit in amicitiam adeò, ut quoties post prædicationis instantias, interiori vitæ vacare volebat, in Capella se reciperet, ubi stillantia ex ore Joannis scientiæ & religionis documenta capessebat.

Sacra hæc inter otia, B. Dominicus, referente Tolosani conventûs Dominicani, Historiographo, Ordinis sui jecit fundamenta, regulam, statuta & ritus Præmonstratensis instituti adoptavit & suis præscripsit adoptanda. Verùm si B. Dominicus ab antea Præmonstratensem regulam profitebatur, si jam in Abbatia Vitis emiserat vota, ut validissimis argumentis evicit R. P. de *Noriega* S. Norberti Salmanticensis Abbas eruditus; quid mirum si ad filios extenderit observantiam cui se devoverat, & socios fecerit vinculorum, quæ gessisse non pœnituit, sed addititiis strinxit vinculis.

Monumenta Conventûs Tolosani an. 1693. edita a Patre Per.

Ferale bellum quod ab hæreticis Calvinianis passa est Vasconia anno 1570. eam Capellæ intulit cladem, ut in temporalibus attrita & in ædificiis subversa, vix nostrâ potuerit ætate resurgere. Abbatum sillabum paucula monumenta non subministrant. Uno penè seculo familia de *Bertier* tenuit in commendam & Sanctuarium hæreditate possessum, transiit anno 1715. ad illustrem Dominum de *Moulezun* Archidiaconum Tarbensem.

Pastoratus quatuor regebant Capellenses Canonici, eosdemque Fulco Tolosanus antistes, anno 1247. confirmavit Joanni Abbati. Horum primus, est Ecclesia de *Mairanis*: Alter, Ecclesia sancti S. Joannis de *Rustiniaco*. Tertius, Ecclesia de *Mervilla*, intra cujus fines situm est monasterium, & quartus Ecclesia *de la Couta*. Vide probat à col. CCCLXV. ad col. CCCLXVIII.

CAPPENBERGA.

Cappenberg. Filius Præmonstrati. Diœcesis Monasteriensis.

CAppenberg, olim ditionis Westphalicæ castrum, à monte longum offerente prospectum, etymon habens, invictissimorum heroum Caroli magni, & Witekindi sanguine, antiquissima & nobilis sedes, ab eorum sero nepote Godefrido Comite, in monasterium Ordinis, visionibus prodigiosis religiosam Castri transformationem portendentibus, & Divo Norberto prædicante, immutatum est. Ad Westphaliæ enim oras vir apostolicus, virtutum famâ, zeli ardore, & inusitato pœnitentiæ genere notissimus, ut primùm adventavit, visendi & audiendi excitus desiderio Comes, ejus alloquiis & sermonibus, ad seculi, & secularis pompæ despectum tam intimè exarsit, tanto devotionis æstu ipse, ejusque nobilissima conjux Judita de *Arnsberg*, & Godefridi frater Otto, perciti sunt, ut communi voto se, suamque arcem Norberto manciparint. Constantes in proposito, nec fraterna odii lethalis conjuratio, nec mortis imminentis periculum, deterrere potuerunt. Deo propitiante, Norberto vim eorum virtuti addente, insidias superarunt hostium, vicerunt in patientia indomitos seculi Principes, & prostratis circumquaque, etiam proprii generis, rugientibus adversariis, feliciter voto potiti sunt. Castrum mundanæ vanitatis monumentum vetus & illustre, de consensu Theodorici episcopi Monasteriensis, Domino devoverunt anno 1122.

I.

Protinùs ad Religionis disciplinam, ad divini cultûs obsequium aptaverunt accommodas ædes, & ne fœminis ad parem vitæ normam aspirantibus cum Juditha, sua deessent habitacula, duplex uno tempore structum est pro duplici cœnobio, domicilium & utriusque Præfectur. m in se assumpsit Norbertus. Ipsi enim, tanquam loci Præposito, episcopus Monasteriensis, & Honorius II. Pontifex, sua inscripserunt Diplomata. Neque mirum id videatur, cùm filialis Godefridi erga Norbertum amor, & impendentes, in monasterium procellæ, tanti rectoris exegerint præsentiam, qui novello germini daret incrementa virtutum, & insilientem sedaret potenti verbo tempestatem. Ergo sub hoc magistro tyrocinia instituti Præmonstratensis fecerunt ambo conjuges, ipso moderante suis sermonibus, aut epistolis conveniente, dum Ordinis aut Ecclesiæ negotia aliò vocabant, ad perfectionis fastigium conscenderunt; nec ante, alium regundo monasterio præstituit ducem, quàm ad Archiepiscopatum Magdeburgensem promotus, in sortem ministerii totius Ordinis B. Hugonem, & in administrationem Cappenbergæ Ottonem delegasset.

II.

ANNO igitur 1126. conspirantibus Norberti, & Cappenbergensium suffragiis, electus est Magister Otto cognomine *Legatus*, » qui » cum esset omni litterarum, ac scientiarum » genere excultus, statu Reipublicæ Christianæ, » ob exasperatos Principum animos, periclitan» te, rogatu & jussu Archiepiscoporum multas » legationes tam in Italia apud Pontificem, » quàm apud multos Magnates, non sine lau» de & gloria obivit. Ex quo etiam apud vulgus » nomen *Legati* obtinuit, & à prædictis Mag» natibus, in gratitudinis tesseram, ingentem » puri & puti auri, argentique summam acce» pit; quibus ipse stipendiis, cum consilio suo» rum, in villa quadam, dicta *Reimagen* apud » Rhenum situata, duas vineas, alteram in pla» no, alteram in monte *Keldenich* jacentes, » comparavit in Cappenbergensis Ecclesiæ uti» litatem. Quid plura? Episcopus Wernerus, Ec» clesiam Cappenbergensem, in filiam majoris » Ecclesiæ Monasteriensis adoptavit, Archidia» conatûs titulo insignivit Præpositum, perpe» tuâ libertate monasterium donavit.

Annal. Cappenberg

Hinc manasse creditur inveterata lex apud Cappenbergenses, ut nullus ad Canonicam professionem admittatur, qui non sit de Nobilitate equestri, ex utraque linea oriundus, ne filia maternæ nobilitatis degener, communi honorum matricis Ecclesiæ communicatione videretur indigna. His quippe privilegiis ab origine Cappenberga resplenduit, ut ad electionem Monasteriensis episcopi, Præpositus pro ferendo suffragio evocaretur, electumque Præsulem Archiepiscopo Coloniensi confirmandum præsentaret. 2°. ut in Festo Dedicationis Ecclesiæ majoris, aut in aliis potioribus anni solemnitatibus, Choro assistens cum duobus suis Sacellanis, sportulam acciperet. 3°. ut in consessibus Capitulantium & Comitiis, proximus assideret Episcopo. 4°. ut pro defuncto Cappenbergensi Canonico eadem penderent procum suffragia, quæ pro suis evolvebant Canonici Cathedrales.

Anno 1152. Eugenius III. bona, & possessiones Cappenbergensium sub BB. Petri & Pauli protectione suscipiens, illa confirmat, necnon Decanias de *Werne* & *Alen*, Ottoni & successoribus ejus asserit. Tot honoribus, tantis beneficiis cumulatus Otto I. diem vidit extremum 3°. Kal. Aprilis anni 1156.

III.

OTTO II. frater Comitis Godefridi primi Fundatoris, ad gubernaculum Præpositurae sublevatur. Tali apud Sueviæ Ducem Fridericum Conradi III. Imperatoris fratrem, pollebat olim autoritate, ut eum præ cæteris consanguineis elegerit, qui Fridericum filium suum, posteà Imperatorem cognomine *Ænobarbum*, & ordine primum, è sacro baptismatis fonte levaret. Hujus gratiæ non immemor Fridericus, magnifico Diplomate, bona Cappenbergensis Canoniæ anno 1161. confirmavit, Ottonem *dilectissimum, & consanguineum suum* honorificè compellans.

Ferunt Annales Ottonem fuisse zelosum amatorem & cultorem S. Joannis Evangelistæ, cujus solemnitates alacri festivitate tam in Ecclesia, quàm in Choro celebrari satagebat. Altarium nitoris, à B. Norberto tam sedulò præscripti, rigidus observator, totus in exornandis advigilabat. Crucem ex auro purissimo affabrè factam, calices pariter aureos, & alia ejusdem metalli jocalia procuravit. Cum opinione sanctitatis viam universæ carnis ingressus est anno 1171. (a) contumulatur B. Godefrido sub tumba, è regione summi altaris paulò extuberata.

IV.

HERMANNUS, ex nobili Comitis Lotharii Arensis & Merensis, & Hildegundis stirpe nobilissimus filius, propagandæ Religionis zelo, Merense cœnobium, quod vulgò *Mare* dicitur, propè *Novesium*, fundavit, Hildegunde piâ matre auxilium suppeditante, ubi & ipsâ antesignanâ, nobiles Virgines sub regula Præmonstratensi victuras, se incluserunt. Hermannus 40. annis Præsulatum miro omnium favo-

(a) Ex Annalibus Cappenbergensibus, obiit B. Otto anno 1172. Verum eruditus Mallinckrott censet eundem defunctum VI. Kal. Februarii 1171. licet alii diem mortis ad 23. Februarii consignent.

re & amore administratum, moriendo reliquit anno 1210.

V.

ANDREAS profundæ sagacitatis & scientiæ Prælatus in arduis tùm Ecclesiæ, tùm Ordinis negotiis, magna eruditionis specimina dedit. Ad Concilium Lateranense anni 1215. sub Innocentio III. nomine Ordinis, & Provinciæ Westphalicæ deputatus, Rem Ecclesiæ, & Ordinis feliciter promovit. Ad suos reversus, suæ domui decimas & allodia comparavit plurima, finem denique vivendi fecit anno 1232. Sepultus in Sacello B. Virginis.

VI.

HUGO DE *WERNE*, cognomine *Pius*, à Comite Engelberto de *Marka*, obtinuit anno 1254. Ecclesiam de *Marka*, cum ejus filiali. Obiit an. 1257. Tumulatus ante altare B. Joannis Baptistæ.

VII.

ARNOLDUS promovente Ottone de *Lippia*, episcopo Monasteriensi, & Cappenbergensi Capitulo annuente, ad Prælaturam assumptus est, hanc laudabiliter gessit annis 13. Obiit 1270.

VIII.

BRUNO præfuit annis duobus & mensibus novem. Obiit 7. Octobris, anno 1273. Sepultus ante altare S. Stephani.

IX.

ERRICUS, anno 1275.

X.

HARTLENUS conditur ante altare S. Augustini, anno 1294.

XI.

OTTO. III. Consanguineus Coherardi de *Deest*, episcopi Monasteriensis: in lapide sepulchrali ante aram S. Augustino sacram, hoc habet epitaphium.

Anno MCCXCVI. IV. Idus Novembris
Otto Prælatus quondam, nunc incineratus,
Vermibus esca datus, vivat sine fine beatus.

Præfuit annis duobus, minùs VII. hebdomadibus. Obiit anno 1296.

XII.

WÆRMUNDUS ex Scheidæ Præpositurâ ad Cappenbergensem assumptus, cessit regimini anno 1299.

XIII.

JOANNES AB *EULEN* reverentiâ & nobilitate clarus, monasterium pulchris munivit ædificiis. Obiit tertio Kal. Aprilis 1307.

XIV.

WERNEMARUS 1310.

XV.

THEODORICUS AB *ALEN*, v. Nonas Augusti 1321. sepultus in Sacello D. Præpositi.

XVI.

LUDOVICUS resignavit anno 1339. Hujus temporibus Joannes ab *Elstene* Prior, Ecclesiam paternis locupletavit bonis, & virtutum firmavit exemplis.

XVII.

THEODORICUS II. 1343.

XVIII.

WILLELMUS DE *LANDESBERGE*, Visitator Provinciæ Westphalicæ, obiit v. Kal. Junii 1344.

XIX.

HERMANNUS DE *RINGELINGTORFFI*, perpetuus Westphaliæ Visitator, collabentis disciplinæ, & caducorum utriusque sexûs monasteriorum instaurator magnificus. Obiit II. Kal. Septembris 1369. cùm priùs pericula moriendi pro defensione suæ Ecclesiæ adiisset: à frementibus enim circumquaque inimicis, villas & prædia sub Armiductore *Lupo* nomine, devastantibus, Canonicos inhumaniter trucidantibus. Quanta fuerit mala perpessus pro gregis salute, narrant infaustæ hujus ætatis monumenta.

Sub ejusdem Hermanni regimine, Engelbertus de *Marka* filius Adolphi, permutatione territorii cum Cappenbergensibus factâ, transtulit civitatem Lunensem, in locum, Lippiam inter & Zizecam fluvios situm, ubi etiamnùm hodiè subsistit.

XX.

ADOLPHUS DE *RECKE* translationem *Hilgensthal* in civitatem Luneburgicam, uti Pater Abbas approbavit, anno 1382. Fatis fungitur anno 1385.

XXI.

EVERHARDUS *FREYTAG* 1390.

XXII.

BERNARDUS DE *HORST* 1407.

XXIII.

ARNOLDUS DE *BOYNE*, cessit dignitati anno 1417.

XXIV.

FRIDERICUS *ROGGE*, Westphaliæ Visitator 1447.

XXV.

HERMANNUS DE *KONINGSBERG* 1455.

XXVI.

LUBERTUS *BIEPENBROCH* 1471.

XXVII.

BERNARDUS DE *GALEN*, juris Canonici Doctor, insignem comparavit bibliothecam, & latrunculos, duce nobili *Sobbe*, villam in *Hassel* deprædantes, ipse collectâ colonorum manu, validè profligavit; aliis aquâ extinctis, aliis ferro & jaculo confossis, cæteri versi sunt in fugam, de hoste victor Bernardus, à morte victus est anno 1483.

XXVIII.

LUDOLPHUS DE *BOYNEN* 1492.

XXIX.

THEODORICUS AB *OLDEN DE KEPPEL*. Hujus epitaphium ad gradus sepulchri Comitum de *Cappenberg*, sic legebatur.

Annis undenis quingentis addito mille
Altera vincenti lumine mersa dies.
OLDEN Præpositus devotus, condidit ædes
Quàmplures: animam mittat ad astra suam:
Corpore sarcophago, Comitum post terga sepulto
Gaudeat æterno jam super astra Deo.

Ad parietes autem Sacristiæ, quam à fundamentis extruxerat, sequentes versus insculpserat grata posteritas.

Armarium cernis Maria & Baptista Joannes
Quàm lucet scrinulis, quàm nitet arte rosis.
Autor Præpositus Theodoricus *OLDEN* Amandus,
Cui veniam Nati Virgo precare tui.
Da referat quisquis indutus Casulâ & Albis
Digniùs officium jam sine labe suum.
Da fugiat reboans procul hinc, procul inde barathri
Cerberus, & laqueis dira Megæra tuis.

XXX.

GODEFRIDUS DE *HANE*, ex Prioratu monasterii Virginum *Owersdorff* propè Wesaliam, nunc destructi, ad Præposituram vocatus, dormitorium, officinas, Ecclesiæ partem, horribili incendio conflagrata, ipso Palmarum die anni 1512. restauravit. Secessûs & quietioris vitæ desiderio, Prælaturam quam laudabiliter gesserat, sponte dimisit anno 1521.

XXXI.

JOANNES A *KETTELER* ex Præposito Ecclesiæ in *Cappel*, in antistitem Cappenbergæ postulatus, variis morborum molestiis exhaustus, resignavit anno 1536.

XXXII.

JOANNES AB *HARMEN* 1546.

XXXIII.

HERMANNUS à *KETTELER*, vir nobilis genere, nobilior eruditione, nobilissimus meritorum dignitate, ob indesinentem corporis imbecillitatem abdicavit Prælaturam 14. Januarii 1556.

XXXIV.

CONRADUS DE *NAGEL*, sub Willelmo à *Ketteler*, episcopo Monasteriensi, ad Præposituram, à Pastoratu veteris Ecclesiæ in *Alen* evectus, 1572.

XXXV.

GODEFRIDUS *VELMEDE*, inopinatâ præoccupatus morte 11. Martii interiit 1583.

XXXVI.

WENEMARUS AB *HOETE* 1613.

XXXVII.

THEODORUS DE *HAEN* optimus pater-familias, domi, forisque suæ Ecclesiæ procuravit commoda, majora procuraturus, nisi Dux Brunswicensis Christianus III. bellorum armatus furiis, Cappenbergam hostiliter devastasset anno 1622. duobus verò post annis è clade superstes, moritur optimus Præsul 23. Octobris 1624.

XXXVIII.

JOANNES RHEINARDUS DE *SCHADE* vidit miserabiliter & sacrilegè sacra quæque à copiis Hassicis erepta, profanata in *Cappenberg*; ipsum etiam prænobilem Præpositum strictum vinculis immaniter *Coësfeldiam* abductum pertractarunt; & quod majus est, arcem Cappenbergensem Hassiæ Landgravius in feudum perpetuum Comiti d'*Oberstein*, tanquam legitimo, & sero Fundatorum nepoti contulit. Pacis publicæ tractatu & Antistes libertati, & Castra Religioni restituta sunt. Obiit *D. DE SCHADE*, posteris magnum relinquens constantiæ & pietatis exemplum 16. Februarii 1664.

XXXIX.

FRANCISCUS THEODORUS DE *WESTREM* resignat anno 1671.

XL.

BERNARDUS THEODORUS DE *VESTREM* cedit 1686.

XLI.

JOANNES ALEXANDER HERMANNUS DE KET-

TELER, in novis ædificiis construendis, in fulgore domûs Dei procurando singulariter intentus, partem fornicis Ecclesiæ auro puro & picto exornavit, campanam pondo 2000. librarum conflari fecit cum hac epigrafe: *à fulgure & tempestate libera nos Domine:* præclariora meditabatur, dum in Aula *Monasterii*, unde Cappenbergam solemni pompâ translatus, fatali asthmate, ætatis anno 36. sublatus est 2. Decembris 1696.

XLII.

HERMANNUS STEPHANUS THEODORICUS DE *NAGEL* 1711.

XLII.

GODEFRIDUS BERNARDUS HENRICUS DE *ASCHBERG*, resignavit anno 1713.

XLIV.

JOANNES ENGELBERTUS DE *KETTELER*, præest hodiè cum utilitate & honore.

JUS PATERNITATIS.

HAbet Cappenberga in Abbatiam *Hiligenthal* Diœcesis Verdensis. Item super Præposituram de *Clarholtz*, idque juris assertum fuit à Capitulo provinciali anni 1693. celebrato Coloniæ; & consequenter Bernardus à *Kerkering* neo-electus juramentum præstitit in manibus Domini Præpositi Cappenbergensis.

Rem novam non invexit Capitulum, siquidem anno 1668. Theodorus à *Westrem*, tanquam Pater visitationem instituerat Clarholtensis monasterii. Parem fecit anno 1603. Wenemarus ab *Hoëte*, & pari titulo.

Fecit idem anno 1597. defuncto Arnoldo *Walraben* Præposito Clarholtensi, electioni Henrici de *Wondervange*, uti Præses, interfuit: anno 1606. eodem munere perfunctus est in electione Theodori de *Plettenberg*.

Plurima suppetunt Paternitatis pacificæ exempla, & ut recentioribus antiqua conjungam, accedit definitio Capituli generalis sub Hugone (ut suspicor II.) congregati, quâ præcisè Cappenberga *Mater* renuntiatur Ecclesiarum *Varlarensis*, *Schedensis*, *Clarholtensis*, *Quedeleburgensis*, *& Vesaliensis*.

Verùm ante plures annos Varlariensis jugum tentavit excutere, & Clarholtana, Capituli provincialis decreta despiciens, matrem agnoscere recusat.

Ad generale Capitulum anni 1717. causa delata, inde ad provinciale provocata, & ab utroque nil sancitum.

DIGNITATES ET PASTORATUS Ecclesiæ Cappenbergensis.

Præpositus Cappenbergæ annexum habet suæ dignitati Archidiaconatum, cui subsunt regulares Decaniæ
Ahlen &
Werne.
Borck, Pastoratus.

Hæc tria Beneficia collata sunt à Vernero Episcopo & Capitulo Monasteriensi, in recognitionem aliqualem donatorum à BB. Godefrido & Ottone Cappenbergæ Comitibus, & Fundatoribus, centum quinque virorum ministerialium Ecclesiæ Monasteriensi, idque donum antiquissimus ille versus, muro Cathedralis inscriptus, attestatur;

Centum quinque viros tibi, Paule, dedêre
Munere perpetuo Comites Godefridus & Otto.

Cöerde, Pastoratus.
S. Stephanus in *Camen*, Comitatûs Markani.
Mettler,
Wickede, in eodem Comitatu, sed ad normam Confessionis Augustanæ reguntur hi duo Pastoratus à duobus Ministris, per Præpositum Cappanbergensem investiendis.

SACRA PIGNORA.

Beatorum Comitum Godefridi & Ottonis fratrum exuviis lætatur Cappenberga, licet non omnibus, variis enim Ecclesiis piè efflagitantibus portiones concessæ sunt. Asservat etiam in gazophilacio crucem auream continentem pannum, Christi sanguine madidum, partem crucis, tunicæ & capillorum ejus, Constantinopoli advectam: illam Jutta Friderici Suecorum Ducis uxor, uti thesaurum probatum miraculis, gemmis intextum, religiosè custodiebat & sponsi collo, dum ad bella, & conflictus properabat, in victoriæ & securitatis arrham solebat appendere. Hanc postea Fridericus consanguineis suis Godefrido & Ottoni tradidit. Sunt & in aliis thecis quatuor, plurium Sanctorum insignes Reliquiæ, quarum catalogum recensuit anno 1705. Thesaurarius Cappenbergæ coram Notario Apostolico, & testibus. Vide probat. à col. CCCLXVIII. ad col. CCCLXXV.

CARTHOVORUM MONIALIUM.

Carthovorum Monialium. Fil. Carthovorum virorum. Diœcesis Suession. Circaria Franciæ.

PAgius & Layruëlius in Indicibus suis non meminerunt istius Parthenii. Contiguum adjecisse matrici Abbatiæ conjicimus; exstitisse certò comperimus ex Charta Lamberti Morinorum episcopi, quâ confirmat donationem Carthovoro factam,* quorumdam prædiorum, ab Fulberto & Herea uxore ejus, quia admissa fuerat Dolina, filia eorum, ad habitum Religionis inter Sorores Carthovorenses. Ita legimus in Collectionibus doctissimi Domini

* De anno 1197. mense Maio.

Lede, quondam Abbatis S. Andreæ in nemore.

CARTHOVORUM.

Carthovorum. Filius Belli loci. Diœcesis Suessionensis Circariæ Franciæ.

* Fimes.

CArthovorum, vel, ut alii scribunt, Carthophorum, gallicè *Chartreuve*, in Diœcesi Suessionensi, sex ab illa civivitate horis, duabus à Fimis, * tribus à Brana dissitum, ab Odone de *Balliolo* Toparcha de *Chery* fundatur anno 1133. Goslenus Episcopus Suessionum nascenti monasterio, ejusque primo Abbati Girelmo seu Gerelino, suis gratulatur Epistolis, & fundationem eò libentiùs approbavit anno 1135. quòd » ampliorem, inquit, » eis diligentiam exhibere debemus, quos am»pliori religione fervere non dubitamus. Huc »accedit, Fili in Christo charissime Gerline, » quòd Ecclesiam, cui Deo autore præesse di»nosceris, quam omnium primam, post cre»ditam nobis à Deo curæ Pastoralis sollicitudi»nem, divinâ clementiâ, nostrâ nimirùm ope»râ suffragante.

Quæ sequuntur, ex vetustate, aut incuria Chartophilacis evanuerunt, nec supplere potuimus per copias ex originali sumptas; usque adeò scrinium vel temporum edacitate, vel bellicis incursibus devastatum est. Copiam aliquâ sui parte mutilatam in Appendice subnectemus. Paternitatem Carthovori Branæ vindicavit olim P. Matthæus *Herbelin*, Branensis historiographus. Rem novam, nullis veteribus suffultam documentis, confutavit coævus scriptor P. Mauritius *du Pré*, Ambianensis Canonicus, & matriculas Ordinis recentiori figmento opposuit. Quotquot enim exstant, jus illud *Bello-loco* ab omni tempore adjudicatum evincunt, nec quisquam in consessibus generalibus, ubi Paternitatum prærogativæ ancipites solent elucidari, in dubium vocavit aut in judicium, Paternitatem Belli-loci. Eam agnovit, aut agnitam supposuit Clemens VIII. dum ex intuitu jurisdictionis istius, P. Carolo de *Bourdeaux*, Abbati Belli-loci, usum Mitræ & Pontificalium indulsit anno 1602. Hanc apprimè noverat P. Augustinus *le Scellier*, qui antequàm ad Generalatûs apicem promoveretur, Prior Carthovori institutus est à Patre le *Brum*, Belli-loci Abbate, & post suam promotionem, hujusmodi juris conscius & assertor, dum Carthovori visitationem Canonicam clauderet, præcepit ut *P. Prior nullos sine consilio & assensu nostro, vel R. dicti Abbatis de Bello-loco, Patris Abbatis dicti monasterii Novitios recipiat, vel admittat ad habitum, vel ad professionem.*

Possessioni actuali, quâ gaudet Belli-locensis Abbas, suffragatur libellus supplex, qui fortuitò occurrit mihi quisquilias chartaceas evolventi in Carthovoro. Libellus ille Fratri Sylvestro Abbati de Bello-loco, Patri Abbati Chartovori inscriptus, nomine Carthovorensis Capituli licentiam petit trahendi ad tribunal seculare Nicolaum *Guerrin* Medicinæ Professorem, & Abbatem Commendatarium Carthovori, victum ac vestitum suis subministrare Religiosis recusantem. Cui postulationi, impertito consensu, & appositione chirographi annuit Abbas Sylvester anno 1546.

Concinentium sibi modernorum & antiquorum documentorum harmonia, nullis hactenùs intercepta reclamationibus, in tuto Paternitatem ponit, solo præscriptionis jure tutam. Opponunt nihilominùs nativitatis præeminentiam Carthovoro assertam, ipsis originis suæ tabulis. Ordini enim accessit Carthovorum anno 1133. Bellus-locus verò nonnisi anno 1140. aut 45. Præmonstratensis factus est, quamvis ab anno 1112. sub Augustini regula militaret in habitu Canonico. At quî potuit natu minima, annis dudùm vegetam iterùm parturire? Quî potuit Bellus-locus origine priorem Abbatiam, suis dotatam prædiis, Canonicorum instructam numero, alterius pariendi cœnobii capacem, iterum generare? Attamen non aliunde manavit in Ordine Paternitas, quàm ex dote, aut transmissione Religiosorum in nascentes Abbatias.

Addunt ad generalis hujus principii fulcimentum, gesta Jacobi Abbatis Præmonstratensis. Ille 2°. Februarii 1517, in vim Paternitatis suæ dedit dimissoriales litteras Fr. Antonio *Parent*, neo-electo Carthoviensi Abbati, ad Benedictionem ab antistite Catholico recipiendam, in quibus hæc ego verba legi. » Notum sit..... quòd nos ritè & canonicè, » secundùm statutorum nostrorum traditiones » eum (Anthonium) providerimus, prout in » instrumentis publicis pleniùs continetur &c.

Evolvit se ab his objectionibus Bellilocensis Abbas, reponitque primitùs in Carthovoro extitisse Augustinianas Sanctimoniales, à sua pendentes Abbatia; quibus cùm Præmonstratenses successerunt, ad Matrem respectum habuere, ut primùm Mater ipsa Præmonstratensis evasit. Pendula interim, & usque ad mutationem Belli-loci, sequestrata penès Præmonstratum Paternitas.

Nullibi apud Carthovorenses reperi vestigium mutationis sexûs & habitûs in hoc monasterio. Forsan apud Bellilocenses extant, nulla tamen subministrarunt nobis. Verùm non hîc sistunt eludendi argumenti responsa. Aiunt enim jura Paternitatis non ex solo antiquitatis privilegio, aut manumissione Religiosorum acquiri vel conservari assuevisse in Ordine nostro. Quot enim Abbatiæ jure suo exciderunt, dum vel Filias inopiâ laborantes, aut ruinis attritas, aut in spiritu defervescentes, neglexerunt

confovere, restaurare? Quot Abbatiæ supplentes Matrum defectus, in Maternitatis jura, sanctione Capitulorum, vel consuetudinis suffragio, involarunt? Ex hoc fonte manasse creditur Paternitas in Carthovorum. Sed ex quocumque capite prodierit, constat esse justam, irrefragabilem, titulo bonæ fidei, possessionis antiquitate præscriptivam. Quis enim malam fidem, usurpationis violentæ fraudem calumniari audeat in Abbate reditûs exigui, leucis 35. distante à Carthovoro, cui caput Ordinis Præmonstratum, & pinguis Brana imminent, ambo suis honoribus, juribus suis vigilanter intenta, necdùm tamen seriis accusationibus reclamantia Paternitatem sibi ereptam.

Quod verò astruitur ab exemplo Jacobi Præmonstrati Abbatis, refellunt ut æquivocum. Habet enim Abbas Præmonstrati in singulas totius Ordinis Abbatias, ratione Capitis, jurisdictionem, quam salvâ Patrum Abbatum reverentiâ, in earum Filiabus Ecclesiis exercet, etiam ipsis præsentibus. Quidni ergo Jacobus, fortè electionis præses, aut sede Belli-loci vacante forsitan, Patrem Abbatem repræsentans, aut per viam appellationis judex electionis factus, quidni, inquam, commendatitias, & & dimissoriales litteras Antonio *Parent* dederit?

Sed de Paternitate satis; neque enim judex constitutus sum inter collitigantes. Res erit Capituli generalis, si tamen deferenda videatur quæstio, longævâ & pacificâ possessione enodata.

Abbatum seriem ex mutilato, & malè asservato Archivio, multis à me laboribus examinato, eruere non potui.

Quos ex Carthovori, & aliorum monasteriorum documentis comparavi, hos cronologico, quantùm licuit, ordine attexo.

I.

GIRLEMUS vel GIRELMUS, in excesa Gosselini Charta pro Carthovoro, anni 1134. ut primus monasterii Abbas nuncupatur. Testis quoque subscripsit fundationis Instrumento Vallis Christianæ anno eodem 1134. Chartæ Gosleni, Suessionensis episcopi, in gratiam Branensis Ecclesiæ, quam videas apud Duchesnium in Probationibus familiæ Principum Drocarum pag. 234. subscribit Girelmus anno 1150. Item anno 1158. attestatur donationem nemoris *Bellifontis* factam Branæ ab Agnete de Brana, per manus Ansculphi Suessionum episcopi.

II.

Meminit Necrologium Roberti Abbatis Carthovori, ex Viconia assumpti, tempore Godefridi de *Tongris*, anno circiter 1179. Fortè Girelmo successit.

III.

WILLERMUS sistitur ut testis anno 1178. donationi factæ a Rodulpho Domino *Couciaci* in gratiam Ecclesiæ Præmonstratensis. Subscripsit pariter Chartæ Ansculphi de *Cramailles*, quâ Abbatiæ Vallis Christianæ concedit quatuor sextarios annonæ, percipiendos super villam suam de *Cramailles*, anno 1185.

IV.

PETRUS anno 1192. præsidebat Charthovoro, secundùm Annales P. *du Pré*.

V.

BALDUINUS ex Chartovorensi Abbatia ad Præmonstratensem transfertur anno 1201.

VI.

LUDOVICUS anno 1213. à Capitulis sancti Martini, & sancti Joannis Laudunensis arbiter controversiæ electus est, motæ super quoddam ab utroque Capitulo prætensum prædium.

VII.

ÆGIDIUS mihi notus ex Fastis Præmonstratensibus P. *du Pré*, sicut &

VIII.

EUSTACHIUS, qui Abbatem agebat anno 1244.

IX.

ROBERTUS *DES COSSES*. Hunc ex Archiviis Regiæ suæ Celsitudinis Lotharenæ expiscatus sum, ineuntem tractatum anno 1265. cum Renaldo Principe Barrensi, fratre Comitis Renaldi, quo molendinum de *Quinci la ville*, Renaldo tradit sub censu annuo quatuor librarum Turonensium.

X.

HUGO.

XI.

JOANNES, ambo à Mauritio *du Pré* obtrusi.

XII.

MANASSERIUS anno 1300. in Festo S. Marci Evangelistæ cum Alardo Abbate Igniacensi amicabiliter, & per concambium litem super jure decimandi in monte sancti Martini, componit. Obitus ejus consignatur ad 7. Idus Maii in Necrologiis Domni-Martini, & S. Andreæ in nemore.

XIII.

BERNARDUS anno 1315. mense Martio, paciscitur. Sex sequiores Prælati penes fidem sint P. Mauritii *du Pré*, si Joannem II. excipias.

XIV.

JOANNES II. cognomento *Chaudroy*, anno 1338. Joannem de *Villesavoir* Militem, Dominum de *Longueval*, jura & jurisdictionem *Parvi Carthovori*, villæ in ejus territorio consistentis, invadentem, cogit restituere.

XV.

THEOBALDUS.

XVI.

JACOBUS, resignavit vel depositus est; nam in Obituario S. Joannis Ambianensis ad diem 23. Decembris dicitur *quondam Abbas Carthovori*.

XVII.

HUGO Canonicus Branensis.

XVIII.

THEODORICUS.

XIX.

GERVASIUS.

XX.

BERTRANDUS DE *CURY*, contractum fecit 28. Augusti 1409.

XXI.

JOANNES III. in vivis agebat anno 1426.

XXII.

THOMAS LE *FEBVRE*, cum Joanne *le Changeur* Abbate Branensi, per mediatores interpositos Joannem Præmonstrati, & Petrum S. Martini Laudunensis, litem sopivit, ex occasione præstationis repetitæ à Branensibus, suscitatam, anno 1445.

XXIII.

ALANUS cum Abbate sancti Remigii Remensis, sancit concordiam anno 1449.

XXIV.

SIMON *AUBERT* libellum supplicem Roberto Sarbrucensi, Comiti Branæ, à cujus feodo Carthovorum, jure supremi dominii pendet, obtulit anno 1465. Inter clientelares enim fundos Comitatûs Branæ, ab omni ævo professi sunt Carthovorum Comites Branenses, Margareta de *Roucy* anno 1350. Simon *de Roucy* anno 1380. Amatus *de Sarbruche* anno 1510. Carolus *de la Mark* anno 1582. & inde Fundatorum sibi honorem adsciscunt.

XXV.

RADULPHUS DE *LANNOIS*, ex variis actibus dies produxisse suos ad annum 1616. colligitur. Dies obitûs notatur 7. Decembris in Obituario S. Joannis Ambianensis.

XXVI.

ANTONIUS *PARENT* die 2. Februarii 1517. electus. Obiisse notatur in Necrologio Gaudiivallis quarto Junii anno 1530. In ipso desiit regularium Abbatum series, & Commendatariorum propago ab anno 1531. exorta, initium sumpsit à Guillelmo *le Petit*.

XXVII.

GUILLELMUS LE *PETIT*.

XXVIII.

NICOLAUS *GUERRIN* Medicinæ Doctor & Professor, possessionem Abbatiæ adeptus anno 1545. omnem monasterii substantiam deglutire volens, Canonicis victum & vestitum denegans, arresto Parlamenti Parisiensis, partem proventuum avaritiæ suæ subducere coactus est, ad Religiosorum sustentationem.

XXIX.

JOANNES *PANYER* in effigiato lapide ejus epitaphium sic legitur.

Cy gist Noble homme maître JEAN PANYER Abbé de céans, seul Créanteur du Testament de feu Madame Guillemete de Sarbruche Comtesse de Braine qui trépassa le 2. Janvier MDLXXVIII.
Priez Dieu pour son Ame.

XXX.

HENRICUS *NIDET*. Obiit anno 1582.

XXXI.

THEODORICUS *MOET*, anno eodem subrogatus.

XXXII.

FRANCISCUS *BRULARD* Remensis Archidiaconus ab anno 1588. ad 1601. Abbas.

XXXIII.

FRANCISCUS LE *PICARD*, à consiliis & eleëmosynis Reginæ.

XXXIV.

SIMON LE *GRAS*, episcopus Suessionensis.

XXXV.

CAROLUS DE *BOURLON*, episcopus Suessionensis.

XXXVI.

CLAUDIUS DE *BOURLON*.

XXXVII.

RENATUS DE *MORNAY*, denatus anno 1710.

XXXVIII.

XXXIX.

RENATUS DE *MORNAY*, denatus an. 1710.

XXXX.

N.... DE *CLAIREMBAULT*, 1718.

XXXXI.

NICOLAUS *HUBERT DE MONGAUT*, Ducis Carnotensis, nunc Aurelianensis, Præceptor, hodie Abbatiam possidet 1726.

PASTORATUS.

Chery.

Mons sancti Martini. in Diœcesi Suessionensi ambo.

PATERNITAS.

Carthovorensi virorum Abbatiæ contiguus adjacebat parthenon monialium, qui fugit Layruëlium & Pagium, elenchos omnium Ordinis Ecclesiarum scribentes. Attamen cæteris partheniis illud adnumerandum evincit Charta Lamberti Episcopi Morinensis, confirmantis Carthovoro bona collata ab Fulberto & Herea uxore ejus, eâ lege, quòd Dolina eorum, filia, inter Sorores Carthovorenses admitteretur ad habitum Religionis, anno 1197. mense Maio. Vide Probat. à col. ccclxxvij ad col. ccclxxviij.

CASA-DEI.

Casa-Dei Filia S. Martini Laudunensis. Diœcesis Ausciensis. Circaria Vasconiæ. * La Case-Dieu.

PRima orientis in Vasconia Ordinis Præmonstratensis proles, & cæterarum quæ in Provincia Novem-populana, & in Hispaniæ regno pullularunt, Abbatiarum parens, est Casa Dei, * ædificiorum amplitudine, templi elegantiâ, proventuum magnitudine & numero, quondam spectabilis; nunc autem ab irruptione Calvinistarum, imminuta opibus, prostrata ex parte in ædificiis; Ecclesia nihilominùs invito incendio, integra perseverans, cui claustrum denuò excitatum, adjacet non ignobile. Frelone Fundatore, vel Frocone, ut scribit Mauritius *Dupré* Ordinis annalista, prodiit hoc cœnobium, Guillelmo *d'Andozille* Archiepiscopo Ausciensi, illud transcribente Waltero Abbati S. Martini Laudunensis, anno 1135. indictione 13 epactâ 4. concurrente 1. ut legimus in originali diplomate asservato in scriniis S. Martini, sed penè exeso.

Si veteri membranæ Ausciensis Metropolis, gesta Guillelmi *d'Andozille* compendiosè referenti, credimus, totam dotem, & totius monasterii structuram debet Præmonstratensis religionis amatori, Guillelmo, qui intra fines Vasconiæ, tam Cisterciensis, quàm Præmonstratensis Ordinis, decem monasteria, & Sanctimonialium nonnulla de Ordine Fontis-Ebraldi, in honore omnipotentis Dei fundavit & plantavit.

Anno 1215. Abbatiam Casæ-Dei regebat Joannes, vir præditus sanctitate & moribus, & laudabilis testimonii, quem unanimiter Adurense Capitulum, post Vitalis episcopi funus ad vacantem Cathedram assumpsit; sed quoniam electi humilitas, altioris gradûs impatiens, episcopatum declinabat, Gervasium Abbatem Præmonstrati, rogaverunt electores, ut cunctantem, Adurensis Ecclesiæ doloribus & votis, pastorem concederet & urgeret. Annuit supplicum precibus Abbas Præmonstrati, & postulatum concorditer episcopum, amicabiliter & benignè concessit.

Etsi verò grassans per Vasconiam, Calviniana hæresis incendio & direptioni omnia penè donaverit anno 1570. quædam tamen documenta Casæ-Dei, aut circumstantium Ecclesiarum feliciter evaserunt, quæ texendo Abbatum elencho, nonnullos tamen patienti hiatus, suppetunt: utinam & eorum gesta, quæ præsertim ambimus, parùm de successione nominum solliciti, manassent ad posteros! Primus igitur qui nascenti Casæ-Dei datus est Abbas à Waltero Laudunensi Abbate, fuit

BERNARDUS, cujus memoriam recolit Necrologium Casæ-Dei 17. Kal. Februarii, & primum Abbatem appellat. Paucis annis seu morte præoccupatus, seu spontaneâ exauctoratus cessione, rexit.

GARCIAS successit, ex Marchasii Radulphi & Artonæ Obituariis notus, & eo ordine reponitur & loco, ut suum asservemus ordinem Pontio.

PONTIUS, tertius renunciatur Abbas in Necrologio Casæ-Dei. Pro vindicando patronatu Beatæ Quiteriæ *de Ripa-alta*, litem habuit adversùs Bernardum *de Montesquiou* episcopum Tarbensem, & vicit anno 1141.

BERNARDUS II. Bullam confirmationis & protectionis accepit à Cælestino II. pontificatûs anno 1. v. kal. Aprilis 1143. Legimus ipsi factam an. 1148. à Comitissa Domna majore *Petriz* donationem totius hæreditatis, quam habebat in *Retorta*, ut ibidem constitueretur Abbas, & Conventus, secundùm consuetudinem Ordinis Præmonstratensis. Abbatem & Religiosos ad fundatum Capellæ cœnobium propè Granatam, transmisit anno 1154. Obiit pridie Octobris anno circiter 1158. & memoriam ejus sic recolit Necrologium. *Pridie idus Octobris Commemoratio fratris Domni Bernardi Abbatis Casæ-Dei, qui ædificavit cœnobium quod Capella dicitur, situm propè fluvium Garumnæ, Diœcesis Tolosanæ, propè Granatam, pro quo tenemur facere plenarium officium.*

GERALDUS Abbas Casæ-Dei occurrit in Charta Guillelmi Abbatis Furnensis anno 1159. apud Waghnart pag. 386. Hist. sive Orig. S. Nicol. Furnensis. Item in Charta pro Clarofonte de anno 1165.

BERNARDUS III. adfuit compositioni initæ anno 1168. inter Religiosos Capellæ & Grandis-sylvæ.

PONTIUS II. accepit à Petro Auscienſi epiſcopo, de conſenſu ejuſdem Capituli, Canonicam dignitatem in Eccleſia Auſcienſi, ſicut & Eccleſiam S. Pauli-ad-montes. Chirographo ſuo munivit inſtrumentum obedientiæ, quam Dominicus Sacri-montis, ſeu Vitis Abbas primus, Sanctio Retortæ Abbati, tanquam Patri ſuo, morti jam proximus, tandem præſtitit, anno 1185.

JOANNES atteſtante Capitulo Adurenſis Eccleſiæ, *præditus erat ſanctitate & moribus, & laudabilis teſtimonii, longis retrò temporibus.* Propterea vacante epiſcopali ſede Adurenſi per mortem Vitalis, anno ut dictum eſt à nobis alibi, 1215, *unanimiter & concorditer poſtulatus eſt à Canonicis.* Sed cum pro ſua ſanctitate & modeſtia reniteretur, ſupplicem Gervaſio Abbati Præmonſtrati & Ordinis Moderatori, epiſtolam ſcripſêre Canonici Adurenſes, ut reluctantem compelleret intrare in Cathedram ſuis meritis debitam. Ceſſit ſupplicum votis Gervaſius, & Joannem coëgit parere vocationi. Anno 1216. interfuit cum pluribus Epiſcopis, ſponſalibus Petronillæ Comitiſſæ Bigorrenſis, cum Guidone *de Monte-forti*, filio Simonis Comitis & Ducis Narbonæ.

Sacræ Ant. eq. Mon p. 47.

RAYMONDUS *GUILLELMI*, 9. kal. Septembris anni 1226. defunctus, præſentavit anno 1224. Petrum *de Serra* ſuum Canonicum, Arnaldo Guillelmo *de Biran* epiſcopo Tarbenſi, inſtituendum Paſtorem Sanctæ Quiteriæ de Alta-Ripa.

SANCIUS DE *SANCTO LOBORO* contra Hugonem *de Pardaillan* epiſcopum Tarbenſem, jus patronatûs Sanctæ Quiteriæ ambientem, lite intentata decertavit & prævaluit, judicio Odonis de *Levitania* Abbatis* Generenſis, arbitri, anno 1227. VI. nonas Maii; & ita ad præſentationem Sancii Frater Raymundus *de Arciis* inſtitutus eſt paſtor.

* S. Pé de Generez.

GERALDUS II. anno 1231. teſtis ſiſtitur Chartæ compoſitionis inter R. Comitem Toloſanum & Raymundum Abbatem *Gailliaci* * primum nomine, nam ſecundus cognominis, patriâ Agennenſis, & proſapiâ nobili *de Roquecor* ſatus, ſeculo decimo tertio labente ex Canonico Caſæ-Dei poſtulatus, Abbatiam *Galliaci* adiit, ex qua anno 1318. primus deſignatur epiſcopus Sarlatenſis.

* Gaillac.

ARNALDUS *GUILLELMI* ab anno 1253. ad annum 1274. præfuiſſe legitur.

STEPHANUS de S. Joanne, qui & *de Lupaut* nuncupatur, ad annum 1301. Eo regente anno 1294. Babellis *de Lebreto*, Comitiſſa *Armaniaci & Feſenciaci*, legat fabricæ monaſterii Caſæ-Dei centum ſolidos Morlanenſes. Dies obitûs Stephani notatur in Obituario 17. kal. Aug.

ARNALDUS II. ab anno 1301 rexit, ſed non ultrà annum 1308. nam eodem anno præerat

VITALIS DE *GARDIA*, vir ſanctus, cujus index dexter incorruptus uſque modò, & piè aſſervatus, ſanctitatem declarat, & piorum venerationem promeruit. Lites cum Joanne *Armaniaci* Comite, anno 1322. & cum Guillelmo *Hunaldi* epiſcopo Tarbenſi pro patronatu S. Quiteriæ habuit anno 1324. & utraſque, jure interveniente, Abbas boni & æqui amator, obtinuit. Obiit anno 1336. & in navi Baſilicæ tumulatus jacet, hoc epitaphio donatus. *Anno Domini 1336. kal. Septembris obiit Domnus Vitalis de Gardia Abbas hujus Eccleſiæ undecimus. Orate pro illo. Pater noſter.*

DOMINICUS D'*AUGAIS* moritur anno 1360. Ejus mortem Necrologium ad 7. kal. Novembris ſic refert. *Obitus Dominici d'*Augays *piæ memoriæ Abbatis XII. qui deceſſit anno 1360.* Ex tabulario monaſterii quod in Bibliotheca Colbertina legerunt Editores novæ Galliæ Chriſtianæ didicimus, Innocentium VI. anno Pontificatûs nono, X. kal. Februarii Radulphum *de Vaſſinhac* Præpoſitum S. Juſti, Diœceſis Auſcienſis, & Petrum *Brunelli* Canonicum Cameracenſem, Nuntios delegaſſe, qui ſuo nomine bona defuncti Abbatis mobilia reciperent, Abbatiæque redituum rationes expoſcerent, hoc addito quod denuo Papa jus providendi de Abbate ſibi reſervaret. Nihilominus Canonici, mortui Pontificis mandatum aſpernantes, aut ſucceſſore ejus Urbano V. diſſimulante, ad electionem proceſſerunt, & renuntiatus eſt Abbas

JOANNES DE *CURIO*, antehàc Abbas Fontis-Calidi, de quo ad VII. kal. Octobris hoc habet Necrologium. *Obitus Joannis de* Curio *piæ memoriæ Abbatis hujus Eccleſiæ XIII. qui primitùs fuit Abbas Fontis-Calidi, & deceſſit anno Domini* 1371.

GAITHARDUS DE *CONDOMIO* deceſſit anno 1395, de illo ſic effatur Necrologium X kal. Novembris. *Obitus Gaithardi Abbatis hujus monaſterii XIV. qui deceſſit anno 1395.*

ARNALDUS DE *MELHONO*, *piæ ac recolendæ memoriæ Abbas hujus Eccleſiæ decimus quintus, qui primitùs fuit Abbas de Capella, Toloſanæ Diœceſis, & Villipodii Urgellitanæ Diœceſis, qui deceſſit ſub anno 1413.*

GUILLELMUS DE *ULMO*, nobis ex Editoribus Galliæ Chriſtianæ notus, & in teſtamento Guidonis *de Roſinhac* Abbatis Craſſenſis anni 1411. ab ipſis retectus, circà annum 1417. exceſſit, & illi ſuffectus eſt

PETRUS *RIGALDI*, qui 6. kal. Octobris in Necrologio ſic conſignatur. *Obitus Domni Petri Rigaldi piæ memoriæ Abbatis hujus Eccleſiæ XVI. qui obiit ſub anno Domini 1427.*

DOMINICUS DE *MONTE-ACUTO*, XVII. kal. Septembris moritur, & ad iſtam diem hoc habet Necrologium. *Obitus Domni Domini de* Monte-acuto *Abbatis hujus Eccleſiæ, qui obiit ſub anno Domini 1437.*

BERNARDUS DE *JU*, XVI. kal. Septembris occubuit, *piæ ac recolendæ memoriæ Abbas, qui multa bona fecit monaſterio & dedit officio Veſ-*

stiaria 400. scutorum auri, & officio Pitanciariæ 200. scutorum auri, qui obiit sub anno Domini 1458.

PETRUS DE MONTS Doctor in Decretis, electus anno 1459. desiit 1473. sexto kal. Novembris de illo sic in fastis legitur. *Comm. Petri de* Monts *piæ memoriæ Abbatis hujus Ecclesiæ & Doctoris in Decretis, qui multa bona fecit monasterio nostro, & constituit molendinum de Placentiâ, obiit sub anno Domini 1473. extra curiam Romanam.*

JOANNES DE LASCUNIO * Archiepiscopus Auxitanus, ad preces Ludovici XI. Regis Francorum instituitur Abbas à Sixto IV. Pontifice kal. Aprilis 1473. reluctante Capitulo, renitente Generali Ordinis Huberto *de Monte Hermerio*, qui Petrum *Mesengarbe* Abbatem dedit postulantibus Canonicis. Judicis *Ripariæ* & Romanæ sedis autoritate oppressus Archiepiscopi competitor Petrus, cessit fortiori, quem beneficum sensit Casa-Dei, teste Necrologio, ubi ad XVII. kal. Aprilis, hæc leguntur. *Commemoratio R. in Christo Patris Joannis de* Lascunio, *miseratione divinâ Archiepiscopi Auxitani, Administratoris perpetui hujus præsentis monasterii, cui, suâ benignâ gratiâ, multa bona & membris ejusdem, fecit. Concessit enim administrationem per ipsum habitam officio Vestiariæ, Ecclesiam S. Petri de* Cotenx, *anno 1476. etiam uniendo & incorporando, & concredendo, ut ab ista hora in antea, & post decessum Rectoris præsentis de* Cotenx *regatur per unum ex Religiosis prædicti monasterii ad præsentationem Abbatis qui pro tempore fuerit, & ad simplicem collationem Domini Archiepiscopi Auxitani. Et etiam fecit domum Sabateriæ, de novo ædificando fossatos aquâ munitos. Pro quibus bonis jam habitis & habendis, ex deliberatione Capituli & omnium Fratrum fuit concessum, ut cum Deus & Virgo gloriosa prosperare dignetur, quandiù vixerit, dicantur duæ missæ, una de Spiritu Sancto primâ die Jovis Quadragesimæ, & alia primo Sabbato Adventûs, cum pulsatione campanarum.* Obiit v. kal. Septemb. 1483.

* Nothus erat Arnaldi Guill. de *Lascun*, & de *Armoniaco* cognomen vulgò ferebat.

RAPHAEL RIARIUS Cardinalis Diaconus S. Georgii in Velabro, administrationem Abbatiæ ab Innocentio VIII. obtinuit.

PETRUS à *Sancto Mauritio*, per electionem creatus Abbas, acquisivit Rectoriam S. Joannis *de Polye*, & 16. kal. Novembris 1488. obdormivit in Domino.

JOANNES LE MAITRE electus & confirmatus anno 1488. moritur anno 1506.

GUILLELMUS DE PRAT anno 1506. electus, obiit anno 1508.

JOANNES DE MONTAGUT electus anno 1508. designatur Vicarius & Visitator monasteriorum Vasconiæ, ab Abbate Præmonstrati, an 1516. decessit XV. kal. Septembris 1528. postquam *multa bona fecit huic monasterio.*

JACOBUS DU FAUR Præpositus S. Salvii, Abbatiâ vacante ab annis duobus, per Breve regium obtinuit in Commendam, & ab illo ad duos nepotes successivè migravit, quorum alter fuit

PETRUS DU FAUR Vicarius Archiepiscopi Tolosani. Alter verò extitit

JOANNES DU FAUR anno 1583. nominatus à Rege & apostolicè provisus, adiit Abbatiam. Illi ex demissione successit

BERNARDUS D'AFFIS Regi Christianissimo à consiliis & eleemosynis, quem excepit.

JOANNES FRANCISCUS DE ROCHECHOUART, quem resignatione prævià secutus est

CAROLUS DE ROCHECHOUART, bullatus anno 1638.

DANIEL DE BARES DE S. MARTIN, regularem vitam professus, anno 1673. obiit anno 1693.

PAULUS DE CURDECHESNE Consiliarius in Curia Vectigalium Montis-pessulanâ, Abbas Plenæ-sylvæ & Doctor Sorbonicus, 24. Decembris 1693. Abbas Casæ-Dei à Rege Christianissimo declaratur.

PATERNITAS.

In subsequentes Abbatias jus paternum exercet Abbas Casæ-Dei.

Gratia Dei, vulgò S. Joannes de Castella.
Comba longa.
Bellipodium.
Retorta.
Lidatium.
Arthosium.
Dei-Villa.
Urdacium.
Fontia.
Capella propè Tolosam.
Capella B. Mariæ de Vico Fesentiati erecta in Præposituram à Capitulo generali an. 1477. nunc ad pristinam parochiæ conditionem reversa.

PASTORATUS.

Grangia de Vico *La Grange de Vic.*
Fesentiatum *Fesensac.*
Caironium *Cairon.*
Andenacum *Andenac.*
Placentia *Plaisance.*
S. Laurentius *S. Laurent.*
S. Anna *Ste Anne.* Prioratus simplex.
S. Quiteria *S....* Diœcesis Tarbensis.

CASTELLA *seu* S. JOANNES DE CASTELLA.

Castella, Fil. Casæ-Dei. Diœcesis Adurensis. Circaria Vasconiæ.

IN Diœcesi Adurensi, & Vicecomitatu Marsano, ad amnis * *Abtruri* ripas, uno vix ab *Aduro* lapide, sita est Abbatia *S. Joannis de Castella*, quæ aliàs *Gratia-Dei*, nuncupatur, Benedictinum primitùs profitens institutum, (a) à quo, temporum infelicitate, deficiens, cum

* L'ador.

(a) Marca, Histoire de Bearn l. 4. pag. 279.

ipso pariter concidit Abbatia. Hanc Petrus, Vicecomes Montis Marsani & Bigorræ *(a)* prostratam erexit à fundamentis, & insignibus ampliavit ædificiis anno 1140. quo & ipsam civitatem Montis-Marciani construxit. Templi inaugurationem fecit *Bonus homo*, Adurensis episcopus, & Præmonstratensium canonicorum agmen ex Casa-Dei eductum, in illius possessionem immisit.

Unita est ipsi penultimo seculo celebris quondam S. Mariæ de *Saranceo* Abbatia, geminumque sub uno capite cœnobium hodiedùm in regulari disciplina vigens, cæterorum Vasconiæ forma, fruitur Abbate religiosissimo & Provinciæ Vicario generali, qui reformationem anhelitùs spirans, pro illius promotione totus in Capitulo generali anni 1717. incubuit. Zeli ipsius testes fuimus, & approbatores.

Nullam primæ antiquitatis Chartam suppeditat Castella, duplex passa incendium: à Calvinistis unum, anno 1558. alterum, anno 1570. à Gabriele *Delorge*, Comite* *Montis-Gomerici*. Necrologiis & Liturgicis libris, è flamma feliciter subductis, usus est laudatus Abbas ad texendam Prædecessorum suorum seriem. Hanc nonnihil adauctam apponimus.

* Montgommery.

GUILLELMUS, adfuit ut testis donationi factæ monasterio Casæ-Dei, à Jordano de Insula, anno 1143.

ARNALDUS. I.

MARTINUS, anno 1188. defuncto Willelmo *Bernardi*, Adurensi episcopo, successor destinatur, & episcopatum rexit ad annum 1208.

PETRUS obiit an. 1208.

ODO I. Desiit an. 1226.

ODO II. Huic Guillelmus, Benearnensis Dominus, dictus de *Monte Catano**, S. Joannis de *Castella* Abbatiam visitans, ex pietatis sensu contulit anno 1227. novem Casalia *Domengadura*, *(b)* cum decimis *Julhaci*. *(c)* vivendi finem fecit Odo anno 1250.

* Moncade.

SANCIUS. I. Raymundum de S. Martino, Adurensem episcopum, dimisso Episcopatu ad habitum Religionis suscepit, & Ordini per professionem consecravit, anno 1266.

BERNARDUS, anno 1269. confirmationem bonorum, in agro Aginnensi comparatorum, obtinuit ab Alphonso, Comite Pictaviæ, & Tholosæ. Eodem anno, sabbatho ante Festum S. Marci Evangelistæ, Theobaldo Navarræ Regi, Campaniæ ac Briæ Comiti, *plenam participationem omnium orationum, & spiritualium beneficiorum, quæ in universo Ordine, & specialiter in domo* sua fierent, concessit.

SANCIUS II. anno 1288. composuit cum Constantia, Bigorræ Comitissa, super quibusdam terris, & tenementis, de feudis & retrofeudis prædictæ Comitissæ.

VITALIS, anno 1314. unà cum Comite Marciano, *Cazera* oppidum, Abbatiæ Castellensi contiguum, fundavit: & anno 1331. vicum de *Dubort*, intra cujus parochiam Abbatia consistit, concurrente eodem Comite Marciano construxit, & cum eo jus summum in eisdem locis, sicut & in villis de *Borderes*, *Melés*, & *Lorondas* ex æquo divisit. Nunc cum Rege Galliæ, Navarrici regni hærede, partitur Abbas.

SANCENERIUS obiit 1348.

PETRUS II. humanis exemptus 1373.

ARNALDUS II. fatis fungitur 1396.

PETRUS III.. ex nobili familia de *Castelnau* ad episcopatum Aquensem promotus, vivebat anno 1410.

LUBATUS obiit anno 1418.

RAYMUNDUS 1436.

BERNARDUS *DUMOULIN* 1459.

AUGERIUS *DE BARROMERES* homagium præstitit Francisco, Regi Navarræ, anno 1482.

JONNES *DE LA COUR* 1492.

PETRUS *DE MONTLESUN* 1522.

ANTHONIUS *P. RTERE* 1532.

JOANNES *CAPDEQUY*, anno 1568. à Calvinistis, per Vasconiam debacchantibus, fugere coactus, Religiosos suos, hostium invidiæ & furori minus obnoxios, constituit domi custodes: quos immisericorditer Calvinistæ, prædâ potiore fraudati, ad ulmum alligatos, igne circumposito, flammis absumpserunt. Unum Raymundum nomine, in terram usque ad caput defossum, sclopetis confecerunt, in odium fidei, & religionis. Alterum, cum libris, & archivis comprehensum, flammis donarunt præ foribus monasterii. Tertius, Grangiarii officio, non procul à Cadurco fungens trucidatus est ab illis, quos ad mensam perhumaniter dietim exipiebat. Monasterium deinde spoliatum, & penitùs exinanitum vulcano devoverunt in recessu. Remissâ aliquandiù hostium sævitiâ, ad suos reversus lares Abbas Joannes, reparandis ædibus, congregandisque aliunde Canonincis sedulus advigilat: sed renascens hæreticus turbo iterum Castellam adoritur, anno 1570. & totam domum vertit in favillas, Canonicis celeri fugâ se subducentibus è manu hostili. Hos inter extitit celeberrimus Joannes de *Pruetis*, Doctor Sorbonicus, & postmodùm Præmonstrati Abbas. Paucis ab hac clade annis, dolore consumptus, moritur Abbas Joannes, & ipse Sorbonicus Doctor, fidei deffensor egregius, Calvinistarum terror in concertationibus. Lugenti super ruinas Jerusalem successit

(a) Ibid. pag. 819 In Necrologio Castellensi legitur ejusdem Comitis Commemoratio his verbis. *Kal. Septembris, Commemoratio Petri, Comitis Bigorra, & Mars. Fundatoris hujus Ecclesia. Anno Domini MCLXIII.*

(b) Prædium Dominicum, vel ut aliis placet primaria viri nobilis habitatio.

(c) Marca. Histor. Benearn. l. vi. cap. 33.

PETRUS DE *ZOMPAGIEU*, qui cessione spontaneâ pedum transmisit nepoti, anno 1657. moritur 25. Octobris 1662.

PETRUS DE *ZOMPAGIEU*, ad instar avunculi, respiciens carnem, & sanguinem, anno 1662. resignavit & ipse

JOANNI DE *ZOMPAGIEU*, nepoti suo, & ita:

Ad Satana votum successit turba nepotum.

Ultimum horum surculum, monasterio fatalem, resecuit mors, anno 1675. cui suffectus est

N. *DU BUISSON* Canonicus S. Genovefæ, qui ad Landavensem Ordinis sui Abbatiam promotus, anno 1681. cessit. Illi subrogatus est

FRANCISCUS *BUTRETTE*. Hic meliori œconomiâ patrimonium S. Norberti administrans, dies fecit meliores, & vidit finem bonum anno 1685. Parisiis, ubi subitaneâ morte sublatus est.

FRANCISCUS *LE REGRATIER* Canonicus Castellæ, ejusdem effectus Abbas, obiit anno 1698.

HENRICUS *DUPUY DE CRESSOVILLE*, Doctor Sorbonicus, Vicarius generalis Vasconiæ, vir undequaque laudabilis, possessionem adiit die 16 Maii, anno 1698. & hodie utiliter præest. Præsit utinam & diù!

PASTORATUS.

Acous, in montibus Pyrænæis, & Diœcesi Oleronensi.

Duhort, *Cazera*, & *Priam*, Diœcesis Adurensis.

Garos, Diœcesis Lascarensis.

BENEFICIA SIMPLICIA.

S. Julianus, Diœcesis Oleronensis.

Lanna, Diœcesis Adurensis.

Borderes, *Lacquy*, *Maslheres*, *Julliac*, *Pietat*, *Durance*, Fons-clarus, Vienna, Diœcesis Condomensis.

Sancta Columba, aliàs *Miradousse*, in Diœcesi Lactoracensi.

Beneficia illa simplicia, quæ abusivè Prioratus dicuntur, antiquitùs erant grangiæ, ab ipso monasterio pendentes.

Vide Prob. à col. CCCLXXIX. ad col. CCCLXXX.

CASTELLUM DEI.

Castellum ad Mauritaniam. Filius Viconiæ. Diœcesis Attrebatensis. Circaria Flandriæ.

TEmpore Caroli Calvi, Flandriæ Comitatum administrante Balduino I. circa annum 870. in Diœcesi Attrebatensi juxta, Castellum Mauritaniæ (*Mortagne*) ubi in Scaldim* influit Scarpa*, ædificatum fuit Castelli monasterium, sub invocatione S. Martini, quod patriâ linguâ, *Chateau l'Abbaye* dicitur, in territorio Tornacensi. Illuc monachi vel Canonici (quæstio enim ex documentorum defectu sub judice manet) inducti fuerunt à Principe Fundatore, ut Christianorum militum in Belgio à vastatoribus Normannis ad Regalem curtem* magnâ clade fusorum, animabus, piaculares orationes offerrent Deo. Bellorum iterata incendia, depopulatio hostium frequens, ad desertionem monasterii lassos & sæpe fugatos incolas compulerunt.

* l'Escaut.
* La Scarpe.
* Roucourt

I.

Evrardus Radulphus Princeps Mortaniæ & Castellanus Tornaci, nolens in paterno solo piorum Principum sacra monumenta jacere neglecta, Godescalcum Attrebati Præsulem adiit, & de consilio illius accersivit è Viconia Religiosos, qui avitæ fundationis onera laudabiliter sustinerent. Favit supplicantis desiderio Abbas Viconiæ, & coloniæ ducem RADULPHUM instituens, in caducum cœnobium suos immisit. Quo autem anno id contigerit, aliquâ indagine perscrutemur. Sub Alvisio Attrebatensi episcopo autumant aliqui, non alio prorsùs nixi fundameto, quàm Chartâ confirmatrice translationis altaris de *Fraisnis*, ad Condatenses Canonicos, sub Roberto Abbate Castelli Dei, & Alvisio Attrebatensium Præsule, anno 1141. Sed nihil evincit diploma illud à Myræo laudatum; siquidem ante substitutionem Præmonstratensium, Abbatiæ titulo Castellum gaudebat. Saniùs ergo & ad scriniorum Viconiæ, & Castelli documenta aptiùs censemus circa annum 1151. ad petitionem Mauritaniæ Principis, Castellum obtigisse Præmonstratensibus.

Novellam plantationem Radulphus Abbas irrigavit, fovit, multiplicavit, & benefico Principi, cujus benevolentiam virtutis lenocinio captarat, gratè parentavit, dum corporis exuvias ad Ecclesiam Castelli pompatico deportatas apparatu, terræ mandavit anno 1182. Dupréi. Inscriptionem tumulo impositam seculorum lapsus, seu magis hostilis vastitas abolevit in lapide, in membranis asservatam * restituo. * MSS. Dupré.

Everardus Radulphus Princeps Mortaniæ, & Castellanus Tornaci, verus ædificator hujus Ecclesiæ. Hic sepelitur anno MCLXXXII.

Annno eodem, at mense incerto, Everardus ille in gratiam totius Ordinis Præmonstratensis edidit Diploma immunitatis ab omni teloneo, vinagio & exactione per universæ suæ dynastiæ terras: In hac Charta Principem Tornaci se inscribit, & subscriptores habet Ivonem Abbatem S. Martini Tornacensis cum suo Conventu, testes verò Abbates de Præmonstrato, de S. Foillano, de *Alnevich*, & alios.

Arnulpho Viconiensi Abbate mortuo, tri-

stes de boni Patris obitu filii, protinùs ad Radulphum Castelli Abbatem converterunt oculos, ut afflictum gregem providâ gubernatione recrearet. Unanimiter postulatum, unanimi quodammodò violentiâ avulsum filium, matri restituerunt anno 1197. virum ætatis tunc provectæ, sed tantò provectioris virtutis. Diuturnius Radulphi regimen 46. annorum nonnihil suspicionis injicit, ne non primus Præmonstratensium præfuerit Castello; & quidem Chartæ Nicolai Cameracensium Præsulis in gratiam *Bonæ spei*, cum Galtero Abbate S. Foillani subscribit.

II.

ADAM Abbas de Castello anno 1162. Tunc verò temporis in usu fuisse unicam vocem Castellum ad designandam Abbatiam *Castelli Dei*, vel ad *Mortaniam*, discimus ex Bulla Alexandri III. * Quidquid sit, certum est Castelli moribus, disciplinâ, religione florentis regimen anno 1197. obtigisse.

Vide Prob.

III.

HERBERTO, imò certum est jam tum ab anno 1183. præfuisse, quandoquidem ut Abbas Castelli subscribit eo anno chartæ confœderationis inter Laudunenses S. Martini, & SS. Joannis & Vincentii Religiosos. obiit anno 1199.

IV.

RAYNARDUS S Foillani Canonicus ad Castelli prælaturam assumptus, ascendit per viam postulationis ad *Bonæ-spei* Abbatiam anno 1205. quam uno vix anno gestam dimisit.

V.

DRIARIUS, de quo autographa anni 1208.

VI.

ODO monasterium moderabatur anno 1221.

VII.

EVRARDUS florebat anno 1234. Ejus ætate constructum est Oratorium Beatæ Mariæ juxta sylvam vulgo *Malaise*, quo erecto, plurima in eo miracula patrata sunt, nostris, ut aiunt, continuata temporibus. Venerabilem hanc an. 1719 Capellam invisi, & vota B. Mariæ Virgini exolvimus ibi supplices.

VIII.

BALDUINUS.

IX.

ROBERTUS II. regebat anno 1240.

X.

STEPHANUS. 1271.

XI.

JOANNES vivebat anno 1290.

XII.

PETRUS in actis 1298. & 1299.

XIII.

JACOBUS *JACQUENIES* duas insignes campanas conflari curavit anno 1332.

XIV.

WALTERUS DE *TEMPLEMARCHE* an. 1354 munus Abbatiale gerebat. Obiit anno. 1355.

XV.

JACOBUS *JACQUENIES* II. ab anno 1355. & ultra agebat in vivis.

XVI.

WALTERUS II. claruit anno 1380.

XVII.

JACOBUS III.

XVIII.

GERARDUS *FOUQUART* pedum gestabat an. 1410.

XIX.

JONNES *HANOIZE*.

XX.

GOSWINUS CORBIZON collapsum monasterium reparavit & cultûs divini instauravit decentiam. Obiit anno 1445. Jacet in Sanctuario tumulatus, cum hac inscriptione.

Chy gist Messire Gossevin CORBISSON Abbé de cette Eglise qui trépassa l'an M. CCCCXLV.
Et subtus pedes:
Abbé Gosse CORBISSON....... qui grant painne prist en sa vie de reparer yceste Eglise, & de le remettre en trés bon los. Jesus ly soit misericorde.

XXI.

GERARDUS *CARON*.

XXII.

JOANNES *GOURDIN*. In Claustro lapis parieti insertus exhibet superscriptum:

Chi devant gist Frere Jehan GOURDIN en son tems Abbé de le maison de cheans, lequel trèspassa l'an de grace M. V. C. le XIX jour de May. Priez pour l'ame.

XXIII.

JOANNES *HUFFROIT* cessit anno 1520

XXIV.

JUDOCUS *PASQUIER* vitæ regularis observan-

tissimus, parochialem & conventualem extruxit Ecclesiam. Obiit primâ die Februarii 1557.

XXV.

Labbe Tom. 15. col. 240. PETRUS *BRASSART*. Concilio Provinciæ Cameracensis habito anno 1565. non interfuit: verùm procuratorias ejus litteras exhibuit R^mus^. Franciscus *Richardot* episcopus Attrebatensis.

XXVI.

OLIVERIUS *BOUCHAGEM* 29. Junii 1580.

XXVII.

GUILLELMUS *MON..RT*, plerorumque ædificiorum restitutor, die quarta Octobris. 1590.

XXVIII.

JACOBUS *THIERRI*, moribus, doctrinâ, & corporis elegantia conspicuus, XVI. Kal. Februarii 1603.

XXIX.

HERMES *DU PONT* die decimâ tertiâ Maii 1631. obiit, & tumulatus est sub tumbâ, quæ nunc mota loco, hanc exhibet inscriptionem:

Cy gist Reverend Pere en Dieu Hermés *DU PONT* en son tems Abbé de cette Eglise; qui zelé de l'honneur de Dieu & de son Eglise, a icelle decoré de plusieurs tables d'autels, d'honorables formes, orgues &c. Lequel tréspassa le 13. jour de May 1631. Priez Dieu pour son ame.

XXX.

ARNOLDUS *BAUDIN* pietatis & justitiæ exemplar, post novennale regimen, fatis succubuit 24. Augusti 1640.

XXXI.

JOANNES *MAGNIET* non minùs facundus quàm doctus, ad Archi-ducem Leopoldum ab illustrissima Statuum Congregatione secundò ablegatus, Principis captavit dicendo admirationem; propriæ domûs fidelis administrator, piè 23. Decembris 1656. obiit.

XXXII.

MICHAEL *ROGUET* Pontificalium usum obtinuit, datoque sibi Coadjutore, grandævus obiit 21. Septembris 1675.

XXXIII.

JOANNES *GRAVE* 1684.

XXXIV.

BASILIUS *WERY* ad Christianissimum Galliæ Regem legatione, Statuum nomine, feliciter perfunctus, Ecclesiam sacrosque proventus æmulo & inviso marte deffendit. Per viginti septem annos paternè rexit familiam, & XVII. Kalend. Maii 1711. vivere desiit.

XXXV.

BASILIUS *DE LESPIERE*, à Capitulo Coadjutor electus, & à Domino Præmonstratensi confirmatus, Abbatialem adiit dignitatem anno 1711. Ædificia à furente marte solo prostrata, aut vetustate caduca, à fundamentis excitavit. Studia ob armorum juges tumultus interrupta, pristino restituit vigori. Ad visitationes Belgii, & tractûs Rheni obeundas collega R^di^. Generalis assumptus, Promotor Capituli generalis anni 1717. renuntiatus est.

PASTORATUS.

Unicus est, isque in Ecclesia monasteriali, quò confluunt vici Mortaniensis incolæ. Patronam venerantur Sanctam Odiliam, Virginem & Abbatissam Montis Hohemburgensis in Alsatia, piè defunctam VIII. seculo. Hanc autem *Adiliam* nuncupant Canonici nostri Castellenses, nec aliter audit in illa regione. Sub ejus patrocinio erecta est in Ecclesia Abbatiali sodalitas confirmata ab Alexandro septimo.

MONUMENTA SEPULCRALIA.

In Claustro:

Chi gist Emme Baronne de *Mortaigne*. tréspassa l'an de grace MCCCXXX.

In Sanctuario:

Ci gist Noble Seigneur Pierre de *Touwars*, en son tems Sr. de Mortaigne qui tréspassa le v. de Fevrier MDXLV.

Et noble Damoiselle Mademoiselle Jehanne de *Hocron* son Espeuse, Danre de *Lamberlart*, laquelle trespassa le IX. de May 1558. Priez pour leur ame.

Ibidem:

Icy gist Madame Catherine *Vander-graët*, Baronne de *Mortaigne*, Dame de *Fraiture*, *Dattrein*, *Meilsem* &c. laquelle tréspassa avecque sa fille le 16. Jour de Fevrier 1616. en travellant d'enfans. Priez Dieu pour son ame.

Ibidem:

D. O. M.

Antonius Franciscus Gaspar *COLINS* claro sanguine Baronum de *Mortaigne* satus, hoc monumentum in majorum suorum memoriam hîc conditorum, & maximè Dominarum Joannæ de *Ligne*, Mariæ & Annæ

de *Mola*, à qua ultima dicti Baronatûs hæreditatem adeptus est, apponi curavit. Tu, viator, mortuis bene apprecare. 1679. Vide Prob. à col. CCCLXXX. ad col. CCCLXXXIJ.

CASTRUM SPEI.

Castrum Spei. Fil. Horti Mariani. Diœcesis Caminensis. Circaria. Selavoma.

SIbrandus, Horti B. Mariæ Virginis in Frisia Abbas VI. post B. Syardi obitum, succenturiatus, anno 1230. eâ sanctitatis & doctrinæ famâ percrebuit, ut ad exteros longè pervagata, sui Instituti Canonicos, & Sanctimoniales propagaverit, Principum, & Potentum desideriis piè subserviens. Anastasia, Pomeraniæ Dux illustrissima, ad Sibrandi & familiæ suæ, virtutes arrecta, surculum decerpere statuit, quem insereret patriæ suæ. Legatorum, à religiosa Principe directorum, votis benignè seipsum accommodans Sibrandus, spopondit quod rogaverat, & oratores remisit, jussos parere locum, qui mox transmittendas exciperet Canonissas.

Struxit festinâ manu cœnobium Anastasia, in Diœcesi Caminensi, Pomeraniæ ulterioris agro, eique indidit nomen *Castrum Spei*, anno 1233. Appulsas Sanctimoniales, ex collegio Bethlehemitico assumptas, illic imposuit sub Præpositi Præfectura. Domicilium istud fovit beneficiis, & incolarum ejus frequenti contubernio usa, sic exarsit ad amorem Dei, & seculi contemptum, viduata conjuge Bugislao I. Pomeraniæ Duce, ab anno 1188. piissima Princeps, ut divisâ in filios paternâ hæreditate novum vitæ genus auspicata, seipsam Deo, & Religioni consecrarit, votorum solemni nuncupatione factâ, non anno 1278. ut incautè scripsit Pratanus, sed anno 1234. Quis enim habitâ temporum chronologicâ ratione, putaverit Principem, ab anno 1188. viduam, ætate maturam, attigisse annum 1278? Prorsùs si res ita se haberet, dicendum centenariæ ad minus, ætatis rugas ab ea fuisse Deo litatas, in Parthenone Castri Spei, & consummatam in brevi, insigna dedisse humilitatis exempla, quibus beatitatis præmium emeruit.

Camin.

Hoc cœnobium, pietatis antiquæ monumentum, nova sustulit impietas, Wandalis, Pomeranis, & Saxonibus crudeliter infesta. Prolem habuit jam matura parens, Parthenonem *Rubus*, de quo alibi.

S. CATHARINA IN ASTRO.

S. Catharina in Astro. Filia Horti Mariani. Diœcesis Monasteriensis. Circaria. Frisia.

PArthenon S. Catharinæ, quem sub *S. Mariæ in Astrolo* nuncupatione, recenset Layruelius, in designatione nominis ab aliis Indicibus discordans, surculus est fœcundæ matris Horti *B. Mariæ Virginis* in Frisia. Præside, & cooperante Ielgero, Abbate VIII. circa annum 1249. prodiit illud Vestalium collegium, in Diœcesi Monasteriensi, Lutolpho tum episcopante, & pium opus promovente.

S. CATHARINA IN TREMONIA.

S. Catharina in Tremonia. Filia Knechstedn. Diœcesis Coloniensis. Circaria Westphalia.

IN Circulo Westphaliæ, & Comitatu Markano, ad oras Amasii * jacet civitas Tremonia, Comitatûs cognominis caput, intra cujus ambitum Dynastæ Tremonienses, vulgò *les Comtes de Dortmund*, Præposituram Sanctimonialium ædificarunt seculo duodecimo desinente, & Knechtediensis Abbatis subjecerunt Paternitati.

* Ems.

Lapsu temporis, vel potius labente parthenonis fortunâ, ad Prioratum Præpositura deflexit, nec nisi à Prioribus obedientiariis, quos ad nutum amovet Abbas Knechtedii, regitur cœnobium.

Ex quo ad Brandeburgicos Principe Markanus Comitatus manavit, hæresis, sub eorum patrocinio, liberiùs grassata, Tremoniam ipsam invasit, & monasterium S. Catharinæ, quibus potuit, tentavit artibus eripere fidei, & Ordini: sed Virgines Principum nec minas veritæ, nec seductæ illecebris, steterunt in religionis professione immobiles, & hodiedum, quasi per miraculum, viginti quatuor, medios inter acatholicos, pietatem moribus, fidem cultu, rituque Romano profitentur.

CAZ.

Caz. Fil. S. Lucii, Diœcesis Curiensis Circaria Suevia.

ANtiquissimus Parthenon Cazensis, sive Caxiensis, in superioris Rhetiæ tractu, & ad Rhenum situs, in Diœcesi Curiensi, anno 760. à Victore, Curiensi episcopo, filio Paschalis Comitis Brigantini, & Esopeiæ, Rhetiæ Comitissæ, fundatum est, referente Bruschio, pro duodecim puellis sub Abbatissa viventibus. Cui regulæ manciparentur ab origine Sanctimoniales, siluit Bruschius, ad secularem statum, in quo ætate suâ vivebant, Canonissarum

rum more, magis attendens, priorum temporum negligens investigator.

Ante annum 1156. ad tenorem regulæ S. Augustini, vitam & mores exegisse testis est Adriani IV. Bulla Vigilio Abbati S. Lucii, Ordinis Præmonstratensis, inscripta, quâ Paternitatem in Casense monasterium ab Algotto delatam Vigilio Abbati confirmat, & Abbatissam authoritati ejus paternæ supponit.

» Quod venerabilis Frater noster Algottus, » Curiensis episcopus, in Ecclesia vestra statuisse » dignoscitur, videlicet ut Moniales in eadem » Ecclesia consistentes, sub regula S. Augustini, » reclusæ in claustro debeant Domino deservire, & spiritualia, atque Magistram, quæ eis » præesse debeat, à Præpositis, qui in Ecclesia B. » Lucii pro tempore fuerint, cum omni humilitate recipere, authoritate apostolica confir» mamus... Datum Laterani, per manum Ro» landi... anno Incarnationis Dominicæ 1156.

Ab hoc igitur anno, & regulæ B. Augustini, & Præmonstratensi suberant disciplinæ Cazenses Canonissæ. Ab utroque desciverant tempore Bruschii, cum ab omni professione, voto, ac ordine immunes ac liberas esse scribat, ac licere abdicato Canonicatu rursùs prodire in publicum, ac nubere. Talis erat, anno 1537. disciplina Cazi, seu potiùs corruptela sub Abbatissa Catharina *de Marmoribus*: sed ad eas, ut assolet, angustias religionis abjectio adegerat Cazense Capitulum, ut in una Virgine Ursula *de Sacco* contubernali Abbatissæ consisteret.

CELLA DEI INFERIOR.

Cella inferior. Fil. Cella superioris Diœcesis Herbipolensis. Circaria Fuldensis.

AMplum hoc & nobile monasterium sua habuit incunabula in Cella superiore, anno 1130. Verùm temporis successu, ita sentientibus Ordinis Proceribus, collegium illud Virginum anno 1260. ad locum remotiorem, in eamdem defluentis Mœni ripam, translatum est, nomenque inferioris Cellæ, seu Cellæ Dominarum, obtinuit ex nobilitate Canonissarum, quæ sub Magistræ primùm regimine militarunt, Præpositorum posteà magisterium sortitæ. Utrorumque elenchum ex veteribus, quoad licuit, monumentis, erutum exhibemus.

METHILDIS præfuit anno 1277. quam ordine incerto secutæ sunt.

ERMENTRUDIS.

LUDGARDIS.

FELIX *SCHRIMPFIN*.

ELISABETHA *NEUTARDIN*.

ELISABETHA *PFOCHERIN*.

AGNES Comitissa de *Wertheim* præfuit anno 1402.

MAGDALENA nobilis de *Pfesrdorff*.

ANNA Comitissa de *Wertheim* 1459.

AGNES II[a] de *Wertheim* ex eodem stemmate, cui defunctæ anno 1477. successit ex eodem sanguine

AGNES III[a] quæ resignavit, facta Conventualis, 1487.

MAGDALENA ex illustri stemmate *Zobeliorum*.

CATHARINA nobilis *Finsterlohe* post abdicatam Præfecturam supervixit usque ad 19. Junii 1526.

CATHARINA nobilis de *Rieden*, primo Januarii 1500.

ANNA *HABERKERNIN*, die 10. Martii 1529.

MAGDALENA nobilis de *Fronhoven* anus decrepita, sub cujus administratione, languescens disciplina taliter emarcuit, ut ad Præpositos regimen transferre fuerit necessum, horum prior fuit

ANDRÆAS *OCHS* factus Præpositus anno 1530. 1539.

MARTINUS *HERBART* 1540.

JOANNES *SCONEIHNZ* 1548.

ADAMUS *WURZBERGER* 1555.

JOANNES *SCHRCINER* cessit an. 1563.

Et quidem ab an. 1515. dignitas illa sic viluerat ex quo rustici per Germaniam insanientes, monasterium istud fuerant depopulati, & profugas hinc inde Virgines sua immanitate persequebantur, ut nonnisi miseriæ & paupertatis titulus, malorumque indesinens occasio, Præpositura foret. Adde quod residuum ex dispersione Parthenonis bonum, Fridericus à *Wirsberg* Herbipolensis pro tempore episcopus, sub prætextu sequestrationis, cameræ Principali applicuerat. Funestam hanc direptionem Andreas Abbas Teplensis, per Romanum Imperium generalis Visitator, advertens, apud Rudolphum Imperatorem querelas deposuit, obtinuitque mandatum de restituendis usurpatæ Ecclesiæ dotibus: paruit Julius ab *Echter* episcopus tunc Herbipolensis, & funditùs dejectis Ecclesiâ & claustro, nova omnia facere inceperat, cùm reparatoris interveniens mors, ac succedentes postea bellorum tumultus, rem infectam ad tempora Vicariatûs Domini Gasparis à *Questemberg* Abbatis Sionæi, distulerunt. Ille magni animi, & zeli majoris Abbas, Ferdinandum II. Imperatorem adiit, & ab eo impetrat litteras ad episcopum Herbipolensem, Adolphum ab *Ehremberg*, pro restitutione Cellæ-inferioris. Monitioni Cæsareæ morem gerens episcopus, Leonardum *Franck* patrem Abbatem, in actualem bonorum Cellæ-inferioris possessionem immisit 26. Februarii 1630. anno eodem institutus est Præpositus

JOANNES *PFREUNDSIGX*, sed anno sequenti, grassante per Franconiam marte Suecico, Neopræpositus exulare cogitur usque ad annum 1634. quo post devictos à Cæsarianis Suecos, ab exilio redux, ædificia reparavit, advocatisque ex Marcensi Parthenone, à Gallis & Hassis nuper exusto, professis Virginibus, coloniam præ-

cedente & ducente Christina de *Bourscheт*, disciplinam restituit. Anno 1637. cum aliis aliorum Ordinum Prælatis supplex institit apud Maximilianum, Bavariæ Ducem, quatenùs juberet Princeps monasteria in Palatinatu sita, iis Ordinibus restitui, à quibus antea pendebant. Anno demum 1673. die 26. Septembris instaurator optimus, finem nactus est bonum, morte pretiosa.

GODEFRIDUS *HAMMERICH* S. Theologiæ Licentiatus, ex Parocho Regiscuriano Præpositus eligitur, eamque per undecim annos in regimine assecutus est gloriam, ut ad Abbatiam Cellensem postulatus fuerit anno 1692.

JOANNES *ZAHN* insignis Mathematicus, qui adhuc Parochus in *Ackelshausen*, volumen de Arte Tele-Dioptica ediderat, longè clarius suæ eruditionis specimen placatiori fruens otio, edidit factus Præpositus; tribus enim amplis voluminibus *Mundi Cœlestis, Terrestris, Subterranei, & Aquatici mirabilia* mirabiliter exposuit, nec tamen studiorum amor quidquam de sedulitate sui numeris remisit. Moritur die 27 Julii 1707.

FRIDERICUS *HARLET* S. Theologiæ Doctor, Principi Herbipolensi à Consiliis sanctioribus, Seminarii episcopalis Præfectus, in Præpositum eligitur 17. Julii, obiit pridie kal. Novembris 1718.

BALTAZARD *ROTHLEIN* Sacræ Theologiæ Doctor, annum agens ætatis 39. hodie præest.

CELLA DEI SUPERIOR.

Cella Dei superior. Filia Præmonstrati, Diœcesis Herbipolensis.

POst obtentam ab Honorio Ordinis approbationem, Norbertus Româ rediens, Herbipolim appulit. Illic in concessu Procerum peractâ concione, sacris operans in Cathedrali Ecclesia, inter solemnia Missarum, cœca mulier, recuperandi luminis desiderio flagrans, spe subnixa & fide vivaci fervens, visum, quem ardenter petebat, Norberto in oculos ejus insufflante, recepit. Hoc portento permotus Joannes Ecclesiæ ejusdem Canonicus, & Henricus illius frater, se suaque omnia, viro Dei tradiderunt, ut sui instituti monasterium sub se Patre, & Fundatore primo, auspicaretur. Promptæ voluntatis obsequia benignè auscultans Norbertus, juxta Herbipolim, ad sinistram labentis Mœni ripam, Præposituram instituit nobilem, cui *Cella-Dei* nomen imposuit; Embrico de *Leyningen* episcopus Herbipolensis, suo diplomate fundationem roboravit anno 1128. & superadditis auxit proventibus.

I.

Non alium judicavit Norbertus præponendum Rectorem cœnobii, quàm qui cœnobii autor fuerat Joannes genere nobilis, gravis moribus, doctrinâ excultus, qui in convictu Norberti aliquandiù versans, spiritum ejus sic ebiberat, ut in cæteros effuderit largiter. Virgines, ne à beneficio Religionis viderentur extorres, multas ultrò se Christi subdentes jugo, communi domicilio reclusit, quod *Paradisum* vernaculè, ob castimoniæ professionem vocitabant. Inde in eum locum, qui *Cella Dei inferior* dicitur, & Capitulorum generalium sancitis, ad obturandum ora loquentium iniquè, migravit Sanctimonialium conventus. Constituti cœnobii confirmationem ab Innocentio II. impetravit Joannes. Denique famâ sanctitatis inclytus, die 17. Augusti, anni, ut creditur, 1134. abiit ad superos. Communem cum fratre suo Henrico sepulturam habuisse, incisæ in sepulchrali saxo utriusque effigies testantur. Illarum una in habitu sacerdotali, altera in usitato Ordinis habitu viros exhibet, ambæ Ecclesiam supportantes manibus. Ad lapidis verò limbum, hæc legitur epigraphes.

Fundatores hujus loci Joannes, & frater ejus Henricus.

» Nostra tibi liga placeat hæc, Virgo Maria,
» Est fundata domus à fratribus ista duobus,
anno MCXXVIII.

Huic lapidi penè corroso, alium politiori arte sculptum, substituit Joannes *Herberich* Abbas, anno 1604. posteà anno 1653. nonnihil à terra elevatum in Sanctuario tumulum usque modò existentem, transtulit in sinistram Templi alam, & ad partem septentrionalem, post Chorum, Godefridus *Bischoff* Abbas: unde anno 1702. ad faciliorem Organi constructionem, rursùm exhumatas venerabiles BB. Fundatorum exuvias, in cuprea capsa decenter acclusit Godefridus *Hammerich* Abbas, & ad orientalem Templi parietem collocavit.

Ex his Chronicon Franconiæ, & Bruschii Chronologia erroris arguuntur, quæ tribus fratribus Joanni, Henrico, & Litolfo, Fundationem *Cellæ superioris* adjudicant, nullo prorsùs monumento subnixa, Litolfum obtrudentia gratis. Prorsùs neque Necrologium, nec Embriconis Episcopi diplomata, nec Innocentii II. Bulla, istius Litolfi meminerunt, nec fundationis honorem dividunt cum illo. Haud absimili errore Bruschius in album Præpositorum retulit Henricum, fratrem Joannis, cujus dignitatis ne leve quidem vestigium antiquitas suppeditat.

II.

BRUNO Joanni successit, & isti

III.

ARNOLDUS, quo fatis functo

IV.

CONRADUS electus est: Is ab anno 1141. ad

an. 1144. in vivis agens, pias sub his temporibus donationes excepit. Pontificio Cælestini II. privilegio Ecclesiæ suæ jura & possessiones muniri curavit anno 1143. & in ipso Præpositi nomen emortuum, in Abbatis nuncupationem immutatum est.

V.

BERTHOLDUS à *KEER*, impetravit ab Eugenio III. privilegium, cuiquam exactionem decimarum inhibens, sive de novalibus, sive de animalium nutrimentis. Anno circiter 1157. acquisivit à Gebhardo Comite ab *Henneberg*, episcopo Herbipolensi allodium *Ruchesbrunn*.

VI.

RABENOLDUS Ecclesiæ suæ juribus ac bonis intentus, adjacentem parochialem Ecclesiam, terminos arctantem monasterii, in villam *Hetstat* transferri de autoritate Heroldi episcopi, impetravit anno 1170. Herbipoli existente Friderico Imperatore Romanorum, confirmationem prædiorum Cellæ-Dei, in majestalibus litteris obtinuit anno 1172. Alexandri III. Lucii III. privilegia ad munimentum libertatis & jurium Cellæ-Dei, accepit sub annis 1180. 1181.

VII.

CONRADUS in Fastis & Necrologiis, tacito regiminis & mortis anno, recensitus.

VIII.

HENRICUS præerat anno 1201.

IX

HERMANNUS florebat 1208.

X.

HENRICUS II. post impetratam ab Honorio III. confirmationem bonorum & privilegiorum Cellensis Ecclesiæ 4. Nonas Maii anni 1221. moritur 16. Februarii anni sequentis.

XI.

WOLFRAMUS à *GRUMBACH*.

XII.

BILUNGUS rexit monasterium anno 1246.

XIII.

HENRICUS III. Cellam Sanctimonialium contiguam virorum Cellæ, divisit spatiis & territorio, an. 1262.

XIV.

CONRADUS II. anno 1297. à Bonifacio VIII. accepit amplum privilegium. Ejus etiam tempore in Sylva Franconiæ, vulgò *Spessart* dicta, Congregatio Eremitarum, quibus Comes de *Rynecke* Capellam sanctæ Elisabeth contulerat, coaluit sub Regula Præmonstratensi, quibus deficientibus, Abbas Cellensis religiosas personas debebat subrogare; quod sub annum 1350. contigisse memoratur. Nunc verò vix Capellæ istius rudera visuntur, prædia autem Cellensibus cesserunt.

XV.

ALBERTUS à *RHEICHENBERG* strenuus Ecclesiæ suæ jurium vindex, ac immunitatis à vectigalibus, ab Manegoldo Herbipolensi episcopo litteris authenticis illa firmari obtinuit anno 1303.

XVI.

ENGELBERTUS, suos Canonicos, & Præpositum *Tuckelhusen* ad Cellam superiorem, Visitatorum jussu remissos, ob scandalum ex contubernio monialium Michelfeldiæ illuc à bienno translatarum, admittere coactus est anno 1307. cùm priùs translationem approbasset.

XVII.

THEODORUS post discessum Eremitarum in Spassardo, Fratrum Cellensium coloniam ibidem implantavit anno 1342.

XVIII.

TILLEMANNUS ad hujus instantiam Tuckelhusanum in Franconia monasterium cum omnibus suis juribus transiit ad Carthusianos, etsi priùs Cellensi annexum, regeretur à Canonicis Cellensibus, quos Abbas pro nutu amovebat, donec in Præposituram evasisset hæc Canonia, in cujus confinio cùm Præpositus Sorores Ordinis collocasset ex *Michelfedt* propè *Kizingam*, orientalis Franciæ oppidum, parthenone eductas, illis Tuckelhusanum monasterium cessit anno 1307. sed quia ejusmodi mutationem magis obesse, quàm prodesse compertum est, generalis Capituli anni 1350. decreto sancitum est, à Parthenone submotis Sanctimonialibus, locum tradendum esse Carthusianis, quem compensatione redituum factâ, susceperunt, ipsam indemnitatem Cellensibus tribuente Eberhardo de *Reiden*, Cathedralis Ecclesiæ Herbipolensis Decano, & residuis Sororibus pensiones ad sustentationem persolvente. Tillemannus obiit anno 1351.

XIX.

THEODERICUS decimas in *Hetstat* partim à Nobilibus acquisivit, partim ab Abbate S. Burkardi Herbipolensis, Ordinis pro tunc S. Benedicti, modò autem Ecclesiæ Collegiatæ secularis Ordinis Equestris.

XX

RUDGERUS, in Vigilia Ascensionis obiit 1374.

XXI.

HENRICUS III. à *WOLMERSHUSEN*.

XXI.

LUDOVICUS DE *STETTEN*.

XXIII.

GEORGIUS à *REINSTEIN*.

XXIV.

SIFFRIDUS, quem Gregorius XII. speciali privilegio exemit à solutione decimarum, quas ad sublevamen Ecclesiæ Herbipolensis ære alieno prægravatæ, imposuerat Ecclesiasticis Diœceseos tam secularibus, quàm regularibus. Nonis Martii Siffridus obiit 1418.

XXV.

JOANNES à *ROTTELSEE* 1427.

XXVI.

JACOBUS.

XXVII.

JOANNES *ECKART*, die undecimâ Junii obiit 1448.

XXVIII.

JACOBUS *HESCHEN*, die tertiâ Julii 1462.

XXIX.

GEORGIUS *KUMEL*, die 18. Julii 1486.

XXX.

CHRISTOPHORUS *STEFFER*, die 13 Octobris 1506.

XXXI.

GEORGIUS *SCHUMAN*, die 14. Februarii 1510.

XXXII.

JOANNES *STREUBER* 8. Augusti 1519.

XXXIII.

GASPARUS *GOLTHARD* 1°. Septembris 1526.

XXXIV.

LEONARDUS *WALZ*, 2. Maii 1529.

XXXV.

GEORGIUS *HOFFMAN*, Cœnobium injuriis tumultuosi temporis vastatum, pristino nitori restituit, Parthenonem quoque de *Hausen* à rusticis furentibus deletum, instauravit. Moritur 2. Januarii 1540.

XXXVI.

THOMAS *NIEDLEIN*, 23. Decembris 1556.

XXXVII.

GEORGIUS *BAZER*, 22. Februarii 1563.

XXXVIII.

SEBASTIANUS *STAMPFF*, 20. Septemb. 1571.

XXXIX.

JOANNES *HERBERICH*, regularis disciplinæ sectator, 9. Maii 1608.

XL.

NICOLAUS *REINSTEIN* 1614.

XLI.

LEONARDUS *FRANK* Ecclesiam ruinosam instauravit, Sacristiam & Dormitorium, ædem quoque Abbatialem in meliorem formam restituit, usum mitræ, & episcopalium insignium, pro se, suisque successoribus ab Urbano VIII. impetravit anno 1628. Duos post annos à Capitulo generali Visitator Circariarum Yveldiæ, & Vadegotiæ renuntiatur; sed ob repentinam Suecorum irruptionem in Franconiam coactus est per triennium exulare. Suecis ex Herbipolensi urbe & arce per Cæsareanos rursùm depulsis anno 1633. ab exilio redux optimus Pastor, dispersum collegit gregem, monasterii statum exulceratis hisce temporibus maximè dilapsum reparavit, & 21 Septembris 1648.

XLII.

GODEFRIDUS *BISCHOFF* Seminarium studiorum Herbipoli pro suorum Canonicorum exercitatione, & rei litterariæ incremento, fundavit, vir benè litteratus, & religionis tenax, 22. Septembris obiit 1688.

XLIII.

LAURENTIUS *HEZER* Theologiæ Licentiatus, sexagenarius eligitur, sed brevi confectus gravitate annorum, 12 Septembris anni 1692.

XLIV.

GODEFRIDUS *HAMMERICH* Theologiæ Licentiatus, ex Præposito Parthenonis *Inferioris Cellæ*, ad Abbatiam provectus, Templum Dei magnificis columnis, & statuis exornavit elegantibus. Visitator Circariarum Westphaliæ, Yveldiæ, & Vadegotiæ anno 1696. creatur. Idibus verò Martii octogenarius occubuit 1710.

XLVI.

SIGISMUNDUS *HAUCK*, S. Theologiæ Doctor, celebranda posteris gesta sua relinquet.

JUS PATERNITATIS
Cellæ superioris in filialia monasteria quæ sequuntur.

Cella Inferior, Parthenon.
Gerlacsheim, Parthenon.
Hausen, Parthenon.
Schestersheim, Parthenon.
Sulzen Parthenon.
Frawenroth seu Rotha Dominarum, Parthenon, de cujus situ, fundatione, destructione, nulla exstant documenta Cellæ.
Michelfedt, Parthenon.

PASTORATUS.

Regis curianus, in arvis Oxoviensibus, olim

de jure patronatûs Nobilium de *Hohenlohoe*, qui Sororibus de *Michelfelds* illud contulerunt: postquàm verò ad Tuckelhusanum monasterium se receperunt, jus suum resignarunt Cellensibus, de consensu Diœcesani, & approbatione Superiorum Ordinis, quam concessionem Joannes XX. laudavit, & præfatam Curiam perpetuò univit Abbatiæ Cellensi.

Ackolshausen, quondam Ecclesia filialis, ab Alberto episcopo Herbipolensi ab Ecclesia matrice Regiscuriana anno 1346. disjuncta.

Welxhuse.

Hettstat à Præposito & Capitulo Cathedralis Ecclesiæ Herbipolensis anno 1545. collatus & unitus Cellæ Superiori.

Gerlachsbein à pluribus seculis administratus à Canonicis Cellensibus, à Magistratu & Conventu Gerlachsheimiensi præsentatis: at ubi Parthenon esse desiit, jus præsentandi ad Abbatem Cellæ, tamquam Patrem Abbatem, transiit.

Zell, & *Margareth-hocheim*

Vide Prob. à col. cccLxxxxij ad col. cccxcj.

CELLA DOMINARUM.

Cella Dominarum. Fil. S. Mariæ in Nemore. Diœcesis Tullensis, Circaria Lotharingia.

CElla Dominarum, vulgò *antiqua Abbatia* nuncupata, uno quadrante à monasterio S. Mariæ Nemorensis disterminata, etymon derivasse creditur, ex eo quòd illic prima fuerit Abbatiæ sedes, ad montium angulares commissuras, paulò altiùs deinde translata, ut loco cederet Virginibus, quæ denominationem ex hospitio suo immutantes, Cellæ Dominarum appellationem imposuerunt. Templum Beatæ Magdalenæ sacrum, extabat adhuc tempore Layruelii, structurâ suâ non ignobile. Vidimus & nos, nostrâ juvenili ætate, stantes ejus muros, qui nunc prostrati jacent, & dumetis succrescentibus conteguntur.

Quo præcisè anno Sanctimoniales Canonicis successerint, non novimus. Ante annum 1181. eas extitisse probat Bulla Lucii III. vineam recensens collatam à *Rochitia Sorore S. Mariæ*. Desitionis hujus Parthenonis epocham nec tabulæ funebres, nec diplomata designant. Hinc temporum, bellorumve injuriâ concidisse, aut indictâ Gallicanis Gynæceis clade obrutum, interiisse decimo tertio seculo suspicari licet.

SANCTUS CHDERAMPS.

S. Chderamps. Fil. Liskæ, Diœcesis Bolon. Circaria Flandria.

COenobium hoc Sororum, à Layruelio, & mss. Indice convoluto, relatum, in aliis antiquioribus alto premitur silentio, ipsis quoque Liskensibus Confratribus, quos personaliter adivi, prorsùs est incognitum. Quotquot habent, vel quondam habuere prædia, horum nullum sub nomine *Sanctus Chderamps* invenitur. Quin & Sanctus ille, à quo suam denominationem Parthenon iste desumpsit, ita est Hagiologis incompertus, ut in nullo Sanctorum albo repositus legatur.

Equidem in Fastis Liskensibus monasterium Sororum, à Liska pendentium, extitisse deprehendimus, sed in villa de *Serques*, à civitate S. Audomari uno lapide separata, ubi rudera Conventûs olim subsistentis, formam delineant; sed neque illic, neque alibi *S. Chderamps* tutelaris est loci Patronus: vel, si quandoque fuit, hujus sic exolevit notitia, ut ad seniores monasterii nostrâ ætate non pervenerit.

CHEMI.

Chemi Fil. Zabrdovici, Diœcesis Agriensis. Circaria Hungaria.

SUperioris Hungariæ Præpositura in Agriensi episcopatu existens quam à Layruelio prætermissam, reposuit in suo Indice Pagius, & sancto Stephano primitùs paruisse narrat; Zabrdovicensi Abbati anno 1294. tanquam Patri subjecta legitur in Decreto Comitiorum generalium. Post expugnatam anno 1596. Agriam simulque Comitatum Borsaniensem, Præpositura *Chemi* oppressâ communi clade, desiit, ab interitu necdum vindicata, licet ab anno 1687. Imperio & Catholicæ Religioni fuerit Agria restituta.

CHODELINBURG.

Chodelinburg. Filius Hildeburgrod. Diœcesis Verdensis Circaria Saxonia.

HOc Cœnobium quod adulteratis syllabis appellat Layruelius, *Chodelmburg*, mss. verò Indices *Chodelinburg*, & quod Pagius è catalogo monasteriorum dispunxit, in Circaria Saxonica & Diœcesi Verdensi extabat, filiali subjectione pendens ab Hildebburgrodensi Præpositura.

S. CHRISTOPHORUS DE IBEAS.

• S. Christophorus. Fil Vitis Diœcesis Burgensis. Circaria. Hispaniæ.

ALphonso VI. regnante in Hispania, Alvarus *Diaz* filius Roderici *Diaz* de *Pivar*, cognomento *Cid Campeator*, proles illustris Herois famosi, unà cum uxore sua *Ordonnez* æquæ nobilitatis fœminâ, monasterium sancto Christophoro sacrum, secùs oppidum *Ibeas* seu *Evea*, loco satis amœno, religiosæ vitæ ineundæ parato, à Burgis, primariâ Castellæ veteris civitate, novem distitum milliaribus, fundavit, & Regularibus sancti Augustini addixit mystis. Errorem in Chronographos diplomatis caracteres irrepsisse, ex Cancellarii oscitantia suspicatur R. P. *Noriega* antiquariæ eruditionis scrutator nasutus; & numerum L. subtrahendum putat ab Era MCXLV. legendum proinde MCXV. quæ coincidit in annum Christi MLXXVII. Emendationem istam ex inscriptione sepulchrali Fundatoris eruit, quæ talis est, *In Era MCIX. Kalendis Junii Ego Alvar Diaz obii, nomine cujus scriptus subtùs jacco tumulatus.* Tumulo consortis ejus epigraphes insculpta favet huic computo: *In nomine Domini obiit Theresa sub lapide isto sepulta Era MCXXII. Petrus Christophorus fecit.* In argumentum correctionis adducit insuper fraternitatis Chartam anno MLXXX. initæ inter Abbatias sancti Christophori & sancti Petri de *Arlanza*, Ordinis S. Benedicti. Ponderosæ prorsùs rationes, quæ antigrapharios erroris arguunt, & ad prima Alphonsi VI. tempora originem revehunt monasterii. Prolem verò Fundatoris trinam, eamque masculam ex collatis Ordini beneficiis, colendam recenset; Lupum *Diaz* Sanctiæ de *Friaz* junctum matrimonio, & utrumque Buxetensis cœnobii autorem: Martinum *Diaz*, & Sanctium, quorum sorores quatuor: Toda, Sanctia, Theresia, & Major. Illarum major natu Toda in matrimonium locata est Guterio *Fernandez* de *Castro*, Alphonsi VII. Proto-œconomo, Castellæ Pro-regi, juventutis Sanctii, ejusque filii Alphonsi Regum, pædagogo. Major, altera Alvari *Diaz* filia, nuptui data est Roderico *Munnoz*, & isti ambo conjuges de sponsarum beneplacito, dotem monasterii novis auxere donationibus, anno 1151.

Jam tres Augustiniani Ordinis Abbates præfuerant S. Christophoro, Dominicus scilicet, Martinus, Gundisalvus, dùm è Præmonstrato accersivit Alphonsus VIII. Rex Rodericum, aliosque ejusdem Archicœnobii alumnos *Missalibus & libris* munitos, quos anno MCLXX. emissis subrogavit Augustinianis. Rodericum præfecit Abbatem, quem B. Hugo Præmonstrati Abbas, coloniæ ducem designarat. Hunc *Vitis* Canonicum fuisse, reclamantibus licet Diplomatis regii verbis, asseverant Hispani, fortè ut filiationis jura tueantur, quam Præmonstrato vindicat Charta, Abbatem & socios indiscriminatim *ex Præmonstrato Franciæ*, missos referens.

Etsi verò regia autoritas substitutionem Præmonstratensium non approbaverit ante annum 1170. tamen possessionem adiere monasterii ab anno 1160. Idque constat ex donatione Sanctiæ *Diaz*, germanæ sororis Todæ, Era 1198. facta Roderico Abbati: » Ego sanctia *Diaz*, germana Domnæ Todæ, pro remissione peccatorum meorum, & parentum meorum, nec non mariti mei Petri *Gunsalves*, do tibi Roderico Abbati & concedo Fratribus S. Christophori in Evea degentibus sub Regula S. Augustini, hæreditatem meam in hac pagina descriptam....... in *Mixardas*....... in *Hormaza*..... Facta Charta hæc Era MCXCVIII. regnante Alphonso juniore, filio Sanctii Regis. Hujus rei testes fuerunt Petrus Burgensis episcopus, Prior Michaël de *Monte-forti*, Guterius *Fernandez* & Domna Toda uxor ejus. Si relatorem non fefellit promovendæ antiquitatis zelus, ab Alphonsi VII. tempore Abbatiam S. Christophori inhabitabant Præmonstratenses. Anno enim 1152. cùm in festo S. Christophori Alphonsus Vallis-Oleti existens, filium suum Sanctium Equitem armaret, concessit Abbati & Fratribus S. Christophori pinguem in villa *Diego* possessionem, ut S. Martyrem Christophorum, & Præmonstratenses ibidem Deo & S. Martyri famulantes, apud Deum, pro Principe Sanctio felicis auspicii haberet imploratores.

Quantùm propitios sibi habuit Reges S. Christophori Abbatia, tantùm Advocatos sensit sibi infestos: sub obtentu enim deffensionis ducentorum vassallorum, in monasterium frequenter armaverunt, ad illius oppressionem, subditos, sicque Patroni nomen in hostis funesti abierat tyrannidem. In Comitiis *Soriæ* apud Joannem I. Castellæ Regem graviter de Petro *Gonzalez*, non Advocato, sed prædone S. Christophori, conquerente Abbate anno 1380. ad restitutionem illatæ injuriæ regali judicio damnatus est *Gonzales*, & Advocatia extincta.

Hanc Comites Salini, utpotè patrimonium sui generis, resuscitarunt, & pravorum more monasterium divexantes, ad regii Senatûs Vallis-Oletani tribunal provocantur anno 1474. Procerum judicio spoliatur dignitate Didacus *Gomez* de *Sarmiento*. Sententiæ acquievit *Gomez* donec opportunum reclamandi tempus nancisceretur. Occasionem suppeditavit exauctoratio temeraria Petri de S. Andrea, Abbatis S. Christophori, quem Joannes de *Colme-*

nares Aquilariensis Abbas, Visitator Hispaniæ ab Huberto Abbate Præmonstrati delegatus, loco motum, in Abbatiam Buxetensem ejecit, strictâ mancipandum custodiâ. Judicii enim notitiam ut primùm habuit Advocatus, satellitum manipulos in S. Christophori Abbatiam clanculum submittit, qui vinctum Abbatem ad arcem Poncorvinam retrudendum deportant, & Joannem de *Montanara* Canonicum Buxetensem, tumultuariè electum, Cathedræ S. Christophori imponunt armatâ manu. E suo lugubri ergastulo, vinctus miserabiliter Petrus Abbas, Regis interpellat justitiam, libello supplici furtim dilapso, Advocati inhumanitatem pingit, attentatum reserat, obtestaturque Regem, ut tam Visitatoris præsumptionem, quàm Comitis sævitiam, coërceat. Favit Æquissimis oppressi injuste, supplicationibus Rex optimus: causæ cognitionem sibi vindicat, & tabulis ritè inspectis, captivum libertati restituit & Prælaturæ, Ferdinandus, anno 1482. Verùm quod capitale erat, Advocatiæ non abolevit munus, sed vitâ functo Petro Abbate, in ejus locum subrogatus Abbas Joannes de *Arceniega* Regis Catholici Capellanus, regiam convenit Majestatem, & deducto lamentabili statu suæ Abbatiæ, deprædationibusque Comitum fusè repositis, monasterium tandem suum ab ejusmodi vastatorum jugo liberavit: Et abhinc Abbas civilem & criminalem per se, seu per Prætores ab eo delegatos, jurisdictionem exercuit in proprio territorio, in oppido S. Andreæ, in Villa de *Mixaradas* & in adjacentibus Grangiis.

PATERNITAS.

Paternitate gaudet in Abbatiam Sanctæ Mariæ de *Villa-petro.*

PASTORATUS.

Ecclesia monasterialis cum filialibus.
Sanctæ Mariæ de *Mixarandas.*
S. Magdalenæ de *Quintanar.*
S. Andreæ de *Xuarros.*
S. Martini de *Invierno.*
S. Vincentii.
S. Eulaliæ.
S. Adriani.
S. Pantaleonis.
S. Mariæ de *Villa-petro.*
S. Michaëlis.

Harum Ecclesiarum Abbas non modò patronus est, sed pleno jure Ministros per se instituit in illis.

SEPULCHRA MAGNATUM.

Fundatorum supra recensuimus tumulos & inscriptiones dedimus.

Ad eorum latera jacent Guterius *Fernandes de Castro*, & uxor ejus Toda. Rodericus *Fernandès*, Guterii frater, Stephania ejus uxor & filia Imperatoris Alphonsi.

Ad latus sinistrum januæ quâ in Claustrum patet introitus, jacet in arca lapidea Alvarus *Rodriguez*, Roderici *Fernandès* filius, quem in duello publico occidit lanceæ ictu, Hernardus *Rodriguez*, Castellanus nomine. In lapide imposito arcæ, duo sculpti cernuntur Equites, alius ex equo dejectus, alter equitans, & prostratum lanceâ perfodiens, & ad utrorumque limbos hæc epigraphs.

Quem tegit hæc petra, Alvarus Roderici
Vivit in æthera. Æra MCCXXVIII. * *1190

Hujus sepulchro adhæret tumulus Petri *Gonzalès* & Sanctiæ ejus uxoris; Roderici *Munnoz* de *Guzman* & Domnæ Majoris ejus sponsæ.

Ad dextrum latus januæ quâ in Sacristiam itur, prostat sub arcu lapideo duplici mausolæum Joannis *Ruiz de Roxas* & Ferdinandi *Diaz* nepotis ejus.

In Capitulo insigne visitur sepulchrum Martini Abbatis. epitaphii penè corrosi hæc tantum leguntur verba » Obiit bonæ memoriæ » Martinus Abbas hujus monasterii.

Hic ille Martinus esse videtur qui ærâ 1170 Ecclesiam & Capitulum construxit.

In Sacristia fulget tumulus Domni Joannis de *Arceniege* J. U. Doctoris, Catholicorum Regum Ferdinandi & Elizabeth Capellani.

Ad ostium ejusdem Sacristiæ circa effigiati in tumba Abbatis limbos legitur.

Hic jacet D. Petrus de ARCENIEGA, Abbas ultimus perpetuus hujus Ecclesiæ, qui de novo reædificavit, aliaque digna memoriæ fecit. Cujus anima requiescat in pace. Obiit anno MDXXXVII.

Parieti appendebant sequentes versus.

Hoc tumulo Petrus jacet ARCENIEGA, vetustum
Qui carie hoc denuò nobile struxit opus.
Doctrinâ, candore, fide dignissimus Abbas
Et pastor, quales vult Deus esse suos.

Demùm in Ecclesia conspicitur sepulchrum P. Francisci *Garrido*, doctrinæ, pœnitentiæ, & omnigenæ virtutis opinione celeberrimi, Congregationis Hispaniæ primi Generalis Reformatoris, electi anno 1601. Vide probat. à col cccxcj. Ad col. cccxciv.

CITHEN.

Cithen. Fil. Clarholti. Diœc. Osnabrugensis. Circaria Westphal.

LEttensem in diœcesi Monasteriensi Parthenonem cum extruxisset Præpositura Clarholtensis, alterum, nomine *Cithen*, in agro Osnabrugensi è sinu suo profudit, & Sanctimoniales ex cœnobio Lettensi assumptas imposuit sub regimine Præpositi. Desiit sæculis Par-

thenon iste, fatalem aliorum plurium sortem expertus, & in solus Layruelii Catalogo post sua fata reviviscens.

SANCTA CLARA DE GUADALFAJARA.

S. Clara. Fil. Vitis. Diœcesis Toletana. Circaria Hispaniæ.

INtra diœcesis Toletanæ limites in antiquissima Castellæ novæ civitate, quam hodie *Guadalaxara* nuncupant, florebat olim Virginum Abbatia, sub regimine paterno Vitensis monasterii. Originis tempus, desitionis punctum, vastitatis causas, tabulæ ex naufragio superstites non exprimunt. Proventus ruentis Parthenii ad matrem refluxisse per eorum incorporationem constans est traditio. Ex immorigerarum Canonissarum culpa id accidisse suspicari libet, probari non potest. Quin potiùs in reparandis Abbatiæ fundis sedulitas Monialium, & Vitensibus injuriosa cavillatio intentata, argumento sunt impigræ earum vigilantiæ, quâ tutandis sui monasterii bonis incumbebant.

Ad Toletani Archipræsulis* tribunal rixantes filias provocavit Vitensis Pater. Lentas judicis dilationes apud Joannem XXII. accusavit, gravatus Abbas. Expostulanti datus est dissidiorum judex Abulensis episcopus anno 1317. Cùmque hoc summi Pontificis Rescriptum extinctæ postmodùm Abbatiæ, unica sit scintilla, in scrinio penè exanime luci dandum publicæ magis credimus, quòd Abbatiæ titulum, fœmineis monasteriis haud usitatum in Ordine nostro, tribuat Asceterio Sanctæ Claræ.

* Is erat Guterius Gomez de Toledo.

» Joannes Episcopus Servus servorum Dei. » Venerabili episcopo Abulensi* salutem & A» postolicam benedictionem. Suâ nobis Abbas » & Conventus monasterii de Vite, Præmon» stratensis Ordinis, Oxomensis Diœcesis, » petitione monstrarunt, quod cùm ipsi olim » Abbatissam & Conventum monasterii S. » Claræ de Guadalfajara, Ordinis ejusdem, S. » Toletanæ diœcesis, super quibusdam Vil» la *Alcolea (a)* & *Aldeolis (b)* suis, ac gran» gia de *Valdevaccas* vulgariter nuncupatis, di» ctæ Toletanæ diœcesis, ad eosdem Abbatem » & Conventum spectantibus, super quibus » eadem Abbatissa & Conventus injuriaban» tur, eosdem coram venerabili fratre nostro » Archiepiscopo Toletano, traxissent in cau» sam; idem Archiepiscopus causam ipsam, » licet aliquandiù in ea processerit, tenens diù » in suspenso, in ea procedere non curavit an» no & ampliùs elapso, quanquam per eos non » steterit, à quibus idem Archiepiscopus fuit » super hoc pluries legitimis temporibus hu» militer requisitus. Cupientes igitur ut litibus » finis imponatur, eidem Archiepiscopo nostris » damus litteris in mandatis, ut si est ita, in» fra tres menses post receptionem earum, in » causa ipsa, appellatione remotâ, prævià ratio» ne procedat. Quocirca Fraternitati tuæ per » Apostolica scripta mandamus, quatenùs si di» ctus Archiepiscopus mandatum nostrum hu» jusmodi infra præscriptum tempus neglexerit » adimplere, ne ex tunc in dicta causa habito » coram dicto Archiepiscopo, servato proces» su, in causa eadem procedas juxtà priorem » continentiam litterarum. Testes autem, qui » fuerint nominati, si se gratiâ, odio, vel ti» more substraxerint, per censuram Ecclesiasti» cam, appellatione cessante, compellas veri» tati testimonium perhibere. Datum Avenione 12. Kalendas Julii, Pontificatûs nostri anno 2°.

* Vocabatur Sanctius Blarquez d'Avila.

CLARHOLTUM.

Clarholtum Filia Præmonst. Diœcesis. Osnaburgensis. Circaria Westphaliæ.

PRæclaram Clarholti Præposituram nobilium virorum, in diœcesi Osnaburgensi consistentem, sub Dynastia Rhedana*, erexit anno 1133. illustris Rudolphus de *Stenfordt* loci Toparcha, & variarum ditionum ex parentibus hæres, pro quorum salute in eleemosynam paternæ hæreditatis, fundos nonnullos Religioni Norbertinæ legavit. Andreas Diœcesanus antistes favit, fovitque nascentem Præposituram, & B. Norbertus tum defungens apud Imperatorem Lotharium II. munere Archicancellarii, majestali Diplomate & protectione curavit muniri sui ramusculum Ordinis, anno 1134. vitæ suæ ultimo, inaugurationis Lotharii in Imperatorem primo, Regni octavo. Proceribus & maximè Episcopis regale præceptum suo chirographo roborantibus. Ritè stabilitum monasterium, vigentemque inibi disciplinam sub Ermerpardo Præposito sanxivit Eugenius III. anno 1146.

* Comté de Rheda.

(a) Villam hanc *Alcolea*, inter Vitensis monasterii possessiones antea recensitam fuisse, liquet ex Diplomate Ferdinandi Regis, dato 11. Junii Erâ 1258 id est anno Christi 1220. In eo quippe confirmatur definitiva sententia, in favorem præfati monasterii, contra Didacum *Lupi* pronontiata, super jurisdictione in villam de *Alcolea*, *ejusdemque Aldeis & suis terminis*. Est & aliud Ferdinandi IV. die 4. Martii Era 1341 id est anno 1303. Garliæ Vitis Abbati & Conventui ejus concessum, exemptionis, & libertatis ab omni tributo, & regia exactione, per sexennium, pro ducentis vassallis ejusdem Villæ de *Alcolea*, cum suis Aldeis, hâc conditione, ut Abbas propriis sumptibus, præfatæ Villæ Castellum (vulgò la Motha) pinnatis muris circumdaret, & ab hostium defenderet incursibus.

Ad alienos tandem processu temporis versa est hæreditas illa: Ibidem enim nunc viget hoc eodem titulo insignitum nobile Clarissarum, sub B. Francisci regula & habitu, monasterium.

(b) Aldea, Aldeola, voces Hispanæ, quibus significantur vici, viculi, qui Civitatum, aut villarum jurisdictioni subsunt.

Ad

Ad cujus exemplum Arnoldus Osnaburgensis episcopus, testis de visu, & florentis apud Clarholtum pietatis conscius, indulta ab Imperatore, & à Pontifice Romano privilegia, episcopali confirmavit authoritate, nec non liberam deligendi sibi Advocati facultatem impertivit anno 1175. Eâ ætate in Monasteriensi episcopatu, surrexit nobilium Virginum parthenon haud ignobilis, cui nomen *Lette* à territorii nomine inditum, & Clarholti propago, quæ totius administrationis suæ summam à Præposito uti patre, repetebat. Asseterio utrique, Ludolphus Monasteriensis antistes jus piscationis in fluvio *Amasii* * concessit anno 1228. Alterius Parthenonis nomine *Cithen*, meminit Layruelius, à Clarholto prognati. Quibus quantisve proventibus gaudebat Clarholtum, ex recensione Gregorii IX. Pontificis colligitur; Verùm exortæ hæreses & fatalia religioni fœdera Monasterii & Osnaburgi ad perniciem gementis fidei & Ecclesiæ icta, adeò imminuerunt substantiam ejus ut ad novem Canonicos & Præpositum nobilitatis equestris, redactum, sub acatholici Comitis Rhedani de *Tecklenburg* dominio vix respirare concedatur. Ægrè tamen antiquam consessûs in Statibus Rhedanis prærogativam usque modò illibatam servavere Rhedani Comites Præpositis Clarholti, quibus etiam intactum jus patronatûs immanet, in parochiis de *Clarholt*, de *Belen*, de *Lette* olim monialium parthenone. Modernus Præpositus ex illustri *Kuchelheim* prosapia satus, ruentem undequaque domum, & belli incursibus vastatam, splendidè à fundamentis instauravit: utinam pari successu avulsas & à marte furenti dissipatas suæ Canoniæ Chartas, licuisset reparare: sed irrito conatu conquisitas, indolet irreparabiles; condolemus & nos venerabilis Antiquitatis monumenta interiisse, quæ concinnandis Fastis profuissent plurimùm. Vide Probat. à col. cccxciv. ad col. cccc.

* Ems.

CLARI-FONTIS ABBATIA.

Clarus-fons Fil. Præmonstrati. Diœcesis Laudunensis Circaria Floreffia.

* Tribus ab Arma leucis, à Capella unâ distat.

IN pago Terasciæ, & Laudunensi Diœcesi, loco ad vitam solitariam composito à natura, & ex aquarum limpiditate, dicto * *Clarus-Fons*, vitam agebat Eremiticam Albericus sub habitu clericali, eique Wido de *Guisia* magnam istius territorii partem contulerat, ut tam ille, quàm sub ejus disciplina viventes Clerici, sustentarentur. Jam ab annis aliquot sub Alberici magisterio militabant, cùm Norberti, *viri reverendi & spectabilis religionis*, fama, Albericum excitavit, ut se suosque illius curæ committeret. Norbertum adit, geminatisque precibus obsecrat, ut se ultrò dedentes, benignè suscipiat in discipulos, & normam Præmonstratensis instituti, placeat inducere in Clarum-Fontem. Norbertus in alterius labores nolens introire, humiliter renuit sponte oblatum acceptare. Moritur intereà Albericus, & coadunata sub ipso societas, pastore destituta, penè diffluens, Bartholomæum Laudunensem episcopum convenit, autoritatem ejus interpellat, ut Norbertum recusantem, suâ flectat mediatione. *Precibus multis venerabilem Norbertum, ut loci illius curam susciperet, induxit* Bartholomæus, *terramque priùs à Widone ei loco tradi-„tam, annuente Henrico, qui post decessum „Widonis, viduam ejus Machaniam uxorem „habebat*, concessit Machania. Crescente verò loci illius proventu, & multiplicatis Fratribus, Oratorium ad divina structum, Bartholomæus consecravit, præsentibus Machania, illiusque filiis Burchardo & Godefrido, anno 1126.

Non tamen in Abbatiæ titulum subvectus est illicò Clarus-Fons, sed anno 1130 ab Hugone Præmonstratensi Abbate, ad instantiam Bartholomæi Præsulis, eo honore donatus est, ibique Abbatem ordinavit Gerardum Pater Abbas Hugo, quem anno sequenti Bartholomæus inauguravit.

I.

GERARDUS natione Lotharingus, Academiæ Laudunensis sub Radulpho alumnus, sermone Norberti delinitus suaviter, Christi jugo & hortatoris disciplinæ supposuit collum. Ab ipsa conversione plurima virtutum, & imprimis severioris jejunii, dedit specimina. Oratione frequenti, & rerum caducarum contemptu, purgatam ejus animam, cœlestium contemplatione recreabat Deus, sed æmulus dæmon, junioris non sustinens pietatem, eam mille nocendi artibus exagitabat, nunc figmentis lucentibus, sub larvatæ Trinitatis imagine, cultum extorquere nitebatur; modò jejunantem, vetitorum & extemporaneorum ciborum edacitate tentabat. Qui idololatriæ crimen horruerat, gulæ intemperantiam non superavit. Indulsit sibi, vir hactenùs rigidioris abstinentiæ tenax, usum carnis & lacticinii, & sub obtentu sanitatis, etiam illicita permiserat sibi. Aberat tunc Præmonstrato Norbertus, prædicationi intentus de more: redux obesum Fratrem, & suæ voracitatis à pastore objurgatum, jussit in pane doloris, & aqua tristitiæ, eluere peccati sordes. Paruit Gerardus pœnitens, suique conscius sceleris, in compunctionem fractus, lacrymis, jejunio & oratione, piaculum expiavit. Ad pristinam vivendi rationem reversus, duplicato fervore, assiduitate jejunii, fuit cæteris & pœnitendi & resurgendi exemplum. Annis decem probatam virtutem, dignam judicavit B. Hugo, lucentem candelabro imponere, ut aliis præluceret. Abbatiæ igitur Clari-Fontis Abbatem præfecit Gerardum, quam tantâ, tam-

que admirabili prudentiâ & sanctitatis opinione administravit, ut turmatim ad eum plebem cum nobilibus, juvenes & seniores cum virginibus, ex desiderio conversionis confluerent. Collectum gregem sub Ecclesiæ Romanæ patrocinio ut constitueret, Innocentii II. Diplomate postulavit Ecclesiæ Clari-Fontis statum & bona confirmari. Quod gratiosè petenti, liberaliter concessit Pontifex anno 1138. Nicolaus Cameracensis episcopus donationes *Malirivi* & prædii de *Hereciis* ab Hermanno fatuo & Alardo de *Cymiaco* factas Gerardo Abbati, laudavit anno 1138. Chartæ exemptionis ab omni telonio, vinagio datæ anno 1155. à Burchardo Dynasta Guisiæ, in gratiam Abbatiæ Bucilii, subscripsit Gerardus cum Gisleberto Montis S. Martini, Walfrido Tenolii, Luca S. Michaëlis, Abbatibus. In palæstra virtutum, agonem prosequens viriliter Gerardus, tandem inter apostolicæ & pœnitentis vitæ labores, ad optatam gloriæ patriam transivit. Hujus animam nive candidiorem, splendidiorem luce, viderunt Canonici, morienti adstantes, in sublime tendentem. Annum beati transitûs nusquam legi. Si ex successoris ejus fastis metimur, anno 1160. diem clausit extremum.

II.

JOANNES litem cum Joanne Abbate S. Foillani, super prato, ab utrisque prætenso, intentatam, per interpositos compositores Hugonem Præmostrati, Guarinum Lauduni, Gerlandum Floreffiæ, Guidonem Cuissiaci, Adamum S. Judoci, Philippum Bellævallis, Geroldum Viconiæ, Gilbertum Montis S. Martini, Cæsarium Calvi-Montis, Abbates, sopivit anno 1160. Enatam cum Gilberto Veromandiæ Abbate discordiam in causâ simili, per arbitros similiter Philippum Præmonstrati, Guarinum Lauduni, Abbates, terminavit anno 1164. his concordiæ pactis accesserunt ut testes Helgotus Abbas Lesciensis,* Drogo Decanus S. Quintini, Geroldus Casæ-Dei, Gilbertus Montis S. Martini, Abbates.

* Liessie.

III.

OBERTUS recipit ab Helgoto Abbate Lesciensi, unum modium frumenti laudabilis, ad mensuram S. Quintini, annualiter percipiendum, in concambium terræ de allodio Andreæ *Espanis* anno 1175.

IV.

NICOLAUS ab Alexandro III. Bullam obtinet confirmatricem bonorum Clari-Fontis, anno 1180.

V.

ANFREDUS, anno 1182. fraternitatis fœdus iniit cum Decano & Canonicis Ecclesiæ Cymaiensis.* Anno eodem testis & promotor fuit pacis inter Ecclesias S. Martini Laudunensis & Viromandiæ, quâ sancitum est quotannis Ecclesiam S. Martini debere septem modios tritici & dimidium, Viromandiensi, quem censum tenebatur solvere Jacobus de Guisia, in cujus hæreditatem Laudunenses intraverant. Anno 1185. profitetur debere Verrico d'*Yssigny* quatuor frumenti modios. Anno 1183. subscribit Chartæ confœderationis inter Præmonstratenses S. Martini, & Benedictinos Abbatiarum S. Joannis & S. Vincentii, in urbe Laudunensi.

* Cymay.

VI.

HENRICUS anno 1196. terram contiguam territorio *de Bray*, relinquit Radulfo *de Wimi*, excolendam, sub onere noni manipuli dandi. Anno eodem, Adeluya Domina Guysiæ, consentiente nobili viro suo Jacobo Domino *Leschiarum*, & Avenæ, sex modios frumenti percipiendos in terragio de *Buron-fossa*,* item tres modios pro refectione Fratrum in die Anniversarii sui, tradit Claro-Fonti, traditionem acceptantibus Henrico Abbate, Mathæo ejusdem loci Præposito, Daniele & Gervasio Canonicis. Anno 1199. Benevola & benefaciens semper Adeluya contulit Ecclesiæ Clari-Fontis, tres modios frumenti & duodecim galetos avenæ, sumendos annuatim in decima de Lescheriis,* eâ lege ut Abbas clericum nutriret, qui quotidie Psalterium unum cum Vigiliis, recitaret in eadem Ecclesia, pro salute conjugis sui Jacobi. Matris donationem laudant filii, Valterus de *Asvenis*, Jacobus Dominus de *Landrecies*, Burchardus & alii. Ida Castellana S. Audomari, ex simili pietatis instinctu, dedit sub onere Anniversarii pro salute animæ mariti sui, & de consensu filiorum suorum Villelmi & Jacobi, omne vinagium villæ suæ de *Periches*, & hanc fundationem suscepit Abbas Henricus anno 1196.

* Inter Caellam & Guisiam.

* l'Eschelle.

VII.

JOANNES II. Illi Stephanus Noviomensis episcopus, concessit anno 1201. Pastoratum de Stabulis,* administrandum à Canonico Clari-Fontis, quem Abbas Episcopo instituendum præsentabit, & quem sine licentia & voluntate Episcopi, non poterit amovere. Anno 1203. super jure decimarum & limitibus territorii Clari-Fontis, motam quæstionem inter H. (a) S. Dyonisii, & Joannem Clari-Fontis, Abbates, diremerunt à sancta Sede delegati Judices, Hugo Parisiensis Canonicus, Hugo Guisiæ Decanus, & Joannes Decanus Marlæ. In Charta S. Martini Laudunensis anni 1211. Joannes paciscitur cum Abbate Galtero sub approba-

* Estaures.

(a) Invenio circà hæc tempora Hugonem Mediolanensem Abbatem S. Dyonisii propè Parisios, & Herbertum Abbatem S. Dyonisii Remensis. Cum Charta litum Abbatiæ non designet, & utrique Abbati Littera initialis H. conveniat, ambiguum est cui duorum Abbatum debeat dari.

tione Gervasii Abbatis Præmonstrati. Anno 1216. concambium facit cum Simone Milite de *Bofrians*. Anno 1218. emit à Mathæo de *Filanis* & Aleide uxore ejus, tres frumenti & quatuor avenæ modios

VIII.

JOANNES III. eo loco reponitur, fortè non suo, sed bellorum strages toties Abbatia sustinuit, ut pars maxima monumentorum, marte & incendio, perierit, hiatus proinde, eosque frequentes patitur Abbatum successio; hanc aliunde petitis elucidationibus, resarcire non licuit. Joannes III. sanctitate & doctrinâ commendabilis, ex Abbatia Clari-Fontis ad Ordinis verticem, concordi Canonicorum Præmonstratensis Ecclesiæ electione, assumptus est, inquit Pagius, in mense Junio anni 1247.

IX.

GUILLIELMUS * Judex & Sequester unus extitit in causa quæ inter Abbates Præmonstrati & S. Martini Laudunensis, vertebatur, quæque magno contendentium æstu, fuerat agitata Romæ; illam anno 1286. assistentibus sibi Herberto Virduni, Galtero Thenolii, Abbatibus, Joanne de *Ceris*, Milone de *Eurignis*, Canonicis S. Martini, arbitris, diremit. Anno 1288. ad Cuissiacensem postulatus Abbatiam, ad Præmonstratensem anno eodem sublevatur.

* Cognomento de *Leurvigniis*.

X

JOANNES IV. ex contractu inito cum villicis anno 1494. nobis innotuit.

XI.

JOANNES V. DE *FOLEMBRAY* Vicarius generalis Francisci Cardinalis Pisani, Præmonstrati Abbatis, Ordinem rexit & præfuit Capitulis generalibus annis 1535. 1536.

XII.

JOANNES VI. pepigit cum villicis an. 1548.

XIII

JOANNES VII. dictus de *BROLLI* anno 1566. in actis legitur.

XIV.

JOANNES DE *VIVEZ VIII.* ad annum 1588. Prælaturam tenuit.

XV.

JOANNES D'*ORIGNY* ab anno 1623. ad an. 1629. multa Abbatiæ bona oppignoravit.

XVI.

PHILIPPUS *MOREL* ex Coadjutore Abbas anno 1634. in actis recensetur ad annum 1649.

XVII.

N. *DOUCET DE LA HOUSSAYE* ex permutatione transivit in Abbatiam Marchasii-Radulphi, & Clari-Fontem adipiscitur.

XVIII.

LUDOVICUS *HELY* qui infestationibus bellorum ut occurreret, vitæque consuleret, dierum cupidus Abbas, translationem Abbatiæ ad tutiora loca enixiùs apud R^{m}. Generalem *COLBERT*, porrecto libello supplici, die octavâ Octobris 1670. prosecutus est. Ut rem in forma exequeretur Generalis, visitationem, informationemque simul instituit, & translationem, inspecto propiùs monasterii situ, & alternis bellorum cladibus attentis, approbavit consensitque, ut ad *Villare secùs Cotiam* * titulus Abbatiæ & Conventus deportarentur, in spem maximè & promissa civium, unionem parochiæ postulantium. Ludovicus XIV. anno 1671. Brevi suo translationem confirmavit, nominatione tamen seu jure præsentationis ad Abbatiam sibi reservato, ut priùs. Philippus Dux Aurelianensis & Valesiæ, tanquam loci Dynasta, Carolus de *Bourlon* Suessionensis episcopus, uti Diœcesanus, pro suo quisque munere, collaudarunt migrationem, & Canonicis permisit Episcopus, ut divina celebrarent in Ecclesia parochiali, modò pastoris officia, intempestivis cantibus non turbarent.

* Villers Coste-retz.

Ut soliditatem operi daret Abbas Ludovicus, Clementem X. convenit, & propitium nactus, Bullam adornari curavit: sed morte præoccupatus Papa, rem in conatibus reliquit. Prædecessoris voluntatem & promissa liberavit Innocentius XI. & 4. nonas Octobris 1676. translationem suo firmavit Diplomate, quo cautum erat 1°. ut Canonici apud *Villare* iisdem privilegiis & prærogativis gauderent, quibus fruebantur in Claro-Fonte. 2°. ut eandem illic disciplinam observarent, quam in pristino suo secessu observare consueverant, aut debuerant; proptereaque Abbas illius dormitorium & cæteras ædes ad disciplinæ custodiam necessarias, ædificaret. 3°. Unionem parochiæ post voluntariam resignationem moderni pastoris, & non aliter, debere fieri. 4°. præsentationem sive jus præsentandi Abbatem penes Regem, ut antea debere ex vi Concordatorum permanere. 5°. Parochum deinceps fore regularem, ut priùs in Abbatia Clari-Fontis trecentis monetæ Franciæ libris dotatum, pro annuali & congrua portione. Vix desiderato fine potitus, finem vidit ultimum Ludovicus Abbas mense Octobri 1677.

XIX.

BERNARDUS *DU FOUR*, mense Novembri in vim nominationis Regiæ Abbatiam assequitur. Vicariatûs Ordinis titulo insignitus est, renitente & reclamante Abbate Cuissiaci, in Comitiis generalibus anni 1717. & eo honore decoratus, obiit anno 1724. in ejus locum suffectus est

XX.

N..... DE ROQUEVERT Prior S. Justi, postea Novitiatûs Præmonstratensis moderator.

PASTORATUS.

* Stabula.

Estaves * Diœcesis Noviomensis, non longè à fano S. Quintini, ex concessione Simonis *Ursviler*, anno 1146. & confirmatione episcopi Balduini.

Buronis-fossa, Diœcesis Laudunensis.

Clarus-fons Diœcesis ejusdem.

Villare secùs Cotiam Suessionensis.

Apud Clarum-Fontem stetisse antiquitùs Parthenonem probat Galteri Laudunensis episcopi Charta anni 1158. quâ testatur Gualdinum *de Fasti* donasse Ecclesiæ Clari-Fontis totam decimam in parochia de *Wimi*, ad casam Ecclesiæ pertinentem, dum tres filias suas, in eadem Ecclesia Clari-Fontis, sub communis vitæ professione constituit, quibus hæreditate maternâ, eadem decima competebat, eamque donationem fuisse factam, assentiente Burchardo de Guisia, à quo illud beneficium descendebat. Vide Probat. à col. cccc. ad col. ccccviij.

CLOSTAR.

Clostar. Fil. Varlaria. Diœcesis Daventriensis. Circaria Frisia.

VArlarensis Abbatia Prioratum sibi filialem, Divo Nicolao sacrum, possidebat in civitate Daventriensi, cujus Ecclesia montis dorso incuba, turre duplici à fronte munita, & in crucis extenta figuram, eminebat, Capellæ tantum obtinens nomen; sed in parochialem Ecclesiam evecta seculo duodecimo, non sine Collegialis Capituli, (penes quod matricis & totius oppidanæ parœciæ ab antiquo regimen pendebat) altercationibus, quas anno 1206 compositione pacificâ Decanus & Varlarensis Abbas Jordanus, mediante Alberto Livonensi episcopo, Ecclesiæ S.Nicolai inauguratore, diremerunt.

Parochiæ gubernio præerat Conventûs Prior, sub se habens in adjutorium Fratres, cum quibus sollicitudini pastoritiæ dividebat onera, & divinas laudes ad Ordinis tenorem exequebatur. Prioratûs originem ad annum 1123. refert Stangefolius, & fundationem adscribit Godefrido Comiti Cappenbergæ. Hinc evanescit opinio Vanhusenii, Prioratûs Clostariensis primordia ad finem undecimi seculi collocantis: cùm duodecimo duntaxat jam incunte seculo, Præmonstrati disciplinæ seipsum devoverit Godefridus, Clostarii Fundator.

Circul. Westpal.

Notit. Episcopat. Daventr. 40

Seriem Priorum licet interruptam, à Vanhusio ex membranis excerptam, in fide relatoris hic subjicimus.

THEODORICUS, anno 1350.

ALBERTUS CUER, 1392.

JOANNES DE GRAESS, post abdicatum Prioratum, iterum in eum immissus est, 4. Novembris 1493. abiit è vivis 17. Martii 1517.

GELMERUS BECKUM, 17. Martii subrogatus, decessit 7. Maii 1517. cui suffectus est

JOANNES DE REMEN, contagiosâ lue abreptus, 20. Decembris, 1521.

GERARDUS DE REMEN, cui ad Præposituram Varlarensem subvecto, substitutus est, anno 1527.

JOANNES ENCKELSEM: cui successit

HERMANNUS VAN-DEN CLOOSTER, denatus anno 1579.

WOLTERUS AB HEUVEL, cessit anno 1587.

HENRICUS VAN-DER CAPPELLEN, Prædecessoris ad instar, resignavit 13. Octobris, anni ejusdem.

EVERANDUS VOS, ultimus Prioratûs possessor. Vide Prob. à col. ccccix. ad col. ccccx.

COKERSAND.

Cokersand. Fil. Croxtona. Diœcesis. Eboracensis. Circaria Anglia.

ORiginem suam ab hospitali domo, sumpsit Cokersandensis Abbatia. Hancce domum, Lieceestriensis Abbatiæ patrimonium vetus, de possessorum consensu & dono, obtinuerunt Croxtonenses Canonici, & in Prioratum immutatam, confirmavit Clemens Papa III. anno 1190. In hoc tenuitatis statu perstitit Cokersandia, donec Theobaldus Valteri, germanus Huberti Cantuariensis Archiepiscopi, frater, ex fundatione *Derhamii* de Ordine benè merentis, tugurium istud in Abbatiam, collatis proventibus, sublevavit. Chartam munitam testibus, vacuam Chronologicis notis, ad legitimam utcumque revocabis epocham, si observes ex donationis contextu & donatoris mente, terram de *Pyling* ad ædificationem Abbatiæ, & pro salute animarum Henrici II. & Richardi I. Regum, nec non pro remedio animæ Huberti Archiepiscopi Cantuariensis, fuisse concessam. Porro Richardus anno 1199. & Hubertus anno 1205. mortem oppetierunt. Ergo circà annum 1206. in Lancastrensi agro prodiit, Abbatiali titulo insigne *Cokersand*, istamque fundationem laudavit Rex Joannes suo Diplomate, quod per Typographi oscitantiam, Huberti Cantuariensis Archiepiscopi, & Cancellarii nomen habet, penitùs eradendum; cùm ad defuncti solatium, Præsulis dotale prædium de *Pyling*, Theobaldus concesserit, & Archiepiscopatui Cantuariæ tùm Reginaldus insideret. Haud dissimili errore, Arabico caractere annum conscriptionis Chartæ

notavit secundum Regni Joannis, qui cum anno 1200. concurrit, & ante Huberti Cantuariensis fata anno quinto. Fortè quis emendationes istas dispunget, & pro salute viventis adhuc fratris, collatum à Theobaldo fundum de *Pyling*, suspicabitur; quippe ut pro patris & matris, fratrisque salute hanc eleemosynam fecisse testatur, sic pro suæ animæ salute factam declarat; sicut ergo istæ voces mortuum non arguunt donatorem, ita nec denatum eleemosynæ participem Hubertum Archiepiscopum. Et iste conciliationis modus omne erratum contra temporum rationem, abigit à Diplomate Joannis Regis, fundationemque Abbatiæ revocat ad anteriorem epocham.

Benefactorum accessionibus, sumpsit in dies incrementa Cokersand. Illorum donaria Richardus II. Rex, suis confirmavit Litteris, necnon progenitoris sui innovavit Diplomata.

Vide Probat. à col. ccccx. ab col. ccccxvij.

COLABRICA.

Collabrica. Fil. Præmonstrat. Diœcesis. Patracensis. Circaria Græciæ.

IN Græcia, non procul à sinu Patræ, Abbatia Colabricana, prodiit seculo decimo tertio ineunte. Autorem & Fundatorem nescimus, imo Layruelius antiquitatum Ordinis sagax explorator, ambigit an Præmonstrato, an Bellæ-Valli, paternitas Colabricæ sit deferenda. Pagius dubiam quæstionem, in gratiam primariæ Ordinis Abbatiæ solvit. Proprios habuit antiquitùs Principes & dynastas Patra, quos vix dubitem fuisse Colabricæ Fundatores; postquàm verò ad Venetos dominatio venditione devoluta transiit, eosdem sensit benefactores Colabrica. Anno 1463. Achaiam & Metropolim ejus Patram, armis Turcæ subegerunt, & Christianam funditùs everterunt religionem, pulsis Venetis. Anno 1687. Veneti, propitio marte, in pristinam ditionem postliminiò reversi, necdum sua Ordini jura restituerunt.

COLBECKA.

Colbecka. Fil. S. Mariæ Magdeburg. Diœcesis. Magdeburg. Circaria Saxoniæ.

COlbecka, quam Layruëlius *Cholobecam* appellat, Germani *Kolbeke*, in diœcesi Magdeburgensi, non Halberstadiensi, ut placuit Pagio, sita erat. Præposito sanctæ Mariæ Magdeburgensis, non Abbati Præmonstratensi, suberat, asserente Kesselio Canonico Knecstediensi, qui sub annum 1589. Magdeburgum submissus cum sociis, ut deficientem à fide & religione, Præposituram restitueret primævo cultui, multos ibidem exegit annos, & tandem ab hæresi prævalente fugatus, ac in patriam redux, commentariis illustravit, quidquid in Chartis legerat jurium ad Præposituram S. Mariæ pertinentium.

Inter Prælatos jurisdictionem Ordinis, & Capitulorum generalium authoritatem despicantes in Saxonia, Colbeckensis nominatim exprimitur, & in eum censuram distrinxit Capitulum anni 1224.

Obruta fuit hæc Præpositura ab irrumpentis in Saxoniam hæreseos fulgure. Recuperata est anno 1628. Tillio triumphante, & præcipiente Ferdinando Augusto. Verùm cùm Gustavus Adolphus Rex Sueciæ, fœdus cum Saxoniæ Duce, Hollandis, & Protestantibus iniisset, anno 1631. & ad Lipsiam Cæsareum prostrasset exercitum, protinùs rapido impetu, non in Saxoniam modò, sed & in finitimas regiones irruens, Clerum suis expulit sedibus; Monasteria in direptionem data, prophanis addixit Principibus; Catholicæ Religionis passim extinxit nomen, & Romani Imperii gloriam ad eas deduxit rerum & fortunæ angustias, ut pacis duras conditiones cum Saxoniæ Duce Imperator subire coactus, Archiepiscopatum Magdeburgensem Augusto Principi Saxonico Hallensi, ad vitam tradiderit; & detentores Ecclesiasticorum bonorum, in possessione quadragenaria manutenere debuerit invitus Cæsar.

Hinc redimendorum Cœnobiorum difficilior aditus, evasit insuperabilis per pacem Westphalicam anni 1648. quâ Ecclesiæ, & Ecclesiarum reditus penes eos manere sancitum est, qui illorum possessores erant primâ die Januarii anni 1624.

COLLEGIUM
Sancti Norberti Coloniensis.

Collegium Coloniense. Fil. Steinfeldiæ. Diœcesis. Coloniensis. Circaria Westphaliæ.

AB anno 1614. Christophorus *Pilckman*, Abbas Steinfeldensis, miseratus Ecclesiam in tractu Rheni, & Provincia Westphaliæ à prævalente hæresi, & ab Pastorum ignorantia crudeliter dilaniatam, ingemiscensque verus filius Norberti, in ipsam & Ordinis Claustra, irrepsisse scientiæ teporem, sæpiùs cum D. Generali Gosletio, & Joanne Roberti Floreffiæ Abbate, Provinciæ Vicario, per litteras egit, ut tanto & grassanti malo occur-

reretur, Seminariique erectionem in Academia Coloniensi tanquam opportunissimum grandis mali remedium, proposuit. Ejusdem necessitatis conscii Abbates Knecstedensis & Wedinhusanus, eodemque accensi zelo, Præmonstrati iter, nomine coabbatum arripuerunt, ut præsentes vividiùs instarent operi. At per Leodiensem agrum effusi milites, ulteriùs progredi vetuerunt. Nihilominùs Præmonstratum hominem certum miserunt cum litteris, pro Seminarii institutione supplicantibus. Exaudiit supplicationem Gosletius Abbas, & non nullos Reichsteinensis monasterii proventus applicandos Seminario, distrahi permisit. Verùm nihil efficere potuit Capitis & trium Abbatum pia unanimitas, per discordantium Prælatorum Circariæ frustrata obstinationem. Ne tamen in vanum abiret religiosi propositi intentio, Steinfeldensibus expensis, prælaudatus Abbas, Seminarium in ædibus suis Coloniæ auspicatus est, & aliquos è suo monasterio transmisit, Theologicis imbuendos scientiis.

Felicibus exordiis seculares patrocinati sunt, faverunt postea Seynæ & Romersdorffii Abbates, & subsidia ad ædificiorum constructionem impenderunt largiter. Igitur anno 1618. sub prædicto regimine coaluerunt scholares, & Universitatis frequentarunt studia, de Religionis exercitio nihil remittentes. Anno sequenti prima Capellæ fundamenta posuit Abbas Steinfeldensis, quam 25. Octobris 1620. Otto Gereon de *Gutthmannis* Suffraganeus Archiepiscopi, de Magistratûs assensu, solemni inauguratione B. Norberto nuncupavit. Florentis Seminarii pacem intercurrentes turbæ nonnihil exagitarunt; sed illas potenti animo superavit Pilckmannus. Lues sub initium Augusti 1622. ingruens, & viginti duo hominum millia enecans in Coloniensi agro, ne quidem Seminarii & studiorum intermitti fecit exercitationes. Usque adeò incaluerat scientiarum amor, & optimi Abbatis exemplum discipulos incendebat. Peste extinctâ, & Seminarii uberes famâ vulgante fructus, ex aliis monasteriis Canonici, studiorum causâ, appulerunt Coloniam, quos benignè Pilckmannus excepit; sed & anno 1628. in Capitulo Provinciali Circariæ Vestphaliæ, ipso Abbate Steinfeldensi Norberto *Horrichem* digno dignissimi antecessoris successore, agente, statutum est, ut è singulis cœnobiis quosdam Canonicos ad Seminarium Coloniense, Philosophiæ, & Theologiæ vacaturos, transmitterent Abbates, & pro vitalitio cujusque solverent septuaginta Imperiales. Quin etiam ut Præses congruè sustentari posset, debitaque suppellectile instrueretur domus, omnibus & singulis Provinciæ cœnobiis certa & annua pecuniæ summa imperata est, & moderatores Seminarii deputati sunt Abbates Steinfeldensis, & Knecstedensis.

Ad Vicariatum generalem Vestphaliæ provectus Norbertus *Horrichem*, Provinciale indixit Capitulum mense Octobri 1631. in eoque prioris Capituli renovans decreta, rem Seminarii & studiorum, totis promovit viribus, & ad sexaginta Imperiales vitalitiam studentium pensionem redegit. Major inde scholarium crevit numerus, major litterarum æmulatio studentes subiit; sed bello Suecico interim flagrante & vastante Provincias, defecit ex Canonicorum recessu Seminarii splendor, defecerunt studia, donec restituta pax, otium musis, monasteriis facultates reddidisset. Anno 1642. iterùm Hassico exercitu depopulante patriam, obmutuit Theologia, & dispersus est Theologorum grex, quem tranquillitas reduxit anno sequiore in Octava omnium Sanctorum.

Jam tùm ampliando Seminario, efficaces admoverat manus Steinfeldensis Abbas. Obierat 19. Januarii Magistra Parthenii Dumwaldensis Anna Maria *Lusdorff*: tres supererant tantùm Canonissæ; Elisabeth *Von Baur* Priorissa, Anna Margareta *Von Weiss* Cellaria, & Margareta *Von Vrmundt*, nec spes erat proxima majoris numeri. Quippe domus illa ruri juxtà viam publicam, & adjacentes sylvas posita, militum ac pravorum hominum incursibus obnoxia sic erat, ut quotidianis exspoliationibus exhausta, Sorores pedetentim metu periculorum, loco cedere, & aliò, ad disciplinæ dispendium & œconomiæ, migrare deberent Virgines Nobilissimæ. Ad ultimum vergens excidium hoc qualecumque monasterium extinguere, ejusque dotem in gratiam Seminarii Coloniensis applicare aggressus est.

Negotium juridicè confecit, & præhabito Prioris & Sanctimonialium consensu, quem ultrò præstiterunt 16. Februarii 1643. in scriptis redactum, ad unionem processit, tùm ex authoritate Paterna, quâ fruebatur, tùm ex Vicarii generalis, & Apostolici Commissarii præeminentia & jurisdictione, quâ gaudebat, edictisque tabulis nono Aprilis anni ejusdem, extinctionem Parthenii, incorporationem ejus proventuum Seminario, promulgavit. Fabii Chisii episcopi Neritonensis, inferioris Germaniæ Nuntii Coloniæ agentis, interposuit suffragium, ut solidiore fundamento, res optimè & ritè suscepta, inniteretur. Inspectis documentis, & informatione præviâ, discussisque momentis, laudavit & approbavit Chisius Abbatis opus laudabile, ejusque executionem, intenta contradicentibus excommunicatione, imperavit 23. Maii 1643.

Neque hic stetit provida Abbatis attentio. Urbanum VIII. summum Pontificem fide-jussorem, & unionis factæ approbatorem habere voluit, ne malevolorum dicacitas, sub obtentu defectûs, præsumeret illam convellere. Non hæsit Pontifex gratum æqua petenti, dare assensum. Suo Diplomate 22. Decembris

1643. ratum habuit, quidquid ab Abbate, quidquid à Nuntio, in causa Dunwaldensis Parthenii, fuerat peractum. Tot munitus securitatis & justitiæ titulis, possessionem realem Dunwaldii, adiit per procuratorem, Abbas Steinfeldensis 4. mensis Aprilis 1644. sola Ordinis necdùm intercesserat confirmatio, sed hanc boni & æqui amator Augustinus *LE SCELLIER* Præmonstrati Abbas, & Ordinis Caput, gratanter impertivit 24. Novembris 1650.

Prosperos successus interpolavit inopina tempestas. Nobiles Montenses, in quorum ditione erat Dunwaldia, præcisionem monasterii ferentes ægrè, & uti creditur, à superstite Nobili virgine Margareta de *Virmundt*, incitati, hostiliter duce Eremundo Barone de *Valdenbourg*, comitante Michaële ab *Enjelrath*, Canonico Knechtedensi, Dunvaldiam aggressi, turmatim ingressi sunt 4. Novembris 1653. Priorem & Pastorem loci, spretâ religione Sanctuarii, posthabitis protestationibus, è templo extrudunt, & Virginem de *Virmundt* spectatricem tragœdiæ, monasterio, sub Abbatissæ nomine, imponunt Superiorem, exultantibus interea rusticis, & de restitutione ovantibus; sed nec diuturna fuit victorum ovatio. Augustinus Abbas Præmonstrati, visitationem Hinsbergæ cum Abbate Steinfeldensi obiens, ut primùm irruptionem Montensium, & Dunvaldiæ direptionem, accepit, Principem Neoburgicum, Bensbergi commorantem, adiit, de illata summo Pontifici, Ordini, justitiæ, injuria conquestus, mandatum obtinuit restitutionis in possessionem, hujusque executor destinatus est à Principe, *Wendel* Prætor in *Portz*. Turmâ militari stipatus Prætor, Dunvaldium petit, fores occupat, claustra subire molitur; ingressum negant introclusi milites, armis, asseribus obstruunt aditus, nonnihil de eventu trepidantibus interim Barone & Abbatissâ, quos nomine Principis, ad parendum urgebat Prætor, quandiù Abbas Religiosos perduellionis Montensium fautores, minacibus censuris, ad apertionem ostii compellebat. Hos terruit Ecclesiæ fulmen intentatum, portam reserant, ingreditur Abbas, sequuntur excubitores, & ecce, quà data via, turmatim aufugiunt milites, Baro assumptâ ad equum Virgine *Vermundâ*, intempestæ noctis silentio, in *Obhoffen* se recepit, ubi in spem reditûs aliquandiù substiterunt, quidquid Seminarii Præses, suadere contumaci tentaverit, ut meliorem decentioremque statum vitæ sequeretur. Ad annum 1658. huc illucque apud suæ familiæ Nobiles divagans, Ordinis disciplinæ se subduxit: sed tandem sanius sapiens, ad monasterium Marense petiit immitti, in quo magnâ pietate duxit, clausitque extremos dies suos xi. Junii 1675. In ea totius conspirationis laïcæ, per varias, sed ipsi semper infaustas, lites, deducta obstinatio, finem ultimum invenit, & Seminario asserta tùm à Capitulo generali anni 1657. tùm ab Alexandro VII. Pontifice pacifica possessio Dunvaldiæ, sic vindicata est, ut à nullo deinceps oppugnanda litigatore veniat.

CATALOGUS PRÆSIDUM Collegii S. Norberti Coloniensis.

I.

ANTONIUS *JAMAR* S. T. Doctor, Præfuit ab anno 1617. ad 1619.

II.

AMANDUS *FABIUS*, Canonicus Ninovensis S. T. Licentiatus ad an. 1622.

III.

JOANNES *CREVELDIUS* Steinfeldensis Canoncus ad an. 1624.

IV.

NORBERTUS *HORRICHEM* Steinfeldensis ad an. 1626.

V.

GASPARUS *SCHILIT* S. T. Baccalaureus ad an. 1631.

VI.

PETRUS *SCHULTEIS* Wedinghausanus S. T. Baccalaureus ad an. 1633.

VII.

STEPHANUS *HORRICHEM* Steinfeldensis S. T. Baccal. ad an. 1637.

VIII.

LAMBERTUS *RUDOLFFIUS* S. T. Baccal. ad annum 1643.

IX.

HERMANNUS *WILCKENS* Steinfeldensis ad an 1645.

X.

JOANNES *LUCKENRATH* Steinfeldensis S. T. Licentiatus ad an. 1660.

XI.

PETRUS *PISTORIUS* Steinfeld. S. T. Licentiatus ad an. 1661.

XII.

WILLELMUS *HEIMBACH* Steinf. S. T. Licentiatus ad an. 1665.

XIII.

THEODORUS *FIRMENICH* S. T. Licentiatus ad an. 1678.

XIV.

ADAMUS *SCHMITZ* Steinfeld. S. T. Baccalaureus ad an. 1682.

XV.

EVERARDUS *TUCHSIUS* ad an. 1685.

XVI.

JACOBUS *BARDENHEWER* Steinfeldensis ad an. 1688.

XVII.

MICHAEL *KÜELL* S. T. Lector & Licentiatus ad an. 1694. nunc Abbas Steinfeldensis.

XVIII.

PETRUS *STEINHEWER* S. T. Lector ad an. 1698.

XIX.

ANNO *SCHNORRENBERG* Steinfeldensis S. T. Licent. ad an. 1716.

XX.

CHRISTIANUS *STEINHEWER* S. T. Lector.

Quot & quanta Ecclesiæ & Ordini bona, pepererit Seminarii hujus laudabilis institutio, testantur Prælati, à seculo ex ejus assumpti gremio, Pastores innumeri ad populorum regimen, inde accersiti, Philosophiæ & Theologiæ Professores ab Academiis & Monasteriis postulati. Vide probat. ad col. ccccxvij. ad col. ccccxxvij.

COLLEGIUM LOVANIENSE.

Collegium Lovaniense. Fil. Circ. Brabantiæ. Diœcesis Mechlinensis. Circaria Brabantiæ.

SCientiarum & pietatis amorem ab inveterato tempore in utroque Clero languescentem, ut primùm excitavit Synodus Tridentina, certatim Prælati in Academiis Collegia fundarunt, ut in iis doctrinam & virtutem ebiberet Ecclesiastica juventus. Illo spiritu acti Abbates Flandriæ, in celeberrima Lovaniensi Facultate gymnasium ad eruditionem Candidæ militiæ, instituendum curaverunt. Tam salutaris propositi autores Carolus *Vander Linden* Parcensis, Ægidius *Heyces* Averbodiensis, Michaël *Malenus* Ninovensis Abbates, festinâ manu executionem illius acceleraverunt. Domum in platea de *Proststraet* sitam, Collegio Regio hinc, & Attrebatensi inde adjacentem, emerunt ab Gerardo Abbate Grimbergensi anno 1571. statimque ad votum Academiæ erexerunt in Collegium, quod unusquisque Abbas pro suo zelo, & instruendæ juventutis accommodo, ædificiis instruxit, & dote.

Nascenti Collegio applaudentes Willelmus *Greven*, S. Michaëlis Antuerpiensis Abbas, & Laurentius *Metsius*, Buscoducensis episcopus, & Tongerloënsis Abbas, incœptum opus viriliter promoverunt, collatis, ad alumnorum suorum litteris sacris illic vacantum, sustentationem, proventibus. Hos æmulatus est Abbas Hylesshemensis, sicque fundationis & provisionis Collegii honorem partitus est cùm aliis sex Abbatibus. Ne verò mutabilis rerum & animorum conditio quidquam attentaret, ad dotis assignatæ firmitatem providè cautum est & statutum, ut præter bonorum cujusque Abbatiæ generalem hypothecam, specialis determinaretur, nulli eventuum vicissitudini obnoxia, portio. Elusit tamen cautionem istam eventus posterior, & solidioris fundi loco, manualis & annua nunc à singulis Abbatibus penditur suis studentibus vitalitia pensio, quæ illorum sufficiat victui, & fabricæ necessitatibus subveniat.

Ad constitutum Collegium undique confluxerunt Præmonstratenses, sed maximè ex quo, ad postulationem Liberti de *Pape* Abbatis Parcensis, generalis per Flandriam Vicarii, Universitati, ejusque privilegiis, juribus, præeminentiis, aggregatum est. Quantùm autem ex Litteratorum concursu splenduerit, legimus in Fastis Academicis Valerii Andreæ, Lovanii Doctoris. In hoc Collegio, inquit, præter publicas prælectiones, & disputationes quotidianas, etiam privata habentur exercitia, & hebdomadariæ disputationes, per eum qui Collegio præest; quique hîc erudiuntur & formantur, plerique etiam titulis insigniuntur Academicis, hinc curis præficiendi animarum .... Illud memorabile est & solo Conventu Antuerpiensi, anno 1645. promotos fuisse ad gradum Licentiæ uno eodemque die, quinque numero: item anno 1647. ex solo Tongerloensi, sex.

De Parcensi illustre hoc testimonium Layruelius Abbas sanctæ Mariæ, & totius Ordinis Visitator, perhibet in sua *Regularium Optica* p. 388. quòd anno 1601. Visitationem Canonicam instituenti » vix inter illius monasterii Religiosos, qui sunt in magno numero, alius occurrerit, quàm Sacræ Theologiæ Licentiatus, vel Baccalaureus. Hinc est quod etiam ibidem videre est Religiosos, Regularum, ac Statutorum suorum sedulos observatores.

Non doctos modò, non Pastores tantùm, sed & Abbates innumeros fudit è suo sinu potentum istud virorum Seminarium: jamque in consuetudinem abiit apud Brabantos, suis non alios imponere Prælaturis, quàm qui insignes sunt Laureis Lovaniensibus. A Præsidibus,

bus, moribus & doctrinâ eximiis, regitur Collegium, nunc ex uno, nunc ex alio, ad Fundatorum arbitrium, monasterio assumptis, ut liquebit ex eorum elencho.

I.

GOSWINUS *RIVIUS* S. T. L. ex Parco.

II.

MATHÆUS *BOSMANS* S. T. L. ex Parco.

III.

ADRIANUS *MOERDACK* S. T. L. ex Parco.

IV.

JOANNES *COENEN* ex Tongerloa.

V.

ANTONIUS *LOOTZ* S. T. B. Formatus, ex Parco.

VI.

ADRIANUS *BULLUSTRATIUS* Baccalaureus Formatus, Pexarco.

VII.

NICOLAUS *AMBROSII*, ex Averbodio, posteà ibidem Abbas.

VIII.

JACOBUS *PETIT* S. T. L. Ninovensis Canonicus.

IX.

JOANNES *A LAPIDE*, Grimbergensis Canonicus.

X.

PETRUS *OVERHUSIUS* S. T. D. Canonicus S. Michaëlis Antuerp.

XI.

WALTERUS *WATHAER* Canonicus Hylessemensis.

XII.

CAROLUS *COGHEN* S. T. L. ex Parco.

XIII.

AMBROSIUS *TILENS* S. T. L. Canonicus Tongerloënsis.

XIV.

GABRIEL *RAPERT*, ex Priore Averbodii, Præses.

XV.

FLORENTIUS *DE COQ*, scriptis Theologicis clarus, Canonicus Antuerpiensis.

XVI.

N. *FRANCONEL*, Canonicus Hylessemensis.

XVII.

FRANCISCUS *VAN CAUWENBERG* S. T. L. Canon. Hylessemensis, posteà Præpositus ad S. Gerlacum.

XVIII.

N. *SALINGS*, Canonicus Ninovensis.

XIX.

SIMON *BRAUNMANS*, Canonicus Averbodiensis, modò Præses.

COLLEGIUM PARISIENSE.

Collegium Parisiense. Fil. Præmonstrati. Diœcesis Paris. Circaria, Franciæ.

JOannes Abbas Præmonstrati, ab originis & natalium loco dictus de *Rocquiny*, villâ Terasciæ ignobili, obscuritatem sui ortûs ingenii solertiâ, liberalium artium studiis, morum candore, scientiarum & Theologiæ laureâ elevavit. Ex Abbatia Clari-fontis, quam disciplinâ & doctrinâ imbuerat, ad Præmonstrati & Ordinis apicem, mortuo Conone, sublectus est anno 1247. Elanguescentem fervoris spiritum excitavit in Ordine, & promovendarum scientiarum zelo æstuans, Collegium in alma Parisiensi Facultate erigendum, mente concepit; in quo non suæ tantùm Abbatiæ, sed universi Ordinis alumni, sacras in ipsò Galliarum purissimo fonte, litteras ediscerent. Propositum undequaque providentissimum & utile, aperuit congregatis Præmonstrati Proceribus, & eâ, quâ pollebat, eloquentiâ persuasit.

Aggratulantes igitur optimi Patris consilio, accelerationem operis ardentiùs postularunt, maximè Præmonstratensis Ecclesiæ filii, quorum discendi cupidinem acuebat Magistri eruditio. Festinam manum, urgentibus filiis, accommodavit Pater. Aptum struendo Collegio locum quæsiturus, Parisios properat. Domum à Gisela vidua Joannis Sarraceni, sitam ultrà Parvum pontem, in vico de *Haute-feuille*, pretio comparat tertiâ die Sabbati post Trinitatem anni MCCLII.

Adunandæ scholarium multitudini impar hospitium junxit Abbas vicinis ædibus, quas à Guillelma Abbatissâ S. Antonii coëmit, procurante Arnoldo episcopo Parisiensi, Abbate Cistercii Guidone collaudante. Venditionis tabulas anno 1255. in authentica forma conscriptas, publici fecit juris Pagius. Angustiorem domum ratus Abbas Joannes, contiguam in eodem vico Stuffarum, gallicè *Etuves*, acquisivit, & ex illis, pro hujus ævi simplicitate, Collegium adornat, cellulis instruit, munit officinis, dotat proventibus, & in Prioratûs

titulum attollit, quem Ludovicus IX. Galliæ Rex suo confirmavit diplomate, & Urbanus IV. donavit privilegiis. Quia verò Capellam ad divinorum pensum, exstruere non patiebatur loci mediocritas, permisit Pontifex anno 1263. studentibus Canonicis, sacris operari in portatili ara. Hujus indulgentiæ beneficio usi ad annum 1620. donec Anna Austriaca Ludovici XIII. piissima conjux, suppeditatis ex parte sumptibus, primarium Ecclesiæ posuisset lapidem, quam B. Annæ voluit dedicari. Benefactricis imperfectum opus nostrâ ætate absolvit Michael COLBERT Abbas Præmonstrati. Cancellis ferreis, subtili arte fabricatis, Chorum separavit à Navi; stallis elegantis structuræ vestivit chorum, sacristiam pretiosâ decoravit suppellectile. Posteà verò caducis Collegii ædibus innovandis adjecit animum; supportando tanto oneri imparem se sentiens, totius regni Canonias vocavit in auxilium; Capitulum nationale indixit, & communi sancito, ad ædificiorum constructionem una quæque domus, ne quidem Lotharingiæ & Barri Ducatuum exceptis Abbatiis, singula pro facultatibus suis jussa est concurrere, Abbatiam Grandis-campi, vulgò *Grand-champ*, in Diœcesi Carnotensi sitam, suppresso titulo, incorporavit Collegio, sustentationi Prioris & Magistrorum profuturam. Nihil tale ausus suo tempore Guillelmus Abbas Præmonstrati; hoc unum tentare ad Collegii decus, & Ordinis utilitatem, sibi licitum putavit, ut nempe Abbates de promovendis suis Canonicis ad Theologiæ gradus maximè sollicitos, censurâ Pontificis excitaret, & pungeret tardos. Quare Bonifacium VIII. de oportuno
An. 1295. remedio consuluit, à quo salubriter provisum est, ut prateritâ Abbatum licentiâ, illos ad studia mittere posset Guillelmus, quos de consilio trium priorum Abbatum Ordinis judicasset dociles, & morum maturitate laudabiles.

Hinc emarcidus studiorum amor revixit, in Ordine; & frequentes Theologiæ candidati è diversis Provinciis ablegati, Parisios confluxerunt; unde & mores compositos, & doctrinæ lauream, testantibus Academiæ fastis, reportaverunt. Innumeros seculo nostro, ex hoc feraci magistrorum Seminario prodiisse scimus, & prodeunt in dies sub Capite, & moderatore moderno, cui nihil antiquiùs est, quàm Collegium illustrare, in quo ipse pietatis & scientiæ rudimenta fecit, factus deinde tyronum Magister, & Doctor infulatus.

Capitula generalia Ordinis, ut zelum scientiæ stimularent, mercedem proposuere Doctoribus Parisinis, quos decreto anni 1543. in Comitiis generalibus sedere, ut Consultores, voluit. » Ordinat quòd deinceps omnes & singuli Religiosi nostri Ordinis, qui in alma » Parisiensi facultate, sui Doctoratûs gradum » adepti fuerint, possint & valeant in hoc Patrum consistorio assistere, & comparare in » Cappis post Abbates, citrà tamen votum de- » liberativum velut Consiliarii duntaxat. Et in » Capitulo anni 1605. statutum est in posterum, ut non nisi laureâ Doctorali insignitus in » Priorem Collegii Parisiensis instituatur; & » canone sequenti, cupiens Capitulum Reli- » giosos subditos ad Theologiæ studium in- » flammare, renovat antiquam Ordinis insti- » tutionem, quâ Domini Doctores, & Bacca- » laurei Formati in Theologia, primum stal- » lum post Suppriorem obtinent.

Ibidem, » cogantur Domini Abbates om- » ni viâ juris, Doctoribus sui monasterii, vi- » ginti quinque aureos nummos, in favorem » studiorum, ad comparandos libros, quotan- » nis, ultrà portionem consuetam, tribuere, » eâ tamen conditione, ut libris eâ pecuniâ » comparatis, proprium monasterium privare » alienando non possint.

Biretis purpureis voluit quoque Doctores insignitos, intùs & foris procedere, qualia olim facultas Parisiensis consuescebat laureatis concedere. Sed ab anno 1606. purpureus color in cæruleum immutatus, usque modo perseverat. Vide probat. à col. ccccxxviij. ad col. ccccxxxviij.

COLLEGIUM PRAGENSE.

Collegium Pragense. Surculus Montis Sion. Diœcesis Pragensis. Circaria Bohemiæ.

ANno 1612. quo Lohelius Abbas Strahoviensis, ad Pragensem Archiepiscopatum summâ cleri & populi concordiâ sublectus est, Gasparus de *Questemberg* in ejus locum suffectus, instituendi Collegii & Seminarii præconceptam ab antecessore suo intentionem, acriter prosequi & ad effectum deducere non destitit. Quia verò perturbati rerum status in novam de repente fabricam intendere non sinebant, opus à recuperatione Ecclesiæ Parochialis sancti Nicolai in veteri urbe, auspicatus est. Illam ab antiquo jure possidebat Strahoviensis Abbatia, illam Hussitæ violenter eripuerant, offensis sibi possessoribus, & à proscripto hæreseos turbine, ad seculares manus, regulare beneficium demigrarat. Illam Abbas Gasparus à Ferdinando II. Cæsare, æquè bonique consulente, feliciter obtinuit anno 1628. post subactos rebelles, Bohemiæ regno & regni hæredi invidentes. Ecclesiâ potitus Abbas, adjacentes comparavit domos, & structis pro temporum oportunitate ædibus, Alumnatum erexit, ubi selectæ juventutis adolescentes, per delegatos Strahoviæ Canonicos, Grammatices & Poëseos rudimentis procuravit imbui.

Florebat ad religionis & reipublicæ summam utilitatem, nobilis Palæstra, dum anno

1635. Ferdinandus III. Hungariæ & Bohemiæ Rex, Viennam petens & Pragæ consistens per aliquot dies, propositum arripuit exsolvendi voti, quo pridem se obstrinxerat, inducendi scilicet Benedictinos Congregationis Montis-Serrati in ditiones suas. Fertilem sacris institutis Pragam, & inter regiones Pragæ commodiorem judicavit *Emmaus*, à Monachis ejusdem schematis, sed non Reformationis ejusdem, inhabitatum. De transferendis aliò deliberavit Rex cum Archiepiscopo Cardinale ab *Harrach*; & utrique visum est, ad Parochialem S. Nicolai ecclesiam esse deportandos. Regale beneplacitum, ex Regis ipsius præcepto, aperuit Archiepiscopus Abbati, & ad indemnitatem, Ecclesiolam S. Benedicti, cœnobii Teinensis filiam, positam non longè à Seminario Archiepiscopali, obtulit. Compensationem imparem coæquavit suprema Principis voluntas, cui obtemperare religio fuit Gasparo: tabulis solemnibus, coram Officiali Pragensi commutatio intervenit XXI. Julii MDCXXXV. quam Ferdinandus Rex suo sancivit diplomate.

Abbas Questenbergius, post transactionem, Canonicos suos ad archiepiscopale Seminariū, studiis vacaturos jussit migrare, donec gymnasium erexisset. Illud anno 1637. bellorum remissis motibus, exorsus est. Domos contiguas Ecclesiæ S. Benedicti coëmit, iisque postliminio dirutis, fundamenta Seminarii, divo nuncupandi Norberto, locavit. Ingens ædificium, centum quinquaginta ulnis longum, latum triginta septem, quinquaginta tribus altum, Architectonices arte elegans, absolvit anno 1639. impensis ad fabricam quadraginta duobus millibus, quingentis & septuaginta florenis. Ne verò tantæ molis structura, foret aliquando ostentationis simulacrum, nullis profuturum usibus, quos pius author intendetat, quinquaginta millia talerorum in dotem assignavit, cum duobus aliis millibus quæ ex Salinis Bohemiæ Strahovia percipiebat annuatim; prædia quoque rusticana junxit, ad sustentationem viginti alumnorum, quorum decem Canonici Præmonstratenses ex Strahovia, vel alio ejusdem Ordinis monasterio, assumerentur: alii verò decem seculares essent bonæ spei juvenes, apti studiis, Ecclesiasticum spirantes aut spondentes animum; qui omnes victum & vestitum ex dotis fructibus habentes, scholas Seminarii Norbertini, vel Archiepiscopalis frequentarent. Ne autem operi tam utiliter, tam piè concinnato, malevola posteritas præsumeret attentare aut detrahere quidpiam, Urbani VIII. summi Pontificis autoritatem interposuit, quam prompto & liberali animo, ad stabilimentum Collegii, impendit Urbanus, ipsum sub Apostolicæ sedis ac Congregationis de Propaganda fide, protectionem suscipiens, eidem ac ejus Rectori, Scholaribus, » Collegialibus, Alumnis, Officialibus, Ministris, omnia & singula privilegia, exemptiones, libertates, facultates & indulta, cæterasque gratias, tam spirituales quàm temporales, Collegio sive Seminario archidiœcesano concessa & concessas, non solùm ad instar, sed æquè principaliter, communicavit.

Quantis verò privilegiis archiepiscopale Seminarium gauderet, accipe ex Bulla Urbani VIII. quæ incipit *Romanus Pontifex*. Omnia privilegia, exemptiones, libertates, & indulta, quibus studium generale almæ Urbis, & illius Rector, Doctoresque in eo legentes, aliaque Collegia quarumcumque Nationum, & Seminariorum tùm in eadem alma Urbe, tùm extra illam, per Romanos Pontifices instituta, utuntur, potiuntur, ac gaudent, ac uti, potiri, gaudere poterunt quomodolibet in futurum, non solùm ad eorum instar, sed etiam æquè principaliter uti, potiri, gaudere valeant.

Ex hac privilegiorum communitate & locorum vicinia prodiit inter utrumque gymnasium fraternitas tam stricta, ut ab origine Professores Theologiæ, Canonum, & Philosophiæ, ex Norberti Collegio, aut Strahoviæ Conventu, assumpserint Archiepiscopi ad sui Seminarii cathedras. Anno 1692. Joannes Fridericus Pragæ Archiepiscopus, honorem istum, hancque sollicitudinem ex æquo dimisit inter Præmonstratenses & Cistercienses, amotis Hybernis de Ordine S. Francisci, quos post longa bellorum tempora, in auxilium advocarat Cardinalis ab *Harrach*. Quantos in docendi munere præstiterit Ordo Præmonstratensis Magistros, alieno magis, quàm proprio marte dixerim, testemque exhibebo Marianum *Unczowski* Ferdinandii Collegii Professorem, in sua præfatione Theologiæ Scholasticæ: sic enim de Seminario S. Norberti loquens, habet; » apud vos foventur candidi Nazaræi lilia & rosæ humiles, atque electæ columbæ, omnem maculam deformitatis excludentes, immarcessibili florum honoris & fructuum honestatis, pollentes ubertate. Enim verò veritatis signa pono, dum idipsum de te exaro, amplissima semperque Deo grata domus, quæ sub tutela gloriosissimi Patriarchæ divi Norberti, augustissimi Eucharistiæ Sacramenti acerrimi vindicis, hæresum extirpatoris, dæmonum terroris, stas fundata anno Domini 1637. talibus à felicis mem. Urbano VIII. privilegiis decorata, qualibus gaudent Alumni, Gubernatores, Rectores & Ministri studii generalis, almæ Urbis Romæ, aliaque Collegia quarumcumque Nationum, & Seminariorum tam intra, quàm extra Romanam urbem existentium. Ex te prodiere infulati Patres plurimi, per Bohemiam, Austriam, Moraviam, Silesiam, Poloniam & Bavariam; in te immaculatus liliorum candor, florum fragrantia, quam subodoratæ sunt propinquæ Apes natæ liliis

» tuis ad satietatem nutriri : his dedisti Pro- » fessores tredecim, qui doctrinæ suæ splen- » dentibus radiis, ignorantiæ tenebras omni » ex parte fugarunt. Luxit primus præclaris do- » ctrinæ ac pietatis ornamentis decoratus, Ale- » xius Perelius, Canonicus Strahoviensis, » Theologiæ Moralis Professor. Hunc secutus » est Vitus *Rosler*, ejusdem loci Canonicus, » sacræ Theologiæ Doctor, qui cursum Phi- » losophicum docendo absolvit, quemque vi- » gilantia, ac vitæ probitas fecit Abbatem Si- » loënsem. Tertium locum obtinuit Adrianus » *Clerk* Canonicus Minovensis * ex Belgio, » cujus acutum ingenium reluxit. Quartus, ob » profunditatem doctrinæ, laureâ doctorali in » sacra Theologia fuit insignitus Josephus » *Schwartz* Canonicus Strahoviensis.... qui » cursum Philosophiæ & Theologiæ proficien- » do absolvit. Sextus, cujus doctrina non so- » lùm intellectum illuminat, sed & affectum » ad divina prosequenda allicit ac mirè inflam- » mat, fuit Hieronimus *Hirnheim* Canonicus » Strahoviensis S. Theologiæ Doctor, ob sin- » gulares virtutes factus Abbas Strahoviensis & » Vicarius generalis ... Septimus notatur Si- » gismundus *Drzimal*, Canonicus Straho- » viensis S. Theologiæ Doctor, unus inter » præclara ingenia.... Octavus successit.... » Hermannus *Banke*, Canonicus Gradicensis, » lauream doctoralem in S. Theologia conse- » cutus. Nonus doctrinæ probatæ Amandus » *Fridenfels*, Canonicus Strahoviensis, qui » dum in quinto Philosophiæ cursu ad hodier- » nam diem desudat, ostendit amorem scien- » tiæ, non scholarum temporibus, sed vitæ » spatio terminari. Decimus cujus suavi virtu- » tum odore impleta est propinqua domus sa- » pientiæ, fuit Reverendissimus, Perillustris ac » Amplissimus Dominus Hyacintus *Stohman*, » Philosophiæ ac Theologiæ Professor dignis- » simus, nunc Abbas Strahoviensis, ac per » Provincias Cæsareas, totamque Poloniam » Vicarius generalis. Undecimus, olim Philo- » sophiæ, nunc Theologiæ Professor, Gode- » fridus *Stehr*, Canonicus Strahoviensis, cujus » virtus ac scientia relucet. Duodecimus, &c. » &c. Reliquam omitto doctorum virorum sobolem, quam nobiliter claudit Marianus *Hermann*, diuturnâ Theologiæ professione, sacrorum Canonum eruditis lectionibus, publicæ tandem luci datis, de republica litteraria benè meritus, & quem pro meritis in Abbatem sibi delegit Strahovia. Nunc juvat syllabum annectere Rectorum Collegii Norbertini, quos nominasse, laudasse erit de doctrina, de pietate, de solertia in juventutis informatione.

* Milovicensi.

I.

ALEXIUS *PERELIUS*.

II.

JOANNES *FERRARIUS*.

III.

HUGO *TEISER*.

IV.

LAURENTIUS *WEIG*.

V.

ADAMUS *LAUTERBACH*.

VI.

JOSEPHUS *SCHWARTZ*.

VII.

MELCHIOR *MITIS*.

VIII.

FRANCISCUS *WALDTHAUSER*.

IX.

CHRISOSTOMUS *EISENBERGER*.

X.

HROZNATA *STERMSCHMIDT*.

XI.

MAXIMILIANUS *BOHMERT*.

XII.

HUGO *FABER*.

XIII.

URBANUS *DOMINIQUEL*.

XIV.

ERASMUS *RUPIUS*.

XV.

GODEFRIDUS *STEHR*.

XVI.

JOANNES *ZETO*.

XVII.

ANDREAS *CHENO*.

Vide Prob. à col. CCCCXXXVIII. ad col. CCCCXLVI.

COLMONTUM.

Colmontum B. ad Trenolis, Diœcesis Laudunensis Circaria Floreffia.

COlmontum, gallicè *Colmont*, Virginum Præpositura in Diœcesi Laudunensi, binis à Fano B. Virginis de Lætitia, vulgò *Notre-Dame de Liesse*, horis dissita, parentem habuit Thenolium, Abbatiam in Terascia ab ipsis penè Ordinis incunabulis editam & dotatam

à Bartholomæo Laudunensi præsule; nunc in rusticanum prædium Thecholio matri unitum, versa est Præpositura Colmontensis, de qua id memorabile refertur accidisse sub Walfridi Abbatis regimine, anno 1158. Miles quidam præpotens Colmonto proximus, numerosâ gravatur prole, filiam unam, licet renitentem, Parthenoni intrusit, totondit reclamantem, & schemate Religionis, Abbate inconsulto, vestivit. Walfridus de illata puellæ violentia & de infracto Ordinis jure factus certior, rei gestæ seriem, ne quid præter modum attentasse videretur, si propriâ autoritate Virginem ejiceret, ad generale Capitulum discutiendam judicandamque detulit. Patribus congregatis visum est è contubernio & Conventu Sororum expellendam Virginem, autoritate paternâ & per vim inductam, procacitate morum factam scandalum bonis, & infirmis peccati exemplum.

Hoc judicio fretus Abbas, puellam emisit, & restituit parentibus. Infremuerunt illi adversus Abbatem. Vexationibus, damnis, Abbatiam, ipsumque parthenonem exagitarunt, nec quieturos ab opere malo jurarunt perditi homines, donec ad saniora, ut aiebant, consilia reversus Abbas, in pristino statu virginem reposuisset. Non cessit præsentibus injuriis, nec impendentibus fractus Abbas, iniquiori Militis postulationi acquievit, sed ad Alexandrum III. humili supplicatione provocavit causam, à quo salutare hoc Rescriptum impetravit anno 1160.

Alexander Episcopus servus Servorum Dei. Venerabilibus Fratribus W. Remensi Archiepiscopo, Apostolicæ sedis Legato, & Laudunensi episcopo salutem & Apostolicam benedictionem. Ex parte Abbatis & Fratrum Theloniensis Ecclesiæ, nostris est auribus intimatum, quòd filia cujusdam Militis intrans in Ecclesiam ipsorum ad Sorores ejusdem Ecclesiæ, seipsam totondit, & Religionis habitum induit, ex qua re Abbas & Fratres non mediocriter scandalizati sunt & turbati, eo quòd nunquam ibi vel in alia domo Præmonstratensis Ordinis, tale quid accidisset; consulentes itaque super hujusmodi novitate Abbates Ordinis, & alios sapientes, acceperunt ab eis sic intrusam non esse retinendam, sed ad domum Patris potiùs remittendam, quòd etiam de communi consilio generalis Capituli fuit postea definitum, ne præceptum Ordinis, quo interdicta fuerat recipiendi licentia, frangeretur, & ne vicini Abbatiæ divites & potentes exemplo simili filias suas intrudere præsumerent vel parentes: quâ occasione parentes ejus commoti, multis & magnis vexationibus præscriptam Ecclesiam inquietaverunt, & ei damnum ad valens ducentarum librarum, ausu temerario intulerunt. Quapropter volentes propagationi & incremento Religionis prædictorum Abbatis & Fratrum ferventer intendere, & ne libertates & immunitates, quæ Ordini eorum indultæ sunt, & privilegio Romanæ Ecclesiæ confirmatæ, quorumlibet valeant malignitate turbari, promptam diligentiam & sollicitudinem adhibere, Fraternitati vestræ per Apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenùs si res ita se habet, generalis Capituli institutionem tam de muliere ista, quàm de aliis, appellatione remotâ, faciatis inviolabiter observari; nullis litteris justitiæ & veritati præjudicantibus, si quæ sunt, veritate tacitâ, impetratæ. Prætereà parentibus præfatæ mulieris sub interminatione anathematis prohibeatis, ne hac occasione prædictam Ecclesiam inquietare, vel molestare præsumant; & si quæ damna ei temerè intulerunt, sine dilatione resarciant. Datum Laterani 15. Kal. Aprilis an. Domini 1160.

SANCTA COLUMBA.

S. Columba. Fil. Retortæ. Diœcesis Toletanæ. Circaria Hispaniæ.

RAymundus Archiepiscopus Toletanus, & Hispaniarum Primas, ut Præmonstratensium familiam haberet in urbis suæ vicinia, Monasterium *S. Columbæ*, muris Toleti adjacens, tradidit Sanctio Abbati Retortæ; ejectis Monachis, Canonicorum Præmonstratensium turmam imposuit anno 1152. Raymundus. Partum Ordini hâc serie patrimonium, lapsu temporis ab Ordine avulsum est, & proventus transierunt dudum ad alienos.

Vide Probat. col. ccccLvj.

COMBA LONGA.

Combalonga Fil. Casæ-Dei. Diœcesis Conseranensis. Circaria. Vasconiæ.

AD radices Pyrænæorum montium, inter angustæ vallis, præterlabentis fluvioli aquis irriguæ, constrictos hiatus, uno & sesqui separata lapide à civitate S. Licerii, * surgit Abbatia *Comba longa*, Ordinis Præmonstratensis, anno 1138. ut creditur, constructa, Fundatorem appellans Arnoldum de Austria, Comitem de *Pailhas*, supremum Dynastam pagorum sexaginta, partim in Galliam, partim in Hispaniam diffusorum. Cognomentum Austriæ Fundatori impositum fuisse hinc conjecto, quòd ad Austrum perflantem ditiones suas late protensas haberet; neque enim ab Austriaco sanguine suum derivasse nomen

* S. Licer.

magis credas, quàm à Conseranensis agri regione vergente ad Austrum, quæ hodiedùm servatam denominationem *Austria* retinet.

Insignis & præpotens ab sua origine Comba-longa, * grassantium hæreticorum iterato impetu subversa sæculo XVI°. exeunte, abiit penè in favillas; ejus Chartæ, documenta, & pretiosa quæque incendio conflagrarunt. Tantæ cladi reparandæ impigram à pluribus annis operam adhibuit vir per omnia sedulus, & zelo commendabilis, *P. Dandre* Combæ-longæ Prior; nec laboribus, nec vitæ periculis parcens; jam jamque ex parte votis potitus, Templum è ruderibus excitavit; claustrum, officinæ, ultimam spirant manum, eamque obtinuissent, ni solertissimus Prior per anfractus litium & sumptus immensos, possessores bonorum ad prædiorum restitutionem cogere debuisset.

* Combe-longue.

Seriem Abbatum ex schedarum quisquiliis, & ex Obituario decerptam hanc suppeditavit, emendatam à nobis in aliquo.

I.

ANTONIUS ab *AUSTRIA*, filius Arnoldi Fundatoris, primus Abbas Combæ-longæ instituitur anno 1138. ipsi suffectus est

II.

ARNALDUS, qui anno 1165. obtinuit facultatem à Pontio episcopo Carcascessensi, construendi Ecclesiam & ædes in sylva Bolbonienfi. Bullam protectionis obtinuit ab Alexandro III. anno 1162. Interfuit anno 1188. compositioni initæ inter Religiosos Capellæ & Grandis-sylvæ. Die verò 26. Januarii 1189. humanis eximitur.

III.

MICHAEL DE VERDUNO regebat anno 1191.

IV.

NAVARRUS D'AQS, Raymundi Arnaldi Vice-Comitis Aquensis, & Stephaniæ Bigorrensis Comitissæ filius, alumnus Combæ-longæ, & Albigensium hæreticorum in congressu disputationum, terror & malleus. Ad Conseranensem Episcopatum, & ad Apostolici Legati culmen evectus, Abbatiam resignavit anno 1208. & in ejus locum successit

V.

PETRUS denatus anno 1211. stetit ut testis hominii, quod Rogerus Comes Convennarum, præstitit Comiti *Montis-fortis*. Anno 1216. legitur ut testis in sententia Arnaldi Tarbiensis, & Grimoaldi Convennensis episcoporum, pro Conseranensi episcopo, contrà Comitem Convennarum.

Petro GERALDUM subrogat P. Dyonisius San-Marthanus, eumque Raymundo de *Benac* episcopo Lascurrensi coæqualem adstruit. Porrò Raymundus de *Benac* ultrà annum 1220. inter vivos non reperitur, sicut nec in Abbatum Combæ-longæ syllabo Geraldus; sed Petro assignatur successor

VI.

JOANNES, qui celeberrimo congressui habito apud S. Joannem de *Verge*, coram Petro *Colmieu* Vice-legato, & aliis Proceribus & Prælatis, pro reconciliatione Rogerii Bernardi Comitis Fuxensis, interfuit XVI. Kal. Julii 1229. & inter testes recensetur in Charta, quam Comes in arrham suæ obedientiæ, & in argumentum ejuratæ hæreseos conscripsit. Hanc in Bearnensis historiæ l. 8. c. 22. p. 756. gallico idiomati redditam, exhibet illustris Petrus de Marca. An. circiter 1235. obiit Joannes.

VII.

MICHAEL ab anno 1238. ad an. 1241. præfuisse legitur.

VIII.

ISARNUS anno 1254. referente Petro de Marca, ejusdem hist. l. 8. c. 24. p. 774. à Rogerio Comite Fuxensi, & Arnaldo Abbate Mansi-azilis, * accepit ad feudum quartam partem possessionum & jurium villæ Montesquivi. * Moritur anno 1256.

* Mas d'Azil.

* Montesquiu.

IX.

ARNALDUS II. ab Alexandro IV. impetravit Bullam confirmativam bonorum & jurium Combæ-longæ, datam anno IV. Pontificatûs, concurrentem cum anno 1257. Vixisse ferunt Arnaldum ad annum 1263.

X.

BERNARDUS anno 1272. pariagium fecit cum Philippo III. Rege Franciæ cognomento *Audaci*, de territorio & justitia Avantesii; & anno 1280. cum Augerio de *Monte-falconis* paciscitur.

XI.

PETRUS II. obiit X. Kal. Septembris 1282.

XII.

MICHAEL *CARBONELLUS* anno 1302. initum pridem ab Isarno pariagium cum Rogerio Fuxi Comite, renovat cum Gastone Comite Fuxensi.

XIII.

PETRUS III. DE *PIRA*, quem San-Marthanus de *Pinu* appellat, transigit cum Appamiensibus Consulibus de pascuis & lignis Bolbonæ an. 1339.

XIV.

JACOBUS in vivis agebat adhuc anno 1391. & anno sequenti, regimini insedebat

XV.

MICHAEL DE DURBANO, qui hoc anno con-

cessum Arnaldo prædecessori privilegium à Bernardo d'*Urban*, confirmari procuravit à Joanne de Insula. Ab hoc Abbate ad tempora Arnaldi *Dorias* defecit chronologica Abbatum series, & promiscuo ordine & succedaneo, tres de nomine solùm noti, ex Necrologiis supponuntur, ad implendos hiatus.

XVI.

RAYMUNDUS.

XVII.

JACOBUS DE *VIRIDARIO*.

XVIII.

PETRUS *GIRAUD*.

XIX.

ARNALDUS *DORIAS*, aut *D'ARIAS*, ut legit San-Marthanus, in Charta Gasparis de *Villemur* anno 1478. præsens aderat, & in alia de anno 1494. testis renuntiatur.

XX.

GERALDUS DE *FONTE*, anno 1513. occubuit.

XXI.

ARNOLDUS DE *DARRERIO* anno 1513. electus.

XXII.

JOANNES DE *MAULEON* Abbatum Regularium ultimus, anno 1516.

XXIII.

FIRMINETUS DE *CAPITE-VILLÆ*, Licentiatus in Decretis, anno 1523. 1525.

XXIV.

GUILLELMUS *DOUMENE* 1530.

XXV.

ROGERIUS DE *COMINGES* 1548.

XXVI.

FRANCISCUS DE *SAINT GERT* 1585.

XXVII.

PETRUS DU *BUISSON* ad annum 1605. possedi.

XXVIII.

JOANNES ANTONIUS DE *MAULEON*, vacantem per obitum Abbatiam adeptus, possessionem adiit 1612.

XXIX.

JOANNES FRANCISCUS DE *MAULEON* DE *DURBAN* ab anno 1637. ad annum 1658.

XXX.

FRANCISCUS DE *LA BOURGEADE*, Annæ Austriacæ Ludovici XIII. sponsæ, à concionibus, anno 1659. creatus Abbas, obiit anno 1672.

XXXI.

ANTONIUS *ESPRIT* obiit 1682.

XXXII.

GABRIEL DE *SAINT ESTEUVE* episcopus Conseranensis, fatis functus anno 1707.

XXXIII.

PETRUS DE *PONTAC*, cui successit

XXXIV.

JOANNES DE *MOURTEAU*, modernus Abbas anno 1726.

PASTORATUS.

Rimont, oppidum Conseranensis Diœcesis, in quo jus patronatûs exercet Comba-longa; jurisdictionem verò temporalem ex æquo dividit cum Rege Galliæ.

(*a*) *La Bastide*. Alternatim cum Abbate de *Mazdazil* præsentat Abbas Combæ-longæ, in Diœcesi eadem. In Rivensi autem sita est altera Parochia, cognomine eadem.

Campagne, à collatione Combæ-longæ merè dependens, & eo loci dominium summum Abbas cum Rege partitur. Vide probat à col. ccccxlvj. ad col. ccccxlvij.

COMESTORFF.

Comestorff. Vel omnium sanctorum, Diœcesis Argentinensis. Circaria Sueviæ.

IN suburbio Argentinensis Civitatis, infrà limites S. Petri junioris, Oratorium & domum ædificaverant Abbates Cellæ Omnium Sanctorum sylvæ Herciniæ, ibique sacris operantes Canonicos, sicut *Oberkirkiæ*, sub Prioris disciplina viventes, posuerunt. Oratorium illud, Omnibus Sanctis, instar matricis Ecclesiæ, dicatum, vulgò *Omnes Sancti*, populari autem idiomate *Comestorff* nuncupatum, acquisivit à Præposito & Conventu *Cellæ Omnium Sanctorum* Henricus de *Mullenheim*, civis Argentinensis anno 1327.

Ne loci religio profanis usibus violaretur, dotem auxit, fundorum collatione, Henricus, & seculares Presbyteros, qui divinis inibi officiis vacarent, Præbendarum divisione factâ, imposuit, de consensu Nicolai Præpositi, Goetzonis Decani, Conradi Thesaurarii, totiusque Capituli S. Petri junioris. Ad Præbendarum duodecim numerum, adventitiâ Fun-

(*a*) Abbatia Ordinis S. Benedicti, laxioris Observantiæ, in Diœcesi Conseranensi, de qua nullam fecere mentionem in *Gallia Christiana* San-Marthani.

datorum largitate, excrevit primitiva dos, sed à religione Catholica cùm defecisset Argentinensis civitas, & Osnaburgicæ pacis tractatus ad religionis Lutheranæ patrocinium invexisset puncta, ocyus Lutherani involarunt in Præbendas Oratorii Omnium Sanctorum, sub sancitæ pacis titulo, bellum indicentes Ecclesiis. Prævalenti Sectæ succumbens oppressa religio, per amicabilem concordiam, hoc unum potuit obtinere, ut Præbendæ duodecim ex æquo dividerentur Catholicos inter & Acatholicos Augustanæ confessionis, & collatio priorum ad Præposituram S. Petri, posteriorum verò investitura cederet patronis gentis Mullenheimiæ.

Nunc meliori fortunâ gaudens religio Argentinæ, sub auspiciis Gallicanæ dominationis, procul ejectis Lutheranis, suffecti sunt Catholici Canonici.

Cùm in archivis Cellæ Omnium Sanctorum primitivi sui patrimonii in Argentinensi civitate, nulla supersit Charta, nullum venditionis extet documentum, nullaque veterum recordatio, gratum fortè erit modernis nosse patrum suorum authoritatem ad alienigenas, ultroneâ deditione, transmissam.

Vide probat. à col. ccccxlvij. ad col.

COMMENTAR.

Commentar Fil. Hagnovia. Diœcesis Argentinensis. Circaria Suevia.

PRioratum hunc conventualem, Præposituræ Hagnoviensis, catalogo inscripsit Layruëlius, ad fidem antiquioris Indicis. E rerum naturâ, & memoriâ hominum domus illa sic excidit, ut ne de nomine quidem sibi notum esse, responderit Præpositus S. Nicolai Hagnoviensis.

COMZ.

Comz. Fil. Siloë. Diœcesis Olomucensis. Circaria. Moravia.

HAnc Virginum Præposituram, omisit Pagius, Layruëlius invexit in suum catalogum, eamque prolem esse scribit Siloënsis Abbatiæ. Miror ignotam matri filiam, & in ea quam contexuerant filialium monasteriorum serie, istud prætermissum à Siloënsibus. Fortè id neglexerunt, aut ignorarunt. Prostrata enim ab Hussitis Præpositura, & cremata incendio, sui vestigium posteris cum non reliquerit, ne in Chartis quidem, ejus memoria sic evanuit, ut seri nepotes, ne de nomine quidem cognoverint, aut si cognovisse dicas, superfluum judicaverunt inter viventes reputare mortuam progeniem.

CONRASDORFFIUM.

Conrasdorffium. Fil. Præmons. Diœcesis. Moguntina. Circaria Vadegotta.

IN Weteravia & Diœcesi Moguntinensi, non procul à Collegiali Ecclesia de *Moxstat*, Præposituram nobilium Virginum, Ordinis Præmonstratensis, erexit, dotavitque unà cum parentibus suis, Harmannus de *Budingen*, & à situ implantationis Parthenii, *Conrasdorff* nomen obtinuit Præpositura. Villas de *Seltzers*, de *Wirpenbach*, & de *Klauburg*, quas in feodum possidebat Hartmannus, has in dotem transcripsit Virginibus, advocatiæ jure sibi reservato.

Conradus Sabiniensis episcopus, Moguntinensi iterùm Cathedræ restitutus, statum fortunasque *Conrasdorffii* ritè confirmavit anno 1191. & traditum cœnobio jus patronatûs Ecclesiæ Parochialis in *Glauburgi*, studiis Fundatoris accedentibus, firmavit autoritate suâ beneficus Præsul, decimisque novalibus auxit.

Primariæ Nobilitatis Virgines, à limine fundationis, ad novissima tempora, sub Præpositi regimine, & Magistrarum præfectura, militasse Deo, novimus ex residuis celeberrimi Parthenii quisquiliis. Ursula Comitissa de *Werthem* præerat ad annum 1551. cui suffecta est Helena Baronissa de *Trou*, quæ nil nisi seculi spirans mores, liberiorem vivendi normam, excusso Religionis jugo, inducere in monasterium, quantâ potuit arte, enixa est. Verùm radicatæ in pietate Virgines cùm ad ducis suæ exemplum, noluissent ad ejuratum redire seculum, & suasibilibus Magistræ obsisterent lenociniis, protinùs illa abjecto Religionis habitu, ac violentâ militum stipata manu, rebelles ejecit anno 1566. & dominium rerum, suffragante Lutheranorum secta, quam deperibat, sibi ascivit. Veteris instituti monumenta, quæ in deprædationis argumentum poterant à spoliatis objici, curavit nefaria mulier, vel tradere flammis, vel destruere per opifices. Sedilia Chori molitor *Conrasdorffii* demolitus, eadem ignibus festivis devovit. Turris & Horologii campanas, sacramque suppellectilem, in *Schivartzfels*, jussit deportari; providâ, sed sacrilega cautione. Mausolæa Procerum, & Virginum tumbas, posthabitâ mortuorum reverentiâ, abradi, & convelli præcepit, sacris postmodùm non parcitura ædibus, ne quod vestigium claustri, aut templi quondam extantis species, latrocinium posteris indicaret. Suo impunè fruita scelere mulier impia, quam obstrepens

strepens hæresis blanda ad quodlibet audendum incitabat, involasse fertur ad nuptias. Favebat lascivienti fœminæ Philippus Ludovicus Hanoviæ Comes, cujus pater Rainardus ab anno 1532. Lutheranismi errores in Veteraviam invexerat; sed post aliquot iniquæ possessionis annos, quos usurpatrici sacrilegæ permisit Comes sacrilegii fautor, iniquiorem sibi fecerunt Philippi successores adipiscendæ hæreditatis Norbertinæ titulum, partim fundorum invasione, partim emptione simulatâ. Reclamavit Ordo Præmonstratensis; reclamabant Passaviensis pacis fœdera ab anno 1552. Religionis Catholicæ aris, mystis, & ædibus tam disertè consulentia. At calcatis legibus, fractisque fidei publicæ repagulis, contaminaverunt sancta & hæreditate possederunt sanctuarium Dei. Georgius Præpositus Ilbenstadii, dolens in vicinia sua portionem substantiæ Patris sui transivisse ad achatolicos, statuit vir magnanimi cordis, & Cæsari acceptissimus, totum se recuperando Conrasdorffio impendere. Per se ipsum rem aggressurus, Viennam petit, & mandatum impetrat XI. Decembris 1629. quo Eustachius de ***Frankestein*** Moguntinensis Electoris Consiliarius, ejusque in ***Hoept***, ***Hoffeim &c.*** Baillivus, controversiæ judex delegatur, inter Georgium Præpositum Ilbenstadii, & Albertum Hanoviæ Comitem, super restitutione Conrasdorffii: impositam sibi provinciam, utrique contendentium denuntiat Commissarius, & Francofurti jubet comparere, ad causæ deffensionem, & judicium. Occurrit ad vadimonium constitutum Præpositus die 16. Aprilis in Conventu Dominicanorum, & documentis diplomaticis demonstratam suæ causæ justitiam, testium suffragio petiit comprobare.

Protulit ad juris munimentum, Chartam fundationis mirabiliter è manibus furentis fœminæ elapsam, exhibuit Diploma alterum Rohomanni de ***Kempenic*** & Henrici d'***Isauburg***, utriusque sigillo impressum, quo decimam fœni in ***Vinendorff*** ab Hermanno de ***Bindriemen*** collatam Conrasdorffii monasterio, laudant. In adminiculum probationis litterariæ, protulit Breviarium, anno 1509. typis Moguntinis editum, & à Gerardo ***Kiederich*** Decano in ***Moxstat*** donatum, anno 1539. Ursulæ Comitissæ de ***Wertheim***, Magistræ in ***Conrasdorff***, donum suo apographo, attestante Gerardo, qui Kalendarium nonnullis notis insperserat, quarum altera ad diem 14. Augusti habet. *Sabbatho circiter horam quintam post Vesperas in Vigilia Assumptionis, obiit **Margaretha de** Wilbel, **Priorissa Conrasdorffii**, cujus anima requiescat in pace.* Altera ad diem 9. Septembris legitur. *Anno 1515. obiit venerabilis vir Joannes* Selgerstat *Præpositus in* Conrasdorff *infra nonam & decimam horam prandii, cujus anima requiescat in pace.* Recentiori verò manu, & in mente Augusto scriptum est. *Obiit vir venerabilis Dominus Gerardus Decanus in* Moxstat ***anno 1551.*** *pia memoria, qui mihi hoc Breviarum dedit.*

Consignavit judici documenta Præpositus, & testium nomina indicavit, diem auditionis ratum postulans; acquievit judex, & ad octavum Maii testes interpellavit obire vadimonium. Comes Albertus multiplici suffugio sententiam eludere & perennare litem adlaboravit. Testes nonnullos in ditione Comitis Hassiæ de ***Stholburg*** commorantes, ad sistendum coram judice, precibus interpositis, impedivit, seque ipsum in evolvendis archiviis occupatum, arctiori spatio sic coarctari conquestus est, ut nec jura sua deffendere, nec ad patrocinium suæ causæ scrinia lustrare concederetur; litigatoris tergiversantis malam fidem subodoratus judex, accersitorum testium excepit verba juridicè, & in tabulis redacta evicerunt necdùm antiquatam esse apud nobiles & rusticos memoriam Parthenii Conrasdorffiensis. Omnes vel de visu, vel de relatu paterno, declararunt ab Helena de ***Treu*** Magistra, immutatum fuisse Ordinem ab annis quadraginta tribus; per eam aut ad ejus imperium, abrasa fuisse Religionis Norbertinæ monumenta, fractas chori sedes, spoliatam suâ suppellectile Ecclesiam, Campanas in ***Schwartzfels*** deportatas. Testificati sunt, villas de ***Seltzers***, de ***Wippenbach***, de ***Kleubourg*** ad dominium pertinuisse cœnobii ab antiquis temporibus, parochiales Ecclesias de ***Kleubourg*** & d'***Efflerbach***, de jure patronatûs esse Conrasdorffii.

Quid ultrà desiderare ad veritatis evidentiam posset judex, ne judex ipse noverat, nisi quod Hanoviæ Comes, cunctando & silendo moram trahebat, & petebat inducias: indulsit suprà modum supplicanti, ob nominis reverentiam judex, sed cum dilationes in opprobrium cederent justitiæ, & querulus actor instaret vividiùs, tandem præscripta rei actæ gesta ad Cæsarem transmisit, à quo rursùs ad Fridbergæ Consules remissa sunt, ad judicium. Septimo Julii 1630. tulerunt illud, & Ilbenstadio restituendum Parthenonem cum omnibus bonis sanxerunt judices Cæsarei. Illicò administratorem Conrasdorffii delegavit Præpositus, Patrem Adamum ***Durplatz***, cui suffecit P. Norbertum ***Nussbaum***, ambos Ilbenstadienses Canonicos. Horum postremo Joannes-Baptista Sylvius, monasteriorum S. Mariæ Magdeburgensis & S. Scoiberti Quidlenburgensis Præpositus & Administrator, in vim commissionis sibi ab Abbate Ninivensi, totius Germaniæ Vicario generali, concessæ, administrationem Conrasdorffii contulit, eumque pleno jure investivit 22. Junii 1636.

Splendidam Religionis faciem, aliquanto post decoloravit turbo Suecus. Monasteriis indicto bello, nulli pepercit obvio miles inhumanus, Conrasdorffium absorbuit & amico Comiti quem fides, seu potiùs perfidia junxe-

rat, exercitûs duci, restituit tanquam hæredi extruso iniquius. In Congressu Monasteriensi clamorosas dilaniatæ per hæresim, Germaniæ preces, armis impotens Cæsar exaudire nequivit, & quidquid innatus Principi amor erga Ecclesiam suaserit, hanc ex parte non valuit liberare de manu hostili; illo freti titulo Monasteriensis pacis Comites Hanoviæ, Conrasdorffium legitimo jure eis ereptum anno 1630. recuperarunt anno 1648, & hodie detinent.

Anno 1721. modernus Comes voluit vendere Ilbenstadiensi Præposito Conrasdorffium, sed cunctando perdidit spem redemptionis Ordo noster, fortè redimet homo.

Vide probat. à col. ccccliij. ad col. cccclv.

CORNEOLUM.

Corneolum. Fil. S. Martini Laudunensis. Diœcesis. Bisuntin. Circaria Burgundiæ. * Gray. 1134.

CORNEOLUM in Comitatu Burgundiæ, & Diœcesi Bisuntina, ab oppido Grayaci* unâ dissitum horâ, secùs præterlabentis amnis *Drugeon* ripas, & in loco palustri consistens, Canonicis Regularibus S. Augustini Bisontionis anno 1133. oblatum ut Prioratum illic instituerent, cessit Præmonstratensibus anno sequenti. Reinbaldus ex Abbatia sancti Pauli illuc cum paucorum Fratrum turma submissus, à Gerlando Abbate, nemorosæ & male sanæ solitudinis fractus horroribus, locum & dotem in manibus Anserici Archiepiscopi Bisontinensis resignavit. Nec mora: Ansericus interritos incolas ex Ordine Præmonstratensi, vitæ abstrusioris secessibus assuetos, de Fundatorum assensu, evocavit. Galterum S. Martini Laudunensis Abbatem, vulgatâ per Gallias famâ celebrem, multorum cœnobiorum patrem, litteris convenit, hortationibus pulsat, ut propagandæ Religionis auspicatissimam occasionem exambire non dedignetur. Promptus Bisontionem advolat Galterus, Corneolum deducitur ab Anserico: squallentis eremi circumspectat horrores, nec stupet; quin potius Præmonstrati redivivam eremum in Corneolo* contemplans, in ejus habitationem inardescit. Propositum Galteri laudat Ansericus, statimque, conscriptis tabulis, fundum ipsi & domunculam impartitur.

* Corneux.

I.

Laudunum redux, selectam parat trajicitque duodecim Fratrum coloniam, cui WALCHELINUM præfecit Abbatem. Novorum hospitum, novique magistri in vivendo severitas, in docendo zelus, in orando perseverantia, Comites Palatinos Burgundiæ sic devinxerunt, ut beneficiis, immunitatibus, prædiis Corneolum locupletare non desierint. Crevit ita honoribus & bonis, angusta ab origine domus, ut raptim in celebrem evaserit Abbatiam, Comitum patrocinio lætantem. Pietate, scientiâ, genere, insignes viros peperisse gloriatur Corneolum; monumentis litterariis consignatas eorum actiones, luget flammis hostilibus deletas, unà cum Bibliotheca manuscriptis codicibus instructissima. Vix syllabnm Abbatum, & sepositas apud Graiacum fundationis Chartas, tempore furentis martis, liberavit de manu inimicorum. Igitur paucis rem arduam exequemur verbis ex Necrologio desumptis.

II.

MARTINUS I. anno 1140. Walchelino successor datus, obiit 28. Februarii 1147.

III.

TECELINUS, 1169.

IV.

GERVASIUS I. 1199.

V.

HUGO.

VI.

GUILLELMUS.

VII.

RADULPHUS.

VIII.

JOANNES.

IX.

BISUNTIUS, 1274.

X.

GUIDO ad archicœnobium Præmonstratense postulatus anno 1281. ibidem obiit Abbas.

XI.

RAINARDUS, 1316.

XII.

BARTHOLOMÆUS, 1335.

XIII.

JOANNES DE *FONDREMONT*, 15 Maii 1352.

XIV.

ODO, 30 Maii 1353.

XV.

RAINARDUS DE *CUGNEY*, 7 Octob 1360.

XVI.

GUIDO DE *FAVERNEY*, 1368.

XVII.

GUIDO DE *FRASANS*, 23 Jan. 1385.

XVIII.

PONCIUS I. 1392.

XIX.

PONCY *de Pernix*, 1400.

XX.

PONCIUS *de Petraqovr*, 24. Febr. 1412.

XXI.

GERVASIUS II.

XXII.

GIRARDUS *de Arcu*, 14 Martii 1426.

XXIII.

JACOBUS *de Beaujeu*, 1437.

XXIV.

GIRARDUS *Lanterniier*, 1460.

XXV.

JOANNES *Jeoffroy*, 1449.

XXVI.

JOANNES *Prevost*, 1491.

XXVII.

JOANNES *de Marmier*, 1516.

XXVIII.

JOANNES *Mathieu*, 1532.

XXIX.

ANTONIUS *Perchet*, 1576.

XXX.

SULPITIUS *Hibert* cessit anno 1583. & obiit anno 1584.

XXXI.

ARNOLDUS *Jannet*, 1604.

XXXII.

FRANCISCUS *Boulle*, 10 Julii 1607.

XXXIII.

NICOLAUS *Verneret*, 1627.

XXXIV.

FRANCISCUS *Oudeau*, 1627.

XXXV.

CLAUDIUS *Barberat*, 1628.

XXXVI.

HIERONYMUS *le Blanc* Decretorum Doctor, Vicarius generalis Circuli Burgundiæ, pro recuperatione Bellicampi strenuus actor apud Principem Montis Belligardi, partem ex ejus manibus eripuit an. 1631. Obiit an. 1643.

XXXVII.

FRANCISCUS *de la Fausse* cessit an. 1660.

XXXVIII.

CLAUDIUS *Mitene*, 1664.

XXXIX.

FRIDERICUS *de Biseau* Canonicus Bonæ-Spei cessit anno 1687. Sepultus est in Ecclesia Bonæ-spei, cum hac epigraphe : « hic jacet » corpus R^di. admodum Patris ac D. D. FRE» DERICI *de Biseau*, Confratris nostri, quon» dam Abbatis Ecclesiarum Corneoli, & Bel» licampi Diœcesis Bisuntinensis, & S. Stephani » in Hungaria, qui post 18. regiminis annos » laudabiliter completos, variis infirmitatibus » oppressus, eas resignavit, & ad natale solum » reversus, piè, ut vixerat, obiit 21. Aprilis » 1687. anno ætatis suæ 57 R. I. P.

XL.

GUILLELMUS LAURENTIUS *de Visemal* an. 1708. in viciniorem monticulum Abbatiam transtulit, habentem in prospectu Graiaci oppidum, sinuosos Drugonis prata alluentis, & in Ararim se exonerantis, flexus, sylvas in amphitheatrum eminùs assurgentes, planitiem latè fusam, & naturæ mirabiliter in varietate arborum & segetum ludentis, lepidam faciem. Die 3. Septembris in pontificali apparatu, Clero præeunte, primarium ædificii lapidem posuit Guillelmus Abbas & 21 Novembris 1717. in domum eleganti modestiâ structam, instructamque claustris & officinis, Conventum deduxit processionaliter venerabile gestans Sacramentum, quod in Capella deposuit, donec templum Domino præparasset magnificum, sicut mente præconceperat ; sed morte præventus opere complere id nequivit. x. Maii 1717. ætatis LXXXII. ad gloriæ cælestis templum raptus est.

XLI.

CLAUDIUS *Fonfreide de Sauset* Canonicus sancti Andreæ Claromontani, Doctor Sorbonicus, à Ludovico XIV. commendatus, eligitur Abbas 14. Maii 1718. & 19. Junii à Reverendissimo Abbate Generali Claudio Honorato Luca inauguratur Corneoli, obiit anno 1725. vigesimo quarto Junii.

XLII.

HENRICUS JOSEPHUS *de Labruyere* Canonicus de Præmonstrato, ex Priore Gaudii-vallis Abbas Corneoli renuntiatur die mensis anni 1725. In deffensandis suæ Abbatiæ & Ordinis juribus Abbas impiger, anno 1731. die 19. Decembris solemni judicio administrationem Sacramentorum tam villicis, quàm domesticis suis, asseruit sibi, contra invidentes & invadentes Parochos circumstantes.

PATERNITAS.

Bellus-Campus, filius Corneoli, nunc sub Comitis Montis Belicardi heterodoxi, potestate constitutus, existit, Canonicis orbatus, quingentas libras ex Parlamenti Dolensis senatusconsulto * pendere quotannis Corneolo tenetur Princeps, levem hanc de naufragio filiæ tabulam salvare potuit mater.

* 1702.

Vallis Monialium, Parthenon non longè à Corneolo positus, cujus ne rudera quidem subsistunt.

Collegium Graïaci ad juventutis informationem, eruditionemque institutum in oppido, regebat unus Corneoli Canonicus, & sub illo moderatore humaniores Litteras & Philosophiam docebant sex Corneolenses Canonici. Anno 1643. sub initium sui præsulatûs, Franciscus de *la Fausse*, Collegii præfecturam & Professorum Cathedras, simul cum patrimoniali dote, transtulit ad Patres Jesuitas, suis cariores sibi.

PASTORATUS.

Parochialis Ecclesia Graïaci, cujus primarius est Pastor Abbas Corneoli, habens sub se Vicarium perpetuum secularem.

S. Beroingus, vulgò *S. Beroing*.

Angirey.

Valesmes.

Batheran.

Bay.

Sornay à Canonicis Corneolensibus administrantur. Sequentes verò per seculares Presbyteros.

Pesmes.

Sauvaigney.

Vadan.

Cresancey.

Veneret.

Champtoney.

Moitey suprà Ararim.

Bussey: horum jus patronatûs Abbas possidet, sed lapsus temporis, contra regularitatis titulum præscripsit impræscriptibilem sanè in Ordine nostro, si privilegiorum & Gallicanæ jurisprudentiæ arrestis roboratæ toties, vim attendas,

Gaudet etiam jure patronatûs parochialis & regularis Ecclesiæ de Capreoli-monte, vulgò *Chevremont* juxta Befortium in Diœcesi Basileensi, idque juris ex Bellicampensi Abbatia, ad matricem hæreditatis beneficio devolutum, exercet Corneolensis Abbas.

Vide probat. à col. ccccliv. ad col. cccclx.

COTISCHOVIUM.

Cotischovium. Fil. Tepla. Diœcesis. Pragensis. Circaria Bohemia.

IN Regno Bohemiæ, & Archidiœcesi Pragensi, nobilis Virginum Præpositura surrexit Cotischovii, anno 1196. Insigne cœnobium perillustrem habuit Fundatricem B. Woyslawam, sororem B. Hroznatæ, Teplensis abbatiæ Fundatoris. Hæc marito suo Cracoviæ, regni Poloniæ Metropolis, Præfecto, viduata, totam se piis devovit operibus, & sub observantia vidualis castimoniæ, in sodalitio Sanctimonialium, dies exegit suos tam sanctè, ut in sanctitatis argumentum, crebra ad tumulum ejus miracula ediderit Deus.

Reges Bohemiæ magnis Cotischovium privilegiis adornarunt, & bonis, adeò ut inter Prælatos regni & in Optimatum consessu, Præpositus ut regni Pater & Judex, assideat. Neque hic honos ex Fundatricis reverentia tantùm, sed maximè ex laudabilibus Præpositorum gestis, manavit in successores posteros, qui anteriorum æmulati virtutem, deffensionem Regum & Patriæ zelantes, & turbidis *Zizskanæ* persecutionis temporibus, pro aris certantes fortiter, heroum albo & fastis adscripti sunt.

Haud degeneres tantis ducibus Virginum exstitisse choros, produnt historiæ. Irrumpenti in monasterium Zizskæ, quantâ fortitudine obstiterint, ipse testatur martyrum Virginum sanguis, in occupatione Parthenii fusus; Quas enim tyrannus in fide vidit invictas, ferro crudeli vincere non horruit, totumque cœnobium donare flammis. Ut ex mortuarum cineribus, nobilis resurrexit & indefinens Virginum propago, ita ex desolato & incenso Cotischovio, splendidiùs, opitulante Dei providentiâ, excitatum est.

Teplam ut matrem semper suspexit Cotischovium, & B. Hroznatam uti Patrem veneratur. Eo namque agente asceterii fundamenta locata sunt, Religio inducta, mores exculti, ampliati proventus, nec alteri Sanctimonialium regimen commisit, donec per se ad perfectionis fastigium opus promovisset. Tunc enim velut alterum à se ad hanc provinciam destinavit, & ille fuit

I.

ZDISLAUS: demandatum sibi à B. Hroznata Parthenonem rexit ab anno 1210. usque ad annum 1249. piè & utiliter; etenim regulari disciplinæ intentus sic fuit, ut etiam procurando temporali sedulam impenderit operam. A Præposito quippè Melnicensis Ecclesiæ, de consensu Regis Wenceslai, emit montem *Wrabina*, nec non villas *Czernotin* & *Turnow*.

II.

GOTHARDUS Regi Ottokaro charus, ejusdemque Capellanus *Specialis*, ut habet Di-


3
4
5
6
7
qVo DoMInICVs Peterka PræLatVs InfVLatVs præfVIt
nesticum S: Viti M: 5. Viridarium Sanctimonialium. 6. Ecclesia Parochialis. B. V. M.
rtus Prælati 15. Horrea. 16. Habitationes famulus et Equorum 17. Praxatorium 18. Villa. 19. Molendinum 20. Lotorium
J. Stridbeck sculp. Argent.

ploma anni 1266. obtinuit ad incrementum monasterii, & ad sustentationem ancillarum Dei, à Principe præfato, villas *Ugezed*, & *Zboch*. Neque hîc stetit regia liberalitas; monasterio namque Cotischoviensi univit regalem Aulæ Ecclesiam S. Laurentii penès veterem *Plsnam*, cum omnibus Ecclesiis ab ea dependentibus. Honore & meritis plenus obiit Gothardus anno 1266.

III.

MYRKO, Religionis zelator, justitiæ vindex, & regiæ bonitatis hæres, uti verè Religiosus à Rege Ottokaro colebatur, multaque ab eo bona in *Enlzovan* suscepit. Rex Przemislaus, Wenceslai filius, in suo Diplomate, hunc venerabilem Religiosum, amicum singularem compellat. Moritur anno 1266.

IV.

MYROSLAUS, sub cujus administratione Gregorius X. dedit privilegium confirmativum bonorum Cotischovii anno 1272. & anno 1274. contulit ei Joannes episcopus Pragensis, jus patronatûs Ecclesiæ Zecherzanensis. Interfecto in Austria Przemislao, milites in Bohemiam induxit Rudolphus Imperator, qui Cotischovium devastarunt; bello postmodùm pacato, instaurando claustro, renovandæ Ecclesiæ Myroslaus dùm adlaborat, moritur anno 1298.

V.

CONRADUS totus quantus pietati deditus, regularem disciplinam restituit, ac tandem 5°. regiminis sui anno decessit 1303.

VI.

WISSMARUS vestigia sui prædecessoris sequens, religione & comitate præditus, in delinquentes clemens, in hospites benignus, in pauperes misericors exstitit, 1312.

VII.

SIFRIDUS, 1312.

VIII.

PERNOLDUS anno 1321. villas *Leffina* & *Radhina*, dato pretio, comparavit. Anno 1325. à Joanne Rege Bohemiæ accepit confirmationem bonorum & privilegiorum Ecclesiæ S. Laurentii juxtà *Plsnam*. Anno 1326. emit pagum *Skasson* cum sylva, octoginta gravibus marcis, ab Ulrico de *Boderstein*, & Villam de *Bor*. Eodem anno 1326. vitâ functus est.

IX.

PETRUS I. sub eo duplex quodammodò monasterium intrà unius Cotischovii ambitum prodiit, Canonicorum scilicet & Canonissarum, qui alternis laudibus Deum precabantur; Chori penso liberi Canonici parochiales Ecclesias administrabant; in hoc florenti statu monasterium moriendo reliquit, justi & æqui amator, Petrus 20. Novembris anno 1346.

X.

JOANNES I. multas à Nobilibus tractûs Plsnensis molestias sustinuit, quas coram Rege Carolo IV. deponere coactus, ab eo obtinuit regale Diploma, ut insidiantium monasterio inimicorum impetus compesceret; sicque limites Cotischovii, quos invadebant, per terminos dividi curavit. Ab eodem Principe, anno 1358. impetravit confirmationem privilegiorum à Gregorio X. Magistræ & Canonissis Cotischoviensibus indultorum. Obiit vir miræ patientiæ & assiduæ orationis anno 1363.

XI.

GRESKO, de quo in domesticis Annalibus refertur, quod redemerit deperdita, collapsa reparaverit, & ad ornamentum domûs Dei, impenderit se totum. Anno 1368. excessit.

XII.

UDALRICUS paternâ nobilitate, & virtute conspicuus, Dobrzanenses incolas monasterii subditos, regiis tributis oppressos, liberaliter sublevavit, pagumque *Hrobezies* acquisivit suo Parthenoni 1380.

XIII.

HARTMANNUS sub Venceslai pigri perturbatis temporibus, hoc unum potuit efficere, ut contra tumultuantes, in pace domum Dei rexerit 1384.

XIV.

SULKO, quantùm Reipublicæ, quantùm suo Principi, homo armis & consilio potens, profuerit, consule Annales; miraberis Prælatum in milite Religiosum, & militem strenuum in Prælato Religioso 1412.

XV.

HYNKO Zischiani furoris assultus ut effugeret, *Plsnam* Virgines Cotischovii tempestivè transtulit; se verò ad deffensionem monasterii, collecto protinùs exercitu, accinxit, quàm animosè, quàm fortiter, & quali eventu id fuerit executus, recurre ad Annales 1423.

XVI.

PETRUS II. ab Hussitis devastatum Parthenonem, bona illius à Sigismundo Rege oppignorata secularibus quàm plurima, pro stipendiis militum, vidit, doluit, & redimere non valens, patienter vitæ miserabilis cursum confecit anno 1431.

XVII.

VENCESLAUS ex illustri gente Guttensteiniana, post desolationem Cotischovii, & Taboritarum pacatos & compressos impetus, collapsa restauravit ædificia, & superstites Canonissas, ad professionis domum reduxit 1453.

XVIII.

GEORGIUS I. ob novos in Bohemia suscitatos tumultus à Georgio Podibradio Rege, iterùm *Plsnam* cum suo Conventu secedere cogitur. Nobiles passi pridem ad Hussitis damna, fortunæ resarciendæ occasionem nacti, prædia deserti Cotischovii à summo Pontifice petunt, & obtinuissent, ni Georgius inhiantium cupiditati apud Paulum II. sese opposuisset. Vix ad monasterium redux Georgius, oppignorata Ecclesiæ suæ bona liberat, nova acquirit, annuente Vladislao Rege, cujus favorem inierat, à quo pariter accepit Diploma confirmativum Bullæ Caroli IV. in gratiam Parthenonis concessæ quondam. Pius II. Præpositi Georgii Prælaturam insignivit jure utendi Pontificalibus ornamentis, benedicendi sacerdotales vestes, & vasa sacra, idque juris ad posteros transmissum voluit Pontificio sancito anni 1481. Sequiore moritur Georgius ætatis suæ 64.

XIX.

TRISTANUS ex Nobili genere Czerniniano de *Chudenitz* natus, villas *Borek* & *Tinazow* oppignoratas, redemit anno 1490. & 1491. Ampliandò reditui & cultui operam dum impendit, tactus apoplexiâ Prælaturam gestibus, non verbis, coram virgineo cœtu in manus Abbatis Teplensis resignat, anno 1492. Superstes resignationi 18. annos protraxit patientiâ probatissimos.

XX.

ERHARDUS anno 1494. Dominicâ primâ post Epiphaniam, Comitiis Pragensibus à Legato Alexandri VI. Pontificis indictis, ad subsidium contra Turcas præstandum, interfuit, decimamque proventuum sui monasterii sponte, ad Christianæ Reipublicæ incolumitatem, plausibili, sed falso titulo postulatam, contulit. Anno 1498. Capellam S. Laurentii à Joanne episcopo Simbaliensi, sede Pragensi tunc vacante, reconciliari procuravit. Tandem anno 1504. resignavit.

XXI.

CLEMENS suo monasterio *Dobrzanenses* ita mancipavit, ut Vladislai Regis præcepto, jugum primitivæ eorum servitutis, nullo privilegio, etiam regali, nunquam & nusquam posse minui, fuerit solemniter declaratum in Diplomate anni 1502. Obiit Clemens 1519.

XXII.

SIGISMUNDUS 1521.

XXIII.

MATTHIAS à Conventu Virginum quamvis canonicè electus, tamen à Patre Abbate Teplensi confirmationem obtinere ob juveniles annos non potuit, donec probatæ virtutis, & œconomiæ experimenta dedisset. Anno igitur 1522. postquàm piè & feliciter per biennium, ut Patrem-familias sedulum se præbuit, ad Virginum instantiam, & de consensu Patris Abbatis, regiminis capessivit habenas. Regibus Ludovico, Matthiæ, Ferninando I. gratus, ab iis renovationem privilegiorum sui Parthenonis impetravit. In progressu administrationis, nonnihil à primo virtutis deflexit, tramite Mathias, sed à Patre Abbate Teplensi correptus, ad meliorem frugem se recipiendo, laudabile reassumpsit institutum, in eoque perseveravit usque ad mortem. 1549.

XXIV.

GALLUS ob dissipationem bonorum à sua Prælatura fuit amotus anno 1552.

XXV.

JOANNES *MUTH* ex Abbatia Gradicensi, spretâ, præter morem, Teplensi, ad Præposituram assumptus est. Priùs Strahoviensem tenuerat infulam, quam certis de causis antesex circiter annos abdicaverat; Cotischoviensem totidem possedit annis, ultra possidere senium & infirmitates obstiterunt. Cessit anno 1558.

XXVI.

ADAMUS *HASLERUS* castra & pagos, antiqua monasterii patrimonia, Oswaldo de *Schonfeld* Secretario Cæsareo vendere, ad Cæsaris jussionem coactus, fundos, ut potuit, alios acquisivit. Electionem, ut Præses, Abbatis Teplensis Mathiæ *Gohl* moderabatur anno 1683. decimâ verò octavâ Augusti ejusdem anni vitam cum morte mutavit 1585.

XXVII.

MATHIAS *HEROLT* vir propositi tenax, in pauperes largus, & suo tempore non incelebris apud eruditos, resignavit anno 1588.

XXVIII.

LAURENTIUS *KASTL* 1593.

XXIX.

GEORGIUS *SCHEITTERUS* à peste grassante sublatus est 26. Octobris 1598.

XXX.

ADAMUS *RUDERISCH* infelici Mansfeldianorum & Suecorum Bohemiam vastantium,

tempestate Parthenonem regens, exilia, miserias passus, inter tot adversa constanti animo gregem pavit & deffendit; quæ quidem eventa fusius Annales enumerant 1633.

XXXI.

PAULUS *HEROLT*, Adami *Ruderisch* primùm Coadjutor, & laborum consors, factus dignitatis & virtutis hæres, debita à prædecessore ex necessitate contracta, exolvit; Claustrum ruinam minitans, struxit à fundamentis. Anno 1638. ab eminentissimo Cardinale ab *Harrach* Archiepiscopo Pragensi constitutus Commissarius ac regionarius Visitator Ecclesiarum districtûs Plinensis, hoc munere dum laudabiliter defungitur, mercedem in cœlo recepturus obiit 1639.

XXXII.

ZACHARIAS *BRANDHAVER* anno 1628. ex Prioratu Teplensi ad Præposituram S. Mariæ Magdeburgensis, sub titulo Præpositi Jericontini sublimatus, cedere posteà compulsus est in vim articulorum pacis & reconciliationis sancitæ inter Ferdinandum II. Cæsarem, & Joannem Georgium Ducem Saxoniæ. In Bohemiam reversus Zacharias parochiali Ecclesiæ Bernadicensi præfuit; inde Cotischovium avocatur. Vix ad clavum regiminis sedebat, cùm ecce ob excursiones hostium, & militum Cæsareorum irruptiones, se suasque Virgines ad arcem Tinhorlovii per septem septimanas recepit, donec spoliis inhiantes milites, procul à finibus exulaverint. Sueci eodem anno, at majori impetu, Cotischovium versùs properantes, rursùs Zachariam suumque Conventum fugere cogunt, ad Vindebergam Bavariæ monasterium secedunt, in eoque azilo sex mensibus permanentes, pacem præstolantur. Affulsit illa, & 4. Maii 1640. Parthenonem repetunt turmatim: sed iterum die 14. Januarii anni sequioris, imminens Bohemiæ Suecus, & omnia barbarè devastans, fugam Virginibus suadet, *Plsnæ* figunt domicilium, ibique commorantur usque dum Archiduce Leopoldo hostis profligatus, in Saxoniam remearet. Pacatis procellis totum se dedit Zacharias eruendis, & posteritati tradendis sui monasterii Annalibus; idque luculenter perfecit. De tanto viro, cujus familiaritate & mensa Ferdinandus III. Cæsar liberis fruebatur, ista habet Cruregius in suis sacris Pulveribus ad diem 22. Martis.

» Zacharias *Brandhaver* in Præpositura » Cotischovienti, vir morum valdè compositorum; pro notitia sui instituti, vitam exegit conformem legibus Præmonstratensium, » & cuique suorum antecessorum, qui in eo » regimine nomen ab olim habuerunt eximium, supparem exemplis, & dignam imitatione posterorum. Inter cætera, conventûs » Parthenonis structuram feliciter absolvit, » Ecclesiarum vicinarum Cotischovio in proximis oppidis, sacris imaginibus, & altaribus » præcipuè etiam majoribus, zelando decorem » domûs Dei ardentissimè, magnificè utique, » impendiis maximis elegantiam procuravit. » Vidi quandoque hæc augustalia decora & » quæ urbibus regiis voluissem obtingere, oppidis Parthenalibus accidisse ex animo gratulatus sum, sed majora etiam Zacharias confecisset, nisi aliquoties hunc ipsum, cùm sacris » Virginibus, furor Suecicus in exilium ejecisset.

Obiit 22. Martii 1657.

XXXIII.

ADALBERTUS sub principio regiminis sui, Capitulum generale celebratum Præmonstrati anno 1657. confirmavit sententiam à Domino Strahoviensi, Vicario generali Bohemiæ, latam die 17. Februarii 1656. quâ cautum & sancitum erat, quòd quamvis in electionibus Cotischovienses Præpositi ex Abbatia Teplensi assumi debeant, Præpositus tamen electus non habeat ampliùs vocem activam in electione Abbatis Teplensis, nec sit ejusdem monasterii Teplensis senior, aut membrum, nec Abbati Teplæ aliam debeat, quam filii Abbates Patri suo Abbati obedientiam 1666.

XXXIV.

MICHAEL NORBERTUS *KASTL*, Ecclesiæ, ædificiorum claustralium, grangiarum reparator, aut instaurator talis, ac tam providus fuit, ut secundi Fundatoris laudem obtinuerit moriendo an. 1698.

XXXV.

ANDREAS NORBERTUS *FABRICIUS* ex provisore Parthenonis, Præpositus eligitur, unanimi Virginum voto 6. Aprilis 1698. die 13. ejusdem mensis post fidelem administrationem decessit anno 1706.

XXXVI.

DOMINICUS *PETERKA* hodie laudabiliter præest.

Vide Prob. à col. CCCCLX. ad col. CCCCLXIII.

COTHWAN.

Cothwan. Fil. Strahoviæ. Diœcesis. Trinoviensis. Circaria Hungariæ.

P Præposito sancti Stephani Paternitatem adjudicat in *Cothwan* Pagius, hanc Strahoviensis Abbatia sibi vindicat, ut potè assertam à Capitulo generali anni 1294. sed de hæreditate ad alienos versa incassum decertatur.

COVERHAM.

Coverham. Fil. de Dieefort. Diœcesis Eboracensis. Circaria Angliæ.

HElvisia filia Ranulphi de *Glanville*, Baronis & Justiciarii capitalis Angliæ, quondam uxor Radulphi Domini de *Midelham* fundavit de assensu Walranni filii sui, & sub approbatione Henrici II. Regis Abbatiam in *Swaynebi* Eboracensis Provinciæ villa. Eò loci substitit monasterium ad annum 1190. usque dum Robertus de *Newill*, Dominus de *Midelham*, & hæres Walranni, multis altercationibus ad desertionem de *Swayneby* coëgisset Canonicos, qui redimendæ pacis ergo, ad *Coverhamiam*, secùs *Midelham* à Fundatricis abnepote, passi sunt se transferri. Magnas illic ab irruentibus Scotis angustias & deprædationes sustinuerunt, temporibus Eduardi III. qui ut vastatæ Abbatiæ, & ad defectionem vergentis, calamitatibus ut cumque mederetur, Joannem XXII. anno 1330. litteris supplicibus pro subventione *Coverhamiæ* intercessit, his verbis.

» Papæ, Rex devota pedum oscula beatorum. » Ea, Pater sanctissime, Vestræ sinceritati, purâ » intentione suggerimus & ut ad exauditionis » gratiam admittantur, preces effundimus cor- » diales, per quas subveniri posse credimus de- » pressioni pauperum & sublevari indigentiæ » oppressorum. Cùm itaque dilectus noster & » fidelis Galfridus de *Scrop* statum miserabi- » lem dilectorum nobis in Christo Abbatis & » Conventûs de *Coverham*, Ordinis Præmon- » stratensis, Eboracensis Diœcesis, qui per fre- » quentes Scotorum hostiles agressus, in pos- » sessionibus & rebus ad eandem Abbatiam spe- » ctantibus, aliosque adversantis fortunæ even- » tus, in tantum vastati sunt & destructi, æri- » que suppositi alieno, quod de dispersione Ca- » nonicorum ibidem Deo servientium, veri- » similiter formidetur nisi eis celerius per fide- » lium præsidia subveniatur remedio opportu- » no. Verùm quia dilectus & fidelis noster Gal- » fridus de *Scrop* eorumdem Abbatis & Con- » ventûs depressionem considerans, eis advo- » cationem Ecclesiæ de *Sadbergh*, dictæ Diœ- » cesis, quæ per duos Rectores solita est guber- » nari, piâ liberalite donavit eis & successori- » bus suis canonicè appropriandam; ac dile- » ctus nobis in Christo Archidiaconus Riche- » mundiæ in Ecclesia Eboracensi, loci Ordi- » narius, ad quem de antiqua & approbata » consuetudine, ut dicitur, pertinet institutio » & destitutio, ac uniendi & appropriandi po- » testas infra Archidiaconatum prædictum, » dictam Ecclesiam de *Sadbergh* eisdem Abba- » ti & Conventui, contemplatione præmisso- » rum, in proprios usus concesserit, juris or- » dine, qui in ea parte requiritur, observato, si- » cut per ipsius Archidiaconi litteras patentes » inde confectas planè liquet. Verùm quia idem » Abbas & Conventus metuunt sibi, futuris » temporibus, posse super appropriatione prædi- » cta, per calumniantium insidias præjudicium » generari, nisi ipsorum securitati per Vestræ » Sanctitatis sollicitudinem provideatur reme- » dio opportuno.

» Beatitudini vestræ devotâ precum instan- » tiâ supplicamus, quatenùs supplicationem » eorumdem Abbatis & Conventûs, Vestræ » clementiæ per dilectum nobis Magistrum Pe- » trum *Vaurelli*, si libeat, porrigendam, beni- » gnè audire, & præmissis clementi considera- » tione pensatis, taliter exauditionis gratiam » admittere dignemini gratiosè, quòd illorum » securitati contra insultantium calumnias, Apo- » stolicâ provideatur munificentiâ in præmissis, » & eorum indigentiæ ex prædictæ Ecclesiæ » emolumentis, quoad deperditorum restaura- » rationem & incumbentium onerum suppor- » tationem salubriter succurratur, supplentes, » si placet, de plenitudine potestatis si quæ de- » fuerint in appropriatione prædicta.

» Datum apud Turrim Londoniæ undeci- » mâ die Februarii an. 1330.

Ex eodem commiserationis sensu, Eduardus pristinas prædecessorum confirmationes, benefactorum donationes laudavit, & ad resarciendas ut cunque ruentis & vastatæ per Scotos Abbatiæ ruinas, concessit Abbati licentiam acquirendi terras & fundos ad valorem annui reditûs marcarum decem. Vide probat. à col. cccclxviij. ad col. cccclxx.

CRISSEIUM.

Crisseium. Fil. Bellævallis. Diœcesis Remens. Circaria Lotharingiæ.

UT primùm Philippus Abbatiam Bellævallis in Argonia, incoluit, virtutum odore, & prædicationis zelo, sic implevit circumstantes populos, sic potentes seculi ad secularis pompæ despectum succendit, ut ad eum confluerent florentissimæ nobilitatis Virgines, mundo valedicentes & ad Dei anhelantes obsequium. Non potuit vir optimus, patris sui æmulator, non favere postulantium desiderus; faverunt Aleidis de *Grandi-Prato*, & Henricus Rufus de *Alterio*, Odinus frater ejus, quos Religionis amor incesserat, sicque communi assensu prædium de *Crisseio* Toparchiæ Grandi-Pratensi adjacens, quòd gallicè *Cressy* dicitur, donarunt in susceptione matris ac sororum ibidem habitum Religionis inducentium, ut fert Charta Rainaldi Remensis Archiepiscopi, data anno 1137. & Bulla Innocentij

nocentii II. anni 1139. molendinum in Axona, usum piscationis & sylvarum addiderunt, ut inibi Virginibus habitaculum ædificaretur commodius.

Ad structas ædes illicò advolarunt Virgines selectæ, nomenque dederunt militiæ Norberti. Ipsamet Aleidis de *Grandi-Prato* Fundatrix, spreto stemmate, Christi se junxit ancillis; hanc pari voto secuta est Alaidis mater Goberti de *Aspero-monte*. Illas exceperunt Ermengardis de *Montiniaco*, Ledevidis de *Sorceio*, & aliæ plures Nobilitatis inclytæ, quarum nomina resonant in Necrologio Bellævallis, & in cœlis scripta fidenter speramus.

Crevit in dies Sanctimonialium numerus, & non multiplicabatur largitas benefactorum. Hinc Abbas Goscelo proclivem ad ruinam Parthenonem miseratus, prohibuit anno 1225. ne indiscretæ supplicum pietati temerè indulgens Magistra, in Sororem asciscceret aliquam, donec ad numerum denarium defecisset Conventus. Providum Goscelonis decretum, gravatæ domui opportunè consulens, subvertit Jacobus Abbas, affluentes neophytas inhumanum ratus non admittere ad consortium Religionis. Tot recepit ad professionem, ut illis sustentandis, cum impar esset Crisleii proventus, decerpere necessum fuerit substantiam Fratrum Bellævallis ad Sororum sublevamen. Magna inde adversùs male suasum Abbatem Fratrum murmura, magnæ ad Capitulum generale Ordinis querimoniæ, ad quas Guido Præmonstrati Abbas, & Proceres congregati, respicientes, instauraverunt sapientissimam Goscelonis sanctionem anno 1280. Nec dubitem ab hac epocha sensim defecisse non ad numerum modò, sed ad interitum Crisleii Parthenonem, cum in scriniis nullum diuturnioris existentiæ argumentum eruatur. *Vide Bullas & Diplomata in Bellavalle edita.*

CROXTONE.

Crockstonia. Fil-Newhus. Diœcesis Lincolniensis Circaria Angliæ.

TEmpore Henrici II. Regis Angliæ, Willelmus Parcarius de *Linus*, candidæ Religioni passim in Anglia bonum Christi odorem spargenti summè addictus, Abbatiam in paterno solo de *Corsham* ædificare meditans, sed vitæ regulari & solitariæ minùs accommodo, ab opere auspicando absterritus est, donec per concambium initum cum Henrico Rege, *Croxtone* & *Segbroke*, geminas agri Leicestrensis villas, non procul à *Waltham*, in Diœcesi Lincolniensi positas, comparasset. In illarum igitur prima sede, montibus hinc inde prominentibus, arctata, quæ Vallis sancti Joannis dicebatur, Ecclesiam struxit dotavitque proventibus, quos subsidiariis auxere largitionibus, Hugo Parcarius, Marieria de sancto Albino, Mathildis de *Perer*, Hugonis mater, Richardus de *Sauteby*, Robertus *Luterell* & Willelmus Bononiæ & Moritaniæ Comes, de cujus liberalitate accessit vasta terra post parcum de *Croxtone*, stagnis, molendinis, agris & pascuis consita, quas quidem donationes Regiâ authoritate munitas, *Newhusii* Abbas excepit, suosque illuc trajecit Canonicos, qui institutum formamque Ordinis sub Abbatiali regimine implantarent, anno circiter 1178. Richardus & Eduardus I. Reges, avitam confirmationem suo roborarunt chirographo. In Prioratuum albo reposuit *Croxtone* Monasticon Anglicanum, quo jure, hanc injuriam monasterio illi impegerit, incompertum est. Prorsùs quotquot veteris ævi prostant documenta, Abbatiales infulas ipsi asserunt. Testem quoque habemus hujus veritatis insignem historiographum Matthæum *Paris*, qui in historia Regis Joannis, supremos morientis Principis dies referens sub annum 1216. ait » tempore verò quo apud *Newerc* » idem Rex mori incipiebat, venerunt ad eum » ibidem nuncii quorumdam Baronum Angliæ » circiter quadraginta, cum litteris, qui voluerunt ad pacem Regis redire, sed ipse in ex» tremis agens, his tunc dare operam non po» tuit. Vocabant enim fata sua. ABBAS igitur » Canonicorum *Crokestonia* peritissimus in me» dicinis, qui Medicus Regis tunc temporis » extiterat, factâ anatomiâ de corpore Regio, » ut honestiùs portaretur, viscera copioso sale » conspersa, in sua domo transportata, hono» rificè fecit sepeliri.

Extat quoque apud Rimeri Compilationes pro ejusdem Abbatiali titulo argumentum. Cùm enim anno 1351. à sæviente lue vastata penitùs fuisset Croxtonia, jussu Regis ex talliarum albo, his fuit expuncta verbis. *Abbatia de* Croxtone *per pestilentiam desolata, à tallius Regni exoneranda est.* Vide probat. à col. ccccclxx. ad col. ccccclxxj.

SANCTA CRUX DE MONZONIO
Nunc sanctus Norbertus Vallis-Oleti.

S. Crux de Monzonio. Fil. Retorta. Diœcesis Palentina.

IN Palentina Diœcesi, sex à Palentia milliaribus, intrà confluentium Carrionis & Uziezæ fluminum fauces, aquis undique circumvallata domus, sub invocatione Sanctæ Crucis erecta est ab Alphonso VIII. Castellæ & Toleti Rege Catholico, & ab Alexandro III. confir-

mata. Sanctæ Cruci dicatum fuisse monasterium, quod passim de *Monzonio*, & nonnunquam de *Rivas* dicitur, conjiciunt, vel ab insigni sacratissimæ Crucis fragmento, quod à piissimo Fundatore acceptum, hodie religioso cultu apud Vallis-oletanos translatum honoratur; vel à singulari devotione, quâ Fundator erga sanctam Crucem afficiebatur, & cujus virtutem anno 1212. expertus est, dùm sub ejus præsidio, Mauros ad Navas Tolosæ * aggressus, mirabili superavit victoria, ducentis hostium millibus in prælio enectis, licet post stragem, viginti quinque tantummodò ex Christianis desiderarentur.

* Naves de Toulouse.

Varia monasterii fortuna interceptam Abbatum seriem ex ipsarum Chartarum defectu, exhibet. Primum à Sanctio Abbate Retortensi impositum novimus Joannem, in fundationali Diplomate recensitum. Cognomen ejus *Vela*, & originis locus erat *Calaforra*. Utrumque ex ejus sepulchrali saxo prostante in medio Capituli, colligitur

*1214. *Æra 1252. * obiit Abbas Vela Joannes de Calaforra.*

Calaforra, Calaguritanam civitatem interpretantur, vel locum civitati proximum, quem modò Franciscani incolunt *Calahorra*, * & juxta obsoletum idioma, dictum *Calaforra*.

* Calahorre.

Joanni successit Willelmus, qui pactis concordiæ inter Retortensem & Vitensem Abbates sancitis anno 1212. subscripsit; unde Joannis necdum mortui infulas ex demissione capessiverat. Ab hoc Abbate nullus occurrit ante subinductos, ad exterminium monasterii, seculares Commendatorios.

Primus Ordine, & contra Ordinem involavit in Prælaturam Joannes *Manrrique* Archidiaconus de *Valpuesta*, filius Petri *Manrrique* Præsidis; anno 1485. In hujus deficientis locum suffectus est Ludovicus Hurtado de *Mendoza*, frater Roderici *Diaz* Comitis de *Castro*. Et illo è vivis abeunte, Ludovicus *Ferrer* Decanus Legionensis, invasit Abbatiam, quam cum vita dimisit anno 1555. Regnum, absentibus tùm Carolo V. patre & Philippo fratre, administrans Princeps Joanna, præsentavit ad Abbatiam Didacum de *Cordova*, Abbatem de *Castro*: Conventus electionis juri suo consulens, posthabitâ Principis nominatione, & Patre Abbate inscio, Decanum Almeriæ elegit. Sed suæ diffisus causæ *Tamayo*, (hoc erat electi nomen) sponte abdicavit. Abbas Retortensis protinùs ad filialem Ecclesiam accurrit, ad iteratam electionem jubet, ipso moderante, procedere Capitulantes, qui Joannem *del Puerto*, Priorem monasterii, concordibus votis in Abbatem promoverunt, promotum confirmavit Præses, & in possessionem dignitatis immisit.

Præcisam commendæ altam radicem gratulabatur exanimis penè Sancta Crux; securitatem dabat mentium aliquot pacifica possessio; jam neo-electus ruinis ædificiorum, vigente commendâ, penè disjectorum, restaurandis incumbebat, cùm ecce Didacus de *Cordua*, aulico fretus favore, & trecentorum militum stipatus catervâ, monasterium hostili manu adoritur, expugnat, Abbatem, ejusque Canonicos per vim extrudit. Fugati, spoliati, exules, turmatim Valis-oletum, ipso Apostolorum Petri & Pauli festo, ingrediuntur, & lugubri apparatu suo, magis autem inhumanioris facti narratione, Senatûs exorant justitiam, protectionem implorant; utramque æquissima Curia impertivit, & seriò discussâ materiâ, Didacum illatorem injuriæ, exturbatorem canonicè electi, condemnavit, & spoliatum suæ restituit sedi. Pacatâ per Senatus-consultum tempestate, illuxit serenitas, quam supervenien competitoris, ad episcopatum Abulensem designati, obitus confirmavit. In tuto crederes Sanctæ Crucis regularem Abbatiam, sed inimicus homo quieti Religiosorum invidens, æmulos suscitavit in Belgio, ubi Cæsaris versabatur Regia, Menchacam alterum, alium Gascam; qui per vices Abbatiam quasi vacantem ab Imperatore impetraverunt: verùm cognito statu beneficii in titulum à Regulari possessi, ultrò cesserunt.

Tertius surrexit, & quidem terribilis adversarius, Franciscus de Navarra, Archiepiscopus Valentinus, frater Marchionis *de Cortes*, qui Abbatiam vacantem per obitum Ludovici *Ferrer*, ab Apostolica sede emunxit, sub reservatione pensionis trecentorum ducatorum quotannis pensandorum Cardinali sequestro. Litteras regio Senatui pro adeunda possessione præsentavit; harum relationem fisci Præfectus fecit Senatui, censurâ inussit; & uti moribus Hispanis contrarias, censuit abrogandas esse. Regio Cognitori Curia in opinationibus suis standum esse judicavit, nec permittendum gravari beneficia onere pensionis extraneo cuivis assignatæ. Reclamabat Archiepiscopus, & anticipatas solutiones bonâ fide factas Cardinali, refundendas sibi à monasterio instabat acriùs. Libello supplici litem novâ lite implicuit, Dedaleosque sinus affectans, ad compositionem ineundam sub arbitrio Doctoris Azpilcuetæ, adegit lassos & impotentes S. Crucis Canonicos. Quæstionem non doctrinali sententiâ, sed amicabili transactione diremit arbiter. Vexatos pro redimenda vexatione damnavit ad solutionem pecuniæ aliqualis, quæ pretium fuit pacis, & regularitatis restitutæ pignus. Pactis hoc modo induciis, reliquum Prælaturæ exegit tempus Joannes *del Puerto* in angusta, seu potiùs in miserabili fortuna, nec sibi, nec suis, nec creditoribus sufficiente. Anno 1573. ad Patres Capituli Provincialis, Segoviæ congregati, secessit, & privatæ vitæ cupidus, plus quàm satis per tribulationes, per famam & ignominiam probatus Abbas, dignitati valedixit. Ipsi subrogatus

est Alphonsus Calvo, qui redivivam litis scintillam à Tamayo resuscitatam extinguere nonnisi annuali pensione ducentorum ducatorum potuit. Tot flagellis agitatam Sanctam Crucem, transferendam ad Vallis-oletum decreverunt Patres Capituli an. 1581. Consensum Joannis *Despruetis* Abbatis Præmonstratensis, humillima supplicatione, & misso ad Galliæ partes Oratore, prosecuti sunt momentis pluribus. Primum erat, quod monasterium S. Crucis in perniciosissimo situ, & aëre prorsùs insalubri consistens, Religiosos deterrebat ab habitatione, aut habitantes afficiebat morbis insanabilibus. Addebant quòd caduca, aut prostrata ædificia, ad commodiorem secessum alibi parandum, urgere videbantur, nec aptiorem occurrere Vallis-oleto, ubi & regii Senatûs sedes est, & alienæ salutis procurandæ frequens occasio. Ampliorem desideravit *Despruetis* informationem; quâ factâ, & beneplacito Philippi II. Regis per Litteras 9. Augusti 1582. obtento, empta domus, horti comparati, dispositum habitaculum utcumque decens, sed paucis Canonicis tantùm, & nonnullis hospitibus recipiendis commodum. Illuc partem suorum immisit Abbas, aliam secum in Sancta Cruce ad sollicitudinem rusticanam, retinuit. Ex sectione Capitulantium in pejus ruit res familiaris. Duplicatæ communitatis sustentandæ vix pares proventus, promovendis ædificiis non suppetebant, adeò ut Abbas qui nec ruinosa reparare, nec excitare nova poterat, de alienandis monasterii villis, juribus regalibus, seriò, etiam tabulâ publicè propositâ, deliberaret. Advolarunt emptores, & de pretio penè cum
1592. Naxerensi Duce pactus erat Abbas, dùm ad submonitionem Garciæ de *Louysa* Pedagogi Principis, à conclusione pacti absterritus est Provincialis, negotii summus arbiter. Ad Regem ipsum, procurante eodem Garciâ, plenior translationis cognitio, per ablegatos à Provinciali Religiosos, pervenit, qui re maturiùs ponderatâ ad pristinum monasterium æstimavit revocandos esse sub uno Pastore Canonicos.

Promptos ad parendum, sed ex loci undequaque nutantis horrore distentos, fortuitus Regis ad monasterium S. Crucis adventus, festinos ad regressum fecit. Pergebat pius Princeps cum Infantibus filiis ad villam de *Fromista*, veneraturus hostiam à multis retrò seculis incorruptam; obvium in itineris decursu voluit invisere Sanctæ Crucis monasterium: Ecclesiam ingressus, fusâque ad Deum oratione fabricam attentè lustravit, devotam laudavit antiquitatem, claustrorum vetustissimos introspexit angulos, turrim terream, mole tamen & proceritate insignem demiratus, denique de Fundatore monasterii inquisivit, cumque Alphonsum Regem fuisse intellexisset, sui esse respondit officii, restaurare quod prædecessores ex pietate instituerant. Dictum, factum: largas ex ærario depromi jubet opes, quibus dormitorium à fundamentis exstruitur, caducæ reparantur ædes, Vallis-oletana domus venditur, & antiquos lares læti repetunt Canonici.

Non diù tamen quieti perseveraverunt vel S. Crucis Religiosi, vel Congregationis administri Abbates. Anno siquidem 1608. regiâ Curiâ matritum translatâ, eò monasterium S. Crucis sanxerunt transferendum decreto Capituli 1609. Sex ab exordio in domum, ut cumque regularibus observantiis accommodam, Canonicos miserunt, sumptibus Sanctæ Crucis alendos; ex aliis quoque monasteriis confluxerunt alii Canonici. Crevit intra duos annos & proventibus & Fratrum numero nascens cœnobium divo Norberto sacrum, proprioque cùm posset patrimonio stare, suum, suosque Religiosos sibi petiit restitui S. Crux. Petitioni justæ annuit Capitulum. Sed iterùm utilitatis prætextus, negotiorum in Senatu Valis-oleti agitandorum necessitas quotidiana, itinerantium frequens per hanc civitatem transitus, suscitarunt translationis desiderium, quod ad effectum, patrocinante Capitulo Provinciali 1627. tam celeriter perductum est, ut 30. Septembris 1629. completa fuerit domus, in qua ab hoc tempore, Abbas S. Crucis cum suo Conventu transmigravit. Nactus posteà capaciorem in urbe locum à Parœcia sancti Martini, eò se recepit anno 1653. & communibus monasteriorum expensis Ecclesia B. P. Norberto dedicata, cæteræque ædes constructæ sunt, & coadunato gregi datus est Abbas.

JOSEPHUS DE *VILLA SANTE*, cui è vivis erepto successit

PHILIPPUS DE *VALENTIA*, qui triennio elapso successorem habuit

ANTONIUM *TEMPORAL*, & istum exceperunt usque ad præsens triennales Abbates, quibus enumerandis supersedemus.

Desertum sanctæ Crucis monasterium duo Canonici jugiter incolunt, quorum unus Pastorali officio, alter rei agrariæ incubat.

In oppido de *Roscales* tertius residet, qui curam animarum dividit cum Pastore seculari, cujus nominatio pendet ab Abbate Sancti Norberti Vallis-oletanæ. Vide probat. à col. cccclxxj. ad col cccclxxiij.

SANCTA CRUX IN HUNGARIN.

Sancta Crux. Fil. Zabrdovici. Diœcesis Vaciensis. Circaria Hungariæ.

SUb invocatione Sanctæ Crucis duplex habebat in Hungariæ Regno monasteriũ Ordo Præmonstratensis, aliud in *Lelez* sub Comitatu Zecubliniensi, alterum in Vaciensi agro, quod simpliciter *Sancta Crux* nuncupabatur, Præpositum de Turio, habebat ista Patrem, at post subactam anno 1684. Vaciam, Imperator Leopoldus I. addixit univitque Præposituram *Sanctæ Crucis* Zabrdovicensi Abbatiæ, & ad dotem concessit, tam culta quàm inculta loca *Abban*, *Allatyan*, *Almaz*, *Felethasz*, *Janoshida*, *Kils*, *Misze*, *Lele*, *Tnotel*, *Tysaguno*, & *Zasbereck*.

SANCTA CRUX IN GOODBORN.

Sancta Crux in Good Born. Fil. Drieburg. Diœcesis. Armachana. Circaria Hiberniæ.

HUjus Monasterii non meminere Layruëlius, Pagius, Pratanus in suis Monasteriologiis. Bina proferunt cœnobia intra Hiberniæ Circariam, ambo filialia Drieburgi. Horum prius est *Duix la Croisse*, quod in Courierensi Diœcesi Layruëlius, & Pagius in Conventrensi collocant. Nullum hujus nominis Episcopatum reperio, non tantum in Armachana Archidiœcesi, sed nequidem in tota Hybernia. Suffraganeum Armachanæ Metropolis lego Episcopatum Connorensem qui ab Eugenio IV. unitus est Dunensi, quos priùs Malachias, teste Bernardo, in duos secuerat: sed in neutra Diœcesi Sancta Crux in *Good Born* erecta est; in Armachana sub titulo Prioratûs filialis Drieburgi positam esse & fundatam à Scotis, scribit Warreus *p. 213. Antiquit. Hybernia*, suæ opinionis non aliunde argumentum petens, quàm quia Alanus de *Galwia*, Duncanus *Carrig* & Bisseti, ex Scotia Nobiles oriundi, terras in hoc tractu Hiberniæ, beneficio Henrici III. Regis acceperant. Non longe à *Good Born* stabat Minoritarum conventus nomine *Carrig Fergus*, sive Rupes Fergusii.

SANCTA CRUX DE REYNOSO.

S. Crux de Reynoso. Fil S. Pelagii de Cerrato. Diœcesis Palentinæ. Circaria Hispaniæ.

ALphonsum VII. Hispaniæ Regem & Ricam uxorem ejus Fundatores S. Crucis *de Reynoso* veneramur, & ab utriusque beneficio accepit Joannes Abbas S. Pelagii de *Cerrato*, per traditionis chartam sequentem.

» Ego Aldefonsus totius Hispaniæ divinâ » clementiâ famosissimus Imperator, unà cum » uxore mea Domina Rica, & cum filio meo » Sanctio & Ferdinando Regibus, similiter & » cum filiabus meis, scilicet Constantia, inclyta » Francorum Regina *, & cum Sanctia nobili » Navarræ Regina * dono & concedo Deo & » monasterio S. Pelagii de *Cerrato*, & vobis » Domino Joanni ejusdem Abbati, & Conventui, & successoribus vestris, illud nostrum, » monasterium S. Crucis quod est situm super » ripam fluminis *Piscorica* *, inter *Reynosum* » & *Signova* & *Villa-viudas* & *Tabsada* cum » omnibus terminis & pertinentiis suis.... est » autem facta charta ista in Valle-Oleti Era » MCLXXXXIV.

* Desponsata Ludovico Juniori an. 1154.
* Sanchesio VI. nuptâ.
* Pisuerga.

Hanc donationem firmavit Enrricus III. 1156.
Castellæ Rex Era MCCCCXXII. & ambæ innuunt S. Crucis monasterium, alteri fuisse mancipatum Ordini, antequam Ordo noster in illud induceretur ab Alphonso Rege. Nisi fortè ædificatum & dotatum à Rege conjicias, dum obtulit & tradidit Ordini. Secundo milliari ab Ecclesia matrice S. Pelagii, distabat S. Crucis cœnobium, in loco deserto positum, addictum Sanctimonialibus, ubi quandiu steterint, prorsus ambiguum. Nunc in Eremitorium desiit, & residui proventus principali cesserunt Ecclesiæ.

CURIA S. MARIÆ IN BACCOFEEN.

Curia S. Mariæ in Baccofeen. Fil. Horti Mariæ. Diœcesis Leovardiensis. Circaria Frisiæ.

SEcùs Villam *Sygersvolda* versùs Trentam, Sylvani, inquit Sibrandus Leo, » quorum » tum temporis, in cespitum fodinis erant di» vitiæ, lataque prædia, Siardi amore ob sancti» tatis opinionem capti, latissimos agros in » *Bakafoen* ultro ei offerunt. Eò profectus no» vam Capellam, *Mariæ Curiam*, ab ipso no» minatam, instituit. Hæc prima fuerunt orientis cœnobii exordia, quod secessum Horti S. Mariæ nominat eruditus *Van Husen*, nolens in cœnobium adolevisse, sed sub conditione sacelli ad finem perseverasse, cui duæ adhærebant ædes à Dodone Eremita sub annum 1231. solitariam illic vitam agente, habitatæ, & adhuc superstites. Attamen in Catalogo Pagii, & in Indice convoluto inter monasteria Ordinis conscribitur sub nomine *Vallis S. Mariæ*, seu *Curia S. Mariæ in Baccefeen prope Trentam*.

In Episcop. Leovardiæ p. 106.

SANCTA CRUX METENSIS.

S. Crux: Fil. Bellavallis. Diœcesis. Metensis. Circaria. Lotharing.

* La Grange aux bois, nunc, la Grange aux Dames.

IN allodio de *Buris*, & in suburbio Metensis civitatis, locum tradente Alberto Metensium Advocato, monasterium sancto Eligio sacrum ædificavit Zacharias, derelictâ quam priùs incoluerant grangiâ in Bosco *, Mosellæ littoribus incubante. Verùm vastatâ ab exundantis Mosellæ alluvionibus grangiâ, Sorores Ordinis *Buris* appulerunt, perfugium efflagitantes. Burense ultrò exulibus concessit Zacharias, qui Justimontem unà cum suo Capitulo se recepit. Steterunt aliquandiu in vertice montis adunati Fratres, donec ad instantiam Fundatorum, primam *Buris* habitationem repetere compulsi sunt. Quid ex ista revocatione, domi, forisvè acciderit, diximus ubi Justimontis texuimus historiam. Recolere hîc tantùm sufficiat, partem aliam Canonicorum ad pristinas S. Eligii sedes migrasse, stetisse alteram apud Justummontem, divisasque inter utramque Abbatiam bonorum possessiones, suo quamque patrimonio dotatam, & à proprio admistratam Abbate.

Postquam enim Stephanus geminam per annos aliquot rexisset Ecclesiam, Justimontis infulæ valedicens, Sanctæ Crucis assumpsit regimen; permissâ Justimontanis electione Pastoris proprii. Titulo autem S. Crucis insignitum est monasterium, quod pridem S. Eligii præferebat nomen, ex quo nobilis Flander Jerosolymis redux, Stephano Abbati portionem S. Crucis non modicam concessit. Hinc in Prioratum * titularis Patroni migravit nomen, ne deperiret, & Sanctæ Crucis nuncupationem, usu, vel magis dignitate novæ hospitis prævalente, adepta est Abbatia. Hinc Stephanum S. Crucis Abbatem compellarunt Stephanus Metensis episcopus, & Hillinus Trevirensis metropolita, Alexander III. & Lucius III. summi Pontifices, & Gilo Dominus de *Thebecourt*.

* Situs est in strata publica de *Desme*. in Lotharingiæ Ducatu.

1160. Sequioris ævi sileo monumenta, in quibus impositam ab anno 1160. denominationem *S. Crucis* constanter perseverasse ad sui excidii tempora deprehendimus. Annus currebat millesimus quingentesimus quinquagesimus secundus, & à reductione Mediomatricum Metropolis, sub regia Henrici II. Galliæ Regis potestate, primus, dùm ad munimen securitatemque occupatæ civitatis Franciscus à Lotharingia Dux Gusiæ, armis potens Princeps, à Rege ablegatus est Metas, qui Caroli V. Imperatoris exercitum, numero, at magis Cæsaris præsentia formidabilem, civitatis recuperandæ desiderio æstuantem, arceret à mœnibus, aut saltem ab obsidione eximeret. Ingentis animi, sed providentioris consilii Princeps, suburbanas ædes, sacraque loca, ne forent hostium latebræ aut suffugia, Abbatias quoque Sanctæ Crucis & Sancti Martini protinùs æquari solo jussit; Religiosos in civitatem præcepit induci, & ad suum sancti Eligii hospitium Præmonstratenses Canonicos voluit secedere.

Præerat tum monasterio, ædificiorum structurâ, proventuum magnitudine inclyto, P. Hugo *la Chaisse*, vir totus Cæsari addictus & Gallicanæ dominationis impatiens, semper ad defectionem paratus, & ad perduellionem populum, Germanicæ libertatis reclamantem jura, provocans, patriæ civis immoderatus, & usque ad vincula & carceres pro Imperii vindiciis decertans. Huic successit F. Petrus *Jodin*, quo ob vitam proditione patriæ, aliisque, ut comminiscuntur, flagitiis, deturpatam, canonicè amoto, funestam non sibi tantùm, sed & suo monasterio tempestatem suboriri seriùs ingemuit miserabilis Abbas. In utrumque sævierunt illicò secularis & Ecclesiasticæ potestatis arma, & Carolo Cardinale à Lotharingia episcopo Metensi procurante, bona & possessiones cœnobii, instituto nuper Jesuitarum gymnasio asseruit, deputavitque Henricus IV. Rex anno 1590. quam destinationem Gregorius XIV. anno 1591. suis Rescriptis roboravit.

Adversùs extinctionem Abbatiæ, viriliter Ordo Præmonstrat. patrimonii sui vindex insurrexit; inauditum condemnari, spoliari immeritum, & ob unius culpam, si quæ foret, universitatem opprimi conquestus est, utque hominem suscitaret, qui pro aris certaret & laribus, nomine & honore Abbatis sancti Eligii investivit P. Joannem *Chesneau*. Immensis ille laboribus, magnis tum litibus, tum assiduis apud Principes instantiis causam egit; sed tandem fractus granditate impensarum, pœnarum diuturnitate, incertitudine eventûs, Abbatem Præmonstrati Franciscum à *Longo-Prato* adiit, rogans ut vel sibi liceret litem ponderosam concordiâ amicabili dirimere, vel susceptam, pluribusque versatam ab annis, totius Ordinis sumptibus prosequi. Annuit æquissimæ postulationi generalis Abbas, atque ut negotii tanti gestionem committeret & viro experientiâ rerum, & Religionis zelo etiam apud exteros spectabili, P. Servatium *Lairuelz*, Abbatem Mussiponti, Doctorem Sorbonæ, & Vicarium generalem suum & Ordinis Procuratorem in hac causa constituit anno 1610. qui in virtute mandati, strenuè litem aggressus, sed nullo successu, compositionem obtulit gratiosam PP. Jesuitis; quam nec admittere dignati sunt grati possessores. Et ita temporum favente lapsu, Principum accedente patrocinio, præscriptionis & autoritatis titulum, hæredum titulo opposuerunt, in aliena hæreditate pacificè conquiescentes. Cum bo-

nis ad eos transiit documentorum pretiosa supellex, quam propriis lustrare oculis non licuit. Pauca quæ subdimus humanissimè communicavit mihi prænobilis Dominus Dominicus de *Tailfumyr*, in Senatu Metensi Præses, amicitiâ & sanguine mihi conjunctissimus. Quantùm ad Abbatum seriem, qualem potui consarcinare, ex monumentis exterorum contexuimus.

SERIES ABBATUM.

I.

ZACHARIAS, hujus meminit historiographus Ecclesiæ Metensis, pag. 409.

II.

LEHERUS de eodem fit ibidem mentio, uti successore Zachariæ.

III.

STEPHANUS Lehero suffectus, S. Crucis, & Justimontis insimul Abbatias rexit aliquandiù, tandemque ad Burense monasterium, abdicato Justimontis regimine, se recepit. At postquam Clemens & Georgius Abbates seriatim Justimontis sponte Abbatiam dimiserunt, rursùs ad viduatam postulatur Stephanus. Anno 1172. exuerat hanc dignitatem geminam, uti patet ex subscriptionibus ab illo tanquam Abbate S. Crucis, & Viviano Abbate Justimontis, Chartæ appositis Friderici I. Imperatoris, quâ Sâlinæ-vallis parochiam de Guardia, concedit. Circà idem tempus diem vidisse extremum creditur Stephanus.

IV.

HUGO ab Alexandro III. & Lucio III. confirmationis Bullas impetravit, anno 1181. 1182.

Quos ab Hugone Abbates recensemus, exceptis paucis, nullo chronologico caractere notatos reperimus.

V.

ULRICUS.

VI.

RADULPHUS.

VII.

GERARDUS ex Abbate S. Crucis, postulatur Abbas Salinæ-vallis, anno 1292.

VIII.

ROGERUS.

IX.

GERARDUS DE *VIGETI* florebat anno 1515.

X.

HUGO *LA CHAISSE* ante annum 1555 adiit possessionem.

XI.

PETRUS *JODIN* 1587.

XII.

JOANNES *CHESNEAU* ab anno 1588.

Vide Probat. à col. ccccclxxiij. ad col. ccccclxxvij.

SANCTA CRUX SUPER DORMANUM.

S. Crux. Fil. Vallis Christianæ. Diœcesis Suessionensis. Circaria Franciæ.

AD ripam Matronæ, non procul à *Dormano*, * Campaniæ Comitatûs oppido, parthenonem Sanctæ Crucis, prius adjacentem mœnibus Vallis-Christianæ, transtulit, Grimaldus Abbas, Capituli generalis sanctionibus obsequens. Eâ religione florebant castæ Virgines, ut Theobaldus Campaniæ & Trecarum Comes, in eleemosynam, & precum intuitu illis contulerit molendinum, nuncupatum, *Choisellum*. * Paternæ pietatis sectator Henricus Comes, jus pascui & lignandi in sylvis, tam ad comburendum, quàm ad ædificandum, concessit, anno 1178. Guido de *Garlanda* amplioribus beneficiis auxit piarum Virginum fortunam anno 1211. Ulteriora non suppetunt documenta, quæ Parthenonis diuturnitatem protelent. Cum cæteris Galliæ, licet posteriori fato, interiit. Vide Probat. à col. ccccclxxvij. ad col. ccccclxxviij.

* Dorman.

* Moulin de Rupré.

CURVALDIA.

Curvaldia. Fil. Roggenburgi. Diœcesis Curiensis. Circaria Sueviæ.

1150. IN Rhætorum Provincia, tribus à *Curia* horis, mediis in nemoribus, & in arduo montis vertice sita est Abbatia *Curvaldia*, Roggenburgi filiale monasterium, insigni templo refulgens, dives proventibus, & sancti Jacobi Præpositurâ non inglorio partu commendabilis. Brevem hujus Abbatiæ Chronicam, è Teutonico versam in Latinum à quodam Conrado, qui eam apud Roggenburgenses reperiit, tibi restituimus, Lector. Sic incipit

Chronica Curwaldiæ.

» Omnibus in hoc monasterio, vero Regi » Christo militantibus, sit pax, gaudium, & » salus à Domino. Cogit me fraterna vestra » charitas transferre de Teutonico sermone in » Latinum, qualiter fundatum sit monasterium » hoc, quod vulgari sermone *Churwalde* nun-

cupatur, à vicinitate videlicet pagi *Churtensis*, cui satis est contiguum. Ego verò non tam sublimi, ut potui, stilo id opus aggredi* utilius judicans fore exili & apto sermone conscribere, propter simpliciores Fratres, qui hoc, ut credo, lecturi sunt opusculum; quia sic charitas expostulat, ut ab omnibus, & in omnibus honorificetur Deus.............

* Fortè aggressus sum vel aggredi volui.

Sequitur longa Prologi series, ad rem non pertinens, quam tandem sic terminat Chronici autor:

Et nos ergo ædificationem posterorum providentes, utilem * judicavimus ad memoriam revocare, quis hujus fuerit autor felicis cœnobii? Quare, vel quomodo evenerit? quando illud fundare studuit?

* Utile.

CAPUT I.

A diebus illis, regnante gloriosissimo Rege Friderico semper Augusto, cùm R^mus. in Christo, omnique morum honestate præclarissimus Conradus Pontifex Cathedræ Pontificali in Curiensi sederet Ecclesia, tunc Religio in tota montana Recia admodùm cœpit vigere, & res Ecclesiasticæ doctrinâ ejus & exemplo in meliorem statum provenire. Erat tunc temporis in ea Provinciæ parte Miles quidam RUDOLFUS nomine, quem prætaxavimus, cliens, de non parva oriundus prosapia, quem morum compositio solaribus * filiis, videlicet hujus sæculi, reddidit gratum. Accedebat huic facto formæ personalis egregia proceritas, ac militaris, (super id quod dici potest, aut credi) actus & gestus, qui eum sic mundo allexerant; ut non facile de faucibus ejus posset eximi; quoniam Princeps hujus mundi, qui hunc sibi in servum abdicaverat, de suis locis minimè relaxabat.........................

Fundatoris Rudolphi gesta.

* Lege secularibus.

Hic inter divites terræ illius medio se statu habuit, ita ut non hunc paupertas à divitibus excluderet, non divitiarum onus alta nimis sapere compelleret; sola animi libertas ad ardua complexanda nimis hunc vegetabat, Quid multa?...... Cùmque prodigus jam filius effectus, tanquam suæ interioris dissipator substantiæ, siliquis pasceretur porcorum, in mundi ejus volutabro cœnoso, neque seipsum cernere interiùs quiens, aut cujus capitis membrum fuerit, non recordans; & in sua detestabili consuetudine perdurans, quâ solebat, causâ visitationis aliarum ædium, huc illucque vagari.

Rudolphus nec multum egenus, nec dives nimium.

CAPUT II.

Dispensante miseratione divinâ contigit, hunc in Ramusciæ oppido *Engedine-vallis* in confinio *In* fluvii pernoctare. Locus ille frequentiâ populorum tunc celebris erat propter merita beati Florini Confessoris, qui hoc meruit apud Deum, ut virtutes plurimæ per eum fierent. Nullus enim ægrotus illuc confugit, qui non celerem consequeretur gratiam, si tamen petenti fides non defuit. Audierunt interim parentes mulieris cujusdam, quæ à dæmonio fuerat obsessa, de virtutibus sancti Florini, qui illuc usque, non sine muliere misera, adventantes flagitabant Patroni subsidium. Fit concursus utriusque sexûs, ut fieri solet in hujusmodi rebus: nam populare est novis relationibus applaudere, etiam si quid sinistrè hauriant, prout in hujusmodi solet negotiis evenire. Venit ergò illuc & prænominatus Miles Rudolphus. Crescente frequentiâ populorum, magis miseram spiritus vexabat immundus: interrogatus tamen nullum voluit dare responsum, fortè & sic miseratione dispensante divinâ; quia Miles ille sæpè nominatus, seipsum jam tunc de longinquo cœpit agnoscere, mente alienus, in seipsum redire. Jam etiam furiis infernalibus in timorem se fore didicit, quàm si pateretur in corpore cum illa insensata muliere. * Sicut enim capillus præcisus à corpore dolorem non ingerit, cùm sit de corpore; sic illa minori subjacuit pœnæ in corpore passa, quàm is qui mente passus est, & corpore. Nam concupiscentiæ, passiones sunt animæ; assensus verò mortificat animam.

Miracula Dei per B. Florinum Confessorem.

* Videtur hic sensus esse: Agnovit Rudolphus magis esse sibi pertimescendum, ne Diaboli Tyrannidem in animâ pateretur, quam in corpore.

Sed jam redeamus ad propositum. Ex consilio igitur Rudolphi, fidicen requiri jubetur, qui dulci modulamine dæmonem ad responsa invitat: nam & David Saülæ * citharæ dulcisono mitigavit modulamine, cùm spiritus immundus hunc vexaret. Videns ergò arreptiva illa (mulier) laborantes in conquirendo fidicine; qui tunc fortè ibi fuerat ad depingendam sancti Florini Ecclesiam .... in hæc verba prorupit. Quid tu Rudolphe? (vocans eum ex nomine familiarem, & tanquam domesticum) quid tu, inquam? niteris ad exquirendum fidicen, qui de me, quod nolo, extorqueat? Nonne tu es de numero illorum unus, qui Principis nostri sunt? illis semper assensum præbuisti; imò semper spero præbiturum. Cùm ergò de nostro sis collegio, præparans te ad percipiendam à Principe nostro eandem, quâ fruitur, gloriam, tanquam familiarem & collegam me poteris ad loquendum provocare. Quid dubitas? nam omnes hos amat; loquere quod vis, & respondebo tibi; facundum, gratum sæpè habui eloquium: & quare non vicem redderem eandem? si ardua à magistro meo petis, impetrabis. Perterritus miser hujusmodi verbis, sollicitè cœpit inquirere, quæ vel qualis remuneratio illa esset, quam suus Princeps ille tenebrarum daret stipulatoribus? Locum, inquit, accipient in regno Principis nostri sublimem quisque pro meritis. Et qualis est, inquit Miles, vita illius præmii, quod magister tuus dat sibi faventibus? Ibunt, inquit Diabolus, de calore ignium in frigus nivium, de fætore nimio vermium, mortius

* Potiùs Saülum.

» incurrent ſerpentium, ſibilos, & alterius ge-
» neris non minora convivia, quibus tu nobiſ-
» cum frueris in magna potentia.
» Tunc Rudolphus mente conſternatus,
» ſubridens tamen propter adſtantes, ait: O
» qualia ſunt iſta noſtra præmia! verum-
» tamen væ mentibus, quæ ad ejuſmodi gau-
» dia vetus concipiunt. * Et tactus dolore
» cordis intrinſecùs, perfuſus lacrymis, receſſit.
» Timor enim gehennæ pungebat eum; ſed
» ſpes quam pœnitentibus audivit eſſe promiſ-
» ſam, ex alio latere hunc non minimè confor-
» tabat. O Deus! magnam & admirandam
» miſericordiam, qui non ſolùm pœnitentibus
» veniam promittit, verùm etiam peccantes
» expectat, ut redeant. Nox enim quomodo
» nocti indicat ſcientiam, ita Diabolus, licet
» origo peccati, huic peccatori divinæ fecit
» opus pietatis, quia per hanc fructum pullu-
» lavit incomparabilis amoris, huic gaudium
» in cœlo, pax in hominibus ſanæ mentis &
» bonæ voluntatis. Ubi nunc Leviathan, quem
» ſic abſorbueras, quem tuum amicum jacta-
» bas? nonne in tuis hunc faucibus habebas?
» ipſe hunc de foramine tuæ extraxit maxillæ,
» qui ſe pretium pro ipſo dedit in Cruce......
» Sic de Saulo Paulus, de Theloneario Evan-
» geliſta Mathæus.

* Fortè iter arripiunt.

» Igitur his retroactis, dùm domum ire diſ-
» poneret, relictis jam mente gregibus ſoda-
» lium ſuorum, ſibimet cœpit proponere, qua-
» lis, quantuſve fuerit in ſpeculo interioris ſui
» hominis videre, & appenſa quaſi in libra ini-
» quitas, quamvis ſuper talentum plumbi gra-
» vis fuerit, huic tamen miſericordia & pietas
» præponderavit. Heu, heu! inquit ſecum: ut
» quid ad tantam natus ſum animæ meæ calu-
» pinam? * numquid titio inferni fumigans
» permanebo? num & draconis illius antiqui ſi-
» bilos mortiferos excipiam? aut etiam poſt le-
» thei potum mortiferum, totius boni oblivio-
» ſum, aut trecerberi morſum rabidiſſimum,
» aut...... non evadam? Hæc & hujuſmodi
» animo pertractans, præteritorum non obli-
» tus, in antea extentus latrinis, inſedit equum,
» lacrymas ubertim profudit. Mirabantur Co-
» mites, quænam cauſa tantæ ac talis eſſet tri-
» ſtitiæ, quæ tam animoſum in latrinas com-
» pulit virum. Nec mirum: quia fortè non au-
» dierant ex Evangelica Domini ſententia,
» quòd fortiore veniente, fortis, qui in pace
» poſſederat, direpta ſunt vaſa, & omnia ip-
» ſius ſpolia ſunt diſtributa. Domum ergò ve-
» niens, convocatis Fratribus ac propinquis,
» poſthabito convivio, de mundi hujus con-
» temptu lepidum habere cœpit ſermonem,
» qui audientes in lacrymas provocaret: ac de-
» mum abrenuntians omnibus quæ poſſedit,
» & voluptatibus terrenis, nec non & ſeme-
» tipſum abnegans, Chriſtum pro nobis ege-
» num factum, ſecutus eſt ipſe egenus. Et ut
» liberiùs Crucem bajularet poſt Chriſtum lo-
» rica, quâ priùs ad ſui corporis uſus fuit tute-
» lam, nunc ad ipſius utitur pœnam. Inſuper
» ſeptem ferreis ſeipſum cinxit circulis, quibus
» laneâ ſuperinduebatur tunicâ.

* Calumniam.

» Quantus in vigiliis, quantus fuerit in je-
» juniis, noſtri ſtili non eget officio. Ad impe-
» trandam igitur divinam gratiam ac miſeri-
» cordiam diverſorum Sanctorum, ubicumque
» venire poterat, adiit limina, ipſorum preci-
» bus ſuppliciſſimis flagitans ſuffragia. Sicque
» indefeſſus ſeptem annis corpus in ſervitutem
» redigens, feſſis membris ſpiritum roborat.
» Nocte ergo quâdam laſſata membra dùm
» ſopori paululùm indulſiſſet, vidit viſionem
» futurorum præſagam. Viſum fuit ei ſub ha-
» bitu Paſtoris oves gregatim ad alveum lavan-
» das deponere; quarum quædam non lotæ,
» dùm flumini eſſent injectæ, fugâ evaſerunt;
» quædam albicato vellere ſuo ſub Paſtore re-
» manſerunt. Non fuit hæc viſio inanis, ne-
» que ſine præſagio. Nam cùm ſint quinque
» genera ſomniorum, ſicut in Scipionis Afri-
» cani per quemdam ſapientem conjicitur ſom-
» nio, iſtud neque illuſorium, quoniam verum,
» neque minatorium, quoniam non minas
» portabat; non præmeditatorium ſive imagi-
» narium, non illius generis, quod de crapula
» procedit; ſed verâ angelicâ fuit revelatione
» immiſſum; ut dùm, quòd viderat, effectui
» in futurum mandaret, Deum exinde in ſuis
» donis ſublimiùs glorificaret. Cùmque viſio-
» nis hujus habitum ſedulò ſecum pertractaret,
» neque ullam ipſius indagationem percipere
» potuiſſet, ſancto cuidam viro hanc patefecit,
» qui in Spiritu ſancto hunc gaudere debere
» admonuit, pro eo quòd cœnobium funda-
» turus eſſet, in quo pars per devia defluet,
» pars cum Domino ſtabit. Hoc per oves fu-
» gitivas & albicatas figurari.

In ſomnis ſe fundandũ cœnobium diſcit.

» Ipſe tamen ſomnio animum nullatenùs
» commodabat, attendens, quia ubi multa
» ſomnia, ibi multa vanitas: præſertim, cùm
» neque locum huic operi ſcimus idoneum,
» neque ipſe haberet pro privatim.
» Septem tunc annis in tam ſtrenua vita pera-
» ctis, octavo tandem anno diù deſideratam
» ſancti Sepulchri adgreſſus viam, terram pro-
» miſſionis intravit, divinæ hoc miſerationis
» opus intentans, gratiarum actionem largito-
» ri omnium retulit bonorum, qui in ſanctiſ-
» ſimam hanc, quam ſuis virtutibus decora-
» verat, civitatem perducere dignatus eſt. Cir-
» culi interim ferrei, quibus carnem ſuam di-
» vinæ menti ſubjugaverat, rubigine tabeſcen-
» tis carnis confracti, reſilierunt, Domino cum
» carne remiſſiùs tunc agente, quando acutiſ-
» ſimos tentationum aculeos, non jam tyro,
» ſed miles invictus ſuperaverat. Et ſicut con-
» ſuetudinis eſt, ea quæ cum labore ſunt nata,
» gratiùs amplexari; ex quo limina ſancti Se-
» pulchri attigit, diù noctuque orationi vacat,
» lamentans ſuper his, quos olim perpetrave-

Loca Sancta inviſit.

Circuli ferrei ſeptem, corpus ejus ambientes, diſrumpuntur.

rat

» rat excessibus. Non fuit Ecclesia in tota Je» rosolyma, cujus limina, fessis licet pedibus, » ad flagitanda suffragia, terere non attentave» rit. Cùmque plumbum, æs, vel ferrum ædi» ficio substraxisset priori, cùmque jam ligna, » fœnum, aurum & argentum, & lapides pre» tiosos superædificare toto nisu elaboraret, » Mandritam quemdam, qui carnem suam, » ut tali dignus numeraretur ædificio, bene » decoxerat, bene dolaverat, intra septa cellu» læ cujusdam strictissimæ reperit; cujus elo» quii, ac si accipiter esuriens ..... excipere » gliscitur, sic ille rapidissimo cursu ad hunc » evolavit. Dominus autem Reclusi quia non» dum revelaverat auri ejus, ideò non prout » debuit, hunc fraternâ charitate recepit..... » .... illoque appropiante vir » Dei cellulæ fenestellam protinùs claudere ge» stiit, nullique pulsanti curavit dare respon» sum. Peregrinus verò ille suis hoc attribuens » antiquis malefactis, perseveravit in pulsando, » illud inculcans, Dominum cum peccatori» bus fuisse locutum, eisque in convivio par» ticipatum; sufficere debere discipulo similem » se esse suo Magistro. Motus Inclusus, inte» riùs apertâ fenestellâ, ac benedictione præ» missâ, sic inquit: Mandatum Evangelicum » est, ut clauso ostio oremus, nec laudem ho» minum requiramus. Et tu siquidem divinis re» nuis obviare mandatis, qui pallorem in facie » ostendis, cruciatum in corpore, qui sic ita » repertus fuisti cum fatuis Virginibus, à spon» si, videlicet Christi, nuptiali convivio exclu» dêris. Sed si aliquid à me vis extorquere, » scias quia aurum & argentum non est mihi, » imò, qui in lorica illa, ad ludificandas fortè » hominum simplicium mentes, superabundas, » vende hanc, & tam tuæ, quàm aliorum ex» inde subveni necessitati.

Quemdam Reclusum visitat.

» Consternatus mente Rudolphus; non fa» mem, inquit, à te quæro relevare ventris, » sed noctem mentis, satis enim terrenis abun» davi divitiis: sed quòd nimis his fui abusus, » dignum judicavi eo me habitu castigare, » quo in Creatorem meum magis consuevi pec» care. Ignosce, inquit Inclusus, mihi ô Fra» ter! quòd tam male de te sensi; in tali nam» que sæpè delusi sumus habitu. Ignoscat, ait » ille peregrinus, tibi ô Frater! omnipotens » Dominus. Subjunxit ergo Inclusus, interro» gans, ad quid venisti Frater? At ille, con» sultum, inquit, veni pro meis peccatis. Ipse » verò respondit; diversa sunt animantia hujus » procellosi maris, pusilla videlicet cum ma» gnis, quibus draco ille antiquus factus est ad » illudendum: omnia tamen expectant, ut es» cam à Domino recipiant; quod tu fecisse » magnâ videris ex parte: sed non pigeat dice» re, cujus conditionis aut officii fueris? Con» ditione, inquit ille, sanctæ Mariæ Dei Ge» nitricis fui dicens, officio Miles, ad inven» tionem propriam servus; heu me peccati!

» Inclusus verò subinfert: & quid de substan» tia, quam reliquisti, actum est? Reliqui hanc, » ait, dilectis Fratribus meis. At ille, nonne » oportuit te Christum magis tibi substituere » hæredem? Crede mihi; oleum camino ad» ministrasti: nam divitiis accrescentibus, possi» dentium eas suffocatur animus. Tu verò, qui » crucem post Christum bajulas, ut & alii te» cum bajularent elaborare debueras: sed qui » jam rectas niteris facere vias tuas in virtute » Domini, consulo tibi, ut limina, posthabi» ta revisas, Christum tibi, si fieri potest, hæ» redem substituas; majora enim sunt merita » apud Deum, eleëmosynam dare, quam re» cipere, nisi fortè homo seipsum, suaque om» nia Deo semel dedit: sed iste non ex toto » visus fuit liquisse, dum Fratribus, quos ut » seipsum carnaliter amavit, ea, quæ charta » possedit, donavit. Peregrinus verò ait, assen» tior, tuisque, * divinâ favente clementiâ, » operam dabo. Tunc valedicto, duo illi cœ» lestium bonorum indefessi peroratores ab in» vicem sunt separati; unus in dilecta sibi cel» lula remansit; alter verò longo de postlimi» nio patriam revisurus, ad Baïas descendit na» vim, si Deus vellet, versùs Brundusium ve» lificantem.

Consulit Rudolpho Inclusus ut Patriam repetat, & facultates distribuat in eleemosynas.

* Fortè Consiliis adimplendis.

» Parabatur interim navis omnibus bonis » onusta. Porrò quid faceret, qui nihil habuit, » nisi ut spem poneret in Domino. Sedit ergò » in littore, præstolans divinam misericor» diam, assuetis intentus orationibus; nullus» que die illo subvenit egenti. In crastinum » verò turbarum fugiens tumultum, securiori » loco psalmodiam meditans cùm sedisset, ex » improviso quidam, nutu, ut creditur, divi» no, aureum huic nummum, non rogatus, » obtulit: videtur tamen quòd Angelus Dei » fuerit, qui egenti in tali necessitate occurre» rit. Hæc tua, inquit ille, hæc tua, Deus, do» na sunt, qui das jumentis escam ipsorum, & » pullis corvorum invocantibus te, qui nullum » in te confidentem tuâ unquam fraudas bo» nitate. Procedens inde, vidit peregrinum in » paupere habitu sedentem: huic nummum » ante receptum donans, Dominus, inquit, » pascit me à juventute mea usque nunc, & in » posterum nihil mihi deerit; ipse fecit terram, » fundavit maria. Credo quòd Angelus qui » huic ad solamen nummum priùs obtulit, mu» tato iterùm habitu, hoc ab ipso recepit. » Quod uni fecistis ex minimis meis, mihi fe» cistis. Quis in tali unquam necessitate solitus » est eum, quem habuit, nummum dare?... » .... Sed dic mihi, ô homo, transitu» rus mare, ubi navim accipies? in ista neces» sitate tributum minimum cur non reservasti » ad naulum? Quia necessitatem proximi meam » putavi; Dominus autem, in cujus manu cor» da sunt Regum, ipse, si velit, & naulum da» bit, & partum.

» Velificantes igitur, prospero itinere vene-

» runt Brundusium: tunc assumptis secum tribus boni testimonii viatoribus, quorum nomina sunt hæc, Gerardus, Ebe * & Addo, quorum animos idem fervor, si sic eis crederet, accenderat. * Ad finem pervenit, à quibus benignè receptus, & humanè, prout decuit, cum suis conviatoribus tractatus, suam eis ex consulto sancti illius viri innatam pandit voluntatem; simul ipsorum, cum lacrymis, flagitans auxilium. Fratres verò sui tantam erga Deum videntes diligentiam, & sua, quæ habuerat remiserunt, & de suis auxilium spoponderunt. Ipse verò ex omnibus quæ habuit in Curiensi (agro) ad suum non retinuit effectum.

* Forsan *Eberhardus*.

* Deest aliquid restituendum fortè hoc modo *ad fines tandem pervenit, &c.*

DESCRIPTIO SITUS MONASTERII.

» Sed quoniam de sylva illa * mentionem fecimus, de situ loci, & habitu libet ut aliqua dicamus. Sylva hæc Curiensi pago adjacens, viam cum labore facit transeuntibus: præter hoc enim, quòd ardua est ac difficilis propter opaca frondium & fructuum; latronum ibi fuit azilum, multi ibi jugulati, plures spoliati, omni tempore rapinæ, ita ut paucorum sine armis ibidem non posset esse transitus. Hic ergò Frater Rudolphus cum suo illo charo Fratrum habitare elegit Collegio: & sylvam metire, decidere incipiens, ac novare, domicilium sibi suisque.... pro modico primitùs construxit: sicque in dies ad ea quæ cogitaverat præcingitur. Cumque in decidendis arboribus indefessi durarent, sibi auxilium divinum frequenter adesse senserunt. Nam igne stipitibus supposito, relictâ lignorum congerie, dum recessissent, viderunt viros in vestitu candido ligna igni administrantes; quos tamen accelerato cursu quærentes, minimè repererunt: quod dum crebriùs fieret, ipsique quærentes nihil invenirent, virtutem senserunt esse divinam. Verè, ut ait Propheta, Dominus in altis habitat, & humilia respicit in cælo & in terra. Post multas demùm passiones, post frigora nivium, quæ in loco abundant, post rerum penuriam, post infestationes dæmonum, Ecclesiam construxerunt, in qua rogatus Presbyter aliquis, viâ illâ iens, Missarum solemnia celebrare. Consecratâ tandem Ecclesiâ in honorem Dei Genitricis Mariæ, filii Belial, qui priùs loco detraxerant, cum secundò vellent abrenuntiare, illic magna ex parte convolantes, seipsos & sua omnia, quæ habebant, dederunt.

* Hinc collige Chronicam istam mutilam esse; de illa enim sylva ne verbum quidem, in præcedentibus reperire est.

Ecclesia construitur.

» Rudolphus verò somnii, quod viderat, recordatus, regularem inibi vitam instituere gestiens, Heimonem quemdam regularis vitæ secundùm Augustinum, * idoneum loco præfecit; cui & seipsum obedientiæ voto obligavit.

Heimo primus loci Præpositus erat & S. Lucii insimul.

* Secundùm regulam S. Augustini.

» Religione igitur in loco vigente, quam hospitalitas permira decoravit, Ecclesia sancti Lucii, cum divino penitùs destituta esset officio, quoniam monachi priùs ibi commanentes ejecti fuêre, consilio Magnatum de Conventu Churwaldensi in locum il[lu]m sunt substituti, qui dignè Deo famularentur, ac beato Lucio; necnon & paramenta, & alia necessaria de nostro ibi sunt, administrata monasterio. In temporalibus ergò loco illo, Churwaldensi scilicet, accrescente, cùm Regulares ab Ordinis sui statu calcitrarent, Præmonstratensis vitæ Ordinem elegerunt * quem mirâ austeritate usque ad tempora nostra servare studuerunt.

E Churvaldia mittuntur Religiosi ad S. Lucium Curiensem. Tamē Roggēburgum paternitatis jura exercet in S. Luciū; fortè quia Abbatem primum illic imposuit.

* Videtur à principio, regulares Canonicos incoluisse Churvaldiam & illis deficientibus à regulari vitâ, successisse Canonicos Præmonst.

» Heimo interim Præpositus, amœnitate loci penes sanctum Lucium, quò Churwaldensis illuc totaliter conflueret Conventus elaborabat. Sed frustra; beata namque Virgo precibus Rudolphi exorata, & locum illum augmentavit, & Præpositum illum sæpè memoratum, ab utraque Præpositura eliminavit, & ad locum redire permisit.

» Accidit autem, ut Miles quidam Thuringorum gente oriundus, in obsidione Friderici semper Augusti infirmatus, prout leviùs poterat, duceretur domum, quasi de cognato sibi aëre meliùs habiturus, ad locum veniret; ubi de multùm ardua nemorum via dum vellet requiescere, ultimum emisit flatum: iste vivens omnia, quæ secum habuit, loco contradidit, & post mortem in terram suam ituros, quid plura? de suis ibidem sumere jussit.

» Sepulto ergò Milite, rogatu ipsius, Rudolphus Frater ipsius Fundator cœnobii, quamvis senio lassus, viam arripuit unà cum sociis jam defuncti Militis, versùs Turingiam, prout jucundum sibi fuerat. Venientes *Elwangen*, nocte illâ ibi manserunt; ibi Rudolphus Frater febre tam acri correptus, ut nec progredi potuerit, nec regredi domum. Tertiâ demùm die in sancta confessione permanens, communicans carni & sanguini, & locum, quem fundaverat, summo Pastori, suam Dei Genitrici commisit animam. Erat tunc temporis maxima populi frequentia, conventus Abbatum duorum, Cleri magna pars, qui venerant Festivitatis gratiâ invitante. Hi omnes, unà cum Abbate *Elwangensi*, exequiis tanti viri interfuerunt, corpusque in maxima reverentia tumulaverunt. Fama mala, quo non aliud velocius ullum mobilitate viget, ad nostrum ubi devenit cœnobium, maximus ibi luctus pro defuncto Fratre, sed non minor pro eo quòd ibi non debuerit tumulari, prout ipse oraverat, est exortus.

» Nono ergò jam expleto anno post tanti viri, * Henricus quidam & moribus honestus, & vitâ compositus, motus frequenti Fratrum querimoniâ, ad supra memoratum, ubi sepultus fuerat, venit monasterium, ibique memorati Rudolphi ossa difficilè im-

* Supple *obitum*.

„ petrata sumens, reportavit ad locum, quem „ sibi ipse, dum viveret, ad expectandum di„ stricti examen judicii elegerat. Sepultus est „ ergò in Ecclesia, ubi divina semper resonant „ Officia, in gloria stolam secundam recepturus à Domino, qui regnat in secula. Amen.

SERIES PRÆPOSITORUM & Abbatum Churvaldiæ.

Taliter condito ante annum 1156. Churwaldiæ cœnobio inseruit Rudolphus Fundator primùm Canonicos Regulares, ut insinuare videtur Chronographus; qui *cum ab Ordinis sui statu calcitrarent, Præmonstratensis vita Ordinem elegerunt.*

I.

His ab initio præstitus est Rector Haymo, sub Præpositi nomine. Unde fuerit accersitus Haymo ille, non innotescit. In Chronico legimus è *Churvaldia* ad *S. Lucium* Fratres transmissos fuisse, eisque ab eodem Churwaldensi monasterio de necessariis esse provisum. Id utrum factum fuerit ante introductionem Præmonstratensis instituti, incertum est. Ex una parte, Benedictinis in *S. Lucio* immediate successisse Præmonstratenses, communis est traditio, quam in *S. Lucio* stabiliemus; & quæ nullis adversantibus titulis huc usque fuit oppugnata: atqui hoc falsum erit, si intermedio spatio ibi versatum fuerit Regularium Canonicorum è Churwaldia illuc directum agmen. Ex adverso, si Churwaldenses Norbertini jam effecti, suorum coloniam ad *S. Lucium* transmiserunt, illis inde Paternitatis jus fuerit acquisitum, quòd tamen à seculis penes Roggenburgum stetit, Churwaldensibus non reclamantibus. Ex his ambagibus vix solers quisque & eruditus sese expedire queat. Cæterùm, ignotus, at barbarus Chronices autor, translator itidem vix de nomine agnitus, non tantæ sunt fidei, ut obscurâ suâ scribendi nos remorentur methodo. Itaque ad Præpositum Haymonem redimus.

Is Churvaldiam simul, cum sancto Lucio regebat æquâ potestate. Posterioris hujus cœnobii captus amore, vel prioris actus odio, tentavit ad sanctum Lucium totum transferre Conventum. Sed Rudolphus consilium subodoratus Haymonis, elusit conatus, & ab utraque eliminavit Præpositura. In ejus locum accitus est, alter ab Udalrico, quem ordine ponunt immeritò secundum. Nam Haymo interiit anno 1156. Ast improbabile est abhinc ad annum 1224. Udalricum gessisse Præfecturam Churwaldiæ, spatio scilicet annorum septuaginta. Ex notitia igitur magis quam ex rei veritate venit post Haymonem

II.

Udalricus, ad quem Innocentius III. anno 1200. Bullam confirmatricem cœnobii Churwaldensis, inscripsit. Insolentiùs in Prælatum rebellantes Fratres Conversi, illum exulare coëgerunt ad tractum Tigurinum, ubi *Riethensi* monasterio ædificato, quòd nunc occupant Tigurini, Urspergam se recepit, ibique anno 1224. morte consumptus est.

III.

Swigerus post ultroneam Udalrici abdicationem electus est in Præpositum Churvaldiæ anno 1210. Ad annum 1237. Udalrico tùm episcopo Curiensi, protelavit dies suos.

IV.

Bertholdus vixisse legitur anno 1257. temporibus Henrici Curiensis episcopi. Ad annum 1282. vitam protendit & regimen. Hàc enim ætate obtinuisse referunt Fasti, in publico judicio *solamen Arckos* in urbe Curiensi, cum ædificiis suis. Quid per *solamen Arckos* intelligi debeat, hæremus. Fortè *solanum*, id est fundum terræ, scribere voluit: nisi malis per *solamen*, innuisse *Refugium*, sive domum solatii, *Arckos* dictam, in qua ægri, aut ab ægritudine convalescentes, solatia inveniebant.

V.

Udalricus II. de solo notus nomine.

VI.

Bertholdus II. in actis 1307. & 1309. passim occurrit, sed jam exautoratus; nam

VII.

Conradus ab anno 1299. emit prædia *Befreug*, & *Fontana*, & anno 1305. Parochiam in *Baltzer* commutavit in Parochiam de *Veldsperg*, confirmante Sifrido episcopo Curiensi.

VIII.

Jacobus memoratur in actis annorum 1320. 1321.

IX.

Joannes, de consensu Fratris Udalrici episcopi Curiensis, Veldspergensi Ecclesiâ investitur 3. Kal. Julii 1341. per plebanum S. Martini Curiensis.

X.

Conradus II. vixisse legitur annis 1356. & 1361.

XI.

Udalricus III. obiit anno 1374.

XII.

Geruncus anno 1395. vitâ defungitur.

XIII.

Udalricus IV. ad annum 1406. in vivis egisse legitur.

XIV.

NICOLAUS anno 1415. esse desiit.

XV.

CONRADUS III. humanis eximitur anno 1431.

XVI.

GEORGIUS in Præpositum assumptus anno 1431. Abbas inauguratur primus anno 1446. & ad annum 1461. gessit infulas, easque ornavit decore virtutum.

XVII.

LUDOVICUS die 26. Aprilis anni 1461. electus Abbas, à Joanne *Neu* Suffraganeo episcopi Curiensis benedicitur. Undecimo ab installatione ejus anno combustum est monasterium, & à Ludovico restitutum. Posteritatis memoriæ, inscriptione incisâ saxo in posteriori parte altaris principis, consignavit opus suum, his verbis. *O mundi Domina! Fratrem* Ludovicum de Landavia *respice benigna Abbatem, ejusque munera digna, chorum cum campana datum hocque opus tibi gratum. Capita deaurata, Jesu cum Matre tibi donata; cum Cruce argentea, Evangelii textum aspice pia. Anno millesimo quadricenteno septuageno septeno.* Obiit anno 1488.

XVIII.

JOANNES *Tr-stberge* die 13. Martii 1488. electus, perfecit ædificia, & templum omni numero absolutum fecit consecrari 29. Septembris 1502. ab Henrico episcopo Curiensi. Turrim instruxit campanis quatuor anno 1519.

XIX.

GERARDUS BEUZIUS à Capitulo electus, diù multùmque laboravit difficillimis temporibus, non tantùm pro salute suæ Abbatiæ periclitantis, sed etiam pro deffensione Abbatiæ S. Jacobi in Prettigoia. Tres successivè Prælatos, viros fortes, & ad tolerantiam armatos illic instituit, qui inhiantem Ecclesiæ patrimonio hæresim compescerent: sed post multos agones, octo judiciorum fœdere assumpta est Abbatia, pulsus Abbas; ejecti Canonici, & in Prætorium immutata est Religiosa domus anno 1527. & 1528. Ipse autem Gerardus calamitatum testis & spectator dolorosus, desiit vivere 5. Augusti 1536.

XX.

FLORINUS *Jannut* S. Lucii Canonicus, ex Pastore Benedurano assumptus Abbas 15. Septembris 1536. conditionibus iniquis susceptus ab incolis, luctuosos egit dies, per annos tredecim in aqua brevi & arcto pane, & mortuus est.

XXI.

MARTINUS *Buff* pseudo-Abbas ab incolis electus & intrusus, per abusum potestatis bona monasterii divendidit, & Florino violenter exturbato de sua sede, nonnisi ægrè, ad Frisonum jussà, alimentarem sustentationem elargitus est.

XXII.

EBERHARDUS *Renkh*, Sacerdos secularis & Capellanus in *Kazis*, à quatuor Commissariis Austriacis & totidem selectis Grisonibus, Praelaturæ impositus, per Abbatem Roggenburgi ad Ordinem, dein ad professionem admissus, ab eodem confirmatur. Sed installarunt suo more, & pessimâ formâ rustici, nec meliore rexit personatus utcumque Abbas, qui finem vivendi fecit anno 1562.

XXIII.

NICOLAUS *Janatsch* secularis Sacerdos parochus in *Sevis*, simili, quo prior, modo electus, & à seculari potestate installatus, providè gubernavit, & anno 1580. defungitur.

XXIV.

JOANNES *Wyssman* Roggenburgensis monasterii Canonicus, obiit anno 1589.

XXV.

SYLVESTER *Schroff* S. Lucii Canonicus die 29. Januarii 1589. investitus Abbas, præfuit & obfuit annis ferè decem. Eo decedente, & ad paupertatis angustias arctata Curwaldia, judicavit Pater Abbas Roggenburgi Abbatialem titulum ad tempus suspendendum esse, & providis Administratoribus curam monasterii delegandam. Ergo Patrem

XXVI.

MICHAELEM *Jager* Administratorem deputavit, qui biennio Ecclesiam utiliter rexit, eique mortuo subrogavit

XXVII.

MICHAELEM *Probst*, quem Roggenburgense Capitulum 7. Martii 1610. ad infulas suas evocavit. Illi substitutus est

XXVIII.

P. JOANNES *Buckh*, Prædicator fervidus, qui ut affluentes Catholicos pasceret verbo Dei, suggestum junxit Ecclesiæ parietibus externis, unde populos avidiùs accurrentes edocebat. Illi successit

XXIX.

GASPARUS *Keck*, ad Parochiam de *Wisenbach* translatus anno 1613. & ibidem peste sublatus est.

XXX.

Carolus Berzius in locum Gaspari penè suffectus, violentâ hæreticorum manu extruditur, & Jodocum Gantnerum Prædicantem immittunt, qui per annos tres & semi illic commoratus, Dei maledictionem palàm expertus est, spectris nocturnis diurnisque exagitatus; pecorum subitaneas mortes, agrorum sterilitatem passus; unde ad desperationem actus ferè, loco cessit & regimini. Ad sanctam regulam præco Evangelicus, ut aiunt, institutus à Magistratu, redivivis timoribus, & spectorum renascentibus ideis adeò turbatus est mente, ut per fenestram se præcipitem dederit. In desertam Ecclesiam continuò Joannes Curiensis episcopus induxit P. Georgium *Haberlin*, de Patris Abbatis consensu, anno 1622. qui terriculamenta ab hæreticis & malevolis venditata, & ab ingressu removentia, flocci faciens, fide munitus, & advolantium ad campanile candidarum columbarum adventu præsagio roboratus, risit nocturnos lemures, imò nullos vidit; audivit nullos; spectra enim, inquiebat, veris possessoribus non solent insidiari, sed malis. Ad miraculum passim divulgabatur habitatio pacifica Patris Georgii in Curwaldiæ cœnobio. Concurrebant ad illum vicini, vel famâ sanctitatis, vel studio curiositatis allecti; & illos, arreptâ occasione dicendi, de religione, de moribus, de fide erudiebat astantes. Libertatem zeli succendebat Archiducis Leopoldi protectio liberalior. Is ab anno 1621. pro restitutione bonorum & proventuum Churwaldiæ, & S. Jacobi in Valle Portania adversùs Rhætos moverat litem æquissimis subnixam gravaminibus. Illa utcumque elevat ex post facto Bernensis Historiographus Michaël *Stettler*, & Principem demulcet ratiunculis petitis quam plurimùm ex infideli Administratorum œconomiâ; qui vel prodigâ venditione, vel ex oppignoratione indiscreta, substantiam domûs sic exhauserant, ut cæteri sponte fugam arripuerint, fame cogente & inedia. Addit horum recessu plebem Pastore destitutam, à Magistratibus repetiisse ministros, qui sollicitudinis Pastoritiæ onus in se suscipientes, residuam monasterii hæreditatem, ut leges ferebant æquitatis, adierunt ad sustentationem vitæ; integram nihilominùs servantes suppellectilem sacram; templi structuræ invigilantes & incolumitati. His coloribus Apologista Bernensis temperat alienæ perfidiæ facinora, & ne violentiæ imputent proscriptionem Abbatis Gerardi, ultroneæ eam adscribit cessioni. Falsò orbatam Pastore Catholico Churwaldiam obtendit, cùm nusquam vacaverit Religiosis, nisi quando instantes verbo Dei, protervia hæreticorum submovit.

XXXI.

Jacobus *Rauch* Theologiæ Licentiatus anno 1628. Administrator ab Abbate Roggenburgi institutus, triennio ab administratione suscepta in Abbatem Roggenburgi sublectus est; sed ante aditam possessionem peste correptus, occubuit 20. Januarii 1630. unà cum socio P. Christophoro Molitore, communi sepulchro Churwaldiæ tumulati.

XXXII.

Joannes *Widenman de Underrieden*, obiit Roggenburgi apoplexiâ tactus.

XXXIII.

Georgius *Haberlin*, de quo supra quique Administrator ad tempus Curwaldiæ exstiterat, per se regimen gessit ab anno 1640. ad annum 1653. magnâ laude, utilitate pari.

XXXIV.

Christianus *Hauptman*, parvo tempore consummatus, obiit anno 1655.

XXXV.

Joachimus *Horhenegger* administrationem iniit 3. Jan. 1657. obiit anno 1659.

XXXVI.

Godefridus *Berthelin* præfuisse legitur ad annum 1666.

XXXVII.

Bernardus *Buecher*, obiit anno 1682.

XXXVIII.

Christophorus *Strom* Canonicus Marchtallensis ad annum 1598. gubernavit.

XXXIX.

Franciscus *Keser* Canonicus Roggenburgensis ad an. 1700. clavo insedit.

XL.

Alexander *Cramer* Canonicus Urspergensis, obiit die 29. Maii 1704.

XLI.

Gilbertus *Othsmann*; cui ad S. Lucium translato successit 5. Decembris 1713.

XLII.

Udalricus *Poller* Roggenburgensis Canonicus; hodiedùm inter collatrantes hæreticos residuum Norbertini patrimonii servat, & administrationem moribus honestat religiosis, ad Religionis argumentum.

CURWALDIA INFERIOR.

Curwaldia Parthenon. Fil. Curwaldia virilis. In eisdem Diœcesi. & Circaria.

CUrwaldiæ virorum penè adhærebat, vel unico lapidis jactu distabat Parthenon, idem & Hospitale. A seculis ab Ordine avulsus est. Ætate Layruëlii visebatur turris sarta tecta; sacellum autem, cæteræque ædes sine tecto, temporum injuriis patebant. Illud Parthenium invaserunt Rhæti, filiam matremque uno impetu deglutientes. Hæc habemus ex Collectionibus Layruëlii & ex monumentis transmissis.

CURTIS DOMINARUM.

Curtis Dominarum. Fil. S. Nicolai Furn. Diœcesis Iprensis. Circaria Flandriæ.

ABbatiæ S. Nicolai Furnensis contiguum, & adjacens monasterium habuerunt Sanctimoniales, ab inducta Ordinis Præmonstratensis disciplina. Hugo, magni nominis Abbas, ad prælaturam Furnensem evectus, circa annum 1167. ut suos à seculari strepitu facere immunes, consilio, & auxilio Desiderii,

1167. Tarvanensis episcopi, & Philippi, Comitis Flandriæ, Abbatiam ex oppido Furnensi, ad campestrem locum orientalis plagæ transtulit, & Sanctimoniales ad villam de *Hem*, vulgò *Hosten vrouven*, appellatam latinè *Curtis Dominarum*, structo priùs habitaculo, jussit secedere, ut liberiùs contemplationi vacare possent.

Suavissimâ piæ conversationis fragrantiâ Sanctimoniales non plebeiorum modò, sed & Principum animos sic demulserunt, ut Philippus Alsaticus, Flandriæ Comes, & Gertrudis ejus soror, Amædei, Morinorum Comitis uxor, variis beneficiis eas fuerint prosecuti. Quin & ipsa Gertrudis, conjugi superstes, ad societatem, vitæque regularis contubernium allecta, residuum in Parthenone exegit vitæ tempus.

Priorissarum Eiwildis, & Mathildis meminit Furnense Necrologium. Christinæ Priorissæ S. Nicolai Furnensis inscripsit Diploma Urbanus III. anno 1185. quem supremum ne dixeris florentissimi Asceterii annum. Existentis adhuc Parthenonis, sub annum 1480. valida suppeditat argumenta Furnæ Historiographus Petrus de *Vaghenare*, quibus refragari non ausim. Vide Probat. à col. cccclxxviij. ad col. cccclxxix.

C U S E M A R.

Cusemar. Fil. Dockin. 3a. Diœcesis Groningensis Circaria Frisiæ.

NObilis Sanctimonialium Præpositura, *Cusemar*, apud Fredewoldios, in Diœcesi quondam Trajectensi, nunc Groningana, surrexit, anno 1214. authore & Fundatore Thoma Abbate Dockingensi primo. A nomine loci, in quo structus est Parthenon, suam sortitus est denominationem, quam immutavit Fundatoris pietas, in appellationem *Porta sancta Mariæ*, sub qua audiit apud posteros.

Eâ sanctitate florebat Parthenon seris etiam temporibus, virtuti & Religioni infestis, ut Sibrandus Leo videns observantiam regularem passim in monasteriis labescere apud Frisios, illo se receperit, ut extremos vitæ dies, dimisso Menaldomensi Pastoratu, transigeret, vitamque ad Sanctimonialium exempla institutam, clauderet morte beatâ; quam re quidem ipsa illic obiit, die 22. Junii 1578.

Tanti viri sepulchrum, Præpositurae casu obrutum, acervis lapidum penè contegitur. Manus sacrilega, quæ sacris invidens, sancta quæque prophanavit, non pepercit Doctorum monumentis. Vir memoriæ insignis, Præposituræ apud incolas Cusemariæ nomen transmisit ad nepotes.

C Z A R N O V A N S.

Czarnovan. Fil. S. Vincentii Wratislav. Diœcesis Wratislav. Circaria Poloniæ.

ANno circiter millesimo ducentesimo, Ludmilla, uxor Mesconis, Ducis Oppoliensis, & mater Ducis Casimiri, Parthenonem in *Ribnik* struxit, ac dotavit. Steterunt illic Sanctimoniales, donec Dux Casimirus, maternæ pietatis hæres, ad petitionem virginei Conventus, illas in *Bozidon*, seu domum Dei, quæ & usitato idiomate *Czarnovans* dicitur, transtulisset, anno 1228. Omnes donationes, tam in hæreditatibus, quàm in libertatibus illæsas conservans Princeps, homines in villis, à Fundatrice traditis, commorantes, sub jurisdictione Præpositi taliter constituit, ut non nisi ab ipso judicarentur, nisi causa, vel excessus ad Ducis tribunal, ex sua natura, forent referenda. Primordiales hasce tabulas confirmavit Wladislaus, Dux Oppoliæ, anno 1260. sedens in Capitulo Fratrum & Sororum beati Augustini, Præmonstratensis Ordinis, in *Bozidom*. Eas jam antea innovaverat Henricus,

Dux Silesiæ & Cracoviæ, uti Tutor, & Administrator Ducis Casimiri, sui nepotis, & publico Diplomate confirmationem evulgaverat, anno 1234.

Parthenon iste Patrem agnoscit Sancti Vincentii Wratislaviensis Abbatem. In antiquioribus documentis vestigium Paternitatis istius haud legitur. Indiculus Circariarum, à Layruëlio & Pagio relatus, Paternitatem Abbati Præmonstratensi adjudicat. Nihilominus ab antiquis retrò temporibus ad San-Vincentianum Abbatem nescio quo titulo, transivit. Immò etiam, si moderno Præposito sit fides, ipsius prædecessores à nutu Wratislaviensis Abbatis absolutè pendebant.

Pace tamen illius dixerim, amovibilitas ista in Præpositis contradicit antiquæ Ordinis disciplinæ, propriisque Czarnovansii repugnat documentis. Quomodo enim proprio nomine Dominicus, Præpositus in Bozidom stetisset judicio, & arbitris permisisset decisionem litis circa decimas in *Wroblin*, & *Schabischow*, de qua contendebat cum Thoma, episcopo Wratislaviensi, & Harohilibco, Lubensi Abbate, Ordinis Cisterciensis, anno 1283. Quomodo Willelmum San-Vincentianum Abbatem compromissarium nominasset, si manualis tantùm Czarnovansii fuisset Superior, & ad Prælati voluntatem amovibilis? Quare Præposito momentaneo Duces Oppoliæ, anno 1325. 1328. 1356. sua inscripsissent Diplomata? Eccur Urbanus VI. anno 1382. Bonifacius IX. 1392. Bullas suas obedientiario Præposito petenti concessissent, si absque Abbatis Wratislaviensis annutu, nec petendi titulum, nec recipiendi jus, more subditorum, non habuisset? Prorsùs arrogans & insolita est inferioris, postulatio, quam Superioris non approbat authoritas.

Ergo ne vim faciamus primogenio Ordinis spiritui; ne Principum, ne Pontificum detrahamus honori, dicendum Præpositos Czarnovienses non instantaneâ, non manuali, non precariâ authoritate præfuisse Parthenoni. Dicendum, ad vilipendium dignitatis, & ad Ordinis injuriam antecessores colla subdidisse jugo, quod per duo ad minùs secula Patres eorum portare nec debuerunt, nec potuerunt.

Quomodo Vincentiani Abbates seculis labentibus, quove anno jus illud in Præpositos Czarnovienses invaserint, needum mihi compertum est. Impositum impatienter ferebat onus Balthazar de *Gerbert*, iteratisque conatibus excutere à suis humeris servitutem tentavit. Præpositi viribus suas junxere vires Canonissæ, in spiritualibus, & temporalibus, ex variabili Superiorum successione graviter imminutæ; eòque tandem justa conquerentium causa deducta est, ut ad pacificationem ineundam per compositores, delectum sit à partibus Zabrdovicense monasterium pro congressu. Convenerunt hinc inde judices: comparuerunt actores, anno 1677. ventilata ibi, sed non finita fuit causa. Rursùs in Strahoviensi monasterio hinc inde agitata est causa, anno 1681. & illic ex utriusque partis consensu, in hunc modum lis dirempta est.

1°. Czarnoviensis Præpositus, pro se, & successoribus suis, perpetuò & irrefragabiliter agnovit D. Andræam *Gebel*, Abbatem Sancti Vincentii, ejusque successores, canonicè electos, Patres Czarnovansii, & ut tales declaravit semper agniturum.

2°. Abbas S. Vincentii vicissim declaravit modernum Czarnovansii Præpositum, ejusque successores legitimè intrantes, tanquam perpetuos, inamovibiles Prælatos, & ut tales semper agniturum promisit.

3°. Præpositurâ vacante, ne fortè minùs apta, & qualificata persona irrepat, reservavit sibi Vincentianus Abbas, suisque successoribus, jus præsentandi duos vel tres suæ Canoniæ professos, vitâ, moribus, & scientiâ probatos, & ad utrumque regimen, suo, & monasterii sui calculo aptos, & electos, quorum unum tenebuntur Virgines in Præpositum assumere, & maximè illum, quem Abbas specialiter commendarit; nisi contra ejus personam rationabiles exclusionis causas allegent: tunc enim alium è tribus præsentatis, quem secundùm Deum & conscientiam judicaverint magis idoneum, poterunt eligere.

I.

His pactis, ab utroque Capitulo approbatis & signatis, P. BALTHAZAR DE GERBERT insignia pontificalia ad ornamentum suæ Prælaturæ, & in signum recuperati splendoris à quo antecessores exciderant, requisivit ab Alexandro VIII. eique monasterii sui prærogativas, Præpositi in Provinciæ Comitiis jura sedendi inter Prælatos exposuit. Magnum addidit hinc Religioni inter acatholicos versanti, accessurum honorem, & magnam in deliberationibus reverentiam, si in consessibus more Prælatorum ornatus assisteret, & publicas in Ecclesiis functiones, mitrâ & baculo insignitus exerceret. Petitioni Balthazaris, de Cardinalium voto, annuit Pontifex, & omnes Abbatiali dignitati annexas functiones & præeminentias illi, & successoribus ejus, gratiosè concessit, quinto Idus Januarii 1695.

Plurima ad monasterii utilitatem gessit Præpositus Balthazar. Claustrum à fundamentis exstruxit. Duas domos, unam Brigæ, alteram Oppolii emit, & adjunxit Fundationi. In publicis Comitiis sæpiùs Assessor, & à Statibus superioris Silesiæ deputatus ad Cæsarem Orator, reipublicæ negotia strenuè procuravit. Præmaturâ morte, anno ætatis suæ 53. die 8. Julii abreptus est, orbis redempti 1695.

II.

THOMAS *SCHAFFAROZECH*, 17. Augusti successor Balthazaris creatus, protinùs ab electione renuntiatus est publicorum Comitio-

rum Assessor, diem vidit ultimum anno 1712.

III.

HONORATUS *KEMER*, 2. Julii electus, fato fungitur 1714.

IV.

LUDOVICUS DE *QUAST* 17. Maii electus, vivendi fecit finem anno 1725.

V.

EUSTACHIUS *FRITSCH*, S. T. D. 13. Junii concorditer electus, vir singulari scientiâ & rerum gerendarum peritiâ decoratus, Collegio viginti quinque Canonissarum modo & utiliter præest.

PAROCHIÆ.

Czarnovans, data à Duce Casimiro, ab anno 1228. in commutationem *Rybnik*, sub patrocinio *Corporis Christi* consecrata.

Zelasna, ab eodem Principe donata, situm habens in sede Oppoliensi; habet filialem in *Nievodnik*.

In Villa-Lani, in sede Koslensi, ab eodem Principe concessa.

Wrobtin, in sede Glogoviensi, ab eodem Principe donata.

Fridersdorff, alias *Biedrzichovice*, cum filiali *Rotgendorff*, in sede Glogoviensi.

Broseoz, in sede Glogoviensi.

Valec, in sede Glogoviensi.

Roskoohow, in sede Glogoviensi.

Schurgast, in sede Oppoliensi, cum filialibus *Arnsdorff*, & *Karbisedoff*.

Magno-Dobrzen, ex donatione Principis, Boleslai, Ducis Oppoliensis, anno 1325.

Brinitz, in sede Oppoliensi.

Chroscina, cum filiali *Camprachtitz*, ex largitione Rudolphi Imperatoris. Vide Prob. à col. ccccLxxix. ad col.

C Z O R N A.

Czorna. Fil. Gradicii. Diœcesis Jaurinensis. Circaria, Hungaria.

AD lacum Neufeldensem, in Comitatu Sopronensi, vulgò *Edenbourg*, non procul à civitate Jaurinensi, & in oppido Czorna, Præposituram Ordinis Præmonstratensis, S. Michaëli nuncupatam fundaverunt, anno circiter 1180. Stephanus & Laurentius, fratres germani, Comites ab *Oschl*, filii Comitis de Czorna Laurentii. Dotem auxit munificus benefactor, ex eadem stirpe satus, Comes Michaël ab *Oschl*, anno 1230. Hunc æmulati Joannes de Kanisa, archiepiscopus Strigoniensis, Nicolaüs de Kanisa, Thavernicorum regalium Magister, (*a*) Stephanus de Kanisa, Janitorum regalium Præfectus, anno 1399. variis fundis dotavere Præposituram. Privilegiis eam certatim decorarunt Reges, & regii sigilli custodiam, ad acta publica, commisit Præpositis Rex Sigismundus, anno 1393. Id juris antiqui Diætales Hungariæ congressus nuperis confirmarunt articulis.

Jus vitæ, & necis exercent quoque Præpositi in omnes facinorosos, qui intra prædiorum cœnobii fines delinquunt; & hanc jurisdictionem, ex concessione Regum derivatam, firmavit suo Diplomate Ludovicus II. anno 1520. Ad monasterium *Groteshay* Czornam filiali dependentiâ respexisse scribit in sua Optica Layruelius. Nisi ad primævam subjectionem attendat, falsum dixisse colligimus ex decreto Capituli generalis, anni 1294. per quod Paternitas Czornæ, quam *Zornam* appellat, Abbati Zabrdovicensi fuit adjudicata. Excidit ab ea, anno 1570. dum junctis viribus hæresis Lutherana, & Calviniana in Regno Hungariæ tumultuans, Religioni simul & Regi fatale indixit bellum, sacra omnia diripuit, invasit Præposituram, ejecit Canonicos, & bona illius fecit juris sui, sine jure.

Pacatis, sub annum 1574. turbidis Hungariæ rebus, Præpositura fuit à Rege collata Matthæo de *Galambok*, Canonico Strigoniensi, de gente Petrina, à quo ad seros generis Petrini nepotes successivâ traditione migravit, donec anno 1694. accedente gratioso Leopoldi I. Imperatoris assensu, serenissimus sacri Romani Imperii Princeps Paulus *Esterhazy* de *Galantha*, perpetuus Comes de *Trakno*, Regni Hungariæ Palatinus, Comitum de *Kanisa*, & *Oschl* illustris surculus, illam jure postliminii restituit Ordini, & in manibus Patris Francisci à *Schollingen*, Abbatis Pernecensis, Cæsareæ Majestatis, & Statuum Austriæ Consiliarii, viri de Republica, de Principe, de Ordine benè meriti, consignavit solemnibus tabulis, die 29. Martii 1694. cum possessionibus ad Præposituram pertinentibus.

Pernecense monasterium, in angustiis & egestate positum, hanc Præposituram Abbatiæ Gradicensi, cum suis juribus paternis resignavit, mediante summâ quinquaginta novem millium florenorum, sub beneplacito Capituli Provincialis, sedentis Gradicii, anno 1710. venditionem approbante Cæsare.

I.

Præpositurae gubernaculis illicò admotus est Pater ROBERTUS SANCIUS, antea Gradicensis Prior: quo ad Abbatiam Gradicensem assump-

(*a*) Officium est in aula Hungarica, cujus Ludovicus I. in Decretis anni 1351, & Sigismundus, an. 1435 meminere. Illorum Magistrorum est, motas de civitatibus liberis dirimere lites. Tavernicum Præfectum appellat & *Camerarium* Rogerius, de *destructione Hungariæ per Tartaros*, cap. 10. & potentissimis Regni proceribus illum accenset.

to,

to, suffectus est ei, anno 1722.

II.

P. RICHARDUS *WRATZLAWSKY*, Canonicus Gradicensis. Vide Prob. à col. ccccxcix. ad col. cccccij.

DEI-LOCUS.

Dei Locus Fil. Vallis secretæ. Diœcesis Senonensis. Circaria Franciæ.

ANNO MCXXXII. Ludovicus cognomento Crassus, Francorum Rex, pietatis instinctu, *Dei-locum*, vernaculè *Dilot*, ad constructionem monasterii tradidit Canonicis ibidem *religiosè viventibus*, è Valle-secreta deductis, qui ad Regis votum angustas nemoris fauces, veteri Castro adjacentes *Arx* dicto, intra Diœceseos Senonensis districtum, quinque à Senonibus, binis à Brienone horis dissiti, incoluerunt. Magno Principe, minor liberalitas, non tulit ab origine, numerosam illic Fratrum evocari turbam, sed pauci sub Prioris Josberti regimine acciti sunt ex Valle-secreta, quos Henricus Senonensis archiepiscopus paterno suscipiens affectu, canonicè investivit, & addititiis auxit concessionibus. At quoniam nec pluribus sustentandis Canonicis, nec Abbatis supportando honori, pares adhuc erant, intra Prioratûs arctam denominationem, jussit illos contineri usque dum volente Deo, possessionibus & numero Fratrum, domus excrevisset.

Quo potissimum anno tenuis domuncula, in Abbatiam adoleverit, incertum est, certum nihilominùs, ab anno 1147. præfuisse Dei-loco Garnerium Abbatis insignitum titulo & nomine, cui Eugenius III. Bullam inscripsit confirmatricem bonorum & statûs Abbatiæ. Eodem vocabulo compellavit Estaldum, Anastasius IV. in suo Diplomate anni 1154. & ab his ad posteros indesinente traditione, mansit acquisita dignitas, quam ne adventitia Commendatariorum propago extinxit, quamvis ad mediocritatem pristinæ reduxerit conditionis.

Claruisse ab exordio virtutibus, doctrinâ claruisse primos Dei-loci incolas testatur Guidonis Senonensis archiepiscopi Charta, qua Ecclesiam S. Pauli in Senonensi suburbio constitutam, transcribit Dei-locensibus ex *consideratione Religionis & honestatis* quibus fulgebant. Testatur etiam porrecta ad exteros suæ Religionis celebritas, & insertus suæ fœcunditatis surculus in Abbatia Novem-fontium, quæ sub S. Gilberti nomine passim audit. Sed hoc maximè argumento commendanda venit Dei-loci Religio, & primorum habitatorum conversatio sancta, quod S. Thomas Cantuariensis archiepiscopus, sede suâ pulsus & regno, contubernio delectaretur Dei-locensium, ad quos frequens divertebat, ut sacri convictûs dulcedine amaritudinem temperaret exilii. Dum hospes apud eos moraretur beatus Archipræsul, fabricam Ecclesiæ ad fastigium adductam, solemni inauguratione consecravit anno 1168. die 10. Maii. Abbatum elenchum magnâ sui parte truncatum exhibent Dei-locenses Canonici, vel propriâ, vel prædecessorum oscitantiâ, necdum restitutum. P. Mauritius *du Pré* scriniorum Ordinis accuratus, quantum ætas illa ferebat, explorator, fusiorem contexuit, sed chronologiæ notis, & gestis Prælatorum penitùs inanem, emendatum utcunque ex alienis cartophylaciis, tibi subjicio lector.

I.

ORNULFUS, cujus mortem Necrologia consignant ad diem primum Aprilis, & primum Dei-loci Abbatem nuncupant. De illo in Vita S. Gilberti Abbatis Novem-fontium in Alvernia, plura leges.

II.

GARNERIUS ad quem Eugenius III. anno 1147. confirmationem proventuum & protectionis Apostolicæ benevolum Diploma transmisit.

III.

ASTALDUS ab Anastasio Papa IV. pari privilegio donatus est anno 1154.

IV.

BALDUINUS ab Alexandro III. Bullam impetravit anno 1163. innovantem prædecessorum suorum privilegia.

V.

HUGO Canonicus Corneoli, postulatus est ad Dei-locensem Abbatiam, ante annum 1184. & anno 1189. ad Cuissiacensem translatus est.

VI.

LEODEGARIUS anno 1195. agebat in vivis.

VII.

PETRUS, anno 1215.

VIII.

ROBERTUS, anno 1219.

IX.

HUGO II. quem San-Martinensis Abbatum elenchus Abbati Galtero de Regia-valle, suffectum refert anno 1228.

X.

ARNOLDUS anno 1234.

XI.

PETRUS juramentum suum præstitit Gualtero Senonensi archiepiscopo anno 1244.

XII.

WILLELMUS & sequentes quatuor idem sacramentum in die, sed non notato, suæ inaugurationis præstiterunt.

XIII.

PETRUS II.

XIV.

NICOLAUS.

XV.

NICOLAUS *MARANDEUR* Canonicus Præmonstrati.

XVI.

ISAMBARDUS.

XVII.

MILO.

XVIII.

JOANNES *ADENET* vivebat anno 1463.

XIX.

THOMAS *TUTAU* regebat anno 1483.

XX.

JOANNES *BOTEAU* anno 1509.

XXI.

STEPHANUS *PARIGOT* anno 1529.

XXII.

JOANNES *MESMIN DE SEGAULT* Commendatariorum primus anno 1541.

XXIII.

ROBERTUS *PELVE'* episcopus Palmacensis anno 1572.

XXIV.

LUDOVICUS *PRIEUR* anno 1593.

XXV.

CONRADUS *GAUDRY*, anno 1602.

XXVI.

STEPHANUS *COYNARD* anno 1607.

XXVII.

JOANNES *GOUSSEVILLE* anno 1615.

XXVIII.

HENRICUS *DE VIGNOLLES* anno 1636.

XXIX.

LUDOVICUS *DURAND DE THURY* anno 1666.

XXX.

LUDOVICUS *JACHIET* anno 1699.

XXXI.

LUDOVICUS ANTONIUS *DE VILLEFORT* à Rege nominatus anno 1700.

PASTORATUS.

Binos habet & utrosque in Diœcesi Senonensi, alter *Bussy*, *Paroy* alter dicitur. Donationem gemini hujus beneficii confirmavit Guillelmus archiepiscopus Senonensis.

Vide Probat. à col. ccccij. ad col. ccccív.

DEI-VILLA.

Dei-villa. Fel. Casa Dei. Diœcesis Aquensis. Cur aria Vasconia.

* Stephanam Bigorrensem Comitissam appellat Pratanus.

IN Diœcesi Aquensi, seculo XIII. auspicante, Abbatiam Dei-Villæ vulgò *Duvielle*, in Novempopulania erexit, dotavitque Navarrus, Raymundi Arnaldi Vice-comitis Aquensis, & Matellæ * filius. Hic à pueritiâ in Combælongæ monasterio educatus, ibidem habitum Præmonstratensem induit, & vota nuncupavit Deo. Natalium splendorem virtutibus transcendens, Abbas Combæ-longæ renuntiatus est, & suam dignitatem sic moribus & doctrinâ decoravit, ut suis norma vitæ foret, & Albigentibus hæreticis in conflictu terror.

Post obitum Laurentii episcopi Conseranensis, ad populi & Cleri votum Cathedræ episcopali imponitur Navarrus. Pro sua in Ordinem & Ecclesiam beneficentia, Præsul inauguratus, Abbatiam Ordinis nostri anno 1209. in suâ Diœcesi instituendam curavit, ut sui zeli coadjutores, & in tribulationibus consolatores haberet. Furebat adhuc Albigentium per Vasconiam hæresis, in Narbonnensi, Bituricensi, & Burdegalensi provinciis insolentiùs; quam ne armis tantùm domaret Comes Montfortius, ad spiritualis pugnæ congressum patronos erroris invitavit, quibus opposuit antagonistas Fulconem Tolosæ, & Navarrum Conserani episcopos. Quo successu spurcitias Albigensium detersit Tolosæ, haud dispari apud Apamias Valdensium deliramenta confutavit Navarrus. Romam exorandi auxilii causâ deputatus, Innocentium III. ad fidei deffensionem succendit, & Legati Apostolici charactere insignitus, rediit ad suos, & ad suæ patriæ fulcimentum religionis acrior vindex rediit.

Eo fundatore gloriatur Dei-villa florentissimum olim cœnobium, quod anno 1571. ab Hugonotorum debacchantibus per Novempopulaniam turmis, funditùs dirutum jacuit. Prostratam Ecclesiam in antiquis fundamentis superstitibus ex ruina, imposuerunt novam

non ita pridem, ædes quoque Conventuales restauraverunt ex parte pervigiles Canonici. Seriem Abbatum interturbato ordine, qualem incerta, & chronologicis caracteribus destituta monumenta præstare poterant, subjicimus.

I.

FORTUNATUS.

II.

JOANNES.

III.

FORTANERIUS.

IV.

BERNARDUS VIGNERII ex Casa-Dei assumptus.

V.

BERTRANDUS.

VI.

BERTHONIUS.

VII.

NICOLAUS DE *LABATUT*, anno 1230. floruisse dicitur, & ex hac epocha, erroris & multiplicationis superfluæ evincitur præcedentium numerus: vix enim credas ab anno 1209. ad 1230. sex decurrisse tam brevi spatio Abbates.

VIII.

ARNALDUS RAYMUNDUS de stirpe Vice-comitum de *Tartas*, Nicolao suffectus, ad Aquensem episcopatum sublevatur anno 1234. Illi subrogatur

IX.

BERNARDUS, qui in vivis agebat an. 1269. hunc excepit ordine forsan non immediato

X.

ABRAHAM *VIGNOLES*.

XI.

ARNALDUS anno 1439. regebat.

XII.

STEPHANUS DE *GEST* anno 1446.

XIII.

LUDOVICUS D'*ALBRET* anno 1451.

XIV.

PETRUS DE *FOIX* anno 1493.

XV.

BARTHOLOMÆUS DE *PEYRAIN* anno 1521.

XVI.

LUDOVIDUS DE *CASTELLNAU*, ad Tarbensem episcopatum evectus anno 1538. denatus anno 1554.

XVII.

BERTRANDUS DE *PARDAILLAN* ab anno 1542. Abbas.

XVIII.

FRANCISCUS DE *PARDAILLAN* anno 1551.

XIX.

JACOBUS DE *SOMBRUN* anno 1607.

XX.

BERTRANDUS DE *BAILLEUX* obiit anno 1635.

XXI.

BERTRANDUS DE *POTANNE* obiit anno 1651.

XXII.

JACOBUS D'*AspREMONT* anno 1662.

PASTORATUS.

Duos habet regulares; horum alter de *Gos*, alter de *Précheagen* dictus.

DERHAM.

Derham. Fil. Welbec. Diœcesis Norvicens. Circaria Angliæ Australis.

HUbertus Walteri Eboracensis Ecclesiæ Decanus, quem Henricus II. Anglorum Rex ad Sarisburiensem episcopatum provexit anno 1188. & Richardus I. anno 1194. ad archiepiscopatum postulavit Cantuariensem, Ecclesiam sub patrocinio B. Mariæ Virginis, Derhamii Norfolciensis pagi villæ, ædificavit, dum adhuc Decanatu Eboracensi potiretur, subindeque ante annum 1188. Henrico II. regnante, Welbeci Canonicos sub Abbatis regimine illic imposuit, qui pro salute animæ patris & matris ejus, necnon pro animabus Ranulphi de *Glanvilla* & uxoris ejus Bertæ, qui ipsum à pueris nutrierant, sacris operarentur. Derhamensem villam quam à Gaufrido comparat, ad dotem consignavit sub approbatione & testimonio Joannis Norvicensis episcopi. Cùm verò ad Cantuariensem infulam sublevatus est, pro ea qua pollebat apud Joannem Regem autoritate, donationes suas, Regio fecit munimine confirmari, quas priùs Henrici II. curaverat roborari Diplomate. Locupletem à limine fundationis Abbatiam multimodis benefactorum largitatibus auctam, sua vidit ætate Fundator, sed maximè Joannis Regis immunitatibus insignitam & privilegiis,

Inter cætera id singulare fuit ut omnes monasterii causæ & lites ad solius Regis placitum seu Tribunal dirimerentur, & bona hominum, seu Vassallorum Abbatiæ, ob crimen addiscenda fisco, integra cederent Canonicis. Vide Prob. à col. cccciv. ad col ccccvij.

DILIGEMIUM *sive* JETTA.

Diligem sive Jetta, Fil Trunciniens. Diœcesis. Mechliniensis. Circaria. Brabantia. * Diligem.

ANtiquum, & Bruxellis semi-horâ distans in situ peramœno, & aëre salubri positum, medias inter ruris delitias, monticulis ac vallibus, agris & nemoribus, fontibus & stagnis lepidè à natura cinctum, visitur Diligemense * cœnobium; quod & Jettense primitùs, à pago cognomine *Jetta*, & natali suo solo vocitabatur. Attamen usu sic imperante, communiùs post hæc, ex acquisito per Eggericum Abbatem octavum in *Didlegem* dominio, Jettensis Ecclesia, Diligemensis nomen sortita est: cui alludens Stemmatographia, Pellicanum cruore proprio pullos pascentem, pro insigniis appinxit Abbatiæ, cum hac epigraphe subtus inscripta. *Diligam te Domine.* Illius loci salubritate delectabatur S. R. E. Cardinalis Polus ad Carolum V. Cæsarem & Henricum II. Regem Gallorum, pro resarcienda pace, ab Apostolica sede delegatus. Jettensem Ecclesiam Brabantiæ Duces & frequenter invisere, & augere beneficus assolebant, dum primariam Belgii urbem Bruxellam inhabitarunt. Variam martis fortunam subiit Diligemium, vastatione, incendio per Flandros, bellum Brabantinis inferentes, non semel æquatum solo, iteratâ licet clade, & in dies magis sæviente bellonâ resurrexit nihilominùs è cinere, & floret post fata superstes. Consecrationis primitivæ Galtherum Cameracensem episcopum, hæc Ecclesia laudat authorem. Is quippe anno Domini 1095. (eo ipso, quo depositus est à Præsulibus Claromonti in Concilium congregatis) Cellam quam nobilis vir Onulphus, Miles de *Wolverthem*, ex illustri Ducum Brabantinorum oriundus stemmate, sumptibus suis extruxerat, & pluribus ditarat censibus ad usus Fratrum Deo sub regula S. Augustini famulantium, consecravit in honorem beatissimæ Virginis, & D. Joannis Evangelistæ, ut videre est in Diplomate quod anno supradicto, indict. 3ª. Pontificatûs sui I. ea de re curavit exarari, in quo etiam confirmat plurium bonorum à prædicto Onulpho factam Diligemensi Ecclesiæ donationem.

Verùm vel jam auctâ ædificiis Diligemensi cellâ, vel Galteri ab episcopatu dejecti actis rescissis, B. Odo ejus in Cameracensi sede successor Jettensem Basilicam denuò consecravit, atque privilegia ab antecessore concessa confirmavit & auxit; Onulphi Fundatoris posteris Nobilibus Waltero filio, & Oliverio ex filia nepote, interim eandem Ecclesiam quasi hæreditariâ liberalitate, largis eleëmosynis locupletantibus.

Clerici Regulares S. Augustini primitùs Jettensem incoluere domum; hoc evincitur ex Chartis jam supra laudatis, quas infra pro more ex integro describemus. Hinc erroris arguitur Miræus qui in Chron. Præmonstratensi, ex monumentis Affligemensis cœnobii à se perlustratis, asserit inibi primum resedisse monachos Benedictinos. Hæc jure nobis suspecta videntur Affligemii monumenta, (si sint) quæ præcoci epocha Benedictinos nondum extructæ domûs testantur incolas. Etenim Chartæ certiores in quibus errorem suspicari nefas, Jettensis cœnobii Fundatorem Onulphum concinnunt. » Ad usus autem Fratrum, inquit Camerac. » episc. Odo in Diplomate an. 1112. in hoc » loco Deo famulantium beatique Augustini » regulam observantium, Onulphus de *Wolverthem* ..... Fundator Ecclesiæ &c. En tibi fundationis Jettæ tessera, & ab initio eo loci collocatorum Canonicorum S. Augustini, coævi scriptoris attestatio. Quod si authenticis probetur instrumentis, Benedictinorum in Jetta ante Augustinianos clericos, commoratio, inde loci veneranda magis antiquitas relucebit.

I.

Diligemensium Præsulum sedit primus WALTELMUS Abbas inauguratus ab Odone Cameracensi episcopo circa annum 1106. Vigente postmodùm & latiùs per Flandriam pervagante Norbertini instituti famâ piè excitatus Abbas Waltelmus, candidæ militiæ nomen dare statuit, accitisque è Truncinio quatuor Canonicis, à quibus Præmonstratensis disciplinæ ritus & regulas pleniùs edisceret, se, suumque monasterium & alumnos devovit Ordini, anno 1140. hincque fluxit ad Truncinenses jus Paternitatis in Jettensem Ecclesiam, quod nullo jure ad Præmonstratensem Archimandriam transtulit Servatius de *Layruelz*. Uno vel altero ab immutatione statûs vel habitûs anno, venerabilis Waltelmus quadragesimum sextum præfecturæ annum agens, cursum consummavit 1141. 6. Kal. Junii, ex mss. catalogo.

II.

THEODORICUS per annos tres & auspicatum mensem Diligemensibus Canonicis sanctè præfuit. Angustum, quod ad an. 1142. frequentatum fuerat, Oratorium, in splendentem, pro tempore, erexit Basilicam ad an. 1144. Perductâ ætate 15ª. Idus Julii Prælationis onus decessu suo reliquit

III.

WALTERO Jettensis Ecclesiæ Canonico pro-

fesso, qui Nicolaum cognomine *Claret*, ex illustri familia *de Chievres*, tunc Cameraci episcopum, beneficum nactus, omnes suæ Abbatiæ possessiones episcopali fecit tutelâ muniri. Primigeniam Onulphi Fundatoris dotem approbavit Episcopus, & in dotis augmentum contulit Waltero parochiales Ecclesias de *Jetta* cum appenditio de *Granshorn*, Heimbecanam superiorem, Indensem, & Montregemensem, quas libertate donavit. Quin & chrisma & oleum infirmorum ad usus Fratrum, cæterorumque fidelium, qui ad eos confugerint, inungendorum, gratuito concessurum spopondit, tam suo quàm successorum nomine. Quas immunitates & dona Eugenius III. Catalauni existens anno 1147. Apostolicâ stabilivit authoritate. Commemorat autem Pontifex in suo Diplomate specialiter *Alnetum*, quod est juxta Ecclesiam, ex dono Euvani, seu Ivani, & sororis ejus Clarissiæ. Fuit Ivanus ille nobilis Miles de *Jetta*, Fundatoris Onulphi nepos, sub Walteri regimine factus est humilis Diligemii Conversus, post hæc obiit Walterus, ultimâ Decembris 1150.

IV.

Henricus unus è quatuor Trunchinio submissis, Waltero suffectus est. Historiam sui Ordinis & monasterii, injuriâ temporum nobis ereptam, scripsisse traditur, obtinuit ab episcopo Camerac. Ecclesias parochiales Leeuwensem super Teneram, Volverthemensem, & minoris Heimbecæ pleno possessionis & collationis jure detinendas, ratasque Adriani IV. Diplomate esse impetravit. E vivis excessit Henricus an. 1162. xvi. Kal. Junii. Successit

V.

Hildebrandus qui à Jona quodam interpellatus ad Consistorium episcopale Camerac. super possessione Ecclesiæ parochialis Heimbecæ minoris, definitivam obtinuit sententiam inhibentem ne quis in posterum dictum Abbatem ausu temerario ex hac Ecclesia deturbare præsumeret, tandem senio confectus Abbas moritur an. 1200. ix. Kal. Junii.

VI.

Henricus nomine II. ex Canonico Sancti Martini Laudunensis, in Jettensem Prælatum assumptus, triennio munus gessit Abbatiale, privatam seligens exinde quietem, Prælaturam resignavit

VII.

Sigerio, aliàs Sigero, hujus Ecclesiæ Canonico & Priori. Bona ab Oliverio Domino de *Sottengien* Jettensibus legata, & universas quas acquisiverant possessiones, ab Henrico I. Duce Lotharingiæ inferioris, postulavit assecurari, annuit regiâ munificentiâ Princeps Serenissimus, atque Diplomate suo anni 1117. petitioni Præsulis fecit satis. Sub tanti Principis patrocinio bona Jettensium secura fidens Sigerus, universæ carnis ingressus est semitam 19. Julii anno 1217.

VIII.

Eggericus, sive Egricus, Sigerium proximè excepit. Exigui quidem temporis, sed magni vir nominis. Comparavit ab Henrico Oliverii filio Domistadia & terras sitas in agro de *Didlegem*; & hinc origo nominis *Diligem*, ut ante notavimus. Eggericus plenus bonorum operum, præmatura morte surripitur anno 1219. 3. Kal. Februarii, ex mss. catalogo & Necrolog. Grimbergensi.

IX.

Paucis admodùm mensibus præfuit Wenemarus, ex Canonico S. Martini Laudunensis, Diligemensis Abbas. At licet exiguum fuerit regiminis spatium, liberali tamen Oliverii de *Sottengien* familiæ amplum satis visum est, quo novis, & in dies majoribus eleëmosynis cumularent Jettenses. Obiit Wenemarus anno 1219. 12. Kal. Aprilis.

X.

Amelius (in mss. Æmilius) Canonicus Averbodiensis, uno vix anno Prælaturam gessit; ei sublato pridie Kal. Aprilis an. 1220. subrogatur, ad Prælationis officium denuò coactus, Henricus ille sextus in ordine Abbas, ad 19. Kal. Septembris 1226. perseverans.

XI.

Henricus de quo numero præcedenti, undecimi Præsulis complet ordinem.

XII.

Gerinus, potiùs Gerardus, ex Priore Diligemensi creatus Abbas, strenuè, inquiunt fasti, rexit Ecclesiam: dormitorium amplum secto struxit lapide, v. Kal. Aprilis 1230. esse desiit.

XIII

Daniel Ninivensis Canonicus, Diligemio per duodecim annos summa cum dexteritate præfuit: quo expleto regiminis tempore, mæstos cogitur deserere Jettenses, à suis antehac Concanonicis ad Ninivenses vocatus infulas.

XIV.

Walterus II. Cognomento *Gaelman* Grimbergensis Canonicus, splendenti famâ, eruditione majori conspicuus Abbas, præcipuarum controversiarum arbiter & judex delectus est, etiam à Godefrido Lovanii Duce. Grimbergâ invidens Diligemio commodatum veluti virum, postulatione recuperavit.

XV.

GODESCALCUS, Monasterium dominiis notabilibus auctum in temporali, auxit & in spiritualibus per confœderationem pietatis cum Grimbergensi cœnobio anno 1273. sequenti autem 7. Kal. Maii mortem oppetiit, & in arca capitulari sepelitur.

XVI.

ONULPHUS emensis mensibus quindecim finem vitæ fecit anno 1275. 13. Kal. Novembris.

XVII.

ÆGIDIUS è Truncinio accitus, de solo nomine & regiminis tempore notus, fata subiit. 24. Jun. 1284.

XVIII.

HENRICUS III. Piissimos Principes Joannem I. & II. Lotharingiæ, Brabantiæ, & Limburgi Duces, ad deffensionem, sive advocatiam Diligemii in se suscipiendam, induxit, hancque solemni sacramento spoponderunt annis 1292. & 1297. tutum insuper refugium intra septem civitates ditionis suæ, arcibus munitissimis, parare sibi, ultrò concesserunt. Henricus insuper eximiis S. Martyris Blasii reliquiis, ambobus scilicet brachii majoribus ossibus à Margaretâ Anglorum Regis filia & Joannis II. religiosa conjuge collatis, Ecclesiam suam ditavit, ut constat ex M^s. Diligemensi. Erravit ergo Sanderus, male informatus, sub Gerardo Henrici successore, hæc eventa reponens. Tandem, quam multis Abbas decorarat virtutibus, dignitatem in pace moriens dimisit Nonis Maii. 1300.

XIX.

GERARDUS, ex Parcensi juxtà Lovanium Canonico, Præpositus Insulæ Ducis; propè *Gem*, & ex illa Præpositura assumptus ad Jettensem Prælaturam, præbendam in parochiali Ecclesia Lewensi, à Razone de *Gaverâ* dono datam, accepit, Guidone Cameraci episcopo approbante, resignavit Abbatiam an. 1308. obiitque 7. Idus Martii an. 1323. post resignationem quindecim annis tranquillè superstes.

XX.

PETRUS Diligemii Canonicus, Gerardi resignatarius, Abbatiam & ipse anno eodem 1308. in manus Dei resignans, fato functus est 16. Kal. Martii.

XXI.

EUSTACHIUS longiore vitâ dignissimus, litem intentantibus Palatinis, super dominio Diligemii in Heymbecam, facundiâ summâ & egregio mentis robore causam tutatus suam, sententiâ judicum evasit superior. Obiit 4. Decemb. 1310.

XXII.

JOANNES DE *CRAENE* à Joanne III. Brabantiæ Duce favoribus & privilegiis insignitus, moriens anno 1330. agnomini suo Præfecturam transmisit.

XXIII.

JOANNES II. dictus DE *CRUPELANT*, refugium Bruxellense, angustum antehac, fundorum & ædificiorum ampliavit accessu. An. 1338. refugium exile inter mortuos sortitus est 14. Kal. Septemb.

XXIV.

THEODORICUS, regularis disciplinæ vindex, pacis & concordiæ fraternæ fautor, anno 1345. die 8. Junii diem clausit extremum.

XXV.

JOANNES *AB ASCA*, in utroque regimine providus, duplicatam de tal[illegible]nto gemino reportavit mercedem 9. Augusti 1377.

XXVI.

NICOLAUS DE *LEERNO* ex *Herent* oriundus, Provisorem & Priorem postea gerens, Marthæ & Mariæ probatus erat officio, cum his veluti gradibus ad infulas ascendere jussus est. Factus Abbas utrumque laudabiliter junxit & explevit ad annum 1384. 5. Kal Septembris.

XXVII.

JOANNES DE *MIDDELBORCK*, sacrorum codicum peritissimus scriptor, membranarumque delineator egregius, pii otii partem nunc legendo nunc pingendo impendens, fato cessit 17. Kal. Septembris, & sculptum lapidi sepulchrali testatur elogium.

Hic jacet D. Joannes Abbas hujus Ecclesiæ cognomine *MIDDELBORCK*, qui eandem Ecclesiam honestè rexit sexdecim annis, obiitque anno 1411. 17. Kal. Octobris.

Error est Chronologicus in hac superscriptione, vel in epochâ mortis Nicolai decessoris, anno etenim 1384. quo mortuus est Nicolaus, regiminis Joannis si addas sexdecim annos, conflabitur numerus 1400. nisi dicantur Jettenses per 11. annos caruisse Prælato, illudque evenisse interregnum à Nicolao ad Joannem. Nam certum est, immediatè Joanni suffectum statim fuisse Giselbertum, ex Diplomate Joannæ Ducissæ, anni 1401. Melius & saniùs putaverim à Joanne resignatam Abbatiam an. 1400. uti in transmissis ad me monumentis Jettensibus legitur.

XXVIII.

GILBERTUS DE *WOLFF* parcus sibi, in Fra-

tres munificus, Principum emeruit tam ex pietate, quam ex œconomiâ benevolentiam. Joannæ I. Ducis Wenceslai viduæ & Antonii Lotharingiæ & Brabantiæ Ducis, specialem custodiam suo procuravit cœnobio. Obiit an. 1424.

XXIX.

JOANNES *JACOBI*, primitùs Viridis-vallis Canonicus regularis, ad Diligemense monasterium Ordinemque translatus, Prioris ibidem, dein Abbatis munus obtinuit, illoque per sexdecim annos laudabiliter perfunctus moritur 4. Idus sextiles an. 1440.

XXX.

WILLELMUS *CROES*, argenteam suppellectilem sacræ & communis mensæ usibus confecisse, & x. Mai. 1457. obiisse scribitur.

XXXI.

JOANNES *DE QUERCU*, vir pacifici regiminis in pace quievit anno 1462.

XXXII.

JOANNES, *DE LINIACO* Tenermundæ nobili familiâ progenitus, septimo prælationis anno, quieturus ab onere cessit an. 1469. mortalitate exutus tantùm anno 1484.

XXXIII.

ROLANDUS *PIQUOT*, ex Juniorum pædagogio ab Abbatiale munus assumitur, vir omni scientiarum genere, Juris potissimum Canonici doctrinâ nobilitatus, & Lovaniensis Academiæ Magister, Diarium sui temporis conscripsit. Præfuit cum Abbatibus Floreffiensi & Parcensi, electioni Joannis *Robins* in Abbatem S. Michaelis Antuerpiæ, curante Duce Maximiliano, etsi Abbatia per mortem Andreæ Abbatis canonicè electi vacans, in commendam à Sixto IV. Lucæ episcopo Sebenicensi, in Belgio apostolico Nuntio, data fuisset. Temeratum Pontifex maximus opus suum ægrè videns, in osores Vaticani fulmina jaculatus est; sed illas Belgii cum Latii Romani Principe supremo altercationes expendere nostri non est instituti. Interim Rolandus gravitate morum, rerum agendarum peritiâ, comitate convictûs, suavitate sermonis, diuturnum temperavit regimen, multis alioqui divexatum calamitatibus, quas Maximiliani Ducis iniquior detentio invexit in Brabantiam. Diligemium vastante milite Rolandus suæ & suorum saluti consulens, exulare coactus est sesquiennio. Post sedatos motus ad sua redux, totum se restaurandis rebus impendit, fractus licet corpore. Amplioribus demùm restitutis ædificiis, sed infirmâ valetudine ingravescente in dies, Abbatiam sponte abdicavit, sibi vacaturus unicè anno 1501. sexto autem à cessione anno supremum concessit ad Judicem.

XXXIV.

ROLANDUS *SANDERS* Canonicus Trunchinii & Præpositus Sanctimonialium de *Lede* vulgò in *Tuschenbeke*, ex patricia & nobili Gandavorum stirpe satus, Abbatiam quinquennio prudenter administratam resignavit; exinde in pastoratu Hembekano moritur anno 1515.

XXXV.

PETRUS *VANDEN-ZYPE*, genere, tam in Ecclesia quàm in toga insigni clarissimus, Episcopatu & Magistratu viros insignes, in proavorum & consanguineorum serie numerans, illorum nepos haud degener, è Grimberga ad Diligemii raptus infulas, collapsa erexit, curavit infirma, & lugentis Ecclesiæ statum pristino restituit nitori. Anno 1512. migravit ad Dominum: hujus impositum est cineribus isthoc Epitaphium.

Funereæ casu prostratus, & ulcere mortis
 ZIPPIUS hic PETRUS conditus ecce jacet.
Conditus ecce jacet, qui petræ Religionis
 Schemate Canonicos consolidare tulit.
Ordinis albifici Grimbergis jura professus
 Wemmeliâ placidus Pastor in æde fuit
At fulgens meritis, doctrinæ nomine, vitâ
 Huc fuit Abbatis ductus adire jugum.
Claustralem hanc renovans devoto examine formam
 Disciplinatum fecit adire chorum.
Subjectos refovens, compescens atque molestos
 Perstitit officio, pervigil usque suo.
Sex tandem peragens Abbas feliciter annos
 Claustrali facie, sicuti vixit, obit.
Oremus Petro det cælica præmia Christus
 Quem commendavit Religionis honos.

XXXVI.

CORNELIUS *GOES*, perillustri Zelandorum stirpe genitus, Middelburgi professus Ordinem, sic meritis refulsit, ut ad vacantem Zypæi obitu dignitatem fuerit assumptus. Fuit unus inter Abbates illos qui Carolo Cæsari supplicarunt ne indulto Leonis X. abuteretur in fraudem electionis Canonicæ. Sic statutum est, & à Catholicis hodiedum servatur Regibus, ut ex tribus à Conventu præsentatis, unum in Abbatem efferat regia Majestas. A Clemente VII. jus mitræ & Pontificalium, nec non facultatem consecrandi altaria & calices, conferendi minores Ordines suis Canonicis, impetravit Cornelius an. 1532. tantis dignus prærogativis Abbas, quem reformationis & disciplinæ zelus incesserat, veræ pietatis exemplar. Quarto ab obtentu hujus privilegii anno, ad matricem Ecclesiam, postulatus Abbas, redire cogitur. *ex mss. catalogo.*

XXXVII.

JOANNES *DE TUEGELE*, ex nobilissima fa-

milia de *Merode*, juxta *mss.* præmaturâ morte correptus tollitur an. 1538.

XXXVIII.

JOANNES DE *PUTS*, 6. Kal. Maii 1540. incumbenti cessit fato.

XXXIX.

ARNOLDUS *MATHIEU* vir præstanti animâ sed in Aulam paulò propensior Mariæ Hungaricæ quondam Reginæ, Belgii tùm, nomine Cæsaris fratris sui, Præfectæ, major Capellanus extitit, eique fuit à confessionibus. Statuum Brabantiæ delegatus est ordinarius Assessor. Pluribus interfuit Provincialibus Synodis Cameraci sub illustrissimis Roberto de *Croy* & Maximiliano à *Berghis* Præsulibus. Anno 1574. ut constat ex annis regiminis 34. Nonis Januarii magno reipublicæ luctu interiit.

XL.

LIVINUS *VAN COUWENBERGHE* Bruxellæ Patricio sanguine oriundus, sextum ferè pacifici regiminis annum attigerat, cum attollentibus sese maleferiatorum hæreticorum in Belgio insolentiis, ipsâque Bruxellensi civitate sub annum 1578. à naturali Principe Philippo II. turpiter deficiente, Diligemium infestatione & incendio abrasum est, sublati codices, utensilia direpta, dirutaque ædificia: profugis interea & victum emendicantibus Canonicis; sub habitu seculari plerisque ob vitæ tutamen girovagis. Mirum sanè, quod à Deo sollicitè potuerit archivis provideri, ut etiamnum hodie instrumentorum ostendere liceat autographa. In hac autem Iconoclastarum furiosa depopulatione, uti relatum est ab Heckio mox subsecuturo Abbate, qui hæc videre potuit, omnia altaria subversa, & imagines in hoc monasterio destructæ, si exceperis S. Crucem, quæ nullis potuit dejici machinamentis, unde

» Sæpiùs hæretico Crux hæc illæsa furori.
» Restitit: insanos frustrans divinitùs ausus.
» VIDebUnt In qUeM transfIgere VoLUerInt.

In hac posteriori linea majusculæ litteræ denotant annum quo contigit vastitas. Est autem Crux adhuc superstes. Porrò seditiosos motus amarissimæ tribulationis composuit an. 1585. Farnesius Princeps, singulosque post domitam hydram, suo restituit solo, suos remisit ad penates. Redintegratus quoque in prostratum cœnobium Livinus qui ut ruinas excitaret è favillis, vendere & oppignorare multa debuit prædia, ingenti & nunquam reparabili damno. Resurgentem Sion, vix instauratori videre datum est morte substracto die 2. August. 1603. Ad ingressum chori tumulatus est cum hac inscriptione: » Hic jacet sepultus R. Dominus D. » Livinius *Van Caudenberghe*, quondam hujus » Ecclesiæ venerabilis Abbas qui obiit 2. Au» gusti an. 1603.

XLI.

MARTINUS *HECKIUS* caduci Abbatis sollicitus in temporalium administratione cooperator, è Pastoratu *de Coersel*, ab hæreticis pulsus fuit, ejusque postea delectus successor, domum alieno gravatam ære liberavit. Disciplinam injuriâ temporum resarcivit dilapsam, studia summoperè promovit, forma factus observantiæ & doctrinæ, in orationis exercitio corpore prostratus, sæpissimè pernoctans 6. Novemb. 1623. fato peremptus, ad tumulum quem paraverat sibi, & cui meditabundus incubabat frequenter, delatus est.

XLII.

JOANNES-BAPTISTA DE *HASELER*, Drusio Abbate Parcensi, & Vicario generali Præside electus 10. die Decembris à Jacobo *Boonen* Mechliniensi archiepiscopo inauguratur. A Brabantiæ Statibus renuntiatus Assessor, id muneris summâ ingenii stabilitate, prudentiâ summâ per annos undeviginti obiit, maximo afflictæ patriæ solamento. Piis jugiter operibus intentum quem ne Reipublicæ quidem negotia remittebant, præsulem tamen Canonicis suis exemplo & verbo spectabilem, resarciendis ædificiis, Bibliothecæ, & sacræ altarium supellectili restaurandæ deditum, catharrus in Bruxellensi suffocat refugio. Mortuo, viros ac mulieres, pauperes & orphanos, magnates cum plebeiis, ignobiles cum Regni proceribus illacrymasse ferunt, & lamentis ad locum sepulchri quod sibi effoderat, turba prosecuta est usque Diligemium die 22. Maii 1643. hoc Disticon Patri optimo adscripsere Jettenses.

» Bruxellis natus, sacra hic per vota renatus
» Viginti & binos præclarè præfuit annos.

XLIII.

MARTINUS HECKIUS, alterius Martini Heckii prædecessoris ex patre nepos, pridie Kal. Novemb. in Abbatem salutatus, & sequenti proximè festo S. Martini à Mechliniensi archiepiscopo Jacobo *Boonen* sacrâ benedictione adumbratus est. Elaborari jussit ex auro phrygionico pretiosissima quæ usque modo supersunt altaris & ministrantium ornamenta. Modernum auspicatus fuerat dormitorium, perficiendi spatium non reliquit superveniens funus an. 1662. die 17. Decembris.

XLIV.

CORNELIUS *LAMBERTI*, Diligemii Professus, studiis in Collegio Romano vacavit, inde patriæ redditus, parochiali Ecclesiæ de *Zellicke* præficitur, tandemque Diligemensi mitrâ redimitus, dormitorii consummavit ædificium; obiit 10. Julii 1679.

XLV.

XLV.

SIARDUS *HUENAERTS* ex pastore in *Wolverthem*, Diligemii benedicitur Abbas 9. Octobris, vir suis & magnatibus apprimè charus, & maximæ desuper expectationis, cujus uberes fructus colligendi spatium non fecit velox nimirum funerea messis, è vivis an. 1680. 25. Aprilis, resecatus est.

XLVI.

FRANCISCUS *KERREMANS* Siardo successerat in Pastoratu, successit & in Prælatura. Studium perenne sinceræ sociabat pietati, & ut subdiditi hoc idem facerent, modis omnibus allaborabat. Moritur anno 1689. 5. Junii.

XLVII.

HENRICUS *HUYS*, vir undequaque venerandus, 26. Junii ab Antuerpiensi episcopo in Basilica S. Michaëlis inauguratus. Fuerat Diligemii studiorum Professor & Magister, & postea Pastor in *Mueseghem*. Novam funditus extruxit Ecclesiam & ornavit, Bibliothecæ in omnibus providit, refectorio interim decorando incumbens, hortum fontibus & aureolarum variegatione effecit amœnum, cum annis 12. pro Brabantiæ Statibus ordinarium Deputatum egisset, & 31. præfuisset Jettensibus, mortalitatem subitaneo casu exuit an. 1720. 12. Sept.

XLVIII.

HENRICUS *CROKDERT*, exordiente anno 1721. ab eminentissimo Principe Cardinali de Alsatia de *Bossut*, archiepiscopo Mechiliensi, Diligemii inauguratus est, assistentibus Abbatibus Grimbergensi & Bernensi. S. Theologiam apud suos professus ad Pastoralem curam in Himbeca superiori & inferiori transmissus est. At dolentes Jettæ Canonici virum tantùm solis præesse & prodesse exteris, illum dato tempore ad regiminis clavum evocarunt: non temerè factam electionem comprobavit eventus, & supremo ratam consilio, sua in regendo dexteritate demonstrat in dies, excultus doctrinâ, suavitate morum, & pietate Abbas dudùm Brabantiæ Statuum Assessor & deputatus; in divinis ac politicis rebus administrandis perinde sagax.

PASTORATUS.

Jettensis Parochia cum succursali de *Gransforn*.
Hembeca superior.
Indensis.
Mousegemensis.
Hæ quatuor ex donatione Nicolai Cameracensis episcopi.
Wolverthemensis.
Leeuwensis ab Alosto distans uno milliari.
Hembeca inferior ad Aquæductum Bruxellensem.

SACRÆ RELIQUIÆ.

Ossa duo S. Blasii Episcopi & Martyris in pretiosa lipsanotheca anno 1390. Diligemio tradita per manus Margaretæ Anglorum Regis filiæ & Joannis II. Brabantiæ Ducis olim conjugis piissimæ. Tot à seculis istæ inclaruerunt portentis Reliquiæ, ut in tutelarem Patronum Diligemii, & in languentium solamen & medicum publico & domestico applausu fuerit adoptatus S. Blasius.

Particula ossium S. Cornelii Papæ & Martyris.

Pars digiti cum dente B. Mariæ Magdalenæ.

Os S. Quirini Martyris.

Cineres corporis SS. Augustini & Norberti.

Ossa Martyrum Gorcomiensium.

Epistola propriâ manu S. Caroli Borromæi conscripta.

Qui fusiorem sacri Thesauri indicem desiderabit adeat Sanderi Cœnobiographiam p. 5.

MONUMENTA SEPULCRALIA.

In dextera & superiori Navis parte visitur marmoreum sarcophagum, cum hac inscriptione:

D. O. M.

Hîc quiescunt & resurrectionem carnis expectant illustrissimi Domini D. FRANCISCUS, filius Francisci Brabantiæ Cancellarii, Ordinis Militaris S. Jacobi, Regi à Consilio Status, ac Statuum Brabantiæ Assessor, vitâ functus 4. Augusti 1700.

ET

D. Gerardus Franciscus Balthazar, Comites S. Petri de *Jette*, Barones de *Rivieren*, Toparchæ de *Kinschot*, *Ganshoren*, *Ham*, *Relegem*, *Bever*, *Clarcamp*, *&c.* qui obiit....,

R. I. P.

Vide Probat. à col. cccccviij, ad col, cccccxiij.

D I O N A.

Diona. Fil. S. Martini Laudunensis. Diœcesis Remensis. Circaria Franciæ.

IN pago Regitestensi, Diœcesis Remensis situm erat Dionæ Parthenium. Locus traditus fuit Galtero Abbati, anno 1130. ad construendum monasterium Religiosarum mulierum, sub obedientia Præmonstratensis regulæ, & Abbatis S. Martini, Deo famulantium. Hanc donationem confirmavit Rainaldus Archiepiscopus Remensis anno 1135. fundationem au-

xit Archiepiscopus Samson, concessione altaris de Arincurte, * ad opus ancillarum Christi de *Diona*, anno 1148.

* Arincourt.

Ab origine in hoc Virginum asceterio, Deo se dedicavit filia Radulphi Comitis de Roceïo. Priorissas ex Obituario sequentes collegi.

I.

GALLENDIS.

II.

SIBILLA.

III.

ELISABETH.

IV.

VIVA.

V.

BEATRIX.

Plures non reperi; ista paucitas brevem arguit Parthenonis diuturnitatem. Nihilominùs ad annum 1223. stetisse palam est, ex Charta Valteri S. Martini Abbatis, quâ, mense Maio hujus anni, recognoscit monasterium suum de *Dyona* debere pro prato, quod Vinarium dicitur, duodecim denarios Remenses censuales.

Vide Probat. à col. cccccxiij. ad col. cccccxiv.

D O A.

Doa. Fil. Præm. Diœcesis. Podiensis. Circaria Arverniæ.

ADeò luctuosa est hujus monasterii facies quamvis sub Abbate regulari, sic sunt per incuriam neglecta, aut dispersa fundationis documenta, ut nullum extet in Archivis. Scribit modernus Abbas omnia ab antecessoribus suis subministrata Causidico, ad tuitionem juris piscandi ex utraque parte Ligeris, in Senatu Tholosano ventilati, adversùs Vice-Comitem de Bouzolo actorem, antiquissima Doæ impetentem privilegia. Addit causâ cecidisse Vice-Comitem; sed usque modo refundendis ad patrocinium causæ expensis impar monasterium, suas quascumque Chartas dedisse obsides Tholosæ, ibidemque manere huc usque oppignoratas.

Quidquid ergo de suæ Abbatiæ veterrimo statu adstruit junior Abbas, & in historia * Aniciensis agri peregrinus satis, vix fidem meretur: narrat enim ab anno 1138. Doam accessisse Ordini, Authoribus & Fundatoribus Raymundo & Guillelmo *de S. Quentin*. Ex vulgi fama & traditione id asserit. Verùm nos aliter opinamur, innixi Epistolâ Stephani Tornacensis episcopi, tùm Abbatis S. Evurtii, vulgò *S. Enverte*, in civitate Aurelianensi, hæc scribentis. » Credo vos ab aliquo audisse, quod » Dominus episcopus, consensu quorumdam » Canonicorum nostrorum, Domum Doæ Ec» clesiæ nostræ concessit, ut in ea regularis Or» do, ad honorem Dei, & profectum loci, » ferventiùs observetur. Ita Stephanus Aniciensi Canonico; quibus verbis evidenter probatur, Præmonstratenses, cùm Stephanus illa scribebat, in possessionem Doæ nondum fuisse immissos. Quis enim suspicabitur eâ ætate Præmonstratensem Ordinem, primitivo Norberti spiritu ferventem, indiguisse Canonicorum laxiùs viventium ferulâ, ut ad exactos Canonum apices revocarentur?

* Du Puy.

Epist. 31.

Probabiliùs ergò statuas domum Doæ equidem S. Evurtii Collegio fuisse promissam; verùm agnitâ Præmonstratensium regulari disciplinâ, istis à Petro Aniciensi episcopo transcriptam anno 1162. hancque subrogationem ab Alexandro III. fuisse confirmatam, iv. Idus Januarii, Pontificatûs sui anno iv. id est, circa finem ejusdem anni 1162.

Suffragatur Præmonstratensis archi-cœnobii Necrologium, in quo sic legitur. *III. Non. Februarii Comm. Petri episcopi Aniciensis, qui Ecclesiam de* Doa *nostro Ordini contulit.*

Ut novorum Doæ incolarum sustentationi abundè Petrus, & Aniciensis Decanus cum suo Capitulo, providerent; aliqualem proventuum Ecclesiæ suæ partem cessit eis Antistes, & Canonici Dignitatum, Personatuum, ac Canonicatuum vacantium nonnullam quoque portionem liberaliter iis indulserunt. Anno 1590. direptam à Podiensibus Abbatiam narrat modernus Abbas Robertus *de Villers de la Berchere*, & ad annum 1640. vacuam permansisse, donec Pater Martinus *Barry* Abbas regularis, collapsas ædes excitasset, & occupata bona, vir frugi & œconomus redemisset à laïcorum manibus. Sopitas interea Abbatiæ præeminentias, quibus in Podiensi Cathedrali Ecclesia gaudebat ab antiquo, fecit reviviscere, collateralem sedenti episcopo locum, majoribus suis acquisitum, in choro, recuperavit. Conservatoris privilegiorum Cathedralis Ecclesiæ, & summi arbitri dissidiorum inter Episcopum & Canonicos exurgentium nomen & honores sibi restitui curavit. Syndicum & Universitatem S. Majoli adegit ad præstationem hominii decretorio Senatûs-consulto; & hæc omnia jura postliminio resarcita posteris consignasse gloriatur.

P. Dyonisius San-Marthanus, indagatore sagacissimo P. Jacobo Boyer adjutus, resarcivit ex parte, captivorum documentorum penuriam, & qualemcumque Abbatum seriem ex alienis exspiscatus scriniis, evulgavit, in cujus fidem jurantes, exhibemus emendicatam è San-Marthano.

I.

GAUFRIDUM in capite ponit, cui anno 1200. Toparcha de Castro-novo Ecclesiam S. Julia-

m d'*Anse*, Diœcesis Aniciensis, contulit.

II.

ARMANDUS, à San-Marthano baptizatus, initialem litteram A. interpretante, ab anno 1215. ad annum 1239. sedisse refert; & eo sedente Robertus de *Magduno* (*Mehum*) Aniciensis episcopus nobilis genere, sed moribus nobilior, in Ecclesia Doæ sepelitur anno 1219.

Chron. Autissiod.

III.

HYMBERTUS anno 1240. auspicatus regimen, anno 1245. à Laurentio pridem Canonico Aniciensi, postea episcopo Tricastinensi, multa prædia testamento legata accepit.

IV.

JARENTO 1246. Armandus de *Podemniaco* episcopus Aniciensis plura confert beneficia monasterio.

V.

GIRALDUS Abbas anno 1268.

VI.

GUILLELMUS DE *PLAUZACO* 1295.

VII.

PETRUS *PEITANIM* 1307.

VIII.

PETRUS DE *GARDA* 1312. 1318.

IX.

PETRUS *PERCAMNY* 1319.

X.

PETRUS *PICTAVINI DE GARDA* 1322.

XI.

STEPHANUS DE *BODASEL* 1332.

XII.

STEPHANUS DE *BENOIT* 1334.

XIII.

JOANNES DE *S. PAUL* 1340.

XIV.

PETRUS DE *LA ROCHE* 1351.

XV.

JOANNES DE *LOBEYRAC* 1351. transigit cum Decano Aniciensi 24. Novembris.

XVI.

JOANNES *FRANCON* 1363.

XVII.

JOANNES *PLANCHEMINE*, cujus tempore fundatur Capella B. Margaretæ in Doa à D. de *la Blanche*.

XVIII.

DALMATIUS *THOUZET* anno 1402. paciscitur cum Vice-Comite Podomniacensi. Anno 1420. recepit homagium Syndici & Universitatis S. Majoli.

XIX.

JOANNES *CHAMBON* anno 1423. die 24. Aprilis in vim obtentæ sententiæ, Syndici & Universitatis S. Majoli homagium excepit. Eidem Abbati hominium flexis genibus reddit D. de *Montanhac* anno 1436.

XX.

PETRUS *RODERII*, in Abbatem Præmonstrati electus anno 1443.

XXI.

ROBERTUS DE *MONTANHAC*, anno 1445. accipit hominium à Syndico Universitatis S. Majoli.

XXII.

MATTHÆUS DE *BURRIANA*, ab Hilario Cardinali Sanctæ Praxedis deputatur Commissarius pro unione novem Vicariatuum Capitulo S. Evodii Aniciensis anno 1458. & an. 1483. domum refugii in urbe Anicio comparat. Hoc ipso anno, senio gravis Abbatiam resignat nepoti

XXIII.

JOANNI DE *BURRIANA*, antehac Priori S. Germani Pragensis, qui more solito, & magnâ pompâ exceptus est in Ecclesia Cathedrali, 18. Novembris 1483. à toto Capitulo, cui per sacramentum fidem obstrinxit, deinde inductus in sedem Pontificali Cathedræ proximam.

XXIV.

THOMAS *DURON* apostolicè provisus instituitur anno 1488. anno sequenti 26. Augusti eodem ritu suscipitur à Capitulo Aniciensi, ac prædecessor. Rexit ad annum 1494.

XXV.

CLAUDIUS DE *BURIANE* prædecessorum jus sedendi post Dignitates Capituli Aniciensis, fecit renovari à Carolo VIII. Rege Galliæ existente Lugduni, 19. Aprilis 1497. Obiit anno 1539.

XXVI.

JOANNES DE *BURIANE* anno 1582. per amicabiles arbitros Antonium de *Senetere* episcopum Aniciensem & Baronem de S. *Vidal*, lites suas componit cùm D. de *Monthanac*.

XXVII.

CHRISTOPHORUS *ALLARD* ad annum 1596.

regebat Abbatiam, & eo regente Henricus Beraldus nepos Baronis de *S. Vidal* invadit illam.

XXVIII.

JOANNES *DULAC* transigit cum incolis S. Martini de *Fugeriis* pro decimis anno 1605.

XXIX.

MARTINUS *BARRY*, cum ab anno 1613. ad 1676. præfuisse colligit San-Marthanus ex actis nomen ejusdem Martini præferentibus. Sexaginta trium annorum administrationem in uno homine vix quisquam ausit credere.

XXX.

HENRICUS DE *SENETERE* Monachus & Abbas S. Theofredi, Doæ Abbatiam obtinuit; obiit anno 1677.

XXXI.

SILVESTER DE *MORGUES DE S. GERMAIN*, Abbas regularis, nominatus à Rege 20. Junii 1679. obiit Doæ 20. Augusti 1714.

XXXII.

ROBERTUS DE *VILLERS DE LA BERCHERE*, Canonicus Præmonstrati, hodie præest.

BENEFICIA.

S. Germanus Pratensis, vulgò *de la Prade*, Prioratus curatus.

S. Martinus de Fugeriis, Prioratus itidem curatus.

S. Maria Magdalena de *Pontempeyrat*, Prioratus simplex.

S. Maria de *Berna*.

S. Julianus de *Ansa*. Quinque isti Prioratus in Diœcesi Aniciensi.

S. Stephanus *de Crussor*, Prioratus curatus, in Valentinensi Diœcesi. Quibus sequentes addit modernus Abbas.

Crappone.

La Souheive.

Sambouschat.

Freisnet de la Chalin.

SEPULCHRALE MONUMENTUM.

Robertum de *Mehun*, quem velut Martyrem pro vindicandis Ecclesiæ juribus interemptum, commendat Albericus ad annum 1219. jam diximus in Ecclesia Doæ sepultum. Effossas ejus exuvias sarcophago impositas non procul ab ara principe ad latus Evangelii honorificè tumularunt Doënses Canonici, & ad perennandam illius præcipui Doæ benefactoris memoriam, sequens posuerunt Epitaphium.

D. O. M.

Et inclytæ memoriæ beati ROBERTI de Mehun Aniciensis episcopi, hic ab impiis interfecti & in isto loco sepulti

Aniciensis eras Præsul, Roberte paternis
Stemmatibus clarus, sed pietate magis,
Jura tuendo sacræ Cathedræ cadis ense cruento;
Te civem perhibent signa superna poli.
Obiit 21. Decemb. an. Dom. 1219.

DOBROVICIUM.

Dobrovicium. Filius... Diœcesis Pragensis. Circaria Bohemiæ.

IN finibus Bohemiæ, conterminio Moraviæ Ducatui, procul à civitate *Pardubitia*, vulgò *Pardubitz*, Bohemicè, *Pardubietach*, assurgebat Abbatia Ordinis nostri, *Dobrovicium* nomine in Indicibus prætermissa, sed in Fastis Bohemiæ celebrata toties, ut restituenda sit suo loco & honori. Fundatores, & fundationis epocham strages Hussitica sustulit de medio, sicut & monasterium ipsum anno 1421. Hoc enim tempore fulminis in morem, in cœnobia ferebantur Taboritæ; acuebat prædones prædæ magnitudo, et malorum incensor Ziska, suos jussit irrumpere per cædes & flammas in sacra quælibet. Primo furentium impetu, in Chrudimensi, delevêre Conventum Ordinis Prædicatorii, & in *Pardubitio*, Abbatiam Dobrovicii, aliaque diversorum Ordinum monasteria subverterunt; in Religiosos sævientes crudeliùs, quàm flammæ in ædes. Prostratum Dobrovicium jacet adhuc suis obrutum ruinis.

DOCKINGA.

Dokinga. Fil. Steinfeldia. Diœcesis Leovardien. Circaria Frisia.

IN Leovardiensi, olim Trajectensi Diœcesi, sita Abbatia, S. Bonifacio Apostolo Frisonum & Martyri nuncupata, primitùs occupabatur à Canonicis viventibus in communi. Verùm defervescente Canonicorum spiritu, & Norberti discipulis bonum in Frisiæ provincia spirantibus odorem, è Steinfeldia agmen evocatum est, quod Religionis candidæ semen insereret. Quo autem anno innovatum fuerit Dockumense monasterium, assequi needum mihi licuit.

Jam ab anno 1204. invectam Præmonstrati disciplinam fuisse ex Emonis Chronico planum est. Ex eodem accepimus ad annum 1225. Conradum Præmonstrati Abbatem nomine suo & Capituli generalis, præcepisse Abbatibus Horti B. Mariæ, Dockumi, & Vallis B. Virginis, ut Præpositum Sckelvaldæ censuris cogerent ad Patrem Abbatem eligendum sibi, & suæ Præpositurae. Eodem referente Chronographo inter Prælatos ad Leodiensem synodum pro vindicandâ Engelberti Coloniensis archiepiscopi morte indictam à Conrado Cardinale episcopo Portuensi, & ad partes Teutoniæ Legato convocatos, scimus Abbates Floridi-Horti, & Dockumi comparuisse. Anno 1239. post mortem Emonis, Sibrandus Abbas Horti B. Mariæ, Præses electionis deputatus ab Abbate Præmonstrati, Patre abbate Horti-floridi, consiliarium & assessorem sibi ascivit Abbatem Dockingæ. Nomen Assessoris hujus à chronographo suppressum, ex Steinfeldiæ Necrologio, & schedis è Frisia missis restituo, & elenchum Abbatum, nonnihil interturbatâ serie, subjiciam. Primus occurrit, si non ordine, saltem antiquitate nobis cognita

I.

THOMAS, qui à Capitulo Cathedralis Ecclesiæ Coloniensis, ad quod appellatum fuerat, anno 1225. delectus est arbiter, ad examinanda gravamina quibus sese, cum suo Conventu oppressum ab episcopo Monasteriensi querebatur Emo Floridi-Horti Præpositus. Eodem quoque anno, præfatum Thomam, cum B. Siardo, Horti Mariani Abbate, & Magistro J. de nova Ecclesia, commisit Honorius III. ut sententiam excommunicationis, ab eodem episcopo Monasteriensi contra Præpositum, & Canonicos Floridi-Horti latam, relaxarent, & quidquid erat quæstionis, *appellatione remotâ*, *fine debito terminarent*. Interfuit Concilio Leodiensi, anno 1226. habito, occasione cædis Engelberti, Coloniensis archiepiscopi. Anno 1228. sedit Judex in causa Herbrandi Plebani de *Ripa*, anno superiore à malevolis occisi. Nec multo post vivendi finem fecit. Suffectus est ei

II.

TADO, quem legimus adfuisse electioni Sibrandi Abbatis Horti-Mariani, anno 1230.* Anno 1238. ab eodem Sibrando, vices Patris Abbatis, id est Domini Præmonstratensis, agente, assumptus est consiliarius electionis Pauli, Abbatis II. Floridi-Horti.

* Sacræ Antiq. mon. Tom. 1. p. 217.

III.

METELLUS.

IV.

GERBRANDUS, insignis belli sacri præco, & amicitiâ cum Ludovico IX. Rege Galliarum conjunctus, frequenter ab eo litteras accepit, ut ad sanctam expeditionem Frisones excitaret, verbo & exemplo potens concionator. A Clemente IV. institutus sacræ militiæ Dux, fideles ad arma coëgit, sponte nomen dantes viro, quem signa & virtutes commendabant. Hujus meminit Menkonis Chronicon ad an. 1269.

V.

PONTETUS.

VI.

BERNARDUS.

VII.

ROTWARDUS

VIII.

FOLLERICUS

IX.

CUNO.

X.

MEINOLDUS.

XI.

VALKARDUS.

XII.

WILGREPUS.

XIII.

PROPTETUS.

XIV.

REMBERTUS florebat anno 1385.

XV.

TIBRANDUS.

XVI.

RICHARDUS.

XVII.

PETRUS Canonicus Lidlumensis cessit anno 1451.

XVIII.

JACOBUS DE *M NFORDIA* Canonicus Hortiflorida, Frisiæ Visitator Generalis, obiit anno 1488.

XIX.

JOANNES DUIVELDANUS, seu DE *DUVELANDIA*, nobilitate conspicuus & potentum favore subnixus, Dockumensi Prælaturæ intruditur; ex qua anno 1506. Saxonis Principis auxilio ad pinguiorem Lidlumi Abbatiam transfertur, utrique Abbas funestus; hinc in Mernam involavit.

XX.

THEODORICUS DE *LOUEN*, Visitator Frisiæ ab Patre Abbate Steinfeldensi anno 1527. institutus est. Obiit anno 1529.

XXI.

HENRICUS à *ZUTPHANI*, obiit anno 1541.

XXII.

THEODORICUS obiit anno 1558.

XXIII.

HENRICUS *KESSEL* ad Concilium Provinciale Ultrajecti ab Archiepiscopo Friderico Sckenko conductum, ad annum 1565. evocatus venire detrectans, minacibus litteris, intentatáque censurâ, ab exasperato Præsule ad comparendum interpellatur unà cùm Lidlumensi Abbate, qui ne de contumacia arguerentur, ut culpabiles, responderunt non posse ejusmodi evocationi parere, cùm extrà fines regionis Frisiæ fieret, contrà antiquas, atque approbatas consuetudines atque privilegia, remque à Senatu Leovardiensi judicialiter pensitatam, uti moribus Provinciæ adversantem displicuisse. « Nos etsi, inquiunt, non dubitemus, quin rationibus allegatis, etiam secundùm sacros Canones, excusemur, quominùs eò venire cogamur, tamen & privatim volumus testari nostri animi erga tuam Rever. Celsitudinem, benevolentiam, atque promptam obedientiam, in iis quibus, consuetudinibus, nostræque regionis privilegiis nihil derogatur. » Patrios Frisiæ mores veneratus Sckenkus, Concilium auspicatus cum suffraganeis & Abbatibus S. Pauli, & Insulæ B. Mariæ, absolvit.

P. 25 in Episcopatu Leovard. Van-husen.

Et in hoc Abbate Henrico antiquissimum totius Frisiæ cœnobium, cujus Antistes oppidanæ Ecclesiæ pastor erat, desiit, cultu avitæ Religionis deficiente.

PATERNITAS.

Sequentes habuit filiales Ecclesias Dockingensis Abbatia.

Wrouw ton Dalle, quæ alio nomine *Vallis Sanctæ Mariæ* nuncupatur.

Heenkloster seu *Montem Oliveti*; sub præfecturæ Doccumensis Parochia nomine *Olwalda* consistentem; Præposituram quondam Monialium.

Cusemar seu *Portam S. Mariæ*, Præposituram Virginum.

Trimunte, Præposituram Virginum, non procul à *Cusmar*.

Palmar cœnobium Virginum in Parochia Reiderwoldæ, Diœcesis Groninganæ.

Berethe, Parthenonem.

DOMNUS MARTINUS,

Aliàs sanctus Judocus in Nemore.

Domnus Martinus. Fil. Præmonstrati. Diœcesis Ambianen. Comitatus Pontivi.

FAma est S. Judocum, Quantiam inter & Atheiam in Rimaci, vel, ut alii scribunt, in Rumaci Artesiæ eremo, stetisse aliquandiù, & illic ad orationis opus, struxisse Capellam quam tutelari suo S. Martino dedicavit. Abeunti Judoco anachoretæ successerunt, qui authori & primo loci inquilino adscripto beatitudini, aram posuerunt cinctam cellulis brevibus. Prævalente verò in dies S. Judoci memoria, exolevit sensim S. Martini nomen primigenium loci, & vulgi suffragio, S. Judoci appellationem obtinuit.

Seculo duodecimo inchoante, sacris S. Judoci Solitariis, Comitem se junxit Milo, nobili ortus prosapia Toparcharum Selincurtensis castri, ut horum magisterio Eremitarum, & exemplo edoctus, perfectionis aggrederetur iter. Verùm Norbertus sanctitatis famâ longè celebris, & in Pontivi agro, uberes metens in Apostolatûs sui decursu discipulorum manipulos, prædicator eximius, Milonem in ipsis S. Judoci abditis recessibus perculit, qui dicentis, suadentisque oratione victus, in Norberti disciplinam se totum transtulit. Præ nonstratum ingressus, & Patris studio excultus, ad pristinam sedem S. Judoci annuente Norberto, & in spem generandæ prolis revertitur.

I.

Ad convictûs primi socios redux Milo, Norbertinum vivendi genus illis insinuat, verbis suadet, inducit exemplo, normâ vivendi factus est Pater eorum quos ut patres ante suspexerat. Novam vitæ rationem certatim am-

plexantur è propinquo affluentes tyrones, pro temporis angustia & candidatorum frequenti concursu cellulas jungit cellulis, hospitibus suscipiendis rusticè aptatas, paupertati accommodas. Multiplicatæ genti aggratulans Norbertus, hanc paulò post suâ recreavit præsentiâ, & Milonem numerosi gregis deputavit rectorem. Tribus terræ jugeribus, hæreditas tota monasterii claudebatur, & intra hunc terræ angulum, assiduo cultum labore, colligebant Christi pauperes, unde vitam seu magis pœnitentiam perennarent, donec quidam Nobiles algentem miserati virtutem, prædiis sortem eorum auxissent.

Gilardus cognomine de *Soibertmes*, benefactorum primus in fastis memoratur, alios ad æmulationem provocavit, non tam Gilardi pietas, quàm Milonis faustum regimen, quod præscidit inopina ad episcopatum Morinensem sublimatio, intentum quippè humilitatis operibus, pusillo suo gregi pascendo, informando assiduum abripuit divina vocatio anno 1131.

II.

ADAM patriâ Metensis, genere Nobilis, Radulphi Laudunensis alumnus, Norberti concionantis primitias & patris sui spiritum habens, unanimi Fratrum voto, Miloni subrogatur. Propagandi Ordinis zelo æstuans, sex Abbatiarum auctor exstitit. Anno 1145. Diplomati Theodorici Ambianensium Præsulis subscribit, quo Ecclesia S. Martini Ambian. in Abbatiam promovetur. Ex villa S. Judoci, ad Domni Martini prædium, Canoniam transtulit anno 1163. Prælationis anno 35. æræ Christianæ 1166. die Maii ultima requievit. Sub lapide sepulchrali ejus referente imaginem, & ad limbos hanc habente epigraphen, conditur vir ante & post mortem miraculis clarus.

Tom. 12. Spicil. Acheriani p. 163.

ADAM Abbas

Huic domui septem lustris, hic præfuit, immò
Profuit, in nullo defuit, Ordo fuit.
Nam Pater & Maius uno sibi fine quiescunt
Nam cum Mense Pater, cum Patre Mensis abit.

III.

GOMBERTUS, huic Hugo Rothomagensis archiepiscopus in eleëmosynam contulit Pastoratum S. Petri de *Gaillonnet*. Triginta mensibus à possessione adita completis, piè in Christo obdormiit 22. Aprilis 1169.

IV.

ANSCHERUS à primo infulationis exordio pacis contraxit fœdera cum Joanne Comite Pontivi, & à Rotroldo archiepiscopo Rothomagensi parochiam de Serincuria anno 1170. impetravit. Anno 1172. ineunte, binos è sua familia Canonicos Cantuariam, voti solvendi causâ, ad tumulum S. Thomæ ablegat, qui cum monachis Cantuariensibus fraternæ societatis fœdus pepigerunt, & in arrham sancitæ necessitudinis, partem cilicii, rochetum, & ossis particulam, sacras divi Martyris reliquias, asportarunt. Publico cultui vix expositæ, resurrectionem filii Dominæ Agnetis de *Dourier*, operatæ sunt, qui postea sacro ablutus fonte, liberatorem ad seræ ætatis tempora prædicavit. Istud portentum in coævo msſ. codice relatum, stupens vidit Artesia, & populorum pietas inde succensa. Paralisi laborans & ipse Anscherus, ad invocationem Martyris curatus est. Die demum v. Martii 1174. ineluctabili morte sublatus, Alexandri III. privilegiis munitam domum successori transmisit.

V.

HUGO DE ALESTE, S. Thomam Cantuariensem, in tutelarem patronum adoptavit, tantis in Ecclesia Dommartinensi coruscantem prodigiis, ut frequentior ad eam fieret populorum concursus, quam ad Cantuariense sepulchrum. Devotionem acuit resurrectio Beauremensis * accolæ qui in gratiarum actionem, reliquum vitæ tempus cœnobii servicio mancipavit. Qualem Anscherus societatem inierat cum Cantuariensibus, talem cum Abbate & Conventu Cistercienti sanxivit Hugo. Binas acquisivit monasterio parochiales Ecclesias, alteram à S. Stephano nomen sortitam, alteram nomine *Soibremes*, bellorum injuriâ ambas modò extinctas. Extinctus & ipsemet Hugo, ad superos abiit anno 1176.

* Beltain.

VI.

WALTERUS Pastoratum de *Verchin* incorporavit Ecclesiæ suæ, ejusque possessiones & jura Alexandri III. Romani Pontificis Diplomate roboravit. Cum Theobaldo Ambianensi Præsule amicitiâ conjunctus, illum ad fraternitatis preces capitulariter stantem & supplicantem admisit anno 1181. sequenti autem in fata concessit Walterus.

VII.

GUILLELMUS Pastoratum de Probavilla * excepit, & à Philippo Flandriæ Comite immunitatem obtinuit à solutione vectigalium, quoties ad usum monasterii merces aut annonas per ejus ditionem trajiceret. Dignitati valedixit Guillelmus anno 1195.

* Prouville.

VIII.

PETRUS D'ORCHIES obiit anno 1198.

IX.

GUILLELMUS DE BOMY crebris miraculis illustrem D. Thomam excoluit & mandavit scriptis. Horum insigne est illuminatio cæci, cui affine fuit, prompta Rogerii episcopi Ambianensis curatio, paralisi in brachio laborantis. Capitula generalia frequens adiit Guillel-

mus, ibique pro condendis ad reformationem decretis, manum apposuisse & zelum referunt Dommartinenses fasti juxta quos anno 1201. onus & vitam deposuit.

X.

GUILLELMUS ordine primus abdicatam dignitatem anno 1195. resumere ad instantiam Fratrum cogitur anno 1201. & octavo Septembris 1205. hanc iterùm cum vita exuit.

XI.

JOANNES I. Joannam Castellæ & Leonis Reginam Comitissam Pontivi, pro recuperanda sanitate per B. Thomæ intercessionem hospitio excepit adventantem & supplicem juvit consiliis & precibus. Pro valetudine sibi reddita, gratitudinis monumenta auro gemmisque fulgentia, appendit Princeps, bellorum turbine decocta postmodùm. Annis quinque regimen confecit Joannes, 12. Septembris 1210. denatus.

XII.

THOMAS mense Martio anni 1214. occumbit, extat Epistola*ejus inter Gervasianas numero 133. anno 1213. Gervasio inscripta, qua à frequentatione Capituli generalis se excusat ob ingravescentem morbum quo detinebatur. Obiit mense Martio 1214.

* Edita est Tom. I. Sacræ. Antiq. Monum. p. 120.

XIII.

GAUFRIDUS obiit anno 1221.

XIV.

NICOLAUS de ABBATIS-VILLA ex Canonico S. Joannis Ambianensis, Abbas efficitur Domni-Martini, meritis & doctrinâ exigentibus, ad vacantem Præmonstrati Archimandriam ascendit anno 1240.

XV.

GALTERUS II. 4. Julii 1242. finem fecit vivendi.

XVI.

RENELINUS moritur anno 1244.

XVII.

JOANNES II. 9. Septembris anni 1253. interiit.

XVIII.

MILO II. 14. Octobris 1266. dormivit cum patribus suis.

XIX.

SIMON cognomento venerabilis 15. Decembris 1272. excessit è vivis.

XX.

GUILLELMUS DE *CROMONT*, 21. Januarii electus, cessit dignitate 19. Junii 1281.

XXI.

GERARDUS DE *DOURRIER* obiit anno 1286.

XXII.

JOANNES *DOYSEMONT* mortem oppetiit anno 1293.

XXIII.

ANDREAS DE *CRECY* cognomento *MONACHI*, frater Joannis Cardinalis & episcopi Meldensis, Abbas electus ad annum 1302. interioris vitæ regimen, nobili & religioso sic temperavit moderamine ut exterorum perinde ac domesticorum meruerit laudem. Mortuo Petro de *Ferrieres* Noviomensi episcopo, omnium votis expetitus, Cathedram pontificalem ascendit anno 1304. & in ea sedit utiliter usque ad 29. Aprilis 1315. in Cardinalitio Parisiensi Collegio quem dotaverat defunctus, & ibidem humatus.

XXIV.

ÆGIDIUS DE *PROBA-VILLA* Monstreoli ad meliorem vitam migravit 7. Aprilis 1320.

XXV.

EUSTACHIUS, 13. Septembris 1342. decessit.

XXVI.

JOANNES DE *FORESTI-MONASTERIO*, Facultatis Parisiensis Doctor, privilegia cæteris Canonicorum regularium Congregationibus indulta, Præmonstratensi Ordini ex S. sedis beneplacito specialia esse impetravit. 16. Martii 1350. debitum naturæ solvit.

XXVII.

GUIDO DE *LAUDUNO* Canonicus Præmonstrati ab omnibus quarumvis secularium personarum exactionibus, imò & ab obligatione personaliter sistendi in Synodalibus episcoporum Comitiis se suumque exemit monasterium, beneficio Bullæ Urbani V. & 25. Junii 1369. in Monstreolensi refugio vivere desiit.

XXVIII.

GERARDUS *BLASELLI*, Passioni Dominicæ devotissimus, hospitalitatis cultor, regularis observantiæ vindex & exemplar, 11. Septembris 1385. Monstreoli moritur, unde ad monasterialem Ecclesiam devectus, tumbâ laminis æneis ornata, ejusque effigiem exhibentibus tegitur sub hac Epigraphe

Hic jacet Frater JACOBUS BLASELLI
De Dulendino natus, hujus Ecclesiæ
humilis Abbas.

XXIX.

JOANNES DE *HEZECQUES*, vix anno Prælationis evoluto moritur pridie Idus Martii 1386.

XXX.

XXX.

Thomas Felix, triginta tribus annis clavum gessit, pluribus Vicariatum generalem Pontivi obiit & Normanniæ, in utroque officio profuit. Insignia Pontificalia sibi asseruit primus, in successorem transmisit hilaris, per spontaneam cessionem factam 4. Martii 1418. biennio superstes humilitati se totum impendit.

XXXI.

Joannes *Senescallus* vinculum fraternitatis pridem cum Cantuariensibus initæ, novo firmavit pacto, Toparchiam de *Dampiere* à Joanna de *Quiene* sibi gratis datam, junxit monasterio. Ad Basileense Concilium delegatus à Capitulo generali, accessit anno 1434. finem verò vivendi fecit 30. Julii 1438.

XXXII.

Petrus *du Roy* 6. Septemb. 1458. occubuit.

XXXIII.

Joannes *du Puys* in decursu administrationis quatuor neoelectos filiationis suæ Abbates, scilicet S. Andreæ, Marchasii-Radulphi, Seriaci & Lucernæ, confirmasse legitur. Ab hominibus demigravit Monstreoli anno 1467.

XXXIV.

Jacobus *de Crepieul* die 18. Februarii 1474. abiit ad patres.

XXXV.

Michael *Dellerne* decorem Domûs Dei diligens, innumera contulit in ornamentum Ecclesiæ, ampliora ad pauperum sublevamen, qualia denique quantave gessit, disces ex ejus epitaphio quod prædecessoris sepulchro imposuit successor æquus.

Hic jacet exanimis distentus corpore toto
Heddini natus Abbas Michael à Rua
Qui fuit in cunctis sapiens, benè rectus
Sensu subtilis, servando jura virilis
Rebus in augendis, in partis jure tuendis
Zelator, veniæ, pacis, custos spiritalis
Regula justitiæ, flos vivæ Religionis,
Pauperis & viduæ, vir simplicitatis amator.
Suscipito hanc animam, jam tandem dulcis Iesu
In manibusque tuis, requiescat spiritus ipse
Obiit 14. Kal. Septemb. 1495.

XXXVI.

Guillelmus *Strabo* 23. Decembris 1499.

XXXVII.

Balduinus *de Hersin*, primus inveteratam consuetudinem, alternis annis duos mittendi Cantuariam Canonicos Dommartinenses, piæ necessitudinis fovendæ causâ, abrogavit. Anno 1505. percussa fulmine Ecclesia S. Judoci penitùs conflagravit, sola mediis in flammis superstite thecâ sacris referta reliquiis, Anno 1514. dignitatem posuit Balduinus.

XXXVIII.

Henricus *de Magnieulx* Pastor *Tortifontanus*, viventis Balduini ex resignatione hæres, eo usque res monasterii per septennium promovit ut populosæ civitatis instar, omnis generis artificibus frequens habitaretur, absque præjudicio severioris & interioris observantiæ. 1. Aprilis 1524. servi fidelis & prudentis mercedem quæsiturus, ad Patrem-familias transmigravit.

XXXIX.

Petrus *du Bus* 14. Martii 1525. electus, nepotem ex cessione conscripsit hæredem anno 1540.

XL.

David *du Bus* monasterium suum vorace flamma ab hæreticis injecta, vidit comburi anno 1568. atque provisorem suum Eckium impiis Calvinistarum manibus pro fide enectum. Obiit Abbas anno 1574.

XLI.

Joannes *Prevost*, 3ª. Maii decessit Abbatis-villæ.

XLII.

Michael *de Ghiers* Trunchiniensis Canonicus, Dommartinum sacras docendi litteras gratiâ transmissus, ad vacantem sedem discipulorum suffragio promovetur. Temporum injuriam, bella, lites, incendia, expertus, in hoc alternantium calamitatum conflictu, majorem omni fortuna adversante, animum probavit. A Comitiis Artesiæ, Romam pro Religionis & reipublicæ negotiis ablegatus, ita feliciter pro utrisque egit, ut & boni & Christiani civis laudem reportarit. Inter tumultuantis vitæ occupationes, studii otia sic fecit sibi, ut Martyrologium Romanum, patrio reddiderit idiomati, & selectas Sanctorum Vitas, ex originali fonte petitas, notis illustrarit. Paralisi correptus, ultimum diem clausit Hesdini 4. Februarii 1604. unde ad Dommartinum translatus, in Sacello S. Barbaræ conditus est.

XLIII.

Martinus *Dournel* ex Priore Abbas factus 5. Maii 1604. desiit esse 7. Julii 1632.

XLIV.

Joannes *Marsille*, bellis, prædationibus, morbis agitatam vitam amisit ipso Paschatis die an. 1659.

XLV.

PHILIPPUS *BABEUR* antehac Prior S. Andreæ in Nemore, postea P. Augustini *le Scellier* Abbatis Præmonstrati Secretarius, ad Dommartinensem infulam 26. Maii 1656. evehitur. Dejectas à marte furente monasterii ædes restaurare, usurpatas recuperare possessiones, bibliothecam libris, templum ornamentis instruere summa fuit studii & laborum. Vicarii generalis adeptus officium, inducendæ Reformationi sedulus adlaboravit. Ab Ordinibus Artesiæ, gerendarum reipublicæ rerum præfecturam delatam adeò gessit strenuè, ut quasi patriæ patrem venerarentur omnes. Parisiis vitæ cursum clausit 20. Decemb. 1675.

XLVI.

JOANNES *DURLIN*, ad cumulum deduxit opus à prædecessore susceptum, & Vicarii generalis provinciam subiit & obiit magno animo. Non semel politicis Artesiæ Congressibus præfuit, agendi, dicendique peritus. Ad Christianissimum Regem nomine Statuum Orator delectus sæpè, pro Statibus efficaciter peroravit. Mense Maio an. 1701. extinctus est.

XLVII.

PHILIPPUS *CELERS*, Pastor in *Verchin*, pacificâ electione, ad Abbatiale munus vocatur 6. Octobris 1701. Vix dignitatis possessionem inierat cùm ad vacantem Ordinis Archimandriam, Canonicorum votis expetitus, mense Maio sublimatur. Verùm obsistente humilitate & modestiâ, Regem Christianissimum ad revocandum quem jam præstiterat consensum, tam anxiè sollicitavit, ut precibus supplicantis reniti nequiverit. Artesiæ Clerus tanti honoris contemptorem honoribus cumulavit repugnantem, & generalium Statûs Comitiorum Assessorem semel & iterùm renuntiavit. Imposito muneri incumbentem mors præscidit Atrebati die 20. Januarii 1708.

XLVIII.

CAROLUS *RICOUART* vir morum candore & affabilitate convictûs, doctrinâ & disciplinæ zelo spectabilis, quem de facie serena & de conversationis humanitate novimus dum anno 1719. Dom-martini scrinia evolvebamus. Prælaturam, Vicarii generalis dignitate, & Artesiæ Statuum deputatione, honestavit. Podagrâ per aliquot annos dirè vexatus ab eadem enectus est an. 1720.

XLIX.

MILO *MARCQ*, Theologiam in Abbatia Blancæ-landæ legerat felici successu; deinde Pastor ruralis, tùm Prior claustralis, denique Abbas creatus est Domni-Martini, cujus pedum septennio gestavit. Laudatur à suis in Encyclica littera potissimum de assidua frequentatione Chori. Fatis concessit anno 1726, die 6. Julii.

L.

THOMAS *BREUVART*, sollicitus adeò Archivii suæ Abbatiæ custos, ut illius invisendi, evolvendique copiam humillimis precibus postulatam, magnâ constantiâ denegaverit anno 1730.

PATERNITAS.

Jura Paternitatis exercet in Abbatias Marchasii-Radulphi.

S. Joannis Ambianensis.
S. Petri Selincurtensis.
S. Andreæ in Nemore.
Seriaci ad Prata.
S. Justi.
Blancæ-Landæ.
S. Joannis Falesiani.
Lucernæ.

PASTORATUS.

S. Martinus de Torto fonte, cum succursali de *Mourribier*.

S. Maria de *Tigny* cum filiali de *Noyelle*.

S. Maria de *Prouville*, tres illæ in Diœcesi Ambianensi.

S. Sulpitius de *Serincourt* cum succursali de Ruolio.

Prioratus de *Gaillonnel*, ambo Rothomagensis Diœcesis.

S. Audomarus de *Verchin* Diœcesis Bolonienfis.

SACRÆ EXUVIÆ.

Rochetum lineum quo indutus erat S. Thomas Cantuariensis Archiepiscopus dum martyrium fecit. Illud pridem anno 1443. Petrus *le Roy* Abbas, nobili pro tempore theca accluserat, ad cujus marginem hæc Gothico caractere verba incisa leguntur. *C'est le sarros S. Thomas de Canterbie lequel il souffrit le martyre Pierre le Roy Abbé de ceans me fit faire en l'an MCCCCXLIIII.*

D. Carolus *Ricouart* in longè ditiori & elegantiori theca argento cælato & figuris fulgente, venerabilem hunc thesaurum posuit anno 1717. ad cujus limbos hæc curavit inscribi.

Felix Ecclesia in qua Thomæ viget memoria, tanti Martyris, indumento sacro ditata.

Quis moritur? Præsul. Cur? Pro grege. Qualiter? ense.
Quando? Natali. Quis locus? Ara Dei.

Annulus ejusdem Martyris thecæ pariter argenteæ acclusus, in cujus capulo legitur

Chi est l'annel S. Thomas.

Particula insignis Crucis Christi.
Ossa Corporis B. Magdalenæ.
Ossa S. Simpliciani & S. Antonii.

Theca argentea in formam semi-circuli arcuata, sequentem proferens inscriptionem.

De Sainte Framenth mere de Sainte Austreberte.

Visitur in eodem sacrario arcula quædam chalibea, quam sacris pignoribus oppletam ferunt à Sancto Martino Pontifice Turonensi traditam B. Judoco Gallias petenti, ad solatium viæ & vitæ tutamen; sed falsò: nec enim potuit B. Judocus, qui VII. seculo in vivis erat, invisere & alloqui S. Martinum denatum anno 400. Ostentant & Calicem venerandæ antiquitatis, quem traditione authore asserunt B. Judoco ad Missæ sacrificium inservisse. Inscriptio ad pedem vasculi, venusto & Romano caractere exarata barbariem Gothicam prævertit.

SUMITUR HIC XPI SANGUIS PROTECTIO MUNDI. ✠

Omitto cæteras quibus nobilitatur reliquias ex paucis alias conjice.

Vide Probat. à col. DXIV. ad col. DXVIIJ.

DOMUS DOMINARUM.

Domus Dominarum. Fil. Regiævallis. Diœcesis Tullensis. Circaria Lotharingiæ.

JAm à temporibus Herberti Abbatis Regiævallis primi, ad eum conversionis causa Virgines & Viduæ accurrerant, & votis se obligarant Religioni. In qua monasterii parte illas seposuerit ab exordio, nec in ipsis superstitibus ruinis dignoscitur: monasterii angustia, & vallis fauces à vicinis montibus arctatæ, non tulerunt stare diù in propinquitate virorum Sanctimoniales. Quare Herbertus Parthenonem uno ab Abbatia quadrante, secùs labentis rivuli oras in eadem valle, versùs Vodium * ædificare aggressus est. Illum absolvit Raymundus successor, & collectum gregem his abdidit latebris. Hadevidis de Sorceio, generis inclyti vidua mulier, mundo valedicens, ad istud se recepit Parthenium, & desponsatæ servitutis diem collatione molendini de *Vacon*, & prati de *Charmois* consecravit. Aliæ Virgines stemmate illustres, idem vitæ genus auspicatæ, virtutibus claruerunt, & tam ex generis claritate, quàm ex pietatis fama, monasterio suo nomen indiderunt *Domus Dominarum*.

* Void.

Bulla Alexandri III. Charta Henrici episcopi Tullensis de anno 1141. & pleraque Diplomata Virginei hujusce asceterii meminerunt. In Necrologio passim occurrunt monialium illius loci commemorationes; sed cùm, pro antiqua scribentium consuetudine, annus decedentium non apponeretur in Obituariis, non possumus durationem Parthenonis metiri, ex mortuarum Indice, neque ex residuis prostrati ædificii fundamentis, imò nec scriniorum documentis haud exstantibus.

DOMUS RUBRA.

Domus Rubra. Fil. Præmonstrati. Diœcesis Moguntinæ. Circaria Vadegotiæ.

IN omnibus monasteriorum Indicibus hanc Abbatiam legimus, sed variis nominibus expressam. Apud Layruelium & in MSS. antiquis sub hoc vocabulo *Domus Rubra*; apud Pagium dicitur *Rubrenensis*; in veteri talliarum Ordinis matricula apud Steinfeldenses exstante, nominatur *Rubrensis*. Hanc non ignobilem fuisse colligitur ex eo quòd splendidis æquipararetur monasteriis, quantùm ad earumdem talliarum solutionem; quippè quæ LX schillingos Rhenenses annuatim pendere tenebatur. Gudam (a) habuit Fundatricem, cujus obitus notatur in Necrologio Præmonstratensi ad 19. Junii, sed quo præcisè anno, incompertum est; neque annum, vel saltem seculum interitûs illius licitum fuit detegere. In Moguntina Diœcesi stetisse constat; idque testantur veteres membranæ omnes. Mirum, quòd Moguntinensis Ecclesiæ Historiographus illam non detexerit in Chartis, quas lustrando Diœceseos tabularia vidit copiosissimè.

Anno 1278. Henricus Abbas, totusque Conventus *Rubrensis Ecclesia apud Bolandiam* Ord. Præmonstrat. Moguntinæ Diœcesis in instrumento super dotatione altaris B. Mariæ Virginis ibidem subscribit inter testes: illius dotationis auctor *Lukardis de Bolandia*, Advocatissa Rubrensis monasterii.

DORLAR.

Dorlar. Fil. Romersdorffii. Diœcesis Treverensis. Circaria Westphaliæ.

NOn longè à municipio *Giesen*, quod Hassodarmstadiensis ditionis est, ad Lanum fluvium, in loco amœno, itinere duarum horarum à monasterio Altenbergensi, fundatus est Parthenon Dolarensis anno 1220. à Comitibus Nassaviis *Sarbrucken*, Dominis in *Merenburg*, ibique Virgines ex Altenberga evocatas collocavit Bruno à *Braunsberg* Abbas

(a) Hanc suspicor filiam fuisse Philippi I. de Bolandia, & uxorem Conradi de Bickinberg, cujus fit mentio in Charta donationis Collegiatæ S. Stephani Moguntinensis factæ anno 1290. à Wernhero de Muzenberg & Falkeinstein. Vide Tom. II. Rer. Mogunt. pag. 541.

Romersdorffii, sub magisterio

I.

GYSELÆ, cujus in Obituario fit memoria ad 7. Kal. Februarii. Huic successere

II.

LYSA 8. Kal. Aprilis.

III.

SOPHIA 7. Kal. Maii.

IV.

IRMENGARDIS Kalendis Junii.

V.

HILLA Nonis Decembris.

VI.

MARGARETA 25. Decembris.

VII.

GERTRUDIS, sub cujus regimine adeò in temporalibus imminutum fuit monasterium, ut nec alendis, nec commodo hospitio excipiendis Virginibus ultrà sufficeret. Hinc Everhardus III. Abbas Romersdorffii, à Concilio Basileensi ruentis Parthenii unionem postulavit, ne hæreditas Norbertina ad alienigenas devoluta profanaretur, & Fundatorum fraudaretur pietas. Justæ petitioni annuêre Patres, & per solemne decretum anni 1436. adjudicarunt *Dorlar* Fratribus Romersdorffii, eâ lege ut ibidem divina persolverent, & in tribus Parochiis, *Dorlar*, *Naunheim*, & *Alzpach* curam haberent animarum. Huic sancito Philippus Comes Nassovii, Fundatoris nepos, gratum impendit assensum. Mutato igitur statu & sexu, convaluit monasterium, sub Prioris administratione. Intùs & foris rem sacram promoverunt Romersdorffienses, magno populorum commodo, donec Philippi Comitis hæredes Lutherano inebriati errore, à restituto monasterio mystas & Religionis cultum anno 1545. expulerunt, ipsumque nobili Domino à *Busseck* adjudicavere, pensâ priùs, per formam aliqualis indemnitatis & justitiæ, levi pecuniæ summâ spoliatis Romersdorffiensibus. Sic ad extraneos & hæreticos devenere Catholicorum Fundatorum bona, per seros nepotes, à parentum fide & pietate degeneres.

DORNAW.

Dornaw, Circaria Hungariæ, Fil. S. Crucis. Diœcesis Waciensis.

NOtitiam hujus monasterii Layruëlio debemus, eamque ex Catalogis veteribus erutam, confirmavit cœnobiorum Hungariæ novissima recensio. Depopulatio Regni Hungarici, hoc cœnobium, sicut & alia, communi strage delevit; necdùm Ordo illud, post restitutam Imperio Hungariam victricibus Caroli V. Ducis Lotharingiæ, armis, potuit Ordini restituere. Suspicarer *Dornam* in Pagii Elencho appositam, olim filiam *Jasow*, postmodùm *Lucæ* subjectam Paternitati, eamdem esse cum *Dornaw*, nisi illa Vaciensi; ista verò Agriensis Diœcesis finibus accluderetur. At cùm Petrus *Pazmani* archiepiscopus Strigoniensis, Layruëlii probaverit Indicem, Pagii verò Catalogum, nec suo probaverit calculo in suo Synodali Conventu anni 1629. standum testimonio præsulis, & Dornæ Præpositurâ dispunctâ, *Dornaw* in Waciensi episcopatu retineamus.

DOXAN.

Doxan. Fil. Strahoviæ. Diœcesis Pragensis. Circaria Bohemiæ.

REgius Doxanensis Parthenon, à Serenissima Principe Gertrude Cæsaris Conradi sorore augusta, Wladislai II. Bohemorum Regis piissimâ Conjuge, & maritalis munificentiæ æmula, sumpsit initium. Strahoviensis monasterii structuram, dotemque largè effusam à sponso, gratulabunda viderat, sed quasi ereptum suæ pietati opus invidens, simile ad Sanctimonialium secessum ædificare, ut animæ suæ benefaceret, sponsi virtutibus haud impar Regina, constituit.

Ad optima quæque promptus Wladislaus, hilarem præbuit postulationi conjugis annutum, statimque Gertrudis, moras omnes abrumpens, urget negotium, locum inquirit ab hominum strepitu sequestratum, solitudines ipsa perlustrat, & tandem ad eam deveniens, Litomericio unâ distantem horâ, paululùm meditabunda substitit, & velut afflata Dei spiritu, subintulit *Eskan doch sein*, quæ verba monasterii ibidem extruendi firmam assertionem designabant, unde & Parthenoni denominatio, nonnihil ex prævalente idiomate patrio immutata, accessit. Deterrebant à proposito prædii inculti facies horrida, allambentis fluvii crebræ alluviones, at illa consilii tenax, festinas jubet struendo templo manus admoveri.

Anno igitur 1144. consecrante fundamenti lapides eosque sternente Henrico Olomucensi, in magna populi procerumque frequentia, surgit sacri & regularis ædificii regia moles, regia, inquam, politis & quadris lapidibus compaginata, ambitu cincta peramplo. Ecclesiam anno sequenti, die 18 Septembris, Henricus Olomucensis, & Otto Pragensis episcopi magno apparatu, B. Mariæ dedicarunt.

Virgines, festivâ pompâ, easque ut plurimum regii aut incl yti generis, in Parthenium induxit Pragensis Præsul, quibus Præpositum destinavit Herelbaldum, alterum de octo Canonicis quos Steinfeldia ad Wladislai preces in Bohemiam trajecerat. Eo moderante, sic floruit sanctitate Virginum chorus, ut turmatim lectissimæ Nobilitatis filiæ, terrena despicantes, Norberti militiæ peterent attitulari. Quin & ipsa Gertrudis Regina illuc se recepit, dum anno 1149. Wadislaus, concurrentibus Imperii & Principum Christianorum signis, sacram aggressus est expeditionem. Socias adhibuit suæ solitudinis, Agnetem filiam, & Elisabeth Wladislai germanam sororem, quæ postmodùm Religionem sunt ex voto professæ, quam cum Doxanensibus, prælucente Reginâ, ultrò exegerant.

Anno 1152. pridie Nonas Augusti moritur Regia Princeps Gertrudis. Mortales ejus exuvias mœstissimus conjux & plorantes filii, ad Doxanense Parthenium tumulandas, honorificè deportarunt, suamque Agnetem filiam, excolendam moribus, tradidit Pater Virginibus Doxanæ. Masculam pariter sobolem Strahoviensium commisit pædagogio, providus utrobique Princeps. Quantos enim eâ ætate magistros morum & doctrinæ habuerit Strahovia, ex Bohemiæ fastis novimus. Quales Doxana rectrices juventuti informandæ præposuerit, ex Magistrarum meritis addiscemus. Præerat tùm religiosissima Virgo Ida inculpatæ vitæ, integritatis morum, religiosæ conversationis exemplar. Spiritum Norberti in ipsa redivivum diceres, quæ cæteras humilitate antecedebat, superabat fervore, verbo accendebat. Principum amorem, virtutum illecebris captaverat, Deo & hominibus dilecta Virgo. Sanctorum Bohemiæ albo ascriptam, sui reliquit regiminis hæredem

Elizabeth, Regiis natalibus illustrem, quæ ad ornamentum Domûs Dei, octoginta marcas argenti obtulit, mundum muliebrem pretiosum, suppellectilem ex auro & argento, in usus sacrorum vasorum donavit. Prælationis onus transmisit Agneti, quæ anno 1200. juxta Balbinum, Ottogaro I. Rege & fratre ejus agente, ex Antistita Doxanensi ad Abbatiam Sanctimonialium S. Georgii Pragensis evocatur, & ipsi germana soror Margaretha suffecta est Doxanæ. Hoc quippe sanguinis nexu utramque Priorissam jungunt Bohemiæ scriptores, Obituario Doxanensi plus æquo dantes fidem, aut verba ad litteram interpretantes. Epist. Balb. p. 255. Equidem Margaretha *Fundatorum filia* in Necrologio appellatur, subindeque Wladislai & Gertrudis filiam putares. At quia fundando monasterio & dotando Proceres, præsertim Ulricus Comes de *Scicencon* plurimùm contulerunt, non mirum si Margaretha filia Ulrici Comitis, uti Fundatoris alterius filiam, Obituarium nominavit.

Quid verò parentes ejus Doxanæ in dotem tradiderint, ex privilegio Ottocari Regis intelliges, in quo hæc leguntur. » Ulricus Comes » de *Scicencon* dedit villam *Brnjam* cum filia » sua Margaretha, quæ postmodùm *Rochow*, » pro centum marcis comparavit, quas ei frater » suus Ulricus decedens in testamento legavit.

Igitur regales fascias à Margaretha abige, & heroum sanguine nobilitatam Virginem, Magistrarum insere Catalogo, quam Beatarum fastis consignarunt Biographi Bohemiæ. Alteram ad 15. Augusti Margaretham apponit Obituarium Doxanense, eamque Ducissam, & Sororem professam Congregationis nominat, sed non in albo Prælatarum refertur. Meminit Beatricis, B. Hroznatæ Principis Bohemorum sororis germanæ, quæ Doxanensi clavo laudabiliter & sanctè insedit. Cæteras omitto quæ in hoc feraci virtutum seminario educatæ, regimen illustrarunt claritate sanguinis, religionis exemplo, & fidei constantiam infaustis Ziskæ temporibus consecrarunt martyrio. Fraternitatis jura sacrilegè pessumdans Joannes apostata Milovicensis, qui Pragæ tùm omnia poterat, collectos milites in Doxanam duxit, dux ipse feritatis & auctor, & post direpta Regum donaria, ipsas Virgines jugo erroris subjicere attentavit. Invictas in fide, suppliciis vincere aggreditur. Alias torsit tormentis, alias mulctavit exilio, nullam ab amplexibus sponsi Jesu potuit avellere barbarus. Exquisitis necdum satur pœnarum generibus homo ferax, monasterium subjecto igne delevit, ut qui animas nequiverat occidere, saltem virtutis antiquæ demoliretur azilum. Quales verò habuit Priorissas Doxana, tales habuisse gloriatur Præpositos, viros scilicet opere & sermone efficaces, pascendo sanctarum gregi idoneos. Horum agmen agit

I.

HERELBALDUS, de Strahoviensi gremio sublectus à Gezone Abbate, ad novellæ plantationis culturam. Si ex discipulis Magister, & ex fructibus arbor judicatur, quantus fuit Herelbaldus, qui tot sanctarum Pater extitit, instructorque Virginum. S. Materni cultum apud Trevirenses celebrem, in suum Doxanæ Parthenonem invexit, & sanctis tutelaribus voluit accenseri. Quo anno Herelbaldus vitam adierit beatam, ignotum est, beatam adiisse ignotum nulli.

II.

WOLFRAMUS, hujus fit mentio in Charta Ottocari Primislai Regis, confirmatrice bonorum tam à Principibus concessorum, quàm à Præpositis quondam acquisitorum Doxanæ.

III.

BERTHOLDUS, illius meminit idem Diploma. Laudes ejus in elencho Abbatum Straho-

viæ referemus, fuit enim ordine tertius & Erlebodi successor, anno 1154.

IV.

Guntherus post Bertholdi promotionem, præficitur Doxanæ; ita ferunt Annales, obsistit Chronologia; vix quippè credas ad annum 1226. protraxisse dies, hominem ætate jam maturum ab anno 1154. quo Ottocarus Rex suo Diplomate possessiones Doxanæ auxit, & confirmavit ad Guntheri supplicationem.

V.

Fabianus.

VI.

Hermannus.

VII.

Godefridus ad Strahoviensem Prælaturam anno 1265. evectus est.

VIII.

Conradus ab Ottocaro Rege impetrat renovationem privilegiorum Doxanæ an. 1276.

IX.

Petrus, sub ejus administratione, cæso Primislao, die 26. Augusti anno 1278. à victore milite tota devastatur Bohemia, & Doxanense monasterium cladem magnam patitur, monumenta superiorum, Fundatorum opera & labores concidunt. Mediis hisce calamitatibus obiit Petrus 1282.

X.

Siffridus duriora adhuc expertus tempora sub Ottone Brandeburgico. Insolens enim miles thesaurum Ecclesiæ abstulit, domum, agros populabundus desolavit. Hinc fames, inde pestis, flagella iracundiæ Dei, Regnum vastaverunt, donec sub Wenceslao legitimo Principe, populus & clerus, terrâ reflorescente, respirarent. Doxanam in multis vexatam optimus Rex, in multis consolatus est, & impertito privilegio, an. 1290. inhibuit ne quis ullam jurisdictionem in bona monasterii exerceret.

XI.

Edmundus, hujus ætate, infestantium malitiâ aut incuriâ domesticorum, Parthenon incenditur, templo manente illæso.

XII.

Simon, in antiquo Doxanensi Mortuario, nomen & ejus memoria hoc elogio consecrantur. »Piæ memoriæ Simon I. hujus Ecclesiæ »Prælatus, Claustrum exstruxit, imaginem »S. Mariæ pro quinquaginta marcis, multasque hæreditates alienatas redemit; etiam 20. »marcas Conventui nostro annuatim distribui »statuit, & eâ ratione restaurator Ecclesiæ & »Pater piissimus Congregationis extitit. Ista imago, hæc ipsa creditur quæ in sacello Virginum asservata piè colitur. Cur autem primus dicatur Prælatus, qui ordine duodecimus est, ignoro, ni velis hanc nuncupationem, vel ex beneficiis majoribus præstitis Conventui, repetere, vel antecessores illius reducere ad conditionem Priorum manualium.

XIII

Theodoricus coæqualis Joanni Regi Bohemiæ & Comiti Luxemburgi, ab ipso obtinuit anno 1333. innovationem privilegiorum Wenceslai, Ottocari, Ottocari Primislai, & Wenceslai Regum. Fecit cum eodem Joanne Rege commutationem anno 1336.

XIV.

Getrzichus anno 1341. oppignoravit pagos *Brniam* & *Pelles*.

XV.

Sbyslaus à Carolo IV. Imperatore & Bohemiæ Rege, obtinuit anno 1358. privilegium quo Comitatûs Doxanensis homines & subditi eximuntur à jurisdictione & judiciis extraneorum judicum secularium.

XVI.

Vincentius florebat anno 1379. pro Parthenonis spirituali & temporali emolumento se totum impendit, bonus & in utroque genere vigilans œconomus.

XVII.

Theodoricus II. vir singularis modestiæ, prælucebat exemplo 1389.

XVIII.

Gimramus anno 1405. limites ordinavit inter fundos Doxanenses & Litomericenses.

XIX.

Nicolaus desævientis Ziskæ furores, & incendia passus est mense Julio 1421. Cœnobium multis Regum donariis & fundationibus locupletatum, cessit prædonum rapacitati, virgines aliæ ferro peremptæ, aliæ exules in terris, luctuosam vitam cum morte beata commutarunt. Sigismundo Imperatore Regni Bohemici potiente, Nicolaus de recuperandis monasterii bonis sollicitus, partem non minimam regali autoritate & privilegio è profanis manibus redemit. Albertus Austriacus Sigismundi hæres, & pietatis æmulus, pacatiora inferens tempora, Doxanensibus sortem fecit meliorem, hinc manus viriles, sexus fœmineus admovet pro reparandis, instaurandisve locis sanctis, quæ ab hæresi diruta, passim jacebant.

XX.

DIOPOLDUS DE *RISEMBERG* ex illustrissima & Regia gente Swihoviorum, de Teplensi per Ziskianos incinerato monasterio, autoritate Ladislai Regis assumptus, Doxanensi Præposituræ præficitur, mense Augusto anni non 1459. ut refert Balbinus Epitom. p. 307. sed 1456. quo quidem accepit à benefico Principe, Diploma de reluendis & evincendis possessionibus Doxanæ à quocumque detinerentur & sub quovis colore abalienatæ forent. Disjectam Ecclesiam & ædificia partim inchoata erigit & reconcinnat, plenusque meritis 23. Aprilis 1473. obiit.

XXI.

WENCESLAUS DE *LUCA*, renovationem privilegii Ladislai ab Wladislao IV. impetrat, & alacrem studiis & conatibus prædecessoris sui adjecit manum.

XXII.

HIPPOLITUS è gremio Teplensi à Virginibus postulatus, magnaque ab irrumpentibus Hungaris mala perpessus, obiit 8. Octobris 1493.

XXIII.

STANISLAUS 3. Octobris 1508.

XXIV.

JOANNES *CZIPAR* Teplensis Canonicus 5. Julii 1517.

XXV.

JOANNES DE *BUCHOW*, Ecclesiam ab Hungariis vastatam, instauratamque postea consecrari procuravit anno 1522. ab episcopo Gauticensi. Bona Parthenonis, approbante Ludovico Rege Bohemiæ, recuperavit tam oppignorata, quàm usurpata imminente bellico tumultu. Senio confectus cessit, & ad Doxanensium instantiam ei subrogatur ab Abbate Teplensi

XXVI.

JOANNES DE *FREYWALD*, abalienatum pagum *Kopist*, à civibus Litomericensibus exsolvit. Privilegiorum confirmationem à Ferdinando I. obtinet, moritur anno 1562. In successorem Præposituræ evocatur è Teplensi cœnobio

XXVII.

LEONARDUS *SCHITZ* die 25. Februarii 1575.

XXVIII.

VITUS *HEROLD* Teplæ Canonicus, Venatores à fundis Doxanensibus, Rudolphi II. accedente præcepto, arcuit. 1585.

XXIX.

ANDREAS *VERNERUS* abjectâ Sionæâ infulâ Præposituram Doxanæ regendam suscepit, & sexcennio administratam deposuit cum vita anno 1591.

XXX.

JOANNES *VOIT*. 1598

XXXI.

JOANNES CONRAD rerum temporumque exigente statu, aliis & majoribus Ordinis negotiis destinatus, Prælaturam dimisit 1601.

XXXII.

SIGISMUNDUM *KOEL*, Pastoris boni fungentem officio adoriuntur rustici crudeles, à nobili hæretico suscitati, plagis penè confectum è manibus turmæ sævientis semivivum eripiunt fideles; restituunt domi sanum, & meliore loco dignum transtulit ad infulas Lucenses, Joannes Lohelius Abbas Pragensis, & Ordinis Visitator, anno 1606.

XXXIII.

MELCHIOR *ROMANUS*. 1621.

XXXIV.

CRISPINUS *FUCK* ab *Hradistie*, post sopitas discordias quæ legitimi successoris electionem impediverant, à Præpositura Plagensi, quam in medio hostium fidei incolumem servaverat, non sine frequenti vitæ discrimine ad Doxanense regimen postulatus venit. Translationis SS. Exuviarum B. P. Norberti promotor, & triumphantis in Pragam ingressus, testis fuit. Gasparis à *Questemberg* Abbatis Sionæi variis pro Republica, pro Ordine sollicitudinibus distenti, Coadjutor omnium suffragio sublectus est, & Milovicii renuntiatus Abbas. Sub hoc laudatissimo Antistite, Præpositi Doxanenses infulis & Pontificalibus donati sunt ab Urbano VIII. anno 1628. Quandiù verò Crispinus Coadjutoris partes sustinuit Strahoviæ, Coadjutorem sibi Doxanæ instituit Wenceslaum *Althaus*, qui turbato rerum statu & ab copiis Suecicis Bohemiam infestantibus, calamitosè exceptus, è vivis abiit.

XXXV.

NORBERTUS AB *AMELUNXEN* Supprior Sionæus & Novitiorum Magister, ei successor datus est. Præposituram vix ingressus à milite Suecico verbera & captivitatem passus, primo Litomeritium, deinde Pragam confugit, Sanctimonialibus exilii sociis; anno 1648. ad propria cum grege reversus, inde sequenti anno ad Abbatiam Siloënsem postulatus promovetur.

XXXVI.

NICOLAUS *PLUTZER*, quinquennio sui regiminis strenuè expleto, moritur Milovicii, cujus administrationem agebat. 1654.

XXXVII.

CYRILLUS *HOFFMAN* sedulus Doxanæ œconomus, villam *Naprawa* emit, moritur 15. Februarii 1669.

XXXVIII.

STEPHANUS *KIELMAN* pietatis & religiosæ observantiæ exemplar, in virginibus regularem disciplinam apprimè efformavit. Die 12. Junii 1679.

XXXIX.

HYACINTHUS *HOGMAN*, Canonici juris in archiepiscopali Collegio Pragensi anteà Professor, uno tantùm exacto in Præpositura anno, Abbas Strahoviæ eligitur.

XL.

DOMINICUS *GURNTH* novæ monasterii Doxanensis structuræ fundamenta jecit, dimidium nonnisi operis ad perfectionem potuit morte præventus, deducere. 1689.

XLI.

FRANCISCUS *WALDTHAUSER* Collegii Norbertini priùs Rector, tribus tantùm annis præfuit, mortuus die 21. Junii anni 1692.

XLII.

BRUNO *KUNOWSKI*, inchoatas Virginum ædes absolvit, Ecclesiam aris & suppellectile splendidâ, rem rusticam villis, granariis auxit, privilegiatam domum emit intra Pragenses muros, ad perfugium. Oeconomiam pietas mira, in Deum, effusa in pauperes liberalitas, in advenas & subditos affabilis benevolentia exornabant. Litomericio ubi manibus Jaroslai Comitis de *Stemberg*, episcopi, parentaverat, repetens, Doxanam, apostemate rupto, quo laborabat, redire festinus cogitur, ibique refectus Sacramentis moritur 15. Aprilis 1709.

XLIII.

JOSEPHUS *MIKA* modernus Præpositus, & quasi Fundator alter, stupenda, sed Parthenoni summè utilia & honorifica, aggressus, plenè consummavit.

PAROCHIALES ECCLESIÆ

S. Ægidii in pago *Dollanck*.
SS. Procopii & Nicolai in *Baussovitz*.
S. Catharina in *Liboteinitz*.
S. Wenceslai in *Kmetnowes*.
S. Ægidii in *Arzedhost*.
S. Clementis in *Maursko*, sed per exundationem Egræ pagus extinctus est.

Præterea sunt duæ Ecclesiæ S. Petri una, altera S. Clementis martyris, monasterio adjacentes.

MONUMENTA SEPULCHRALIA.

Infra Chorum Virginum visitur crypta columnis affabrè elaboratis innixa, in qua piissimæ Fundatricis Gertrudis Reginæ anno 1152. denatæ, corpus ab Wladislao conjuge depositum requiescit.

Ibidem Henrici Brzetislai, filii Henrici III. Bohemiæ Ducis, quondam Pragæ episcopi, & Bohemiæ Proregis, Ægræ 10. Junii 1196. defuncti, exuviæ reconduntur. Item BB. Idæ, Elisabeth, & Margarethæ Magistrarum cœnobii. Vide probat. à col. DXVIIJ. ad col. DXXXIIJ.

DRAXMARCHENIUM.

Draxmarchenium. Fil. Præmonstrati. Diœcesis Caminensis. Circaria Sclavoniæ.

HÆc Abbatia, quam alio nomine appellat *Draxmari* Layruelius, in Diœcesi Caminensi posita, in solis monasteriorum Indicibus modò subsistit.

DRIEBURG.

Drieburg. Fil. Alnewic. Diœcesis S. Andreæ. Circaria Scotiæ.

DAvid primus, Rex Scotiæ, postquam Regnum suum optimis ac sanctis legibus instituit, quindecim monasteriorum firmavit fundatione, quæ magnis dotavit reditibus tùm Ecclesiasticis, cùm Urbanis. *Prosperâ fortunâ hæc pietatis suæ monumenta erexit. Non minùs inter adversa pius, in morte Principis Henrici filii sui, in quo spectatæ virtutis signa plurima micabant, hoc sui doloris lenimentum unicum habuit, ut ad virtutum opera eruditus per flagella Dei, magis ac magis pietati se dederet Christianæ.

*Boet hist. Scotor. l. 12. fol. 264 265.

Inter cætera suæ religionis argumenta eminet Driburgensis Abbatiæ fundatio, quam pro salute animæ suæ & filii sui Henrici anno 1152. denati, dotavit, ædificavitque intrà fines Episcopatûs S. Andreæ, sub approbatione Roberti Diœcesani, Gregorii Dunkeldensis, & Andreæ Katenensis episcoporum.

Ab origine sua viris sanctis & doctis claruit Drieburgum, talemque in Scotia sibi famam peperit, ut Academiæ titulum & scholas seculo xiv. ineunte, obtinuerit. Hoc tempore, (anno 1333.) in Abbatia de *Drieburg* florebant, *Monastic. Anglican. Append. p. 1054.*

bant, inquit Dempsterus, studia litterarum. Ex hac Academia prodierunt Radulpbus Strodus, & Pater Patritius, ejusdem loci Canonicus, Philosophus, Theologus, ac Poëta eximius apud nostrates florebat, dum tyranici spiritûs homo Eduardus I. Angliæ Rex absente Roberto Brusio Rege, Scotiam invadens, cœnobium *Drieburg* nefandissimè diripit, de qua direptione librum unum scripsit Patritius, narratque ab hostibus Fratres debiles & infirmos, fuisse crudeliter occisos, Eucharistiæ Sacramentum violatum, & omnia sacra profanata.

Hist Gentis Scot. n.417.

Ad tempora Jacobi VI. in ea perseveravit sanctitatis & scientiæ laude Drieburgensis Abbatia. Sæviens in fidem Princeps, novarum opinionum inescatus illecebris, monasteriis exitiale bellum indixit.

Vide Probat. à col. DXXXIIJ. ad col. DXXXIV.

DRNELA, *sive* DRKOLNA.

Drnela. Filia .... Diœcesis Pragensis. Circaria Bohemiæ.

IN catalogo monasteriorum Bohemiæ, quibus Hussitarum furor depastus est, *Drnelanense* cœnobium numeratur, in favillas redactum, & ita inanitum, ut ejus notitiam historiæ præteritorum temporum & eventuum conservatrici debeamus. Vide Babb. T. 4. Miscell. p. 177.

DROZZO.

Drozzo. Diœcesis Agriensis. Circaria Hungariæ.

PArthenonem de *Drozzo* in Agriensi Diœcesi, ex veteribus erutum Catalogis, elencho monasteriorum Ordinis assuit Layruelius; nec quidquam ultrà de hoc muliebri cœnobio, pridem à marte sæviente, obruto, effari possumus.

DURFORD.

Durford. Fil. Welbec. Diœcesis Cicestrensis. Circaria Angliæ Meridianæ.

HEnricus *Hose*, Dominus de *Herting*, & de *Durford*, in Comitatu Sussexiæ, monasterium in honorem S. Joannis-Baptistæ, & in proprio Durfordiæ fundo ædificare meditans, Hilarium Cicestrensem episcopum, consuluit; quem operi sancto propitium nactus, Henricum II. Regem habuit quoque sui propositi approbatorem. Utrâque potestate suffultus, Berengarium Welbeci Abbatem, accersivit Henricus *Hose*, qui manum, consiliumque præstaret, ad consummationem laudabilis instituti. Adfuit Berengarius, Fundatorem juvit consiliis, structuram cœnobii promovit suis sollicitudinibus, & de familia sua avulsum surculum sub regimine Abbatis illic imposuit. Collatam à parente dotem non modò laudavit cognominis filius, sed hæreditariæ pietatis impulsu, redituum ampliatione adauxit. Succedaneas Fundatorum largitiones Henricus II. litteris per manum Gaufridi* Comitis Britanniæ, filii & Cancellarii sui datis, roboravit. Hilarii & Siffridi Cicestrensium episcoporum ecclesiastica accessit confirmatio, ne quid ad soliditatem domûs sanctæ desideraretur. Geminum nihilominùs fundamentum istud succussit & demolita est Henriciana persecutio.

* Diem ultimum obiit Parisiis anno 1186. & in Cathedrali Ecclesiâ tumulatus est

Vide probat. à col. DXXXIV. ad col. DXXXVIIJ.

DWNVALDIUM.

Dwnvalde Fil. Steinfeldiæ. Coloniensis Diœcesis Patronus S. Nicolaus. Circaria Westphaliæ.

PArthenon Dwnvaldensis in Ducatu Montensi & in Coloniensi Episcopatu situs, ab Heidenrico, toto in opus Dei converso, fundatur anno 1117. pro viris Religiosis Deo illic sub regulari habitu servire deligentibus. Erectam ibidem Ecclesiam sub sua protectione Adolphus Comes Montium, tanquam Advocatus legitimus, suscepit, approbavit Fridericus Archiepiscopus Coloniensis, & ab omni servitio tam Episcopi quàm Chorepiscopi, ab omni jure Synodali fecit liberam, & parochialibus quoad sacramentorum administrationem, & sepulturæ jura, parem reddidit matricibus Ecclesiis. Quos ab origine incolas habuerit Dwnvaldium, quam Religionis induerint formam ex documentis superstitibus, non evincitur, et forte evinci non potest, cùm à fundationis exordio usque ad Euvervini Steinfeldiæ Abbatis adventum, quatuor aut quinque tantùm effluxerint anni, & certum sit quòd famâ novi Apostoli motus Heindericus, statim advenranti se suaque tradiderit. Præmonstratenses igitur, non alios, submisit Dwnvaldium Euvervinus, qui sub regulari habitu, ad Fundatoris mentem, Deo famulabantur.

At cum anno 1138 ex decreto Capituli generalis, Sanctimoniales, è vicinia Monasteriorum summoveri sancitum esset, suas à Steinfeldia* ad Dwnvaldium transtulit Canonissas Euvervinus, Canonicis ad suum revocatis clau-

* Loco qui dicitur *Hallendall.*

ſtrum, ſub Prioris regimine, ſupremum ſibi retinente Prælato Steinfeldenſi, adunavit moniales nobilium filias. Succeſſu verò temporis plebeiæ mixtim cum nobilibus admiſſæ ſunt in conſortium, prout ratio temporum, & monaſterii utilitas poſtularunt.

Ab Ordine avulſus aliquandiù Parthenon à Sacellanis & Præpoſitis ſecularibus regebatur, aut à Capellanis ex Abbatia Brauweilerana, Ordinis S. Benedicti; ſed Conradus Colonienſis archipræſul, temerè ſeparatum ſapienter Ordini reſtituit anno 1257. monaſterium, quod ſub annum 1643. ad Collegii Norbertini Colonienſis ſubſidium, unione tranſiit.

Magiſtrarum ſeriem ex archivis Steinfeldiæ erutam communicavit pro ſua innata benignitate R. D. Abbas Michaël, acceptam reddidimus, omiſſo manualium Priorûm Catalogo.

I.

GERTRUDIS.

II.

ALEIDIS, 1192.

III.

ELIGA, 1231.

IV.

ELIZABETH que ſuum Conventum Ordinis & Steinfeldiæ juriſdictioni ſubduxerat.

V.

GERTRUDIS cogente Conrado Metropolita, ad Ordinem revocat ſuum Parthenonem, 1251.

VI.

ELIZABETH, 1253.

VII.

GERTRUDIS, 1268.

VIII.

PETRONILLA.

IX.

CATHARINA, 1281.

X.

JUTTA DE *POMERIO*, 1301.

XI.

IRMENGARDIS, 1316.

XII.

BEATRIX, 1330.

XIII.

SOPHIA DE *LILIO*, 1338.

XIV.

LORA, 1359.

XV.

AGNES, 1362.

XVI.

MARGARETA DE *WICKRADE*, 1366.

XVII.

BELA DE *BREMBES*, 1369.

XVIII.

IDA VAN *WALDENBERG*, 1378.

XIX.

GRELA *EYVERSTOLTE*, 1383.

XX.

COYNA *VAN DE MOELEN*, 1390.

XXI.

WILMEZA, 1427.

XXII.

BLIZA.

XXIII.

CHRISTINA *VON VOTSBROICK*.

XXIV.

RICHARDIS *VAN ATTENBACH*.

XXV.

FELICITAS *VON MONZENIG*, 1470.

XXVI.

MARGARETA DE *MENZINGEN*, 1514.

XXVII.

MECHTILDIS DE *HANZELER*, 1540.

XXVIII.

DOROTHÆA DE *UNSTZAEL*, 1563.

XXIX.

BARBARA *A ZULSDORFF*, 1570.

XXX.

JOANNA *VAN RUEN*, 1595.

XXXI.

AGNES DE *LANDSTBERG*, 1608.

XXXII.

MARIA *VAN ELLER*, 1622.

XXXIII.

ANNA MARIA *A ZULSDORFF*, 1643. Magiſtrarum ultima poſt cujus deceſſum

proventus Parthenonis cesserunt ad utilitatem Collegii Norbertini Coloniensis, ut suo dicetur loco.

PAROCHIÆ.

Parochia in *Reindorff* alternatim ab Abbate Veteris-montis, Ordinis Cisterciensis, ab Abbate S. Pantaleonis intra muros Coloniæ & à Monasterio Dwnvaldensi confertur.

Capella S. Blasii, in Ecclesia Dwnvaldensi ab Adolpho Montium Comite & Agnete ejus conthorali anno 1347. fundatur & dotatur pro sustentatione sacerdotis, qui quotidianam Missam tenetur facere pro salute prædecessorum Fundatoris & remedio animarum multorum Militum qui in campis Leodiensibus occubuerant. Valramus de Juliaco Coloniensis archiepiscopus, fundationem suo confirmavit diplomate; præsentationem Duci montium dotatori, investituram, sive institutionem, Abbati Steinfeldiæ asseruit, anno 1347. mensis Aprilis die 17.

SACRÆ RELIQUIÆ.

Statua pectore tenus efformata continens particulam corporis sancti Nicolai patroni tutelaris Dwnvaldiæ.

Os sanctæ Brigittæ.

Viginti quatuor capita in capsula decenter acclusa, sed quorum nomina scripta sunt tantum in cælis Vide Probat. à col. DXXXVIIJ. ad col. DLXIV.

ECKENBACH.

Eckenbach. Fil. Arnstenii. Diœcesis Moguntinensis. Circaria Vadegotia.

Sac. Antiq. Mon. Tom. 2. pag. 41.

PRopago est *Vallis S. Mariæ* Parthenon de *Eckenbach*, anno 1148. à Comite Arnstenii Ludovico fundatus, ut refert coævus Vitæ scriptor: »Sanctimoniales, inquit, »quæ priùs apud *Bethlenrode*, tunc *Steden* »commorantes.... in *Vallem S. Mariæ* trans»tulit; de quibus postea cœnobium Domina»rum, quod dicitur *Eckenbach*, transplantavit.

In Palatinatu inferiori, ad radicem montis tonitruum, & in vicinia Abbatiæ nostræ Monasteriensis, vulgò *Munstre*, positus erat Eckenbacensis Parthenon; qui ex nobilitate inhabitantium ab origine domicellarum, sortitus est nomen *Cœnobii Dominarum.*

Hæc ex litteris V. Cl. Joan. Frid. Schanati.

Anno 1254. Kal. Januarii Wernerus de Bolandia, & Philippus frater ejus, donant cœnobio S. Mariæ in *Eckenbach*, Ecclesiam S. Petri in *Freinsheim*, cum omni jure & attinentiis.

Wiricus de *Duna*, Eckenbacensis Advocatus, anno 1271. de consensu Cunegundis uxoris suæ, in favorem Eberhardi, episcopi Wormatiensis, abdicat omnia jura sibi ratione Advocatiæ competentia.

Comparet in actis anni 1278. Agnes Magistra Eckenbaci cum suo Conventu.

Altera Agnes Magistra, & Bertolphus Præpositus, scribunt litteras annis 1397. & 1400.

Ad annum 1556. stetit in gloria sua, & in Religionis Norbertinæ candore asceterium, quod sub hanc duram prævalentis hæreseos tempestatem turbine Fridericiano cum aliis miserè absorptum est.

S. ELISABETH IN SPASSARDO.

Sancta Elizabeth in Spassardo. Fil. Cellæ superioris. Diœcesis Herbipolen. Circaria Ivaldiæ.

Mem. Cellensia & Registra Benefic. Herbipol.

COnrado II. Abbate Cellensi, Fratres Eremitæ per diversas Franconiæ solitudines dispersi, in congregationem coalescere cupientes, ut vitam privatam cœnobitico temperaret regimine, nemus Franconiæ quod vulgò *Spessarth* appellatur ad communem secessum sibi delegerunt. Habebat inter sylvarum latebras, Comes de *Reyneck*, Capellam Sanctæ Elisabeth nuncupatam, suo situ & circumstantium agellorum amœnitate aptissimam incundæ vitæ Eremiticæ, hanc à Comite, cum adjacentibus agris, postularunt Fratres, ut structis hinc inde taguriolis, communi oratione & victu monastiteri agerent. Petitioni annuit Comes, & anno 1295. non tantùm Capellam & circumvicinas terras jure proprietatis transcripsit, sed & prædia nonnulla sui Comitatûs, contulit illis ad vitæ sustentationem, eâ tamen lege, ut in habitu candido, & sub regula Præmonstratensi militarent. Conditioni assenserunt Eremitæ, & ducem ac patrem novæ militiæ adoptarunt Conradum Cellæ-superioris Abbatem, cujus sollicitudini commendarat Comes Eremitorii curam, post Fratrum mortem, ne vacaret Religiosis incolis. Assumpsit in se Conradus regimen solitariæ cohortis, quam fovit paterno affectu, & constitutionibus statui accommodatis, informavit.

Deficiente Eremitarum turmâ, Theodorus Abbas Cellensis, Canonicos sui monasterii ad S. Elisabeth Eremitorium delegavit anno 1342. Illic steterunt divinis operantes ad annum 1350. quo quidem favente Fundatoris hærede, proventus ad augmentum Cellæ-superioris, transmissi sunt Abbati: Ipsa postmodùm Capella, seu bellorum strage, seu caducitate ædificii concidit, vixque ejus rudera apparent.

ELLEN.

Ellen. Fil. Hamborna. Diœcesis Coloniensis. Circaria Vestphaliæ.

DUces Juliæ Fundatores agnoscit Ellense monasterium propè *Duren.* Annus fundationis incertus, ob consumpta in bello Juliacensi documenta. Knechstedensi primitùs Abbati Ellen, uti Patri suo, paruit; suisque Præpositis regebatur, usque dum ab Ordine Sanctimoniales defecerunt, seculo nempè decimo tertio labente. Ad disciplinam revocatæ posteà ad Patrem Abbatem ultrò confugerunt, ut sua autoritate propositum novæ & melioris vitæ firmaret; præstitit opem postulantibus ad saniorem mentem reversis, Kneckstedensis Abbas: at quoniam ob personarum defectum & loci distantiam assiduum non poterat præbere renascenti monasterio auxilium, in Steinfeldiæ Abbatem jus Paternitatis, de Capituli sui annutu, transfudit anno 1308. Adam Præmonstrati Abbas, totumque Capitulum generale eodem anno congregatum Præmonstrati, translationem hanc habuere ratam. Laudavit illam asseruitque posteà Hubertus Præmonstratensis Abbas, Capitulo generali in monasterio S. Evodii de Brana, anno 1492. præsidens, quamvis anno 1427. Knechstendensis Abbas, delatæ pridem jurisdictionis pœnitens, ipsam in visitationis actu resumpsisset, & anno 1459. ad Ecclesiam Hambornensem versatili ex genio transtulisset. Solemnibus pactis & decretis commissum Paternitatis jus, servavit illæsum Steinfeldensis Abbas, ad annum 1533. quo tempore Joannes de *Arveiller* in gratiam Hambornæ juri suo renuntiavit.

Varias Ellensis Parthenon, præsertim ex Suecico marte passus est calamitates: à suo lamentabili statu, œconomicâ sollicitudine P. Villebrordi *Nothen* Steinfeldensis Canonici, & Elleni Prioris surrexit. Ecclesiam, ædificia instauravit à fundamentis anno 1652. & regularem disciplinam, penè in prænobilium Virginum asceterio collapsam, restituit tam feliciter, ut illic pietas & generis splendor de primatu contendant.

Elenchum Magistrarum qualem ex Necrologiis potuerunt eruere subjicimus.

I.

MARGARETA florebat anno 1350.

II.

CATHARINA *VAN HUSEN* vivebat anno 1426. Sub ejus regimine difformatum parthenonem visitavit Theodoricus Hambornensis Abbas authoritate Capituli generalis anno 1427. & ad Ordinis & Statutorum observantiam coegit censuris rebelles.

III.

CÆCILIA *VAN SCHLENDERN*, refertur sub annum 1445.

IV.

CATHARINA *VAN SCHLENDERSEN*, 1493.

V.

MARIA *DE BOCK.*

VI.

GERTRUDIS *AB AHR*, 1509.

VII.

CHRISTINA.

VIII.

SOPHIA *HUCKLING A GULICH*, 1552.

IX.

JOANNA *DE GLYLLINGEN*, 1566.

X.

ANNA *DE ELLER*, 1579.

XI.

MARIA *A STREITHAGEN*, 1616.

XII.

CATHARINA *STANDERT*, 1623.

XIII.

ELIZABETHA *VON BROICH* cessit 1656.

XIV.

MARIA CATHARINA *DE HEIMBACH*, 1672.

XV.

MARIA ELIZABETHA *BEWERS*, 1676.

XVI.

ELIZABETHA *AB ENZENBROICH.*

SACRÆ RELIQUIÆ.

Primas sibi vindicat notabilis pars Crucis Christi, quam Catharinæ de *Schwartzenberg* Sanctimoniali Ellensi, germanus frater Cruce signatus, è sacris locis asportatam tradidit; vel, si piæ traditioni fides sit, miraculoso commeatu, è maris vorticibus erepta, Ellen appulit. Frequentibus portentis & curationibus haud incelebris hæc Reliquia, movit olim Juliacensem Ducem ad petendum frustellum, sed dùm reverenti manu scissio fieret, prosiliisse referunt guttas sanguinis, quæ spectantem Principem & stupentem Presbyterum cohibuerunt.

Pollices S. Stephani & S. Thomæ Cantuariensis episcopi, Patroni Cellensis monasterii. Brachium S. Margaretæ Virginis.

Sunt & alia diversorum Sanctorum pignora pretiosis acclusa lipsanis.

Vide probat. à col. DXLIV. ad col. DXLV.

ELSEN.

Elsen. Fil. Scheida. Diœcesis Coloniensis. Circaria. Westphaliæ.

OMissum ab Indicibus editis Elsenii Parthenonem, restituerunt ditissima Steinfeldiæ archiva, quæ ad votum reseravit nobis Præsul humanissimus Michaël, Circariæ Westphalicæ vigilantissimus Vicarius generalis. Positum hoc fœminei sexûs monasterium, in Comitatu Markiæ ad fluvium Lenam, sub Paternitate Scheidensi didicimus ex documentis Steinfeldiæ, novimus ex iisdem, sub patrocinio hæreseos Comitatum Markensem depopulantis, Sanctimoniales, ad laxiorem declinasse vitam, cui emendandæ, impar cum esset Ordinis authoritas, nullum habens ad illas accessum, Brandeburgico Electore Domino Comitatûs obsistente, statutum est à Patribus Capituli Provincialis anni 1628. humillimè supplicandum Serenitati Brandeburgicæ, ut Knecstedensi Abbati Visitatori Circariæ, faceret licentiam adeundi & reformandi Parthenonem Elsensem. Porrexit Electori supplicem libellum Knecstedensis Abbas, eique Brandeburgicus propitium dedit Decretum. Electoris consensu munitus Abbas, adjunxit sibi Olinghusanum Præsulem viæ & propositi comitem, et ambo Elsen ingressi anno 1630. ad monasterium diverterunt officio Visitatorum functuri, sed mox ut provinciam sibi demandatam voluerunt obire, iterato campanæ pulsu Sanctimoniales excivere progeniem rusticam & lutheranam, quæ protinùs ad arma cucurrit, actumque fuisset de salute Abbatum nisi promptâ & celeri fugâ ad Scheidæ monasterium se recepissent. Ab hinc nihil ultra tentatum ab Ordine, Moniales verò sibi permissæ, excusserunt omne Religionis jugum, secularitatem amplexatæ omnimodam.

EPEIMBEC.

Epeimbec. Fil. Præmonstrati. Diœcesis Herbipolensis. Circaria. Ervaldiæ.

MOnasterium istud in editis & mss. Indicibus, nomine paululùm immutato reperitur expressum apud Layruelium, & mss. convolutum *Epeimbec*. Apud Pagium, & Indicem Steinfeldensem *Epeimberc*.

In Catalogo Osterhoviensi *Eppenberg*. Pro communibus Ordinis expensis, annuatim pendebat quinquaginta schillingos prout habetur in matricula Ordinis, ex archivis Steinfeldensibus communicata. Tumultuantibus in Germania Lutheranis, deletum est istud non infimæ notæ asceterium.

EPISCOPIA.

Episcopia. Fil. Præmonst. Diœcesis Cerhauniensis. Circaria Græciæ.

HUgo III. Henrici Antiochiæ Principis & Isabellæ de Lizignano filius anno 1267. post fata Hugonis II. ad Cypri Regnum, posteà ad Jerosolimæ coronam evocatus anno 1269. Præmonstratensium agmen ad insulam Cypri hac ætate trajecit, & in civitate Cerhauniæ* erecto à se imposuit monasterio quod Episcopiam nominavit B. Mariæ Virgini nuncupatam. Vigore disciplinæ, & sanctitatis famâ sic inclaruit cœnobium, ut ad Armenos usque pervagaretur nominis celebritas. Haito Regiæ Armenorum prosapiæ proles, & Regum Cypriorum satus sanguine, ad relationem arduæ virtutis, quam sectabantur Episcopiæ Canonici, exarsit in desideria profitendi eorum regulam, et voto se obstrinxit. Sed quoniam bellorum in Armenia tumultuantium applicationes, non sinebant Principem armis strenuum, & exercitûs ducem, infectâ pace, aut hostibus non domitis discedere, "Sed postquam Deus, inquit, suâ "pietate mihi concessit gratiam dimittendi "Regnum Armeniæ & populum Christianum "post multos labores meos in statu pacifico & "quieto, confestim votum quod diù voveram "volui adimplere. Acceptâ itaque licentiâ à "Domino meo Rege & ab aliis consanguineis "& amicis, in campo illo ubi Deus de inimicis triumphum concesserat Christianis, arripui iter meum, & perveniens in Cyprum in "monasterio Episcopiæ Præmonst. Ordinis, "suscepi habitum regularem, ut qui in juventute mea militaveram mundo, in servitiis "Dei reliquum vitæ meæ, pompis hujus se"culi relictis, consumerem. Hoc novum militiæ genus aggressus est Haito anno 1305. spiritualis vitæ finem nescimus; licet beatum fuisse non dubitemus. Fundator verò Episcopiæ Hugo III. qui tam de dilecti amici Joannis de Monte-forti, quàm de filii sui Boemundi morte consternatus mœrore jam erat, Tyri mortuus est 26. Martii anno 1283. Ad Cypri Regnum vocatus Joannes filius alter, & Nicoliæ coronatus, Episcopiam parentis sui opus, beneficiis prosecutus est. Ad sera non modò regnantis Pictaviensis & Lizignanæ familiæ in Cypro, sed ad ulteriora dominantis, ibidem reipublicæ Venetæ tempora, substitit mo-

* Cerines.

Sanutus l. 3. part. 12. p. 229.

nasterium, siquidem in generali Capitulo quod Præmonstratensi coiit ipso expugnationis Cypri anno, Patres decreverunt *faciendam esse missivam Senatui Venetorum, ad ei commendandam regularem reformationem monasterii S. Mariæ Episcopiæ in Regno Cypri.* Sed inutilem effecit Patrum providentiam Selim II. dum anno 1571. per 75. dies attritam bellicis fulminibus insulam, Mahometico subdidit jugo.

SANCTA EUPHEMIA.

S. Euphemia. Fil. S. Mariæ de Eremitarii. Diœcesis. Portuensis. Circaria Hispaniæ.

HOc monasterium in Regno Lusitaniæ ab Ordine per inobservantiam defecerat. Illius & aliorum reformationem Joannes Desclusa, Præmonstrati Abbas, aggressus, Emanuelem Lusitaniæ Regem litteris convenit anno 1499 supplexque obtestatus est, ut Abbates S. Christophori & S. Mariæ de Buxeto, à se delegatos, ad resarciendam religionem in multis labefactatam, humanitùs excipere, & suo succurrere regali auxilio dignaretur. Favore suo opus & operarios prosecutus Rex, decori & disciplinæ restituendis plurimùm conduxit, perfecêre Abbates deputati. Nihilominùs post instauratam hîc & alibi observantiam, rursùs Ordinis jugum excusserunt Lusitaniæ monasteria, nec ampliùs in toto Regno resonat Olorum cantus. Sperant nihilosecìus Præmonstratenses Hispani fore ut aliquando restituatur Ordini Norbertina hæreditas; idque ut ab Serenissimo Lusitaniæ Rege potenter concedatur, adlaborant totis nisibus. Faxit Deus pio conamini eventus respondeat.

EWITENIUM.

Ewithenium. Fil. Præmonstrati. Circaria. Daniæ. Diœcesis. Roschildensis.

PRæposituram hanc in omnibus Ordinis Indicibus legimus; in quibusdam sub nomine *Ewithenii*, in aliis dicitur *Ewid.* In Circaria Regni Daniæ, & in Roschildensi episcopatu vigebat. Ortûs & interitûs Ewithenii tempora nescimus, nec vivit alibi, quàm in codicibus.

FERMIA.

Fermia. Circaria. Scotiæ.

IN Scotiæ Regno hanc locat Abbatiam Layruëlius post manuscriptum convolutum: sed nec situm, nec diœcesim, nec filiationem ullibi reperias.

FERINA.

Ferina. Fil. Candidæ-Casæ. Diœcesis. Rosmarchia. Circaria Scotiæ.

PAgius in Bibliotheca p. 343. hoc monasterium filiale facit Candidæ-Casæ, & in Rosmarchiæ Diœcesi, intra Circariam S. Andreæ & Sclavoniæ reponit.

FLABONIS-MONS.

Flabonis-Mons. Fil. Bellævallis. Diœcesis. Tullensis. Circaria Lotharingiæ.

* Aigremont.
* Deüilly.
* La Marche.

ANno MCXXXII. Wido de Acrimonte, * ex illustri Toparcharum Deüilleii * prosapia oriundus, & loci de Flabonismonte Clientelaris Dominus, annuente Hugone Comite Vadani-montis, & Adelinâ de Burgundia uxore ejus approbante, Abbatiam in suo Flabonis-montis feodo fundavit, loco quidem sinuosi rivuli decursu, arridentis prati grato spectaculo, aëris puri salubritate, & adjacentium sylvarum pacatiore umbrâ, lepidissimo & feracissimo, duabus ab oppido Marchia, * totidem à Bourbonæ Thermis, dissito leucis.

I.

Ex Bella-valle Argoniensi primos accersivit monasterii sui Religiosos Wido, & tales submisit sub ductu STEPHANI, Abbas Philippus, qui *bonum* in his partibus *Christi spargerent odorem.* Adventantes comiter excepit Henricus Princeps à Lotharingia Tullensis episcopus, paternâ pietate fovit, & Fundatoris prævertens vota, sacram fecit suo Diplomate dotem addictam monasterio, addititiasque Comitis Vademontani & aliorum benefactorum largitates confirmavit anno 1140. Dein ab Eugenio III. quem Remis convenit Abbas Stephanus anno 1148. obtinuit instituti Ordinis, & collatorum Flabonis-monti bonorum Apostolicam approbationem. Sanctæ conversationis famâ & familiari plerumque Stephani contubernio sanctè delectatus Henricus Princeps, in ejus dilectionem exarsit, & in amoris argumentum parochialem Ecclesiam de S. Juliano & quidquid ibidem habebat juris, ipsomet Oldelrico Archidiacono rogante, concessit Abbati, anno 1161. Decimas villæ ejusdem a Petro Milite S. Juliani traditas Flabonis-monti ex intuitu duarum proneptum suarum quæ illic Re-

ligionis habitum sumpserant, episcopali auctoritate consecravit anno 1162. Ab ipso enim penè adhuc vagientis Flabonis-montis exordio, Virgines ad Stephani prædicantis vocem medullitus tactæ, Religionis petierant vinculis alligari, & tot Christo peperit ut successor ejus Hugo contiguas pro more Parthenonis ædes ampliare debuerit, affluentium multitudini continendæ capaces. Orricum Dominum de *Deüilly* Gerardi à Lotharingia Comitis Vadani-montis fratrem, quem ex vicinia quasi convictorem, & ex familiaritate discipulum fecerat, Christianis imbuit, sicque succendit documentis, ut ingravescentis morbi, mortisque imminentis periculo territus, ad Flabonis-montem deferri voluerit, ut propiùs frequentiùsque salutis monita ex Abbatis ore capesseret, & tutiori commeatu, sub tanto duce, viam æternitatis ingrederetur. Inter Abbatis Stephani amplexus & Fratrum psallentium preces obiit Orricus anno 1166. & lugubri pompâ, benefactori & amico parentavit Abbas. Cum Abbate & Conventu Luxoviensi sacrum fraternitatis fœdus pepigit Stephanus; strictam quoque cum Abbatissa & Sanctimonialibus Romarici-montis societatem orationis & meritorum sanxiit, & in signum fraternæ concordiæ se suosque successores adstrinxit ad celebrationem solemnis Missæ in Ecclesia Romarici-montis, recurrente festo Divisionis Apostolorum. Querelam ex occasione Tontigniacensis prædii * suscitatam ab Abbate Belli-prati * per interpositos arbitros sopivit anno 1174. Aderant ex parte Belli-pratensium Henricus Morimundi, & Theobaldus Vallis-dulcis *(a)* Abbates. Ex parte verò Stephani Guillelmus Mirævallis *(b)* & Stephanus Sanctæ Crucis Metensis Abbates, qui amicabili compositione pacem resarcierunt. Anno 1179. prædia banni de *Xersel*, quæ partim pretio, partim ex liberalitate Theodorici de S. Eliphio compararat, confirmatione Petri episcopi Tullensis, asseruit Flabonis-monti. Reynerus Bourbonæ ad Thermas Dominus, renuens præstare hominium Abbati Stephano pro villa Fraxini * judicio Theodorici Vesontionis & Petri Tulli episcoporum condemnatus est anno 1180. & hic supremus fuit regiminis & vitæ annus Stephani, quem ætas grandæva, virtutibus & meritis locuples, cœlo maturum fecerat. Obiit gentis magnæ Pater major, & quatuor monasteriorum legislator & parens.

* Beldon ad ripas Mosellæ.

* Beaupré. O. C. Abbatia propè Lunévillam.

(a) Morimont & Vauxladoucé.

(b) Mureau.

* Fraisne.

II.

Hugo Parthenonem transtulit & auxit ædificiis. Collata Flabonis-monti bona ab humano liberavit commercio. Hugoni II. Comiti Vadani-montis gratus, ab eo plura accepit beneficia, quæ Petrus de Brixeio episcopus Tullensis suo Diplomate roboravit anno 1183. Religiosos hoc elogio donans quòd *sunt bonus odor Deo in omni loco*. Anno eodem litem à Belli-pratensibus intentatam Srivagio composuit ut mediator, & pacem confœderatione sanctâ firmavit inter utrumque monasterium. Anno 1188. impetravit à Clemente III. Bullam confirmatricem jurium & bonorum suæ Abbatiæ. Anno eodem emit à Radulpho Milite de *Lunwi* & Gosvino de *Fauconcourt* quædam prædia, quæ Petrus Tullensis præsul confirmatione suâ sanxiit. Anno eodem Guiardus Dominus de *Risnel* eximit Hugonem & Fratres Flabonis-montis ab omni pedagio in terris suis. Anno 1196. parochias S. Juliani & de *Crainvillier* confert Odo episcopus Tullensis Abbati Hugoni, & hanc donationem Fridericus Decanus Tullensis & Archidiaconus de *Vitello* approbat, *ita ut à Canonicis Flabonis-montis in Ecclesiis prædictis serviatur*. Ultra annum 1201. non comparet in actibus. Mortuum aut resignantem fuisse ab hoc anno conjicimus.

III.

Galterus raræ suæ administrationis monumenta reliquit posteris, aut posteritati invidit temporum infelicitas. Anno 1211. recipit ab Orrico de Acrimonte abnepote Fundatoris *omnimodum usuarium* in nemoribus villarum de *Thous* & d'*Iche*. Anno eodem aut præcedente Ferricus Miles de *Dombrot* contulit Galtero medietatem *tractûs Ecclesiæ de Serocourt*, & suæ donationis testes appellat Guidonem Cari-loci Abbatem, Ferricum Comitem Tullensem, & Guidonem Dominum Jonci-villæ. Idem Ferricus Comes anno 1212. de assensu fratris sui Rainaldi tradidit Galtero *ligna ad comburendum ad usum domûs suæ Tulli necessaria, in toto banno de Oscher*. Abbas hoc anno desiit esse Galterus, idque evincunt Chartæ Ferrici de *Dombrot*, & Raynaldi Tullensis episcopi, quas consule relatas in appendice.

IV.

Albertus largitiones factas Ecclesiæ suæ à Guiardo Milite *Deüilleii*, à Widerico patre suo & Gisela seu Gileta ejus uxore, obtinet à Raynaldo Tullensi præsule confirmari anno 1213. Ipsa Gisela est quæ sacrificio vespertino rugas senectutis in Parthenone Flabonis-montis Domino consecravit, assumpto habitu Conversæ. Ipsa est quæ mortis imminente horâ, & astantibus laudantibusque filiis Widerico & Elisabeth, dedit Abbati Alberto & Conventui *in perpetuum, totum allodium suum de Ozainvilliers*, anno 1219. Hic deficiunt instrumenta in Flabonis-montis Chartophilacio quibus Abbatum series possit continuari, supplebunt documenta quæ ex regio Ducis Lotharingiæ thesauro depromsimus.

V.

Cono Henricum II. Barri Comitem, *ejusque hæredes qui Bormontem * possidebunt, associat allodio suo de* Fraisne *ita ut post perceptos ab Abbate tres Bladi modios, cæteri proventus ex æquo & per medium dividantur inter*

* Bourmont.

Comitem & Abbatem. Retinet insuper Abbas *homines cum universis tenuris, quas Magister Gerardus de Borbona* in eadem villa *de* Fraisne *tenebat ab Abbate.* Anno 1236. hanc associationis Chartam dedit Cono. Bullam Honorii III. anno 1224. Abbati Flabonis-montis inscriptam, ad Cononis petitionem datam fuisse creditur.

VI.

NICOLAUS ex sequenti compositionis Charta nobis innotescit. » Ego Nicolaus Abbas Flabonis-montis, universis præsentes litteras visuris. Notum facio quòd ego & Conventus Flabonis-montis penes nos reservamus litteras sigillatas sigillo Ducis Lotharingiæ quarum tenor talis est. Ego Matthæus Dux Lothar. & Marchio notum facio omnibus quòd Raynerus de Borbonia in præsentia de Manuburnia se jactavit & exposuit, & laudavit & concessit talem compositionem qualem Dominus Simon de *Passavant* fecit de *Dura-Aqua*, * & de *Frasne* erga Comitem Barri & erga Abbatem Flabonis-montis, in cujus rei testimonium nostrum præsenti paginæ feci appendi sigillum. Datum feriâ 4. proximâ post medietatem Quadragesimæ, anno gratiæ 1238. & sciendum quòd ego & successores mei tenemur dictas litteras apportare vel mittere ad monstrandum eas ubicumque & quotiescumque Comiti Barri vel hæredibus suis necesse fuerit ad eorum petitionem vel mandatum suum. In cujus rei testimonium præsentes litteras sigilli mei munimine roboravi. Actum anno gratiæ 1238. mense Aprilis.

* Dureau propè Fraisne.

VII.

HUGO II. vendit Joanni Militi de Bryeio quatuordecim terræ libras & quidquid apud Martigniacum * habebat Abbatia pro pretio librarum bis centum anno 1260. Et anno 1259. aderat testis associationis, quâ Aubertus *Boulée* & Gerardinus filius ejus Theobaldum II. Barri Comitem in consortem asciverunt Toparchiæ de *Serocourt*, de *Marey* & d'*Hérival.*

* Martigny.

VIII.

NICOLAUS II. anno 1273. comparet ut testis venditionis quam Joannes de *Chatillon* facit Theobaldo Comiti Barrensi omnium proventuum & jurium quæ habebat in villis Domnibasoli, & Bleurvillæ. * Anno eodem Marchiam ablegatus est ab ante fato Comite ut exploraret damna quæ passi fuerant cives à Reginaldo Barrensi Principe, qui in fratrem suum Theobaldum rebellis, terras ejus ferro vastarat & igne. Relationem suam & Prioris de Harevilla * nomine Varrici manu signatam porrexit Comiti Nicolaus Abbas, in qua Marchiensium injurias & calamitates exaggeravit, sed & illorum generositatem in condonatione damnorum, laudavit. At Comes nolens vinci à subditis in bono, vectigalia argenti & frumenti dominio pendi solita, relaxavit per biennium læsis civibus, & beneficentiæ suæ Chartam consignavit Abbati, præsentibus Guidone *Chaudron*, * Theobaldo *de la Marche*, Joanne de *Raigecourt*, & Willelmo de *Moupertz* Militibus. Anno 1278. mense Decembri accersitur ut testis associationis toparchiæ de *Roucourt*, quam Joannes de *Parney* sponte Theobaldo Comiti concessit.

* Dombasle & Bleurville.

* Haréville.

* Sub hoc nomine, ut creditur, audiebat olim inclyta Stainvillorum familia.

IX.

JOANNES II. anno 1289. cum Gerardo *Boulée* Domino de *Serocourt* paciscitur sub approbatione Comitis Theobaldi. Anno eodem homines suos de *Fraisne* & d'*Einvelle* eidem Comiti subjecit, ea lege ut triginta septem Quarterios partim frumenti, partim avenæ cum sexaginta solidis annuatim Conventus perciperet super exportationibus ex fisco de *Serocourt.* Anno 1293. cum Joanne Abbate Sancti Vincentii Bisuntini partitur decimam de *Fraisne*, & lites hac occasione inter utrumque monasterium motas, componunt. Templi monasterialis atrium excitavit à fundamentis.

X.

GERARDUS anno 1303. Fratrum auget pitantias, istudque augmentum laudant Joannes Bellæ-vallis, & Guillelmus Præmonstrati Abbates. Anno 1305. Joannes & Simoninus Domini de *Ville sur Illon* Gerardo Abbati & ejus Fratribus in eleemosynam assignant quadraginta solidos Tullenses annuatim percipiendos in talliis de *Vroville.* Humbertum *Bullegneville*, Joannem *Deüilliaci*, Theobaldum *Boulée* Mandræ toparchas Abbatiam litibus vexantes, aut à solutione debitorum censuum se subducere volentes, juridicè compescuit. Nomine & delegatione Eduardi I. Barri Comitis ad hominium recepit Hemonium de *Charie* anno 1312. Commutationem quorumdam bonorum facit anno 1315. cum Huardo de *Beaufremont* Domino *Bullegnevillæ.* A Theobaldo II. Duce Lotharingiæ usum lignandi in forestis de Darneio obtinuerat anno præcedente. Apud utrumque Principem Lotharingiæ & Barri, gratiâ & honore valuisse, testantur varia beneficia, quæ ab utroque emeruit. Ad annum 1324. vitam & regimen deduxit Gerardus. Extra cancellos Chori hoc Epitaphio donatus cubat.

Abbas GERARDUS Serocurii qui dedit ortum, hac petrâ tegitur, præfuit annis mille trecentis, viginti quatuor. Transiit à nobis, Februarii bis quinque Kalendis.

Requiescat in pace. Amen.

XI.

XI.

RICHARDUS I. DE *MALERAUT* Henrico & Eduardo Comitibus Barri à sanctioribus consiliis, claustrum ædificavit. Anno 1330. Thomas Tullensis episcopus concedit Richardo *potestatem plenariam præsentandi Fratres ad parochiales Ecclesias de* Mandris ad duas turres, *& de* Ozainvillari *quando & quotiescumque eas vel earum aliquam vacare contigerit.* Curtem *Domni-Valerii* aliorum junctione prædiorum auctam, amortizavit per Patentes litteras Eduardi Comitis Barri anno 1335. Theodoricum Abbatem Stivagii electum & à se confirmatum, Andelacensi Abbatissæ præsentavit investiendum anno 1337. Anno 1339. Henricus Comes Barri permittit *suo fideli & dilecto Consiliario* Fratri Richardo Abbati Flabonis-montis torcular construere in villa de *Frain.*

XII.

JOANNES DE *CHATENOY*, anno 1345. domum Tullensem pro alia sibi commodiore visa, commutat cum Fratre Joanne de *Vauconleur* Priore Conventûs Fratrum Prædicatorum Tullensis. Anno 1346. Joannem & Galterum de *Ville* reluctantes solvere quadraginta solidos Tullenses quos debebant ex pactis paternis pendere annuatim de talliis de *Vroville*, ad solutionem præstimonii adegit.

XIII.

RICHARDUS II. à Radulpho Lotharingiæ Duce, ob scientiam & pietatem gratus, ad sanctiora ejus consilia admissus est anno 1346. qui fuit Principis ultimus: ultimum Richardi ignoramus: successorem immediatum habuisse, auctore potiùs traditione, quàm testimoniis litterarum, asserunt Flabonis-montenses fasti Hugonem de *Fouchécourt.*

XIV.

HUGO III. DE *FOUCHECOURT*, primum sui regiminis indicium anno 1374. perhibet, hiatum successionis tardo hoc signo subodoror. Sylvas de *Boësne*, quæ à tempore associationis Comitum Barri, in sortem obtigerant suo monasterio, limitibus disterminavit anno eodem. Prædia quædam commutat cum Carolo de *Florémont* anno 1378.

XV.

RICHARDUS III. anno 1392. transigit cum Pontio de *Tilleul* super lite mota.

XVI.

GODEFRIDUS DE *MARCHIA* anno 1399. pacem resarcit cum monasterio S. Apri Tullensis, nonnihil turbatam ex occasione decimarum & finium *Martigniaci*, *Fraxini*, & *Serocuriæ.*

XVII.

SIMON DE *MAZEROY*, die 22. Aprilis anni 1409. decimas agrorum locat villicis. Annis 1413. 1415. 1416. actor comparet in variis instrumentis. Anno 1417. à Catharina vidua Varini de *Florémont* tertiam partem decimarum de *Contrexéville* tam pro defuncti conjugis remedio, quàm pro animæ suæ salute, accipit. Jura paternitatis suæ, quæ Stivagii Abbas excutere moliebatur, vindicavit, & per deputatos à Petro Abbate Præmonstrati, Abbates S. Pauli Virdunensis & S. Mariæ in Nemore, ad obedientiam coëgit Abbatem filium anno 1419. Ad annum 1435. nullo documento freti asserunt Catalogi Flabonis-montis, sed ex Rengis-vallis scrinio isthæc epocha eruitur. Hoc enim anno

XVIII.

JOANNES DE *MAREY* ex illustri prosapia Dominorum de *Lioncourt* satus, à Rengis-vallis Abbatia ad Flabonis-montis infulas translatus legitur. Paternitatis suæ jura à Gerardo d'*Essey* Abbate Stivagii rursùs impetita, humili curavit satisfactione reparari anno 1450. qui fuit vitæ supremus.

XIX.

DESIDERIUS DE *GRAND*, » defuncto Joanne » de *Marey*, venerabilis & scientificus vir Fra» ter in Christo Pater Nicolaus de *Hamo* in » sacra pagina Baccalaureus, Justimontis Abbas » R^mi. Joannis Abbatis Præmonstrati auctori» tate, in partibus & locis dicti Ordinis in Cir» cariis Lotharingiæ, Vadegotiæ, Iveldiæ, Ba» variæ, Sueviæ & Austriæ Commissarius & » Visitator deputatus, & Henricus Abbas Bel» læ-vallis in Argona, Flabonis-montis Pater » Abbas « assistentibus sibi Gerardo *Huelli* Miræ-vallis, Desiderio de *Grand* Bonifageti Abbatibus, Desiderius ipse ad Flabonis-montis Abbatiam postulatus, filiâ dimissâ, migravit anno 1450. Rebelles monasterii sui Canonicos, rebellionem fovente toparchâ de Deuilliaco, flectere precibus cùm tentasset incassùm, Principis exoravit potentiam, qui perduellionis fautorem, ipsosque perduelles domuit. Abbatem Miræ-vallis paternitatem Bonifageti per fas & nefas invadentem, censurâ generalis Capituli coercuit an. 1461. & obiit die 5. Augusti 1466.

XX.

JOANNES DE *SEROCOURT*, anno 1468. Joannem de *Dom-vallier* ad homagium admisit pro suo feudo de *Dom-vaillier*, & hic unicus est regiminis probandi actus.

XXI.

JOANNES *BARETTI*, Pastoratum de *Marainville* confert ratione juris patronatûs anno 1473. moritur anno 1478. die 28. Decembris.

XXII.

ANTONIUS *MIQUEL*, aliàs *MIGNETTI*, præside Desiderio de *Portu* Abbate Miræ-vallis, ex commissione Humberti Abbatis Præmonstratensis, salvo jure paterno Abbatis Bellævallis, ex pastore S. Juliani, Abbas electus est, & ab eodem Humberto confirmatus die 10. Maii anni 1479. Altare B. Annæ sacrum, columnis cinctum æneis, sacramque fraternitatem indulgentiis locupletem, erexit. Chorum elegantibus ornavit subselliis. Usum mitræ & Pontificalium ab Alexandro VI. obtinuit anno 1500. Ut regularitati suæ Abbatiæ consuleret Joannem *Pasel* dedit sibi Coadjutorem; denique 27. Aprilis 1527. appositus est ad patres in Sanctuario; ejusque corpori impositum saxum, Pontificem effigiatum repræsentans, cum hac inscriptione:

Cy gist R. Pere en Dieu, bon Pasteur Frere ANTOINE *MIQUEL*, natif de Montureux sur Saone, j. dis Abbé de céans qui trépassa le 27. Avril 1527. Priez Dieu pour son ame.

XXIII.

Mortuo Antonio *Miquel*, JOANNES *PASEL* potentis & illustris familiæ *du Châtelet*, seu minis seu precibus, seu donis captus, Abbatiam, sibi ipso Bullarum jure partam, transtulit per spontaneam resignationem in Annam *du Châtelet*, prælaturis Clari-loci & Belli-loci trium sponsarum trigamum sponsum, neutri fidelem, gravem nulli. Religiosos & amabat & lautè alebat. Grandem & magnæ molis campanam appendit, B. Annæ dedicatam. Ad nuptias, fracto clericali fœdere, & balthco assumpto, convolavit, hærede beneficiorum prius instituto nepote Renato *du Châtelet*. Finem verò vivendi fecit 6. Januarii 1590.

XXIV.

RENATUS *DU CHASTELET*, precariò acceptam, nulloque titulo Canonico possessam, per aliquot annos Abbatiam, sine titulo transmisit in Jacobum *Jourdeul*, proventus annuos ex toto penè sibi reservans per pacta, inde transivit ad nuptias.

XXV.

JACOBUS *JOURDEUL* Pastor de *Serocourt* & Flaboniſ-montis confidentiarius Abbas, morte subitaneâ raptus die Cinerum anni 1610. meliori locum fecit.

XXVI.

Post decessum *Jourdeul*, de Abbatia contenderunt FRANCISCUS Comes Vadani-montis pro filio suo Carolo, & RENATUS *DU CHASTELET*. De juribus & fructibus litigantes, tertius compressit, & gavisus est hæres Pater FRANCISCUS *PRUNESSAUX* Abbas Rengis-vallis, & sub pensione modica oblata utrique, utrumque à prosecutione litis absterruit, & in Abbatiæ possessionem competitorum assensu & Fratrum electione immissus est anno 1612. Templum ornatibus, domum ædificiis instruxit, Religiosos disciplinâ informavit & moribus, observantiæ rigorem 29. mensis Octobris 1634. induxit. Tùm ad Rengis-vallis Abbatiam se recepit. Fervente bello discedere coactus, azilum in oppido Commercii quæsivit; sed non tutum. Hostes enim oppidum ingressi, captivum abduxerunt Abbatem, vix pretio redemptum à vinculis; at longâ captivitate fessum & penè exanimem, die 21. Septembris mors sustulit.

XXVII.

PHILIPPUS *DE LANDRES* ex nobili & avito stemmate; mores & spiritum reformationis induerat Mussi-ponti. Coadjutor Francisci de *Brunessaux* Fratrum suffragiis electus, reformationis si non auctor, saltem promotor fuit. Parentes invisens honoris causâ, propè Metas sistitur à militibus & in arce civitatis ad mortem usque Francisci de *Brunessaux* detinetur captivus. Hinc per astutiam ereptus, possessionem vacantis per obitum Abbatiæ, adiit 12. Januarii 1638. Ducatus Lotharingiæ & Barri mars tum sæviens devastabat, populandus miles sacra & profana perinde expilans, Flaboniſ-montem miserabiliter decoxit. Luctuosum monasterii sui statum, miseriis ipsemet attritus Abbas contemplans & deflens, catharro suffocatur die 12. Januarii 1644. ejus tumulo hoc lemma inscriptum legitur:

Hîc jacet Reverendus Pater ac Dominus PHILIPPUS *DE LANDRES* Abbas regularis hujus monasterii. Obiit XII. Januarii MDCXLIV.

XXVIII.

SEBASTIANUS *COLLIGNON* inter obstrepentes bellorum tumultus canonicè electus & confirmatus Abbas mense Februario, possessionem adiit eodem electionis die. Seniores domûs* qui reformationem non fuerant amplexati, dolentes & ferentes ægrè quòd horum nullus de numero esset compromissariorum, è Capitulo recesserunt, & electioni recusarunt, licet interpellati, adesse. Ad instantiam Ducis Caroli IV. Cancellarium ejus D. *le Moleur*, convenientes in arce Mothæ postularunt Abbatem. Postulationem vanam intelligens Cancellarius, ex eligentium paucitate, uti nullam despicatus est. At illi fraudati spe suâ, clanculum in Capella monasterialis sepulchri coeuntes, Erardum *du Chastelet*, rursùs per viam postulationis Abbatem eligentes, proclamarunt. Tres ex eadem familia, eodem nomine compellabantur, & neuter eorum singularim designabatur, ut alter ad alterius subsidium veniret. Verùm altercationem resolvit inopina præsentatio Laurentii *Brisacier* Decani S. Salvatoris Blesensis, quem Rex Galliæ jure novo Abbatem nominaverat, & Bullas ab Urbano

* Erant qu a jue.

VIII. in extremis agente, impetrarat. Arresto sanctioris Consilii, & procuratoriâ commissione Jacobus *Thierry* Prior S. Spiritûs Neocastrensis munitus, & Apostolico stipatus Notario possessionem iniit 7. Februarii 1645. Reclamuit pro electo P. Hugo *Boban* Prior Flabonis-montis, & intercessionis causas edidit. Nec mora. Ad supremum Galliæ Consilium appellavit electum Laurentius *Brisacier*. Certatum hinc inde magno æstu, eventu dubio, donec mors præmatura

XXIX.

Patris COLLIGNON collitigatorem *Brisacier* fecit voti & Abbatiæ compotem. Possessam per annos aliquot, transmisit in nepotem

XXX.

CAROLUM *BRISACIER* Seminarii Missionum ad exteras nationes Superiorem. Ille avunculi terens vestigia & sanguinis jure, non lege Sanctuarii, consulto, simulatâ permutatione Abbatiæ sat pinguis, cum Prioratu tenui de *Segray*, nepotem suum Nicolaum fecit hæredem per Bullas apostolicas 13. Kal. Februarii 1707. datas Romæ. Hunc Prioratum ab avunculo per resignationem anteà nepos acceperat, & vitioso circulo in resignatorem rediit ex cessione nepotis.

XXXI.

NICOLAUS *BRISACIER* Doctor Sorbonicus, in vim permutationis, ut dictum est, Abbatiam Romæ emunxit, & sub beneplacito Regii Lotharingiæ Ducis in possessionem immissus est anno 1707. De subreptionis & obreptionis vitio Bullas insimulavit Conventus, illasque in utroque foro impetere paratus, inclinavit ad amicabilem concordiam, quâ possessor in suo beneficio conservatus, promisit nunquam sub quocumque quæsito colore transmissurum illud ad seculares Clericos. Et ad securitatem sponsionis consensit sibi dari Coadjutorem regularem, si tamen Regio Duci placeret. Conditio Capitularibus grata, nec Principi invisa fuit; statimque ritu consueto electus est hujus operis Scriptor anno 1708. At quoniam in Coadjutorem Stivagii posteà assumptus est, visum fuit Patribus alium subrogare Flabonismonti. Prima igitur Februarii die 1714. præside P. Joanne *Charton* Abbate Rengis-vallis, electus est

XXXII.

CAROLUS CROLOT Congregationis reformatæ Procurator generalis, qui 4. Augusti 1728. per cessionem spontaneam in Romana Curia probatam, titulum Abbatis acquisivit sub reservatione pensionis quatuor millium librarum monetæ Gallicæ quotannis solvendæ resignanti Nicolao *Brisacier*, nunc Decano Uticensi.

Tom. I.

PATERNITAS.

Abbas Flabonis-montis Paternitatem exercet in Stivagium

Bonifagetum.

Et olim in

Grangiam Dominarum, Parthenonem non procul ab Abbatia situm.

PAROCHIÆ.

Sanctus Julianus, sesqui horâ à monasterio distans, cui ex dono Henrici Tullensis episcopi accessit

Tignécourt, muris Abbatiæ penè adhærens.

Crainvilliers, ex largitione ejusdem episcopi anno 1163.

Serocourt, ex beneficentia Matthæi Tullensis episcopi.

Frain, Curia olim, anno 1239 unita matrici Ecclesiæ de *Serocourt* ex concessione Dominorum Jovis-villæ (*Jonvelle.*)

De *Juliani Monte*, hodie *Mandres ad duas turres*; donata fuit anno 1239. ab Alberto Toparcha Darneii.

Xercelle beneficio Huardi Domini de *Beaufremont*, sub approbatione Folmari Archidiaconi de Vitellio accessit anno 1238.

Ozainvilliers, ab episcopo Thoma de *Bourlémont* concessâ.

Fauconcourt & *Tilleul* } ab Philippo Domino de *Tilleul* donata.

Domnus Basolus (*Dombasle*) in pago Segintensi, vulgò *Xaintois*, a Petro episcopo Tullensi collata Abbatiis Flabonis-montis & Calmosiaci, sub *alternationis conditione*; nunc filialis est *Mansilis*, gallicè *Mesnil*,

Mareinville, Marii-villa.

SEPULCHRA MAGNATUM.

Orricus Princeps à Lotharingia Dominus de Deuilliaco mortuus anno 1166. in Ecclesiæ Sanctuario tumulatus est.

Reinerus Dominus de *Tilleul* anno 1192. sepulturam quam sibi elegerat vivens, obtinuit in Ecclesia Flabonis-montis.

Gysela sponsa Widerici de Deüilliaco anno 1219. defuncta jacet in Capella S. Nicolai nunc deleta.

In medio Sanctuarii ad imum altaris gradum jacet Carolus de Deüilliaco cum hac epigraphe:

Cy gist Karlet de Duilley, Marchal de Lorraine, qui trépassit le Lundy XIII. jour du mois.... l'an de Nôtre Seigneur mil cccc. & de x neuf.

Priez Dieu pour luy.

Infra gradus Presbyterii insculpta est lapidi effigies matronæ cum gentilitiis stemmatibus Castelletorum & Wisseorum* & ad limbos legitur:

Cy gist Dame Madelaine de Wisse fille du

* *Wisse de Gerbeviller.*

Bailly de Nancy, & feu femme de Huet *du* Castelet Seigneur de Dulley .... Mil CCCC. IIII^xx. & VIII. le xxvi. jour du mois d'Octobre.

Priez Dieu pour ellé.

Inter Presbyterium & subsellia Chori, tumbæ insculpta est armati equitis figura & ad limbos legitur:

Cy gist Messire Jehans Chevalier Seigneur de St. Loup, qui trèpassa de cette mortelle vie l'an M. CCC. LX. & XVIII. lou xxvii jour dou mois de Julet.

Priez pour l'arme de luy. Amen.

Ad latus sinistrum tumba visitur sponsæ Joannis *de S. Loup*.

Cy gist Madame Katherine de la Mouthe Dame de S. Loup, qui trèpassit l'an de grace Notre Seigneur M.CCC.LXXXVIII. le.... jour du mois de Julet.

Priez pour elle.

In eadem Ecclesia quiescit corpus Domini *de la Ferté Senneterre*, in obsidione arcis Mothæ, post crura displosione tormenti bellici amputata, Madonvillæ mortui anno 1634. unde propter generis nobilitatem inclytam, translatus est Flabonis-montem, honorifico ibidem funere tumulatus.

Vide Prob. à col. DXLVI. ad col. DLIX.

FLORIDUS HORTUS.

* *Floridus Hortus. Fil. Præmonstrati. Diœcesis. Groningana. Circaria Frisia.*

EMo Plebanus Hasdingi, hodie *Husinge*, vici in proximis Hunsingiæ finibus, uno circiter à Groninga milliari, Fundator & primus Abbas exstitit Horti-floridi, qui & *Werum* à villâ, in quâ situs est, inter Groningam & Dammonam positâ, nomen accepit. Florentis hujus cœnobii exordium, in Oratorio sua invenit incunabula, quod Emo de *Romesrwerf*, vir laicus, abjecto seculo, & assumpto S. Benedicti habitu, sed nondùm professione emissâ, in suo fundo erexerat, de consensu Monasteriensis episcopi Ottonis I.

I.

Emoni solitariam agenti vitam, socium se dedit Emo alter solitudinis amans, qui abdicato pastorali munere *Husdingi*, secretiorem secessum petiit anno 1209. Adventantem hospitem reverenter excepit Emo laicus, & tanquam digniori, & in rebus domesticis provido, circumspecto in moribus, doctrinâ præcipuo, institutæ familiæ demandavit regimen. Non arridebat solitario sacerdoti Benedictinorum disciplina, quam vestitu suo praeferebat socius; Cisterciensium regulæ, tentatus licet à vicinis, nomen nec dare voluit, monachali normæ, vir saluti populorum promovendæ dudum assuetus, colla subdere non valens, temperatam actione contemplationem ambiebat, qualem per se in Abbatia *Horti Mariæ* viderat, & quam poposcerat ab Abbate Richardo induci in *Werum*. Sed vota supplicantis, Deo ita ad electorum probationem disponente, non est dignatus exaudire Abbas. Perstitit nihilominus in proposito sacerdos, & aptatas sibi cappas coloris candidi assumentes ambo, *Varlarensem* Abbatem, commendatitiis muniti litteris, adeunt, & Ordinis fraternitatem, quam habitu profitebantur, postulant. Ad Capitulum vocatis senioribus, postulantes admittit Abbas, vestem eis benedictam imponit, & ad titulum novi Claustri, curâ & regimine Emoni plebano concreditis, remittit, asserens se non posse, more paternitatis, remotum adeò locum visitare.

Sorte & voto suo qualitercumque læti, ambo *Werum* repetunt candidati tyrones, & propagandæ Religioni, quam assumpserant, fideliter intenti, Ottonem Monasteriensem episcopum, Emoni laico ante propitium, mediatorem implorant, pro assecuranda possessione loci *Werumensis*, in quo cœnobium struere meditabantur. Compositionis totius in se curam suscepit Otto, & Reinero Abbate de *Fildwerth* favente, pactis tabularibus proprietatem loci in utrumque Emonem transcripsit, hoc tenore.

Otto * omnipotentis Dei gratiâ Monasteriensis episcopus tam præsentibus quàm futuris hoc scriptum inspecturis, salutem in vero salutari. Accessit ad nos Magister Emo, quondam in *Husdinge* plebanus, & suâ nobis insinuatione monstravit quod laicus quidam Emo de *Romersrwerf* religiosè vivere cupiens, in possessione sua Capellam fundavit, ac habitum Religionis à B. Benedicti in *Fildwerth* Abbate recepit, nullâ factâ professione, & posteà reversus in possessione sua liberè est versatus. Postmodum verò idem magister Emo in eodem loco conversus secundùm regulam B. Augustini, & Ordinem Præmonstratensem ibidem vivere & Deo servire cœpit; cui & Fundator loci Emo tanquam majori cessit, & in eadem regula quasi majori & liberiori similiter versari consensit. Nos autem factum utrorumque commendantes, eidem Magistro Emoni in eodem loco, secundùm Ordinem prædictum Deo serviendi, Fratres insuper & Sorores colligendi, præsente Fundatore consentiente, plenam concessimus autoritatem. Et ne res gesta posteris in dubium venire queat, scripto & sigillo nostro confirmavimus. Acta sunt hæc anno Dominicæ Incarnationis MCCIX. pridie Kal. Aprilis, feriâ Paschalis hebdomadæ Indict. 12. concurrente 3.

* Comes de Benthem, Ottoni 4. Cæsari maxime invisus, à quo & captus & in Werdensem civitatem relegatus est anno 1215.

Hoc Diplomate munitus Emo, affluentes discipulos benignè suscepit, piè erudivit, vin-

culo charitatis colligavit, donec ſeminator odii & rixarum ſpiritus, malevolum è gremio ſuſcitaſſet, qui impatiens ſeverioris inſtituti, rupto ſociali fœdere, & intrinſecùs pace turbata, habitum abjecit. Neque hic ſtetit invidentis diaboli rabies, ipſummet Emonem Capellæ & fundationis authorem primum, hominem nec litteris, nec adminiſtrationi natum, in patrem & Præpoſitum quaſi regiminis invaſorem concitavit, & ſibi indebitè cauſans ablatum, minaciter ſibi petiit reſtitui. Competitorem ſpontaneâ ceſſione humilis Emo ſacerdos, ad priſtinos ſenſus & mores revocavit errantem; erroriſque convictum à prudentibus viris, ad diſſidii compoſitionem accerſitis, eò uſque ad pœnitentiam fregit, ut genibus flexis, ſub *atteſtatione ſtola*, obedientiam promiſerit Magiſtro.

Pace redditâ, & diſcipulis ad virtutem compoſitis, Romam contendit Emo, ut donationem Werumenſis territorii Apoſtolicâ roboraret approbatione. Præmonſtratum, iter agens inviſit; ubi ab Abbate Gervaſio comiter admiſſus, commendatitias ab eo litteras ad Romanum Pontificem Innocentium III. obtinuit, quibus facilem ſibi paravit acceſſum, & gratiæ conſecutionem impetravit. Redux Præmonſtratenſem iterùm viſitavit Eccleſiam, ut pios mores, ſacroſque ritus in ipſo hauriret fonte, nec inde diſceſſit, uſque dùm libros cantûs, Ordinis ſtatuta, & ceremoniarum methodum exſcripſiſſet. Hac venerabili ſarcinâ onuſtum ad ſuos remiſit Gervaſius, & epi-
Sacræ antiq. monum. p. 120. 121. Epiſt. 124.
ſtolam dedit, quâ Werumenſes ad obſervantiam hortabatur, & Præpoſiti Emonis indefeſſos commendabat labores.

Patris optimi reditu recreati Werumenſes, documenta morum, & diſciplinæ Præmonſtratenſis præcepta ebibebant avidè, ſectabantur avidiùs, & Deo deſuper benedictionem irrorante, ut pietate, ſic numero crevit puſillus grex Horti-floridi: Juvenes & Virgines ultrò ſe, ſuaque offerentes, Emonis regimini ſubdebant. Hinc Parthenium accludendæ Virginum cohorti, ſub patrocinio B. Virginis, & ſub titulo *Campi Roſarum* ſtruxit anno 1215. in fundo ſuæ paupertatis, quam miſerati divites, ad ſuſtentationem multiplicatæ gentis electæ, parochialem Eccleſiam Werumi, ejuſque proventus Florido-Horto contulerunt, ſub approbatione Decani de *Loppershem.**

*1215. Intereà Capituli generalis Comitia à Gervaſio de more indicta intelligens Emo, feſtinus Præmonſtratum properat, ut totius Ordinis Proceres, pro religionis & diſciplinæ fulcimento unanimiter collaborantes audiret, juvaretque ſuis conſiliis. Magnas in deliberationibus partes habuit; nulli doctrinâ & religione ſecundus Emo: methodum capitulandi, ſeſſionum ordinem, ventilandarum quæſtionum ſeriem ità ſcrupuloſè obſervavit, ut poſteris formam Capituli generalis celebrandi tranſmi-ſerit ſcripto. At quoniam Floridus-Hortus Patrem nondùm agnoverat, ad quem immediatè reſpiceret, & cujus autoritate juxtà Statutorum dictamen regeretur, requiſivit Emo, ut omnium Ordinis Eccleſiarum mater, Hortum-floridum, uti filiam ſpecialem dignaretur ſuſcipere & fovere. Annuit Capitulum, & ſolemni decreto in matriculam hæc Paternitas redacta eſt, ſequenti tenore.

„Ego Gervaſius Dei patientiâ dictus Abbas „Præmonſtratenſis, omnibus in perpetuum. „Notum eſſe volumus tam præſentibus quàm „futuris, quòd cùm Eccleſia Floridi-Horti in „Friſia per Dei gratiam dilatari cœpiſſet, ita „quòd ſurgens de paupere fundamento, jam „haberet incrementum, quoniam vir religio„ſus Emo, ejuſdem loci Præpoſitus, qui fuit „unus de duobus primis inhabitatoribus, & „Fundatoribus dicti loci, idem Præpoſitus „tandem veniens ad generale Capitulum Præ„monſtrati ſe obtulit & locum ſuum, Eccle„ſiæ & Ordini Præmonſtratenſi, quem elegit, „& profeſſus fuerat, à primis Eccleſiæ ſibi „commiſſæ fundamentis, ipſamque Præmon„ſtratenſem Eccleſiam immediatè matrem ele„git, ut Eccleſia Floridi-Horti, tanquam ſpe„cialis filia Præmonſtrati, per Præm. Abba„tem, tanquam per Patrem regatur, ſecun„dùm quod exigunt Ordinis inſtituta. Nos „autem devotionem ipſius & ſuorum in Do„mino commendantes, ſicut erat meritò com„mendanda, recepimus eum in filium, & Ec„cleſiam ſuam in filiam ſpiritualem. Ne igitur „futuris temporibus, ſuper hoc poſſit aliquis „ſcrupulus ſuboriri, præſentes litteras in teſti„monium rei geſtæ conceptas, ſigilli noſtri „appenſione duximus roborandas. Actum an„no gratiæ MCCXVII.

Sua repetentem inceſſit nova tribulatio. Venit diluvium, & operuit ſubitò terram: manſionem Virginum *Campi Roſarum* ſubiit, ſubmerſit oves & boves, ventilata ſunt per direptionem procellarum uſibus neceſſaria, & univerſa ſupellex. Quid facerent agniculæ talem nunquam expertæ cladem? cœperunt quærere ſtationem tutam, & ſe connexis manibus tenere gregatim, confiteri ad invicem, pſallere, & ad exitum præparare animas ſuas. Non aderat Præpoſitus Emo qui ſuccurreret afflictis; non aderat Pater qui ex aquarum ſucceſſione violenta impendens mortis periculum oratione averteret. Jam trabes ictibus quaſſatæ, ruinam ædificii ominabantur; Jam Oratorium pars altera Conventûs conſcendit, parte aliâ domum Auſtralem in perfugium arripiente; ſtatim inſilientes maris æſtus Clauſtrum aggrediuntur, & funditùs ſubvertunt. Ex colliſione trabium, ex columnarum caſu commoventur pariter Oratorii parietes, titubant axili aſſeres, exundantes aquæ ſuperiora aſcendunt, imagine mortis territantur Virgines, ad mortem mutuò confortantes ſeſe. Sed Deus naufragio

Sacræ antiq. monum. p.

proximas benignè intuitus, mirabiliter salvavit; tumentes conterens fluctus, nutantes muros corroborans, ingruentes ventos suo refrænans imperio, fecit tranquillitatem Deus pacis. Illicò dirutas ædes Emo instauravit, & gregem tempestate lacessitum, paternum reduxit in ovile.

Vix superatâ hac tentatione, alia Emonem adoritur, Herdrico Præposito de Skelwalda auctore. Hic in despectum sui Ordinis, procuratorem agebat Theodorici episcopi Monasteriensis, cujus erat Officialis. Muneris, suprà modum, & contrà Canones, dilatans jura, non collector, sed synodalium exactor inhumanus, monasteria deprædabatur, partem prædæ cum Episcopo divisurus. In sui Ordinis cœnobia, & præsertim in *Hortum-Floridum* tantò erat inclementior, quo cæteris conquerendi suorum fretus exemplo, causam rescinderet. Frustrà monitionibus fraternis, frustrà Ordinis censurâ sævientem tentavit Emo compescere. Risit Herdricus fulmina Ordinis, & suo innixus Episcopo, audaciùs furere cœpit in Confratres. Conradi Portuensis episcopi, & Legati autoritatem, juncti simul Abbates Floridi-Horti, Dockingæ, & Vallis B. Mariæ in auxilium & tutamen implorarunt. Displosit minaces censuras in Episcopum & Herdricum Legatus; sed terriculamentis illusit uterque. Vexant abundantiùs adversantes suæ tyrannidi, fervidè insequebatur, quos noverat quærulos, Herdricus. Geminata excommunicatio impavidum feriit; at populus divulgati anathematis, quo Episcopum, & Præpositum Legatus confoderat, religione & timore percussus, utrumque diris devovit, & jura pendere renuit Episcopi procuratoribus. Vacuos honore ministros, & vacuas argento crumenas intolerabiliter videns Theodoricus, resarciendæ magis fortunæ causâ, quam excutiendæ à cervicibus excommunicationis ergò, protinùs per interpositos amicos & familiares pacem rogavit. Formam compositionis offert Emoni, quam pacis amans acceptavit incunctanter, in hunc modum conscriptam.

» In nomine Domini. Amen. Ego Theodoricus (a) Dei gratiâ Monasteriensis episcopus, omnibus ad quos præsens scriptum pervenerit, salutem in Domino. Notum esse volumus universis quod discordia quæ inter nos ex parte una, & Præpositum Emonem Floridi-Horti & suum Conventum, ex altera parte, vertebatur, sopita est in hunc modum. Præpositus E. obedientiam quam aliquis alius Abbas vel Præpositus Præmonstratensis Ordinis, salvo jure privilegiorum & Ordinis, suo Episcopo facit, vel fecit, Domino suo episcopo Monasteriensi faciet, & exhibebit, & omnes causæ, sive crimina, super quibuscumque articulis, quæ contra eum vel Conventum suum motæ fuerunt, sopitæ sunt & extinctæ. Omnes quoque sui fautores, sive clerici, sive laici, qui propter causas contra ipsum motas, in aliquod devenerunt gravamen, liberi erunt penitus ab illo, & exempti. Instrumenta quæcumque ex utraque parte, tam nostra, quàm Emonis Præpositi, & sui Conventûs à quocumque optenta fuerint, nullius erunt penitùs momenti, & ipse Præpositus obediens erit nobis modo supradicto, & nos ipsum, quantùm potuerimus, promovebimus. Discordia verò quæ inter Emonem & suum Conventum ex una parte, & inter Herdricum de Skelwalda & suum Conventum ex altera parte, vertebatur, super quibuscumque causis, sopita est in hunc modum. Uterque supradictorum Præpositorum, dexterâ sibi ad invicem datâ, veram amicitiam inter se promiserunt se fideliter servaturos: adjicientes quòd neuter ipsorum consilio, vel facto alium, sive in generali Capitulo, sive alio quocumque loco gravabit; nisi si quis eorum requisitus fuerit in animam suam, liberum erit ei dicere veritatem super re de qua fuerit requisitus. Instrumenta quoque ex utraque parte, à quocumque etiam optenta fuerint, sive à Domino Papa, sive à Delegato, sive ab Ecclesia Coloniensi, sive ab episcopo Monasteriensi, sive à Capitulo generali, in manus Domini Gereonis de *Fermesum*, & Alfardi de *Midlestum*, resignabunt, nullo unquam tempore valitura. Fautores quidem utriusque partis ab omni gravamine, quod propter me incurrerant, liberi erunt, & soluti; simul cum illis qui propter denuntiationem cujuscumque excommunicationis, sese à Synodo subtraxerant. Acta sunt hæc apud *Loppeshen*, anno Dominicæ Incarnationis MCCXXIV. XIII. Kal. Octobris; præsentibus testibus G. de *Fermessum*, Decano. P. & A. Decanis de *Loppeshem*, & aliis quàm plurimis. Ut autem hæc compositio firma maneat & inconvulsa, præsens pagina nostro sigillo, & E. Præpositi Floridi-Horti, & H. Præpositi de Skelwalda sigillis est roborata. Data per manus A. Notarii episcopi Monasteriensis.

Ad Capitulum generale totius negotii exitum detulit Emo. Excanduerunt Patres in dissolutos mores Herdrici, & licet Abbates Cappenbergæ, Varlariæ, & Clarholti, Monasteriensi episcopo faventes, causam Officialis ejus Herdrici viriliter deffenderent, indulgendum magis, quàm sæviendum opinantes, tamen visum est Patribus præcipere 1°. ut Præpositus Skeldwaldæ Patrem Abbatem sibi deligeret, qui devium revocaret ad regulam. 2°. ut sub excommunicationis incurrendæ pœ-

(a) Comes d'Isemburg frater Brunonis Osnaburgensis Episcopi, Ottoni successit: pleraque in Episcopatu gessit laudabilia, hoc unum immane facinus fecisse culpatus quod fratrem Fridericum Engelberti Coloniensis barbarum homicidam juverit consiliis & manu, unde, a Papa exautoratus est, sed postea judicem nactus placatiorem sedi suæ restitutur.

na personaliter sisteret se Præmonstrati infra instantem Pentecostes solemnitatem, satisfacturum Ordini super eo quòd ad Capitulum citatus venire neglexisset. 3°. ut à procuratione synodalium cui scandalosè vacaverat, denuò abstineret. Quid profuerit ad emendationem Herdrici censura judicialis Capituli, legimus in Chronico Emonis. Discimus ex eodem Theodoricum à reconciliatione factum Floridi-Horti benevolum protectorem, illuc 9. Kal. Junii advenisse, Ecclesiam consecrasse solemni apparatu, & Præpositum benedictione datâ, ab Abbatiales infulas promovisse anno 1225. quo quidem ad Synodum Leodii indictam à Conrado Legato Romanæ Ecclesiæ, convocatus est, ut cum Episcopis & Abbatibus, Engelberti Coloniensis Archiepiscopi à Friderico Comite Isenburgico interfecti, causa discuteretur, & Theodorici Monasteriensis episcopi apologia, de criminis consortio accusati, audiretur palàm, & synodaliter examinaretur. Istius Synodi historiam latè satis inter fastos consignavit Emo sub annum 1226.

Sequiorem annum prædicationi Crucis, & colligendis divitum oblationibus pro expeditione sacra, impendit Emo. Idque officii eo successu obiit, ut navim pauperibus ad loca pia transfretantibus instructam, ex eleëmosynarum largitione comparaverit. Reliquum vitæ scribendis libris, erudiendis Fratribus & Sororibus, levandis miseris, castigando jejuniis & macerationibus corpori, continuis meditationibus purificandæ animæ, exegit Emo; & his operibus intentum mors cœlo maturum inseruit in pervigilio S. Luciæ, anno 1238.

In Capitulo sepultus, miraculis quibus vivens claruerat, mortuus refulsit; cæcam Dammæ illuminavit; mutam * fecit loqui; contractæ membris à triennio, liberos dedit gradiendi pedes: Frisiam invocatus opplevit portentis, & populi voce justus, doctus, prudens, toties proclamatus dùm viveret, sanctus & miraculorum patrator post vitam renuntiatus, publico cultu meruit honorari.

* Nomine Paruthwam

II.

PAULUS Præside Sibrando Abbate Horti Mariæ, vices agente Patris Abbatis, Emoni suffectus est, qui Prioris tum officio defungebatur. Paulus, teste chronographo Menkone, erat vir nobilis, & valdè litteratus, Juris peritus, facundia & dulcedine linguæ peritus, & ab adolescentia claustrali disciplinæ assuetus. A Ludolfo Monasteriensi episcopo inauguratus, manum ad Ecclesiæ novæ & lateritiæ structuram applicuit. Immensi operis, aquarum subterranearum intercurrentibus venis, summè difficilis, consummationem, præceps Pauli interitus prævertit. Febre correptus, finem sentiens imminere, Sacramentis petiit muniri, tùm de lecto se erigens, acceptâ stolâ & baculo absolvit ab excommunicatione omnes, quos autoritate ordinariâ, vel delegatâ excommunicaverat. Morbo ingravescente, dormivit cum patribus suis 3. Augusti 1242. In Capitulo juxtà B. Emonem appositus est per Hayonem Abbatem de Merna.

III.

MENKO, Joanne Abbate de Insula Sanctæ Mariæ præsidente, ob absentiam Elgeri Abbatis Horti S. Mariæ, Patris Abbatis precariò agentis vices, sed tùm Damam visitantis, unanimiter electus est in Abbatem Horti-floridi. inceptam à decessore suo Ecclesiam absolvit, quam Christianus Lecowiensis Episcopus, præsente Willelmo Monasteriensi electo, consecravit anno 1259. Gymnasium ad juventutis eruditionem Menko, ex patriæ & litterarum amore, in Florido-Horto instituit; fama Menkonis & Magistrorum scientia discipulos è Westphalia & Frisia allexerunt plurimos, jamque numerosæ juventutis concursus adeò excreverat, ut sacri tranquillitas otii scholarium tumultibus turbaretur. Hinc Capitulum generale sanxivit ut ad parochialem Ecclesiam de *Emetha* migraret Academia Werumensis. Chronicon ab Emone inchoatum deduxit Menko ad annum 1276. qui, quantùm conjectare licet, fuit ultimus vitæ autoris.

IV.

OUDGERUS, ex continuatore Menkonis notus, pro deffensione jurium Ordinis, coram Ewerardo Monasteriensi episcopo luculenter & doctè dissertavit anno 1283. adversùs Jurisperitum contendentem non licere Ordini parochialium Ecclesiarum in se curam suscipere. Disputationis totius contextum & momenta refert Chronographus, et victoriam ab episcopi judicibus delatam attestatur Folcardus qui sequitur.

V.

FOLCARDUS sub annum 1285. in continuatore Menkonis, sub titulo *novi Abbatis* indigitatur: subindeque neo-electum tunc fuisse conjicio. Sub annum 1295. pacem tanquam mediator inter familias sibi ferro lethali bellum inferentes, restituisse legitur. Succedaneorum Abbatum seriem monumenta non suppeditant; Unum nihilominùs invenimus in Chronico Buschii Petrum nomine, qui anteà in *Northorn* investitus, & sub annum 1440. Floridi Horti factus fuerat Abbas. Abjecto autem postmodùm pedo, Magdeburgum petiit cum Henrico Take, & fidelem reformationis coadjutorem sese ibidem exhibuit.

Duos insuper ex archivo Steinfeldensi eruimus; Primum Joannem *à Kempis* nomine, qui anno 1485. Visitator monasteriorum Frisiæ, à Steinfeldia, jure paternitatis, penden-

tium, institutus est ab Abbate Reynero. Alterum Joannem de *Clivis*, ex Præposito de *Ripa B. M. V.* postulatum Abbatem Mernæ; unde iterùm postulatus ad Hortum-floridum, cujus Professus erat, demigravit anno 1526.

Anno 1561. præerat Horto florido Hermannus Cornelii, Abbatum ultimus, cujus ætate per Diploma Pii IV. Collegio Canonicorum Groninganæ Cathedralis Ecclesiæ, census annui, & ædes Monasteriales cesserunt. Utraque debacchans paulò post Iconomachia invasit, & diruit Templum.

PATERNITAS.

Vanhusen Episcop. Groning. p. 55.

Campus Rosarum, Parthenium cœnobio virili contiguum, quod *Romerswerf*, patrio dicebatur idiomate. Post diluvium, paulò altiore, & commodiore loco translatum *Nyeklooster*, seu *novi Claustri* nomen obtinuit. Parem cum Florido-Horto habuit interitum virginalis ille Conventus.

PASTORATUS.

Werum ab anno 1215. Emoni traditur & unitur monasterio.

Emetha, seu villa in *Fivelengiis* ab *Emesa* fluvio sic nominata, portum habuit celebrem; habuit & academiam suo tempore famosissimam, cui Werumenses præerant.

Vythuysen Husingiorum vicus, Werumensibus cessit anno 1283. Everardo Monasteriensi episcopo approbante.

Skiramere, vicus in Fivilengiis ad Decanorum & Patronorum instantiam, transiit ad Werumenses anno 1231. Parochiali Ecclesiæ additum fuit anno 1400. Crucigerorum cœnobium.

In Groningana Diœcesi parochiæ istæ constitutæ erant.

Vide Probat. à col. DLIX. ad col. DLXI.

F O E R L A.

Foërla. Diœcesis. Jaurin. Circaria Hungariæ Filia.

PRæpositura *Foërlæ*, ex veteribus Catalogis quos Layruelius consuluit, & quos ignoravit Pagius, Ordini ascribitur. Posita erat in Jaurinensi Diœcesi, ejusque positionem, non modò agnovit Petrus *Pazmany* Strigoniensis archiepiscopus, sed & ejus existentiam ante vastationem Regni Hungarici. Penè ex vestigiis, hac ætate, monasterii hujus situs deprehenditur.

SANCTUS FOILLANUS.

S. Foillanus. Fil. Præmonstrat. Diœcesis. Cameracensis. Circaria Floreffiæ. * Rœux.

RHodii * muris adjacens, & sancti Foillani martyrio insigne extat in Hannoniâ monasterium, ab ipsius Sancti nomine suum derivans nomen. Eo enim loci, qui *Ampolin* dicebatur antiquitùs, Foillanum martyrio fuisse coronatum, anno 655. die Octobris 31. communiter asserunt Scriptores; si tamen appelles martyrem, qui a latronibus prædæ inhiantibus, occiditur, ut vitæ suæ ac thesauro consulat. Foillani corpus divino monitu à S. Gertrude, parthenii Nivigellensis Abbatissâ, repertum, & illuc solemni pompâ devectum, divis honoribus fuit reconditum. Nihilominus ad æternam Martyris, & mortis ejus memoriam, statim ab ipsa Foillani cæde, locum ipsius sanguine purpuratum, Christiani ædiculâ, & erecto altari consecrarunt, ad quod devotionis ergo confluebant accolæ, frequentibus miraculis ad pietatem allecti. Fontem, multimodis curationum generibus inclitum, sponte prorupisse fama est, ubi caput Martyris abscissum jacuerat; totque visionibus & portentis locus ille inclaruit postea, ut specialem cultum mereri, & exigere videretur. Quare aliquot monachi è *Fossensi* cœnobio submissi sunt à S. Ultano Abbate, & fratre sancti Foillani, qui divinis illic fungerentur.

Ad Normannorum vastitatem steterunt Fossenses in sancti Foillani cellâ, quam hostilis feritas eos deserere compulit. Remissa barbarorum persecutione, Nodgerus, Leodii inauguratus Præsul, anno 971. restaurandis sacris suæ Diœceseos locis intentus, Fossensem Ecclesiam construxit, & munitam turribus, tradidit Canonicis, qui mox derelictam S. Foillani cellam postliminio sibi vindicarunt, in eaque divinis operantes, pastorale exercuerunt munus. Sustendandis illis advigilans Burchardus Cameracensis episcopus, Fossensi monasterio varia contulit altaria, *ut ex iis vivere possent Fratres, ex Fossensi Ecclesia sumpti.* Data est charta anno 1125.

Verùm paucis ab ista donatione mensibus effluxis, interventu Godefridi Comitis Namurcensis, & intuitu B. Hugonis, origine *Fossensis*, locum ipsum sodalibus Norberti transcripserunt Fossenses Canonici. Hanc cessionem Burchardus Cameracensis episcopus non laudavit modò, sed pro ea, quâ in Norbertum ferebatur amicitia, quemque in aula Cæsaris intimum habuerat, novos S. Foillani incolas proventibus, & nonnullorum pagorum altaribus ampliavit. Exiguam pro tunc demum tenuis fortuna sustentabat, & inquilinos numero paucos ex Præmonstratensi Abbatia accitos fovebat Burchardus, sub Prioris regimine viventes.

ventes. At paulatim succrescente redituum copia, ex fidelium oblationibus excrevit in Abbatiam, & qui ante Prior fuerat præstitutus coloniæ Fratrum, iisdem cum Abbatis dignitate præfuit.

I.

NICOLAUS I. S. Norberti alumnus, cujus gesta, sicut & plurium ipsius successorum, nobis invidit temporum, bellorumque calamitas, obtinuit, anno 1137. à Nicolao Cameracensi episcopo confirmationem eorum, quæ Burchardus decessor ejus San-Foillanis indulserat. Memoratur etiam in Charta ejusdem Nicolai, de anno 1153. pro monasterio Camberona.

II.

WALTERUS nominatur in Chartis annorum 1157. 1162. Decessit anno 1166.

III.

NICOLAUS II. anno 1172. interfuit Capitulo generali. Comparet ut testis in variis instrumentis ad annum 1205. qui fuit ejus vitæ ultimus.

IV.

GUALTERIUS cum Renaldo S. Martini Laudunensis Abbate, anno 1210. edixit sententiam adversus *Thomam de Fontanis* Militem, in gratiam montis S. Martini.

V.

LAURENTIUS moritur 1211.

VI.

SALOMON 1214.

VII.

NICOLAUS III. 1215.

VIII.

ÆGIDIUS ex S. Augustini Morinensis prælatura ad San-Foillanam postulatus, obiit an. 1225.

IX.

GAMALIEL, Floreffiæ Canonicus professus, Floreffiæ obiit & tumulatus est in Capitulo anno 1230.

X.

ELGERUS anno 1234. transactione sopivit difficultates, quæ San-Foillanum inter & Spineleti monasterium vertebantur. Ad Abbatiam Bonæ-spei eodem anno translatus est.

XI.

NICOLAUS IV. vivere desiit ante annum 1241.

XII.

LAURENTIUS II. subscribit testis cuidam Chartæ apud Floreffienses exstanti, de anno 1241. mense Julio. Item alteri anno 1242. mense Maio.

XIII.

FULCO, rei familiaris sedulus administrator, decessit 8. Idus Novemb. 1269.

XIV.

RAINALDUS, in mss. Annalibus à Pratano exaratis, refertur ad an. 1272. ibique dicitur ex Præposito Præmonstrati factus Abbas S. Foillani. Mortem ejus ad 21. Februarii consignat S. Joannis Ambianensis Obituarium.

XV.

JOANNES I. obiit an. 1270.

XVI.

WERRICUS concambium fecit anno 1284. cum Abbatia de Favarchiis.

XVII.

JOANNES II. moritur an. 1300.

XVIII.

VALERIUS, an. 1305.

XIX.

JOANNES III. 1320.

XX.

NICOLAUS V. *POIDVIN* an. 1327. sepultus in Navi Ecclesiæ.

XXI.

JOANNES DE *BRAINE-LALEU*, 1334.

XXII.

BALDUINUS DE *VASME*, eodem quo decessit anno, id est 1336. societatis spiritualis fœdus iciit cum monasterio Crispiniensi.

XXIII.

JOANNES IV DE *MONSTREUIL* vivendi finem fecit an. 1345.

XXIV.

NICOLAUS VI. anno 1350.

XXV.

NICOLAUS VII. an. 1356.

XXVI.

LEO DE *BRANA*, an. 1360.

XXVII.

PETRUS DE *SOLRE* an. 1364.

XXVIII.

ÆGIDIUS II. an. 1386.

XXIX.

ÆGIDIUS III. *Desloges* an. 1395.

XXX.

NICOLAUS VIII. *Gilion*, Ecclesiam restauravit. Denatus est an. 1417.

XXXI.

JOANNES V. *de Montignies*, an. 1419.

XXXII.

GUILLELMUS *Bourlart*, an. 1441.

XXXIII.

JOANNES VI. *Destaux*, laudandi regiminis cursum consummavit, an. 1448.

XXXIV.

HENRICUS *Baleure*, an. 1451.

XXXV.

ANSELMUS *Buller*, an. 1471.

XXXVI.

TUSSANUS de *Trasegnies*, Doctor in Decretis, decessit in decursu Visitationis monasteriorum Hispaniæ, anno 1484.

XXXVII.

JOANNES *Despart*, post abdicatum regimen, dies produxit ad an. 1490.

XXXVIII.

STEPHANUS mortuus est an. 1494.

XXXIX.

NICOLAUS IX. *Gillion* constitutus est, anno 1495. die 8. Junii, procurator Anthonii de *Merdorp* Abbatis Bonæ-spei, ad resignandam dicti monasterii prælaturam in manibus Huberti Præmonstratensis Abbatis. Obiit Nicolaus 1498.

XL.

GASPARUS *Zeplicenier*, cui Capitulum generale anni 1504. licentiam fecit celebrandi in propria Ecclesia festum S. Annæ per modum Triplicis, & S. Secundæ, ac S. Ultani fratris S. Foillani, per modum Duplicis. Decessit an. 1506.

XLI.

NICOLAUS X. *le Ghay*, an. 1511.

XLII.

PETRUS *Joly*, an. 1521.

XLIII.

PETRUS *Maurage*, cui suam refert Eremus S. Foillani constructionem, exuit hominem anno 1549.

XLIV.

JOANNES *van-Schore*, Viconiensis Canonicus, post scriptum eleganti stylo monasterii sui Chronicon, vocatur ad infulas S. Foillani, anno 1549. & anno sequenti transfertur ad Furnenses.

XLV.

LUDOVICUS *Fure*. Illius memoriæ dicatum est sequens Dysticon.

Ille chorum pulchrâ testudine compsit, & aras
Alabastrino marmore struxit opus.

Die 28. Aprilis an. 1554. diem clausit extremum, sepultus in sacello S. Joannis Baptistæ.

XLVI.

DIONISIUS *Hiorez*, an. 1557.

XLVII.

JOANNES *de la Cauchie*, an. 1564.

XLVIII.

URSMARUS *Soupart*, 15. Octobris 1569.

XLIX.

VINCENTIUS *Machelart*, an. 1579.

L.

JOANNES *Rondeau*, antiquæ pietatis & ætatis vir, laudabilia fecit in vita sua. Omnium primus usum mitræ & pontificalium obtinuit à Paulo V. an. 1606. Anno 1617. agente Serenissimo Archiduce Alberto, sacras B. Siardi Abbatis exuvias in monasterium suum transferri curavit. Dierum ac meritorum plenus obiit 21. Septembris 1620.

LI.

PAULUS CHARLON 1628.

LII.

NICOLAUS *Scoriot*, fidelis & prudens patrimonii Christi dispensator, ædificavit Claustrum, Dormitorium, Sacristiam, & Capitulum. Obdormivit in Christo Nivellis, 15. Octobris 1637. Corpus ejus ad monasterium revectum, in Capitulo tumularunt Confratres.

LIII.

PHILIPPUS *Malapert*, S. T. Licentiatus, ædificavit Capellam S. Foillani. Corpus Sancti Siardi thecâ inclusit argenteâ. Partes & onus Deputati Statuum Hannoniæ sexcennio magnâ cum laude sustinuit. Montibus obiit an. 1649. inde ad monasterialem Ecclesiam deportatus, in medio Chori sepulturam habuit. Ejus tumulo legitur inscriptum sequens epitaphium. *Reverendus admodùm Dominus D. Philippus Malapert, Ecclesiæ S. Foillani, Ord. Præmonstr. Abbas præclarissimus, migravit è vita 23. Novemb. anno Verbi Incarnati 1649. ætatis suæ 54.*

Præclarum *MALAPERT* dùm sacra licentia fecit,
Lectoris merito jure subivit onus.
Inde Prioratûs completo munere, cinxit
Præsulis emeritas infula parta comas.
Præcipuum Clerus, celebrem quoque Curia vidit,
Ejus in adversis Patria sensit opem.
Sic merito dives Pater, omnibus omnia factus,
Ad vitæ superæ gaudia cepit iter.
Requiescat in pace.

In suis *cœnobiorum Hannoniæ Originibus p. 212.* isthoc ei monumentum apposuit Phil. Brasseur.

Deviruit florens virtute, refloreat in spe
Florida cui vivo lilia semper erant.
Arma paterna vides, sunt lilia, lilia stravit
Hæc domus Abbati, totus & Ordo dedit.
Hinc benè conveniens trifidis qui symbolon armis,
Hic tulit, in cœlo flos redivivus erit.

LIV.

SIARDUS *JULION*, S. T. Baccalaureus Formatus, domum Hospitum, & Abbatiales extruxit ædes. Sepultus est in Choro, ubi legitur, hoc Epitaphium, *Hic jacet Reverendus admodùm Dominus D. F. SIARDUS JULION, Religiosus & Abbas hujus Ecclesiæ, sacræ Theologiæ Baccalaureus Formatus, & Statuum Hannoniæ Deputatus, vir pius, cui nihil ita sedit animo, quam pertranseundo benefacere omnibus, & plus cœlo dignus, quàm terrâ, raptus est 11. Januarii 1677. Ætatis suæ anno 73 Professionis Religiosæ 52. Sacerdotii 49. Prælaturæ 27.*

Requiescat in pace.

LV.

NORBERTUS DE *REUSME*, cujus vitam & mores ex ipsius Encyclica accipe.

» Anno ab Incarnatione Domini 1718. die » 6. Februarii circà meridiem, Montibus Hannoniæ, in refugio monasterii nostri S. Foillani, Canonici Ordinis Præmonstratensis, » Diœcesis Cameracensis, inter preces et suspiria filiorum, omnibus S. matris Ecclesiæ Sacramentis præmunitus, placidè in Domino » obdormivit Reverendus admodùm ac amplissimus Dominus D. F. NORBERTUS DE » *REUSME*, præfati monasterii Abbas verè dignissimus, Ætatis 66. Canonicæ professionis » 48 Sacerdotii 43 Prælaturæ 21. Qui in eadem » domo à teneris annis jugo Domini cervice » supposita, tanquam surculus in domo Domini in altam excrevit arborem. Etenim studiis » summa cum diligentia emensis, domi, forisque sacræ Theologiæ Lector effectus, quid » vis ingenii sui, quid diligens studium efficere potest cum Dei gratia, luculenter expressit. Inde ad Prioratum domûs suæ promotus, » ita suaviter rexit, ut & munere Pastorali de » *Vallers* per sex annos laudabiliter functus, » ad Abbatialem dignitatem jure meritissimo, » ejusque virtutibus applaudentibus, fuerit assumptus, in prælatura mirum quantùm illuxerit bonitate, benignitate, zelo, pace, facundiâ! Sic sibi non solùm devinxit filiorum » animos, sed etiam sic exteros vicit, ut viginti annorum spatio quinies ad Comitia Hanoniæ regenda deputatus fuerit. Interim ita » emolumenta inde emergentia, ita & reditus » domûs suæ cum œconomia administravit, ut » etiam sæpè iteratis difficilioribus belli temporibus superatis, satis illi ad sumptuosam Ecclesiæ navim ædificandam, aliaque ædificia » construenda & ornanda sufficerit. Ita vixit, » ut & apud filios, & apud cæteros ingens sui » desiderium reliquerit.

LVI.

PAULUS *MONTE*, per viginti octo annos Theologiam professus, Prioris officio fungens, omnium votis electus Abbas, anno 1718. illicò Provinciarum Flandriæ, & Floresfiæ Vicarius generalis renuntiatur, & strenuè obit.

PAROCHIALES ECCLESIÆ

Strepry, sive *S. Foillani*, primaria Rhodiensium Parochia, à Burcardo Cameracensi episcopo traditur, per fundationis originariæ Chartam an. 1125.

Rhodiana, vulgò *Ræux*, ab anno 1400. sub invocatione S. Nicolaï erecta ad postulationem Rhodianæ plebis, ex quo civitas ab Eustachio loci Comite muris cincta evasit populosior. Sancti Foillani parochiam ut filia matrem respicit, & in recognitionem suæ dependentiæ, statis diebus, clerus & populus Rhodiensis ad eam debent convenire. Fontes baptismales in matrice Ecclesia benedicit Abbas, & aqua benedicta solemni concursu ad filialem Ecclesiam deportatur.

Arkenna, *Arquenne*, sub patrocinio Sancti Bonifacii, versus Nivellam, ab eodem episcopo manavit.

Wallers, sub invocatione S. Hilarii, ex concessione ejusdem episcopi.

Montmegnies, alias *Borlefontaines*, ex liberalite ejusdem episcopi. Huic annexum est altare de *Mignau*, a Nicolao Camerac. episcopo traditum.

Peronne, à Lietardo Camerac. episcopo donata, an. 1133.

Triviere, à Petro Camerac. episc. collata an. 1168.

Croix in Veromandia, versùs S. Quintinum, Diœcesis Noviomensis.

SACRÆ RELIQUIÆ.

Corpus ferè integrum B. Siardi Abbatis Horti B. Virginis in Frisia, thecâ argenteâ inclusum.

Mandibula inferior, & pollex S. Foillani, argenteo jocali recondita.

S. Friderici Abbatis, Ordinis Præmonstratensis os de femore.

Caput integrum S. Secundæ, cum parte corporis ejusdem.

Pars brachii S. Hilarii Pictaviensis episcopi.

SS. Radegundis, & Rictrudis costæ.

Brachia SS. Theodori, & Felicis.

SS. Narcissi Jerosolimorum episcopi, Placidi martyris, Innocentiæ, Celestinæ, & Faustæ partes satis notabiles.

Vertebra S. Mariæ Oigniacensis.

Quæ omnia argenteis inclusa thecis excitandæ fidelium pietati conducunt, & ornamento sunt ejusdem Ecclesiæ.

Vide Probat. à col. DLXij. ad col. DLXiv.

FONS ANDREÆ.

Fons Andreæ. Fil. Lacû Jurensis. Diœcesis Lausana. Circariæ Burgund. * Neufchatel.

MOnasterium Fontis Andreæ, in Comitatu Neo-castrensi, * sive ut loquuntur Helveti, quibus viciniâ & conforderatione conjunctus est, *Neo-Comiensi*, positum, fundatur à Radulpho, & Mengoldo Neo-Comii dynastis, anno 1143. & à Widone Lauzanensi præsule confirmatur. Ex Lacu jurensi Fratrum submisit agmen Richardus Abbas, primusque structo asceterio nomen indidisse ferunt *Fontis-Andreæ*, ex limpidissimo fonte illic à teculis scaturiente, & Sancto Andreæ pridem ab incolis dedicato. Ambitum Abbatiæ adhuc nostrâ ætate fons lepidè manans utiliter alluit, & honorifico lapidi incisa supernè, veteri caractere, hæc verba leguntur.

Anno Domini millesi. CCCCLXXXVII. hunc Fontem Andreæ reædificare fecerunt Dominus Franciscus *Bourguin* Abbas, & Frater Antonius *de Voltis* Canonicus hujus Ecclesiæ.

Quo tempore Guillelmus *Farel*, Vapincensis presbyter & apostata, primusque civitatis Neo-castrensis Minister, seu magis veneficus, Calvinisticos disseminabat errores, & circumjacentes inficiebat populos, Neo-villam propinatâ hæresi, fecit acatholicam: Fontem Andreæ, tametsi reluctantem, subjecit infidelitatis jugo, & pulsis longè Catholicis, fundos Abbatiæ fisco civitatis, in Ecclesiæ bona, ex privilegio hæreseos, involantis addixit. Conticuit ex tunc, sub imperio grassantis perfidiæ sacer cultus, & Longavillanos Duces protervè dedignans, licet Comitatûs Dominos, profanis usibus sacra loca, sacrosque proventus impendit Magistratus effrænis.

Pacatiora furor quandoque remissus fecit otia Comitibus: sed tumultuantis populi renascentem formidantes impetum, de instauranda religione, aut revocandis ad sua monasteria exulibus nihil ausi sunt decernere. Et ita sub Longavillanis, & Nemosiis principibus ingemuit Fons Andreæ, cujus ædificia tùm sacra, tùm profana reparationem pristini ritûs, & antiquæ fidei reclamabant; & etiamnum hodie integra in primos suspirant incolas. Sed voces intercludit Neo-castri Princeps modernus Dux Brandeburgensis, Rex Borussiæ, cui id tantum curæ est, ut annuos reditus per Ballivum colligat, paucos ad ædium, ruinam ex vetustate minantium, conservationem impendat.

Venerandæ antiquitatis monumenta, è scrinio Abbatiæ ad publicum Neo-villæ Archivum avecta, Magistratuum custodiæ concredita sunt. Illa diligenter evolvit clarissimus vir D. Chouppard, ejusdem oppidi Bibliothecarius, & Minister. Plura ad rei litterariæ & antiquariæ elucidationem se deprehendisse testatur: sed pro imposita sibi lege, nullum supplicanti enixiùs communicare voluit, licet aliàs promovendæ Historiæ amantissimus, & pro innata humanitate paratissimus ad obsequia. Igitur desiderata monumenta perquirere alibi coactus, ne Abbatiam, duplici titulo mihi charam, ingratè præterirem, P. Carolum *Abry*, Canonicum Bellelagiensem, Helveticæ antiquitatis peritum, ad indagationem veterum Fontis Andreæ documentorum excivi. Paruit invitationibus meis, & pro suo in Ordinem zelo, & in me benevolentiâ, partim ex proprio Bellelagiæ Chartophilacio, partim ex alienis tabulariis, plura ad eruditionem nostram consarcinavit, ex quibus historiam, etsi mutilam, annecto.

I.

Pro auspicando Fontis Andreæ monasterio, accersitus est ex Lacu jurensi WIDO, sub approbatione Richardi Lacûs jurensis, & Machelmi Corneolensis Abbatum, anno 1143. ad 1170. præfuisse aiunt. Successor ei datus est.

II.

GUILLELMUS, anno circiter 1200. fatis exemptus.

III.

OTTO ad annum 1220. ad clavum sedit.

IV.

TURREMBERTUS anno 1230. denascitur.

V.

CONO S. Martini Laudunensis Canonicus, ad infulas Andreæ-fontis provehitur: deinde Thenolii, postea Branæ, demùmque ad Præmonstrati regimen, anno 1241. assumptus.

VI.

NANTHELMUS, anno 1249. de consensu

Humberti, Abbatis Lacûs jurensis, prædium in *Villars*, non longè à Lacu Murati, comparavit ab Henrico Bellelagiensi Abbate.

VII.

STEPHANUS anno 1267. regimen exorsus, illud exuit 1269.

VIII.

HENRICUS DE *NEUFCHATEL* obiit an. 1320.

IX.

RODOLPHUS DE *MORAT* è vivis ereptus anno 1344.

X.

JOANNES DE *LONNAT*, anno 1362. fraternitatem, mutuamque deffensionem iciit cum Abbatibus Bellelagiæ, Loci-Dei, Erlaci, Auroræ, & Priore Insulæ medii lacûs.

XI.

GUILLELMUS DE *VAUTRAVERS*, ab anno 1370. ad 1391. Abbatem egit.

XII.

MARTINUS *BLOUET* de *Montlaville* moritur 1409.

XIII.

HENRICUS *CHALAGRIN*, 1428.

XIV.

GUILLELMUS *RAIMONDET* 1444.

XV.

PETRUS *DESGRANGES* 1458.

XVI.

FRANCISCUS *BOURGUIN*, fontis reparator, anno 1487. obiit anno 1489.

XVII.

PETRUS *NORANT* 1502.

XVIII.

CONRADUS *MARECHAL* 1512.

XIX.

JOANNES *TURBOT*, Nicolai Abbatis Bellelagiensis, Circariarum Burgundiæ, Alverniæ, & Sabaudiæ Visitatoris, & Reformatoris generalis à Capitulo deputati, Canonicam excepit visitationem, anno 1518. die 29. Octobris. Ex Charta seu Relicto visitationis innotescit, *Statum monasterii in aliquibus satis competenter expeditum, in aliquibus verò merito reformandum.* Reformationis puncta, quæ invexit Visitator, hæc sunt. 1°. ut decentiori modo divinum perageretur officium. 2°. ut Statuta secundùm formam, & modificationem Julii II. summi Pontificis observarentur denuò. 3°. ut Ordinationes à Nicolao Abbate S. Mariani Altissiodorensis, in cursu visitationis præstitutæ, custodirentur adamussim. 4°. ut ædificiorum tam monasterii, quàm grangiarum reparatio prompta procuraretur.

XX.

LUDOVICUS *COLOMB*, regularium Abbatum ultimus, à factione Farelli pellitur unà cum suo Conventu, anno 1530. abhinc lugent Sanctuarii lapides hæreditatem versam ad alienos. Ad Capitulum generale, anno sequente Præmonstrati congregatum, accessit Ludovicus Abbas, opem Ordinis imploraturus, in extremâ rerum suarum angustiâ. Statutum in causâ illius fuit ut ad D. Præmonstratensem, & ad Patres Abbates Ordinis haberet recursum, ut ei, & Fratribus ejus provideretur de remedio salutari in visceribus charitatis, & justitiæ. Capitulo anni 1532. iterum comparuit exul Abbas, & in ejus favorem hoc manavit decretum. » Permittit Capitulum Abbati Fontis Andreæ se » recipere ubicumque potuerit, áut benignum » receptorem invenerit, attentâ desolatione » sui monasterii, à Lutheranis devastati, & » sibi dare Confessarium, quem maluerit.

Ab hinc titulares à summis Pontificibus designati sunt Abbates.

CAROLUS LUDOVICUS HUGO anno 1711. quo, ex Coadjutore Stivagii evadente Abbate, an. 1722. vacantem Fontis Andreæ Abbatiam contulit Benedictus XIII. R. P. NORBERTO *MATTENS* Præsidi Collegii S. Norberti in Urbe & Procuratori generali Ordinis Præmon. in Romana Curia, qui ab eodem SS^mo. Pontifice inauguratus est.

PASTORATUS.

Crissier.
Cornolz.
S. Blasius.

In Baronatu de *Landeron* consistentes illi Pastoratus, Calvinisticam religionem profitentur. A Comitis Procuratoribus destinantur, & instituuntur ministri, qui hasce tres Parochias administrent.

Aliorum quoque Pastoratuum jus patronatûs habebat Fons Andreæ, sed eorum notitiam oppressit temporum injuria.

Fons-Calidus. Fil. Comba-Longa. Diœcesis Sancti-Pontii. Circaria Vasconia.

FONS CALIDUS.

ANno Domini millesimo centesimo quinquagesimo quarto, regnante in Francia Ludovico VII. Bernardus de Claro-monte, Arnoldus frater ejus, unà cum cognomine

Guillelmo & fratribus ejus Bertrando & Bernardo germanis fratribus de *Rupe-forti*, vulgo *Roche-fort*, nec non altero Bernardo de *Duras-fort*, illustribus dynastis & germanis fratribus locum de *Calido fonte*, vernaculè *Font-caude*, in comitatu Biterrensi & Narbonensi tum Diœcesi positum, contulerunt Fratri Guillelmo de *Nant* Religioso de *Valle crosa* vulgo *Valcrose* Diœcesis Magalonensis, eâ lege, ut de circumstantibus & fonti adjacentibus agris, tot jugera terræ sua faceret quot tria boum paria possent arare & excolere. Donationem ratam fecit Pontius de Allatio Narbonensis archiepiscopus. Accessit bina confirmatio Alexandri III. summi Pontificis apud Senonas & Montempessulanum tunc versantis & fugientis à facie Imperatoris Friderici & pseudo Pontificis Octaviani. Insigne hoc prædium *Vallicrosa* addictum, Prioratûs auxit fundos, & perpetuis temporibus voluit esse illi annexum Alexander III. dato ad hoc & ad postulationem Petri Benedicti Prioris, Diplomate, quo constat jam, & ab ipsa pene origine donationis, Ecclesiam sub titulo B. Mariæ fuisse constructam secus Fontem-Calidum, ibique Fratres è Valle-crosa transmissos divino vacasse obsequio.

Sed cum donatores instinctu quorumdam Clericorum & Maureliani Conversi, pœniteret concessionis factæ in gratiam Vallis-crosæ, ad Combam-Longam transferre sua dona statuerunt, statimque violenter amotis prioribus Fontis-Calidi inquilinis, Præmonstratenses ex Comba-Longâ accitos, illic imposuerunt. Mox ejecti, ad Alexandrum III. in Montepessulano consistentem, perfugium & ultionem rogantes, secesserunt; oppressos exaudivit Pontifex, & Pontium Narbonensem, Guillelmum Biterrensem judices delegavit mandavitque ut quantocius Priori Vallis-Crosæ Fontem-Calidum restitui satagerent, aut æquam conquerenti procurarent indemnitatem, renitentes verò ferirent excommunicationis gladio, omni appellatione remota.

Paruerunt Pontificis mandato Episcopi, sed lento & frequenti colloquio partes dissidentes vix conciliarunt, obsistentibus præsertim Fundatoribus qui nec Præmonstratenses dimittere, nec Vallis-crosenses indemnes facere volebant; in eam tandem devenêre post diuturna jurgia concordiam litigatores anno 1179. inveteratam litem in hunc modum & » sub his conditionibus sopivêre; ut Ecclesiæ » Vallis-Crosæ Magalonensis Diœcesis, perpe» tuis temporibus & absque ulla retentione sit » libera & penitùs absoluta ab omnibus rebus » & personis præsentibus & futuris, ne in poste» rùm ab aliquo Præsidentium seu Fratrum de » Comba-longa, seu Fontis-Calidi, vel ab aliis » de Ordine Præmonstratensi, aliquatenùs va» leat impeti, vel quâvis occasione in subjectio» nem aliquam vocari. Ecclesia quoque Fon» tis-Calidi perpetuis temporibus & absque ulla » retentione penitùs sit libera & absoluta cum » omnibus rebus & personis præsentibus & futu» ris, ut imposterùm Prior vel Fratres Vallis-Cro» sæ episcopus Magalonensis, vel Præpositus, vel » ejusdem Ecclesiæ Canonici nullam in eam » subjectionem exigant, ne contra eam aliquam » querelam proponant, sed in pace & quietè » secundùm regulam B. Augustini & instituta » Præmonstratensis Ordinis Deo in perpetuum » serviat, sub præcepto & obedientia Abbatis » Combæ-longæ quoad ejus certam dispen» sationem spectat. Scriptum per Raymun» dum Priorem Combæ-longæ & sigillis dicto» rum episcoporum Dominorum Joannis Dei » gratiâ episcopi Magalonensis, Bernardi ea» dem gratiâ episcopi Biterrensis & Rigaudi » Combæ-longæ Abbatis & Petri Magalonensis » Præpositi & Petri Vallis-Crosæ. Combæ-lon» gæ anno 1179.

Qualem profiteretur regulam Vallis-Crosæ Prioratus, omninò incertum est, imò in Notitia episcopatûs Magalonensis ne vestigium quidem hujusce Prioratûs offendi, quem à seculis esse extinctum scripsit ad me eruditus & R. Pater d'*Autrive* Prior Fontis-Calidi. Hoc tamen asserere audeo Præmonstratensium disciplinam illic non viguisse, cùm in amicabilis concordiæ pactis cautum fuerit, ut denuo Vallis-Crosæ nec impeti, nec subjici posset autoritati Abbatis Combæ-longæ, aut jurisdictioni Ordinis Præmonstratensis.

Annum adeptæ possessionis Fontis-Calidi & inducti Ordinis Præmonstratensis in Ecclesiam & ædes à Priore Vallis-Crosæ Petro, ibidem erectas, definire non possemus, nisi ancipitem determinaret Alexandri III. apud Montempessulanum pertracta mora, anno 1165. Romanum iter pacato Victoris schismate relegentis. Illic enim datum à Pontifice mandatum legitur episcopis Narbonensi & Biterrensi 8. Idus Augusti, pro restituendo Priori Vallis-Crosæ Fonte-Calido quem Bernardus & Guillelmus de *Casulis*, Berengarius de Niciano, & Bernardus de *Durasfort* per violentiam occupatum abstulerant Petro. Igitur hoc anno aut præcedente, introierunt in alienam hæreditatem, ex voto, seu mavis, ex violentia Fundatorum Præmonstratenses Canonici de Comba-longa adducti, unde paternitatis jus Abbati Combæ-longæ acquisitum, ad sera Commendæ tempora perseveravit. In valle amœna, tribus à Biterrensi civitate horis, quinque à Sancto Pontio separata Fontis-Calidi Abbatia, ædificiis olim splenduit & doctis viris, quos inter Bernardus Abbas, fervente Albigensium hæresi, eminuit & scriptis adversùs redivivos Manichæorum errores voluminibus, grande sibi nomen, & Ecclesiæ obsequium fecit. At egregiam Fontis-Calidi faciem obscuravit Hugonotorum temulenta rabies, Duce Bacone fabri ferrarii filio, qui monasterium funditus

evertit, rursusque à Joanne *Dumas* Abbate restitutum, duplicato impetu demolitus est anno 1579. Nunc ex ruinis surrexerunt prostratæ ædes, Dormitorium, Claustrum, Templum pro fortunæ viribus decenter restaurarunt sequiores Prælati. Strage iterata & expilatione frequenti disjectum monasterium Fontis-Calidi, jacturam fecit plurium scrinii sui documentorum, unde Abbatum seriem historicam hanc, turbato non nihil temporum ordine, nobis tradidit partim ex Necrologio, partim ex superstitibus monnumentis decerptam R. P. D'AUTRIVE Prior monasterii, quam in aliquibus emendatam exponimus.

I.

FRANCISCUS in fronte positus, regimen non ante annum 1164. potuit adire, nec ultra annum 1190. propagare potuit, cùm anno eodem alter, si tamen alter est, sistatur.

II.

FRANCISCUS DE *BORIA* præsens & acceptans donationem trecentarum cesteriatarum terræ in territorio de *Casulis* * factam Fonti-Calido à Raymundo de *Valeuquesio* episcopo Biterrensi & Guillelmo de *Casulis*, utroque Domino Castri de *Casulis*. Dubiam reddunt hanc donationis Chartam, donatoris primi nomen, cognomen & dignitas. Nullus enim Biterrensi cathedræ hoc anno insedit Raymundus, sed anno tantum 1208. à San-Marthanis fratribus Ermengaudo suffectus legitur Raymundus, cui *Niger* Cognomen imponunt. Præterea fidem elevat celeberrimi Bernardi tunc pedum gestantis in Calido-fonte, ætas & concors scriptorum Ecclesiasticorum sententiæ. Igitur suæ movendus loco Franciscus de Boria & secundo locandus ordine

* Casalviel.

III.

BERNARDUS qui adversus Valdenses, verbo & scriptis eruditè decertavit, Catholicæ fidei acerrimus vindex. Ejus opera à Gretsero in lucem primùm edita, luci iterum restituta sunt. T. 29. p. 1585. Biblioth. Patrum.

IV.

PETRUS *GERALDI* anno 1193. præerat Abbatiæ, illum excepit

V.

JOANNES DE *PODIO*, quem anno 1205. in vivis extitisse ferunt fasti; & huic subrogatus est

VI.

SANCTIUS, cui successit anno 1212.

VII.

GUILLELMUS *DAVI* post quem evectus est

VIII.

PETRUS anno 1238. & ipsi subrogatus est anno 1256.

IX.

JOANNES DE *CIREIO*, cui sufficitur anno 1280.

X.

SANCTIUS II. Canonicus Combæ-longæ, cui anno 1290. successit

XI.

BERENGARIUS DE *BISSAN*, in cujus locum, anno 1315. assumitur

XII.

MARCUS illi anno 1327. Guillelmus de Minerva, & Domina Marhesa ejus conjux tradiderunt quidquid habebant sine reservatione ullâ, in *Casale-vetulo*, vernaculè *Cazal-viel*.

XIII.

JOANNES II. anno incerto Abbatiam adipiscitur, anno 1333. obtinet à Limburga Vice-Comitissà Narbonensi jus pascui in territorio de *Puissergnies*; & anno 1341. jura paternitatis in Abbatiam S. Mariæ de Ybelina exercet, præstito ab Abbate & Conventu testimonio obedientiæ, firmat & stabilit authoritatem paternam.

XIV.

RAYMUNDUS *FORESTIER* anno 1344. Abbas inscribitur ad annum 1360. in quo Abbatiæ possessor legitur

XV.

PETRUS DE *MARCILLAN*, & anno 1370. illi substituitur

XVI.

HERIMAGNUS qui septimo regiminis anno confecto, obiit &

XVII.

RAYMUNDUS II. renuntiatur Abbas, quem excepit

XVIII.

BERENGARIUS *DOLONSOC*, quo fatis functo, frater Jacobus *Carreti* perpetuus Administrator Fontis-calidi declaratus est anno 1400.

XIX.

JACOBUS *CARRETI* desertam penè Abbatiam, advocatis aliunde Canonicis, et Novitiis per eum disciplinâ informatis, restauravit; sed præproperâ morte sublatus septennio tantùm administravit.

XX.

JACOBUS DE *S. JULIANO* Abbas præficitur anno 1407. & abiit ad Patres anno 1414.

XXI.

JOSEPHUS DE *CIREIO*, annis viginti Fontis-Calidi monasterium, & annis decem & semi Casæ-Dei Abbatiam insimul rexisse aiunt. Primâ Julii anni 1434. humanis eximitur.

XXII.

PETRUS 27. Augusti anni 1440. obiit.

XXIII.

JOSEPHUS nullo caractere chronologico designatus in fastis, eo loci reponitur sub Necrologii cautione.

XXIV.

BERTRANDUS DE *MANSO* Abbatiam adiit anno 1460. illam exuit anno 1483.

XXV.

BERTRANDUS DE *MANSO* prædecessoris resignantis præ senio, nepos 11. Martii 1483. electus, ab Arnaldo Patre Abbate Combælongæ confirmatur, & ad annum 1511. propagato regimine ad patres abiit.

XXVI.

BERNARDUS anno eodem assumptus in Abbatem, decessit anno 1539.

XXVII.

JOANNES *DU MAS*, in vim Concordatorum præsentatus à Rege Galliæ, instituitur à Paulo III. Idibus Aprilis anni 1539. primus Abbas Commendatarius cum onere habitum & professionem emittendi, onus subiit, & ab eodem Pontifice ob meritorum eminentiam Cardensis Episcopus creatur. Eo gubernante duplex incendium à vastatore hæretico passum est monasterium, & bis à providentissimo præsule excitatum è favillis; ipse verò diuturnæ & felicis administrationis finem fecit anno 1578. dimissâ priùs Abbatiâ in gratiam amantissimi nepotis

XXVIII.

BARTHOLOMÆI *DU MAS*, quem Gregorius XIII. Idibus Octobris anni ejusdem confirmavit, ea lege ut Ordinis habitum, moresque voveret. Id præstitit Bartholomæus & per traducem suum ex matre nepotem, fecit hæredem Sanctuarii quod tenebat

XXIX.

FRANCISCUM *BONET*, qui à Paulo V. Bullas impetravit 4. Idus Maii 1600. iisdem conditionibus quas patrui subierant. Vacantem per obitum Abbatiam obtinuit à Rege

XXX.

HERCULES DE *LORE DE SERIGNAN* & nominationem regiam Romano diplomate sancivit anno 1638. Urbanus VIII. professionem & habitum Ordinis injungens proviso, cui suffectus est anno 1673.

XXXI.

FRANCISCUS DE *LORE DE SERIGNAN*. Illi ut cæteris impositum est præceptum profitendi Ordinem, sed cùm ædes monasteriales vidisset penè dirutas, & annuos proventus impares esse intelligeret restaurandis ædificiis, accersivit Ludovicum de *Massauve* S. Pontii Officialem, & coram eo protestans declaravit paratum esse & promptum ad executionem Bullæ apostolicæ, nomenque Religioni dandum, sed obsistere ædificiorum collapsorum reparationem & paucitatem redituum Abbatiæ, tantis ruinis restaurandis longè insufficientium, nisi patrimonialem substantiam impenderet operi. Cumque hanc dimittere cogeretur si professionem paupertatis voveret, consultiùs & meliùs videbatur sibi abstinendum ab ea, ut urgentissimis necessitatibus Abbatiæ succurreret. Eo qualicumque prætextu assecuratus intrinsecè, exuit habitum Ordinis 27. Februarii 1673. & Abbatiam uno post anno fratri suo Gabrieli resignavit sub Regis beneplacito.

XXXII.

GABRIEL DE *LORE DE SERIGNAN* Canonicus Narbonensis, Brevi regio munitus, prætermissâ Romanæ sedis confirmatione possessionem Abbatiæ adiit anno 1674. & ad annum 1724. nullo canonico titulo fretus, retentam, nepoti suo transcripsit

XXXIII.

LUDOVICO-CÆSARI DE *LORE DE SERIGNAN*; eodem jure quo patruus, Abbatiam adeptus dimisit 1728. & Regio edicto in eam immissus intravit

XXXIV.

N... DE *KABRINGAL* actualis detentor.

PATERNITAS.

Exercet jura paternitatis Fons Calidus in Abbatiam S. Mariæ de Ybelina propè Massiliam. In dubium aliquandò revocata jura paternitatis ab Abbate Ybelinensi confirmavit Capitulum generale anni 1249. Eadem renovata fuerunt in Comitiis generalibus anni 1340. & ut firmiùs in posterum starent, Joannes Abbas Fontis-Calidi Ybelinam petiit & paternæ autoritatis ibidem obiit munia.

PASTORATUS.

Unico tantùm Pastoratu de *Savignac* in Diœcesi Narbonensi, cum ejus succursali de *Thessance*

Thessance gaudet Fons-Calidus. Hunc Pastoratum ex commutatione alterius de *Pardaillan* & subsidiariæ Ecclesiæ de *Rodomols* possidet ab anno 1254.

SACRÆ RELIQUIÆ.

Insignibus Sanctorum exuviis fulgebat Ecclesia Fontis-Calidi, antequàm Calvinistæ in sancta quælibet debacchantes, sacrum thesaurum flammis donassent. Evasit ex incendio inferior S. Laurentii maxilla, ad quam viciniores populi veneraturi advolant, sanitatum portenta experti multoties.

Vide Probat. à col. DLXIV. ad col. DLXVIIJ.

FONTIA.

Fontia. Fil. Casæ Dei. Diœcesis Baiocensis. Circaria Vasconiæ.

Filialem hanc Casæ-Dei Abbatiam, in omnibus Ordinis nostri Indicibus obviam, nec in veteri, nec in recentiori Gallia Christiana reperimus. Emortuam pridem in rerum natura, nullus ressuscitare in scriptis tentavit.

FRAWEN-BREITUNGEN.

Frawen-Breitungen. Fil. Vessera. Diœcesis Herbipolensis. Circaria Ivoldiæ.

IN Alphabeto beneficiorum Herbipolis, passim *Herren Breitunha* & *Regis Breitunga* dicitur. In Chronico Hennebergensi *Frawen Breitungen*, & apud Layruëlium in Optica, *Regis-Briedigne*, Præpositura eadem, diversis nominibus appellatur. Hanc Præmonstrato subjicit Layruëlius; Vesseræ addicunt Herbipolenses matriculæ: de Fundatore Parthenonis ambo silent.

In Comitatu Hennebergæ, agri Franconici, inclytâ dynastiâ, post extinctos Hennebergensis prosapiæ nepotes ultimos, ad Saxonicos Duces devolutâ, implantatum est quidem à Comitibus & hoc cœnobium, cujus ut initia, sic finem ignoramus.

Sub annum 1388. referente Chronico Hennebergensi, ingens erat discordia Sanctimonialium in *Frawen-Breitungen*. Tùm opportunè Elisabetha, Henrici XII. Comitis Hennebergii filia, Eberhardi *Contentiosi* Wirtembergiæ Comitis uxor, in Hennebergio Comitatu aderat. Wenceslao de *Stein* Franckenbergæ Præfecto, & Satrapâ secum assumpto, ejusdem ope, illas amicè composuit; & sub annum 1444. narrat qualiter Henrici Principis Hennebergii famuli & auxiliares invaserunt ipsius ex patre Wilhelmo demortuo nepotum pupillorum, pagum *Frawen-Breitungen*.

FRIDLANDIUM.

Fridlandium. Circaria Bohemiæ. Balbin. Miscellan. T. 4. p. 177.

EX suo tantùm fato, cœnobium Fridlandiense nobis innotuit, ortum ejus nulla sibi Bohemiæ Abbatia vindicat. Internecino Hussitarum bello per Bohemiam grassante crudeliter, *Fridlandium*, inter hæreticorum manus emoritur, necdum è cineribus excitatum.

FURSTEMBERG.

Furstemberg.

MOnasterium Furstembergense, quod in Syllabo Abbatiarum Ordinis nostri legimus, anteà sub S. Benedicti regula viguerat. Illud, teste Thesïenio fol. 181. regnante Henrico IV. Imperatore, Friderico Ecclesiæ Coloniensi præsidente, acquisivit S. Norbertus, posteà archiepiscopus Magdeburgensis. Hoc tantùm in schedis legitur, nec ultrà quid dicam habeo.

FUSSENICH.

Fussenich. Fil. Hamborna. Diœcesis Coloniensis. Circaria Westphaliæ.

TOlbiacum, modernis Tulpetum, Gallis *Tolbiac*, in citeriori versùs Rhenum Ardenna, vetus Ubiorum oppidum, secundo supra Marcodurum milliari, altiorique loco positum, octo à Colonia leucis, ex Clodovæi magni Francorum Regis, contra Allemannos victoria insigni nobilissimum, planitiem, vallemque sub se ostentat amœnissimam, in qua vetus monasterium *Fussenich*, Canonici Ordinis Præmonstratensis, juxtà antiquos ejusdem ritus, utriusque sexûs personarum claustris distinctis adornatum, hodie solis nobilibus ejusdem Ordinis Sanctimonialibus deserviens, laudabiliter perseverat, & ab anno 1711. splendidius fulget templi magnificentiâ, ædificiorum structurâ eleganti, & ambitu spatioso.

Anno 1146. Arnoldo Coloniensi Archiepiscopo, Lamberto Hambornæ Præposito, concurrentibus impendiis Coloniensium conjugum Hermanni & Petræ, surrexit Parthenon ***Woessenich*** olim dictus, & fortè ex Wlpiarum fontibus, aut ab antiqua & nobili familia de ***Wlpe*** primitùs illic consedente, etymon habens. Hujus monasterii historiam ab Hambornensi Canonico, originis & fundationis teste coæquali scriptam, juvat attexere.

» Tempore Domini Lamberti primi Præpositi Ecclesiæ Hambornensis, fuit Coloniæ nobilis Advocatus Hermannus nomine, & uxor ejus Petrissa. Hæc Confessorem habuit memoratum Lambertum, quæ eidem in confessione aperuit quòd haberet quadraginta marcas repositas, intentione initiandi cœnobii secundùm consilium & adjutorium ejusdem Præpositi; & omni devotione, quâ potuit, supplicavit ut ad promotionem talis voti ferventer intenderet: quod & fecit. Nam parvo post tempore dictus Præpositus quadraginta marcis prædium quoddam propè ***Lippiam***, quod ***Ramersdorp*** dicebatur, nunc autem ***Steenhuis*** vocatur, jure hæreditario comparavit, Claustrum constituit, Sorores assumens de ***Dunwald***, inibi locavit, & Magistram nomine M. filiam suprà memoratæ Petrissæ. Sed cùm mater filiam visitaret pro tempore, & de situ loci perquireret, audivit à filia, quia ager ibi esset sterilis, vinum & triticum non habens, & ideò jam tæderet, eam vivere, quæ priùs existens in ***Dunwald*** vicina Coloniæ, abundaret omnibus bonis, patris & matris ignorans penuriam. Hâc quæstione filiæ mater mota, marito supplicavit, ut ad filiæ preces intenderet. Intendit & promovit, quod ille primus Arnoldus archiepiscopus Coloniensis contulit Præposito memorato Capellam suam, quæ ***Wssenith*** dicitur, habentem triginta sex jurnales, ut ibi Claustrum Sororum construeretur. Medio tempore venditum est prædium ubi Sorores morabantur, pro quinquaginta marcis argenti. Sorores verò ductæ sunt ***Hamburne*** ibi moram facientes, donec officinæ aliquæ in ***Wssenich*** ædificarentur. Quibus consummatis memoratæ Sorores à Præposito Lamberto illuc collocatæ sunt, & sic idem Præpositus & nomen & vicem Fundatoris obtinuit, cùm prærogativa Paternitatis. Claustrum verò memoratum tam in spiritualibus, quàm in temporalibus ditabatur & dilatabatur; adjuvante Dei gratiâ: & nimirum cùm illud tunc sola esset plantatio novella, in toto episcopatu Coloniensi non minùs religione, quàm celebri famâ redolens, ubique fundata sunt itaque post, quæ nominabimus non secundùm ordinem fundationis, quem utique ignoramus, sed secundùm numerum quem didicimus. In civitate Coloniensi ad SS. Machabæos, ad S. Maximinum, Vivarium, S. Walburgæ Capella, ***Ehoven***, ***Uphoven***, ***Wenau***, ***Rigwinslen***, ***Elne***, ***Mare***, ***Sarne***, ***Grevenrode***, ***Vile*** juxtà Coloniam, ***Rindorp***, vel ad septem Sorores propè Bunnam, ***Cottensfort***, ***Seftem***.

» Tempore Philippi Coloniensis archiepiscopi Claustrum ***Wssnich***, casu, igne consumptum est. Sed statim in meliùs reædificatum est anno VII. Friderici Abbatis III. ampliatum est Dormitorium & Infirmitorium Sororum, quæ priùs eas capere non poterant, ut potè quòd ad octoginta octo excreverant. Murus circà vineam, & porta cum parte muri versùs Orientem eo tempore constructa sunt. Computatis expensis ferè ad octoginta & unam marcas. His itaque peractis, conspiratio valida facta est contrà Abbatem memoratum tam per Conversos foris, quàm Sorores intùs, quæ numero erant fermè quinquaginta. Unde factum est, ut tam priores Colonienses, quàm alii magnates illum odissent & persequerentur; nimirùm cùm conspiratores sui per infames libellos eum ubique suspectum & odiosum reddidissent. Sed tandem cùm per quatuor Ordinis Prælatos, Abbates scilicet & Præpositos, innocentia Abbatis & conspiratorum malitia diligenti inquisitione, Ecclesia Wssenicensis & Conversi à Capitulo generali talem acceperunt sententiam, ut deinceps nec clericus, nec laïcus sub titulo illius Ecclesiæ suscipiantur sed qui suscipiendi sunt, Hambornæ suscipiantur; & dùm probati fuerint, ibi faciant obedientiam vel professionem, & quos voluerit Abbas sibi retinebit, & quos voluerit mittet ***Wssenich***. Sorores, quando suscipiendæ sunt, Abbas suscipiat per consilium & consensum Magistræ & aliquarum Sororum sanioris consilii, paucarum tamen. Professionem tamen facient sic susceptæ, sub titulo Ecclesiæ memoratæ, Abbate officium solemniter implente, & professionem sub persona sua suscipiente. In Nativitate, Pascha, Pentecoste, Ascensione, Assumptione, & in festo Omnium Sanctorum Confessiones Sororum Abbas audiat; nunquam Prior loci his festivitatibus, nisi de speciali licentia Abbatis, nec alio tempore, nisi infirmantium, & quibus Magistra licentiam dederit, Confessionem audire licebit. Abbati Magistra dabit annuatim tunicam, seu cappam & femoralia; & nihil amphùs debet exigere ab ea: sed si illa aliquid superaddere voluerit, hoc erit ex gratia, non de justitia. Abbas procurabit ibi Priorem & alium Sacerdotem, quibus Magistra dabit necessaria, cum adjutorio Camerarii ejusdem Ecclesiæ: & si tertium de Conventu Hambornensi habere necesse fuerit, Camerarius, sive Magistra, in vestitura eidem necessaria subministrabit, pro eo quòd Dux Henricus de ***Lymburgh*** dedit eidem triginta marcas & amplius, ut providerentur

» necessaria tertiæ personæ, quæ cum Priore » & socio suo continuò in divino ministerio, » Deo deserviret. Hæc itaque scribi pro eo ne- » cesse fuit, quia Converti de *Wssenich* tantæ » præsumptionis fuerunt, ut in spiritu elationis » dicerent, quòd Abbas Hamburnensis nihil » haberet autoritatis in *Wssenich*, nisi quòd » Confessiones Sororum audire deberet ter in » anno; per prædicta verò liquet & manife- » stum est omnibus, quòd Ecclesia Hambur- » nensis non minùs habet fundationis quàm » paternitatis in *Wssenich*. « Huc usque coæta- neus autor.

Ex quo intelligis Priores ab initio angustæ autoritatis, sub Magistrarum dominio; illas autem sub omnimoda jurisdictione Hambornensis Præpositi, vixisse.

I.

Ejusmodi Magistrarum antesignana fuit Hermanni Fundatoris & Advocati filia, ex Dumvaldensi cœnobio accersita, cujus nomen initiali litterâ M. exprimitur. Altero Magisterii anno, & ad patris instantiam, Arnoldus Coloniensis antistes, fundationem de *Fussenich* suo Diplomate roboravit anno 1147.

II.

Illam excepit Jepa, ad quam Adrianus IV. Bullam transmisit pro confirmatione statûs & bonorum Fussnicensium anno 1157. Tanti erat hâc ætate nominis, virtutis tantæ Parthenium, ut turmatim ad illud virgines & viduæ jugo Religionis mancipandæ confluerent. Ne autem multitudo cœnobium obrueret, aut officeret regulari disciplinæ, Philippus Coloniensis archiepiscopus scripsit Adamo Hambornensi Præposito, ne pateretur ultrà quinquaginta Sorores admitti.

III.

Imza ab anno 1180. præfuisse legitur ad annum 1226. & sub isto regiminis intervallo Priores habuit Bernardum, Godefridum, Henricum & Godefridum II. quos ut credibile est, pro nutu amovebat Hambornensis Abbas. Donationibus variis Fussnichium auxere benefactores tam laici quàm Ecclesiastici, ut Virginum fraternitate, & orationum communione gauderent. Eâdem pietate motus S. Adolphus Coloniensis præsul, in suam protectionem *monasterium Dominarum in* Wssenich, *in quo sanctè & religiosè Deo servitur*, suscepit, idque muneris ad suos voluit successores transmitti, dato in eum finem Diplomate anno 1194. Ad prædecessoris mentem S. Engelbertus non modò speciali tutelâ fovit Fussnichium, sed in ampliationem dotis, jus patronatûs parochialis Ecclesiæ in *Bettenhoven* sibi ab Hermanno Electoratûs Mareschallo resignatum, transtulit in Fusschnienses an. 1216.

IV.

Gertrudis de Bessenich, Claustrum quod sub Præfecturæ Imzæ conflagraverat, in meliorem & ampliorem formam restituit, suppetias ferente Henrico Priore loci, anno 1228.

V.

Aleidis donationes sub testimonio Macharii Steinfeldiæ, Godescalci Knecstedenii, Joannis Prioris in *Rumerstorp*, Gerardi Fussnichii Prioris, excepit anno 1231. Henricus Comes de *Molenarck* S. Engelberti successor, imposita in sinum suum pro gremiali transfossâ cruentâ camisiâ S. Martyris, confirmavit Wlpiaci existens, coempta bona in *Eilich* anno 1235. ad supplicationem Aleidis. Anno 1236. præside eâdem Aleide Fridericus Romanorum Imperator sumpsit in protectionem suam *Fussenich*, cum omnibus bonis suis. Anno 1254. Conradus Comes de *Hochsteden* præcipit Philippo Abbati Hambornæ, ut non assumat plures quàm quinquaginta Sorores.

VI.

Irmingardis, prima post Aleidem occurrit in documentis, non successit tamen immediatè, cùm ante annum 1282. Magisterium adiisse non legatur. Jugem lampadem voluit ardere ante venerabile Sacramentum, assignatis ad lampadis nutrimentum proventibus, quos familiares domûs Hermannus & Dumedis legaverant anno 1284. Villam in *Alfler*, curtem in *Thump* comparavit anno 1287. pluresque alios census & terras, partim pretio, partim donatione acquisivit monasterio ad annum 1291.

VII.

Helwigis anno 1293. de consensu Abbatum Steinfeldiæ & Hambornæ pro pitantia perpetuò præstanda Conventui in festo Corporis Christi, assignavit duo maldera tritici, unam marcam denariorum pro 12. solidis comparatam, & amam vini. Hancque destinationem Sororibus, Sacerdotibus & Conversis æqualiter profuturam, laudavit Abbas Præmonstrati. Ad annum 1305. Helvigis Magisterium se extendit, & ipsi subrogatur

VIII.

Catharina de Monstorp, quæ Indulgentias Romæ procuravit visitantibus Ecclesiam Fussnichensem, & iis qui largas manus tùm ad fabricam Ecclesiæ, tùm ad ejus ornamentum porrexerint. Has Coloniensis Archiepiscopus ratas habuit anno 1314. Ad querelam ejusdem Magistræ Benedictus XI. anno Pontificatûs sui primo, committit Abbati S. Pantaleonis Coloniensis examen gravaminum, quæ adversùs invasores bonorum monasterii

detulerat Magistra ad S. Sedem. Simile rescriptum Alexander IV. Præposito Tulpeti, ad instantiam Abbatis Hambornæ, direxit, injungens ei ut procederet contrà Abbatem Indensem & nobilem Valramum de Juliaco, injuriantes monasterio super decimis, terris, & possessionibus ejus. Libertatem ab omni onere parochialis Ecclesiæ concessam ab origine Fussnichio, vindicavit eadem Magistra, & Tulpeti parochum insidiantem privilegiis, Henrici Archiepiscopi sententiâ compressit anno 1310. intentata excommmunicationis pœnâ Pastori. Anno 1321. Ecclesia in Fussnich sic gravata fuit onere debitorum, ut Pater Abbas Joannes, de consilio Comitis Juliacensis, & ad preces Magistræ Catharinæ, œconomiæ formam imposuerit Cellario, ipsique præscripserit ad Sororum sustentationem dare tantum & annuatim centum maldera filignis, 50. maldera tritici, ducenta maldera bastri * pro cervisia, & sex carratas vini ad potandum; 50. marcas pagamenti pro pitantia, & quinque bonas permas * ad coquinam; eo expresso quòd diebus statutis Conventui dabuntur carnes secundùm ejus consuetudinem; videlicet in festo Patronorum, post Nativitatem (Domini), & in Carnis-privio, (hoc est in Dominica Septuagesimæ) & in feria quarta post Paschæ festum. Ordinatum etiam fuit quòd hospitibus aliunde supervenientibus nihil daretur quousque Ecclesia ab oneratione debitorum esset absoluta. Huic Chartæ appendunt sigilla Comitis Juliæ, & Abbatis Hambornæ.

* Forté hordei.

* Gallicè. Jambons.

Mirum invaluisse tunc consuetudinem vescendi carnibus in monasterio Fussnichensi quater in anno, cùm nulla autoritas huic consuetudini patrocinetur, quàm uti legitimam approbavit Abbas Hambornensis. Anno 1323. Capitulum generale, Præside Adamo Abbate Præmonstrati, statuit ad sedandas omnes multiplicis quæstionis materias, quæ ex immediato regimine Abbatis Hambornensis exortæ fuerant, ut deinceps Præpositus institueretur, qui Fussnichensem Ecclesiam regeret in spiritualibus & temporalibus, isque ex Hambornæ gremio eligeretur, si illic reperiretur idoneus. Ad cujus decreti executionem in primum Præpositum electus est Joannes de *Heronten*, Prior in *Werna*.

Anno 1325. Joanne Præposito ad aliam Ecclesiam translato, pro nova electione assumpferunt Sorores viam compromissi: sed electricibus discordantibus, & electione ad Patrem Abbatem Hambornæ devolutâ cum consilio Abbatis Knecstedenii & aliorum Ordinis Abbatum, necnon Comitis Juliæ, nominavit in Præpositum F. Nicolaum, quondam S. Gerlaci Præpositum, Canonicum Hambornensem. In eo desiit Præpositi nomen & dignitas; nam anno 1338.

IX.

LUCIA in contractibus Priorem sibi assistentem habet: Præpositus ab hinc exulavit.

X.

JUTTA ab anno 1349. Magisterium auspicata, monasterium ex largitionibus fidelium liberavit oneribus antiquis, & Præfecturam ad annum 1381. deductam, fato urgente dimisit rebus secundis fruentem.

XI.

ZULPGE.

XII.

METZA *VON-GOICH* anno 1434. libertates & exemptiones Ordinis, opitulante Bertholdo Hambornensi Abbate, protegente Decano S. Georgii Coloniensis, privilegiorum Ordinis à sancta Sede vindice delegato, tuetur. Anno 1441. fundationem perpetuæ lampadis in choro Virginum ab Elisabetha de *Haen* Sanctimoniali institutam, approbat. Moritur anno 1453.

XIII

MARGARETHA *VON RINDORP-SPINNENBLUTH*, esse desiit anno 1461.

XIV.

GERTRUDIS *KEVENERAT*, filias nobilis viri de *Kessel von Newburg* ad habitum admittit anno 1465. quæ ex patris gratuita donatione viginti filiginis maldera annuatim pensanda monasterio in eleëmosynam conferunt. Anno 1468. curtem in *Thuma* commutat in alia prædia Fussnichio viciniora. Obiit anno 1478.

XV.

GERTRUDIS *ROUWEN VON-OESSENHEIM*: eâ præsidente Albertus de *Bungards* Abbas Hambornensis, altare S. Georgii incorporavit Fussnichio, ad augmentum divini cultûs anno 1484. de consensu archiepiscopi Coloniensis. Anno 1490. Hubertus Abbas Præmonstrati audiens monasterium in temporalibus & spiritualibus neglectum, mandat Abbati Steinfeldensi, ut quoties necesse fuerit, in illo tanquam sibi vicino, vices Patris Abbatis exercere studeat, & in omnibus uti Pater Abbas, habeat plenam agendi potestatem.

XVI.

ANNA *VON-ENSCHERINCK*, reformationem jubente Huberto Abbate Præmonstrati, promovente Joanne *Stail de Holstein* Abbate Hambornensi, suscepit anno 1497. moritur anno 1523.

XVII.

MARGARETHA *SPIESS VON BOBELEN*, obiit anno 1542.

XVIII.

ANNA *VON-GYMENICH*. 1551.

XIX.

MARIA *VON AHR* ex *ANTWEILER*. 1566.

XX.

AGNES *VON GURZ-GENSERAT*. 1584.

XXI.

MARGARETHA *VON-BERGH*. 1595.

XXII.

ALEXANDRINA *FOSS-VON SCHWARZENBERG*, à primo præfecturæ anno, Hollandorum irruptionibus durè tam in se, quàm in suis divexata, incendium, captivitatem, rapinas, auro debuit redimere. Tot dispendiis sufferendis impar monasterium, villam in *Konigshoven* alienavit, in debitorum reluitionem anno 1603. Temporum angustias ad regiminis & vitæ finem experta est Alexandrina, de zelo religionis, & arctitudine clausuræ nihil remittens. Anno 1623. è vivis excessit.

XXIII.

MARIA *GERTZEN-VON-SINTZIGH*. 1634.

XXIV.

ADRIANA *VON BOTTBERGH ZUWANCKUM*. Ejus tempore, anno scilicet 1642. confœderati Gallis, Suevici, Saxo-Hassici milites, diœcesin Coloniensem depopulati, Tulpetum incendio devoverunt, Fussinichio sortem æquè funestam intentantes, Adrianam cum Virginibus exulare coëgerunt Coloniam, indeque ad amicos & parentes divertere. Anno 1651. tristes præfecturæ annos morte beatâ consummavit.

XXV.

ANNA MARIA *VON VOLFFKEEL* prudentiâ charitate, humilitate insignis Virgo, assistente sibi Alberto ab *Herdt* Priore strenuo, ruinas monasterio & villis ejus illatas à bello Hassico, restauravit. Has Hollandi Trajectenses in tractum Coloniensem anno 1672. exundantes innovarunt, & Conventus ab imminenti hoste, religioni & bonis inhiante simul, Tulpetum secedere debuit, donec securitatem auro redemisset. Anno 1685. meritorum & dierum plena transivit ad sponsum Præfecta.

XXVI.

VERONICA *WOLFFKEEL* ex Priorissa & Novitiarum institutrice assumitur in Magistram octogenaria Virgo, soror germana Annæ Mariæ, virtutum & tribulationum ejus particeps. A militibus enim ex improviso in monasterium irrumpentibus, cladem passa est non modicam, sacrasque B. Alderici Reliquias gemens vidit ab effræni hoste conculcari; quas Theodorus *Schwerffen* Prior sub vesperam collectas, decentiori reconditorio deposuit. Anno 1690. religiosæ & venerabilis senectæ dies conclusit Veronica.

XXVII.

CATHARINA ELISABETH DE *FREMERSTORFF*, templum novum, promovente Henrico de *Daell* Priore, à fundamentis excitavit, ejusque primum lapidem, nomine Coloniensis archiepiscopi, subjecit 8. Aprilis 1711. Michael Abbas Steinfeldensis coram Consiliario Aulico Adolpho de *Geyr* ad hoc specialiter deputato 6. Septembris 1716. ritè absolutam Ecclesiam inauguravit, de consensu Coloniensis Nuntii, Claudius Honoratus *LUCAS* Abbas Præmonstrati, visitationem illic obiens. Nunc verò claustri & officinarum structuræ Magistra & Prior communi studio sic intendunt, ut breviter novum planè monasterium liceat inspicere.

PASTORATUS.

S. Pancratius in *Bettenhoven*, Diœcesis Coloniensis, ex concessione S. Engelberti Archiepiscopi, unitur Fussinichio anno 1216. In hujus Parochiæ finibus manat fons S. Irmundo sacer, cujus historiam Theodorus *Ray* ex tabulis excerpsit in libro de *Animabus illustribus Juliæ & Cliviæ*.

Mediâ à monasterio horâ, in campi planitie antiquum S. Petronillæ sacellum, nuncupatum in *Dirlo*, cernitur, cinctum mœnibus: in quo, traditione autore, Mathildis Ducis Limburgensis vidua, reclusam egisse vitam asseritur, Leonis III. temporibus; quin & ipsum sacellum aiunt consecratum à septuaginta Episcopis, assistentibus Abbatibus trecentis. Ac ne suprà fidem tanta baculatorum turba videatur, ad incredulitatis levandos scrupulos, exhibent documentum sub altari Capellæ in *Humbach* Diœcesis Trevirensis anno 1072. repertum, quod consecrationis historiam & reclusæ nomen hoc tenore deducit.

Universis Catholicæ fidei cultoribus hoc scriptum legentibus, seu audire volentibus, rei gestæ veritas innotescat; quod felicis recordationis Dominus Leo Papa quondam gloriosissimus, cujus fulgent adhuc præmia variis virtutum miraculis & exemplis, sanctam matrem Ecclesiam divino edoctus numine, sacris gratiarum imbribus irrigavit, largam spargens benedictionem ubique, prout digna refert memoria, & protestatur relatio laudabilis antiquorum: hic dùm venerabilem Basilicam B. Mariæ Aquisgrani personaliter dedicasset, ad excellentiam & specialem Regis Caroli ipsius germani dilectionem, Ecclesiam in *Hambach* dedicavit, uti suam sororem, bonæ memoriæ Dominam Anticoniam, multis largitatum muneribus insignivit, hic præclarus & sanctus Ecclesiæ Præsul, & Pater, quondam Dominam Methildem, gloriosam Ducis Limburgensis relictam, in *Drilo* devotiùs collocavit; ad cu-

jus preces & merita idem Capellam in honore S. Crucis ac B. Mariæ, ac S. Petronillæ Virginis personaliter, adjunctâ solemni Episcoporum catervâ, videlicet septuaginta, & trecentorum Abbatum, in dicta S. Petronillæ Vigilia dedicavit. Ut igitur omnibus prædictam Capellam in *Dirlo* visitantibus devotè, & in dedicatione ipsius, & per ejus Octavas frequentantibus, salus animarum largè proveniat & excrescat, idem D. Leo Papa LXX. annos Indulgentiæ, singulis quadrenis adjunctis, cum carenis totidem in perpetuum relaxavit. Facta sunt hæc regnante Rege Karolo glorioso, præsidente sedi Agrippinæ Hildeboldo episcopo. *

* Ab anno 782. ad 818. sedit, teste Gelenio in Sacrario Coloniensi.

Dedicatio Ecclesiæ Aquisgranensis facta est anno 799. à Leone III. præsidium & perfugium quærente apud Carolum Magnum contrà furentes Hadriani defuncti necessarios, qui semianimem & sanguine cruentatum sæviùs excipere minitabantur. Eadem ætate & anno Pontificatûs 4°. refert Charta Basilicam in *Hambach* diœcesis Trevirensis ad supplicationem Caroli fuisse dedicatam; cujus dedicationis nullibi Trevirenses fasti meminerunt. Anticoniam sororem Caroli Imperatoris Reclusam, ut suspicor in *Hambach*, recenset, quam in tabulis genealogicis & in scriptoribus hujus seculi inter Pipini prolem nusquam invenias. Mathildem Ducis Limburgici viduam à Leone III. in Sanctæ Petronillæ Capella collocatam memorat. Vellem Ducis hujus nomen proferri, quod nulli notum est usque modò. Sed ut de nomine angimur, ita & de dignitate Ducis ambigimus. Hanc quippè sibi ascivit primus Henricus II. xi. seculo cadente, cum proavi solo Comitatûs Limburgici titulo potirentur. Dubia augent nostra sub finem appositæ indulgentiarum species *Quadragena*, *Carena*, *septuaginta annorum*; vocabula prorsùs ante seculum xi. nulli seculo audita priùs. Imò visitationes sacrorum locorum ad consecutionem indulgentiæ ab Urbano II. primùm invectæ, in Canonica disciplina antehac incognitæ sunt.

Vide T. 1. p. 587. & seqq. ad an. 799. apud Browerum.

SACRÆ RELIQUIÆ.

I.

Eminent inter sacras Sanctorum reliquias, B. Alderici venerabiles exuviæ. Vitam ejus à Bollando relatam 6. Februarii, nosque illustratam, consule, donec fusiori stylo acta ejus criterio subjiciamus.

II.

In Capsa operis sculptoris, & cristallis obducta, habentur 18. capita, ex sodalitate S. Ursulæ & sociarum, opere phrigio & acupicto ornata.

III.

Ex adverso latere Chori, in alia similis artis capsa, viginti capita Martyrum de societate S. Gereonis, seriatim composita cernuntur.

IV.

In alia theca picturis elegantibus ornata exstant ejusdem S. Gereonis, & S. Gregorii Maurorum Christianorum Ducis, ossa.

V.

Altera lipsana vitro quadro obducta continet vertebras, dentes, articulos, craniorum fragmina S. Mauritii & Sociorum ejus. Hæc miraculis frequentibus celebris, magno cultu ab incolis honoratur.

VI.

Sexta, eaque ingens & argentea, auro oblita hierotheca accludit portiones, 1°. de præsepe Domini, 2°. de columna Christi, 3°. de monte Calvariæ, 4°. de Sepulchro Christi, & ligno Crucis ejus, 5°. de Sepulchro B. M. V. 6°. Os superius dimidiatum S. Petronillæ V. 7°. Os S. Laurentii, &c.

VII.

Septima argentea & deaurata in turris formam affabre efficta, continet Reliquias SS. Bartholomæi & Jacobi, Philippi & Andreæ, de ossibus SS. Stephani, Fabiani & Sebastiani, &c.

VIII.

In octava, eaque argentea, asservantur manna celeste, portio mensæ Dominicæ, Sudarii Christi, ossa Apostolorum Petri, Joannis, Philippi, &c.

IX.

Donarium est argenteum familiæ de *Hocherbach*, in quo includitur pixis vitrea de oleo S. Catharinæ Virginis. Miraculo devectam ex Parthenone Canonissarum de *Grevenrode*, ad Fussnichiensem aiunt, idque oleum indefectibili velut ex fonte manans, nunquam imminui in vitro, attestantur.

X.

Brachium ligneum aurato colore pictum, exhibet partem digiti S. Petronillæ Virginis.

XI.

Septemdecim Sanctorum minores Reliquias comprehendit. Hanc cistulam Religiosæ Virgines, more Ordinis, in Processionibus per ambitum Claustri deferre assolent.

XII.

In resolutione altaris summi, dùm nempè novi templi structuræ admota est manus, insignes, sed innominatorum Sanctorum Reliquiæ in tabernaculo latentes, prodierunt, quas nuper decenti hierothecâ reseratas, religiosè asservant Canonissæ.

XIII.

In tabula perantiqua, lignea, acuminata, in duas valvulas divisa, multis cellulis distinctæ visuntur hinc Reliquiæ S. Virginis Mariæ, S. Agnetis, S. Justinæ, SS. Ægidii, Huberti, Bernardi, &c. inde spectabilis pars de Cruce Salvatoris, ad cujus circuitum & in loculamentis positæ sunt partes de tunica ejus, de spinea corona, de panno incunabili illius, & variæ minutatim concisæ variorum Sanctorum Reliquiæ. Vide Probat. à col. DLXVIIJ. ad col. DLXXIV.

GARTZEN.

Gartzen. Fil. Steinfeldia. Diœcesis Coloniensis. Circaria Westphaliæ.

IN Ducatu Juliacensi, & Coloniensi Archiepiscopatu, haud procul à Tolbiâ, vicus est nomine *Gartzen*, quem Emericus proprietatis & dominii jure possidebat anno 1352. Capellam in honorem S. Antonii Eremitæ, illic ex devotione erexit, & fundis utcumque dotatam, in beneficium, sub approbatione Willelmi de *Genepe* archiepiscopi Coloniensis, extulit. Ecclesiolæ addidit tres cellulas, tribus Virginibus recludendis aptatas. At loci & victûs angustia, ad secessionem Virgines coëgit, uti & Capellæ rectorem.

Anno 1474. Hubertus Dominus in *Gartzen*, & in *Zintzig*, ejusque uxor Sophia de *Nesselrath*, extincta proavorum monumenta, & eorum pias intentiones effectu fraudatas, ut excitarent, tres Religiosos regulæ, ut aiunt, tertiæ S. Francisci accersivere, quos in primæ fundationis dotem, & in ædificiorum possessionem immiserunt: ac ne rerum parcitas ad defectionem illos urgeret, quatuor addiderunt siliginis maldera. Sed neque hoc proventuum incremento contineri potuerunt Patres Franciscani, qui rigidam paupertatis normam sectantes, inopiam non dico, sed nec mediocritatem ferre voluerunt.

His abeuntibus, de aliis subrogandis seriò deliberavit Wirricus de *Gartzen*, atque ad Fundatoris mentem, ut Dei ageret opus, iterùm moniales advocavit, sub regula S. Augustini militantes. Anno 1520. domunculæ adierunt possessionem, & ad Archiepiscopi nutum, modò seculares, modò regulares habuerunt moderatores, qui earum tenui fortunæ, & morum regularitati invigilarent.

Sed tandem anno 1541. suprema monasterii administratio demandata est Jacobo de *Panhusen*, Abbati Steinfeldiæ, ab Hermanno de Weda, Coloniensi archiepiscopo. Sollicitudinem & regimen ad Jacobi successores transmiserunt sequiores Archiepiscopi Adolphus, Gebehardus, & Maximilianus Henricus.

Ordinis Præmonstratensis disciplinam & spiritum ex assiduitate ebibentes paulatim Canonissæ, ultrò Archi-præsulem Maximilianum Henricum libello supplici conveniunt, obsecrantque ut ad Ordinem approbatum liceat transire. Annuit supplicantium votis Maximilianus; statimque Præmonstratensi militiæ inscribi postulant 22. Augusti 1665. verùm Joannes *Luckenrath* Steinfeldensis Abbas, postulationis arbiter, hanc nequiit admittere, ob ædificiorum ex Bello Hassico adhuc prostratorum patentes ruinas. Desiderii moras ut superarent Canonissæ, ad ædificia congrua sedulas manus applicuerunt, & Dei beneficio in pristinum restituerunt statum anno 1673. Cum jam regulari clausura, & ambitu cinctum esset monasterium, Bonna à Cæsareis obsidetur, prædones Parthenium subeunt, & depopulantur, injectis ignibus, ædes, ipsamque Ecclesiam concremant; Sorores vitæ consulentes & pudori, refugium in arcibus, & monasteriis quærunt errantes & miseræ; Pastoris & Superioris exorant pietatem, clementiam implorant, nec frustrà.

Etenim Joannes *Luckenrath*, habito cum Electoris Vicario generali, consilio, ad Tulpetense* oppidum vagas congregavit anno 1678. Virgines; sed translationi, Fundatoris hæres Baro de *Wachtendunch*, pro viribus obstitit, quasi prædecessorum gloriæ, innovatio ista detraheret. Superveniens intereà obitus Abbatis *Luckenrath*, adversantis conatus fecit potentiores; nec illos vincere, sed eludere debuit Theodorus *Firmenich* Steinfeldiæ Abbas, revocando Canonissas ad Priorem habitationis locum.

*Tolbiac.

Igitur anno 1681. festino labore, dirutas suscitat ædes, & 7. Septembris examen Virginum ad domunculas paterno reduxit affectu. His præerat Catharina *Heck*, exemplo & pietate cæteris prælucens, & ad disciplinæ Præmonstratensis instituta, suos, suarumque effingens mores. Officium B. Virginis, quod priùs linguâ vernaculâ recitabant in choro, pendere cœperunt latino idiomate. Canonicas horas ad ritum Præmonstratensem, Mariano junxerunt officio, nihilque desiderabatur in illis, ut alumnæ evaderent Norberti, quàm ut votis se Ordini alligarent.

Geminarunt preces, in hunc finem, apud Michaëlem *Kuell* Steinfeldiæ Abbatem, qui obtento consensu Josephi Clementis de Bavaria Coloniensis archiepiscopi, ad Ordinis habitum admisit 16. Februarii 1704. Cæciliam *Trimborn* matrem, Catharinam *Mertens*, Barbaram *Rustzheims*, Annam *Gontagz*, Catharinam *Filz*, Elisabeth *Quirinair*, Gertrudem *Bungardis*, Catharinam *Derckums*, Agnetem *Schorns*, Franciscam *Potesta*, Petronellam *Bodson*, vetus institutum professas, quibus se Comitem ad-

junxit Margareta *Metzer*, Novitia. Evoluto probationis tempore, ad professionem receptæ sunt 8. Martii 1705. ab eodem Abbate. Ac ne quid ad unionem & aggregationem hujus Parthenii desideraretur, accessit approbatio Abbatis Præmonstratensis, Ordinis totius Generalis, anno 1707. Denique Joannes Willelmus Dux Juliacensis suo Diplomate, innovationem monasterii, ejusque ad disciplinam Præmonstratensem transitum roboravit 4. Februarii 1715.

Sub Priore, amovibili ab Abbate Steinfeldensi, & Patre Gartzensis monasterii, nova hæc planta usque modò fructificavit.

RELIQUIÆ SACRÆ.

Portio mandibulæ, cum dente S. Antonii Eremitæ, patroni tutelaris, eò loci miraculorum frequentiâ, & populorum concursu, maximè verò tempore grassantis in pecora luis, celeberrimi.

Particula de cranio S. Laurentii martyris.
De cilicio S. P. Norberti.

SEPULCHRA.

In Crypta subterranea requiescunt corpora Fundatorum, quibus marmoreus lapis impositus est, caracteres exhibens, sed vetustate detritos.

Muro Sanctuarii appendet hoc Epitaphium Cunonis de *Binsfeldt*. Anno 1634. 12. Decembris obiit in Deo generosus Cuno de *Binsfeldt* Dominus in *Gartzen*, qui hic ante summum altare, propè Dominum Emmericum de *Gartzen* equestris Ordinis, & Evam, hujus Ecclesiæ Fundatores, progenitores suos, sepultus. In cujus memoriam sepulchralem hunc lapidem posuit Domina Anna de *Nesselrath*, vidua generosi Domini Joannis in *Binsfeldt*, Baronis in *Vyller*, Satrapæ in *Nideggen*, & Tulpeto, præfati Domini Cunonis in *Binsfeldt* germani.

GAUDII VALLIS.

Gaudii vallis. Fil. Præmonstrati. Diœcesis Carnotensis. Circaria Pontivi.

* Montjoye prope S. Germanum in Laia.

NOmen suum traxit Abbatia, ab arce Montis Gaudii* quam Clodovæus Rex & Clotildis inhabitare consueverant. Ad hujus arcis pedes saliebat fons, domunculâ Eremitæ sanctimoniâ celeberrimi, rusticè instructus. Ad illum frequens divertebat Regina Clotildis ut salutis caperet documenta, quæ vir pius è cœlo accepta, cordi Principis efficaciter instillabat. Eo loci, & eo incola autore, Reges Galliæ dimissam ab Angelo *Auri-flammam*, acceperunt, primigeniumque stemma deponentes, in tria lilia verterunt Buffones suos, referente Gaguino inveteratæ traditionis assertore. « Non prætereibo inquit, huic loco adjicere, quod nullo certo autore, sed perseverante ad hanc meam ætatem famâ vulgatum accepi, fuisse Regibus Francis Buffones tres, nobilitatis quidem insigne, sed Clodovæo Christianis sacris initiato, demissum cœlo esse id quod nunc Reges gestant, lilia aurea quibus subest cœli sereni color, quem azuri Franci dicunt, ad hanc rem mihi astipulatur Divi Bartholomæi monasterium, quod Gaudium Vallis* appellatur, ubi fons hujus miraculi testis, ab incolis ostenditur. Traditum quoque est, pannum sericum rubrum instar signi militaris quadratum, miro fulgore splendentem divinitùs esse exceptum, quo in expeditionibus contra fidei Christianæ hostes, pro signo Franci Reges uterentur, huicque vexillo nomen *Auriflammam* hactenùs permansisse. * Joinval.

Ita Gaguinus, cui consonat Antiphona cantari ab origine fundationis assueta in Missarum solemniis ad perennandam famosi eventûs recordationem.

O Salutaris Hostia,
Spes unica fidelium,
In te confidit Francia,
Da pacem, serva lilium.

Mirum à tot seculis patratum miraculum, seculo duodecimo primùm stupenti illuxisse, nullisque scriptorum monumentis consignatum in sola Traditione orali perseverasse & manasse ad seros nepotes. Mirum quomodò Reges Galliæ incultum hunc locum, apparitionibus & dono cœlesti consecratum neglexerint, qui solitudines nullis notatas prodigiis, passim in suis ditionibus ornaverant, illustrantque sacris ædificiis. Prorsùs hæc scrupulum movent & penè in fabulas vulgi levioris vertunt Gaguini portentosam narrationem.

Ut ut sit à Bartholomæo de Roya * Franciæ Camerario, fundamenta Gaudii-vallis, Philippo Augusto Rege approbante locata sunt anno 1221. in nemoroso secessu, mediâ à San-Germani Layensis * arce, horâ, in declivi montis, loco ab alluentibus aquis & hortorum pensilium amœnitate pergrato. Regiam se prolem inscribit Gaudii-Vallis & liliis inspersum gestat stemma: hanc non à Fundatore alioqui illustrissimo, habet prærogativam, sed à munifico benefactore Philippo Augusto, qui vallem è commercio civili, non eliberavit tantùm, sed & censum remisit, & à Ludovico IX. qui acquisitionem furni in Pissiaco siti, laudans, transfert in Gaudii-vallem unum bladi modium, quem quotannis fisco debebat furnus. Geminos ergò quasi confundatores agnoscit & veneratur Abbatia, sub unoque die horum memoriam recolit Necrologus. * Roye. * S. Germain en Laye.

« Commemoratio

"Commemoratio illustrissimi ac fortunatissimi Domini Philippi Galliæ Regis hujus nominis II. dicti Augusti, unà cum dilecto sibi Domino Bartholomæo de Roya Franciæ Camerario, hujus Ecclesiæ Fundatoris, qui cum sua regali parentela, multa nobis contulit bona & privilegia, & obiit 14. Julii 1223.

I.

GERVASIUS Præmonstrati Abbas ad Bartholomæi preces, advectam secum ex Archicœnobio Fratrum coloniam, Gaudii-Valli imposuit, sub Abbate Ausculpho. Is Coloniæ Agrippinæ nobili genere natus, et Pariiis Theologiæ & Juris Canonici lauream adeptus, ad Vallem-Secretam ex pietatis & solitudinis amore, Norbertinum induturus habitum, se recepit. Unde à Gervasio Archimandrita Præmonstratum vocatus, Prior instituitur. Ubi autem de præponendo Valli-Gaudii Abbate actum est, Ausculphum meritis & doctrinâ potiorem præfecit. Sacris ab adventu operari cœpit cum Fratrum cœtu in Capella Essartorum * quam Pissiacense Capitulum Bartholomæo Fundatori tradiderat. Anno autem 1224. ad Ecclesiam monasterialem, arte & structurâ elegantem, & à Gualtero episcopo Carnotensi solemniter in ipso SS. Trinitatis die consecratam, divina facturus demigravit. Quantus, qualisve fuerit Ausculphus, ex benevolentia & beneficiis Sancti Regis Ludovici conjice. Illos enim solùm colebat, quos sibi noverat similes. Die 12. Octobris 1227. magnam suæ sanctitatis opinionem relinquens, obiit Ausculphus, & in Capitulo sepelitur sub lapidea tumba, pedum Pastorale, nullum verò pompaticæ ostentationis præferente ornamentum.

*Des Essarts.

II.

THOMAS Pissiacensis origine, Ausculphi alumnus, & successor, jus patronatûs S. Andreæ *d'Hebertot* à Joanne *de la Porte* Normanniæ Baillivo, in eleemosynam recepit. Gaudii-Vallis bona Gregorii IX. Diplomate 1231. & majestalibus Reginæ Blanchæ litteris confirmari fecit. Die 29. Junii 1231. moritur & ad latus Ausculphi terræ mandatus est.

III.

SIMON DE *MAULIE* ex illustri Mauliorum * familia progenitus, monasterium privilegiis Apostolicis munivit. Piissimò Fundatori Bartholomæo de Roya è vivis sublato 24. Januarii 1237. parentavit mœrens, & in meditullio Sanctuarii sub lamina cuprea honorificè condidit & ornavit elogio.

*De Maule.

Debitum Adæ biennio post, solvit & ipse Abbas Simon, & in Capitulo sub lapide, effigiem Prælati in Pontificalibus exhibente, deponitur cum hoc Epitaphio.

"Anno milleno ducenteno trigeno Dominici Natalis, cum nono, Dominus SYMON per cuncta fidelis, istius Ecclesiæ quondam Pater, natus Mauliæ, hic inhumatur, cum Christo pace fruatur. Amen.

IV.

JOANNES moritur anno 1243. Sub ejus regimine Nicolaus de Roya episcopus Noviomensis 15. Aprilis 1239. denatus, Bartholomæi Fundatoris nepos, cineribus avunculi suos junxit cineres, & isto tetrastiche inscriptus jacet in Sanctuario.

Anno milleno bis centeno duodeno
Ter nono, mundo sublatus mense secundo
In medio mensis Nicolaus Noviomensis
Præsul obit, patrui junctus ad ossa sui.

V.

GUILLELMUS DE *PICARDIA* antehac Præmonstrati Prior, insignes S. Bartholomæi Reliquias, à Philippo Comite de Monteforti * deportatas ex Benevento ad arcem Montisfortis, excepit magno apparatu de manibus episcopi Carnotensis, translationem ritè & solemniter peragentis. Obiit Guillelmus Abbas 31. Maii anno 1268.

* Montfort Lamaury.

VI.

FROMONDUS occubuit 26. Aprilis an. 1281.

VII.

BARTHOLOMÆUS Fraternitatem S. Bartholomæi instituit, & à Nicolao IV. Pontifice approbatam, procuravit muniri indulgentiis. Mortuusque est 21. Novembris an. 1293.

VIII.

PETRUS DE *VITRIACO* natalium splendore clarus, defunctus est 3. Idus Octobris anno 1299.

IX.

GUILLELMUS II. abjecto Canonicatu Pissiacensi, militiæ Norberti nomen dedit; electus Abbas, in argentea theca inaurata, sacras S. Bartholomæi exuvias condidit. Præbendam Canonialem Collegii Pissiacensis Philippus VI. Rex mensæ Abbatiali, in augmentum dotis, & intuitu pietatis, perpetuis univit temporibus anno 1330. eâ tamen lege ut Abbas Vicarium, si per se non obiret munia Canonici, ex suo Conventu assumptum subrogaret. Defunctus est Guillelmus 5. Novembris an. 1334.

X.

GUILLELMUS III. è vivis migravit 12. Kal. Octobris an. 1347.

XI.

JOANNES DAVID Hermeriarum & Gaudii-Vallis ex dispensatione, conjunctim Abbas,

tres cytharas aureas ad gentilitium stemma gerebat, nono Julii moritur an. 1368.

XII.

JOANNES, 22. Novembris an. 1385. appositus est cum patribus suis.

XIII.

BERALDUS decessit 25. Novembris an. 1394.

XIV.

BERTRANDUS Juris utriusque Professor & Doctor, obiit 20. Martii anni 1400. Jacet in Capitulo.

XV.

JOANNES *POULAIN* 18. Kal. Junii an. 1416. spiritum exhalavit.

XVI.

JACOBUS ELIAS DE *LOUVIERS*, solo penè nomine Abbas; direpta enim ab Anglis arce Montis-Gaudii, & Canonicis Gaudii-Vallis in fugam versis, ipse Jacobus in exilio decessit 19. Octobris an. 1432.

XVII.

JOANNES *TOUPPET* Noviomensis, Juris utriusque Doctor, Præmonstrati, dein Collegii Parisiensis Prior, Abbas Gaudii-Vallis eligitur in domo S. Trinitatis Parisiensis, Præside Adamo Abbate *Hermeriarum*, & Vicario generali. Domum ab Anglis vastatam reparavit, & à Capitulis generalibus in Hungariam, Saxoniam, Bavariam, cum autoritate plenaria ablegatus, reformationem morum & disciplinæ, magnis laboribus, sed felici exitu invexit. Decimo Novembris 1440. magnam sui nominis famam, magnum suis desiderium linquens, obiit Parisiis in Collegio, ubi corpus tumulatum est; cor verò ejus ad suos relatum in sua Ecclesia honore decenti conditum fuit à lugentibus filiis, qui in monumentum amoris & doloris hoc ei inscripsere Epitaphium.

» Respice flos fœni, florens nunc tempore leni,
» Cras sic marcesses, TOPPETI nempè JOANNES
» Tam venerandus homo bene natus de Noviomo
» Iste decus Cleri, Tutor, Flos Ordinis Albi,
» Præmonstratensis Prior, anteaquam Parisiensis,
» Ecclesiæ istius Pastor, Juris quoque Doctor,
» Fratrum Director, solertus, pacis amator
» Lapsorum structor, multorum fit reparator,
» Ædis subversæ quæ Parisiis fuit ante,
» Prudens adauxit bona nostra, peroptimè rexit
» Annus millenus quadringentus quadragenus
» Demonstrat quo tempore tantus arescat.

XVIII.

JOANNES DE *HANNONIA* Juris utriusque Doctor & Interpres Parisiis Vicarius generalis à Capitulo generali renuntiatus pro Regnis Hungariæ, Poloniæ, Bohemiæ, & pro Circariis Austriæ, Sueviæ, Bavariæ, Sclaviæ, Saxoniæ, iter aggressus est ab ipso inaugurationis suæ Abbatialis initio, & inter varia vitæ discrimina visitationes instituit, compressit abusus, leges prudentiâ conditas, quas manibus nostris tractavimus & suspeximus oculis, ad reformationem, nullo personarum habito respectu, edidit, annis 1440. 1441. 1442. &c. Ad suos reversus, dura ab infestis Burgundionibus pertulit. Exul à suo monasterio in alienis victum emendicare coactus est, durante hostili incursu. Post sedatam tempestatem profugos Canonicos revocavit ad proprias ædes, & ut solo æquatum monasterium excitaret, sacra D. Bartholomæi pignora, sub Episcoporum permissu circumferri per Galliam voluit, ad procurandam fidelium largitatem. Ex collectis quæstuariorum pecuniis, templum restituit suo decori & domum reparavit. Denique 26. Decembris, vir undequaque commendabilis animam efflavit an. 1472.

XIX.

EUSTACHIUS *BEGUET*, cessit in favorem

XX.

STEPHANI *GOUPILLON* episcopi Sagiensis, Commendatariorum antesignanus, qui possessam per aliquot annos Abbatiam sponte resignavit

XXI.

JACOBO *DU MOULIN* Priori Gaudii-Vallis in senectute bona defuncto 14. Julii an. 1495.

XXII.

BERALDUS DE *LA CHAISSAIGNE* Clericus secularis existens, Abbatiam assequitur in spem futuræ professionis Religiosæ. Post impleta vota, rationem redditurus obiit 5. Martii anno 1499.

XXIII.

Post ejus decessum competitores surrexerunt duo. Alter LANCELOTUS *DU FAU* Lucionensis episcopus. Alter BERTRANDUS DE *GUGNY* Canonicus S. Martini Laudunensis, canonicè electus. Sed prævalente gratiâ curiali, Electus Commendatario, sub annua quinquaginta aureorum pensione, cedere debuit. 13. Februarii an. 1505. obiit Lancelotus.

XXIV.

Bernardus DE *LA VERNADE*, frustrà Canonicis jura electionis vindicantibus, à Rege imponitur Abbatiæ Gaudii-Vallis. Moriturque 11 Martii an. 1509.

XXV.

ROBERTUS DE *LEPÉE* Prior Gaudii-Vallis posteà Pastor *d'Hebertot*, recuperato electionis jure, in Abbatem assumitur. Sub vitæ de-

liquium, Clerico sæculari Petro *Marie*, viâ permutationis resignavit. Sed morte præcipiti * Abbatis, permutatione cadente, Petrus in sanctiori Regis consilio litem intentavit Religiosis permutationem impugnantibus. Causâ cecidit Petrus, & sedi vacanti datus est per electionem successor

* 1515.

XXVI.

JOANNES *BAILLIE* ex nobilibus & opulentis parentibus natus Parisiis & Pastor de *Cramoisy* in Lucionensi Diœcesi, unde à Confratribus ad infulas Abbatiales sublevatus, obiit 24. Decemb. an. 1521.

XXVII.

JOANNES *BRUTEL* S. Ivodii Branensis Canonicus & Sorbonicus Doctor, præsidentibus electioni Petro de *Courtillier* Albæ-Curiæ & Amato de Fonte Vicario generali & Clari-fontis Abbatibus, electus, moritur 16. Decembris an. 1528.

XXVIII.

MICHAEL *COUPSON* Prior Gaudii-Vallis, fit Fratrum suffragio Abbas. Inde ad Branensem, posteà ad Præmonstratensem prælaturam postulatus, ultimâ gaudere non potuit, obsistente Francisci Cardinalis Pisani autoritate, primariam Ordinis sedem ambientis. 12. Martii Branæ functus est fatis an. 1531.

XXIX.

BARTHOLOMÆUS *GAUGIER* S. Martini Laudunensis Canonicus ex resignatione Abbas Gaudii-Vallis, litibus à Regio fisci procuratore ob sylvarum stragem divexatus, de deferenda Abbatia cogitavit, permutationisque ansam nactus ad Christianam-Vallem demigravit, ubi anno 1541. plenus dierum obiit.

XXX.

PETRUS DE *FOUILLE* Regis Eleëmosynarius, adeptam in vim commutationis Abbatiam Gaudii-vallis, providè administravit, sylvas è fisci liberavit manibus, paterna bona ad ornamentum domûs Dei, & structuram ædium Abbatialium impendit; privilegia Abbatiæ ab Henrico II. innovari impetravit an. 1548. atque ut suscepti operis ad Dei gloriam, assecuraret imitatorem, titulum zelumque simul transfudit in nepotem suum Nicolaum *de Fouille* Priorem Mauliæ, modicam sibi de proventibus pensionem reservans. Verùm resignatione vix consummatâ, finem vitæ fecit Resignatarius. Petrus verò residuum vitæ suæ cum suis Gaudii-vallis Fratribus transegit, totum se charitati & pietati impendens, mortuusque est 10. Octobris an. 1559.

XXXI.

NICOLAUS DE *FOUILLE* Mauliâ Gaudii-vallem petens, lapsus ex equo, subitaneâ morte correptus interiit 14. Aprilis an. 1555.

XXXII.

NICOLAUS *BRUSLART* Libellorum supplicum Magister, cessit & 12. Novembris ad patres abiit anno 1591.

XXXIII.

CAROLUS *BRUSLART* ex avunculi resignatione Abbas, ad Venetos & Helvetos ablegatus, nepoti sub pensionis onere transmisit Abbatiam, & 25. Julii an. 1649. vita functus est.

XXXIV.

CAROLUS *BRUSLART* Regis Eleëmosynarius malè à suis gestam & in multis dilaceratam Abbatiam, restituit, restitutam tradidit Georgio d'*Aubusson de la Feüillade* ut Ebredunensem Archiepiscopatum ex commutatione assequeretur. Decessit Ebreduni 4. Novembris an. 1713.

XXXV.

GEORGIUS D'*AUBUSSON* Abbatiam ex permutatione mercatus, rexit ut bonus Pater, in suos effusus, in pauperes largus; Metis 12. Maii an. 1697. in senectute bona, optimus decessit Episcopus.

XXXVI.

PAULUS *GODET DES MARAIS* Carnotensis episcopus, hoc unum sui regiminis lugubre monumentum dedit posteris, Abbatiæ scilicet titulum extinxit & suo univit Episcopatui, ut imminutionem spiritualis suæ jurisdictionis ex Blesensis episcopatûs erectione, sibi illatam ab Innocentio XII. temporalium accessione compensaret. Carnoti finem vivendi fecit 26. Septemb. an. 1709.

XXXVII.

CAROLUS FRANCISCUS DE *MONTIERS DE MERINVILLE* Carnotensis episcopus, jure hæreditario Abbatiam adiit & possidet.

RELIQUIÆ SACRÆ.

Pars maxima corporis S. Bartholomæi Apostoli. Illam debet Gaudii-vallis, Philippo I. Montisfortis Comiti, & Eleonoræ de *Courtenay* ejus amantissimæ conjugi, filiæ Petri II. Imperatoris Constantinopolitani. Maximo apparatu, in Ecclesiam Gaudii-vallis transtulit anno 1229. Carnotensis episcopus, sacra hæc pignora & fortè ad instantiam Petronillæ de Monteforti, sponsæ Fundatoris Bartholomæi de Roya, tanti doni facta est hæres Ecclesia Gaudii-vallis.

Os brachii & pars cratis ferreæ S. Laurentii martyris. Ambæ Reliquiæ thecis argen-

teis affabrè factis inclusæ, præcipuo cultu honorantur, & in utriusque Sancti solemnitatibus magnam vidi affluentium hinc inde populorum multitudinem religionis & supplicationis ergò accurrere.

SEPULCHRA MAGNATUM.

Fundator & consanguinei Fundatoris, jus sepulchri in Abbatia Gaudii-vallis habentes, illic tumulati penè omnes fuerunt, illorumque Epitaphia exscripta à nobis, tibi subjicio, lector, famosarum Imaginum cupido; oblitteratum penè Bartholomæi Epitaphium in cupro sculptum accipe

Hujus Basilicæ Fundator Bartholomæus
De Roya jacet hîc, cui pius esto Deus.
Regis consilium, Regis Camerarius, inter
Regni majores, maximus iste fuit.
Ut tantus fieret meruit discretio, sensus
Mores, vita, manus larga, probata fides

Alterum accipe Petri de Roya Fundatoris germani fratris.

» Michi parce
» Petrus de Roya Miles tumulo jacet isto
» Pro quo dat Christo laudes pia Virgo Maria
» Laus Patriæ, flos Militiæ, fons Nobilitatis
» Lux generis, probus innumeris signis pro-
» bitatis.

Frater erat, ut diximus, Fundatoris & ambo filii Roriconis de Roya & Adelinæ de Guisia. Filios habuit Bartholomæum, Nicolaum episcopum Noviomensem, Guillelmum & Bartholomæum alterum, Noviomi Archidiaconos.

» Robertus sum dictus, hoc qui sum lamine
pressus
» Hîc sum juxta Fratres latitans in lamine Frater,
» O Frater chare! sub cupri lamine pressis
» Dic pro nobis preces multum ego relevor illis
» Lector quisquis eris, pro nobis quinque pre-
» care
» Ut nos cum superis Christus velit associare.

Robertus ille Cameracensis Ecclesiæ Præpositus, frater erat Bartholomæi Fundatoris. Noviomensem Archidiaconum referunt tabulæ Gaudii-vallis, & mortem oppetiisse 21. Februarii 1272. quod gratis dictum putem. Excesæ ad limbos tumuli litteræ, vix sensum exhibent intelligibilem. Hoc unum intelligo quinque Fratres sub eadem tumba esse sepultos, *Lector quisquis eris pro nobis quinque precare.* At Fratres illos quinque in genealogico schemate Royorum non invenio nisi Robertum illum, filiis Petri, & Bartholomæi nepotibus addas.

» Hîc jacet Domina Isabellis quondam Do-
» mina de Novione super *Andelam* & de *Hac-*
» *queville* quæ obiit anno Domini MCCXCIII.
» in festo SS. martyrum Cosmæ & Domiani.
» Anima ejus requiescat in pace Amen.

Junctam fuisse Guillelmo Pissiaci narrant Gaudii-vallis Chronica.

» Icy gist Messire Jean *de Latimer* jadis Sei-
» gneur de *l'E'stang* sous *Maule* qui trépassa
» l'an de grace MCCXCV. en l'entree de
» Mars. Priez pour ly.

Generum Bartholomæi Fundatoris fuisse aiunt, duas tamen ex Petronilla de Monteforti superstites filias fuisse ex genealogicis tabulis colligitur, altera *Alix* erat Joanni Alenconio, & in votis secundis Radulfo de *Nesle* uxor nupta. Altera *Amicia*, Guillelmi *Crespin* Domini de Dangu uxor. Joannis de *Latimer* sponsa non Alix, sed Maliz vocitabatur, ejusque in conthorali sepulchro hanc legi Epigrafen.

» Icy gist Madame Maliz femme Messire
» Jean de Latimer Chevalier qui trepassa l'an
» MCCCXI. la Vigile de Pentecoste. Priez
» pour l'ame d'elle.

Et hæc epocha filiam non fuisse Fundatoris convincit; siquidem Alix de Roya, jam ab anno 1205. Joannem Alenconii Comitem desponsarat nubilis certè. At quis credat ad annum 1311. dies perduxisse suos, jam ab anno 1205. nubilem?

» Corpus à vita sustollitur Archilevita,
» Qui legis hæc dubita, nam tibi fiet ita.
» Castus, discretus omni virtute repletus,
» largus in expensis Guillelmus Noviomensis.

Erat filius Petri de Roya Noviomensis Ecclesiæ Archidiaconus.

» Mihi parce Deus
» Bartholomæus jacet hîc, sed heri flos vul-
» gi, gloria Cleri
» Nunc cinis, huic dona, Christe, perhennia
» dona
» Doctus in immensis, mundus sine crimine,
» donis
» Largus, cui Turonis suberat gens Andega-
» vensis.

Frater is erat Guillelmi.

» Hîc de Pissiaco Simon jacet inclytus virtute,
» Compar Regibus, nihil modo morte secante,
» Laus Patriæ, lux Militiæ, rosa docilitatis
» Consilii fons, auxilii mons, pons probitatis.
» Obiit 27. Octobris 1247.
» Qui spectans huc es cinerem me respice
» Miles
» Qui fueram, nihil æs proficit, imò preces.
» Hæc corpus Domini subvelat tumba Joannis
» Ac ductus fini fuit iste senilibus annis
» Dictus de Roya, juxtà Fratres inhumatus
» Ut sit ei venia, fundat pia Virgo precatus.

Vide Probat. à col. DLXXIV. ad col. DLXXVIIJ.

G E D I R.

Gedir. Filius Zabrdovici. Dioecesis Colomensis. Circaria Hungariæ.

GEdir apud Layruelium & Pagium *Geidel*, paterno antiquitùs jure à Præpositura Ocraensi juxta Layruëlium & ab Obzaensi pendebat juxta Indicem Pagii. Ab immutatio-

ne autem Paternitatum facta conciliariter anno MCCLXXXXIV. Zabrdovici Prælato paruit. Binis à Danubii ora Septentrionali milliaribus Gedirensis Præpositura stabat, quam vastator Turca demolitus est dum Coloczam & Batham immani furore subvertit. Civitatem utramque Leopoldus Imperator postliminio recepit, sed *Gedir* necdum recepit Ordo Præmonstratensis de victoris beneficentia.

GENLIACUM.

Genliacum Fil Cuissiaci. Diœcesis Noviom. Circaria Flandria.

GEnliacensis Abbatia, in oppido cognomine, Marchionatûs titulo, insigni, aëris intemperie, ambientis paludis vaporibus male sano, in Picardiæ sito finibus, primitus Xenodochium fuit, ad refugium & recreationem pauperum, ab Alberto de *Hangest*, & Comitissa uxore ejus, fundatum anno 1221. Institutionem, dotemque illius confirmavit anno 1226. Gerardus episcopus Noviomensis.

Piam patris destinationem, in aliud pietatis opus, meliore, ut credidit, actus consilio filius Joannes de Hangest, convertit, & adscititiis proventibus auctam hospitalem domum, erexit in Abbatiam Canonissarum Ordinis sancti Victoris. Ludovicus IX. Rex Galliæ immutationem statûs, & dotis incrementa suo Diplomate approbavit anno 1245. ea tamen lege, ut de consensu & voluntate Diœcesani episcopi ista fieret innovatio.

Petrus Noviomensem tum regebat Diœcesim, & propitio annutu, Fundatoris beneplacito se accommodans, præconceptæ Abbatiæ exordiis favit. Favit & Joannes de Cergiis Abbas Cuissiaci, qui jus parochiale in dicta villa de *Genly* obtinebat, & sub pactis hinc inde acceptatis, firmatisque Episcopali judicio, ad monasterium instructum decenter, examen Virginum præeunte *Ensenia* Abbatissa involavit anno 1246. Novellæ plantationi in dies magis magisque beneficus Joannes, ampliori donatione Abbatiam fecit sat pinguem, & beneficia sua Petri Noviomensis episcopi confirmatione munivit ad stabilimentum, annis 1246. 1247. Fundatoris liberalitatem, Isabella d'*Abbecourt*, Joanna Blesæ & Alenconii Comitissa, Enguerranus Dominus Couciaci, & Joannes & Guido de *Follöuel* æmulati, redditibus non nullis auxere dotem quam Innocentius IV. ad petitionem Abbatissæ, apostolico Diplomate confirmavit anno 1247. & Philippus III. Galliæ Rex à civili exemit commercio anno 1283.

Secundiore fortunâ gaudentes Canonissæ, inde sanctiores evaserunt. Paulatim emarcuit disciplinæ vigor, vitæ commodiori inservientes, prædia ad subsidium lautioris mensæ oppignoraverunt, ædificia neglecta & ad ruinam prona non curarunt instaurare, abundantiæ successit egestas, & ad desertionem plures compulit egestatis angustia. Proavorum suorum vota, suo fine fraudata condolentes Joannes de *Hangest* & Maria de *Sarbruche* sponsa ejus, de substituendis aliis qui parentum responderent desideriis, & fundationis obirent onera, serio deliberarunt. Cum episcopo Noviomensi, & Cuissiacensi Abbate istud pietatis egerunt negotium, & in eam conclusionem deducta est mutua collatio, ut ocyus ex Abbatia Cuissiaci, Fratrum accerseretur turmula sub Præpositi regimine inutilibus ac immorigeris sufficienda Sanctimonialibus. Nonnullis temperata conditionibus transactio inita est Fundatores inter & Abbatem Cuissiaci, quarum alterâ indemnitati Cuissiacensium consulebatur, alterâ Genliacum in Præposituram erectum, paterno Cuissiacensis Abbatis juri subjiciebatur. Redactam in forma concordiam, immutandi monialium status necessitatem & necessitatis causas, ad summi Pontificis Martini V. tribunal detulerunt Fundatorum hæredes, & approbationem instantius postulatam, facilè impetrarunt pridie nonas Martii 1422. Ursi-Campi Abbatem delegavit Pontifex executorem Bullæ, quæ non nisi die 7. Januarii 1423. finem suum sortita reclamantibus licet Alcide *Ansfelle*, Maria de *Mur* & Anna *Descarmaing*, tribus emorientis parthenonis Sanctimonialibus. Abbatissam tunc temporis nullam præfuisse, imò ab annis antiquis titulum Abbatissæ, cum temporalium rerum detrimento exolevisse, hinc suspicamur, quod in chartis donationum à seculo factis, Abbatissæ nomen non occurrit.

I.

Primus à Pontifice summo designatus Genliaci Præpositus extitit JOANNES *DE THOIRY*, Præmonstrati Prior, vita, moribus, ac regularis disciplinæ zelo præstantissimus; cique defuncto suffectus est per electionem

II.

PETRUS *GREGOIRE* à Patre Abbate Cuissiacensi confirmatus, & anno 1459. exemptus humanis.

III.

PETRUS *MAILLOT* obiit anno 1476.

IV.

JACOBUS *LANGUIER* moritur anno 1490.

V.

JACOBUS *LE PELLETIER* ex pietate, & œconomia laudatus, & merito laudabilis, qui Dei cultum, rem domesticam, observantiæ ri-

gorem sic promovit, ut Capitulum generale Calniaci celebratum anno 1496. Præside Huberto de Montehermeriis Abbate Præmonstrati, reposcente ...... Cuissiacensi Abbate, dignus fuerit qui in Abbatem sublimaretur, hæreditarioque hoc honore successores redimeret, fatis cedens anno 1545.

VI.

JOANNES D'*HENGEST* Fundatorum abnepos, & Commendatariorum primus. Patruo suo Carolo d'*Hengest* successit in episcopatu Noviomensi, demissâ ante mortem Abbatiâ Genliacensi, quam viâ electionis adeptus est

VII.

NATALIS *CARTIER* ex gremio Capituli assumptus, ad legitimum statum electio revocaverat Abbatiam, quam inusitatâ cupidine habendi pastoratum Genliacensem, iterùm possidendam seculari, per improvidam resignationem tradidit anno 1568.

VIII.

ALBINUS *DOIGNE* obiit anno....

IX.

PHILIPPUS DE *GOURSAY* Canonicus & Decanus Cathedralis Ecclesiæ Noviomensis cessit anno 1613.

X.

CAROLUS *DU HAMEL* Philippi nepos obiit 1665.

XI.

CAROLUS *BRULARD* Florimundi Marchionis Genliaci filius, posteà Ebredunensium Archiepiscopus, Abbatiam dimisit anno 1667.

XII.

CAROLUS *BRULARD* Prædecessoris avunculus, excessit anno 1669.

XIII.

PETRUS *BRULARD* Florimundi filius natu minor, Abbatiam anno 1701. abdicavit, & ad nuptias, salvandi generis sui gratiâ, superstes de tota familia surculus, transivit.

XIV.

JOANNES-BAPTISTA *CROIZAT* Libellorum supplicum Magister, migravit ad Dominum anno 1729.

XV.

JOSEPHUS *SEGUIER* possessionem adiit 13. Febr. 1730.

PASTORATUS.

Duo sunt in eodem Genliaci oppido Pastores qui alternis hebdomadibus ministerio parochiali inserviunt.

MONUMENTA SEPULCRALIA

In Sanctuario spectabilis effigies Abbatissæ saxo insculptæ visitur, & ibi *Ensenam* Genliaci primam Abbatissam jacere dicitur. Sororem ejus Euphemiam dignitatis hæredem fuisse testatur lateri æreo inscriptum hoc in medio Chori Epitaphium. *Cy gist Eufeme seconde Abbesse de Genly suer germaine à Ense .... priez pour l'arme.*

Non longè ab hac lamina, Raguetii exuviis impositus lapis hanc inscriptionem offert.

» Hîc jacet Reverendus Pater SIMON *RAGUET* » sacræ Theologiæ Doctor, inter primos ab» stinentiæ perpetuæ restitutores, & Congre» gationis antiqui rigoris Ordinis Præmonstra» tensis autore R^mo. Gollerio Generali suscep» tores eminens, qui præcipuis religionis offi» ciis toto vitæ decursu insignitus, reforma» tionis in se & in aliis tenax, observantiæ re» gularis indefessus cultor, tandem ad supre» mum Ordinis solium canonica electione vo» catus, perituris ipse dignitatibus sublimior, » corpore, tùm communibus, tùm privatis » mortificationibus attrito, immortalem ele» ctorum vitam feliciùs & maturiùs consequi » meruit, quàm generale regimen adipisci.

Obiit die 12. Aprilis, anno Domini 1646.
Requiescat in pace.

In Toparcharum & Fundatorum Sacello hæc in contiguis Mausolæis leguntur.

I.

Cy gist haus & puissant Monseigneur Aubert de Hangest jadis Seigneur de Jenlis, qui trèpassa l'an MCCCIII. la velle de S. Mikiel. Priez pour l'ame de ly, que Dieu luy fasse vrai pardon. Amen.

Conthoralis ejus Elisabeth *de Chastillon* eodem tumulo acclusa est.

II.

Cy gist Noble Jacques de Hangest Seigneur de Genlis lequel trèpassa le VII. jour de Juillet l'an MDXX. Et Noble Dame Jeanne de Mouy sa femme laquelle trèpassa le xiij. jour de Mars. Priez Dieu pour eux.

Pater noster. Ave Maria.

III.

Cy gist noble & puissant Seigneur Messire Adrien de Hengest Chevalier & Seigneur de Genlis & de la Taulle, Chambelan ordinaire & grand Echançon du Roy, Bailli & Capitaine d'Evreux; & noble & puissante Dame Madame Françoise du Mas Dame dudit lieu sa femme qui a tous les jours fondé Messe en l'Eglise de céans.

Diem & annum mortis omissos supplemus. Die xv. Octobris anni 1532. Adrianus obiit, uxôr verò ejus v. Jan. 1532.

Postquàm Toparchia Genliaci præconis voci subjecta, Petro *Brulart* Sanctioris consilii

Commentarienſi adjudicata eſt, jus ſepulchri habuerunt in monaſteriali Eccleſia, primuſque illo jure uſus eſt Natalis *Bruſlart* in obſidione Ambiani interfectus, cui hoc Epitaphium appenderunt.

*Filius erat Petri Brulart & Mariæ Cauchon Dominæ de Suiſy.

Cy giſt Noël Brulart * dit le Capitaine *Croſne* lequel le xvij. jour de Juillet MDLXXXX VII. faiſant tête aux ennemis en ſa charge d'Enſeigne d'une Compagnie du régiment du Roy Henry IV. fut en l'age de xvij. ans eſteint d'un coup de piece tiré de la Ville d'Amiens lorſqu'elle etoit à l'Eſpagne.

D'un pere & d'une mere également chery
Et cherement inſtruit en l'avril de mon âge
Parmi les gens de pied je fis apprentiſſage
A ſeize ans dans le Camp de Bellone noury
Enſeigne à dix-ſept ans d'un eſcadre aguerry
Je ſuis mort le guidant au milieu de l'orage
Combattant pour mon Roy, Roy Phœnix en courage
Cet auguſte François ce trois fois grand Henry
Ainſi de peu de jours on vit ma vie bornée
Vie qui ne pouvoit être mieux fortunée
Que d'être au lict d'honneur éteinte pour ſon Roy
Mon corps né de la terre eſt en terre à cette heure
Et mon ame eſt au Ciel ſa premiere demeure
Auprès du Roy des Rois qui voit tout deſſous ſoi.

IV.

Cy giſt haut & puiſſant Seigneur Meſſire Claude Bruſlart Chevalier Marquis de Genlis, Comte de Sainte Anne en Brie, Seigneur d'Abbécourt, Bethancourt, Maret, Bichancourt, & autres lieux en Picardie, de Rouvray & autres terres en Normandie, Capitaine de deux cents hommes d'armes des Ordonnances de Sa Majeſté & Colonel du régiment d'Infanterie d'Artois. Il mourut de la mort des Juſtes en la Ville de Paris le xv. Avril MDCL XXIII. à ſon retour des conquêtes d'Hollande, où il rendit à ſon Roy tous les ſervices qu'on pouvoit attendre de ſa naiſſance, de ſa fidelité & de ſa valeur. Son corps fut apporté en ce lieu par les ſoins de haute & puiſſante Dame Angelique de Fabert ſon épouſe, qui après avoir rebâti de fond en comble, & orné cette Chapelle, y a élevé ce monument à la mémoire de ce cher époux, dont la perte lui ſera toûjours preſente & ſenſible juſques à ce qu'il plaiſe au Pere de miſericorde, au Dieu de toute conſolation de les réunir un jour & pour jamais dans le Ciel.

V.

In eadem Capella jacet Anna de *Halwin* uxor Ægidii *Brulart* Sanctioris conſilii Amanuenſis, 8. Maii MDCVII. mortua, ſed nullo monumento funebri diſtincta.

Vide Probat. à col. DLXXXVIIJ. ad col DXCJ.

S. GEORGIUS IN NEMORE

S. Georgius in Nemore. Filius Congregationis reformata. Circaria Normanniæ. Diœ. Cœnomanenſis

IN pago Vindocinenſi, non procul à Montorio, varias variorum inſtitutorum ſucceſſiones paſſa eſt Abbatia S. Georgii in nemore. Originem illius ad tempora Childeberti Francorum Regis, & ad munificentiam Ultrogottæ uxoris ejus, ſeculo ſexto mediante, Innocentio Cœnomanenſium epiſcopo ſedente & monaſticæ Religioni propagandæ intentiſſimo, revehit Renatus *Chopin* in ſuis ad *leges Andinas commentariis*. Informatorem erecti & dotati cœnobii B. Carileſum fuiſſe ſcribit, dum ex Abbatia ſua, quæ ex ejus nomine Eymon ſumpſit, * quatuor horis à S. Georgio ſeparatâ, coloniam monachorum trajecit qui diſciplinam inducerent.

* S. Calais olim Aniſola.

Ex libro *fundationum Pontificalium* Cœnomanenſis Eccleſiæ prima hæc naſcentis Abbatiæ retexit veſtigia, quem publici juris factum ab erudito Mabillonio nunc tenemus, & fuſiori ſtylo hiſtoricam originem, quam Chopinus contraxerat, ſic legimus. » Ipſe Dominus » Innocens (epiſcopus Cœnomanenſis octavus) » monaſteriolum unà cum hæredibus Hare» gario & Trudane... in area ejuſdem ſenio» ris Eccleſiæ intra fluvium Sartæ & murum » civitatis conſtruxit.... ipſi verò B. Innocen» ti, & Eccleſiæ ſibi commiſſæ, traditus eſt » locus cum omnibus ad ſe pertinentibus in » pago Cœnomanico in Con[illegible] Labricenſe » ubi per autoritatem *Hildeberti* Regis, & » ejus Reginæ *Ultrogoda* ædificavit monaſte» riolum in honore S. Georgii, in quo etiam » de ejus proprio corpore magnam partem po» ſuit. Ad præfatum igitur opus perficiendum » & ornandum *Hildebertus* Rex & ejus Regi» na *Ultrogoda* & rebus fiſci eorum eleëmo» ſyna prædicto epiſcopo & jam dicto loco » non modicum præbuere adjutorium, ſicut » in chartis & præceptis memoratæ matris Ec» cleſiæ, & munificentiis & teſtamentis præ» fati Domini Innocentii epiſcopi hactenùs » declaratur.

Veterum Analector. p. 246. Edit. novæ.

Ibid. p. 270.

Aglibertus ejuſdem Cœnomanicæ ſedis epiſcopus & Innocentii prædeceſſoris æmulatus pietatem, cùm » à malevolis hominibus inde » per malum ingenium, abſtractum aliquo tem» pore fuiſſet (monaſterium S. Georgii) ipſa » ſtrumenta chartarum per quæ Eccleſiæ ſuæ » traditum fuerat, inveniens, Regique Theo» dorico relegendum deferens, petiit ut ſuæ » Eccleſiæ, cui eſſe debebat, redderetur. Quod » & Theodoricus Francorum Rex diligenter

» per fidelissimos missos, & ipse postea in ge» nerale palatio suo investigans, Cœnomanicæ » senioris matris Ecclesiæ cui Domnus Aglibertus præsidebat, & cujus ipsum monasteriolum justè & legaliter esse debebat, per suum » præceptum reddidit Pontificibus, ergò & » servis Dei inibi Deo degentibus perpetualiter possidendum. Præfatum autem monasteriolum, Domnus Aglibertus, ut præfatum » est, recipiens mirabiliter restruxit & reædificavit exaltavitque, atque mirificè decoravit: » ibique monachos sub regula S. Benedicti sexaginta esse instituit, & receptiones pauperum atque peregrinantium, sive omnium indigentium sapientissimè fore perennis temporibus episcopaliter constituit, & suæ sedis » Ecclesiæ, atque Canonicis & servis Dei inibi Deo, sive suis successoribus famulantibus » possidendum & regendum dimisit.

Levia hæc primariæ antiquitatis indicia, & penè unica, si nostram S. Georgii in nemore Abbatiam innuunt, prorsùs non demonstrant, cùm, teste Mabillonio, tam multæ sint Ecclesiæ nomine S. Georgii in Cœnomania. Attamen vix dubitem, ad monasterium nostrum pertinere, quod in actis episcoporum Innocentii & Agliberti relatum est supra, idque suadet loci designatio & sitùs in *Condita Labricensi*, in qua vicinum S. Georgio, monasterium B. Carilefi positum asseritur. Suadet insuper regiæ magnificentiæ opus, quod temporum injuriâ non debuit obrui, quodque fatis omnibus superstes, subsistit in Cœnomania, & solum, sub S. Georgii nomine.

Miscellaneor. p. 40.

Restauratum & assertum episcopis Cœnomanensibus S. Georgii cœnobium, monachis Ordinis S. Benedicti addictum est, ibique Deo famulantes steterunt usque ad tempora Gaufridi de *Prulliaco*, nuncupante *Jordanis* Comitis Vindocinensis & Andegavensis, eoque, ut creditur, autore, seculo mediante duodecimo, vel circiter, amoti sunt Benedictini Patres, & Canonici regulares inducti. Immutationis istius Chartæ nullæ suppetunt, et primordialis statûs, nulla remanent instrumenta. Seu bellorum strâge, seu temporum infelicitate; seu flammis, aut custodium incuriâ, hoc grande acciderit infortunium, lugenda est insignis quondam Abbatiæ conditio, quæ ex monumentorum defectu, sensim defecit in bonis, & disciplinam vidit labascere ex rerum angustiis.

Unum quod edacitati aut calamitati subductum est recentioris ævi Diploma ad posterorum eruditionem, & existentis olim Augustiniani instituti in San-Georgio probationem subjicimus.

» Alexander Episcopus servus Servorum Dei, » dilecto filio Ægidio Abbati S. Georgii de ne» more, Ordinis S. Augustini Cœnomanensis » diœcesis. Salutem & Apostolicam benedictio» nem. Sinceræ devotionis affectus, quem ad » Nos & Romanam geris Ecclesiam, promere» tur ut humiles preces tuas, quantùm cum » Deo possumus, ad exauditionis gratiam fa» vorabiliter admittamus. Hinc est quòd Nos » volentes præmissorum meritorum intuitu, » favore prosequi gratioso, teque à quibusvis » excommunicationis, suspensionis, interdicti, » aliisque Ecclesiasticis censuris & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus » existis, ad effectum duntaxat præsentium » consequendum, harum serie absolventes, & » absolutum fore censentes, tuis, nec non dilecti filii Nobilis viri Ludovici de Borbonio, » bonæ memoriæ Comitis Vindonensis, fratris, Nobis super harum humiliter supplicantis, inclinati supplicationibus, tibi ut tu & » successores tui, monasterii S. Georgii de ne» more Ordinis S. Augustini Cœnomanensis » diœcesis Abbates pro tempore existentes, » mitrâ, annulo & baculo pastorali, & aliis pontificalibus insigniis uti, & tam in ipso monasterio, quàm aliis quibuscunque Prioratibus & » Ecclesiis eidem monasterio subjectis, seu ab » illo dependentibus, quamvis illi pleno jure » non subsint, ac etiam aliis quibuscunque locis Ecclesiasticis in quibus te, successoresque » tuos ipsius monasterii Abbates, in pontificalibus celebrare contigerit, benedictionem solemnem, post Missarum, Vesperarum, Matutinarum & aliorum divinorum Officiorum » solemnia, supra populum inibi tunc interessentem (dummodò ibidem aliquis antistes, » seu Sedis apostolicæ legatus præsens non fuerit) elargiri, nec non omnia & singula Ecclesiastica ad divinum cultum dedicata, ac præfati monasterii, omnesque alias & singulas » seculares & regulares Ecclesias ejusdem monasterio subditas, ac ab eodem dependentes » ac alias super quibus tu & successores tui » præfati, seu eorum alter, requisiti fuerint » ad hoc, seu requisitus fuerit, nec non cœmiteria & alia loca, Ecclesiasticâ benedictione, ipsasque Ecclesias ac Cœmiteria & alia » loca Ecclesiastica hujusmodi, sanguinis vel » seminis effusione pollutas & polluta reconciliare, nec non quibuscunque Religiosis, Conversis, familiaribus, & personis dicti monasterii ad hoc idoneis repertis, quatuor minores Ordines, semel, & simul, aut separatim prout expediens fuerit, statutis à jure » temporibus, conferre & eos ad Ordines hujusmodi promovere, liberè & licitè perpetuò » possitis & eorum quilibet possit, felicis recordationis Honorii III. & Alexandri IV. » Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum & aliis quibusvis constitutionibus » & ordinationibus Apostolicis cæterisque contrariis non obstantibus, autoritate Apostolicâ tenore præsentium, de specialis dono gratiæ indulgemus. Nulli ergo hominum liceat » hanc paginam nostræ absolutionis & indulti » infringere.... Datum Romæ apud S. Petrum » anno

» anno Incarnat. Dominicæ MCCCCXCVI. » vj. Kal. Octobris.

Ad nihilum pene, tam in temporali, quàm in spirituali, redactæ S. Georgii Abbatiæ misertus Dominus Franciscus Dominicus *Hamon des Roches* Abbas commendatarius, dolensque fraudari pia Fundatorum vota, ac vix residuæ substantiæ proventus alendo uni Canonico sufficere, propositum ab adita possessione anno MDCCXX. arripuit mundandi Sancta, & innovandi domum. Christianam intentionem laudavit, fovit & promovit Dominus *Fronlay* Cœnomanensis & Diœcesanus antistes; collatisque invicem consiliis, subrogandos Augustinianis Præmonstratenses veteris & reformati instituti Canonicos sanxerunt, si in alienam, sed depauperatam hæreditatem vellent introire; si ad normam exactioris disciplinæ & œconomiæ prudentis, quæ passim in eorum viget monasteriis, regere & erigere collapsam ex parte Abbatiam sponderent.

Abbas commendatarius ad viciniores Patres Neustriæ divertit, Superiores invitat ad colloquium, & tot, tamque ponderosis rationum momentis ad miserationem flectit eorum corda, ut operæ præstandæ dociles se præbuerint, magno animo, desideriis Commendatarii. Pactis hinc inde conscriptis, quæ sua sunt Abbas exequitur. Superstitis Canonici consensum elicit, episcopalis accedit autoritas, regio demùm Diplomate negotium sanctum & salubre obtinet confirmari, mense Martio anni MDCC. XXVI. sub hac forma.

» Loüis par la grace de Dieu Roy de France » & de Navarre, à tous presens & à venir, Sa» lut. Nos chers & bien amés les Chanoines » Reguliers de la Réforme de l'Ordre de Pré» montré de la Province de Normandie, nous » ont fait réprésenter que le sieur Dominique » François Hamon des Roches Abbé commen» dataire de l'Abbaye Royale de S. George du » Bois, Ordre de S. Augustin, Diocese du Mans, » touché du facheux état dans lequel il avoit » trouvé en 1720. ladite Abbaye, tant pour » le spirituel que pour le temporel, avoit crû » que le meilleur party pour empêcher la rui» ne de ce bénéfice, étoit d'envoyer les expo» sans, dont la vie lui a paru des plus exemplai» res, demeurer dans ladite Abbaye en lieu & » place des Chanoines de S. Augustin, dont il » ne reste qu'un seul Profez; que pour cet effet » ledit sieur Abbé des Roches avoit transigé » avec les exposans, & passé avec eux un traité » devant Notaires le 29. Janvier 1725. par » lequel il auroit consenti tant pour lui que » pour ses successeurs à ladite Abbaye, que les » exposans vinssent s'établir au lieu & place des » Chanoines de S. Augustin, pour y vivre sui» vant les constitutions de leur Ordre, & en » acquitter les fonctions au désir des Fondateurs » & autres clauses & conditions portées par » ledit traité, à laquelle introduction notre » amé & féal Conseiller en nos Conseils le Sr. » Evêque du Mans auroit donné son consente» ment par acte du 27. Décembre de la même » année, ainsi que le Frere François Fougerat » seul & unique Profez de cette Abbaye par » autre acte devant Notaires du 8. Janvier der» nier és clauses & charges toutefois y conte» nuës. D'autant que tous ces actes ne peuvent » avoir leur effet qu'autant qu'ils seront par » nous approuvez & confirmez; lesdits expo» sans nous ont très humblement fait supplier » de vouloir leur accorder nos lettres sur ce né» cessaires.

» A ces causes, voulant favorablement trai» ter les exposans, persuadez qu'ils rétabliront » dans ladite Abbaye le bon ordre, Nous avons » de notre grace spéciale, pleine puissance & » autorité Royale, approuvé, ratifié & confir» mé, & par ces présentes signées de notre main, » approuvons, ratifions & confirmons lesdits » actes & traités cy-attachez sous le contre-scel » de notre Chancellerie; voulons & nous plaît » qu'ils sortent leur plein & entier effet, aux » clauses, charges & conditions y portées, & » qu'en conséquence lesdits Chanoines Regu» liers de la Réforme de l'Ordre de Prémontré » puissent s'établir dans ladite Abbaye, pour y » faire le Service divin, & y vivre suivant les » constitutions de leur Ordre, pourvû toute» fois que dans lesdits actes il n'y ait rien de » contraire à nos droits, aux franchises & li» bertés de l'Eglise Gallicane, & aux constitu» tions dudit Ordre. Si donnons en Mande» ment à nos amés & féaux Conseillers, les gens » tenans notre grand Conseil à Paris, que ces » présentes ils ayent à enrégistrer, & de leur » contenu faire joüir & user les exposans plei» nement, paisiblement & perpétuellement, » cessant & faisant cesser tous troubles & em» pêchemens contraires: car tel est notre bon » plaisir. Et afin que ce soit chose ferme & sta» ble à toûjours, Nous avons fait mettre notre » Scel à ces présentes. Donné à Versailles au » mois de Mars, l'an de grace 1726. & de » notre regne l'onzieme. LOUIS.

Et sur le reply. Par le Roy PHELIPEAUX avec grille & paraphe. *Visa FLEURIAU.*

Scellées du grand Sceau de cire verte en lacs de soye.

Enrégistrées au grand Conseil le 9. May 1726.

Canonicâ & regiâ autoritate muniti Præmonstratenses, turmulam Canonicorum, suis potiùs, quàm Abbatiæ sumptibus sustentandam, transmiserunt ad Sanctum Georgium, sub regimine P. Porel Prioris constituti à Superioribus Reformatæ Congregationis. Excelsi cordis, exculti doctrinâ & moribus venustis ingenii, laborum & angustiæ patientis, feracis œconomiæ, sacro eloquio potentis & opere, Priorem hunc providè elegerunt Patres, & electionem comprobat in dies instauratio ædi-

ficiorum, disciplinæ observantia, divini cultûs decor.

Sequentibus beneficiis gaudet Abbatia S. Georgii.

S. Petrus de nemore.
S. Martinus de nemore.
S. Jacobus de Garetis (des Guayres.)
S. Arnulphus.
S. Richmirus. (Rymay.)
S. Georgius de Villa fundi. (de Villiers faux.)
S. Anna Monstrealis Henrici (Montreüil le Henry.)
S. Genesius de Laverdino (S. Genais de Lavardin.)

Omnes Pastoratus diœcesis Cœnomanensis sicut & tria quæ sequuntur beneficia seu Capellæ.

S. Ægidius de Vasone (Vason.)
S. Eligius de Fossa pulverosa. (Fosse poudriere.)
S. Marcus de Fraxino. (du Fraisne.)

In diœcesi Blesensi.

S. Leobinus Vindocinensis. (S. Lubin de Vandosme.) Aggregatus Collegiali Ecclesiæ Vindœinensi.
S. Jacobus de Insula.
S. Firminus de Pratis.
Nostra Domina de Essa petrosa. (Espereuse.)
S. Martinus d'*Espuis*.
S. Anna.
S. Jacobus de Bellaquercu. Omnes Pastoratus.

Nostra Domina de *Villeshion*.
S. Petrus de Mota. (de la Mothe.)
S. Stephanus de Bulleto. (de Bullou.) — *Prioratus simplices.*

In diœcesi Turonensi.

S. Petrus de Hedera. (Neuilly le lierre.)
S. Vincentius in civitate Turonensi. — *Pastoratus.*

Et hæc omnia beneficia in regularitate perseverarunt usque modò.

S. GEORGIUS STADENSIS.

S. Georgius Stadensis. Fil. Gratia Dei. Diœcesis Bremensis. Circaria Saxoniæ.

Chron. Alberti Stadensis. f. 275. Edit. Argentin.

RUdolphus Comes Stadensis, filius Rudolphi Marchionis Stadensis, & frater Hartwici archiepiscopi Bremensis, (qui anno 1152. Capellam. S. Stephani (a) ad *forensem Ecclesiam Magdeburgensem* Canonicis S. Mariæ tradidit) Præposituram Præmonstratensis instituti, sub nuncupatione S. Georgii, in ipsa Stadensi civitate fundavit, anno 1137. Richarde de Franconiâ matre ejus suadente, annitente Adalberone Bremensi archiepiscopo. Ex monasterio *Gratia-Dei* Canonicos adduxit Rudolphus, qui locum incolerent, & piaculares pro salute animæ suæ, matris suæ Richardis, & Comitis Udonis nuper occisi (b) remedio, preces Deo funderent. Udo ille Comes de *Freckenleve* frater erat Rudolphi Fundatoris, mortuus improlis, quanquam nuptus sorori Hermanni de *Wincenburg*.

Constructam ecclesiam consecravit Bremensis archiepiscopus Adalbero, & totius dotis seriem dato desuper consignavit instrumento.

Ferventibus in Germaniâ Lutheranæ factionis tumultibus, in direptionem data est, decimo sexto labente seculo, celebris hæc Præpositura; cui recuperandæ curas & impensas ingentes contulit, anno 1628. meritissimus Questembergius, Strahovii Abbas. Scilicet prodierat à Ferdinando Cæsare Mandatum, Generali Tillio inscriptum, ut in possessionem Præposituræ S. Georgii, juxta articulos Pacis Passaviensis, Præmonstratenses immitteret. Verùm Tillius, nonullorum aviditate circumventus, restitutionem hanc alteri genti (quæ ubertimos in eâ Provinciâ fructus edituram sese pollicebatur) faciendam per litteras Cæsari suggessit. Reposuit Ferdinandus suæ voluntatis esse, ut monasteria, post pacem illam Passaviensem ab heterodoxis occupata, illismet Ordinibus, quibus antea competebant, redderentur; nec permissurum sese, ut contra pacta Fundatorum, in alienos applicarentur usus.

Mentem suam planiùs adhuc aperuit Cæsar 23 Januarii 1629. in Ordinis Præmonstratensis commendationem Tillio rescribens. Quibus iste submissè parens, auxiliatrices Questembergio præbuit manus, & in Stadense monasterium redintegrati sunt Præmonstratenses, mense Martio 1629. (c) Illius curam & ordinationem Christophorus Pilckman, Steinfeldensis Abbas, Vicarius Generalis Circariæ Vestphaliæ, commisit Villelmo Greuter Abbati Scheidensi, qui dum reparandis ædibus, & recuperandis proventibus, quos inter sese Metropolitanum Bremensis Ecclesiæ Capitulum, & Magistratus Stadensis partiti fuerant, incumberet, derepentè Gustavus Adolphus Suecorum Rex, prostrato anno 1631. ad Lipsiam Cæsareo exercitu, Catholicam Religionem è partibus illis, in Clerum, & Ecclesias infandum in modum desæviens, eliminavit & invasit Præposituram.

Necdùm tamen retinendorum monasteriorum spem abjecerant nostri, donec anno 1635.

(a) Chartam donationis habes apud Ludwig. *Reliq. Manusc.* Tom. II f. 468

(b) Chron. Magdeburg. apud Meibonium, *Rer. German.* Tom. II f. 328.

(c) Restitutionis illius historiam hausimus ex Memorialibus P. Kellel, Steinfeldiæ asservatis.

victricibus Adolphi armis adactus est Imperator ad subeundas duræ pacis conditiones, quarum una fuit, ut Ecclesiastica bona detentoribus actualibus, ab annis quadraginta, pacificè remanerent. Iisdem hanc possessionem, tametsi titulo prorsùs iniquo partam, perpetuavit pax Vestphalica, & in Gymnasium erudiendæ juventuti acatholicæ destinatum, transformata est Stadensis Præpositura.

Vide Probat. à col. DXCj. ad col. DXCij.

GERIGNIACUM.

Gerigniacum. Fil. Cuissiaci. Diœcesis Remensis. Circaria Floreffia.

MOrtuo Gualtero Juminiaci & Cuissiaci Toparcha, Sanctimonialium congregationem, secùs Abbatiæ muros, adunavit Lucas, primus Abbas Cuissiaci, vir sanctitatis opinione celebris, multorumque Parens Religiosorum. Præeuntem ac postulantem Gualteri viduam Ermengardem *de Roceio*, intra claustri angustias, cum Virginibus & Viduis acclusit, rigorem Ordinis profitentibus sub Lucæ magisterio. Hunc ab annis pluribus interioris vitæ ducem habuerat Ermengardis, & eo comprobante velum induit virilis animi fœmina, spectantibus consanguineis, collacrymante filio Gervasio, Gerardo patruo, & aliis inclytæ nobilitatis proceribus astantibus, quos rei novitas Cuissiacum advexerat.

Nonnullis Parthenon stetit annis: sed cùm crescenti in dies mulierum Collegio non sufficerent ædes; in opportuniorem locum transferendas censuit Lucas, tùm ut commodiori Sanctimonialium vitæ consuleret, tùm etiam ut tolleret malignantibus occasionem deturpandæ religionis. Obtinuerat Lucas à Godefrido Castri Portiani * Comite villam *Gerigniaci* * in Portuensi territorio, sesqui-hora à *Calvomonte*, & ad intentionem donatoris, illic Prioratum conventualem instituerat, ab anno 1131. Ergo Fratres ibidem Domino servientes ad matricem revocavit Ecclesiam, & in eorum locum subinduxit Moniales, quibus Præfectam constituit Ermengardem.

* Château Porcien.
* Gerigny.

Virtutum gloria, & vitæ regularis zelo magisterium sic exornavit pia & nobilis fœmina, ut in omnibus esset forma vivendi, cœlestis patriæ desiderio indesinenter exæstuans. Inter psallendum tam vehementi meditationis ardescebat igne, ut rutilantes è corpore suo flammas videretur emittere. Vigiliis, orationibus, jejuniis tandem consumpta, Maii die 12. anni 1148. pretiosis ornata monilibus, migravit ad sponsum, & Gerigniaci sepulta est. Quo fato Parthenon iste in suis velut incunabulis emortuus fuerit, nescimus. Ante annum 1199. excidisse innuit Charta Guillelmi Abbatis Cuissiaci, transferentis Rogero Domino *Roseti* * in perpetuam hæreditatem, quidquid apud Gerigniacum possidebat, in pratis, terris & sylvis, sub annuo censu sexdecim modiorum. Vide Probat. à col. DXCij. ad col. DXCV.

* Rosoy.

GERKIS-CLOOSTER.

Gerkis-Clooster. Fil. Horti-Mariæ. Diœcesis Trajectensis. Circaria Frisia.

BUvo & Gerricus fratres germani, & nobiles, germanæ pietatis instinctu, bina Ordinis nostri cœnobia, virile unum, alterum muliebre, instituerunt. Buvo nec uxorem habens, nec liberos, * accito per nuntium Domino Elgero Abbate Horti Mariæ, & relictis seculi vanitatibus, omnia quæ possidebat, Abbati resignavit, ut Sanctimonialium cœnobium in Præfectura Dockingæ, & Monasteriensi diœcesi ædificaret. Anno 1242. Parthenonis structuram aggressus Abbas, anno 1245. Ecclesiæ colophonem imposuit, & Collegium ex nomine autoris *Buvanum* voluit appellari. Gerricus in paterna ditione de *Wigaratorp*, fratri prælucens exemplo pietatis, jam cœnobium virorum exstruxerat, sub Jelgeri Abbatis patrocinio adoleverat virtutibus, & à Fundatore denominationem obtinens, *Gerrici cœnobium*, Frisio idiomate *Gerkis-Clooster* nuncupatum fuerat. Ad annum 1559. perseveravit.

* Volperus in Chron. Frisiæ c. 32.

GERLACHSHEIM.

Gerlachsheim. Fil. Cellæ Superioris. Diœcesis. Herbipolensis. Circaria Iveldensis.

PRæclarus olim Virginum, nobili præsertim stemmate prognatarum, Parthenon Ordinis Præmonstratensis, secùs pagum cognominem, in loco amœnissimo, non procul ab amne Tubera * constructus est ab autore incerto, anno ancipiti. Parochialem Ecclesiam ipsa monasterialis Ecclesia præbebat incolis Gerlachshemii, adhuc nostrâ ætate celebris, ob insignem S. Crucis particulam ab antiquo fidelium concursu & miraculis famosam. Quo tempore hæreticorum hostiles incursus monasteria deprædabantur, Gerlachshemii Parthenon ab infestis prædonibus, injurias, bonorum vastationes, incendia passus, sensim regularis disciplinæ sensit labascere fervorem. In temporali quippe sauciatus, minutus in numero, defluxit à spiritu religionis, & inde arripiens occasionem succidendi cœnobii Fridericus à *Wirs*-

* Tuber.

berg episcopus Herbipolensis, illud amarâ & præcipiti manu resecuit, totamque ejus substantiam avidiore zelo, univit mensæ episcopali anno 1563.

Invasionem istam contra juris formas, prætermisso regularis medicamenti prævio tentamine, factam impugnarunt Visitatores Ordinis, Abbates Cellenses totis impetivere viribus, nunc Herbipolensium æquitatem hortationibus pulsando, nunc Imperatores Rodulphum II. Ferdinandum II. Leopoldum I. supplicibus libellis conveniendo; à quibus repetitas pro restitutione monasterii litteras impetrarunt: sed Episcopi in possessione alieni fundi exultantes, eas non multùm curaverunt. Quare meliorem sibi spondentes exitum Præmonstratenses, si Apostolicæ sedis appellarent tribunal, anno 1699. instantiam promoverunt ad Petri Cathedram, quæ causam ad congregationem Episcoporum & Regularium remisit, indeque ad Rotæ tribunal: in quo post diuturnam, acerrimamque partium luctam, post plures in favorem Ordinis editas decisiones, monasterium cum omnibus bonis ac juribus per tres conformes sententias annis 1711. 1712. 1713. datas juridicè, adjudicatum est Ordini Præmonstratensi, ac Mandatum executoriale desuper expeditum. Hoc solemni fretus judicio Michaël Abbas Steinfeldensis, & generalis Visitator Circariæ, in possessionem Parthenonis, ejusque prædiorum immitti se personaliter curavit die 30. Aprilis 1714. quâ tamen possessione non attentâ episcopus Herbipolensis, ejusque Capitulum Cathedrale, minimè possessionem bonorum relaxarunt, sed potius pro illorum applicatione mensæ episcopali institerunt vividius apud Sanctissimum, confidentes per gratiam posse consequi, quod per tramitem juris reportare non potuerant.

Examini intrusæ petitionis Congregatio constituta est à Cardinali Prodatario Sacri palatii; & Nuptio, Marafusco, & Bechetto hæc provincia demandata est, qui auditis utriusque partis informationibus tandem die 31. Julii 1714. Rotali sententiæ standum, eamque executioni decrevit esse mandandam. Quia verò individualem bonorum mentionem Rota non expresserat, tergiversationis causam ac restitutionis plenariæ præceptum novis elusit effugiis Episcopus. Hinc Procurator Ordinis Ignatius *Back* Abbas Belli-campi, Judicem ad partes obtinuit Hyeronimum archiepiscopum Tarsensem, Nuntium apostolicum Coloniæ residentem, qui ne censuras interponeret, amicabili congressu ad obedientiam adduxit Johannem Philippum liberum Baronem de *Greiffenclau* episcopum Herbipolis. Ergò 20. Maii 1717. Sigismundum Abbatem Cellæ-superioris in filialis monasterii possessionem solemni ritu induxit Episcopus, & fideli bonorum œconomiæ invigilans Abbas, excitandi monasterii, ad vota Pontificis, materiam & saxa congerit, ad fastigium, Deo dante, perducendi.

S. GERLACUS.

S. Gerlacus. Pil. Hin-bergæ. Diœcesis Ruremundensis. Circariæ Brabantiæ.

SAncti Gerlaci Parthenon olim Leodiensis, nunc Ruremundensis diœceseos, à divisione Episcopatuum Belgii, inter monticulos, & in amœna planitie situm, fertilibus agris, sylvis cinctum & pascuis, fluviolo *Genla* * ad jucunditatem pariter & utilitatem interfluente, irriguis, distat à civitate Trajectensi, * duabus fermè leucis, media à Falckenburgensi castro, quod olim Dynastæ, fidei Catholicæ & rerum gestarum gloria celebres, inhabitarunt; cujus modò non nisi saxea quædam rudera exstant, oppidum verò cum quibusdam territorii illius villis, Hollandicorum Statuum cessit ditioni anno 1663. Sic tamen, ut ipsum cœnobium, quàm latè muri patent, horum non subesset imperio.

* La Geule.
* Mastricht.

Eo loci S. Gerlacus lorica pœnitentiæ, & habitu Præmonstratano indutus, longos quotidiani martyrii pridem exigebat dies; cùm vitæ durioris austeritas, famâ prodente Eremitam, excitavit Odam, Hinsbergensis civitatis Dominam, ut Gerlacum nollet de conspectu, ejusque frueretur alloquio. Falckoburgum venit, rigorem pœnitentis admiratur, & super donis gratiæ Dei in Gerlaco resplendentibus exhilarata, terrulas quasdam & fundos, Cellæ ipsius circumjacentes perpetuo jure, illi, illiusque hæredibus in eodem loco, Domino famulaturis, transcripsit.

Frequentia ad defuncti * Gerlaci tumulum portenta sanitatum tanta postmodùm edita sunt, ut fideles Ecclesiam illic imponere, suo hospiti sacrandam, statuerint; effossisque è quercu, quam pro cella incolebat angustiatus habitator, lapidibus, struxerunt templum, & in ambitu aptavêre domunculas, quæ adventantium sufficerent receptaculo. Gosvinus Hinsbergæ Dynasta, & allodii Falckenburgensis Dominus, micantes etiam in ipso sepulchrali pulvere Gerlaci virtutes conspiciens, Theodoricum Hinsbergensis cœnobii Præpositum impulit, ut novam illic erigeret Congregationem, transmitteretque è gremio suo sorores, & mystas qui sacris operarentur in Oratorio super exuviis Gerlaci, & advolantibus peregrinis cum festivis canticis Sacramenta administrarent.

* 1170.

Invitationibus Gosvini ultrò acquiescens Theodoricus, Canonicorum Canonissarumque examen Falckoburgum trajecit an. 1201. ibique monasterium duplex, ex ipsa *Quercu* cellam olim præbente, nuncupatum surrexit,

donec prævalente Sancti nomine, ab ipso nomen assumpsit nusquam mutabile. Quo præcisè anno virile defierit cœnobium, ut Virginum succresceret, ex Canonicorum defectione, fortuna, ignoratur. Fortè matris Hinsbergæ adinstar Virginibus solis cessit, quod primario ad Virginum turmam Sponso Jesu adunandam, litandamve dedicatum erat ex Gosvini institutione.

Varia martis, incendii, fatiscentis ætatis incommoda, imminentis Hollandici Statûs adversans Religioni prosperitas, Præposituram S. Gerlaci, perennato miraculo, nunquam extinguere potuerunt. A fundamentis temporum vetustate caducam, innovavit ætate nostra Franciscus *Van Cawenberg* Præpositus; addidit ornatæ domui hortum elegantissimum, qui fructibus, floribus, vivariis mirabiliter discretam offert spectatoribus paradisi terrestris speciem.

Jugis fons non longè à monasterio manat, cujus aquæ S. Gerlaco quondam potum dederunt & nunc haurientibus infirmis sanitatem, imò quandoque cæcis lumen ablutis restituunt. A malevolis fons ille, lapidum injectorum mole obrutus tempore sævientis hæreseos & Sanctorum patrocinio invidentis, quinquaginta post annos suadente Cecykio episcopo Ruremundensi repertus & reparatus est, ipsumque solemni pompa Cecykius, stipante populo & clero, benedixit anno 1599. intercepti per semi-seculum fontis potentiam quasi vindicans S. Gerlacus, redivivæ aquæ eam impressit virtutem, ut crebriora & clariora exinde miracula prodierint.

Prænobilis Parthenii ancipites adversique casus hiatum in documentis, & in Præpositorum serie confusionem invexerunt. Restitutum ex Necrologiis elenchum ab moderno Præposito hic apponimus.

SERIES PRÆPOSITORUM S. Gerlaci.

I.

BERNARDUS *ASSENDORFF.*

II.

JOANNES DE *ARENA* qui dedit duodecim magnas ceræ libras & octo *Grifones* ad præsentiam. *Grifo* autem erat monetæ species viginti florenis & totidem solidis æstimata apud Leodienses, juxta Hoffmannum; & decem florenis & solidis totidem, secundùm Cangium. Apud Bollandum ad diem 5. Januarii, fit mentio cujusdam Erasmi Goyæi, apud S. Gerlacum Præpositi circa annum 1225. & vitæ S. Gerlaci scriptoris.

III.

ARNOLDUS qui contulit triginta solidos.

IV.

BARTHOLOMÆUS *WITOUT*, vir virtuosus, qui dedit pro Anniversario suo centum & triginta florenos. Meminit Necrologium Ægidii *Saverod* Præpositi ad diem Augusti quintam, sed annum obitûs subticet. Incerto ordine locandum hic adjicimus.

V.

WILLELMUS DE *OYST*, qui dedit quatuor grossos annuatim.

VI.

HERMANNUS DE *BULCKEN*, à quo habentur quatuor vasa siliginis, danda in festo Pentecostes.

VII.

HENRICUS, qui pro patre Henrico, matre, & fratre Hermanno defunctis dedit casulam. Hos in fronte posuit Præpositos Æræ incertæ, sed meo sensu ad primæva fundationis tempora nequaquam reducibiles. Ea enim ætate necdum proprietatis inoleverat vitium, quale sapiunt fundationes istæ, & præsentiæ manuales à Præpositis inductæ.

VIII.

WILLELMUS anno 1279. & 1287. regebat Præposituram, ejusque temporibus Reliquiæ S. Gerlaci translatæ, honorificentiùs locatæ sunt.

IX.

GUILIELMUS ex Canonico Averbodiensi factus Præpositus ad S. Gerlacum, florebat anno 1304.

X.

GODEFRIDUS ex eodem monasterio assumptus vivebat anno 1314.

XI.

NICOLAUS Professus Hambornensis, ad Præposituram S. Gerlaci sublectus, ad Fussenichensem postulatus migravit anno 1325.

XII.

HENRICUS DE *AQUIS*, Canonicus de Bello-reditu.

XIII.

HENRICUS *CREIT*, cujus meminit Obituarium Steinfeldense ad diem 8. Julii.

XIV.

THEODORICUS *KNEHART*, agebat in vivis anno 1383.

XV.

RIMKARDUS Steinfeldensis Canonicus, obiit

8. Maii circa annum 1419. Anno 1417. Christianus Abbas Steinfeldensis, ex præcepto Petri Abbatis Præmonstrati, ad S. Gerlacum se contulit, & Annam *Kintzweiller* Canonissam, Trajecti existentem, ad Capitularem aulam comparere jubet, ut de gravaminibus audiatur & rationem fugæ reddat. Paruit profuga & querimonias adversùs Præpositum coram delegato Judice instituit. Reposuit ille ad justificationem suam. Denique Christianus utrique parti indulgentiam suadens & charitatem amicabili compositione concordiam resarcivit.

XVI.

EDMUNDUS.

XVII.

HERMANNUS *BLIOFF*, ab anno 1465. præfuit & anno 1480. Visitationem canonicam ab Abbate Steinfeldensi accepit, jejunia, abstinentiam, clausuram & Statutorum observantiam, quæ nonnihil in Parthenio labefactata erant, ad pristinum revocavit vigorem.

XVIII.

OLIVERIUS DE *ASPE* confirmationem ab Abbate Præmonstrati obtinuit & Mathiæ Abbati Kneckstedensi id sibi juris arrogare volenti, respondet, prædecessorem Mathiæ à Præposito San-Gerlaci confirmatum, talia non præsumpsisse, nec à successore ejus præsumenda. Anno 1512. resignavit Oliverius.

XIX.

HENRICUS *ENGELEN DE ELLENTZ*, Steinfeldensis, ex Priore Niderehano, electus Præpositus S. Gerlaci, disciplinam diffluere passus, emendatus est à Godefrido Abbate Steinfeldensi, Visitatore à Generali submisso, ut reformationem & clausuram restitueret. Eidem negotio institit Amatus de Fonte, Abbas Cameræ Fontis, Westphaliæ Visitator deputatus. Perfecit illud Capitulum generale anni 1519. & speciali mandato curam Parthenii commisit Abbati Steinfeldiæ, cui de providendo successore Præposito de gremio Steinfeldensi, injuncta est sollicitudo. Cum verò Nobiles laici reformationem magnis conatibus convellere satagerent, Carolum V. Imperatorem, Regem Hispaniæ, & Falckenburgensis territorii Dominum adiit Henricus *Engelen* anno 1522. & suæ electionis ac reformationis stabilitæ jura impetravit à Cæsare comprobari. 24. Octobris 1523. in fata concessit Henricus.

XX.

HENRICUS DE *WEVER* Steinfeldensis ex Priore Reichsteinensi, Præpositus S. Gerlaci designatus est, postquam Gerardus *Thurn* electionem de se factam recusasset. Anno 1551. 28. Junii regimen laudabile cum morte commutavit.

XXI.

ÆGIDIUS *BRUEL DE MONJOIE* Steinfeldensis, ex Pastore Werchensi, Præpositus, quamvis reluctans creatus est. Quatuor annis præfuit utiliter & ad patres abiit 14. Octobris 1555.

XXII.

JOANNES *VANDER PORTEN* Hambornensis & Pastor in *Weda*, à Virginibus viginti & una electus est. A Philippo II. Hispaniarum Rege & Falckoburgi Domino protectorias obtinuit litteras 19. Novembris 1570. pro reformationis inductæ manutenentia. Ducis Albanensis Flandriæ Proregis deffensionem contra militum incursiones, exactiones indebitas sub Regii nominis obtentu petitas, imploravit, impetravitque sedulus monasterii tutor, in quo triginta septem Virgines primæ nobilitatis, Deo sub arcta disciplina militabant. Ab æmulis & à commissariis tandiù agitatus fuit Joannes, ut judicio Capituli generalis fuerit exauctoratus anno 1575. Hambornæ privatus obiit 1577.

XXIII.

ERASMUS *GHOYEZ* Belli-reditûs Canonicus, S. Gerlaci Vitam notis illustratam, edidit Trajecti, quam Bollandus ad 30. Maii in Sanctorum actis inseruit. Parthenium Nassovio bello dirutum & incineratum anno 1575. paulatim restituit Erasmus, & dispersas revocavit Virgines, 5. Julii 1612. naturæ concessit.

XXIV.

LAMBERTUS *WOOT* Lessiensis Canonicus, 10. Julii coram Notario & testibus, sub certis conditionibus & juramento obtruso, à quo absolutus est à D. Præmonstrati, ut potè disciplinæ & Ordini contrario, electus est. Anno 1628. ab Abbate Scheidensi, Canonissis imposita & præscripta est observatio Statutorum à Capitulo generali ad reformationem Ordinis noviter evulgatorum. Anno sequenti Abbas Floreffiensis ex commissione Visitationem instituit, de eorumdem Statutorum executione inquisiturus. Anno 1632. obiit Lambertus.

XXV.

JOANNES *FRAISINE* Canonicus Præmonstrati & antehac Abbas Wezaliensis, ab Hollandis hoc nomine captus, & anno integro squallore carceris afflictus, ut primùm libertati redditus est per interpositionem Abbatis Præmonstrati, eodem procurante Præpositus S. Gerlaci renuntiatus fuit. Eo regente sub annum 1655. pars magna cœnobii fortuito conflagravit incendio. Bellum postea inter Hol-

landiæ Status & Catholicum Regem efferbuit, quo ſtante, ne in manus inimicorum rursùs incideret, exilio ſeipſum proſcripſit Joannes, & Præmonſtrati finem vivendi fecit 17. Maii 1660. ubi naſcendi in Religione initium fecerat.

XXVI.

CLEOPHAS *KEGEL* Floreffienſis Canonicus, tertio ab adita poſſeſſione anno, puta 1663. facta eſt repartitio, in qua Rex & Catholici Status, notabilem territorii Falckoburgenſis & aliorum dominiorum partem unitis Hollandiæ Statibus, ſic exigente injuria temporum, cedere debuerunt; bina tamen cœnobia Rodenſe Canonicorum regularium, in agro Limburgenſi ſitum, & hoc S. Gerlaci, ex funiculo diſtributionis pro parte Hollandorum à quibus penſabantur, exempta ſunt, labore, expenſis & periculis utriuſque monaſterii Prælatorum, nec non interceſſione illuſtris viraginis Agnetis *Von Hoen* Priorisſæ, ejuſque conſanguineorum, patriæ procerum, interpoſitionibus. Magna ex hac occaſione debita contraxit S. Gerlaci Parthenium, quæ tractu temporis, per œconomicam adminiſtrationem redemerunt ſequiores Præpoſiti. Anno 1670. ſedente Capitulo generali, Cleophas Præpoſituram exuit. Ab hinc Canoniſſæ apud S. Sedem inſtantiùs ſupplicarunt, ut extincta Præpoſiti dignitate, monaſterio alioqui gravato ære, diſpendioſa, Priorem amovibilem dignaretur ſubrogare; ſed antequam voti forent compotes, ad electionem, jubente Vicario generali Abbate Steinfeldiæ, proceſſum eſt, & 11. Decembris in Præpoſitum fuit aſſumptus.

XXVII.

JOANNES MATERNUS, Canonicus Belli-reditûs, qui 11. Octobris 1672. è vivis abiit. Ab ejus morte ſopitam inſtantiam reſumpſerunt Canoniſſæ, & ne ad electionem adigerentur autoritate Ordinis, Priorem lite pendente ab Internuntio Bruxellenſi impetrarunt, qui ſpiritualibus intenderet

XXVIII.

P. GERARDUM *VAN-DER-ELST*. Hic Grimbergæ Prioris munere tùm defungebatur, per aliquot menſes ſubſtitit ad S. Gerlacum, ſed ad Steinfeldenſis Abbatis inſtantias & rationes, ad conſilium ſaniùs redierunt Canoniſſæ, & in Præpoſitum elegerunt anno 1674.

XXIX.

BARTHOLOMÆUM *VANDEN-STEIN*, Canonicum Belli-reditûs, qui ne incertis Virginum ſtudiis Prælaturæ ſortem permitteret denuò, in Coadjutorem ſibi elegit P. Franciſcum *Van-Cawenberg* Collegii Lovanienſis Præſidem, & Canonicum Heyliſſemii, ab Abbate Præmonſtrati 28. Julii 1700. in Coadjutoria confirmatum pro jure veteri & acquiſito primæ Ordinis ſedi.

XXX.

FRANCISCUS *VAN-CAWENBERG* 17. Julii 1701. Præpoſituram adeptus, in poſſeſſionem immittitur à Præſidibus Georgio Tongerloenſi, Waltero Hilleshemii, eiſque adſtantibus Alexandro Belli-reditûs, & Petro Leffiæ Abbatibus. Novum ex integro monaſterium conſtruxit, templum ſtruendum meditabatur, ſed per mortem ad templum ſanctum quod eſt in Jeruſalem, evocatus eſt 28. Feb. 1718.

XXXI.

FRANCISCUS *VAN-PELT* Canonicus Hilleſheimenſis Paſtor in *Sandein* electus 27. Martii 1718. Præſide Abbate Steinfeldenſi Vicario generali.

SERIES MAGISTRARUM.

I.

IDA DE *KURTTENBACH*.

II.

MECHTILDIS DE *HULSSBERG*.

III.

GERTRUDIS DE *BAESBECK*.

IV.

ALEIDIS DE *HOUTHEM*.

V.

BASILIA florebat anno 1208.

VI.

CATHARINA DE *VIVEREN* regebat anno 1363.

VII.

CATHARINA DE *RIVE* anno 1375.

VIII.

MECHTILDIS DE *ELLER* moritur an. 1402.

IX.

MARGARETHA *VANDER* obiit anno 1465.

X.

ISABELLA DE *ZEVELL* fatis functa an. 1587.

XI.

MARGARETHA DE *FOSSEROUL* præfuit feliciter & diù, obiitque anno 1655.

XII.

AGNES *HOEN DE CARTILS* moritur anno 1680.

XIII.

MARGARETHA *d'Obbelstein* obiit anno 1683.

XIV.

JOANNA SOPHIA ab *Eyck*, obiit an. 1707.

XV.

SIBILLA MAGDALENA à *Rieckelt* denata anno 1721.

XVI.

S. F. *de Ravenscott*

PASTORATUS.

Unicus est in *Oirsbeck* territorii Hispanici villa, tribus à San-Gerlaco dissita leucis. Hunc Pastoratum Walramus, Toparcha Falckoburgi, cum jure patronatûs contulit uniendum cœnobio S. Gerlaci anno 1273. unionem admisit & fecit Engelbertus de *Isenbruck* archidiaconus Leodiensis hoc Diplomate.

» Engelbertus de *Isenbruck* Dei gratiâ archidiaconus Leodiensis, Presbytero de *Mersen* salutem in Domino.

» Cùm Walramus nobilis Dominus de *Falckenburgh* ac de *Monjoye*, jus patronatûs Ecclesiæ de *Oirsbeck*, quod suæ collationi ad præsens dignoscitur pertinere religiosis personis, Præposito, Priorissæ ac Conventui S. Gerlaci, purè propter Deum, ac remedium pecaminum suorum, parentum, antecedentium contulerit, vobis mandamus quatenùs tribus diebus solemnibus ac festivis publicè nuntietis, ut si aliquis sua viderit interesse de collatione juris patronatûs, ac investituræ dictæ Ecclesiæ, ipsum citetis peremptoriè coram nobis Leodii ad crastinum post Octavam Trinitatis. Datum anno Domini 1273. in die Pentecostes.

Anno eodem vita perfuncto Arnoldo de *Haren*, possessore Parochiæ in *Oirsbeck*, Engelbertus Archidiaconus ad præsentationem Præpositi & Conventûs S. Gerlaci, Pastorem instituit *Thibodonem Canonicum Ecclesiæ S. Gerlaci*, & ab isto ad ætatem nostram Parochia ista à regularibus Canonicis consuevit administrari.

Hinc patet uno à S. Gerlaci decessu seculo, jam Sanctorum fuisse adscriptum fastis B. Gerlacum. Patet etiam duplicem eo tempore extitisse Conventum, horum alteri præerat Præpositus Canonicos sub se habens, ibidem professos; alteri præficiebatur Priorissa.

SACRÆ RELIQUIÆ.

S. Gerlaci corpus. Illud primo in inferiore templi parte fuerat conditum. At cùm non longè præterfluens Geulæ fluviolus, alveum egressus suum, ad Ecclesiam & Gerlaci sepulchrum exundaret, venerabiles ejus Reliquias in palustri terra madentes, & nonnihil ex remisso cultu neglectas, transtulit anno 1250. Joannes Præpositus Hinsbergensis, ex visu mirabili ad id incitatus. Tumbam admodùm operosam, opere arcuato præcepit fieri, & Beati ossa, clero populoque spectante illic decenter composuit, solo capite avulso, quod in Herma argentea ad peregrinorum devotionem asservatur, & crure accluso in theca.

Particula S. Crucis, quam S. Gerlacus Jerosolima redux gestabat in pectore pendulam, & miraculorum à suo reditu plerorumque operatricem, sicut in ejus actis legitur.

Capsula major, in qua recluduntur ossa duo SS. Innocentium. Dens S. Christophori & aliorum SS. Reliquiæ.

Capsula minor continens particulas de S. Mathia Apostolo, de SS. Martyribus Thebæis, de S. Martino episcopo, &c.

Caput S. Justinæ V. & M. Os & dens S. Laurentii.

Tibia S. Siardi, & os S. Friderici Abbatum, quæ dederunt Serenissimi Belgarum Principes, Albertus & Isabella.

SS. GERVASII ET PROTHASII *de Alba-Petra Parthenon.*

Alba-Petra. Fil. S. Gilberti. Diœcesis Claromontensis. Circaria Arverniæ.

IN vico Arverniæ & Claromontana diœcesi, binis à Novem fontium Abbatia leucis, loco qui *Schola* dicitur, S. Gilbertus ex potenti milite seculi, humillimus miles Christi, ad Petronillæ piissimæ conjugis instantiam, suadente Ornifio *Dei-loci* Archimandritâ, Prioratum sub SS. Gervasii & Prothasii tutela, ad uxoris & filiæ Pontiæ secessum fundavit anno circiter 1150. isque sub *Alba-petra* nuncupatione, vulgò d'*Aubeterre*, audiit.

In hoc Parthenone Petronillam præfecit Magistram Ornifius, quæ ea probitate & suavitate morum præfuit, ut Nobiles quasque à mundi illecebris revocaret, alliceretque ad sanctioris vitæ institutum. Plena bonis operibus, & multarum Virginum mater obiit 3. Julii, & in Navi Ecclesiæ ad lævam tumulata, variis post mortem curationum prodigiis refulsit.

Pontia, Sanctissimæ matris proles non degener, in vacantis Præfecturæ sortem Sororum suffragio adlecta, virtutem parentis in se recapitulavit, & in Sanctarum fastis post mortem conscripta est.

In

In Prioratum simplicem abiit *Alba-petra* Parthenon. Quo anno passus sit hunc occasum, ex domesticis non elicitur documentis. Forsan gallicana clades indicta Monialibus, suo turbine illum unà cum aliis absorbuit.

GERUSIUM.

Gerusium. Fil. Silod. Diœcesis Passaviens. Circaria Bavariæ.

GErusium, sub patrocinio B. M. Virginis natæ, cœnobium, in inferiore situm Austria, & Diœcesi Passaviensi, Fundatores habuit Eckbertum & Ulricum filium ejus, Comites de *Perneck*; promotores Cunradum Episcopum Passaviæ, & Henricum Austriæ Ducem. Quo præcisè anno, hoc pietatis opus, consociali charitate ediderint, ambigitur. Ultra annum 1159. porrigere prohibet Bucelinus, qui anno eodem ad Salisburgi Cathedram Cunradum migrasse asserit. Godescalco Siloensi Abbati, viro sua ætate famoso, structum subdiderunt monasterium Fundatores, ut qui religione præcipuus erat, illic religionem implantaret, & jure paterno moderaretur. Desideriis Comitum & Episcopi precibus inclinans voluntatem Godescalcus, per se primò Gerusium informavit disciplinâ Ordinis, tùm coloniæ secum advectæ, ducem præfecit Mandrevinum, cui nomen & dignitatem Præpositi ab origine contulit. Sub eodem titulo audiit successor ejus, quo desinente, ad Abbatialem prærogativam Patres Capituli generalis sublimavere Gerusium, quæ ad posteros derivata hodie perseverat.

Priorum temporum notitiam sustulit Hussitica devastatio, & de geminatis incendiis, una tantùm Friderici II. tabula incolumis subducta est. Hinc tumultuario ordine ex Necrologiis deprompta Abbatum series, nullo historico aut chronologico charactere picta subjicitur. Illorum primus

I.

MANDREVINUS Siloënsis Abbatiæ alumnus, de solo nomine notus, & de Magistri sui Godescalci electione commendabilis.

II.

THILMANNUS in quo desiisse ferunt Præpositi nomen.

III.

PAULUS Abbatum primus.

IV.

DIETHMARUS.

V.

FRIDERICUS.

VI.

PETRUS.

VII.

JOANNES.

VIII.

FLORIANUS.

IX.

UDALRICUS.

X.

JOANNES II.

XI.

ARNOLDUS.

XII.

CONRADUS.

XIII.

HERMANNUS.

XIV.

GERARDUS.

XV.

WILHELMUS.

XVI.

BERNARDUS.

XVII.

JOANNES III.

XVIII.

THILMANNUS II.

XIX.

GUILLELMUS.

XX.

JOANNES IV.

XXI.

FRIDERICUS II.

XXII.

OSWALDUS.

XXIII.

WENCESLAUS.

XXIV.

VINCENTIUS.

XXV.

THILMANNUS III.

XXVI.

PAULUS.

XXVII.

EBERHARDUS.

XXVIII.

BALTHAZAR.

XXIX.

GREGORIUS.

XXX.

URBANUS *CÆSAR.*

XXXI.

LONGINUS *HABERTER.*

XXXII.

JOANNES *BEYERUS*, sub ipso, & ipso protestante ac opponente, ab Paternitate ejus & ab Ordine avulsus est Parthenon Portæ-Cæli in urbe Viennensi situs, & per Cardinalem Gleselium episcopum Viennensem, formâ juris spretâ, datus est Canonissis regularibus S. Augustini anno 1605. cum quibus mutato habitu, aut ad nutum retento, Virginibus nostris licitum fuit convivere.

XXXIII.

BENEDICTUS *LACHENIUS* anno 1627. in possessionem Abbatiæ à prima rebellione Bohemica anni 1619. exustæ, & per annos octo desertæ, inductus est. Paupertate monasterii omni ex parte miserrimi, & ære alieno supra triginta millia florenorum gravati, deterritus, de deserendo monasterio & regressu ad Strahoviensem suæ professionis locum, meditans, mirabili, ut aiunt, adventu capreoli sylvestris, è nemore vicino erumpentis, & ad genua Prælati se demittentis, à proposito fugæ resilit, & confortatus pro redemptione cœnobii onerumque reluitione adlaboravit generosè & utiliter. Tam subita inspiratio, tam prosper & promptus exitus instar miraculi suspensos tenuit animos spectatorum, atque ut memoriam illius suis traderet posteris, cornua capreoli in archivo deposita asservarunt, & rei totius historiam consecraverunt litteris.

XXXIV.

PETRUS *HERKART.*

XXXV.

JOANNES *WESTHANS.*

XXXVI.

FRIDERICUS *URTICA.*

XXXVII.

ENGELBERTUS *HOFFMEYR.*

XXXVIII.

MICHAEL *VALNER* electus 6. Februarii 1715. hodie triginta duobus præest Canonicis.

PATERNITAS.

Jus Paternitatis exercet in Pernecense monasterium. Exercebat olim in Parthenonem Portæ-Cæli Viennensis civitatis, modò ab Ordine avulsum.

PASTORATUS.

Parochia Monasterialis. *Drosendorff* cum filiali *Erbenstein.* *Kirchjapons*, cum Capella de *Eudweis.* *Bluman* cum filiali *Nondorff.* *Kirchberg.* *Weickertschlag.*	*Diœces. Passaviensis.*
Tratting cum Capella. *Kanzein.*	*Olomuc. Diœces.*

Vide Probat. à col. DXCV. ad col. DXCVIJ.

GHINES.

Ghines. Fil. Alnevick. Diœcesis Dunelmensis. Circaria Angliæ.

HUnc Parthenonem ex litteris Gervasii deteximus, Anglicanis ignotum, aut prætermissum indicibus, & nulli Ordinis catalogo adscriptum. In agro Northumbrensi, & in Dunelmensi episcopatu, sub Paternitate Alnevikii, sumpsit originem, ante Gervasii tempora, subindeque seculo XII. cadente. Vidua quædam de morte mariti sui, & de jactura totius domesticæ substantiæ, confecta mœrore, ad eum Parthenonem, velut in azilum, se receperat, & illic viduitatis annos, per Religionis votum Christo desponsata, desiderabat transigere. Abbas Alnevick, Vicarius generalis Angliæ, super hoc dispensationem à Gervasio requisivit; quam benevolè concessit supplici viduæ, ut Deo jam annosa immolaret sacrificium vespertinum.

Sacræ antiq. Monum p. 63.

Rarum sanè, & usque modò inauditum in Ordine dispensationis genus; cùm à primis Norbertini instituti crepundiis, viduis ac virginibus perinde licuerit, nullâ intercedente dispensatione, ad Christi accedere servitutem. Testes sunt Agnes Comitissa Branensis; Ermengardis de Roceio, Gualteri Juminiaci toparchæ relicta mulier; Petronilla Gilberti Militis uxor, & aliæ, quas passim aut ejurato, de conjugum assensu, connubio, aut solutis per viri matrimonii vinculis, legimus Religionis jugo supposuisse humeros.

SANCTUS GILBERTUS,
aliàs Novem-Fontes.

S. Gilbertus. Fil. Dei-Loci. Diœcesis Claromontana. Circaria Alverniæ.

A Fundatore suo Gilberto, nomen accepit hæc Abbatia, quæ ab origine *Novem-Fontium* appellationem, ex scaturientibus ibidem aquis, obtinuerat. Anno 1150. post ædificatum Albæ-petræ Parthenonem, in quo Petronilla pios agebat cum sodalibus dies, Gilbertus ex potenti milite seculi humillimus Christi miles, æmulatus sanctæ conjugis vitam, sibi quoque struxit monasterium, in Archipresbyteratu Limaniæ, & in Parochia S. Desiderii secùs rivulum *Andelot*, una à S. Portiani * civitate hora, illudque patrimonialibus fundis dotavit. Approbante & pias Fundatoris largitiones moderante Stephano episcopo Claromontensi. Ad domum instructam officinis, advocavit Gilbertus Canonicos Dei-loci, quibuscum sociali Religionis vinculo junctus, ad ima quæque se devovebat. Sed præter spem, communi Fratrum suffragio, non tam electus, quam raptus est ad regimen adunatæ Congregationis. Supposuit humeros oneri vir humilis, & Prælaturam per biennium tot virtutibus exornavit, tot illustravit curationum portentis, ut vivens proclamaretur Sanctus. Mortui cineres nec virtute, nec potentiâ minores, vivum post fata renuntiant, & ad ejus tumulum advolatæ plebes mira experiuntur in desperatis morbis solatia. Illius festum 16. Maii recolit Ecclesia.

* S. Pourcain.

I.

GILBERTUS anno 1152. ad superos evectus, successorem habuit

II.

GODEFRIDUM Priorem, cujus gesta ad decessoris sui normam exemplata, invidit posteritati incuriosa antiquitas. Anno 1158. sarcinam abjecit.

III.

PETRUS anno 1159. corpus S. Gilberti, quod in cœmeterio Xenodochii pauperum ab eo exstructi, jacebat, prodigiis micans diurnis, transtulit in Ecclesiam propè Chorum, Septentrionem versùs, & in tumulo lapideo columnis quatuor imposito, honorificè collocavit.

IV.

JOANNES anno 1188.

V.

STEPHANUS tumulatus in Capitulo, sed sine notis chronologicis.

VI.

B.... vixit ab anno 1213. ad 1233.

VII.

PONTIUS memoratur 4. Nonas Januarii 1253.

VIII.

ARNULPHUS cujus litteræ extant cum Odone filio Ducis Burgundiæ Domino Borbonii, & Mathilde uxore ejus, anno 1259.

IX.

GERALDUS DE *UZENDA* anno 1280.

X.

PETRUS DE *MONTEMUNDO*, facit commutationem cum Ivone Abbate Cluniaci 1281. vivebat adhuc anno 1286.

XI.

HUGO DE *MARDONIA* anno 1314. Executor testamenti Beraudi de Mercorio nominatur. Obiit anno 1324.

XII.

JOHANNES DE *RAZELLA* florebat annis 1325. 1328. 1339.

XIII

GUILLELMUS anno 1350.

XIV.

JOHANNES *BOIROLLY*, anno 1384. à Francisco Gratianopolitano episcopo, Papæ Camerario, Commissarium obtinet Pontium de *Crotis* Canonicum Aniciensem, ad publicationem Bullæ quam Johannes Abbas impetrarat contra detentores bonorum S. Gilberti. Transigit cum Abbate Montis-Petrosi * anno 1386. Occumbit anno 1400.

* Montpe-roux.

XV.

JOANNES *CHAPUS* electus 11. Februarii 1400. confirmatur à Patre Abbate Præside electionis Nicolao. Anno 1424. in vivis agebat. Mors ejus 14. Kal. Novembris consignatur.

XVI.

HUMBERTUS DE *CHAREIL* anno 1446.

XVII.

GUILLELMUS DE *S. AVIT* anno 1499. Executor Bullæ apostolicæ fuit Alexandri VI.

XVIII.

FRANCISCUS DE *S. AVIT* 1536.

XIX.

GILBERTUS *BAYARD* 1552.

XX.

CLAUDIUS DE *PREVOST* 1638.

XXI.

JACOBUS *DU CROC* Præpositus Ecclesiæ Claromontensis & Vicarius generalis 1651.

XXII.

LUDOVICUS *ARCHON* Doctor Sorbonicus, Capellanus Regis ordinarius, obiit Ricomagi 24. Februarii 1717.

XXIII.

FRANCISCUS *ROUSSEL DE TILLY* 6. Novembris 1717. Regiâ schedâ nominatus Abbas.

PATERNITAS.

Paterno jure præerat Parthenoni Albæ-Petri, nunc eodem jure præest Abbatiæ S. Andreæ Claromontani.

PASTORATUS.

S. Desiderii. *S. Didier.*
Montiniacum. *Montigny.*
Neuglise.

BENEFICIA SIMPLICIA.

Albæ-terræ. *D'Aubeterre.*

La Sery, quod modò possidet non nemo Canonicus regularis Sanctæ Genovefæ.

Moladier, occupatum à PP. Minimis Molinensibus, qui ratione juris patronatûs quotannis monasterio S. Gilberti præstare tenentur cadum Thrissarum borealium, ex Senatûsconsulto.

Capella sub invocatione S. Abdonis in *Braville*, ex beneficio Borboniorum Principum, cum pertinentiis & Dynastia.

SACRA PIGNORA.

Corpus S. Gilberti acclusum theca reposita in ara principe.

Mandibula ejusdem S. Gilberti seorsim exposita religioso peregrinorum undique accurrentium cultui.

Os notabile S. Majoli.

Vide Probat. col. DXCVIIJ.

GLORIA-DEI.

Gloria-Dei. Fil. Gratia-Dei. Diœcesis Magdeburgensis. Circaria Saxoniæ.

IN diœcesi & agro Magdeburgensi fundata fuit Præpositura *Gloria-Dei*, Henrico monasterium *Gratia-Dei* tùm administrante, anno circiter 1145. Primos in conditum monasterium Canonicos de Ecclesiæ suæ gremio trajecit Henricus; Paternitatem inde acquisivit in hanc tertiam suæ fœcunditatis prolem *Gratiam-Dei*. Sic porrò binæ filiales Ecclesiæ Litzeka & *Gloria Dei* erant locatæ in solo Magdeburgico, ut triangulum cùm matre sua *Gratiâ-Dei* efformarent, ab urbe Magdeburgensi spatio penè æquali separatæ, & tredecim milliaribus. In Catalogis Cœnobiorum editis à Layruelio, Pagio, & Pratano non occurrit hæc Præpositura. Immò in mss. syllabis seculi XIV. non legitur. Ab oblivione vindicaverunt illam Levetfeldius & Beckmannus, ejusque situm, ac patrium nomen *Lorf*, posteris transmiserunt. Ætate Buschii non exstabat ampliùs, solisque ruderibus vix cognoscibilem esse Præposituram Beckmannus asserit, dudùm in lapidum acervum reductam.

GODSTAT, *aliàs* LOCUS-DEI.

Godstat. Fil. Lacûs Jurensis. Diœcesis Lausanensis. Circaria Burgundiæ.

IN pago Bernensi, unâ & sesqui horâ à Biella oppido, plus minùs, ad ripam fluminis Arolæ (*l'Aar*) Comites Novi-castri (*Neufchatel*) Abbatiam Loci-Dei, germanico idiomate *Godstat*, fundaverunt anno 1247. & ex Lacu Jurensi advexerunt Canonicos, raræ tùm pietatis, tùm doctrinæ famâ rutilantes. Qualem ex matre ebiberant spiritum, talem in filiali propagarunt Ecclesia inserti ramusculi; eaque charitatis forma inter matrem & filiam, imò & inter agri Bernensis & Neo-castri monasteria diversorum Ordinum, ut singulis annis Biellam confluerent Abbates de religione tractaturi, & pro Fratribus defunctis oblaturi victimam piacularem. Sacro hoc fœdere juncta monasteria, religionem excolebant, dùm irreligionis semina Lausanensem subierunt episcopatum, & Bernam suscitarunt ad defectionem. Anno 1528. tumultuante passim hæresi, & populo in varia scisso studia, pax per incertos discordiæ fluctuans meatus, jamque ad intestina bella prorumpere parata plebs, ut sisteretur, indictus à Senatu Bernensi congressus ad diem 7. Januarii. Judices constituit, quos inter sedit Abbas Loci-Dei Conradus Schilling. Horum arbitrio quæstionem suâ naturâ non ambiguam, sed opinionum contradictione difficilem, permisit dirimendam; num scilicet standum antiquæ religionis dogmatibus, an novis esset adhærendum? Periculoso examini, ad quod laïcos Senatus advocarat, obstiterunt episcopi Lausanensis, Syonæus, & Curiensis.

Sed spretâ Episcoporum intercessione, per dies 19. in Ecclesia Franciscanorum ventilata fuit magno animorum æstu controversia, & pro more negotiorum fidei quæ à laïcis Judicibus pertractantur, causâ suâ fides cecidit, & soli vindices fidei avitæ abbas Godestadiensis,& Nicolaus *Brieffer* Decanus S.Petri Basileensis, pro aris decertantes, integri recesserunt de stadio pugiles. Fatali judicio arrecta hæresis caput extulit, & in Dei-loci Abbatiam hostiliter irruens turba Rusticorum, à decimarum censuumque solutione liberam se jactans in vim libertatis Evangelicæ, monasterium spoliavit. Abbas apud Bernensem Senatum conquestus de illato sibi damno, postulavit satisfactionem. Præstitit completam, teste Stellero, cui in hac parte credimus; sed neutiquam assentimur dicenti Abbatem Godstadiensem ad Zuinglianæ sectæ partes toto iisse affectu, & suo comprobasse calculo. Quis enim vel minimùm suspicabitur hominem apostatam, patronum & fautorem hæresis fuisse ab hæreticis expilatum? aut quâ fronte conquereretur Senatui de subtractis proventibus & censibus negatis, quos ad resecandorum è republica Religiosorum sustentationem superfluos opinando judicasset? demùm quâ temeritate direptus & nudatus Abbas, ad Bellelagienses immotos in fide, quæsisset perfugium, si ipse fregisset fidem? Nec quidquam evincit injuncta prædonibus damni refusio, tùm quòd sine approbatione Senatûs, Rustici autoritate propriâ monasterium spoliarant, nec decebat nascentem sectam, sub omine & præconio Evangelicæ veritatis, ut aïebant, tolerare furentem contra Evangelii præcepta: tùm quod religionem armis & latrociniis cogere iniquum videbatur Senatui necdum assueto deliramentis omnibus hæreseos. Sed sensim scrupulo pietatis & justitiæ deposito, sub larva religionis, in sacra quælibet sævitum est, omniaque Bernensis agri cœnobia, quæ erroribus nomen dare renuerant, vastavit Senatus, & addixit fisco. Et hunc habuit finem Locus-Dei anno 1530.

Quantum ex Ballivo de *Godstat* accipere licuit de Abbatum Nomenclatura, hîc apponimus, eo quo dedit ordine, si tamen ordo est.

Krebs.
Tsalckli.
Sinner.
Frischheritz.
Willading.
Buecher.

Prælatorum verò ultimus exstitit Conradus *Schilling* qui fidei Judex sedebat in colloquio Bernensi anno 1528.

Has verò parochiales Ecclesias Locus-Dei sibi unitus possidebat.

Arch. } In Solodorensi agro.
Selizach. }
Kapesen.
Leufelen.
Egerten.
Sutz.
Nidau, ubi insigne perfugium Conradus *Schilling* ædificaverat etiamnum hodie suo stemmate in fronte sculpto micans.

GORZE.

Gorza. Fil. Præmonstr. Diœcesis Carleolensis. Circaria Angliæ Borealis.

IN Carleolensi episcopatu, intra fines Comitatûs Cumberlandiæ, & in Scotiæ confiniis, erecta est hæc Abbatia, quam à Pagio ignoratam, ad trium mss. Indicum fidem restituimus.

GOTTESWAN.

Gottesfwan. Diœcesis Caminiensis. Circaria Sclavoniæ.

HOc cœnobium à Pagio prætеritum reponit Layruelius cum mss. Uspergæ & Osterhovii catalogis, in diœcesi Caminensi, & in Circaria Sclavoniæ.

GRABA.

Graba. Fil. Luca. Diœcesis Vaciens. Circaria Hungariæ.

CIrca situm Grabæ variant Indices Ordinis. Layruelius cum Osterhoviensi & Urspergensi MSS. intra fines episcopatûs Vaciensis Grabam locat. Pagius sub Strigoniensi diœcesi reponit & ipsi astipulatur Catalogus, ad me per R. D. Robertum Sancium Abbatem Gradicii secùs Olomucum, transmissus 14. Novembris 1725. Dissentit verò eruditus Abbas Lucensis Vicarius generalis Hungariæ & Vaciensis episcopatûs finibus comprehensam Grabam asserit in suis ad me litteris 20. Februarii 1726. datis, sed quâ parte Diœceseos hoc steterit monasterium cujus Præposituram titulariter possidet R. D. Felix Helcher Lucensis Canonicus, penitùs se ignorare profitetur, » quia potissimis, inquit, in locis, non viden- » tur nisi rudera Ecclesiarum, in quibus nunc » nidificant sectarii Calvinistæ; titulos verò ex- » inde diversæ personæ Ecclesiasticæ tenent, » quibus obeuntibus, iterùm alii & alii de sta- » tu Ecclesiastico, à Rege Apostolico nomi- » nantur ac desuper infulantur omnes, qui

» nostri nominis Præposituras tenent: de bonis » autem temporalibus nihil participant, sed aut » ignorantur, aut à secularibus laïcis obtinen- » tur. Imò de multarum Præposituraram ubica- » tione, non scitur. Interim tamen tenent ti- » tulos, prout ipsemet ex meis professis hujus- » modi titularem habeo Præpositum infulatum » de Graba cujus tamen Præposituræ ubicatio » ignoratur, siquidem tot bellorum funesti ca- » sus & tyrannis Ottomanica direptis inde ma- » terialibus pro muniendis fortalitiis, solo æ- » quabat plurima, imò penè universa monaste- » riorum ædificia, de quibus excepto solo no- » mine nullum habetur scriptum, nullum vesti- » gium, aut monumentum quæ omnia per tot » seculorum disturbia in cineres aut perditio- » nem abierunt. » Ita Lucensis Abbas, Hungariæ Vicarius generalis de situ & monasteriorum fortuna loquitur. Si nos extranei cespitamus, quid mirum? Si quidem rerum quasi domesticarum testis & conscius ipse vix aliquid certi audeat proferre. Paternitatem nihilominùs in Grabam obtinet & titulum rei ignotæ perennat in Canonicis, suis quorum alterum Præpositi Grabensis nomine & infula insignit. Anno 1294. Paternitas Grabæ delata fuerat Abbati Gradicensi; undenam Thurocensi Præposito Layruelius & Pagius paternitatem istam adscripserint, ignoramus planè.

GRADICIUM.

Gradicium. Fil. Lithomislii, nunc Strahoviæ Diœcesis Olomucensis. Circariæ Moraviæ.

GRadicium, sive *Hradistium*, in Moraviâ, ad Olomucii muros, arx erat antiquitùs suburbana, & propugnaculum à Przetislao Marchione Moraviæ circà annum 1020. ædificatum. Hæc munita arx ex designatione Przetislai extremum vitæ suæ diem claudentis, Uratislao secundò genito, cùm Principatu Olomucensi obtigit, quo post mortem Spitignei ad Ducatum Bohemiæ assumpto, & Moravia inter Conradum & Ottonem Fratres divisa, cum Principatu Olomucensi transivit ad Ottonem quartò genitum Przetislai filium, qui à morte parentis Principatum Znoymensem ex paternâ hæreditate obtinuerat. Hic Otto ob formæ venustatem, cognomine *Pulcher*, in stabilimentum pacis cum Bela I. Hungariæ Rege initæ, filiam ejus, Euphemiam nomine, desponsavit. Conjuges ambo, ut nobilitate, pietate pares, communi consilio arcem Gradicensem in monasterium Deo, & B. Virgini, ac S. Stephano sacrum, commutarunt anno 1074. accitosque ex Brzewnoviensi abbatia Benedictinos, sub Joanne eorum duce, illos in possessionem magnificè dotati exstructique regiè monasterii, immiserunt anno 1078. Illic steterunt usque ad annum 1149. quo ob unius fratris Laïci attentatum facinus, ab Ottone III. Marchione Moraviæ omnes unà cum Abbate exitiali pœnâ deleti, immaniter perierunt. Eorum bonis in seculares usus versis, per unius anni spatium à divinis abstentum est Gradicii. Joannes VIII. episcopi Olomucensis hortatu, & ipsius B. Henrici *Zdik* patrui sui, tunc Abbatis Lithomisliensis consilio, pius cæteròquin Princeps, iram ponens, ad cor rediit, & bona à proavo suo divino cultui dedicata, in eosdem divinos usus restituit, & in monasterium Religiosos Præmonstratenses Lithomislio advocatos, induxit anno 1151. * Sunt qui partem coloniæ ex Strahovia, aliam ex Lithomislio assumptam scribunt, ambiguum Paternitatis jus ex utriusque concursu diriment in favorem Strahoviæ, ob præstitum è gremio suo Abbatem primum nascenti Gradicio, Georgium scilicet. Equidem huic opinioni favent veteres mss. Catalogi; possessio plusquam centenaria suffragatur, reclamantibus licet antiquioribus documentis, quæ contrectavimus, sed ex dissuetudine exoletis.

* Strahoviens. MSS. dicunt an. 1154.

I.

Innovationem Gradicii ab Eugenio III. approbatam confirmavit Adrianus IV. Apostolicis litteris, & Wladislaus II. amplissimo privilegio roboravit anno 1160. de Abbate GEORGIO sic eloquitur Annalista. » Georgius » ab Ottone III. Marchione Moraviæ in vicem » Deocarii, quarti & ultimi Benedictinorum » Prælati, subrogatus, præluxit, ut debuit, » novellis germinibus longiusculè, annis omni- » nò decem & novem; laudum copiâ, virtu- » tum comitivâ opimus obiit anno 1171.

II.

Scrupulum facessit Charta Wladislai II. in qua Abbatem Ecclesiæ Gradicensis BLASIUM compellat, anno 1160. *Venerabili*, inquit, *ejusdem Ecclesiæ Abbate Domino* Blasio, *meo occurrente ac favente desiderio, Fratrum Protomartyris Stephani precibus me subdidi.* Ex quo contextu, breviori spatio vita Georgii concludenda videtur, cùm anno 1160. gubernaculum teneret BLASIUS, ad cujus instantiam majestales litteræ prodierunt. Hinc tertius esto Abbas

III.

MICHAEL, belli exagitatus incommodis, Principum postliminio copiosam expertus est benevolentiam. 4. Idus Maii 1196.

IV.

HILARIUS. 1202.

V.

HERMANNUS è Capitulo generali rediens,

corpus unius è sodalibus S. Ursulæ apportavit 1216.

VI.

BONIFACIUS cessit, amore solitudinis captus, anno 1223.

VII.

PETRUS 1229.

VIII.

B. ABRAHAM DE *STRELNA*, natalium splendore conspicuus, sed contemptu nobilitatis splendidior, annuente Prælato, solitudinem ingressus est; sed fatis perfuncto Petro, & è latebris eremi virtute corruscans, super Gradicensis Ecclesiæ candelabrum, unanimi Fratrum voto positus fuit. Verùm ille, priusquam insignia Præsulatûs assumeret, pactus est cum eis, ut post triennale regimen, solitudinem adamatam repeteret. Elapso tempore felicis gubernii, nescius teneri ultra, eremum revisit, & eo loci, quem triginta annorum decursu, austeriori pœnitentiâ consecrarat, beatam mortem oppetiit 4. Aprilis 1232. A fratribus tribus germanis, Gradicii Canonicis, terræ mandatus est in templo, quod ad sacrificium & orationes condiderant, sub titulo B. Virginis, & S. Georgii.

IX.

GERLACUS magnis à Rege Bohemiæ cumulatus beneficiis, at majoribus aliquantò post malis divexatus à Tartarorum incumbente exercitu, locustarum more Hungariam, Moraviam, & Silesiam depascente. Vix ipse cum paucis Fratribus evadens, truculentas cæterorum mortes intellexit, & monasterium vidit eminùs redactum in favillam. Tantæ stragis spectator, mœstitiâ extinctus est 1243.

X.

ROBERTUS quidquid turbida Tartarorum ferocitas intulit damni, suâ resarcivit dexteritate. Regum Bohemiæ Wenceslai IV. & Primislai Ottocari V. favore subnixus, brevi intervallo temporis, rebus infirmatis, aut collapsis subvenit. Monasterium munivit aggeribus, reædificavit Ecclesiam, pretiosâ ornavit suppellectili, & quod rei caput est, observantiæ regulari litterarum junxit studia. Abbatiam ultrò resignavit anno 1267. & 1269, quievit à labore suo, vir omni titulo dignus, & in sarcophago Fundatoris depositus ex reverentia.

XI.

RUDISIUS, antecessoris discipulus, Magistri vestigiis institit. Privilegia & fundationis Chartas, autoritate regiâ sedulò roborari procuravit 1290.

XII.

CHWALKO cessit anno 1299.

XIII.

ROMANUS, Budisii frater germanus, sacrorum & secularium solers moderator. Obiit 1310.

XIV.

BOHUSLAUS DE *HRANNIZ* ex Pastore *Kninicii*, Abbas electus, ætate gravis, in regiminis actionibus non modicum pondus addidit; conscius multorum temporum, novit apud suos dicto factoque temperare tempora. 4. Aprilis 1315.

XV.

HENRICUS J. U. Doctor, vicinorum jurgia peritè composuit, exurgentes contra domum querulosos litigatores rationum vicit pondere, victos ad compositionem amicabiliter admisit. Pace restitutâ, in pace decessit 15. Aprilis 1322.

XVI.

THOMAS jus patronatûs parochiæ *Cholinensis* à nobili Domino de *Chonitz* obtinuit; & 15. Aprilis 1332.

XVII.

FRIDERICUS, infulis episcopatûs Ticinensis (a) se exuens, Strahoviæ vestem induit candidam: viduatum Pastore Gradicium, hunc Pastorem elegit; reluctans oneri succollavit humeros, quod apoplexiâ tactus 16. Octobris deposuit 1336.

XVIII.

AUGUSTINUS Romam profectus, causâ negotiorum Ordinis, à Benedicto XI. impetravit ut Canonici Gradicenses habitum gestarent Ecclesiasticum, qualem Cathedrales Olomucenses Canonici habebant 1350.

XIX.

BERNARDUS vir mitis, sibi austerus, feriâ IV. & VI. in pane & aqua victitare consuescebat: humilitate, integritate morum spectabilis, sanctimoniæ famâ inclytus, obiit ultimâ Octobris 1357.

XX.

PRIBISLAUS Siloënsis Canonicus, resignavit invitus, & invisus 1365.

XXI.

TERUARDUS Carolo IV. Imperatore & intercessore, à Gregorio XI. obtinuit insignia

(a) Licet Gradicii & Strahoviæ vetera monumenta, addicant Friderico Papiensis sive Ticinensis Ecclesiæ episcopatum, non legitur tamen apud Ughellum in serie Præsulum Papiæ. Quod contingere potuit vel ex Ughelli ignorantia, vel ex eo quod Fridericus tametsi electus, subire noluit onus episcopale, sicut in Bernardo de Portis electo accidit, teste Bernardo Epist. 155.

quædam Prælatorum, cætera addidit Urbanus VI. Cui & duo ex legione Thebæorum corpora, nec non ipsius ducis Mauritii mandibulam reduci contulit; quæ pretiosis pheretris curavit accludi. Totus exornando templo intentus, cælum petiit. 4. Septembris 1381.

XXII.

PETRUS *HERSINECK*, loco motus anno 1381.

XXIII.

STEPHANUS, Petri Olomucensis episcopi consanguinitate illustris, sperabatur factis evasurus illustrior; sed præmatura mors bonis incumbentem operibus præscidit, anno 1386.

XXIV.

WIKERIUS nobilis de *Crenowitz*, modestiâ, comitate, mansuetudine, hospitalitate præcipuus, decoris studium habens, SS. Ægidii, Adalberti, & Georgii sacella domestica venustati restituit, & SS. Martyribus Ursulæ & sociabus ædem sacram exstruxit, ubi Sanctarum deposuit exuvias. Obiit Wikerius anno 1395.

XXV.

BENESIUS ex nobilissimo Baronum de *Kravarsch* sanguine oriundus, civitatem *Kioviam* cùm pagis annexis, à septuaginta annis elocatam secularibus, pretio redemit. *Hranicium* quoque à 100. annis oppignoratum reluit ære penso, sex grandioribus campanis implevit Turrim: humilitati & labori assiduum, ad benefaciendum cunctis promptum, aliena sæpe negotia exteriùs provocaverunt. Obiit 1412.

XXVI.

WENCESLAUS *RAZIVANTZ*, Taboritarum immanitatem ut effugeret, muros monasterii transiliit, sed, ex casu manibus pedibusque confractis, captivus mancipatur, & ludibria passus, mille marcis miseram libertatem cogitur redimere. Tùm à pessimo laico Fratre clanculum subintroducti in monasterium Thaboritæ anno 1432. sæviunt crudeliter in sacra & profana, ferro & flammis penè omnia donant; quod superest Willelmus Moraviæ Subcamerarius, armatâ manu subvertit. Sacros Fundatorum & Prælatorum cineres è ruinis effossos, Clerus Cathedralis Ecclesiæ, jussu episcopi Olomucensis, in Ecclesiam suam magnifico, sed luctuoso apparatu deportavit. Exules & profugi, ad suum Pastorem Gradicenses, remissâ paulisper tempestate, redeunt, & apud Minoritas domicilium & oratorium persolvendis divinis concedentes, substiterunt. Sexto demùm incolatûs istius anno, vires animumque posuit, pauperem, omnium indigus, nactus sepulturam anno 1433.

XXVII.

NICOLAUS *KOBIK* afflictæ Ecclesiæ, afflictus successit Abbas, sed non fractus. Repetundarum indefessus quæstor, sacra indumenta, & cimelia Ecclesiæ redemit: oppignoratos ob redemptionem prædecessoris sui fundos recuperat, & ædem in *Ostrow*, suburbio Olomucensi, coëmptam, Fratrum commoditati instruit. Illic laborum finem nactus decessit, sepultus ad S. Franciscum anno 1446.

XXVIII.

NICOLAUS *Rys*, prædecessoris terens vestigia, magnatum nil veritus potentiam, in faciem occupata ab eis reclamavit, improbavitque, donec complures ad restitutionem usurpatorum compelleret. Georgii Podiebradii Vice-Regis Bohemiæ, benevolentiam meritus, subsidium accepit, quo monasterii paulatim excitavit ædificia; anno 1450. primarium lapidem monasterii Franciscanorum, vice Joannis *Hasz*, Olomucensis episcopi, posuit & anno 1461. obiit.

XXIX.

GEORGIUS, Regi Georgio à sanctioribus & intimis consiliis, ejus amicitiam, & quodammodò familiaritatem inierat, tantisque ab eo beneficiis affectus fuit, ut primævo decori restitutam domum, aggeribus ad deffensionem vallaverit. Ad hanc arcem, Georgius ut ad perfugium, contra insequentem se Matthiam Corvinum Hungariæ Regem, secessit. Fugientem à facie inimici, & à fulmine Pii II. Pontificis summè irati, amicabiliter excepit Abbas, generosè deffendit, paratus pro benefactore, & cum amico commori. Anno & dimidio Mathiæ insilientis propulsarunt copias Rex & Abbas, ambo armis & animo potentes: iteratis cladibus ad defectionem penè adegerunt Mathiam qui solâ victûs penuriâ resistentes expugnavit. Abbas Oppaviam se recepit, ubi parvâ contentus annonâ, vitam infelicem, ærumnoso fine conclusit 20. Martii 1487.

XXX.

MARCUS de recuperandis Abbatiæ desertæ ac penitùs devastatæ, fundis seriò apud Wladislaum Regem, magnatum interpositione, egit; sed nonnisi bonorum *Hranicensium* venditione id potuit ex parte assequi ab offenso Rege. Ex monte præceps actus Abbas, ossium collisione semi-animis decubuit, & antequam votorum fieret compos, obiit 1497.

XXXI.

JOANNES *HIEZKO DE LITOVIA*, inchoatum ab antecessore opus consummans, Fratres ex domo Ostrowiensi, comitantibus Decano & Canonicis Cathedralis Ecclesiæ, populi frequentissimo concursu, Gradicium reduxit; Cœtûs

Cœtûs pompam augebant sacra lipsana. Gaudia festiva vertit in luctum mors Prælati, 2. Septembris 1508.

XXXII.

STEPHANUS *RAMBA* cessit anno 1512.

XXXIII.

JOANNES DE *KAPLITZ*, Milovicensis Canonicus, resignavit coactus, qui antecessori deponendi infulas fuerat autor. 1524.

XXXIV.

PAULUS DE *KRALITZ* 1525.

XXXV.

JOANNES *KAIL* 1532.

XXXVI.

MARTINUS DE *PRZEMESLOVITZ*, episcopus Nicopolitanus, & suffraganeus Olomucensis, à Dubravio scriptis exCultus, monasterii & diœcesis curam summâ laude gessit 1549.

XXXVII.

BENEDICTUS, filius Patritii Olomucensis 1556.

XXXVIII.

GASPARUS DE *LITOVIA*, Comes Palatinus, Ecclesiæ adstruxit turrim, appendit harmonico concentu campanas, refectorium ædificavit, comparavit villas, intùs forisque solers, plura facere disponebat, disponentem mors intercepit anno 1576.

XXXIX.

JOANNES *PONIETOWSKI*, nobilis Polonus, Prælaturam, optimatum favore, invasit, regimine malè morato, græcandi doctior quàm regnandi, ad ultimum discrimen monasterium adduxit, à quo judicialiter pulsus anno 1587.

XL.

PAULUS *GRINWALT* 1593.

XLI.

GEORGIUS *PAWORINUS DE PAWORIN*, observantiæ regularis lucerna, pauperum pater, naturæ dotibus præstans, gratiâ apud Imperatorem Rudolphum II. validus, 4000. florenorum, vitæ parcimoniâ, reluit vasis sacris; & sacerdotali suppellectile pretiosâ, Ecclesiam adornavit. Gradicium florentius nusquam morum honestate, nusquam rerum abundantiâ enituit gloriosius. Obiit magno suorum luctu, anno 1608.

XLII.

LUCAS *THOMICIUS* hoc uno commendatur, quòd Mathiam Hungariæ Regem, Gradicii hospitem habuerit 1614.

XLIII.

GEORGIUS *LEODEGARIUS*, non electione Capituli, sed autoritate & jussu Gaspari de *Questemberg*, Vicarii generalis, institutus est Abbas, his temporibus, quæ rebellionem Bohemicam in Imperatorem Ferdinandum II. magno Principis & Reipublicæ damno, parturiere. Iterùm quippe bona Gradicii cessere secularibus; thesaurus Ecclesiæ in prædam venit; Abbas cum Priore mancipatus carceri, fame, siti, opprobriis penè extinctus est. Victoria ab Imperatore obtenta in Monte-albo,* ut Regno, sic Abbati asseruit libertatem; sed ablata & decocta ab hostibus non refudit, quidquid Cardinalis *Dietrichstein*, ex commissione Cæsarea, impendere potuerit sollicitudinis, ad restitutionem ablatorum procurandam. Suis redditus laribus Abbas, instaurandæ domui dùm invigilat, vigilem ad se Deus vocavit an. 1628.

* 1620.

XLIV.

MAXIMILIANUS *BR[illegible]CHER*, nobilis Austriacus, toxico, ut suspicantur, interiit an. 1635.

XLV.

ELISÆUS, seminandi & metendi bona œconomus peritissimus, in dicendo facundus, ad Imperatorem Orator à magnatibus Provinciæ delegatus est 1641.

XLVI.

JACOBUS *GEDINUS*; ejus ætate à marte Sueco rursùs Gradicium direptum est; religioni sepulchrorum nequidem pepercit scelerata rabies Sueci, Religiosos conjecit in vincula, fugientem insequitur, sed frustra, Abbatem: in latebris à vastatore turbine se subducit; hinc vagus in Austria & Hungaria, vitam emendicans, *Brunam* revertitur, ubi dùm tantispèr hæreret, à Ferdinando III. Administrator ponitur Zabrdovicii, in locum Abbatis Benedicti, fatis perfuncti Viennæ. Exul à monasterio suo, cujus vel summa vestigia ignis aboleverat, moritur 1647.

XLVII.

JOANNES *MINSKY* sex tantùm septimanis desolati monasterii præfecturam gessit 1647.

XLVIII.

FRIDERICUS *SCHINALIUS* ex eremo Schebetoviensi, Fratres, ubi per undecim annos delituerant, eduxit anno 1653. & ad monasterium à se restauratum felici deportavit transmigratione. Laborum pondere fractus Fridericus, resignavit anno 1657.

XLIX.

THOMAS *OLSCHANSKY*, scientiâ & prudentiâ eximius, Visitator Provinciæ sagacissimus, fundorum monasterii, Imperatore annuente,

providus recuperator, templum ordine Dorico concinnatum suscitavit, auxit subditorum domicilia: & moritur *1666*.

L.

FRIDERICUS *SEDLECIUS*, dignitati nuntium remisit anno 1671. reliquum vitæ cursum, triginta videlicet & octo annos, frequentibus jejuniis condivit, & orationibus assiduis. Parcè pastus, nunquam satur virtutum, in gelida hyeme tenuiter vestitus, juges in meditatione noctes agebat. Quotidianus conviva mensæ Domini, extremâ fati sui die, horâ integrâ ad sacrificium absolvendum perstans, horâ insequente, quod in enigmate viderat & contrectaverat, in specie propria perfruendum, morte beatâ interveniente, obtinuit. Huic primo revelata sunt inventæ sacræ Iconis in Monte Præmonstratensi jurata documenta. Illic amplioris Ecclesiæ fundamenta exorsus, illic sui corporis primus invenit conditorium anno 1708.

LI.

ALEXIUS *WOSTIUS* Ecclesiam monasterialem elegantibus picturis ab imo usque ad tholum, tholique superficiem exporrectis, exornavit. Capellam B. Mariæ in Monte-Præmonstrato à prædecessore incœptam, perduxit ad fastigium, & ibi exuvias sui corporis *Teplicia* reportatas condidit anno 1679.

LII.

NORBERTUS *ZIELETZKY*, ex Equitibus de *Porenitz*, Visitator, dein Vicarius generalis, vir laboriosus, & ad magna natus, parochiales Ecsias sui patronatûs, ligneâ & luteâ maceriâ depulsâ, lapideas fecit: Monasteriale templum ampliavit; hospitium subsidiariis Capellanis diversorum Ordinum, struxit, dotavitque in Monte-Præmonstratos hospitalem instruxit ibidem domum, pro XII. egenis, & pro advenis non ignobile diversorium. Residentias *Konicii*, & *Schebetowii*, ad perfugium suorum Canonicorum in turbulentis belli aut seditionis temporibus, auxit, munivitque aggeribus. Bibliothecam intrinsecùs opere anagliptico, per gyros sese diffundente, picturarum frequentiâ inter corymbos & genios alatos speciosam, marmoreis aditu & pavimento, varietate cælorum renitentem, sed præcipuè ingenti librorum numero pretiosam, ædificavit. Paramenta sacerdotalia auro, argento & gemmis fulgentia, procuravit fieri, & quod ad gloriæ cumulum fuit, 13. Canonicos scientiis bene excultos, promovit ad Doctoratûs lauream. Denique magnatum gratiâ præpotens, domi verendus, amandus magis, virtute clarus obiit 1709.

LIII.

BERNARDUS *WANGER* S. T. D. ex Priore Montis-Præmonstrati electus Abbas, sacra otia inter orationem & studium pro more antiquo dividens, totus Deo, totus studio fuit. Ex Pernecensi Abbatia comparavit jus Paternitatis in *Czornam*. Protocolium Circariæ Bohemiæ, Genealogiam S. P. Norberti illustrem, & Opuscula hagiologica evulgavit. Ingens sui desiderium, ingentius pietatis & scientiæ nomen moriendo reliquit posteris 1714.

LIV.

BENEDICTUS *BONISCH* S. T. D. tanti viri successor non degener, completis laudabiliter octo regiminis annis, diem clausit anno 1721. die 30. Novembris.

LV.

ROBERTUS *SANCIUS*, Gradicensis Canonicus, ex Præpositura Czornensi in Hungaria, quam per annos undecim administravit, ad infulas Gradicenses vocatur, electione Fratrum die 4. Januarii 1722. Præest laudabiliter numerosæ Canonicorum turmæ, quorum plures (ut ab antiquis retrò temporibus in usu fuit) doctorali Theologiæ laureâ insigniuntur. Hinc cùm perennatus fuerit in ea celebri Canonia studiorum ardor, quid mirum, si publica scientiæ testimonia in Academicis Theologiæ velitationibus toties ab illis fuerint exhibita?

PATERNITAS.

Ex designatione Capituli generalis anni 1294. filiales has habuit Ecclesias (præter *Bosouch*, in Regno Hungariæ consistens, nomine solo notum.)

Graban Strigoniensis diœcesis, olim filiam de *Turo*, sive *Turne*.

Gurlan diœcesis Vesprinensis, olim filiam Ecclesiæ Chornensis.

Sydow diœcesis Vaciensis, olim filiam *Cathwvan*, seu *Hatvam*.

Sadio, olim filiam S. Stephani de Promontorio Varadiensi, diœcesis Zenadiensis, seu Zagrabiensis.

Raix, à majoribus Dominorum Bonsiorum de Alsolinda, anno 1255. fundatam, in comitatu Szaladiensi, quondam filiam Ecclesiæ Chornensis, diœcesis Vesprinensis.

Saloughen monialium, olim filiam de Sopio, diœcesis Colocensis.

Quas omnes Præposituras immani Turcarum, hæreticorumque ferocia ab Ordine avulsas luget Gradicena mater.

Ex decreto Capituli Provincialis celebrati in inclyta Gradicensi Ecclesia die 31. Augusti 1710. acquisivit Abbas Gradicensis jus Paternitatis in Præposituram de Chorna ex cessione Abbatis Pernecensis, qui sibi illud comparaverat solutione 50000. florenorum Cameræ Cæsareæ pensitatorum, ad redemptionem monasterii recenter è Turcarum ma-

nibus à victore Leopoldo erepti. Cujus summæ debitor adhuc existens Abbas Pernecensis, ut se alieno ære liberaret, debitum, & ex debito resultantem prærogativam Paternitatis, in Gradicæum Abbatem volentem transfudit; Capitulo approbante, & Domino Præmonstratensi confirmante pacta conventa; quorum prius est, ut nominatio Præpositi Chornensis ab Abbate & Capitulo Gradicensi penderet, isque è gremio Gradicensis Ecclesiæ electus, ab eodem Abbate Cæsari præsentaretur ad confirmationem. Alterum est, quòd bona Chornensis Præposituræ ad Capitalis summæ, & censûs annui reluitionem in hypotecham reservata & adscripta remanerent Gradicio. Sub his conditionibus, Præpositus illicò designatus est Robertus Sancius Prior Gradicensis.

Mons-Præmonstratus Prioratus conventualis, nova Gradicii soboles.

PASTORATUS.

Sanctus Marcus in oppido *Kinitz*.
S. Joannes-Baptista in oppido *Switavea*.
Cholin.
Nakel.
Brzessowitz.
Tieschetitz.
Bonjonvitz.
Stephanow superius.
Stephanow inferius.
Czetkowitz.
Olskan.
Horka.
Krzelow.
Prvin.
Weischowitz.
Przemeslovitz.

MONUMENTA SEPULCRALIA.

Otto senior Dux Moraviæ, Fundator Gradicii, in ambitu Ecclesiæ sepultus anno 1087. sub Budisio Abbate: anno 1268. translatus in medium Ecclesiæ, unà cum Euphemia conjuge, honorificâ pompâ per Anselmum Warmiensem episcopum reconditur.

In eodem tumulo Otto III. Dux Moraviæ, Præmonstratensium inductor in Gradicensem Ecclesiam, voluit reponi. Horum corpora post devastationem Gradicii, anno 1432. Olomucii ad Cathedralem Ecclesiam inter altaria S. Wenceslai & S. Marthæ deposita quieverunt, usque dùm ad restitutum Gradicii templum à Georgio Pavorino Abbate fuerunt relata. Magnificum his mausolæum modernus Abbas in sacello crucifixi erexit, sequenti inscriptione exornatum.

Sex omninò
Grandium loculus iste animarum
condit exuvias
Quatuor Moraviæ Marchionum
Monasterii Gradicensis Fundatorum
Ottonis I. Euphemiæ conjugis,
Ottonis III. Duranæ conjugis
Et duorum Præsulum
Joannis Episcopi Olomucensis
Et Roberti Abbatis Gradicensis
qUeM gratUs ponI feCIt beneDICtUs,
Quinquagesimus tertius abbas Gradicensis.

Ex opposito, & in Capella Matris Domini dolorosæ, aliud elegantiæ inferioris sepulchrum, Abbas idem suis decessoribus imponi curavit. Et in lapide lydio, auratis caracteribus sequens fulget Epitaphium.

Supra Jubilæi numerum
Te, Viator, ad momentum
Præsules monent in monumenta
Nihil stare diù
Sit licet steterit
Satis diù.

Vide Probat. à col. DXCIX. ad col. DC.

GRAFERGOS.

Grafergos. Fil. Præmonst. Diœcesis Ansiogensis. Circaria Norvegiæ.

PRæpositura monialium Ordinis, duobus ab episcopali civitate *Anslogensi* milliaribus exstructa, sed ab hæresi Norvegiam depopulante, sub Friderico II. diruta. Quod *Anslogam* appellamus, nunc *Christianiam*, à reparatore suo Christiano IV. nuncupant Geographi.

GRAMMEZOU.

Grammezou. Fil. S. Mariæ Magdeburg. Diœcesis Caminensis. Circaria Saxoniæ.

INter sexdecim monasteria, quæ Præpositi S. Mariæ Magdeburgensis Paternitati subjiciebatur, accensendum est *Grammezoviense* monasterium, apud Pomeranos, in diœcesi Caminensi fundatum. Hujus Præpositus, anno 1224. unà cum aliis Saxoniæ Prælatis, ad Ordinis, & Capituli generalis obedientiam, mediante Conrado, Portuensi episcopo & Legato, reductus est.

GRANDIGURGES.

Grandi-Gurges. Fil. Bellelagiæ. Diœcesis Bisuntinæ. Circaria Burgundiæ.

MOnasterium Grandigurgitis, vulgo *Grandgourt*, in archidiœcesi Bisuntinâ, & sub ditione Basileensis episcopi positum, Bruntruto, ordinariâ ejusdem Episcopi sede, duabus distat horis. Fundum Abbatiæ fluvius, dictus *Allain*, præterlabens dividit. Hunc jungit pons lapideus fluvio impositus; & hinc Ecclesia, & cœnobii ædes; illinc villicorum habitabula primitùs locata sunt.

* Lantenach.

* Mont-beliard.

A Prioratu Lantenacensi, * Ordinis S. Augustini, in Comitatu Burgundiæ, haud procul à Monte-belligardo * pendebat ab ævo Grandigurges. Eo loci sacellum in honorem B. M. Virginis inædificarant, ad colonorum & inhabitantis Canonici solatium, Lantenacenses. Redituum tenuitas, distantia villæ à matrice Ecclesiâ septem disterminatæ milliaribus, onerosam sic fecerant Lantenaco villicationem, ut de ea vendenda, aut oppignoranda deliberaverint. Ergo Ludovicus, Bellelagiæ Abbas, ingenti in Ordinis propagationem zelo succensus, majore pecuniâ locum hunc à Lantenacensibus comparavit, novellamque à suo monasterio palmitem anno 1180. inseruit.

Novam illico, & divinis aptam officiis struxit Ecclesiam, Claustrum, Dormitorium, cæterasque ad regularem observantiam accommodas paravit ædes. Proventus partim industriâ, & pretio, partim fidelium oblatione sat amplos peperit, qui Canonicorum & Abbatis sustentationi sufficerent. Quibus ita dispositis, in Abbatiale cœnobium Grandigurgitem sublimavit, accedente Clementis III. consensu, & inibi Radulphum è gremio Bellelagiensi assumptum submisit Abbatem.

Unde in immensum falluntur, qui, nescio quâ traditione apocriphâ delusi, Grandigurgitem Corncoli filiam inscribunt, quæ se totam debet Bellelagiæ, à quâ & essendi originem, & vivendi formam, & coloniæ Magistrum accepit Radulphum Abbatem, & sequiores Priores, qui in Abbatis locum successere: tota enim series Prælatorum uno conficitur Abbate Radulpho.

Sub optimo duce crevit & convaluit agmen: bonæ opinionis odorem bona eorum vita effudit, movitque vicinos, laudabilis eorum conversationis testes, ad fovendum piis liberalitatibus viros pietatem opere ac sermone suadentes. Quare non laïci tantùm, sed & ipsi Regulares monasterium beneficiis adaugere studuerunt. Profecit ita ex levioribus initiis recens plantatio, ut anno 1187. à Clemente III. fuerit Abbatiali titulo decorata.

Mortuo Radulpho Abbate, Cluniacenses S. Morandi (a) Grandigurgitem Patre orbatum, pulsis Canonicis invadunt; quo jure, quove colorato prætextu, monumenta nonedocent. Hoc unum ex iis colligimus, stetisse illic habitatores, usque dum anno 1208. queruli & spoliati Bellelagienses coram judicibus arbitrariis traxerunt in causam Cluniacenses intrusos. In eorum præsentia, Lutholdo Basileensi episcopo præside, Synodo totius Diœcesis astante, hinc inde causâ actitatâ, ponderatis partium rationibus, tandem finali judicio, tanquam malæ fidei possessores, è Grandigurgite Cluniacenses fuerunt ejecti.

Post recuperatam domum, post restitutas possessiones, in Prioratum manualem Bellelagienses converterunt Abbatiam, in quo quinque aut sex Canonicos, sub Prioris regimine, & Ordinis observantia viventes, collocarunt; atque sub hac forma, pacificè Grandigurgitem possedit Bellelagia, donec anno 1595. Patres Jesuitæ, connivente Christophoro *Blarer* episcopo Basileensi, Romanam Curiam clanculo sollicitarunt, ut Grandigurges, Religiosis, ut aïebant, malè provisus, & obeundarum fundationum impotens, gratiosè concederetur eis, ad Bruntrutani Collegii sustentationem. Simili motivo Miseracensem * Prioratum emungere à Cluniacensibus, uno eodemque libello supplici tentarunt; resque in tantum processerat, ut de Prioratu Grandegurgitis actum fuisset, nisi Abbas Vernerus secretò submonitus, & in utroque foro vividè se pro domo Dei opponens, scenam clusisset. Neque tamen ita naufragium valuit effugere, quin mercium partem cum authoribus procellæ divideret: perpetuo siquidem & annuo censu, decem modios speltæ ad ipsorum horrea promisit se deportaturum. A quo tributo Prioratum liberavit, anno 1629. Abbas *Juillerat*, bis mille florenis Collegio pensis.

* *Misere*, medio itinere Bruntrutum inter & Lutellensem Abbatiam.

Parem senserunt impetum Collegiales Ecclesiæ Grandis-vallis & S. Ursicini, nec aliter quàm per traditionem præbendæ, in gratiam summè utilis Collegii, evaserunt incolumes. Quoad Prioratum S. Michaëlis Miseracensis, totus quantus est PP. Jesuitis cessit, & insperatâ metamorphosi, domus hæc olim domus orationis, facta est amodò domus amœnitatis, sive, ut aïunt, recreationis. Vide Prob. à col. DC. ad col. DCIIJ.

(a) Cœnobium quondam Ordinis Cluniacensis, nunc à tribus Societatis Jesu Patribus inhabitatum.

GRANDIS-CAMPUS.

Grandis Campus. Fil. Præmonst. Diœcesis Carnotensis. Circaria Pontivi.

SImon Comes Montfortii, Dux Narbonæ, Tolosæ Comes, cognomento Machabæus Albigensium terror & flagellum, post reportam in Mureti Campis victoriam, in qua cum quindecim millibus, Petrus de Arragonia Albigensium Ductor concidit anno 1213. ut Deo & Beatæ Virgini grates referret, ac perenni monumento consecraret victoriam posteritati gratæ, Abbatiam Grandis-Campi sub B. Virginis patrocinio in suæ Dynastiæ terminis, & in Carnotensi Diœcesi erexit, dotavitque anno 1214. Canonicos ex Præmonstrato submisit Gervasius Abbas, qui arctissimæ amicitiæ nexu erat conjunctissimus Montfortio, & pari cum illo ardore, licet disparibus armis, pro extirpatione hæreseos decertabat.

Gervas. Epist. 97. p. 87. sacræ Antiq. Monum. anno. 1218.

In obsidione Tolosæ contorti lapidis percussione miserabiliter occisum Simonem, lamentabili epistolâ commendavit Aloisia de Montmoranciaco superstes post viri fata uxor, Gervasii & Ordinis precibus, ut pote Ordinis munificum Benefactorem, cui pro antiqua majorum nostrorum gratitudine, piacularia sacrificia & eleemosynæ debebantur ; & utrique pietatis officio, facturum satis respondet Gervasius. » Verum quia & hoc adjecistis, » inquit, ut pro inclytæ recordationis Domini » Comitis anima oraremus, & faceremus de » ipso, sicut de uno Fratrum nostrorum, sciatis » quod ante receptionem litterarum vestrarum » feceramus hoc ipsum, & Ego Abbas post » solutas tres Missas, quæ & à singulis sacerdo- » tibus debebantur, & alias orationes, nec non » & eleemosynas, secundùm consuetudinem » Præmonstratensis Ordinis faciendas, obse- » quium iterum in ipsa Præmonstratensi Ec- » clesia & in multis aliis Ecclesiis, tam Impe- » rii quàm Regni, quas visitavi, postmodùm » feci solemniter innovari, & in illis quas visi- » tabo, infra nostrum generale Capitulum, & » in ipso generali Capitulo innovabo, ipsius » dùm vixero, per gratiam Dei devotam in » orationibus memoriam habiturus, quem, » dilectus ab ipso à tenerâ juventute suâ, dilexi.

Ita Gervasius, beneficiorum memor, beneficus extitit in defunctum Grandis-Campi Fundatorem. Etsi verò psalterium & cythara in Grandi-campo sileant, ex quo R^mus. Generalis Colbertus titulum & proventus Grandis-Campi, Collegio Parisiensi addixit ad studentium alimoniam, non inde imminuta est Ordinis in Fundatorem gratitudo, nec quicquam ipse, aut hæredes ipsius fraudantur precibus consuetis ad Fundatorum & Benefactorum solamen.

GRANGIA DOMINARUM.

Grangia Dominarum Fil. Flabonis-montis. Diœcesis Tullensis. Circaria Lotharingia.

A Fundatione Flabonis-montis, surrexit Parthenon *Grangia Dominarum* dictus, Stephano primo Abbate. Virgineæ congregationis antesignanæ fuerunt neptes Petri à sancto Judiano, quæ spretis mundi oblectationibus, & honore quo fulgebant, humilem Religionis habitum induerunt. Illarum pietate motus patruus, providentissimâ liberalitate dotavit amplis proventibus Parthenonem. Hunc æmulatus Gualterus de Fulconis-Curia *, decimæ partem in villa de Bertini-rivo * contulit filiæ suæ velum suscipienti. Illis se junxit Gisela de Deuilliaco. * Hujus asceterii rudera adhuc extant inter villam de *Fouchecourt* & Flabonis-montem æquali spatio & quadrante, ab invicem separata.

* Faucon-court.
* Bertinrup.
* Deuilly.

GRATFEX.

Gratfex. Filius. Diœcesis Candida Casa. Circaria Scotia.

AMplissimum Scotiæ cœnobium extitisse *Gratfex*, testatur Layruelius, in Monasteriorum Nomenclatura: Diœcesim non indicat ; suspicor in Candidæ-Casæ, quam plurium cœnobiorum Ordinis nostri Seminarium fuisse demonstravimus.

GRATIA-DEI.

Gratia-Dei. Fil. S. Mariæ Magdeburgensis. Diœcesis Magdeburg. Circaria Saxonia.

S Norbertus Ordinis parens, hujus monasterii promotor, & quasi Fundator alter extitit. Rerum Germanicarum scriptores Meimbomius, Hoffmannus, Manlius, historiam hujus monasterii ex veterum Chronicis, aut membranis superstitibus concinnarunt ; latiori tractatu rem ex professo egit Georgius *Leuckfelds*, nos ex officio, & mutuatis eorum luminibus, originem, progressum & extinctionem hujus monasterii exequemur.

Non longè à civitate Calbensi * juxtà *Salam* fluvium, & in agro Magdeburgensi, Otto Comes de *Crudorp*, & de *Ravenningen*, vir divitiis & nobilitate potens, ad Norberti ser-

* Calbe.

mones tactus pœnitentiæ desiderio, seculum deseruit, se, suaque disciplinæ Archipræsulis spontaneâ pietate subjiciens. Conversionem Comitis rigoroso probatam examine, laudavit Norbertus, & ad Religionis aspirantem vota, paternè exambiens, illum adhortatus est, ut cum Christo bona divideret suæ proprietatis. Paruit Otto, & in terra sui dominii, Ecclesiam ad honorem S. Dei Genitricis, & S. Victoris Martyris, cujus reliquias Xanto Norbertus adduxerat, construxit, primosque lapides unà cum Archiepiscopo suo, propriis imposuit manibus anno MCXXXI. Cœnobii insimul locavit fundamenta, ut Candidæ militiæ Mystas è Magdeburgensi asceterio accersitos, imponeret. Submisit ad Fundatoris votum discipulos sui instituti Norbertus, ipsumque Comitem in vitæ regularis amplexum suspirantem, illic Canonicum fecit; quem priùs conjugatum falsò supponit Manlius, eique prolem gratis attribuit Hildam, uxorem Geronis, seculo x. cadente denati. Non minoris culpandus est erroris Bucelinus, qui sub annum 1007. ad *Salam* fluvium, *Gratiam-Dei* sub Benedictino Instituto, ab Ottone Marchione Lusatiæ, constructam, nullo teste, affirmat. Erraſſe pariter ne dubites authorem Chronici Saxonici, qui fundationem Gratiæ-Dei ad an. 1126. adscribit.

Chronic. Montis-sereni. p. 35.

Sacro operi manum ultimam adhibere non potuit Norbertus, universalis Ecclesiæ distentus negotiis, nec Diplomate, ut moris erat, traditas ab Ottone possessiones roboravit. Ex itinere Italico redux, morte immaturâ præoccupatus, successori suo Conrado, & sollicitudinis Pastoritiæ hæredi, curam zelumque, pro domo Dei complenda, talem transfudit, ut ab ineunte episcopatu, quod à *Venerabili Archiepiscopo Norberto, magno & incomparabili viro*, susceptum fuerat, plenè perfecerit. Collata ab Ottone bona ad dotem *Gratiæ-Dei* tabulis consecravit, & titulo concambii, quidquid in territorio *Gratiæ-Dei* possidebat Ecclesia Metropolitica, monasterio cessit, retento pro commutatione, Castro de *Reveningen*. Mores, statuta, libertates, & innata Ordini privilegia, ad Institutoris Norberti mentem confirmavit. Episcopali autoritate munitum cœnobium, pontificiâ approbatione Innocentii II. stabilitum est anno 1138. Jam tùm quatuor Præpositi successionis ordine fluxerant, quorum primus fuit

I.

EMELRICUS, quem transmarinæ peregrinationis, fideique propagandæ ardor arripuit, & prout tempora ferebant, dimissâ Prælaturâ, sacro se devovit Evangelii ministerio apud Infideles, in spem conversionis eorum, aut Martyrii faciendi desiderio. (*a*).

II.

EVERMODUS ex S. Mariæ Magdeburgensis Præpositurâ ad Gratiæ-Dei regimen translatus est, circa annum 1134. Conradus Magdeburgensis archiepiscopus, confirmavit, anno 1135. donationes, monasterio Gratiæ-Dei factas, ab Ottone de *Reveninge*, præsente *ex Gratiâ-Dei Præposito primo religioso Evermodo*. (*b*) Denominatur in eo Diplomate primus Præpositus, quia brevissimum Emelrici regimen, in Collegio nondum apprimè formato, vix patiebatur hunc ei titulum honoris deferre. Anno 1157. amotum à Præpositura Evermodum scribit author Chronici *Montis Sereni*, (*c*) quia, inquit, *cum esset vir bonus, suos præter usum cogere voluit, ut in Quadragesimâ alternis diebus in pane & aquâ communiter jejunarent*. Verum, etsi factum non diffitear, constat nihilominùs Evermodum dignitate exutum pluribus ante 1157. annis; ut modò liquebit ex dicendis in Henrico successore, & postmodùm in elucidatione monasterii S. Mariæ Magdeburgensis, & Cathedralis Ecclesiæ Raceburgensis.

III.

HENRICUS ab Innocentio II. Bullam ad stabilimentum monasterii impetravit, an. 1138. Paucis ab hinc annis, Conrado III. Romanorum Rege collaudante & Alberto Brunswicensi Duce postulante, prædium de *Curowe*, per concambium, ab Hermanno de *Severitz* acquisivit. Hunc ab officio depositum, & postea Præposituræ in *Rhode* suffectum legimus in Chronico Sereni-Montis. (*d*)

IV.

SIBOLDUS, antea Moguntinensis Ecclesiæ major Præpositus, Henrico subrogatur. At dignitatis impatiens, haud multo post cessit. (*e*)

V.

LAMBERTUS in cedentis locum immissus est, vir tenuis scientiæ, sed qui hanc inopiam virtutum copiâ redimebat. (*f*) Anno 1160. Lambertum obiisse testatur sæpe fatum Sereni-Montis Chronicon. (*g*)

VI.

GUNTHERUS recensetur ut testis concambii, Wichmannum Magdeburgensem archiepiscopum inter & Conradum *Novi operis* Præpositum, anno 1161. (*h*) Roboravit etiam subscriptione suâ donationem, ab eodem Ar-

(*a*) Chron. Montis Sereni, apud *Hoffman* Tom. IV. *Rer. Lusat.* 35.
(*b*) Antiquit. Præmonstrat. *de Gratia-Dei*, 16.
(*c*) 42.
(*d*) Ibid.
(*e*) Ibid.
(*f*) Ibid.
(*g*) Ibid. col. 11.
(*h*) *Reliq. mss.* Ludwig. Tom. V. 23.

chiepiscopo, Canonicis S. Mariæ Magdeburgensis factam. (a)

VII.

HEIDENRICUS, mediante Ludolpho Magdeburgensi metropolita cum Thietmaro, ipsius dapifero, de tribus areis in *Cruchdborp* querimoniam movente, composuit, anno 1195. Ejusdem ætate Bernardus *Gratiæ-Dei* Prior, Capellam in honorem S. Joannis Evangelistæ ad fores construxit monasterii, quam Albertus Magdeburgensis archiepiscopus sub initia promotionis suæ, & de Romana Curia, ubi plenitudinem potestatis acceperat, redux, consecravit, talento assignato ipsi Capellæ, ad illius luminare, & ad refectionem Fratrum in anniversario dedicationis. Rem ita gestam refert Alberti Charta sub annum 1207. Hæc S. Joannis Capella, Evangelicis, ut aiunt, ministris ad divina hodiedum deservit, & ruinosam instaurarunt anno 1711.

VIII.

BERNARDUS, huic Præposituram adeunti, Rudolphus, Gevehardus, & Joannes fratres de *Brumbie*, ministeriales Ecclesiæ Magdeburgensis, per manus Archiepiscopi Alberti contradiderunt anno 1209. duos mansos & dimidium in villa *Kirstedt*, pro salute animæ matris eorum Judith, & filiorum illius. Anno 1230. quæstio excitata est ex occasione fontis salinarum in villa *Elmene*, juxtà quem puteum fodere volens Bernardus, adversantes sibi sensit Evergardum Militem, & Norbertum de *Vrose*, fontis proprietarios. Arbitris judicium controversiæ commissum est, & sub conditionibus certis utrinque acceptatis, causa finita fuit.

IX.

ERNESTUS anno 1250. Maynardum Halberstadii episcopum sedentem in judicio, apud *altam*, ut moris erat, *arborem*, convenit, ut emptionem duorum mansorum villæ de *Sebusen*, de consensu Friderici Comitis de *Kirchberg* factam, approbaret, illam Episcopus, præsente Wilbrando archiepiscopo Magdeburgensi, ratam habuit. Volrandus Halberstadii pariter episcopus donationem duorum mansorum in *Hornhusen*, Ernesto Præposito supplicante, & Bertramo de *Hornhusen* largiente, confirmavit anno 1258. Commutationem iniit Ernestus anno 1268. cùm Conrado archiepiscopo Magdeburgensi.

X.

ANNO, bona monasterii sui sita in *Reveninge*, Burchardo, ejusque archiepiscopali mensæ Magdeburg. unienda in perpetuum remisit; & in beneficii compensationem Burchardus transtulit in Gratiæ-Dei cœnobium jura patronatus Ecclesiarum *Ottersleve*, & *Haldesleve* anno 1300. Duobus hinc annis jugera quædam terræ vendidit Ottoni Custodi Ecclesiæ suæ, ad comparanda de proventibus annuis luminaria. Jus patronatûs Ecclesiæ de *Schipiz*, accepit per manum Burchardi archiep. Magdeburgensis, à Burchardo Comite de *Mansveldt* anno 1303. Allodium de *Gelvestede* oppignoravit ad vitam, sub annuo censu, & sub conditione reversionis post mortem, Wiperto Militi, anno 1305. Bernhardo Comite Berneburgensi & Anhaltino consentiente. Anno 1311. discordia nata est inter Præpositum & Consules Calbiæ ex occasione thelonii & transitus pontis inter Dei-Gratiam, & Civitatem impositi. Thelonium exigebant Consules, recusabat Anno, allegans pontem utrumque in proprietate & dominio suæ Ecclesiæ esse situm. Litem Burchardi archiepiscopi Magdeburg. arbitrio supposuerunt, qui Præpositum ad solutionem octo marcarum argenti semel & unâ vice dandarum Consulibus damnavit, eâ lege ut liberum perpetuis temporibus transitum haberet Præpositus cum personis, animalibus & curribus suis, nec ad reparationem ex quocunque casu deinceps teneretur.

XI.

ALBERTUS anno 1319. piam fundationem Thydemanni de *Eilsleve* excepit. Anno eodem à Mathilde Abbatissâ in *Plozic* emit pretio triginta marcarum quatuor mansos in *Walve*. Collapsi in paupertatis angustias, per prædonum latronumve incursiones, monasterii misertus Conradus Magdeburgensis archiep. anno 1323. parochiam Calbiæ, Præposituræ Gratiæ-Dei sic univit, ut qui deinceps Præpositus foret, idem esset oppidi Parochus.

XII.

JOANNES, anno 1338, paciscitur cum Alberto Milite pro dote altaris BB. Simonis & Judæ Apostolorum. Anno 1350. Chartam edidit quæ proprietatis vitium, & sportularum divisionem innuit. Emptum quippe mansum à Nicolao Canonico Gratiæ-Dei, ex eoque nascentes proventus ex æquo præcipit inter Confratres dividi, & in gratitudinis testimonium præcipit fieri Anniversarium in quo donatoris & amicorum ejus memoria recolatur.

(a) Antiquit. S. Mariæ Magdeb. 110. Notat ibidem Leuckfeldius Chartam hanc ante annum 1160 fuisse conscriptam, cum inter illius testes recenseantur Wato Havelbergensis, & Wilmarus Brandeburgensis episcopi, quorum priorem anno prædicto anno 1160. alterum 1162. ad plures abiisse contendit. Verum in eo errare Leuckfeldium, liquet ex Chartâ concambii Wichmannum inter & Conradum instituti, anno 1161 cui uterque suum apposuit signum. Præterea Volmarus adnumeratur inter eos, quorum consilio pronuntiata est, an. 1164. ab eodem Wichmanno sententia, ad decisionem litis, inter Fratres S. Mauritii, & S. Mariæ Magdeburgensis exortæ. Tom. II. Reliq. MSS. 341. Denique in chronico cœnobii *Reganugensis*, Wilmarus dicitur fatis functus anno 1172. Tom. IV. *Rer. Lusat.* 126. vel anno 1173. juxta Chronicon Montis Sereni 45.

XIII.

NICOLAUS Fraternitatis participationem concedit Tyloni *Slobk*, anno 1355.

XIV.

HERMANNUS locavit emporium *Calebia* Consulibus civitatis, anno 1371.

XV.

THIEDRICUS, cui Albertus Magdeburgensis archiep. tres florenos annuatim ex piscatione *Sala* percipiendos, & quatuor argenti marcas ex proventibus villæ de *Brumby*, legavit anno 1394.

XVI.

TILO DE SALDWELDEL, anno 1406. villam de *Domlutz* pretio octoginta duarum marcarum argenti, comparavit à Burchardo de *Mahlingen*.

XVII.

HENNINGUS anno 1415. festum Conceptionis B. Mariæ solemniter in jubilo, & devotè celebrandum in sua Ecclesia instituit, dotem assignans fixam, cujus redditus annui præsentibus Canonicis distribuantur. Idem pro anniversario suo die præscripsit.

XVIII.

TYLO in actis anni 1416. legitur.

XIX.

JOANNES ROEDINGUS, anno 1438. in territorio de *Ragetz* emit à Guntero de *Munlingen* tria terræ jugera.

XX.

HENRICUS, anno 1461. acquisivit à Guntramno de *Vetelutz* decimam villæ de *Domelutz*. Ejus quoque tempore Everhardus Præpositus S. Mariæ Magdeburgensis reformationem in monasterium Gratiæ-Dei invexit, & *Cappas Blavias*, proprietatisque abusus abolere nequiens, quandiù Præpositus senio gravis, & mollis animo præsideret, ad spontaneam demissionem invitavit, & acquiescenti Henrico per compromissum substitutus est

XXI.

HERMANNUS HERMSLAGER quondam Canonicus ad S. Andream in *Hildesheim*, & ibidem Scholarum Rector, posteà Canonicus regularis S. Mariæ Magdeburgensis, Prior denique monasterii effectus, inde ad Præposituram *Gratia-Dei* evehitur, ubi laudabiliter præfuit ad annum 1474.

XXII.

ANDREAS ad annum 1480. gessit Præpositum.

XXIII.

HENRICUS VERNE regebat anno 1483. ejusque temporibus, anno scilicet 1486. Conradus *Cotti* altarista Parochialis Ecclesiæ Calbensis, Sacellum in eadem Ecclesia sub patrocinio SS. Michaëlis, Joannis Baptistæ, & Joannis Evangelistæ, erexit, & assignatâ dote, ad sacerdotis honestam sustentationem, petiit ab Ernesto Principe Saxoniæ & Magdeburgensi Archiepiscopo, Capellam in titulum sacerdotalis beneficii consecrari. Hujus votis inclinans Ernestus, & ad petitionem Henrici Præpositi, id executus est suo Diplomate dato in arce Calbeiensi 16. Kal Junii.

XXIV.

JOANNES GARDELEGE vel ex demissione Henrici, vel post exautorationem illius, ex electione Capituli, præerat, Henrico adhuc vivente, & Pastoratum officiante *Otterfleben*, anno 1491. prædia in *Wetelitz* comparavit, anno 1503.

XXV.

LUDOLPHUS, anno 1516. regebat.

XXVI.

JOANNES BUSCHIDUCI, cum Alberone Cardinale, & Archiepiscopo Magdeburgensi litibus decertavit pro vindicia jurisdictionis temporalis rerum sui monasterii, gratiam Principis irati aliter emereri non potuit, quàm piscationis jus in flumine *Sala*, transmittendo in Archiepiscopum; ille verò gratiosæ cessionis beneficium, beneficio compensans, partem mediam concessæ piscationis restituit. Anno 1553. debitum Adæ solvit Joannes *Buschiduci*, & in Capella S. Joannis sub hac inscriptione tumulatus est.

Anno Domini MDLIII. die XXIV. mensis Februarii obiit Reverendus Dominus JOHANNES DE PUSCO, Præpositus hujus Monasterii ætatis LX. annorum, hîc sepultus Cujus anima requiescat in pace. Amen.

XXVII.

LAMBERTUS VERNER, Ordinis Canonicus, Catholicus professione, electione Præpositus asseritur ab Leuckfeldio, sed paulò post defectione proditoriâ ad Lutheri partes, instigante Sigismundo Archiepiscopo, Marchione Brandeburgensi, convolavit. Paucis annis dignitate & iniquitate suâ potitus est transfuga Lambertus, morte resecante dies malos hominis mali. In Capellâ S. Joannis sub conspicuo isthoc Epitaphio jacet sepultus.

LAMBERTUS VERNERUS Præpositus.

In Dei Gratiâ obiit anno MDLXIII.

Fato exempto Lamberto, Sigismundus Archiepiscopus universam Præposituræ substantiam suo addixit dominio, ibique sub Baillivi nomine

nomine œconomum instituit, expuncto penitùs Præpositura titulo. Partos violentiâ reditus fecere suos Administratores subsecuti, usque ad annum 1629.

Etenim triumphantibus Tillii armis, cùm prostrati fuissent superioribus annis Protestantes, exiit edictum à Cæsare Ferdinando, anno 1628. ut conformiter ad articulos *Pacis Passaviensis*, restituerentur monasteria illis Ordinibus, *quibus ab antea competebant*. In vim illius edicti, Præmonstratenses, oleum & curas impendente potissimum invictissimo Strahoviæ Abbate Questembergio, in possessionem Gratiæ-Dei subinducti sunt, anno 1629. & Præpositus ibidem constitutus est 13. Februarii ejusdem anni

XXVIII.

Deodatus *Mans*, Canonicus Steinfeldensis, qui Marense Parthenium cum priùs administraret, à Protestantibus, anno 1621. in Hollandiam captivus abductus, & refuso 100. Imperialium litro fuerat libertate donatus, Gratiæ monasterium penitùs desolatum invenit. Ambitus, antea rotundis fultus columnis, altaria omnia, quin & ipsum Ecclesiæ pavimentum avulsa erant, & usibus prophanis addicta. Superstes nihilominus extabat in angulo Ecclesiæ imago Crucifixi, rudi lateritio delineata, & similis artificii figura S. Victoris Martyris.

Instaurandæ autem Religioni, ac religiosis ædibus, & dilatandæ fidei totum incumbentem Deodatum, cum manipulo Fratrum, turbo Suecus ex improviso decoxit, anno 1631. Profugus ad Marense Parthenium evolavit Deodatus; dèin aliquantulam Dusseldorffii moram trahens, Floreffiam tandem appulit, ubi mœrore confectam clausit vitam 28. Decembris 1652.

Interea ad prophanas manus sacer locus devolvitur, & Joanni *Stahlman* Sueciæ Cancellario in prædam & mercedem traditus est. Magnum inde thesaurum, acclusum in lapideo tumulo, asportasse fabulantur. Militiæ Suecorum Dux *Bannier* Magdeburgum repetens, monasterium flammis donavit, eoque incendio insignis Ecclesia, & Conventûs plurimæ ædes conflagrarunt, quas Saxoniæ Dux Augustus ex parte reparavit, templo penitùs neglecto, cujus Sanctuarium ex parte subsistens post voracis flammæ vastationem, solo æquatum est anno 1695. In Capella S. Joannis ad fores monasterii, sacris Lutherano ritu operari consuevit Prædicans stipendiarius, reliquos autem proventus sibi adjudicavit Princeps, quanquam ad Provincialis Academiæ dotem segregandos judicaverint Provinciæ Status.

PATERNITAS.

Ex Gratiâ-Dei prodierunt S. Georgius in civitate Stadensi.
Arnstein, nunc Præmonstrati filia.
Litzcka, sive *Lætitia Dei*.

PASTORATUS.

Hondorp.
Calbeia; ambo ex donatione Conradi Archiepiscopi Magdeburgensis, anno 1268.
Otterslewe.
Haldeslewe, à Burchardo Archiepiscopo Magdeburgensi, anno 1300. simul concessi.
Schipiz, ex Burchardi Comitis Monsfeldiani largitione.
Cotten.
Vide Probat. à col DCXIIJ. ad col. DCXVIIJ.

GRIMBERGA.

Grimberga. Fil. Præmonstrati. Diœcesis Mechliniensis. Circaria Brabantiæ.

IN regiæ urbis Bruxellensis penè conspectu positum Grimbergæ oppidum, & cognominis Abbatia, nomen & originem acceperunt à potentibus Mechliniæ & Grimbergæ dynastis, quos patriâ linguâ *Berthout* nuncupatos, Lovaniæ Comitum propagines, aut Lotharingiæ Ducum surculos esse arbitrantur. *Nobilis Principis*, *Principis inclyti*, tituli, horum Diplomatibus præfixi, regiorum sanè natalium splendorem innuunt, quem ad tempora Caroli magni reductum, seculo 13. defecisse memorant in Gerardo Principe.

Walterus Berthoutiæ gentis, suo seculo celeberrimus inter Brabantiæ Proceres Princeps, nomen suum monumento pietatis consecrare volens posteritati, monasterium in Grimbergana sua arce exstruxit anno circiter 1110. Odone Cameracensi Episcopo approbante, illudque regularibus S. Augustini Canonicis, pleno transcripsit jure, una cùm dote possidendum. Ast proventuum tenuitas, quam minuebat in dies, incerto marte confligantis Walteri cum Lovaniæ Comitibus, decrescens fortuna, abire coëgit Canonicos, injuriam paupertatis exhorrentes. Mox subindè Nigros Monachos, Odonis accedente consensu, accersivit Walterus. Isti aliquantulos illic annos exegerunt, egestatis & persecutorum succedaneis agitati fluctibus; queis ne obruerentur, ultronea fuga sibi consulentes, discesserunt, Fundatore fatis tum functo. Gerardus & Arnoldus filii & hæredes Walteri, impatienter ferentes Ecclesiam, majorum suorum nobilitatam exuviis, jacere desolatam, & infestantium Tanchelmitarum hæresi suam esse infectam ditionem, protinùs ad Norberti tute-

lam præsidiumque confugerunt; Alvericum quem fratrem utrique germanum suspicatur Sanderus, Magdeburgum ablegant, pro impetranda Præmonstratensium colonia, oratorem. Promptum ad omne opus Dei, Norbertum movet precibus, & alienæ salutis desiderio flagrantem, succendit igne charitatis, statimque ad votum Alverici Præmonstrato accivit Humbertum, virum apostolicis virtutibus insignem, cui collegas hinc inde ex Saxoniæ monasteriis selectos, aggregavit. Tanto Duce Grimbergam repetit Alvericus; & adventantes colonos, humaniter suscipit Lietardus Odonis successor; in possessionem cœnobii immittunt filii Fundatoris, novæ Religionis novos accolas, qui paupertatem Ecclesiæ æquanimiter sustinentes, verbo prædicationis potenter instituerunt. Fœdam Tanchelmi hæresim, ejusque reliquias è finibus Grimberganæ dictionis propulsarunt, & tepescentem excitavere religionem.

I.

Restitutam felicitatem & fidem Patriæ, Apostolicis HUMBERTI laboribus, secuta est effusa in operarios, Fundatorum liberalitas. Accessit & benefactorum æmula largitio; sicque per gratuita laïcorum dona, crevit fundis, crevit & Canonicorum numero tenuis Grimberga. Advolarunt & Virgines ad sponsi amorem, aut ad pœnitentiæ jugum inardescentes, quas pro more Ordinis tunc invalescente, contiguis acclusit domiciliis imbuendas regulari disciplina & votorum solemnitate Christo postmodùm mancipatas. Per annos viginti excultam observantiis, virtutibus, doctrinâ, Grimbergam cum vitâ dimisit Humbertus 9. Kal. Maii 1148.

II.

THEODORICUS itidem Præmonstrato submissus, à Nicolao Cameracensi episcopo accepit altare de *Amelgem*, ad quod Laicos fratres destinavit, rusticanæ œconomiæ deputatos, & sub regimine sacerdotis viventes. Anno 1154. quinto Kal. Septembris obiit Theodoricus, cujus gesta sicut & successorum illius, furens Iconoclastarum turbo absumpsit.

III.

EGBERTUS, anno 1179. pridie Nonas Februarii denatus, in Sanctuario medius inter suos prædecessores conditur; in sepulchrali lapide hanc ostentans inscriptionem. *Egbertus primus Ecclesiæ Grimbergensis Abbas.* Quem prioritatis titulum præfert, si conjecturis locus sit, quod è gremio Ecclesiæ assumptus, non ab aliis Ecclesiis fuerit expetitus, antecessorum instar; quos tamen Abbatis nomine & inauguratione insignitos fuisse testantur Diplomata.

IV.

SYMON ex inscriptione tumuli, hunc ei ordinem assignat, antiquitatum Grimbergæ sagax investigator D. de Spira. Annum mortis ejus in sera nimis tempora protelavit *Gramaye*, inter medios, epochæ licet incertæ, intertexuit Sanderus.

V.

JOANNEM ascriptum Necrologiis pridie Kal. Maii, &

VI.

JOANNEM DE *MERCHTEN* ad 3. Kal. Januarii Dypticis insertum.

VII.

HESCELO, non anno 1222. Prælaturam adiit, ut placet *Gramaye*, sed anno saltem 1218. sicùt palam est ex fœdere fraternitatis, quod hoc anno pepigit cùm Henrico Abbate Furnensi.

VIII.

GUILLELMUS, anno 1229. è vivis ablatus 8. Kal. Decembris, ante gradus Sanctuarii deponitur.

IX.

FRANCO 6. Maii 1244. defunctus, sub Campanili terræ mandatus est.

X.

VALTERUS DE *ROBSBECKE*, 8. Idus Augusti desiit.

XI.

GOSVINUS vivebat anno 1260. quo tempore Sanctimoniales in *Novum-Sartum* pridem translatas, passus est emori, & extingui Parthenium.

XII.

WALTERUS DE *GAELMONT* Canonicus Grimbergensis, ex Diligemensi prælatura, ad propriam postulatus Ecclesiam rediit: sed pristinæ sedis piè memor, fraternitatem novo sanxit fœdere cum illa, anno 1273. Protectorium & confirmativum Diploma impetravit à Joanne Duce Lotharingiæ & Brabantiæ qui & Abbatem *diligebat*, & Conventum *favore* prosequebatur, anno 1284. De regiminis prudenti œconomiâ laudatus interiit Walterus, anno 1303. pridiè Kal. Octobris.

XIII.

ANSELMUS pridiè Kal. Februarii 1314. obiit.

XIV.

JOANNES DE *PODDEGEM*, 8. Kal. Martii anno 1320. appositus est ad patres.

XV.

GERARDUS DE *ISKA*, 15. Kal. Novembris 1337. decessit.

XVI.

WALTERUS DE LA MARCK, ſive de Marca 7. Idus Februarii 1354. moritur, ex ſanguinis nobilitate clarus, virtute nihilominus clarior extitit.

XVII.

GODEFRIDUS DE VOS, Bruxellenſis, anno 1369. primùs Bruxellis ſolemni proceſſione, Clero totius civitatis, Duce Venceſlao, & innumerâ hominum multitudine comitantibus, intulit in Eccleſiam Divæ Gudulæ, ex templo Beatæ Virginis de Capella, ſacratiſſimas Hoſtias recenter Judæorum indigniſſimè contrectatas manibus, unde miraculoſi Sacramenti Solemnitas exordium habuit.

XVIII.

JOANNES VAN-HOVE, anno 1392. occubuit 18. Kal. Octobris.

XIX.

ÆGIDIUS DE PAPE, Brugenſis, 17. Kal. Auguſti 1396. inter mortuos deputatus eſt.

XX.

RADULPHUS DE BUTSINGHEN, anno 1397. obiit.

XXI.

BALDUINUS DE PRIEKERE poſt triennale miniſterium dignitatem exuit anno 1405.

XXII.

ÆGIDIUS DE BOUCKHAUT, ex nobili proſapia ſatus, anno 1416. fatò conſumptus eſt.

XXIII.

CORNLEIUS DE KEMPENAER, Bruxellenſis, ampliſſimis ædibus, Lovanii, Mechliniæ & Bruxellis pretio comparatis, Grimbergam auxit. Pro immunitatibus Eccleſiæ in Concilio Baſileenſi decertavit ſtrenuè, & violentos ſecularium auſus Eugeniano feriit anathemate. P. Joannem *Thonis* quem ſibi junxerat comitem Baſileenſis itineris, Eugenio IV. poſtulanti, & doctrinam in conſeſſibus Patrum miranti, conceſſit in Capellanum. 18. Kal. Julii 1446. Cornelius mortalem vitam exuit.

XXIV.

JOANNES VRANT Bruxellenſis, Chorum D. Virginis aliaque excitavit ædificia; majora meditantem mors peremit 6. Nonas Maii 1465.

XXV.

JOANNES DE MECHLINIA, anno 1474. ceſſit regimini.

XXVI.

JOANNES SCEERS, anno 1477. æternam adiit quietem.

XXVII.

MARCUS DE LA PLACE ſuam Abbatiam, S. Michaelis & Tongerloæ, quibus Commendatarii ſeculares inhiabant, in tuto poſuit, Mariæ Duciſſæ, ſed præſertim Maximiliani Cæſaris Diplomate pruritum compeſcente ambitioſæ cupiditatis. Furnenſem filialem Eccleſiam viſitare volens, iter dùm arripit, Brugis morbo contagioſo correptus, & Mechliniam reverſus, illic ſiſtitur; ibique diem clauſit extremum pridie Kal. Septembris 1489. in ædibus refugii Grimbergenſis.

XXVIII.

ARNOLDUS PERSOONS, Mechlinienſis, poſt decurſum adminiſtrationis providæ ſtadium, annis gravatus, dignitatem abdicavit anno 1506.

XXIX.

PETRUS DE VUAYENBERGE nutantem diſciplinam, & in multis labefactatam inſtaurare à limine poſſeſſionis deſiderans, è Saxoniâ aliquot Religioſos zelo diſciplinæ regularis flagrantes, evocavit, quorum opera negotium reformationis auſpicatus, feliciter abſolvit, & in viros ſanctitate & doctrinâ florentes, ſuos transformavit aſcetas; quos inter maximè inclaruit P. Daniel de *Campenhout*, Grimbergæ Prior, miraculorum gratiâ, etiam vivens, ſpectabilis. Uſum Pontificalium anno 1524. obtinuit Petrus Abbas. Eccleſiam, Bibliothecam, domum ornavit, inſtruxit, & 7. die Novembris 1540. vita exutus, ſepelitur in Choro Divæ Virginis.

XXX.

FRANCISCUS DE BLIOUL, Bruxellenſis, Prælaturam vix adiit, cum ſumptuoſis operibus, maximè verò omnigenæ eruditionis voluminibus comparandis, ſe totum impendit; ardua cogitantem & facientem, tertio regiminis anno, mors attrivit ipſo Nativitais Chriſti die 1543.

XXXI.

NICOLAUS DE SPIRA, Bruxellenſis, domeſticis & publicis patriæ negotiis perinde gerendis idoneus, magnam domi & foris laudem ſibi peperit. In ampliſſimo Statuum congreſſu Deputati ordinarii munia, ad reipublicæ ſalutem, per multos annos obiit, conſiliorum ſagacitate commendatiſſimus Antiſtes. Cameracenſi Concilio, quod Maximilianus Cameracenſis archipræſul primus indixerat anno 1565. interfuit Nicolaus Abbas, ſui deinde monaſterii Annales, ſuique temporis hiſtoriam ſcripſit. Tom XV. Concil. col. 239. Scribentem interturbavit irrumpens Iconoclaſtarum impetus. A cujus facie, unà cum ſuo Conventu Bruxellas confugit 1566. tempeſtatem, vaſtationemque ſuæ Abbatiæ plorans amarè, licet ante ab eo pravi-

sam, dum nempè solemni pompâ sacras Hostias à Judæis, ut diximus, manu sacrilegâ attrectatas, deferret; easdem enim videns sanguine madentes, velut augurando, ingens imminere Belgio infortunium vaticinatus est. Remisso compressoque bacchantium furore, ad sua reversus, cladem magno animo, magnis etsi excruciatus morbis, resarcire adlaboravit. Confectus tandem podagrâ voraci & superveniente catharro enectus, dormivit in Domino 6. Idus Julii 1568.

XXXII.

GERARDUS *DE CAMPENHOUT*, Grimbergensis, turbulentissimis patriæ temporibus, clavum tenuit, & viriliter rexit Ecclesiam. Sacram suppellectilem, eamque pretiossimam, ut latrocinantium cupiditati subduceret, Teneramundam transvehi curavit; sed fortuitò in hæreticorum insidiantium dilapsa cohortem, direptioni tota cessit & prædæ. Obiit 20. Aprilis 1577. Gerardus.

XXXIII.

ANTONIUS *VAN OYENBRUGGHE*, Bruxellensis, morum probitate, non minùs quàm avito natalium splendore conspicuus, Bruxellis exul, exulem secum fovere gregem non destitit, monasterio flammis penitus absumpto. Finem exilio imposuit apoplecticus catharrus 13. Februarii 1594.

XXXIV.

PHILIPPUS *VAN KAUBERGEN*, Mechliniensis, propitiante Deo & meliore astro affulgente Belgis, cœpit diruta monasterii utcunque reparare ædificia, & Ecclesiam excitare, æquatam solo. Tum ex Bruxellensi exilio gregem ante se Pastor agens reduxit. Supra fidem est, quod fecit ad cultûs honorem, ad Religionis decus, ad cœnobii ornamentum, vir alioqui indefessus verbi divini præco & reipubliæ administrator sagax, dum Ordinum Brabantiæ Deputati ordinarii obivit munus; velut alterum Grimbergæ fundatorem suspexere posteri. Immortalitate dignum, mors avulsit anno 1613.

XXXV.

CHRISTOPHORUS *OUTERIUS*, Trudonopolitanus, Abbas modestus & frugi, mortificationis & pœnitentiæ austerus assecla, ciliciis carnem assiduè domans, & flagellis frequentibus cruentans corpus suum, norma exstitit vivendi cæteris, quos verbo regebat. Campestres Ecclesias, & prædia marte diruta, restauravit, sedulus pastor; quem gregi intentum & prælucentem enecavit pœnitentia sacerdos 12. Septembris 1647. mortui funus hoc Epitaphio ornavit successor.

D. O. M.

Admodum R^dus^. Pater & Amplissimus Dominus CHRISTOPHORUS OUTERIUS, hujus Ecclesiæ Abbas;

QUI.

Ut vetus Religiosus vixit; ut servus fidelis profuit; ut bonus Pastor xxxv. præfuit, ut senex & Jubilarius Christi miles, vitæ stationem deseruit 12. Septembris, anni MDCXLVII.

Coronam percepturus æternam. Sic tu de illo, Viator, spera eique apprecare.

XXXVI.

CAROLUS *FERNANDEZ DE VELASCO*, origine Bruxellensis, genere Hispanus & primæ Nobilitatis natalibus illustris, ex Pastore & Canonico Grimbergensi electus Abbas, domum nobilitavit ædificiis, Ecclesiam suâ supellectile olim spoliatam, multiplici & sumptuoso paramentorum vasorumque argenteorum genere ornavit. Consanguineorum ope, Corpora sanctissimorum Vitalis, Valerii & Fortuniæ ab Ecclesia Romana impetravit, eademque anno 1655. sumptuoso apparatu thecis acclusa in majori deposuit altari publicæ venerationi prostantia; Vicarius generalis Hispaniarum renuntiatus, regularem disciplinam & studia, mirabili cum fructu, commendavit promovitque. Obiit Bruxellis 13. Octobris 1665. ætatis suæ anno 69.

XXXVII.

JUDOCUS *VANDER ELST*, Grimbergensis primùm Pastor, exindè Grimbergensis Abbas, biennio suis præfuit, atque profuit Canonicis, vir antiqui candoris, hospitalitatisque effusæ. Fato fungitur 21. Februarii 1670. ætatis 71.

XXXVIII.

LAURENTIUS *BOGAERTS*, Flander, ex Provisore Abbas. Luctuosis belli temporibus prudentissimè rexit; in adversis constans, in prosperis semper sibi æqualis; rei temporariæ, spirituali haud neglectâ, cum per annos 22. fervens insudasset, duplicatum de labore talentum supremo oblaturus Judici, è vivis excessit 14. Januarii 1692. ætatis 72.

XXXIX.

JUDOCUS *BASSERII* Bruxellensis; ex Pastore Ophemensi assumptus ad infulas, Brabantinorum atque Frisonum applausu, quorum judicio Vicarius generalis salutatus est. Obiit Bruxellis 8. Maii 1698. ætatis. 65.

XL.

HERMANNUS *DE MUNCK*, Mechliniensis. S. Theologiæ Professor, Supprior, Novitiorum Magister, inde Pastor, demum Grimbergensi mitrâ redimitus, pietate refulsit. An 1705. 2°. Aprilis, transactione inita cum Abbate Trunchiniensi, ejusque Conventu, jus Paternitatis in Moniales de *Tuschinbeca* acquisivit Grimbergæ; transactionem uti *piam & necessa-*

riam laudavit, probavitque D. Generalis. Hembecæ monialium Superior effectus Hermannus, singulari zelo inibi disciplinæ regulari intendit, subvenitque eidem in omnibus charitate profusâ. Obiit Grimbergæ 6. Decembris, an. 1712. ætatis 69.

Vacavit Prælatura annis quatuor.

XLI.

AUGUSTINUS *VAN-ECKHOUT*, Bruxellensis, Magister Novitiorum, S. T. Lector, Supprior & Prior; deinde Pastor in *Wemmel*, & Archipresbyter annis octo, ad Grimberganam infulam anno 1716. assumptus, die 3°. anni sequentis inauguratur. Anno 1725. electioni D. Matthei *Van-Capple* in Abbatem S. Nicolai oppidi Furnensis, præfuit tanquam Pater Abbas; anno eodem constitutus est Visitator Apostolicus Abbatiæ Aureæ-Vallis, O. C. in Archidiœcesi Mechliniensi nunc judex Synodalis, Statuum Brabantiæ ordinarius Assessor, Reipublicæ, Ecclesiæ, & Ordini perindè utilis, quinquaginta quinque Canonicis præest emeritus Abbas.

PATERNITAS.

Novum fartum, sive *Nieuwenrode* in Parœciâ de *Meys* unius circiter horæ spatio dissitum à Grimbergâ Parthenium, sub Gosvino Abbate, anno 1260. esse desiit.

Tuschenbeca.

PASTORATUS
Omnes in Diœcesi Mechliniensi.

Grimberg, cum appendice de castro S. Salvatoris juxta Wilvordiam.
Wemmele, cum appendice de *Releghem.*
Meys cum appendice de *Rode.*
Strombek.
Ramsdonck.
Berghem.
Ruysbroeck.
Cerskam.
Ophem Vicariatus.

MONUMENTA
Sepulchralia.

Extant duæ antiqui operis Dynastarum quondam Grimbergensium sepulchrales tumbæ, in quarum altera sculptæ visuntur tres imagines superpositæ, matris ad dextram, filii in medio, & ad sinistram patris, supinè recumbentium. Hoc Berthoutiæ prosapiæ expirantis postremum esse monumentum autumant, exhibens Arnoldum, Adelaidem ejus sponsam & utriusque filium impuberem, quorum primus anno 1229 interiit, & cum ipso Berthoutiorum mascula proles.

In Choro S. Norberti eminet altera tumba virum repræsentans cataphractum, stemma gentilitium familiæ de Aa, tum Grimbergana ditione potientis, gestantem. Walterus ille est de Aa, Grimbergensis dynastiæ hæres in vim matrimonii, quod cum Oda filia Arnoldi Berthoutii contraxit, ex qua Leonium patrem Gerardi suscepit. Extat & in Canonicorum Choro mausolæum Joannis Leslæi episcopi Rossensis.

D. O. M.

JOANNES LE LÆUS episcopus Rossensis, Scotus, ex illustri familiâ Leslæorum, omni scientiarum genere cultissimus, Orator ad Regem Galliæ Franciscum II. Consiliarius Mariæ, gloriosæ memoriæ, Scotorum Reginæ; Catholicæ Religionis constantissimus propugnator, post immensos pro avita fide labores, præsertim in Regno Scotiæ restituenda, post defensam in Anglia Mariam Scotiæ Reginam, post varia, summa cum laude gesta, tranquillissimè excessit Bruxellæ pridie Kal. Junii anno 1596. ætatis suæ 70. Avunculo grato, ne superesset ingratus Joannes Leslæus nepos, hæres mœstus posuit.

Hæc & alia monumenta in veteri templo extiterunt. In recentiori quod Cardinalis le Bossut Mechliniensis archiepiscopus consecravit 8. Julii 1725. hodiè in Choro prostant monumenta Abbatum & Principis de *Berghes* Comitis de *Romré*; nec præterire decet P. Gasparis Epitaphium non affixum parieti, sed appensum ædibus paternis Auberti Miræi Canonici & Scholastici Antuerpiensis, subtus effigiem lepidè appictam Gasparis Scrureii.

D. O. M.

Quis sim, si nescis, Lector, breviter dicam.

GASPAR SCRUREIUS est nomen mihi; patriâ sum Mechliniensis, professione Religiosus Grimbergensis, nec mireris me qui candido Præmonstratensium Ordini, nigro, laicoque habitu palliatum. Temporum calamitas ac necessitas fecit anno 1581. Calvinianis res sacras & civiles in Belgio turbantibus, ut si salvus apud Catholicos urbis hujus Bruxellensis cives, esse vellem, hoc isto vulgari habitu Clero insidiantes fallerem; sed nec fructu suo, piam hanc caruisse fallaciam, vel ipsa Dei Regique fida Miræorum familia testis est, quam annos ipsos amplius tres, in ista nocte temporum, sacris mysteriis frui, & divini verbi pabulo alui.

Tu quisquis hæc leges, disces in tumultu panico, utilem atque imprimis necessariam esse prudentiam.

Scrureius silens sapit.

In Necrologio Grimbergensi ad 5. Februarii habetur. Commemoratio D. Jacobi de *Berges*, ultimi Baronis Grimbergensis; monasterii benefactoris maximi, qui datis sum-

mi altaris peginate, cruce argenteâ, aliisque muneribus pretiosis, cælebs obiit 1633. ætatis suæ 78.

Vide Prob. à col. DCIX. ad col. DCXVij.

GRIPHEN.

Griphen. Fil. Stingadii. Diœcesis Salisburg. Circariæ Bavariæ.

ECkbertus Bambergensis Ecclesiæ Episcopus, Reginæ Hungariæ germanus Frater, teste Aventino, dum in Carinthiæ partibus, ob enatas inter ipsum & Bernardum Provinciæ Ducem, discordias, moratur, ex pietatis instinctu, monasterium in valle sat ampla, montibus vallata per circuitum, frugum feraci solo, alluentibus rivis è montium sinu manantibus lepidè irriguo, construxit, *Griphen* à vicino oppido* cui arx imminet, dictum, non à Fundatore, sed à proprio situ. Bambergensi subest dominio Griphensis Canonia, quamvis Salisburgensis jurisdictionem in spiritualibus agnoscat. A tenuibus principiis ortam anno 1236. Præposituram, sed accessione fundorum & fidelium largitionibus paulò pinguiorem, confirmavit Gregorius IX. anno 1238. Auxit deinde proventibus & speciali favore prosecutus est Bertholdus Bambergæ Antistes, prædecessoris æmulans pietatem. Quin, ut Griphensem *Plantatulam* (hoc enim nomine amico, illam in diplomate compellat) succrescere videret, fundationis honorem cum illustri Comite Willelmo ab *Haunenburch*, & Agnete ejus sponsa, augendo, dotandoque monasterio liberaliter & devota mente intentis, divisit, in quos totum potuisset transferre honorem, ut potè ædificiorum constructores, dotis quàm maximæ collatores munificentissimos, & in sero nepote Ulrico Comite de *Weisneck*, Fundatores redivivos. Hinc in tabulis Griphensibus primi tacentur authores, ut principem locum posterioribus, quos magis beneficos sensit Ecclesia, attribuant. Adde quod Bambergenses episcopos, à multis retro temporibus non ut parentes, sed ut austeros Dominos, metentes quæ non seminarunt, libertati electionum nocentes, Ordinis impetentes, calcantesve privilegia, secularium potestati subdentes omnia, experti sunt Griphenses Canonici non nihil respirantes sub moderno Principe de *Schonborn*, meliorem spondente sortem afflictæ Ecclesiæ.

** Sive Griwental.*

Vesceram Ivelendensis Circariæ cœnobium matrem ab origine habuit *Griphen*, ad Stingadium jus Paternitatis translatum est novissimis temporibus, illoque hactenùs potitur. Structuram domûs ad architectonices regulas exactam satis, erexit anno 1705. Præpositus Augustinus ordine quadragesimus sextus. Agmen omnium ducit

I.

CONRADUS è Vescerensi cœnobio in Franconia, evocatus, & 10. Februarii, magno suorum luctu, è vivis decessit anno 1240. Sequentium Præpositerum Indicem acceptum, in fide mittentis restituimus.

II.

BALDUINUS 1248.

III.

GODEFRIDUS 1251.

IV.

PILGRINUS cœptas monasterii ædes ob ingruentes in Carinthiam tumultus, perficere non potuit 1267.

V.

CONRADUS II. primo triennio absolvit ædificium, & Ecclesiam ab Herteordo episcopo Lavantino* anno 1270. consecrari curavit in honorem B. M. V. Regimen tribus lustris completum illustravit singulari prudentiâ & eruditione rarâ decoravit, 1277.

** S. Andreæ Episcopatus Carinthiæ.*

VI.

EBERHARDUS ab Udalrico & Agnete Comitibus de *Haimburg*, Parochiam Haimburgensem accepit, quam Martinus IV. suo Diplomate incorporavit monasterio, 1290.

VII.

JOANNES I. 1299.

VIII.

CONRADUS III. sub cujus ætate Leopoldus episcopus Bambergensis, munificos benefactores Griphenii Comites de *Haimburg*, Fundatorum adscripsit sillabo ad Conradi instantiam, qui anno 1305. vitam finivit.

IX.

MARQUARDUS spectabilis modestiæ & vitæ frugi Præpositus, obiit anno 1308.

X.

GODEFRIDUS II. immatura morte sublatus est anno 1312.

XI.

MARQUARDUS II. 1319.

XII.

FRIDERICUS, 1335.

XIII.

HENRICUS, 1335.

XIV.

BARTHOLDUS, 1338.

XV.

Petrus integritate & eruditione nobilis, bona atque jura Xenodochii *Villacensis* ad S. Catharinam, approbante Patriarcha Aquileiensi Bertrando, impetrat, 1345.

XVI.

Albertus è Vescerensi monasterio assumptus, egregiè pro Griphensi laborans, præcipiti morte eripitur anno 1349.

XVII.

Oswaldus vir zelosus Officium divinum cantu persolvendum, primus invexit in suam Ecclesiam, 1369.

XVIII.

Nicolaus, Udalrico & Margaretæ de *Weisenech*, Comitibus, qui sua cœnobio legarunt bona, & ultimis inclytæ prosapiæ surculis, parentavit, quos pari fato postmodùm secutus est Nicolaus, anno. 1387.

XIX.

Conradus IV. 1391.

XX.

Joannes II. 1399.

XXI.

Pilgrinus II. 1408.

XXII.

Achatinus, 1419.

XXIII.

Fridericus II. 1430.

XXIV.

Joannes III. 1463.

XXV.

Oswaldus II. 1490. obtinuit à Sixto IV. summo Pontifice jus Pontificalium anno 1475.

XXVI.

Joannes IV. 1501.

XXVII.

Andreas octavo suæ administrationis anno cessit, moritur verò anno 1534.

XXVIII.

Martinus I. 1516.

XXIX.

Henricus sexto ab electione mense, 1516.

XXX.

Georgius *Gribien* 1540.

XXXI.

Martinus *Amer* 1570.

XXXII.

Colnanus, 1572.

XXXIII.

Simon, 1579.

XXXIV.

Lucas, 1683.

XXXV.

Sebastianus *Wernerus* Cellæ-Superioris Canonicus tertio ab assumptione anno 1586.

XXXVI.

Martinus II. 1596.

XXXVII.

Martinus *Brenner*, 1599.

XXXVIII.

Philippus, è Cellensi monasterio postulatus resignavit. 1602.

XXXIX.

Georgius ex eadem Canonia assumptus, 1617.

XL.

Petrus, 1631.

XLI.

Balthazar, 1651.

XLII.

Norbertus *Cromer*, 1667.

XLIII.

Bartholomæus, 1670.

XLIV.

Rupertus præclarus œconomus 1696.

XLV.

Joannes *Karner*, 1704.

XLVI.

Augustinus cessit anno 1719. & adhuc sedes vacat dum hæc scribo * ob litem motam inter Ordinem & Archiepiscopum Moguntinum, super restitutione ejusdem resignantis, quam Archipræsul intendit, variisque prosequitur, sed lentis, artibus.

* 1721.

PASTORATUS.

In oppido *Griphen* cum quinque filialibus Ecclesiis, in quibus Præmonstratenses resident. Paucis abhinc annis oppidanæ parochiæ adjecit

beneficium Comes à *Dietrichstain* unde Pastor residere & vivere posset. In eadem Ecclesia sepulturam sibi elegit optimus benefactor.

Weizenecq.

Haimburg à Comite Ulrico fundata.

Krailschah.

S. Petrus in *Peran* cui annexum est beneficium S. Catharinæ, quod quondam Hospitale fuit collatum Griphensibus Canonicis à Bertholdo episcopo Bambergensi, pro tunc tam miserum, ut ipse Bertholdus in instrumento donationis asserat in tantùm esse oppressum & distractum, ut si non venisset ad tam discretas personas, ornatas observantiâ regularis disciplinæ, & vitâ approbabili ac illustratas scientiis, reductum fore in nihilum & extinctum. Ex hac parochia titulum & jura Archidiaconi obtinet Præpositus Griphensis in diœcesi Aquileensi, in cujus territorio consistit, cæteræ in Salisburgensi.

Vide Probat. à col. DCXVIJ. ad col. DCXX.

GROBE.

Grobe Fil S. Mariæ Magdeb. Diœcesis. Camin. Circar. Saxoniæ.

TRaductis ad Evangelicæ veritatis lumen citerioris Pomeraniæ populis, eorumque ducibus Werslao & Ratiboro anno 1124. regenerationis lavacro mundatis, ut sanctum opus optatum sortiretur incrementum, autor fuit magnus Otho, Bambergensis episcopus, & illarum gentium Apostolus, Episcopalis Cathedræ in iis partibus erigendæ. Annuit sui Baptistæ voto Werslaus, & Adalbertum Othonis Capellanum, itineris comitem, & in Pomeranorum conversione coadjutorem fidelissimum, primum Julini Episcopum jussit ordinari. In episcopali Sede confirmatus Adelbertus, illicò de adsciscendis sibi zelosis divini verbi præconibus meditari cœpit. Nec mora, spartam hanc suscepit in se Ratiborus, qui ut juges pro salute Fratris Werslai, nuper occisi (*a*) preces Altissimo curaret offerri, cœnobium *Stolpe* dictum (*b*) extruxit, & D. Benedicti Religiosis addixit. Aliud insuper obtinuit ab eodem Principe fundari, secùs Episcopii muros, *Grobe* (*c*) vulgò nuncupatum, & Præmonstratensium catervam, cui Præpositus destinatus est Sibrandus, ex S. Mariæ Magdeburgensis monasterio eductam, ibidem implantavit, ut *operarios in verbo Domini* suis procuraret. (*d*)

Duo hæc antiquissima Pomeraniæ monasteria, Ratibori, & Pribislavæ (*e*) conjugis monumenta, omnes illius gentis episcopos ex suis fuderunt alveis, (*d*) & enatæ religionis latiùs per prædicatores semina sparserunt. Cœnobii pacificos ab annis pluribus possessores, & dotis à Fundatore collatæ patientes Canonicos suo Diplomate munivit Præsul Adelbertus, anno 1159, vitâ jam perfuncto Ratiboro & Bugislao Ducatum regente.

Ab anno 1151. primarium illius monasterii templum sacraverat Adelbertus, adstante Ratiboro, & Boleslao Poloniæ Duce, cum præcipuis ex Pomeranorum nobilitate; juxta versus istos lapidi sculptos, & ad Usnamensis delubri Chorum postea translatos.

MC vice* quarto, tunc Ratiborum pius Otho *Id est vicesimo.
Cum patre baptizat: post Ratiborus *Grobe* fundat:
Sacrat Adelbertus, primus Præsul Caminensis. (*e*)

Cùm verò ad Oderæ littora positum monasterium, æstuantis maris fluctibus impetitum, majori ex parte concidisset, Bugislaus I. *Usnamiam*, in montem S. Mariæ, de *Clossemberg* dictum, transtulit, & melioribus dotavit proventibus. Hanc migrationem non anno 1188. ut placet Pomeraniæ Annalistis, sed anno 1170. accidisse testantur sequentes versiculi, saxo inscripti.

MCL vice* constructa est ista Capella, *Id est vicesimo.
Cum *Grobe* cœnobium à Ratiboro olim Duce structum,
Uznam translatum, hinc penitùs fuit annihilatum.
Huc accedentes Christus faciat jubilantes.

Necdum fuit hæc ultima Præmonstratensium statio: ad *Pudiglavense* siquidem cœnobium, suo situ commodius, transierunt: & ex ista multiplici locorum mutatione, varium in Sillabis monasteriorum nomen obtinuit; modo *Uzniam*, *Husnam*, nunc *Grobe*, denique *Podeglo*, & *Padegla*, *Vodeglo*, & *Bodegloc* vocitatum est.

Proscripto è Pomeraniæ finibus cultu catholico, anno 1534. à monasteriorum invasione bellum auspicata est Lutheri secta, & in celeberrimam Pudiglavensem Abbatiam effra-

(*a*) Idololatræ Vandalorum Sacrificuli, dolentes idolorum quæstum in Pomerania, Werslao potissimum agente, sibi præreptum, conductâ Sicarii manu peremerunt eum ad *Peaim* fluvium, in loco qui dicitur *Stolpe*, Vandalico idiomate *Stolpan*. *Helmold. Chron. Slav.* l. II. Cap. iv. apud *Leibnit.* Tom. II. *Script. Brunsw.* 622. & *Hist. Episc. Camin.* Tom Script Rer Germ. *Ludwig.* 534.

(*b*) Helmoldus loco citato. Stolpensis cœnobii fundationem Werslai filiis adjudicat: cui contradicunt *Kantzou*, *Klemtz*, *Cramer*, & alii Pomeranorum Annalistæ, confirmationem illius, & augmentum dotis duntaxat Bugislao tribuentes.

(*c*) Hist. *Episcop. Camin.* Script. Rer. Germ. *Ludwig.* Tom. II. 534. 576.

(*d*) Ibid. 577.

(*e*) Erat Pribislava Boleslai III. Poloniæ Ducis filia. Ibid. 576.

(*f*) Ibid. 577

(*g*) Adelbertus hic dicitur Episcopus Caminensis ex post facto: quia nimirum Woldimarus, Poloniæ Dux, Julinum cùm devastasset, Cunradus Adelberti successor populo suasit, ut incensâ urbe, secum *Caminum* contenderent, ubi tanquam ad tutiorem, & ab hostibus remotiorem locum Episcopalis sedes translata est. *Crantz.* l. III. *Vandal.* cap. 29.

nis

nis libido, non tam Religionis perdendæ, quàm surripiendæ dotis cupidine acta, insiliit. Rem aliter narrat P. *Wvia* author *Historia Episcopatûs Caminensis*: (*f*) ut invidiam avertat à Lutheri asseclis, totius innovationis causam in Religiosos refundit Abbates. » Hoc » primum, inquit, reformatæ Religionis prin- » cipium erat in Pomerania, non à Ducibus, » sed ipsis Religiosis Abbatibus, atque Mona- » chis cœptum; adeo ut illustrissimis Principi- » bus occasionem darent, & viam quasi osten- » derent occupandi monasteria. Cùm enim Lu- » therus de votis monasticis nervose scripsis- » set, multi boni viri, & sacræ virgines statum » suum, adeò divinis Christianorum institutis » discrepantem, odio habuerunt, & sponte cu- » cullas abjecerunt. Ita monasteria deserta sunt, » inquit *Peucer*. l. v. *Chron*. « Sic ad patrocinium erroris erraticus author loquitur.

Vide Probat. à col. DCXXJ. ad col. DCXXIJ.

GUEMEROD.

Guemerod. Fil. Præmonstr. Diœcesis Herbipol. Circariæ Wvildiæ.

GUemerod, aliàs *Gemeracids*, Præpositura Nobilium Virginum in ultimis Hassiæ finibus, ab Hassiæ Lantgraviis fundata, primas ex Altenberga Sanctimoniales, instituti propagatrices & incolas, obtinuit, sed à primævo fervore degeneres, in eam vivendi licentiam proruperant, ut Joannes Nassovii Katzenellbogensis Comes, ad Capitulum provinciæ Vestphaliæ anni 1495. expostulationem fecerit de liberiori vita Canonissarum, rogaveritque Patres, ut medicam manum invalescenti morbo citiùs apponerent. Salutari monito Principis excitati proceres, P. Joannem de *Deuren* Abbatem Steinfeldiæ, alti animi & generosi cordis Prælatum, delegarunt ad id operis ardui tentandum & prosequendum viriliter. Provinciam in se suscepit Abbas, & anno 1496. visitationem instituit in Guemerodio. Ad Statutorum observantiam revocavit aberrantes, abusus falce reformationis resecuit, atque ut stabilitati disciplinæ consuleret, tres ex Parthenone Fussnichensi Sanctimoniales accersivit pietate insignes, quæ verbo & exemplo erudirent Guemerodii Canonissas, & in regularum exercitio continerent. Revixit illicò fervor spiritûs, & Virgines assuetæ liberioris vitæ lenociniis, ad severiorem conversæ sunt. Moriuntur anno 1503. Fussnichio eductæ Sanctimoniales, timet Hermannus de Hassia Coloniensis antistes, ne illarum interitu reformatio intereat, statim ut paternæ pietatis hæres, stabilimento Religionis providens, submonet Steinfeldensem Abbatem ut quàmprimùm renasciturо haud dubiè malo obviet, aliasque transmittat moniales, quæ in obsequio Dei & observantia confirment neophytas. Paruit Abbas Steinfeldiæ, evocatosque ociùs ex Wenaugia Canonissas induxit in Guemerodium. Stetit viguitque morum candor, perseveravit disciplinæ zelus, usque dum Hassiæ Comites religionis suorum patrum deserentes professionem, sancta conculcarunt, & antiqua fidei prostravere monumenta. Funestum hoc Ecclesiæ bellum primus intulit Philippus Comes qui Lutheri doctrinæ blandienti ut primùm nomen dedit, ad magistri nutum sæviit in sacras ædes.

GUMMERSHEIM.

Gummersheim Filia Arnstenii Diœcesis Moguntina. Circariæ Vadegotia.

Sacræ Antiq. Monum. Tom. 2. p. 498

LUdovicus Arnstenii Comes, Religionis Præmonstratanæ propagator indefessus, postquam Abbatias binas, Parthenones totidem Ordini peperisset, tertium juxta Odernheimii oppidum sub nomine *Gummersheim*, instituit, teste anonimo vitæ B. Comitis scriptore; » Post circulum dierum istorum, inquit, (hoc est anno 1146.) quia diligentibus Deum » omnia cooperantur in bonum, in Mogun- » tina diœcesi apud *Odernheim*, ministeriales » B. Stephani Metensis Ecclesiæ, domos, agros » & prata in villa *Gumersheim* in laudem Dei » pro remissione peccatorum sæpiùs dicto Co- » miti, votis liberalibus obtulerunt, eò quod » frequenter apud ipsos ad allodium suum *Bu- » benheim*, transitum faciens, famâ celebris & » conversatione dignissimus haberetur. Ipse ve- » rò habita ipsorum circa Deum reveren- » tia non abusus, ibidem super Gellam » fluviolum, in honorem Dei Genitricis & » B. Joannis Evangelistæ Oratorium constru- » xit, Sanctimonialibus adunatis. Locum au- » tem eundem ab omni Advocato seculari & » omni jure parochiæ in *Odernheim*, præter » decimam quam Dominis Metensibus solvere » tenetur, qui hoc opusculum legent sciat pe- » nitùs emancipatum.

Parthenonem hunc in Palatinatu superiori constitutum, Ordini Præmonstratensi à Fundatore dedicatum, per quatuor seculorum spatia Ordinis legibus & ritibus addictum, miror ab annalista Moguntinensi mancipatum à suis incunabulis Cisterciensium regulæ, & anno 1644. adunatum *Marien-Munster* ejusdem schematis cœnobio Vormatiensi. Prorsùs fefellit authorem rerum antiquarum non satis explorata cognitio; ignoravit tabulas Arnstenii, syllabos veteres & modernos monasterio- *Tom. I. p. 945.*

(*f*) Script. Rer. Germ. *Ludwig*. 638.

rum Ordinis Præmonstratensis, nescivit ab anno 1574. à vorace hæretico substractum Ordini & Religioni Parthenonem, dumque anno 1647. Joannes *Sternenberg* Suffraganeus Monasteriensis & Sanctensis Præpositus, Ecclesiæ statum in partibus Cliviæ, & Palatinatûs delinearet, *Gummersheim* Præmonstratense patrimonium primitùs fuisse fatetur, formam ædificiorum pro tunc extantium, chorographicè sic pingens.

» Forma ædificiorum, ibidem hoc tempo» re talis est. Imprimis domus recreationis pro » secularibus, pulchras habens mansiones, cœ» nacula & cellas, à Duce Palatino, non ante » multos annos ibidem de novo extructa. Tem» plum monasterii adhuc integrum bene te» ctum, sine campanis & ullo altari, aliquibus » parietibus & interstitiis divisum. Cœmete» rium, Refectorium cæteraque hominibus, » jumentis & rusticis instrumentis necessaria » ædificia, adhuc integra, aliquo modo, in ali» quibus neglecta quæ tamen omnia de facili » sunt reparanda.

» Molendinum ibi proprium & piscina; » hortus amplus intra monasterium muris in» tegris circumcinctus.

» Quoad monasterium ante annos circiter » septuaginta, cum in Palatinatu Calvinismus » inductus est, Ordini Præm. substrahitur, nul» læ ibi Claustrales à multis annis fuerunt, nec » aliquod Religionis exercitium, sed est ibi Cu» rator qui de monasterii proventibus in *Creu*» *zenach* in Religione præsidenti, suæ admini» strationis quotannis rationem sive compu» tum exhibet, qui fatetur monasterium ha» bere annuè sexcenta maldera siliginis, men» suræ Moguntinensis, exceptis avenâ, hor» deo, tritico, fabis, pisiis & aliis æstivalibus » frumentis. Item est adjacens monasterio la» tus campus qui sex equis colitur. Similiter » prata & vineæ propriæ. In pecuniis annuis » habet circiter 245. florenos. Situs loci satis » commodus & amœnus, dignus in quo tale » monasterium reparetur ab Ordine recupera» tum. In medio Refectorii videtur adhuc in » lapide incisa nobilis Sanctimonialis, ni fallor » *Kettgen* appellata.

Ita Sternenbergius: & ita omnis abigitur scrupulus de existentia Ordinis Præmonstratensis in hoc cœnobio; quod regebat anno 1271. Algendis Magistra, & anno 1495. Apollonia *Keslerin* de *Sarmsheim*, ut liquet ex Chartis, quas vidisse se testatur epistolâ ad nos missâ Vir. Cl. Jo. Frid. Schannatus. Eodem anno 1495. illius Parthenonis Provisorem agebat Adamus de *Montabour*, Abbas in *Arnstein*, uti monet idem Schannatus.

GUVENS.

Guvens. Filius Parthenensis. Diœcesis Leodiensis Circaria Brabantiæ.

HUjus Parthenonis mentionem faciunt cum Layruëlio Indices mss. frustra illum in scriptoribus historiæ Leodiensis Chappæavillo & Fisen requisivimus. Nec aliunde quidquam superest dicendum.

HABELEBURGUM.

Habeleburgum. Fil. Ilbenstadii. Diœcesis Moguntinæ. Circaria Vadegotia. T. 2. p. 527

HUjus monasterii meminerunt Indices mss. ipsum asluit Monasteriologiæ suæ Pagius, expunxit Layruelius, & nuperus historiæ Moguntinensis conditor illud præterfit nisi sub interpolato nomine de *Habecheburne* voluerit designare, *Habelburgum*. Fundatorem habuit Hartardum de *Merenberg* anno 1210. coram Siffrido II. Archipræsule Moguntinensi contendentem cum Collegio S. Stephani, de jure patronatûs Ecclesiæ *Eblizdorff*, quam Præposituræ Habecheburnensi à se fundatæ transcripserat.

HACBORN.

HUnc Parthenonem nobis planè ignotum, in nullo Indice conspicuum, retexit his diebus, & in sua *præliminari dissertatione de notitia Monasteriorum & Ecclesiarum Hassiæ veterum* recensuit Christophorus Fridericus Ayrmannus. Nomen & institutum hujus cœnobii tangit tantùm, ampliorem hujus & aliorum Hassiæ monasteriorum notitiam spondens, quam expectamus avidè.

HAGNEBY.

Hagneby. Fil. Præmonstrati. Diœcesis Lincolnensis. Circaria Angliæ Meridianæ.

AGnes de *Orreby*, S. Thomæ Cantuariensi Archiepiscopo religiosè devota, Ecclesiam in ejus honorem, & in proprio fundo rusticani prædii ædificavit, illicque Canonicos è Præmonstrato accersitos sub præfectura posuit Abbatis, Henrico II. tùm re-

gnante in Anglia, à cruenta nece Beati Archiepiscopi quinto anno, æræ Christianæ 1176. Sacro cultui aptatam Ecclesiam de *Hagneby* inauguratione solemni consecravit Diœcesanus antistes Lincolnensis Robertus, & sacra B. Martyris pignora, quæ à Richardo Cantuariensi archiepiscopo fundatrix Agnes obtinuerat, honorificè collocavit.

Maternæ pietatis instar Joannes de *Orreby*, terram de *Fugletorp*, cum omnibus, quos illic habebat, hominibus, junxit primariæ doti, & tabulis transcripsit Abbati Rogero de *Retford*.

In Capitulo ad Heriberti conjugis tumulum apposita est Agnes Fundatrix.

HALES OWEIN.

Ales Owein. Fil. de Welbeck. Diœcesis Wigorniensis Circaria Angliæ Meridianæ.

PEtrus de *Rupibus* Episcopus Wintoniensis, fidei & crucis propagandæ zelo inclytus, peregrinationibus sanctis suo seculo commendabilis, ob restitutam pacem inter summum Pontificem & Imperatorem Fridericum, de republicâ christianâ bene meritus, plurium cœnobiorum tam in Anglia quam in Palæstina munificus instaurator & pater, morte sanctâ consummatus post triginta duos Episcopatûs annos strenuè decursos, anno Christi 1218. Abbatiam de *Hales Owein*, Joanne regente, fundavit in agro Salopiensi * sub approbatione ejusdem Regis, quam Henricus III. suo postmodùm Diplomate communivit. Richardus Cornubiæ & Pictaviæ Comes, Henrici III. germanus frater, nascentem Ecclesiam adeo ampliavit bonis ut fundatoris gloriam, suâ magnificentiâ non superaverit modò, sed arrogaverit sibi, apud Mathæum Paris. Hæc enim de benefico Principe scribit. » Eodem » anno 1251. nono Novembris, Vigilia S. » Leonardi, Comes Richardus solemniter & » magnificè nimis fecit dedicari Ecclesiam de » *Hales*, quam magnis fundaverat sumptibus, » & ædificia construxerat, prout in mari vo» verat, quando à Gasconia rediens in mari » suborta tempestate periclitabatur, vix portum » attingens in Cornubia. Erant in memorata » dedicatione præsentes Dominus Rex & Re» gina, & ferè omnes Angliæ Magnates & » Prælati, Episcopi verò tredecim, qui omnes » Missam de Dedicatione celebrarunt, quilibet » verò ad suum altare. Lincolnensisque ad ma» jus altare Missam solemniter valdè decanta» vit. Erat autem dies Dominica, in quâ splen» didè & ordinatè optimates cum Episcopis & » aliis carne vescentibus coepulabantur, Reli» giosi verò piscium multitudine & varietate » reficiebantur, seorsùm collocati. Erantque » ibidem Milites plusquam trecenti. Istius nem» pè festi solemnis, & convivii magnitudinem, » ad plenum si describerem, limites transgredi » diceret veritatis. Mihi autem Mathæo Pari» siensi super hoc edoceri cupienti, ne falsa » huic libro insererem, sed indubitatâ certitu» dine, Comes significavit quod omnibus sum» ptibus computatis, in ipsius Ecclesiæ con» structione decem millia marcarum exposue» rat. Addens quoddam verbum memorabile » imo & commendabile, utinam Deo compla» ceret ut omnia quæ in Castro de *Walinge» ford* expendi, tam sapienter & tam salubriter » expendissem.

* Shrop.

Capitulum Generale anni 1218. Præside Gervasio Abbate Præmonstrati, gratias egit Fundatori & Ordinis suffragia tam vivo quam mortuo obtulit in testimonium benevolæ gratitudinis, ut videre est in Epist. 90. Gervasiana T. 1. Sacræ Antiquit. Monum.

Vide Probat. à col. DCXXIJ. ad col. DCXXIV.

HAMBORNA.

Hamborna. Fil. Steinfeldia. Diœcesis Coloniensis Circaria Westphaliæ.

NObilium virorum Abbatia, Hamborna, in Ducatu Cliviæ, secùs *Duisburgum*, medios inter hæreticos, & sub potestate Regis Prussiæ sita, mirabili modo, variis licet afflicta incendiis & circumlatrantium hæreticorum procellis olim exagitata, hodiedum florens subsistit, & liberum Norbertinæ Religionis cultum, Rege ex pactorum tabulis consentiente, exercent illic equestri stemmate nobiles Canonici. Anno 1136. Brunone II. ad clavum Ecclesiæ Coloniensis sedente, hoc monasterium auspicatus est, illudque dotavit Gerardus ab Honstaden Toparcha de *Wickradt* in allodio suo Hambornæ, & in Præposituram subvexit, quæ paulòpost excrevit in Abbatiam. Fundatoris opus à Brunone approbatum, sed fato urgente, scripto Diplomate non munitum, confirmavit Arnauldus Coloniensis archipræsul anno 1139. suo quoque suffragio Philippus Arnoldi successor, institutam Hambornæ disciplinam, & collatas eidem possessiones, roboravit anno 1173. utrasque Adrianus IV. Alexander IV. fusioribus litteris laudaverunt.

» Primos Præpositurae inquilinos, primum» que Patrem ex Scheidensi cœnobio assump» sit Hamborna, si standum est veteribus mo» nasteriorum matriculis, quas consuluit Lay» ruelius, & quarum exemplaria penes me sunt, » sed ad meliorem providentiam & Capitulo» rum generalium sanctionibus, Paternitas » Steinfeldiæ multarum Abbatiarum matri & ab omni ævo regularitatis vindici, adjudicata est,

ipsaque defungitur, quantum libertatis arctatæ patitur angustia, & impendens Magistratûs heterodoxi authoritas permittit.

I.

LAMBERTUS regimini Præposituræ constitutus legitur primus, in authenticis Fussnichii actis, ipse Parthenonis cognominis erigendi author fuit, & numerosam Virginum turmam Norberti spiritu imbuit, anno 1151. trigesimo Aprilis, vitam & dignitatem exuit, æternam mercedem adepturus.

II.

GERNODUS ab Adriano IV. impetravit Bullam anno 1157. pro confirmandis possessionibus, & Ordine Canonico in Hamborna. In fundationis Marensis Parthenii tabulis anni 1166. sistitur Gernodus.

III.

ADAM ex Necrologio Steinfeldensi, ad diem XII. Maii, notus; sub ipso & sub anno 1170. 8. Kal. Maii Ecclesia Hambornensis consecrata est ab Archiepiscopis Coloniensi & Trevirensi, Philippo de Hinsberg & Arnoldo.

IV.

NICOLAUS Abbatum primus, recensetur in Annalibus Cliviæ à Wernero *Teschen-Macher* evulgatis, p. 177. hanc ei prærogativam eripiunt Annales Fussnichii, qui Fridericum in albo Abbatum, numerant ordine tertium, subindeque à

V.

GODEFRIDO auspicari necesse est immutationem Præposituræ in Abbatiam. Godefridus ille in litteris Fussnichensibus inscribitur Abbas Havenburnensis & Fussnichensis Ecclesiæ. Hoc utroque titulo insignis, utrique Ecclesiæ præfuit, & annis 1195. 1199. Fusnichio ad disciplinæ instaurationem ordinationes præscripsit.

VI.

THEODORICUS anno 1208. adducitur ut testis, sed sub Præpositi nuncupatione, ab Alverade Comitissa, relicta Willelmi Comitis Juliacensis, in Charta donationis. In Obituario Steinfeldensi ad diem XI. Novembris, sub nomine Abbatis exhibetur.

VII.

FRIDERICUS à seditioso Fratrum Conversorum Fussnichii tumultu, & perduellione, injurias passus, innocentiam contumeliosè impetitam, testium suffragio, & deputatorum ad informationem Prælatorum judicio comprobavit. Accusatores ad Capitulum generale delatos, ejusdem sententiâ perculsi sunt. Anno 1220. Circator & judex unà cum Capenbergensi & Knechstedensi Abbatibus, à Gervasio Præmonstrati Abbate, ablegatus est, in causa Fratris Brocardi Varlarensis Canonici, & trium judicio à Parochiâ *Coesveldensi* amovetur. Anno 1224. constitutus est, à Capitulo generali, monasteriorum Frisiæ Visitator. Anno 1227. excepit donationem factam Fussnichio à Domina Gertrude de *Bessenich* pro remedio animæ suæ. Hujus temporibus Fussnichii dormitorium ampliatum est.

VIII.

HERMANNUS DE HOLDE, anno 1232. quinque journalia terræ, tradita à Vosquino de *Wesheim* suscipit, nomine Parthenii Fussnichensis. Hujus habetur memoria in Steinfeldensi Necrologio 34. Augusti.

IX.

PHILIPPUS anno 1252. comparavit pro & nomine Fussnichensis Ecclesiæ, quam specialem filiam suam vocat, novemdecim maldera tritici in *Geich*. Ad ejus quoque supplicationem Conradus de *Hochsteden* injunxit ne Sorores supra 50. in *Fussnich* admitterent, anno 1254.

X.

HEDENRICUS in Mortuario Nider-Ehano ad 23. Julii annotatur Abbas Hambornensis, tacito administrationis & obitûs ejus tempore.

XI.

VOLQUINUS habetur in Necrologio Steinfeldensi ad diem XI. Novembris.

XII.

DRUDO ex Abbatia Seynensi, transfertur Hambornam, anno 1279. ibique denascitur anno 1281.

XIII

JOANNES anno 1282. donationes pias ab Hermanno & Demude familiaribus Fussnichensis Ecclesiæ oblatas, excipit. Anno 1284. liberalitatem eorumdem & dotem lampadis jugiter ardentis ante Venerabile Sacramentum in Fussnichio, ut testis collaudavit.

XIV.

GODESCALCUS Canonicus Knechstedensis, eligitur Abbas Hambornæ, paucis ab electione annis postulatus, Knechstedium migravit, & testis adducitur sub titulo Abbatis Knechstedensis, in Chartâ Fussnichii de anno 1288.

XV.

LAURENTIUS visitationem instituens in Fussnichio anno 1287. præcepta morum & disciplinæ commendavit. Anno 1291. mediator assumptus jurgii inter Hinsbergæ Præpositum Brunonem & Virgines Parthenonis, dissidium composuit.

XVI.

CONRADUS, de licentia Guillelmi Abbatis Præmonstrati & sub approbatione Wirmundi Capenbergensis, Adolphi Knechstedensis Abbatum, permisit Willelmo Provisori in Fussnich, ut quinquaginta marcas annui reditûs, quas tempore suæ provisionis, per suam sollicitudinem acquisiverat, cederent in ampliationem præbendæ, & in pitantiam perpetuam Conventûs, anno 1299.

XVII.

CHRISTIANUS subscripsit ut testis anno 1308.

XVIII.

ARNOLDUS anno 1314. in tabulis Fussnichii legitur.

XIX.

JOANNES anno 1321. consulens paupertati labentis Fussnichii, de consilio Comitis Juliæ, formam vivendi œconomicam imposuit Sanctimonialibus anno 1323. de consensu Joannis, & ex decreto Capituli generalis, in Præposituram sublevatus est Prioratus Fussnichensis.

XX.

HENRICUS *STECKE*, anno. 1325. ob discordiam electricum Fussnichii, & ex jure Paterno, Præpositum designavit Fratrem Nicolaum.

XXI.

HENRICUS DE *BERG*.

XXII.

HERMANNUS DE *BERG*, subscribit anno 1381. elocationi viginti septem jugerum terræ arabilis.

XXIII.

CONSTANTINUS *CROEN*, anno 1410. Visitator Ordinis renuntiatus est.

XXIV.

BERTHOLDUS DE *Brabeck*, anno 1421. pro immunitate Ordinis ab omni decimarum solutione, cum archiepiscopo Coloniensi decertavit, & anno 1425. judicio apostolico litem in gratiam Ordinis diremit. Anno eodem Visitator Ordinis designatus est.

XXV.

THEODORICUS *ESTAS*, Paterno jure Fussnichium visitavit annis 1432. 1437. & 12. Maii 1451. Prælaturam abdicavit.

XXVI.

HENRICUS *RYNSCHE*, anno 1465. tanquam Visitator præsedit electioni Abbatis Steinfeldiæ.

XXVII.

ALBERTUS DE *BONGARDT*, anno 1484. univit altare S. Georgii Fussnichio, & anno 1487. decrepitus resignavit.

XXVIII.

HERMANNUS *HISFELDT*, ex pastore *Bettenhoviensi* ad gubernacula Hambornæ promotus, paucis ab electione mensibus, jussu Principis, amovetur, & in Pastoratum reversus, ibidem decessit, anno 1508.

XXIX.

JOANNES *STATL DE HOTSTEIN*, reformationem in suum monasterium, Abbate Steinfeldensi Reinero agente, invexit, anno 1587. Eandem postea per se anno 1497. in Fussnichium introduxit. Visitator provinciæ destinatus, officium obiit annis 1514. 1516. & 1517. ultro dignitati valedixit.

XXX.

WILLELMUS DE *WEYENHORST*, anno 1523. cum adjuncto sibi Abbate Steinfeldensi, Fussnichium canonicè visitavit, & Henrico de Velbruck Priori, socium adjunxit. Anno 1544. tertiam Ecclesiæ partem exstruere incœpit, ut frequentissimum cœtum, qui tunc pietatis causâ affluebat, capere posset. Morte superveniente, successor fabricam absolvit.

XXXI.

ALBERTUS *AB HAIM* cessit anno circiter 1559. ipsius habetur memoria in Ellensi Necrologio ad 28. Augusti, & commendatur ex eo quod ducentos dederit taleros pro memoria sui, parentum, amicorum, & Hambornensium Fratrum.

XXXII.

CHRISTOPHORUS *AB HUISEN* cessit anno 1582. an ex modestia, an verò ex animi demissione, incertum. Ejus enim tempore, Batavi in primo Hollandici belli lymphatico furore, dormitorium cum parte ambitûs, flammis absumpserant. Invalescente paulòpost marte Batavo, alteram monasterii partem devastarunt, majora minantes incendia.

XXXIII.

LUDGERUS DE *LANSBERG*, 3. Maii 1582. electus tentatam à prædecessore ædificiorum instaurationem promovit. Penè completam flamma vorax, ab Hollandis apposita turri, ad quam incolæ confugerant, hostium se subducentes vastitati, destruxit anno 1587. Inter depascentis ignis incendia, Calvinistæ per templum & monasterium effusi, sacram diripuerunt suppellectilem, imagines, sedilia vulcano devoverunt, sola in medio Chori fornice pendens Imago B. M. V. intacta evasit, quod cernens prædo Calvinista, faculam admovit propiùs, quæ imaginem venerata, obvolvit flammis, non adussit. Intereà turris ruinâ suâ tem-

pli tectum opprimit, & nudata tegumento fornix paulòpost concidit in terram. Tantæ calamitatis spectator Ludgerus, mœrore tabescens moritur anno 1603.

XXXIV.

WILLELMUS AB INGENHOEVEN 1621.

XXXV.

STEPHANUS DE STEIN, 1646.

XXXVI.

WILLELMUS GODEFRIDUS AB HYLLEN ex pastore Hambornensi, electus Abbas 2. Januarii 1647. coadjutorem sibi dedit Joannem Wimarum de *Breidenbach*, anno 1670. Ille verò Coadjutoriâ dimissâ, in refugium Duisburgense privatam acturus vitam, se recepit anno 1672. qui fuit Abbatis Willelmi ultimus.

XXXVII.

JOANNES ALBERTUS DE HEERDT ex Priore Fussnichii, Hambornæ 18. Novembris, resignavit anno 1675. 2. Octobris.

XXXVIII.

BERTRAMNUS DE BELLINGHAUSEN, Canonicus Capenbergensis, unanimi consensu, subrogatus, collum supponere oneri detrectavit, hinc sedes anno integro & quinque mensibus pastore orbata est.

XXXIX.

JOANNES WIMARUS DE BREIDENBACH, 14. Maii 1677. ex sua domo Duisburgensi votis Fratrum, abripitur ad infulas, moritur 26. Aprilis 1694.

XL.

JOANNES ALBERTUS DE HEERDT, iterum & reluctans assumitur in Abbatem. A diebus secundæ possessionis, domum alieno levavit ære, ædes plerasque excitavit à fundamentis, auxit Canonicorum numerum, & quasi fundator alter restituit rem. 15. Febr. 1705. præmia consecuturus laborum, piè in Christo obdormivit. In ejus gratiam facta est unio Abbatiæ Viridis Stagni, Hambornæ, anno 1673.

XLI.

WILLELMUS HENRICUS DE BENTINCK, 21. Februarii 1705. præside Michaele Abbate Steinfeldensi electus feliciter, Canonicos studiis excoluit & virtutibus, rei catholicæ & religionis stabilimento providè consulens. Hæc scribenti advenit mihi nuntia mortis ejus epistola per quam accepi die Aprilis 8. anni 1724. obiisse, & in ejus locum fuisse suffectum.

XLII.

N..... A BEMMEL.

PATERNITAS.

Duo Virginum monasteria filialia habet, quorum prius est
Fussnich; alterum
Ellen.

PASTORATUS.

Unica est ab irruptione hæreseos parochia, illaque monasterialis, quæ Deo propitio, per doctos, piosque pastores, nunc ex gremio, aliàs ex Steinfeldia evocatos, sic ab ingruente errore præservata fuit, ut fidem illibatam in sexcentis & amplius parochianis, tutati sint, nec tantùm domesticis, sed & per villas; in medio nationis heterodoxæ latitantibus catholicis, præstant juge subsidium.

HAMERIVILLA.

Hamerivilla Bl. Justimontis. Diœcesis Metensis. Circaria Lotharingiæ.

Parthenon Hamerivillæ, vulgò *Hamerviller*, ex diversis stationibus, diversa sortitus est nomina. Primò enim originem sumpsit in suburbio Metensis civitatis ad Mosellæ ripas, dum Monachis Eligianis loco cedentibus & bonis in gratiam Præmonstratensium, illuc Philippus Abbas Bellæ-vallis Fratrum trajecit coloniam, quibus se adjunxit Sororum turma. Crescente autem in dies numero & Religione Conventu, Albertus Advocatus civitatis, multitudini continendæ aptissimum, & ab exundantis frequenter Mosellæ viciniâ remotius allodium de *Buris* obtulit Abbati Zachariæ, eâ tamen lege, ut Abbatiam illuc transferret. Donationem laudavit Stephanus de *Barro* Metensis episcopus, & sub ejus approbatione structis ædificiis migravit *Buris* cùm Fratrum cœtu Zacharias, & primam habitationem resignavit totam suis Sanctimonialibus, unde *Grangiæ Dominarum* appellatio invaluit.

Elapsis aliquot ab hac cessione annis exuberanti aquarum diluvio gravida Mosella, taliter intumuit, ut penè absorpta fuerit *Grangia Dominarum*, magnoque salutis discrimine, navigio evaserint Sorores. Ad *Buris* se receperunt naufragæ, & earum miseratus sortem Zacharias, iterùm structam de novo in *Buris* Abbatiam dimisit illis, & ipse cum fratribus transivit Justi-montum, ubi non diù vivens, sanctè defunctus est anno 1136. juxtà Chronicon Justi-montense.

Translationis suæ pertæsi, aut pœnitentes Religiosi, ad pristinam suspirabant sedem:

urgebant aliunde Metenses cives ad reditum, ni vellent spoliari possessionibus. Abbas Leherus, ut Fratrum querelas placaret, & obviaret minis Metensium, reversioni assensit; at ne Sororibus remigratio foret molesta, dormitorium & officinas à fundamento exorsus est ædificare. Illa Stephanus successor absolvit, & congregationem tam Fratrum, quàm Sororum partitus est ex æquo Justi-montum inter & *Buris*: similiter bona inter utrumque divisit, utriusque monasterii summam Præfecturam retinens sibi, donec pro bono pacis, singulo cœnobio singularis adscriptus est Abbas.

In *Buris*, quod à Crucis Christi particula accepta in donum, nomen Abbatiæ S. Crucis deinceps habuit, interiit Parthenon, antequam monasterium ad civitatem deportaretur, ut locum faceret struendo propugnaculo, sub Episcopatu Joannis de *Beauquaire*. Justi-montanæ verò Sorores à Rainaldo Abbate ad allodium *Hamerivilla* anno 1184. ablegatæ sunt. Hoc rusticanum prædium in vicinia Justi-montis consistens, ab Abbate S. Huberti obtinuerat Stephanus Justi-montis Abbas anno 1153. nutriendis gregibus opimum pascuis, in salubri solo & cælo positum, habitationi congruum visum est Rainaldo prædium; arrisit & Sanctimonialibus, quas Capitulorum generalium sancita segregandas à virorum cœnobiis decreverant. Accommodas igitur ædes curavit Abbas exstrui, & illo deducente, ad Parthenonem convectæ sunt Sanctimoniales. Anno 1206. ad Sororum præbendam Wirricus de *Valecourt* concessit molendinum de *Godstat*: donationem anno 1224. filius ejus æquivocus, Toparcha de *Fontoy*, confirmavit. Illic ultimam fixere mansionem Sanctimoniales, & diem videre ultimum, sed anno incerto.

HARCHIA.

Harchia. Fil. Viromandiæ. Diœcesis Noviomensis Circariæ Flandriæ.

Sacræ antiq. Monum. p. 98.

HAud procul ab Bohanio (*Bohain*) Provinciæ Picardiæ oppido, exstabat Præpositura Virginum, Viromandensis Abbatiæ filia, Harchia nomine, gallicè *Harchies*. Hujus Parthenonis meminit Gervasius Abbas Præmonstrati Epist. 109. ad quem Sanctimonialis, ob scandalum in suo monasterio lapsu iterato commissum, emissa fuerat. Desiit à seculis hæc Virginum Præpositura & in Prioratum simplicem, qui Præposituræ nomen adhuc retinet, abiit. De jure Patronatûs est Abbatis Viromandiæ Harchia, quam tamen conferre non potest, nisi Canonico Præmonstrati. Illam possidebat anno 1720. P. Hourlier Viromandensis Professus, vir humanissimus, quem itineris nostri Belgici comitem habuimus aliquandiù, gratissimum.

HARLINGOT.

Harlingoth. Fil. Cathedralis Brandeburgicæ. Diœcesis Brandeburg. Circariæ Saxoniæ.

CAthedralis Ecclesia Brandeburgensis, quæ, ut suo loco diximus, Ordinis Præmonstratani mores & regulam assumpserat, hanc vitæ formam & disciplinæ rigorem, mediante seculo XV. servabat tam in capite, quàm in membris. Anno 1441. Petrus Decretorum Doctor, & Cathedralis Ecclesiæ Præpositus, sive Prior, dilatandæ Religionis Norbertinæ zelo succensus, piam Capellam in monte positam secùs vetus Brandeburgum, *Harlingoth* dictam, in monasterium Ordinis, assignatâ dote commutavit, & Canonicos è gremio Cathedralis Ecclesiæ sub Præpositi regimine ablegavit victuros.

Quia verò disciplinæ ratio exigebat, ut quæ pro bono Ordinis instituebantur monasteria, ab Ordine approbarentur, Petrus Capitulo generali, Præside Joanne de Farâ Abbate Præmonstrati, exposuit suscepti & consummati operis seriem, & postulavit à Patribus, ut quod ad Dei gloriam, & ad Ordinis decus perfecerat, ratum esset Ordinis judicio. Laudavit zelum Præpositi unanimis Patrum Congregatio, & Paternitatem addixit Ecclesiæ Brandeburgensi, suâ sanctione, anno 1442. Filiale hoc cœnobium communi strage deletum, in suis tantùm ruderibus conspicitur.

HAVELBERGA.

Cathedralis.

Havelberga. Fil. S. Mariæ Magdeburgensis. Circariæ Saxoniæ.

IN omnibus Ordinis Catalogis tam editis, quàm msl. Cathedralis Havelbergæ, Inferioris Saxoniæ, & Electoratûs Brandeburgici, Ecclesia, monasteriis accensetur profitentibus Ordinem Præmonstratensem. Episcopus idem & Abbas præsidebat Conventui, penes quem Episcoporum pendebat electio. S. Mariæ Magdeburgensis Præpositum, in iis quæ ad Ordinis disciplinam spectabant, uti Patrem-Abbatem venerabatur Havelberga, à quo vivendi sumpserat normam, regularemque observantiam derivaverat. Id paterni juris, teste Buschio,

L. Reform. monasterior. Saxoniæ apud Liebnitz scrip. Brunswic. t. 2. p. 836. Saxonicorum monasteriorum reformatore, anno 1471. intactum asservarant sibi ad hanc ætatem Præpositi S. Mariæ. Præpositus, inquit, B. Mariæ Virginis in civitate Magdeburgensi, secundus dicitur Primas Germaniæ, sicut Magdeburgensis Episcopus, primus dicitur Primas Germaniæ. Nam mitram episcopalem pretiosam in capite, portat in divinis, Chirothecas in manibus, sandalia in pedibus; & habet sub se quindecim Ordinis sui monasteria, quorum tria Cathedrales sunt Ecclesiæ, Episcopos habentes ex seipsis singulæ eligere, videlicet Brandeburgensis, *Haverbergensis*, & Ratisbergensis. Præpositus autem Magdeburgensis hujus Ordinis mandatum habet super omnes Canonicos præfatorum monasteriorum, & super Prælatos eorum, sed non super Episcopos illos, quamvis habitum deferant Ordinis, sicut cæteri. Ita Buschius. Cui suppar Crantzius concinit, suis temporibus florentem Havelbergæ Præmonstratensium disciplinam, sicut & in plerisque aliis, attestans. Metrop. l. 7. c. 5.

Ab Ottone primo Imperatore fundatus Episcopatus Havelbergensis, ab eodem Metropolitæ Magdeburgensi subjectus est. Regularem vitam in Capitulum invexit Anselmus, qui à B. P. Norberto inauguratus, ab illo prima disciplinæ Præmonstratensis rudimenta hausit, quæ postmodùm per summissos è S. Mariâ Canonicos, in sua propagavit Ecclesia. Ludewig reliquiæ mss. t. 8. in Catalogo Episcopor. Havelberg. p. 266. Brandeburgensium Principum ad Lutheri partes & dogmata infelix defectio, non tantùm regularem exstinxit disciplinam in Havelbergensi Ecclesia, sed ipsum quoque Episcopatum abolevit. Defectio regularis disciplinæ prævenit hæreticos vastitatem, si fides est edito nuper Havelbergensium præsulum catalogo; sub Johanne de *Schlabberndorff*, Julio II. annuente, Havelbergenses Canonici, inquit, *aquati sunt in omnibus Canonicis Magdeburgicis*, „stipendia diviserunt, singulique proprium „domicilium habuerunt propriamque æconomiam, cum antea monachi S. Norberti Ordinis fuissent, & Ecclesia Cathedralis solummodò monasterium Havelbergense appellata „esset. Ibid. p. 331

H A U S E N.

Hausen. Fil. Cellæ Superioris. Diœcesis Herbipolensis Circariæ Ivetdia. HAusen, quod & *Husen* & *Zu Brounder Hartman*, indiscriminatim in catalogo monasteriorum Diœcesis Herbipolensis nominatur, Præpositura est Virginum Ordinis Præmonstratensis, ad amnem *Salam* in Franconiâ secùs oppidum *Kisingen*, cujus originem ex Chronographo Hennebergensi hanc exstitisse discimus. L. 2. c. 20.

Henricus VII. Hennebergæ Comes, Wolfrani & Giselæ, Sigbotonis Comitis filiæ, filius, anno 1261. Eberhardo Episcopo, Ecclesiæ Bambergensi *Haythen*, & *Hirtendorff*, vel *Himendorff* commutatione tradidit, & recepit *Hausen* pagum ultrà *Kyseck* situm secùs Salam, ubi Virginum cœnobium condere & constituere inceperit, fortè quod liberis careret; idemque Henrico recens Episcopo, ejusque Ecclesiæ Herbipolensi transcripsit. Annal. Bamberg. l. 3. p. 133. apud Ludwig. T. 1.

Oblatum sibi, ut moris erat Parthenonem, Henricus Comes de *Berge*, Herbipolis Episcopus Rabenoldo, Cellæ superioris Abbati tradidit, eâ lege ut Sanctimonialium turmam ex suo Parthenio selectam illuc immitteret, sub Præpositi victuram administratione.

Sub hac trita regiminis forma perstitit Parthenon ad ea tempora, quæ Rusticos armarunt in patriam & religionem. Anno igitur 1525. turbo ille grassantium hæreticorum facto impetu in Comitatum Hennebergæ, *Hausen* funditùs delevit. Restauravit Georgius Hoffman Abbas Cellensis, & Virgines quas in inferiore Cellâ post vastationem collegerat, ad restitutas sedes reduxit. Sed illas iterùm Fridericus Brandeburgicus Franconiæ potiens, ferro & flammâ aggressus anno 1563. diruit, & succendit. Suis, ab illo extremo casu, ruinis sepultus Parthenon, non potuit renasci; quodque dolendum ampliùs, spem resurrectionis sustulerunt Episcopi Herbipolenses, qui, (quo jure, quove fato, ignoramus,) in possessiones prostrati cœnobii injecerunt manus, easque Universitati Herbipolensi addixerunt, nusquam reversuras ad hæredes legitimos. Mem. Herbipol. mss.

H E B D O V I C U M *sive* B R Z E S K O.

Hebdovicum Fil. Strahovia. Diœcesis Cracoviensis Circariæ Poloniæ. ABbatia Bresnensis, antiquitùs *Brzesko*, nunc *Hebdovicum* dicta, loco sita uberi, grato Vistulæ præterlabentis fluvio irrigua, à Cracoviensi civitate quinque milliaribus distans, splendidum ex cocto latere exhibet ædificium, quod dignitatem domûs primariæ, proventibus, præeminentiis, doctrinâ famosæ, licet mutum, eloquitur. Quo autem anno monasterium conditum, quove benefactore dotatum fuerit, ambigunt Poloni scriptores. Cromerus paulò ante annum 1240. ab Ivone Episcopo Cracoviensi constructum, dotatum decimis, ac possessionibus asserit auctum: cui astipulatur Starovolscius Episcoporum Cracoviensium biographus. Utrique refragantur documenta Hebdovici, Ivonis Episcopi temporibus anteriora. Ignoscendum nihilominùs scriptorum errori veniali, quo benefactorem Ad an. 1240 l. 8. fol. 141

nefactorem in patronum subvexere. Equidem Ivo, qui Episcopatum adiit anno 1220. & anno 1234. morte interveniente deposuit, magnis locupletavit Hebdovicum prædiis, mediocriter ante à Boleslao Crispo, Rege Poloniæ, dotatum; & hinc ereptum Regi Boleslao fundationis honorem, in liberaliorem Episcopum transtulerunt malè edocti scriptores. Sera licet Eugenii IV. Bulla, exoletorum diplomatum innovatrix, anno 1442. seriem fundationis auspicatur à Boleslao Crispo, cujus favore *Strzezislaus* & *Vrocislaus* in dotem Ecclesiæ villas & prædia contulerunt, non ante annum 1146. qui fuit primus regni Boleslai.

Ex Strahovia derivatum est Canonicorum examen Hebdovico insertum, Patremque ab hinc venerari consuescit Strahoviæ Abbatem, cùm penè omnibus Poloniæ monasteriis paterno jure Hebdovicum dominetur. Hanc prærogativam à nonnullis Abbatibus & Præpositis impetitam, sub Ordinis & Capitis protectione acri & constanti zelo sic vindicavit Nicolaus Abbas, ut causam per varios litium anfractus, gravibusque impensis deductam Romæ, feliciter concluserit finali sententiâ, quam Eugenius IV. anno 1442. suo calculo confirmavit. Sedatâ necdum per hoc judicium tempestate, ad aliud judicium provocare moliebantur quæstionem maturè plusquam satis ventilatam, devicti Abbates, in apertum schisma, & ad Ordinis dispendium proni. Verùm Joannes Abbas Præmonstrati, totumque Generale Capitulum, discordiam lugens, & dilaceratum crudeli scissurâ Ordinem in Polonia, ad unitatis vinculum gestiens revocare, Commissarium suo nomine & autoritate ablegavit ad partes, Patrem Joannem *Sigern*, Theologiæ Baccalaureum, S. Augustini Morinensis Priorem, virum eruditione & rerum agendarum dexteritate spectabilem, qui anno 1450. pacem resarcivit, exosum Ordini Nicolaum Abbatem suscepit in gratiam, cavillantibus silentium indixit, firmavit paternam jurisdictionem, litium expensas talliarum relaxatione triennali compensavit, sicque fatale schisma compressit, ab annis decem & ultrà furens in Ordine. Conticuit illicò *Swigneus* episcopus Cracoviensis, quem in dissidii fautorem asciverant Abbates; sæviebat ille clanculùm, quem apperto marte debellarat Nicolaus: ipsum namque delatum in Curia Romana de Jurisdictione temerariò in Abbatiam, & in Canonicos attentata, de censuris & excommunicationibus displosis in Abbatem nullatenùs sibi subjectum, oppresserat anno 1441. definitivâ sententiâ. Sed inde nec placatior, nec cupidine nocendi minor evaserat Episcopus; quin potiùs ardentiores odii flammas ex jactura causæ conceperat, & quibus poterat artibus, Prælatos à filiali obedientiâ substrahebat. Ast ubi pacis arbiter Johannes *Sigern* amicabili nexu devinxit animos, Episcopum quoque jussit invitum quiescere.

I.

Primus Abbatiæ huic multipliciter insigni, destinatus est Abbas circà annum 1149. VOSLAUS. Undecimo Junii 1178. mors ejus in Obituario annotatur.

II.

PETRUS.

III.

BLASIUS.

IV.

WENCESLAUS Abbatiam abdicavit, & uti senior Abbas in Charta sui successoris sistitur anno 1279.

V.

LORIANUS oppidum *Neo-Bresnense*, Abbatiæ conterminum, ex jure proprietatis ac fundi ad ipsam pertinens, confert titulo donationis Godefrido de *Glesin*, ita ut liberam habeat facultatem ipsum locandi & gubernandi jure Theutonico, quod *Novum forum* in Silesia nuncupatur: eundem facit & hæredes ejus, certorum proventuum & jurium consortes, ut incolarum multiplicationi intendant sedulùs. Pactis subscribit cum Abbate & monasterii præcipuis Officialibus, Procopius Cancellarius Ducis, Florianus Vithoviensis Abbas, Venceslaus Hebdovici Abbas senior, Joannes Advocatus Cracoviensis, &c.

VI.

STANISLAUS vivebat anno 1293. supremus vitæ dies ad 4. Februarii inscribitur.

VII.

BARTHOLOMÆUS I. regebat anno 1301.

VIII.

MARTINUS floruit anno 1320.

IX.

BARTHOLOMÆUS II. anno 1331. moderabatur clavum.

X.

SUIZTOSLAUS anno 1337. recensetur in actis.

XI.

BARTHOLOMÆUS III. fatis defungitur anno 1350.

XII.

PHILIPPUS, anno 1360. paciscitur cum Casimiro Polonorum Rege, & per concambium villam *Grusrou* obtinet, pro villâ *Nodary*, secùs oppidum *Elscio*. Ab eodem Rege privilegiorum impetrat confirmationem.

XIII.

HENRICUS obiit anno 1369.

XIV.

JOANNES, coram Magistratu Cracoviensi convenit nobilem virum Jacussium, anno 1371. ut quam in villa *Grussrou* partem vindicabat sibi, juridicè abdicaret.

XV.

STANISLAUS II. *PROZBA* obiit 13. Decembris 1391.

XVI.

GERLACUS, 11. Maii 1409. extinctus est.

XVII.

STANISLAUS III. moritur 10. Maii 1420. Jus mitræ & pontificalium obtinuerat à Martino V. anno 1418.

XVIII.

NICOLAUS ille idem, de quo suprà diximus, fuit privilegiorum Ordinis acerrimus propugnator, impactorum sibi à propriis Fratribus criminum intrepidus apologista, & suæ domûs prærogativarum indefessus ultor; à Casimiro Rege, cui gratissimus exstitit, confirmationem privilegiorum sui monasterii, quam Eugenius IV. ante concesserat, impetravit anno 1449.

XIX.

JACOBUS anno 1460. & antecedentibus, actor in judicio comparuit.

XX.

STANISLAUS IV. anno 1498. hoc singulare evicit privilegium à Joanne Alberto Rege, ut omnes coloni villarum ab Hebdovico pendentium, nonnisi à solo Abbate judicarentur.

XXI.

MARTINUS II. DE *LUBORZICA*, anno 1517. Advocatiam Bresnensem, quam jure hæreditario possidebat Andreas *Cosmirouski*, redemit, & anno 1518. privilegia & libertates sui monasterii, Regis Sigismundi confirmatione munivit. Ad annum 1549. dies protraxit suos.

XXII.

NICOLAUS II. anno 1549. quo prædecessor obiit, jura suæ Abbatiæ Majestalibus Casimiri litteris roboravit. Anno 1559. parem obtinuit à Rege Sigismundo confirmationem.

XXIII.

MARTINUS III. *NAROPINSKI*, 13. Octobris 1565. excessit è vivis.

XXIV.

NICOLAUS III. DE *KAMIONA* obiit 10. Aprilis 1571.

XXV.

BARTHOLOMÆUS IV. *STALITH*, moritur anno 1584.

XXVI.

STANISLAUS V. *SZYTOWSKI*.

XXVII.

MELCHIOR *OLSZEUSKI*, 25. Octobris 1619. mortuus est. Hoc ipse sibi inscripserat epitaphium.

MELCHIOR *OLSZUSKI DE RESKI*, ex Palatinatu Plocensi, districtu *Zawkreczensi*, permissione divinâ Brzestensis-Hebdovicensis inclyti monasterii humilis Abbas, serenissimi piæ memoriæ Sigismundi Augusti Cubicularius, Canonicus Vladislaviensis, piæ recordationis Regis Stephani benignitate, post verò ab eodem factus Abbas, in curriculo vitæ suæ, ac officio sui Abbatiatûs, disciplinam regularem, numerum aucturus Fratrum, ædificia ac recuperationem possessionum auxit & ornavit, pristinoque nitori totum monasterium restituit. His tam piis fessus curis, & plenus existens dierum, ad illam immortalem aspirans vitam, vivus hoc sibi monumentum posuit, in quo vitæ mortalis exuvias includi post decessum statuit. Obiit ætatis suæ anno circiter LX. anno Domini MDCXIX. die XXV. mensis Octobris.

Hospes tu adprecare, ut in æternum gaudeat, & post labores præsentis temporis læta præmia possideat.

XXVIII.

JOANNES II. *JORDAN* cognomine, 3. Martii 1627. fatis cessit.

XXIX.

MARTINUS IV. *PIECZONOWSKI* obiit anno 1644. 12. Augusti.

XXX.

LUDOVICUS *STEMPKOWSKI*, factus Episcopus Kamenecensis Abbatiam conservavit, & ibidem sepultus est sub monumento sic inscripto.

D. O. M.

Cautè Viator
Quem aggrederis visendum
Vel ex etymo sui nominis
Gressuum observator est
Quia
STEMPKOWSKI,
Vir ipse gradationis modestissimæ.
Qui olim ab omni fastu,
tùm popularis auræ strepitu
Alienissimus,
Summam virtutum ejus perfectionem
Vel ex tribus non disparem metire

gradibus.
Primus erat illi Abbatialis muneris
quem ferè
bis duobus tenuit lustris
obeundum;
mox
ex secundo Illustrissimus
dùm Coadjutor Heliopolitanus
evasit;
tandem Episcopus Camenecensis
creatus
spretis quodammodo jam
ulterioribus honorum gradibus,
in viam æternitatis abiit,
cùm obiit
anno Domini MDCLXIV. die III. mensis Maii
anno ætatis suæ LXVII.
Hàc tu, qui præteris, piis ejus manibus
bene precare.

XXXI.

GOTHARDUS *THIZENHAUSEN*; ipso præsertim agente Joannes Casimirus Poloniæ Rex, Commendas ab Ordine Præmonstratensi constituto in Regno Poloniæ abrogavit, & jura Electionum, intercedente ac urgente Cracoviensi episcopo Andreâ, restituit anno 1668. obiit Gothardus anno 1673.

XXXII.

JOANNES LAURENTIUS *SIERSKI*, cujus epitaphium, gesta moresque ejus pingens, accipe.

D. O. M.

Procul hinc suspiria, procul lacrymæ
quem prosequimini
JOANNES *SIERSKI* est,
vel si fortè imago
certè
expressæ probitatis,
quam omnigenæ virtutes,
maximè Abbatialis muneris
penicillus depinxit
adeò
Ut à mœstis plorantium Oloribus
nihil expetat
lege viator ista, non luge;
nam
si unicus, illeque maximus mortalium census est
vixisse ad gloriam
certè
Illustrissimus olim & Reverendissimus Dominus
JOANNES LAURENTIUS *SIERSKI* Abbas loci istius
meritissimus, mœcenas gratiosissimus
à superabundanti lacrymarum fonte
augeri non eget
ut potè
Cujus vita vel ad Gentilitiam Cynthiam
omni virtutum splendore sat Illustris
ad rectèfactorum auroram non dispar
imò aurea
idque ideò
Quot computavit momenta,
tot sibi æviternæ famæ
monumenta,
Quot annorum circulos, tot fere æternitates
promeruit.
Sed
Quorsùm ingentia magni viri decora?
ut vos capiat
Arcta monumenti hujus tabella est.
Unicum perennaturæ gloriæ decus
quod sepelire nefas,
Auro, cedroque notandum memoriale,
Liberæ vocis, pro eligendo Abbate
restitutio
sufficiat
Ad cujus sonum, æternam audiat requiem.
Obiit anno Domini MDCLXXXXI.
III. Aprilis.

XXXIII.

MICHAEL JOSEPHUS *WILKOUSKI* electus anno 1692 inter Poloniæ juges bellorum & hostium conflictus & deprædationes, domum suam eâ sollicitudine, eâ prudentiâ rexit, ut pietas inter arma, felicitas inter angustias rerum publicarum in suo monasterio floruerint. Templum Dei magnifico decore exornavit, instruxit pretiosâ suppellectile; dirutas colonorum domos restauravit; ad eum denique provexit statum spiritualis vitæ & scientiarum studia, ut cæteris Poloniæ Canoniis Hebdovicensis in exemplum abierit. A Capitulo generali nupero vir moribus, zelo, doctrinâ, nulli secundus, renuntiatus est Vicarius Generalis Poloniæ, & Livoniæ. Magno animo pondus sustinet, majore industriâ munus exequitur, & tumultuantes identidem animos suâ sagacitate continuit, aut domuit. Plocensem Præposituram jungit Prælaturæ Hebdovicensi, & utramque possidet, non ut lautiùs vivat, sed ut proficiat utrique, homo planè frugi & modestus.

Hæc scribentem anno 1731. mortis immaturæ admonet Encyclica littera, & in luctus cogit laudes tanti viri multa de Ordine merentis vertere.

PATERNITAS.

Paternâ autoritate filialibus Poloniæ monasteriis dominatur Hebdovicum; ipsique subsunt.

Vitovicum, Abbatia virorum, in Gnesnensi Diœcesi.

Sandeck, Abbatia virorum, Diœcesis Cracoviensis.

Zwerzynec, Præpositura Virginum, Diœcesis ejusdem.

S. Maria, in civitate, & Diœcesi Plocensi, Præpositura Virginum.

Busckum, Præpositura Virginum, in Diœcesi Cracoviensi.

Krzyzanovicum suprà Nidam, Præpositura Virginum, Diœcesis ejusdem.

Lubena, aliàs *Imbramovicum*, ejusdem Diœcesis, Præpositura Virginum.

PASTORATUS.

Plures habet quorum Catalogum non suppeditavit.

Unum ex Chartis retteximus, in oppido Brzesnensi.

Vide Probat. à col. DCXXXVj. ad col. DCXLij.

HEESWYCK.

Heeswick. Fil. Berna. Diœcesis Silvaducens. Circaria Frisiæ.

BErnensis Abbatiæ non infima soboles Præpositura *Heeswyck*, secundo lapide à Sylvaducis civitate distans, Fundatorem venerans Albertum Dominum de *Dintere*, virum nobilem Almaricum toparcham Heeswyci, ambo pietate consorti & cognatâ, duo prædia, alterum in *Bernehese*, alterum in *Heeswyck* sibi pene contermina, tradiderunt Conventui B. Mariæ Virginis de Berna, anno 1196. horumque donationem Albertus Cuyckiensis approbavit.

Vide Diplom. Bernæ hist. Episc. Holl. p. 159 T. 1. hist. Episcop. Silvaducis p. 152. & seq.

Ex utriusque largitoris munificentiâ coaluit dos sufficiens Canonicorum cœtui quem Bernensis Abbas sub Præpositi gubernio adunavit Heswici. His accessit ad dotis augmentum Ecclesia Parochialis Heswicensis quam dedit in gratiam Præposituræ Wlranus à *Benthem* & ejus uxor Agnes, anno 1284. penes quos erat jus patronatûs.

A seculo Præpositura hæc evanuit, & illa temporum infelicitas, quæ Bernam matrem coëgit exulare mutilatam in bonis, filiales Ecclesias deturbavit à suo statu; sic ut ad salvandas matris quasi exanimis reliquias, oportuerit Præpositurae Heswicensis redditus annuos nunc deducere Buscoducum, ad quod profugi se receperant Bernenses, modò Wilvordiam, ubi ultimam posuere stationem extorres.

HEILIBERG.

Heilibergæ. Fil. Steinfeldia. Diœcesis Bremensis. Circaria Saxoniæ.

QUo tempore Proceres Saxoniæ ad sacri belli expeditionem se accingebant, propitium sibi ut facerent, & Christianæ militiæ armis, Deum, partem sui patrimonii devovebant aris, & Cœnobiorum fundationibus consecrabant. Gebehardus Comes Werkingerotæ, cognominatus senior, in subsidium terræ sanctæ, hortante Honorio III. profecturus an. 1218. ut fausto propositum fine bearet miserentis Dei bonitas, de quinque fratrum consensu quemdam locum, vocabulo *Hiliberg*, in Diœcesi Bremensi, terræ antiquorum Saxonum, pro fundanda Ordinis Præmonstratensis Abbatia contulit, & donationem præscripsit tabulis, quas Gervasius Abbas Præmonstrati, stabilimento Ordinis & monasteriorum securitati consulens, ad Honorium III. transmittit, & confirmationem his efflagitavit verbis. » Attentissimè igitur vestræ supplico Sanctitati, quatenùs sub ea protectione, quâ clementia vestra Præmonstratensium Ordinem » suscepit, locum illum novellum velitis suscipere, & donationem dicti Comitis, prout ab » eo facta est, per Apostolicas litteras confirmare, ut Fratres Domino servituri eò possint » multiplicari ibidem, quò locellus ille Apostolici culminis favore fuerit, ac protectione » munitus. Hoc addito, ut dominum Adulphum Osnaburgensem episcopum, præfati » loci & habitatorum ejus, constituatis authoritate apostolicâ deffensorem, si quis eis post » recessum dicti Comitis injustè voluerit adversari.

Sacræ Antiq. Monum. p. 20. Epist. 14.

Annuit supplicantis precibus Pontifex, & sub Apostolica tutela Heilibergense suscepit monasterium; cui deffensorem concessit pro voto Adolphum episcopum Osnaburgensem, virum singularis industriæ & pietatis.

Primos Hilibergæ incolas ex Steinfeldia decerptos probat Heilibergensis Abbatis Epistola ad Joannem de Altena Steinfeldiæ Abbatem anno 1484. conscripta; quâ illum rogat enixè, ut per seipsum visitationem sui monasterii instituat, aut eo nequeunte, Clarholtanum committat Præpositum, qui irrepentem in suos Canonicos proprietatis labem censoriâ autoritate dispungat. An ad petitionem Hilibergensis Abbatis filialem domum visitaverit Pater-Abbas, nescimus; sed scimus anno 1500. vel Deo vindice ita volente, vel à malignantium turma, id suggerente Diabolo, funditùs eversam Hilibergensem Abbatiam. Exstant apud Steinfeldenses Abbatis S. Pantaleonis intrà Coloniam litteræ, fatalem exitum Heilibergæ deplorantes.

Chron. Osnaburg. apud Meimbom. T. 2. p. 215. Crantz. l. 7. Metrop. c. 19.

In hac Abbatia asservabatur, referente Henrico Woltero Chronographo Bremensi, superpelliceum, quo indutus erat S. Thomas Cantuariensis, dùm Martyrium fecit: Rochetum nihilominus Dom-Martinensis Abbatia possidere gloriatur quo S. Antistes erat indutus dum mortem oppetiit.

Chron. Bremense apud Meimbom. p. 53. T. 3.

HEILIGERLEÉ.

Heiligerleé. Fil. Docum. Diœcesis Groningana. Circaria Frisia.

IN sterili, & arenoso solo, in veteri Omlandorum Præfectura, *Winschotam* inter & *Westerle*, duos Groninganæ Diœcesis vicos, situs est Parthenon *Heiligerleé*, *sacrum in edito monte locum* ethimologicè significans, fundatorem habens Heirdricum Schilvoldiæ Præpositum, toties infestum Emoni, totiusque Frisiæ Prælatis, Confratribus licet, exosum ob indefessas vexationes, quibus in obeundo munere Officialis & exactoris procurationum episcopi Monasteriensis, torquebat Cœnobia. Jam procurante matrona Conversâ & amitâ, Schilvoldiam impinguarat proventibus opimis, & quasi de beneficiis stipendium reportaturus, ex Canonico Cappenbergensi ad Præposituram Schilvoldiæ ascenderat. Ambitioni magis quàm pietati serviens homo dominationis avidus, alteram sibi Præposituram decrevit in *Heiligerleé*, & parentum opibus ad libitum acceptis, fundos comparavit, accitisque è Schilvoldia Canonissis, novum illic instruxit Parthenonem, integro permanente Schilwoldiano. Quanquam enim incendio perierit anno 1224. Præpositura Schilwoldiæ, tamen ex favillis paulopost renata est splendidior, agente Herdrico, arduis in rebus potente. Quarè Clarissimi viri *Vanhusen* improbabilis est sententia, dùm scribit transductas in Heiligerleé, Sanctimoniales Schilwoldianas; cùm teste Sibrando, utrumque anno 1327. staret monasterium, & post ferale diluvium centum septuaginta Canonissas aleret Schilwoldia, & Heiligerleé septuaginta septem.

Quin etiam utrumque illum Parthenonem ad excidium usque Catholicæ religionis in Frisia viguisse constat ex Charta Jacobi à Panhusen, Steinfeldiæ Abbatis, de anno 1571. quâ, servato sibi *tanquam primario Abbati* jure confirmationis Abbatum Lidlum, Mernæ, & Dockingæ, visitationem & alia Paternitatis jura Joanni Gelmunden Abbati in Lidlum transmittit, ut suas vices, Patris Abbatis nempe, in variis, quæ in Instrumento Commissionis designantur, Frisiæ monasteriis, inter quæ Heiligerleé & Schilwoldia recensentur, obire queat.

Superiori seculo ad Heiligerleé, in conflictu acri, Hispanicus exercitus cladem sustinuit, & locum nobilitavit suo sanguine. Nunc in ædificiis monasterii sublimioribus habitans colonus, interitum nolens vindicat.

HELISSEMIA.

Helissemia. Fil. Floreffia. Diœcesis Leodiensis. Circaria Floreffia. * Dormael. * Tillemont.

VEnerandæ Antiquitatis, & magnorum virorum religione & scriptis editis, insigne cœnobium Helissemiense, in limite Leodino, Getensis seu Dormaliæ * præfecturæ membrum, altero lapide ab Tenis *, oppido Brabantiæ, situm, Floreffiæ nobilis propago, & in Ordine quondam illustris Abbatia, toties primos belli impetus, aut extremos desperati militis furores sustinuit à duobus seculis, ut prodigio par sit, domum nunc à Geldris infestantibus dirutam, nunc à Gallis irrumpentibus donatam flammis, plerumque à Brabantis depopulatoribus devastatam, tot casibus attritam, toties superstitisse, & post multiplicem occasum resumpsisse splendorem pristinum.

Wichman l. Brab. mar.

Fatis omnibus Helissemia superior, Fundatorem habuit Renerum de *Setric* Militem, qui anno 1130. Religiosis Canonicis Præmonstratensibus Floreffiâ accersitis, transcripsit bona sua varia & ampla in *Cappendael* & Ecclesiam de *Pellein*, atque in proprio suo allodio de *Helissem*, cœnobium instruxit B. Virgini nuncupatum. Alexander Leodiensis episcopus novorum accolarum adventui aggratulans, horum implantationem gratioso firmavit Diplomate, irrigavit deinde anno 1134. Innocentius II. Apostolicis litteris, quibus ædificatam à Renero Ecclesiam ad honorem Dei Genitricis Mariæ, in allodio quod Heleiemium dicitur, collaudat, & Fratres juxta D. Augustini regulam & formam Religionis Fratrum Floreffiensium omnipotenti Deo inibi servientes, sua protectione obumbrat.

I.

Serviebant porrò tunc temporis omnipotenti Deo sub regimine ERMERICI, quem Richardus, Floreffiæ Præsul, Abbatem præfecerat & coloniæ ducem. Erat autem Ermericus Discipulus Norberti, natione Saxo, genere clarus, & in fundatione Floreffiæ Richardi coadjutor. Prædicationis instantia gregis sollicitudinem ex æquo dividebat, suis & alienis ovibus plusquam sufficiens pastor. Prodigiis sæpe domuit rebelles, quos sermone non vicerat & eam religionis, doctrinæ & zeli famam obtinuit, ut Principum favorem meruerit & honorem. Tria Sororum parthenia erexit, ut quas in Christo per Evangelium genuerat, his tutum præberet azilum. Anno 1144. beatitatis coronam recepturus migravit Ermericus, Sanctorum, teste Sandero, ascriptus fastis.

II.

GERARDUS Ermerico suffectus, ex tabulis

tantummodò chronologicis notus est: sicut & cæteri, quorum gesta hostilis manus erasit, aut absumpsit vorax flamma, ne originalibus quidem indulgens documentis.

III.

ALBERTUS, de quo fit mentio in archivis ad annum 1178. per eum res cœnobii, famâ aspirante, mirum in modum crevit, & pietas Religiosorum, quaquàversùm se diffundens Principum favorem abundantem meruit. Inde sunt Eugenii & Alexandri III. Pontificum privilegia, inde Godefridi Ducis munificentia. Chartæ Alberti Leodiensis Episcopi in gratiam bonæ spei subscripsit anno 1196.

IV.

ADAM, subscribit cuidam Chartæ in Chartulario Floreffiensi, fol. 25. anno 1204.

V.

EVERARDUS.

VI.

FRANCO.

VII.

ÆGIDIUS.

VIII.

JOANNES.

IX.

JACOBUS DE *BOMELIA*.

X.

SIMON DE *MOTTA*.

XI.

JOANNES DE *SELUSA*.

XII.

JOANNES DE *BERGENIS*.

XIII.

ARNAULDUS DE *BUNSBEECKE*, Hi ambo, inquit Grammaye, nomine suo inclytum probant genus, & tumulis præstantiores genere virtutes.

XIV.

HENRICUS *FORUT* nulli pietate secundus appellatur.

XV.

JOANNES *HOLLENGOUL* magnanimus, teste authore eodem, & magnus veluti leo, mitis ut agnus.

XVI.

JACOBUS *FORUT*, ut sanguinis sic morum affinitate par avunculo, Prælaturam gerebat anno 1417.

XVII.

HENRICUS *MONTENAKEN*, ex milite seculi, factus postea Christi miles, sibutraque militia strenuus, nunc parendo, nunc imperando laudem obtinuit, quam moriens anno 1434. à spectatore agonis Christo consecutus est.

XVIII.

SIGERUS *A MOERS* Chartas & Registra domûs renovavit ad annum 1457.

XIX.

JOANNES *BEUDEN* * Principibus gratus Principum gratias emeruit.

* Aliis Buyten.

XX.

GUILLELMUS DE *MOULIN* anno 1507. electus, jus mitræ & infulas primus impetravit, & opere magnifico extruxit domum Abbatialem.

XXI.

REINERUS *PANISGREVE*, anno 1544. templum reædificavit, & sedilia tanto artificio instruxit, ut Brabantia non habuerit præstantiora.

XXII.

EMBERTUS *NIVELAER*, anno 1553.

XXIII.

ÆGIDIUS *BERNARD*, temporum & bellorum injuriâ diù profugus *Lewis* sibi fecit azilum, ubi incendium sui monasterii eminùs luxit anno 1588. quo & ipse, fato miserante senectam, consumptus est, & in Æde Divo Leonardo sacra, tumulatus.

XXIV.

BALTHASAR *LOVIUS* vastatam flammis domum, è favillis excitare aggressus est, sed primam vix admovit manum cùm fortuitâ pharmacopolæ æquivocatione intoxicatus periit anno 1590.

XXV.

JOANNES *BRATZ* * eruditione, prudentiâ, pietate eximius, cum ruina & ruderibus incensi cœnobii luctans, animo tamen semper erecto, dispersos collegit Sanctuarii lapides, & triginta tres Canonicos de parcimonia sua sustentavit domi & foris, quorum duos in Academia Lovaniensi divinis imbuendos litteris non desiit favere. Obiit anno 1612.

* Aliis Brats. Grammaye p. 47.

XXVI.

JOANNES DE *FRAITEUR*, antecessoris æmulatus zelum villas instauravit, incœptas absolvit ædes, disciplinæ regularis vindex, & decoris domûs Dei amans, florentem Helissemiæ sic effecit statum ut luctuosam ejus faciem,

hilari exornaverit vultu, magnum sui nomen & desiderium morte sublatus anno 1645. reliquit posteris.

XXVII.

JOANNES *RAULETZ* tribus annis, singulari prudentiâ, ac laudabili Religiosæ disciplinæ observantiâ præfuit, raptus anno 1661.

XXVIII.

LAMBERTUS *BALZ* occubuit anno 1668.

XXIX.

HUGO *DELFALIZE*, obiit anno 1689.

XXX.

VALTERUS *CHABOTEAU*, anno 1716. denatus.

XXXI.

GABRIEL *BRION* Abbas modernus.

PATERNITAS.

Parthenium Languadense haud procul à Coloniensi civitate, Patrem suspicit Helissemiæ Abbatem. Hujus monasterii Præposituram gerebat præterito seculo Pater Gasparus, Helyssemii Canonicus, quam abdicavit vir humilis, injuriarum patientissimus, quique ad suos redux, orationi & piis operibus sic vacavit, ut cum magna opinione sanctitatis, ultimâ Maii 1614. septuagenarius excesserit. Extiterunt etiam olim duo alia filialia Heylissemiæ Parthenia, videlicet *Sunaym* in territorio *Perona*. Priorissarum & Sororum hujus loci leguntur commemorationes in Obituario. Alterum *Lestoquois*, seu *Steckuys*, unà horâ distans à monasterio, ubi etiamnum superstes visitur Capella. Degebant pariter ibidem Fratres Conversi, qui temporalibus Sororum bonis invigilarent.

PASTORATUS.

Grimde.
Brinsberck.
Glabeeck.
Holede.
Wersbeeck.
Surbemde de Tilt.
S. Martinus de Linsmeau.
Septs. Omnes Diœceseos Mechliniensis.
Pelleine.
Jandrain.
Javese.
Perwez.
Tourrine.
Hev.llers.
Molembrais. S. Pierre. Diœcesis omnes Namurcensis.

Vide Probat. à col. DCXLIJ. ad col. DCXLIIJ.

HEPPE.

Heppe. Fil. Cokersan. Diœcesis Carleolensis. Circaria, Angliæ.

PRimitùs in oppido Prestonii, * à parte Comitatûs Lancastrensis, secùs rivum *Ribbil*, surrexit Abbatia de *Heppe*, aliàs *Schappe*. Postea Fundatore Thoma sic opinante, aut ita requirentibus Canonicis, solitarii secessûs cupidis, ad vallem S. Mariæ Magdalenæ sacram, agri Westmorlandiæ abditam solitudinem, in Diœcesi Carleolensi*, translata est. Utriusque fundi traditionem geminato Diplomate donator Thomas conscripsit. Robertus de Veteri ponte, tanquam territorii Dominus, matris suæ Mathildis, necnon fratris sui Ivonis confirmationem pridem datam, novâ instaurans approbatione, collatas à cliente suo Thoma possessiones non laudavit modò, sed auxit additis largitionibus anno 1212.

* Preston.

* Carlisle

Sub Prioratûs titulo hoc monasterium traducitur in Monastico Anglicano, quod in Ordinis Indicibus, Abbatiarum albo adscribitur, & in Registris Willelmi *Howard*, ex quibus documenta excerpta sunt, Abbatiæ nomen præfert. Quin & Henrici VIII. ætate Richardus Baggot, Abbas Ecclesiæ B. Mariæ Magdalenæ de *Heppa*, aliàs *Schappe*, inscribitur apud Rimerum.

Vide Prob. à col. DCXLIIJ. ad col. DCXLV.

HERDE.

HAnc Præposituram Ordinis nostri ex Catalogis dispunctam, & à seculis, ut conjicimus, emortuam, obtulit nobis redivivam in suo Hirsaugiensi Chronico Trithemius ad annum 1150. Ibi enim inter Prælatos qui reciproco litterarum commeatu, cum beata Hildegarde conversabantur, recenset Præpositum in *Herde*, Ordinis Præmonstratensis. Ubi gentium hæc Præpositura fuerit, non docet, nec nos edocere possumus.

HERENTHALIUM *sive* HORTUS CONCLUSUS.

Herentalium. Fil. Tongerloa. Diœcesis Camerac. Circaria Brabantiæ.

ANno 1411. Arnoldus de *Craeyenhem* de *Grobbendonck*, & Joanna de *Steynwert*, nobilissimi conjuges, unanimi voto, & pari in Religionem Norbertinam amore ferventes, Parthenonem *Harentalii*, sive *Herentalii*, Brabantiæ oppidi, lanificio & chirurgiâ olim celebris, fundaverunt. Domum urbanam, pomerario & hortis consitam, dote superadditâ ad quindecim Canonissarum, & Conversarum quinque sustentationem, transcripserunt Annæ de *Bechout*, Catharinæ de *Trajecto*, Elizabethæ de *Clote*, & Mariæ *Zellemans*, Sanctimonialibus Vallis-liliorum; quas de facie & virtute sibi notissimas delegerunt instituendi monasterii directrices. Tabulas fundationis & dotis suo firmavit Diplomate Petrus Abbas Præmonstrati die 11. Maii 1411. In quibus Paternitatem Tongerloensi Abbati delatam à Canonissis approbat, & clausuræ strictæ votum, quod in Ordine passim elanguebat ex dissuetudine, præscripsit, ad postulantium preces; ut indito nomini *Hortus Conclusus*, responderent conclusarum mores & vitæ genus. Petrus Cameracensis episcopus, intrà cujus Diœcesis limites surgebat Phartenon, suo quoque calculo, jam ab incunabulis spirans bonum Christi odorem, cœnobium confirmavit die 23. Julii 1411.

Pietatis operibus, præeunte Magistrâ Annâ de *Bechout*, incumbentes Canonissæ, ad liberalitatem succenderunt proceres & plebeios; qui ut in orationis consortium & meritorum participationem admitterentur, effuderunt eleemosynas, quibus non ad lautiorem vitam, sed ad cultûs Dei incrementum, usæ sunt Moniales. Quippe ut decentiùs sacræ persolverentur laudes, Ecclesiæ ædificandæ tam ex parcimonia collectos fructus, quàm ex fidelium acceptos largitione, impenderunt. Ergò angustiori Capellæ dirutæ imposuerunt nobilem Ecclesiam, quam volvente seculo, die 25. Maii anni 1510. Cameracensis suffraganeus consecravit.

Cùm virtus virtutis incentivum sit, & æmulationis origo, non mirum quòd Herentalensium Virginum porrectæ latiùs laudes, ad arctiorem vivendi formam Sanctimoniales Belgii acuerint. Clausuram resumpsere *Horti-Mariæ*, pridem violatam; Gempenses, & Cæsarei-nemoris Canonissæ harum exemplis ad meliora anhelantes charismata, disciplinæ regularis amplexatæ sunt observantiam; quin & totus Ordo, illarum accensus devotione in S. Barbaram, cujus festum more Duplicis de Capituli generalis consensu celebrabant, celebrandum ritu eodem ubique decrevit.

In eodem spiritu fervoris perseverat illud asceterium, sub Tongerloensis Prælati regimine & protectione florens, & à Præposito ad nutum revocabili administrari consuetum.

Vide Probat. à col. DCXLV ad col. DCXLVIIJ.

HERLAYMONTIUM.

Herlaymontium. Fil. Floreffia. Circaria Floreffia. Diœcesis Cameracensis.

PRæpositura Monialium Ordinis Præmonstratensis *Herlaymontium*, in Diœcesi Cameracensi, & Hannoniæ Provincia, Floreffiensi suberat Abbatiæ, cui natales debebat suos. Fundationis epocham tesseramque ut cumque subministrat Philippus *Brasseur* in suis *Hannonia Cœnobiorum Originibus*. Gerlando Abbate Floreffiensi, & Henrico II. Leodiensi Præsule circa annum 1162. Osto de *Traseignies*, in villa de *Herlaymont*, proprietatis suæ allodio, prædia quædam Floreffiæ deputavit ad Dei cultum, & ad Parthenonis construendi dotem. Oblationes Ostonis gratanter suscepit Gerlandus, laudavit Episcopus Henricus, qui anno 1164. Ticini mortem oppetiit.

Ad Benefactoris votum Sanctimoniales in Æde S. Huberto sacra Herlaymontii, adunavit Gerlandus. Illarum continentissima conversatione devinctus Osto, favere non destitit ad ultimos vitæ dies. Extincto patri successit stirpis ejusdem filius, verùm disparis animi, Ægidius nomine, qui donationem piam & tenuem irritare conatus est. Attamen saniora reversus ad consilia, ab inceptis resiliit, imo circa annum 1195. addititiis Herlaymontium auxit proventibus.

Angustioris sanè fortunæ potiebantur fructibus Moniales, cùm nobilis vir Godescalcus de *Morialmeis*, Jerosolymam profecturus ante annum 1190. quò sibi sanctè viventium preces conciliaret & suffragia, *Floreffia Fratribus, eorumque Abbati Hermanno, contulit patronatum Ecclesia de* Sature, *cum dote integra, & decima tota, & omnibus, ad ipsam pertinentibus, de consensu & favore Radulphi tunc Episcopi Leodiensis*; eâ tamen lege, *ut fructus ejusdem Ecclesia de* Sature, *usibus pauperum sororum de* Herlaymont, *prædicti Abbatis regimini subditarum cederent, ut ex percepti gratia beneficii devotiùs & vigilantiùs orarent pro se.* Consenserunt Floreffiæ Abbas Fratresque. Hinc quietè per aliquot annos prædictis redditibus solæ Herlaymontii Moniales fruitæ sunt. Ast anno 1216. Hugo de *Petrapонte*, Leodiensis antistes, statuit fructus illos inter eum, qui parochiæ de *Sature* præficeretur in pastorem, & Herlaymontense

Herlaymontense Parthenium fore dividendos ex æquo, & ex beneficii æqualitate onerum in utrosque paritatem refundendam. En tibi illius ea de re Diploma:

» In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, » amen. Hugo Dei gratiâ Leodiensis Ecclesiæ » Episcopus, omnibus præsens scriptum inspe» cturis, æternam in Christo salutem. Universi» tati vestræ præsentis scripti paginâ notum fa» cimus, quod cùm Godescalcus, de *Morial-* » *mets*, vir nobilis, Jerosolymam profecturus, » patronatum Ecclesiæ de *Sature*, cum dote » integra & decima tota, & omnibus ad ipsam » pertinentibus, de consensu & favore bonæ » memoriæ Domini Radulphi, Leodiensis e» piscopi, Ecclesiæ Floreffiensi, tunc temporis » in ea præsidente Herimanno Abbate, in per» petuæ beneficium eleemosynæ contulisset; » fructus ejusdem Ecclesiæ de *Sature*, *usibus* » *pauperum Sororum de Herlaymont*, prædicti » Abbatis regimini subditarum, petiit assignari, » ut ex percepti gratia beneficii, devotiùs & vi» gilantiùs pro ipso orarent: quod cùm eis Ab» bas & Ecclesia Floreffiensis benignè conces» sisset, fructus eosdem diù, & non solùm usque » ad tempora nostra, sed etiam temporibus no» stris, sine interruptione, prædictæ Sorores per» ceperunt. Nos autem, quorum est officium » & intentio non solùm malis obviare, sed etiam » bona firmare; propositum nobilis viri, & be» neficium ancillarum Dei inconcusè stabilire » concupientes, & omnem occasionem turba» tionis subtrahere volentes, ad preces Hillini » Abbatis, & Ecclesiæ Floreffiensis, & instan» tiam Arnulphi nobilis viri, filii præfati Go» descalci, dispensatione discretâ & stabilitate » perpetuâ ordinavimus, & jussione insolubili » sancivimus, ut quicumque à præmemorata » Floreffiensi Ecclesia ad curam & regimen sæ» pè dictæ Ecclesiæ de *Sature*, fuerit præsenta» tus, & ordine canonico investitus, mediam » partem proventuum ejusdem Ecclesiæ, tam » in oblationibus, quàm decimis & cæteris om» nibus in sumptus proprios percipiat. Alia au» tem pars media fructuum usibus prædicta» rum Sororum deputetur; nullumque jus re» clamandi in partem ipsarum ejusdem Ecclesiæ, » investitus de cætero habeat; sed sine fraude & » dolo inter partes æqua partitio fructuum fiat. » Hoc etiam necessariò exprimimus, ut sicut » in fructibus dividendis pares sunt in partitio» ne, ita & in oneribus Ecclesiæ, videlicet in » cathedratico & cæteris aliis solvendis, com» munes sint in expensis. Verùm quia scriptum » est, *ante languorem adhibe medicinam*, & » item *ante obitum operare justitiam, quoniam* » *non est apud inferos invenire cibum*: ut no» stri recordationem ancillarum Dei & votis & » mentibus arctiùs imprimamus; statuimus fir» miter quatenus de fructibus ex proventibus » prædictæ Ecclesiæ eis assignatis, refectionem » communem & optimam quolibet anno semel » habeant, quandiu advivimus die quâ elege» rint, & post obitum nostrum in die anniver» saria transitûs nostri, in qua nostri specialem » memoriam in sanctis & devotis orationibus » suis facient, sicque nobis vivo & defuncto » earum refectio proficiet, vivo ad veniam, » defuncto ad requiem. Cæterùm ut hæc nostra » constitutio & necessaria dispensatio firma & » immobilis permaneat, huic chartulæ aucto» ritatis nostræ sigillum appendimus, sub pœna » excommunicationis & suspensionis arctiùs in» hibentes, ne quis ei refragari, vel contra » eam venire temerario ausu præsumat. Actum » anno gratiæ 1216. Pontificatûs nostri an. 17.

Hanc Ordinationem innovavit anno 1247. Henricus *Guelder*, Leodiensis electus, isto Diplomate:

» In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. » Amen. Henricus Dei gratiâ Leodiensis ele» ctus, omnibus præsens scriptum inspecturis » æternam in Domino salutem. Nos quorum » est officium & intentio non solùm malis ob» viare, sed etiam bona firmare, Ordinationem » Ecclesiæ de *Sature*, quam felicis recordatio» nis Dominus Hugo, quondam Leodiensis » episcopus fecit, inconcussè stabilire cupien» tes, & omnem occasionem turbationis sub» trahere volentes, ad preces Domitiani Ab» batis & Ecclesiæ Floreffiensis, dispensatione » discretâ, & stabilitate perpetuâ innovamus, » & jussione insolubili sancimus, ut quicumque » à memorata Floreffiensi Ecclesia ad curam & » regimen dictæ Ecclesiæ de *Sature*, fuerit præ» sentatus, & ordine canonico investitus, me» diam partem proventuum ejusdem Ecclesiæ » tam in oblationibus, quàm in decimis & cæ» teris omnibus in sumptus proprios percipiat: » alia autem pars media fructuum usibus Soro» rum de *Hellamont* deputetur, nullumque » jus reclamandi in partem ipsarum ejusdem » Ecclesiæ investitus de cætero habeat; sed sine » fraude & dolo inter partes æqua partitio fru» ctuum fiat. Hoc etiam necessariò exprimi» mus, ut sicut in fructibus dividendis pares » sunt in partitione, ita & in oneribus Eccle» siæ, videlicet in cathedratico & cæteris aliis » solvendis communes sint expensis. Cæte» rùm ut hæc nostra innovatio & necessaria » confirmatio firma & immobilis permaneat, » huic chartulæ auctoritatis nostræ sigillum ap» pendimus, sub pœna excommunicationis & » suspensionis arctiùs inhibentes, ne quis ei re» fragari, vel contra eam venire ausu temera» rio ullatenus præsumat. Actum anno gratiæ » 1247. electionis nostræ anno 1.

Quo tempore desierit Herlaymontense Parthenium haud notum est; si conjicere liceret, suspicaremur hoc eodem seculo XIII. occubuisse; quippe quòd plures inter Johannem Ducem Brabantiæ & Walterum Floreffiæ Abbatem controversiæ motæ cùm fuissent ab anno 1276. ad 1280. super jure patronatûs in *Helmont*,

vel *Herlaymont*, sex cusa sunt eâ de re Diplomata, quæ inspeximus; nec ullibi fit mentio Sororum inibi commorantium; imo veluti de pura parochia loquuntur Princeps & Abbas.

Extincti Parthenonis filialis prædia mensæ suæ incorporavit & univit Floreffiensis Abbas; & unionem hanc ut adprobarent in Comitiis generalibus adunati Patres anno 1575. supplicavit. Deputatus est Abbas Parcensis, qui post instructam de commodo & incommodo informationem firmaret, infirmaretve. Firmitatis robur impertivit; & in quem casum tunc prolapsa est Herlaymontii fortuna, hodiedum in eo perseverat.

HERMERIA.

Hermeria Fil. Vallis-secretæ. Diœcesis Parisiensis. Circaria Franciæ.

TOtus Ordini addictus Comes Campaniæ Theobaldus IV. Abbatiam, Hermeriam nomine, * in saltu Brigiensi (*Brie*) duabus à Latiniaco * horis, septem à Lutetia, in loco sylvestri ædificare cœpit anno circiter 1166. Susceptum à patre opus, Adelais Ludovici junioris, Regis Galliæ, conjux pientissima, absolvit anno 1202.

* Hermieres.
* Lagny.

Adultam sub auspiciis Reginæ Abbatiam foverunt *Gallandæ* Proceres & *Turnonii* * Dynastæ, Guido, & ejus proles Hugo Decanus, posteà Aurelianensis episcopus, Manasses ejusdem Ecclesiæ Primicerius, & sequiores inclytæ gentis surculi, Ansellus, Robertus & alii, quos inter præcipuos monasterii benefactores Hermeria veneratur.

* Tournham.

His accenset Galcherum de *Chastel* Dominum *d'Airmainvilliers*, Odonem, Toparcham de *Liverdi*, Amardum de Torciaco, *Militem Adelæ illustris Francorum Reginæ:* Dominos denique *Novi monasterii* * & *Buciaci*, à quibus clientelares feodos plures suscepit Hermeria. Fundis olim & opibus dives, nunc verò bellorum stragibus, vicinorum occupatione, Commendatariorum incuriâ, ad tenuem redacta fortunam, paucis contenta prædiis, honorificis mutilata juribus. Qualiscumque sit angustia Hermeriæ modernæ, adhuc tamen censualem exercet justitiam in civitate Provini, * altam in Faveriis * in *Dieulament*, *Lamboüe*, *Labouteuse*, *Sansoy la Jarrie* & Hermeria, melioris status, superstitibus reliquiis.

* Neufmoutier.
* Provins.
* Favieres.

Ex Valle-secreta primos Hermeriæ inquilinos accersivit Comes Theobaldus; iisque Robertum præfecit Abbatem Odo, Vallis-secretæ Abbas, quem passim Dodonem documenta compellant.

I.

ROBERTUS à Dodone I. Abbate Vallis-secretæ, instituitur Abbas Hermeriarum, anno 1167. Bullam à Lucio III. Pontifice anno 1183. impetravit, confirmatricem bonorum Abbatiæ. Successorem Roberto alterum cognominem San-Marthani assignant, anno 1227. ex humanis ereptum. Nos ex Chartis Prioratûs Turnoniensis edocti, intermedium reperimus Garnerum. Jacet verò Robertus in Capitulo sub eâ tumuli inscriptione.

Abbas ROBERTUS omni bonitate repletus.
Vitam reddat ei gratia summa Dei.
Vivat in pace.

II.

GARNERUS anno 1192. mense Septembri, testis fuit & subscripsit Chartæ Anselli Toparchæ *Turnonii*, quæ Priori & Monachis de *Turnonio* omnimodam concedit jurisdictionem.

III.

THOMAS I. Hospitalem S. Trinitatis Parisiensis domum per suos in perpetuum regendam Canonicos, assumpsit anno 1216.

IV.

ROBERTUS II. anno 1227. mortuum referunt San-Marthani; quo fundamento, ignotum. Successor ejus Thomas ab anno 1223. jam præerat, ut ex autenthico actu mox sumus demonstraturi. In ingressu Capituli humatus Robertus, hoc elogio sepulchrali donatus est.

Abbas ROBERTUS anni virtute refertus
Quem tegit hæc tumba, fuit in serpente columba.

V.

THOMAS II. Dei patientiâ Hermeriarum dictus Abbas, *quittat* Ecclesiæ Sanctimonialium de *Nemval*, 15. sextarios bladi *redditüales*, quos habebat in decimâ de *Prunoio*, eò quod Galterus Miles de *Bernaio*, assensu uxoris suæ Elizabeth, in concambio concesserit Ecclesiæ de *Hermeriis*, in molendino de *Ponte Petri*, octo sextarios æquipollentis mensuræ. Actum mense Junio anni 1223. Post motas ab Ansello de *Gallandia* Domino *Turnonii*, lites contrà Thomam Abbatem, pro vindicanda sibi Hermeriarum Advocatia, tandem prætento juri, & ex testium relatu planè caduco, renuntiat, in mense Maio anni 1237. addens insuper, » Nolo ut prædicta Ecclesia Hermeriarum, quam multùm diligo, & in qua » meam elegi sepulturam, de cætero molestetur. Volo & concedo, ex assensu Aleïdis » uxoris meæ, Anselli filii mei, quòd prædicta » Ecclesia Hemeriarum omnimodam justitiam, » tam altam, quam bassam, & omne jus & dominium in tota terra sua, sita in feodo suo » de *Turnonio* plenariè habeat.

Ad annum 1247. protraxit sui regiminis dies Thomas, is erat de gente illustri Montmoranceiana, & frater Aleïdis (a) uxoris Anselli de Gallandia. In limine Ecclesiæ sepulturæ tradito, hoc superaddidere carmen posteri.

» THOMAS Prælatus vir pius & moderatus
» Nobis sublatus jacet hoc tumulo tumula-
» tus,
» Vitam reddat ei gratia summa Dei.
» 26. annis vixit Abbas anno Domini 1247.

Hinc liquet exordium Præsulatûs Thomæ ad annum 1221. vel 1222. esse reducendum.

VI.

GUILLELMUS I. in medio Capituli jacet elogio hoc funebri decoratus.

» Abbas GUILLELMUS gladio feritatis inermus
» In grege commisso, tumuli jacet hujus
» abysso,
» Liber ab inferno vivat cùm Rege superno,
» Anno 1263. vixit Abbas duobus annis
» Et tribus mensibus.

Hunc ego lapidem non vidi, viderunt forsitan San-Marthani fratres, quorum ætate innovatum needum erat monasterium. In Necrologio transcripta legi monumenta priorum Abbatum, consentiunt cum San-Marthanorum tabulis, demptâ nihilominùs chronologiâ Guillelmi I. nam loco 1263. arabicè figurato, numerum romanum inveni MCCLXXIII. De hac annorum diversitate quid sentiam, ut ingenuè fatear, dico utramque ex amanuensium, aut legentium errore esse vitiosam. Si enim Guillelmus annis duobus tantùm cum trimestri Abbas vixit, planè anno 1260. inchoante, desiisse necessum est.

VII.

JOANNES DE *ROSOY* in medio Capituli cum inscriptione hac gallica inhumatus est.

Cy git feu JEHAN DE *ROSOY* Abbé d'Hermieres, qui fut mort en mois de Decembre MCCLXXIX. Priez por ly.

VIII.

MILO ad diem decimum nonum Decembris istam habet in Obituario commemoranem. » Comm. Domini Milonis quondam » hujus Ecclesiæ Abbatis, cujus tumulus in » dextero latere Capituli cum hoc elogio visi» tur. *Hic jacet Dominus Milo quondam Abbas hujus Ecclesiæ, qui obiit anno Domini MCCLXXXXIV. die Dominicâ ante Nativitatem Domini. Anima ejus, & anima omnium fidelium defunctorum requiescant in pace.*

IX.

GUILLELMUS II. in Capitulo tumulatus, hanc habet epigraphen, in Obituario relatam ad 26. Novembris.

Hîc jacet GUILLELMUS quondam Abbas hujus Ecclesiæ, qui obiit anno MCCXCVII. die Martis ante Festum B. Andreæ Apostoli.

X.

SIMON, à San-Marthanis prætermissus, à Necrologio restituitur ad diem 1. Martii. *Commemoratio Fratris ac Domini Simonis hujus Ecclesiæ Abbatis, qui vivebat anno 1306.*

XI.

LAURENTIUS, & iste à San-Marthanis omissus, suppletur ex Obituario ad diem 1. Maii. *Commemoratio Fratris ac Domini Laurentii hujus Ecclesiæ Abbatis, qui vivebat anno 1347. vixit & anno 1348.*

XII.

JOANNES *DAVID*, Gaudii-Vallis insimul Abbas 1368.

XIII.

JOANNES *COLDOE'*, Testamenti curator à Galchero *du Chastel*, Domino *d'Airmainvilliers* anno 1380. nominatus, obiit anno 1396. In Capitulo jacet ad lævam.

Cy gist JEAN *COLDOE'* Abbé d'Hermieres qui fut né de Montevrin, Mil......
Priez pour l'ame.

De illo meminit Obituarium ad 4. Januarii.

XIV.

JOANNES *BERELLE*, relatus in Obituario ad 17. Januarii, mortuus asseritur anno 1400.

XV.

JOANNES 6. Februarii defunctus, anno 1406.

XVI.

ADAMUS, Vicarius generalis præfuit electioni Joannis *Touppet* Abbatis Gaudii-vallis, 1438.

XVII.

JOANNES *LA VACHE*, 18. Martii 1438, in domo Trinitatis Lutetiæ electus à Conventu illîc consistente, ob bellorum sævientium in pago Parisino, incendia, 1447.

XVIII.

MATHÆUS *ROUSSEL*, 7. Februarii 1463.

XIX.

JOANNES *RICHARD* 1501.

(a) Hujus Thomæ non meminit Duchesnius in sua Montmorantiacæ gentis historia, quem tamen Bouchardi VI & Isabellæ de *Laval* filium, fratremque Alcidis seu Havoisæ uxoris Anselli de Gallandia fuisse constat, non modò ex San-Marthanis fratribus, sed ex Obituario Hermeriarum ad diem 23. Maii. ubi hæc leguntur, „ Comm. Domini Thomæ hu„ jus Ecclesiæ Abbatis fratris Dominæ Haoysæ uxoris Domi„ ni Ancelli de Gallanda.

XX.

ANDREAS *RICHARD*, 1504.

XXI.

JOANNES *DU SAULSAY*, 30 Novembris electus 1504. moritur anno 1521. Bonorum & fundorum Ecclesiæ administrator malus, pleraque oppignoravit, alienavitque; nec tamen hoc exemplo territi Capitulares, nepotem defuncti ad clavum sustulere, quasi in propagine vitiata, spem resurgendi fas esset habere.

XXII.

JOANNES *DU SAULSAY*, 11. Decembris 1521. electus, 11. Decembris moritur anno 1533. et cum eo regularitas tituli, non monasterii, quippe à prædecessore suo jam jam pessumdata; nonnisi sub Commendatariis pristinum Ordo recuperavit decus, sub Priorum circumspecto & regulari regimine.

XXIII.

JOANNES DE *RUTHIE*, 1538.

XXIV.

ROBERTUS *TIERCELIN*, Senator Parisiensis.

XXV.

GUILLELMUS DE LA *CHESNAIE*, 1558.

XXVI.

JOANNES *BOUCHER*, 1568.

XXVII.

PETRUS *TURBOT*, 1577.

XXVIII.

N.... *GAROT*, 1588.

XXIX.

LUDOVICUS Cardinalis à Guisia, in Comitiis Blesensibus interfectus, anno 1588.

XXX.

N.... DE LA *GRANGE-LE ROY*, obiit 1597.

XXXI.

FRANCISCUS *FAVIER* 31. Martii 1597. à Rege nominatus.

XXXII.

CLAUDIUS *REGNAULT* 4°. Nonas Junii 1597. bullatus, 1641.

XXXIII.

AMADOR DE *RICHELIEU*, 1644.

XXXIV.

JACOBUS CAROLUS *AMELOT*, 1650.

XXXV.

CAROLUS *AMELOT*, 1700.

XXXVI.

EMUNDUS *PIROT*, Universitatis Parisiensis Cancellarius, Professor Sorbonicus, Canonicus & Vicarius generalis Metropoleos Parisinæ, 1714.

XXXVII.

CAROLUS STEPHANUS *FRESSON*.

PASTORATUS.

Favieres.
Ferieres, Ferraria.
Renémoulin, Renemolium.
Pont-quarré, Potum quadratum, olim filialis Ecclesiæ Ferrariæ, ab anno 1506. in Vicariam perpetuam sublevata, sub conventione quòd à Religiosis Hermeriarum perpetuis temporibus administrabitur. Qui tamen Religiosus, inquit Charta erectionis, de gremio dicti monasterii de Hermeriis, & non secularis existat. Hi quatuor Pastoratus in Diœcesi Parisiensi consistunt.

Chastillon.
Courtry. } Diœcesis Senonensis.

Fons secreti (Segret) olim Prioratus Conventualis in Diœcesi Meldensi, in Commendam secularem transiit, & quasi hæreditariam familiæ de *Brisacier*, ab avunculis in seros nepotes migravit, & nostrâ ætate, à nepote refluxit in avunculum, à quo priùs per resignationem susceperat nepos.

Domus sanctæ Trinitatis in vico San-Dionisii Parisino constitura.

MONUMENTA SEPULCRALIA.

Guido de Gallanda nomine 1us. jacet ad cornu dextrum summi altaris.

Ad sinistrum verò sepultus est Ancellus de Gallanda. Ab anno 1237. suam ultimæ quietis sedem in ea designarat Abbatia, quam *multùm se diligere* protestatur in Charta hujus temporis, amicabilem inter ipsum & Abbatem Thomam resarciente concordiam, cui accessit Aleïdis uxor ejus, & Ancellus utriusque filius.

In eodem Sanctuario tumulatus est die 17. Aprilis Ancellus de Gallanda ordine 4us. anno 1287.

Communi tumulo juncta est ipsi Haoïsis de Monmoranciaco, ejus uxor, mortua improles 11. Novembris 1286.

In Navi Ecclesiæ eminet tumba Joannis de *Neufmoutier*, inscriptionem hanc exhibens.

Cy gist Monsieur JEHAN DE *NEUFMOUTIER*,
Chevalier, qui trèpassa en l'an de grace
MCCLXXIX. au mois de Janvier.
Priez pour son Ame.

Vide Prob. à col. DCXLVIIJ. ad col. DCLJ.

S. HILARIUS.

S. Hilarius. Fil. S. Lucii. Diœcesis Curiensis. Circaria Suevia.

AD Curiæ muros, & in montis vertice situs erat Parthenon S. Hilario sacer, quem paternâ & immediatâ autoritate regebat Abbas S. Lucii, & ejus nomine residens Prior ab illo missus. Ardente per Rhætiam hæresi, in cœnobium irruerunt furiones acatholici, & ejectis Monialibus, vastarunt omnia.

HILDEBURGRODE.

Hildeburgrode. Diœcesis Verdensis. Fil. S. Mariæ Magdeburg. Circaria Saxoniæ.

PRæpositura virorum *Hildeburgrode* in inferiori Saxonia, originem & dotem accepit seculo XII. mediante, à nobilibus Toparchis de *Rabensburg*, de quorum sanguine prognatus erat Conradus Herbipolensis antistes, Henrici Imperatoris VI. & post ipsum Philippi Regis Cancellarius, quem justi æquique amantissimum, raptorum & sceleratè viventium summum osorem prædicat Bruschius; Regi nihilominùs Philippo de fide suspectum, quod Ottonis Regis, æmuli sui, partes, ut Pontificis summi favorem captaret, videretur amplecti. Eum de Cancellariatu summovere dum Princeps deliberat, Henricus majoris Ecclesiæ Magdeburgensis Decanus, ambiens officium, gratiam Regis multiplici arte promereri satagebat. Verum Gerhardus de *Rabensburg*, Dominus in *Uberbein*, Conradi germanus frater, vindicaturus fraternam injuriam, supplantatorem petit ex insidiis juxtà Claustrum *Haldisleve*, eique oculos eruit, ut scriptoris officium, ad quod anhelabat, nunquam posset obire. Ambitionis machinationes crudeli facinore elusas, eluit homo barbarus, & ad Præposituram de *Hildeburgrode*, ex proprietate majorum suorum fundatam ablegatus, pœnitentiæ lacrymis lavit crimina sua, & in festo sanctæ Magdalenæ peccatricis anno 1200. ad Ecclesiam deportatus æger, & sago superpositus, occubuit inter manus hortatoris Alexii Præpositi, viri omnimodè commendabilis, quem Imperator Fridericus Lubecensi Ecclesiæ designarat Episcopum anno 1183. Sed ob Canonicorum contradictionem, unum de gremio suo postulantium, ab Episcopatu exclusus est Alexius. *Hildeburgrode* Saxonicis revolutionibus obrutum concidit.

Chron. Montis-sereni p. 56. apud Hoffman Rerum Lusatic. part 4. T. 1.

Vide Probat. à col. DCLj. ad col. DCLij.

HILGENTHAL.

Hilgenthal. Fil. Cappenberga. Diœcesis Verdensis. Circaria Saxoniæ.

TEmpore Ottonis & Willelmi Ducum Brunswicensium & Luneburgensium, Verdensem regente Ecclesiam Nicolao *Ketelhud*, anno Christi 1314. ad instantiam Everhardi Canonici Sancti-montis * Ordinis Præmonstratensis, Lippoldus de *Doren*, Miles inclytus, Præposituram Hilgenthalensem, quæ latino idiomate *Sanctæ vallis* dicitur, ædificavit in proprio allodio de *Keregheldersen*, aliàs *Geldersen*, Diœceseos Verdensis, loco palustri, buffonum horribilitate, ranarum ac vermium abundantiâ, aëris & soli intemperie corrupto secessu, fœtentibus ac immundis aquis illic scaturientibus restagnante, humanæ demùm societatis sic adverso, ut robustissimos quosque aura inficeret, prostraret fortissimos, arceret ab ingressu candidatos, & jam militiæ inscriptos ad defectionem provocaret. Trium annorum spatio iniquiorem hanc habitationem sustinuerunt patientes incolæ, donec urgente inopiâ rerum, & quotidianæ mortis instantiâ, ad *Zibelinghorsteld*, ejusdem parochiæ saniorem situm, transmigrare jussit Episcopus Verdensis. Sexaginta quinque annis illic steterunt; sed contrà spem, easdem penè afflictiones, aëris inclementiam haud dissimilem, insectorum copiam, & fontium inopiam experti sunt talem, ut de transferendo iterum cœnobio deliberaverint Canonici. In *Ulleßen* juxtà Ducis Curiam deportandum suadebant alii, alii in Luneburgica civitate collocandum censuerunt, & hæc ultima sedes arrisit præ cæteris Ottoni Præposito. Sed quoniam Principis, Consulum, & Episcopi accedere priùs debebat suffragium, ut posteà Ordinis consensum exposceret, Wenceslai & Alberti Saxoniæ & Luneburgi Ducum gratiam, per se & per amicos emereri satagit, & reipsâ sic emeritus est, ut benevolentissimo Diplomate translationem approbante, spoponderint. In eam convenere Consules; non abnuit Joannes Verdensis Episcopus, sed sancitis priùs concordiæ pactis cum Rectore parochialis Ecclesiæ S. Joannis, intrà cujus ambitum erat imponenda monasterialis Ecclesia.

** In Diœcesi Bremensi.*

His ita ad votum dispositis, Otto ad indicta Præmonstrati Comitia advolat festinus, ibique Patres exorat, ut translationi undequaque utili, supremam dignentur apponere manum. Rei totius seriem, & rationum summam, quasi pro domo sua orans, luculenter exposuit. Præpositum Cappenbergensem, tanquam Patrem-Abbatem, Commissarium cum plenitudine potestatis delegavit unà cum Capitulo Petrus Præmonstrati Abbas, & Comitiorum Præses.

Impositum munus obire per se non valens Adolphus de *Recke* Præpositus Cappenbergæ, provinciam hanc Hermanno Abbati Sancti-montis transmisit. Iste ad preces Ottonis *Hilgenthal* petit, commodum & incommodum explorat propiùs, utilem, imò necessariam fore translationem, pensato rationum momento, judicat, & suæ visitationis acta tradit Cappenbergensi Præposito. Promptam, & ad optata responsionem præstolabatur in dies Otto Præpositus; sed discolis Fratribus nonnullis placuit objectis obicibus, expeditum retardare assensum, nec voluit ante Adolphus approbare transmigrationem, quàm diligentiùs cum Prælatis vicinioribus rem scrutatus, utilissimam Ordini, disciplinæ accommodatiorem perspexisset. Aderat cum illis Sancti-Montis Abbas, qui cunctantes, ponderosis rationibus ad unanimem rapuit consensum.

Votis potitus Otto, celerem admovit ædificiis manum, officinas instruit, parat Ecclesiam, & suppetias laboranti subministrant collaborantes amici, Hermannus de *Nyemborg* Abbas Sancti-Montis, & Provinciæ Visitator, Joannes *Weyghergane* Præpositus in *Lune*, & Archidiaconus loci. Adjuvant conatus Principes optimi, devoti Consules, Cives Christiani, & ita ad fastigium deductam Ecclesiam consecrat Henricus Episcopus anno 1376. in die SS. Martyrum Tiburtii & Valeriani, ad honorem S. V. Mariæ, SS. Andreæ Apostoli, Laurentii Martyris, & Augustini.

Quia verò continendæ toti Communitati impar erat ædificium, nonnisi partem submisit Otto, quæ fidelium pietati sufficeret, & claustrorum invigilaret structuræ. Quibus ritè perfectis, ad securitatem posteritatis, Diploma introductionis confirmativum à Principibus sibi concedi efflagitavit. Piè petitum, humaniùs indulserunt Principes. Quo quidem munitus, alterum rogavit ab Episcopo, ultrò sibi datum. Utraque potestate subnixus Otto, in Luneburgense cœnobium solemni apparatu suos Fratres inducit 26. Augusti anno 1383. Et ut primæ sedis primum nomen conservaret, suum neo-monasterium voluit appellari *Hilgenthal*, sive *Sancta Vallis*. Utriusque cœnobii Rectorum hæc est series.

I.

EVERHARDUS: Ille enim in Ordine Præpositorum primus esse debet, qui fundamenta Præpositurae jecit. Quippe Ecclesiam parochialem *Geldersen* adeptus cum villis de *Sudergeheldersen & Westergheldersen*, cum potestate unum, vel plures ibidem socios aggregandi, fecit paulopost de domuncula Præposituram anno 1314. & Provisor illius deputatus est, & fundationis originales litteræ ei tanquam autori inscriptæ sunt sub Provisoris nomine. Huic suffectus est

II.

HENRICUS *DE BUCKEN*, cui Gerlacus Præpositus & Lutchardis Priorissa in *Lune* vendiderunt anno 1338. Curiam cum omnibus ædificiis quæ possidebant Luneburgi. Sub nuncupatione itidem Provisoris novi monasterii in *Hilgendale* in hoc contractu sistitur Henricus. Sub successoris regimine vocabulum istud exolevit, & in Præpositi nomen immutatum est.

III.

MARQUARDUS cum Daniele episcopo Verdensi diù decertavit super causis & litibus, quas ratione fundi translati nuper monasterii, suscitarat Episcopus, structam in solo pertinente ad mensam Episcopalem, allegans fuisse Ecclesiam, prætermisso antecessoris consensu. Insuper electionem Marquardi à Præposito Cappenbergensi confirmatam, ausus est uti nullam impetere, quasi in vilipendium suæ autoritatis factam, & suâ destitutam confirmatione. Ad sedem Apostolicam causam utramque provocavit Marquardus, & per se, & per internuncios, illas propugnavit Avenione coram Benedicto XII. Verùm ingravescens, & infirma ejus ætas tot sufferendis laboribus impar, ad spontaneam Præpositurae abdicationem impulit. In ejus vicem vocatus est

IV.

JOANNES *ADVOCATI*, Canonicus Hilgenthalensis, ad Abbatiam Montis-Sancti, vel Montis-Sanctæ Mariæ olim provectus unanimi Fatrum concordiâ. Vir erat opere strenuus, sermone potens, cordis infracti, & majoris ingenii; qualem esse decebat, ut acriter oppugnatam à præpotente Episcopo Præposituram deffensaret vividiùs. Illum per canonicam electionem postulavere Hilgenthalenses. Posthabitâ honoris & dignitatis imminutione, colla supposuit oneri Joannes, Abbatiæ valedicens, & viriliter electionis libertatem in Romana Curia vindicatam evicit. Tùm Daniel Episcopus ad aliorum jurgiorum compositionem, aures accommodavit dociles, & amicabili tractatu sopivit anno 1355. At quoniam iste Daniel, professione Carmelita, pacem nec cum Capitulo suo, nec cum Prælatis suæ Diœceseos habere poterat, sedem monasterii mutare, & in Ratzeburgensem agrum transferre meditatus est Joannes. Consilium nihilominùs deseruit, dum sibi infensum Præsulem ultra Rheni partes fugere vidit, ut odia Civium & Cleri declinaret. In exilio moritur Episcopus; moritur & ipse Joannes inter suos, cui Fratrum electione sufficitur

V.

ALBERTUS *WITTEMACH*, qui ad Curiam

Pontificis summi pro vindiciis electionis & privilegiorum Ordinis antehac orator à Joanne abblegatus, causam feliciter dixerat. Ad monasterium in Verdense oppidum transferendum ex eo vel maximè incitatus est, quòd Rodolfum Danielis in Episcopatu successorem, benovolum ubique reperiret. Amicos super hac demigratione dum consulit, suboritur *Magni* Ducis Luneburgensis bellum in proprios cives, quo fervente, à proposito dimovetur Albertus, quo cessante ad prima redit consilia, sed mors consiliis finem, & vitæ terminum imponit anno 1374.

VI.

OTTO *KÜLTZING* tentatam toties monasterii translationem ipse in *Luneburg* consummavit anno 1382. Ecclesiæ consecrationem procuravit, Canonicos, festivos inter populorum concursus, induxit in monasterium anno 1383. Præpositurae historiam ab incunabulis derivatam ad sua usque descripsit tempora, quam doctissimus Liebnitius T. 2. Scriptor. Brunswicensium p. 383. & seqq. totam ex autographo sumptam inseruit. Hic hæreret Præpositorum syllabus nisi offerret nobis

VII.

HENRICUM tabula compositionis initæ ipsum inter & Henricum episcopum Verdensem anno 1423. quâ ancipitem proprietatem fundi de *Hilgenthal*, antiquitùs dicti *Sibilighorstol*, jure legitimo pertinere profiteteur Episcopus ad Præposituram.

Anno 1473. Buschius reformationem monasteriorum Saxoniæ aggressus, ad monasterium Luneburgense, Ordinis Præmonstratensis, divertit; ubi humaniter exceptus à Præposito, ab eodem Cunradum de *Ulzen* Suppriorem obtinuit, zelo disciplinæ ferventem; quocum reformationem S. Mariæ Magdeburgensis antehac tentatam frustra, absolvit feliciter.

Tom II. Brunswic. Scriptor apud Liebnitz. p. 857.

Perseveravit hæc Præpositura Luneburgi usque ad funesta hæreseos tempora.

Vide Probat. à col. DCLIJ. ad col. DCLIX.

HINSBERGA.

[Hinsberga. Fil. Præmonstrati. Diœcesis Leodiensis. Circariæ Westphaliæ.

PRænobile Virginum cœnobium, à civitate cui priùs adhærebat, (posteà translatum intrà muros) Hinsbergæ nomen obtinuit. In Ducatu Juliacensi, & Diœcesis Leodiensis ambitu positum, Fundatores habuit Goswinum Hinsbergæ * Dynastam, & Aleidem Palatinam Sommersbergensem ejus sponsam; consecratorem, Henricum Leodii Præsulem, qui ab an. 1145. ad 1164. Leodiensium Ecclesiæ præfuit.

* Hinsberg.

Utrique sexui, sed domiciliis distinctis separato, deputatum ab origine cœnobium extitisse, non probat primordialis Charta. Posterius Diploma Philippi Coloniensis archiep. anno 1180. conscriptum, tacito Sororum nomine, Fratrum Hinsbergæ meminit tantummodò. Bulla Cælestini III. anno 1194. solis est Sororibus inscripta. Alternationem sexûs, ex alterna denominatione suspicareris, nisi ad mores Ordinis antiquos attenderes, qui Virginibus, ne sibi permitterentur, solebant in contiguis ædibus adunare Canonicos, qui spiritualibus auxiliis succurrerent. Imminuto paulatim Canonicorum numero, evasit in Parthenonem Hinsberga, nec ultra sub alio nomine audiit. Hanc resecationem Fratrum contigisse conjectat Joannes à *Dillen*, Hinsbergæ Præpositus & Chronographus, anno 1479. dum monasterium, promovente Digna, Baronissa de *Bockholz*, Priorissâ, ad strictioris observantiæ disciplinam sacramento se adstrinxit, hortatore Dyonisio Rikelio Carthusiano, qui Hinsbergenses Canonissas ad perfectioris vitæ genus ineundum, transmissis libellis pietatem spirantibus, stimulaverat, sub hac epigraphe, *de Professione Monialium, de Mortificatione vivifica, & Reformatione interna. De Profectu spirituali, & custodia cordis.*

Arreptam eâ ætate reformationem, non quam ab cunis Ordo assumpserat, sed quam temporum patiebatur infelicitas, & votorum ac clausuræ observantia exigebat, sequaces Priorissæ ad nostros propagarunt dies. Catharinam de *Bockolz*, excepit in Magisterio Cæcilia de *Harff*, cui anno 1539. successit Juditha de *Harff*; eique demortuæ sufecta est anno 1572. Catharina *d'Fynatten*, quâ humanis exemptâ, anno 1613. ad magisterium assumpta est Margareta de *Beissel-à-Gymnich*, & illa anno 1623. obeunte post tentatam invectionem reformationis antiqui rigoris, in suum collegium, Anna *Ulatten* de *Frotzheim* electa est, cui successit anno 1639. Elizabeth, cujus germana soror anno 1653. viam universæ carnis est ingressa. Catharina de *Hochstеden* hæres data est illi, quæ & ipsa obiit anno 1661. Aleidis de *Harff* successit & obiit anno 1668. Elizabeth de *Speez* successit & obiit anno 1669. Lietardis *Delheydin* successit & obiit an. 1690. Anna Magdalena de *Bockolz*, Reformatricis neptis, & tota reformationem moribus exprimens, in defunctæ locum accersita est. Illam anno 1715. de facie novimus, dum in Juliacensi Ducatu, causâ studiorum, versaremur. Ejus in regendo prudentiam propiùs explorantes inspeximus, & dignam intelleximus imperio, quæ cæteris præerat exemplo virtutum. 7. Aprilis anni 1716. morte præoccupatam luxit Hinsberga matrem verè tenerrimam, & Magistram venerabilem amissam. In mortuæ locum elegerunt Magdalenam de *Efferen*, ad

majorum apices moderantem hodie 1730.

Cùm Carolus V. Imperator de jure Ducatûs Geldriæ, cum Willelmo Juliæ & Cliviæ Duce decertaret anno 1542. monasterium ad occidentalem Hinsbergensis Castri partem constitutum, à Cæsaris militibus cingentibus Hinsbergam, flammis concrematum aiunt; putant alii injectum à Juliacensibus ignem, ne monasterio tanquam arce utentes Cæsariani, oppidum expugnarent faciliùs. Remisso armorum æstu, & pace compositâ, de novo Parthenone condendo actum est, ut gyrovagæ Sanctimoniales ad ovile revocarentur. Quæstio ad Comitia Patriæ deducta est, & decreto sancitum à Proceribus, intra civitatis mœnia transferendum, privilegiis, juribus, immunitatibus antiquis gavisurum, & civicis liberum oneribus. Suo assensu, Procerum firmavit sancita Princeps Juliacensis 5. Aprilis anni 1550.

Ocyùs ædificiis admovit manum Præpositus P. Brunius, & in umbilico oppidi, ubi tùm Hospitale stabat, cœnobium aggressus est construere, anno 1554. consummatum. Ad fabricam Templi sollicitudines deinde apposuit, quod anno 1557. omnibus absolutum numeris, consecravit P. Gregorius Sylvius Ordinis Prædicatorum, & Georgii ab Austria Leodiensis episcopi Suffraganeus. Hæc illa est Ecclesia sat elegans, in cujus odæo Virgines viginti quinque nobilitatis antiquæ, & Equestris, nullo pecuniario interveniente pacto, in habitu seculari per annum probatæ, severiori postmodum examine per biennium probandæ in Novitiatu, divinas laudes exsolvunt. Sub Præpositi, quem sibi deligunt, regimine, plerumque, ut vidimus, onerosi, nomen & supercilium Prælati, cruce pectorali, & scapulari discincto, attolentis, vivunt oviculæ, Pastoris raro vocem audientes, duorum ex Ordine Capellanorum assuetæ ministerio. Primitùs nomen habebat Prioris, modò Præpositi, gestantis infulas. Anno 1201. quadraginta ut minimum, annis, ab Hinsbergæ fundatione, præerat Parthenoni sub Prioris titulo, Theodoricus, qui emissas è gremio Hinsbergæ Canonissas, in San-Gerlaci ad quercum cœnobio locavit.

I.

Anno eodem, eidem THEODORICO Gosvinus de *Walckenberg*, fundatoris nepos, dotem Hinsbergæ augens, Ecclesiam de *Geilenkircken* contulit.

II.

Sacræ Anti 3. Monum. Epist. 122. p. 109. JOANNES, Theodorici successor, censurâ Ordinis in Præpositum sublevatus est, & quà talem Gervasius Præmonstrati Abbas, delegavit ad examen causæ, quæ inter Magistram de *Fussnich*, & Hamburnæ Abbatem vertebatur. A Capitulo generali anni 1232. asserta est Joanni, tanquam Præposito, Paternitas in S. Gerlaci Parthenium.

III.

GISBERTUS florebat an. 1233.

IV.

JOANNES II. dissipatas S. Gerlaci reliquias elegantiori tumulo recolligens, sub opere arcuato condidit.

V.

JOANNES III. vivebat anno 1267.

VI.

EDMUNDUS, anno 1274.

VII.

WINRICUS Canonicus Steinfeldensis, Præpositum gessit ad annum 1279.

VIII.

BRUNO D'ESCH., anno 1297. à Cunone de *Ensfeldt* Milite, accipit feudum in *Hoengen*, propè *Aldenhoven*, & anno 1299. emit ab Arnaldo de *Rendenrat* quindecim jugera feudalia.

IX.

ALARDUS 1320.

X.

GUMBERTUS anteà Canonicus Steinfeldensis, 1335.

XI.

JACOBUS 1337.

XII.

LEO 1350.

XIII

EDMUNDUS II. 1357.

XIV.

JOANNES IV. 1358.

XV.

HERMANDUS DE *BONNA*, Canonicus Steinfeldensis, 1370.

XVI.

ENGELBERTUS 1393.

XVII.

JOANNES V. DE *RODE*, 1396.

XVIII.

JACOBUS DE *RODESHEIM*, postulatus posteà Abbas Steinfeldensis.

XIX.

JOANNES VI. DE *WEDA*, 1416.

XX.

XX.

PETRUS 1428.

XXI.

CHRISTIANUS *TENNEN*, 1439.

XXII.

JOANNES DE *BRAIKETEN*, Canonicus Steinfeldensis, monumentorum & litterarum disquisitor laboriosissimus, Chartas Heinsbergæ in duos redegit codices propriâ manu descriptos; à Capitulo generali anni 1452. obtinuit licentiam Presbyteros seculares admittendi in Ordinem, & professione factâ, deducendi ad regimen Parochiarum Hinsbergæ incorporatarum, 1464.

XXIII.

HERMANNUS anno 1465. Abbatem Steinfeldiæ præsentavit Coloniensi archiepiscopo.

XXIV.

WILLELMUS electioni Abbatis Knecstedensis interfuit, anno 1474.

XXV.

THEODORICUS *AB HATFELD*, collapsæ disciplinæ reformator 1487.

XXVI.

HENRICUS DE *VESALIA*, 1498.

XXVII.

JACOBUS DE *VALLE*, aliàs *Dalde*, factus deinde Abbas Insulæ B. M. V. Trajectensis Diœcesis, anno 1500.

XXVIII.

PILGRINUS resignavit, anno 1502.

XXIX.

RAINERUS *ROST* 1533.

XXX.

WILLELMUS *VILRE*, de consensu Prælatorum Westphaliæ mitrâ decoratus fuit, & cum istis insignibus in sepulchrali lapide sculpta cernitur Hinsbergæ, effigies illius ante summum altare, 1541.

XXXI.

LEONARDUS *BRAUNS*, cujus ætate ascetærium extra urbis muros positum, injectâ à milite flammâ, deletum est. Ex quo incendio & ruina, vix Pastor & oves elapsi, huc illucque divagabantur. Præpositus ad Pastoratum secessit, successorem relinquens, anno 1544.

XXXII.

PETRUM *BRAUNS*, qui magnis & constantibus curis novum in ambitu Hinsbergæ Parthenonem exstruxit, & Virgines apud cognatos hærentes, inclusit sub cancellorum repagulo, 1556.

XXXIII.

CHRISTIANUS *HAMMEREN*, die 18. Maii periit desertor dignitatis & Instituti sui, anno 1559.

XXXIV.

HENRICUS *A GILLERATH*, 1595.

XXXV.

HERMANNUS *AB ELDEREN* resignavit, 1604.

XXXVI.

PETRUS ROTARIUS, 1609.

XXXVII.

MARTINUS *AB HUNSHOVEN*, 1639.

XXXVIII.

JOANNES *COMMENDEURS*, ex œconomo Knecstedensi, Præpositus Hinsbergæ, à Romano Pontifice confirmatus, ob Præmonstratensis Abbatiæ vacantiam: ipso suæ electionis anno necdum elapso, sponte abdicavit, 1639.

XXXIX.

JOANNES à *DILLEN* ex Abbate Scheidensi postulatus Præpositus Hinsbergæ, ultro postulationem sine forma juris arripit; unde semina jurgiorum in Ordine, & possessoris in obeundo munere perturbationes, quas nonnisi per novam institutionem sedare potuit. Penè pacatus senex, historiæ Hinsbergensis accuratus scriptor, obiit anno 1670.

XL.

CONSTANTINUS FERDINANDUS à *LOHE'* Canonicus Clarholtanus, & ibidem Prior, baculum Pastoralem, in ostensionem suæ Prælaturæ, sibimet imposuit, ut dignitatem suam, cui invidebant æmuli, indebito hoc honore suffulciret, 1692.

XLI.

GASPARUS *HILLEBRINK* ex Pastore in *Lobbrik* eligitur Præpositus, 1708.

XLII.

JOANNES NORBERTUS *BECKERS*, Canonicus Knecstedensis, ex Pastore in *Hoëngen*, eligitur Præpositus 8. Decembris 1708. Obiit vir inutilis 13. Julii 1720.

XLIII.

FRIDERICUS *DOLDENS* Canonicus Saynensis, eligitur Hinsbergæ Præpositus 28. Augusti 1726. & hodie præest.

PATERNITAS.

Unicâ prole gloriatur Hinsberga; similem sibi genuit filiam, Præposituram S. Gerlaci.

PASTORATUS.

Hunshoven, in Ducatu Juliacensi, Diœcesis Coloniensi, ex donatione Theodorici Domini Hinsbergæ, & Isaldæ uxoris ejus, anno 1184. indict. 2. regnante Friderico Imperatore; quam traditionem confirmavit Honorius III. Pontificatûs sui anno 5. hoc est 1221.

Hoengen, eorumdem Ducatûs & Diœcesis, ab iisdem Hinsbergæ Dynastis eodem anno traditus, & confirmatus ab Honorio Papa III. an. 1221.

Brachelen, Hinsbergæ collatus anno 1245. ab Henrico de *Sponheim*, & Agnete illius conjuge; confirmatus à Clemente IV. anno 1268. & ista Parochia in Diœcesi Coloniensi consistit.

Geilenkirchem, à D. Goswino Comite Valckenburgensi, & Aleide sponsa, contraditus anno 1201. confirmatus eodem anno ab Rudolpho Archidiacono Leodiensi; ab Episcopo Prænestino S. Sedis Apost. Legato, an. 1210. tandem anno 1221. ab Honorio III. Pontifice.

Gangelt, ex munificentiâ Theodorici de Hinsberg, & Joannæ conjugis, an. 1268. cui annectitur succursalis Ecclesia.

Hoegen prope *Sittard*.

Teveren.

Hi quatuor Pastoratus in Diœcesi Leodiensi sunt.

Brunsheim.
Jabeck. } Diœcesis Ruremundanæ.
Schinfeld.

CAPELLÆ.

SS. Georgii, Nicolai, Catharinæ, Joannis Baptistæ, Barbaræ in Parochia de *Gangelt*.

Item in Parochia de *Hoëngen*, Capellæ SS. Nicolai, & trium Regum.

PRÆEMINENTIÆ.

Ad habitum & professionem nulla admittitur virgo, quæ non sit tam paterno, quàm materno sanguine sata illustri, armis & titulis claro; probationesque Nobilitatis non modò litteralibus documentis, sed juramento Procerum Patriæ, conficiuntur; & quantò in verificatione generis & vocationis sunt rigidiores, tantò in receptione generosiores, omni pacto argenti penitus semoto, inveniuntur. Quod scribo, hoc vidi, & testor vix alibi vidisse Sanctimoniales natalibus splendidiores, & tenaciores disciplinæ regularis.

Vide Prob. à col. DCXLIX. ad col. DCLIV.

HONBEKA.

Honbeka. Fil. Parci. Diœcesis Mechlinensis. Circaria Brabantia.

IN fide Catalogorum mss. & Layruëlii, hoc cœnobium Indici nostro adscribimus, & Parcensi subdimus Paternitati; quanquam Parcensis Historiographus inter filiales monasterii sui Ecclesias, ***Hombekam***, aliàs ***Genberch***, non computaverit.

HORPAZ.

Horpatz. Fil. Graditii. Diœcesis Javarinensis. Circaria Hungaria.

QUatuor à Javarino vulgò *Rab*, milliaribus sita erat Præpositura Horpatzensis, Filia antiquitùs *Scheida*, quam *Schirnam* vocat Layruëlius. A Capitulo generali anni 1516. Graditio suppositum est *Horpatz*, substractum Ordini à seculo, licet titulariter possessum à nostris Pernecensibus ex acquisitione R. P. Francisci de *Schollingen* Abbatis Pernecensis.

HORTUS B. VIRINIS.

Hortus B. Mariæ Virginis. Fil. Steinfeldiæ. Diœcesis Leovardiensis. Circaria Frisia.

* Sacræ antiq. Monum. p. 489.

* Van-husen Hist. Episc. Leovard. p. 15.

IN Diœcesi quondam Ultrajectanâ, nunc autem Leovardiensi, intrà Præfecturæ Fervertdianæ limites, & in ipsa *Hallumensi* Parochia, à Friderico illius loci Pastore, conditum est anno 1164. * percelebre Monasterium *Horti S. Mariæ*, quod vernaculâ linguâ *Marie-gaerde* nuncupatur. Religioso Pastori auxiliatrices præbuere manus * matronæ nobiles Sia Renicii de Martena mater, & Gertrudis de *Dresen*, iisque propositum Friderici munificentiâ suâ adjuvantibus, ex angusto Capellæ secessu, breviter in cœnobium amplum excrevit Hortus Mariæ.

I.

Quale in Insula B. Mariæ, Ordinis Præmonstratensis monasterio, vivendi genus frequens viderat FRIDERICUS, illud ipsum coëuntibus sub ejus disciplinam proselytis sequendum tradidit, donec *Steinfeldiam* invisisset, & inde statuta & ritus Ordinis advexisset ad suos. Porro pietatis & doctrinæ tantam opinionem passim, Hortus S. Mariæ obtinuit, etiam apud exteros, ut turmatim affluentes, convolarent ad Fridericum utriusque sexûs alumni, candidæ daturi militiæ nomen. Multiplicatæ genti hospitium dedit bonus Pater, & fœmineo habitaculo,

quantùm facultatis patiebatur mediocritas, Virgines acclusit, quas paulopost obtento ædificandi loco opportuniore, segregavit à viris, & in Bethleem transtulit. Duplex illud monasterium virtute, scientiâ, moribus excultum, rexit B. Fridericus annis XIV. & morte beatâ interveniente, ad superos abiit 3. Martii anno 1175. Post immanes bellorum furores corpus ejus ad monasterium *Bonæ-Spei* in Hannonia deportatum 6. Decembris 1616. publico cultui expositum requiescit.

II.

ENTO monasterium majori ambitu cinxit; Templum novum ingenti opere à fundamentis erectum, recuperato miraculosè marsupio nummis distento, & in Rheni alveo amisso, à Balduino II. Ultrajectensi Præsule consecrari procuravit. 3. Nonas Octobris obiit 1184.

III.

GERBRANDUS, vir doctus & prudens, Fratrumque salutis amator, primo sui muneris anno piè vitâ defungitur 5. Nonas Septembris 1185.

IV.

JOANNES, modis omnibus laudabilis, monasterium suis extructum terminis, consecrari curat anno 1190. & moriens B. Syardum ex probata virtute sibi notissimum, in dignitate postulat successorem. Obiit 12. Kal. Julii. 1194.

V.

SYARDUS in Sanctorum fastis relatus, integerrimæ vitæ cursum, laborioso apostolatûs & pœnitentiæ agone consummavit 13. Novembris 1230. cùm paulò ante, perditæ conscientiæ Canonicus, & correctionis impatiens, nasum ei dormienti, cultello penè præscidisset.

VI.

SYBRANDUS, de quo Chronicon Menkonis Abbatis Floridi-Horti, sic loquitur sub annum 1240. » Dominus Sybrandus Abbas Horti S. » Mariæ, vir fuit in omni populo valdè hono- » rabilis, corpore pinguissimus, staturâ procerus » & robustus, ac benè dispositus, satis littera- » tus, facundus in lingua latina, & naturali, » ingenio subtilissimus, qui Ecclesiam suam cum » bona magnanimitate à perversis deffendit » strenuè, quia intùs & foris magna suæ per- » sonæ habebatur reverentia.

Anastasiæ Duci Pomeraniæ novum in Sclavonia cœnobium Virginum erigenti, submisit Virgines decem ex Parthenone Bethleemitico, quæ Præmonstratensem illic regulam inseruere. De Canonicis suis sanctâ eruditione imbuendis, ingens fuit Sybrandi sollicitudo; & in promovendis ad dignitates ea fuit scrupulosa discretio, ut præsidem & moderatorem electionis, post mortem Abbatis sui Emonis, exambierit Floridus-hortus, eique præfuerit anno 1238. nomine Patris Abbatis Domini Præmonstratensis. Obiit anno 1240. juxta Menkonis Chronicon.

VII.

JARICUS litteris summoperè excultus, nec ignarus Poëseos, anteà Ecclesiæ in *Wartua* Pastor, relicto seculari habitu, Ordinem suscepit Præmonstratensem; dein ex Pastore in *Hallum* autoritate Abbatis Sybrandi Decanus effectus est Ecclesiæ in *Gryn*, ex qua in Abbatem assumptus, nihil de pietatis fervore, nec de studiis, relaxavit, utriusque in suis pervigil promotor. Commentarios, temporum amissos injuriâ, composuit in *Cantica Canticorum*, stilo admodùm dulci & facili. Morbo correptus, dum apostolica commissione defungitur, regiminis absolutionem impetrat, paulopost moritur, 10. Kal. Julias anni 1242.

VIII.

JELGERUS, Ordine licet tantùm Diaconus, designatur Abbas, non ob generis, inter reliquos Frisiæ nobiles claritatem, sed propter singularem prudentiam, rerumque multarum notitiam. Sybrando probatam variis in Franciam ablegationibus & præsertim ad generale Capitulum; ubi laudem ex felici successu reportavit. A Mindensi episcopo inauguratus Presbyter, Abbas à Trajectensi præsule benedicitur. Sub ejus patrocinio tria erecta sunt cœnobia, Virorum alterum à Gerico in *Wigaratorp* paternæ ditionis solo, quod ex Fundatoris nomine *Gerkiscloester* dici voluit: 2um. *S. Catharinæ in astro*: tertium à Buvone ex familia illustri *Haskama*, *Buven Cloester* * nominatur; ad quod decem Virginum examen ex Bethleemitico Parthenone destinavit: Electioni Menconis Abbatis III. Horti-floridi præfuit anno 1242. Obiit verò anno 1259.

* Sepulchrum S. Mariæ dictum est postea.

IX.

THEODORICUS, 15. Kal. Februarii, 1275.

X.

BAUKO, 19. Kal. Januarii 1280.

XI.

WALTO *A SCHLETINGA*, 1. Nonas Martii 1300.

XII.

SIBRANDUS II. 3. Nonas Septembris 1313.

XIII.

PROPTETUS summâ laude Præfecturam obiens, Kal. Novembris in fata concessit anno 1329.

XIV.

JELGERUS II. veræ sectator pietatis, 4. Idus

Octobris in Domino obdormiit, 1344.

XV.

VALTO II. multa passus incommoda ex bello inter Hollandos & Frisones fervescente, summâ sustinuit patientiâ. Obiit Kalend. Maii 1350.

XVI.

VORPERUS *Tzjaerda* genere inclytus, innocentiâ morum clarus obiit Idibus Augusti 1353.

XVII.

FRIDERICUS II. 3. Kal. Julii 1372.

XVIII.

HESSELUS summâ virtutum opinione præfuit, obiitque 5. Kal. Aprilis 1385.

XIX.

GERBRANDUS optimè rem suæ fidei concreditam dispensans, hominem exuit 6. Kal. Junii 1394.

XX.

VIARDUS, 5. Kal Decembris 1410.

XXI.

LINDULPHUS multa bona incœpit facere, morte præventus incompleta reliquit, 1420.

XXII.

VIBRANDUS suæ pertæsus Præfecturæ, certo consilio, Ordinis mutationem meditatus, candidum habitum exuit. Canonicorum regularium resumit schema anno 1427.

XXIII.

TZIALINGUS summo studio monasterii prædia ampliare studet. Moriens, sui ingens desiderium fecit 1462.

XXIV.

WILHELMUS Abbas Virginum in Merna, ditionis Groninganæ, ad Horti Mariæ Prælaturam vocatur. Pro vindicanda Insula Markana, cujus partem ex donatione pia, aliam emptione cœnobium comparaverat, ab an. 1232. Bruxellam ad Carolum *Audacem*, Ducem Burgundiæ, proficiscitur, illicque usurpatores ad restitutionem juris processu urgens vividè, & ad desperationem adigens penè, pacificationem summo æstu facit ut postulent. Annuit Abbas, & ad convivium ex simulato pacis instaurandæ bono rapitur ab Insulæ possessoribus. Fit longa potatio in multam noctem. Interim Abbatis famulum dato auro corrumpunt, acceptisque ab eo litteris & documentis abeunt. Abbas fraudis nescius, securè dormit, securitati suæ famulus consulens abscedit noctis intempestivæ silentio. Postridie Ducem mœstus adit Abbas; de litigio interrogatus à Principe, rei totius conscio, nil respondet: tùm Carolus ebrietatem illi exprobrans, ait: *O Potor, Potor, ut potasti scelus.* Abbas faciem Principis indignantis sustinere non valens ultrà, domum pudore suffusus, & re infectâ, revertitur. Obiit 1485.

XXV.

TAKO *Abbinga* generosis natus parentibus, summam in sua administratione probitatem & industriam exercuit, Religionis splendorem ex illata reformatione, auxit magis, quàm ex materialis Templi decore, quod altaribus exornavit elegantis structuræ. Oneri Pastoritio se subducere gestiens, Præmonstratum misit nuntios, qui manumissionem obtinuerunt; reluctantibus ergo, & graviter dolentibus filiis Præfecturam abdicavit. Biennio cessit querulorum postulationibus; sed urgente humilitate, clam anno 1508. *Lidlum* migravit, ubi peste correptus, in Domino moritur, 5. Kal. Augusti 1512. Illi hoc epicedion cecinit sacerdos Friso.

O hominem Bullam, quem te si Creta notarit,
Prædicat Antimachus, thaumata rara docent,
En cecidit fato Tertessia lux lacrymanda,
Cujus ab infando funere Cirrha stupet.
Saxea si fatum præcordia moverit unquam,
Hîc moveat, credo, saxea corda nimis.
Nemo mihi videor, cui non sit cornea fibra
His lectis elegis flesse negare queat.
Pieridum immortale genus mortalibus ultrò
Velle suum famulis temperat arte suâ.
Nec mirum in lacrymas solvatur, cùm magis æquo
Candidulos Patres collacrymare videt.
Cur non si nattas multo carbone notatos
Fleverit ignivomam flere studebit apem.
Tristia pacificus si flevit fata Saülis
Jesseides, cur non funera flenda fleam?
Sint Phetoniades comites, compassio sit dux,
Relligiosa queat concio flere Patrem.
Sufficit Aonides, jam ferte tumentia sursum
Lumina, ne gravis ludat Apollo graves.
Hîc cinis, hîc clausus, viso campo Ezechielis
Integrâ facie, integer osse cubat.
Hîc Pater insignis dormitat, & hîc Hymenæis
Conviviis tandem lux veneranda redit.
Hinc Fratres properi lustrantia fundite Tesqua
Elisiis campis, transeat absque morâ.

XXVI.

PAULUS DE *Bockholts*, Takonis vestigia, virtutum exemplis sectatus est. Eleemosynarum largus distributor, Pater pauperum fre-

quenter appellabatur. Morbo fatali ademptus, Idibus Decembris anni 1533.

XXVII.

PETRUS *VENLO*, Prædecessorum æmulatus virtutem, piâ, sicut illi, morte coronatus, abiit 4. Idus Februarii & in Choro, meritis exigentibus, tumulatur, hac insignitus epigraphe.

* Abbatem cujus abdicationi obstitit.

Qui non sinebas Paulum * requiescere tibi;
Ecce jaces, Petre, jam requiesce tibi.
Faxint ad superi te gaudia tendere cœli,
Horrendum est stygiis mergier inque rogis.

XXVIII.

JOANNES *HASSELT*, genere nobilis, antecessorum tramitem à limine secutus, seculi corrupti postmodùm ebibit mores, & ab Ordinis & pietatis semita deflectens, genio plus indulsit. Splendida convivia hospitibus superbo porrexit fastu; Reginam Mariam, Cæsaris sororem, anno 1545. Comitemque ejus Georgium Egmundanum Trajecti episcopum, recepit hospitio & epulo, seculares delicias, non religiosam sapiente sobrietatem. Aureorum sex millium debitor, paupertatis lætor obiit 1548.

XXIX.

HENRICUS *SMENCK DE VOLVEGA*, vir prodigus, & Ecclesiasticorum proventuum helluo, Præfecturâ indignus, privatur dignitate, & carceris squalori mancipatur: nonnisi triduo ante mortem inde eductus, circà festum *Purificationis* obiit 1558.

XXX.

GODEFRIDUS *SYLVIUS*, incarcerati Henrici successor, & Parthenonis *Sepulchri S. Mariæ*, seu *Buven Clooster* Præpositus, monasterii damna, sobrietate & vigilantiâ suâ resarcivit. Gravi oculorum vitio laborans absolutionem Præfecturæ impetrat, & cedit anno 1559. Ad eundem nihilominus litteras direxit Margareta, Belgii Gubernatrix, anno 1563. quibus dat in mandatis, ut alios per Frisiam Prælatos extimulet, ad conferendum æs sacrum, sublevandis iis, qui Concilio Tridentino intererant, Præsulibus destinatum.

XXXI.

REGNERUS *ASPEREN*, Præpositus *Buven Clooster* in Abbatem assumptus, benedictionem non obtinuit, evocatus ab episcopo Leovardiensi Cunero, Leovardiam ad novum Cathedrale Collegium ex Pii IV. Bulla anni 1561. 7. Idus Augusti data, efformandum: quâ quidem Horti B. Mariæ Abbatia, & Præpositura B. Mariæ Bolsverdianæ Episcopatui recenti uniebantur; eâ lege ut ipsi Canonici Præmonstratenses ab habitu, regula, instituto soluti, in Canonicos seculares mirâ, sed inexplicabili authoritate transformarentur; votis proinde solemnibus exempti. In Comitiis, Statûs, proposse, suppressioni & innovationi huic obstitit Regnerus Abbas; sed frustra; prævalente Pontificali & Regiâ potestate, non modò Abbatiam Horti B. Mariæ, sed & Præposituram *Vineæ Domini*, in ipso Bolswerdiensis oppidi meditullio sitam, eripuit Lidlumensi Abbatiæ, utraque junctim autoritas.

Et hic est insignis monasterii fatalis interitus, quod sub obtentu Episcopatûs erigendi, bono quidem fine, sed malo exitu, extinctum est; cùm & Episcopatus ipse in Cunero desierit exule, & à malevolis è sede sua detruso, & profugo, nunc suffraganei, postea sacrarum litterarum Lectoris defungente ad victum officio: & in hoc alterno munere luctuosam vitam cùm morte pia commutavit Coloniæ 15. Februarii 1580.

PATERNITAS.

Jus Paternitatis exercebat in Buwanum, quod populari, seu potius Religioso idiomate, *Sepulchrum S. Mariæ* dicebatur.

In Vallem S. Mariæ in *Lidlum*, Abbatiam virorum.

In Bethleem, Parthenonem à Friderico I. Abbate fundatum.

In *Schilitwolde*, seu *Gratiam S. Mariæ*, Parthenonem olim Mernæ, posteà Horti-Mariani Paternitati addictum.

In S. Catharinam in *Astro*; Parthenon itidem.

In Castrum spei in Sclavonia, Caminiensis Diœcesis, Præposituram Virginum.

In *Belburg*, Abbatiam Virorum, ejusdem Diœcesis.

HOTTWAN.

Hottwan. Fil. Saag. Diœcesis Vaciensis. Circaria Hungariæ.

HAnc Præposituram vel nescius vel incautus prætermisit Pagius, in suo Indice, in aliis restitutam tum editis, tum mss. Catalogis legimus & in recensione monasteriorum Ordinis anno 1629. facta ab Archiepiscopo Strigoniensi enumeratam. Olim filia erat Pontis S. Joannis, sed à Paternitatum renovatione anno 1516. evasit Filia *Saaga*, necdum Ordini restituta.

HUMILIS-MONS.

Humilis-mons. *Fil. Lacûs Jurensis.* *Diœcesis Lauzana.* *Circaria Burgundia.*

* Le Pays d'Avanches, nunc Bernensis pagi, & Friburgensis regio, quæ germanicè Nihtlande dicitur.

IN ea Nuithonum, sive Aventicorum * valle, quam *de Ogo* vocant, duobus circiter milliaribus à Friburgo Helvetiorum, tres germani fratres Anselmus, Guido & Burcardus, ex illustri quondam prosapia *d'Everdes*, oriundi, Abbatiam SS. Apostolis Petro & Paulo nuncupatam, erexerunt anno 1136. in loco qui *Marcens* dicebatur, à quo Abbatia passim *Marcensis*; sed usu invalente, Humilis-mons dicta est. Ecclesiam Guido Episcopus Lauzanensis inauguravit, inauguratam auxit fundis Nantherus Dominus de *la Grangette*, cui liberalitate pares accesserunt Barones de Ponte, & Toparchæ de *Wippens*.

Post varios belli & fortunæ casus, hæc Abbatia Austriacæ ditioni subducta, victricibus Sabaudiæ Comitum armis, Helveticæ potestati parere cœpit anno 1476. Postquam enim ad Moratum copiæ Caroli Audacis, Burgundiæ Ducis, cladem passæ sunt, unà cum præsidiariis Sabaudiæ militibus, victori Helveto Romanam ditionem * dedere coactus est Dux Sabaudiæ, quam pridem armis subegerat. Prædam inter se diviserunt victores Helveti, de profligatis hostibus partam. Friburgo obtigit Humilis-mons, cùm Toparchia *d'Everdes*. Inde salus, inde excidium Abbatiæ. Nam infaustis Zuinglianæ hæreseos Helvetiam devastantis, temporibus, Friburgensis ager ab ingruente errore feliciter & sub felicibus auspiciis Petri *Schewelin* ad S. Nicolaum Præpositi, ereptus est, & ejus territoriale dominium servatum est incolume. Apostolici laboris Socium submisit Petro *Schewlin*. Gregorius XIII. Petrum Canisium, qui balantes circumquaque hæreticos, & defectionem suadentes, verbo prædicationis obturavit. Bonhomius sedis Apostolicæ apud Helvetos Nuntius, è re catholica esse ratus Jesuitas congregare Friburgi, qui grassantes Zuinglianos ab infestatione patriæ arcerent, Collegium instituit, & proventus Humilis-montis addixit Patribus Societatis. Gregorii XIII. ad stabilimentum dotis, interpellavit autoritatem, quam gratanter impendit Pontifex anno 1580. statimque Canisius Reipublicæ Friburgensis senatûs-consulto munitus, possessionem adiit Abbatiæ, ipso Nuntio præsente, & approbante. Ne fieret donatoribus ædificiorum multitudo onerosa, maximam eorum partem, quæ ex conflagratione anni præcedentis evaserant salva, diruerunt; sanctuario & choro unicè parcitum, ad peregrinorum illuc advolantium pietatem, fortè & ad utilitatem Capellani, qui hebdomadarium Missæ pensum singulis exolvit feriis 2.

* Pays de Vaux.

Hæc sunt ultima Humilis-montis fata, quæ lugentes Canonici annuntiarunt ab exordio invasionis monasterii, Prælato Bellelagiæ Patri Abbati Humilis-montis noviter, & ab occupatione lacûs Jurensis, designato. Illorum epistolam ab autographo sumptam exscribimus.

» Tres Révérend Seigneur, & vous aussi vénerables & devots Freres. Ce sont vos très humbles fils, & désolez confreres, le Prieur & le Convent d'Humilimont, lesqu'eux vous font entendre la extrême désolation de notre & votre Monastere, à sçavoir, comme le Legat du S. Pere le Pape a obtenu de nos magnifiques Seigneurs de Fribourg, de pouvoir transmuer notredit Monastere, & retirer le bien d'iceluy, pour en pouvoir fonder un College de Jesuites en la Ville de Fribourg, tellement qu'ils sont venus sans notre sçavoir, Jeudy passé, qui étoit le 8. d'Aoust, & ont tout inventorisé les biens, & detiró les Titres, Seaux & Vasselle d'argent, hors de ladite Maison, & plusieurs autres extorsions qu'ils nous ont fait, & aussi nous ont austé toutes les clefs; dont nous, comme pauvres désolez, n'ayant plus d'autres esperance pour résistir à cela, sinon à la paternelle bonté de notre Pere Visiteur, & de votre Réverende Paternité, par le consel de plusieurs bons Seigneurs de Fribourg, lesqu'eux nous ont donné d'entendre, que sinon par le moyen des Superieurs de notre Ordre ne pouvons résistir à celle fource. N'avons fait faute d'envoyer Frere Anthoine à Pascua envers notre Pere Visiteur, M. l'Abbé de Cornut, lequel, comme esperons, sera en notre Maison le pénultiéme, ou le dernier de ce mois d'Aoust. Prions sur cela votre Révérende Paternité, pour l'honneur de Dieu, & comme Pere & Protecteur de notre Ordre, & pour la derniere conservation de notre & votre Maison, de venir assistir à notre Pere Visiteur, en notre extrême necessité; n'aiant autre esperance qu'en votre Paternité; & cela faisant nous obligerez, comme sommes déja à tout jamais; prier Dieu, qui est conditeur de toutes choses, pour votre Révérende Paternité & pour tous vos bons Freres Religieux, & pour la perpétuelle conservation de votre vénérable Maison.

» De votre désolé Monastere d'Humilimont, *aliàs* Marçens, ce 22. d'Aoust, l'an notre salut courant 1580.

P. S. ne prendrez en mal part, si la présente n'est cachetée de notre propre Sceau, car il nous a été austé par ledit Evéque.

Par vos tres-humbles & desolez Freres
le Prieur & Convent d'Humilimont,
aliàs Marçens.

Quid Corneolensis & Bellelagiensis Abbates ad Prioris & Conventus Humilis-montis instantiam egerint, nobis incompertum est: si quid pro recuperatione tentarunt, nihil obtinuisse conatibus suis, testatur eventus. Sed totum monasterium Abbate tunc viduatum mansit, & manet hodiè cum suis proventibus incorporatum Collegio Friburgensi.

S. JACOBUS IN LANGEN.

S. Jacobus in Langen. Fil. Mernæ. Diœcesis Groning. Circaria Frisiæ.

PRæpositura hæc Virginum in Comitatu Embdano & Diœcesi Groningana consistens, ad tempora mutatæ religionis floruit. Illam ex deputatione Jacobi Panhusii Abbatis Steinfeldiæ & Vicarii gneralis visitavit an. 1571. Joannes Abbas in *Lidlum*. Pagius hoc monasterium confudit cum *Alantripa-merna*, at immeritò, cum in mss. Catalogis & in Chronico Myræi ab invicem discernantur, & *Langen* filius Mernæ dicatur; Alantripa verò filialis sit Parthenon Floridi-Horti, absumptus à fluvio *Dollart*, post cujus interitum *Langen* stetit, statque modò. Hæc autore Sibrando asserimus, & actorum cautione probatum. Diluvium quippe an. 1561. contigit; visitatio autem ex delegatione Panhusii, facta est anno 1571. in Parthenone Langenii, sive *Langen-Moncke*, ubi anno 1287. post memorabile diluvium quo pars magna Frisiæ deleta aut submersa est, centum Sanctimoniales repertas Sibrandus Leo scribit.

S. JACOBUS MOGUNTINENSIS.

S. Jacobus. Diœcesis Moguntinensis. Fil. Præmonstrati. Circaria, Wadegenia.

MOnasterium S. Jacobi Majoris Apostoli, in monte *Drusi*, nunc specioso, situm secùs muros Moguntiæ, B. Bardonem Archiepiscopum fundatorem habuit anno 1050. Consummatorem verò suscepti operis Luipoldum in sede Moguntina Bardonis successorem; qui ex paterna hæreditate fabricam Ecclesiæ, cæterasque ædes magnificè perfectas, dotatasque, tradidit Monachis Sancti Benedicti anno 1055. Floruit sub Abbatum regimine hoc cœnobium, ad tempora Godfridi, in Abbatum elencho, ordine octavi, ab antecessorum moribus longè degeneris, qui civibus Moguntinis in Arnoldum antistitem suum protervè sævientibus, auxilium & consilium subministrans, manus in proprii pastoris sanguine non modò polluit, sed violato hospitalitatis jure, fecit de suo monasterio, ad quod diverterat Arnoldus, theatrum immanissimæ crudelitatis an. 1160.

Vide Dodechin. Lambert. Schaffnab. Crantz. l. 6. Saxon.

Tanti sceleris ultor Cæsar Fridericus Moguntiam petiit, cædis barbaræ mulctavit reos capitali supplicio, quos potuit invenire; civitatem juribus & privilegiis spoliatam irrevocabili edicto, nudavit mœniis, & plebem perpetuæ subjecit infamiæ. Godefridus Abbas conspirationis præcipuus incentor, inducias petiit, ut sibi affictum crimen elueret apologiâ; *sed non valens* abstergere labem, exulare monasterio & patriâ coactus est; Monachi verò in una domo clausi, jussu Imperatoris, alii per fenestras, alii quoque ingenio fugam captarunt, reliquis abire permissis: sicque in illo loco divina sunt omissa.

Post cædem Arnoldi, de successione Archiepiscopatûs contenderunt æmuli; sed vicit judicio Alexandri III. summi Pontificis Conradus Palatinus de *Wittelspach*, quem Fridericus Imperator favore præ cæteris dignum judicaverat. At schismate Fridericum inter & Alexandrum III. fervente, Conradus Pontificis partibus adhærens, iram incurrit offensi Cæsaris, & è Sede sua protrusus, Christiano locum dedit.

Ille statim ab installatione sua, ut Alexandri gratiam captaret, desertam S. Jacobi Abbatiam pristino cultui & splendori restituere volens, nec audens ignominiosè pulsos, & liberiùs lascivientes revocare Philippum, Præmonstrati Abbatem Alexandro III. summè gratum, quem & sibi propitium esse cupiebat vehementer, in cooperatorem propositi appellat, ab eoque Canonicorum obtinet sibi transmitti coloniam, quæ in proscripti Abbatis, & in errantium Monachorum sortem subrogetur. Illicò Philippus Fulbertum vitâ & moribus probatum, ducem ablegat novelli examinis, & ad Christiani præceptum anno 1164. possessionem Abbatiæ adipiscitur. *Ex Archiv. Præmonstr.*

Benefactorem infensum summo Pontifici si debuit Præmonstrati Abbas Philippus horruisse, prorsùs dona ejus non exhorruit. An sic Alexandro fuerit placitum, penitùs ignoro. Hoc unum ex tarda ejus confirmatione, & ex Moguntini præsulis nomine suppresso, conjectare licet displicuisse Suæ Sanctitati muneris autorem, & quasi ægrè impendisse consensum bono operi, quod inimica manus porrigebat amico. En tibi bullam apponimus.

» Alexander Episcopus, servus servorum Dei
» dilectis Filiis Fulberto Abbati, & Fratribus S.
» Jacobi de Moguntia, Ordinem Præmonstra-
» tensem professis, salutem & Apostolicam be-
» nedictionem. Referente Nobis venerabili Fra-
» tre nostro S. Ecclesiæ Moguntinæ Archiepis-
» copo, quòd cùm in prædicto monasterio S.
» Jacobi consuevissent esse Monachi nigri; tan-
» dem quia prædecessor ejusdem Archiepisco-
» pi ibi fuerat interfectus, Abbas & Monachi
» qui erant ibidem, propter sinistram suspicio-

» nem quam idem Abbas & quidam de Fratribus suis, de morte illius incurrerant, ab eodem monasterio sunt ejecti; & vos per jamdictum Archiepiscopum de consensu charissimi in Christo Filii Friderici Romanorum Imperatoris, deliberatione habitâ plurium personarum, estis in idem monasterium introducti. Nos autem fervorem Religionis, quâ totus Ordo vester redolere dignoscitur, attendentes & considerantes in hac parte providâ fuisse circumspectione processum, translationem & mutationem per eundem Archiepiscopum, sicut diximus, factam, ratam habemus, & firmam; & monasterium ipsum vobis autoritate Apostolicâ confirmamus: arctiùs inhibentes, ne quis amodò Fratres Ordinis vestri ex prædicto monasterio amovere aut vobis super ipso, vel super his quæ ad idem monasterium spectant, indebitam molestiam, seu gravamen inferre præsumat. Prædictum quoque monasterium, ut ibi quietiùs & commodiùs Domino deservire possitis, cum omnibus possessionibus suis, quæ impræsentiarum justè & canonicè possidet, aut in futurum justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, sub B. Petri & nostrâ protectione suscipimus, & præsentis scripti patrocinio communimus, statuentes ut Ordo vester, &c. Datum Venetiis in *Rivo-alto*, per manum Gratiani S. R. E. Subdiaconi & Notarii. xv. Kal. Septembris, indict. X. anno Incarnationis Dominicæ MCLXXVII. Pontificatûs verò Domini Alexandri Papæ III. anno XVIII.

Hujus monasterii assertorem fuisse Alexandrum III. ex hac Bulla intelligis; donatorem verò Christianum Archiepiscopum, & si Pontifex sileat, eloquuntur Fasti Ordinis & Necrologia Ecclesiarum, maximè verò Præmonstratensis, in quo ad VIII. Kal. Septembris hæc leguntur: *Commemoratio D. Christiani Moguntinensis Archiepiscopi, per quem Ecclesia S. Jacobi in suburbio ejusdem civitatis, Ordini nostro collata est.*

In Italia ab annis quinque * morabatur Christianus, ibique armis & animo potens, egregia belli ediderat facinora, Imperatoris Ductor exercitûs. Invictum Sacerdotem, Romanis infestum, veneno sublatum Tusculi, putat autor Historiæ Moguntinensis mense Augusto anni 1183. Ad supremos Christiani dies Abbatiam S. Jacobi addictam stetisse Præmonstratensibus, protestantur gratitudinis monumenta, quæ totus Ordo benefactori mortuo parentans, in Obituariis suis conservavit.

* Godefr. d. Monach. S. Pantal. ponit annos XI.


Joannes *Antoni* Syllabi Abbatum S. Jacobi Autor, & ejusdem Abbatiæ seculo elapso Prior, immutationem statûs & Regulæ sui monasterii, ex industria, quantùm suspicor, præteriit, & pro libitu nunc illos, nunc istos sub monachili tradit schemate, & sub nominibus fictitiis aut adulteratis, exhibet. Hinc Godfrido commentitium substituit Stephanum, hujus regimen ad annum 1186. protrahit. Stephano sufficit *Volpertum* ; *Fulbertum* debuerat scribere: sed ne ex nomine, Præmonstratensis noster Fulbertus dignosceretur, initiales deformavit sylabas, & administrationis retroegit tempora: nam ab anno 1170. inter testes occurrit Chartæ Suffridi episcopi Brandeburgensis adscriptos, non *Wolpertus*, sed *Fulbertus* Abbas sancti Jacobi, non alius sanè ab illo ad quem Alexander III. Bullam pro confirmanda substitutione Præmonstratensium in Abbatia S. Jacobi: non alter ab illo cujus memoriam passim faciunt Ordinis Obituaria pridie Idus Junii, *Commemoratio D. Fulberti Abbatis & Restauratoris Ecclesiæ S. Jacobi in Moguntia.* Erroneè vitam Fulberti ad annum 1192. protelavit Jacobeæ Abbatiæ Chronographus, cùm Ezechius Fulberti successor, anno 1189. Abbatiam adeptus, subscribat litteris Conradi Archiepiscopi.

T. 2. p. 808. Hist. Mogunt.

Ezechium verò Præmonstratensis instituti fuisse, dubitare nefas est, nisi inconcussæ antiquitati detrahas fidem, quam multiplici argumento astruit. In Præmostratano quippe, Viconiensi, Ambianensi, Dom-Martinensi Necrologiis Abbas S. Jacobi in Moguntia ad diem 6. Novembris recensetur, fraternis juvandus hoc die suffragiis. Conradum successorem non ausim candidæ militiæ adscribere, ne videar nigrum surripuisse æthyopem, albicanti frustra tingendum colore.

Sed angitur animus in inquisitione rationum quæ subinductos Præmonstratenses, & Apostolicâ autoritate munitos, amovere potuerunt à sancti Jacobi Abbatia, post pacificam annorum quadraginta duorum possessionem. In hujus eventi elucidatione Pratanus Ordinis Annalista & scriniorum sagax indagator, desudavit, huncque regressum postliminio ad Benedictinos asserit factum ex occasione schismatis, quod Ecclesiam Moguntinensem, post fata Conradi Metropolitæ, dilaceravit. Sigefridus hinc, Lupoldus inde Archepiscopatum ambientes, patronos suæ electionis, ille Philippum Sueviæ Ducem, iste Ottonem Ducem Saxoniæ, ambos de Imperiali Diademate contendentes, habebant. Favebat Ottoni & Lupoldo Innocentius III. Sigefridum protegebat Philippus Pontifici exosus. Inter decertantes velut auxiliares turbas sese intruserunt Monachi, & Sigefridi causam vindicantes acriter, benevolentiam ejus emeruerunt. Præmonstratenses autem sacri fulminis & Pontificiæ sententiæ venerantes autoritatem, Luipoldi Partibus adhæserunt, & inde Sigefridi & prævalentis Philippi iram senserunt, & Moguntiâ pulsi, locum fecere Monachis, restitutionem sui monasterii expostulantibus, & pertinaciter de spoliatione conquerentibus. Anno 1208. vel circiter, opitulante Principis gratiâ, ulciscente Præsulis indignantis sævitiâ, pristino domicilio redditi sunt Monachi, quod censurâ Ecclesiæ amiserant primitùs.

SANCTUS


Templum
2. Claustrum
3. Dormitorium
4. Bibliotheca.
Ædes abbatiales.
Ostium
Hortus Conventus.
9. Molendinum
Torcular
Vivarium piscium

S. JACOBUS IN RHUCANTIIS.

S. Jacobus in Rhucantiis. Fil. Curwaldiæ. Diœcesis Curiensis. Circaria Sueviæ.

** Pietigoe.*

IN Rhætiæ Provincia, & in tractu Rhucantiorum, * Præpositura S. Jacobi ab incerto hactenùs Fundatore, à certa Matre Curwaldia, ignoto constructa est anno. Grassans per Rhætiam hæresis, uno eodemque impetu quo fidem Catholicam exstinxit in vallibus Rhucantiis, monasteria tanquam funesti sibi ominis trophæa, devoravit, sancti scilicèt Jacobi, & Engadense, seu Curwaldiense, & utrumque Ordinis Præmonstratensis.

L. xi. part. 2. pag. 532.

Vix solum primi cœnobii nomen nobis innotesceret, nisi Michaël *Stettler* Bernensis Chronographus, in vindiciis pro Republica sua, & ad Confœderatorum honorem exaratis, interitum, causasque interitûs Præpositura S. Jacobi deduxisset, ut Archiducis Leopoldi levaret gravamina. Conquerebatur Princeps anno 1621. quòd Rhæti autoritate privatâ pulsis à Curvaldia & à S. Jacobo Canonicis, eorum Monasteria funditùs expilassent, & Parochiis intrusissent post violentam Pastorum ejectionem, Ministros Fidei proditores, & refragos Cæsari, cui subesse, seu Domino territorii tenebantur.

Ad hæc objecta Grisones, inquit *Stettler*, reponebant, ut eluerent usurpationis & violentiæ crimen, anno 1529. Bartholomæum illius temporis Præpositum, ad Reformatorum castra ultrò transiisse, & cæterorum instar convolasse ad nuptias; tumque ad populi circumstantis votum, loco amoti Præpositi, Zuinglianæ professionis pastorem impositum esse, & deinceps usque modò ejusdem sectæ ministros perseverasse.

Quantùm verò ad monasterii proventus, de quorum invasione culpabantur apud Archiducem Grisones, dicebant ab anno 1485. à Gorio Abbate Roggenburgi, tanquam Patre-Abbate Curwaldiæ, & à Floriano tanquam Patre-Abbate S. Jacobi, ex æquo in duas fuisse divisos partes reditus S. Jacobi, & utrique monasterio incorporatos, sub autoritate & approbatione Balthazari de *Ramschwag*, Baillivi de *Guttenberg*, & Petri de *Finer* Baillivi de *Castels*, Principis nomine ad id ablegatorum; successu verò temporis prædia ab Abbate utroque conductoribus sub annuo censu fuisse locata, donec anno 1612. primo Martii, Gasparus *Keck* censum redemisset, datis Curwaldiæ quadringentis triginta quatuor florenis.

Ita Bernensis Chronographus, penes quem sit narrationis veritas; penes lectorem esto fides.

Hinc patet ab anno 1485. monasterii formam in isto loco penitùs desiisse, & in unius Præpositi coaluisse personam, Conventualem cœtum siquidem fundos & prædia partiti inter se fuerant Abbates Roggenburgi, & Curwaldiæ, nec suppetebant ultrà proventus ad Congregationis sustentationem. Nihilominùs pulsos è San-Jacobo Canonicos ab invasoribus hæreticis queritur Archidux Leopoldus, rei non ita pridem gestæ benè conscius. Turmam ergò Religiosorum illic tùm inhabitasse supponit; nec gratis suppositum esse arbitramur.

JANCKEIDE.

Janckeide. Fil. Knechstedenii. Diœcesis Coloniensis. Circaria Westphaliæ.

COenobium istud, quod apud Pagium *Zankaide* dicitur, in Coloniensi Diœcesi, & Vestphalica Circaria constitutum, idem esse suspicor, quod *Languaden*, inter filialia Knechstedenii monasteria recensitum. Si aliud est, penitùs exolevit memoria ejus apud Knechstedenses, & in Indicibus tantùm perseverat.

JANDURIÆ.

Janduriæ. Fil. Regiæ vallis. Diœcesis Tullensis. Circaria Lotharingiæ.

** La Saulx.*

IN valle festiva, duabus à Barroduco horis & ad fluvium Salicem, * cujus undæ circumquaque allambentes, insulam simul & propugnaculum efficiunt, situm est Jandoriæ monasterium, quod posteri *Jandurias*, gallicè *Jandeures*, appellarunt. Monte duplici vallis angustata, lepidum offert ab Oriente vinetum; pandit ab Occidente sylvas, quibus ad San-Desiderium * iter arripitur. Eò loci ad secessium & voluptates rusticanas, Castellani Barrenses sese recipiebant; ipsoque sub allodii & agri immunis titulo, potiebantur. Partem hujus prædii Walfridus Castellanus Barrensis, Abbatiæ Bellilocensi * pridem concesserat, dum ad altare S. Mauritii accedens, corpus S. Graudingi cum pignoribus gloriosi martyris Mauritii, spectante maximâ populi multitudine, propriis invexit humeris, & in prædium de *Brassant* deportavit, unà cum filio suo Waltero. Paternæ pietatis æmulus Theodoricus, residuam allodii partem, Almarico S. Leonis Tullensis Abbati, tradidit, simulque Graverias * ad construendum cœnobium. Donationem laudavit Gerardus filius, approbavit Hastica conjux anno 1126. Verùm Almaricus Abbas, morte præventus, fundationis tabulas adimplere non potuit. Sibaldus successor, vel tenuitate doni, vel impotentiâ prolis fractus, manum

** S. Dizier.*

** Beaulieu en Argonne.*

** Gravieres.*

admovere operi neglexit; sed totam à benefactore acceptam possessionem, per manus Henrici episcopi Tullensis transfudit in Herbertum Regiæ-Vallis Abbatem, anno 1140. Ad ejus exemplum Gervasius Bellilocensis Abbas, & in gratiam nascentis monasterii, partem allodii Jandurienfis Theobaldo neo-Abbati spontè resignavit, utramque cessionem Girardus Castellanus Barrensis approbavit; sanxivit suo Diplomate Rainaldus Barri Comes, denique Tullensis Episcopus submissos è Regia-Valle Canonicos, autoritate Ecclesiasticâ Janduriis incardinavit anno 1143.

I.

Sedis Apostolicæ protectionem, rerum feliciter potiens, THEOBALDUS Abbas interpellavit anno 1147. & ab Eugenio III. litteras impetravit, quæ institutum Jandoriæ Ordinem, collatas ei possessiones, aut conferendas in posterùm, sub B. Petri tutela suscipiunt, & ab omni decimarum solutione eliberant. Quinto idus Novembris, anno incerto, obiit Theobaldus Abbas.

II.

Circa annum 1154. HERBERTUS præfuit, tempore Rainaldi Comitis Barri & Moncionis, à quo allodii Jandurienfis emancipationem accepisse creditur. Herberti non meminit Necrologium vetus, nec scio unde in Abbatum catalogum irrepsit, nullibi in Chartis relatus Abbas.

III.

PETRUS sedebat anno 1163. eique Henricus Tullensis Præsul indulsit amplam bonorum Jandoriæ confirmationem, quin & *dilectissimos* neo-monasterii *Fratres*, auxit beneficiis optimus Episcopus.

IV.

BEDA florebat anno 1164. desiit 1169.

V.

RAINARDUS Parochialem Ecclesiam de *Contrisson*, à suis perpetuò regendam Canonicis, obtinuit ab Petro episcopo Tullensi, anno 1170.

VI.

FRIDERICUS litem componit cum Canonicis *Larzicuria*, anno 1174. Donum Hersendis de *Tremont* approbari ab Henrico Barrensi Comite procurat anno 1177. Pacem inter Stivagienses & Bellipratenses religiosos resarcivit anno 1183. In veteri instrumento Abbatiæ Trium fontium testis sistitur anno 1187. Dies ejus exitûs ad 16. Kal. Junii notatur in Obituario.

VII.

PONSARDUS recepit ab Ulrico Castellano Barri, decimas de *Vroil* anno 1189.

VIII.

PETRUS, illum protectorio Diplomate munivit Innocentius III. anno 1200.

IX.

GERARDUS anno 1213. de consensu sui Capituli, nemus & bannum de *Combles* sub custodia Theobaldi Barri & Luxemburgi Comitis, constituit in hanc formam. Sciant omnes tam » futuri quàm præsentes quòd Ego Gerardus » Dei gratiâ Abbas de Jandoria, laude & as» sensu Capituli mei, bannum & nemus de » *Cumbles*, in custodiam D. Theobaldi Comi» tis Barri & Luxemburgi, posui. Ipse verò » Comes dictum nemus ac bannum pro jure » Ecclesiæ de *Jendures* conservando in suam » suscepit custodiam, in bona fide, tali modo » quod quidquid lucri de eodem nemore & » banno quoad justiciam secularem prove» nerit, Ecclesiæ de *Jendeures* partietur, eidem » Ecclesiæ medietatem per omnia conferendo. » Ego verò justiciam quoad spiritualia, de præ» dicto nemore & banno, mihi & Capitulo » meo reservavi & retinui. Super hoc autem » jam dicto Comiti Barrensi & Luxemburgensi » præsentes litteras, sigillo meo roboratas, in » testimonium contuli, Anno gratiæ 1213. *(a)* Gervasius Abbas Præmonstrati pro eo intercessit apud Cisterciense Capitulum anni 1218. ut mitiùs cum illo agerent Abbates Triumfontium & Cheminonis, Gerardo damnum & gravamen inferentes.

X.

WALTERUS, cujus meminit Necrologium ad 18. Junii.

XI.

ALARDUS anno 1237. Henricum Barri Comitem & hæredem ejus, in societatem proventûs nemorum ascivit, & istius societatis testes fuerunt, Theobaldus rex Navarræ, Petrus *Maucler*, Armoricus Comes *Montisfortis*.

XII.

LAURENTIUS in Chartis Trium-fontium appellatur ut testis annis 1239. 1245.

XIII

NICOLAUS ad annum 1266. vitam produxit, cùm anno eodem in mense Augusto concambium inter Theobaldum Comitem Barri, & Gaufridum de *Nova-villa* initum, firmaverit subscriptione suâ; quo quidem concambio,

(a) Regist. Barrense Pergamen. Cui titulus est *Traitez de paix des Ducs de Bar*, fol. 79.

Comes Gaufrido concedit quodcumque juris & proventûs habebat in villa de *Niceys* & vicissim Gaufridus relaxat Comiti, quidquid possidebat dominii in *Monblainville*. Ita legitur in collectione documentorum Barri Ducatûs. Fol. 107.

XIV.

DROGO ab anno 1267. actor, aut testis legitur in segregatis Trium-fontium & Cheminonis * Diplomatibus. Anno 1270. à Theobaldo II. Comite Barri ablegatur ad San-Desiderium, versùs Guidonem Comitem Flandriæ & Namurci Marchesium, ut ei confœderationis pactæ anno 1263. tabulas exhiberet, quibus se astrinxerat ad præstandam opem Theobaldo, quoties bellum inferre, vel propulsare teneretur illatum ab Episcopo Metensi, à Duce Lotharingiæ, aut à Comite Luxemburgi. Quam conditionem, licet sæpè interpellatus, Guido exequi detrectarat; unde dispendium Theobaldus passus grave, indemnitatem triginta millium librarum repetebat, ejusque nomine repetiit Abbas Drogo.

* Cheminon Abbatia O. C.

XV.

ALBRICUS, ex Obituario ad XIX Augusti notus.

XVI.

GERARDUS ab anno 1283. ad annum 1320. Abbatem egit. Ex Regia valle, ubi professionem emiserat, ad Abbatiam Jandoriæ assumptus est. In Capella S. Christophori tumulatur sub hac epigraphe.

Cy gist Messire Gerard de ..... qui fut Abbé de céans trente sept ans & trèpassa l'an 1320. le premier jour de Décembre.

XVII.

JOANNES ab inaugurationis suæ exordio societatem iniit cum Canonicis B. M. de Moncellis anno 1320. Obiit anno 1337. 17. Augusti.

XVIII.

NICOLAUS DE COUPONGE, 8. Februarii defunctus.

XIX.

JOANNES DE SAUDRU, 13. Aprilis in Obituario notatus.

XX.

JOANNES DE LA MOTHE, anno 1374. & 1389. nonnullas emit possessiones in pagis de *Combles*, & de *Tremont*.

XXI.

JOANNES, DE MOGNE'VILLE, ex pastoratu de *Contrisson*, in Abbatem sublectus est anno 1383.

XXII.

GUILLELMUS DE TREMONT, ex Chartis anni 1433.

XXIII.

DESIDERIUS DE RONNES regebat anno 1443. ut palam est ex inscriptione fenestræ Sanctuarii appositâ.

XXIV.

FRANCISCUS MARTIN, anno 1479. & 1481. quædam acquisivit in pago de *Contrisson*. Obiit anno 1486.

XXV.

FRANCISCUS DE CONTRISSON Navim Ecclesiæ auxit, instruxit Sacristiam, ubi locum sepulchri elegit anno 1503. Post dirutam Sacristiam, exuviæ illius ad Chorum deportatæ sunt. Anno 1495. Renatus II. Lotharingiæ & Barri Dux, in ejus manibus & præsentiâ appellationem instituit ad Ecclesiam universalem de denegata ab Alexandro VI. confirmatione Olrici de *Albomonte* electi in Episcopum Tullensem, & de intrusione Joannis de *Marades* à summo Pontifice facta.

XXVI.

ANDREAS DE CONTRISSON, Francisci nepos, Capellam S. Christophori, suâ structurâ elegantem, ædificavit, in eaque sepultus est anno 1532. cum hoc elogio.

Cy gist R. Pere, Frere ANDREU DE CONTRISSON, jadis Abbé de céans par l'espace de XXIX. ans, lequel a fait construire cette Chapelle de S. Christophe, & trèpassa le X. Novembre MDXXXII. Priez Dieu pour lui.

XXVII.

HENRICUS LA LONDRE, Andreæ nepos, in Sanctuario sub hac inscriptione jacet.

Cy gist Révérend Pere en Dieu, Frere HENRY LA LONDRE, de *Ville-sur-Seaux*, Abbé de céans l'espace de huit ans, lequel a fait faire le Couvent & Chapitre de ce present lieu & trèpassa le huit Febvrier MDXL.

Capitulum istud ab Abbate Henrico structum, demiratus est Servatius *Lairuelz*, Abbas S. Mariæ, & Ordinis Vicarius Generalis, ipsumque præponit cæteris, si Viconiense excipias. Miraculum artis in hoc opere gothico elucens, vix ætas nostra laudaret.

XXVIII.

JACOBUS HAVOT ex pastore de *Vassincourt*, institutus est Abbas Jandoriæ, à Vicario generali Ordinis 16. Februarii 1540. Ob discordantes in electione Capitulantes, anno 1546. Episcopus Thiberiardis consecratus, Remensis Archiepiscopi designatus est Suffraganeus. Decimo

regiminis sui anno, Abbatiam cum Prioratu de Sarmazia * commutavit. Quanquam sibi cenotaphium struxisset Janduriæ ad latus sinistrum Capellæ S. Christophori etiamnum quod visitur, tamen in Prioratu de Sarmazia sub hac epigraphe inhumatus est.

* Sermaize.

Hic jacet nobili genere natus JACOBUS *HAVOT* episcopus Tiberiadensis, suffraganeus illustrissimi Principis Cardinalis à Lotharingia, in suo Episcopatu Remensi, Abbas B. Mariæ de Janduriis, nec non Prior B. Mariæ de Sarmazia, qui quinquagesimum suæ ætatis attingens annum, obiit ultimâ Februarii 1551.

XXIX.

FRANCISCUS LE COQ, Benedictinum Ordinem professus, post adeptam ex commutatione Abbatiam Janduriarum, Præmonstratensem regulam vovit anno 1550. Associationem ab Alardo prædecessore suo, & undecimo in ordine Abbatum, cum Comite Barrensi ratam, innovavit, sed ut servilis & austeræ societatis jugum amoveret, tertiam nemorum partem tradidit Principi cum omni proprietatis jure; duas verò partes sibi & suo Capitulo reservavit in pleno dominio. Annis 1558. 1559. à Capitulis generalibus Visitator Circariarum Normanniæ & Burgundiæ constitutus, reformationem morum & disciplinæ strenuè invexit. Quatriduo ante obitum cessit in gratiam electionis celebrandæ, & 19. Julii 1567. defunctus est vita. In Sanctuario conditus istud in tumba præfert epitaphium.

Cy gist noble & scientifique personne Réverend Pere, Frere FRANÇOIS LE COQ natif de Paris, Docteur ez Droits, jadis Abbé de céans par l'espace de dix sept ans, lequel mourut le XIX. de Juillet MDLXVII. Priez Dieu pour lui.

XXX.

DESIDERIUS *COUSIN* ex Pastore de *Combles*, Abbas Jandoriæ electus 16. Julii 1567. Capellam SS. Petri & Joannis erexit. Prælaturam in favorem Renati *Masset* abdicavit spontè, & Parisiis agens excessit è vivis 17. Junii 1588.

XXXI.

RENATUS *MASSET* Canonicus Janduriensis, post Martini *Bourlier* Janduriarum alumni, Sorbonæ Doctoris & Parisiensis Collegii Prioris, obitum, quem Desiderius *Cousin* in Coadjutorem asciverat, quemque generale Capitulum anno 1582. Normanniæ Visitatorem, & anno 1583. Lotharingiæ Circatorem deputarat, ad Abbatiam promotus est, ipsam urgente fato reliquit. Anno 1605. Kal. Martii possessionem ei eripuerat priùs

XXXII.

CLAUDIUS DE *S. BAUSSANT*, Monachus S. Apri Tullensis, qui Romæ sub obtentu falso, Bullas impetravit 12. Septembris 1591. sed nullitatem tituli parentum autoritate roboravit, & honore indebito fruitus est donec 19. Julii anni 1606. vitam & dignitatem exueret. Ejus epitaphium sic legitur.

Cy gist Réverend Pere en Dieu CLAUDE DE S. BAUSSANT, Ausmonier du Roy, Abbé de céans treize ans, il trépassa le 19. Juillet 1606.

XXXIII.

CLAUDIUS *ARRAGON*, 21. Julii 1606. electus, æmulum passus est Nicolaum *Barnet*, Senatûs Parisiensis arresto evictum 23. Decembris 1606. Coadjutorem postulavit Alexandrum de *Longeville*, Canonicum Jandoriæ, qui omnino cessit anno 1617. & Claudius in parœciam de *Contrisson* secessit, illicque 12. Martii 1633. obiit pastor.

XXXIV.

ALEXANDER DE *LONGEVILLE*, possessionem adiit 19. Aprilis 1617. Eo regente Capitulum Provinciale Janduriis celebratum est anno 1624. Cæcus amor gentis, quem nepotismum nominant Romani, impulit Alexandrum de *Longeville* ad resignationem suæ Abbatiæ in gratiam Nicolai *Voillot*, secularis Clerici, sui nepotis: ac ne proditor Ordinis, & proprii sanguinis iniquus videretur amator, conditionem imposuit assumendi habitûs, quam despexit. Moritur Alexander 21. Septembris 1638. & saxeo mausolæo sequentem referente epigraphen obtegitur.

Cy gist Réverend Pere en Dieu, Frere ALEXANDRE DE *LONGEVILLE*, jadis Abbé de céans, qui après avoir versé saintement l'espace de treize ans en cette dignité décéda le 21. Septembre MDCXXXVIII.

Priez Dieu pour luy.

XXXV.

NICOLAUS *VOILLOT* præscriptæ sibi à patruo conditionis immemor, Bullas IX. Decembris anni 1628. ab Apostolica sede obtinuit, quibus in commendam Abbatia ipsi collata est cum onere revertendi in pristinum regularitatis statum, per viam electionis. Interim Nicolaus de *Comty de Gramont*, à Rege Barri Ducatûs armis subacti, potiente, Diploma surripit, eoque solo munitus, Abbatiam invadit, reditus occupat anno 1629. Hoc invasore demortuo 24. Martii 1648. Elpidius *Benedeti* in ejus locum pari titulo suffectus est, qui quoniam Romæ Bullas impetrare non potuit, cessit Abbatiæ. Petrus *Chanlaire* Canonicus Vitriacensis in vacantem involavit Abbatiam in vim nominationis Regiæ, anno 1652. qui similiter Romæ passus repulsam, ultrò abdicavit. Nicolaus *Voillot* Serenissimi Lotharingiæ Ducis in Curia Romana Orator ibidem decessit 25. Maii 1671. sicque Abbatia vacans

in Curia, ad Romani Pontificis dispositionem transiit.

XXXVI.

FRANCISCUS *BURETTE* Ordinis Præmonstratensis in eadem Curia generalis Procurator, ipsomet decessûs Nicolai *Voillot* die, à summo Pontifice Abbas renuntiatus est. Realem & personalem, in patriam redux, possessionem adiit 21. Januarii 1675. Præverterat illum Zacharias *Morel*, & subrepto à Rege Diplomate, tanquam successor Nicolai *Voillot* intruditur anno 1674. & 1675. in virtute nominationis Regiæ. Confirmationem seu Bullas iteratis pulsationibus assequi nequiens, proventus arripit ex decreto Magni Consilii. Anno 1683. die 23. Martii Abbatiam in Philippum Franciscum *Morel*, cessione ultroneâ & per nominationem Regis, transtulit. Vacantem per obitum Nicolai *Voillot*, iterum Romæ sibi postulavit conferri, sed parem cum fratre fortunam recusationemque expertus, edicto Senatûs procuravit investiri. Anno 1689. caducum titulum, cum Canonicatu Metropoleos Parisiensis, Rege approbante, permutavit. Isaac de *Charost* possessionem, nulla autoritate Ecclesiastica fretus, solo Regis placito munitus, init 7. Martii 1690.

XXXVII.

FRANCISCUS *SPIERRE* Canonicus Præmonstratensis, & Prior monasterii Venerabilis Sacramenti Parisiensis, ad instantiam Superiorum, vacantem Abbatiam, & ab incapaci ac intruso illegitimè detentam, à sancta Sede petivit obtinuitque. In possessionem die primâ Octobris 1699. immissus, Isaacum de *Charost* exturbare aggressus est. Verùm Christianissimus Rex Provinciam Barrensem occupans, & prætensi juris in beneficiorum collatione vindex acrior, ad secularem Parisiorum Curiam passus est F. Franciscum *Spierre* provocari ab æmulo, de contendentium dicturam juribus. Per litium meatus inextricabiles, quæstio deducta, finem vivente Commendatario sortiri non potuit. Mors 20. Decembris 1718. terminum imposuit liti. Hinc pacificè temporalibus gaudere cœpit regularis Abbas, qui prius spirituali tantùm regimine fruebatur. Atque ut in tuto jus suum ex vi provisionis apostolicæ acquisitum, poneret, jura juribus addendo, electione Canonicâ roboravit titulum priorem. Utroque munitus, pacificos in possessione Abbatiæ dies exegit, quos mors immatura clausit 4. Januarii 1723. eique per electionis canonicæ viam suffectus est primâ Februarii anni ejusdem, me præsidente

XXXVIII.

P. NICOLAUS *FRANÇOIS* Prior S. Josephi Nanceiani, morum candore, zelo apostolico plurimùm commendabilis. Per plures annos Prioris Abbatiæ S. M. Maj. Mussipontanæ & Magistri Novitiorum Congregationis nostræ, officiis perfunctus fuerat eâ laude, eoque successu, ut omnium calculo dignus censeretur, qui majores capesseret infulas; quod tamen ut serò contingeret, exposcebant geminata vota tyronum, amittere timentium patrem reverenter amabilem. A sex annis Definitoris, & Visitatoris munia subiit. Vetus ædificium diruit, novas exstruxit ædes elegantissimas, quas brevi absolvet, vir frugi, œconomus & comis, & piissimus.

Dum hæc prælo subjicimus, suæ in Ordinem pietatis specimen egregium nobis subministrat colendissimus Abbas, libro typis Barrensibus edito in 4°. Liber iste Annotationes continet in Postulationem Capitulo Congregationis Præmonstratensis in Bella-vallensi Abbatia congregato an. 1733. exhibitam eo fine ut Capitulum ejusdem Congregationis jam non quolibet anno, sed singulo tantum triennio celebraretur. Gallico idiomate, hunc præfert titulum: ***Reflexions sur une Requête présentée au Chapitre de la Congregation de Prémontré séant à Belleval en 1733. pour reduire le Chapitre annuel de la même Congrégation, en Chapitre triennal. A Bar-le-Duc 1733. in 4.***

Utque Ordinis splendori, quem potissimùm christianè ambit, & saluti Sodalium, quos in visceribus Christi amplectitur, prospiciat, quantùm in se est, vir verè Religiosus; Asceticos Tractatus duos, prælo paratos, digessit, quibus & Novitiis indubiam ad Professionem aperit viam, & Professis, quo sic currant ut comprehendant, tutum monstrat iter: horum primus sub hac epigraphe: ***La bonne Conduite d'un Novice durant son Novitiat. 1. Tom.*** alter verò sub ista: ***La bonne Conduite que doit tenir un Religieux Profez depuis sa Profession jusqu'à la mort. 2. Tom.*** quæ latinè sic reddi possunt: I. Recta Novitii Conversatio tempore sui Novitiatûs. II. Recta Religiosi Professi Conversatio à sua ad vitæ exitum Professione.

PATERNITAS.

Planus-mons, gallicè ***Plemont.*** Parthenon pridem exinctus.

PASTORATUS

Cumulus, vulgò ***Comble*** sesqui à Barro milliari, ex concessione Petri Episcopi Tullensis.

Contrissonium, gallicè ***Contrisson*** cum succursali de Andernaco, ***Andernay***, ex donatione ejusdem Episcopi. Nunc autem ***Andornacum***, Parochia est singularis, proprio gaudens Pastore sub titulo Vicariæ perpetuæ.

Vassincuria, ***Vassincour*** ex ejusdem Henrici donatione.

S. Hilarii, vulgò Insula in Rigaltio, ***Lisle en Rigault*** cum filiali ejus, Villa ad Salicem ***Ville-sur-Seaux***, ex concessione Mathæi episcopi Tullensis.

Chambreé in Bulla Alexandri III. inter Parochiales Jandoriæ Ecclesias recensetur, hujus nec patrium nomen, nec situm novimus.

RELIQUIÆ SACRÆ.

Duæ Ossium particulæ de corpore S. Christophori Martyris, quas veneraturi quotannis in ejus festo accurrunt populi.

De Maxilla S. Petri Apostoli.

De Capite S. Joannis Baptistæ. Ecclesiola in prædio de *Graveriis* huic Sancto nuncupata est.

De Capillis B. Mariæ Virginis.

Ossa S. Quintini Martyris ex cœmeterio Cyriaci extracta, anno 1661. & Jandoriam submissa; quis ille sit Quintinus non explicat Breve Romanum: penes Octavianum Caraffam reliquiarum ejusmodi dispensatorem, sit fides.

Sequentes versus ex Libro Capitulari MSS. antiquo, exscriptos, hic apponimus.

SPECULUM MORUM.

Ecce tibi morum speculum propono bonorum.
Sit facies læta & modicum demissa, benigna.
Judicium mentis, sit collum flexile cunctis.
Sublimes, oculosque vagos, nutuque loquaces,
Ridentes semper, lascivos atque procaces
Ut fugias; esto, si rides, absque cachinno;
Lætus tristari, tristis gaudere memento;
Aut si verba sonant, sint sobria, pauca, modesta.
Mollis & instinctus gressus, nimiumve citatus,
Atque tener gestus scapularum, moribus obsunt.

CONSIDERATIONES PIÆ PRO CAPITULO CULPARUM.

Tu qui dignè vel indignè hic fueris proclamatus,
Tam benigè, velut igne charitatis inflammatus,
Respondeas, & gaudeas tuis culpis emendatus.
Pro te Christus accusatus, flagellatus obmutuit.
Opprobriis saturatus, clavos, crucem sustinuit.
Ad extremum dulce latus sic operiri voluit.
Ut intrares ad cor ejus hoc iter tibi præbuit.
Te nunc precor ne ingratus, tantis bonis sis fraudatus.
Tui memor sis reatûs, pati semper præparatus,
Cùm pro te sit morti datus qui per se nihil meruit.

J A S Z O.

Jaszo. Fil. Luca. Diœcesis Agriensis. Circaria Hungariæ.

PRæpositura Jaszoviensis sub patrocinio S. Joannis Baptistæ, in Comitatu *Aba* Vyvariensi, tribus à Cassovia Metropoli superioris Hungariæ, milliaribus separata, primitùs ab Ecclesia S. Stephani de Promontorio Varadinensi, subjectione filiali pendens, & anno 1294. per generalis Capituli sancitum, addicta authoritati Paternæ Abbatis Lucensis in Moravia, Fundatores habuit Reges Hungariæ, quorum posteri Bela IV. Rex, ejusque Frater Dux Colomanus, ambo Andreæ II. Hungariæ Regis filii, & avitæ pietatis hæredes, Turcarum immani feritate & crudeli vastatam incendio, restaurarunt anno 1255. Cùmque flammis periissent Fundatorum litteræ, quibus possessiones monasterii & prædiorum limites asserebantur, ad petitionem Alberti Præpositi, novo Diplomate consuluit Rex Bela, fortunæ cœnobii, & distinctis limitibus disterminavit totam Præposituræ substantiam. Wladislaus VI. Casimiri Poloniæ Regis filius, paucis ab inaugratione sua in Hungariæ Regem annis, ad supplicationem Præpositi Jaszoviensis anno 1494. Belæ Litteras recensuit, & Regiâ munivit approbatione. Florentissimum Hungarici Regni cœnobium extitisse *Jaszo*, munificentissimi benefactoris donationes attestantur, eumque fuisse Belam primum, magis ex traditione autore, quàm ex superstitibus monumentis, suspicantur. Anno 1553 Lutherana & Calvinistica hæresis, per Hungariam latè fusa, & Religiosis domibus exitium intentans, in Jaszoviensem irruit, & Præpositum Georgium *Ollyasima* cum Canonicis, jam morti addictum, coegit fugâ saluti consulere. Sed anno sequenti, inopina prosperitas restituit Præpositum penatibus, & à Capitulo generali Paternitas ei delata fuit in Præposituras S. Stephani *Lelexii*, *Palii*, *Adonii* & *Damo*, ut eas bellorum imminente aut durante hæreseos clade tutaretur, & in religionis spiritu contineret. Eò enim devenerant infelicitatis res Monasticæ in Hungaria, ut reliquias dissipatorum, aut hostiliter sublatorum proventuum, à prædonibus liberare non licuerit aliter quàm Præposituras in potentum & secularium manibus resignando, quos Capitulum generale, miserans Ordinis sortem, humaniter ad deffensionem monasteriorum exhortans, ad professionem Ordinis, post unum probationis annum permisit admittere. Necdum anno 1539. tetigerat illa tabes Jaszoviense monasterium. Heterodoxorum insultibus & secularium cupiditati impervium, à regulari Præposito regebatur, qui à Ferdinando I. Hungariæ Rege impetravit privilegiorum confirmationem: Prævalente postmodùm vel Principum authoritate, vel necessitate temporum, Agrienses partim, partim Varadinenses Episcopi Præposituram administrarunt, donec Leopoldus primus Imperator, die 5. Martii an. 1699. jure postliminii, ad humillimas & instantissimas Francisci *de Schulingen* Abbatis Pernecensis in Austria inferiori, & Cæsareæ Majestatis Consiliarii, preces, Ordini restituit, ipso non renuente Georgio *Teneschy* Agriensi Episcopo, qui illam precariò &

fiducialiter possessam, sponte resignavit. Lucensis Abbas Carolus *Kratochwill* redemptam filiam, ab inclita Bohemiæ Circaria denuò cum omni jure & honore recepit, anno 1710. & ad illam Præpositum ablegavit Patrem Nicolaum *Fromboldt* (a) cum Fratrum examine, qui hæreditatem S. Norberti capessivit, & quidem satis amplam. Præter enim telonium in *Jaszo* & decimam regiam ejusdem oppidi, præter villas *Mindzent*, *Rhudnok*, *Debreth*, unà cum jure gladii & patronatus, possidet Præpositura superius & inferius *Metzenfoff*, villam *Vysalo*. In *Pan* castellum & quatuor sessiones, in deserto *Scheleska* tres sessiones. In *Kur* curiam *nobilitarem* cum libera vinea. Allodium in *Prapost* cum quatuor sessionibus. In *Mada* liberam vineam. In *Talia* unam. In *Tokay* unam. Gaudet insuper Præpositus jure fodiendi omne metallorum genus, intra metas suorum prædiorum; & populi ad Præposituram pertinentes, à judicio & jurisdictione extranea exempti sunt. Custodia Regii sigilli ad omnes publicos contractus Præposito commendata est, & ad monasterii deffensionem licitum est illi fortalitiis & propugnaculis munire domum, in vim privilegii quod Sigismundus Rex Stanislao Præposito concessit anno 1436.

Vide Probat. à col. DCLVJ. ad col. DCLX.

JAVAGIA.

Javagia Parthenon. Fil. Vallis-serenæ. Diœcesis Suessionensis Circaria Franciæ.

** Ferte Milon.*

AB anno 1160. & ante, monasterium Sororum extitisse Javagiis, duabus à Valle-serena horis, & una à Firmitate-Milonis * dissitum, constat ex donatione molendini hujus villæ, & partis territorii intrà atrium Ecclesiæ consistentis, facta à Gilleberto cognomine *Vacca*, ea sub conditione, » *ut Fratres* Ecclesiæ Vallis-serenæ recipiant in collegio Sororum suarum, mulierem sanam, quam ipse » voluerit, in consortium Sororum suarum, » absque omni impensa.

Hanc concessionem Hugo episcopus Suessionensis, confirmavit anno 1160. quo quidem anno idem Episcopus approbavit traditum ab Alberico Milite de Uchia, * jus deducendi ducentas oves, & quadraginta vaccas in territorio *d'Ancienceule*, Sororibus in Ecclesia Javagiorum Deo deservientibus.

** Ouchy*

Anno 1172. laudante Nivelone episcopo Suessionensi, Vermundus de *Turcos* legat *Sororibus de Javagiis Deo deservientibus* viginti solidos singulis solvendos annis.

Hujus cœnobii, quod temporum injuriâ, & Capitulorum Sanctionibus, incerto periit tempore, erectionem petierant quàmplures regionis istius vestales, nobilesque matronæ; & in eo jam pro votis ædificato, Præmonstratensi disciplinæ subdere colla inter plures visæ sunt Petri Dynastæ de *Oisni* duæ filiæ; id patet ex subscripto Henrici Comitis Trecensis, Diplomate, in quo etsi Parthenonis reticeatur vocabulum, rectè tamen infertur non alium fuisse, quàm Javagiæ, quia hunc solum à Valle-serena reperimus emanasse.

Vide Probat. à col. DCLX. ad col. DCLXI.

JAWARDAVISLE.

Jawardavisle. Fil. Montis Syon. Diœcesis Olomucensis. Circaria Moraviæ.

HÆc Abbatia, quam Layruëlius in suo Catalogo annumerat inter Moraviæ monasteria, penitùs interiit, fortè à Ziskanis Moraviam infestantibus, deleta est; nec ampliùs Strahovia illam ut filialem appellat.

IBELMA.

Ibelma. Circaria Scotiæ.

IN Scotiæ Regno monasterium *Ibelma*, collocat Layruëlius, suppresso nomine Diœcesis.

IBURC.

Iburc. Diœcesis Anslogensis. Circaria Norvegiæ.

SExtum est Ordinis nostri cœnobium *Iburc*, in Norvegiæ Circaria, & intra Diœcesim unam Anslogensem, constitutum, quod à Pagio omissum, ad Indices mss. restituit Layruëlius.

(a) Mortuo Nicolao Fromholdt, successit 16. Martii 1715. P. Albertus *Unverzagt*. S. T. Doctor & antea Prior Lucensis. Alberto fatis absumpto, electus in successorem fuit 27. die Septembris 1720. P. Carolus *Tesch* Decanus Znoimensis, & Canonicus Lucensis.

JEHDONA.

Jehdona. Fil. Siloë. Diœcesis Olomuc. Circaria Moravia.

PRidem hæc Præpositura desiit, filia Siloë, in Olomucensi agro sita, quam temporibus Ziskanæ persecutionis, Taboritæ funditùs everterunt.

JERICHO.

Jericho. Fil. S. Mariæ Magdeburg. Diœcesis Havelbergensis. Circaria Saxonia.

PRæpositura virorum septimo ab urbe Magdeburgensi lapide, versùs Septentrionem, ad dextrum Albis latus, supra Tangermundam, Marchiæ Brandeburgicæ oppidum, situm habens, matrem venerans Magdeburgensem S. Mariæ Præposituram; à qua ut ortum, sic & suam mutuata est nobilitatem, fortè & audaciam, quâ supremum Ordinis tribunal, Generalium nempe Capitulorum cœtus dedignata, censoriam incurrit anno 1224. animadversionem.

Ab ingruente & depopulante hæresi vastata est Jerichuntensis Præpositura; & Canonicis per vim expulsis, ad laïcos transivit omnis ejus possessio. Ferninando II. Cæsare victore per victricem Tillii manum, postliminio restituta est Ordini, ad instantiam Abbatis Pragensis. Eo enim supplicante Imperator dedit in mandatis Principi Fritlandiæ Alberto, ut *Gratiam Dei*, & *Jerico*, Præposituras virorum, utrasque ab hæreticis usurpatas, legitimis quantocyùs restitui procuraret hæredibus. Delegavit Princeps anno 1628. octavo Novembris ad executionem præcepti Cæsarei, Chiliarchum *Aldringer*, qui potenti manu cœnobium ingressus, detentores ad extradendam sacram suppellectilem, ad exhibenda Ecclesiæ documenta, consignandas claves coëgit, & ita vacuos deturbavit è monasterio.

In possessionem immissus Abbas Strahoviæ Gasparus à *Questemberg*, instaurationi cultûs, & caducorum ædificiorum refectioni totum se impendit. Sed excitatam penè è favillis Religionem consociata Hollandis, Saxonibus, aliisque fidei catholicæ infensis Principibus arma Suevica, Duce Gustavo Adolpho, funditùs in Saxonia subverterunt, dum ad Lipsiam profligato Tillii exercitu, Cæsarem ad iniquas pacis conditiones adegit Johannes Dux Saxoniæ. Harum altera fuit, ut filius ejus Augustus Archiepiscopatum Magdeburgensem toto vitæ spatio administraret, & occupati ab acatholicis Ecclesiarum proventus in possessorum manibus per annos quadraginta remanerent.

His pactis fretus Augustus, Princeps Hallensis, Centurionem misit *Jericho*, cum litteris ad Præpositum. Hospitio exceptus, litteras non obtulit, sed inter cœnandum illas dedit Præposito, statimque manus extendens ad claves cœnobii juxta Præpositum de more repositas, apprehendit illas, & mandatum recessûs intimavit Præposito. Vix noctem permisit transigere intra monasterii septa Prælatum & Canonicos; de mane jussit abire visitatos & penè nudos. Ad suos illi Fratres in Pastoratibus adhuc degentes secesserunt, sævientis Principis iram placaturi, aut placare sperantes. Sed in pejus verterunt spes & omina profugorum tractatûs Monasteriensis funestæ conclusiones; adeò ut præcluso regressu ad suos lares, conferre ad alienos pedem debuerint.

Unam in Leudwigiano Diplomatum Codice Chartam ad Jerichuntinum monasterium spectantem, in Prob. proferemus. Alias instantissimè petitas negavit Magdeburgensis Præpositus. *Tom. 7. Reliq. p. 18 & seqq.*

Vide Prob. col. DCLXJ.

ILBENSTADIUM SUPERIUS.

Ilbenstadium Superius. Fil. Præm. Diœcesis Moguntina. Circaria Vadegotia.

ILbenstadium, Germanicè *Elstat*, usitatiùs *Ilmstat*, quatuor à Francofurto horis, duabus à Fridberga civitate Metropoli Veteraviæ, distans, Fundatores habuit comites inclytos Capenbergæ Godefridum & Ottonem anno 1123. Propagandæ Religionis Norbertinæ, castris & prædiis Deo dedicandis, ambo pari ardore incumbentes, post Cappenbergam & Varlariam divino mancipatas obsequio, Ilbenstadium cum universis decimationibus, mancipiis, dominicalibus juribus, sylvis, pratis, per manum Adelberti Archiepiscopi, Domino litaverunt, ad usus Fratrum juxta B. Augustini regulam & institutionem Venerabilis Norberti, viventium. Donationes suo Diplomate firmavit Adelbertus, & Ecclesiæ libertati, Ordinisque instituto consulens, liberam eligendi ac submovendi Advocati facultatem indulsit: prædicandi, baptizandi, sepeliendi, licentiam concessit, ad ipsiusmet Ordinis genium accommodans suæ beneficentiæ favores. Ad hujus exemplum Innocentius II. testis Apostolici zeli, quo Ilbenstadienses Canonici fervebant, latiorem eis aperuit campum, in quem excurrerent, facibus Evangelii accendendum. Totam quippe Provinciam, postulante Archiepiscopo, eis, eorumque ministerio subjecit erudiendam. Quàm feliciter, quàm indefessè sancto operi insudaverint

insudaverint apostolici homines, Comitis Ottonis provocati ardore, protestantur hujus ævi scriptores, concurrentium ad Norberti vexilla, virorum ac virginum numerosæ turbæ, quarum sustentationi & habitationibus providens Lotharius Imperator, allodia donavit in dotis supplementum.

I.

E gremio matricis Ecclesiæ Præmonstratensis, primos Ilbenstadii inquilinos evocavit Norbertus, ipsisque ducem& Præpositum præfecit ANTONIUM quem Innocentius II. litteris Apostolicis convenit anno 1139. cui Lucius II. anno 1144. Bullam protectoriam inscripsit. Ad quem denique Eugenius III. anno 1147. pro stabilimento Ordinis, & possessionum Ilbenstadii direxit Diploma. Talibus vallatum privilegiis Ilbenstadium impetere tamen & intra paucos dies ejectis Fratribus, subvertere aggressus est Comes *Keichen*, sed impotenti furore in monasterium irruens Comes, visibili protectione Dei, & piissimi Fundatoris interventu fractus, recessit, totaque ejus conamina ultrix Dei manus sic compressit, ut arce insidiantis Comitis funditùs subversâ, tentandi imposterum quidpiam adversùs Ilbenstadium ansam sustulerit. Quin & portenti instar, universam Comitis prolem, mors paulopost messuit, ne hæredes paternum facinus iniquiore zelo imitarentur. *Bolland. appendice ad diem 13. Januar. p. 1113.* Hoste mirabiliter superato, mortem pacificè excepit Antonius, & lætus vidit ultima anno 1150.

II.

HARTMANNUS, ille commutationis quatuor mansorum intra fines Imperii constitutorum, contra villam *Vineden*, Imperii itidem feodum clientelarem, cum Roberto Ministeriali factæ, confirmationem ab Imperatore Friderico I. obtinuit, anno 1158. insimul & thelonii jus in Francfurtensi urbe à prædecessoribus Friderici indultum, innovavit Imperator idem, in gratiam Ilbenstadiensium. Inceptam à prædecessore Eclesiam absolvit, eamque Arnoldus Moguntiæ Archiepiscopus inauguravit anno 1159.

III.

HENRICUS anno 1166. Fridericum I. Imperatorem Francofurti adiit, ab eoque, pro innata in Ordinem beneficentia, impetravit Diploma protectorium, quo & Præposituram, & Præposituræ possessiones quocumque legitimo modo comparatas, nec non Parthenonem Sororum Deo inibi dicatarum, sub sua deffensione & custodia recipit. Sequentium Præpositorum gesta, à marte Sueco libros, documenta concremante aut furante, evanuerant. Providentiæ R^mi. Domini Andreæ *Brandts* Abbatis, debemus residuum qualecumque monumentorum quod impenso auro Bremæ redemit nostris temporibus. Ex pauculis, pauca restituimus, & jejunam, quandoque mutilam, Prælatorum seriem apponimus.

IV.

HERMANNUS.

V.

JOANNES ab anno 1280. ad 1294. præfuisse legitur.

VI.

VERNERUS resignavit quarto sui regiminis anno & 29. Julii oppetiit mortem.

VII.

EBERRADUS circa annum 1330. abdicasse Præposituram aiunt fasti.

VIII.

BERTHOLDUS florebat anno 1333. ut patet ex ejus litteris datis hoc anno, & lumen perpetuum præcipientibus conservandum coram venerabili Sacramento.

IX.

FRANCO Præposituræ pertæsus, regimen exuit, & Parochiam in *Lodet* suscipit regendam, anno 1340.

X.

CONRADUS DE CORBEN, quadragesimo secundo Prælaturæ anno, cessit & die 15. Novembris 1394. concessit in fata.

XI.

EBERARDUS *RUSSE*, more majorum oneri se subduxit & 15. Septembris 1408. vidit finem suum.

XII.

RICHARDUS *RESCHE* præerat anno 1422. ut testantur acta, diuturnitatem Præfecturæ non probantia.

XIII.

CUNO *HALBER* paucis annis possessam Præposituram dimisit.

XIV.

WERNERUS *RESCHE*, anno 1429. clavo insedebat, abdicato regimine, mortem obiit 11. Octobris 1439.

XV.

HENRICUS DE *MICHELBAC*, laudabiliter gestam Prælaturam posuit anno 1463.

XVI.

JOANNES *HEIDERICH*, anno 1480. humanis eximitur.

XVII.

HENRICUS DE *OBERNHAIN*, esse desiit anno 1485.

XVIII.

RUPERTUS *DURNHEIM*, dignitatem sponte demisit 15. Februarii 1502.

XIX.

PHILIPPUS DE *CARBEN*, 24. Februarii electus, dispensationem ab Alexandro VI. impetravit super usu lacticiniorum tam in Quadragesima quàm in diebus jejunii. Obiit 19. Julii 1521.

XX.

JOANNES *GEWENER*, Præside Nicolao *Berg* Abbate Cappellensi, Circariarum Westphaliæ & Iveldiæ Visitatore, electus 23. Julii, resignavit anno 1536.

XXI.

SERVATIUS *FEIHE DE LODEL*, tribus annis vitæ & Prælaturæ cursum confecit.

XXII.

MATHÆUS *SCHEFFER*.

XXIII.

KEILMANNUS *WINECKER*, cessit anno 1555. & 2. Julii 1562. excessit è vivis.

XXIV.

STEPHANUS *WEYBRODS*, collapsa restauravit ædificia, & finem vivendi fecit 5. Octobris 1570.

XXV.

JOANNES *BYCKELIUS*, ex Parocho in *Erbstatt*, ubi multas ab hæreticis passus ærumnas fuerat, in Præpositum assumptus, cessit anno 1590.

XXVI.

THEODORUS *WERNER*, exstructis ædificiis, obiit 6. Junii. 1605.

XXVII.

WANDELINUS *FALTER*, 28. Junii electus, 2. Augusti 1611. raptus est.

XXVIII.

GEORGIUS *CONRADI*, in tempora fatalia belli Suecici incidens, vastatum dirutumque funditus, vidit suum monasterium, & ad Comitem de *Wortemberg* donatione Gustavi Sueciæ Regis translatum. Exularunt Canonici possessore novo cogente, donec invasor per donatoris mortem impotens, exulare vicissim compulsus est. Pace restitutâ, obtinuit à Paulo V. facultatem celebrandi festum B. Godefridi Fundatoris, anno 1614. Domum penè exhaustam & æquatam solo pro posse reparavit, & 22. Augusti, à Sueco milite interceptus, miserabili morte interiit 1635.

XXIX.

GEORGIUS *LAURENTII*, die 9. Octobris præcipiti electione, ut ferebant tempora, assumptus, luctuosum sui monasterii statum, luctuosâ narratione pinxit. Sed magni animi Prælatus, non inde fractus est. Chartas sui scrinii Bremam asportatas à Sueco milite, auro redimit, & Ferdinandi II. Imper. novo Diplomate curavit roborari anno 1629. Catholicam fidem in vicinia extinctam, aut agones extremos agentem, excitavit; Disciplinam regularem emarcidam, novo fervore animavit, & inde Ordinis sic captavit benevolentiam & æstimationem, ut Ordinis Caput, Georgium & successores ejus, Abbatis titulo decoraverit an. 1657. Meritis cumulatum mors sustulit die 24. Januarii 1663.

XXX.

CHRISTOPHORUS *BORN*, quarto regiminis anno Abbatiam inter manus Abbatis Steinfeldensis Vicarii generalis, resignavit.

XXXI.

LEONARDUS *PFREUNDSSCHICK*, die 15. Martii 1667. electus, assiduè pro resarciendis Ecclesiæ suæ juribus & ædificiis laborans, occubuit 16. Augusti 1681. ejus sepulchrali saxo hi versus incisi sunt.

Clausula finalis sit Iesus atque Maria,
Sæpius hunc versum vivens gestabat in ore
Et lætabundo psallebat pectore toto.
Nunc anima in cœlis, corpusque in pace quiescit.

XXXII.

HERMANNUS *HESTING*, die 18. Septembris electus, die 27. ab electione, & ante suam inaugurationem extinctus, hoc epitaphio donatus est.

Ut felix moriaris homo, bene vivere disce
Ut felix possis vivere, disce mori.
Et ne me plores pauco qui tempore vixi
Pauca etiam vidi, sustinuique mala.

XXXIII.

ANDREAS *BRANDTS*, 17. Septembris præside P. Adamo *Schmit* Collegii Coloniensis moderatore, à Steinfeldensi Abbate delegato, electus, totam penè domum struxit à fundamentis, sacrarium variis instruxit ornamentis, auxit Canonicorum numerum, oppignorata redemit bona, cultum Dei simphoniacis illustravit, & ita Fundatoris nomen per quadraginta quatuor annos regiminis apud suos & exteros assecutus, etiam apud posteros obtinuit post mortem quæ accidit 27. Octobris 1725. Ejus tumulo hos versus mœsti filii insculpserunt.

Hoc jacet in tumulo quondam qui præfuit Abbas
Ilmstadio, Andreas fuerat *Brands* nomen eidem.
Corpore parvus erat, sed magnus in arte regendi,
Mansuetus, patiens, humilis, devotus amatus
A cunctis, sobrius, vigilans, & largus in omnes.
Multa resarcivit, sed plura reædificavit.
Effigiem in muro videt è regione sepulchri;
Ast animo requiem donet Deus ipse perennem.

Infra effigiem hæc legitur inscriptio.

XXVII. Octobris obiit R^mus^. & Amplissimus Dominus ANDREAS BRANDTS hujus Ecclesiæ primus Infulatus Abbas * ætatis suæ anno LXXIV. regiminis verò laudabilis & exemplaris XLIV.

* Quia primus mitram gestavit.

noMen eIVs LaVDabIt generatIo eIVs In seCULa.

XXXIV.

JACOBUS *MUNCH*, 19. Novembris electus, decessoris instar piè & utiliter Ecclesiæ suæ præest. Quâ devotione & quibus motivis Georgius Laurentii Præpositus anno 1639. B. Godefridi Comitis tumulum reseravit & reliquiarum illius decerpsit ramenta, ut postulantium Prælatorum & Procerum faceret pietati satis, iisdem modernus Abbas tactus motivis anno 1731. Januarii die 9. sacrum hunc Sarcophagum reverenter aperuit, & exuviarum partes non nullas eruit publico cultui exponendas.

PATERNITAS.

Unicum filiale habet monasterium, & agnomine, haud procul à mœnibus suis, ipsumque fœmineum.

PASTORATUS.

Ante Lutheri tempora has sibi unitas, & à suis Canonicis administrari solitas, habebat Parochias Ilbenstadium.

Assenheim.
Bunnstatt.
Erbstatt.
Rendel.
Lodel.
Wolffersheim.
Oberwulstat.
Dornassenheim.
Wilbel.
Harheim & has quatuor ultimas sicut & *Hesdenbergam*, quas in fide catholica Ilbenstadium continuit, hodiedum administrat per suos Canonicos. Ante aliquot annos illis accesserunt.
Selenberg.
Reiffenberg uti & Missio in *Mockstatt.*

Vide Probat. à col. DLXJ. ad col. DC.

ILBENSTADIUM INFERIUS.

Ilbenstadium inferius.
Fil. Ilbenstadii Superioris.
Diœcesis Moguntinæ.
Circaria Vadegotia.

Coævum est Ilbenstadio superiori, quamvis illius propago, Ilbenstadium inferius. Uno eodemque authore Godefrido Comite Capenbergensi, gloriatur utrumque cœnobium anno 1123. erectum, aliud quidem viris, aliud virginibus dedicatum, sed contiguitate ædificiorum, ut moris erat, sibi adhærentia. Cùm verò Capitulorum generalium autoritas, divelli ab invicem affinia nimis monasteria statuisset, ad radices montis, cui Ilbenstadium insidet, Parthenonem deportarunt, inferioris Ilbenstadii inde nactum appellationem. Circà annum 1160. migrationem istam contigisse hinc colligimus, quod nonnisi circà hæc tempora in Diplomatibus occurrat *Sororum Deo dicatarum nomen*, quasi priùs unâ cùm Canonicis habitatione gaudentes, privilegiorum, ac possessionum communitate fruerentur cum illis. Suecorum exercitu Veteraviam depopulante, attritus licet Parthenon vergeret in ruinam, attamen Prælatorum pietas & œconomia ejus restaurationi sic adlaborarunt, ut fulgeat pridem & observantiâ disciplinæ, & ædificiorum structurâ. Viginti sex Virgines sub Prioris providentia illic Deo militant, & Christi bonum spirantes odorem, ipsis etiam acatholicis circumstantibus, inspirant reverentiam. Elenchum Magistrarum ex Necrologio & aliis tabulis erutum, nobis hunc transmisit R^mus^. Abbas Jacobus, quem apponimus tibi.

CATALOGUS MAGISTRARUM Ilbenstadii.

I.

BEATRIX.

II.

GUDA.

III.

IRMENGARDIS.

IV.

KUNEGONDIS.

V.

ADELHEIDIS.

VI.

KUNEGONDIS.

VII.

ELIZABETHA.

VIII.

Sophia.

IX.

Gertrudis.

X.

Elizabetha.

XI.

Hadewicis *Halbern*.

XII.

Gertrudis.

XIII.

Guda de *Rosenbach*.

XIV.

Anna *Zeindin*.

XV.

Gela de *Lowbin*.

XVI.

Gertrudis de *Carben*.

XVII.

Gela de *Bellersheim*.

XVIII.

Maria de *Ridesselin*, 1562.

XIX.

Elizabetha de *Lowbin de Steinfurt*, 1565.

XX.

Elizabetha de *Rosenbach*, 1574.

XXI.

Judith de *Rosenbach*, 1587.

XXII.

Joanna Amelia de *Fravenstein*, 1605.

XXIII.

Anna de *Rotenbach*, 1624.

XXIV.

Anna Amelia Sabina de *Peraunheim*, 1630.

XXV.

Anna Maria a *Siertzen Bachin*.

XXVI.

Catharina *Oberrriesin*, 1644.

XXVII.

Susanna *Reischelin*, 1652.

XXVIII.

Anna Maria de *Calenberg*, 1668. ex *Altamberg* postulata, præfuit anno unico, & in ipsa Magistrarum interiit titulus, sequaces decussatæ sunt in Priorissas quarum prima fuit

XXIX.

Gertrudis *Singhoffin*, professa Altenbergensis, quæ ad annum 1712. fideliter & prudenter præfuit.

XXX.

Juliana *Saworin*, obiit anno 1722.

XXXI.

Gertrudis *Brokelin*, obiit anno 1728.

XXXII.

Maria Susanna *Statterrin*, hodiè Prioratum laudabiliter gerit.

IMBRIA.

Imbria. Circaria Saxonia.

SUb testimonio Indicum Urspergæ & Osterhovii quos Layruëlius duces ut plurimùm habuit in contexendo monasteriorum Catalogo, inter Cathedrales Ordinis annexas, *Imbriam* comminiscitur, & raro exemplo, sub Chominensi Diœcesi constituit, quasi intra Episcopatûs limites, Episcopatus alter intrudi posset. Misniæ Provinciam decuisset scribere quamvis nulla civitas hujus nominis occurrat apud Geographos in Misnia.

DE INDAGINE.

De Indagine. Diœcesis Caminensis, Circaria Sclavonia.

HUjus cœnobii nec autorem, nec situm retegere licuit. In Pomeraniæ Ducatu extitisse probant Ordinis Indiculi quorum exempara venerandæ antiquitatis, à R^mo. Abbate Steinfeldiæ nobis gratissimè communicata. Bugenhagius Pomeranorum historicus haud indiligens Petrus *Wicia*, aliàs Valentinus *Venter*, historiæ Episcopatûs Caminensis scriptor satis accuratus; Martinus Rango *Originum Pomeranicarum* scrutator curiosus, nullam nobis subministrarunt *Indaginis* notitiam. Hoc unum & quasi obiter in Rangone pag. 159. deprehen-

dimus subscriptionem scilicet *Willekini Præpositi de Indagine* appositam Chartæ Bugislai & Wartislai Pomeraniæ Ducum, pro confirmatione Episcopatûs Caminensis, anno 1508.

INDEMAREN.

Indemaren.

INdemaren nec evulgati, nec mss. codices referunt. Nihilominus Abbatiam esse, & jure paterno præesse Abbatem Parthenoni de *Langlen* legimus in canone Capituli generalis celebrati anno 1536. Præmonstrati, præside Joanne de Folembray, Abbate Clarifontis, & Ordinis Vicario generali, in hæc verba: » Præcipit Capitulum Abbati antiqui monasterii, vulgò *Indemarem*, Patri Abbati Parthenonis de *Langlen*, ut administret probos » Religiosos, pro regimine Monialium.

Ubi gentium sit illa Abbatia, ubi Parthenon *Langlen* consistat, necdùm explorare potui. In amanuensi oscitantiam suspicatus primâ fronte, credidi loco *Langlen*, debuisse scribere *Langley*: sed cùm hoc cœnobium filiale sit Alnevikii in Anglia, & Abbatia virorum, conjecturas & dubia abjeci: tarditatem profitens, & ignorantiam.

INGED.

Inghed. Fil. Saag. Circaria Hungariæ.

PRæposituram Inghedensem à Layruelio & Pagio omissam, monasteriorum Hungariæ Catalogo inseruit generale Capitulum anni 1516. & Præpositi Saagensis jurisdictioni paternæ addixit. In qua Diœcesi consisteret Inghedium, necdum innotuit indaganti.

INSULA B. MARIÆ.

Insula B. Mariæ. Fil. S. Martini Laudunensis. Diœcesis Trajectensis. Circaria Frisiæ.

HUjus Abbatiæ originem describit Joannes Beka Hist. Ultraject, p. 47. in Episcopo XXV. Trajectensi Andreâ de Cuyck. » His diebus, inquit, Theodoricus Comes proavum suum in *Hammert* occisum, ulcisci desiderans, Hermanno de Cuyck ubique terrarum hostiles tetendit insidias, ita quod nullo » pacificatore mediante, treugarum obtinere » posset inducias. Andreas autem episcopus per » continuam interpellationem demùm intercepit antiquam altercationis invidiam, & per » hunc modum in utramque partem firmissimam elaboravit amicitiam, ut Hermannus » pro anima Florentii Comitis, monasterium » construeret, & etiam per competentes prædiorum possessiones dotare promitteret. Igitur eodem anno fundatum est monasterium » *Insula B. Mariæ Virginis*, & illati sunt ibidem monachi de Lauduno Præmonstratensis » Ordinis, qui sub Monastica disciplina Deo » devotè servirent, & pro anima Florentii sanctis precibus orarent.

Anno 1128. fundationem hanc obtigisse narrat Buchelius in notis ad Bekam. Ipsi concinit Heda, * & fusiori stilo descriptam Florentii Hollandiæ Comitis mortem à Cuyckiensi Comite illatam, concludens, pacem inter infestos hostes eâ conditione factam scribit, » ut » Hermannus de Kuick pro mulcta & liberatione animæ occisi Comitis erigeret à fundamentis monasterium, atque dotaret in perpetuam memoriam. Unde factum est quod » in agro, qui Rheno, & Wahali interjacet, » haud longè à fluvio Lignua... insigne condeetur cœnobium, in quo Religiosi, quos » Præmonstratenses à loco, alii Norbertinos » ab autore nominant, quorum vita, quia tunc » recens institutus Ordo, magno in prætio habebatur, acciti ex Lauduno collocantur. Quibus etiam præficitur Abbas Robertus, non » minùs sanctitate, quàm regio sanguine clarus. » Nomen autem inditum *Insula Mariæ* ipsi » loco, quem Rex Angliæ, * contuitu ipsius » Abbatis, calice aureo, infulis auro gemmisque contextis, necnon ære legali copioso, » ac pavimento tesselato, quod adhuc visitur, » opulenter adornavit.

* Pag. 15.

* Henricus I. cujus Robertus Abbas, erat Nepos, teste Buchelio in Notis ad Hedam.

Hujus Abbatiæ fundationem refert Joannes *Knippenberg*. Hist. Eccles. Ducatûs Gelriæ t. 2. c. 6. » Gerardus *Gelder*, inquit, adversus » Henricum Cæsarem cùm plerisque Bely[illegible]i Dynastis pugnavit; tùm etiam affini Th[illegible]orico Hollandiæ Comiti, adversùs Herm[illegible]um » Cuyckium, qui Theodorici patrem F[illegible]rentium propè Tielam necaverat, suppetia[illegible]t, » donec Hermannus pœnitentiâ ductus, [illegible] licti pœnam, Abbatiam Insulæ B. M[illegible] » vulgò *Marie-véérdt*, Ordinis Præmo[illegible]tensis, Tielam inter & Culenburgum [illegible] » 1128. ex bonis suis dotatam, construer[illegible] » cujus quidem cœnobii vel idcircò memin[illegible] » se placuit quòd nonnulli inde proventus [illegible] » dotem episcopatùs Ruremundensis, ordinante » summo Pontifice, designati sunt.... attamen » excisâ nunc Abbatiâ, bonisque in fiscum redactis, aliunde antistiti Ruremundano ab » Rege Hispaniarum provisum est.

Præposituram S. Nicolai in Alevosi, anteà in Trajectensi, post in Ruremundana Diœcesi constitutam intelligit autor, quam Pius IV. ab

Insula B. Mariæ præscidit, ut Ruremundano episcopatui uniret anno 1561. Tales habuit Insula B. Mariæ, seu *Martenwert*, natales. Quantos autem sub S. Roberto Abbate fecerit fructus hinc conjice, quòd disciplinæ regularis forma, pietatis exemplar cæteris exstiterit monasterium illud. Ibi Fridericus Horti-Mariani Fundator prima hausit virtutis & Norbertini spiritus semina; ex ipso varii ad varias Prælaturas assumpti sunt Canonici, denique Abbatum adeò excreverat ex pietate autoritas, ut pactorum inter Episcopos Trajectenses, & Comites Geldriæ sancitorum, vindex esset constitutus pro tempore existens Abbas, & alterutrum à promissis resilientem, feriret excommunicationis fulmine. Florentis adeò cœnobii excidium, dispersa venerandæ antiquitatis documenta uberiorem dicendi segetem succiderunt. Quæ passim legenti, sed maximè volventi Ecclesiasticorum Hollandiæ Annalium scrutatores sagacissimos, occurrerunt, referemus.

Vanhussen p. 233. Hist. Traject. Hedo. Becka. Kmppenberg. Grammaye.

I.

ROBERTUS I. Abbas, cognatus Regis Angliæ, ex Fratribus de Lauduno, vir tùm vitæ sanctimoniâ præclarus, tùm omni virtute insignis, ob cujus honorem & reverentiam Rex Angliæ Abbati quatuor donaria multùm pretiosa, transmisit, videlicet calicem aureum, ornamentum Missæ valdè pretiosum, pavimentumE cclesiæ multùm notabile & fabrè factum, & quemdam insignem & pretiosum lapidem Zaphirum; qui Abbas suam domum tam in spiritualibus, quàm in temporalibus strenuè & laudabiliter quadraginta duobus annis rexit.

II.

HESSELIUS duobus tantùm annis præfuit, 1172.

III.

ALEXANDER obiit anno 1189.

IV.

AUGUSTINUS, 1193.

V.

ARNOLDUS, 1219.

VI.

GODEFRIDUS, dies & annus mortis ejus ignorantur.

VII.

MEYSO curtem Abbatiæ in *Zinwinen* in Parthenonem erexit, nobili matronâ de *Smithusen* dotem subministrante, anno 1228. Cessit Meyso anno 1239.

VIII.

JOANNES, à Priore & Conventu Horti-floridi invitatus, præfuit anno 1242. electioni Menkonis. Frisiæ Visitator à Capitulo generali renuntiatus Joannes, Provinciam laudabiliter rexit, 1249.

IX.

RODOLPHUS Præposituram S. Bartholomæi & Parthenium *Campi-Regis* beneficio Richardis Principis instituit, submissis ex *Zinwinen* Sanctimonialibus anno 1252. obiit anno 1267.

X.

BALDEWINUS resignavit anno 1272.

XI.

GUALTERUS abdicavit Abbatiam an. 1278. & post demissionem ad Præposituram de *Bedebur* assumptus est.

XII.

JOANNES II. ad Tongerloensem Prælaturam postulatus, migravit anno 1280. Evocatum priùs scribunt Tongerloenses, anno nempe 1269.

XIII.

BERNARDUS cessit anno 1282.

XIV.

JACOBUS post annorum quatuor interregnum electus, resignavit an. 1293.

XV.

SIMON cessit 1306.

XVI.

HENRICUS DE *NOVIOMAGO*, cessit 1319.

XVII.

BALDUINUS cessit 1330.

XVIII.

HENRICUS DE *NOVIOMAGO* iterum electus, dormitorium & sedilia Chori perfecit. E medio sublatus est anno 1333.

XIX.

GESELBERTUS DE *WADENOYE*, 1349.

XX.

JOANNES *BOLLE*.

XXI.

WILHELMUS *SNAVEL* habuit competitorem Guillelmum *Sluyter*. Ambo de Prælatura contendentes, multa dispendia Abbatiæ fecerunt & damna, ultrà quinquaginta millia aureorum scutorum Regis Franciæ. Tandem Abbatiam obtinuit Wilhelmus, quam cum vita dimisit anno 1384.

XXII.

GUILLELMUS *SLUYTER*, monasterium multis

debitis aggravavit, multa immobilia bona tam in territorio Geldrensi, quàm Hollandico & Trajectensi; alienavit; denique imminutam fundis, & alieno ære oppressam, Abbatiam dimisit.

XXIII.

THEODORUS DE *WELDEREN*, septem annis dignitati præfuit, & omni anno centum jugera vendidit. Hic non uti verus dominici gregis pastor, sed uti mercenarius vixit, resignavit coactus ob demerita.

XXIV.

HENRICUS DE *SWART*, sub cujus regimine Martinus Papa V. providit monasterio de Regalibus, ad instantiam Præpositi *Akensis* filii Domini de *Burea* anno 1417. sub ejusdem Abbatis regimine anno 1427. * funditùs per Rodolphum *Diephout* postulatum Trajectensem, monasterium dirutum, frumenta, animalia, utensilia direpta sunt: Novem Canonici magnis expensis Trajectum deducti, in captivitate manserunt. Causam irruptionis subticet autor, propter periculosa tempora, quibus, proh dolor! veritati jam locus est nusquam. Nos qui præteritis periculis non terremur, devastionis ac deprædationis causam hinc prodiisse narrabimus. Mortuo Friderico de *Blanckenkeim* episcopo Trajectensi, anno 1423. circà successorem orta discordia Romam delata est, quæ Rhabanum Spirensem episcopum designat Trajectensium antistitem. Ille omnia tumultibus plena conspiciens, Suederum *Culenburgium*, Romano commendat Pontifici, cujus suffragio Trajecti deputatus Præsul suscipitur. Paulopost severitatis & imperii Suederi Trajectenses pertæsi, susceptum rejiciunt, ac Rodulphum *Diepholdiæ* Comitem, Coloniensem Canonicum & Osnaburgi Præpositum, tumultuariò postulatum admittunt. Hinc nata dissidia, excommunicationes latæ, appellationes ad Papam provocatæ à Clero, cui Abbas Insulæ B.M. adhærens, intrusum Rodolphum diris devovit. Ad arma Rodolphiani currunt, partem illam Gelriæ, quæ *Betua* dicitur, invadunt, quibus occurrunt Noviomagenses, & conserto prælio, amisso eorum primopilari cum multis nobilibus, in fugam conversi sunt. Trajectenses verò cum captivis & præda in reditu undique collecta, accesserunt ad monasterium Insulæ B. M. vi illud occupantes in favillam redegerunt, eò quòd Abbas in Trajectanos, ex autoritate Pontificis, & in Rodolphum vibrarat Ecclesiæ fulmina. Vide Hedam p. 285. Van-Husen Hist. Episc. Traject. p. 25. Bataviæ sacræ part. 1. p. 214.

* Heda ponit 1428.

Post tot tribulationes Henricus oneris & angustiarum lassus, cessit anno 1436.

XXV.

ARNOLDUS DE *SANDE*, cessit anno 1438.

XXVI.

THEODORICUS *SPEULTE*, cessit 1467

XXVII.

JOANNES DE *BR[illegible]*, ex Præposito Campi-Regis eligitur Abbas, & 8. Decembris excessit è vivis anno 1467, ipso suæ electionis anno.

XXVIII.

ANTONIUS, *V[illegible] P[illegible]*, impignorata redemit, reformavit monasterium, & toto sui regiminis tempore disciplinam fovit, auxit temporalia, & meritis plenus fato cessit 1488.

XXIX.

THEODORUS *PELS*, optimus Pater, & providus Pastor, inductam à prædecessore suo disciplinam mirabiliter auxit, de temporalium sollicitudine nihil remittens. Sexto præfecturæ suæ anno * per *malevolos Ribaldos de Gardid*, ductore Gisebertto *Pueck*, monasterium spoliatum fuit, Religiosi fugati, incensæ curtes: tot damnis fractus Abbas, luctuosam vitam felici morte conclusit 15. Aprilis 1500.

* 1493.

XXX.

JACOBUS *DALDE* anteà Præpositus in *Hinsberg*, suffragio viginti novem Capitulantium postulatus Abbas 22. Aprilis: desolatum in ædificiis, in ærario, in suppellectile monasterium, pro posse, resarcivit. 1513.

XXXI.

HERMANNUS DE *ROSSUM*, quondam Insulæ & Bernæ Prior, Sinûs S. Mariæ, & S. Antonii Harlumensis Præpositus, demum Campi-Regis Præpositus actualis, eligitur Insulæ B. Mariæ Abbas viâ Spiritûs sancti. Multas à Fratribus, plures ab infestante milite perturbationes passus, senio & deliquio virium exhaustus penè, Prælaturam qualitercumque administratam, inductus resignavit 1529.

XXXII.

HENRICUS DE *VOERDT* Pastor in *Scheidam*, 2. Januarii 1530. more nostro, eligitur Abbas: sed quoniam contrà præceptum Caroli Ducis Gelriæ, Capitulum non expectato Principis placito, ad electionem processerat, debuit Abbas ex mandato Caroli ab Christophoro Comite de *Moërs* insinuato, Prælaturam abdicare inter manus Notariorum ad id à Principe, jus usque modò inauditum sibi adsciscente, submissorum; statimque in locum cedentis suffectus est quidam allophylus

XXXIII.

JOANNES *STRACH* de monte.

XXXIV.

JOANNES *HOEN*.

XXXV.

JACOBUS *ESDEN*.

XXXVI.

JOANNES *KORNER*.

XXXVII.

PETRUS DE ZUYTEREN, qui & Zuringus: sub cujus regimine anno 1545. Antoniana Præpositura Harlemii in xenodochium conversa est. Ad annum 1550. dies suos protraxit Petrus, testis infelix homicidii Hugonis *de Boyer* Prioris sui, viri undequaque venerabilis, & ob reformationis zelum à F. Gerardo *Bommei* cultro escario confossi.

XXXVIII.

JOHANNES DE HOVE, in Synodo Ultrajectensi à Friderico *Skenko* Archiepiscopo indictæ 12. Octobris 1565. ad receptionem Concilii Tridentini, & Reformationem morum, inter Patres consedit, & omnimodam Decretis Tridenti deberi obedientiam conclusit, *salvis tamen juribus & privilegiis sui Ordinis*. In Coadjutorem sibi elegerat Fridericum de *Wintsem*. Sed ingruente Geusiorum Flandriam & Gelriam devastantium, impetu, Abbatiâ non est potitus, quæ data est in direptionem furenti iconomacho, à quo & ipse *Wintsen* miserabiliter obreptus, in eorum partes secessit, factus posteà Consul Culenburgensis.

PATERNITAS.

Paternitatem exercuit Insula B. Mariæ in monasteria sequentia.

S. Bartholomæum Delphensem.

Zimvnensem Præposituram Virginum, quæ ob proximitatem principalis monasterii *Insula* vocabatur, fundata anno 1252.

Campum Regis: cujus historiam suo loco retulimus.

Arnsbergam.

Sanctum Antonium in Pomerio, Præposituram vi orum 1455. Harlemii fundatam.

Bernam.

Sanctum Nicolaum in *Alevosi*, Præposituram virorum, Diœcesis Trajectensis, anno 1561. per Diploma Pii IV. excisam, & Ruremundano unitam Episcopatui.

Insuper habebat Præposituram sub nomine D. Ursulæ, Culemburgi sitam, cui suâ ætate præfuisse Alexandrum ab *Oostrum, doctrinâ, religione, & natalibus* illustrem scribit Jacobus Torrius, in *Relat. Rom.*

Gaudebat etiam aliâ Præpositurâ, nomine *Bust*, quam administravit Joannes de *Rossum*, circa annum 1500.

PASTORATUS.

Schiedamensis.
Wanroyensis.
Millensis.
Renoyensis.
Culenburgensis, S. Joannis Baptistæ.
Beesdanus. Sgravesandensis.

RELIQUIÆ.

Caput S. Adriani Martyris, passi Nicomediæ & Romam translati, argento inclusum, & miraculis celebre. Illud Trajectenses in necessitatis & angustiæ temporibus, dato obside, ad suam in publicis supplicationibus urbem reverenter deferebant, & virtutem mediatoris è vestigio experti, religioso cultu, & populo prosequente ad monasterium reportabant. Heda pag. 274.

INSULA-DEI.

Insula Dei. Fil. Silvat. Diœcesis Rothomagensis. Circaria Normanniæ.

ABbatia InsulæDei, à Rothomagensi civitate horis quatuor dissita, an. 1187. regnante illustri Rege Philippo in Gallia, nobilissimo Rege Henrico II. in Anglia & Normannia dominante, anno quo præfati Reges cum copiosa multitudine Magnatum, cruce signati sunt, ut Jerosolimæ ferrent subsidium, fundata est in honorem Dei & sub patrocinio B. Virginis Mariæ.

Hujus monasterii origines, Canonicus Insulensis Fundatori coæqualis, ab Hugone de S. Juviniano eremi S. Honorinæ incola, viro magnæ sanctitatis & opinionis bonæ, repetit. Cum enim ad eum Reginaldus de Paviliaco * nobili genere Miles, armis strenuus, Deo devotus, providus consilio, Anglus natione, divertisset, ut salutis caperet monita, sic in S. Eremicolæ amorem exarsit, ut in Angliam precibus invitaverit transfretare, spondens competentem ei locum & largas daturum possessiones, ad dotem Abbatiæ, quam pro sua & parentum salute dudum meditabatur extruere. At Hugo solitudinis amans, nec precibus cessit, nec promissis devictus est. Reginaldus tamen magis ac magis in proposito convalescens, quærebat anxius locum in Normannia, quem servo Dei, & congregatis cum eo Canonicis aliquibus, transcriberet, habitationi & victui accommodum. Inquietè exploranti, quærenti impigrè Reginaldo, de repente & quasi divino instinctu actus Radulphus de Petrolio, ejus affinis, dominii sui terras, quas inveniret erigendo cœnobio aptiores, illi obtulit. Nec mora; lustravit prædium Radulphi, & invenit insulam consitam alnetis, rivulis undique vallatam, solitariæ vitæ verum latibulum. Ibi festinâ manu Capellam,

* Pavilly.

Capellam, dormitorium & alias ædificavit monaſterii ſedes; ſtatimque Hugonem conſcenſis equis, deduxit illuc, & immiſit in poſſeſſionem.

Quia verò genus vitæ quod ſectabantur Recluſi, nulli erat regulæ attitulatum; ſed ad ſola ducis & magiſtri exempla, mores componebant ſuos, viſum eſt Canonicam regulam, cui in S. Laudo priùs ſe devoverant, aſſumendam eſſe iterum. At Monachi de S. Audoeno, neomonaſterium ſibi ſubjicere volentes, ſuadebant ut monachili inſtituto nomen darent, Prioratuſque amplos in augmentum dotis collaturos eſſe pollicebantur. Reginaldus Fundator, electionem iſtam voluit ab Hugonis pendere conſilio, & ſuper ea reſponſum petiturus acceſſit ad Inſulam. Nec dubius fuit, nec titubans Hugo in reſponſis, » ſi mihi credideris, inquit Reginaldo ſciſcitanti, neque Canonicos nigros, neque Monachos in domo iſta admittes, quia quatuor aut quinque illorum, devaſtando expenderent, unde tredecim & ampliùs Religioſorum, qui parcè & religiosè conſueverunt vivere, poſſent competenter ſuſtentari. Quare laudo & conſulo tibi, ut quæras de Ordine Præmonſtratenſi viros religioſos, Deum timentes, de quibus & in quibus fodias fundamentum Eccleſiæ tuæ, quia non lapides, non ligna, non tam faciunt Eccleſiam, quàm congregatio fidelium.

His auditis obſtupuit Reginaldus, & prioris loci anguſtiam Præmonſtratenſium multitudini ſufficere neutiquam poſſe conſiderans, Guibertum de *Waſcolio* qui non procul commorabatur, adivit, eumque rogavit ſupplex ut in conſortium boni operis accederet & locum traderet dominio ſuo vicinum, in quo monaſterium poſſet extruere. Annuit Guibertus, & in puram & quietam eleemoſynam, conceſſit ad preces uxoris ſuæ Philippæ, locum quem ædificando cœnobio reperit idoneum. Recepto itaque loco foſſatis circumvallato, ordinatiſque ibidem officinis ligneis, de conſilio viri Dei Hugonis, » ad generale Capitulum Præmonſtrati perrexit, novellæ plantationis ſuæ ædificationem ſecundùm ſtatuta Ordinis conſilium petiturus Reginaldus. Poſtulatione autem illius auditâ, & exauditâ, de aſſenſu ejus Abbati de *Siſſeio* præceptum fuit quatenùs domum illam in filiam reciperet, & ſecundùm conſuetudinem Ordinis, Abbatem & Conventum in ea ordinaret. Nec mora; ex voluntate Fundatoris miſit in præfata domo, Robertum cognomine *Thehum*, qui antea fuerat Abbas in Faleſia deſtitutus, & cum illo tres tantùm Canonicos ſociavit.... & quia quaſi invitus quilibet eorum veniebat, dicens domum ſuam ædificatam nolle pro inædificata, & eis incognita, relinquere.... acceſſerunt ergo Abbas ille & alii Canonici ad Inſulam-Dei, duos tantùm de foris, & duos incluſos in domo illa invenerunt expectantes Ordinis confirmationem, qui libenter & devotè eos ſuſceperunt, & Abbati obedientiam fecerunt. Intraverunt locum illum circa Quadrageſimam, ſed non diù perſeverare potuerunt, aut noluerunt. Duo verò ex ipſis, unus videlicet qui Prior conſtituebatur, cum quodam alio ſocio, infra ſequens feſtum S. Joannis Baptiſtæ, nolentes laborem & inopiam ſuſtinere, ad domum unde exierant, remeare feſtinarunt. Et quia Abbas vidit ſe à ſociis derelictum, ſperans nihil ibi proficere, in ſequenti Capitulo Præmonſtrati veniens, propter debilitatem ejus & ſenium, demiſſionem petiit & impetravit, & ad domum de qua venerat, cum aliis repedavit. Quartus autem aliquantulùm remanſit, Prior inſtituitur, cum aliis duobus quos ibi invenerat, & duobus novitiis interim receptis, qui non diù perſeverantes apoſtataverunt..... poſt receſſum eorum miſit in ea domo Dominus viros religioſos & honeſtos de ipſa patria, qui Ordinem obſervarent ibi, & obſervari adjuvarent, plures, plura ſecum afferentes, & indigentiam domûs ſubvenientes.... & ita ſucceſſivè clericis & laicis, in ea ſe ſubjicientibus, Deo procurante, uſque in præſentem diem, cœpit domus illa creſcere & multiplicari. Tranſacto ferè anno acceſſerunt ad eam de *Silleio*, de *Faleſia*, de *Reſſon* Abbates, ut paſtorem in ea ſecundùm ſtatuta Ordinis inſtituerent: vocatoque Fundatore, cœperunt inquirere ab incluſis, & à nobis ibi commorantibus, poſſeſſiones, terras, reditus, & omnia domui illi pertinentia. Quod cum audiſſent, reſponderunt ſe non audere Abbatem in ea conſtituere, de tam parva poſſeſſione niſi victum haberent ſufficientem. Poſt plurimas ſuper his interlocutiones, Fundatori dixerunt Abbates, ſicuti à nobis aſtantibus didicerant, audivimus, vos medietatem cujuſdam Villæ in Anglia, huic domui dediſſe, ſi totam ei conferre velletis, forſitan ſuſtentari valeret. Sin autem, quod abſit, ad grangiam oportet domum iſtam redigi. Hæc audiens vir ille nobilis, nobile conſilium quæſivit. Solus ſtatim intrat Eccleſiam, ante altare projecit ſe in orationem. Mirabamur ad invicem omnes qui præſentes eramus, quòd ad domum ſuam, & uxorem & commilites ſuos, conſilium ab eis petiturus non divertiſſet. Cum diù ibi moram feciſſet, rediit ad Abbates dicens, conſilium quæſivi à Domina, ut ipſa mihi conſulat, & laudat ut poſtulationi veſtræ acquieſcam. Totum manerium integrè, cum omnibus pertinentiis ſuis, huic dono, & chartâ meâ confirmabo, exceptis duobus marcis argenti, quas mihi & hæredibus meis, de recognitione retineo & pro guarantizatione. Quo facto de Abbate eligendo, ſecundùm Ordinis formam, nobis licentiam dederunt, plures nominando ad officium illud, ut dicebant eſſe idoneos: ſed quia illos

» & alios, nisi paucos noveramus, consilio » intra nos habito, diximus, quis dignior Priore nostro, qui cæteris recedentibus, solus remansit, nosque ferè omnes in Ordine recepit, » diligenter tractavit, monuit, observationesque Ordinis nos docuit. Quid plura? de assensu omnium ipsum elegimus in Abbatem, » qui satis honestè & ordinatè se habuit in tempore suo.

I.

*Aliàs Thom

Primus ergo Insulæ-Dei designatus Abbas fuit ille ROBERTUS cognomento *Thabum*, * qui desertione Fratrum fractus magis, quàm senio, petiit à Capitulo exautorationem suam & obtinuit. A Quadragesima, ad mensem Octobris anni ejusdem 1187. infructuosè præfuit. successor illi deputatus est

II.

HUGO DE *GOURNAY*, confirmationem dotis Abbatiæ suæ ab Henrico Anglorum Rege impetravit, Abbatiam Bellozanæ, ab Hugone Gornaci toparcha, suo consanguineo, dotatam & sibi oblatam, legibus informavit & moribus Ordinis imbuit anno 1195. & anno 1211. migravit ad patres.

III.

RADULPHUS, anno 1214. vitæ amisit usuram.

IV.

ROBERTUS II. Adæ debitum solvit anno 1217.

V.

GAUDEFRIDUS Prælaturam cum vita posuit anno 1226.

VI.

GUILLELMUS I. DE *MESNILIO*, vivendi finem fecit anno 1258.

VII.

JOANNES I. ad annum 1264. præfuit.

VIII.

PETRUS I. anno 1281. occubuit.

IX.

GUILLBERTUS DE *LEONIBUS* post illatam à nefariis mortem Petro, electus, obiit & ipse in Domino an. 1302.

X.

ROBERTUS III. DE *LEONIBUS*, anno 1308. sublatus est è vivis.

XI.

JOANNES II.

XII.

GUILLELMUS DE *PERROLIO*.

XIII.

PETRUS II. DE *SIGIACO*.

XIV.

GUILLELMUS II. DE *OUSOVILLA*.

XV.

RICHARDUS LE *SAUNIER*.

XVI.

JOANNES III. *DELESQUE*, an. 1359. electus, obiit anno 1364. Carolum V. Regem Franciæ hospitem excepit, & donationis Ecclesiæ de *Vinemervilla* factæ per Castellanum Bellovaci, confirmationem impetravit à liberali hospite.

XVII.

REGINALDUS *GUEROULT*, anno 1381. moritur.

XVIII.

PETRUS III. *MORIEULT*, anno 1400. eximitur humanis.

XIX.

JOANNES IV. DE *ROSEO* rexit annis decem & ad patres abiit anno 1410.

XX.

PHILIPPUS LE *VER* totidem præfuit annis & abiit anno 1420.

XXI.

REGINALDUS *BRIANT* anno incerto esse desiit.

XXII.

PETRUS IV. *MASERIER*, anno 1442. consumptus.

XXIII.

LAURENTIUS *DUQUESNE*.

XXIV.

ROAULIUS.

XXV.

ROBERTUS *ME'HOULT*, cessit, & obiit anno 1512.

XXVI.

GUILLELMUS III. LE *ROY*, ex resignatione Abbas creatus anno 1500. decessit anno 1504.

XXVII.

PETRUS DE *SAVARY*, anno 1513. ivit ad patres.

XXVIII.

JOANNES V. *DE CAROUGE*, anno 1525. moritur.

XXIX.

STEPHANUS *BESNIER* diem ultimum clausit & successor ei datus est

XXX.

VIRGILIUS *DE LIMOGES*, Facultatis Parisiensis Doctor Theologus, ad Ordinis regimen subvectus anno 1531. nepoti priorem Abbatiam Insulæ-Dei resignavit.

XXXI.

JOANNES VI. *REGNIARD*, obiit anno 1558.

XXXII.

LUDOVICUS *DE MARTINVILLE* regularium ultimus, Abbatiam in nepotem transtulit

XXXIII.

CAROLUM *DE MARTINVILLE*, fatis functum anno 1624.

XXXIV.

LUDOVICUS *DE ROME'*, quinquaginta duobus annis Abbatiam tenuit & 10. Decembris 1675. denascitur.

XXXV.

ANTONIUS *RICOUARD D'HEROUVILLE*.

XXXVI.

LUDOVICUS *DE PREFONTAINE*.

XXXVII.

PETRUS *DE LA RUE*, per demissionem Ludovici *Prefontaine* Abbatiam adeptus hodiedum possidet 1732.

PATERNITAS.

Bellozanam filialem habet Ecclesiam Insula-Dei & unicam.

PASTORATUS.

Greuvilla - - - - - - *Greuville.*
S. Dyonisius *le Tibouti* - - *S. Denys.*
S. Petrus de Grainvillæ - - - *Grainville.*
S. Audoenus de Brachio.
S. Vedastus de Matonvilla - - *Matonville.*
S. Laurentius de Bournanbusco—*Barnanbut.*
Vinemervilla - - - - - *Viemerville.*
Tronqueium omnes Diœces. Rothomag. *Tronquay* cum succursali *les Hognes.*
Abernon Lexoviens. - *Abénon* } Lexoviensis Diœc.
De Groseleriis - - *Groiseliers* }
S. Julianus Meduntæ - *S. Julien de Mantes.*
Beneficium simplex.
Est & aliud simile secùs Abbatiæ muros.
Vide Prob. à col. DCXLVIIJ. ad col. DCLJ.

INSULA - DUCIS, *sive* GEMPE.

Insula Ducis. Fil. Parti. Diœcesis Mechliniens. Circaria Brabantia.

PRæpositura Sanctimonialium in diœcesi Mechliniensi, quondam Leodiensi, alternâ mutatione, nomen variabile sortita, nunc *Pellenberg* à vico juxta Lovanium, postea *Gempe* à Brabantiæ pago, Lovanium inter & Distenium sito, denique *Insula Ducis*, ab ultima sua traslatione, nuncupationem obtinuit, quæ Flandricè *Hertogen Eylant* dicitur. Origines hujus cœnobii ex manuscripto codice coævi scriptoris, quas ex parte Myræus * & autor Chronici Parchensis deflorarunt, integras restituimus ex ipso fonte, & ad litteram genuini autographi.

* Chron. Ord. Præm. pag. 166.

» Fuit quondam in ditione nobilis Ducis Brabantiæ, Miles quidam industrius, moribus & vitâ commendabilis, omnibus sui generis probitate & religione præcellens, *Reisso de Udechim* nuncupatus. Hic habuit uxorem moribus & vitâ sibi congruentem. Fuerunt eis septem filiæ & novem filii, de quibus septem fuere Quirites, probitate ac religione genitorum eorum non impares.

» Unus tamen ex ipsis septem Militibus, junior ætate scilicet, religione ac morum honestate præcipuus, Reinerus nomine, acceptâ portione hæreditatis quæ eum ex successione paternâ inter fratres prædictos contingebat, quandam mansionem juxtà *Pellenberch* in suam partem est sortitus. Qui ducens uxorem Lauretam natam de *Parveis* * sibi vitâ & moribus competentem, ex ea quatuor filios & filias octo suscepit, quas ab adolescentia sua parentes earum mandata Domini & justificationes ejus servare docuerunt, & eas religione atque honestate pro suæ possibilitatis modulo diligenter imbuerunt. Cùmque dictæ filiæ ætatem discretam attigissent, parentes earum tùm eas nuptui tradere, tùm eas Religioni dicare disponebant; sed cùm facultates eis minimè sufficerent per quas nuptui honorificè, sicut eorum professionem decebat, traderentur, pater earum cogitabat utilius fore atque salubrius eas sponso immortali consecrari, quàm sponsis mortalibus, & earum sanguini non congruentibus copulari. Tunc idem Miles sollicitus cœpit perquirere, ubi dictas filias Domino famulaturas, collocaret: visitabatque monasteria Cisterciensis Ordinis adjacentia, ac aliorum Ordinum, intendens & modis omnibus elaborans, ut in eis,

* Aliàs Peruwez.

» sicut disposuerat, Domino manciparet. Sed prædictus Miles Domino sibi in hoc adversante, apud Superiores illorum monasteriorum de filiabus suis in eis collocandis, nullam potuit gratiam invenire. Videns autem se suo proposito fraudatum, anxius & querulus apud se cogitabat quid de hiis deinceps esset facturus. Igitur quadam die Pentecostes, dùm prædictus Miles divinis Officiis interesset, inter alias quas fundebat orationes & preces, Dominum bonorum omnium largitorem deprecabatur attentè, quatenùs de dictis suis filiabus & se ipso sic ei ordinare & disponere concederet, quòd ipsi Domino JESU-CHRISTO ad gloriam & honorem & sibi & filiabus suis ad profectum & salutem, cederet animarum.

» Necdùm orationem finierat & ecce subitò & inopinatè, Spiritu Sancto revelante sibi, venit in voluntate, quod de omnibus bonis quæ ei ex successione paterna provenerant, portione quæ filios suos contingere debebat exceptâ, claustrum in domo propria in *Pellemberge* construeret, atque in ipso octo filias suas Christo famulaturas collocaret. Finitisque Missarum solemniis Miles domum reversus universa quæ mente conceperat uxori ac filiabus gaudens & alacer, per Ordinem referebat. Tunc filiæ simul gratias Domino referentes patrem suum hortabantur ne à suo proposito resiliret, sed quod facere disponebat, quantociùs consummaret, ne hostis antiquus, argutus quidem insidiator, callidusque insidiator & deceptor animarum, divisionum auctor, dissipator unionum, & tranquilli status fidelium anxius persecutor, qui semper nititur dissipare quidquid salutem respicit animarum, tam pium propositum per suas suggestiones & artificia, quibus humano generi illudere consuevit, à corde ipsius avellat.

» Eodem tempore dictus Reinerus in charitate & fide radicatus, quasdam mansiones & Capellam ad modum claustri in domo sua superdicta ædificare cœpit. Est autem idem locus altus & siccus & aquis fluentibus carens. Cùmque quædam ædificia ipsis puellis ad inhabitandum satis apta, ibi fuissent constructa, octo filias propriâ functus potestate, piâ præsumptione instigatus, vestibus albis paratis, admodum sacrarum monialium vestivit, anno Domini 1219. in die Ascensionis Domini, easque cum omnibus bonis suis Ordini Præmonstratensi dicavit. Dictæ autem puellæ super hiis omnibus gratias deferebant, & patri earum in præmissis reverenter & devotè obtemperabant, permanentes in ipso claustro orationi, lectionique atque vigiliis diu noctuque deinceps devotissimè persistentes. Hiis ita peractis dictus Miles timens ne suæ facultates dictis puellis aliquando non deberent sufficere, volens præcavere in futurum, prædictas facultates suas summo opere studebat ampliare. Erat autem ipsi Reinero, soror apud *Overlo* * commorans, matrona dives & honesta quæ unicam habebat filiam Elizabeth nuncupatam. Hæc claustrum de *Henkenrode* Ordinis Cisterciensis illo tempore intraverat, quæ nondum erat professa, quam ex successione paternâ bona multa sequi debebant. Hanc dictus Reinerus, auxilio matris ejus, aliorum ac amicorum ejus, cum magna tamen difficultate & labore permaximo, Fratribus & Sororibus dictæ domûs de *Henkenrode* sibi opponentibus, cum bonis quæ ibidem attulerat, abduxit, eamque filiabus suis in cœnobio quod extruxerat præficit: hæreditatem verò ipsius & omnia quæ sibi jure hæreditario competebant, bonis filiarum suarum adjungi procuravit. Dicta autem Elizabeth suis octo Sororibus adjunctâ, quia in Religione plus aliis erat exercitata, ei dictæ sorores reverentiam exhibebant, & monitis ejus atque jussionibus devotissimè obtemperabant. Dùm hæc autem agerentur, famâ referente, ad notitiam pervenit singulorum. Quo comparato, vir venerabilis Ewanus Abbas de *Parco* dicto operi se cœpit opponere, pro eo videlicet quod locus de *Pellemberge* memoratus, minus duobus milliaribus ab Ecclesia Parcensi videbatur distare, infrà quæ nullum monasterium sine licentia Ecclesiæ Parcensis poterat aliquis construere; asserebatque idem Abbas quod dictum opus nullum bonum finem sortiri debebat, pro eo quod nemine super hoc habente potestatem, concedente, sed solâ laïci præsumptione (quod nullo jure permittitur) fuisset inchoatum; monebatque idem Abbas dictum Militem ut ab opere sic incepto, quantociùs desisteret: nec opinioni, juri atque rationi penitùs contrariæ, ampliùs adhæreret, ne quantò plus in vanum laboraret, minùs postmodùm profecisse videretur.

» Hiis auditis, Miles nolens diù cum Abbate prædicto contendere, viam versùs Capitulum generale, quod tunc instabat, contra dictum Abbatem est aggressus. Cùmque Capitulo generali Miles se præsentasset, totum processum suum per Ordinem Fratribus Capituli, Abbate Parcensi præsente, exposuit, supplicans eisdem Fratribus totis conatibus humiliter & devotè, quod in præmissis omnibus divinæ pietatis intuitu sibi cooperari dignarentur, nec suum propositum impediri paterentur, sed sibi gratiam suam & favorem de admittendo dictas filias suas ad Ordinem Præmonstratensem misericorditer largirentur. Hæc & alia dicto Milite coram Capitulo generali prosequente, ipsi Fratres constantiam ipsius & affectum quem ad Ordinem eorum habebat admirantes, jam quod petebat adimplessent, si eis hoc facere, salvâ Ordinis honestate, licuisset. Decebat enim ut, quia equidem precibus importunis de admittendo filias suas ad Ordinem dictus Miles hortaretur, in conversatione & perseverantia saltem per aliquod tempus, dictæ

* Corbeeck Overloo.

» puellæ probarentur. Sed ut in aliquo eidem » satisfacere viderentur, admodum duxerunt » eundem ut in suo proposito stabilis permaneret, nec ab ipso aliquo adversitatis obstaculo resiliret, quia quod petebat, non negabant, sed ex causa ad tempus differebant. » Concesserunt autem eidem quod aliqui Sacerdotes de Ordine, Filiabus suis divina Officia celebrarent, donec de ipsis aliter ducerent » ordinandum. Abbas etiam Parcensis supradictus statim ab impetitione Militis supersedit.

» Tunc missi fuerunt ad eas Balduinus Canonicus Tongerloënsis, & quidam alius, qui » confessiones earum audirent, & alia Ecclesiastica Sacramenta eis ministrarent. Reversoque » dicto Milite à Capitulo generali, universa » quæ sibi acciderant & responsiones Fratrum » Capituli filiabus suis enarravit. His auditis » puellæ orationi, lectioni, atque omnimodæ » religioni ardentiùs ac devotiùs solitò insistebant. Crescebant autem famâ & religione » apud Deum & homines, & satis in utroque » statu profecerunt, anno uno in eodem statu » permanentes. Eodem etiam tempore impetravit dictus Miles assensum Diœcesani super » constructione cœnobii antedicti.

» Anno igitur revoluto, dictus Miles de negotio supradicto consummando nimiùm » existens sollicitus, viam versùs Capitulum » generale iterùm est aggressus, petens sicut » priùs, ut filiæ suæ admitterentur ad Ordinem.

» Tandem Fratres videntes dicti Militis constantiam, & famam & profectum puellarum » prædictarum audientes, quod petebatur concesserunt. Ad id autem exequendum, de *Floreffia*, de *Tungrelo*, & de *Evrebodio* Dei gratiâ » Abbates transmittuntur. Venientes igitur ad » locum de *Pellenberge* superiùs nominatum » Abbates supradicti, officinasque ac alia necessaria satis sufficientia, sufficientesque facultates » ad eas sustentandas, dictas puellas in consortium & protectionem Ordinis, autoritate Capituli prædicti, sub Ecclesia Parcensi, susceperunt, potestatem & autoritatem eligendi Pastorem, & omnia jura quæ aliis monasteriis puellarum sunt concessa, eisdem concedendo. Habentesque statim tractatum de Pastoris electione celebranda, Abbate de Parco, tanquam Patre Abbate earum præsidente; Balduinum Canonicum Tungreloënsem, qui Capellanus » priùs existebat, omnibus observatis quæ circa » hæc requiruntur communiter, elegerunt. Approbatâ autem ipsâ electione, & ipso Balduino, » prout moris est, à Patre Abbate confirmato, » dictæ puellæ eidem obedientiam præstiterunt, » habentes eum deinceps pro Pastore, reverentiam & honorem debitum eidem exhibendo. » Hiis igitur feliciter peractis, Abbates supradicti ad propria remearunt, dicto Milite super » omnibus quæ acciderant, immensas Christo » gratias referente. Posteà dictus Miles relictis » pro Dei amore omnibus quæ habebat, & terrâ & cognatione suâ sanctissimi Patriarchæ » Abrahæ secutus exemplum, secessit inde, » vivens ulteriùs de bonis quæ sibi tradita » fuerant, cum uxore. Vixit prætereà idem » Miles, postquam hæc omnia fuerunt consummata, triginta annis vel circiter, posteà » feliciter vitam finivit in Domino. Sepelierunt » autem eum dictæ filiæ suæ honorabiliter apud » se, orando, psallendo, atque pro eo preces » Jesu Ch. fundendo, non modicè se afficientes.

» Igitur Balduinus supradictus dictis puellis » honestissimè præfuit tribus annis, & dimidio, » posteà feliciter migravit à seculo.

» Tunc elegerunt Ægidium Canonicum » Ninivensem in suum Pastorem & Præpositum, virum providum & honestum, qui honorabiliter præfuit eisdem quinque annis & dimidio, & per eum bona & possessiones cœperunt ampliari. Impetravit autem eo tempore idem Ægidius apud Ducem Brabantiæ » mansum terræ & molendinum juxta vivarium » in loco qui *Gempe* vocatur, in eleemosynam » eis tradi. Vidensque dictus Ægidius quod locus *Gempe* aptior esset loco de *Pellemberge* » ipsis puellis ad manendum in eodem loco » cœpit claustrum ædificare, intendens puellas » supradictas de *Pellenberge* ad *Gempe* adducere. Cùmque aliqua ædificia in eodem loco » fuissent constructa, altare ibidem construxit, » quod per manus Jacobi de *Viteri* * tunc Suffraganei Leodiensis episcopi, in honore Virginis Mariæ cum cœmeterio fecit consecrari » anno Domini millesimo ducentesimo vigesimo nono, Dominicâ *Lætare Jerusalem*. Hiis » expletis, transtulit dictas puellas idem Ægidius à loco de *Pellenberge* ad locum de *Gempe* memoratum, in Octavis B. Martini, annum Incarnationis prædictum sequentibus, » de sancto Martino Laudunensi, de Parco, ac » aliis Abbatibus qui ad hoc faciendum convenerant, præsentibus. Quo facto manserunt » ibidem dictæ puellæ magis ac magis in religione & honestate de die in diem proficientes. Tunc Milites ac alii viri religiosi Deum » timentes, confines, famam & profectum dictarum puellarum audientes, filias suas virgines cum bonis & redditibus, dictis puellis » Domino famulaturas adjungebant. Mansit » prætereà dictus Ægidius apud eas, postquam » sic fuerunt translatæ, anno uno, quo transacto propter suæ probitatis merita ad Ecclesiam Helicinensem * extitit postulatus.

* Aliàs de Vitriaco.

* Aliàs Heylissem.

» Ipse autem suo Pastore destitutæ de electione alteriùs tractatum habentes, Salomonem Canonicum Bonæ-spei sibi præfecerunt, » qui honorabiliter eisdem præfuit anno uno, » & posteà quievit in Domino.

» Eodem anno fundata fuit Ecclesia *Vallis* » *Liliorum* sub Ecclesia de *Gempe*, & missæ » fuerunt Sorores Ecclesiæ de *Gempe* ad *Vallem* » *Liliorum* inchoandam. Salomone autem Præposito prædicto viam universæ carnis ingres-

» so, Arnoldum Canonicum Grimbergensem » elegerunt, qui eis præfuit undecim annis, & » posteà ad suam Ecclesiam est regressus.

» Post hunc elegerunt Ægidium supradi- » ctum, secundò, qui Ecclesiæ Helicinensi præ- » fuerat interim, & resignaverat, spontaneâ » voluntate non longè ante. Qui cùm ad eas » rediisset, sollicitè earum curam gerebat. In- » sistebat autem plurimùm circà ampliationem » ædificiorum, & possessionum augmentatio- » nem, necnon & observantias regulares, & » Ordinis instituta totis conatibus observari fa- » ciebat. Cœperat eo tempore ædificare quan- » dam domum idem Ægidius in loco supradi- » cto, cùmque fuisset inchoata, cogitavit (ut » erat circumspectus) quod nec locus ille aptus » erat ipsis puellis ad manendum, pro eo quod » palustris erat, nec aquis competentibus afflue- » bat: habitoque cum Sororibus prædictis su- » per secunda translatione tractatu, in hoc ea- » rum resedit consilium quod in alium locum » parùm à loco de *Gempe* remotum, transferren- » tur, timentes tamen qualem finem hujusmodi » sortiretur; sed Ægidius fiduciam habens in » Domino, opus dictum est viriliter aggressus. » Videns Abbas Parcensis ac Præpositus ejus- » dem Ecclesiæ quæ fiebant, insultabant dicto » Ægidio dicentes, dictum opus nullum bonum » finem sortiri debere. Vehementer autem op- » ponebat se dicto operi Henricus Præpositus » Parcensis, asserens dictum opus non posse » perfici. Sed Ægidius, his omnibus obauditis, » firmior in suo proposito insistebat. Videns au- » tem hujusmodi altercationes Elisabeth Soror » dictæ domûs, illa videlicet quæ *Herkenrode* » fuerat abducta, quæ quidem ab infantia san- » ctæ conversationis extiterat, dixit: Ægidius » opus inchoabit, & alius consummabit. Mul- » taque de ipsa translatione vaticinabatur ipsa » Elisabeth, & visiones videbat, quæ huic scrip- » to propter prolixitatem, & ne incredibiles » viderentur, non duximus inserendas. Cœpit- » que ædificare idem Ægidius in loco à loco de *Gempe* parùm remoto, in loco pulchro & » amœno, & ad manendum ipsis puellis plus » aliis locis apto. Cùmque dictum opus fuisset » inchoatum, ipse Ægidius non valens prædi- » ctum laborem ampliùs sufficere, ut pote senex » & decrepitus, dictam Præposituram resigna- » vit, remeans ad Ecclesiam Ninivensem. Præ- » fuerat autem ipsis puellis dictus Ægidius illâ » secundâ vice septem annis. Vixit autem ipse » Ægidius postquam Præposituram de *Gempe* » resignavit, multis diebus, & tandem sanctè » & religiosè vitam finivit in Domino.

» Posteà dictæ Sorores suo Pastore destitutæ, » habentes tractatum de electione alterius, Hen- » ricum, dictum *Baculum*, Præpositũ Parcensem » suprà nominatum, in suum Præpositum ele- » gerunt. Qui statim ut fuit confirmatus, circa » perfectionem operis ab Ægidio inchoati se- » dulus insistebat: perfectisque his quæ sibi ne- » cessaria videbantur, transtulit eas idem Hen- » ricus de loco de *Gempe* ad locum memora- » tum, quem *Insulam Ducis* appellavit, anno » videlicet Domini millesimo ducentesimo » quinquagesimo secundo, in die B. Nicolai, » præsente Abbate Parcensi, & quibusdam » aliis.

» Hiis omnibus consummatis manserunt » dictæ puellæ apud *Insulam Ducis* usque in » præsentem diem, universam regionem illam » odore famæ, earum atque virtutum resper- » gentes. Tantæ autem non immeritò erant » opinionis & famæ, quòd morum honestate » atque omnimodâ religiositate multa puella- » rum monasteria dicebantur excellere.

» Cùmque cimeterium per manus cujusdam » Episcopi eodem loco fuisset consecratum, » Sorores dicti loci convenientes in unum, de » corporibus Sororum suarum in *Gempe* sepul- » tarum ad *Insulam Ducis* transportandis ac » ibidem tumulandis, pro eo quòd ibidem di- » vina non celebrarentur Officia, habuere tra- » ctatum. Super quo cùm suum devotè requi- » rerent Præpositum ut in hiis sibi cooperari » dignaretur, atque eis suum præberet assen- » sum, ipse Præpositus earum precibus penitùs » obauditis, ipse efficere non solùm non cura- » vit, verùm etiam ipsas puellas quod hanc » stultitiam cogitassent graviter reprehendit. » Ipsæ tamen puellæ Præpositum monere non » cessabant, ut in præmissis eis acquiesceret. » Quas monitiones cum risu & cachinno, quasi » frivolum esset quod petebant, aure surdâ » percipiebat. Quâdam igitur nocte, cùm in » lecto suo decumberet idem Præpositus, subitò » eum horror & timor invaserunt, adeò ut om- » nes sui corporis sensus ab eo discederent. Vide- » batur enim ei quòd Sorores in *Gempe* tumu- » latæ ei apparerent, ipsi improperantes, qua- » re Sororibus suis in hoc quod de se ordina- » verant, non acquievisset. Tunc expergefa- » ctus & surgens diluculo Præpositus, qualiter » sibi accidisset, Sororibus domûs enarravit, » concedens eis, ut quod facere disposuerant, » quantociùs adimplerent. Ipse autem ad præ- » dictum locum cum Sororibus properans om- » nia corpora Sororum ibidem sepultarum fe- » cit exhumari, atque ad *Insulam Ducis* cum » orationibus & canticis spiritualibus à dictis » Sororibus fecit portari, atque ibidem tumu- » lari. Posteà præfuit eisdem puellis idem Hen- » ricus duobus annis, & nimio labore fatiga- » tus, vix obtento quod ejus cessio recipere- » tur, resignavit, & ad Ecclesiam propriam est » reversus.

» Post istum elegerunt Arnoldum Antuer- » piensem, qui eis præfuit quatuor annis, & » similiter resignavit.

» His effectis, elegerunt prædictæ puellæ, » Abbate de Parco præsidente, Villelmum Ca- » nonicum Parcensem, dictum de *Hontseim*, » virum providum & discretum, in suum Pa-

„ ftorem & Præpositum. Ipseque onere regi- „ minis dicti monasterii in se suscepto, statim „ cœpit circà profectum & utilitatem dicti „ monasterii totis viribus insistere. Profecitque „ ipsum monasterium tempore ipsius Willelmi „ in redditibus acquirendis, ædificiis construen- „ dis, ac etiam Religione atque honestate con- „ servandâ magis quàm temporibus omnium „ Præpositorum suprascriptorum profecisset.

„ Constructa fuit etiam Ecclesia satis pulchra „ tempore ejusdem Villelmi eodem loco per „ procurationem & adjutorium Helvigis filiæ „ Reineri Fundatoris supradicti, tunc Priorissæ „ ejus monasterii existentis, ipsa adhuc & tri- „ bus sororibus suis eodem tempore viventi- „ bus, reliquis quatuor earum sororibus viam „ universæ carnis in confessione Domini non „ longè ante ingressis. Fuit autem ipsa Ecclesia „ consecrata per manus Reverendi Patris Ar- „ noldi quondam Semigalliæ Episcopi, tunc „ Leodiensis episcopi in spiritualibus Proviso- „ ris, in honore beatissimæ Virginis Mariæ, „ sanctorumque Joannis Baptistæ, & Joannis „ Evangelistæ, anno Domini millesimo ducen- „ tesimo sexagesimo, in Octavis Resurrectionis „ Dominicæ.

Hæ sunt parthenonis Gempensis origines, hæ fortunæ varietas, hæc ultima ejus sedes, quam tamen anno 1577. immutare ob temporum iniquitatem debuerunt, & Lovanium se recipere, ubi de disciplina nihil, nihil de antesignanarum pietate remiserunt, donec pacatis tumultibus Insulam Ducis, pristinam habitationem suam, duabus Lovanio distantem horis, amœno suo situ gratam, ædificiis non splendentem, sed disciplinæ observantiâ conspicuam, repetierunt, ibique sub Præpositorum dein Priorum regimine ad nostram vivere consuescunt ætatem. Ejusmodi Rectorum successivam seriem non pigebit hîc attexere

I.

BALDUINUS Canonicus Tongerloensis anno 1219.

II.

ÆGIDIUS Canonicus Ninoviensis qui transtulit moniales ex *Pellambergh* in *Gempe* anno 1223. factus posteà Abbas Heylessemiensis.

III.

SALOMON Canonicus Bonæ-spei an. 1230.

IV.

ARNOLDUS Canonicus Grimbergensis resignavit anno 1243.

V.

ÆGIDIUS administrationem iterùm resumit dimissâ Abbatiâ Heylessemensi. Resignavit anno 1250.

VI.

HENRICUS *BACULUS* Canonicus Parcensis anno 1252. transtulit moniales ex *Gempe* in Insulam Ducis, cessit anno 1253.

VII.

ARNOLDUS Canonicus sancti Michaelis Antuerpiæ, resignavit, anno 1257.

VIII.

WILLELMUS DE *HONTSEM*, Canonicus Parcensis extruxit Ecclesiam Monialibus & anno 1268. abdicavit.

IX.

JOANNES DE *LOVANIO*, Canonicus Parcensis resignavit anno 1275.

X.

EVERARDUS DE *VINCHENBOSCK* Canonicus Parcensis, cessit anno 1291.

XI.

RENERUS Canonicus Parcensis.

XII.

GERARDUS DE *HONTSEM* Canonicus Parcensis, posteà factus Abbas Jettensis.

XIII.

WILLELMUS DE *HERENT*, postmodùm electus Abbas Parcensis.

XIV.

JOANNES LAPICIDA DE *VINCHENBOSCH*, qui deinde evasit Abbas Parcensis.

XV.

JOANNES DE *MECHLINIA* Canonicus Parcensis anno 1366.

XVI.

HENRICUS DE *OVERLOO*, dictus *Witteman* anno 1395.

XVII.

BARTHOLOMÆUS *CROM* Canonicus Parcensis anno 1415.

XVIII.

JOANNES, DE *GOODTSENHOVEN* Canonicus Parcensis anno 1419.

XIX.

JOANNES *WETS* aliàs de *Dorne* Canonicus Parcensis, anno 1429.

XX.

SIMON *VRANÆ* Canonicus Parcensis, anno 1435.

XXI.

JOANNES *TSOERS* Canonicus Parcensis, anno 1439.

XXII.

WALTERUS DE *HOEGAERDEN*, Canonicus Parcensis anno 1441.

XXIII.

HENRICUS *JACOMYNS* Canonicus Parcensis, anno 1458.

XXIV.

FRANCO *VANDEN HOFFSTADT* Canonicus Parcensis, anno 1460.

XXV.

HENRICUS *RAETSHOEVE* Canonicus Parcenses, anno 1474.

XXVI.

VALTERUS DE *EESWINKEL* Canonicus Parcensis 1478. & in eo defecit Præpositturæ titulus, sequentes Prioris nomen obtinuerunt, omnesque ex Parcensi Abbatia delecti.

XXVII.

THYELMANNUS *DEYN*, anno 1498.

XXVIII.

JOANNES *T'SANGERS DE HAPAERT*, 1530.

XXIX.

PETRUS DE *PALUDE*, aliàs *de Lyra*, 1533.

XXX.

GERARDUS *VAN EERTRYCK*, 1542.

XXXI.

JOANNES *BOELS* anno 1557. postea Abbas Diligemensis.

XXXII.

JOANNES *VANDEN BERGEN*, 1557.

XXXIII.

CORNELIUS *VAN OPHEM*, 1568.

XXXIV.

JUDOCUS *WELLENS*, 1571.

XXXV.

ANDREAS *KIMPS*, 1578.

XXXVI.

LUDOVICUS *KETTELBUETERS*, 1578.

XXXVII.

GUILLELMUS *HEYMS*, 1582.

XXXVIII.

MICHAEL *LUYTENS*, 1585.

XXXIX.

JOANNES *BOSCHMANS*, S. T. Licentiatus 1599.

XL.

GERARDUS *VAN VLIERDEN*, 1643.

XLI.

NORBERTUS *MORREN*, S. T. Licentiatus, 1653.

XLII.

PHILIPPUS *VAN FUYCOM* ex *Leefdael*, 1667. postea electus Abbas Parcensis.

XLIII.

AMBROSIUS *FILENS* ex *QU'ERPS*, S. T. Baccalaureus, 1682.

XLIV.

PAULUS DE *BRUYN*, 1690. dein electus coadjutor Parci Abbatiam adipiscitur, anno 1702.

XLV.

LEONARDUS *VANDEN PUTTE*, hodiedum parthenoni præest.

INSULA LAZARI.

Insula Lazari. Fil. Aiska. Diœcesis Quinque-Ecclesiensis. Circaria Hungariæ.

DRavum inter & amnem qui vulgò Torrens Keoritzius, *Keoritz* dicitur. In formam Insulæ extenditur angulus terræ, Comitatûs Beranii pars non ignobilis, in Quinque Ecclesiensi Episcopatu constituta, nomen habens antiquitus Insulæ Lazari, à qua monasterium Ordinis nostri etymon obtinuit. Anno 1543. expugnatâ à Turcis arce, & civitate Quinque Ecclesiensi, diruta fuit insimul Præpositura, nondum è ruinis post recuperatam anno 1686. Quinque Ecclesiam, excitata.

INSULA LEPORUM.

Insula Leporum. Fil. Zalavdovici. Diœcesis Vesprimiensis. Circaria Hungariæ.

PAnnoniæ inferioris Præpositura, ad Laci Balatonis orientalem plagam & in ea parte sita erat, quæ peninsulam efficit, Leporarium dictam, unde & monasterium à loci denominatione appellationem suam sortitum aiunt. milliaribus quinque distabat Vesprinio, fuit tantum

tantùm spectabile vestigiis. Emendandus hîc Pagius qui contra omnium Catalogorum fidem, subjicit Strigoniensi Archidiœcesi, Insulam Leporum.

INSULA S. MARIÆ.

Insula S. Mariæ. Fil. Præmonstrati. Diœcesis Monasteriensis. Circaria Frisiæ.

LAyruëlius hanc Abbatiam ad 3. MSS. fidem suo annexuit Catalogo, quam vix distinctam credo ab illa, quam in Trajectensi Diœcesi conditam retulimus. Nisi forte *Zimuinensem*; quæ ex vicinia Insulæ B. Mariæ, passim Insula dicebatur, intelligas. Sed non Abbatia fuit unquam, nec in Monasteriensi episcopatu constituta; solo Præpositura titulo gaudens, matrici adherens penè Ecclesiæ, communi episcopio, eoque Trajectensi, accludebatur, illicque Virgines sub ferula Præpositi vixerunt ad tempora & vastationem Geusiorum. Aliam rursus cognominem non in Frisia locavit Abbatiam, sed in Brabantia Layruëlius, quam frustra apud Brabantos requiras.

INSULA SCHUT.

Insula Schut Fil. Zabrdovici. Diœcesis Strigon. Circaria Hungariæ.

IN decurrentis Danubii Insula, quam Germani *Schit*, Latini Schutiam dicunt, & in Diœcesi Strigoniensi, eminebat Præpositura Ordinis nostri, à suo situ nomen derivans. Thuriensi Præposito tanquam Patri suberat à nativitate sua, ad Zabrodovicum translata in vim Capituli generalis anni 1294. sub ejus Paternitate perseveravit, usque ad extremos agones, quos egit sub barbarie Turcica.

S. JOACHIMUS MATRITENSIS.

S. Joachim Matritensis.

NOn longè ab Abbatia S. Norberti Matritensis, erat sacellum S. Joachimo sacrum, cum adjacente domo, in qua divino cultui mancipati seculares Clerici Hiberniæ, habitare consueverant. Tenuitas proventuum ad furtivam desertionem 24. Decembris 1634. adegit Clericos, miseræ sortis impatientes, omnem Ecclesiæ & domûs asportarunt suppellectilem. Fugam Clericorum ut primò intellexit Joannes de *Chaves* Militarium Equestrium Ordinum Senatûs Præses, nunc hæreditario jure Dux de *Peneranda*, & Comes de *Miranda*, sacelli patronus, de restituendo cultu, & de providendo sacerdote, qui ad Fundatorum intentionem sacris operaretur, iniit consilium cum Patre Antonio de *la Torre*, Canonico S. Norberti, quo tam ille, quàm uxor ejus Maria Paulina *Pacheco*, Confessario & conscientiarum moderatore utebantur. Utriusque conjugis nec sera, nec anceps deliberatio fuit; ambo vacans beneficium Patri de *la Torre* obtulerunt: centum aureos pro honorario Missarum stipendio solvendos annuatim, spondent, rogantque enixiùs, ut qualicumque hoc beneficio patiatur investiri, quo & Dei honorem promovebit, & mutabilitatis præverteт eventus, quos vel maximè timebant ambo, salutaria dudum experti monita moderatoris doctissimi.

Rem Congregationis Præsidi, sicut Religiosum decebat, examinandam, definiendamque proponit P. de *la Torre*; precibus urget Collator, & evincit. Institutus igitur à Capitulo Provinciali Rector domunculæ P. de *la Torre*, socium sibi accivit P. Franciscum *Fernandès* supremi Inquisitionis Senatûs Qualificatorem, quo Indiam petente, P. Marcum de *Herbias*, Inquisitionis Censorem, obtinuit. Manum uterque misit ad fortia; nudata priùs altaria pretiosis decoravit jocalibus; domum vetustate caducam innovavit; certatimque beneficus Patronus Joannes de *Chaves*, nobilissimi Senatores, mulieres devotæ, laudabiles conatus virorum Reipublicæ utilium, largitionibus secundarunt adeò amplis, ut proventus annui ad mille quingentos aureos pervenerint.

Insperato hoc, faustoque successu exhilaratus Patronus plurimùm, nihil in votis habuit intimiùs, quam ut bonis cumulato Collegio, honoris Abbatialis prærogativas & nomen superimponeret. Capitulum ergo Provinciale anno 1639. litteris & libello supplici in hunc finem convenit Illustris D. de *Chaves*: orantem libenter exaudivit P. Antonius de *la Torre*, unanimi Capitulantium voto Reformator generalis hoc anno proclamatus: faverunt congregati Patres, & solemni decreto Collegium S. Joachimi in Abbatiam sublevatum est. Primus ibi designatus à Capitulo Abbas P. Ambrosius Baptista de *Abreu*, virtute & generis claritate conspicuus, & S. Inquisitionis ex munere Censor; dormitorium cellis distinctum construxit, sacristiam pretiosâ locupletavit suppellectile, & viginti Canonicos Officiis & animarum saluti addictos, aggregavit.

P. Joannes *de Salzes de Quevedo* nec zelo inferior, nec minor industriâ, regiminis sui Abbatialis triennium illustravit miræ artis operi-

bus, præsertim sacello insigni, in quo effigiem B. Virginis *de Afflictis* populariter nuncupatæ, & miraculorum frequentiâ famosæ, reposuit, publicæ supplicationis & numerosi populorum concursûs prævio apparatu. Magnâ quippe in eam imaginem devotione feruntur non vulgus modo, sed & ipsi Proceres, solatia in mœstis rebus experti sæpissimè, ad ejus confugientes azilum. Unde & post mortem ex eodem fiduciæ & pietatis sensu, in sacelli atrio humationis locum postulant sibi dari, & datus est Francisco de *Moura Conte Real*, Marchioni de *Castel Rodriguo*, Comiti de *Lumiares*, Militiæ Regalis Christi Equiti, Duci de *Nochera*, Flandriæ Senatûs Præfecto supremo: Item Beatrici de *Moura*, ejusdem Francisci, & Beatricis *Pio* de Sabaudia, filiæ. Item Emanueli Joanni de *Zuniga*, filio Marchionis *de la Baneza*. Item Melchiori de *Avellaneda*; Marchioni de *Valdecanas*, Regni Valentiæ Proregi, Hispanicarum copiarum generali Præfecto; denique, ut cætera omittam, Domnæ Aloysiæ *Enrriques*, filiæ Archicalasii Castellæ.

S. JOANNES AMBIANENSIS.

S. Joannis Ambianensis Bl. Domini Martini. Diœcesis Ambianensis Circaria Pontivi.

IN suburbio civitatis Ambianensis, stabat Ecclesia S. Firmino sacra sub annum 1115. Mathilde uxore Guidonis de *Flesicourt*, autore. Hanc pro remedio animæ fratris sui Alelmi erexerat, dotaveratque proventibus, ut mystæ sacri divinis illic operantes, promptum dilecto fratri solamen asciscerent. Perierat ille miserabiliter anno 1114. dum bellum ferveret inter Ambiani *Communiam* & Ingerannum de *Bova* civitatis Comitem. A parte civium stabant Ludovicus Rex * Godefridus Episcopus, & Eustachius Comes. Astipulabantur Ingeranno Thomas de *Marsa*, Adamus Custos Turris & Alelmus filius ejus. Strenuè hinc inde certatum est, & ancipiti marte, donec Rex Ludovicus in Communiæ subsidium advolans, Castrum obsidione cinctum, fame ad deditionem post biennium compulisset & deditum æquasset solo.

*VI. Cognomento Crassus.

Quales ab initio dotationis suæ habuerit hospites Ecclesia S. Firmini, ignoratur; paucos habuisse ex posteriori Præmonstratensium subrogatione, palam est. Cùm enim ad hujus Ecclesiæ administrationem suscipiendam ab Ingelranno episcopo Ambianensi, successore Godefridi, vocatus esset Milo S. Judoci Abbas, anno 1126. exiguos adeò & alendis Fratribus impares invenit reditus, ut non nisi paucos, sub Prioris regimine submiserit Canonicos. Horum miseratus inopiam Radulphus cognomento » *Qui non ridet*, civis Ambianensis, sese in ma» nu Milonis, & sua omnia tradidit, necnon » & totam hæreditatem suam, quam uxori suæ » in dotem dederat, post illius obitum perpe» tuo jure concessit. « Ita posteris testatum reliquit Milo in Charta quam archiepiscopo Remensi & Ambianensi episcopo inscripsit, factus ille Tarvanensis episcopus. Non multò post Wido Comes Ambianensis & Dominus *Flessicurtis*, astipulantibus Mathilde uxore & Hugone patruo ejus, primitivæ dotis fundos auxit, concessione altarium de *Marchel*, Sancti Germani, & de *Vadencourt*, decimarum quoque & agrorum, quos per manum Theuderici Episcopi, & ad remedium animæ Alelmi contradidit anno 1146. Ante incrementi hujus dotalis accessionem, in Abbatiam adoleverat tenuis S. Firmini Prioratus, imò sub Abbatis nomine, Eustachium ab anno 1127. præfuisse refert Ambianensis Annalista Mauritius *du Pré*, nullo tamen diplomatico argumento nixus, nullas enim exerit, & nullas ego vidi Eustachio æquales Chartas, licet curiosiùs scrinium Ambianense fuerim scrutatus. Ergo de Abbatialibus infulis Eustachii nonnihil ambigentes, illum inter dubios Abbates sequestramus, indubitatum substituentes Fulconem à *Monte-Desiderii* * qui anno ad minùs 1129. Prioris titulum in Abbatis dignitatem subvexit. *Mondidier.

I.

Idem FULCO pacatioris vitæ amans, & angustiam loci non ferens, ut potè affluentium Novitiorum turmæ continendæ minùs capacem, de deferenda habitatione & secretiore petendo secessu, varia secum & cum aliis agitabat consilia. Volventi & cogitanti favit improvida, sed Dei benignitate dispensata, occasio. Girardus vir potens ac nobilis, *Pinchonii* * Vicedominus, divino, ut creditur, actus impulsu, Fulconem adit, ipsique in eleemosynam pro anima sua & patris sui Wermundi, terras quasdam Seylæ * fluvioni adjacentes spontè transcribit. Locus ille ab hominum frequentia sepositus, præter fluentis amnis alluvionem utilis, ex aëris saluberrimi temperie, & prospectûs gratiosissimi amœnitate festivus, arrisit Fulconi, ipsumque ædificando monasterio judicavit aptissimum; nec mora, sedulam promovendo operi applicuit manum, & in Ecclesiam sub S. Joannis Baptistæ patrocinio consecratam, Fratres transtulit anno 1136. sequenti autem, migrationem istam laudavit Innocentius II. ad Milonis instantiam. *Pequigny. *Seyle.

De immutatione tutelaris patroni, disquisitionem criticam instituit Mauritius *du Pré*, eorumque confutat opinionem, qui ob depositum illic Præcursoris caput, nomen ejus fuisse sortitum putaverunt & ad Insignium tesseram, S. Joannis verticem in disco assumptum fuisse obgarriunt. Falsitatis porrò argumenta hæc profert: primum quòd caput S. Joannis

nonnisi anno 1216. operâ Walonis de *Sartoun.* clerici Ambianensis fuerit allatum, septuaginta scilicet annis, postquam monasterium S. Joannis dotatum est. Sigilla verò veterioris ævi nullatenùs referunt Præcursoris caput, sed Abbatem superpelliceo vestitum, pedum sinistra gestantem manu. Ab anno 1246. sigillum Conventûs à parte recta, Christi baptisinum exhibuit, & à sinistra agnum. Quæ innovatio probabiliter accidit à possessione Reliquiarum S. Joannis, quas Walo decerptas ex capite Præcursoris, tradidit Abbati, unde inter benefactores ipse & familia de *Sartoun* in Obituario commendantur.

Tanta verò fuit novi asceterii fama, ea incolarum virtus ut certatim plures abjectis propriis, soli Deo vivere cuperent. Crevit cum virtute Religiosorum multitudo, quam cùm Abbas intrà S. Joannis ambitum continere non posset, ad diversas cellas turmatim submittebat. Alteram in *Vadencourt*, aliam in *Guidonis valle*, tertiam in *Ollaincourt* & *Marchel* imposuit. Nec tantùm viri militiæ Fulconis inscribi voluerunt, sed & mulieres, & virgines devotæ ultrò se in ejus disciplinam tradiderunt; monasterio cellulas adhærentes iis assignavit primùm, sed cùm affluentium habitationi non sufficerent, partem unam in Ecclesia de *Bertricourt*, alteram in *Valle-Guidonis* * collocavit, sub magisterio Beatricis Vicedominæ Ambiani, matris Gerardi, Pinchonii Toparchæ, Fundatoris benefici. Intrà angustias florentis cœnobii non stetit boni nominis odor, Provincias pervasit, prætervolavit maria, & ad optimatum preces, Fulco *Ressonium* & *Thalesten*, in Diœcesi S. Davidis, selectos de suo grege, Canonicos, trajicere debuit, qui surculos Religionis implantarent. Petrum Ressonio, Hugonem de *Fodinon* Thalestenio, virum pietate & scientiâ præcipuum præfecit. Anno 1145. subscripsit Chartæ Theoderici episcopi Ambianensis, pro Ecclesiæ S. Martini Ambian. promotione in Abbatiam. Denique post confirmatum Pontificali & Episcopali autoritate monasterium suum, post vitam bonis operibus probatam, sanctè in Christo obdormivit 4. Idus Januarii 1157. Beatus Fulco, cujus memoriam dignam benedictione celebrat Necrologium his verbis: Commemo-„ratio felicis & beatæ memoriæ Domini Ful-„conis de *Monte Desiderii*, secundi hujus Ec-„clesiæ Abbatis, qui Conventum ab Ecclesia „S. Firmini in Valle ad Seylæ fluenta transtulit, „Religionem mirificè propagavit, virtutum-„que, ac imprimis humilitatis illustris exemplis, cùm annis 26. laudatissimè præfuisset, ex hoc „mundo, hâc die migravit anno MCLVII.

* Vangoyon

Tom. XII. Spicileg. Acheriani p. 163.

II.

EUSTACHIUS, Fulconis obitu viduatam S. Joannis Ecclesiam excepit. Illum Ordine tertium Abbatem & nomine secundum appellant fasti Ambianenses. Quæ à prædecessore laudabiliter instituta fuerant strenuè tutatus est. Rem domesticam exilem valdè auxit piorum eleemosynis, prædiorum ampliavit acquisitionibus, Turonensi Concilio cui Alexander III. præerat, interfuit anno 1163. & inde Pontificiam reportavit pro Ecclesia sua confirmationem. Anno 1170. suscitatam ab Hugone Abbate Furnensi, litem & curtem de Septemvilla à Guillelmo prædecessore suo alienatam anno 1160. reclamante ad summum Pontificem, ipsiusmet Pontificis judicio terminavit, quo curtis adjudicata est Eustachio; & Abbati Furnarum, super illata querela æternum indictum est silentium. Decretum Alexandri III. viginti tres Abbates suis firmavere subscriptionibus. Anno 1174. morienti Gerardo Vicedomino Pinchonii, adstitit, & mortuo parentavit christiano ritu. Anno 1185. Philippus Francorum Rex, Ambiani existens, ad supplicationem Eustachii regiâ protectione & Diplomate regio, personas, resque monasterii communivit. Et ex hinc prodiisse gentilitium stemma Abbatiæ, scutum videlicet inspersum liliis, freturis aureis interceptum, præsumitur. Anno 1180. mortalem hanc vitam exuit Abbas Eustachius

III.

THOMAS, S. Joannis Canonicus, accepit ab Hugone de *Noientel*, assentiente Euphemiâ uxore ejus, curtem de *Alneto*, talique immunitate donatam, ut in ea jus azili, latrones & homicidæ triduo integro haberent, & inde ab Abbate educti, ad locum pacis possent demigrare. Anno 1196. Thomas denascitur, & ipsi successit

IV.

ODO DE CRESCY venerabilis senex, virtutibus pollens, viris principibus charus, Willelmo Remorum Archipræsuli non ex fama tantùm, sed & de convictu notissimus, magna ad Ecclesiæ S. Joannis decus privilegia ab ipso impetravit, quæ Celestinus III. approbavit suo Diplomate. Joanni Atrebatum Episcopo amico suo, sepulchrum in Ecclesia S. Joannis ex testamenti tabulis eligenti, parentavit mortuo. Ejus ossa & sepulchralis inscriptio in Ecclesiam novam deportata sunt.

Discat qui nescit, quod Episcopus hîc requiescit,
Moribus insignis, crux pravis, forma benignis,
Nomine quem veteres certo dixere Johannes,
Anno milleno centeno terque triceno *
Sexto mundo sublatus jacet hîc tumulatus. * 1196.

Anno 1204. Odo senio confectus Abbatialem exuit dignitatem, ut totum divinis otium applicaret.

V.

MILO vix annum in Præfectura complevit.

VI.

RADULPHUS ab anno 1206. Abbatem agens. Anno 1208. electioni Joannis in Corbeiensem Abbatem interfuit cum Gervasio Thenolii Abbate. Translatus, vel potiùs mortuus dicendus est anno 1210. quo anno ad Innocentium III. scripsit Epistolam Gervasius, quæ prima est, ubi Radulphum quondam Abbatem S. Joannis Ambianensis, dicit.

Vide Tom. I. Sacræ Antiq. Monum. p. 2.

VII.

NICOLAUS, intrusum parochiali Ecclesiæ S. Germani Ambianensis Clericum secularem in præjudicium regularitatis, Apostolicæ sedis judicio ab administratione amovit anno 1218. & 25. Octobris 1231. vitâ perfunctus est Nicolaus.

VIII.

HERBERTUS anno 1239. concessit Theobaldo de Ambianis, domino de *Canaples*, Canonicum S. Joannis, qui castrensi Capellæ *d'Outrebois* serviret: Inde exordium regularis Parochia ejus loci sumpsit. Sub hoc Abbate mensarum separatio, & distinctio sigillorum videntur subinductæ, novo tunc & ad exitium domûs, portento. An. 1252. obiit Herbertus.

IX.

JOANNES annis quatuor rexit, & susceptam in se provinciam abdicavit, oneris pertæsus 1256.

X.

ALARDUS 1266.

XI.

WICARDUS 20. Septembris 1268.

XII.

JACOBUS, tertio Idus Julii 1274.

XIII

PETRUS DE *VARCHEVILLE* concreditam sibi domum annis administravit tredecim ; cessit 1284.

XIV.

JOANNES *DAUSAIMNE*, ex S. Judoci Canonico, in Abbatem assumptus, expleto biennii regimine, ad suos rediit.

XV.

MATHÆUS, Seriaci Canonicus, septimo suæ administrationis anno, & Julii undecimâ die denascitur 1296.

XVI.

JOANNES DE *VRETON*, 28. Julii 1310.

XVII.

JOANNES DE *MARCHEL*, hujus ætate floruit Joannes de Querceto, S. Joannis Canonicus, librorum scriptor indefessus. In Pergameno Missale eleganter scriptum, & à Petro de *Raimbaucourt* pictum minio, anno 1323. asservatur in Bibliotheca, opus supra omne pretium. Septimo Novembris migravit ex hac vita Joannes Abbas 1349.

XVIII.

JOANNES DE *RIVO*, monasterii sui excidium vidit & luxit. Malevoli Deum præ oculis non habentes, ejusque ultionem non verentes, » Ecclesiam cum monasterio ejusque porprisio » in terram prostraverunt, lapidem super lapidem, à fundamentis usque ad summum, » non reliquentes ; « ut habet Charta Joannis Regis Galliæ, licentiam reædificandi monasterii impertientis, anno 1361. Quantùm per furentis belli, Anglos inter & Gallos, funesta tempora licuit, illatam suo monasterio cladem cœpit instaurare Joannes Abbas, primos allaborantis conatus mors interclusit anno 1377.

XIX.

FIRMINUS *MONETARIUS* primo suæ Præfecturæ anno, ad patres suos abiit.

XX.

GUILLELMUS DE *MONTONVILLERS*, 4. Novembris 1377. præside Gerardo S. Judoci Abbate, assistentibus ei Abbatibus S. Andreæ in Nemore, S. Petri Selincurtis & B. Mariæ de Seriaco eligitur, vir prudens, honestis moribus, natalium splendore insignis, scientiâ pollens, in reparatione cœnobii sedulus, jurium illius vindex indefessus. 12. Augusti 1411. in vivis esse desiit.

XXI.

PETRUS *BOULET*, Pastor anteà S. Germani Ambianensis, per electionem Abbas, à Joanne XXIII. summo Pontifice confirmationem petiturus, Romam proficiscitur. Novo jure vetus privilegium abrogavit. Neque enim ad Papam recursum neo-electi Abbates, sed ad Patrem Abbatem habere ab Ordinis incunabulo consueverunt Abbates Ordinis, si Præmonstratensem excipias, ad electionis confirmationem. 21. Julii obiit Abbas Petrus an. 1414.

XXII.

FIRMINUS *MOREL* 21. Julii 1418. moritur.

XXIII.

JOANNES DE *TORST* 2. Septembris 1419.

XXIV.

JOANNES DE *BAINVILLER*, ob sævientem Anglorum & Burgundionum adversùs Gallos

martem, relicto monasterio, in urbem unà cum suo Conventu se recepit, decimâ Augusti die 1432. nocte sequenti animam efflavit Abbas.

XXV.

MATHÆUS COTTEREL præside Joanne sancti Judoci Abbate, eligitur 15. Augusti 1432. clavo insidens, & recuperandis bonis Ecclesiæ suæ, per illicitos contractus, aut per oppignorationes indebitas alienatis, intentus, Synodum Basileensem convenit anno 1435. ab eoque obtinuit delegari ad partes, Abbates S. Martini de *Gemellis*, & S. Acheoli, qui judiciali & coactivâ autoritate, detentores ad restitutionem adigerent. Innovationem quoque privilegiorum & immunitatum Ecclesiæ suæ ab eadem Synodo reportavit. Firminum de Berniaco Rectorem parochialis Ecclesiæ S. Sulpitii Ambianensis, & Procuratorem Joannis Episcopi sui, in vim cujusdam Indulti ab Eugenio IV. Papa extorti, visitationem monasterii S. Joannis volentem instituere, ad Basileensem Synodum provocavit. Ad episcopum Bellilocensem quæstio terminanda à Patribus delata est, & aliis judicibus successivè demandata, donec Joannis Balduini, Prioris Furnensis, instantiis, ab ipsomet Concilio partibus auditis hinc inde, conciliariter definita est, 2. Nonas Julii 1437. pronuntiante Mathæo *Nithaert* Frinsingensi Canonico & decretorum Doctore, Abbatem, Canonicos, & Conventum monasterii S. Joannis, *ab omni visitatione, superioritate, potestate & jurisdicatione Archiepiscoporum, Episcoporum & Ordinariorum, & eorum Officialium, liberos esse & exemptos* » & » sedi Apostolicæ immediatè subjectos fuisse & » esse, necnon oppositiones, molestationes, » vexationes & impedimenta prædicta, fuisse » & esse temeraria, illicita, iniqua, injusta & » de facto præsumpta, ac Joanni Episcopo & » illius Officiali seu Procuratori, super visitatio» ne & procurationum exactione silentium per» petuum imponi, necnon eundem Episcopum » Joannem in expensis pro hujusmodi causa » legitimè factis, in quinquaginta florenis boni » auri & justi ponderis condemnari.

Hujus condemnationis executionem Episcopis Albinganensi & Attrebatensi, necnon Abbati S. Vedasti Atrebatum commisit sancta Synodus.

Anno 1455. octavo Februarii mortem oppetiit Abbas Mathæus.

XXVI.

JOANNES VASSORIS, gallicè *LE VASSEUR*, vastatum bellis monasterium, excitare aggressus, & perficere non valens, ex permissione Ferrici de *Beauvois* episcopi Ambianensis, sacra pignora per Diœcesim circumferri curat, ut pietas fidelium reparatoris suppleret inopiam. Vix manum operi virilem admoverat, cùm ecce anno 1470. Carolus Burgundiæ Dux, civitatem obsidione cingens, cœpta Abbatiæ diruit mœnia, adjacentem eradicavit sylvam, domum denique spoliatam maxima subvertit ex parte. Quarto à desolatione ista an. 1474. die 6. Aprilis fato functus est Joannes Abbas.

XXVII.

JACOBUS *FOULON* ex collatis sibi eleemosynis dispersos sanctuarii collegit lapides. Exauctoratum nihilominùs fasti referunt an. 1488. sive quod temporalia administraret malè, sive quod Alchymiæ totus deditus, Pastoris officio se subduceret, ut commentariis illustraret Chymiæ libros. Parochiale S. Germani Ambianensis induit munus in quo dies duxit bonos.

XXVIII.

GUILLELMUS *DE MONTESSON*, sexto Idus Julii 1499.

XXIX.

THOMAS *DE L'ECLUZE* Canonicus Viromandensis, & JOANNIS *DE L'ECLUZE* Abbatis Præmonstrati, ex fratre nepos, ex Abbate Petrodii-novi, postulatus Abbas S. Joannis. Anno 1513. electus Abbas Montis S. Martini, illuc se recepit. A Capitulis generalibus Visitator renuntiatus sæpè, officium moribus & doctrinâ honestavit.

XXX.

NICOLAUS *LAGRENE'* Pastor *Ollincurtis*, optimus rei familiaris œconomus, monasterium restituit, Ecclesiam structurâ mirabilem, ornatibus fulgentem, erexit à fundamentis, Canonicos imbuit disciplinâ & scientiis, scientiarum mœcenas doctus: titulari Episcopatu decoratus, Suffraganeus Francisci *Hallavin* Ambianensis episcopi institutus est, ejusque Vicarius generalis. Anno 1524. Thoma *de l'Ecluze* Abbate Montis S. Martini demortuo, in ejus locum sufficitur ex dispensatione Clementis VII. Virum omni ex parte meritissimum, mors sustulit Kalendis Junii 1540.

XXXI.

ÆGIDIUS *BINET* ex Ordine Dominicanorum Conventûs Bellovacensis alumnus, Doctor Theologus & Alienoræ Reginæ à confessionibus, vacantem Abbatiam regali Diplomate munitus invasit, & decennio possessam, resignavit 1552. Antonio *des Prez* suo affini, pensione, & jure patronatûs beneficiorum sibi reservatis. De proventibus Abbatiæ parvas scholas S. Thomæ, extruxit Parisiis, suæ domui inutilis Abbas: quin & pretiosa quæque S. Joannis ornamenta & jocalia, clanculùm surrepta, suis Bellovaci Fratribus contulit, quorum partem, conquerentibus de rapina Canonicis, ægrè restituit spoliatæ Abbatiæ.

XXXII.

ANTONIUS *DEZ PREZ*, decimâ Novembris die anni 1552. factus ex demissione Abbas, ab Henrico Galliarum Rege, habitum Ordinis ex præcepto Julii III. Papæ assumpsit, & vota in manu Officialis Ambiamensis, exacto per septimanam Novitiatu, nuncupavit, præceps & ad capessendam dignitatem avidus Abbas. Toto Prælaturæ suæ tempore, diras cum suo Conventu exercuit lites & inimicitias fovit. Hinc illud crudelitatis exemplum, ut quosdam è Canonicis suis, sibi magis infensos, quod contra eum apud supremam Curiam litem agerent, & prosequerentur intentatam, equorum caudis per pollices, raptarit Lutetiam Parisiorum, strictè illigatos. In quod facinus Capitulum generale sæviens sententiâ excommunicationis, parricidam perculit, jurisdictione spoliavit furentem, & solemne hoc judicium suprema Parisiensis Curia firmavit suo sancito. Pœnitens, sed mimicè, Abbas, à Capitulo generali in integrum restitutus, magis in suos cœpit debacchari; è monasterio violenter protrusit omnes, qui ad Magistratus regios, pulsi barbarè, provocant. Pax, pendente lite, resarcitur; domum vagi repetunt, & fiunt novissima Abbatis meliora prioribus. Bibliothecam instruit, Sacristiam pretiosâ suppellectile exornat, mores ad disciplinæ apicem componit, dignusque à Capitulo generali judicatur, qui Vicarii generalis obeat munia, & ad Concilium Tridentinum anno 1564. ablegatus Ordinis nomine mittatur. Obiit pridie Kalendas Aprilis 1578.

XXXIII.

GODEFRIDUS BILLIUS, *Billy*, ex resignatione cognati sui Philiberti de *Brichanteau*, à Rege designati, Abbatiam assequitur; & Bullis provisus, habitum Religionis à Joanne de *Pruetis* Generali Ordinis, Præmonstrati accipit, & obedientiam vovet 8. Augusti 1587. ejus temporibus, anno videlicet 1597. feriâ tertiâ post Octavam Paschæ, die 15. Aprilis, Ambianum ab Hispano milite, factiosorum consiliis & proditione, interceptum est. Suburbia, & maximè S. Joannis monasterium voracibus flammis donata sunt. Ex ore gladii & ignium faucibus, pauca eripere Fratres potuerunt in urbem admissi. Primam sedem apud sanctum Dyonisium, inde apud Augustinianos posuerunt. Tùm Abbas Godefridus de loco ad translationem monasterii comparando cogitavit, sed ad episcopatum Laudunensem evectus anno 1600. rem dimisit infectam.

XXXIV.

ANTONIUS SEGUIER Commendatariorum primus, Petri *Seguier* in summo Parisiensi Senatu Præsidis filius, Godefrido *Billy* à Rege suffectus est. Ipso abbatisante emitur Ambiani domus de *Marconnelles*, à Guidone *de Mouchy*, Domino de *Senerpont*, & anno 1611. mense Maio jaciuntur novi templi fundamenta, quod vix intra decennium ex ruinis suburbicani completum est. Anno 1624. Dormitorii & Claustri fabricæ eriguntur, quibus hæc inscriptio in plumbi lamina supponitur.

»Anno 1624. à prima fundatione ad Sanctum Firminum 500. à secunda ad Sanctum Joannem 408. ab ea per Ambianenses eversa 266. ab ea per Hispanos cremata 27. Ludovici XIII. Regis Francorum & Navarræ 14. Urbani Papæ Octavi 1. hujus monasterii S. Joannis Baptistæ Ambianensis in eandem urbem ab anno 1600. translati loca regularia & claustra fundata sunt R. Patre Domino Renato de *Pauye* Priore claustrali fundamenta jaciente 22. Martii.

Anno 1627. in Ordinem redactus est Ambianensis episcopus, jus piscationis in Seyla à ponte de *Myoire* usque ad Somonam * sibi vindicans, & Baillivi Ambianensis sententiâ, ad restitutionem scaphæ piscatoriæ quam currui suo impositam advexerat, damnatus est. Renascens monasterium clarescebat viris doctis, & antiquioris famam suâ regularitate æmulabatur. Splenduit inter omnes ut pietate, sic scientiâ P. Mauritius *du Pré*, asceticorum librorum numero, inter spiritualis vitæ Pædagogos nominatissimus, polemicorum & Chronograforum operum voluminibus, apud Criticos commendabilis, sed præsertim de Ordine benè meritus, ob Annales ejus exaratos, quantâ potuit diligentiâ; etsi non quantâ oportuisset crisi. Defuerunt scribenti monumenta, & ipsismet transmittentibus sua deerant pro temporis hujus necdùm defæcato lumine, discretio, sagacitas & eruditio litteraria. Profiteor tamen in tanti viri lumine, vidisse lumen aliquod antiquitatis, quod ex dissipatis monasteriorum Galliæ scriniis evanuerat, seu per incuriam tabulariorum, seu per vastatoris inimici deprædationem.

* La Somme

Anno 1635. 18. Augusti obiit Parisiis Antonius SEGUIER cujus exuviæ ad monasterialem S. Joannis delatæ, decente mausolæo conditæ sunt sub hac epigraphe.

»Accipe qui terram teris breve hoc monitum ex perpetuo monumento. Hic jacet ANTONIUS SEGUIERUS, summi Galliarum Senatûs, & Parisiensis Ecclesiæ Senator, S. Eparchi Paludani, Trappæ Perticanæ, ac demùm Ambianensis hujus cœnobii nobilis Abbas, qui ab imo eversas hujus loci ædes, imò sepultas, ac penè absumptas, sumptibus suis restituit, stirps & clara SEGUIORUM progenies, imò chara Deo soboles, quæ sexcentis abhinc annis, per supremos Militiæ, Togæ, sed & ipsius Ecclesiæ cardines stemmata sua deduxit. Frater illi superstes LUDOICUS SEGUIERUS Eques, Sambrissonii, San-Firmini, Rivalliumque Dominus, Comes Consistoriai

» nus, Lutetiæ Urbis almæ Præfectus, pulchrum
» hoc sepulchrum, fraterno amore, æterno
» mœrore, mœstâ religione, instaurari curavit,
» Virtus cæteris ardua, sed SEGUIERIIS domesti-
» ca; verùm ô fatum infandum; luctusque ine-
» luctabilis, mors amara nil moratur.

SEGUIERII intereunt, quid nos speramus inertes?

XXXV.

DOMINICUS *SEGUIER* episcopus Meldensis, & Franciæ Cancellarii frater, in possessionem Abbatiæ inductus est 1. Aprilis 1636.

XXXVI.

PETRUS *DU CAMBOUST DE COISLIN* Aurelianensis episcopus S. R. E. Cardinalis & Franciæ Proto-Eleemosynarius.

XXXVII.

LUDOVICUS GASTO *FLEURIAU* episcopus Aurelianensis.

PATERNITAS.

Tria è suo sinu fudisse monasteria, referunt tabulæ S. Joannis.

Primum fuit Ressonium.

Secundum *Thalestem* diœcesis Menevensis, sive S. Davidis in Anglia, de quo suo ordine dicemus.

Tertium fuit Bertricurtum, *Bertricourt*, Monialium Parthenon.

Alterius quoque Virginum cœnobii, quod *VallisGuidonis* dicebatur, meminerunt Chartæ: huic à Fulcone Abbate imposita est Magistra, Beatrix Vice-domina de Pinchonio, cujus memoriam recolit Obituarium 3°. Idus Februarii 1144. Sed observandum hîc, uti jam à nobis superiùs observatum est, duos hosce Parthenones nomine tenus esse distinctos, & potiùs esse stationes varias, quàm Sanctimonialium cœnobia. Primò enim Bessuni, tum Bertricurti, denique in Guidonis valle, successivâ transmigratione substituerunt Moniales.

PASTORATUS.

S. Germanus.

S. Firminus in Valle, ambo intra civitatis Ambianensis mœnia.

Ultra-Boscum, *Oultre-bois*, unâ à Dalendio, *Dourlens*, leucâ.

Ollaincurtis, *Ollaincourt*, cum filiali *Grisei-loci*, *Grilieu*, tribus ab Ambiano horis.

Marchel-cave, uno à Corbeia milliari.

Motha, *la Mothe*, propè Corbeiam.

S. Joannes Baptista, sesqui-milliari à civitate Ambianensi.

RELIQUIÆ SACRÆ.

Maxilla S. Joannis Baptistæ.

BIBLIOTHECA.

Instructissimam habet monasterium Bibliothecam, omnigenæ eruditionis voluminibus. Habet & musæum antiquioribus numismatis, gemmis vetustate & cælaturâ pretiosis, vasibus, cultellis, ad sacrificia & libamina gentilium destinatis, locupletissimum. Habet denique animalium è nationibus exteris advectorum, & solerter dissicatorum multitudinem, insolentiâ, & varietate raram. Pauca desunt ad eruditorum solatium, & pauca ad ineruditorum doctrinam. Litterarium istud armamentarium, custodiunt, manibusque suis frequenter terunt litterati Canonici, inter quos septem Laureâ Theologicâ insignes eminent. Juvat hîc memisse P. Petri *Postel* orbi litterario ex editis operibus, & aliis prælum breviter subituris, notissimi, nostrique amici specialis, quem in evolvendis Picardiæ & Artesiæ scriniis, collegam habuisse gloriamur, & collaborantis nobiscum, argæos oculos, animum perspicacem, prudentem censuram, suspeximus, modò Prioris officio sapienter perfungenti aggratulamur.

Schema Genealogicum Fundatoris Abbatiæ S. Firmini in Valle.

Drogo Turrensis, à Turre vel Castro Ambianensi sic dictus, Pater fuit

Adelelmi à Turre à quo processerunt

1°. Hugo Clericus, 2°. Adamus Turrensis. Hic genuit 1°. Alelmum cui desponsata fuit Melesendis filia Thomæ de Marla, sed in expugnatione Ambiani occisus, cælbos decessit, 2°. Mathildem nuptam Guidoni de Ambianis Domini de *Flessicourt*, in qua desiit familia Turrensis.

Guido de *Flessicourt*, ex Mathilde filios suscepit 1°. Alelmum de quo infra, 2°. Mathildem solo nomine notam. 3°. Milesindem in Necrologio recensitam. 4°. Flandrinam junctam connubio cum Vermundo filio Gerardi vice Domini de Pinchonio.

Alelmus Guidonis & Mathildis filius, Toparcha de *Flessicourt*, ex Ada uxore genuit 1°. Drogonem, 2°. Petrum improlem.

Drogo de Ambianis Dominus de *Flessicourt* ex Margareta uxore habuit 1°. Petrum Dominum de *Vignacourt*, 2°. Reginaldum, 3°. Theobaldum Dominum de *Kanaples*, 4°. Alelmum Dominum de *Stella*, 5°. Bernardum Dominum de Renoldivilla, *Renaud-val*.

Schema genealogicum Gerardi de Pinchonio Fundatoris Abbatiæ de S. Firmino, ad Seylam translatæ sub patrocinio S. Joannis Baptistæ.

Vermundus Dominus de *Pequigny*, & Vice-Dominus Ambianensis, ex Beatrice uxore sua, Ordinem nostrum postmodum professa, sumpsit 1°. Ingelrannum, 2°. Gerardum de

quo inferiùs, 3°. Adelam nuptam Drogoni de *Mouchy*, 4° Euphemiam uxorem Manassis de *Bugliis*. Gerardus Pinchonii Vice-Dominus, Ecclesiæ S. Joannis Fundator habuit ex sponsa Mathilde, 1°. Vermundum, 2°. Petrum, 3°. Joannem in Charta anni 1144. relatos. Ex Beatrice autem uxore altera, habuit Gerardum, Theobaldum, Guillelmum & Robertum.

Vermundus Gerardi ex Mathilde primogenitus Vice-Dominus Ambianensis & Dominus Pinchonii ex Margareta conjuge, suscepit Gerardum qui in expeditione sancta, B. Ludovicum comitatus est, quique duas uxores Loram, & Aleidem habuit ex quibus prolem suscepit à D. *Morliere* ad finem usque deductam.

Ista ad subsequentium Chartarum elucidationem dicta sint.

Vide Probat. à col. DCXC. ad col. DCC.

S. JOANNES DE FALESIA.

S. Joannes de Falesia. Fil. Domni-Martini. Diœcesis Sagiensis. Circaria Normanniæ. * Falaise.

JUxta muros Falesiæ *, Gunfridus filius Rogerii civis Falesiensis, hospitalem erexit Domum, anno 1127. de consensu Henrici I. Anglorum Regis & Ducis Normanniæ. Instituto Xenodochio & pauperum servitio Fundator se devovit, unà cum Magistro Rogero de *Vitrei*, & Gaufredo de *Petra ficta*. Innocentius II. Româ à Petro Leone pulsus ab ipsa exaltatione sua, & Rothomagi existens, confirmavit anno 1130. Gunfridi fundationem. Processu verò temporis, & Clericorum prævalente numero, abiit in monasterium Domus illa hospitalis, servato nihilominùs primævæ dispositionis & pietatis ordine erga pauperes, quibus aliud præparatum est haud procul habitaculum. Congregatorum Clericorum possessiones roboravit suo Diplomate Henricus I. Rex Angliæ anno 1132. Clericos, non Canonicos, appellat, quia fortè pro tunc regulam S. Augustini non profitebantur, quam paulo post amplexati sub habitu nigro, ut refert vetus MSS. authoris coævi, propagarunt, ramusculum suæ Religionis inserendo Ecclesiæ S. Laudi * ad petitionem Hugonis Rothomagensis archiepiscopi, & Domini de *Planes*. Quandiù verò sub B. Augustini regula militarunt Canonici nigri Falesienses, non Abbatis, sed Prioris titulum præferebat illorum Superior. Hinc ex Abbatum elencho expungendi Rogerus de *Vitreio*, & Gaufridus de *Petra ficta*, qui successivè regimen tenuerunt, donec Ordo Præmonstratensis, colorem & disciplinam immutans, Prioribus superinduxit Abbates. Hæc autem innovatio contigit anno 1159. Religiosis ex S. Judoci Nemorensis cœnobio evocatis, quorum Dux fuit

V. Neustria pia p. 750.

* S. Lo, anno 1141.

I.

ROBERTUS DE *MIRAYE* (de Mireio.) Novos hospites Henricus II. Angliæ Rex, novis cumulavit beneficiis, anno 1162. *tantùmque nemoris Gouferni * apud Argentonium * eis concessit, quantùm ad ignem proprium, & ad domorum ædificationem sufficeret*, » omnes de» nique possessiones quietas & solutas ab omni » passagio, à teloneo, & pasnagio reddidit.» In vivis agebat & regebat adhuc Robertus anno 1171. pactumque iniit cum Roberto Abbate Cormeliæ. *

* Gouffern. * Argentan.

* Cormelis in Diœcesi Lexoviensi.

II.

ROBERTUS *TAON*, ex Capituli generalis sancito primarius Abbas Insulæ-Dei destinatus, Falesiensem infulam dimisit anno 1187.

III.

FULCO *DE LONGUETH*, anno 1177. desiisse memorant schedæ Dom-Martinenses, & Falesianorum MSS. utrumque secuti sunt San-Marthani fratres, & Arturus de *Monstier* in Neustria pia. Quâ ratione in hunc anachronismum abrepti impegerint, nescio; ponderatis enim temporibus, liquet Fulconem non abiisse è vivis ante annum 1187. cùm Roberto *Taon* ad Insulam-Dei translato, successerit anno eodem. Præterea Galterus Fulconis immediatus successor, florebat anno 1254. ut diversæ, & Gualtero inscriptæ, Pontificum bullæ protestantur. At quî fieri potuit ut annos septuaginta septem in Prælatura exegerit, homo jam triginta ut minimùm annos natus, dum Abbatiam adiit? Prorsus prodigio par est ætas centum septem annorum. Ergo ut ad verisimilitudinem, facta revocemus, censeo Fulconem obiisse circa annum 1216. in cujus locum suffectus est Gualterus. Sylvestri Sagiensis episcopi beneficentiam expertus anno 1213. Abbas Fulco, dum tabulis innovavit jus patronatûs trium altarium à prædecessore Frogero concessum.

IV.

GUALTERUS ab Innocentio IV. anno 1251. Bullam impetravit confirmativam jurium & bonorum Abbatiæ. Simili Diplomate illum donavit Alexander IV. Gualteri tempore, incœpta fuit de consilio Henrici III. Regis Angliæ, altera Ecclesia S. Joannis Baptistæ & ad plenum perfecta est 8. Kal. Aprilis 1253.

V.

STEPHANUS *OYN* anno 1266. incœpit pitantiam domus, approbatam postea à Joanne Abbate Præmonstrati.

VI.

VI.

AUBERTUS ex Necrologii tabulis obiit quinto Idus Decembris 1293.

VII.

RADULPHUS *le Luetier* 1310.

VIII.

JOANNES *Dodeman* ex Provisore Abbas, cujus memoriam in Obituario legimus ad 3. Kal. Augusti. » Comm. Domini Joannis *Do-* » *deman* Abbatis de Falesia, bonæ memoriæ » viri.

IX.

PETRUS *Maillard*.

X.

RADULPHUS *le Foussour*.

XI.

GUILLELMUS *Lambert* ab anno 1380. ad 1416. in actis recensetur.

XII.

ROBERTUS *Grange* à Capitulo generali deputatus, præfuit electioni Abbatis Silleyensis anno 1425. in fata concessit ultimo Julii 1451.

XIII.

RICHARDUS *Dez Landes* cessit anno 1470.

XIV.

PHILIPPUS *de Lepinasse*, utroque parente equestri & militari genere ortus, ex Monacho S. Ebrulfi * Uticensis, Ordinis S. Benedicti, Abbatiam Falesiæ per resignationem Richardi, impetravit à Paulo II. cum obligatione habitum Canonicum gestandi. A Sixto IV. infulis pontificalibus decoratur anno 1475. die verò 29. Aprilis 1479. obiit.

* S. Evroul.

XV.

JOANNES *Jouquin*, præsente Mauritio de *Magny* Abbate Sylleii, electus anno 1479. confirmatur à Michaele S. Judoci Abbate, & benedicitur à Roberto Coadjutore Ægidii de *Laval*, si fides est Arturo du *Monstier*, sed syllabus episcoporum Sagiensium fidem narrantis elevat, cùm Robertus de *Cornegrue*, non coadjutor, sed prædecessor extiterit Ægidii. Confirmatum & inauguratum movere loco tentavit Henricus de *Maunoury* Lexoviensis Canonicus, à Juliano Cardinali de la *Rovere* ad Galliæ partes ablegato, provisus. Lis intentata sopiri non nisi per indebitam pensionem potuit. 8. idus Februarii 1506. decessit.

XVI.

THOMAS *de Melebiche* ejus excessum in Obituario legimus ad 6. Nonas Martii. » Com- » mem. R^di^. Patris ac Fratris Thomæ de Me- » *lebiche* hujus domûs Abbatis dignissimi qui » obiit anno 1516.

XVII.

ROBERTUS *Morel* Abbatiales ædes struxit, & pestifero morbo, vir ad mortem paratus, interiit 27. Augusti 1521.

XVIII.

JOANNES *de Glatigny*, ad cornu Evangelii sepultus hanc præfert epigraphen.

Hic meliora petens studuit benè ducere vitam
Qui benè supremum posset obire diem.
Quod mortale fuit, tumulo requiescit, & aurâ
Spiritus ætherea, perfruiturque Deo.

Ipsius meminit Necrologium ad 17. Aprilis, » Commem. Joannis de *Glatigny* hujus domûs » Canonici ac ultimi Falesiæ Abbatis regularis, » qui obiit anno 1540. « Charitas illius erga pauperes, regiminis prudentia, œconomia singularis plurimùm commendantur.

XIX.

AMBROSIUS *Dorsonviller* commendatariorum primus & dilapidator Abbatiæ. Pedum pastorale in candelabra suæ mensæ convertit, sylvas vastavit velut aper, hospitalem pauperum domum solo æquavit immesericors prædo, viginti Canonicos choro & officio assiduos, reduxit ad octo, denique invenit domum auream, & reliquit lateritiam, 15. Octobris 1555.

XX.

LUDOVICUS *de Montgommery* prædecessoris mali successor pessimus, hæresim sub larva Catholicitatis professus aliquandiu, publicam cum fratre Calvinismi perfidiam postea exosculatus, Religiosos barbaro more persequitur. Ejus tempore, &, ut creditur, ipso authore, iterum Ecclesia & monasterium in direptionem data sunt. Deo vindicante, ab Thoma *des Planches*, homine ad quodlibet facinus prompto, occiditur in Capella B. Mariæ, mense Augusto 1574. & in Choro ad Presbyterii gradus, cogente Magistratu, sepelitur ejus cadaver sterquilinio dignum.

XXI.

CLAUDIUS *de Vieux Pont* Abbas B. Mariæ de S. Severo, renuntiatur Abbas Falesiæ anno 1575. cessit anno 1580.

XXII.

JOANNES *de Vieux Pont*, Episcopus Meldensis, Ecclesiam Falesiæ homicidio, & hæretici sepulturâ pollutam, reconciliavit anno 1606. libertatem suæ domûs, pulso à vicinia hæreticorum auditorio, deffendit strenuè; dein

de mundo valedixit anno 1623. pietatis & charitatis operibus deditus.

XXIII.

ANDREAS *FREMIOT* Bituricensis Archiepiscopus Abbatiam Falesiæ commutavit cum Renato *Marescot*, anno 1624.

XXIV.

RENATUS *MARESCOT* sedis Apostolicæ Camerarius, Parisiensis Canonicus, Eleemosynarius Reginæ, reformationem induxit in suum monasterium anno 1623. à Patre Paulo *l'Hermite* Priore, tentatam antehac. Congregationis legibus & moribus, P. P. *Desbans* Abbas S. Mariæ Mussipontanæ, nec non Vicarius generalis, & Simon *Raguet* Visitationum Assessor, imbuerunt monasterium. Obiit *Marescot* anno 1649.

XXV.

Successorem Marescoti indicant San-Marthani Fratres ANDREAM *MONDAIN* Pedemontanum, Parisiensem Canonicum, Abbatem B. Mariæ de *Berdona* * in Novempopulania. Obiit mense Martio 1650.

* Berdoue. O.C.

XXVI.

PAULUS DE *MACHAULT*.

XXVII.

PETRUS FELIX DE *PARADIS*.

XXVIII.

PETRUS *BEAUPOIL* DE S. *AULAIRE*, modernus Abbas 1720.

PAROCHIÆ.

S. Agniani de *Avenis*. (*S. Agnan d'Avenes.*)
S. Brixii de *Louceio* (*de Loucey.*)
S. Petri de *Comellis* (*de Comeaux.*)
S. Martini de *Bailloto* (*Bailleul.*)
S. Petri de *Buco* (*Buc.*)
S. Martini de *Buco* (*Buc.*)
S. Mariæ de *Bello-mense* (*Beaumais.*)
S. Mariæ de *Bousseio* (*Boucey.*)
S. Paduinus (*S. Pavin.*)
S. Mariæ de *Mesnil-Hermé*, alternatim.
S. Martini de *Mesnil-villmen.*
S. Andreæ *de Corday.*
S. Petri de *Furnellis* (*de Fourneaux.*)
Omnes in Diœcesi Sagiensi.
Capella S. Stephani in Diœcesi Cenomanensi, beneficium simplex.

RELIQUIÆ SACRÆ.

Insignes olim in hac Abbatia asservabantur Reliquiæ, sed Anglorum, maximè verò hæreticorum irruptionibus dissipatæ sunt. Ex hac generali deprædatione incolumis evasit pixis eburnea, quâ deportando Corpori Christi uti consueverat S. Thomas Cantuariæ Archiepiscopus, Falesiensis Abbatiæ olim incola, & testis Chartæ Henrici II. Regis in gratiam Falesiensium Canonicorum datæ.

Stabat olim in medio horti, capella S. Dionisio Martyri sacra; sed post Martyrium S. Thomæ ipsi nuncupata Martyri, in qua de more fecisse Missam traditur.

Vide Probat. à col. DCXCIX. ad col. DCCIJ.

S. JOANNES DE LA PENNA.

S. Joannes de la Pennâ. Ol. Retorta. Diœcesis Calaguritana. Circaria Hispaniæ.

IN Diœcesi Calaguritana, & in territorio Viscaiæ positum est *S. Joannis de la Penna* Monasterium, seu potiùs Eremitorium, ad littora maris Oceani, non procul à nobili villa de *Bilbao*, suprà elatam rupem, vorticibus maris undique vallatum. Miræ altitudinis superinducti pontis beneficio, confluentibus devotionis & solvendi voti causâ, Cantabris & Viscaiæ, Guipuscoæque populis sternitur aditus ad Ecclesiam S. Joannis Baptistæ, cujus decollationem ibidem sanctè venerantur. Illa, cùm sui juris esset, Sanctio Retortæ Abbati contulit Lupius Naxarensis Comes, de consilio uxoris suæ Comitissæ Eldonchæ, anno 1162. *ut fieret ibi Abbatia propria sub Regula B. Augustini, & Præmonstratensis monasterii.* Præterea varios fundos adjecit Comes, *ad sustentationem & adjutorium Fratrum qui assiduè in monasterio jam dicto omnipotenti Deo servierint.*

Quo tempore monasterium illud è Præmonstratensium manibus exciderit, prorsùs inincompertum est. Annexum fertur in præsentiarum Parochiali Ecclesiæ proximi oppidi *Baquio* nuncupati.

Nec confundendum est cum alio ejusdem nominis celeberrimo Arragoniæ asceterio, quod etiamnùm habitant Benedictini Claustrales, & cujus originem Petrus Marsilius, Arragonensis historiæ compilator, descripsit.

Vide Prob. à col. DCCIJ. & DCCIIJ.

S. JOSEPH NANCEIANUS.

S. Joseph. Nanceianus. Diœcesis Tullensis. Circaria Lotharing.

PRopter reverentiam Metropolis, sed maximè propter negotiorum instantias, visum est Patribus nostris necessum, habere Nanceii residentiam, ad quam decentiùs diverterent, quoties Regiam adire & convenire Principem, seu pro Ordinis, seu pro monasteriorum rebus

oporteret. Experti enim tabernas ex concursu omnium gentium, esse Religioni & interiori vitæ alienissimas, & plerumque virtutis offendicula, domum sibi habere propriam statuerunt, in qua pacificè degentes rebus vacarent foris, & reliquum otii Deo & divinis impenderent quietiùs.

Carolum IV. Ducem, Norbertinæ Congregationi semper propitium, invisit P. Petrus *des Bans*, Abbas S. Mariæ Mussipontanæ, & Congregationis reformatæ Vicarius generalis, & pro ea, quâ apud Principem pollebat, gratia, mentem suam votaque Congregationis suæ exposuit confidenter, & feliciter votorum finem à religiosissimo Principe reportavit. Ocyùs de comparanda aut ædificanda domo deliberavit cum Abbatibus, Abbas S. Mariæ, & in eam convenere sententiam, ut ædes, quas à desertione sua vacuas fecerant Moniales à S. Magdalena nuncupatæ, vulgò *Madelonetes*, refuso pretio emerentur. Ignobilis quidem erat hæc habitatio, sed eò aptior viris tumultum popularem refugientibus, visa est, quò in secretiore & obscuro urbis recessu erat posita.

Illam à *Madelonetis* acquisiverat Antonius Succa, Trapezita Leodiensis, eamque Claudio *Machon* civi Nanceiano & ibidem Trapezitæ, transtulerat ad reluitionem duarum millium librarum monetæ Flandrensis. Subjecerat præconis voci domum Claudius *Machon* creditor anno 1634. ut mutuatam Succæ pecuniam ex venditione recuperaret. Licitationem fecit nomine Abbatis S. Mariæ P. Victor *Gilon*, & ut plurimo licitatori addicta est domus, die 29. Martii 1635. quingentos supra sex millia francos solvit P. *Gilon* & quintâ Martii sequioris anni, adiit possessionem communibus Circariæ impensis. Illic destinatus ad hospitalitatis fraternæ officia, mansit Religiosus, & hospitio nomen S. Joseph, inditum est. Socius alter ad oneris solamen additus fuit postea, & hi duo, ne circumcursare tenerentur pro celebratione Missarum, ne Fratres exteri eodem gravarentur incommodo, Capellam pro opportunitate loci fecere sibi domesticam, quam paulopost publicam esse utraque annuit potestas.

Crevit erga tutelarem Patronum B. Joseph, devotio civica, quam Dux Carolus frequenti visitatione sacelli, augebat, fusisque assiduè precibus consuescebat invocare in dubia & sæpiùs adversa fortuna, uti protectorem. Affluentes populos statis diebus, continere Capella cùm non posset, ampliorem de consensu Clarissimi Joannis Midotii Vicarii generalis Diœcesis Tullensis, sede vacante, & sub beneplacito serenissimi Ducis construxerunt anno 1642. & Superiorem instituerunt residentiæ S. Joseph, Patrem Godefridum *Mouron*, nobilitate, sed magis virtute spectabilem, dignum posteà infulis Abbatiæ Bonifageti.

Nascenti his ominibus residentiæ liberaliter adfuit Dominus Nicolaus *Havny* Presbyter, & partem bonorum suorum, quæ vivens Mussipontano monasterio, ad Novitiorum sustentationem delegarat, ad unius Presbyteri subsidium in residentia Nanceiana, distractam esse voluit. At cùm vitalitiæ pensionis modum non præscripserat, nec speciales designarat fundos, Pater Godefridus *Mouron*, tanquam Superior, interpellavit supplici libello Capitulum generale Congregationis anni 1646. ut incertam donatoris mentem, certâ pensione, aut certorum assignatione prædiorum determinaret. Æquissimæ petitioni favens Capitulum, Judices deputavit RR. PP. Petrum *Thienville* Abbatem S. Mariæ & Vicarium generalem, & Sebastianum *Collignon* Abbatem Flabonis-montis. Hi ambo, in cursu Visitationum, ex æquo & bono, partibusque auditis, prædium de *Buxeriis* sub *Frigido monte*, * & tria millia sexcenta francorum Nanceianæ residentiæ adjudicarunt 14. Decembris 1646.

* Sous Froidmont.

Tenuem hanc fortunam beavit providentia, multiplicavit fidelium largitio, sic ut quatuor Canonicos excipiendis confessionibus, prædicando verbo Dei intentos, honestè aleret domuncula. Augendo numero invigilabat P. Sebastianus *Collignon*, P. Gaudefridi *Mouron*, in superioritate successor; non minori zelo flagrabat P. Godefridus utilitati publicæ consulens, & abundantissimæ messis colligendæ conscius. Mutuum sibi propositum mutuumque ardorem communicant, & uterque pari voto, parique consensu, unionem Prioratûs B. Mariæ de Bona-valle auspicantur.

Prioratus ille binis à Lunevilla horis distans, filialis erat Abbatiæ Miraevallis. Ex redituum modicitate in simplicem, ut aiunt, Prioratum pridem abierat, & indè per successivas resignationes, à secularibus detinebatur. Mortuo D. *d'Haraucourt*, ex collatoris beneficentia regularitatem recuperavit in Patre Sebastiano *Collignon*, anno 1640. Illum anno 1657. per resignationem spontaneam in manus Alexandri VII. transtulit in Patrem Godefridum *Mouron*, qui ut præverteret Commendam, & sacris usibus rem sacram dedicaret, collato cum Patre *Collignon* consilio, unionem Prioratûs cum residentia S. Joseph Nanceiana, ad divini cultûs incrementum sanxivit. Laudarunt propositum proceres Ordinis, approbavit Abbas Miraevallis, astipulatus est Capitulantium cœtus, suisque omnes chirographis consensum munierunt. Unanimi partium suffragio suffultus P. Godefridus, supplici libello Romanam pulsavit Curiam. Intercessit P. Sebastianus *Collignon* pro sua paupercula domo, quam summè utilem Reipublicæ Christianæ futuram dicebat, si mystarum numerus accessoriâ unione Prioratûs augeretur. Benignas petentium precibus inclinavit aures Pontifex summus Alexander VII. & dato Diplomate 13. Kal. Augusti 1661. ratam & perpetuam unionem decrevit. Quingentorum francorum accessione annuâ

paulò ditior evasit residentia S. Joseph; hæc enim erat tunc temporis, proventuum Bonævallis annua sors, quam meliorem fecere posteri, magnis sumptibus. Ingratum enim solum, consitum dumetis, aquis exundantibus plerumque irriguum, sylvestribus belluis è vicino nemore erumpentibus sæpissimè devastatum, converterunt in terram feracem, quæ fructum reddit modo centesimum.

Fundatorem Prioratûs non exhibent scrinia Miravallis. Tempora nativitatis ejus explorare non sinunt paucissimæ Chartæ S. Joseph Ante Theobaldi I. Lotharingiæ Ducis ætatem extitisse, immunitatibus, libertatibus, franchisiis instructum, quales Dux idem grangiæ de *Grimaviller*, vulgò S. Pancratii, contulit, constat ex Diplomate exemptionis quod dedit 20. Januarii 1217. Alia initæ pacis Charta cum Joanne Domino *Henaudimavilli*, vernaculè *Hennemenil* anno 1261. ex occasione limitis nemorum *Bonævallis* & *Henaudimavilli*, innuit, Prioratum à conventualitate jam tum excidisse, cùm nec Prior, nec Capitulares Bonævallis sistantur præsentes, aut actores in pactis concordiæ, sed solus accedat Abbas cum Fratribus Miravallis. Quosdam tamen ibi ad Jussum Abbatis residentes, seu Canonicos, seu Conversos indicat. Gaudet porrò Prioratus Bonæ Vallis intra suos limites altâ, ut loquuntur, justitiâ, quam fisci Regii Syndicus, dùm impetiit, Arresto solemni Cameræ computuum Nanceianæ, me Priore tunc deffensante jura monasterii, compressus anno 1704. Aug. 8. Neque hæc una fuit blandientis Providentiæ prosperitas, quæ superioritati meæ per annos quindecim arrisit. Immerentem licet sic cumulavit beneficiis ut Bibliothecam melioribus instruxerim libris, domum renovaverim ex majori parte ædificiis, æmulas cataphractorum militum hospitio, ædesque excitaverim à fundamentis, & novi templi molem erexerim ad viginti pedes altitudinis, deducturus ad fastigium, nisi me adversantis fortunæ flatus, aliò impulisset ardua meditantem. Et hæc zeli mei tentamina adjuvit, liberalitatibus promomovit Dux Regius Leopoldus I. qui præter honoraria stipendia quæ mihi ut Consiliario, & Historiographo suo pendebat, addititiis largitionibus studia nostra plerumque fovebat studiosorum mœcenas.

Vide Prob. à col. DCCV. ad col. DCCX.

JOVILLARE.

Jovillare. Fil. Regiævallis. Diœcesis Tullensis. Circaria Lotharingiæ.

EX ara Jovi sacra nomen obtinuit *Jovillare*, quasi *villa Jovis* diceretur. In aperta & latè fusa planitie structum Jovi fanum, in honorem veri & omnipotentis Dei cessit, ex quo fides superstructa gentilitati, abegit simulacra Deorum. Primigeniam tamen denominationem templo circumjacens villa retinuit, & hodiedum retinet in idiomate latino, quod gallicè *Jovilliers* effertur. Parochialem hujus loci Ecclesiam Henricus Tullensis præsul Herberto Regiævallis Abbati, concessit anno 1141. ad cujus ministerium delegavit pro more Canonicum Abbas religiosus, magnæ sanctitatis & doctrinæ notissimus famâ, & Godefrido Joinvillæ Domino, Senescallo Campaniæ, sic carus, ut dominium Jovillaris, aliosque fundos sat pingues, qui sui juris erant, illi transcripserit eâ lege, ut Abbatiam illic ædificaret, suo addictam regimini, (a) suisque regendam committeret alumnis, quos de Regiavalle transmitteret. Annuit Herbertus, & in prominentis monticuli apice monasterium tribus à Barro-duco, totidem ferè à Ligniaco horis, locavit, suo quidem situ, & aëris serenitate gratissimum, sed aquarum penuria incommodum satis. Præfuit ædificiorum structuræ, qui Canonicorum agmini præfectus fuit anno 1142.

I.

RAYMUNDUS, Herberti spiritum in ipso potatum fonte, suis referens actibus, & magistri disciplinam in discipulis suis excitans, quam in se recapitulatam suscipiebant tyrones. Eo auctore, ut virtutis, sic bonorum incrementa in dies sumpsit novella plantatio. Benefici Fundatoris liberalitatem æmulantes filii, illam sectantes Dynastæ vicini, junxerunt prædia pristinæ sorti, & apostolico Alexandri III. Diplomate collatas ex eleemosyna possessiones muniri curavit Raymundus anno 1178. confirmatio-

(a) Hinc colliges 1°. errare qui Jovillaris Abbatiam anno 1131. fundatam adstruunt, cum donatio fundi, licet hoc anno facta, aut præcedenti, à Godefrido Dynasta Joinvillæ non probet factam anno eodem Abbatiam; siquidem Charta Henrici Tullensis episcopi de anno 1141. sub *Curia* nomine *Jovillare* designat, non autem sub monasterii nuncupatione obtendit. 2°. Epitaphia Godefrido imposita à seris nepotibus titulum *Fundatoris* illi licet attribuant, non inde arguitur eo vivente Abbatiam Jovillaris fuisse erectam, sed ex fundi donatione. Fundatoris postmodùm accessisse honores ergà Abbatiam ibidem ædificatam, existentemque eo tempore, quo Joannes Godefridi abnepos epitaphium inscribi curavit. 3°. Cùm donatio Jovillaris tam quo ad fundum, quàm altare, facta fuerit Herberto Regiævallis Abbati, à Godefrido Dynasta Joinvillæ anno 1131. aut 1132. qui fuit vitæ supremus, & ab Henrico Tullensi Præsule anno 1141. confirmata, sequitur Abbatiam Regiævallis ante annum 1131. ritè fundatam, numerosa Fratrum turma instructam fuisse, quàm divideret cum filiabus Ecclesiis, & Jovillari insereret. Neque audiendi sunt ingrati posteri, qui paterna jura Regiævallis in Jovillare cavillantur, cùm & fundum dederit, & primos transmiserit incolas, qui Abbatem Regiævallis Patrem venerati, venerandum successoribus reliquerunt. Ut talem agnovit Reginaldus de *Senlis* Tullensis episcopus anno 1211. Ut talem advocavit Hugo de Trouvilla Abbas Jovillaris anno 1350. Ut talem agnoscebat Layruelius, dum monasteriorum indicem, suæ præsertim Provinciæ, tabulis inspectis concinnabat anno 1603. Pluribus instrumentis paternitas ista probaretur, si temporum infelicitas majorum nostrorum actis non invidisset; si ipsamet Regiævallis Abbatia violentis Commendatariorum intrusionibus non fuisset à seculis attrita.

nem renovavit Lucius III. anno 1181. finem verò vivendi fecit 25. Septembris anni incerti primus Abbas, cui successit

II.

JACOBUS, familiæ providus administer, anno 1184. multiplicatæ genti suæ annonam de parsimonia sua, comparatione fundorum, multiplicavit. De illo ad diem v. Martii hæc habet Necrologium: *Commemoratio F. JACOBI, quondam Abbatis hujus Ecclesiæ, qui licentiam acquirendi vineas in banno de* Cousancelle, *impetravit, & aliquas, cum quinque quaternionibus bladi acquisivit, & ei debemus annuale in perpetuum.* Annum mortis ejus ex fastis non licuit assequi. Regimen, fortè & vitam, posuerat ante annum 1204. eâ enim ætate gubernaculo insidebat

III.

GERARDUS, qui die 12. Junii 1284. donationi testis interfuit, & Chartam suo chirographo munivit, quâ Felicitas, sponsa Reyneri Domini *d'Aigremont*, & de *Novilars*, pasturas in omni banno de *Brussey* pro omni genere animalium concedit Abbatiæ Regiæ-vallis.

IV.

PETRUS, 8. Aprilis occubuit. Ejus, ut creditur, tempore, Godefridus Dynasta Joinvillæ, quatuor Præbendas Ecclesiæ Collegialis de Monte-oculi, vulgò de *Montel*, Parochialemque loci Ecclesiam Abbati Jovillaris, concessit anno 1213. Biennio ante, omnia quæ apud * *Vellanas* & *Nanceium* bona possidebat Jovillare, Barrensi cuidam Clerico ad vitam locavit quadraginta & unius librarum solutione semel factâ, eamque conductionem sub Patris Abbatis Regiæ-vallis approbatione, fecit anno 1211.

* Vellaine Nancois.

V.

STEPHANUS ex matrice Ecclesiæ Regia-valle assumptus, 1. Novembris fato functus est.

VI.

JOFFRIDUS die 23. Augusti ad patres abiit.

VII.

STEPHANUS II. diem octavam Septembris ultimam vidit.

VIII.

HENRICUS DE *LUCEIO*, antehac Prior Jovillaris, renuntiatus est Abbas, & die 13. Decembris interiit. Quatuor istos Abbates è Necrologio excerptos, absque ulla annorum epocha, mox inseruimus, hiatûs vitandi & seriei Prælatorum continuandæ gratiâ.

IX.

GALTERUS regebat anno 1284. ex Chartis monasterii S. Michaëlis.

X.

ANDREAS, commutationem bonorum fecit anno 1294. cum Equite Jerosolymitano, Commendatore de *Ruelz*. Anno 1304. mansum, quem in oppidulo de *Satana villa* * habebat, cum Domino ejusdem loci, altero in concambium accepto, commutavit: die 14. Maii è vivis ereptus, hoc donatus est encomio in Obituario Jovillarensi: *Commem. piæ memoriæ Fratris ANDREÆ Abbatis hujus loci, qui templum nostrum & omnia loca vetusta renovavit, & assignavit Conventui nostro decem libras terræ, & quinque quaterniones bladi pro vineis, & debet pitantiarius die anniversarii sui decem solidos pro pitantia Conventui distribuendos.*

* Stainville.

XI.

JOANNES, DE LA *MACHE*, ad diem 12. Augusti de eo sic habet Necrologium; *Commem. Fratris JOANNIS dicti de la MACHE, hujus Ecclesiæ Abbatis, qui dedit Conventui nostro decem modios bladi in arragiis de Dumo*, * *& unum modium molaturæ in molendino nostro de Dumo, pro quo tenemur unum annuale servitium facere.*

* Bouchon.

XII.

HUGO DE * *LUCEIO*, Abbas Regiæ vallis, postulatus ad Jovillaris Abbatiam, matre dimissâ, filiam desponsavit, fortè quia ditior erat, vel quia humilior. Ex utroque enim motivo tales observavimus in Ordine migrationes contigisse. Quin & ipsimet Archimandritæ Præmonstratensis cœnobii ad pinguiores, vel quandoque minores Abbatias passi sunt se postulari, & ad illas urgente humilitatis sensu, vel suadente cupiditatis illecebrâ, demigrarunt.

* Lucey.

XIII.

JOANNES *WAUTHERINI* DE *MENULLO*, ex pago cognomine ad Salicem amnem, gallicè *Menul sur Seaulx* nomen sortitus, obiit die 22. Martii.

XIV.

HUGO DE *TRONVILLA* anno 1360. præerat Abbatiæ. Die 2. Aprilis de illo habet Necrologium; *Commem. piæ memoriæ Domini* HUGONIS DE *TRONVILLA*, *Abbatis hujus loci, qui ordinavit, alienavitque Conventui nostro pro pitantia, quidquid habemus in grossa & minuta decima de Septemvilla*, * *& ei debemus pro remedio animæ suæ annuale in perpetuum.* Hanc verò cessionem fecerat anno 1350. de consensu Henrici Abbatis Regiæ-vallis, sui Patris.

* Stainville.

XV.

HENRICUS anno 1378. ab Huberto de *Roca* Abbate Septem-fontium & Patre Miravallis accersitus, electioni Philberti de *Beaufremont* interfuit.

XVI.

MARTINUS DE CHAMOULERO, ex Obituario ad diem 7. Aprilis de regiminis providentia sic commendatur; *Comm. Fratris* MARTINI DE CHAMOULERO, *Abbatis hujus loci, qui solvit pro Ecclesia nostra centum libras aureas, & multa bona fecit Ecclesiæ nostræ, pro quo debemus annale in perpetuum.*

XVII.

HATTO DE *THENOLIA*, ex Obituario ad 24. Julii notus.

XVIII.

STEPHANUS III. recensetur in Necrologio ad diem 1. Novembris.

XIX.

GERARDUS *VIGNON* ab anno 1458. ad annum 1487. rexisse ex variis documentis colligitur. Die 17. Novembris esse desiit.

XX.

BERNARDUS *PONTIS* anno 1503. domum in oppido Satanævillæ comparavit, & anno 1512 morte consumitur.

XXI.

PETRUS *CHARPENTIER*, ex natali solo, de *Joinvilla* passim appellatus, claustrum excitavit, in cujus parietibus gentilitium stemma insculpi curavit, & nomen apponi, ad posterorum memoriam. Capellam S. Ursulæ sacram reparavit. Prælaturæ valedixit anno 1526. reservatâ sibi pensione duodecim ducatorum, quam eidem confirmavit Capitulum generale anni 1529.

XXII.

JOANNES *NIGUET*, Lotharingiæ Circariæ Visitator, ex religione commendabilis, magnâ apud Principes famâ & auctoritate pollebat. Canonicos S. Maximi Barro-ducæi, prata *Baxincuria* iniquiùs sibi vindicantes, Senatus-consulto compressit anno 1528. Dierum plenus & operum, dignitatem exuit 7. Decembris 1558. & die 15. mensis ejusdem interiit. De illo sic eloquitur Necrologium; *Comm. pia memoria Fratris* JOANNIS *NIGUET*, *Abbatis hujus loci, qui apud Principes & alios omnes homines maxima auctoritatis habebatur: tandem dies suos feliciter religiosèque finivit anno 1558. Requiescat in gloria Dei Patris. Amen.*

XXIII.

JOANNES *BAUDIN*, viâ Spiritûs sancti electus die 7. Septembris, rem domesticam vir frugi & apprimè religiosus promovit ad annum 1579. qui fuit vitæ supremus, & ad diem 7. Maii laudatur in Necrologio his verbis: *Comm. F.* JOANNIS *BAUDIN Abbatis hujus loci, qui auctoritate & rei domesticæ frugalitate, & in omnibus admirabilis fuit. Tandem Maii 7. obiit anno 1579.* ad augendos mensæ Conventualis reditus, comparavit decem terræ jugera in villa Saponiarum, * sub onere ex parte Conventûs decantandi, dum viveret Joannes, Missam de S. Huberto, & anniversarii post ipsius mortem celebrandi. Quam conventionem approbavit Capitulum generale anni 1577.

* Savonieres

XXIV.

PETRUS JOANNES *MATHY*, Jovillaris alumnus, & Saponiarum Pastor, ambiens Abbatiam, arte & pactis simoniacis ad eam pervenit, promovente Toparcha *Septemvillæ*, quem sibi devinxerat sponsionibus cessionis decimarum, quas in eodem oppido colligebat monasterium ex antiquo jure, si interventu & factione præpotentis Dynastæ Septemvillani pedum assequeretur immeritus Pastor. Votis potitus stetit promissis Abbas, & honorem sacrilegè partum, novo sacrilegio assecuravit. Rectorem miserum lacessivit intrusionis ultor Deus. Furentes enim Wasseii * Hugonotæ, ex clade per Guisiæ Ducem inflicta superstites, collecto militum manipulo per Campaniæ & Barri-ducatûs fines pervagati, in Jovillarensem Abbatiam irruerunt fortes, vastarunt sacram prophanamque suppellectilem, & Canonicos habitos barbarè ad extremas vitæ & fortunæ adegerunt angustias. Rusticas domos, Ecclesiæ navim, aliaque ædificia devoverunt flammis; & ita ad annum 1592. in ærumnis & luctu dies confecit suos, qui per fraudem & crimina lætos in dignitate sibi spoponderat Abbas. Moritur 21. Aprilis; sed ne nomen ejus sacra contaminaret, in dypticis non est inscriptum. In Comitiis generalibus Ducatûs Barrensis comparuit annis 1583. 1584. 1592. vitæ ultimo.

* Vassy.

XXV.

NICOLAUS *BARNET*, ex nobili familia satus, nobilitatem moribus, pietate honestans, die 30. Maii anni 1593. Liberduni inauguratur Abbas. Prostratam domum, dissipata Nantelli & Clarifontis rusticana prædia à Calvinistarum turbine, restauravit. Templum divinis utcumque officiis aptavit, & S. Rufinæ costam ab Abbate S. Symphoriani Metensis, Carolo *Hellot*, impetratam, jocali pretioso acclusit. An. 1622. Circariarum Lotharingiæ, Vadegotiæ & Burgundiæ Visitator nominatus, disciplinam, quam libens habebat, imposuit cæteris. Ecclesiæ suæ reditus, largas parentum suorum oblationes, piè impendit, vir ex omni parte pius, qui 15. Januarii 1624. obdormivit in Domino. Laudes illius compendioso hoc elogio Necrologium cecinit ad diem 15. Jan. *Comm. Domini* NICOLAI *BARNET*, *Abbatis hujus loci, qui per multa bona, etiam sui patrimonii, ad hujus monasterii reparationem, cui maximè laudabiliterque, ac bonorum conservationi intentus*

erat, usque ad mortem contulit. Diebus meritisque plenus obiit 15. Januarii 1624.

XXVI.

NICOLAUS BAUDIN, electione promotus, spontaneâ & subannuæ pensionis reservatione, dignitatem transtulit anno 1617. in Patrem

XXVII.

ÆGIDIUM DE VILLELONGUE, qui anno 1640. morte consumptus est. Tum Barri-ducatûs potiens Rex Galliæ Ludovicus XIII. Abbatem designavit

XXVIII.

FRANCISCUM FOUQUET Bayonensem episcopum. Sed ille geminatis apud S. Sedem supplicationibus, Bullas nequiens obtinere ab Urbano VIII. regularis electionis vindice, jus qualecumque acquisitum à nominatione Regia abdicavit; Lite & vacatione pendente in Abbatem elegerant Canonici P. Reginaldum *Bourguignon* Jovillaris Priorem; sed quoniam nonnulli intercesserant in electione defectus, qui cassam caducamque electionem faciebant, à Romano Pontifice Urbano VIII. Abbatem postularunt libello supplici

XXIX.

FRANCISCUM DE RIGUET, Jovillaris Canonicum, magnæ spei, & inclytæ nobilitatis juvenem; qui Bullis à sancta Sede impetratis, possessionem Abbatiæ adiit 11. Maii 1643. Prælationem ornavit moribus suis, eruditione, & laureâ doctorali; talisque ac tantus visus est Francisco Duci Lotharingiæ, ut moderator Serenissimi Principis Caroli V. ab ephebis fuerit institutus. Professionis Religiosæ ab annis septemdecim emissæ pœnitens Riguetius, irrita vota sua reputans, in libertatem postliminio & per judiciale decretum assertus est anno 1659. Cùmque Abbatiam regularem à votorum relaxatione nonnisi illegimo titulo retinere posse suspicaretur, illam Carolo Principi alumno suo resignavit priùs. Obstitere resignationi electores, & Bullas Romæ efflagitantem, oppositionibus suis, Principem aliquandiu fatigavêre, nec nisi ob reverentiam regii sanguinis ab impugnatione quieverunt. Sed vix posuerant arma Canonici, cùm ecce Ferdinandus Princeps natu major anno 1658. morte sublatus est: Tum à prosecutione Bullarum abstinuit Carolus Princeps, seculari militiæ adscriptus; sed jus omne ex resignatione Riguetii acquisitum sibi, in Joannem *Du Han de Martigny*, Clericum Trevirensem, natalibus prænobilem, transtulit. Adversùs Resignatarium assurgentes Religiosi, Patrem Carolum *du Fresnoy* æmulum ei objecêre, canonicè electum die 10. Septembris, & ab Abbate Præmonstrati, Abbatis Regiævallis vicem supplente, confirmatum 12. Januarii 1664.

XXX.

CAROLUS DE FRESNOY in vim electionis promotus ad Abbatiam, hanc pacificè possedit ad annum 1670. in eamque inducere Reformationem molitus est; sed Canonicorum renitentium pervicaciâ, spe frustratus, permutatione factâ secessit, & in ejus locum vi permutationis subrogatus intravit

XXXI.

EDMUNDUS SAUVAGE, Abbas Regularis Bucilii, & Congregationis Reformatæ Vicarius Generalis. Barri-ducatûs monasteria dum visitaret, ad Jovillarense humanitatis ergo divertit. Elanguidos disciplinæ miseratus spiritus, & ad saniorem vitam inconvertibiles Canonicos propiùs & dolenter demiratus, hanc sibi provinciam quasi reservatam intelligens interiùs, de commutatione Abbatiæ suæ pinguioris miscuit cum Patre *du Fresnoy* colloquia, eòque negotium perduxit, ut datis hinc inde reciproci consensûs chirographis, sub beneplacito Superiorum commutatio suum fuerit sortita effectum anno 1671. Reformatos secum advexit Canonicos neo-institutus Abbas, & Reformationem paulò post in suum induxit monasterium, nullo vel audente, vel mussitante adversùs hominem, qui moribus, eloquio, exemplo religionem suadebat, spirabat reformationem. Nos sub tanto viro tyrocinia nostra studiorum exegisse gloriamur, & in illo mira austeritatis, innocentiæ, zeli specimina suspeximus, quæ nec annosa senectus, nec morborum conflictationes intermittere fecerunt. Die 22. Maii, ætatis suæ anno 80. æræ Christi 1688. pœnitentia confectus obiit. In Sanctuario tumulatus hoc epitaphio donatus est:

D. O. M.

» Hic jacet admodum R. Pater ac Venera-
» bilis Dominus EDMUNDUS SAUVAGE, pri-
» mùm Bucilii, deinde Jovillaris Abbas Re-
» gularis, vir integritate vitæ, morum can-
» dore, exemplo, precibus, eloquio sacro,
» laboribus, in pauperes liberalitate, omni-
» bus notus; Norbertinæ Congregationis
» decus & columen, præcipua ejusdem Con-
» gregationis munia adeptus, Vicariique Ge-
» neralis Præfecturâ bis perfunctus; suis ca-
» rus, summo omnium luctu obiit die xxii.
» M. DC. LXXXVIII. ætatis lxxx.

In Sanctuario ad partem Evangelii tabulæ marmoreæ incisum est hoc funebre elogium.

Admodum Reverendus Pater ac Venerabilis
Dominus
EDMUNDUS SAUVAGE,
Primùm Bucilii, deinde Jovillaris,
strictioris Observantiæ, Ordinis Præmonstratensis
Abbas Regularis.

Vir ab ineunte ætate ad usque senectam
singularis innocentiæ ac Religionis.
Deo semel consecratus,
Sæculi mores & agendi modum
Deinceps ignoravit:
ut mirandum nil subeat
Si Congregationis nostræ bis electus
Vicarius generalis.
Et duorum successivè Cœnobiorum
Abbas factus,
Spreto quo fatigabatur honore umbratili,
de onere deponendo unicè sollicitus;
Ne Vicarius generalis tertiò renuntiaretur
obstiterit,
Et Regi ut grata esset Abbatiæ ter facta dimissio
pluries supplicaverit.
Neque hæc ex inertia tentavit animi,
aut quasi oneri succumbens,
Jugo namque colla dare coactus,
Mirum quanto disciplinæ regularis incremento
Et Vicarium generalem sexennio,
Et sublimiora quæque cætera Congregationis
munia
Continuo per ætatem decursu, obierit.
Collapsam verò Bucilii & Jovillaris primævam
instauravit
Ordinis observantiam;
Quo fine pinguiorem Abbatiam
in multo minorem alteram permutavit.
Tum restitutis quæ utrobique diruta jacebant
Regularibus Locis.
Et quod propositi nostri summa est,
servato semper fervore novitio,
singula diu noctuque nulla non ætate frequentavit
Religionis exercitia:
Nedum passus infirmus alioquin ac senex
octogenarius,
secum in jejunio & abstinentiâ dispensari.
Exhaustæ igitur naturæ deliquio,
dierum tamen plenus & operum,
omnibus sacramentis Ecclesiæ munitus,
Jovillari obiit
Ætatis suæ octogesimo elapso,
Æræ Christianæ 1688.
Maii die vigesima secundâ.
Requiescat in pace.

XXXII.

JOANNES ANGEL, Clericus Lingonensis, à Rege Galliæ Ludovico XIV. Barrensem Ducatum occupante, Abbatiam emunxit, & Bullas, tacito Beneficii statu & regularitate, imò quasi desertum & dirutum monasterium, artificiosâ expositione obtendens, extorsit, Idibus Februarii 1690. Primus à fundatione Commendatarius, viginti septem annis decoxit substantiam Abbatiæ, raptus è vivis anno 1715.

XXXIII.

CLAUDIUS COLLIN, Prior Jovillaris, me præside in Abbatem sublectus est die 10. Decembris anni 1715. Innovandis à fundamento ædificiis totus incubat homo frugi, pauper & modicus; jamjamque dormitorium aliasque officinas perfecit quadris ex lapidibus. Ab aliquot annis lauream conquisivit Doctoralem, firmus alioqui & capitosus Abbas.

SACRÆ RELIQUIÆ.

Duo Capita duarum Virginum sociarum S. Ursulæ.

Una Costa S. Ruffinæ.

PATERNITAS.

In Parthenonem Nantelli, à seculis dirutum.

PASTORATUS.

Saponaria, (Savonieres) in agro Perthensi, vulgò *en Perthois*, ex donatione Guidonis de Joinvilla, Catalaunensis episcopi.

Juviniacum, gallicè *Juvigny*, ex donatione Petri Tullensis episcopi.

Alnetum, gallicè *Aulnoy*.

Baldricuria, gallicè *Baudricourt*, ex donatione Petri Tull. episcopi. Hi tres in Diœcesi Tullensi.

Mons-oculi, *Montel*, olim Diœc. Tull. nunc extinctus; ex dono Godefridi II. de Joinvilla anno 1213. cesserat Jovillarensibus.

Vide Prob. à col. DCCX. ad col. DCCXIX.

ISAGRABIA.

Isagrabia. Circaria Sclavoniæ.

ZAgrabia scribere debuisset Layruelius, quæ sedes est Episcopalis suffraganea Colocensis Metropoleos in Sclavonia. Cathedrali Zagrabiæ præsidebat Abbas nostri Ordinis, qui etiam erat Episcopus, à Collegio suorum Canonicorum electus. A tempore SS. P. N. Norberti in Sclavoniam, Evangelii causâ, directos fuisse magni Sclavorum Apostoli alumnos, testis est Norberti ipsius Vita. Episcopatum gentis conversæ obtinuerunt conversionis auctores, quem ad annum 1294. ut minùs, tenuisse probant renovati hoc anno Indices monasteriorum Ordinis. In eodem Episcopatu, haud dubiè Episcopis Fundatoribus, reformatissimus *Juvancta* Parthenon floruit.

IVELDIA.

Iveldia Superior. Fil. Præmonstrati. Diœcesis Moguntinæ. Circaria Vadegetiæ.

AD fauces sylvæ Hercyniæ, quæ populari idiomate *Hartwaldt* dicitur, in Comitatu *Hohnsteinensi*, & infrà fines Brunswicensis Ducatûs, ex antiqua vulgi pietate statua B. Mariæ Virginis columnæ imposita, & jugi ac mutuato lumine illustrata, ab incolis honorabatur. Eò loci Elgerus Comes in *Hohnstein*, filius Conradi de *Bielstein*, & Toparcha de *Ilburg*, astipulante sibi devotâ conjuge Lutrudâ de *Orlamunde*, filiâ Comitis *Hesseken de Hohnstein*, monasterium ædificavit anno 1190. quod *Ilfeldiam*, germanicè, *Ilfeld*, nunc verò *Iveldiam*, juxtà veterem monasteriorum Ordinis matriculam nominamus, sera licet fuerit hujus cœnobii fundatio, nihilominùs Provinciæ caput exstitit, habens sub Circaria cognomine plures Abbatias.

T. 3. Rer. Germ. p. 348.

Meimbomius in *Chronico Riddagshusensi*, historiam & originem Iveldiæ latiori stylo, sensu penè eodem, his recitat verbis. » Iisdem » temporibus (anno 1190.) ille sæpè à nobis » laudatus Saxonum Princeps Henricus Leo, » cœnobio Ilfeldensi, in agro, territorioque suo » *Honsteinico* fundando autoritatem præbuit » & nervos. Quam rem à præstante, vitæque » sanctimoniâ, necnon eruditione, & sacrarum » imprimis linguarum peritiâ insigni, cœno» bii ejusdem antistite M. Michaële Neandro » fideliter annotatam breviter hîc recensere vi» sum est. Eminebat in sylva Hercynia suprà » eam, quæ etiamnum *Ilfeldia* dicitur, plani» tiem non admodùm quidem amplam, Ca» strum, cujus rudera ibidem adhuc exstant, » Ilburga. Ejus possessor Ducis Brunswicensis » Henrici Leonis subditus & Vassallus Iligerus, » pro religiosa seculi istius devotione, in præfata » illa planitie lampadem lapideam, cum candela » perpetua, sive ut poëta loquitur, vigili igni, » exstruendam curarat, ut tùm familiam au» licam, tum cæteros, qui tùm cædendis lignis, » tùm pascendis pecoribus, die noctuque isthic » locorum occupari & transire solerent, æter» ni gentium luminis Dei & semper Virginis » Mariæ filii Jesu Christi adorandi atque in» vocandi admoneret. Ejusdem quidem hodie » ibidem lampadis saxa in cæmeterio suo adhuc » loco integra exstant. Fiebat autem ut quidam » quietis & pietatis amantes viri ex vicinis in » eam se conferrent solitudinem, ibidemque » pro re nata casas exstruerent, & reliquum » vitæ precibus & studiis sacrarum litterarum » impenderent, benignum & liberalem experti » patronum Dominum illum Iligerum. Hic » ubi decessisset, ejusdem patris cognominis » filius*, non minori solitarios illos benignita» te complectebatur, & fervescente ibidem in » dies rerum sacrarum studio, ad loci Domi» num, Principem suum clementissimum, » Henricum Leonem submissè rem deferebat, » deque fundando ibidem in honorem & obse» quium Dei cœnobio deliberationes suas » ostendebat. Obtinuit tandem hic alter Ilige» rus, ut rerum sacrarum evehendarum atque » locupletandarum studiosissimus Princeps, » apertum sibi per ultimi Comitis Honsteinen» sis obitum, Honsteinense dominium & Ca» strum ipsi, ipsiusque itidem Patri cognomini » filio & masculis hæredibus cæteris eâ condi» tione in feudum concederet, ut Ilburgensi » vicissim dominio & Castro resignato, novis» que Ilfeldæ Monachis tradito, Ecclesiam ibi» dem statim in honorem semper Virginis Ma» riæ exædificaret. Eam fundationem referunt » monumenta hujus monasterii in annum » MCXC. A quo tempore Dominis Il» burgensibus Henricus Leo ampliorem qui» dem, Comitum scilicet de *Honstein*, con» cessit titulum, sed priorem illum de *Ilburg*, » ne quid olim cœnobio inde præjudicii exilte» ret, planè ademit.

**Leckfelds in Antiq. Ilfeld. p. 37. Patrem fundatoris Ilgeri, Conradum appellat.*

Quales porrò, cujusve Instituti fuerint ante cœnobii erectionem, Iveldiæ solitarii incolæ, testatur Conradus Sabiniensis Episcopus, & Moguntinensis archiepiscopus, in Diplomate, quo tribus à fundatione annis, cœnobium confirmavit. Hos enim in Religionis habitu, multis retroactis temporibus Fratres ibidem degentes, *Canonicos, qui Norbertini dicuntur, Præmonstratensis Ecclesiæ vitam & habitum gerentes*, fuisse declarat.

I.

Sub Præpositi nomine Iveldiam rexerunt primi Superiores, quorum Dux URAMOLDUS. Illum è Præmonstrato ablegatum credere est, si hodierna Paternitatum matricula, multoties à Capitulis immutata generalibus, primigeniam refert Iveldiæ filiationem.

II.

HELBERTUS subscripsit ut testis Chartæ Henrici Comitis in *Lutterberg*, quâ Advocatiam Ecclesiæ S. Joannis Baptistæ in *Polithe*, ultrò & in favorem dictæ Ecclesiæ abdicavit anno 1228.

III.

WALTERUS de consensu & approbatione Henrici Thuringiæ Landgravii, & Saxoniæ Comitis Palatini, comparavit à Theodorico de *Winchille* tres mansos, & unam aream, sitos in *Kureggelde*, anno 1231. In Waltero Præpositorum desiit nomen, & in Abbatiam provecta Iveldia est.

IV.

JOANNES Abbatum primus, ad an. 1279. præfuit, & à Bernardo Canonico majoris Ecclesiæ Ilberstadiensis, Domino de *Clettenberg*, obtinuit confirmationem venditionis bonorum in *Evera*, à patruo ejus Christano factæ monasterio Iveldensi.

V.

ELIGERUS, Henrici III. Comitis de *Hohenstein* filius, à pueritia Iveldiæ educatus, Religionem ibidem vovit. A Diedrico & Henrico fratribus anno 1281. septem mansos gratis Ecclesiæ traditos accepit.

VI.

ALBERTUS, cui Henricus Comes in *Kirchberg*, anno 1285. Curiam de *Thaba* contulit. Morti proximus Comes idem, sepulturam elegit Iveldiæ, illicque ab Alberto tumulatus est anno 1290.

VII.

THIEDRICUS ex nobili Dominorum de *Wilrode* prosapia oriundus, in litteris Alberti Saxoniæ Ducis anno 1305. recensetur.

VIII.

ALBERTUS II. anno 1315. electus, super jure patronatûs Parochiarum de *Berge*, & de *Schilffe*, litem movit Præposito de *Jecheburg*, & Commendatori de *Weisensée*, & de illis obtinuit justitiæ complementum anno 1318.

IX.

BERNARDUS anno 1321. commutationem fecit bonorum in *Berge*, cum Mainero *d'Hessenrode*.

X.

ALBERTUS III. cui Henricus archiepiscopus, ad preces Henrici Comitis de *Honstein*, permisit anno 1333. ut Parochiales Ecclesiæ de *Gruzen*, *Holzengilde*, *Veldengilde*, *Bercka*, *Belstede*, *Hesserode*, *Sunthausen*, *Girsbucherode*, *Saxwerfen*, *Vockenrode*, quarum jus patronatûs habebat Abbas, denuò à suis regerentur Canonicis.

XI.

ALEXANDER anno 1354. Abbatiam adeptus, dimisit anno 1363.

XII.

HERMANNUS anno 1366. Caroli IV. Imperatoris clementiam & protectionem contrà Ecclesiæ suæ invasores interpellans, ab eo Diploma solemne impetravit, quo fundationis dotem, & benefactorum dona confirmans, eorum se vindicem & assertorem protestatur, ob *vitæ eminentissimæ & exemplaris, ac morum honestissimorum* studium, cui intendebant Iveldenses Canonici.

XIII

FRIDERICUS de Comitibus de *Werningerode*, pro defensione bonorum monasterii graves cum Comitibus de *Schwartzberg*, prædiis de *Kirch-engel*, & *Ebra* avidè inhiantibus, lites habuit, quas implorato Romanæ sedis auxilio, strenuè prosecutus, terminavit feliciter. Civitate & Diœcesi Moguntina Ecclesiastico interdicto per Apostolicam sedem subjectis, Fridericus in vim privilegii antiquati divina celebrare palam non hæsit; sed postea scrupulo remordente, & revocatæ immunitatis conscius, de irregularitate absolutionem ab Alexandro V. suppliciter petitam recepit anno 1409. per manus Viti Abbatis in *Walkenreda*, à sede Apostolica deputati.

XIV.

HENRICUS ex Baronum de *Walde* sanguine satus, Abbatem agebat anno 1423. Hunc inter & successorem ejus Bernardum grandis intercurrit septuaginta fermè annorum hiatus.

XV.

BERNARDUS anno 1488. Comitem Henricum de *Stolberg* perpetuum Iveldiæ convictorem admittit, & sub pensione annuâ ducentorum florenorum auri Rhenensis promittit sex fercula feriatis diebus, non feriatis septem mensæ Comitis subministratum iri, nec non vinum & cervisiam pro libitu.

XVI.

JOANNES *NEUMARCK* anno 1515. in Abbatem assumptus, Iveldiâ aufugere, ut effervescentis hæreseos turbini se subduceret, coactus est. Anno 1525. ab irruentibus rusticis face erroris armatis, Abbatia combusta est.

XVII.

THOMAS *STANGIUS* à Capitulo Iveldensi in *Northusen* congregato, electus canonicè, Neandri colloquiis & artibus ad partes Lutheranismi abreptus dicitur. Ipsi Neander nuncupatoriam Catechismi sui Epistolam inscripsit, virumque appellat, » pietatis, probitatis, doctrinæ, » integritatis, curæque, ac sollicitudinis pro » pauperibus, pro scholis divinis æternâ celebra» tione dignissimum. Hoc elogio vel hæreticus, vel hæreseos patronus proclamatur Stangius, quidquid pro ejus apologia scripserit Nihusius Abbas. Thoma deficiente defecit religio, grex Catholicus dispersus est à pastore acatholico, ac falsi & fallentes subintroducti sunt Doctores, qui templum Dei verterunt in prostibulum erroris. Anno 1559. miseram efflavit animam infelix Stangius, quem funebri pompâ, & superbiente hoc epitaphio prosecuti sunt asseclæ Lutherani.

Sub hoc lapide requiescit Reverendus vir
THOMAS *STANGE* Querfurtensis,
Abbas Ilfeldensis ultimus, clarus pietate,
hospitalitate, munificentiâ, & liberalitate
in scholam, Ecclesiam, & pauperes.
Obiit autem anno ætatis suæ LXIV.
Christi verò MDLIX. x°. die Aprilis.

XVIII.

MICHAEL *NEANDER* de re litteraria bene meritus, & in omnigenarum artium & scientiarum stadio exercitatus, at in sola, quod summum est, fide cæcutiens Doctor, Rectoratum Gymnasii, & Abbatiæ infulas simul gessit. Ilveldiæ tumulati Michaëlis istam epigraphem saxo apposuerunt alumni.

Juxtà hunc lapidem in tumulo requiescit Reverendus vir M. MICHAEL *NEANDER* Soraviensis, Rector & Antistes monasterii & scholæ Ilfeldensis ad annos XLV. doctissimus, fidelissimus, celeberrimus, maximè pius, & munificentissimus in scholam, Ecclesiam & pauperes. Obiit autem anno ætatis suæ LXX. Christi verò MDXCV. xxvi. Aprilis Ilfeldiæ.

XIX.

JOANNES *CAIUS* Michaëlis Neandri soceri sui, in regimine Abbatiæ & Academiæ hæres; anno 1628. Ferdinando II. imperante & vincente, ab Abbatia & Academia per Comitem de *Thun*, Comitatûs *Hohnsteinii* proprietarium possessorem, submotus est.

XX.

BERTHOLDUS *NIHUSIUS*, Brunswicensis origine, religione Lutheranus, Goslariensem, Verdensem, Helmstadiensem scholas, nullius fortunæ, generis obscuri scholasticus frequentavit; Cornelio Martini professori Logices, ut victum haberet, obsequia per quatuor annos, tanquam familiaris servus, impendit. Stipendiariam pensionem ab Episcopo Osnaburgensi consecutus posteà, otio commodiore vacavit musis, Theses publicas Philosophiæ nuncupavit benefactori Episcopo, anno 1612. & Artium Magister inauguratus est. Anno sequenti Tractatum Becani de Communione sub utraque specie animadversionibus criticis impetivit. Verneri & Albrecti de *Flechtingen* pedagogus assumptus, ad Ienensem Academiam una cum alumnis perrexit, ibique totus Theologicis studiis incumbens, insignis Theologi inter suos famam obtinuit. Quare Principum Saxo-Vimarensium pedagogio Præpositus, illos ad annum 1622. disciplinis liberalibus informavit. Coloniam deinde profectus, ex Catholicorum Doctorum convictu & concertationibus errores detexit suos, eosdemque publicâ ejuratione detestatus, fidei Catholicæ petit inscribi discipulus. Fidem paulopost susceptam strenuè deffendit, & multiplici tractatu dogmata Georgii Callixti convulsit doctissimè. Virum Ecclesiæ utilem, Catechisten eruditum, sacro voluit Antistes Coloniensis sacerdotio insigniri. Insignitus fidem in exedris præco publicus docuit, & convertit plurimos. Anno 1627. ad Præposituram *Haldensleben* Monialium Ordinis Cisterciensis ablegatus est Præfectus; unde post restituta per Ferdinandum II. Cæsarem Religiosis cœnobia ab hæreticis invasoribus ablata, ad Iveldensem Abbatiam, procurante Gasparo de *Questenberg*, Abbate Strahoviensi, tantò ardentiùs postulatus, quantò ardentiorem noverat in propugnandis juribus Ordinis deffensorem. Ut primum enim beneficentiâ Cæsaris, sua Religioni monasticæ asceteria reddita Imperiali edicto fuerunt, ex improviso adversariorum geminata phalanx Iveldiam surripere tentavit. Hinc Jesuitæ, pio zelo perciti putantesque obsequium se præstare Deo, Iveldiam deglutire, ad Collegii subsidium moliebantur, Augustum, & Pontificem variis artibus demulcentes. Hinc Lutherani Pactum Passaviense, & Recessum anni 1555. obtendentes, titulo publicæ pacis occupare iterùm sibi addictam Iveldiam conati sunt. Utrique aggressori frontem ultroneam objecit Nihusius, calamumque strinxit eruditum, quo & inhiantes, & Lutheranos regressum tentantes, conquassavit. Cæsari obtulit ad Ordinis patrocinium & causæ munimen Abbas Strahoviensis, apologiam Nihusii; moverunt sanctius Consilium ponderosa assertoris momenta justitiæ; movit Questenbergius & suâ dicendi facundiâ, & inclytæ prosapiæ adunatâ autoritate, ad æquitatis judicium judices aulicos, & solemni sancito Ordini spoliato adjudicata est restitutio in integrum. Nec mora: Questenbergius Saxoniæ monasteria, nomine Ordinis, adipiscitur. Evocatos hinc inde Canonicos in possessionem immittit, præficit Abbates, Præpositos instituit, & Nihusium ex doctrina, ex pietate, ex zelo commendatum, Præmonstratensi schemate indutum, Iveldiæ Abbatem incardinat mense Martio anni 1629.

Antiq. Ilfeld. p. 244.

Fremebant circumquaque proscripti doctores Lutherani; Palæstras erroris occlusas gemebat Caius; virum in docendo peritum, in confutandis hæreseon cuniculis perspicacem, in suadenda fide efficacissimum, sustinebant inviti. Plaudebat intereà sibi Religio de revocato ad sanctam Ecclesiam Christi patrimonio, de hæreticorum conversione frequentissima, quam Nihusius per se, & per suos coadjutores Canonicos operabatur. Verùm victoriæ indesinentis ovantes Catholicorum plausus, funesta Tillii ad agros Lipsiæ internecio, vertit in amaros luctus anno 1631. Fracto quippè, contritoque Suecorum armis exercitu Cæsareo, victor insolens, in sacra quælibet exasperato odio furit; templa, monasteria, aras, facibus ardens repetiit, fugavit mystas, mactavit renitentes, & unicum Iveldensibus fuga fuit præsidium.

Nihusius Hildeshemii aliquantulùm consedit temporis, finem præstolans incendii, serenum post nubila expectans cœlum: at tempestate in dies magis ac magis invalescente, & recuperandi monasterii spe affulgente nullâ, Canonicatum Hildeshemii oblatum acceptavit Nihusius, quem inter rerum & fortunæ discrimina dimisit, & ultimos Amstelodami in Hollandia duxit dies.

XXI.

LUDOLPHUS *ZIEGENMEER* Consiliarius bellicus intimus Ducis Brunswici, post fidem abrogatam, & dispersionem Ordinis Præmonstratensis, Iveldiæ impositus, sub administratoris nomine, Abbas: huic successerunt

XXII.

OTTHO DE *MAUDERODE* Consiliarius item Bellicus intimus, obiit anno 1671.

XXIII.

BERNARDUS *BOHEMER* Secretarius Statûs & Cameræ intimus, obiit anno 1674.

XXIV.

LUDOLPHUS *HUGO*, Pro-Cancellarius; & Consiliarius intimus.

XXV.

JUSTUS CHRISTOPHORUS *REICHE* Consiliarius Electoralis aulicus, & Secretarius Statûs & Cameræ intimus, modernus Iveldiæ Prælatus & Administrator, ab Electore Hannoverensi institutus.

PASTORATUS.

Schilse.
Margussem.
Berge.
Engels.
Ustrungen.
Schwende.
Ilfed.
Hafferungen.
Holtz-engel.
Feldengel.
Borcke.
Belstede.
Hesserode.
Sachwersen.
Holckenrode.
Sunhausen.
Gurbuchestrode.
Haselfeld.
Hermensacker.
Gruser.
Vockenrode.

PROCERUM TUMULI.

Exstat adhuc Fundatorum tumulus, horumque imagines incisæ lapidi, & sibi collaterales cernuntur, suam quæque habens in frontisticio inscriptionem. *Elgerus P. M. Fundator. Lutrudis Fundatrix.* Ad limbos sepulchri hæc leguntur. *Anno Domini MCXC. Henricus Imperator ampliavit fundum istis Eccl. ejus obtentu Elgeri Comitis de Honstein, cujus pater hoc Cœnobium inciavit & iste & sui heredes perfecerunt.* Est & in eadem Ecclesia sepulchrum Henrici Comitis de *Kirchberg*, hoc disticho notatum.

Hac sunt in fossa de KIRCHBERG nobilis ossa
Henrici Comitis Deus ipsum suscipe mitis.

Anno 1290. obierat præfatus Iveldensis Ecclesiæ benefactor, à quo unam curiam in *Thaba* obtinuerat anno 1285.

Vide Prob. à col. DCCXXIIJ. ad col. DCCXXVIJ.

IVELDIA INFERIOR.

Iveldia inferior. Fil. Iveldiæ Superioris. Diœcesis Mogunt. Circaria Vadegotia.

DUplex monasterium à fundationis limine constitutum est ab Elgero Comite, & conjuge ejus Lutruda, & utrumque nomine donatum est eodem; suo tamen discreta erant hæc duo cœnobia situ primum, quod virile fuit, & in planitie superiori positum, *Superior* vocabatur *Iveldia*: alterum uno lapidis jactu distans, & in declivi consistens, *Iveldia* dicebatur *Inferior*. Illic Uramoldus Virgines acclusit, quarum contubernio Lutrada frequens lætabatur, virtutes quoque æmulabatur ardentiùs. Occasus hujus Parthenonis prævertit matricis Ecclesiæ defectionem, nec ullum videtur superfuisse vestigium eo tempore, quo victrix & malesuada hæresis Iveldiam Superiorem suo subjecit imperio.

IVENAC.

Ivenac. Diœcesis Caminensis. Circaria Sclavoniæ.

IVenac idem esse suspicor, quod in mss. codicibus *Jusniam* appellatur, in Diœcesi Caminensi cœnobium, improlis Casimiri Ducis proles piissima, quam ad religionis propugnaculum & exemplum anno 1180. exstruxit in Pomeraniæ suo Ducatu, suadente & promovente Conrado I. Pomeranorum Episcopo secundo, religionis sedulo propagatore. Ex quo hæresis Megapolim & Pomeraniam incessit, illud cœnobium subversum est, & ejus prædia facta sunt inimici. Vide Hist. Episcop. Camin. c. 16.

S. JULIANI DEL PEREYRO,

Ordo Militaris, Calatravensium Equitum militiæ annexus, qui creditur ab Præmonstratensi Ordine derivatus.

S. Juliani Pereyro. Ordo Militaris, à Præmonstratensi progenitus.

Diœcesis Rouericopolis In finibus regni Castellæ.

ORdinis hujus militaris, initia, Ordini nostro Præmonstratensi deberi contendunt quidam ex nostris rerum Hispaniæ Ecclesiasticarum scriptores haud imperiti, quorum conjecturas, rationes solidas æquiùs appellaverim, ad nos transmisit R. admodum Pater Josephus Stephanus de Noriega, Congregationis Hispaniæ tunc Definitor generalis, & Abbas S. Joachimi Matritensis, nunc autem Reformator generalis ejusdem Congregationis reformatæ & Monumentorum historiæ nostræ concinnandæ conducentium collector sagax.

» *P. Manrique* in Annalibus Cisterciensibus, » inquit, ad annum 1156. cap. 2. & ad annum » 1158. cap. 1. & Tamburinus Tom. 2. Disput. q. 5. cum ferè omnibus auctoribus, præcipuè Benedictinis & Cisterciensibus, constanter asserunt Militarem *Ordinem S. Juliani del Pereyro* sub Statutis Cistercii initium habuisse, sicut & *Ordinem de Calatrava*, cui annexus, incorporatusque paulò post fuit. » Quorum opinioni licet pene omnes assentiant, tamen contra hanc adeò stabilitam traditionem plurima adducit noster Magister » *Merino* in sua apologia pro S. Dominico de » *Guzman* cap. 4. illaque jam subjicimus. Profert itaque Instrumentum authenticum in » monasterii celeberrimi de *Alcobaza* Ordinis » Cisterciensis, Regni Lusitaniæ, archivo asservatum, & per Dominum Antonium de *Zapata & Aragon*, sibi familiarem, insignemque historiographum, anno Domini 1639. » ex originali, ut ipse testatur, ita fideliter » transcriptum.

** Anno Domini 1156.*

» Hæc est institutio militiæ *Pererii*, Regis » Ferdinandi tempore, Æra 1194.* Extramatura erat de Mauris: & fuit vir bonus & fortis, qui diceabatur *Sugerius* de Salmantica. Hic » cum multis Comitibus voluit pro Deo bellalare cum Mauris. Ierunt autem in frontaria » per Extramaturas, quærentes locum, ut facerent forciam contra Mauros. Mense Septembris horâ antelucanâ invenerunt Eremitam, » nomine Amandum, venientem in Ecclesia S. » Juliani ad lunam. Hic dixit Sugerio; si locum » quæris, ostendam bonum juxta meam Ecclesiam, ubi est frontera de Mauris. Visum bonum consilium; vadunt, accipiunt castrum » ad lunam vicini Christiani, finitur pro octo » menses. Pugnant, inquietant Mauros; venerunt multi ad formam istorum, quorum » erat Sugerius dux, accipierunt consilium » Amandi: vadunt ad Episcopum Salmanticensem, ut illos ordinaret in socios; *ille dedit* » *Statuta Præmonstratensis* quia ille *de Ordine* » *erat:* & Sugerium primum fecit inter illos. » Qui dum moritur in bello, sepelitur ibi. Et » Gometius fit primus inter omnes, fortis bellator in *Lide* * de Argasano. Hujus tempore » moritur Amandus, qui juvenis ivit ad bellum » Siriæ cum bono Comite Henrico, & multa » fortia egerat. *Gometius*, donatis à Rege Ferdinando multis bonis, villis, castris, & locis: » postea venit Magister primus Benedictus *Sugis*, qui pugnavit *Almeida* castrum, & terram tulit de Mauris. Postea unitur Ordo S. » Juliani militiæ Calatravæ Ordinis. Deus illos » à Mauris liberet. Amen.

** Hoc est in prælio.*

» Subdit autem præfatus D. Zapata in Epistola ad Patrem Merino sub dat. 19. Junii anni Domini 1658. Parùm debet Ordo Præmonstratensis P. Fr. Angelo *Manrique*, qui » tom. 2. suorum Annalium Cisterc. fol. 280. » delevit verbum istud *Præmonstratensis*, substituens *Cisterciensis*, & addens, *Postea unitur Ordo S. Juliani militia Calatrava Ordinis* » *nostri Cisterciensis, propter donationem Castelli* » *de Alcantara, ubi nunc jam vivit*: sed in » textu principali, quem manu propria transcripsi in *Alcobaza* anno 1639. nihil plus invenitur, ut accuratè perspexi. Deprehenditur etiam deceptus P. *Manrique*; quippe Episcopus Salmanticensis, qui Æra 1194. hoc » est anno Domini 1156. florebat, erat Præmonstratensis; nam fuit D. Clemens, antecessor Berengarii, super quo apud me sunt » irrefragabilia testimonia. « Hæc ille & alia, quæ consultò omittimus. » Sanè quidem apud » nos nullum aliud Instrumentum, memoriam » ve super hæc invenire hucusque datum fuit. » Nostros autem Præmonstratenses Hispanos » haud exiguam opem adversùs Mauros tulisse, » manifestum est quandoquidem passim in » vetustis chartis & Regum privilegiis legimus » eos Regiis castris frequenter interfuisse suasionibusque & orationibus plurimùm juvasse.

Supersedebimus exscribendis cæteris, quæ vir eruditus plenâ manu congerit ad probandos Præmonstratensium Hispanorum fortes adversùs Maurorum barbariem conatus & ausus: dixisse sufficiet plurima ipsis regia castra reparanda, tutandaque commissa fuisse; qua in re egregiam adeò operam navarunt, ut cumulati laudibus regiis, specialibusque privilegiis aucti fuerint. De quibus fusiùs commodiùsque in opere Annalium sub annum 1303. sermo recurret. Interim pauca hæc accipe, lector, & ancipitem de origine & autore Ordinis Militaris de Alcanta-

Hist. des Ordres Relig.

rà, à primâ suâ sede, dicti de *Pereyro*, gallicè *du Poirier*, emenda Patrem *Elyot*, qui tomo 6. p. 53. narrationem P. Angeli *Manrique* quasi incertam per omnia proponit, nixus testimonio Francisci *de Radez*, qui obscuram, imo impenetrabilem militaris hujus Ordinis originem asserit, cum tamen ex pervetusto, & coæqualis ævi monumento series fundationis elucescat & Fundatorium nomina innotescant. Venerandæ antiquitatis istud instrumentum ignoravit Franciscus *de Radez*; illud propriis conspexit oculis P. Angelus *Manrique*, mirum quod Ordinis amore captus, textum manu liberiori adulteravit, ut surreptum Ordini nostro honorem, suo Cistertiensi vindicaret.

Igitur Sugerium, non autem Suaresium & Gomesium, autorem primumque militaris istius Ordinis ducem agnoscamus. Odonem Salamanticæ Episcopum & Ordinis Cistertiensis alumnum, Ordinis militaris de Pereyro legislatorem, expungito, & Clementem ex Ordine Præmonstratensi assumptum, Salamanticensi Cathedræ anno 1156. insedisse Statutaque Præmonstratensia Sugerio consulenti, & postulanti, præscripsisse dicamus. Ab origine illa sectati sunt, nec ante annum 1183. regulam S. Benedicti à Lucio III. illis impositam amplexatos esse, hinc conjicio, quòd Alexander III. anno 1177. Ordinem confirmans, regulæ Benedictinæ non meminit, nec injungit tenendam Equitibus.

Anno 1218. coierunt in Ordinem Calatravæ & Martino *Fernandez* Magistro generali voverunt obedientiam, à quo in beneficium clientelare Alcantaram acceperant. Sed unitatem Ordinis, continuata hinc inde Magistrorum generalium successio, morum disparitas & vestitûs fregerunt, & licet in Ferdinando V. Rege Castellæ coaluerint utriusque Ordinis Magisteria, ad Reges posteros per traducem porrecta & autoritate S. Sedis, nunquam avellenda ab eis, tamen propriis stat Ordo quisque legibus, & sub communi Capite suam servat quilibet diversitatem & instituti differentiam.

J U R L A.

Jurla. Fil. Luthomislii. Diœcesis Vesprimiensis Circaria Hungariæ.

ZIrnæ filialem facit hanc Jurlæ Præposituram Pagius, quam Luthomislio subjectam invenimus in canone Capituli generalis anni 1295.

Qua in parte Diœcesis Vesprimiensis steterit olim monasterium istud ignoramus; dolemus extinctum, nec redivivum speramus.

S. J U S T U S.

S. Justus Fil. Domni martini. Diœcesis Bellovacensis. Circaria Pontivi.

ABbatia S. Justi, in oppido cognomine, & in Diœcesi Bellovacæa, quinque à Bellovaco leucis, secus stratam regiam quâ Ambiano Parisios itur, primò à Sanctimonialibus occupata, ad Canonicos seculares posteà, ob liberiorem Monialium vitam, translata est. His postmodùm anno 1119. amotis, regulares Canonici S. Quintini, in eorum hæreditatem introierunt authoritate Episcopali. Denique anno 1147. Odone III. Bellovacensi Episcopo procurante, Præmonstratenses à Domno-Martino evocati, successerunt, ipsosque in prædecessorum jura & possessiones, beneficus Odo immisit. Illis enim justitiam Ecclesiasticam post Episcopum, jus Archidiaconale, Capellaniam integram totius Parochiæ quæ Gaufridus, Petrus & Odo Episcopi Bellovacenses primitùs concesserant, confirmavit, novisque transcripsit hospitibus. Annatas quoque seu proventus integros vacantium quinque Ecclesiarum, primo vacationis anno percipiendas, eis adjudicavit Henricus, idque juris in Ecclesiam contra jus invecti, Metropolitico Diplomate asseruit Archiepiscopus Remensis, Ecclesiæ S. Justi quondam alumnæ suæ, specialis benefactor. Gregorius IX. anno 1238. illud ipsum litteris suis roboravit, & ad perennandam hujus concessionis aliarumque memoriam, in Necrologio. Ecclesiæ suæ illas consignarunt Canonici. Ad diem quippe nonum Septembris hæc leguntur. » Commemoratio » Domini GAUFRIDI Episcopi Bellovacensis qui » anno 1107. Præposito S. Justi jus Archidia» coni & Capellani seu Pœnitentiarii contulit, » quo jure Abbates nostri hactenùs usi sunt ex » Episcoporum succedentium concessione.

Ad diem vero octavam Novembris habetur » Commemoratio Domini PETRI Episcopi » Bellovacensis qui Ecclesiam S. Justi ex seculari » regularem reddidit anno Domini 1119. » & ad diem 26. Junii » Commemoratio Domini » ODONIS Episcopi Bellovacensis qui Canonicos » Præmonstratenses ex S. Judoco accersitos, » implantavit in hac nostra Ecclesia S. Justi » anno 1147. Denique ad diem 13. Novembris » Commemoratio Domini HENRICI Episcopi Bellovacensis & Fratris LUDOVICI Fran» corum Regis qui Ecclesiæ nostræ jus anna» lium in quinque Ecclesias collegiatas urbis » Bellovacensis liberalissimè contulit.

Plura dicere vetant incomperta mihi monumenta S. Justi. Quamvis enim hanc Abbatiam scriniorum invisendorum desiderio adierim, illa tamen scrutari non licuit, clavem Archi-

vorum denegante Abbate commendatario, custode chartarum scrupuloso & de prædecessorum honore sollicito parùm. Supplevit utcumque possessoris moderni incuriam accurata D. *Ledé* Abbatis S. Andreæ, in recensione Abbatiarum diligentia. Mutuatam igitur ab illo Prælatorum seriem subjiciemus.

I.

JOANNES S. Judoci Canonicus, Coloniæ dux, ab Odone Episcopo Bellovacensi consecratus Abbas, & in bonorum possessionem immissus, confirmationem ab Eugenio III. obtinuit anno 1147. & primâ die Januarii 1168. beatâ morte consummatus abiit ad posteros.

II.

WLRICUS 9. Octobris, interfuit Capitulo generali anno 1172. obiit anno 1177.

III.

ANDREAS, anno 1179. iteratam confirmationem bonorum & statûs sui monasterii, impetrat ab Alexandro III.

IV.

BALDUINUS florebat ab anno 1180. & ad trigesimum Decembris mors ejus in fastis refertur.

V.

PETRUS ab anno 1186. Abbatem agebat & anno 1195. ad Ordinis primariam Ecclesiam sublectus est.

VI.

GERVASIUS patriâ Anglus, ex priore & Canonico S. Justi, Abbas efficitur, unde post annum 1201. ad Thenoliensem postulatus migravit.

VII.

NICOLAUS, ad annum 1216. in actis legitur præfuisse.

VIII.

GAUFIRDUS, procuravit renovationem juris annualium ab Episcopo Bellovacensi Milone anno 1226.

IX.

GERARDUS vivebat anno 1230. obitus ad undecimam Martii notatur.

X.

JOANNES DE *HARDEVILLE* fraternum fœdus iniit cum Ambianensibus S. Joannis Canonicis, ad suffragiorum, subsidiorumque mutuam communicationem anno 1250.

XI.

WENERAMUS, nona die Janvarii 1260.

XII.

REINERUS.

XIII.

LAMBERTUS.

XIV.

GUILLELMUS.

XV.

PETRUS.

XVI.

ANSELMUS, ipso regente, Joannes de S. Justo Canonicus Bellovacensis, Philippi Francorum Regis Capellanus & Eleemosynarius, capellam Tillardi fundavit, & fundationem laudavit anno 1341. Joannes de *Murigniaco* Episcopus Bellovacensis.

XVII.

RADULPHUS DE *VEISMES*, primâ die Augusti 1380. obiit.

XVIII.

JOANNES *DANGEVILLERS*.

XIX.

PETRUS die 9. Augusti 1402.

XX.

INGUERANNUS DE *QUEHEM*.

XXI.

JUDOCUS DE *CASTRO* 1. Februarii 1476.

XXII.

JOANNES CORDIER cessit 1484.

XXIII.

ANTONIUS DE *NEMPONT* ejus tempore, anno 1503. monasterium conflagravit 1512.

XXIV.

JOANNES DE LA *MOLIERE* 6. Kal. Novembris 1522.

XXV.

NICOLAUS LE *BOUCHER* ex Cantore Tillardi Abbas factus est, de illo in fine libri cantûs, sequentes rithmi leguntur.

En l'an mil cinq cents trente trois
La nuit saint Michel proprement
Fut achevé comme je crois
Ce livre cy certainement
Pour les Religieux du Couvent
De S. Just prez de S. Remy
Et fut veritablement
Par un nommé Jean de *Wailly*
Et pour sçavoir que fut cestuy
Qui le fit faire & commencer

Fut un qui avoit sans failly
Nom Frere NICOLAS *BOUCHER*
Abbé du lieu bon mesnager
Qui fit fort valoir la Maison
Par quoy on doit pour luy prier
Apres sa mort, c'est bien raison
Partant pour la conclusion
Pour luy direz *De profundis*
Et pour tous ceux de la Maison
Que Dieu leur doient son Paradis.
Amen.
Die 18. Maii 1548. obiit.

XXVI.

JUDOCUS *COQUEREL*, sub Cardinalibus Pisano & Ferrariensi, Præmonstrati Abbatibus, Ordinem rexit ut eorum Vicarius generalis, moritur 27. Maii 1565.

XXVII.

ADRIANUS DE *MAILLY*, regularium Abbatum ultimus 28. Aprilis 1582. excessit è vivis.

XXVIII.

JOANNES DE *LAUBESPINE* Episcopus Aurelianensis primus commendatariorum, obiit 28. Novembris 1593.

XXIX.

GERMANUS *LORDEREAU* 20. Augusti denatus 1615.

XXX.

ANTONIUS DE *NEUFVILLE*, cujus obitum ex Necrologio exscriptum tradimus. » Commem. » Domini ANTONII *NEUFVILLE*, Lugdunensis » Ecclesiæ Archidiaconi & supremi Vicarii, » necnon Abbatis nostri commendatarii tertii, » omnium planè consensu, hujus loci restaura» toris strenui, quippè qui Ecclesiam & Dor» mitorium, aliaque loca regularia & divino » cultui consecrata, hîc & in vicinis pagis reædificari ac de novo construi curavit, obiit Lugduni 24. Martii 1679.

XXXI.

CAMILLUS DE *NEUFVILLE* Lugdunensis Archiepiscopus 3. Junii 1693. defunctus, & in Necrologio tanquam benefactor insignis commendatus.

XXXII.

GUILLELMUS DU *BOIS* Archiepiscopus Cameracensis & Cardinalis.

PASTORATUS.

S. Justus, in ipso S. Justi oppido.

Buriacum *(Bury)* ex donatione Roberti de *Cressonessart*, Episcopi Bellovacensis cujus mentionem fecit his verbis Obituarium ad diem primum Octobris. » Commem. D. ROBERTI » DE CRESSONESSART Episcopi Bellovacensis qui » anno 1246. tres Canonicos hujus Ecclesiæ » in Prioratu de *Bury* olim Ordinis S. Bene» dicti constituit.

Plessiacum *(Plessier)* uno milliari à S. Justo dissitum ibi sedes est Principis de *Curtiniaco*, à quo humanissimè exceptus sum.

Glanteria *(Glantiers)*.

Tillardum (*Tillard*) Cantorarfis simul & Parochiæ titulo gaudens, fundatur anno 1340. à Joanne de S. Justo Canonico Bellovacensi, Regiæ Parisiensis computuum Cameræ Magistro, fundationem laudante Joanne de *Murigniaco* Episcopo Bellovacensium. Præmonstratensem regulam, ex appicta fenestris Ecclesiæ figura Fundatoris, amplexatum fuisse Joannem conjiciunt nonnulli.

Ravenel.

Morangulus *(Morangle)* Prioratus simplex.

Vide Prob. à col. DCCXXVIJ. ad col. DCCXXVIIJ.

JUSTUS-MONS.

Justus-mons. Fil. Bellævallis. Diœcesis Metensis. Circaria Lotharingiæ. * Briey.

IN declivi montis, & in Brieii Comitatu, * duabus à Theodonis villa, quatuor ab urbe Metensi horis, Justimontum suo situ lepidum, vineis circumstantibus & solo ad montis radices fertili, pascuis Orna irriguis opimum, sylvis à Septentrione imminentibus, opportune vallatum, grato à Meridie conspectu Metas prospectans, fundatricem agnoscit Euphemiam Dominam de Vatronis-villa, * sororem Ursionis Virdunensis Episcopi, uti constat ex ejus authenticis tabulis anni 1124. quibus Zachariæ primo Justimontis Abbati, montem ipsum dotalitio jure transcripsit ad construendam ibidem Ecclesiam. * Vatronvilla.

Hinc antiquitatem si consulas, matrem agnoscere non deberet Bellam-vallem ætate posteriorem, nisi quod factitatum est alibi, hîc contigisse suspiceris, translatum scilicet jus Paternitatis à Præmonstrato in Bellam-vallem; ita suadente locorum viciniâ aut ita volente Philippo quondam Abbate Bellæ-vallis, postmodùm ad Ordinis provecto apicem, primæ suæ sedis amante.

Historiographus Ecclesiæ Metensis, ex sequestratis apud Patres Jesuitas Metenses monumentis, Diplomatis Euphemiæ fidem elevat & subjectis narrationem suam suffulsit documentis. Hæc tibi appono Lector. » Seriem rei » de negotio Stephani Abbatis S. Crucis, præ» sentium litterarum portitoris, sanctitati vestræ » intimare cupientes, minimè laboramus, * » cùm scriptum sit, qui verum dicit non labo» rat. Diebus nostris, Deo dictante, Philip» pus Abbas Bellævallis, qui adhuc superest, & nunc * L. 3. 418.

nunc Ecclesiæ Præmonstratensi præest, locum ante civitatem Metensem ædificavit, ubi Fratres suos exposuit, cùm piæ memoriæ Abbate Zacharia, cui præfatæ civitatis Episcopus per gratiam Dei manus imposuit, & in Abbatem consecravit. Crescente dein numero Fratrum in Religione, Albertus prædictæ civitatis Advocatus, & Domina Ida, & filii, & filiæ suæ contulerunt per manum memoratæ urbis Episcopi, supradictæ Ecclesiæ Allodium de *Buris*, eo tenore, quod Abbatia illuc transferretur, quia locus videbatur aptior, & à Mosella remotior. Tunc temporis datus est eidem Ecclesiæ locus Justimontis. In istis duobus locis primò cœperunt ædificare Fratres. Factis autem quibusdam ædificiis, Abbas & Conventus ad locum qui dicebatur *Buris*, transierunt, & in priori loco Sorores reposuerunt. Post aliquos annos facta est magna inundatio aquarum, & Mosellâ crescente, Sorores coactæ sunt de domibus suis navigio exire. Cùmque non haberent, quò diverterent, Abbas Zacharias, qui erat homo magnæ charitatis, in loco suo *Buris* eas collocavit, & ipse cum Conventu suo exiens, ad Justimontem transivit, ubi non diù vivens defunctus est, & alius substitutus, nomine Leherus. Illo defuncto, isto substituto, Cives Metenses qui bona sua contulerant, reclamabant. Fratres qui in priori Ecclesia professi fuerant, murmurabant, quod sine Episcopi sui & Ordinis consilio, Abbatia sic translata erat de loco suo, & inde frequenter Abbatem inquietabant. Abbas hoc attendens, cœpit ædificare in *Buris* magnum monasterium, & magnum dormitorium, sub spe revertendi. Sed antequam complesset, defunctus est, & alius substitutus, nomine Stephanus. Hic complevit, quod ille ædificare cœperat, & in Justimonte plura ædificia. Crescentibus ædificiis, crescente numero Fratrum & Sororum diversæ linguæ & diversorum morum, crevit querimonia Episcopi & Civium Metensium exteriùs, crevit dissensio & scissura cordium interiùs. Romani * nitebantur redire ad locum suæ professionis, illi remanere in loco suæ cognationis; illi eleemosynas, quæ *Buris* conferebantur, transferre, Romani retinere volebant. Inde lites, inde jurgia, inde odia. Abbas in his angustiis positus, & ab Episcopo, ut *Buris* rediret, multoties commonitus, ad pacem per plures annos laborabat; premebat eos sub rigore silentii, sed parùm proficiebat. Dùm hæc agerentur, contigit ut magister Ulricus *Steinveldensis* à generali Capitulo reverteretur per Justimontem. Abbas anxius exposuit ei statum domûs suæ, quærens consilium. Convocatis itaque hinc inde partibus, Magister Ulricus multùm laborabat ad pacem, sed illi ad divisionem. Tandem provoluti pedibus ejus, cum invitum coëgerunt remanere, donec convocatis vicinis Abbatibus, & Abbate *Bellæ-vallis*, inde possent tractare. Convocati sunt Abbates, venerunt, actum est de pace. Nullatenùs potuit fieri pax, nisi per divisionem. Pro bono itaque pacis, ac cogente necessitate, consilio Abbatum, assensu & laude utriusque partis, tandem facta est divisio, & Fratrum, & Sororum, & possessionum, & rerum mobilium, & debitorum, & secundùm tenorem divisionis, inde fecit scriptum propriis manibus Abbas S. Pauli Virdunensis. Sequenti die Fratres Justimontis, præsentibus Abbatibus, elegerunt sibi in Abbatem Fratrem Clementem, & obedientiam fecerunt. Abbas Stephanus cum suis recessit *Buris*; Abbates recesserunt, sic facta est pax. Non post multos autem dies supradictus electus non contentus eo quod acceperat, venit Præmonstratum, reclamans illud totum, quod Stephanus habebat. Vocati sunt Abbates, venerunt Præmonstratum, venit & ille Clemens electus. Tandem post multa, in hoc convenerunt consilium, ut ille electus cederet, & Abbas Stephanus integrè Abbatiam, sicut priùs, possideret. Cessit electus: absolutus fuit ab Abbatia; missi sunt Abbates qui rem pacificarent, & Fratres de *Buris* cum ablatis rebus ad Justimontem redire monerent. Cùmque venissent Buris, & Fratribus quæ acta erant retulissent, illi omninò noluerunt acquiescere, prætendentes multa gravia, & præcipuè perditionem animarum suarum. Timentes igitur Abbates, ne major scissura fieret, consilio Episcopi rem detulerunt, usque ad generale Capitulum. Ventum est ad generale Capitulum: venerunt quidam Fratres Justimontis, quidam de Buris; delatum est negotium in medio, res diligenter est ventilata. Denique præponderatis hinc & inde rerum circumstantiis, divisio quæ facta erat intuitu charitatis, & pro bono pacis, in generali Capitulo est approbata & confirmata. Et hoc scriptum est D. Archiepiscopo Trevirensi, & Episcopo Metensi, qui super hoc Capitulo scripserant, ut quod factum erat, amodò ratum haberent, & eos qui contraire vellent, per justitiam coërcerent. Sic res finita est. Post aliquod tempus, adhuc reclamantibus Fratribus Justimontis, quod Fratres de Buris substraherent quædam de tenore divisionis, vocati sunt iterùm Abbates vicini. Venerunt *Buris*, venerunt & Fratres Justimontis, tam Clerici, quam Laici sanioris consilii, Prior & Obedientiarii. Depositis querelis, posuerunt se in consilio & dicto Abbatum. Abbates auditis querimoniis, assensu & laude utriusque partis, sub stolis & candelis, excommunicaverunt omnes illos, qui, quod diceretur, non tenerent, & qui amodò pacem turbarent. Posteà dixerunt, quod dicturi erant, tamen cum magno gravamine illorum de *Buris*. Et sic iterùm pax facta est. Tunc Prior & cæteri Fratres Justi-

* Gilla.

»montis communicato consilio in præsentia »Abbatis Bellævallis, & aliorum Abbatum, »elegerunt quemdam Fratrem nomine *Rayne-»rium*, quem quia habere non potuerunt, post »dies elegerunt alium nomine *Georgium*. Eo »electo, convenerunt episcopum, quia Dia-»conus erat, ut eum ad sacerdotium promo-»veret, & ei benedictionis manum imponeret. »Die statutâ venit Episcopus *Buris*. Fecit ibi »Ordines, dictum Diaconum ad sacerdotium »promovit. Sic pax fuit usque ac generale Ca-»pitulum. Abbas *Justimontis* Capitulum adiit, »& quibusdam Abbatibus absentibus, qui jam »dictæ partitioni sub excommunicatione fir-»matæ interfuerant, cœpit reclamare totum »quod Abbas Stephanus tenebat. Vocati sunt »Abbates, qui interfuerant; venerunt Præ-»monstratum. Eâ die apud Præmonstratum »convenerunt ferè quadraginta Abbates pro »alio negotio. Delata est causa Justimontis & »S. Crucis, in medio ventilata est, & confir-»mata fuit divisio, sicut in antepræterito Ca-»pitulo, & commendata scripto, & corrobo-»rata chirographo & Ordinis sigillo, & in »transgressores promulgata excommunicatio. »His omnibus ita peractis, Abbas & Fratres »Justimontis vix per hebdomadam siluerunt; »post paucos dies ad præsentiam Episcopi ve-»nerunt, & ut Abbatem S. Crucis ad audien-»tiam vocaret, magnis precibus obtinuerunt. »Enim verò ille nihil sibi conscius, vocatus »illicò venit, & recitatis sæpedictorum Fratrum »clamoribus, auditisque Fratrum S. Crucis res-»ponsionibus, admiratio multa tam Clerum, »quàm populum commovit, cùm Fratres à »Fratribus viderent tam irrationabiliter pertur-»bari, & quod unâ die causâ pacis factum fuis-»set, alterâ pro infecto haberi. Dùm hæc igi-»tur tam vario verborum & inconstanti cur-»riculo aguntur, Abbas Præmonstratensis su-»pervenit, & retractatis omnibus, prioribus »videlicet & posterioribus actionibus, sæpe »memoratis Fratribus Justimontis, ut eorum »omninò querela sopiretur, consilio Co-Ab-»batum, quos secum habebat, satisfieri judica-»vit, & satisfecit, & Abbas S. Crucis in om-»nibus ei acquievit, & quidquid fuit sibi im-»positum, ut illis persolveret, usque ad un-»guem persolvit. Hæc igitur pax ad Dom. »Episcopum fuit, præsente Abbate Justimon-»tis, & Fratribus suis, delata, & sub testimo-»nio Cleri & populi exstitit confirmata.

Huic Instrumento tribus munito sigillis, ad enarrationis præfatæ confirmationem, subnectit antedictus historiographus Chartam Stephani de Barro Metensis Episcopi, quâ pacis sancitæ inter utramque partem approbat fœdus, hoc tenore.

»In Nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. »Ego Stephanus Dei gratiâ Metensis Ecclesiæ »Episcopus, Stephano Abbati S. Crucis, & ejus »Fratribus, eorumque successoribus in perpe-»tuum. Paternæ traditionis æmulatrix posteri-»tas, ejus mutuata est vicem, cujus sortita »successionem. Quemadmodum enim anti-»quorum solertia, quod infirmari noluit, cau-»tione firmavit, ita & modernorum æmulatio »idipsum vicariæ successionis legitimum reser-»vavit sibi in pluribus profuturum. Eapropter »Ego Stephanus S. Metensis Ecclesiæ humilis »minister, dispositum habens pro modo, pro »loco, pro tempore, servorum Dei negotiis »insudare, studere paci, propulsare inquieta-»tiones, causas eorum terminare, terminatas »memoriæ posterorum scripto commendare »curavi, ne cum occasu temporum, cadat me-»moria rerum gestarum. Inde est quod præsen-»ti cautione notum facio tam præsentibus, »quàm futuris, quòd Fratres, Justimontis lo-»cum, & locum, qui dicitur S. Crux, inhabi-»tantes, in hoc convenerunt, & pari unanimi-»tate consenserunt, ut uterque præfatus locus »Abbatiæ nomine insigniretur. Hoc itaque su-»um, ipsorumque propositum Patribus Præ-»monstratensis Ordinis, quorum auxilio res ef-»fectui mancipari debebat, denuntiantes, be-»neplacitum eorum & assensum, desiderio pe-»tentium examinato, & ampliatione sanctæ »Religionis inspectâ, obtinuerunt; quorum »etiam ordinatione prædicti Fratres cuique lo-»co certas possessiones pari voto assignarunt, »& quod utrique Ecclesiæ fuit assignatum, »Generalis Capituli Præmonstratensium Ab-»batum autoritate confirmatum est. Ego igi-»tur, quia mei officii est piis assistere desideriis, »benevolum justis eorum petitionibus præbui »assensum; & utrique domui suum Abbatem, »Fratrum petitione, designavi. Tibi itaque, »dilecte fili in Christo Stephane S. Crucis Ab-»bas, & Fratribus sub Regulâ B. Augustini, »secundùm tenorem Præmonstratensium con-»suetudinum inibi degentibus, tuisque & ipso-»rum successoribus, prætaxatum locum S. »Crucis, cùm assignatis appenditiis, sicut in »sequenti subnotata sunt, confirmo; videlicet, »locum ipsum *de Buris*, & censum, quem »dedit vobis Albertus Advocatus per manum »nostram; terram quoque præfato loco adja-»centem, quam dedit vobis Richardus de »*Rimpert*; grangiam de Lordo, cum pertinen-»tiis suis; grangiam de *S. Petri-fonte*, cum »pertinentiis suis; locum etiam, qui dicitur »*Vallis S. Mariæ*, quem dedit vobis Walte-»rus de *Vantous*, qui cognominatur *Paga-»nus*; eo tamen tenore, ut singulis annis no-»stræ majori Ecclesiæ persolveretis aureum »unum, vel duodecim nummos Metensis »monetæ. Et sciendum quòd Conventus ma-»joris Ecclesiæ hanc dignitatem in hoc loco »retinuit, ut si ibi Abbatia fundaretur, Abbas »à Primicerio, communi consilio Conventûs, »baculum Pastoralem acciperet. Ut autem hæc »nostræ subscriptionis pagina rata & incon-»vulsa permaneat, Episcopali authoritate, &

„ sigilli mei impressione communio.

Testes Theodoricus Primicerius. Simon Decanus. Archidiaconi, Rotcelinus, Hugo, Fridericus; Magister Hugo. Richerus Præpositus S. Salvatoris. Anselmus. Warnerus Capellanus. Albero de Paroy. Et omnis Ecclesiæ Conventus. Albertus Abbas S. Gorgonii. Letaldus Abbas S. Martini. Robertus Abbas S. Vincentii. Simon Abbas S. Arnulphi. Joannes Abbas S. Clementis. Elberthus Abbas S. Simphoriani. Si qua igitur, &c. Anno ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi MCLXI. Indictione nonâ; Epactâ vigesimâ secundâ concurrente sexto. Data per manum Fulconis Concellarii III. Kalendas Maii.

Ex quibus documentis, ad veritatis historicæ eliquationem pauca eruimus certa, quædam incerta adnotamus.

1°. Ad Mosellæ littora, non procul ab urbe Metensi stetisse prima Præmonstratensium habitacula; isque locus populari idiomate nuncupatur, *La Grange aux Dames*, Grangia Dominarum.

2°. Ob crescentem Fratrum & Sororum multitudinem, ad Allodium de *Buris*, Alberto Metensi Advocato id concedente, demigrasse Religiosos; priori sede, hoc est, Grangiâ Dominarum, solis & numerosis dimissâ Sororibus.

3°. Exundantium Mosellæ aquarum alluvionibus dirutum fuisse Parthenonem, & navigio incolumes ad Buris monasterium appulisse Moniales; quarum saluti consulens Abbas Zacharias, in Justo-monte sibi interea liberaliter dato, cœnobium excitat, ut Buris, civitatis mœnibus adhærens, cederet exulibus. Sed morte interceptus Zacharias, suæ charitatis opus absolvendum reliquit Lehero.

4°. De translatione Canonicorum cives Metenses, ipsos quoque translatos, suscitasse murmura, quæ aliter Leherus sopire non valuit, quàm revocando suos à Justomonte ad pristinas sedes: Magnum, in hunc finem, dormitorium ædificari procurat, sed ipso incompleto, cessit Leherus.

5°. Stephanum, suscepto ædificio efficacem impendisse operam; sed quia continendæ Fratrum & sororum coloniæ impar erat domus de Buris, Justimontanam amplificat simul, ut quos una capere non poterat, altera exciperet.

6°. Hinc exortam inter Fratres, ex divisione subsecuta, contentionem; hinc scissuram cordium, quæ nonnisi variis Capitulorum generalium decretis, & pactis amicabilibus resarciri potuerunt, assignatâ nempe unicuique asceterio portione redituum, instituto ad singuli Conventus regimen proprio Abbate, & translato per dimidium Parthenone ad *Hameviller*. Quam conventionem Stephanus de Barro, Metensis Episcopus, approbavit anno 1161. triginta circiter à fundatione annis, & triginta sex à donatione Justimontis, si fides habeatur Diplomati Euphemiæ: de cujus autoritate si ambigitur, cassa cadit fundatricis dignitas; si verò admittitur, series tota eventuum ex autographo exscripta ab Episcopo Madaurensi, evanescet in fabellam. Neutri ut detrahat, utrumque conciliare satagit P. Gabriel *Gallois*, Justimontis Chronographus, supponendo, quosdam Religiosos sub S. Eligii nomine & patrocinio militantes, incoluisse Justum-montem, eosque contemplationi addictos, ad famam enati Ordinis Norbertini, ipso instigante Zachariâ Abbate, schema Præmonstratensium assumpsisse. Transitum hunc aliunde petitis firmat exemplis, testemque transformationis appellat ipsummet Historiographum. Unde nil mirum, quod Euphemia Justum-montem Abbati Zachariæ tunc Eligiano, tradiderit anno 1124. Nil mirum, si Bellam-vallem agnoscat Matrem Justus-mons, cùm anno 1131. aut 1132. ab ea disciplinam exceperit Matre, jam fœcunditatis potente. Et ita difficultatis nodum resolvit vir antiquitatum sagax explorator. Illius stantes judicio, sanius non habentes, ad Elenchum Abbatum properamus, quorum prior fuit

I.

ZACHARIAS, *Magnæ charitatis homo*, ut testatur Charta Metensis, regimen duplicis monasterii in se assumpsit, virtutibus informavit alumnos, & felici morte cursum laboriosi certaminis Justimonti clausit anno 1136.

II.

LEHERUS antequam ædes monasterii Justimontis à prædecessore inchoatas complesset cessit. Mors ejus ad diem 9. Septembris notatur in Necrologio.

III.

STEPHANUS, qui cùm ultimam manum ædificiis posuisset, monasterium S. Crucis in suburbio Metensi repetit, & abdicato Justimontis præsulatu, alterum consentit sibi substitui, priore titulo contentus.

IV.

CLEMENS, electionem moderante Abbate Bellævallis, assumitur, sed vix adeptus est munus Abbatiale, cùm illud abdicat demissione ultroneâ.

V.

GEORGIUS, Prælaturam, quam Reinerius Prior Præmonstrati recusarat, obtinet adhuc Diaconus: A Stephano Episcopo Metensi sacerdotium simul & inaugurationem in Ecclesiâ de *Buris* recipit, sed & ipse honoris pertæsus, oneri se subduxit.

VI.

STEPHANUS ergò Ecclesiæ *Buris* incardina-

tus Abbas, ad Justimontis Abbatiam postulatur, filiæ & Matris unà habenas recturus anno 1152. Joannes Abbas S. Huberti in Arduena ei contulit sequenti anno Curiam de *Hamerviller*, cum omni jure & dominio. Eò loci posteà examen Monialium ex cœnobio de *Buris* excisum consedit. Pacem inter utriusque monasterii Fratres, scissam, restituit, factâ æquabili bonorum partitione, quam Stephanus Metensis Episcopus anno 1161. approbavit. 27. Julii mors Abbatem Stephanum sustulit, post annum 1172. sed priùs Justimontis Prælaturæ & sollicitudini valedixerat, ejusque sedem Fratrum electione adiverat Vivianus.

VII.

VIVIANUS unà cum Abbate S. Crucis Stephano signat, ut Abbas Justimontis, Diploma Friderici I. Imperatoris confirmativum donationis Pastoratûs de Guardia, * factæ Tescelino Salinæ-vallis Abbati à Siffrido Lexoviensi Abbate, anno 1172.

* La Guarde.

VIII.

RAINALDUS anno 1181. ab Alexandro III. impetravit Bullam bonorum Justimontis confirmatricem. Sequenti anno pactus est cum Joanne Abbate Gorziensi super decimas *d'Amelange*, interventu Bochardi Abbatis S. Arnulphi, Joannis Abbatis S. Clementis, Danielis Abbatis sancti Symphoriani, Godefridi Abbatis Vadegotiæ; quam concordiam laudavit Bertrandus Episcopus Metensis. In tabula lapidea è ruderibus effossa sequens inscriptio, in tempora Rainaldi coincidens, legitur.

Anno ab Incarnatione Domini MCLXXIV. Indictione VII. concurrente V. Epactâ XV. V. Kal. Octob. consecrata est hæc Ecclesia à Venerab. Bernone Magnopolitanæ sedis Episcopo, in honore S. Mariæ Virg. S. Joan. Bapt. & S. Joan Evang.

IX.

VIVIANUS II. Huic Robertus Dominus de *Floranges*, Illustris Lotharingicæ familiæ surculus, molendinum *d'Emetange*, annuente Felice Husemiâ uxore suâ, contulit anno 1193. Eidem ad Præbendam Sororum de *Hameviller* tradidit molendinum de *Godestal*, Wirricus de *Valcourt* Toparcha de *Fontois*, eâ conditione ut Justimontanus Abbas provideret sacerdotem ad ministerium Capellæ castrensis. Donationem istam anno 1206. factam, roboravit anno 1224. Wirricus de *Valcourt* filius.

X.

LODOICUS molendinum de *Fremecourt* à Leudone de *Norroy* dono accepit, anno 1217. & anno 1224. pœnitentem Theodoricum S. Huberti Abbatem, & volentem rescindere donum Toparchiæ de *Gadrange* à prædecessore suo Elberto, Abbati Justimontis factum sub annuo censu, compressit arbitrariâ Hugonis Leodiensis Episcopi sententiâ. 18. Augusti obiit Abbas Lodoicus.

XI.

GODEFRIDUS, à Wirrico de *Valcourt*, Domino de *Fontois*, jus patronatûs Parœciæ de *Fontois* obtinuit anno 1223. ratumque illud habuit Joannes de *Asperomonte* Episcopus Metensis anno 1229. Thomasia Ducissa Lotharingæ, & Friderici primi conjux, in viduitate existens, concessit anno 1238. triginta solidos annuatim percipiendos in dominio suo de *Rodange*, ad pretium olei, & conservationem lampadis perpetuæ in Ecclesia Justimontis. Quam liberalitatem Matthæus II. Thomasiæ filius, laudavit & auxit hoc Diplomate. » Ego » Matheus Dux Lotharingiæ & Marchio, no» tum facio universis, quod cùm Laureta avia » mea, & Thomasia mater mea bonæ memo» riæ, in allodio suo de *Rodanges*, domui Justi» montis pro anniversariis suis in perpetuùm » faciendis .... triginta solidos Cathalaunenses » contulissent annuatim; Ego pro dicta eleë» mosyna assignavi dictæ Ecclesiæ Justimontis » decem modios bladi in decima mea de *Har» cherenges*, medietatem siliginis, & aliam me» dietatem avenæ annuatim ad festum B. Re» migii in perpetuum persolvendos. Datum » anno Domini 1239.

Loretam appellat Princeps aviam suam; illa erat Loreta de *Los*, nupta Theobaldo Comiti Barrensi, ex quibus prodiit Thomasia, Friderico Duci Lotharingiæ juncta, quam alii Agnetem malè nominant. Annum obitûs Thomasiæ hactenùs ignotum determinant ambo Diplomata anno 1238. Thomasia ad usum lampadis triginta solidos assignat. Donum Matris suæ *bonæ memoriæ*, subindeque denatæ, roborat & ampliat Dux Mathæus anno 1239. Igitur hoc anno inchoante, aut sub antecedentis finem, excessit è vita.

XII.

HENRICUS beneficos expertus est Mathæum II. Ducem Lotharingiæ, & Theobaldum Comitem Barri. Iste in eleëmosynam & pro remedio animæ suæ domum suam de *Francheprey*, cum omnibus appenditiis, concessit Justimonto, anno 1243.

XIII.

GERARDUS, hujus ætate, anno 1260. Albertus filius Philippi Domini de *Florenges*, habitum Religionis in Justomonte assumpsit, & spurium, quem de ancilla filium habuerat, astrinxit in censum libertatis, ut annuatim dimidium sextarium olei nucei penderet fratribus Justimontis in capite jejunii, ad eorum refectionem. » Notum sit, quibus scire expedit, » quòd Albertus miles de *Florenges*, * ante» quam habitum Religionis in Ecclesia Justi-

* Hunc præterierunt tabulæ genealogicæ Florengiorum.

„ mortis sumeret, Hermannum filium suum, „ quem de ancilla genuerat, sanctæ Mariæ ejusdem Ecclesiæ in eleëmosynam contulit, „ quem cùm ad annos pubertatis venisset, creantavit, & promisit annuatim in capite jejunii, „ quasi censum libertatis concessæ, dimidium „ sextarium olei nucei in refectione Fratrum se „ donaturum...Ut autem hoc ratum permaneat, „ sigillo Metensi, & sigillo Abbatis placuit in „ testimonium confirmari, anno 1260.

XIV.

JACOBUS, mense Julio 1268. Theobaldo II. Comiti Barrensi, in indemnitatem Rossellini, Comitis ejusdem servi, in villa de *Ranconval* à servis Abbatiæ interempti, restituit tres alios Abbatiæ servos, in vico de *Beuvanges* commorantes. (a) Tom. 1. Reg. Barriducatûs fol. 203.

XV.

HUGO, hujus non meminêre catalogi mss. attamen anno 1286. ab Domino Renaldo Cleupe dono recepit pratum de *Veange*, situm secùs Justimontis Brolium. Anno 1291. vendidit censum 20. solidorum cuidam Thomæ de *Nouroy le franc*.

XVI.

MATHÆUS cum Raynaldo Domino de *Rodemach* tractatum iniit, quo per vices alternas nominatio & præsentatio ad parochiam de *Richemont*, Abbati & Rodmacensibus Dominis assecurantur anno 1297.

XVII.

SIMON DE *AHARIS*, ad Branensem, Calvomontensem, denique ad Cuissiacensem Abbatias successivè raptus est.

XVIII.

HUGO DE *LUBEY*, 16. Aprilis moritur 1354.

XIX.

ADAM.

XX.

WILLELMUS DE *BRUYEZ*, florebat anno 1367.

XXI.

JOANNES DE *MOYEUVRE*, in mss. Indicibus prætermissus, anno 1380. 26. Junii, paciscitur cum Abbate S. Huberti.

XXII.

HUGO III. pariter omissus, anno 1381. ab quodam Thoma filio Ludovici Gibboli emit vineam. Eodem anno obtinuit ab Archiepiscopo Trevirensi, ut excommunicationis sententia disploderetur in militem prædii Justimontis infestantem.

XXIII.

MATHÆUS *MILLART* regebat anno 1397.

XXIV.

VIVIANUS III. contraxit fœdus charitatis & orationum cum Agnete Abbatissâ S. Glodessindis anno 1417.

XXV.

GERARDUS D'*ALNOU* bona suæ Abbatiæ alienata recuperavit, illorum restitutionem Decano sancti Salvatoris Metensis procurante.

XXVI.

THEODORICUS DE *SEMECOURT* ex resignatione Gerardi *d'Alnou*, à Capitulo approbata, fit Abbas, quo brevi exstincto, rursùs in Abbatem reassumitur

XXVII.

GERARDUS D'*ALNOU* defunctus die 12. Januarii 1429.

XXVIII.

JACOBUS D'*ALNOU*, 16. Januarii denatus 1441.

XXIX.

NICOLAUS DE *HAM*, Præmonstrati Canonicus, Theologiæ Baccalaureus, *in Pontis frigidi* Cisterciensium Abbatia consecratur Metis ab Conrado Bayer de *Boppart* Episcopo, 1. Septembris 1443. Jus patronatûs alternum, transtulit totum Nicolao de *Ham* Abbati, Gerardus de *Rodemach*, sic ut omni tempore & die penès Justimontanos Abbates collatio Pastoratûs de *Richemont* staret; hancque cessionem tabulis consignavit anno 1448. quo quidem Nicolaus V. summus Pontifex spontaneam Gerardi cessionem comprobavit. Nicolaum dissipata Ecclesiæ suæ prædia recuperantem, & Romano munitum fulmine ad cogendos usurpatores, intempestiva mors sustulit 11. Januarii 1449.

XXX.

JOANNES DE *FONTOYS* in ordinem redegit Isabellam *de Vamdeck* Abbatissam S. Glodessindis, jus decimandi in territorio de *Hameviller* prætendentem: Nicolai Decani Metensis, Pontii *Baudouche*, & Nicolai Roussel Militum judicio compressa, siluit, anno 1457. Abbas verò Joannes pedum pastorale posuit eodem anno.

XXXI.

JOANNES *LEOCART*, ex Priore Abbas electus, dignitati suæ valedixit 28. Maii 1459.

(a) Ex Regist. Pergam. quod inscribitur, *Traités de paix des Ducs de Bar*, in Archiv. Barr. extante. F. 203.

XXXII.

JOANNES DE LA SERRE uno pene anno Abbatiam tenuit, & in manus Simonis de *Perona* Abbatis Præmonstrati, Visitationem instituenti resignavit: Illi Fratrum electione datus est successor

XXXIII.

JOANNES DE RICHEMONT, primo suæ installationis anno defunctus, anno 1460.

XXXIV.

JACOBUS D'ALNOUL, cui anno 1462. quædam fœmina Laurentii Thierion conjux dedit quæcumque possederat apud *Gandelange* & *Vallange*.

XXXV.

JOANNES DE GUENANGE 1479.

XXXVI.

JACOBUS DE ROMBAS 15. Martii 1489.

XXXVII.

JOANNES DE HAYANGE, 1521.

XXXVIII.

JOANNES DE HAMECOURT, Præside D. *Mangin* Abbate S. Mariæ ad Nemus, vices agente Joannis de *Verpel* Abbatis Bellævallis, Patris Abbatis Justimonti, electus, cessit anno 1541.

XXXIX.

JOANNES DE HAMECOURT junior, ex resignatione approbata à Nicolao *Thuiliere* Abbate S. Mariæ, & Vicario generali, Abbatiam adipiscitur, illam morte interveniente relinquit 14. Martii 1471.

XL.

LUDOVICUS COCQUEREL Virduni à Nicolao Psalmæo benedictus, pro jure patronatûs Capellæ castralis *de Fontoys*, litem sibi intentatam Mechliniæ reportavit anno 1589. Petrum *Jodin* Abbatem S. Crucis, carceribus, Regis Galliæ, Metarum non ita pridem potientis, jussu, mancipatum ob patriæ proditæ suspicionem, liberavit, & ad Justimontum unà cum suorum Religiosorum cœtu secedere coactum, exulem benignè suscepit. Moritur Ludovicus Abbas 28. Aprilis 1589.

XLI.

NICOLAUS HERMANT. Hujus tempore in direptionem datus est hæreticis Justus-mons, sacra polluta sunt, prostrata ædificia, Chartophilacium ex parte crematum. Tantis ut occurreret malis, convenit libello supplici Carolum III. Lotharingiæ & Barri Ducem, qui Chartas sigillis aut plumbo mutilatas, itemque copias autographorum, aut ex pancartis exscriptas, voluit *in & extrà* judicium Originalibus æquivalere. Provinciam repetundæ Abbatiæ S. Crucis ereptæ Ordini, accepit ab Abbate Præmonstratensi Francisco à Longo-prato. Magnos, sed cassos conatus in hunc finem adhibuit. Instigante Servatio *Layruelz* Abbate S. Mariæ, & Vicario generali, prælaturam ætate gravis, resignavit anno 1609.

XLII.

CLAUDIUS GILBIN, Canonicus S. Mariæ Nemorensis, & Reformatoris Servatii alumnus, patris optimi degener filius. Factus Abbas disciplinam, quam suxerat, suo inseruit ab ingressu cœnobio, moribusque suis Reformationem spirans, Vicarius generalis ab Abbate Præmonstratensi Gossetio renuntiatur anno 1620. Quo quidem & se, & suos solemni sacramento 27. Aprilis Congregationi antiqui rigoris devovit. Sed anno vix elapso, pii operis ignominiosè pœnitens, ad laxiorem regulam revertitur, suoque vomitu provocat discipulos ad votorum violationem. Post fractam fidem datam Deo, fregit promissum factum Ecclesiæ. Prædia illius vendidit; dissipavit dominia; toparchiam Montis S. Joannis Baroniæ titulo insignem, in pago Luxemburgensi, alienavit. Venerabilia Procerum disjecit monumenta, & infensus capitaliter Reformationi, illam, quibus potuit, armis impetivit, lacessivit. Viginti septem annis, vir acris ingenii, sed malevoli cordis, Abbatiam rexit, seu magis depopulatus est. 27. Septembris anni 1636. vitam exuit Theodonis-villæ.

XLIII.

CLAUDIUS MORIZET, è reformationis gremio assumptus, S. T. Doctor, Romæ Procuratoris Syndici officio tùm defungebatur, ibique famam pietatis & doctrinæ nactus, quando ad vacantem Abbatiam sublectus est. Possessionem sub beneplacito Serenissimi Ducis adiit anno 1639. per procuratorem; In patriam redux, post aliquos pacificæ administrationis annos, colla oneri subduxit, & anno 1651. resignavit in favorem P. Hilarionis *Rampant*.

XLIV.

HILARION RAMPANT, quarto sui regiminis anno, ad Abbatiam Stivagiensem postulatus migravit, anno 1656.

XLV.

SERVATIUS RENAUD, ex Priore S. Mariæ Mussipontanæ, ad Justimontis Prælaturam evectus est. Circator Congregationis Reformatæ à Capitulo generali anno 1685. Institutus, 6. Februarii 1695. obiit vir bonus & rectus corde.

XLVI.

HIERONYMUS *Bertinet*, antehac Novitiorum Magister, postea Justimontis Prior, S.T. Doctor, 26. Maii 1695. electus, inauguratur Argentinæ ab Archiepiscopo Dubliniensi 14. Augusti anni ejusdem. Domum à fundamentis renovatam absolvit & ornavit. 23. Aprilis 1721. ætatis 66. denatum hoc funebri & encyclico elogio prosecuti sunt Justimontis Canonici.

» Admodùm R. P. ac Dominus HIERONYMUS *Bertinet*, S.T.D. Justimontis Abbas, » & nostræ Congregationis Norbertinæ Definitor, dum ad Capitulum annuum iter arriperet, morbo tactus in Parochia regulari de » *Rubro* sistitur, illicque diem vidit ultimum » 23. Aprilis anni 1721. ætatis suæ LXVI. Prælaturæ XXVI. Morum candorem, quem referebat actibus suis, solidâ fovebat pietate, & » qui alumnos olim in Congregationis nostræ » pædagogio Religioni pepererat, totus ad » Religionem effictus Magister, de primitivo » fervore nihil remiserat unquam. Humilis in » dignitatis fastigio, & pœnitentiam excribans, cæteris pœnitendi forma fuit. Patrimonium Christi eâ rexit œconomiâ, vir frugi & » modicus, ut caducas monasterii ædes instauraverit à fundamentis; Templum pretiosâ » instruxerit suppellectile, & eleganti decoraverit ornatu. Mortem interritus prospectans, » precibus provocavit, & animam sacramentis omnibus Ecclesiæ exhilaratam, fidei & » votorum nuncupatione vallatam, piè efflavit.

XLVII.

P. FRANCISCUS *Gaillard* ex Priore Venerabilis Sacramenti Parisiensis, electus est Abbas 6. Junii 1721. obiit die 8. mensis Junii 1727. eique per electionem sufficitur

XLVIII.

P. JACOBUS PETRUS *Jussr*, primitùs & per plures annos pastor & administrator *Blanzeii*, nunc feliciter & utiliter præest, atque utinam diù.

PATERNITAS.

Jus Paternitatis exercet in Abbatiam Salinævallis.

Olim Parthenonem *d'Hamerviller*, à seculis exstinctum.

PASTORATUS.

Duos possidet, *Fontoys* & *Richemont* in Diœcesi Metensi.

MONUMENTA SEPULCRALIA.

Antequam Gilbinus Abbas venerandos Benefactorum cineres, eorumque sepulchra irreligiosè violaret, extabant Magnatum tumuli, quibus furor hæreticus pepercerat. Hos inter eminebant mausolæa Florengianæ d mûs, quæ jus sepulchri hæreditarium in Ecclesia Justimontis acquisiverat. Ex Necrologii veteribus tabulis inhumatorum nomina collegimus.

Philippus de Florengia, Dominus d'*Emery* anno 1221. hìc sepultus est.

Robertus de Florengia, Dominus in *Emery*, in Ecclesia nostra sepultus est anno 1232.

Nicolaus de Florengia Miles, Dominus in *Emery*, in Ecclesia nostra sepultus est an. 1311.

Domina Lisia, Domina quondam de Florengia, jacet sub presbyterio hujus Ecclesiæ, cum patribus suis.

Domina Marguareta de *Lenoncourt*, Domina de Florengia hìc sepelitur anno 1433.

In ejus enim familiam *Florengia* Dynastia, per matrimonium Lisiæ cum Colardo de *Lenoncourt*, fuerat devoluta.

In eodem templo visebantur xenotaphia domûs de *Fontoys*, scilicet Werrici & Mariæ conjugum, Joannis & Sampsonis de *Fontoys*. Hic *Victoris* cognomentum ex bellicæ virtutis facinoribus obtinens, extremos vitæ dies in habitu Præmonstratensi conclusit.

Ibidem sepulti jacebant Theodoricus Mareschallus de *Brieio*, Fundator Aræ Omnium Sanctorum, Theodoricus d'*Estain*, de quo ad 18. Kal. Jan. hæc in Necrologio leguntur. » Obitus THEODORICI D'ESTAIN Militis, & » quondam Præpositi Briecensis, qui contulit » nobis unum pratum apud *Lubey*, pro anniversario suo annuatim recolendo. Obiit autem anno Domini 1345. & sepultus est in » Ecclesia nostra.

RELIQUIÆ SACRÆ.

Præcipua & notabilis Reliquia S. Mauritii in hac Ecclesia colitur, & sub istius sancti nomine altare erectum, frequenti populorum honoratur concursu.

Asservatur ibidem portio ossis S. Nicolai, in cujus honorem altare dedicatum est.

Vide Prob. à col. DCCCXXIIJ.

JUVANTIA.

Juvantia. Filia Rubi. Diœcesis Zagrabiensis Circaria Hungariæ.

SAnctimonialium Ordinis Præpositura, & quidem Monasticæ disciplinæ & reformationis tenacissima Juvantia, Capitulorum generalium sæpè laudibus cumulata ob clausuræ & Religionis observantiam. In Sclavoniæ Principatu & Zagrabiensi Diœcesi, intra Segesticæ Insulæ ambitum non procul ab interlabentis Savi littoribus assurgebat ille Parthenon, qui seculo decimo sexto incunte florentissimus, eodem cadente interiit.

FINIS

INDEX
TOMI PRIMI
Monaſteriologiæ Ordinis Præmonſtratenſis.

C

H

I

INDEX

R

S

T

V

ERRATA IN TEXTU,

Monasteriologiæ Tomi primi D. indicat Diœcesim C. Columnam.

Columna 7. linea 26. uxor, *lege*, filia.
Colum. 31. lin. 28. MCLX. *lege*, MDCLX.
Ibid. lin. 29. Carthovovi, *lege*, Carthovori.
Colum. 46. lin. 44. præsidiis, *lege*, præsidis.
Colum. 50. lin 54. Ticelimus, *lege*, Ticelinus.
Colum. 104. lin. 25. Hierarchicâ, *lege*, Hierarchiam.
Colum. 112. lin. 30. Castellnan, *lege*, Castellnau.
Ibid. lin. 39. Stella .... *dele.*
Colum. 139. lin. 14. protectoris, *lege*, protectorio.
Colum. 205. lin. 21. Firmum, *lege*, Firmam.
Colum 217. lin. 27. 1177. *lege*, 1277.
Colum 220. lin. 12. electorem, *lege*, electores.
Ibid. lin. 13. expulsi, *lege*, electores expulsos.
Colum. 225. lin. 33. à Francor. *dele*, à.
Colum. 242. lin. 7. moretur, *lege*, movetur.
Colum. 284. lin. 45. Insignatam, *lege*, Insignitam.
Ibid. lin. 9. adhibeantur, *lege*, adhibeatur.
Colum. 286. lin. 22. erat, *lege*, extat.
Colum. 110. lin. 55. alternandi, *lege*, æternandi.
Colum. 147. lin. 4. mutavit, *lege*, notavit.
Colum. 149. lin. 49. area, *lege*, Area.
Colum. 157. lin 24. spiritum, *lege*, spirituum.
Colum. 172. lin. 34. 1235. *lege*, 1285.
Colum. 199. lin. 45. Innoc. III. *lege*, VI.
Colum. 207. lin 40. Fiegen, *lege*, Siegen.
Colum. 247. lin. 1. subdendas, *lege*, subdendos.
Colum. 253. lin. penult. Priminius, *lege*, Primitus.
Colum. 300. lin. 22. spollebat, *lege*, pollebat.
Ibid. lin. 23. ntruso, *lege*, intruso.
Colum. 303. lin. 4. anno *dele.*
Colum. 320. lin. 38. 1426. *lege*, 1526.
Colum. 343. lin. 39. Vicomitis, *lege*, Vicecomitis.
Colum. 344. lin 34. Hanningus, *lege*, Janningus.
Colum. 351. lin. 49. Provincia, *lege*, Provinciæ.
Colum. 352. lin. 9. Abbatiatibus, *lege*, Abbatialibus.
Colum. 394. lin. 30. Baudemont, *lege*, Baudement.
Colum. 403. lin. 40. Eucharistia, *lege*, Eucharistiæ.
Colum. 414. lin. 6. Weimbomio, *lege*, Meimbomio.
Colum. 424. lin. 28. MDL. *lege*, MCDL.
Colum. 436. lin. 12. erolvebat, *lege*, exolvebat.
Colum. 469. lin. 33. Ferardi, *lege*, Everardi.
Colum. 478. lin. 6. sertarios, *lege*, sextarios.
Colum. 484. lin. 7. Basilex, *lege*, Basilicæ.
Colum. 489. lin. 23. Cressoville, *lege*, Cressonville.
Colum. 497. lin 17. parere, *lege*, parare.
Colum. 498. lin. 32. principe, *lege*, principes.
Colum. 510. lin. 52. provocantur, *lege*, provocant.
Colum. 512. lin. 12. altè, *lege*, alter.
Colum. 529. lin. 34. vacantum, *lege*, vacantium.
Colum. 530. lin. 33. &, *lege*, è.
Colum. 534. lin. 49. æquè, *lege*, æqui.
Colum. 537. lin. 13. Milovicensis, *lege*, Ninoviensis.
Colum. 548. lin. 52. Soiberti, *lege*, Sviberti.
Colum. 565. lin. 35. Comendatorios, *lege*, Commendatarios.
Colum. 588. lin. 31. 1598. *lege*, 1698.
Colum. 602. lin. 1. 1117. *lege*, 1217.
Colum. 605. lin. 36. Gem, *lege*, Gemp.
Colum. 606. lin 42. regiminis, *lege*, regimini.
Colum. 665. lin. 16. Hordingi, *lege*, Husdingi.
Colum. 668. lin. 54. pas, *lege*, pars.
Colum. 671. lin. 25. expeditio, *lege*, expeditione.
Colum. 672. lin. 14. Lecoviensis, *lege*, Leodiensis.
Colum. 685. lin. 53. Ecclesiæ, *lege*, Ecclesia.
Colum. 687. lin. 36. suæ, *lege*, suo.
Colum. 696. lin. 3. præfecturæ, *lege*, præfectura.
Colum. 701. lin 52. Sculptoris, *lege*, Sculptorii.
Colum. 715. lin. 49. *post* canonissæ, *adde*, non.
Colum. 721. lin 47. custodium, *lege*, custodum.
Colum. 722. lin. 20. Poncalibus, *lege*, Pontificalibus.
Colum. 731. lin. 10. facisscentis, *lege*, fatiscentis.
Ibid. lin. 29. Cecykius, *lege*, Cuykius. *Idem.* lin. 31, emenda.
Colum. 742. lin. penult. viri, *adde*, mortem.
Colum. 745. lin. 36. Laur, *lege*, l'Aar.
Colum. 748. lin. 25. unitus, *lege*, unitas.
Colum. 759. lin. 47. subjiciebatur, *lege*, subjiciebantur.
Colum. 761. lin. 8. habitabula, *lege*, habitacula.
Ibid. lin. 23. novellam, *lege*, novellum.
Colum. 763. lin. 55. Judiano, *lege*, Juliano.
Colum. 772. lin. 31. Monsfeldiani, *lege*, Mansfeldiani.
Colum. 780. lin. 38. præterstit, *lege*. prætermisit
Colum. 792. lin. 40. Arnouldus, *lege*, Arnoldus.
Colum. 814. lin. 14. favere, *lege*, fovere.
Colum. 822. lin 27. anni, *lege*, omni.
Ibid. lin. 42. prætento, *lege*, prætenso.
Colum. 873. lin. 39. exempara, *lege*, exemplaria.
Colum. 874. lin. 31 Chominensi, *lege*, Caminensi.
Ibid. lin. 37. Wioia, *lege*, Wia.
Colum. 876. lin. 18. aliis, *lege*, alii.
Colum. 877. lin. 31. & fabre, *lege*, affabrè.
Colum. 879. lin. 28. Blankenkeim, *lege*, Blankenheim.
Colum. 881. lin. 27. obreptus, *lege*, abreptus.
Colum. 883. lin. 49. Sisseio, *lege*, Silleio.
Colum. 903. lin. 38. Fluvioni, *lege*, Fluvioli.
Colum. 911. lin. 40. substituerunt, *lege*, substiterunt.
Colum. 912. lin. 32. Coelbos, *lege*, Coelebs.

Curabit Auctor, qui sequentes tomos ipse corriget, ne tot scateant mendis.

PROBATIONES

TOMI PRIMI

MONASTERIOLOGIÆ PRÆMONSTRATENSIS.



PROBATIONES
PRIMI TOMI MONASTERIOLOGIÆ
PRÆMONSTRATENSIS.

PRÆMONSTRATUM.

CHARTA BARTHOLOMÆI EPISCOPI, Transcribentis Præmonstratum Beato Norberto anno 1121.

1121. N Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, Ego Bartholomæus Dei gratiâ Laudunensium Præsul: Cùm Ecclesia Sancti Vincentii locum qui Præmonstratus dicitur, qui ad propriam mensam Episcopi pertinebat, ex dono Prædecessoris nostri Elinandi Episcopi haberet, sicut in ejusdem Ecclesiæ Privilegio continetur; Monachi diu locum illum incoluerunt, & per multos labores nullum vel parvum fructum consequebantur: Quod Ego attendens, rogavi Adalberonem Abbatem & Monachos, ut locum supradictum mihi liberè concederent, quatenùs secundùm voluntatem meam de eo disponere possem. Abbas autem & Monachi petitioni meæ assentientes, quidquid in illo loco habebant mihi liberè & sine contradictione concesserunt. Ego verò non ingratus eorum voluntati, concessi Ecclesiæ Sancti Vincentii Altare de *Bariaco* in perpetuum (salvo synodali jure) habendum. Dedi eis etiam dimidium modium frumenti ad molendinum quod apud villam situm est, quæ *Broincurtum* dicitur. Videns autem supradictum locum, qui Præmonstratus dicitur, Religiosis viris utilissimum, Fratri Norberto & subditis, & posteris ejus liberè & sine contradictione in perpetuum concessi habendum. Frater verò Norbertus, sicut alienæ rei minimè cupidus, primitùs noluit recipere, donec Seifridus Abbas Sancti Vincentii & Monachi ejus donum illud ei firmaverunt in Capitulo, communi assensu. Quæ verò concessio, ne aliquo modo deinceps immutari posset, impressione nostræ imaginis, & sigillo Sanctæ Mariæ Laudunensis Ecclesiæ, & sigillorum Seifridi Abbatis Sancti Vincentii confirmare curavimus. *Sign.* Bartholomæi Laudunensis Episcopi. *S.* Seifridi Abbatis Sancti Vincentii. *S.* Simonis Sancti Nicolai de Sylva. *S.* Guidonis Decani & Archidiaconi. *S.* Rodulphi Archidiaconi. *S.* Bilhardi Cantoris. *S.* Roberti Decani Sancti Joannis. *S.* Gaufridi Cantoris. *S.* Roberti Præpositi Sancti Martini. *S.* Herberti Vice-domini. *S.* Clarembaldi de Foro. *S.* Nicolai Castellani. Actum Lauduni in Capitulo Sanctæ Mariæ Laudunensis Ecclesiæ, anno Dominicæ Incarnationis 1121. indictione 14. epactâ nullâ concurrente quinto. Ego Radulphus Laudunensis Ecclesiæ Cancellarius scripsi & subscripsi.

Charta Donationis Præmonstrati per Bartholomæum Episcopum Laudunensem, anno 1121.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Notum fieri volumus, tam præsentibus quàm futuris, quòd ego Bartholomæus Laudunensis Episcopus, viro reverendo & spectabilis religionis temporibus nostris Norberto, & successoribus ejus in sancto proposito viventibus, dederim locum, qui nostri juris erat, totum liberum ab omni exactione cujuslibet personæ absolutum, apud Huberti-pontem [a], à loco qui dicitur Halieprest [b], usque ad vallem Rohardi [c], cum tribus adjacentibus vallibus, totum in allodium, à rivo versùs Vois [d], sicut valles dividunt & perportant, ad Ecclesiam in honorem Dei & Sanctæ Dei Genitricis construendam, & sicuti totum possidemus in allodium, ita omnimodis liberè possidendum eis concedimus. Pascua verò, seu prata, à Ponte Huberti usque ad Mormandi vicinum, & citra & ultra rivum, animalibus eorum communia erunt omni tempore. Ultra rivum autem ex parte Ecclesiæ in defensione erunt ad opus eorumdem fratrum usque ad collectionem fœni & frugum. Deinde verò communia erunt tantùm ut nullus importunus sit religioni eorum super ulla occasione. Conceditur tamen Rusticis qui sunt in vicinia, colligere de sylva quæ est in jugis montium, colligere materiam ad opus capitis seu stipitis aratri, sive axis. In omni igitur labore eorumdem fratrum facto in iisdem locis, nullus exigat ab eis nec decimam, nec terragium, nec molestiam qualibet persona inferat quieti ipsorum, & omnimodis ab omni parochia absolutos, omnesque

1121.

a Hubert-pont. b Pres-prieur. c Vallée Rohard. d Vois.

eis subjectos heremitas permanere censemus. Volumus etiam notum fieri, quòd Ecclesia Premonstrata & locus, eisdem à prædecessore meo Helenando data & confirmata fuit Ecclesiæ Sancti Vincentii, sicut etiam in Privilegio continetur; modò verò, quia in solitudinem penitùs universa ibi erant redacta, Abbas Selfridus, & conventus ejusdem Ecclesiæ Sancti Vincentii, utile duxerunt esse consilium in nostram manum reddere, & ad nostram dispositionem pendere, quod & factum est. Unde nihil melius esse considerantes in hoc negotio, eandem Ecclesiam, cum omnibus quæ monachi prædicti ibidem possidebant, eidem Norberto venerabili viro, & successoribus ejus in sancto proposito viventibus, similiter ab omni exactione liberè condonavimus, perpetuò possidenda; ita ut nullos conventus laïcorum secum adhibeant, nisi tantùm personas quæ sub eodem proposito vivant. Et ut liberiùs ista possideant, ad molendinum nostrum, quod dicitur *Burdellum* [e], censum frumenti sex galetarum constituimus prædictis per singulos annos. Fratres verò de Præmonstrata Ecclesia, nihil à modo super hoc respondebunt eis, & Canonicis de sancto Johanne Laudunensi ad quos decima Præmonstratæ Ecclesiæ pertinebat, ad idem molendinum quatuor galetas frumenti divisimus, & fratres Præmonstratæ Ecclesiæ in nullo quæ ad decimam Parochiæ eorum pertinent à modo respondebunt eis. Totum etiam sicut valles perportant circumjacentes Præmonstrato loco, & proclivia montium ex omni parte eisdem fratribus religiosè viventibus perpetuò possidenda liberè sicut allodium ratum esse censemus, & nulla circumjacentium Parochiarum, vel in decimis, vel in aliqua inquietudine molestiam ingerat eorum religioni. Factum est autem hoc assensu & voluntate Thomæ, de cujus feodo duæ partes decimæ descendebant, quas ipse, & illi qui ab eo tenebant, in nostras manus ad opus prædictorum Fratrum reddiderunt; quidquid etiam juris vel consuetudinis ipse Thomas & sub eo Forestarii ejus, scilicet Girelmus de *Valsalione* [f], & Radolphus de *Quinciaco* [g], & Radolphus major de *Cociacovilla* [h] habebant, totum ad opus prædictorum Fratrum liberum & quietum donaverunt. Ipse etiam Thomas apud locum *Rosiers* carrucatam terræ prædictis fratribus dedit, viam etiam quà vicini accolæ per mediam vallem Præmonstratæ Ecclesiæ ire consueverant, omnibus volentibus obstrui fecimus. Robertus etiam de *Anlerio* allodium quod in contingua sylva habebat, in nostra manu ad opus prædictorum Fratrum reddidit. Præterea nos dedimus prædictis Fratribus tres carrucatas terræ, unam apud villam nostram *Ansiacam*, aliam apud *Larciniacum* [i], tertiam apud *Capriniacum* [l] supra montem ultra rivum Aquilam [m], absque decimis earumdem trium carrucarum. Quicumque hanc nostræ institutionis paginam & instrumentum infringere vel inquietare tentaverit, anathema sit, & iram omnipotentis Dei incurrat in die Judicii. Actum est hoc anno Dominicæ Incarnationis MCXXI. indictione XIIII. Epactâ nullâ concurrente V. *Signum* Bartholomæi Laudunensis Episcopi. *S.* Widonis Decani & Archidiaconi. *S.* Radulphi Archidiaconi. *S.* Seifridi Abbatis Sancti Vincentii. *S.* Simonis Abbatis Sancti Nicolai de Sylvâ. *S.* Blihardi Cantoris. *S.* Drogonis Presbyteri. *S.* Herberti Presbyteri. *S.* Ehardi Diaconi. *S.* Godefridi Diaconi. *S.* Eliardi Subdiaconi. *S.* Widonis Subdiaconi. *S.* Roberti Acolythi. *S.* Roberti Decani Sancti Johannis. *S.* Jusfridi Cantoris. *S.* Hemmonis Thesaurarii. *S.* Henrici. *S.* Valerii. *S.* Gundranni. *S.* Hugonis. *S.* Roberti Presbyteri Ecclesiæ Sancti Martini. *S.* Helberti Vice-domini. *S.* Clarebaldi de Foro. *S.* Nicolai Castellani. ACTUM Lauduni in Capitulo Beatæ Mariæ Laudunensis Ecclesiæ, anno Dominicæ Incarnationis MCXXI. Indictione XIIII. Epactâ nullâ concurrente V. regnante Rege Francorum Ludovico, qui Fratri Norberto & cæteris fratribus in supradicto loco religiosè viventibus concessit habendum in perpetuum quidquid datur & dabitur eis quod pertineat ad suum feodum. Ego Rodulphus Cancellarius scripsi & subscripsi.

[e] Bordet.
[f] Vausaillon.
[g] Quincy.
[h] Coucy-la Ville.
[i] Verigny prés de la Ferte.
[l] Le Mont de Chevregny.
[m] Riviere d'Aigle, aujourd'hui d'Elle.

Charta Confirmationis Ordinis Præmonstratensis à duobus Legatis in Gallia agentibus anno 1125.

PEtrus Leonis Presbyter, & Gregorius de Sancto Angelo Diaconus, Dei gratiâ Sedis Apostolicæ Cardinales & Legati, Venerabili Fratri nostro Norberto, cæterisque Fratribus Canonicam sub eo vitam professis, Salutem & benedictionem. Omnipotenti Deo cujus misericordia super vitas, gratias agimus, quia vos estis qui sanctorum Patrum vitam probabilem renovatis, & Apostolicæ instituta doctrinæ, primordiis Ecclesiæ sanctæ inolita, sed & crescente Ecclesiâ jam penè deleta, instinctu Sancti Spiritûs suscitatis. Duæ enim ab Ecclesiæ sanctæ primordiis vitæ ejus filiis sunt institutæ: una quâ infirmorum debilitas detinetur; altera quâ fortiorum virtus beata efficitur; una permanens in Segor parvula, altera ad montis altiora conscendens; una lacrymis & eleemosynis quotidianis quotidiana peccata redimens, altera per quotidiana instituta merita æterna conquirens. Alteram tenentes inferiorem bonis terrenis utuntur, alteram sequentes superiorem bona æterna suscipiunt, & terrena relinquunt. Hæc autem quæ à terrenis divino fervore divertitur, in duas unius penè ejusdemque propositi dividitur portiones, Canonicorum scilicet & Monachorum. Harum secunda per divinam misericordiam frequentata jam satis sæculo universo elucet. Prima verò licèt decalescente fervore fidelium, aliquando penè defluxerit, nostris tamen temporibus, divinâ inspirante clementiâ vigere plurimùm cœpit. Hanc Urbanus Pontifex & Martyr instituit, hanc Augustinus suis ordinavit regulis, hanc Hieronymus suis epistolis informavit. Non minoris itaque æstimandum est meriti vitam hanc primitivæ Ecclesiæ, adspirante & prosequente Domini Spiritu suscitare, quàm florentem Monachorum Religionem ejusdem Spiritûs perseverantiâ custodire. Vestrum ergo propositum Sedis Apostolicæ, cujus Legationis fungimur authoritate firmamus, & firmos vos in eo stare adhortamur, & tanquam Deo per nos exhortante obsecramus. Quamobrem omnibus in vestris cœnobiis vitam Canonicam secundùm hujus tenorem Ordinis profitentibus, & in ea adjuvante Domino permanentibus, nos Apostolorum Petri & Pauli benedictionem & peccatorum suorum absolutionem concedimus. Constituentes ne cuiquam omninò liceat hunc vestri Ordinis statum commutare, cujus tantus in tot terrarum partibus fructus exuberat, ut plures vestri saporis dulcedine condiantur. Statuimus etiam, ne professionis Canonicæ quispiam, postquam Dei vice super caput sibi hominem imposuerit, alicujus levitatis instinctu, & districtioris religionis obtentu, ex eisdem claustris audeat sine Abbatis totiusque Congregationis permissione discedere: Discedentem verò, ut nullus Abbatum vel Episcoporum, nullus Monachorum, sine communium litterarum cautione suscipiat interdicimus. Vos ergo, Filii in Christo charissimi, dilectionis vestræ studiis semper promptioribus respondentes, strenuè quod Deo promisistis implere satagite. Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est. Cujus Patris, ut hæc firma permaneant, & Filii & Spiritûs Sancti virtute sancimus. Si quis autem contra hujus paginæ sanctionem sciens venire

tentaverit, nisi secundò tertiòve commonitus satisfecerit, canonicâ ultione plectatur. Ego Petrus Sedis Apostolicæ Presbyter Cardinalis & Legatus subscripsi. Ego Gregorius Sancti Angeli Diaconus, Cardinalis & Legatus subscripsi. Scriptum Noviomi, quarto kalendas Julii anno Incarnationis Dominicæ MCXXV. Pontificatus autem Domini Calisti II. Papæ anno vj.

Charta Ludovici Crassi Francorum Regis, pro Confirmatione bonorum Præmonstratensibus traditorum, anno 1125.

1125. IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, Ego Ludovicus gratiâ Dei Francorum Rex, notum fieri volo tam præsentibus quàm futuris, quòd propter Deum per quem Reges regnant, & pro Regni nostri protectione, & remedio animæ meæ, seu Conjugis, hæredumque meorum incolumitate, viris Deum timentibus & valdè religiosis Domino Norberto, & Fratribus sub eo degentibus, eorumque successoribus, in Ecclesia sanctæ Dei Genitricis Mariæ, sanctique Joannis-Baptistæ, in loco qui dicitur Præmonstratus, dedi duas partes decimæ de Parochia quæ dicitur *Crispiacus*, quæ nostri fuerant juris & possessionis, perpetuò possidendas. Quod ne cujuslibet usurpatoris invidiâ minui posset vel infirmari, litterarum memoriæ commendari, & nostri nominis caractere & sigillo signari & corroborari præcepimus, viventibus in Palatio nostro, quorum nomina subtitulata sunt, & signa. *Signum* Stephani tunc temporis Dapiferi & Cancellarii. *S.* Gisleberti Buticularii. *S.* Hugonis constabularii. *S.* Albrici Camerarii. ACTUM est publicè Suessionis in Palatio Episcopali, anno Incarnati Verbi 1125. anno quoque Consecrationis nostræ decimo sexto. Hujus denique charitatis testimonium perhibent veritati Stephanus Episcopus Parisiensis. Petrus Episcopus Bellovacensis. Rodulphus Comes Vermandensis. Reinaldus Comes Suessionensis. Drogo de Petro-ponte. Walcranus Præpositus Ecclesiæ. Ansculphus Archidiaconus. Ebaldus Archidiaconus. Bernardus Decanus. Ego Stephanus Regis Notarius, dictando propriâ manu subscripsi.

Bulla Honorii Secundi, Ordinem Præmonstratensem Confirmantis, anno 1126.

1126. HOnorius Episcopus, Servus servorum Dei, dilectis filiis Norberto Fratri in Christo, & Canonicis Præmonstratæ Ecclesiæ Sanctæ Mariæ, eorumque successoribus Regularem vitam in perpetuum professis. Apostolicæ disciplinæ sectantes vestigia mundanis quidem pompis & possessionibus abrenuntiant, & Domino totis nisibus famulantur. Isti ergo si bonum quod incœperint, consummarint, in extremo examine Judicis sunt immortalitatis stolam & perpetuam gloriam adepturi. Quia igitur vos religiosè vivere & Canonicam vitam secundùm Beati Augustini institutionem ducere, inspirante divinâ gratiâ decrevistis; propositum vestrum Sedis Apostolicæ authoritate confirmamus, & firmos vos in remissionem peccatorum vestrorum in eo persistere adhortamur. Statuimus itaque, ut in Ecclesiis vestris, in quibus Fratres vitam Canonicam professi degunt, nulli omninò hominum liceat secundùm Beati Augustini Regulam ibidem constitutum Ordinem commutare; nullus etiam Episcoporum futuris temporibus audeat ejusdem Religionis fratres ab Ecclesiis vestris expellere, nec professionis Canonicæ quispiam ex eisdem Ecclesiis aut claustris audeat sine communi Congregationis permissione discedere: discedentem verò, nullus Episcoporum, nullus Abbatum, nullus Monachorum sine communium litterarum cautione suscipere. Bona etiam & possessiones quas justè & legitimè possidetis, præsentis nostri scripti paginâ confirmamus, in quibus hæc propriis nominibus duximus exprimenda: Ecclesiam videlicet Sancti Martini Laudunensis in Laudunensi Episcopatu, Vivariensem Ecclesiam sanctæ Mariæ in Suessionensi Episcopatu, Floreffiensem Ecclesiam sanctæ Mariæ in Leodiensi, Capenberg Ecclesiam sanctæ Mariæ & Beatorum Petri & Pauli in Monasteriensi, Wallar Ecclesiam sanctæ Mariæ in eodem Episcopatu, Clostat * Ecclesiam sanctæ Mariæ in Moguntiensi, Ecclesiam sancti Annalis in Metensi, Antuerpiæ Ecclesiam sancti Michaëlis in Cameracensi; ambitum ejusdem vallis à loco qui dicitur *Halierprè*, usque ad vallem Rochardi, cum tribus adjacentibus vallibus, & à rivo versùs *Vois*, sicut valles proportant. Duas partes decimæ quas in villa de *Crespi* per Laudunensem Episcopum habetis, & cætera quæ in eadem villa largitione dilecti Filii nostri Ludovici Regis Franciæ possidetis. Alodium *Clarifontis*, Alodium *Ramengeis* cum molendino; tres mansos apud *Bolmont*; *Anisi* mansum unum cum molendino; *Fraines* mansum unum, *Versigny* mansum unum. *Souppy* tres mansos & dimidium; totum alodium quod dicitur *Bonnuel*. Suessioni domum unam cum vineis & terris; Vineas in Laudunensi pago in villa quæ dicitur *Broiencourt*, & *Ursignicourt*, & *Montarcenne*. Quæcumque præterea in futurum, concessione Pontificum, liberalitate Regum vel Principum, vel aliis justis modis canonicè poteritis adipisci, firma vobis vestrisque successoribus in sanctæ Religionis proposito permansuris, & illibata serventur. Decernimus ergo ut nulli omninò hominum liceat easdem Ecclesias temerè perturbare, aut eorum possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, vel temerariis vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur, Regularium Fratrum & pauperum usibus profutura, salvâ diœcesanorum Episcoporum canonicâ Justitiâ. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica sæcularisve persona hanc nostræ Constitutionis paginam sciens, contra eam temerè venire tentaverit, secundò tertiòve commonita, si non satisfactione congruâ emendaverit, potestatis honorisque sui careat dignitate, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sanctissimo Corpore & Sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri Jesu-Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eisdem Ecclesiis jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu-Christi, quatenùs & hîc fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Ego Honorius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus. DATUM Laterani per manum Haimerici Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconi Cardinalis, & Cancellarii, decimo-quarto kal. Martii indictione quartâ, anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo vigesimo-sexto, Pontificatûs autem Domini Honorii Secundi Papæ anno secundo.

* Elcostad.

Diploma Ludovici VI. Regis Francorum, approbantis factas Præmonstrato donationes.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, Amen. 1136.
Ego Ludovicus Dei gratiâ Rex Francorum, Notum fieri volumus cunctis Fidelibus tam futuris, quàm instantibus, quòd quidquid Bartholomæus Venerabilis Laudunensium Episcopus Ecclesiæ de Præmonstrato, & fidelibus ibi Deo famulantibus dedit & daturus est, & quidquid etiam quilibet alii, quod ad regalia pertinent, illis dederunt vel daturi sunt, Nos & volumus & concedimus & approbamus, & regiâ auctoritate nostrâ, annuente Filio nostro Ludovico jam in Regem coronato, in perpetuum confirmamus. Quod ne valeat oblivione deleri, scripto commendamus; & ne possit à posteris infirmari, sigilli nostri auctoritate, & nominis nostri caractere subterfirmavimus. ACTUM

Lauduni publicè anno Verbi Incarnati 1136. Regni nostri 29. Ludovico filio nostro in Regem coronato anno 4. adstantibus in Palatio nostro quorum nomina substituta & signata sunt. *Signum* Radulphi Viromanduorum Comitis Dapiferi nostri. *S.* Willermi Buticularii. *S.* Hugonis Constabularii. *S.* Hugonis Camerarii. Datum per manum Stephani Cancellarii.

Charta Bartholomæi Laudunensis Episcopi, contestantis & laudantis donationes factas Ecclesiæ Præmonstratensi ab Ingelranno de Marla, pro oneribus Capituli Generalis supportandis.

1138. IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ego Bartholomæus Dei patientiâ sanctæ Laudunensis Ecclesiæ Minister humilis, Hugoni Præmonstratensis Ecclesiæ Abbati, ejusque successoribus canonicè substituendis in perpetuum. Quia successu temporum facilè subrepit præteritorum oblivio, res gestas paci futurorum memoratu necessarias scripto commendare decrevit antiquitas. Eapropter Hugo Fili charissime, tam futuris, quàm præsentibus volumus innotescere, quòd Ingelrannus filius Thomæ de *Marla*, cum Roberto fratre suo, & matre eorum Milesende, & ejusdem nominis sorore suâ, ob remedium animarum suarum, tibi & Ecclesiæ tuæ quosdam subtus nominandos contulerunt redditus; hâc quidem definitione, ut in annuo colloquio coabbatum vestri Ordinis apud vos celebrando, ad eorum ponantur sumptus. Hujus autem gratiâ beneficii, primò post hanc attributionem Colloquii, Coabbates talem illis constituerunt recompensationem pietatis, ut audito Ecclesiastico obitu singulorum, ut prædiximus, hanc eleemosynam conferentes in omnibus Ecclesiis hujus Ordinis tantùm fieret pro eorum singulis, quantùm pro uniuscujusque Ecclesiæ Fratribus, & in perpetuum anniversarius celebretur. Anniversarius etiam Thomæ eorum Patris, & Alelmi eorumdem fratris. Hii autem sunt redditus: Terragium de *Vrevim*, cum decima, & terragium de *Angeis*, sicut in dominio suo tenebat. Terragium etiam de *Concivilla*, exceptis duobus modiis hyemalis annonæ, qui persolvuntur Ecclesiæ B. Mariæ Nongenti. Vivarium etiam cum molendino juxta eandem villam. Nos autem congaudentes & eorum saluti & vestris precibus, hoc donum in præsentia mea factum coram legitimis testibus, authoritate nostrâ confirmamus, scriptumque sigilli nostri impressione subsignamus. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica sæcularisve persona hanc decreti nostri paginam sciens, hoc donum temerario ausu irritare tentaverit, secundò tertióve commonita, nisi de contemptu Episcopalis auctoritatis, & de injuria Ecclesiæ satisfecerit, anathematis vinculo innodetur.

Hi autem sunt testes:
Arnandus Archidiaconus.
Bruno Abbas S. Mariæ Nongenti.
Ibodo Medicus.
Drogo de Nigella.
Guido Castellanus de *Coucy*.
Ado de *Guni*.
Sarracenus Farræ Castellanus, &c.

Etiam ad prædictum donum pertinet decima & terragium de *Anchi*, & molendinum de *Rabusses*. ACTUM anno Dominicæ Incarnationis 1138. Epactâ vij. concurrente v. Indictione j.

Bulla Innocentii II. Præmonstratensem Ecclesiam sub B. Petri protectione suscipientis, &c.

1138. INnocentius Episcopus, Servus servorum Dei, dilecto Filio Hugoni Præmonstratensi Abbati, ejusque successoribus canonicè promovendis in perpetuum. Justis votis assensum præbere, & Religiosorum preces benignis auribus exaudire, Apostolicæ convenit dignitati. Nec dubium quòd si servorum Dei petitionibus benignè concurrimus, nostris opportunitatibus clementem Dominum reperimus; ut quemadmodum divinâ providentiâ Patres in Dei populo dicimur, ita etiam effectu prosequente operis salubriter præesse fidelibus mereamur. Cum igitur Universis personis Ecclesiasticis nos oporteat generaliter providere, erga illos tamen propensiori curâ nos convenit esse sollicitos, quos constat majori studio omnipotentis Dei servitio inhiare, & acriori religione ac morum honenestate clarescere. Hoc profectò intuitu, dilecte in Domino fili *Hugo* Abbas, tuæ devotionis precibus debitâ benignitate impertimur assensum, & Præmonstratensem Ecclesiam, cui, Deo auctore, præesse dinosceris, cum omnibus ad eam pertinentibus præsentis privilegii paginâ communimus: Statuentes ut quascumque possessiones, quæcumque bona idem venerabilis locus in præsentiarum justè & canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione Fidelium, seu aliis justis modis, Deo propitio, acquirere poterit, firma tibi tuisque successoribus & illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis, atque interventu venerabilium Fratrum nostrorum Bartholomæi Laudunensis, & Simonis Noviomensis Episcoporum vestro Monasterio confirmanda: Ambitum scilicet vallis Præmonstratensis, sicut in vestris scriptis continetur, & certis terminis definitur, ab omni videlicet exactione liberum tam terragii, quàm decimæ, sive census. Curiam quoque de *Fontenellis*, cum vivario & duabus partibus molendinorum subjacentium, cæterisque appendiciis suis. Curiam de *Penencourt*, cum vineis & cæteris appendiciis suis. Curtem de *Merlin* cum vineis suis. Curtem de *Roseriis* cum pertinentiis & appendiciis suis. Curtem de *Vercigny* cum appendiciis suis. Curtem de *Souppy*, cum molendinis subjacentibus in flumen, quod dicitur Axona, cæterisque appenditiis & pertinentiis suis. Duas partes decimæ de *Crepy*. Tertiam partem decimæ de *Chavux*. Apud *Valavergni* decem modios vini de decima ejusdem villæ. Decimam cum terragio de *Vrevin*. Et terragia de *Concivilla*, exceptis duobus modiis, quæ inde persolvi debent Ecclesiæ B. Mariæ Nogenti. Vivarium etiam & molendinum juxta eandem villam, sicut hæc ipsa habuerat in suo dominio Ingelrannus filius Thomæ de *Marla* in prædictis duabus villis. Census de *Poilly*. Molendinum de *Rochir*. Molendinum de *Proisel*. Molendinum de *Achery*. Molendinum de *Cortus*. Molendinum de *Conceny*. Vinagia de *Bourgnignon*. Terram de *Carenni*. Duas partes molendini de *Aquila*. Vineas de *Broiencourt*, *Ursignicourt*, *Brummont*, *Lizy*, *Valavrigny*, *Montarcenne*, & *de Montbavin*. Vineas de *Coucy Castello*, & de *Concivilla*. Vinagia & vineas de *Novavilla* in Suessionensi Episcopatu, in suburbio Civitatis, curtem & locum, torcularium & vineas. Apud *Pomerias* vinagia. Census denariorum Branæ Castri, & Branellæ villæ. Curtem de *Bucy* cum vineis, cæterisque pertitinentiis suis. Molendinum de *Rupibus*, quod sub eadem villa est. Curtem de *Clamecy*, cum torculari, vineis, & aliis pertinentiis. Apud *Serny* duo torcularia, vineas, & alios redditus. Curtem de *Tenselva* cum pertinentiis suis. Curtem de *Lusly*, & dimidium molendinum cum cœteris pertinentiis. Apud *Besbencourt* vinagia & alios redditus. Apud *Pinon* quemdam censum, & tertiam partem minutæ decimæ de atrio, & sextam partem cujusdam molendini, & decimam, quam Jossbertus ibidem habuit. Capellam & curtem de *Rosel*, cum molendino, vivario, torculari, vineis & omnibus pertinentiis suis. In monte de *Trosly* curtem unam, & in valle aliam, cum terris, vineis & aliis pertinentiis suis, & partem villæ cum suis appenditiis, quam Andræas de *Baldimento* vobis contulit, sicut eam in do-

minio suo tenebat : & quædam alia ab aliis Dei fidelibus oblata. Curtem de *Bincy* cum pertinentiis suis. Curtem de *Attechi*, & duas partes decimæ, vineas, cum cæteris appendiciis. Apud *Canny* censum & vinagia. In villâ quæ dicitur *Pons S. Medardi*, quandam partem decimæ. Apud *Margival* dimidium molendinum. Medietatem castanearum à *Vansaillon*. In Episcopatu Noviomensi altare & curtem de *Benolio*, cum pertinentiis suis. Curtem de *Bolmont*. Curtem de *Calveni*. Allodium de *Germainnes*. Curtem de *Montisel*. Curtem de *Thory*. Curtem de *Landricourt*. Et in suburbio Noviomensi terram, vineas & prata, curtem, cum his quæ ad eam pertinent. Molendina *Despeville*, & dimidiam partem decimæ ejusdem villæ. Duas partes decimæ *Destoily*. Sextam partem decimæ de *Durs*. Molendina de *Offois*, & duas partes decimæ ejusdem villæ. Tertiam partem decimæ de *Grecy*. Dimidiam sedem cujusdam molendini apud *Dinisam*, & medietatem decimæ ejusdem villæ. Duas partes decimæ de sancta Radegunde. Duas partes decimæ de *Calveni*. Tertiam partem decimæ de *Caullaincourt*. Duas partes decimæ de *Gricourt*. Tres partes dimidiæ partis decimæ de *Leberives*. Tertiam partem decimæ de *Lancy*. Decimam de *Kevres*. Terram apud *Omencourt*. Terram de *Liencourt*, & de *Curcy*. Tria jugera apud *Grenm*. Cappellam S. Nicolai liberam apud S. Quintinum. Curtem allodiorum cum suis appenditiis. Curtem de *Voïana* cum appenditiis. Curtem de *Hanapiis* in alodio cum decima. Duas partes decimæ de *Bechincourt*. Duas partes decimæ de *Cartigny*. Totam decimam de *Falvi*, exceptâ minutâ. Quartam partem de *Aldeni*. Molendina de *Æscanly*, cum appenditiis suis. Molendina de *Hamel*. Sedes cujusdam molendini apud *Pieton*. Illud etiam humanitatis ratione perspeximus, & præsenti decreto in perpetuum valituro sancimus, ut Sorores, quæ per laborem Fratris nostri bonæ memoriæ *Norberti* Magdeburgensis Archiepiscopi, & vestram exhortationem, ad omnipotentis Dei servitium accesserunt, & semetipsas Domino obtulerunt, de bonis Ecclesiæ vestræ, quorum non modica pars eidem loco per eas noscitur pervenisse, sine cujusquam contradictione nunc & semper, in sustentatione temporalium necessaria consequantur. Simili quoque modo decernimus, ut de laboribus, quos propriis manibus sumptibusque colligitis, dare decimas cuiquam non cogamini; sed nec alicui Episcopo liceat qualibet occasione in Ecclesia vestra divina Officia prohibere. Si verò generale interdictum in Diœcesi factum fuerit, exclusis Excommunicatis, & clausis januis nihilominùs divina Officia celebretis. Porrò ordinationes Canonicorum, vel consecrationes Altarium vel Basilicarum, seu reliqua Ecclesiastica Sacramenta à Laudunensi suscipietis Episcopo, si quidem Catholicus fuerit, & gratiam atque communionem Apostolicæ Sedis habuerit : alioquin Catholicum quemcumque malueritis adeatis Antistitem, qui nostrâ fultus auctoritate, quod postulatur indulgeat. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatam Ecclesiam temerè perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet molestiis fatigare, sed omnia vobis integra conserventur, eorum, pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura. Si quis autem ausu temerario huic nostræ Constitutioni scienter contraïre præsumpserit, secundò tertiòve commonitus, si non præsumptionem suam congruâ emendatione correxerit, excommunicationi subjaceat. Conservantes autem hæc, omnipotentis Dei & BB. Petri & Pauli Apostolorum ejus gratiam consequantur. Amen. Amen. Amen.

Ego Innocentius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus. DATUM Laterani per manum Lucæ Cardinalis Presbyteri, agentis vicem Domini Haimerici S. R. E. Diaconi Card. & Cancellarii, xij. Kal. Januarii, Indictione 2. Incarnationis dominicæ anno 1138. Pontificatûs verò Domini Innocentii Papæ II. anno viij.

Diploma Ludovici VII. confirmantis Præmonstrato largitionem decimarum à Patre suo factam apud Crespiacum.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Quo- 1138.
niam labente vitâ mortalium etiam actus ipsorum labuntur à memoria ; placuit scripto commendare quod successione temporum posset oblivio delere. Igitur Ego Ludovicus Dei gratiâ Francorum Rex, spe regni melioris & coronæ, Religiosis viris *Hugoni* Abbati Præmonstratensis Ecclesiæ, & Fratribus ejus Canonicis Deo servientibus, cui regnans servire volo; in pago Laudunensi apud villam, quæ *Crispiacus* nuncupatur, duas partes decimæ, quæ mei juris erant, perpetuò possidendas concedo, eo jure & eâ libertatis integritate, quam Pater meus Rex Ludovicus eas tenuit, qui easdem me præsente & cooperante, sub auctoritate privilegii eis ante concessit. Posterorum itaque paci providentes, præcepto regali decernimus, ut sicut ad regalem graneam, Patris mei tempore, duas partes decimæ tertia singulis annis sequebatur, ejusdem tertiæ partis assistente & collaborante custodiâ, sicut ministris tempore messium victus de communi providebatur granea, de communi reparatur decima de universis domibus indifferenter, tam in villa, quàm in atrio Regi liberè solvebatur ; sic Præmonstratensis Ecclesiæ jura datæ eleëmosynæ in his omnibus integra & illæsa serventur, salvâ nimirùm dote altaris determinatâ & feodo sacerdotis. Quod ut ratum & inconcussum permaneat, sigilli nostri auctoritate & nominis nostri caractere subtersignavimus. ACTUM Parisiis in Palatio nostro publicè, anno Incarnati Verbi 1138. Regni nostri primo; adstantibus in palatio nostro, quorum nomina substituta sunt & signa. *Signum* Willelmi Buticularii. *S.* Matthiæ Constabularii. *S.* Matthiæ Camerarii. Dapifero nullo. Datum per manum Algrini.

Bulla Cælestini Papæ Secundi pro Præmonstrato.

CÆlestinus Episcopus, Servus servorum Dei, di- 1143.
lectis filiis Hugoni Præmonstratensi Abbati, ejusque fratribus tam præsentibus quam futuris regulariter substituendis in perpetuum. Justis votis assensum præbere, & Religiosorum preces benignis auribus exaudire, apostolicæ convenit dignitati, &c. *Ut in Bulla Innocentii II. suprà.* In quibus hæc propriis duximus exprimenda nominibus : ambitum scilicet ipsius vallis Præmonstratensis, sicut in vestris scriptis continetur, & certis terminis definitur, ab omni videlicet exactione liberum tam terragii, quàm decimæ sive censûs, &c. *Ut suprà.* Si quis verò nobilium se ibidem sepeliri deliberaverit, ipsius devotioni & extremæ voluntati, nisi fortè excommunicatus sit, nullus obsistat, salvâ justitiâ matris Ecclesiæ. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum, &c.

Ego Cælestinus Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.
Ego Conradus Sabinensis Episcopus.
Ego Leodeninus sanctæ Rufinæ Episcopus.
Ego Thomas Presbyter Cardinalis, &c.

DATUM Laterani per manum Gerardi S. R. E. Presbyteri Cardinalis, & Bibliothecarii, viij. Idus Decembris, Indictione vij. Incarnationis Dominicæ anno 1143. Pontificatûs verò Domini Cælestini Papæ II. anno 1.

Diploma Ludovici VII. Regis Francorum, terram de Daneri confirmantis Præmonstratensi Abbatiæ.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, Ludovi- 1145.
cus Dei gratiâ Rex Francorum & Dux Aquitanorum. Dignè nimirùm munificentia Regalis & paupe-

rum Christi necessitatibus piè subvenit, & Ecclesiarum possessiones tuetur & augmentat. Notum proinde facimus universis præsentibus pariter atque futuris, quòd Ecclesiæ Præmonstratensi & fratribus inibi servientibus Deo terram de *Daneri*, prout a Ludovico de Choisiaco, & cæteris servientibus nostris certis designata est metis, donavimus, medietatem quidem ad terragium, & medietatem ad censum. Ædificium autem ipsorum cum omni integritate sua & familia tota fratrum perpetuò liberum ab omni justitiâ & consuetudine prorsus esse statuimus; sed in cæteris hominibus præter propriam fratrum familiam, justitias & foris facta nobis ex integro retinemus. Quod ut perpetuæ stabilitatis obtineat munimenta, scripto commendari, sigilli nostri authoritate muniri, nostrique nominis superinscripto caractere corroborari præcepimus. ACTUM publicè Parisiis anno ab Incarnatione Domini 1145. regni verò nostri nono; adstantibus in Palatio quorum nomina subtitulata sunt & signa. *Signum* Radulphi Viromandorum Comitis Dapiferi nostri. *S.* Guillelmi Buticularii. *S.* Mathæi Camerarii. *S.* Mathæi Constabularii. Datum per manum Cadurci Cancellarii.

Diploma ejusdem Ludovici VII. Regis, in gratiam Præmonstrati.

1146. IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, Ludovicus Dei gratiâ Francorum Rex & Dux Aquitanorum. Oportet nos operari bonum ad omnes, maximè autem ad domesticos fidei & Religiosos. Propterea venerabilis Bernardi Claræ-vallensis Abbatis precibus acquiescentes, concessimus Deo & Ecclesiæ Præmonstratensi partem quam habebamus in molendinis de *Erchentre*, quietè in perpetuum & liberè possidendam. Quod ut ratum habeatur in posterum, scripto commendari, & sigilli nostri authoritate muniri nostrique nominis subterinscripto caractere corroborari præcepimus. ACTUM publicè *Stampis*, anno ab Incarnatione Domini 1146. adstantibus in palatio nostro quorum nomina subtitulata sunt & signa. *Signum* Radulphi Viromandorum Comitis & Dapiferi nostri. *S.* Guillelmi Buticularii. *S.* Mathæi Camerarii. *S.* Mathæi Constabularii. Datum per manum Cadurci Cancellarii anno 10. Regni nostri.

Bulla Eugenii III. bona & possessiones Fratrum & Sororum de Præmonstrato confirmantis, pluraque Privilegia concedentis.

1147. EUgenius Episcopus Servus servorum Dei, Dilectis filiis Hugoni Præmonstratensi Abbati ejusque fratribus tam præsentibus quàm futuris regulariter instituendis in perpetuum. Cùm universis personis Ecclesiasticis nos oporteat generaliter providere, erga eos tamen propensiori curâ nos convenit esse sollicitos, quos constat majori studio cunctipotentis Dei servitio inhiare, & acriori religione & morum honestate clarescere. Hoc nimirùm charitatis intuitu, dilecti in domino Filii, vestræ devotionis precibus debitâ benignitate impertimur assensum, & Præmonstratensem Ecclesiam in qua divino mancipati estis obsequio, ad exemplar prædecessoris nostri fælicis memoriæ Papæ Cælestini Secundi, cum omnibus ad ipsam pertinentibus sub Beati Petri & nostrâ protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus: Statuentes ut quascumque possessiones, quæcumque bona idem venerabilis locus in præsentiarum justè & canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis modis, Deo propitio poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis: Ambitum scilicet ipsius vallis Præmonstratensis sicut in vestris scriptis continetur, & certis terminis diffinitur, ab omni videlicet exactione liberum, tam terragii quàm decimæ sive censûs (*ut in bulla Innocentii Papa Secundi supra.*) Illud etiam humanitatis ratione perspeximus & præsenti decreto in perpetuum valituro sancimus, ut Sorores quæ per laborem fratris nostri bonæ memoriæ Norberti Magdeburgensis Archiepiscopi, & vestram exhortationem, ad omnipotentis Dei servitium accesserunt, & semetipsas Domino obtulerunt, de bonis vestræ Ecclesiæ, quorum non modica pars eidem loco per eas noscitur pervenisse, sine cujusquam contradictione nunc & semper in sustentatione temporalium necessaria consequantur, &c. *Ut supra.* Si verò quis nobilium se ibidem sepeliri deliberaverit, ipsius donationi & extremæ voluntati, nisi fortè excommunicatus vel interdictus sit, nullus obsistat, salvâ justitiâ matris Ecclesiæ. Decernimus ergo ut nulli omninò hominum liceat præfatam Ecclesiam temerè perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet molestiis fatigare, sed omnia integra conserventur eorum pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salvâ Sedis Apostolicæ authoritate, & diœcesanorum Episcoporum canonicâ justitiâ. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica sæcularisve persona hanc nostræ Constitutionis paginam sciens, contra eam temerè venire tentaverit, secundò tertiòve commonita, si non satisfactione congruâ emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo Corpore ac Sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri Jesu-Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco justa servantibus sit pax Domini nostri Jesu-Christi, quatenùs & hîc fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum Judicem præmia æterna inveniant. Amen, amen, amen. *Signatum.* Ego Eugenius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus. *Et paulò post:* Ego Albricus Ostiensis Episcopus. Ego Imarus Tusculanus Episcopus. DATUM Parisiis per manum Hugonis Presbyteri Cardinalis, agentis vicem Domini Guidonis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconi Cardinalis & Cancellarii, xvij Calend. Junii, indictione decimâ, Incarnationis Dominicæ anno 1147. Pontificatûs verò Domini Eugenii Papæ Tertii anno tertio.

Diploma Ludovici VII. Regis, laudantis donationes Præmonstrato factas ab Hadewide Dominâ de Torotha.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Quoniam ex Apostoli præcepto operari nos oportet ad omnes bonum, maximè autem ad domesticos Fidei & Religionis; dignum esse duximus ut Regalis munificentia, & pauperum Christi necessitatibus piè subveniat & Ecclesiarum possessiones tueatur & accrescat. Igitur Ego Ludovicus Dei gratiâ Rex Francorum & Dux Aquitanorum, Notum fieri volo tam futuris quàm præsentibus, quòd quidquid Ecclesia Præmonstratensis in potestate de *Atticiaco* possidebat post mortem Hadewidis Dominæ de *Torotha*, quæ eandem Ecclesiam plurimùm dilexerat, suisque beneficiis ampliaverat, Ego & Mathæus de *Montemorenci* ob remedium animarum nostrarum præfatæ Ecclesiæ perpetuò possidendum concessimus. Et ut hoc inviolatæ stabilitatis munimen obtineat, scripto commendari & sigilli nostri impressione muniri, nostrique nominis subterinscripto caractere corroborari præcepimus. ACTUM publicè Lauduni anno ab Incarnatione Domini 1150. indictione 13. concurrente 6. Regni verò nostri anno 14. præsentibus personis & viris legitimis, quorum subsignata sunt nomina. *Signum* Radulphi Dapiferi. *S.* Mathæi Constabularii. *S.* Mathæi Camerarii. *S.* Guidonis Buticularii.

1150.

Diploma

Diploma ejusdem Ludovici confirmantis Præmonstrato possessionem cujusdam nemoris, ad usus Fratrum & Sororum de Bonolio concessi.

1150. IN nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti, Ludovicus Dei gratiâ Rex Francorum & Dux Aquitanorum, tam modernorum universitati quàm sequuturæ posterorum successioni in perpetuum. Quod ad Regiam pertinet Majestatem, Sanctorum Patrum vestigiis insistere & pauperum Christi curam gerere, eisque imposterum providere decrevimus, ut eò liberiùs quò securiùs vota sua Domino offerant, & majori devotionis affectu pro nobis immolare Deo Patri non desistant. Eapropter nemus illud, quod Nemus Episcopi antiquitùs vocatum est, quod inter villam de *Favi & Bonolium* est, quod & bonæ memoriæ Balduinus Noviomensis Episcopus Ecclesiæ Præmonstratensi ad opus fratrum & sororum apud Bonolium Deo servientium annuo censu perpetuo tenendum concessit & firmavit; nos quoque eidem Ecclesiæ quantùm ad nostrum interesse concedimus in perpetuum: eo tamen tenore quo præfatus Episcopus illud ei contulit, confirmavit. Et ne qua deinceps Ecclesiastica sæcularisve persona præfatam Ecclesiam super hoc inquietare præsumat; ut hoc ratum & illibatum permaneat, & benevolum assensum adhibemus, & sigilli nostri authoritate atque imaginis nostræ impressione, idoneorumque testium adstipulatione præsentem paginam communimus. *Signum* Sampsonis Rhemensis Archiepiscopi. *S.* Balduini Noviomensis Episcopi. *S.* Mathæi Constabularii. ACTUM Lauduni anno Incarnationis Verbi millesimo centesimo quinquagesimo.

Charta Galteri I. Laudunensis Episcopi, largitiones in Præmonstratensium gratiam prædecessoris sui Bartholomæi, laudantis & ampliantis.

1151. IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Dignitatis Episcopalis officii est semper lucere, semperque bonis operibus insudare, subditorum quieti & utilitati providere, bene gestis præteritorum Patrum inhærere, præsentia diligenter ordinare, futura ut memoriter teneantur, dignis assertionibus commendare. Eapropter ego Galterus Dei gratiâ Laudunensis Episcopus, notum fieri volo tam futuris quàm præsentibus, quòd Ecclesia Præmonstratensis à prædecessore nostro Bartholomæo Episcopo plantata & constructa fuit per manum cujusdam viri nostris temporibus spectabilis religionis Norberti, sicut ubique terrarum in vestigiis successorum ipsius patet, quæ per momenta temporum crevit & dilatata est multis & magnis temporalium rerum possessionibus, sicut in privilegiis eorum tam Apostolicâ quàm Episcopali autoritate roboratis, continetur. Quia verò per decursus labentium temporum & oblivionem succedentium hominum, res gestæ solent imminui, Hugo Abbas & fratres ejusdem Ecclesiæ, quæ apud eos gesta & eis collata fuerant innovari, & prout rationabiliter poterant augmentari expetierunt: necesse enim videbatur ut ubi creverat fidelium multitudo, ibi etiam fieret rerum augmentatio. Nos igitur justis eorum petitionibus acquiescentes, quidquid à præfato Prædecessore nostro eis collatum & confirmatum est, denuò confirmamus & approbamus: Vallem videlicet in qua sita est Ecclesia, & omnes aisantias in circuitu ipsorum, quæ nostri juris sunt, in silvis, terris, pascuis, rivis, pratis & molendinis quæ ibi construxerunt. Curtem de *Fontenellis* cum pertinentiis suis, & Molendinum de *Baretel*, cum adjacenti vivario; Curtem de *Versigny* cum pertinentiis suis; Molendinum de *Acheri* cum pertinentiis suis; Curtem de *Firmitate* cum pertinentiis suis; Carrucatam terræ in monte Caprino; Curtem de *Souppy* cum pertinentiis suis, quæ de feodo nostro descendit; Curtem de *Reseriis* cum pertinentiis suis. Eleemosinam Adelidis Conversæ de Homecourt. Molendinum de Aquila. *Pennencourt* cum pertinentiis suis. *Merlieu*, cum pertinentiis suis. Similiter Molendina de Vadis, de *Prosel*, de Rotnis, de Curchum; duo etiam Molendina ad Coucivillam cum vivario, terragio & vineis, partem quoque decimæ & terragii de *Vrevin*, quæ ab Ingelranno filio Thomæ domino de Coucy ob remedium animæ suæ & prædecessorum suorum eis collata sunt. Quod ut ratum & inconvulsum permaneat, tam sigilli nostri impressione quàm legitimorum testium annotatione consignari curavimus. *Signum* Jordanis Romanæ Ecclesiæ Presbyteri Cardinalis. *Signum* Willelmi Abbatis de Sancto Vincentio. *Signum* Gisleberti Abbatis sancti Nicolai de Sylva. *Signum* Richardi Abbatis sancti Nicolai de Pratis. *Signum* Bartholomæi Thesaurarii. *Signum* Balduini Archidiaconi. *Signum* Magistri Petri. *Signum* Magistri Angothei. *Signum* Roberti cognomine Comedonis. *Signum* Gerardi Subthesaurarii. *Signum* Magistri Hugonis. *Signum* Letoldi de Foro. *Signum* Rainaldi filii Manasse. *Signum* Fulberti presbyteri de Versigny. Quicumque ergo præscripta beneficia imminuere vel perturbare præsumpserit, nisi commonitus satisfecerit, anath. sit. ACTUM est hoc Lauduni anno Incarnati Verbi 1151. indictione quartâ.

Bulla Adriani Papæ IV. Præmonstratum in protectionem Sanctæ Sedis suscipientis.

ADrianus Episcopus, Servus servorum Dei, dilectis filiis Hugoni Præmonstratensi Abbati, ejusque fratribus tam præsentibus quàm futuris Regularem vitam professis in perpetuum. 1154. Religiosam vitam agentibus Apostolicum convenit adesse præsidium, ne fortè cujuslibet temeritatis incursus, aut eos à proposito revocet, aut robur (quod absit) sacræ Religionis infringat. Eapropter, dilecti in Domino Filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & Præmonstratensem Ecclesiam, in qua divino mancipati estis obsequio, sub Beati Petri & nostrâ protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus: statuentes ut quascumque possessiones, quæcumque bona eadem Ecclesia in præsentiarum justè & canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum, vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis præstante Domino poterit adipisci; firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis: Ambitum scilicet Præmonstratensis vallis, sicut certis terminis distinguitur, cum stagnis & molendinis ab omni decimatione & exactione liberum; sylvam in vestros usus ab *Halierpre* usque *Humberti pontem*, & ex alia parte per mediam vallem Rohardi usque ad *Monandi vicinum*. Curtem de *Fontenellis*, cum appendiciis suis, &c. *(ut in Bulla Innocentii Papæ Secundi, supra)* sed & hoc intuitu charitatis præcipimus, ut Sorores sub tutela vestra congregatæ, à quibus beneficia quæ præmissa sunt, ex magnâ parte vobis provenerunt, ab Ecclesia vestra congruam sustentationem accipiant. Sanè Novalium vestrorum, quæ propriis manibus colligitis, aut sumptibus, sive de nutrimentis animalium vestrorum, nullus à vobis decimam exigere præsumat. Statuimus etiam ut nulli Episcopo liceat, absque rationabili causa in Ecclesiis vestris divina prohibere. Porrò ordinationes Canonicorum, consecrationes Basilicarum, & cætera Sacramenta Ecclesiastica ab ipsis Episcopis in quorum diœcesi Ecclesiæ vestræ sitæ fuerint, accipietis, siquidem Catholici fuerint & gratiam apostolicæ Sedis habuerint: alioquin Catholicum quemcumque volueritis adeatis antistitem, qui nostrâ fultus authoritate, quod postulatur indulgeat. Si quis verò nobilium in Ecclesiis vestris sepeliri delibe-

raverit, devotioni ejus & extremæ voluntati nullus obsistat, tamen salvâ justitiâ Matris Ecclesiæ. Decernimus ergo ut nulli omninò hominum liceat supradictam Ecclesiam temerè perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed illibata omnia & integra observentur, eorum pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salvâ Sedis apostolicæ authoritate, & Episcoporum canonicâ justitiâ. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica sæcularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temerè venire temptaverit, secundò tertiòve commonita, nisi præsumptionem suam congruâ satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo Corpore & Sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, &c. *ut supra in Cælestini II. Bulla. Signatum.* Ego Adrianus Catholicæ Ecclesiæ Episcopus; *& paulò inferius*, Ego Hugo Ostiensis Episcopus, Ego GG. Sabinensis Episcopus, Ego Guido presbyter Cardinalis tit. S. Grisogoni. Ego Julius presbyter Cardinalis tit. S. Marcelli. Ego Henricus presbyter Cardinalis tit. SS. Nerei & Achillæi. Ego Joannes presbyter Cardinalis SS. Silvestri & Martini. Ego Guido Diaconus Cardinalis sanctæ Mariæ in porticu. Ego Odo Diaconus Cardinalis sancti Nicolai in carcere Tulliano. DATUM Romæ apud sanctum Petrum per manum Rolandi S. R. Ecclesiæ Presbyteri Cardinalis & Cancellarii, Nonis Januarii, Indictione tertiâ, Incarnationis Dominicæ anno 1154. Pontificatûs verò Domini Adriani Papæ Quarti anno primo.

Epistola Bartholomæi, quondam Episcopi Laudunensis, tunc verò Monachi Cisterciensis in Fusniacensi Abbatia, ad Conventum Episcoporum Rhemis habitum, quâ se purgat de intentata sibi dissipati patrimonii Ecclesiastici accusatione.

1158. VEnerando sibique semper amabili Domino Sampsoni Remensi Archiepiscopo, & sub ejus præsentia congregato sancto Conventui, Frater Bartholomæus in Fusniaco pauper Monachus misericordiam & veritatem diligere. Verecundiæ meæ silentium imperat hujus sancti Conventûs solemnitas, sed frontem aperit & stimulat ad loquendum in palam imminens famæ meæ periculum. Neque enim dissimulare possum quòd multorum vulgavit opinio, quod etiam usque ad aures Domini Papæ volavit. Episcopales redditus me detraxisse rumor est, cui rumori plus justo credit Laudunensis Episcopus. Meum ergo est super his fateri quod verum est: intueri autem quod justum est & tueri vestrum erit. Laudunensis Sedes tristis erat & mœrens cùm illuc primùm ingressus sum, utpote attrita seditionibus, & ignibus concremata; ipsæ quoque res majoris Ecclesiæ afflictæ erant, & tenues redditus. Si illi porrexi manum ut resurgeret, novit Deus, noverunt & Ecclesiæ filii. Verumtamen nihil eis contuli quod ad redditus pertineret Episcopi, præter porcos, quos vulgo verres vocant, quos mensæ Episcopali personæ solvebant Ecclesiæ. Hos inquam ad præbendam Canonicorum concessi, quoniam illos nec sine pudore exigere, nec sine molestia habere poteram. Præterea quinque duntaxat Abbatias in nostra Diœcesi reperi rebus pariter ac Religione dilapsas. In his Deo multiplicante misericordiam suam & numero & merito crevit sanctorum numerus, & singulariter est possessio dilatata. Novem insuper novæ Religionis Monasteria passim in eadem diœcesi sunt fundata horum in personis numerus; numerum pæne excedit; horum Religio, Religionis est speculum; horum tam multa possessio est, ut tam multis abundè sufficiat. Si manum beneficii me porrexisse negavero antiquis Ecclesiis ut resurgesent, novellis, ut consurgerent, mentiar. Profui sanè ferè Ecclesiis omnibus, sed nec quantùm volui, nec quantùm debui. Sanè Calixtus Papa Domnum Norbertum, cujus memoria in benedictione est, fidei nostræ commisit, ut ei locum traderem, ejusque votis assisterem. Terram igitur ad Episcopum pertinentem illi contuli, quæ vix tamen duobus sufficeret aratris. Hujus pars *Verciniaco* est posita, alia pars apud *Anisi*, quæ tamen multis jam annis inculta jacebat. De his itaque quæ ad Episcopales pertinebant redditus nihil ampliùs me recolo detraxisse. Nostro tamen favore ac consensu quidam Ecclesiis contulerunt terras quas habebant à nobis in beneficio; census tamen terrarum & vinagia nulli penitùs condonavi. De cætero si quid illi sedi per nos accessit commodi aut honoris, nolo ante humanum procedat judicium; si quid verò ut homo deliqui, in conspectu hominum confundi non refugio. Causam itaque nostram vobis tanquam judicibus allegare, tanquam testibus intimare volui; in quibus calumniatorem non timeo, verum dicens. Liceat tamen & mihi aliquid audere apud vos, liceat aliquid humanum loqui. Nihilne Sedi nostræ titulorum accessit & gloriæ, ut tot & tantas parturivit Ecclesias? cùm sibi multiplicaverit tot synodales personas? Cùm ergo, ut audio, Dominus Laudunensis suis visceribus Bellum parat, cur temptat quod fortè ei promovere non liceat? Si filios Dei congregavi, si suscepi justum in nomine justi, nemo mihi succenseat. Videat alius ne congregata dispergat. Conservet vos pariter Omnipotens ad honorem sui nominis, & per vos Ecclesiæ religionem & sanctitatem corroberet.

Breve Adriani Papæ IV. ad Christianissimum Regem Ludovicum VII. quo commendantur Regiæ Majestati res & persona Monasterii Præmonstratensis.

PAternæ charitatis affectus, quo nobilitatem tuam (Christianissime Princeps) amplectimur, magnam infert cordi nostro lætitiam quotiens de actibus tuis ad nos talia perferuntur quæ ad salutem animæ tuæ noscuntur procul dubio pertinere. 1158. Audivimus siquidem & operis experimento tenemus, quòd Religiosas personas diligis & honoras, & grata eis tanquam devotus Ecclesiæ filius studes solatia exhibere. Sanè in Religiosorum dilectione, quam animum tua magnificentia gerat interiùs, evidenter ostenditur, quoniam in quoslibet comprobaris Religionem diligere, & fovere propensiùs honestatem, ac per hoc dilectos filios nostros Abbatem & Religiosos fratres Præmonstrati tantò affectiosiùs tantòque confidentiùs tuæ Excellentiæ commendamus, quantò & nos pro sua honestate & religione puriori charitatis affectu diligamus, & de Regii tui animi benignitate majorem fiduciam obtinemus. Tuam ergo industriam Apostolicis litteris attentè rogamus quatenùs pro amore Dei & Beati Petri, & nostrâ reverentiâ eos manuteneas, foveas & defendas; & quod bonæ memoriæ Ludovicus pater tuus, vel quilibet alius intuitu pietatis eis rationabiliter contulit, concessâ tibi à Domino potestate ipsis conserves, & ab his qui eos super hæc infestare voluerint, ipsos studeas attentiùs defensare.

cedat [illegible] in conspectu hominum [illegible] Cæteris itaque [illegible] tanquam testibus [illegible] Ecce [illegible] & malo aliquid [illegible] apud vos, [illegible] gloriæ, [illegible] Ecclesiæ [illegible] ergo, [illegible] Dominus Laudunensis [illegible] filios Dei congregari, [illegible] Videat [illegible] Conservet vos [illegible] honores [illegible], & per vos [illegible] religionem & [illegible] conservare.

Breve Adriani Papæ IV. ad Christianissimum Regem Ludovicum VII. [illegible] Regiæ Majestati [illegible] Præmonstratensis.

PAternæ charitatis affectu, [illegible] (Christianissime Princeps) [illegible] cordi nostri [illegible] [illegible] ad nos [illegible] divinitus siquidem & [illegible] quod Religiosas personas diligis & honoras [illegible] eis tanquam devotus Ecclesiæ filius [illegible] in Religiosorum [illegible] exhibere. Sanè in [illegible]

Ecclesiam vestram merâ cordis affectione diligere, & internæ dilectionis brachiis amplexari, & jura ipsius illæsa & integra conservare. Cæterùm quoniam non sufficit bene incipere, nisi quod bene inceptum est optimæ consummationis finem debeat invenire, devotionem vestram per Apostolica scripta rogamus, monemus & exhortamur in Domino, quatenùs bono principio potiora augmenta addatis, & ad honorem & exaltationem atque augmentum sanctæ Romanæ Ecclesiæ ac vestrum totis viribus aspiretis, schismaticos verò ordinis vestri ad veritatem & sinum Matris Ecclesiæ & mandatum nostrum diligenti admonitione studeatis propensiùs revocare, & schisma Octaviani hæresiarchæ sub jusjurando abrenunciare. Si autem juxta commonitionem vestram ab iniquitate sua redire contempserint, illos excommunicationis sententiâ innodetis, & eorum consortium propensiùs evitetis. DATUM Januæ Idibus februarii.

Diploma Alexandri III. pro Præmonstrato.

ALexander Episcopus, Servus servorum Dei, dilectis filiis Hugoni Abbati & fratribus Præmonstratensis Ecclesiæ, salutem & Apostolicam benedictionem. Etsi universorum votis quæ rationi conveniunt prompto animo teneamur annuere, votâ tamen Religiosorum virorum quæ ad religionem respiciunt & ad Ecclesiasticam pertinent honestatem specialiùs promovere nos convenit, & ut dignum sortiamur effectum, pastoralem sollicitudinem adhibere. Eapropter, dilecti in Domino Filii, vestris justis postulationibus annuentes, Ecclesiam sancti Petri de *Dorene*, cum præbendis, decimis, terra-

perpetuo possidendas. Videlicet quidquid juris vel consuetudinis habebat avus meus prædictus in loco qui Præmonstratus dicitur, remisit Fratribus ibidem Deo servientibus & servituris. Valles etiam omnes Præmonstrato adjacentes, & proclivia montium, sicut valles præportant, ex quibus fratres partem sartaverant, & residuum se posse sartare asserebant. Sed obtinui apud eos, quòd deinceps in eis non sartabitur, sed nemus vallium & pendentium ad opus ædificiorum suorum & aliarum necessitatum suarum reservabunt. Concessit etiam idem avus meus usuarium de mortuo nemore in foresta de *Voiz*, & pascua animalibus suis. Dedit quoque ipsis locum qui *Rozieres* dicitur, & de propria terra sua unam carrucatam. Quæ omnia prædictæ Ecclesiæ fratres in diebus ejusdem avi mei & in diebus patris mei quietè possederunt. Cùm autem locus præfatus ampliari cœpisset, & per universos fines totius orbis dilatari, Pater meus qui locum illum plurimùm dilexit, paternæ liberalitatis æmulator, concessit ejusdem loci fratribus terragium & decimam de *Vervin*, terragium de *Ægnies*, terragium de *Couruilla*, exceptis duobus modiis hyemalis annonæ, qui persolvuntur Ecclesiæ B. Mariæ de Nougento. Vivarium etiam cum molendino juxta eandem villam, videlicet *Cones.* feodum quoque & partem decimæ de *Vassens*. Remisit etiam eis Vuionagium in omni loco terræ suæ ubi ab alienis accipiebatur, nisi de re quæ ematur ut iterùm venalis exponenda deferatur. Ego itaque qui beneficia & eleemosinas avi mei, sive patris mei minuere non appeto, neque servientes Deo super eleemosinis sibi collatis vexari desidero, & quæ prædicta sunt benignè eis recognovi & concessi, & quod eis in pace [illegible]

Bulla Clementis Papæ III. possessiones, exceptiones, privilegia, juraque Ecclesiæ Præmonstrati confirmantis.

1188. CLemens Episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis Abbatibus & Fratribus Præmonstratensis Ordinis, salutem & Apostolicam benedictionem. Justis petentium desideriis facilem nos convenit præbere consensum, & vota quæ à rationis tramite non discordant effectu sunt prosequente complenda. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, ne de cætero alicui de novalibus vestris quæ propriis manibus, aut sumptibus colitis decimas persolvatis, authoritate apostolicâ vobis vestrisque successoribus indulgemus, firmiter prohibentes ne quis eas à modò à vobis exigat, vel extorquere præsumat. Decimas quoque novalium vestrorum vobis clementer annuimus quæ habetis infra parochiam de firmitate in nemore quod vobis Gobertus de Firmitate dimidia fructuum parte (exceptis messorum garbis) sibi & hæredibus suis retentâ, misericorditer contulit; & ea ad exemplar Domini Urbani prædecessoris nostri, authoritate apostolicâ confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Statuentes ut nulli omninò hominum, &c.

Datum Laterani decimo sexto Kalend. Aprilis. Pontificatûs nostri anno primo.

Charta Ingelranni Domini Cociacensis prædecessorum suorum largitiones in Præmonstrati gratiam confirmantis.

1207. EGo Ingelranus Dominus Couciaci, notifico per hoc scriptum præsentibus & futuris, quòd bonæ memoriæ Radulphus pater meus, recognovit cum adhuc viveret, & concessit in perpetuum eleemosinas & aisentias quas avus suus Thomas & Ingelranus pater suus contulerunt fratribus Præmonstratæ Ecclesiæ perpetuò possidendas, & redegit in scripto autentico per hæc verba; In nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti. Amen. Ego Radulphus, &c. ut supra. Post mortem denique prædicti patris mei, Ego Ingelranus ad quem ratione primogeniti, ipsius devoluta est hæreditas, requisitus à præfatæ Ecclesiæ Abbate & Fratribus, omnes præscriptas eleemosinas & aisentias ad exemplar fœlicis memoriæ Radulphi patris mei benignè recognovi, concessi & confirmavi Præmonstratæ Ecclesiæ possidendas. Ut autem concessio & confirmatio hujusmodi firma & stabilis perseveret, præsenti scripto imperpetuum valituro, sigillum meum feci imprimi & apponi. Actum anno ab Incarnatione Domini 1207.

Diploma Conradi Portuensis Episcopi, sanctæ Sedis legati, amicabilem compositionem inter Abbatem Præmonstratensem, ejusque Ordinem, & præpositos Saxoniæ sancientis.

1224. IN nomine sanctæ & Individuæ Trinitatis, Patris, & Filii & Spiritûs sancti amen. Conrardus miseratione divinâ Portuensis & sanctæ Rufinæ Episcopus, Apostolicæ Sedis legatus, omnibus in perpetuum. Cùm causa verteretur inter Ordinem & Abbatem Præmonstratem ex una parte, & Præpositum sanctæ Mariæ Magdeburgensis, de Gratiâ Dei, de *Leitcka*, de *Brandbourg*, de *Havelburg*, de *Raceburg*, de *Jericow*, de *Calebeke*, de *Rodhe*, de *Quedelingeburg*, de *Wida*, de *Poleke*, de *Gramezowe*, & de *Themenis* Præpositor, ab Ecclesia sanctæ Mariæ Magdeburgensis descendentes ex parte altera, super eo videlicet, quòd iidem Abbas & Ordo Præmonstratensis, Præpositos prænominatos à prima plantatione Religionis Ordinis Præmonstratensis asserebant debere convenire ad generale Capitulum Præmonstratense, & communibus institutionibus Ordinis obedire. Partibus super hoc dissentientibus, cum à Sede Apostolicâ diversæ super hoc litteræ ad diversos judices emanassent, tandem præsentibus & spontaneè consentientibus viris discretis, H. Cantore, & suis conjudicibus Metensibus, nec non & viro venerabili Magistro Ludovico Procuratore Reverendi Patris N. Dei gratiâ Magdeburgensis Archiepiscopi ad componendum specialiter destinato, placuit patribus in hanc formam pacis & concordiæ, amicabiliter in nostrâ præsentiâ convenire, secundùm quod inferius est expressum, videlicet quod omnes Præpositi supradicti, tenebuntur accedere ad generale Capitulum Præmonstratense de triennio in triennium, & ibidem facere obedientiam Domino Abbati Præmonstratensi, excepto Præposito sanctæ Mariæ Magdeburgensis de quo inferiùs est aliter ordinatum, ita tamen, quòd obedientia illa non ligabit eos ad recedendum à consuetudinibus & juribus, observationibus seu constitutionibus quas antea habuerunt, nec per Abbatem Præmonstratensem, neque per Capitulum compellentur recedere ab eisdem, immò suis conscientiis relinquentur, donec fuerit eis divinitùs inspiratum quod per omnia se velint Ordini conformare. Si autem prædicti præpositi, vel aliquis eorum ea quæ prædicta sunt non observaverint, Dominus Præmonstratensis Abbas eos per suspensionis & excommunicationis sententias puniet, si voluerit, & Dominus Præpositus sanctæ Mariæ Magdeburgensis ipsas sententias observabit & faciet observari, nec eis si super hoc voluerint se defendere, aliquod auxilium & concilium exhibebit. Præpositus siquidem sanctæ Mariæ Magdeburgensis non tenebitur facere obedientiam, sed præpositus de Gratia Dei obedientiam faciet manualem sicut alii Præpositi supradicti. De coercitione autem istorum duorum præpositorum, videlicet sanctæ Mariæ Magdeburgensis & de Gratia Dei, ita ordinatum est, quod si ad Capitulum ambo vel alter eorum non venerint, sicut supra dictum est, Dominus Abbas Præmonstratensis significabit venerando Patri N. Dei gratiâ Magdeburgensi Archiepiscopo per litteras suas, ut puniat per sententias suspensionis & excommunicationis eosdem; quod si non fecerit, idem Archiepiscopus infra tres menses à receptione litterarum Abbatis vel Capituli Præmonstratensis, ex tunc Abbas Præmonstratensis ipsos puniet sicut supra dictum est de coercitione aliorum præpositorum; ita tamen quod propter hoc videlicet, pro eo quod non venerint, dictos duos præpositos vel alios prælatos à Prælatione vel administratione amovere non possit. Hoc etiam adjectum est & conventum, quod quandiu tam ipse præpositus sanctæ Mariæ Magdeburgensis, quam etiam omnes præpositi supradicti circa Præmonstratum ad tres dietas, sive eundo ad Capitulum, sive redeundo à Capitulo, sive alio modo moram fecerint circa Præmonstratum ad tres dietas, conformes erunt cæteris Ordinis professoribus in habitu & in victu; & hoc nihilominus condictum fuit à partibus & statutum, quòd si aliquam Ecclesiam Ordinis Præmonstratensis intraverint citra Rhenum versus Præmonstratum, ibidem manentibus se in victu & habitu conformabunt. Si quæ autem Ecclesiæ imposterum à prædictis vel sub prædictis Ecclesiis plantatæ fuerunt & fundatæ, prælati ipsarum Ecclesiarum sub ipsa forma compositionis quâ prælati alii à præpositis sanctæ Mariæ Magdeburgensis & de Gratia Dei comprehenduntur. Si verò Abbas vel Capitulum Præmonstatense ab istâ compositione resilierit, tam præpositus sanctæ Mariæ Magdeburgensis, quàm omnes alii præpositi supradicti ac eorum Eccle-

siæ ab omni subjectione & impetitione Abbatis & Capituli Præmonstratensis erunt in perpetuum penitus absoluti; & si præpositus sanctæ Mariæ Magdeburgensis, vel alii Prælati aliarum Ecclesiarum supradictarum ab hac compositione resilierint, Abbati & Ordini Præmonstratensi, sicut & alii Abbates & Professores ejusdem Ordinis erunt omninò subjecti, & in observantiis Ordinis uniformes.

Præterea notandum est quod præpositus sanctæ Mariæ Magdeburgensis omni juri quod habebat vel habere poterat in *Vescerensi* & *Arnestensi* Ecclesiis renunciavit omninò, & quantùm in eo erat Abbati & Capitulo Præmonstratensi remisit, partes etiam omnibus instrumentis litis in supradicta causâ obtentis renunciaverunt ex toto. Hanc igitur compositionem initam de bona partium voluntate, autoritate nostrâ & ex injuncto nobis legationis officio confirmamus; & ne super hoc in posterum aliqua possit dubietas suboriri, sigilli nostri impressione, & sigillis duorum judicum, quorum etiam autoritas intercessit, tertio per suas litteras excusato, præsentem paginam fecimus communiri. Acta sunt hæc Metis in Calendis Decembris anno Incarnationis Dominicæ millesimo ducentesimo vigesimo quarto.

Diploma Honorii III. præcedentem compositionem apostolicâ autoritate roborantis.

1224. HOnorius Episcopus servus servorum Dei, dilecto filio Conrardo Abbati Præmonstratensi, salutem & apostolicam benedictionem. Ea quæ pro Ecclesiarum utilitate ac pace providè ordinantur, Apostolico sunt munimine roboranda, ut impensiori diligentiâ observentur. Ex parte siquidem tua fuit propositum coram nobis, quod cùm inter te ex parte unâ, & sanctæ Mariæ Magdeburgensis, de *Gratia Dei*, de *Liezeka*, de *Brandeburg*, de *Havelberg*, de *Rasceburg*, de *Jericow*, de *Calebeke*, de *Robde*, de *Quedelingeburg*, de *Wida*, de *Poleke*, de *Gramezobe* & de *Themenus* Præpositos ex altera, quæstio verteretur super eo quod asserebas præfatos præpositos debere annis singulis Præmonstratum convenire ad generale Capitulum, & omnibus communibus constitutionibus Ordinis obedire, pluresque super hoc litteræ à Sede apostolica emanassent, tandem mediantibus Cantore Metensi ejusque collegis super hoc negotio delegatis à nobis, tu fili Abbas & pars adversa in certam concordiæ formam coram venerabili fratre nostro C. Portuensi Episcopo apostolicæ Sedis legato sponte & amicabiliter convenistis, quam Apostolico postulasti munimine roborari. Nos igitur tuis precibus benignum impertientes assensum, concordiam ipsam sicut sine pravitate facta est, & à partibus sponte recepta, & hactenùs pacificè observata, atque in ipsius Episcopi & dictorum judicum litteris inde confectis pleniùs continetur, autoritate apostolicâ confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, &c. Si quis autem, &c. Datum Laterani XIII. Calendas Maii, Pontificatûs nostri anno nono.

Charta Willelmi Præmonstrati Abbatis ad Abbates Ordinis ejusdem in Italia.

1233. WIllelmus Dei patientiâ dictus Abbas Præmonstratensis, Venerabilibus Fratribus sancti Samuelis de *Barolo*, sanctæ Mariæ de Parvo ponte *Brundusii*, sancti Petri de *Camerota*, sancti Quirici de *Introduco*, sancti Severi de Urbe Veteri, sancti Alexii de Urbe, sancti Lutii de *Tudertino*, Abbatibus Præmonstratensis Ordinis, tam præsentibus, quàm futuris salutem in Domino. Quia sicut ex visitationis defectu pernitiosius Ordinem tepescere & observantias regulares negligi quandoque contingit; sic ex studio visitationis & limâ correctionis validiùs convalescit. Hinc nos qui ad profectum Ordinis vigilare tenemur diligentiùs attendentes quod rarò hactenùs visitati, rariùs generale Capitulum visitastis, de consilio quorumdam Cardinalium & aliorum proborum virorum; ita de visitando à vobis nostro Capitulo generali, & visitandis etiam Ecclesiis vestris duximus ordinandum; quod vos de sancto Lutio Tudertinensis visitetis instans Capitulum generale, vos de sancto Severo anno proximo succedenti, vos de sancto Alexio proximè post eundem, vos de sancto Quirico post ipsum, deinde vos de sancto Samuele, postremò vos sanctæ Mariæ de Parvo Ponte Brundusii, & vos sancti Petri de Camerota simul venietis ad Capitulum memoratum, & sic servato Ordine vicis vestræ, quolibet anno cuilibet vestrûm, quolibet tamen sexto anno duo vestrûm, sicut dictum est, venietis ad Capitulum generale. Hoc proviso, quod quilibet vestrûm anno quo venturus est vel venturi sunt ad Capitulum, visitet vel visitent diligenter tam visitatoris Ecclesiam; & tunc assumpto secum aliquo vestrûm, quàm alias Ecclesias vestras, statum earum tam super spiritualibus quàm temporalibus, rebus mobilibus & immobilibus diligentissimè describentes, duo scripta super hoc ejusdem continentiæ faciendo, quorum unum remaneat in Ecclesiâ visitatâ anno quolibet in visitatione annuâ renovandum, & alterum generali Capitulo præsentetur per visitatorem eundem, sive unus fuerit, sive duo, & eadem scripta sigillentur, tam proprii Abbatis Ecclesiæ visitatæ, quàm visitatoris sigillis, ut sic Ecclesiarum vestrarum status generali Capitulo pleniùs innotescat, ita etiam quod visitationes illæ fiant non inutiliter, vel in vanum, sed cum timore divino & animarum salute & secundùm instituta Domini Papæ, nec non & observantias, & consuetudines Ordinis approbatas, à vobis volumus & præcipimus inviolabiliter observari; præcipiendo districtè, ut visitator sive unus fuerit, sive duo super his devotus, sollicitus, intentus ac discretus zelator existat, diligentissimè inquirendo si libri consuetudinum & ordinarius, & cæteri libri qui ad divinum pertinent officium habeantur cum Ecclesia Præmonstratensi, & secundùm usum ejusdem Ecclesiæ uniformes, & utrùm sollicitè conserventur in legendo & cantando, & cæteras constitutiones & observantias conservando, & corripiantur graviter qui super hæc fuerint negligentes. Porrò si aliqua Ecclesiarum vestrarum vacare contingat, ne occasione remotionis vel absentiæ Patris Abbatis diu remaneat consilio destituta, Abbas qui tempore Visitationis visitator vel Circator fuerit eo anno, vice nostrâ electionem regat in Ecclesia sive Ecclesiis quæ vacaverint ipso anno. Electio vero quæ sine visitatore anni illius fuerit celebrata, robore careat firmitatis, cùm visitator vices nostras gerat in hac parte, & Ecclesiæ vestræ, nostræ sint filiæ speciales, nisi factum fuerit de licentia nostra speciali, quod de mandato nostro sub aliis electio celebretur. Volumus autem ut recturus electionem, aliquem de vobis, quem habere commodiùs poterit secum assumat, ut in provisione vacantis Ecclesiæ consilium eò saniùs habeatur, quo adjuvante gratiâ Spiritûs sancti, plures fuerint in ejus nomine congregati. Præterea si à Prælatis contra subditos, vel forsitan è converso, sicut ex humano defectu contingere solet, interdum aliquæ fuerint motæ quæstiones coram illius anni Circatore, charitativè & fideliter proponantur, cum dilectione hominum & odio vitiorum, & ipse secundùm Deum & Ordinem, salvo statu capitis usus ad discussionem nostram corrigendo & reformando ea quæ correctione & reformatione

indiguerint, faciat quod viderit expedire, contradictores & rebelles per censuram Ecclesiasticam coercendo, ut autem ea quæ scripta sunt firmiùs observentur, vobis universis & singulis in virtute obedientiæ duximus injungendum, quatenùs hæc ordinatio nostra annis singulis die prima Circationis annuæ in Capitulo coram fratribus solemniter recitetur, salvâ tam in hoc quam in omnibus præmissis authoritate nostrâ & Capituli generalis, revocationem autem & correctionem additionem & mutationem Ordinationis istius nobis duximus retinendam. Valete universi & singuli in Domino Jesu Christo. Datum Laterani septimo idus Januarii, anno gratiæ ducentesimo trigesimo tertio, Pontificatûs vero Domini Papæ Gregorii noni anno septimo.

Breve Gregorii IX. ad quosdam Abbates Ordinis Præmonstr. quos delegat pro coërcenda Fratrum Conversorum Præmonstratensis Abbatiæ pervicacia.

1234. GRegorius Episcopus Servus Servorum Dei, Dilectis Filiis Viconiensis, Thenoliensis, & Sancti Justi Abbatibus, Atrebatensis, Laudunensis & Belvacensis Diœcesis, Salutem & Apostolicam benedictionem. Dilectus filius Abbas Præmonstratensis, transmissâ nobis petitione monstravit quod cum idem, in Ægidium & alios conversos Monasterii sui Laudunensis Diœcesis, exigentibus culpis suis, excommunicationis sententiam authoritate propriâ promulgavit, iidem maledictionem bibentes ut aquam, sententiam ipsam sustinuerunt diutiùs animo indurato, & sæpiùs moniti ab eodem, ad mandatum suum hactenùs redire nolentes, in tantam animi pertinaciam sunt deducti, quod eidem Abbati & quibusdam Canonicis suis mortem inferre, & grangias & alias domos ipsius Monasterii igne succendere publicè jam minantur: quare idem Abbas nobis humiliter supplicavit, ut sibi super hoc providere misericorditer dignaremur; quocirca discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenùs, si est ita, dictos conversos ut ad mandatum sui Abbatis juxta ejusdem instituta Ordinis revertantur, monitione præmissâ, per censuram Ecclesiasticam appellatione remotâ, cogatis, invocato ad ipsorum duritiam edomandam, si opus fuerit auxilio Brachii sæcularis. Quod si vos omnes his exequendis non potueritis interesse, duo vestrûm ea nihilominus exequantur. Datum Perusii decimo quarto Calendas Octobris, Pontificatûs nostri anno octavo.

Epistola Willelmi Parisiensis Episcopi, Hugonem Præmonstratensem Abbatem adhortantis, ut lites cum Saxoniæ Præpositis componat, ineatque concordiam.

1241. VIro Religioso & amico semper in Christo Charissimo Hugoni, Dei gratia Præmonstratæ Ecclesiæ Abbati, Willelmus permissione divinâ Parisiensis Ecclesiæ minister indignus, salutem & sinceræ vinculum charitatis. Cum Vir venerabilis, & nobis ob præstantiam meritorum quibus apud Deum & homines claret, Clarissimus Præpositus Sanctæ Mariæ Magdeburgensis, de consilio vestro & etiam advocationem vestram, specialiter autem propter confidentiam quam de benignitate nostrâ gerit, & nos cum eo Præmonstratum venerimus, pro emendandâ, immò quod verius est pro facienda compositione inter Ecclesiam Præmonstratensem & Ecclesiam suam, & alias quasdam quarum nomina nescimus, religiositatem vestram rogamus & requirimus affectu quo possumus ampliori, quatenus ad eandem compositionem amore Dei & ipsarum Ecclesiarum, & nostro, diligenter intendere curetis, multas enim formas compositionis vobis proposuit meritò acceptandas, quoniam per eas periculis animarum imprimis occurritur multiplicibus, deinde corporum atque rerum, & propter hoc personaliter ad Capitulum vestrum generale accedere proposueram, sed arduissima atque inevitabilia negotia, nos hoc facere non permittunt; quod si fortè, quod avertat Deus, bonum compositionis istius hac vice non pervenerit, rogamus tota affectione quâ possumus, quatenus vobis & aliquibus de Abbatibus vestris eam retineatis potestatem, ut vobiscum & cum eis fieri possit, intendimus enim & volumus modis omnibus, ad hoc vobiscum, & cum illis loco & tempore quibus vobis placuerit, post instans provinciæ nostræ Concilium laborare, bene & diu valeatis. Datum anno Domini M C C XXXIX. * Die Mercurii in Festo Sancti Dyonisii. * Hic error est emendandus ex iis, quæ diximus in Monasteriologia, & reponendus die Mercurii in Festo Sancti Dionysii. 1241.

Instrumentum Compositionis inter Ordinem universum, & Saxoniæ Præpositos.

UNiversis præsentes Litteras inspecturis, Frater Hugo Dei patientia Abbas Præmonstratensis salutem in Domino. Noveritis nos Litteras generalis nostri Capituli recepisse in hac forma; Universis Christi fidelibus præsentes litteras inspecturis, Abbatum Præmonstratensis Ordinis Capitulum generale salutem in omnium Salvatore. Universitati vestræ volumus esse notum quod nos venerabili Patri nostro in Christo Domino Hugoni Præmonstratensi Abbati, de communi consilio & consensu commisimus negotium Compositionis inter Ordinem nostrum & Magdeburgensem Præpositum aliosque præpositos ab eadem Ecclesia dependentes, ut de consilio Abbatum sui Ordinis quos duxerit convocandos componat cum ipsis secundùm quod viderit expedire; & volumus quod in isto tantummodo negotio utatur Sigillo Capituli generalis, ratum habituri & gratum quidquid super præmissis in prædicto duxerit faciendum. Datum Præmonstrati in Capitulo generali anno gratiæ 1239. Authoritate igitur tam nostra quàm litterarum illarum vocatis nobiscum venerabilibus in Christo Patribus Cuissiaci & Loci restaurati Abbatibus, & dilecto filio Fratre Domno * &c. Priore nostro, attendentes imprimis animarum pericula, deinde labores corporum (* Joan.) rerumque dispendia quæ viri Religiosi & venerabiles Præpositus Sanctæ Mariæ Magdeburgensis aliarumque Ecclesiarum ad ejus Ecclesiam pertinentium Præpositi incurrebant, & incurrere poterant veniendo ad nostrum Capitulum generale, de tam remotis partibus, & ad propria redeundo, ad piam instantiam concilium que bonorum, eis indulsimus de gratia speciali, quod in quolibet triennio unus solus eorum pro omnibus successivè inperpetuum ad Capitulum veniat memoratum, munitus litteris patentibus omnium aliorum, continentibus, quod ab aliis missus sit ibidem præpositus ad faciendum in nostro generali Capitulo quidquid illi, si præsentes essent, facere tenerentur; quod si fortassis destinatus Præpositus aliquo impedimento detentus ad Capitulum non veniret, Canonicus qui cum eo venturus erat, pro eo veniet patentes illas deferens, simul & ejusdem Præpositi litteras, quibus sibi committatur ut pro illo veniat, & mandatum detur speciale in animam illius, quodcumque licitum præstandi juramentum super impedimenti hujusmodi veritate, quod quidem an Canonicum sit seu legitimum, Abbas Præmonstratensis judicabit. Præpositus autem seu Canonicus qui pro omnibus missi fuerint, habebunt litteras à præpositis quos tempore indulto non veniendi ad Capitulum generale contigerit mutatos esse, continentes mandatum expressum mutatorum

sic Præpositorum, ut eorum vice & nomine Abbati Præmonstratensi obedientiam faciant manualem, excepto Præposito Magdeburgensi, qui cùm venerit in Ordine vicis suæ, secum adducet Canonicum sufficienter instructum, qui vice mutatorum Præpositorum faciet obedientiam manualem, nihilominus tamen ipsius, videlicet mutati Præpositi, quando in Ordine vicis suæ unus quisque illorum, prout dictum est, venerit, eam per se ipsos personaliter facere tenebuntur, & hæc omnia indulsimus atque concessimus duodecim Præpositis prædictis, duobus aliis scilicet de Gramozolwe & de Themenis Præpositis in ipso numero minimè computatis, salvâ in omnibus & per omnia antiquâ compositione, & in nullo quantum ad alios articulos penitùs derogato. Sciendum verò quòd si contra præmissa, vel aliquod præmissorum, quod Deus avertat, venerint, tenebuntur secundùm antiquam compositionem venire de triennio in triennium ad Capitulum generale; quod si non venerint, punientur pœnâ in antiquâ compositione contentâ, videlicet quod cadent à causâ, & erunt nobis omninò subjecti, & in observantiis Ordinis uniformes. In cujus rei testimonium præsentibus litteris nostrum & Coabbatum nostrorum, videlicet Cuissiaci & Loci-restaurati sigilla duximus appendenda. Actum anno Domini MCC-
Emenda 1241. XXXIX. mense Octobri.

Instrumentum ejusdem argumenti.

1241. UNiversis fidelibus Christi præsentes litteras inspecturis, Frater Hugo Abbas Præmonstratensis salutem in Domino. Cùm generale Capitulum Ordinis nostri ratum habeat quidquid cum veneralibus fratribus Præposito Sanctæ Mariæ Magdeburgensis & Com-præpositis suis duximus faciendum per Compositionem, prout in litteris ejusdem Capituli super hoc confectis evidenter apparet, per sigillum ipsius generalis Capituli faciemus Compositionem ipsam firmari, cum dictus Præpositus & Com-præpositi sui sigillaverint, & miserint nobis litteras compositionis, articulos & seriem continentes: triennium autem de quo fit mentio in litteris compositionis illius incipiet
Emenda 1242. computari anno gratiæ MCCXL. in cujus rei testimonium præsentes litteras emisimus sigilli nostri appensione munitas. Datum mense Octobri anno gratiæ
Corrigè, 1241. MCCXXXIX.

Litteræ obedientiales, & subjectionis in Ordinem & Abbatem Præmonstrati, testimoniales, quas subscribere tenentur Saxoniæ Præpositi.

1241. HÆc est forma litterarum quam debent sigillare vir Religiosus Frater Joannes Præpositus Sanctæ Mariæ Magdeburgensis & Præpositi aliarum Ecclesiarum ad suam Ecclesiam pertinentium. Notum facimus universis quòd cùm venerabilis Pater Hugo Abbas totumque generale Capitulum Præmonstratense ad piam instantiam consiliumque bonorum, nobis hanc gratiam gratissimam fecissent, propter animarum, pericula nec non & gravia laborum & expensarum dispendia, ut unusquisque nostrum atque successorum nostrorum successivè in perpetuum quolibet triennio semel veniremus Præmonstratum ad Capitulum generale, aut aliàs omnes ad idem Capitulum simul venire quolibet triennio teneremur. Nos tantæ gratiæ nolentes remanere ingrati, in perpetuam memoriam ejusdem gratiæ signumque nostræ devotionis ac reverentiæ quam habemus & semper habere volumus erga Ecclesiam Præmonstratensem, concessimus & ordinavimus inter nos, ut ille de nobis vel successoribus nostris, qui vice omnium nostrum vel successorum nostrorum venerit Præmonstratum ad Capitulum generale, offeret Præmonstratensi Ecclesiæ ornamentum vel ornamenta per quæ in eadem Divinum officium decoretur, ita quod pretium ornamenti vel ornamentorum illorum, non sit minus viginti librarum Parisiensium. Emenda sunt ornamentum vel ornamenta prædicta, de consilio Abbatis, Prioris vel Provisoris Præmonstratensis infra triduum Capituli generalis, si ibi sufficientia potuerint inveniri, alioquin dentur illæ viginti libræ Parisienses Priori, & Præposito Præmonstratensi, qui bona fide & in periculo animarum suarum infra mensem convertent illas de consilio Abbatis in ornamenta prædicta, ita quod non poterunt in alios usus expendi. Volumus etiam & concessimus, ut idem Litteras patentes habeat, & mandatum omnium Præpositorum qui mutati fuerint tempore nobis indulto quo ad Capitulum non tenemur venire, de faciendâ nomine & vice eorum obedientiâ Domino Præmonstratensi Abbati, donec memorati Præpositi in ordine vicis suæ veniant ad Capitulum memoratum, & ibi faciant nihilominus per seipsos obedientiam manualem, excepto Præposito Magdeburgensi, qui cum venerit in ordine vicis suæ, secum adducet Canonicum sufficienter instructum, qui vice mutatorum Præpositorum faciet obedientiam manualem. Quod si aliquo impedimento sic destinatus Præpositus ad generale Capitulum Præmonstratum venire non poterit, per Canonicum qui cum eo veniet, cum patentibus litteris suis, hoc ipsum Domino Præmonstratensi Abbati significare tenebitur, & Capitulo generali, dans in eisdem Litteris dicto Canonico potestatem de jurando in animam suam super illo impedimento; utrum autem hoc impedimentum sit legitimum nec ne, Præmonstratensis Abbatis arbitrio relinquetur: quod si forte minus legitimum illud impedimentum Abbas judicaverit, vindicandum erit pœnâ in antiquâ compositione contentâ; idem vero Canonicus omnia facere tenebitur quæ ille Canonicus si præsens esset facere teneretur. Præpositus autem vel Canonicus pro omnibus missus, debet secum deferre litteras patentes omnium suorum Com-præpositorum, continentes quod mittant illum loco sui ad generale Capitulum Præmonstratum, ad faciendum omnia quæ ipsi, si præsentes essent facere tenerentur. Sciendum verò est quod hæc omnia nobis concessa sunt & indulta, salvâ in omnibus & par omnia quantum ad omnes alios articulos compositione antiquâ. Quod si contra præmissa vel aliquod præmissorum, quod Deus avertat, venerimus, tenebimur omnes venire Præmonstratum ad Capitulum generale de triennio in triennium: quod si non ita venerimus, puniemur pœnâ in antiquâ compositione contentâ, videlicet quod cademus à causâ, & erimus in perpetuum Domino Abbati, & Ordini Præmonstratensi sicut alii Abbates & Professores ejusdem Ordinis, omninò subjecti, & in observantiis Ordinis uniformes. Quoniam autem hæc acta sunt nobis & Reverendo Patri Domino Guillelmo Parisiensi Episcopo præsentibus, in horum testimonium & robur sigillum nostrum præsentibus Litteris duximus appendendum. Actum Anno gratiæ MCCXXXIX. Repone 1241.
mense Octobri.

Litteræ confœderationis inter Abbatias Præmonstratensem, & de Nongento.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Ego Hugo Dei gratiâ Præmonstrati dictus Abbas, no- 1240.
sterque Conventus, & ego Helias eadem gratiâ de Nongento Abbas, similiter dictus, noster etiam conventus, Notum fieri volumus universis tam præsentibus quam futuris, quòd pro bono conservandæ pacis atque intuitu perfectiùs habendæ & adimplendæ

sanctæ charitatis, communi consilio atque voto decrevimus parique assensu statuimus, ut si qua, ut fieri solet, inter Præmonstratensem & Nongentensem Ecclesiam deinceps oborta, de qualibet re fuerit querela, nullatenus à modo vel ab Abbatibus ipsarum Ecclesiarum, vel à Fratribus pro qualibet querimonia sæcularis Ecclesiasticæve personæ requiretur aut expetetur audientia, sed ipsi intus se de querelis suis ad invicem benigne sicut decet sanctos sanctaque Religione professos tractabunt, & ipso qui pax nostra est largiente, pro posse suo fideliter ac prudenter rem pacificabunt. Quod si grandis aliqua vel gravis causa inter utramque Ecclesiam emerserit, quæ nec de facili aut leviter determinari vel pacificari possit, de singulis prædictis Ecclesiis duo eligentur fratres, de Præmonstrato quidem duo Canonici, de Nongento itidem duo Monachi prudentes ac fideles servi Dei, quibus causa querelæ tractanda committetur, quatenus ab eis, vel concordi & justo moderamine, aut judiciaria diffinitione terminetur. Quod si fratres præfati penes se judicii nequiverint reperire certitudinem, alibi à doctioribus & in diffinitione judiciorum peritioribus sollicitè inquirent judicii veritatem, & sic secundùm id quod veritas judicii monstraverit, vel justitia dictaverit, ab ipsis querela terminabitur, & quidquid inde statuerint, hoc incunctanter atque immobiliter perpetuis temporibus ab utraque Ecclesiâ observabitur. Ad augendum autem adhuc & perfectiùs innodandum fortiusque perstringendum inter utramque Ecclesiam sanctæ charitatis vinculum, hoc etiam statuimus, ut si una quælibet ex duabus istis Ecclesiis, vel per sui Abbatis vel per alicujus Fratris personam, Romanam expetierit Curiam sedemque visitaverit Apostolicam, alterius Ecclesiæ causam, si quam habuerit & eis commiserit, proficiscentes illic pro posse suo sollicite procurabunt, fideliterque perficient sicut suam, nisi causa fuerit, vel contra aliquam Ordinis nostri seu alterius Ordinis Ecclesiam nobis speciali dilectione conjunctam, vel etiam contra aliquam eminentem personam æquè nobis venerabilem atque dilectam. Quòd si quid hac de causâ expenderit, Ecclesiâ cujus negotium fuerit, hoc eis voluntarie grataterque restituere confestim curabit. Sic namque alterutrum onera portantes, & non quæ sua sunt tantùm, sed & quæ aliorum quærentes adimplebunt legem Christi, & ita efficientur Filii Dei. Quoniam verò ista superius scripta charitativè observando, temporalis pacis bonum procuramus obtinere; dignum multo magis esse judicamus, ut bona nostra spiritualia devotè ad invicem communicando, & pro invicem suppliciter orando æternâ pace mereamur feliciter gloriari & gaudere. Orationum itaque nostrarum omniumque bonorum spiritualium quæ quomodo facimus participium ad invicem modis omnibus & concedimus & communicamus. Illud etiam scripto hic approbamus annotandum, quod à prædecessoribus nostris claret esse salubriter institutum, ut pro defunctis scilicet nostris plenarium tam in Vigiliis novem lectionum quam in commendatione & missa faciamus ad invicem servitium in conventibus nostris, & hoc in crastina sancti Clementis. Singuli etiam sacerdotes pro eisdem missam unam celebrabunt, & quinquaginta psalmos dicent qui ad sacerdotium non fuerint promoti, & centies *Pater noster*, laici qui Conversi nostri sunt. Ut igitur hoc pacis & dilectionis bonum inconvulsis radicibus perpetuetur, & ab utraque Ecclesia immobiliter observetur, huic chirographum curavimus annotari, sigillorumque utriusque Capituli impressione muniri ac testium annotatione roborari anno Domini 1240. *Signum* Eustachii tunc Prioris; *Signum* Ægidii Subprioris; *Signum* Haimonis Cantoris. *Signum* Rainelmi Sacristæ. *Signum* Præmonstratensium. *Signum* Ivonis tunc Prioris; *Signum* Fabiani Subprioris. *Signum* Adæ Sacristæ, *signum* Theodorici Præpositi de Nongento.

Diploma Philippi III. Regis Francorum, litteras S. Ludovici pro Abbatia Præmonstratensi renovantis.

PHilippus Dei gratiâ Francorum Rex, Baillivis & præpositis suis omnibus ad quos præsentes litteræ pervenerint, Salutem. Noveritis quod nos Litteras inclitæ recordationis Ludovici quondam Regis Franciæ Charissimi progenitoris nostri vidimus in hæc verba. Ludovicus Dei gratia Franciæ Rex amicis & fidelibus suis Baillivis & Præpositis suis omnibus ad quos istæ litteræ pervenerint, salutem. Noverit universitas vestra, nos Ecclesiam Præmonstratensem affectuosiùs diligere, & eam ad nostram specialiùs spectare custodiam, unde vobis mandamus & sub obtentu gratiæ nostræ requirimus quatenus ejus res sicut nostras proprias custodiatis, & cum ab aliquo eam inhabitantium requisiti fueritis, jus ipsius ad posse vestrum manu teneatis. Actum apud Sanctum Germanum in Layâ anno Domini millesimo ducentesimo tricesimo primo, mense Julio: unde vobis omnibus præcipiendo mandamus quatenus res dictæ Ecclesiæ custodiatis & manu teneatis prout in supradictis litteris continetur. Actum Parisiis die mercurii post festum sancti Andreæ Apostoli anno millesimo ducentesimo septuagesimo primo. 1271.

Diploma Philippi IV. Franciæ Regis, confirmantis pias Ingelranni Cociacensis Dynastæ largitiones.

PHilippus Dei gratia Francorum Rex. Notum facimus universis tam præsentibus quàm futuris, quòd cum bonæ memoriæ Ingelrannus Dominus quòndam Couciaci in suo testamento seu voluntate ultima, certos annuos & perpetuos redditus capiendos & percipiendos in certis locis Baroniæ seu Terræ de Couciaco, de Fara & Marla, certis personis & in certos pios usus convertendos prout inferius continetur perpetuo legaverit sub modis qui sequuntur prout in dicto testamento seu voluntate ultima pleniùs continetur. Primo videlicet octies viginti libras Parisienses annui & perpetui redditûs pro pannis laneis & calceaturis emendis pro vestiendis & calceandis anno quolibet pauperibus Castellaniarum de Couciaco de Fara & de Marla. Item duodecim libras Parisienses annui & perpetui redditûs pro expensis priorum Præmonstratensis & de Nongento qui pro tempore fuerint, qui quidem priores pannos & calceamenta prædicta debent anno quolibet dispertiri. Item 40. libras Parisienses annui & perpetui redditûs conventibus Præmonstratensi & de Nongento pro pitanciis, videlicet cuilibet Conventui medietatem. Ita tamen quod Conventus de Nongento debet habere de illa medietate decem libras pro pitancia, & decem libras pro fabrica Ecclesiæ loci ejusdem, quas siquidem octies viginti libras annui redditus pro prædictis pauperibus vestiendis & calceandis, & dictas duodecim libras pro expensis dictorum patrum priorum, ac quadraginta libras pro pitanciis dictorum conventuum ut prædicitur, ab eodem testatore legatas, capiendas & percipiendas, de cætero, anno quolibet idem testator in modum qui sequitur ordinavit, videlicet super vinagio seu pedagio de Petramanda, sexaginta duas libras Parisienses; item super vinagio seu pedagio pontis ad Buciacum & de Fara, sexaginta & duodecim libras Parisienses. Item conventui de Thenaliis quatuor libras Parisienses, annui & perpetui redditûs pro pitancia, 1311.

capiendâ anno quolibet etiam percipiendas super vinagio de Marlà. Item Ecclesiæ de Sauvoir subtùs Laudunum, quadraginta solidos Parisienses annui & perpetui redditûs capiendos, anno quolibet super vinagio de Lauduno quod tenetur ab Episcopo Laudunensi. Item Ecclesiæ de S. Gobano viginti solidos Parisienses annui & perpetui redditûs pro duabus torchiis anno quolibet faciendis in eâdem Ecclesiâ pro illuminando Corpore Christi in Ecclesiâ memoratâ, capiendos & percipiendos anno quolibet super Tailliâ de Sancto Gobano. Item Curato, Monachis & Capellanis de Sancto Gobano viginti solidos Parisienses annui & perpetui redditûs, illis videlicet, qui anniversario anno quolibet ibidem celebrando intererunt æqualitèr inter eos dividendos, capiendos & percipiendos de cætero anno quolibet super Talliâ de Sancto Gobano prædictâ; Item Ecclesiæ Sancti Jacobi de Semiliaco, viginti solidos Parisienses annui & perpetui redditûs pro qualibet Lampade ardente de die & de nocte in dictâ Ecclesiâ habenda perpetuò capiendos super vinagio de Lauduno; item Monachis de Sancto Lamberto, viginti solidos Parisienses annui & perpetui redditûs pro pitanciis, percipiendos & capiendos annis singulis super vendâ vinarii de Sancto Lamberto. Item à La Val Sancti Petri quadraginta solidos Parif. annui & perpetui redditûs, pro pitanciâ, percipiendos & habendos super vinagio de Vervino; Item Ecclesiæ sanctæ Mariæ de Lauduno, centum solidos Parif. annui & perpetui redditûs distribuendos Canonicis & Capellanis dictæ Ecclesiæ, anno quolibet in die quo suum Anniversarium celebrabunt, capiendos & percipiendos anno quolibet, super vinagio de Lauduno quod tenetur ab Episcopo Laudunensi; Item Canonicis, Curato & Capellanis Ecclesiæ de Fara. Item conventui Monasterii S. Eligii Noviomensis sexaginta solidos Parif. annui & perpetui redditûs pro pitancâ, habendos & percipiendos anno quolibet & de cætero super vinagio de Blerencourt. Item Conventui sancti Bartholomæi Noviomensis sexaginta solidos Parif. annui & perpetui redditûs pro pitanciâ percipiendos & habendos annis singulis super vinagio de Blerencourt: Item Conventui Sanctæ Isabellæ de Genliaco quadragenta solidos Parif. annui & perpetui redditûs pro pitanciâ, percipiendos & habendos anno quolibet super vinagio de Petramanda, item conventui de Gaudio quadraginta solidos Parif. annui & perpetui redditûs pro pitanciâ, percipiendos & habendos annis singulis super vinagio de Chaisneaux. Item conventui sancti Stephani juxta Suessionem, unum modium bladi ad mensuram Couciaci, annui & perpetui redditûs pro pitanciâ, capiendum annis singulis super Molendino de Juviniaco.

Nos in hac parte ipsius testatoris piam voluntatem ac Laudabilem commendantes, prædicta legata omnia & singula ab eodem testatore sub modis supra scriptis facta, rata habentes & grata, ea volumus, laudamus, approbamus ac tenore præsentium ex certâ scientiâ, authoritate Regiâ confirmanus, volentes & concedentes expressè quod personæ quibus prædicti perpetui redditus à prædicto testatore sunt legati sub modis quibus supradicitur eos possint tenere, percipere & habere pacificè perpetuo sine actione vendendi, vel extra manum suam ponendi aut præstandi nobis seu successoribus nostris, vel pro præmissis financiam qualemcunque reddentes. Baillivo Viromandensi qui nunc est, & qui pro tempore fuerit cæterisque justitiariis nostris tenore præsentium mandantes, ut prædictos annuos redditus annis singulis de cætero personis & locis quibus sunt legati, persolvi faciant absque alterius expectatione mandati, cum super hoc fuerint requisiti, prout ad eorum quemlibet noverint pertinere, quod ut firmum & stabile permaneat in futurum, præsentibus litteris nostrum fecimus apponi sigillum salvo in aliis jure nostro & quolibet in omnibus alieno. Actum Corbolii anno Domini MCCCXI. mense Septembri.

Concordatum inter Abbatem Præmonstrati, & Anglos Abbates Ordinis ejusdem.

Universis præsentes litteras inspecturis, Adam Dei patientiâ Præmonstratensis Abbas salutem 1316.
& notitiam veritatis. altercationem antiquam inter nos ex parte una, & quosdam Abbates Regni Angliæ ex altera, diutius in Romana Curia agitatam sopire volentes, ac finem litibus imponere, & animarum saluti providere cupientes, ad pacem & concordiam cum dictis Abbatibus devenimus & composuimus in modum subsequentem.

PRIMUS ARTICULUS.

In primis licèt Abbates Regni Angliæ non multùm distent à Præmonstrato ubi tenetur annuatim Capitulum generale, proptèr tamen sumptuosum & periculosum maris transitum, concedimus eis de gratiâ speciali, quod annis singulis annui visitatores cujus libet Circariæ dicti Regni generale Capitulum visitare personalitèr tenebuntur exceptis impedimentis in privilegiis & Statutis Ordinis expressis, in quo casu Abbas taliter impeditus, priorem aut alium Canonicum suum cum mandato expresso de potestate jurandi in animam, mittendis de dictis impedimentis loco sui tenebitur destinare, & si Abbati Præmonstratensi, vel generali Capitulo necessitate vel utilitate Ordinis, seu Causâ rationabili pensatis, expediens videretur quòd plures Abbates quam annui visitatores & Abbates de novo creati in generali Capitulo personalitèr interessent, tunc per Dominum Præmonstratensem, aut per generale Capitulum alii Abbates citari possent, & citationis causâ in citatorio poneretur, & citati comparere personalitèr tenerentur, alioquin punirentur secundùm Privilegia Ordinis & statuta, nec aliàs quam ex causis in hac compositione contentis Abbates dicti Regni personalitèr minimè citabuntur.

SECUNDUS ARTICULUS.

Itèm Dominus Præmonstratensis qui pro tempore fuerit, poterit omnes Ecclesias regni Angliæ, Scotiæ & Walliæ, prout sua interest, omni anno personaliter visitare, quod si visitare per se noluerit, & alios visitatores quam de dicto regno à latere suo mittere voluerit, Abbates dicti regni de expensis transitûs seu *passage* nihil solvent, sed tantùm sibi & suis vitæ necessaria procurabunt secundum privilegia Ordinis & statuta, & talitèr destinati exactionum numerum in statutis contentum servare tenebuntur; nec ad depositionem Abbatum poterunt extendere manus suas; sed hunc articulum generali Capitulo aut Domino Præmonstratensi reservabunt, nisi aliqua Ecclesia dicti regni in spiritualibus vel temporalibus ita vacillaverit quod de eâdem prius Domino Præmonstratensi per patrem Abbatem vel per annuos visitatores querimonia deferatur.

TERTIUS ARTICULUS.

Item in generali Capitulo duo visitatores annui ad quamlibet Circariam dicti regni visitandam, alternis annis secundùm formam Ordinis, deputabuntur, qui visitatores, status Ecclesiarum & quæ referenda fuerint, ut est in Ordine consuetum omni excusatione cessante, exceptis tamen impedimentis in privilegiis & statutis ordinis expressis referre generali Capitulo personalitèr tenebuntur, & si quemlibet visitatorum tunc contigerit, ut præmittitur, impediri, priorem aut alium Canonicum suum, ut in præcedenti articulo præmittitur, loco sui tenebitur destinare.

QUARTUS ARTICULUS.

Itèm Collectæ non fient nisi pro causis in Privilegiis & Statutis Ordinis contentis, & tunc si faciendæ fuerint, causa contributionis & summa totalis levanda, in Capitulo generali, si commodè expectari poterit, approbabitur, & cuilibet Circariæ dicti regni intimabitur summa seu quota sua de quâ summâ cuilibet Ecclesiæ cujuslibet Circariæ per visitatores taxabitur summa sua secundùm quod abundant in temporalibus plùs vel minùs levanda & collectoribus generalis Capituli afferenda, ita tamen quod Ecclesia solvens portionem sibi assignatam pro Ecclesiâ non solvente, solvere minimè tenebitur, sed non solventes per generale Capitulum vel per Dominum Præmonstratensem, aut locum ejus tenentem compellentur, & dicti visitatores seu alii Abbates dicti regni in Capitulo existentes, computo, si voluerint, interer unt ut sciant quid fiet in posterum de collectis, & imponetur portio moderata Ecclesiis dicti Regni.

QUINTUS ARTICULUS.

Itèm Procuratores qui pro Ordinis negotiis communibus procurandis constituentur in Capitulo, si fieri possit de fidelitate & diligentiâ præstabunt juramentum, & si urgente necessitate, Capitulum generale commodè nequeat expectari, hujusmodi juramentum Domino Præmonstratensi in Præsentiâ plurimorum Abbatum, de quorum consilio mittendum fuerit ad Curiam, præstabitur, & in sequenti Capitulo computum reddere tenebuntur.

SEXTUS ARTICULUS.

Item Abbates de novo creati primo anno creationis suæ Domino Præmonstratensi & Capitulo generali obedientiam manualem personalitèr facere tenebuntur. Aliàs etiam novo Abbati Præmonstratensi creato, non facturi, nisi quando visitatores annui fuerint deputati, & si impediente infirmitate primo anno fieri nequeat dicta obedientia, fiet in sequenti, ita tamen quòd priorem vel alium Canonicum suum cum mandato expresso jurandi in animam mittentis ut superiùs præmittitur, excusare se tenebitur Abbas talitèr impeditus.

SEPTIMUS ARTICULUS.

Itèm apostatæ Ordinis & alii criminosi ac notoriè irregulares, si ad Dominum Præmonstratensem venerint, seu ad ejus locum-tenentem absolvendi, aut pro gratiâ impetrandâ, Dominus Præmonstratensis vel ejus locum-tenens in casibus sibi concessis ipsos absolvent, & super irregularitate, si voluerint, dispensabunt, vel si sibi expediens videatur, ad Abbates proprios remittent dispensandos, vel etiam à sententiis Ordinis absolvendos, specificatis omnibus criminibus notoriis seu manifestis, cum hac additione, si ità sit; ad stallum autem & obedientiam nominatam non restituentur nisi ad intercessionem propriorum prælatorum aut visitatorum annuorum, si prælati eorum, se quantùm ad hoc redderent nimis graves.

OCTAVUS ARTICULUS.

Item Sorores Ordinis in Regno Angliæ consistentes, quæ ante tempus nostrum exire non consueverunt, de cætero non exibunt, sed gratiam sibi factam de exeundo à nobis, & Capitulo generali, cum proptèr hoc grave scandalum Ordini sit exortum, penitùs revocamus.

NONUS ARTICULUS.

Itèm omnia illicitè attemptata, si quæ fuerint, quod absit, posset contra appellationem interpositam ad Sedem Apostolicam ex parte Abbatum Regni Angliæ, authoritate nostrâ & generalis Capituli in omnibus semper salvis, & hæc omnia si voluerint Abbates prædicti, per Curiam Romanam poterunt facere confirmari. Acta fuerunt hæc in Ecclesiâ sancti Andreæ in nemore, Ordinis nostri, Ambianensis Diœcesis, præsentibus sancti Martini Laudunesis, Domni Martini in Pontivo, Sancti Petri Selincurtensis, Lisquensis, & Languedone, & Sancti Andreæ in nemore prædictis Abbatibus, aliisque pluribus Ordinis nostri fide dignis testibus. Anno Domini millesimo trecentesimo decimo quinto, feriâ quintâ in cœnâ Domini in cujus rei testimonium sigillum nostrum præsentibus litteris duximus appendendum.

Littera Sixti IV. P. M. quibus ex Abbatia Vallis Dei, ad Præmonstratensem transfertur per provisionem Apostolicam Hubertus de Monte-Hermerio.

NOs (inquit Sixtus IV.) vacatione Præmonstratensis Monasterii, fide dignis relationibus intel- 1471.
lectâ, ad provisionem ejusdem Monasterii celerem & fœlicem, ne longæ vacationis exponeretur incommodis, paternis & sollicitis studiis intendentes, post deliberationem quam supèr his cum fratribus nostris habuimus diligentem, demùm ad *te Vallis Dei* Monasterii Abbatem, dicti Ordinis, Rhemensis Diœcesis, consideratis grandium virtutum meritis, quibus personam tuam, prout fide dignorum testimoniis accepimus, altissimus insignivit; & quod tu qui regimini ipsius Monasterii Vallis-Dei, Ordinis prædicti, & Rhemensis Diœcesis Laudabiliter præfuisti, Monasterium Præmonstratense hujusmodi scies & poteris authore Domino salubritèr regere & fælicitèr gubernare, direximus oculos nostræ mentis, quibus omnibus debitâ meditatione pensatis, de personâ tuâ eidem Monasterio Præmonstratensi, de fratrum nostrorum consilio, authoritate Apostolicâ providemus, teque illi præficimus in Abbatem, curam & administrationem ipsius Monasterii Præmonstratensis in spiritualibus & temporalibus plenariè committendo, firmâ Spe fiduciâque conceptis, quod dirigente Domino actus tuos, Monasterium Præmonstratense hujusmodi, per tuæ circumspectionis industriam & studium fructuosum fœlicitèr & prosperè dirigetur, & grata in eisdem spiritualibus & temporalibus suscipiet incrementa. Quocircâ discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus quatenùs onus regiminis & administrationis dicti Monasterii Præmonstratensis devotè suscipiens, sic te in ejus curâ salubriter exercendo fidelem exhibeas & studiosum, quòd dictum Monasterium præmonstratense, fructuoso & provido administratori gaudeat se commissum, tu que nostram & dictæ Sedis Benedictionem & gratiam exinde ubèriùs consequi merearis, volumus autem quod antè quàm possessionem administrationemque bonorum ipsius Monasterii Præmonstratensis accipias, fidelitatis debitæ solitum præstes juramentum, juxtà formam quam dilectis filiis Sancti Martini Laudunensis, & Cuissiacensis Lauduneusis Diœcesis prædictæ Monasteriorum Abbatibus, sub bullâ nostrâ mittimus interclusam, quibus & eorum cuilibet per alias nostras litteras, ut a te, nostro & Romanæ Ecclesiæ nomine hujusmodi recipiant juramentum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ 1471. tertio Calendas Septembris, Pontificatûs nostri anno primo.

Instrumentum Capituli & Conventûs Præmonstrati sese ad varia Anniversarii &c. pensa adstringentis.

UNiversis præsentes litteris inspecturis, Frater Si- 1494.
mon Vassale humilis Prior Monasterii Præmonstratensis, Laudunensis Diæcesis, Fratres Joannes de


Bello loco Supprior, Joannes Tabernarii Circator, Joannes Matthi Cantor, Jacobus Durand Succentor, Petrus de Beaumont, Joannes Coquin, Balduinus Brulè, Firminus Anguier, Joannes Evrad, Guillelmus Escarcel, Anthonius Waudin, Joannes Feret, Ægidius Broussard, Dionisius Danneau, Joannes de Beaumont Presbyteri, Joannes Mauchaussé, Nicolaus Turot, Goulardus Edoüard, & Ludovicus Jordieu Diaconi dicti Monasterii Canonici Professi Salutem in Domino sempiternam; Quia naturæ mutabilis exigente defectu generatio præterit & generatio advenit, fitque ut vetustas oblivionem, oblivio confusionem pariat & contentionem, necessariò mos inolevit, ut beneficia Ecclesiasticis personis aliisque oblata scripto tradantur & transmittantur ad notitiam posterorum, eâ de re præsentibus & futuris notum esse volumus per præsentes, quod nos pro rebus & negotiis Ecclesiæ tractandis paritèr congregati, inter cætera attentè perpendentes acquisitiones atque magnam denariorum summam, aliaque maxima beneficia & augmentationes, quæ & quas Reverendissimus in Christo Pater & Dominus noster charissimus Hubertus de monte Hermerii modernus Abbas Ecclesiæ nostræ antedictæ, nobis & eidem Ecclesiæ nostræ impendit & exposuit, & in dies impendere & exponere conspicimus, tum primò in confirmatione suæ nominationis habendâ sumptibus propriis, tum in multis reparationibus per ipsum factis in præfatâ Ecclesiâ nostrâ, curtibus & membris ab eâ dependentibus, quæ ad ruinam tendebant, duas enim columnas grossas seu pileria, Campanile seu turrim sustinentia, ubi majores Campanæ appensæ sunt, lapidibus magnis & duris construi fecit. Comparavit insuper lapides ardesios ad cooperiendum Ecclesiæ & dormitorii tecta, cum clavis ad opus perficiendum aptis & necessariis; Aquæ meatus fontium, qui longo jam tempore inusitati remanserant, de plombo, partim de novo, fieri residuum totum reparari; Cisternam novam juxtà gradus aulæ Abbatialis & pileria eidem contigua nec non Abbatiæ muros Clausuram facientes, aulam Comitissæ & alias multas reparationes in quodam quaternione papiraceo particulatim descriptas fieri fecit, sicut ipsi testamur & veracitèr cognoscimus; itèm pro molendino Derchentreé quod centum viginti annorum spatio & ultrà desolatum & inutile remanserat reparando, ducenta scuta aurea nobis largitus est, eo pacto quod singulis Sabbatis anni, perpetuò teneremur & Successores nostri tenebuntur (nisi triplex festum fuerit) in vesperis B. M. virginis post tertium Psalmum exire chorum, & in Basilicam seu pronaum Ecclesiæ, ante imaginem B. Mariæ Virginis devotè & attentè easdem vesperas perficere, ipsisque decantatis psalmum De profundis, Pater noster, versum, à porta inferi cum collectis præsta quæsumus ut anima famuli tui sacerdotis, & fidelium, legere, ita tamen quod de proventu ejusdem Molendini singulis annis accipiemus & habebimus, sex asinatas Bladii ad vestiarium nostrum communiter distribuendas; insuper dictus Reverendissimus Pater, acquisivit pro nobis & successoribus nostris sexaginta solidos Turonenses apud Vely & Joy, quos ad habendum ficus in quadragesimâ dedicavit, & propterea anniversarium pro animæ suæ ac parentum suorum animabus remedio & Salute, annis singulis facere tenemur. Et præterea, quòd magis memoriâ dignum est, Sæpedictus Reverendissimus Pater Apostolicum illud verbum; omnes stabimus ante tribunal Christi recepturi pro ut gessimus in corpore, sive bonum, sive malum, oportet diem messionis extremæ, misericordiæ operibus prævenire, atque æternorum intuitu seminare in terris, quod cum multiplicato fructu recolligere debeamus in cœlis, firmam spem in Domino gerens, quia qui parcè seminat parcè & metet, & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet vitam æternam, hoc in corde suo conferens, fundavit, dotavit, & ordinavit in præfatâ Ecclesiâ unam missam in perpetuum singulis diebus eo vivente de Spiritu Sancto, & post ejus decessum pro defunctis, ad altare S. Crucis submissâ voce post matutinalem missam pro ipsius ac parentum suorum animabus remedio & salute celebrandam in quâ dicentur quinque collectæ prima, videlicet pro sacerdotibus, *præsta quæsumus.* Secunda. *Inclita*, tertia, *Quæsumus Domine pro tua pietate miserere animabus famulorum tuorum*, quarta, *Deus cujus miseratione*, quinta & ultima *Fidelium* & paulatim ante ipsius missæ celebrationem, pulsabitur major Campana chori trinâ vice, quatuor ictibus vicissim, & per intervalla, pro cujus missæ fundatione seu dotatione perpetuâ redemit quadraginta libras Turonenses annui redditus quas curtis nostra de Loire annuatim solvere tenebatur; & unà cum hoc acquisivit curtem de monte Sancti-Martini de quâ pro præsenti annuatim solvuntur nobis tres modii annonæ ad mensuram Branensem cum sex libris ceræ pro luminaribus eidem missæ ministrandis, Curtem quoque seu domum, de Molin-Charle cum appenditiis de quâ solvuntur nobis ad præsens triginta libræ Turonenses, & in futurum, authore Deo, plus valere poterit; quas prædictas duas Curtes de Monte Sancti Martini & de Molin-Charle cum suis appenditiis & proventus earum, Sæpedictus R. Pater attendens quod per largitionem temporalium acquiritur sæpiùs Regum Dei, & mundanis cœlestia comparantur. Quia redditus ad vestes nobis necessarias Comparandum minus sufficientes cognoscebat, nobis dedit & contulit ad usum communitatis vestiarii omnium Religiosorum dicti Monasterii tam præsentium quam futurorum qui in dicto Monasterio erunt, dictamque missam gyratim celebrabunt applicandas, unà cum aliis redditibus quos habere soliti sumus; eâ tamen conditione quòd nos successoresque nostri præfatas Curtes & ædificia earumdem in bono statu manu-tenere tenebimur, & tenebuntur imperpetuum. Pro cujus missæ fundatione & aliis reparationibus & bonis nobis impensis exposuit, ut dictum est, maximam denariorum summam propriis ejus denariis & sumptibus, non ab Ecclesiâ nostrâ provenientibus, sed a muneribus piæ & inclitæ memoriæ Domini nostri Ludovici Francorum Regis, cui multis annis servivit, sibi oblatis, quæ ad summam decem millium librarum & ampliùs ascendere dignoscuntur. Verùm quià de tantis nobis impensis beneficiis, vix aut nunquam condignam ei retributionem facere possumus, eidem promisimus & promittimus per præsentes, pro nobis & successoribus nostris, per nostræ Religionis vota, & perpetuò & irrefragabilitèr observabimus & decantabimus vesperas B. Mariæ modo & die prædictis, anniversarium seu obitum faciemus cantabimusque & celebrabimus, successoresque nostri cantabunt & celebrabunt ex nunc & inperpetuum prædictam missam singulis diebus loco, horâ & modo supra declaratis; & ad præmissa perpetuo facienda, implenda & inviolabilitèr observanda nos & Successores nostros dicti Monasterii Religiosos, per præsentes obligamus tali pacto, quòd si nos aut aliquis successorum nostrorum, in præmissis aut aliquo eorumdem defecerimus aut deficerent, Abbas Præmonstratensis Ecclesiæ pro tempore existens, nos & successores nostros per privationem seu amotionem dictarum Curtium, aut per censuram Ecclesiasticam, aliisque viis, quibus expedire videbit melioribus ad præmissorum observationem compellere poterit & debebit; volentes demùm, consentientes & requirentes quod præsentes litteræ per Sanctam

Apostolicam Sedem aut generale Capitulum nostri Ordinis confirmentur, juxta dicti Reverentissimi Patris beneplacitum, in cujus rei testimonium sigillum nostrum præsentibus duximus appendendum. Datum in Capitulo nostro anno Incarnationis Dominicæ millesimo quatringentesimo nonagesimo quarto die vero Februarii tertiâ.

Instrumentum Electionis Petri Gossetii in Abbatem Præmonstrati.

1613. IN Nomine Domini Amen, tenore hujus publici instrumenti Cunctis pateat evidentèr & sit notum omnibus, quod anno ejusdem Domini millesimo sexcentesimo decimo tertio, die verò mensis Maii penultimâ, in nostrûm subsignatorum Joannis Barbien Presbyteri Canonici Laudunensis & Caroli Destret Canonici Laudunensis publicorum authoritate Apostolicâ Curiæque Episcopalis Laudunensis Notariorum juratorum, Lauduni juxta Regis edictum descriptorum immatriculatorum, & residentiâ constituti personalitèr, Reverendus in Christo Pater Dominus Joannes Robert Abbas Ecclesiæ seu Monasterii de Floreffiâ Diœcesis Namurcensis Ordinis Præmonstratensis, in absentia Reverendorum Dominorum Abbatum Monasteriorum Sancti Martini Laudunensis, & Beatæ Mariæ Virginis de Cuissiaco dicti Ordinis Præmonstratensis etiam Patrum Abbatum debitè & sufficientèr ad infra scripta hac die evocatorum, prout constat relatione Domini Joannis Monthelier aparitoris Curiæ Episcopalis Laudunensis sub datâ dierum nonæ & decimæ præsentium, mensis & anni ejus signo obsignatâ, nec non Frater Doule Prior, Franciscus Douus Subprior, Marcus Pontieu, Tussanus Pertreau Thesaurarius, Tussanus Gourdoux, Petrus Gosset Procurator, Joannes de Lauchi, Almaricus le Franc, Joannes le Paige, Petrus du Rieu, Joannes Legier, Anthonius Gervais, Claudius Charlot, Joannes Marchant, Blasius Bucquot, Claudius de Cloistre, Nicolaus Godot, Franciscus Fouquart Presbyteri, Claudius Lambert & Theodoricus Gaillien Diaconi, Joannes Mersigay Subdiaconus, Adrianus Gosset, Henricus Forgeot, Anthonius le Febvre, Nicolaus Boiot, Nicolaus Vairon & ægidius le Fort omnes religiosi expressè professi dicti Monasterii Præmonstratensis in eorum Capitulo debitè & numero sufficienti convocati ac Capitularitèr congregati, nec non illis assistentibus & præsentibus Reverendissimis in Christo Patribus, Dominis Tristano de Ville-longue doctore Theologo & Abbate Monasterii de Buciliaco, Servatio de Lairvels Doctore Theologo & Abbate Monasterii Beatæ Mariæ majoris Mussipontanæ, Diœcesis Tullensis, Jacobo Chastelain Abbate Beatæ Mariæ Vallis-Secretæ, & Ludovico de Lametz Abbate Monasterii Beatæ Mariæ Vallis-Serenæ Diœcesis suessionensis ab iisdem Dominis Religiosis Præmonstratensibus nominatis & debitè evocatis ad futurum Abbatem eligendum loco Reverendi quondam Fratris Francisci à Longo-prato ipsius Monasterii Præmonstratensis Abbatis possessoris pacifici nuperrimè & a paucis diebus defuncti, ne dicta Ecclesia seu Monasterium Præmonstratense Pastoris officio careret & destituta remaneret & exinde plura incommoda & nimium dispendium pateretur, præfatus Reverendus Dominus Joannes Roberti Abbas de Floreffia in dicto Capitulo præsidens exposuit prælibatis Reverendis Dominis Abbatibus & Religiosis electoribus, quòd hac die penultimâ mensis Maii dies assignata & indicta fuisset ad procedendum ad futuri Abbatis Præmonstratensis electionem, attamen supradictam electionem transferendam prorogandam & continuandam esse in diem crastinum cadentem ultimâ die hujus præsentis mensis Maii horâ nonâ, aut circiter ante meridiem certis causis & rationibus per eos consideratis. Cui quidem Domini præsidentis proposito, præfati Domini electores annuerunt & consensum præbuerunt, dictamque electionem ad diem crastinum horâ nonâ prorogarunt. Quâ quidem die ultimâ mensis Maii anni prædicti subortâ & lucente circa horam nonam matutinam missâ de Spiritu Sancto in primario altari ejusdem Ecclesiæ solemnitèr & in Pontificalibus à præfato Reverendo Domino Abbate de Floreffiâ celebratâ cæterisque precibus ad Deum perfusis, prænominatus Dominus Abbas de Floreffia præses, nec non Religiosi dicti Monasterii Præmonstratensis, cum cæteris Reverendis Dominis Abbatibus convocatis, & acceptis ab iisdem Religiosis & conventu dicti Monasterii Præmonstratensis ad dictam electionem cum illis faciendam in Capitulo ad sonum Campanæ Capitularis debitè juxta decretum hesternâ die ab iisdem electoribus factum congregati, & Capitulariter in honorabilium & scientificorum virorum Magistrorum Jacobi Gilot, & Renati le Roulier in supremo Senatu Parisiensi consiliariorum à dicto Senatu deputatorum præsentiâ, ad hujusmodi futuri Pastoris sui Abbatis Præmonstratensis electionem, sub protestationibus tamen per dictos Religiosos & electores ordinarios factis, ut post hac talis, & præsentia & ingressus dictorum Consiliariorum in dicto Capitulo, nullum præjudicium dicto Monasterio, nec statutis ejusdem Ordinis generare, aut in consequentiam aliquam in futurum trahi possit. Ad quas quidem protestationes præfatus Dominus Gilot alter dictorum Consiliariorum habitâ prius ab eodem exhortatione de laude fructu & utilitate electionis, declaravit non fuisse necesse dictæ Curiæ supremi Senâtus Parisiensis intentionem imposterum & in futurum astringere dictum conventum & electores dicti Monasterii vacantis, ad interventionem & præsentiam aliquorum Consiliariorum, factoque etiam Sermòne Latino ab eodem Reverendo Dommino Abbate Præsidente, & invocatâ prius Spiritus Sancti gratiâ cum hymno *veni Creator*, viâ compromissi processerunt, deinde collectis præfatorum universorum electorum suffragiis, an illis talis via compromissi placeret, omnes & singuli declaraverunt sibi placere ut per viam compromissi procederetur ad electionem dicti novi prælati & Abbatis, & præstitis priùs per nos Notarios prænominatis juramentis ad hoc in talibus præstari solitis, ut meliùs & breviùs per dictam compromissi viam procederent, undecim compromissarios seu electores ex eorum electoribus elegerunt. Videlicet Reverendos in Christo Patres Dominos Joannem Roberti Abbatem de Floreffia in dicto Capitulo præsidentem, Tristanum de Ville-longue Doctorem Theologum Abbatem de Bucilliaco, Servatium de Lairvels Doctorem Theologum & Abbatem Monasterii Beatæ Mariæ Majoris Mussipontanæ, Jacobum Chastelain Abbatem Beatæ Mariæ Vallis-Secretæ, Fratres Claudium Boulet Priorem, Franciscum Douvs Supppriorem, Joannem le Paige, Petrum Du Rieu, Doctores Theologos, Joannem Legier Priorem Monasterii montis Sancti Martini, Tussanum Petreau Sacristam, Petrum Gosset procuratorem dicti Ordinis & Monasterii Præmonstratensis respectivè Religiosos expressè professos, qua electione sic factâ & præstitis per eosdem electores seu compromissarios juramentis quod ipsi eligent in eorum conscientiâ meliorem, magis probum & utiliorem hominem quem scient in Abbatem, & pastorem Ecclesiæ & Monasterii prædicti Præmonstratensis, qui quidem Domini compromissarii illicò è Capituli loco exeuntes & sese in Conclavi seu secreto loco recipientes, ibique postquam paulo temporis spatio & intervallo disse-

ruerunt & deliberaverunt super dicti futuri Abbatis seu Pastoris electione, liberè nobis Notariis Prænotatis detexerunt & publicaverunt se fecisse electionem pro Abbate & Pastore futuro ejusdem Monasterii Præmonstratensis, Religiosi expressè professi & procuratoris, & exinde exeuntes & ad Capitulum revertentes, liberè & publicè, non Compulsi neque coacti ad omnes alios Abbates & Religiosos in Capitulo existentes congregatos & Capitulum facientes retulerunt, & declaraverunt per organum præfati Reverendi Patris Domini Abbatis Floreffiensis in hac electione præsidentis, sese in conscientiâ suâ, ad solum Deum habentes respectum elegisse pro ut de facto eligunt in Abbatem & futurum Pastorem Ecclesiæ prædictæ seu Monasterii Præmonstratensis tam ejus quam majoris & Sanioris partis electorum seu Compromissariorum suorum totius Conventûs nomine prædictum fratrem Petrum Gosset tanquam probum virum, bene meritum, capacem & idoneum ad hujusmodi dignitatem Abbatialem & totius ac generalis Ordinis Præmonstratensis Caput obtinendum, Regendum, gubernandum. Ejusmodi electionem omnes & singuli prælibati Abbates & Religiosi in Capitulo congregati unâ voce unoque consensu approbaverunt, laudaverunt, tenuerunt, laudaverunt ratamque ac gratam habuerunt nullis huic electioni contradicentibus nec repugnantibus. Cui quidem electioni sic viâ compromissi factæ & celebratæ præfatus Dominus electus suum præbuit assensum eandemque ratam gratam, habere declaravit: tunc & illicò dicti Domini electores de tali electione gaudentes ac Deo omnipotenti Beatæque Mariæ Virgini ac Sancto Joanni Baptistæ in cujus honorem fundata est prædicta Abbatialis Ecclesia seu Monasterium Præmonstratense, gratias referentes, cum magno Jubilo Canticum TE DEUM LAUDAMUS cantantes Campanisque pulsantibus è Capitulo exierunt & in Ecclesiam sese contulerunt, prælibato Abbate seu Pastore novo electo per præfatum Reverendum Patrem Abbatem Floreffiensem præsidem ad supremum altare hujus Ecclesiæ conducto, genibus flexis, preces devotas humiliter fecit ad Dominum omnipotentem Deum pro tantis meritis erga se collatis de quibus præmissis & singulis omnibus, præfati Domini electores & electus sibi fieri & tradi per nos Notarios subsignatos hoc præsens publicum instrumentum; unum vel plura requisierunt, quibus quidem sub hac præmissorum formâ annuimus & concessimus. Acta fuerunt hæc in dictis Capitulo & Ecclesiâ Præmonstratensi, anno, mense & diebus prædictis in præsentiâ discreti viri Magistri Anthonii Louis Presbyteri Curati de Maisi Diœcesis Suessionensis, nec non honorabilis & scientifici viri Jacobi Vauchet Juris utriusque Doctoris, Serenissimorum Archiducum in consilio suo Namurcensi consiliarii, & Magistri Ludovici Le Liege in prædicto Monasterio existentis, testium ad hoc specialiter & expressè vocatorum & rogatorum, qui quidem testes nobiscum Notariis prænominatis præsentium minutam subsignaverunt.



SANCTUS MARTINUS LAUDUNENSIS.

Charta Rogeri de Monte-Acuto quâ tradit per manum Bartholomæi Laudunensis Episcopi, Ecclesiæ Sancti Martini Lauduni unam Karrucatam terræ in teritorio Salmunceii anno 1117.

1117. N Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Quoniam humanæ fragilitatis defectu dominatur oblivio, necesse est litteris annotare, quorum ad communem utilitatem expetit diutiùs reminisci. Ego igitur Bartholomæus Dei gratiâ Laudunensis Episcopus notum esse volumus tam præsentibus quàm futuris qualitèr Rogerus de *Monte-acuto* annuente uxore sua Ermengardi cùm filiis & filialibus suis Ecclesiæ Sancti Martini de suburbio Laududensi ad subsidium Canonicorum inibi Deo regulariter servientium pro Dei amore ac nostra petitione & animæ suæ salute in territorio *Salmunceii* unam Karrucatam terræ ad omnes rigas donavit atque concessit, ubi Curiam suam facere, eamque succiso & complicito in circuitu nemore possint munire, atque ad illam Curiam de Communi pasturâ & Silvâ quantum opus fuerit ad omnes usus eorum concessit libere habere. Prætereà ad munitionem Salmunceii, unam eis mansuram dedit, illam scilicet quæ *Virgultum* appellatur, ubi si bonum eis visum fuerit, domum poterunt ædificare, nec non & in omnes prædictas terras liberos ingressus & egressus eis concessit. Porro Petrus de *Suessona* qui de territorio *Salmunceii* medietatem tenet, hanc donationem ex parte suâ annuit, atque hujus terræ donum super altare Sancti Martini propriâ manu garrantiam obtulit, postulans ut Patris ac Matris suæ animarum memoria in Ecclesiâ habeatur, eorumque anniversaria dies annuatim recolatur, quod ut firmiùs vigeret, hoc scriptum fieri, testesque qui affuerunt subtùs annotari præcepimus. *Signum* Bartholomæi Episcopi. *S.* Vidonis Decani atque Archidiaconi. *S.* Gerulfi Diaconi. *S.* Godefridi Capellani. *S.* Albrici Diaconi. *S.* Petri de Suessona. *S.* Vidonis Præpositi. *S.* Ipsius Rogeri qui hanc Chartam fieri jussit. *S.* Ermengardæ Uxoris ejus cum Filiis suis Widone Clerico, Willelmo, & Roberto laicis. *S.* Albricii de Monte Canet cum Filiis suis. *S.* Vidonis de Monte-acuto. *S.* Nicolai Castellani. *S.* Elberti Vicedomini. *S.* Odonis de Abbatia. *S.* Milonis. *S.* Gerardi Guerre. *S.* Letardi do Petrâ-monte. *S.* Vainalti de Pounei. *S.* Odonis Vetuli. ACTUM Lauduni 4. nonas novembris feriâ 2. Lunâ 17. Anno Incarnationis Dominicæ 1117. Indictione 10. Epactâ 7. concurrente 1°. Ego Radulfus Sanctæ Mariæ Cancellarius relegi.

Charta Bartholomæi Laudunensis Episcopi pro subrogatione Præmonstratensium in Ecclesiâ Sancti Martini anno 1124.

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ego Bartholomæus Dei gratiâ Sanctæ Laudunensis Ecclesiæ Minister; quiâ ex injuncti Officii necessitudine, cui authore Deo deservimus Ecclesiæ quam gubernandam suscepimus, debito Cu- 1124. de eo ubi de Cuissiaco.

debito Curæ pastoralis obligamur, ne quâ suorum membrorum parte laboret solertèr invigilans, bona erepta in melius provehere, & si qua forte inconsultiùs facta fuerint, Domino opitulante pro facultatis & peritiæ nostræ modulo corrigere debemus. Notum igitur esse volumus tam præsentibus quam futuris, quia cum in Ecclesiâ B. Martini de suburbio Laudunensi, quæ priùs sæcularium clericorum fuerat, quidam Fratres nostris temporibus ad regularitèr vivendum se transtulissent, atque aliquandiù inibi commorantes de die in diem peccatis exigentibus imperitiâ ac negligentiâ & exteriores possessiones magis magisque detererent, neque interiùs vel numero vel religione proficerent, novissimè anxii & de loci istius dejectione solliciti ex consilii nostri decreto in hanc sententiam declinavimus, ut Fratris Norberti qui in *Vosagi Silvâ* apud Præmonstratum locum cùm magnâ famulorum Dei manu, sub Canonicâ professione heremiticam vitam Constituerat, Curæ & dispositioni Ecclesiam illam committeremus, qui cum petitionibus nostris acquievisset, sancitum est, ut sicut ille locus ab antiquo in manu Prædecessorum nostrorum extiterat. ita & nunc in nostrâ successorumque nostrorum remaneat. Fratres que qui ad eum pro Salute animarum piâ devotione convenient, ordinato sibi Abbate Secundùm Regulam B. Augustini, ad tenorem Præmonstrati loci canonicè vivant, quòd si fortè Abbas B. Martini, instigante Diabolo à regulæ suæ tramite deviaverit, conventusque, ab Episcopo Laudunensi atque Præmonstrati loci Abbate in præsentiâ Laudunensis Ecclesiæ in pertinaciâ & aversione suâ permanserint, convocatis ejusdem Religionis Co-abbatibus apud Præmonstratum, de Regulæ suæ executione sub eorum testificatione discutiatur, atque corripiatur; si vero in malo suo obstinatus & sicut confutatus incorrigibilis apparuerit absque ullâ retractatione ab eisdem Abbatibus secundùm Religionis suæ institutionem deponatur, aliusque Idoneus eorum communi Concilio & electione in locum ejus è vestigio subrogetur & ab Episcopo Laudunensi ordinetur. *S.* Bartholomæi Laudunensis Episcopi. S. Guidonis Decani & Archidiaconi. *S.* Radulphi Archidiaconi. *S.* Scifridi Abbatis S. Vincentis. *S.* Simonis Abbatis Sancti Nicolai de Silvâ. *S.* Bernardi Abbatis Claræ vallensis. *S.* Raynaldi Abbatis Fusniacensis. *S.* Bliardi Cantoris. *S.* Drogonis Presbyteri. *S.* Herberti Presbyteri. *S.* Ebali Diaconi. *S.* Godefridi Diaconi. *S.* Ebali Subdiaconi. *S.* Widonis Subdiaconi. *S.* Roberti Acolyti. *S.* Roberti Decani Sancti Joannis. *S.* Gaufridi Cantoris. *S.* Haimonis Thesaurarii. *S.* Henrici. *S.* Gerauni. *S.* Valerii. *S.* Hugonis *S.* Clarembaldi de foro. *S.* Nicolai Castellani. Anno Incarnationis Dominicæ M C XXIV. Indictione 2. Epactâ 20.

Privilegium Ludovici VI. Francorum Regis, pro Monasterio S. Martini Laudunensis.

1130. QUia Regiæ dignitati summoperè decet servos Christi honorare, effectum pietatis super eos effundere, & in eis Christum venerari & suscipere. Nos hic abundantes, & egemus, videlicet temporalibus nostris: Iuvantes autem apud Deum egentes patrocinio dignum fore existimamus, ut eorum utilitati & amplificationi providentes de mammonâ iniquitatis, & amicos faciamus, & æterna comparemus tabernacula. Ego igitur Ludovicus Dei gratia Rex Francorum, omnibus tam futuris, quàm præsentibus notum fieri volumus, quòd Ecclesiæ B. Martini Laudunensis, & Canonicis in eâ regulariter Deo famulantibus istud Regiæ Majestatis nostræ Privilegium tradimus; quòd Universis fidelibus quodcumque pro Dei amore & animarum suarum remedio de rebus & possessionibus suis, quæ de nostro sunt feodo, aliquid prædictæ Ecclesiæ largiri voluerint, largiendi licentiam eisdem omnibus generali annuntiatione præbuimus; & Canonicis quæcumque eis jam donatæ sunt, aut dabuntur in potesterum, liberè & quietè in perpetuum possidenda concessimus. Illud itaque donum & eleemosynam, quam Godefridus fecit eidem Ecclesiæ B. Martini, qui dedit ei terramquæ dicitur cultura de *Moncelle*, quæ de nostro feodo erat, quam ipse à Nicolao, & Nicolaus à nobis tenebat. Illud, inquam, donum ratum & inviolabile Canonicis liberè ac perpetualitèr annuimus obtinendum; ita videlicèt quòd terram illam, quàm ipse Godefridus posuit in communitatem prædictæ terræ à Nicolao tenebat, & Nicolaus à nobis, & de nostro similitèr feodo habebatur. Hoc autem, ne oblivione posset deleri, aut à posteris infirmari, scripto commendavimus, & sigilli nostri auctoritate, nominis que nostri caractere firmavimus; adstantibus in palatio nostro, quorum nomina subscripta sunt & signa *S.* Philippi Filii nostri jam in Regem coronati. *S.* Ludovici Buticularii. S. Hugonis Constabularii. *S.* Manasse Camerarii. Actum anno Incarnati verbi M C XXX. Data per manum Simonis Cancellarii.

Charta Rainaldi Archiepiscopi Remensis pro fundatione Parthenonis de Dyona. Anno 1135.

IN Nomine Sanctæ &c. Ego Raynaldus Dei gratiâ Remensis Ecclesiæ Archiepiscopus: quia divinæ miserationis gratiâ infirmitatem nostram supportante, locum regiminis licet indigni tenemus, & si omnibus in commune fidelibus qui intra Remensis Diœceseos fines continentur paternæ sollicitudinis vigilantiam debemus, in eos tamen zelo charitatis impensiùs intendere compellimur, qui Deo soli vivere quærentes sæculi Blandientis illecebras pro ipsius amore calcaverunt, projectâque omni fluxæ & Caducæ substantiæ sarcinâ ad tranquillum jocondæ contemplationis portum de mundi hujus fluctuante pelago, felici naufragio evaserunt. Notum igitur esse volumus tam præsentibus quam futuris quomodò Ecclesiæ Beati Martini de suburbio Laudunensium allodium illud de *Dyona* ad opus Religiosarum Mulierum sub illius obedientiâ Deo famulatium, partim pro Dei Amore, partim pretii comparatione, magnâ ex parte obtinuisset Præpositus Rovicus, & Canonici Sanctæ Mariæ Registestis, partem quam in eodem allodio habebant pro annuali Censu decem denariorum eidem Ecclesiæ perpetuo jure possidendam concesserunt. Nos autem apud Dominum Joannem nostræ Ecclesiæ Canonicum, cujus est altare de *Avincurte* & apud *Heliam* ejusdem villæ Presbyterum, tam pro Dei amore quàm nostrâ petitione obtinuimus, ut pro totâ decimâ præfati allodii, quantùm videlicet ad ipsos attinet tres sextarios frumenti & totidem Hordei illius mensuræ, Fratres de *Dyona* tam ipsis quam successoribus ipsorum annuatim persolvant & sic decimam suam perpetuâ pace possideant. Item Rigaldus de Assentia annuentibus Filiis suis Wihardo & Hebalo, Annuente etiam Henrico Comite de cujus feodo partem ejusdem terræ tenebat, duas Carrucatas terræ arabilis & decimam ipsius terræ quantùm ad eum attinebat & de pratis quantùm ad ipsas Carrucatas sufficere possit per manum Gualteri Abbatis Ecclesiæ Sancti Martini in territorio *Cyriaci* in nostrâ præsentiâ & Comitis Registestis Witheri, obtulit, postulans ut tam ipsius quam Antecessorum suorum me-

moria ibidem habeatur. Concessit & de sylvâ suâ & pasturis suis quantùm ibidèm opus fuerit & ad omnes terras illas ingressus liberos & egressus. Item Blihardus *de Herchri* annuentibus Filiis suis & filiabus dimidium pratum de *Aldengule* & totam terram illam quæ *Taran* dicitur præter unam Carrucatam quam Filii sui sibi retinuerunt Deo & Ecclesiæ præfati Confessoris concessit, impetrans ut tam pro istis quàm pro cæteris beneficiis tam sui quam suorum memoria in eâdem Ecclesiâ perpetuò habeatur. Has autem fidelium donationes supradictæ Ecclesiæ Collatas in hoc privilegio Colgil & sigilli nostri impressione & testium subscriptione Corroborari præcepimus, & ne quis aliquid horum quæ Sanctæ Ecclesiæ fidelium devotione oblata sunt, sibi inposterum vendicare præsumat, Anathematis sententiam interposuimus. Actum anno Dominicæ incarnationis. 1135. indictione 13, Epactâ 15, concurrente 1. *S.* Raynaldi Athiepiscopi qui hoc privilegium fieri jussit. *S.* Odonis Abbatis. *S.* Remigii Alviverensis *S.* Willelmi Abbatis S. Theodorici. *S.* Ursi Abbatis *S.* Dionisii. *S.* Magistri Albrici Archidiaconi. *S.* Hugonis Archidiaconi. *S.* Fretherici Præpositi. *S.* Leonis Decani. *S.* Henrici Cappellani. *S.* Joannis Diaconi. *S.* Witheri Comitis de Registeste *S.* Henrici Comitis.

Charta Donationis Vineæ de Rota vulgò de la Roüe à Ludovico VII. Francorum Rege, anno 1138.

IN Nomine Sanctæ &c. Ego Ludovicus Dei gratiâ Rex Francorum & Dux Aquitaniæ. Notum fieri volo cunctis fidelibus tam futuris quàm præsentibus Instantibus quòd illam partem Vineæ quæ *Rota* dicitur quæ Laudunensi Ecclesiæ Beati Martini duos vinatii modios & decimam antiquitùs debebat & persolvebatDeo & eidem Ecclesiæ in sustentationem pauperum Christi inibi Deo servientium Pater meus Ludovicus Francorum Rex perpetuo jure possidendam donavit. Porrò quandam partem quàm sibi retinuerat, quæ prædictæ Vineæ adhæret allodio, Ecclesiæ Beati Martini contigua, postea eidem Ecclesiæ donando addidimus, quò videlicet tam mei quam animæ ejusdem Patris mei continua memoria & Anniversarius dies inibi inperpetuum agatur, quod ne valeat oblivione deleri, scripto commendavimus, & ne possit à posteris infirmari, sigilli nostri authoritate & nominis nostri charactere subtùs firmavimus. Actum Lauduni publicè anno incarnati verbi 1138, regni nostri secundo. Astantibus in Palatio nostro Radulpho Veromandorum Comite, Matheo Constabulario, Willelmo Buticulario, Mathiâ Camerario. Actum per Manum Algrini Cancellarii.

Charta Bartholomæi Laudunensis Episcopi quâ liti pro sepulturâ inter Ecclesias Sancti Martini & Sancti Joannis finem imponit.

IN Nomine Sanctæ &c. Ego Bartholomeus Dei gratiâ Laudunensis Episcopus; quoniàm plura, nisi scripta fuerint, paulatim à memoriâ elabuntur, & in oblivionem temporum rediguntur, tam futuris quàm præsentibus intimare scribendo curavimus quòd inter Ecclesiam Sancti Martini Laudunensis & Ecclesiam Sancti Joannis sitam in suburbio ejusdem, quædam quærela pro sepulturis emersit. Ecclesia Sancti Martini secundùm tenorem Privilegii Papæ Innocentii liberam sepulturam eorum qui in atrio suo sepeliri vellent, se habere dicebat. Ecclesia Sancti Joannis contradicebat & secundùm tenorem Privilegii Papæ Alexandri, & Parochianis suis injuriam fieri dicebat. Nos autem auditis utriusque partis rationibus & multorum consilio diligentèr pertractatis, pacem inter Ecclesias reformare cupientes hoc modò controversiæ finem fecimus. Ecclesiæ Sancti Martini assensu Capituli Sancti Joannis liberam sepulturam Parochianorum Sancti Joannis qui in atrio Sancti Martini sepeliri vellent inperpetuum concessimus, eo tenore ut Canonici Sancti Joannis oblationes & Candelas propter sepulturam quas de Parochianis suis in Ecclesiâ suâ habere solebat in Ecclesiâ Sancti Martini similiter habeant, & nos Ecclesiæ Sancti Joannis pro recompensatione viginti solidos Provenientis Monetæ ad saleum salis Lauduni inperpetuum concessimus, quod ut inconvulsum permaneat, hoc privilegium fieri & sigilli nostri impressione & testium subscriptione roboravi & per chyrographum inter utramque Ecclesiam dividi jussimus. *S.* Bartholomæi Episcopi qui hoc Privilegium fieri jussit. *S.* Valteri Decani. *S.* Richardi Archidiaconi *S.* Bartholomæi Thesaurarii: S. Herberti. S. Gunteri. S. Fulberti Presbyterorum. *S.* Petri. *S.* Alexandri. *S.* Odonis Diaconorum. *S.* Roberti. *S.* Lisiardi. *S.* Manasse Subdiaconorum.

Charta Confœderationis Abbatiarum Sancti Vincentii & Sancti Martini Laudun. anni 1180.

IN Nomine Sanctæ &c. Charitas quæ patiens est & benigna filios obedientiæ vinculo irrefragabili ligare non desistit, & si quid inter eos indebitâ subreptione Emerserit, manu devotæ sollicitudinis & cautæ provisionis ad pacem & Concordiam satagit revocare. Inde est quod ego Hugo Sancti Vincentii Laudunensis Abbas & Capitulum nostrum, & ego Galterus Sancti Martini Laudunensis Abbas & Capitulum nostrum, memoriæ posterorum volumus Commendari, & omnem dissentiendi sive litigandi occasionem de omnibus querelis quæ de cætero emerserint, inter utramque Ecclesiam nostram hoc modò communi assensu statuimus inperpetuum amputari. Convenit igitur inter nos & Communi assensu firmatum est in utroque Capitulo nostro quod de omni quæstione quæ emerserit inter utramque Ecclesiam nostram, nulla secularis sive Ecclesiastica persona requiretur, nec ad alienam audientiam quæstio referetur. Item Abbas Sancti Vincentii, providebit duos Canonicos Sancti Martini in conventu, similitèr & Abbas Sancti Martini accipiet duos Monachos in conventu Sancti Vincentii qui in unum Convenientes & rem sufficienti inquisitione addiscentes infra quadraginta dies suâ ipsorum industriâ si fieri potest amicabili compositione querelam terminabunt. Quod si querela eis gravis visa fuerit & nodosa, adeò ut alieno suffragio se egere cognoverint, consilium requirent simul, & prout eis visum fuerit, post acceptum consilium,compositione vel judicio eam terminabunt, & utraque Ecclesia nostra irrefragabilitèr tenebit quod ab ipsis quatuor audierit. Ut igitur hæc Sancta Confœderatio rata sit & nulla interpolatione valeat infirmari, quia providimus in bono pacis quietem Corporum & Concordiam animorum, visum est aliquid adjiciendum esse ad salutem animarum, & præter antiquas solemnitates quas vivis & defunctis adinvicem impendebamus, Communi decreto sancitum est quòd Canonici Sancti Martini singulis annis interesse non omittant processioni & missæ cum Monachis, in festivitate Sancti Vincentii,similiter in transitu Sancti Martini cum Canonicis Monachi intererunt. Item & decedente altero fratrum Monachorum sive Canonicorum alterius Ecclesiæ, altera Ecclesia tricenarium persolvere tenebitur. Abbatum autem utriusque Ecclesiæ dies anniversarius singulis annis persolvetur,

ſanè his decernimus annectendum quòd ad fomentum Amplioris dilectionis utrimque conceſſum eſt, videlicèt quòd in omnibus quærelis & in omnibus obedientiis coràm omnibus perſonis tam per nos quam per ſubditos noſtros fraternâ compaſſione nos invicem fovebimus, conſtantèr ad juvabimus & onera noſtra quotièns expetierit vinculo charitatis & debito pactionis partiemur. Ne igitur conceſſus perſonarum præſentium utriuſque Capituli temerariâ præſumptione ſuccedentium valeat annullari, in utroque Capitulo ſub interminatione Anathematis prohibuimus ne quis huic pactioni pro bono pacis factæ contendat obviare, & ſi quis etiam contentioſè agere præſumpſerit, in utriuſque Capitulo congruam ſatisfactionem cogatur exhibere. Ut igitur hæc pactio charitatis rata ſemper exiſtat præſentem chartam ſigillorum noſtrorum appoſitione & perſonarum quæ affuerunt annotatione roborari fecimus. *S.* Hugonis Præmonſtratenſis Abbatis in cujus præſentia actum eſt & Concilio roboratum. *S.* Hugonis Abbatis Branenſis. *S.* Ticelini Abbatis de Mari. *S.* Wilboldi Prioris Sancti Vincentii. *S.* Bovonis Supprioris. *S.* Radulphi, Rogeri, Rainaldi, & Herberti Sacerdotum. *S.* Arnulphi, Radulphi & Egidii Diaconorum. *S.* Nicolai, Raineri & Drogonis Subdiaconorum *S.* Lamberti Prioris *S.* Martini. *S.* Henrici Supprioris. *S.* Garſiæ Cantoris, Taſchelini, Theodorici & Garini Sacerdotum. *S.* Salomonis, Simonis & Radulphi Diaconorum. *S.* Hugonis, Joannis & Arnulphi Subdiaconorum. Actum anno incarnati verbi 1180. *

Bulla Honorii III. quâ perſonas & Bona Sancti Martini Laudunenſis ſub protectione Apoſtolicâ ſuſcipit anno 1222.

HOnorius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei Dilectis Filiis Abbati & Conventui Sancti Martini Laudunenſis Præmonſtratenſis Ordinis ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem. Cum à nobis petitur quod juſtum eſt & honeſtum, tam vigor æquitatis quàm Ordo exigit rationis ut id per ſollicitudinem officii noſtri ad debitum perducatur effectum. Quapropèr dilecti in Domino Filii veſtris juſtis precibus inclinati perſonas veſtras & locum in quo divino eſtis obſequio mancipati, cum omnibus bonis quæ inpræſentiarum rationabilitèr poſſidet aut infuturum juſtis modis præſtante Domino poterit Adipiſci, ſub Beati Petri & noſtrâ protectione ſuſcipimus, ſpecialitèr autem de *Burchi* de *Parmile*, de *Wargnon*, *de Lobia*, de *Genamnont*, de *Armurte* .... Eccleſias de *Sammoncy*, de *Ceſtropoy*, de *Burchy*, de *Vertegny*, de *Anamis*, & de *Chaumont*. Curtem cum pertinentiis ſuis, Molendina, poſſeſſiones, decimas, cenſus nec non & alia bona veſtra ſicut ea omnia juſtè, quietè ac Canonicè poſſidetis, vobis & per vos Monaſterio veſtro authoritate Apoſtolica confirmamus & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ protectionis & confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraire ſi quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Alatri. VII. Idus Junii Pontificatus noſtri anno Sexto.

Charta Galteri Tornacenſis Epiſcopi, indulgentias concedentis pœnitentibus & confeſſis viſitantibus Eccleſiam Sancti Martini in Feſtivitate Sancti Laurentii propter ſiniſtrum ejus Sancti Brachium. Anno 1246.

GAlterus miſeratione divina Tornacenſis Epiſcopus univerſis præſentes litteras inſpecturis in Tornacenſi Diœceſi conſtitutis ſalutem in vero ſalutari. Ad veneranda Beati Laurentii Martiris Merita glorioſa fideles Chriſti eò libentiùs invitamus quod illud ad eorum ſalutem novimus ſpecialitèr pertinere. Licèt igitur ſicut Fratribus ipſius Monaſterii intimantibus nobis innotuit fideles populi circumadjacentium partium ad Monaſterium Sancti Martini ad Campos Laudunenſes in honore ipſius fabricatum, in quo ejus ſiniſtrum Brachium dicitur honorificè conditum & decentèr ob ejus reverentiam non ſolùm in Feſto ipſius ſed etiam ſingulis diebus venerari ejus merita cum devotione accedant, cupientes tamen ut eadem Eccleſia efficaciùs congruis honoribus frequentetur & fideles quaſi quibuſdam illectivis præmiis, indulgentiis ſcilicèt & remiſſionibus invitati currant devotiùs ad eandem, ac exinde reddantur divinæ gratiæ aptiores, omnibus verè pœnitentibus & confeſſis qui dictam Eccleſiam in feſtivitate Martiris ſupplici veneratione viſitaverint, de Dei omnipotentis miſericordiâ & Beatiſſimæ Virginis Mariæ omniumque ſanctorum meritis & interceſſione confiſi quadraginta dies de injunctis ſibi pœnitentiis releramus. Datum anno Domini 1246, menſe Septembri.

Diploma Innocentii IV. Indulgentias largientis omnibus qui Eccleſiam B. Martini Laudunenſis, ubi recèns depoſitum fuerat ſiniſtrum S. Laurentii Martyris Brachium, piè viſitaverint.

INnocentius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis Abbati & Conventui Eccleſiæ Sancti Martini Laudunenſis ad campos ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Ad veneranda Beati Laurentii merita glorioſa fideles Chriſti eo Libentiùs invitantur quò id ad eorum ſalutem novimus ſpecialitèr pertinere. 1244. Licèt igitur ſicut vobis intimantibus nobis innotuit, fidelis populus circùm adiacentium partium ad Eccleſiam veſtram in honorem Dei & Martyris ipſius fabricatam, in quâ Siniſtrum Brachium ejuſdem Martyris dicitur honorificè & decentèr conditum, ob ejus reverentiam non ſolùm in Feſto ipſius, ſed & ſingulis diebus veneraturi ejuſdem merita cum devotione accedant: Cupientes tamen ut eadem Eccleſia efficaciùs congruis honoribus frequentetur, & fideles quaſi quibuſdam illectivis præmiis, ſcilicèt Eccleſiaſticis & remiſſionibus invitati ad eandem currant devotiùs ac exinde reddantur divinæ gratiæ aptiores, omnibus verè pœnitentibus & confeſſis qui dictam Eccleſiam in feſtivitate martyris ſupradicti venerabilitèr viſitaverint, de omnipotentis Dei miſericordiâ & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus, ac eâ quam nobis conceſſit, autoritate confiſi quadragintâ dies de injunctâ ſibi pœnitentiâ miſericorditèr relaxamus. Datum Laterani ſecundo Calendas Maiì, Pontificatus noſtri anno primo.

* Eodem anno per Willermum Remorum Archiepiſcopum S. R. E. tit. S. Sabinæ Cardinalem, Apoſtolicæ Sedis legatum, ratum & confirmatum fuit hoc pactum initum inter Eccleſias Sancti Martini & S. Vincentii, & anno 1496. Menſe Februario Carolus de Luxemburgo Epiſcopatus Laudunenſis, adminiſtrator perpetuus, Commendatarius Eccleſiæ S. Joannis Laudunenſis renovavit cum Joanne Poulallier Abbate Sancti Martini & ejus Capitulo fraternitatis fœdus anno 1180. inter duas illas Eccleſias Sancti Martini & Sancti Joannis initum ſub iiſdem conditionibus.

Diploma aliud ejusdem Pontificis in eam rem.


1245. INnocentius Episcopus Servus Servorum Dei, Dilectis Filiis Abbati & Conventui Sancti Martini Laudunensis, Præmonstratensis Ordinis, Salutem & Apostolicam benedictionem. Licèt is, de cujus munere venit, ut sibi a fidelibus ejus dignè & laudabiliter serviatur, de abundantia pietatis suæ, quæ merita supplicum excedit & vota, bene servientibus multò majora retribuat, quàm valeant promereri, nihilominùs tamen desiderantes reddere Domino populum acceptabilem, fideles Christi ad complacendum & quasi quibusdam illectivis muneribus, indulgentiis scilicet & remissionibus invitamus, ut exinde reddantur divinæ gratiæ acceptiores. Cupientes igitur ut Ecclesia vestra, in quâ sinistrum brachium B. Laurentii Martyris dicitur esse reconditum, ubi Dominus multa miracula operatur, & ob cujus reverentiam Martyris fidelium illuc confluit innumera multitudo, congruis honoribus frequentetur, omnibus verè pœnitentibus & confessis, qui Ecclesiam ipsam in Festo ejusdem Martyris singulis annis venerabiliter visitaverint, de omnipotentis Dei misericordiâ & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, viginti dies de injunctâ sibi pœnitentia misericorditèr relaxamus. Datum Lugduni decimo quarto Cal. Septembris, Pontificatûs nostri anno tertio.

Clemens VIII. concedit Abbatibus S. Martini Laudunensis Pontificalium usum.

1392. CLemens Episcopus, Servus Servorum Dei, Dilectis Filiis Joanni Abbati & Conventui Monasterii Sancti Martini Laudunensis Præmonstratensis Ordinis Salutem & Apostolicam benedictionem. Exposcit vestræ devotionis sinceritas & Religionis promeretur honestas, ut tam vos, quos speciali devotione prosequimur, quàm Monasterium vestrum congruis honoribus attollamus. Exhibita nobis pro parte vestra petitio continebat, quòd Monasterio vestro multa alia Monasteria dicti Ordinis nullo medio sunt subjecta, pluresque Monasteriorum ejusdem Ordinis Abbates Pontificalibus insigniis usi sunt hactenùs & utuntur. Nos igitur volentes vos ac dictum vestrum Monasterium favore prosequi gratiæ specialis, vestris in hac parte supplicationibus inclinati, ut tu, Fili Abbas, & Successores tui Abbates dicti Monasterii qui erunt pro tempore, mitrâ solemni, annulo & aliis Pontificalibus insigniis in quibusvis locis etiam exemptis, dummodò aliquis Antistes vel Sedis Apostolicæ Legatus ibidem præsens non fuerit, uti, ac in dicto vestro & aliis in quibus Abbati ipsius qui est pro tempore, visitatio competit, Monasteriis eorumque Ecclesiis & locis ubicumque existentibus, ab eisdem Monasteriis seu eorum altero dependentibus, Benedictionem solemnem post missarum, vesperarum & matutinarum solemnia, dum tamen in benedictione hujusmodi etiam aliquis antistes vel legatus hujusmodi præsens non existat, elargiri, altariaque, calices, vestimenta, pannos & vasa alia divino cultui deputata quotiès fuerit opportunum, benedicere liberè & licitè possitis, fœlicis recordationis Alexandri Papæ quarti prædecessoris nostri, quæ incipit, *Abbates* & aliis quibuscumque Constitutionibus Apostolicis in contrarium editis nequaquam obstantibus, vobis & iisdem successoribus auctoritate Apostolicâ, de gratia speciali, tenore præsentium indulgemus. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Datum Avenione Cal. Octobris anno quarto decimo.

FLOREFFIA.

Charta fundationis Abbatiæ Floreffiensis. Anno 1121.



IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti. Ego Godefridus Comes Namurcensis & Ermensendis comitissa inspirante nobis magni Concilii Angelo intelleximus nihil nobis esse utilius, quàm ut peccata nostra eleëmosinis redimamus, animati ad hoc sententiâ Sapientis qui dicit ipsius Sapientiæ verbis, non benè est homini, si assiduè sit in malis, & non danti eleëmosynam: & eleëmosyna viri quasi sacculus in viâ. His divinis exemplis animati, ac Dei & nostrorum concilio roborati, Ecclesiam Floreffiæ, quæ est in honore sanctæ Dei Genitricis Mariæ, quam priùs ad usus nostros jure allodii tenebamus, ob honorem Sanctæ Dei Genitricis Mariæ, annuentibus Filiis & Filiabus nostris Adelberto, Henrico, Clementiâ, Beatrice, Adelaïde, pro redemptione animarum nostrarum & Antecessorum nostrorum, Domino Norberto & Fratribus sibi subditis, eorumque successoribus perpetuò possidendam liberè contradidimus; videlicèt decimam & dotem totius Ecclesiæ adjacentem ubicumque in agris, culturis, cultis & incultis, vineis, sylvis, pratis, pascuis cum mansionariis & cæteris rebus prædictæ possessioni subditis; prætereà domum Parochiæ & Capaticum * Familiæ, censum videlicèt quem solvunt super Altare. Advocationem verò totius possessionis & Familiæ nobis retinuimus, videlicèt, percussiones, sanguinis effusiones, cædes, manûs mmissionem in Ancillis, res de manu morientium. In eâdem villâ est Basilica in honorem Sancti Martini quæ possidebat nonam de nostris indominicatis culturis & pratis, sylvarum pascuis, & pecudum nutrimentis, & de molendinis & de tribus culturis bonnarium unum & duo cortilia. Hæc omnia cum dono sæpè dictæ Basilicæ, Ecclesiæ Sanctæ Mariæ & Fratribus prædictis, legali constitutione contradimus. Quia verò nec licet, nec fieri debet, ut hi qui mundo hisque omnibus postpositis soli Deo suoque servitio vacare desiderant, nostris negotiis & servitiis impediantur, placuit nobis à nostro servitio, quod nobis de jure pro reditu prædictæ Basilicæ deberent, eos, eorumque sequaces perpetuò absolvere, quatenùs liberiùs & majori quiete Deo & Beato Martino liceat deservire. Cæteras Ecclesias, quas filias appellamus, per manum ejusdem Domini Norberti & Fratrum ejus, quantùm ad nos pertinet, locandas concedimus S. Laurentium de *farto*, S. Martinum de *Jouldion*, S. Gertrudem de *floreffiolo*.

* Forte Capdolium, quod est *la maison de fief*.

Est in viciniâ Namurci *sartum*, quod *pontis* appellatur, de allodio nostro; illud similiter Ecclesiæ Sanctæ Mariæ & supradictis Fratribus liberè possidendum decernimus. His etiam de Familia nostra ubicumque sunt, si quid pro Eleemosynâ, vel de rebus suis, vel de Allodio, supradictis Fratribus dare voluerint, ut cùm gratiâ nostrâ & permissione hæc faciant, benignè concedimus. Huic nostræ traditioni interfuerunt idonei testes Nobiles, Guillelmus, Arnulphus, Lambertus, Libertus, Guedericus Archidiaconus, Joannes, Godefridus, Arnulphus, Bernardus, Gualterus, Guedericus; de Familia Adelardus, Galdricus, Godefridus, Balduinus, Gerbodo, Guedericus. De Familiâ Ecclesiæ, Rodulphus, Heinricus, Raginerus, Lambertus, Stephanus, Lambertus. Actum est quinto Kalend. Decembris anno ab incarnatione Domini MCXXI. indictione XIV.

Charta Alberonis Leodiensis Episcopi, quâ plures à Godefrido Namurcensi Comite donationes factas Floreffiensi Monasterio confirmat, & ex capite suo, plura libertatis Ecclesiasticæ jura elargitur. Anno 1124.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Quià nova quæ veteribus succedunt, ipsa vetustatis facta oblivisci nos faciunt, Notum sit omnibus quòd ego Albero Gratiâ Dei Leodiensium Episcopus, petitione quorumdam fidelium & Domini Norberti Apostolici & Regularis viri, conductu etiam Comitis Namurcensis Godefridi, Ecclesiam de Floreffia, quam prædictus Comes eidem Domino Norberto dederat, & fratribus sub Regulâ Sancti Augustini viventibus, illam ego tanto honore extuli, tanto libertatis privilegio sublimavi, ut Chartâ & sigillo eam eis, & eorum posteris confirmarem. Quæ Ecclesia libera esset à servitio, à cæterarumque consuetudine Ecclesiarum, ab omni prorsùs exactione Episcopi, Archidiaconi, Decani; his autem Ecclesiæ concessis, Ecclesiæ Leodiensi hoc solummodò habendum de illâ retinui, Ordinationem fratrum, & filialem loci subjectionem; & si quem de eo loco, vel ejusdem propositi, Patrem Canonica Ecclesiæ illius libertas elegerit, eum Successor meus sacret, vel sacretur, ubi, petitione Fratrum, & necessitate idoneâ cogente, eum sacrari permiserit. Si quid etiam aliquibus in Consiliis, in Synodo, de Jure, de negotiis & utilitatibus Ecclesiæ tractare contigerit Episcopum, & per litteras & legatum suum, de quiete suâ Pater evocetur, ad dirigendum ejus consilium. Parochiam sive de eis, sive per eos, boni testimonii aliquis de manu Patris accipiat, de Familiâ altaris. Proptèr solum capitis censum Comes omnem justitiam sibi retinuit, videlicet percussiones, sanguinis effusiones, cædes, manûs immissiones in ancillis, res de manû morientium; eâ tamen conditione, ut si quis fidelium ibidem bonum aliquid apponeret, post defensionem & injurias Ecclesiæ removendas ipse & hæres suus nihil exigeret. Laudavit etiam quæ ipse & hæres suus unicus, & singularis, noster Advocatus, in singularem & unicam Ecclesiæ libertatem, nullum substitueret Advocatum. Hujus rei testes sunt de Clericis, Præpositus de S. Lamberto; Andreas, Henricus Archidiaconus junior; Primicerius Metensis Albero; Steppo Scholasticus Sancti Lamberti; Gerardus Canonicus; Eppo Capellanus: de Laicis, Lambertus Comes de Monteacuto; Comes Herimannus de salinâ; Godescalcus de Jaseh; Adelardus de Cymay; Adelo de Namurco; Thomas de Ham. Actum est hoc assistentibus tam Comitissâ, quàm filiis & filiabus suis, anno Incarnationis Dominicæ MCXXIV.
1124. Indictione 2. Regnante Henrico V. hoc statutum banno Episcopi in Generali Synodo sancitum, & tot tam idoneis, tam nobilibus testibus in eodem Conventu XIII. kal. Junii confirmatum.

Bulla Honorii II. Papæ, quâ Floreffiensem Abbatiam suscipit in tutelam Sedis Apostolicæ, ejusque possessiones confirmat. Anno 1128.

HOnorius Episcopus servus servorum Dei, Dilectis filiis Richardo Abbati Sanctæ Mariæ de Floreffiâ, ejusque successoribus Canonicè substituendis in perpetuum. Cùm sine ...... Religionis, nec charitatis unitas potest subsistere, nec Deo gratum exhiberi servitium, expedit Apostolicæ autoritati Religiosas personas diligere, & Religiosa Loca Sedis Apostolicæ munimine confovere; ideoque Dilecte in Domino fili Richarde, tuis rationabilibus postulationibus annuentes, Monasterium Beatæ Mariæ de Floreffiâ, cui, Domino autore, præsides, in B. Petri tutelam, nostramque protectionem suscipimus, & scripti nostri paginâ communimus: Statuentes ut quascumque Ecclesias, & possessiones idem Monasterium in præsentiarum justè & legitimè possidet, sive in futurum, largiente Domino, concessione Pontificum, liberalitate Regum, largitione Principum, oblatione Fidelium, seu justis aliis modis poterits adipisci, firma tibi, tuisque successoribus, & illibata permaneant. Statuimus etiam, ut libertas S.... à discretione Venerabilis Fratris nostri Alberonis Leodiensis olim Episcopi attributa, perpetuis temporibus conservetur, salvâ Diœcesani Episcopi Justitiâ, & reverentiâ. Sanè Chrisma, oleum, consecrationes altarium, sivè basilicæ, Ordinationes Clericorum à Leodiensi accipietis Episcopo, si gratiam Sedis Apostolicæ habuerit, & ea vobis gratis, & sine exactione aliquâ exhibere voluerit. Obeunte verò te, nunc ejus loci Abbate, nullus ibi qualicumque subreptionis astutiâ, seu violentiâ præponatur; sed quem Fratres, omnium consensu, seu Fratrum pars consilii sanioris secundùm Dei timorem, & B. Augustini regulam providerint eligendum. Ad hæc adjicientes decernimus ut nulli omninò hominum liceat prædictum Monasterium temerè perturbare, aut ejus possessiones auferre; vel ablatas retinere, minuere, vel temerariis vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur, eorum, pro quorum gubernatione & sustentatione concessa fuerunt, usibus omnimodis profutura, salvâ in omnibus Sedis Apostolicæ authoritate, & Diœcesani Episcopi justitiâ. Si quæ ergo in futurum Ecclesiastica, sæcularis ve persona hanc nostræ constitutionis paginam, sciens, contrà eam temerè venire tentaverit, secundò, tertiò ve commonita si non satisfactione congruâ emendaverit, potestatis, honorisque sui careat dignitate, reamque se divino judicio existere, de perpetratâ iniquitate cognoscat, & à sacratissimo corpore & sanguine Dei & Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat &c. Ego Honorius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus. Datum Laterani, per manum Almerici Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconi Cardinalis, & Cancellarii, II. Nonas Novembris, Indict. VII. Anno Incarnationis Dominicæ MCXXVIII. Pontificatûs autem Domini Honorii II. Papæ, anno 4.

Bulla Innocentii Papæ II. libertatum & possessionum Floreffiæ confirmatrix. Anno 1138.

INnocentius Episcopus, servus servorum Dei, Dilecto Filio Gerlando Floreffiensi Abbati, ejusque

successoribus canonicè instituendis in perpetuum. Justis votis assensum præbere, & Religiosorum preces benignis auribus exaudire Apostolicæ convenit dignitati. Hoc profectò intuitu, Dilecte in Domino fili Gerlande Abbas, tuæ devotionis precibus debitâ benignitate impertimur assensum, & Floreffiensem Ecclesiam, cui, Deo authore, præesse dignosceris, cùm omnibus ad eam pertinentibus, præsentis Privilegii paginâ communivimus. In quibus hæc propriis nominibus duximus exprimenda: Curtem de *Meslinga*, Curtem de *Herlemont*, cùm sexaginta bonnuariis, & decimâ ejus, Allodium in Capellâ; Item in eâdem Capellâ terram *folorini*, & terram Arnolphi, quam tenetis ab Ecclesiâ Lobiensi sub censu duorum denariorum; Curtem de *Serevillâ*, & dimidiam partem decimæ ejus, & terram quam tenetis in Valle columbinâ à Valtero de *Villers*, sub censu septem solidorum, & quatuor denariorum: Molendinum quoque super *Sambram* fluvium, in Allodio quod dicitur *Avnlois*, cujus dimidiam partem tenetis à Gerardo Clerico, & Godescalco Fratre ejus *Morelmeis*, sub censu duorum solidorum, reliquas verò duas partes ab Ecclesiâ Beati Foillani Fossensis, & à quodam Hugone nobili viro, sub censu duorum solidorum. Item duo molendina *Vangir*, unum sub censu duorum solidorum, & alterum sine censu; & terram quam tenetis ab Hugone Multone citrà *Sambram* in parochiâ vestrâ; Curtem etiam de *vervis*; dimidiam partem allodii de *Timcon*; Domum insuper Hospitalem in Villâ *Wange*, cùm suis omnibus appenditiis, sub reddito unius aurei, à Comitissâ *Ermissentz* Beato Betro oblatam. Item decimam & dotem ubicumque adjacentem Floreffiensi Ecclesiæ, cùm mansionariis & cæteris rebus eidem possessioni subditis: Domum quoque Parochiæ, & censum Capitis familiæ, qui super Altare ponitur; appendices Ecclesias, videlicet Sancti Laurentii de *Sarto*, Sancti Martini de *Jodion*, Sanctæ Gertrudis de Floreffiolo, aliamque Ecclesiam B. Martini, Capellam similiter Comitis cùm suis omnibus pertinentiis, quæ nimirum cùm præfatâ Ecclesiâ B. Mariæ à Godefrido Namurcensi Comite data sunt. Dimidiam præstereà Ardenellam, & triginta bonnuaria apud *Sartum Bernardi*, & tertiam partem Postulæ. Simili quoque modo sancivimus, ut de laboribus, quos propriis manibus, sumptibus ve colligitis, seu de vestris nutrimentis, dare decimas cuiquam non cogamini. Ordinem quoque, & propositum vestrum canonicè vivendi secundùm B. Augustini regulam, & institutionem Præmonstratensis Ecclesiæ, nullus audeat immutare, vel super vos Ordinem alterius professionis inducere: Fratrum etiam vestrorum, qui stabilitatem & obedientiam promiserunt, absque proprii Abbatis, & Capituli sui licentiâ nullus discedere, discedentemque nullus audeat retinere: Ut etiam Ecclesia vestra pro communi Interdicto Parochiæ non vacet, solummodò ne illi recipiantur, quos interdictos vel excommunicatos esse constiterit. Porrò libertatem Ecclesiæ vestræ ab Alexandro Leodiensi Episcopo Privilegio determinatam, atque firmatam assensu Ecclesiæ suæ, vobis authoritate Apostolicâ confirmamus, ut videlicet sicut Parochia, ita Presbyter Parochianus in manu solius Abbatis sit, à Synodo & Concilio liber, & ab omni prorsùs Archidiaconi & Decani censurâ; nec Decanus nisi cùm Archidiacono illuc veniat. Chrisma quoque, oleum, consecrationes Altarium, Ecclesiarum, ac Ordinationes Clericorum à Diœcesano Episcopo accipiatis, si gratiam Apostolicæ Sedis habuerit, & ea vobis gratis, & sine exactione aliquâ exhibere voluerit. Alioquin eadem à quolibet Catholico accipiatis Episcopo, qui nostrâ fultus authoritate, quod postulatur, indulgeat. Decernimus ergo ut nulli omninò hominum fas sit vos, vel prædictam Floreffiensem Ecclesiam super hac nostrâ Constitutione temerè perturbare, aut ejus bona, vel possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, vel quibuslibet molestiis fatigare; sed omnia integra conserventur, eorum, pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura. Si quis autem ausu temerario huic nostro Decreto contraire præsumpserit, secundò, tertiòve commonitus, nisi reatum suum congruâ satisfactione correxerit, indignationem Omnipotentis Dei, & BB. Petri & Pauli Apostolorum ejus incurrat, excommunicationi subjaceat; conservantes verò, Dei, & Domini Redemptoris nostri, & eorundem Apostolorum gratiam consequantur. Amen. Ego Innocentius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus. Data Laterani per manum Henrici S. R. E. Diaconi Cardinalis, & Cancellarii XII. kal. Januarii, Indict. I. Incarnationis Dominicæ anno MCXXXVIII. Pontificatûs verò Domini Innocentii Papæ II. anno IX.

Diploma Conradi III. Romanorum Regis amplissimum, Floreffiæ possessiones singillatim confirmans. anno 1151.

CONRADUS diuinâ favente clementiâ Romanorum Rex Tertius. Piæ postulatio voluntatis tantò debet propensiùs effectu prosequente compleri, quantò constat postulantes majori fide ac devotione circà res Imperii nostri, & Personæ nostræ dignitatem attentiùs vigilare, ut & fidelium devotio laudabiliter enitescat, & utilitas postulata vires indubitanter assumat. Quocircà noverit omnium fidelium nostrorum, tam futuræ, quàm præsentis ætatis industria, quòd petitione viri venerabilis Abbatis Wibaldi sacrorum Monasteriorum Stabulensis videlicèt & Corbeiensis, qui Imperio nostro diù, multùmque domi ac militiæ laudabiliter deservivit, inclinati, scripta quondam Godefridi Comitis Namurcensis, & uxoris suæ Ermensendis Comitissæ, quæ de institutione Floreffiensis Monasterii facta fuisse cognoscuntur, in præsentia nostra, & Principum nostrorum recitari, & diligenter exponi fecimus; in quibus continebatur qualiter prædictus Illustris Comes unà cùm prænominatâ Conjuge suâ ob animarum suarum remedium, Parochialem Ecclesiam de Floreffiâ, quæ est in honore Sanctæ Dei Genitricis Mariæ tradiderunt viro Religioso Domino Norberto, qui postmodùm Magaburgensis Archiepiscopus factus est, & Fratribus tunc sibi subditis, eorumque successoribus jure perpetuo liberè possidendam; videlicet Decimam & dotem totius Ecclesiæ in agris, culturis, cultis & incultis, vineis, sylvis, pratis, pascuis, cùm mansionariis, & cæteris rebus prædictæ possessioni subditis. Præstereà donum Parochiæ, & Capitaticum familiæ censum, videlicet qui solvunt super altare. Advocationem verò totius possessionis & familiæ sibi suprà-memoratus Comes retinuit: videlicet percussiones, sanguinis effusiones, cædes, manûs immissionem in ancillis. In eâdem quoque villâ Basilicam in honore Sancti Martini, quæ possidebat Nonam de suis indominicatis, culturis & pratis, & sylvarum pascuis; & pecudum nutrimentis, & de Molendinis, & de tribus culturis in unâquâque bonarium unum, & duo cortilia ad suprà dictam Ecclesiam Beatæ Mariæ, & prædictis fratribus, liberé, hoc est, absque ullo servitii genere in posterùm solvendo, contradidit. Cæteras verò Ecclesias, quæ filiæ appellantur, ordinandas & locandas per manus supradictorum Fratrum concessit; scilicet Sanctum Laurentium de *Sarto*, S. Martinum de *Jodion*, Sanctam Gertrudem de *Floreffiolo*. Dedit etiam Sartum unum, quod *Pontis* appellatur, prope Namurcum, & his qui erant de Familiâ suâ concessit, ut si quid pro Elee-

mosynâ vel de rebus suis, vel de Allodio, supra-dictis Fratribus conferre voluerint, hoc absque ullius contradictione, suâ & hæredum suorum permissione, facerent. In quâ traditione filii ejus & filiæ omnes consenserunt pariter, videlicet Albertus, Henricus, Clementia, Beatrix, Adelidis. Nos itaque, ut prælibatum est, his omnibus diligentèr inspectis, & prædicti fidelis nostri, nec non R. viri Gerlandi Abbatis, qui nunc Floreffiensi Monasterio, sub institutione & Regulâ B. Augustini laudabilitèr multis ibidem aggregatis fratribus præest, clementèr acquiescentes, jam dictam Floreffiensem Ecclesiam, cùm omnibus, quæ ibi à primâ ipsius fundatione usque in præsentem diem collata sunt, vel postmodùm per succedentia tempora à cujuscumque Ordinis fidelibus conferentur, sub nostræ & successorum nostrorum deffensionis manu suscipimus; cunctaque ad tuitionem ejusdem loci, & ad utilitatem & honorem Monasterii, & personarum inhabitantium pertinentia, sicut superiùs scripto comprehensa sunt, lege in æternum duraturâ per hujus Præcepti paginam corroboramus, & locum, atque ipsi pertinentia præsentis scripti Privilegio communimus; in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis: Curtem *Mellinga*, Curtem de *Harlomonte* cùm sexaginta bonariis, & decimâ ejus; Altare de *Capellâ*, & Allodium in *Capellâ*: Item in eadem *Capellâ* terram *follerini*, & terram Arnulphi, quam tenetis ab Ecclesiâ Lobiensi sub censu duorum denariorum; Curtem de *Ferovillâ*, & dimidiam partem Decimæ ejus, & terram quam tenetis in Valle columbinâ, à Gualtero de *Vileir* sub censu septem solidorum, & quatuor denariorum; Molendinum quoque super *Sambram* fluvium in Allodio quod dicitur *Aulous*, cujus dimidiam partem tenetis à Gerardo Clerico, & Godescalco Fratre ejus *Morelmeis*, sub censu duorum solidorum; reliquas verò duas partes ab Ecclesiâ B. Foillani Fossensis, & à quodam Hugone nobili viro, sub censu duorum solidorum. Item duo Molendina *Wangis*, unum sub censu duorum solidorum, & alterum sine censu, & terram quam tenetis ab Hugone Multone circà *Sambram* in parochiâ vestrâ. Curtem etiam de *Vervis*, dimidiam partem allodii de *Timeon*. Domum insuper hospitalem de Villâ *Wange*, cùm omnibus appenditiis suis, sub redditu unius aurei, à Comitissâ Ermensende B. Petro oblatam. Dimidiam præstereà Ardenellam, & triginta bonaria apud *Sartum Sancti Bernardi*, & tertiam partem Postulæ. Item quatuor mansos terræ in *hengelo*, quos dedit Ermensendis Comitissâ, & quintum, quem dedit Henricus de *Lembarg*, & Molendinum, quod Ebalus dedit vobis super *Pieutum*. Item Ecclesiam *Obais*, & villam cùm omnibus attinentiis suis, super quæ singulare privilegium nos jam anteà prædicto Venerabili Abbati Gerlando dedisse meminimus; hoc quoque firmissimo Decreto statuimus, ut obeunte ejusdem loci Abbate, Fratres ejusdem Monasterii liberam habeant facultatem eligendi regulariter Abbatem in Ordine & Professione suâ, tam de suo, quàm de alieno, si ita opus fuerit Monasterio, absque Comitis Namurcensis, & omnis alterius potestatis contradictione.

Si quis verò, quod non credimus, hujus Constitutionis nostræ decreti præsumptuosus violator extiterit, hujusmodi pœnâ spretæ Majestatis mulctetur, & centum libras auri persolvat, partem dimidiam Cameræ nostræ, partem verò alteram Abbati Floreffiensi & ejus Monasterio magnâ cùm satisfactione illaturus. Et ut hæc regiæ autoritatis pagina à nullo unquam violari præsumatur, eam sigilli nostri impressione signari præcipimus, Testes que, qui adfuerunt, subtùs annotari mandavimus: Arnoldus Coloniensis Ecclesiæ in Archiepiscopum electus, Regiæ Curiæ Cancellarius:

Hardwigus Bremensis Archiepiscopus.
Othelricus Halverstadiensis Episcopus.
Evrardus Merseburgensis Episcopus.
Wiemannus Cicensis Episcopus.
Daniel Pragensis Episcopus.
Evrardus Bambergensis Episcopus.
Guichardus Wirceburgensis Episcopus.
Burchardus Argentinensis Episcopus.
Conradus Wormaciensis Episcopus.
Wibaldus Stabulensis & Corbeiensis Abbas.
Marcus, Fuldensis Abbas.
Henricus Hersveldensis Abbas.
Otto, Palatinus Comes de Bavariâ.
Lothowicus Landgravius de Thuringiâ.
Conradus Marcgravio de Within.
Adelbertus Marcgravio de Brandenburg.
Hermannus Comes de Wincenburch.
Luidowicus Comes de Lon, Præfectus Urbis Moguntiæ.
Poppo, Præfectus Urbis Wirciburch.
Guichardus Præfectus Babenberg, & alii multi Nobiles & Ministeriales, & diversi generis homines.

Ego Arnoldus Cancellarius, vice Henrici Moguntini Archiepiscopi, & Archicancellarii, recognovi. Data anno Dominicæ Incarnationis M C LI. Indictione xiv. Anno vero Domini Conradi III. Regis invictissimi xiv.

Actum apud Wirciburch in Christo feliciter. Amen. (*L. S.*)

Diploma Friderici Regis Romanorum, prioris confirmativum. Anno 1153.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Fridericus 1153.
divinâ favente clementiâ Romanorum Rex Augustus; piæ postulatio voluntatis, &c. *ut suprà*. Quocircà noverit omnium fidelium nostrorum tam futuræ, quàm præsentis ætatis industria, quòd petitioni Reverendi viri Gerlandi Abbatis, qui nunc Floreffiensi Monasterio sub Institutione & regulâ B. Augustini laudabiliter, multis ibidem aggregatis Fratribus, præest, clementer acquiescentes, Floreffiensem Ecclesiam cùm omnibus quæ ibi à primâ ipsius fundatione usque in præsentem diem collata sunt, vel postmodùm per succedentia tempora, à cujuscumque Ordinis fidelibus conferentur, sub nostrâ & successorum nostrorum manu suscipimus; cuncta que ad tuitionem ejusdem loci, & ad utilitatem & honorem Monasterii, & personarum inhabitantium pertinentia, lege in æternum duraturâ, per hujus præcepti paginam coroboramus: quemadmodum Patruus & Antecessor noster Conradus Romanorum Rex statuit; & locum atque ipsi pertinentia, præsentis scripti privilegio communimus, in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis; Ecclesiam scilicet B. Mariæ quæ *Leffle* dicitur, cùm omnibus attinentiis suis, scilicèt Præpositurâ, Templi custodiâ, oblationibus Altaris, & prebendarum reddiribus; Villlam etiam quæ dicitur *Obaus*, cùm omni integritate suâ, videlicet in Decimis, & cæteris rebus eidem possessioni subditis; curtem de *Herlamont*, cùm sexaginta bonuariis; Allodium in Capellâ; curtam de *Fechere*; dimidiam partem Allodii de *Thumunm* & dimidiam partem Allodii de *Mernugmont*; curtem de *Marlange*; curtem de *Veroffle*, & dimidiam partem Decimæ ejus; curtem de *Vileir*; curtem de *Valle columbinâ*; curtem de *Vervos*; dimidiam partem allodii de *Ardenellâ*; curtem de *Postula*; curtem *Hexcele*; curtem de *Hengelo*; domum Hospitalem in Villâ quæ dicitur *Wan-*

æ, cùm omnibus appenditiis suis, sub reditu unius aurei à Comitissâ felicis memoriæ Hermensende B. Petro oblatam: hæcque firmissimo decreto statuimus, ut obeunte ejusdem loci Abbate, Fratres ejusdem Monasterii liberam habeant facultatem eligendi regulariter Abbatem in Ordine, & possessione suâ, tam de suo, quàm de alieno, si opus ita fuerit, Monasterio, absque Comitis Namurcensis, & omnis alterius potestatis contradictione. Si quis, quod non credimus, hujus constitutionis violator &c. *ut in præcedenti.* Testesque, in quorum præsentiâ hæc acta sunt, subnotari fecimus, quorum nomina sunt hæc

Hillinus Trevirensis Archiepiscopus.
Stephanus Metensis Episcopus.
Ortilietus Basiliensis Episcopus.
Henricus Leodiensis Episcopus.
Nicolaus Cameracensis Episcopus.
Wiboldus Stabulensis & Corbeiensis Abbas.
Recherus Prumiensis Abbas.
Henricus Dux Saxoniæ.
Wespo Dux Spoleti.
Mathæus Dux Lotharingiæ.
Godefridus Dux Lovanii.
Henricus Comes Namurcensis.
Theodoricus Comes Flandriæ.
Hermannus Palatinus de Rheno.

Ego Arnoldus Cancellarius vice Moguntini Archiepiscopi, & Archi-Cancellarii, recognovi. Datum Treviris v. kal. Januarii anno Dominicæ Incarnationis MCLIII. Indict. I. regnante Domino Friderico Romanorum Rege glorioso, anno vero regni ejus I.

Charta Nicolai Cameracensis Episcopi, quâ confert Floreffiensi Ecclesiæ altaria de Solra-Bertoldi *& de* belloranio.

1154. IN nomine Domini. Nicolaus Dei gratiâ Cameracensis Episcopus, tam futuris quàm presentibus. Nulla virtus major æstimatur, nullumque studium commendabilius est, quàm Ecclesiis quaque versùm ad laudem Dei constructis, rerum impensione benefacere, res earum ampliare, eisque deservientibus studio humanitatis opitulari: quare hujus rei gratiam apud Deum scimus non posse perire. Hujus ergo Sacræ ædificationis Christi quoddam optabile Commonitorium mecùm secretiùs revolvens, salubrèque mecùm æstimans ad petitionem dilectissimi nostri Gerlandi venerabilis Abbatis de Floreffia, ubi sanctæ Religionis odor dulci redolentiâ novo semper vernat flore, Altare de *solra Bertoldi* & Altare de *Belloranio* cum omnibus ad ea jure pertinentibus liberè & absolutè Ecclesiæ de Floreffia contradidi, salvo per omnia jure Ecclesiæ Cameracensis & Episcopi & Ministrorum ejus. Fiduciam quidem habemus, quòd Fratrum Deo famulantium continuis orationum suffragiis, pondus impositi nobis oneris, sub quo gemere cogimur possit magna ex parte relevari & exonerari. Et quoniam hominum memoria in tempore consenescit, & diuturnitate superveniente ipsa legitimè celebrata antiqua oblivio: solemnis cura dicitur ubi res bono ordine consummata statim litteris cognoscenda traditur. Hoc diligenter attendens, Beneficia quæ præfatæ Ecclesiæ bonâ devotione contuli conservare volens, paginâ præsenti nostri sigilli impressione factam donationem munimus: & ne quis eis injuriam inferat, sub Anathemate prohibemus. Testibus subnotatis; Raülphus Archidiaconus, Ulricus, Anselmus, Ouvalricus, Clerici Episcopi, & alii quamplures huic rei interfuerunt. Actum anno Dominicæ Incarnationis 1154. Episcopatus Domini Nicolai 17.

Charta Balduini Comitis Hannoniæ, & Marchionis de Namurco pro libertate Solra S. Gaugerici.

NOtum sit universis Christi fidelibus tàm præpræsentibus, quàm futuris, quòd Balduinus Comes Hannoniensis Marchio Namurcensis, Balduini Comitis & Aleïdis Comitissæ filius, qui ex parte 1195.
ejusdem suæ Matris & Henrici Avunculi sui Namurcensis, & Lusceleborch Comitis Namurcum jure hereditario adeptus fuit; qui etiam ex parte uxoris suæ Margaretæ, cum ipsâ uxore Flandriam per aliquot annos possedit; saluti animæ suæ providere ne propter substractionem bonorum quæ ad Ecclesias pertinent animæ periculum incurreret: Hospites Dotalitii de Solrâ Sancti Gaugerici liberos prorsùs dimisit ab omnibus quæ ab eis quocumque modo accipiebat, vel requirebat; illos scilicet qui aliam terram non tenent quàm de dotalitio. Quosdam autem redditus quos ab eis accipere consueverat, in luminare ipsius Ecclesiæ Solræ converti perpetuò statuit; sicque hospites illos, ut prædictum est, ipsi Ecclesiæ liberos & quietos dimisit. Ut ratum autem habeatur, & ab ipso Comite & ejus successoribus inviolatum conservetur scripti annotatione & sigilli nostri appositione & testium subscriptione, Dominus Comes Hannoniensis Marchio Namurcensis sæpè dictus confirmari decrevit. Testes Balduinus Camberonensis, Dominus Hugo Sancti Gisleni Abbates. Willelmus Frater Comitis. Nicolaus de Bambertione, Eustachius de Lens, Gislebertus Montensis Præpositus. Actum in festivitate Sanctæ Luciæ, anno Dominicæ Incarnationis 1195.

Charta Hugonis Leodiensis Episcopi quâ confirmat Floreffiensibus Jus patronatûs Ecclesiæ de Satûre, *collatum à Godescalco milite de* Morialmeis.

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Amen. 1216.
Hugo Dei gratiâ Leodiensis Ecclesiæ Episcopus, omnibus præsens scriptum inspecturis æternam in Christo salutem. Universitati vestræ præsentis scripti paginâ notum facimus, quòd cùm Godescalcus de *Morialmeis*, vir nobilis, Jerosolymam profecturus, Patronatum Ecclesiæ de *Sature*, cum dote integrâ & Decimâ totâ, & omnibus ad ipsam pertinentibus, de consensu & favore bonæ memoriæ Domini Radulphi Leodiensis Episcopi, Ecclesiæ Floreffiensi tunc temporis in eâ præsidente Herimanno Abbate, in perpetuæ beneficium eleemosynæ contulisset; fructus ejusdem Ecclesiæ de *Sature* usibus Pauperum Sororum de *Herlaimont* prædicti Abbatis regimini subditarum petiit assignari, ut ex percepti gratiâ beneficii devotiùs & vigilantiùs pro ipso orarent, quod cum eis Abbas & Ecclesia Floreffiensis benignè concessisset, fructus eosdem diù & non solùm usque ad tempora nostra, sed etiam temporibus nostris sine interruptione prædictæ Sorores perceperunt. Nos autem, quorum est Officium & intentio non solùm malis obviare, sed etiam bona firmare, propositum nobilis viri, & beneficium Ancillarum Dei inconcussè stabilire concupiscentes & omnem occasionem turbationis subtrahere volentes, ad preces Hillini Abbatis & Ecclesiæ Floreffiensis, & instantiam Arnulphi Nobilis Viri Filii præfati Godescalci, dispensatione discretâ & stabilitate perpetuâ ordinavimus, & jussione insolubili sancivimus, ut quicumque à præmemoratâ Floreffiensi Ecclesiâ ad curam & regimen sæpèdictæ Ecclesiæ de

Sature fuerit præsentatus, & Ordine Canonico investitus, mediam partem proventuum ejusdem Ecclesiæ, tam in oblationibus, quàm decimis, & cæteris omnibus in sumptus proprios percipiat: alia autem pars media fructuum usibus prædictarum Sororum deputetur; nullumque jus reclamandi in partem ipsarum ejusdem Ecclesiæ investitus de cætero habeat, sed sine fraude, & dolo inter partes æqua partitio fructuum fiat. Hoc etiam necessariò exprimimus, ut sicùt in fructibus dividendis pares sunt in partitione, ita & in oneribus Ecclesiæ, videlicet in Cathedratico & cæteris aliis solvendis communes sint in expensis. Verùm quià scriptum est ante langorem adhibe medicinam, & item, ante obitum operare justitiam, quoniam non est apud inferos invenire cibum, ut nostri recordationem Ancillarum Dei & votis & mentibus arctiùs imprimamus; statuimus firmiter quatenùs de fructibus ex proventibus prædictæ Ecclesiæ eis assignatis refectionem communem & optimam quolibet anno semel habeant quamdiu advivimus die qua elegerint, & post obitum nostrum in die anniversariâ transitûs nostri in quâ nostri specialem memoriam in sanctis & devotis Orationibus suis facient, sicque nobis & vivo & defuncto earum refectio proficiet, vivo ad veniam, defuncto ad requiem. Cæterùm ut hæc nostra constitutio & necessaria dispensatio firma & immobilis permaneat, huic chartulæ autoritatis nostræ sigillum appendimus, sub pœnâ excommunicationis & suspensionis arctiùs inhibentes ne quis ei refragari vel contra eam venire ausu temerario præsumat. Actum anno *gratiæ 1216, Pontificatûs nostri anno 17.*

Charta Henrici Leodiensis Episcopi Floreffiensibus confirmantis possessionem Ecclesiæ de Sature.

1247. IN nomine sanctæ & Individuæ Trinitatis, Amen. Henricus Dei gratiâ Leodiensis electus omnibus præsens scriptum inspecturis æternam in Domino Salutem. Nos quorum est officium & intentio, non solùm malis obviare, sed etiam bona firmare. Ordinationem Ecclesiæ de *sature*, quam felicis recordationis Dominus Hugo quondam Leodiensis Episcopus fecit, inconcussè stabilire cupientes, & omnem occasionem turbationis substrahere volentes, ad preces *Domiciani* Abbatis & Ecclesiæ Floreffiensis, dispensatione discretâ & stabilitate perpetuâ innovamus, & jussione insolubili sancimus, ut quicumque à memoratâ Floreffiensi Ecclesiâ ad curam & regimen dictæ Ecclesiæ de *Sature* fuerit præsentatus, & Ordine canonico investitus, mediam partem proventuum ejusdem Ecclesiæ tam in oblationibus, quàm in decimis & cæteris omnibus in sumptus proprios percipiat; alia autem pars media fructuum usibus Sororum de *Hellamont* deputetur, nullumque reclamandi jus in partem ipsarum ejusdem Ecclesiæ investitus de cætero habeat, sed sine fraude & dolo inter partes æqua participatio fructuum fiat. Hoc etiam necessariò exprimimus, ut sicut in fructibus dividendis pares sunt in partitione, ita omnibus Ecclesiæ videlicet in Cathedratico & cæteris aliis solvendis, communes sint in expensis. Cæterùm ut hæc nostra innovatio & necessaria confirmatio firma & immobilis permaneat, huic cartulæ authoritatis nostræ sigillum expendimus sub pœnâ excommunicationis & suspensionis arctiùs inhibentes, ne quis ei refragari, vel contrà eam venire ausu temerario ullatenùs præsumat. Actum anno gratiæ 1247. electionis nostræ anno primo.

Præter hæc Diplomata ex Chartulario Floreffiensi pergamaneo perantiquo eruta, plurima alia reperire est alicujus momenti.

Hic notasse sufficiet ea quæ immunitatem à teloneis eidem Monasterio asserunt.

Primum datum est per *Fridericum* Imperatorem.

Aliud *Henrici* Ducis de *Limburch*, & Marchionis de *Arlon* anno 1187. Testes *Hermannus* Abbas Floreffiæ, Rogerus Abbas Rodensis.

Aliud Theodorici de *Faus*, de consensu Idæ Uxoris suæ anni 1217.


Aliud Guidonis militis de *Vualers* pro transitu per terram suam de *Estreés*. Anni 1231. mensis Junii.

Aliud Alardi de *Cymai*, Domini de *Haibes* anno 1245. mense Aprili.

Aliud Vuolrami Ducis de *Lemburch*, anno 1249. mense Novembri.

In tabellâ appensâ ante ingressum chori hæc legebantur tempore R. D. Servatii de *Layruels*, qui exscripsit, transmisitque ad posteros:

Anno Domini 1121. in Conversione S. Pauli Apostoli, hoc Monasterium *Floreffiense*, Ordinis Præmonstratensis, Leodiensis Diœcesis, cepit initium sub Dompno Venerabili Norberto, Patre & Fundatore dicti Ordinis, obtinente ab Illustri viro D. Godefrido Namurcensi Comite locum & fundum hujus Monasterii; in quo ædificari fecit Ecclesiam parvam quæ modò *salue* vocatur & dormitorium cum debitis officinis, in quo ordinavit Dompnum Richardum primum Abbatem ejusdem. Postmodùm dicto Monasterio in facultatibus ampliato, hæc major Ecclesia ædificari incepta est anno Domini 1165, 8. Idus Aprilis, cujus fundamentum nunc locatum est à Dompnis Renoldo Coloniensi Archi-Episcopo, & Alexandro Leodiensi Episcopo, & Henrico Comite Namurcensi, supradicti Comitis Godefridi Filio, ac Alberti Regis Bohemiæ Filio, sub Dompno Gerlando tertio Abbate Floreffiensi. Fuitque hæc secunda Ecclesia anno Domini 1250. Idibus Novembris consecrata à Domino Petro Albanensi Episcopo Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali, & totius Imperii Legato, adjuncto sibi Domino Jacobo Atrebatensi Episcopo, in honore Sanctæ & Individuæ Trinitatis, & Beatæ Virginis Mariæ, sanctique Joannis Evangelistæ & omnium sanctorum. Hujusque Ecclesiæ Dedicationem instituit idem legatus celebrari Dominicâ primâ post festum Sancti Martini Hiemalis. Sit pax habitantibus in eâ & Gloria Jesu Christo, qui est benedictus in secula seculorum. Amen.



CUISSIACUM.

Charta Bartholomæi Laudunensis Episcopi qua Ecclesiam S. Mariæ de Cuissiaco donat Lucæ Decano Laudunensi. Anno 1117.

1117. N nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ego Bartholomæus Dei gratiâ Sanctæ Laudunensis Ecclesiæ minister indignus. Si præcedentium patrum actus diligenter attendere velimus; quàm devoti erga Dei cultum exstiterint, quantâ liberalitate de terrena posteritatis stabilienda hæreditate securi, facultates ac prædia sua in Ecclesiæ perpetuam possessionem assignare maluerint, liquidò possumus agnoscere, vitæ que nostræ profectum, Domino anuente, eorum exemplo in melius promovere, & mores aliquatenùs informare. Et nos ergò pro modulo nostræ pusillitatis eorum vestigiis aliquantisper insistentes, si substantiâ minùs competente tanta Deo offerre minimè sufficimus, vel religiosorum virorum vota benigno favore prosequamur, atque ad petitiones eorum aurem humilitèr inclinemus. Notum itaque esse volumus tam præsentibus, quàm futuris, quia cùm *Lucas* Clericus, qui & Decanus noster fuerat, à sæculo se ad Dei servitium transferre proposuisset, atque Ecclesiam Sanctæ Mariæ de Cuissiaco, cujus altare à nobis tenebat, ad regulariter inibi conversandum reædificare cœpisset, poposcit à nobis ut altare illud à Synodali consuetudine emanciparemus, & omnes possessiones suas, quas ad eandem Ecclesiam in usus Fratrum, qui in eâ, Domino adjuvante, canonicè victuri sunt, dederat, auctoritatis nostræ privilegio confirmaremus. Nos verò tam justæ petitioni contraire inhumanum existimantes, assensu Domini Widonis Archidiaconi altare illud ab illo respectu nostri juris, qui vulgò *circada* dicitur, & ab omni synodali consuetudine liberum esse concessimus: quin & omnes possessiones ab eo Ecclesiæ collatas in perpetuam possessionem, interposito anathemate, roboravimus. Quod ut in posterum inconvulsum vigeret, hoc Privilegium conscribi, testesque qui adfuerunt, subtùs annotari præcepimus. Signum Bartholomæi Episcopi, qui hoc Privilegium fieri jussit. *Signum* Widonis Archidiaconi, & *aliorum plurium.* Actum Lauduni anno Dominicæ Incarnationis M C XVII. Ego Radulphus Sanctæ Mariæ Cancellarius relegi.

Charta Ludovici VI. Franciæ Regis, quâ conceditur Cuissiaco quidquid de feodo Regio collatum à quoquam fuerit.

1126. EGo Ludovicus Dei gratiâ, Rex Francorum. Notum fieri volo cunctis fidelibus tam futuris, quàm & instantibus, quod pro remissione peccatorum nostrorum, & remedio animæ Patris nostri & Matris nostræ, Deo & B. Mariæ gloriosissimæ Genitrici suæ, & Lucæ Cuissiacensis Ecclesiæ Abbati, & Fratribus ibi Domino famulantibus, prece & petitione fidelis nostri Bartholomæi, venerabilis Laudunensium Episcopi, concedimus & confirmavimus, ut quidquid eisdem Fratribus de feodo nostro collatum est, vel in futurum, Domino largiente, à quibuslibet collatum fuerit, ipsi jure perpetuo quietè habeant & obtineant: ita scilicet quod annis singulis pro hujusmodi concessione nostrâ, Patris & Matris nostræ anniversaria, & nostrum post obitum nostrum celebrent. Quod ne valeat oblivione deleri, scripto commendavimus; & ne possit à posteris infirmari, sigilli nostri auctoritate & nominis nostri caractere subtùs firmavimus. Actum Suessione publicè anno Incarnati Verbi 1126. Regni nostri 18. adstantibus in Palatio nostro, quorum nomina subtitulata sunt & signa. Signum Stephani Dapiferi. S. Gileberti Buticularii. S. Hugonis Constabularii. S. Alberici Camerarii. Data per manum Stephani Cancellarii.

Charta Balduini Decani, & aliorum Noviomensis Ecclesiæ Canonicorum, Ecclesiæ Cuissiacensi conferentium terram de Rodulphivado, pro construenda ibidem Abbatia.

IN Nomine Domini, Amen. Notum sit omnibus tam præsentibus, quàm futuris, quòd ego Balduinus Decanus, cæteri que Sanctæ Matris Ecclesiæ Noviomensis Canonici, communi voluntate & assensu Capituli nostri concessimus conversis in Christo Fratribus de Cuissiaco partem cujusdam terræ ad Rodulphi-vadum, videlicet quantùm sufficit sementi quatuor sextariorum Noviomensium. Concessimus, inquam, ad laborandum, ad ædificandum, ad faciendum etiam pro honore Dei & cultu Ecclesiam in eodem loco; salvo siquidem in omnibus & per omnia jure conterminarum parochiarum de *Viri* & *Noreüe.* Quia verò decima omnium, quæ in eodem loco decimari debent, nostri juris est & nostra; singulis annis in Nativitate B. Joannis Baptistæ tam præfati Fratres, quàm sequaces eorum prædicti loci possessores solvent Ecclesiæ nostræ quatuor solidos pro minutâ decimâ. Et quotiescumque habebunt in ejusdem loci agriculturâ frumentum, hordeum, siliginem, avenam, vel quamcumque segetem hujuscemodi generis, de garba horum omnium justam dabunt decimam tam nobis, quàm sequacibus nostris. Actum anno ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi 1132. Signante adhuc Francorum Rege Patre Ludodovico, ejusdem nominis Filio suo jam in Regem consecrato, Domino siquidem Simone Noviomi, ac Tornaci Episcopante. Actum, inquam, Noviomi, præsentibus præfatæ Matris Ecclesiæ Canonicis & Fratribus, Domino videlicet Odone Josberti Filio; Domino Petro Cantore; D. Haymerico Præposito; D. Alberico Cellario; D. Roberto, Nicolai Fratre; & cum plerisque aliis Petro scholastico. 1132.

Charta Raynaldi Remensis Archiepiscopi, laudantis donationem territorii de Gland *ad Monasterii fundationem.*

1132. EGo Raynaldus Remorum Archiepiscopus; Notum facio tam futuris, quàm præsentibus, quòd Nicolaus Dominus de Rumigny, & Adhelidis uxor ejus, assensu ipsorum Nicolai filii, assentientibus nihilominùs cæteris liberis, ad quos hæreditas descendere poterat, concesserunt Ordini Præmonstratensi denominatè territorium de *Gland*, eo tenore, ut dum facultas ejusdem loci cresceret, adeo quòd Conventus ibidem Deo serviens, & ejus gloriosæ Matri, vivere regulariter posset, Abbatia fieret. Abbati quoque Cuissiacensi & ejus Ecclesiæ concessum est locum præscriptum regere & manu tenere, Fratribus ordinare, terram excolere, & Ecclesiam fundare, de rebus ipsius Ecclesiæ domos ædificare, rebus ejus temporalibus per omnia, ut rebus domûs Cuissiacensis uti, donec fiat Abbatia. Conventu verò Ecclesiæ regulariter composito, quæ ante fuerat ancilla, manebit libera, ut Præmonstratensis Ordinis Abbatia; excepto quòd Ecclesiæ B. Petri de *Bucilly* pro decima ejusdem territorii annuatim in Synodo bonæ monetæ tres persolvet solidos. Hæc est terra Ecclesiæ de *Gland*; à fossâ, quæ est in campo *Maunery*, per medium Racinoris ad vadum ad *Nimebet* ex uno latere; ex alio latere ab eâdem fossâ secùs territorium de *Tharesis*, & Secùs territorium de *Flegnis* ad territorium S. Mariæ Breverensis de Villa *d'Avyt*. Ex tertio latere Secùs idem territorium ad forum S. Michaëlis. Quidquid infrà præscriptas metas omnimodis continetur, in sylvâ, terrâ, aquâ, pratis & resa, sicut liberè tenebant, liberè nullo jure, vel foris-facto sibi retento, coram nobis & Venerabilibus Coëpiscopis nostris Joisleno Suessionensi & Bartholomæo Laudunensi, Nicolaus & ejus hæredes, nec non & ejusdem territorii participes, quorum nomina subscribemus, gratanter Ecclesiæ de *Gland* concesserunt. Insuper omnes terræ suæ aisantias, vicinitatem & pasturas, & quidquid etiam de feodo suo rationabiliter ulteriùs acquirere posset. Quicumque igitur huic dono temerè obviare præsumpserit, & minorare tentaverit, nisi resipuerit, iram Dei omnipotentis, & ejus gloriosæ Matris incurrat, omni consortio fidelium sequestratus, in fine viatico careat, sepulturaque christianitatis privetur. Ut autem hujus paginæ tenor perpetuum illibatumque vigorem obtineat, sigilli nostri impressione & testium subscriptione roborari dignum duxi. Signum Domini Raynaldi, qui hoc scriptum fieri jussit. S. Domni Odonis Abbatis S. Remigii, qui hoc donum assensu Capituli sui laudavit & concessit. S. Hugonis Comitis de Roucy, qui hoc donum concessit &c. Actum apud *Gland* solemniter, recitatumque Remis in Capitulo S. Mariæ, & confirmatum anno Verbi Incarnati 1132.

Charta Bartholomæi Laudunensis Episcopi, qua confirmat omnes possessiones Cuissiacensis Abbatiæ.

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ego
1139. Bartholomæus Dei gratia Laudunensis Ecclesiæ minister humilis. Notum fieri volumus tam futuris, quàm præsentibus, quòd Gualterus, cognomento *Frangens hastam*, assensu Ermengardis uxoris suæ, & Gervasii & Haymonis, & Gualteri filiorum suorum, dederit Ecclesiæ Cuissiaci, & Canonicis ibidem Domino servientibus ad habitandum, & ad Abbatiam faciendam, quidquid ad territorium de Cuissiaco pertinet, secundùm divisiones & nomina locorum: scilicet à pyrgo Laudunensi, qui est inter Abbatiam & Juminiacum, usque ad territorium de *Belruco*, reflexo tramite per altas sellas, & summitatem culturæ ipsius, & usque in *Ausonam* fluvium, & abhinc usque *Jaliniaci*, ascendendo montem ad viam quæ dividit territorium de *Geny*, & allodia de *Cuissy*, procedendo ad pyrgum prænominatum, solam culturam quæ est in Escopum hæredibus suis retinens. Cætera in tantâ libertate contulit, ut nullus bannum, aut districtionem aliquam, aut vionagium, aut furem, aut sanguinem, aut mensuram, aut roagium in omnibus quæ venderint aut emerint, ab eis exigat, vel imponat. Dedit etiam venerabili *Lucæ* primo Abbati, & ipsi Ecclesiæ duas partes decimæ ipsius loci, & de *Juminiaco* & de *Chabrel*, cum omnibus appenditiis, scilicet à clivo montis ipsius loci & territorii, quod dicitur pratum Comitis, quousque perveniatur ad viam quæ tendit de *Caldadria* in cacumine montis ultra culturam ipsius Domini super *Crounellam*, revertendo secundùm viam ipsius culturæ per crucem David in alnetis *Uschia*. Duodecim quoque nummos, quos debet Dominus *Vassoniæ* pro vivario ipsius villæ. Præterea post mortem prænominati Gualteri, Theodoricus Trossellus, assensu prædictæ Ermengardis, de cujus feodo descendebat, dedit molendinum fullonum, & molendinum quod dicitur *Trossel*, cum appenditiis eorum, Ecclesiæ sæpius nominatæ. Gervasius etiam, præfatæ Dominæ filius, sylvam quæ dicitur *Chabrel*, & terram circumadjacentem, & omne dominium ipsius possessionis vendidit, assignans decem solidos censuales Remensium, quos in conversione suæ matris Ecclesiæ remisit, præsentibus & testantibus hoc Hawide uxore ejus, & Domino Haymone Fratre, Gerardoque patruo ipsius. Item notum fieri volumus, quòd quartam partem sylvæ & territorii de *Disy* emit prædicta Ecclesia à Radulpho de Turri, Odonis Filio, concedente Elizabeth uxore suâ, & Radulpho primogenito suo, cæteris que filiis & filiabus. Aliudque quadrum acceperunt à Monachis S. Martini de Campis sub trecensu triginta solidorum Parisiensis Monetæ, assensu Capituli Cluniacensis. Dimidium quoque prædicti territorii acceperunt à Monachis Majoris Monasterii, concedente ejusdem loci Capitulo, sub trecensu viginti sextariorum frumenti ad mensuram Rocëii sine jactu perducendorum annuatim ad *Toëni*; secundùm nomina & divisiones locorum à pyrgo Romano recurrendo ad Linerias de *Nisiaco*, quousque perveniatur ad territorium de *Baimes*, inde procedendo ad sylvam militum de Petroponte, qui dicuntur *Pel*, & ad territorium *de Boncourt & de Bussy*, & de *Chaursia*, revertendo ad pyrgum prædictum, includendo villulasque dicuntur *Timeris Retumprez*, & *Plani-campi* in tanta libertate & quiete, ut nullus ibi bannum, vel aliquam districtionem, vel Dominium, vel theloneum, nec non vionagium vel mensuram, nec advocationem, non venationem, nec aucupium, non aisantiam vel usuarium in pascuis, viis, pratis, sylvis contra voluntatem Ecclesiæ Cuissiaci exigat vel imponat. Territorium autem de *Hauslu*, quod prædicto est contiguum, & *de la Corgneloy*, cum omni aisantia & usuario, secundùm divisiones à circummanentibus eis præmonstratas, à pyrgo Romano recto tramite eundo ad *Sorbum Augusta*, ab hinc revertendo per Visszellarium, ascendendo montem in dextris, dividendo territorium de *Menloez*, usque ad fossetum juxta *le faul de la Corgneloy*, transeundo usque ad collem ultra minorem pilosellum & territorium de *Corbigny*, signis impositis usque ad fagum grossam, quæ dividit territorium Vallis regiæ & de *Drumont*, redeundo per semitam vallis quæ ducit ad pyrgum Romanum. Hæc omnia Goswinus Castellanus de Pe-

træ

tra ponte Ecclesiæ prædictæ, assensu Elizabeth uxoris suæ & Guidonis Filii sui, annuente Domino Roberto de *Monte-acuto*, de cujus feodo terram illam tenebat, per manum nostram, à quo & ipse Robertus id ipsum habebat, Ecclesiæ Cuissiaci vendidit, & in eleëmosynam concessit in tanta libertate, ut nullus in territorio prædicto contra voluntatem Ecclesiæ, usuarium in aliquo inposterùm habere valeat. Dedit etiam Robertus de *Monte-acuto*, assensu Ermengardis matris suæ, & Guidonis de *Lience* Fratris sui, & Canonici, tertiam partem decimæ de *Gemaco* & *Vlliaco*, cum omnibus appenditiis, Fratribus Ecclesiæ Cuissiaci integrè & liberè perpetuò possidendam; Et quoniam discordia mota fuerat inter sacerdotem & homines ambarum villarum de conservandis & portandis libris & vestibus,& cæteris ad officium duarum Ecclesiarum pertinentibus, statuerunt parochiani utriusque villæ matricularium honestum imponere, & in singulis domibus de meliori annona laborum suorum ei annuatim gelinam persolvere. Prædictus verò Robertus hanc libertatem prænominatæ Ecclesiæ pro remedio animæ suæ, & prædecessorum suorum concessit, ut vinum, & quidquid aliud voluerint, per transitum terræ Montis-acuti, & Petræ-pontis, quocumque placuerit, traducant. Nec ullum inde vionagium, aut aliquem reditum solvant, de his quæ sua esse constabit, & quæ pro Fratrum utilitatibus vendere aut emere necesse habuerint. Revertentes quoque, quæcumque propriis usibus Fratrum necessaria reduxerint, ab omni vionagio prorsus immunes liberè transibunt. Hæc autem omnia ut in perpetuum rata permaneant, privilegium hoc fieri & sigilli nostri impressioue firmari præcepimus. *Signum* Widonis Decani & aliorum &c. Actum anno Dominicæ Incarnationis 1139. Data per manum Ernaudi Cancellarii.

Charta Bartholomæi Laudunensis Episcopi.

1139. IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ego Bartholomæus Dei gratiâ Laudunensis Ecclesiæ minister humilis: Notum esse volumus, quòd Alardus de *Novocastello*, Alemandi filius, Ecclesiæ Sanctæ Mariæ Cuissiacensis ad usus Canonicorum ibidem Domino servientium, tertiam partem decimæ de *Vassonia* donaverit pro remedio animæ suæ, & parentum suorum, pro amore etiam filii sui Richardi, qui in eodem loco Religionis habitum suscipiens, partem hæreditatis suæ fratribus suis hoc pacto concessit, quòd ipsi illam decimæ donationem ratam esse concederent. Quod et ita factum præsente & annuente Helwide matre eorum, quæ decimam illam dotalitio jure tenebat; assensu quoque Engobrandi & Milonis, de quorum feodo pars illa decimæ descendebat; qui scilicet in fide sua pepigerunt, quod si aliquis de hac decima prædictæ Ecclesiæ aliquam injuriam vel inquietationem inferret, ipsi pro posse suo adjutores & deffensores existerent. Hujus rei testes sunt Rogerus Decanus, Hairicus & Isaac sacerdotes, Stephanus Filius Milonis, Hydo de *Bisiniaca-villa*, Hugo de *Brecy*, & Milo Frater suus, Isenbardus, qui cognominatur Bordellus, Egidius Miles, Odo malus vicinus.

Notum etiam volumus fieri, quia cùm Gervasius Filius Dominæ Ermengerdis de *Roceio* quandam sylvam, quæ *Chabrel* dicitur, assensu prænominatæ Matris suæ, de cujus hæreditate sylva illa veniebat, Havidi uxori suæ jure matrimonii in dotem contulisset, Dominus Lucas, præfatæ Ecclesiæ venerabilis Abbas, ab eodem Gervasio assensu Matris & Fratrum suorum, & uxoris suæ Havidis, sylvam illam & terram circumadjacentem ad eandem sylvam pertinentem tam cultam scilicet, quàm incultam, pretio viginti septem librarum comparavit, censu decem solidorum unoquoque anno persolvendorum, præsentibus & testantibus hoc Gerardo patruo ipsius Gervasii, & quibusdam aliis, videlicet Machaneo, Theodorico Trosello, & Manasse Milite, Lamberto Præposito &c.

Præterea Hugo Comes de *Roceio*, annuente uxore suâ Ricantiâ hanc libertatem prænominatæ Ecclesiæ pro remedio animæ suæ & prædecessorum suorum concessit, ut vinum & quidquid aliud voluerint per transitum terræ suæ, quòcumque placuerit, traducant, nec ullum inde vionagium reddant, de his quæ sua esse constabit, & quæ Fratrum utilitatibus vendere necesse habuerint. Revertentes quoque, quæcumque Fratrum propriis usibus necessaria reduxerint, ab omni vionagio prorsus immunes liberè transibunt. Nos quoque prædictæ Ecclesiæ beneficiis abundantiùs participare cupientes, terram Gerardi & Drogonis de *Quiry*, quam jure hæreditario possidebant, nobis ab eisdem spontaneè concessam, assentiente Matre & Sorore ipsorum, præfatæ Ecclesiæ perpetuâ libertate possidendam donavimus. Hæc autem omnia ut in perpetuum rata permaneant, privilegium hoc fieri, & sigilli nostri impressione firmari præcepimus. *Signum* Widonis Decani. *S.* Bartholomæi Archidiaconi. *S.* Milonis Cantoris. *S.* Anselmi Abbatis *S.* Vincentii. *S.* Walteri Abbatis *S.* Martini. Actum anno Dominicæ Incarnationis 1139. Indictione 2. Epactâ nullâ, Concurrente VI. Data per manum Ernaudi Cancellarii.

Charta Simonis Noviomensis Episcopi.

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Simon Dei gratiâ Noviomensis Episcopus, Fidelibus Christi. 1142. Eleëmosynæ, quæ servis & Ecclesiis Dei per manum nostram contraditæ sunt, & quæcumque inter fideles ad pacem & quietem Ecclesiarum in præsens vel in posterum justè constituta, nostrâ debent auctoritate muniri, & inconvulsa permanere. Ea propter notum facimus tam præsentibus, quàm futuris, & præsentis chartæ sigillo & chyrographo firmamus Eleëmosynam, seu depactionem, quæ inter *Lucam* venerabilem Abbatem Cuissiaci, fratresque suos, & Hugonem de *Calniaco*, qui Furnerius cognominatur, uxoremque suam Didalam, fratremque ipsius Martellum per nos habita & definita est. Sanè idem Furnetius apud *Apelli* tertiam partem decimæ à prædicto Martello usu seculi & hæreditariâ possessione tenebat, eandem siquidem prædictæ Didalæ uxori suæ in dote nuptiali concessit. Cæterùm cùm post aliquot deinceps annos in Jerusalem ad Sepulcrum peregrè proficisci proponeret, ipse Hugo & uxor ejus Didala, & prædictus Martellus, habito inter se concordi colloquio, in præsentiâ nostrâ venientes, prædictam partem decimæ quam tenuerant, in manu nostra penitùs absolutam reddiderunt; eandem prædicto Lucæ venerabili Abbati, & Ecclesiæ Sanctæ Mariæ de Cuissiaco dari à nobis, & in perpetua libertate firmari postulantes: factumque est ita. Porrò idem venerabilis Abbas Lucas tam ex sua, quàm ex Fratrum suorum pacto & concessione, depactus est prædictæ Didalæ in recompensatione suæ dotis dare singulis annis octo modios Calniacensis mensuræ talis frumenti, quale ex eadem decima contingit provenire, ad domum suam *Calniaci* conductos, in vita tantùm sua. Quòd si fortè, interveniente quâlibet occasione, illi minùs persolveretur, assignavit ei, ut ad Curiam suam de *Roëz* quidquid minùs esset de prædictâ depactione sine forisfacto acciperet, & damnum suum restitueret. Quòd si fortè de seculo

aliquando voluerit exire, promisit ad nullum alium locum se, nisi ad Ecclesiam Sanctæ Mariæ Cuissiaci transituram. Firmamus igitur, & sub anathemate prohibemus, ne qua post decessum prædictæ Didalæ persona de prædicta decima aliquam injuriam facere, vel violentiam inferre Ecclesiæ Cuissiaci præsumat: quin potiùs libera & quieta in æternum permaneat. Actum Noviomi anno Incarnationis Dominicæ 1142. Indictione V. Epactâ XXII. *Signum* Theodorici Abbatis Sancti Eligii. S. Hugonis Abbatis Longi-pontis. S. Hugonis Cancellarii. S. Bonifacii Nepotis Episcopi. S. Radulphi Decani Ambianensis. S. Leodegarii Præpositi. S. Roberti Mauri. S. Gerardi de *Pasel*. S. Martelli.

Charta ejusdem Simonis Noviomensis Episcopi.

1142. IN Nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Simon Dei gratiâ Noviomensis Episcopus, Venerabili Lucæ Abbati, & Ecclesiæ Sanctæ Mariæ de Cuissiaco in perpetuum. Bonum operari debemus ad omnes, maximè autem ad domesticos fidei: quamobrem tibi, Venerabilis Abbas, & Ecclesiæ tuæ in perpetua libertate præsenti paginâ confirmamus, apud *Cantencurt* feodum quod Hugo Furnerius ab Hugone de *Betencurt* tenebat, ab eodem Hugone Furnerio tibi concessum, & ab altero Hugone collaudatum. Similiter apud *Nuerellum* confirmamus tibi & Ecclesiæ tuæ feodum, quod prædictus Furnerius ab Godone de *Viry* cognato suo tenebat, quod prædictus tibi Furnerius concessit, & prædictus Godo Fraterque ejus Drogo laudaverunt. Ipse etiam Godo, cùm in extremis positus moreretur, Ecclesiæ tuæ se reddidit, & Allodium suum de sylva quæ dicitur Vinea Dominica, & Gaheri campum, cum duabus partibus decimæ ejusdem allodii, & culturam quæ grangiæ vestræ contigua est, & duo prata: quæ omnia tibi & Ecclesiæ Sanctæ Mariæ de Cuissiaco in perpetua libertate firmamus & sigillo nostro signamus. Actum Noviomi anno Incarnationis Dominicæ 1142. Indictione V. Epactâ XXII. *Signa eadem fermè, quæ in Diplomate superiori.*

Charta Bartholomæi Laudunensis Episcopi.

1142. IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ego Bartholomæus Dei gratiâ Ecclesiæ Laudunensis humilis minister. Quia pro temporis qualitate unumquodque eorum, quæ tempori subjacent, transit in irrevocabile; hominis haud improvida præcautio, quæ tempore conteruntur, scripto commendare maluit. Noverint igitur fideles universi tam præsentes, quàm futuri, quòd Bertrannus Rogeri Filius de *Maisy*, bonorum prædecessorum sequens vestigia, qui Christi pauperibus tam Canonicis, quàm Monachis possessiones suas dederunt, ut haberent unde sustentarentur, humili devotione cùm jam se morti propinquare sentiret, Ecclesiæ Sanctæ Dei-genitricis Mariæ Cuissiacensis donaverit pratum unum juxta Ausonam in valle supradictæ Villæ, & piscationem in tota aqua Ausonæ ad feodum villæ Maisiensis pertinentem, ita Matre ipsius concedente. Ipso autem Bertranno ab hac luce sublato, & in Ecclesiâ Cuissiacensi honorificè sepulto, Petrus Frater ejus junior fraternæ devotionis bonus imitator, cùm quodam tempore tam gravem ægritudinem incurrisset, ut mori timeret; cuncta quæ Frater suus dederat Ecclesiæ concessit, si absque liberis obiret. Defuncto autem illo, & matre Idâ utroque filio orbatâ, Stephanus Frater ipsius de Novo-castello hæreditatem nepotum suorum à Comite Hugone de *Roceio*, de cujus feodo ipsa hæreditas erat, requisivit, & requisitam habuit. Qui & ipse pro sua suorumque salute pratum & piscationem duarum navium in Ausona concessit prædictæ Ecclesiæ, Domino Hugone Comite de *Roceio* annuente, de cujus feodo res erant prænominatæ. Et ne in posterum de his beneficiis Ecclesiæ collatis à successoribus eorum aliqua Fratribus violentia inferretur, hoc privilegium conscribi & sigilli nostri impressione firmari præcepimus, & testes, qui adfuerunt, subtùs annotari. *Signum* Blihardi Abbatis de Lauriaco. *S.* Gerardi Subdiaconi Remensis Ecclesiæ Canonici. *S.* Bozonis Canonici nepotis ejus. *S.* Hugonis Comitis de *Roceio*, & militum ipsius Rogeri, Salmon, Nicolai de *Curlandon*. *S.* Poncardi Præpositi. Actum Lauduni anno Dominicæ Incarnationis 1142. Epactâ XXII. Indictione V.

Charta Bartholomæi Laudunensis Episcopi.

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ego Bartholomæus Dei gratiâ Sanctæ Laudunensis Ecclesiæ Minister humilis. Quæ ad pacem Ecclesiarum, à Catholicis Episcopis inter Religiosas maximè personas justè ordinata, & canonicè stabilita sunt, firmâ debent & perpetuâ pace muniri. Ea propter quæstionem quæ inter dilectos filios nostros Henricum scilicet Abbatem de *Valle-clara* & *Lucam* Abbatem Cuissiacensem nostris temporibus emersit, gratiâ Dei cooperante, ad plenum deffinire, & præsenti paginâ tam futuris, quàm præsentibus notam facere curavimus. Itaque cùm inter prædictos Abbates controversia non parva pro quodam bosco haberetur, ad reformandam pacem inter eos, boscum unum à Radulpho de *Monte-acuto*, annuentibus Fratribus amicisque suis, emimus, quem ab omni jure & potestate sua, suorumque, liberum Fratribus de Cuissiaco perpetuo jure possidendum concessimus: tali conditione, quòd prædicto Radulfo duos solidos de censu bonæ monetæ singulis annis in festivitate B. Remigii, sive Majori suo, apud *Bocunvillam* persolvent. Si verò prædictum terminum, censum non solventes, præterierint, absque tam emendatione quàm forisfacto, intra quadraginta dies post solvere licebit. Hoc etiam reminisci decernimus, quòd si fortè vicini, seu alii boscum illum incidentes, eis injuriam fecerint, de hominibus illis justitiam facere, & emendationem capere poterit: aliter verò nullum jus penitùs in eo possidebit deinceps. Ut autem hæc non solùm in præsenti, sed etiam in futuro firma & inconvulsa permaneant, ea præsentis chyrographi pace firmamus, & sigillo nostro signamus, testiumque subscriptione roboramus. *Signum* Bartholomæi Episcopi. *S.* Richardi Archidiaconi. *S.* Bartholomæi Archidiaconi & Thesaurarii. *S.* Arnulphi clerici. *S.* Anselmi Abbatis *S.* Vincentii. *S.* Balduini Abbatis *S.* Joannis. *S.* Gualteri Abbatis Sancti Martini. *S.* Josberti Canonici ejusdem loci. *S.* Nicolai Castellani. Actum Lauduni anno Incarnationis Dominicæ 1143. &c. 1143.

Bulla Eugenii Papæ III. confirmantis statum, possessiones & immunitates Cuissiaci.

EUgenius Episcopus servus servorum Dei, Dilectis Filiis Lucæ Abbati Ecclesiæ Sanctæ Mariæ Cuissiaci, ejusque Fratribus tam præsentibus quàm futuris regularem vitam professis in perpetuum. Officii nostri nos hortatur auctoritas, Religiosas personas affectione paternâ diligere, & earum loca Apostolicæ Sedis munimine confovere. Eapropter, Dilecti in Domino Filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & præfatam B. Dei-genitricis semperque Virginis Mariæ Ecclesiam, in qua divino mancipati estis obsequio, sub B. Petri & nostra protectione suscipimus, & presentis scripti privilegio communimus. Statuentes ut quascumque possessiones, quæcumque bona in 1145.

præsentiarum justé & canonicè possidetis, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione Fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poteritis adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant; in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Videlicet tertiam partem decimæ Vassoniæ; sylvam quæ dicitur *Chabrel*, cum terra circum adjacente culta & inculta, ad eandem sylvam pertinente. Vionagium tam vini, quàm cæterarum rerum vestrarum, quod dedit vobis Hugo Comes de *Roceio*, & uxor ejus Ricantia. Terram Gerardi & Drogonis de *Curi*, quàm ab eisdem emptam Bartholomæus Laudunensis Episcopus vobis donavit. Pratum adjacens fluvio, qui dicitur Ausona. Piscationem duarum navium, quam dederunt vobis Bertrannus & Petrus Filii Rogeri de *Masy*. Tertiam partem decimæ de *Apelli*, assensu Simonis Noviomensis Episcopi canonicè vobis concessam. Eleëmosynam quam concessit vobis Hugo Furnerius in loco qui dicitur *Chanetencurt*, & in alio loco, qui appellatur *Noerellus*. Beneficium Godonis, quod item Godo vobis contulit, quod vinea Dominica dicitur. Gaheri campum, cum duabus partibus decimæ ejusdem allodii. Culturam quæ grangiæ vestræ contigua est. Duo prata. Tertiam partem decimæ de *Geniaco*. Tertiam partem decimæ de *Ulliaco* cum omnibus appendiciis suis. Curiam de Alta-villa: altare ejusdem villæ: altare de *Sen*. Curiam de *Gland* Curiam de *Signiaco* cum omnibus appendiciis suis. Curiam de *Eurisis*. Altare ejusdem villæ. Curiam de *Longa-Valle*. Quartam partem, villæ, quæ dicitur *Disiacus*, quam dedit Radulphus. Terram quæ juxta præfatam villam est, quam emistis à Goswino Castellano de Petræ-ponte, cum sylva adjacente ad omnes necessarios usus vestros. Vineas quæ sunt in villa quæ dicitur *Arsy*. Curiam Sancti Aldeberti, cum omnibus pertinentiis suis. Curiam de *Roëz* cum omnibus appenditiis suis. Tria molendina in valle subtus *Commi*. Quinque molendina, quæ in valle *Juminiaci* adjacent, Molendinum quod est sub *Cerniaco*. Medietatem cujusdam molendini, quam habetis in villa quæ dicitur *Ambliniacus*: ibidem vinagia quædam. Duas partes sylvæ, quas Bartholomæus Laudunensis Episcopus vobis contulit; quarum altera pars exstat sub *Boconvilla*, altera super Vallem-claram. Ex dono Ludovici Regis Francorum quidquid de feodo suo vobis legitimè datum fuerit. Sanè laborum vestrorum, quos propriis manibus aut sumptibus colitis, sive de nutrimentis animalium vestrorum nullus omnino Clericus vel Laïcus à vobis decimas exigere præsumat. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum &c.

Ego Eugenius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.
Ego Albericus Hostiensis Episcopus.
Ego Isinarus Tusculanus Episcopus.
Ego Raynerus Presbyter Cardinalis tit. S. Priscæ,
Ego Hubaldus Presbyter Cardinalis tit. S. Praxedis.
Ego Nicolaus Presbyter Cardinalis tit. S. Cyriaci.
Ego Hubaldus Presbyter Cardinalis tit. S. Crucis in Jerusalem.
Ego Willelmus Presbyter Cardinalis tit. S. Stephani in Cælio-monte.
Ego Joannes Diaconus Cardinalis tit. S. Adriani.
Ego Jordanus Rom. Ecclesiæ Diaconus Cardinalis.

Datum Vetralle per manum Roberti S. R. E. Presbyteri Cardinalis & Cancellarii, anno Dominicæ Incarnationis 1145. Pontificatûs verò Domini Eugenii Papæ tertii anno primo.

Charta Bartholomæi Laudunensis Episcopi.

1147. IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ego Bartholomæus Dei gratiâ Laudunensis Episcopus, dilectis Filiis *Lucæ* Abbati & Canonicis Sanctæ Mariæ de Cuissiaco, eorumque Successoribus ibidem divino famulatui mancipatis in perpetuum. Quoniam, ut dicit B. Gregorius, quod loquimur transit, quod scribimus manet, tam posterorum quàm modernorum memoriæ scribendo intimari volumus, quòd Robertus de *Monte-acuto* decimam de *Jaliniaco*, quam de nobis tenebat in feodum, assensu nostro, & Elizabeth uxoris suæ, & Hugonis nepotis sui, Ecclesiæ Sanctæ Mariæ de Cuissiaco pro sua parentumque suorum anima, perpetuò possidenda concessit. Quæ concessio ut in posterum inconvulsa permaneat, hoc scriptum fieri, & sigillo nostri nominis imprimi præcepimus. Et ne quis in futurum sacrilegâ mente huic sanctioni audeat obviare, anathematis sententiam opposuimus. *Signum* Walteri Abbatis S. Martini. *S.* Milonis Supprioris de *Igniaco*. *S.* Giardi de *Monte-acuto*. *S.* Anselmi Filii ejusdem Girardi. *S.* Hugonis de *Monte Cabilonis*. *S.* Hellini de *Monte-acuto*.

Emit etiam prædicta Eclesia pratum *Anselmi*, & terram prato pertinentem, & censum à Raynero *macuta* & Herberto de *Geniaco*, & filiis Thomæ ejusdem Herberti nepotibus, tredecim libris & palefrido, concedentibus Hugone de Petræ ponte, & Elizabeth uxore Roberti de *Monte-acuto*, de quorum feodo prædicta tenebant. Hujus venditionis testes sunt Radulphus Major de *Geniaco*, Hulduinus Savaricus, Nicolaus & Raynaldus Fratres. Hugo Comes de *Roceio* tertiam partem decimæ de *Masy*, quam de nobis tenebat, per manum nostram eidem Ecclesiæ in eleëmosynam concessit, annuente Comitissâ uxore ejus Ricantia, & Filiis ejus Roberto, Giscardo, Ebalo & Hugone. Hujus concessionis testes sunt Nicolaus de Curte Lauduni, Gerardus de *Roceio* & Gervasius, Poncardus Præpositus, Alanus & Ebolus, Evrardus Præpositus. Actum anno Dominicæ Incarnationis 1147. Indictione X. Epactâ XVII. Concurrente II. Ego Angotus Cancellarius relegi.

Charta Balduini Noviomensis Episcopi.

IN Nomine Patris & Filii & Spiritûs Sancti. Amen. 1152.
Balduinus Dei gratiâ Noviomensis Episcopus, Universis Sanctæ Ecclesiæ Filiis in perpetuum. Sanctorum Patrum informamur exemplis pauperum Christi mores vitamque diligere, justis petitionibus adesse, atque quod in præsentiarum possident, vel in posterum justè possidebunt, quantùm nostra interest, auctoritate Pontificali communire. Noverit igitur tam præsentium universitas, quàm futurorum successura posteritas, quod Hubertus de *Fera* concessit Ecclesiæ B. Mariæ de Cuissiaco in eleëmosynam pro sua & suorum salute, quosdam reditus, quos hæreditario jure apud *Viriacum* possidebat, per manum Lucæ ejusdem Ecclesiæ Abbatis, donationem ipsam concedente Gilardo de *Fera*, & uxore ejus, cum Filio suo *Omundo*, nec non & Ingelranno Domino suo, à quibus prædictorum redituum hæreditas ad ipsum Hubertum proveniebat: quadraginta octo videlicet mensuras avenæ, quæ vulgò *duodecelli* nominantur: quinque solidos obolorum, & quatuor denarios. Hæc, inquam, omnia prænominatus Hubertus, sicut dictum est, Ecclesiæ de Cuissiaco in perpetuum liberè concessit habenda, atque ejusdem Ecclesiæ Curti, quæ *Roëz* dicitur, annuatim in Festo S. Remigii persolvenda. Pertinent etiam ad eosdem reditus tres curiæ in natali Domini, scilicèt sex panes cum totidem gallinaciis, & sex sextarii vini cariori pretio apud *Feram* venumdandi. In Pascha quoque Domini sex panes & tres agni, & sex prædicti pretii vini sextarii: ita sanè quòd à Fratribus præfatæ Curtis sine carnibus cibari debebunt, qui in supradictis terminis redditus

ipsos attulerint. Facta est igitur concessio hæc apud *Roëz* ab ipso Huberto & Oilardo, filioque suo Omundo, atque altari Ecclesiæ ipsius Curtis ab eis supposita, præsentibus Godino de *Plaisseio*, Hugone Furnerio, Roberto Cordella, Roberto Morino, Rogerio Præposito, Gonfrido de *Viri*, Radulpho Carletto, Pagano de *Gales*, Rogero de *Genly*, & Adam, & aliis multis. Dedit et præfatæ Ecclesiæ Wermundus filius Adæ *Visies*, adstantibus Roberto Præposito de *Viry*, Roberto de *Vadus*, & Roberto Morinò, in eleëmosynam, amore Dei, & Emelinæ Sororis suæ ejusdem Ecclesiæ Conversæ, sex solidos obolorum à Filiis Stephani de *Molinsevrons*, tribus terminis annuatim solvendorum: in Festo scilicèt Sancti Remigii duos solidos, in Natali duos solidos, in medio Martii duos solidos, & duas gallinas, & decem ova. Duos quoque solidos Provinienstum apud *Viry*, quos debet Robertus Filius Roberti Strabonis; in medio Maii duodecim denarios, & in medio Augusti duodecim denarios, & tres sextariatas terræ in eâdem Villa. Habet similiter eadem Ecclesia apud *Molinsevrons* duodecim denarios provenientes ex dono Willelmi de *Cometichon* pro matre sua Videla, quos debet Evrardus Rufus; in Festo S. Joannis sex denarios, & in Festo S. Martini sex. Ex dono etiam Fulconis de *Genly* tres modiatas terræ, & quatuor sextariatas inter *Selaniam* & *Roëz*, concessione Roberti Filii Helgoti & *Mathilais* Matris suæ, de quibus terram ipsam Fulco hæreditate feodaliter tenebat. Quinque etiam denarios obolorum ad masuram Raynaldi Fabri, & ad furnum de *Molinsevrons*, medietatem de omnibus furnagiis. Et ad *Calluvel* undecim denarios provenientes, quos debet Herbertus *Perpin* in Festo Sancti Remigii. Huic donationi interfuerunt Ligerius Præpositus, Willelmus Frater ejus, Joannes dictus Vendolus, Radulphus Carlettus, Robertus Cordella, Vermundus de *Trocy*. Concessit quoque Godinus de *Plaisseio* jam dictæ Ecclesiæ censum 14. denariorum de campo de *Venons*, & de campo de *Marleria*, & duas corvatas de eadem terra, pratum etiam suum subtùs campum de *Venons*, ad mediam partem fœni dividendum, absque eo quòd fœnum ipsum alicubi non conducent. Quidquid etiam nemoris sui inter *Gomcourt* & *Campasnier* in vita ipsius excoluerunt Fratres, moriens liberum eis donavit; reliquum verò infra prædictos terminos excolendum ad nonam garbam firmâ manu eisdem concessit, teste *Ivone* Presbytero de *Maretz*, & Waltero quoque sacerdote, & Roardo Fratre ejus. Verùm istam donationem cùm *Joisbertus* Frater Godini, qui in manuburdio terræ ejus successerat, factam penitùs fuisse denegaret; productis & auditis prædictis testibus, qui testamento Godini interfuerant, in præsentia Domini Theodorici Ambianensis Episcopi & nostrâ, Wibaldi etiam Abbatis S. Eligii, & Alulfi Abbatis Calniacensis, multorumque aliorum, controversia inter eundem *Joisbertum* & Fratres de *Roëz* diù super hoc habita, tandem in hunc modum sopita est. Insuper & ea, quæ idem Joisbertus eis violenter abstulerat, ab ipso per manum Domini Lucæ Abbatis sui coram nobis eis fuerunt restituta. Concessa etiam illa donatio à nobis, quoniam prædictum nemus de feodo nostro erat, præsentibus Balduino Decano, Bonifacio Archidiacono, Alulfo Abbate Calniacensi, Raynaldo Abbate de *Ham*, Hugone Cancellario, Petro Cantore.

Habet & eadem Ecclesia in eleëmosynam nemus à Fulcone de *Conny*, usque ad antiquam viam, quam calcatam appellant, ex concessione *Evrardi* de *Dully*, & Rogeri Castellani de *Perona*, quod concessit in annuali Peronæ nundina, teste Giroldo de Sancto Paulo, Petro de *Albenni*, Petro famulo ejus, qui tunc in annonæ custodia ei deserviebat. Decimam quoque in una modiata terræ apud *Conny*, quam prædictus Evrardus de *Dully* eidem Ecclesiæ liberam contulit, præsente Roberto venatore, Gregorio, Hescelino de *Sepe*, Bosardo. Quandam etiam modiatam terræ inter *Selaniam* & *Segnicurt*, quam Robertus Cordella prædictæ donavit Ecclesiæ, assignatis testibus idoneis Hugone Furnerio, Roberto Præposito, Gonfrido de *Viry*, Girardo de *Fara*. Lanscellinus quoque Hamensis Dominus prædictæ Ecclesiæ B. Mariæ Cuissiacensis, & Curti ipsius, quæ vocatur *Roëz*, in eleëmosynam concessit libertatem vivarii ejusdem curtis, quantùm aqua occupare poterit, non tamen moto vel erecto molendino, seu stagno à pristino statu suo; ipsum quoque molendinum ab omni dominio suo emancipatum, & calceïam ejus & hortum qui est subtùs, liberè dedit in perpetuum, ripam quoque vivarii de terra sua redintegrandam. Concessit etiam eidem Ecclesiæ in perpetuum molendinum de *Genly*, sub censu quinque modiorum frumenti ad mensuram Calniacensem sibi & Alberico de *Roya* annuatim solvendorum. Testes Raynaldus Abbas de *Hamo*. Joisbertus, Anselmus & Radulphus, Drogo & Joannes Diaconi, Petrus de *Pietum*, & Gerardus Frater ejus, Gregorius & Walterus Filius Filius Giroldi, & Radulphus *Coiturs*, Grimbertus de *Moncy*; Drogo quoque de *Viry*, quidquid in prædicto vivario atque molendino, & in calceïo atque in horto habuerat, liberum prorsùs prædictæ Ecclesiæ in eleëmosynam similiter dedit, & de nemore suo quantùm ad aisiamenta prædictæ Curtis necessarium fuerit. Testes Ivo Præpositus de *Calniaco*, Odo sacerdos, Robertus clericus, Hugo Furnerius, Gerardus de *Craia*. Radulphus etiam stultus de *Calni* dimidium modium frumenti quod accipitur apud *Genly* persolvendum singulis annis in Festivitate S. Remigii in eleëmosynam ipsi Ecclesiæ dedit; sextariatam quoque terræ arabilis apud *Segnicurt*; unde testes Robertus clericus, & Robertus Morinus, Petrus Turcus, & Hugo Frater ejus. Hæc igitur omnia prænominatæ Ecclesiæ justè & canonicè data & concessa, ut ei firma & inconvulsa, permaneant, datâ conservatoribus pace, in prævaricatores verò excommunicationis sententiâ, in perpetuum confirmamus, nostrâ quoque sub imagine, & præsentium testificatione signamus. *Signum* Balduini Decani. *S.* Petri Cantoris. *S.* Alulfi Abbatis Calniacensis. *S.* Rayneri Capellani. Actum Noviomi anno ab Incarnatione Domini 1152. Indictione XV. Regnante Ludovico Rege Francorum. Ego Hugo Cancellarius relegi & subscripsi.

Charta Gualteri I. Laudunensis Episcopi.

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ad 1152.
nos pertinet ea quæ intuitu caritatis Ecclesiis erogantur, vel emptionis contractu acquiruntur, attestari; & ne oblivionis nubilo obfuscata deleri aut infirmari possint, scripto commendare, & posteris notum facere. Eapropter ego Gualterus Dei gratiâ Laudunensis Episcopus notum fieri volumus omnibus fidelibus tam præsentibus, quàm futuris, quòd Radulphus miles de *Turri*, annuente & concedente uxore ejus Elizabeth, & Filiis ejus Joanne cognominato Radulpho, Petrò & Odone, apud *Disiacum* sylvam, pertinente, Ecclesiæ Cuissiacensi per manum Lucæ Abbatis vendidit, & in eleëmosynam concessit. Tres quoque partes molendini subtùs *Usciam* à Petro Filio Wilfridi de *Vassonia*, eadem Ecclesia dato pretio justè comparavit. Molendinum etiam supradicto contiguum, quod dicitur *Innoa*, cum prato & cultura ad idem molendinum pertinente, à Petro & Fratre ejus Herberto *Aliget*, & ipsorum Sorore *Falqueta*, Filiis Raynaldi præfatæ villæ Majoris, eadem Eccle-

sia legitimè comparavit. Vineam quoque in Villa quæ dicitur *Tyrinniacus*, perpetuò possidendam eidem Ecclesiæ concessimus. Præterea Balduinus Miles, uxore ejus *Aelide* & Filio ejus Petro annuentibus, quæcumque apud *Masfiacum* sive in pratis, seu in terris cultis & incultis eadem Ecclesia priùs acquisierat, quietè & liberè possidenda concessit. Domum ad reponendas fruges, quæ grangia vocatur, in eâdem villâ, ipso permittente, ædificavit, cum quâ & universarum transitus viarum in territorio præmemoratæ villæ adjacentium, usibus ejusdem Ecclesiæ liberè & nullo suorum renitente indulsit. Hoc autem ut ratum permaneat, sigilli nostri impressione, & testium subscriptione muniri fecimus. Primi doni facti à Radulpho, testes sunt: *Signum* Stephani Canonici Cuissiacensis. *S.* Herberti *Bordel.* *S.* Nicolai de *Disiaco.* Secundæ emptionis testes sunt: *Signum* Goscelini Canonici Cuissiaci. *S.* Geroldi Majoris de *Uschia.* *S.* Herberti *Salemon.* Tertiæ emptionis testes sunt: *Signum* Goscelini Canonici Cuissiaci. *S.* Roberti militis de *Vassonia.* *S.* Herberti Salemon. *S.* Thomæ de *Vassonia.* Concessionis factæ à Domino Balduino testes sunt; *Signum* Dodonis; *S.* Lamberti, sacerdotum. *S.* Lisiardi Canonici Laudunensis. *S.* Radulphi militis de *Glane*, & Balduini Majoris de *Masly.* Data Lauduni anno Incarnati Verbi 1152. Angotus Cancellarius relegit, scripsit, & subscripsit.

Charta Galteri Laudunensis Episcopi.

1156. IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Quia humanæ corruptibilitati oblivionis dominante defectu, ac perfidorum fallaciâ sæpè opera justitiæ rodente, necessariò legitimè gesta litterarum ac probabilium personarum assertione roborantur, ne iniquorum versutâ cavillatione infirmentur. Hanc igitur legem observantes Ego Gualterus divinâ providentiâ Laudunensis Episcopus præsentium ac futurorum posteritatis memoriæ commendandum decrevimus, quod Goswinus Castellanus de *Petra-ponte*, assensu uxoris suæ Elizabeth, ac filiorum suorum Guidonis, Guillelmi & Goswini, totum territorium de *Hallin* tam in planis, quàm in sylvis cum justitia, districto & banno annuente Hugone de *Petra-ponte* & uxore ejus Clementia, de quorum feodo idem territorium ipse Goswinus tenebat, & ad præfatum Hugonem de nostro feodo descendebat, per manum nostram Ecclesiæ Cuissiacensi, triginta librarum & unius bonæ monetæ pecuniariâ taxatione acceptâ perpetuò possidendum donavit. Hujus verò donationis idem Goswinus contra omnes qui ad placitum & justitiam venire noluerint, præfatæ Ecclesiæ warandisiam se laturum spopondit. Testes inde sunt Stephanus & Hugo sacerdotes præscriptæ Ecclesiæ Canonici: Godefridus sacerdos de *Petra-ponte*; Raynerus Clericus. Galterus de *Goudelencurt.* Galterus *Peletz*, & Herbertus Frater ejus. Odelanus. Odo.

Ut autem hujus doni tenor irrefragabiliter in perpetuum conservetur, interpositâ anathematis sententiâ, sigilli nostri formâ insigniri, testiumque legitimorum adstipulatione roborari præcepimus. *Signum* Lisiardi Decani. *S.* Bartholomæi Thesaurarii. *S.* Balduini Decani Archidiaconi. *S.* Ofiloti Cantoris. *S.* Gunteri, Sacerdotum. *S.* Odonis de *Capiniaco.* *S.* Magistri Hugonis, Diaconorum. *S.* Galteri de *Tornaco.* *S.* Richardi clerici. *S.* Hugonis de *Petra ponte.* *S.* Balduini de *Gunnesse.* *S.* Dolewart de *Laude-landuno.* Actum anno Dominicæ Incarnationis 1156. Indictione IV. Epactâ VII. Angotus Cancellarius relegi.

Charta Galteri Laudunensis Episcopi.

1162. & 1172. EGo Galterus Dei gratiâ Laudunensis Episcopus. Ecclesia Bucilienfis habebat altare de *Ulliaco*, & altare de *Gens* prope Cuissiacum; de quibus minùs utilitatis habebant, quia remota nimis erant ab eis. Propter quod Abbas Joannes & Fratres Bucilienses, de consilio Abbatis & Ordinis Præmonstrati, concesserunt altaria illa cum eorum appenditiis, Hugoni Abbati & Fratribus de Cuissiaco per manum nostram in perpetuum. In quorum è contra recompensationem Fratres Cuissiacenses Bucilienfibus concesserunt curtem de *Gland*, de *Signy parvo*, cum animalibus & aliis, quæ in curtibus illis erant. Quæ omnia, præter curtes & earum possessiones immobiles ad centum libras bonæ monetæ largè fuerant æstimata. Reddiderunt etiam scripta in alterutrum, quæ inde habebant, exceptis privilegiis Apostolicis, quæ quidem reddi non opportuit, ne & aliorum possessionum confirmatio cassaretur. Actum anno Incarnationis Dominicæ 1162, sub testimonio Philippi Abbatis Præmonstrati, & aliorum.

Recognitum postea anno ab Incarnatione Domini 1172. coram Galtero Archidiacono, & Galtero Thesaurario .... Hugo etiam Abbas Præmonstrati, priùs Abbas de Bucilio, in quorum tempore præscriptæ concessiones factæ fuerant in invicem, adfuerunt. Hoc igitur ne ullatenùs immutetur, scripto & sigillo nostro fecimus communiri.

Charta Galteri Laudunensis Episcopi.

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ego 1163.
Galterus Laudunensis Episcopus. Officii nostri est Ecclesiarum paci & quieti providere, & quæ in præsentia nostra geruntur, ne aliquo oblivionis nubilo deleantur, aut infirmentur, attestari, & scripto commendare. Ea propter Notum facimus & attestamur Universis tam futuris, quàm præsentibus, quod Dominus Gaufridus de Balaham calumniam movit adversùs Ecclesiam Cuissiacensem super terris, quas eadem Ecclesia possidebat in territorio *Juminiaci* infra viam petrosam, quæ ducit ad crucem usque ad culturam de *Boi.* Ipse enim Gaufridus uxorem duxerat Adelidem filiam Gervasii de *Basochiis*, & in maritagium ejus prædictam Justitiam acceperat; & ideo quidquid ibidem Ecclesia acquisierat, totum violenter arripiebat. Ecclesia sentiens se gravari, præsentiam nostram appellavit. Auditâ utriusque partis allegatione visum est nobis utile pacem inter eos componere, ita ut possessionis suæ damnum non incurreret, & præfati viri amicitiam retineret Ecclesia. Mediantibus ergo honestis & prudentibus viris, concedit ei Ecclesia viginti libras Catalaunensis Monetæ,& duas vaccas: & ipse pro remedio animæ suæ & prædecessorum suorum,quidquid calumniabatur,per manum nostram Ecclesiæ remisit; & quidquid Ecclesia in districto *Juminiaci* dominii tunc tenebat, in eleëmosynam libenter & absque omni exactione perpetuò possidendum concessit: ita tamen ut super hoc Chyrographum fieret, & ne ultrà, quam tunc tenebat, deinceps in manso *Jumniaci*, absque assensu suo, vel hæredis sui, quidquam Ecclesia acquireret: Et ne inposterum super his ulla altercatio rediret singulas possessiones, de quibus calumnia fuerat, nominatim fecimus exprimi: Molendinum fullonum cum appenditiis suis, grangiâ videlicet, & reliquis domibus; viridarium ante molendinum; alnetum retro: in *falever* campum unum. Ad summum culturæ de *Boi* campum unum. De terra Herberti pinguis unum.In longâ fasciâ unum. Super viam unum. In fascia Duonis unum. Campum qui dicitur fascia Geroldi.CampumGerardi Fratris nostri in *fossealx.* In *batout* campum unum. Ante *Sifchy* unum. In sabulo unum. In corvis unum. Sub prato ad salices Duonis unum. Culturam Lucæ Abbatis. Juxta terram Roberti *Barbel* unum ante portam Molendini de terra *Otrici* unum. Pratum ad salices Duonis. Pratum ad mortuam aquam. In prato *Jumigniaci*

duos cassellos fœni falcati & adunati. Pratum in media villâ. Vineam unam in *Tomou*. Vineam quæ dicitur Palea. Mansum Lucæ Abbatis cum pressorio. Duas partes Decimæ ejusdem villæ, & omnes aisantias ejusdem. Hoc autem concessit uxor ejus Adhelidis sub his testibus, Guidone Priore de *Evregnicurt*; Abraham juniore sacerdote de *Guignicurt*; Henrico clerico de *Condé*, Fratre Stephano sacerdote, anno secundo desponsationis ejusdem Adhelidis. Hoc etiam concessit Dominus Gervasius de *Basochiis*, de cujus feodo totum erat, cum uxore sua *Hawide*, & filiabus suis *Gila* & *Falca*: unde testes fuerunt *Hugo* Abbas Cuissiaci: Anselmus Sub-Decanus de *Cerny*: Drogo Sacerdos de *Geny*; Joannes Sacerdos de *Vassonia*. Postea concessit Nicolaus Filius ejusdem Gervasii: unde sunt testes Radulphus Abbas Vallis-claræ; *Hugo* Abbas Cuissiaci; Radulphus Sacerdos de *Belrin*; Joannes Sacerdos de *Vassonia*. Concessit etiam minor Filius ejus Gualterus, & major Filia ipsius *Sarra*: unde testes fuerunt Hugo Sacerdos; Drogo de *Geny*; Lambertus de *Maisy*, Sacerdotes. Ut autem quod factum est, ratum & inconcussum permaneat, præsentem paginam sigilli nostri impressione, & testium annotatione, & chyrographi conscriptione muniri fecimus: & omnes qui temerare aut perturbare præsumpserint, donec resipuerint, aut ad satisfactionem venerint, anathematis sententiâ innodamus. *Signum* Lisiardi Decani, *S.* Gualteri Thesaurarii. *S.* Roberti Cantoris. *S.* Gualteri Capellani. *S.* Guntheri Sacerdotis. *S.* Magistri Hugonis. *S.* Gerardi Sub-Thesaurarii. *S.* Henrici de *Condé*. *S.* Gualteri Abbatis *S.* Vincentii. *S.* Ingelranni Abbatis *S.* Joannis. Actum Lauduni anno Incarnati Verbi 1163. Angotus Cancellarius, relegit, scripsit, & subscripsit.

Charta Galteri Laudunensis Episcopi.

1164. EGo Gualterus Dei miseratione Laudunensium Episcopus, notum fieri volumus tam futuris, quàm præsentibus, quòd Guillelmus de *Fay* acceptis ab Ecclesia Cuissiacensi triginta libris Catalaunensis monetæ, contulit liberè eidem Ecclesiæ partem sylvæ suæ, quæ adjacebat territorio de *Disy*, sicut metis positis discreta est. In residua autem sylva sua omnem aisantiam ad usus Fratrum, & pascua pecorum, cum libero introitu & exitu viarum, quæ in directum tendunt, ad molendinum Fratrum perpetuò tenendam eidem Ecclesiæ contulit. Hujus rei testes sunt Lisiardus Decanus Laudunensis; Ado monachus S. Nicolai, Frater prædicti, & alii multi. Succedente verò tempore cœpit idem Guillelmus à præfata Ecclesiâ quasdam consuetudines violenter exigere, quas ab antiquis commanentibus in territorio de *Disy*, cùm ibi Villa esset, se & antecessores suos asserebat obtinuisse; scilicèt ut ad molendum in molendino suo de *Listel*, & ad humectandum linum & canabum in ipsa aqua sua ex jure & consuetudine descenderent, & vectagium vini, si fortè vectura ad aquam ipsam deponeretur, exsolverent. Pro hoc ergò diutiùs Ecclesiam fatigavit, donec susceptâ ad conversionem filiâ suâ in eadem Ecclesia, quærelam illam remisit, & quidquid in hujusmodi consuetudinibus calumniari poterat, ob remedium animæ suæ & prædecessorum suorum, simulque ob amorem Filiæ suæ Conversæ, liberè & quietè perpetuò possidendum eidem Ecclesiæ concessit. Sed & ipse veniens ante præsentiam nostram, multis adstantibus, hæc omnia recognovit, & in fide sua pepigit, quòd contra omnes incursantes, qui justitiam non subterfugerint, tam de causa priori, quam de posteriori garandiam Ecclesiæ ferre curabit. Hæc autem omnia concessit Elizabeth uxor ejus, & Filii ejus Nicolaus & Walbertus: cui concessioni interfuerunt & testes sunt Odo Decanus de *Roseto*: & alii multi. Concessit & Dominus Guido de *Supi*, de cujus feodo prædictus Guillelmus illa tenebat, sub his testibus Petro Sacerdote de *Supy*, & quibusdam aliis. Concessit quoque Dominus Raynaldus de *Roseto*, de cujus feodo idem Guido tenebat, sub his testibus, Odone Decano de *Roseto*, & quibusdam aliis. Simili modo Odo de *Roseto* furnagium exigebat ab ipsa Ecclesia Cuissiacensi in prædicta domo de *Disy*, asserens hanc antecessoribus suis consuetudinem ab antiquis commanentibus in Villâ de *Disy* jure hæreditario exhibitam: super hoc ergo diù Ecclesiam fatigavit; sed tandem insistentibus amicis suis, acceptis ab Ecclesia quinquaginta solidis Catalaunensis monetæ, quærelam illam remisit, & quidquid ibi juris habere videbatur, in manus Domini Raynaldi de *Roseto*, de cujus feodo se tenere dicebat, reddidit: ipse autem Raynaldus in manum Odonis Decani, ac si in nostram, resignavit. Decanus verò, vice nostrâ, Abbati & Ecclesiæ Cuissiacensi liberè & quietè perpetuò possidendum contradidit. Hujus rei testes sunt Odo Decanus, Raynaldus, & quidam alii. Ne ergo super his ultra deinceps emergat perturbationis occasio, sed firma & illibata in perpetuum Ecclesiæ maneat possessio, præsentem paginam & sigilli nostri impressione, & testium annotatione communiri præcepimus, & in omnes, qui temerare aut perturbare præsumpserint, donec ad condignam satisfactionem venerint, anathematis sententiam promulgamus. *Signum* Lisiardi Decani &c. Actum anno Inncarnati Verbi 1164.

Charta Galteri Laudunensis Episcopi.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Pastoralis officii sollicitudine admonemur Ecclesiarum 1167.
paci in posterum providere. Eapropter ego Galterus Dei gratiâ Laudunensis Episcopus, notum facimus Universis tam futuris, quàm præsentibus, quòd Ecclesia Cuissiacensis ab Ecclesia B. Laurentii de *Roseto*, communi utriusque Ecclesiæ assensu, accepit ad trecensum sex modiorum frumenti melioris post sementem, quod creverit in territorio de *Disy*, quidquid Ecclesia B. Laurentii de *Roseto* infra terminos parochiæ de *Disy*, possidebat. Hunc autem trecensum Ecclesia Cuissiacensis Ecclesiæ B. Laurentii singulis annis persolvet ad mensuram de *Roseto* tunc temporis currentem, ad molendinum *Junctarum aquarum* infra Festum S. Martini. Porro Ecclesia de *Roseto* guarendiam feret Ecclesiæ Cuissiacensi, si quis eam super hoc inquietaverit, contra omnes, qui ad justitiam venire voluerint. Hoc autem ne possit ab aliquo infringi, vel immutari, sigilli nostri impressione, & testium subscriptione & chyrographo muniri fecimus. *S.* Lisiardi Laudunensis Decani &c. *S.* Elberti Abbatis Cuissiacensis . . . . . Actum Lauduni anno Incarnati Verbi 1167. &c.

Charta Galteri Laudunensis Episcopi de quadam pecuniæ summa ab Cuissiacensibus præstanda.

EGo Gualterus Dei gratiâ Laudunensis Episcopus. 1171.
Willelmus Abbas Cuissiacensis debebat pro Ecclesia sua Jacobo Presbytero de *Jumigniaco* viginti duas libras Remensis monetæ. Unde idem Jacobus ut Ecclesiæ supra modum debitis gravatæ condescenderet, eam pro Domino voluit supportare, & concessit coram Balduino Archidiacono, & Galtero Thesaurario, & Galtero Cantore, & Willelmo clerico nostro, sicut ipsi testificati sunt nobis, ut Abbas ei solvat singulis annis sexaginta solidos, donec pecunia illa fuerit integrè persoluta; & si moneta Remensis

interim mutata fuerit, Abbas ei in alia respondebit, quæ tunc curret communiter. Et si fortè interim idem Jacobus obierit, vel religionem intraverit, quidquid in illo articulo persolvendum fuerit, Ecclesiæ Cuissiaci remanebit in eleëmosynam. Ut igitur hoc in utraque parte teneatur, nostro illud sigillo, cum chyrographi partitione, munimus. Actum Lauduni in Adventu Domini anno Verbi Incarnati 1171. Willelmus scripsit.

Charta Guillelmi Abbatis Cuissiaci quâ recognoscit donum territorii Alta-Villa factum suo Monasterio à Rigaldo Castroportiensi. Anno 1171.

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis: Amen. Ego Guillelmus Dei gratiâ Abbas Ecclesiæ Cuissiacensis, ejusdemque Ecclesiæ Capitulum, notum facimus tam præsentibus, quàm futuris, quòd Rigaldus Filius Ebali de *Castro-portiensi*, assensu Sororis suæ Raynaldi, Elizabeth & Agnetis, quidquid in territorio Altæ-Villæ possidebat, annuentibus Dominis suis Jofrido de *Balaham*, & uxore sua *Aaliz*, & liberis ejus Jofrido, Rainaldo & Henrico; Raynaldo quoque de *Roseto* & liberis ejus Roberto & Elizabeth, uxore quoque ejusdem Raynaldi Juliana, à quibus ipse Rigaldus idem territorium in feodum tenebat, Ecclesiæ nostræ absque ulla retentione redituum, seu aliquarum secularis Dominii consuetudinum, excepto uno modio frumenti de *Toren*, in eleëmosynam perpetuò possidendum, eo tenore, quod annuatim eidem Rigaldo, vel hæredibus ejus, ubi magis ipse Rigaldus, vel hæredes ejus voluerint, sive apud *Castrum-portiense*, sive apud *Chalmontem*, sive apud *Turrim*, sive apud *Cisi*, decem modios melioris frumenti, quod Fratres in Curte Altæ-Villæ post sementem habebunt, ad mensuram Castri-portiensis tunc temporis currentem ante Octavas Epiphaniæ, nostrâ propriâ vecturâ ducemus; ibique solvemus. Si verò frumentum in prædicto territorio aliquo infortunio deperierit, aliud frumentum sanum & laudabile restituetur. Rigaldus verò guarandiam contra omnes, qui ad justitiam ecclesiasticam venire, & judicium subire voluerint, de toto jam dicto territorio, quantùm ad jus ipsius pertinet, Ecclesiæ nostræ portabit ..... Præterea Justitia Curiæ nostræ & totius jam dicti territorii, Ecclesiæ nostræ est; & si ibidem latronem, nos, aut successores nostri ceperimus, in nostro arbitrio erit aut absolutum dimittere, aut de eo justitiam facere, aut ipsum judicio Rigaldi exponere. Testes .... *S.* Jofridi de *Balaham*. *S.* Raynaldi de *Roseto*. *S.* Petri de *Montcornet*. *S.* Bartholomæi Vice-comitis. &c. Actum anno 1171. Incarnati Verbi.

Charta de Altari Juminiaci Cuissiacensibus asserto.

1173. IN Nomine Domini. Ego Gualterus Laudunensis Thesaurarius, Abbas Ecclesiæ *S.* Petri de *Foro*. Illas maximè pactiones, quæ factæ sunt inter Ecclesias, fidelis debet littera conservare. Idcirco notum facimus per hoc scriptum, quòd Canonici *S.* Petri de *Foro* dederunt Ecclesiæ Cuissiaci per *Guillermum* Abbatem colligendos & habendos in perpetuum omnes reditus, qui pertinent ad altare de *Juminiaco*, in commodis universis, & ferent inde legitimam guarandiam contra Fratres Vallis-claræ, & contra omnes alios, qui ad justitiam venire voluerint. Propter quod Ecclesia Cuissiacensis solvet supra-dictæ Ecclesiæ *S.* Petri annuatim sexaginta tres solidos Catalaunensis, vel æquivalentis monetæ, in his terminis, in festo videlicet omnium Sanctorum triginta tres solidos, & infra Octavas Pentecostes triginta solidos, ita quod si Ecclesia Cuissiaci denarios istos ultrà terminos detinuerit, de singulis dierum quindenis post utrumque terminum per quinque solidos bonæ monetæ, emendabit Ecclesiæ Sancti Petri. Ecclesia verò Sancti Petri pro altari suo quod sibi retinet, respondebit Episcopo de *Circadis*: Et quoties ibi presbyterum constituerit, mittet eum ad Abbatem Cuissiaci, illam ei facturum fidelitatem, quam Ecclesiæ Sancti Petri faceret, si redditus supradictos in manu sua teneret. Hujus pactionis nos & ipsi qui subscripti sunt, testes sumus, & eam sub chirographo inter eos mediato, sigillo Capituli Laudunensis, & nostro, & sigillis utriusque capituli, videlicet Ecclesiæ Cuissiaci, & Sancti Petri fecimus communiri. *Signum* Roberti Decani Laudunensis, & aliorum. Actum Lauduni anno incarnationis Dominicæ 1173.

Charta de altari de Genlis.

RAinaldus Dei gratiâ Noviomensis Episcopus, omnibus in perpetuum notum fieri volumus 1177. tam futuris quàm præsentibus quod Odo Canonicus noster Filius Adonis, Ecclesiæ de *Cuissy*, præcipuè pauperibus Christi mulieribus conversis de *Roez*, altare de *Genli* cum omnibus appendicibus suis tam in terrâ arabili, nemoribus & pratis, quàm hospitibus, aquis & decimis, imò quidquid ibidem habebat, in præsentiâ nostrâ liberaliter dedit, si Philippus Flandrensium, & Veromandensium Comes, & Elizabeth Comitissa uxor sua de quorum feodo prædictum altare idem Odo tenebat, concederent: ita tamen quòd in totâ villâ suâ ipse Odo septem modios frumenti & tres modios avenæ ad mensuram Noviomensem ad domum suam Noviomi ductos ex eâdem decimâ singulis annis habebit, & candelas purificationis Beatæ Mariæ: ita quoque quòd post decessum ipsius Odonis ad nullum hæredem censura ista decem modiorum nec candelæ revertentur, sed præfatæ Ecclesiæ de *Roëz* perpetuò possidenda remanebunt. Nos igitur susceptis precibus Comitis, & incipientes scriptum anthenticum ipsius Comitis & Comitissæ de ejusdem altaris conversione, & quia idem Comes & Comitissa idem altare de feodo nostro tenebant, Odonis donationem, & prædictorum Comitis & Comitissæ conversionem approbantes, idem altare supradictæ Ecclesiæ dedimus & confirmamus, dantes etiam pro salute animæ nostræ, quod ad nos specialiter pertinebat, videlicet personatum & cantuadium cum præsentatione presbyterii, salvo tamen in omnibus jure Episcopali, Ut autem præsens donatio rata & inviolata, sicut decet, habeatur in posterum, eam tam sigilli nostri impressione quàm testium subsignatorum assertione dignum ducimus roborare. *Signum* Galfridi Cantoris Noviomensis & aliorum. Actum Noviomi anno Incarnati Verbi 1177.

Charta Hugonis Noviomensis Ecclesiæ Decani de eadem Decimâ.

HUgo Noviomensis Ecclesiæ Decanus, & Capitulum omnibus in perpetuum. Notum faci- 1181. mus universitati vestræ quòd cum super medietate decimæ de *Apelli*, quam Nicolaus Filius Roberti *Tison* adversus Ecclesiam de *Roëz*, & legato & eleëmosynâ Patrui sui Nicolai *Tison* sibi vindicare intendebat; diù habita fuisset controversia, tam Domino volente, inter ipsum & Ecclesiam, assensu utriusque partis, in hunc modum compositio intercessit. Siquidem præfatus Nicolaus, receptis ab Ecclesiâ tri-

ginta libris, monetæ Noviomensis quidquid juris in præfatâ decimâ se habere intendebat, renuntiavit ac liberè resignavit, quia verò memoratus puer adhuc pupillus sub tutelâ Matris est constitutus, Mater ejus, & Joannes maritus Matris ejus, Joannes quoque avunculus, nec non & Gualterus *Ganis*, & Robertus *Visains*, super pace & compositione præscriptâ & inviolabiliter observandâ, omnes fide corporaliter interpositâ, se fidejussores constituerunt, & ipsi Ecclesiæ se debitores obligaverunt. Si verò præfatus Nicolaus puer postquam annos pupillares excesserit, præfatæ compositioni nullatenùs stare volens resilierit, & Ecclesiam super prædictâ Decimâ vexare aut in causam habere attentaverit, Mater ejus, & alii, quos memoravimus, universi, sub eadem fidei ac fidejussionis obligatione infrà quadraginta dies, postquam ab Ecclesiâ requisiti fuerint, triginta libras eidem tenentur restituere. Ne igitur processu temporis, aut posterùm astutiâ, aut casu oblivionis præscripta compositio in-posterùm possit aliquatenùs immutari, præsentem paginam ad petitionem utriusque partis, tam sigilli nostri appensione, quàm testium subscriptione, dignum ducimus communiri. *Signum* Hugonis Archidiaconi & aliorum; Actum anno ab Incarnatione Domini 1181.

Charta Philippi Francorum Regis, pro Disiaco 1195.

1195. PHilippus Dei gratiâ Francorum Rex. Noverint Universi præsentes pariter & futuri, quòd Willelmus Abbas Cuissiacensis & ejusdem Ecclesiæ conventus colligunt nos in toto territorio suo de *Disiaco*, tam in plano quàm in bosco, & haïa pro Villâ ibi faciendâ, ita tamen quòd ipsi sibi retinent ibi quindecim carrucatas terræ cum grangiâ & porprisiâ grangiæ qualis est hodie, & decima territorii cum altaribus & Præsbyterio, hoc modo, quòd omnium proventuum qui ex prædictâ terrâ in quâ nos colligunt, proveniunt tam ex Villâ quàm ex hospitibus & universis aliis rebus, exceptis prædictis, nos medietatem habebimus, & ipsi aliam medietatem; sed sciendum quòd de legatis & eleëmosynis de dicto territorio sic erit. Homo illius territorii terram alii Ecclesiæ quàm Ecclesiæ Cuissiaci legare non poterit, & totius terræ illius territorii, quæ ad eos ex eleëmosynâ provenerit, nos medietatem habebimus, & ipsi aliam medietatem, neque nos, neque hæredes nostri Francorum Reges terram prædictam extrà manum nostram ponere poterimus. Nos autem Ecclesiam Cuissiacensem cùm omnibus rebus suis, pertinentiis & ratione, in nostrâ suscipimus protectione, & prædicti Abbas & Conventus à tribus modiis frumenti laudabilis quos annuatim nobis debebant de testamento, liberi erunt & quieti. Ballivus qui ibi erit, quotiescumque mutabitur, Ecclesiæ Cuissiacensi fidelitatem facit de jure suo eidem Ecclesiæ conservando. Quod ut perpetuam sortiatur stabilitatem, sigilli nostri auctoritate, & Regii nominis caractere inferiùs annotato præsentem paginam roboramus. Actum ab Incarnatione Domini 1195.

Charta Philippi Francorum Regis, pro eodem Disiaco 1195.

1195. PHilippus Dei gratiâ Francorum Rex. Noverint Universi, præsentes & futuri, quòd nos hanc libertatem concedimus hominibus de *Disiaco* assensu Abbatis & Capituli de Cuissiaco; prædicti homines non ibunt in exercitum, nec in equitationem per justitiam nostram, quin possint ad domos proprias usque ad noctem reverti. Ab omnibus exactionibus & ab omni Talliâ liberi erunt & quieti, neque Nos, neque Abbas, extrà dictam villam compellemus placitare. In placitis illius villæ tenebuntur & asservabuntur judicia & usus Laudunensium hominum, excepto quod Episcopus Laudunensis nullam habebit in dictâ villâ de *Disiaco*, nisi de Christianitate, potestatem. Major & Scabini de *Disy* facient Nobis & Abbati & Capitulo de Cuissiaco fidelitatem de jure nostro manutenendo. Quilibet reddet nobis annuatim in crastino Festi Sancti Remigii unum sextarium frumenti & unum sextarium avenæ ad mensuram de Nisiaco, & in crastino omnium Sanctorum duodecim denarios Parisienses, & duos capones. De furno, de singulis tricenis panibus, habebimus panem unum. In foro ejusdem villæ nullus hominum dictæ villæ dabit telonium de re, quam emet. Quod ut perpetuam sortiatur stabilitatem, sigilli nostri auctoritate & Regii nominis caractere inferiùs annotato, præsentem paginam roboramus. Actum anno ab Incarna tione Domini 1195.

Charta Domini Rogeri de Roseto, pro concambio 1199.

QUoniam ea quæ scripta sunt, firmiori memoriâ solent retineri: Ego Rogerus *Roseti* Dominus ad præsentium & futurorum notitiam feci hìc scribi quandam conventionem factam inter me & Ecclesiam Cuissiacensem; quæ talis est: Ecclesia siquidem Cuissiacensis contulit mihi in perpetuam hæreditatem id quod habebat tempore quo factum fuit scriptum hoc, apud *Gerignies* tam in bosco, quam in terris & in pratis, & id etiam quod habebat in molendinis de *Rubenies*, & de profundâ valle, & ego è contra contuli & assignavi prædictæ Ecclesiæ similiter in perpetuum certam pensionem, videlicet, sexdecim modios frumenti ad mensuram *Roseti* accipiendos per annos singulos in terragiis meis de *Manloes*, tali modo quòd nec ego, nec aliquis alius de frumento illorum terragiorum postquàm collecta fuerint, quidquam accipiemus, donec ipsa pensio soluta fuerit, & completa; tempus autem solvendæ pensionis erit ab intrante Augusto, usque ad festum S. Remigii. Verùm si in aliquo anno per incendium vel tempestatem, sive per aliud commune infortunium, terragia illa deperierint, defectus illius anni in proximo sequenti anno recompensabitur, & cum ipsâ recompensatione pensio annualis solvetur. Facta verò fuit hæc conventio assensu uxoris meæ Adelidis ad cujus dotalitium eadem terragia pertinebant; ego enim pro assignatione memoratæ pensionis reconsignavi eidem uxori meæ ea quæ ab Ecclesiâ Cuissiacensi mihi, sicut superiùs scriptum fuit, collata fuerunt, & hanc reconsignationem feci ei hâc consideratione, ut & ipsa nullum damnum incurrat, & Ecclesia Cuissiacensis nullam ex parte ejus molestiam sustineat, aut gravamen. Ut igitur ipsa conventio ex parte meâ & ex parte uxoris meæ habeat firmitatem, tam ego quàm illa eam nos fideliter observaturos, interposito juramento, promisimus. Nicolaüs etiam Frater meus conventionem nostram laudavit, & ex parte suâ ratam manere concessit; quæ ut perpetuò maneat inconcussa, eam sicut hic scripta est, approbavi, & sigilli mei munime roboravi. Actum anno Domini 1199. 1199.

Charta Domini Renaldi de Cinciniaco.

EGo Renaldus Dominus de *Cinciniaco*, omnibus præsentes litteras inspecturis, notum fieri volo, quòd cùm Domus de *Roëz* ad Ecclesiam Cuissiaci pertinens pratum, quod *Dollanpré* dicitur à longis retrò temporibus, ex eleëmosynâ antecessorum meorum, simul & Patris mei & Matris meæ concef- 1211.

sione pacificè & quietè diù possedisset, ortâ tandem inter me & supradictam domum super eodem prato querelâ, eleëmosynam ipsam Domino Alberto de *Hangest* tunc temporis Ballivo venerabilis & Comitissæ Viromandiæ, recognovi, & consilio nobilium virorum, qui præsentes aderant, si quid juris in eo habebam, quittum & perpetuò possidendum, fide interpositâ, assensu uxoris meæ Idonis, & tam Filiorum meorum quàm Filiarum mearum concessi, ita ut si quis prædictam domum exinde & gravare ac molestare voluerit, adjutorem contra calumniatorem bonâ fide me futurum promisi; quod ut ratum habeatur sigillum meum præsenti scripto apposui; Testes Dominus Simon Abbas de Sancti Eligii fonte; Actum apud *Calniacum*, anno gratiæ 1211.

Charta Friderici Imperatoris, quâ Monasterium Adelbergense, & omnes illius possessiones in suam protectionem recipit anno 1181.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Fridericus divinâ favente clementiâ Romanorum Imperator Augustus, &c. Ad præsentis & æternæ vitæ gloriam nobis admodùm speramus profuturum, si ad conservandum largitiones & eleemosynas fidelium, nostram autoritatem, & confirmationis robur apponimus, & dexteram nostræ defensionis extendimus. Notum igitur esse cupimus Imperii fidelibus, quòd claustrum *Adelberg*, & omnia ei attinentia recepimus in nostram pacem & protectionem. Statuimus etiam unà cum Volcknando Ministeriali nostro de *Stowfen*, qui fundator fuit loci illius, ut quicunque in sede Apostolica successor fuerit illo Apostolico, Præpositus loci illius dabit aureum unum, in signum & recordationem, quòd illud claustrum defendi debet & adjuvari ab ipso Apostolico, & ab illo, qui fuerit Dominus de *Stowfen*. Volumus etiam, ut nullum habeant Advocatum, præter illum qui est, vel erit, Dominus de *Stowfen*: Nullum habeant Subadvocatum, nisi quem Præpositus & conventus de *Adelberg* elegerint. Ut igitur hæc certa & incommutabilia permaneant, præsentem paginam inde jussimus conscribi & nostræ Majestatis sigillo insigniri: statuentes, ac imperiali, quâ fungimur, auctoritate præcipientes, ut contra hoc nostrum statutum nullus obviare attentet: quod qui facere præsumpserit, viginti libras auri pro satisfactione componet, dimidiam partem nobis, reliquam injuriam passis, assignaturus. Hujus rei testes sunt Henricus Abbas de *Lorch*: Udalricus Abbas de *Anhusen*: Ludovicus Comes de *Helffenstein*: Godefridus de *Wineden*: Billungus de *Justingen*: Adelbertus de *Mezzingen*. Rupertus de *Gundelfingen*: Volcknandus, Fridericus, Conradus, Bernoldus de *Stowfen*: Gerundus de *Urach*: Odalricus de *Rechberg*: Egeno & Adelbertus de *Walthusen*: Henricus, Beringerus, Adelbertus de *Lorche*. Diepoldus de *Schlechbach*; & alii quamplures. Signum Domini Friderici Imperatoris invictissimi. Ego Godefridus Cancellarius imperialis Aulæ, vice Christiani Moguntini Archiepiscopi & Archi-Cancellarii recognovi. Acta sunt hæc anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo octogesimo primo, indictione XIV. Regnante Domino Friderico Romanorum Imperatore gloriosissimo, anno regni ejus tricesimo, Imperii verò vicesimo septimo. Datum in Castro *Stowfen* VIII. kalendas Junii: Feliciter amen.

Bulla Alexandri Papæ III. privilegia, & possessionum confirmationem Adelbergensi Monasterio indulgentis.

ALexander Episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis Odelrico Præposito Ecclesiæ sanctæ Mariæ & sancti Odalrici *Adelbergensis* ejusque fratribus tam presentibus, quàm futuris, regularem vitam professis, in perpetuum, &c. Religiosam vitam eligentibus apostolicum convenit adesse præsidium, ne fortè cujuslibet temeritatis incursus aut eos à proposito revocet, aut robur, quod absit, sacræ Religionis infringat. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & præfatam Ecclesiam Beatæ Mariæ, & sancti Odalrici *Adelbergensem*, in qua divino mancipati estis obsequio, sub beati Petri & nostrâ protectione communimus. Imprimis siquidem statuentes, ut Ordo Canonicus, qui secundùm Deum & beati Augustini Regulam, atque institutionem Præmonstratensium fratrum, de favore charissimi in Christo filii nostri Friderici, illustris Romanorum Imperatoris, in domo vestra noscitur institutus, perpetuis in ea temporibus observetur. Præterea quascunque possessiones, quæcunque bona, tam in Ecclesiis, quàm villis, agris, vineis, pratis, curiis, decimis & mancipiis, eadem Ecclesia inpræsentiarum justè & canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, Domino præstante, poterit adipisci, firma vobis, vestrisque successoribus & illibata permaneant. Sanè Novalium vestrorum, quæ propriis manibus, aut sumptibus colligitis, sive de nutrimentis animalium vestrorum, nullus à vobis decimas exigere præsumat. Liceat quoque vobis Clericos vel Laicos à seculo fugientes, liberos & absolutos, ad conversionem recipere, & eos absque contradictione aliquâ retinere. Prohibemus insuper, ut nulli fratrum vestrorum post factam in eodem loco professionem fas sit, absque Præpositi sui licentia, de eodem claustro discedere; discedentem verò absque communi litterarum vestrarum cautione, nullus audeat retinere. Cùm autem generale Interdictum terræ fuerit, liceat vobis, clausis janius, exclusis excommunicatis & interdictis, non pulsatis Campanis, suppressâ voce, divina celebrare. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decernimus, ut eorum devotioni & extremæ voluntati qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi fortè excommunicati vel interdicti sint, nullus obsistat, salvâ tamen justitiâ illarum Ecclesiarum, de quibus corpora mortuorum assumuntur. Obeunte verò te, nunc ejusdem loci Præposito, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutiâ, seu violentiâ præponatur, nisi quem fratres, communi consensu, vel fratrum pars consilii sanioris, secundum Dei timorem & beati Augustini Regulam, providerint eligendum. Pro confirmatione sanè electionis, vel Electo deducendo ad sedem, nihil unquam ab aliquo, obtentu alicujus consuetudinis, exigatur. Portò à Conventibus Synodalibus, qui fiunt sine præsentia Episcopi per Decanos, Archidiaconos, vel Archipresbyteros locorum, vos & successores vestros decernimus omnino liberos perpetuò commanere. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum fas sit præfatam Ecclesiam temerè perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere seu quibuslibet vexationibus fatigare; sed omnia integrè conserventur, eorum, pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura; salvâ Sedis Apostolicæ authoritate, & Diœcesani Episcopi canonicâ justitiâ. Ad indicium autem hujus à Sede Apostolica perceptæ protectionis, aureum unum nobis, nostrisque successoribus, singulis annis persolvetis. Si quæ igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostræ Constitutionis paginam violaverit, aut sciens contra eam venire tentaverit, secundò tertiòve commonita, nisi reatum suum dignâ satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui careat dignitate, reamque se divino judicio existere, de

perpetrata iniquitate cognoscat; & à sacratissimo Corpore ac Sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat; atque in extremo examine divinæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus, sit pax Domini nostri Jesu Christi; quatenùs & hîc fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Amen. Amen.

Charta Friderici, Suevorum Ducis, Adalbergensi Monasterio concedentis acquisitorum & acquirendorum confirmationem. Anno 1189.

IN nomine Sanctissimæ & individuæ Trinitatis. Fridericus Dei gratiâ Suevorum Dux. Notum facimus omnibus tàm futuris, quàm præsentis seculi Christi fidelibus, Nos authoritate Domini & Patris Friderici Romanorum Imperatoris, & nostrâ authoritate, Cœnobio in *Adelberg* * concessisse, ut quicunque ex ministerialibus nostris, seu aliis hominibus sub ditione nostra constitutis, cujuscunque sint conditionis, vel sexûs, seipsum, aut aliquid de rebus suis mobilibus vel immobilibus, eidem claustro jam nunc contulit, aut adhuc conferre voluerit; id licitè ac liberè faciat, cum nostra licentia & voluntate. Omne quoque jus, concessionem seu traditionem, quam Dominus & Pater noster Imperator præfato Cœnobio fecit, nos ratam & inconvulsam habemus; imò etiam stabilimus & firmamus. Et ne hæc à succedentium memoria possint elabi, vel ab aliquo malignorum imposterùm infirmari, præsentem super hæc paginam fecimus conscribi, quam sigilli nostri impressione, & testibus qui intererant dignam duximus muniri. Testes viri Religiosi Cuno Abbas Elvacensis (a) Henricus Abbas Laureacensis. (b) Bruno Abbas (c) in *Echenbrunnen*. Liberi homines Godefridus de *Winiden*. Albertus de *Rabinstein*. Witegowus de *Albegge*. Ministeriales. Ulricus de *Rechberg*, Fridericus, Conradus, Gerungus, Bernoldus, omnes Castellani in *Stoufhen*, & alii quam plures. Actum in *Loriche* anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo octogesimo nono .VII. Kalendas Maii, Domino Friderico existente Romanorum Imperatore Augusto, Ulrico viro venerabili existente Præposito in *Adelberg*.

* In quibusdam exemp. scribitur *Madelberg*. Utroque nomine Monasterium idem designabatur *Suevia Ecclesi*. p. 1.

Charta Regis Eduüardi III. donatorum concessiones recitans & confirmans.

REx omnibus ad quos, &c. Salutem. Donationem, concessionem & confirmationen, quas Alanus *Bigot* de *Bartone*, per chartam suam, pro se & hæredibus suis, fecit Canonicis Sanctæ Agathæ juxta *Richemund* & eorum successoribus in perpetuum, de medietate unius acræ terræ, cum pertinentiis, apud *Wlfaracres* in campis de *Bartone*, & de tota terra, quæ fuit ipsius *Alani* juxta viam de *Melsamb*, propinquiorem terræ Baronis de *Kendale*, & de terra, quæ fuit ejusdem *Alani*, jacente inter terram Baronis de *Kendale*, & terram *Willielmi Perkok* de *Bartone Athelwdegate*, cum pertinentiis. Concessionem etiam & confirmationem, quas idem *Alanus* per eamdem chartam suam, pro se & hæredibus suis, fecit præfatis Canonicis & eorum successoribus in perpetuum, de tota terra, cum pertinentiis, quam iidem Canonici habuerunt in *Bartone*, ex dono *Amabilis Bigot*, matris ipsius Alani; scilicet de tota terra, quæ fuit ipsius *Amabilis* apud *Lusbon* & *Wulkacres*. Donationem (&c.) quas *Wilhelmus* de *Bartone* serviens per chartam suam, pro se & hæredibus suis fecit (&c.) de quatuor acris terræ, & medietate unius acræ Marisci, cum pertinentiis in *Bartone*. Donationem (&c.) quas idem *Willielmus* (&c.) fecit (&c.) de homagio & servicio *Hugonis Korth* & hæredum suorum, de mediate unius bovatæ terræ, cum annuo reditu unius denarii, cum pertinentiis, de eodem *Hugone* & hæredibus suis, die natalis Domini percipiendo; & de homagio & servicio *Willielmi Pylle* & hæredum suorum, de quinque acris terræ, cum annuo reditu unius denarii, cum pertinentiis, de eodem *Willielmo* & hæredibus suis, pro eadem terra die Paschæ percipiendo. Et de homagio & servicio *Rogeri Ranke* & hæredum suorum, de duabus acris terræ, cum annuo reditu unius denarii, cum pertinentiis de eodem *Rogero* & hæredibus suis, pro eadem terra, die Paschæ percipiendo. Et de homagio & servicio *Alani Lulley*, & hæredum suorum, de una acra terræ & dimidia, cum annuo reditu unius denarii cum pertinentiis, de eodem *Alano* & hæredibus suis, pro eadem terra, die natalis Domini percipiendo.

Donationem (&c.) quas idem Willelmus de *Bartone* (&c.) fecit (&c.) de toto jure (&c) in tota terra, quæ fuit quondam *Lewis*, cum pertinentiis, in *Bartone*, Donationem (&c.) quas Alanus *Bulur* de *Bartone* filius Hugonis Clerici (&c.) fecit (&c.) de uno tofto, cum exitu versùs *moram*, & de novem acris terræ cum pertinentiis, in *Bertone* Donationem (&c.) quas idem Alanus (&c) de homagio, & servicio Hugonis *Tonay* & hæredum suorum de uno tofto * quod idem Hugo de præfato Alano tenuit in *Bartone*, scilicet de annuo reditu unius denarii cum pertinentiis infra nundinas *Richemund* solvendo. Donationem (&c.) quas Alexander de *Mora* de *Bartone* (&c.) fecit (&c.) de sex acris terræ cum pertinentiis in *Barthone*. Donationem (&c.) quas Joannes Carpentarius de *Bartone* (&c.) fecit (&c.) de tota terra, quam idem Joannes tenuit de iisdem Canonicis, & de fabrica Ecclesiæ eorum cum pertinentiis in *Bartone*; & de tofto cum pertinentiis quod idem Joannes habuit in *Bertone*, & de tota terra cum pertinentiis, quam idem Joannes habuit super *Mickilmirelandes* & de tota terra, cum pertinentiis, quam habuit apud *Bladepe*, & de tota terra, cum pertinentiis, quam habuit apud le *Gares*, & de tota terra cum pertinentiis, quam habuit apud *Littelhobulandes*: Et de tota terra cum pertinentiis, quam habuit apud *Scortelande* subtus *Newtone*. Et de tota terra cum pertinentiis, quam habuit juxta molendinum de *Bartone*; & de tota terra cum pertinentiis quam habuit apud *Henbon*; & de tota terra cum pertinentiis, quam habuit juxta viam de *Melsamby*, propinquiorem terræ *Joannis Corthe*. Et de tota terra cum pertinentiis, quam habuit apud *Melsambymire*, & inter *les Kanes*, & apud *le Rodelkoll*, juxta terram prædictorum Canonicorum in utroque loco. Donationem (&c.) quas *Galfridus Pille* de *Bartone* (&c.) fecit (&c.) de tribus acris terræ, cum pertinentiis in *Bartone*. Donationem (&c) quas Alanus Filius *Rogeri Rane* de *Bartone* fecit, (&c.) de uno * messuagio cum pertinentiis in *Bartone*. Donationem, (&c.) quas idem Alanus fecit (&c.) de quinque acris terræ dimidiâ, & medietate unius rodæ, & tertia parte unius rodæ terræ cum pertinentiis in dicta villa de *Bartone*. Donationem, (&c.) quas Joannes Filius Michaëlis miles (&c.) fecit (&c)

* Locis urbibus cōfiso.

* Domus rustica

(a) Abbatia olim ord. S. B. nunc Collegiata Ecclesia habens Præpositum S. R. I. Principem: sita est secus *Saxtum* Franconiæ amnem.

(b) Vide inferius Hist. Laureacensis Monasterii.

(c) Eichenbrun Abbatia O. S. B. extra muros Gundelfingensis oppidi, & in Diœcesi Augustana à Dominis de Flachberg fundata anno 1120. & à duce Neoburgico, comite Palatino à fundamentis excisa est anno 1546. ejus proventus de summi Pontificis assensu, Delinganæ Universitati, ejusque Professoribus & alumnis addixit Wolfangus Willelmus dux Neoburgi & Palatinus Comes anno 1614.

de duabus bovatis terræ, cum prato, & omnibus aliis pertinentiis suis in *Newton-Morell*. Donationem (&c.) quas *Ricardus* le *Barbur* (&c) fecit (&c.) de duabus placeis, simul jacentibus in *Eseby*, juxta *Richemund*, cum pertinentiis. Donationem (&c.) quas Richardus *le Barbur* (&c.) fecit (&c.) de uno selione terræ, cum pertinentiis in *Eseby*, jacente in quodam loco vocato *Eseland*. Donationem (&c) quas *Henricus* Filius & hæres *Willelmi Drimale* de *Eseby*, juxta *Richemund*, (&c.) fecit (&c.) de toto mesuagio, quod fuit ipsius Henrici cum crofto adjacente, & octo acris terræ, & una roda terræ & dimidia, cum pertinentiis in *Eseby*. Donationem (&c) quas Ricardus *le Barbur* (&c.) fecit (&c.) de uno selione terræ, cum pertinentiis in *Eseby*, jacente in quodam loco vocato *Natirdale*, ratas habentes, (&c) confirmamus, (&c.) T. Rege apud *Wyndesore* xxiv. die Julii.

Ex Monastici Anglicani vol. 3. p. 648. & sequ.

Charta Gasconis de Pissiaco, quâ capellam de Alba-curiâ Canonicis Marchasii-Radulphi asserit, consentiente Guimberto Abbate Columbensi.

EGo Gasco multis precibus à venerabili Abbate Columbensi Guimberto obtinui, ut capellam *Haubecourt* quæ sui juris erat, Canonicis de *Marcheroüil* reparare & possidere permitteret, & ædificia sibi necessaria construere. Ita sanè, quòd decem agripennos, quinque videlicet in decimatione Domini Stephani de *Creperiis*,* ab omni decimæ reclamatione liberos haberent, & quidquid extra illos agripennos, sive devotione, sive emptione, sive de cultis, sive de incultis terris, aut nemoribus, Canonici in Parochia *Orgivallis** & decimatione Monachorum excolerent sine dolo, sine diminutione nunc & in perpetuum, decimas ex integro Monachis redderent; nec non in privilegii & Apostolicæ Sedis, nec ecclesiasticæ alicujus personæ, vel secularis muninine nec prece, nec violentiâ adversùs monachos uterentur: & hujus pactionis tenendæ me fidejussorem & deffensorem protestor, & hæredibus meis deffendendam sigilli mei munimine delego. His denique adjicio, quòd si illi loco Abbatem præfici constiterit, ab illo litteras istius conventionis, sigilli sui munimine roboratas, dari faciam, infra quadraginta dies; in quibus à monachis supra hoc compellatus fuerit. Hujus rei testes sunt Abbas Columbensis; Abbas de *Marcheroüil*; Abbas de *Ressons*; Robertus *Montpinçon* Prior Columbensis; Philippus Prior sancti Germani de *Leya*; Robertus de *Toreyo* Monachus; Gasco de Pissiaco, & filii ejus; Gasco & Robertus qui hoc concesserunt; Gaufridus de *Lancneriis*; & duo filii ejus Simon & Matheus; Ansellus de *Orgivalle*; Gasco de *Toreto*, & Robertus Frater ejus, & Petrus Presbyter de *Orgivalle*.

* Crespieres.

* Orgivall.

Charta Gasconis de Pissiaco, quâ Abbatia de Alba-curia fundos & alia bona confert, anno MCLXXXIV.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Noverit Deus, noverit & omnis Ecclesia fidelium, quòd ego Gasco de Pissiaco, Fundator Abbatiæ Beatæ Mariæ de *Alborum-curia*, Canonicis & Fratribus inibi Deo servientibus, dedi in eleemosynam perpetuam, totam terram, quæ est in Valle circà eorum monasterium, prata & alneta, & Vivarium a superiori via, quæ vallem dividit ex transverso, usque ad magnum fagum in pratis ultrà monasterium situm; nemus juxtà Vivarium, sicut est certis metis assignatum, & duos campos terræ supra montem, juxtà villam de *Haubecourt*. Præterea grangiam de *Creya*, (a) quæ est in loco qui dicitur *Paucum*, (b) totamque terram ad eandem grangiam pertinentem, & campi partem, & campi Amaurici de *Berbemont*, qui est juxtà viam in prædicto loco; & census campi Constantii: quin etiam quatuor modios vini singulis annis in pressoribus meis de *Fraxinis** accipiendos, qui si ibi inventi non fuerint, de alio vino meo in eadem villa perficientur: & duo sextaria bladi, & duo avenæ ab hæredibus Alardi de *Menameti* annuatim recipienda. Dedi præterea triginta solidos, ad oleum & luminaria supradictæ Ecclesiæ, de censu meo de *Fraxinis* accipiendos; quin etiam sex sextaria salis, quæ in villa mea quæ *Mansiones** dicitur, singulis annis accipientur. Dedi quoque eis quidquid habebam in molendino de *Musuellis*. Hanc piam largitionem concesserunt filii mei Gasco, Robertus, Almaricus, Galterus, Gervasius; & donum concessionis mecum super altare Beatæ Mariæ posuerunt: quæ largitio mea, ut stabilis & rata in perpetuum permaneat, eam testibus, & sigilli mei authoritate communivi. Testes Gaudefridus de *Callaveriis*, Simon & Matheus filii ejus, Girelinus de *Poncerti*, Robertus sine censu, Matheus, Marcellus de *Fraxinis*, Gualterus de *Boizemont*, Hugo *Dorgivalle* Presbyter, Joislanus Presbyter de sancta Gemma, Magister Petrus de *Cresperiis*, Stephanus *de Cresperiis*. Actum ab Incarnatione Domini millesimo centesimo octogesimo quarto, Philippo Rege Francorum, Reginaldo Cornotensi Clerico, Haimone supradicti Monasterii primo Abbate.

* Fresnes.

* Maison Château.

Charta Compositionis inter Euphemiam Altæ Bruerie Priorissam Ordinis Fontis-Ebraldi, & Guimbertum Abbatem Columbensem, nec non & inter Gasconem de Pissiaco, super Capellâ de Habecourt. Anno 1180.

EGo Euphemia Ecclesiæ sanctæ Mariæ de *Altabruiera*,* humilis Priorissa, & totus ejusdem loci fratrum & sororum Conventus, tam præsentibus quàm futuris Notum fieri volumus compositionem illam quæ facta est inter Columbensem* Ecclesiam & nostram, super Capellâ de *Haubecourt*. Capellam istam quidam miles, Albericus nomine, qui eam in fundo suo ædificaverat, nobis donaverat: quam cùm vellemus, ut pote nostram, possidere, Monachi Columbenses tam ex dono militis prædicti, quàm ex jure Parochiali Ecclesiæ de *Orgivalle*, ad jurisdictionem suam dixerunt pertinere. Cùm igitur inter nos, & præfatos Monachos super hoc negotio controversia versaretur: vir venerabilis Gasco de *Pissiaco* mediatoris functus est officio: quæsivit quomodo inter duas Ecclesias, sine utriusque dispendio componeretur; modus compositionis fuit talis.

* Hautes-Bruieres.

* Vulgo *Colomb.* Diœcesi Carnot.

Vir Reverendus Guimbertus* Abbas Ecclesiæ Columbensis; assensu totius conventûs sui, quidquid in capella præfata habebat, cum decima decem Agripennorum, quinque videlicet ex parte Stephani de *Cresperiis*, & quinque de sua, Ecclesiæ nostræ concessit, salvo tamen Ecclesiæ de *Orgivalle* jure parochiali. Erant autem hi decem Agripenni infra metas assignatas, à superiore videlicet valle usque ad duas arbores subtùs designatas. De aliis terris omnibus quæ sunt in decimatione Columbensis Ecclesiæ, & hoc quod nos poterimus, tàm in plano, quàm in nemore ad culturam pertrahere; reddemus decimas Columbensi Ecclesiæ, & hoc faciemus sine fraude, sine diminutione, sine dolo, sine contentione, nec

* Successit Gaudfrido.

(a) Creya, mot qui signifie une certaine espace de Pays nommé Creyë.

(b) Paucum, le Poulx, Ferme de l'Abbaye d'Abbecourt.

unquam alicujus Romani privilegii, quod habemus, vel in futuro habituræ sumus, authoritate munitæ, vel aliquâ terrenâ potestate fulcitæ, resiliemus ab hac compositione. Hujus rei testes sunt Gasco de *Pissiaco*, Gualerinus socius ejus, Albericus de *Haubecourt*, Gautherus de *Bazemont*, hi sunt milites: Garinus Latunacensis * Ecclesiæ Abbas, Gervagonus Neaslensis * Monachus, Gaudrifridus Prior Altæbrueriæ: Paganus de *Fulcosa* Clericus, Stephanus de *Cresperiis* Burgensis. Actum est hoc anno Incarnati Verbi millesimo centesimo octuagesimo; & ad majorem istius rei confirmationem, Ego Maria Dei nutu *Fontis-Bellæ* * Abbatissa, sigillum nostrum præsenti Chartæ superaddidimus, & compositionem concedimus.

* Poto Latiniacensis Vulgo *Lagny* Diœcesf. Paris.

* Vernaculé *Neausl*, les vieux. Diœcesf. Carnot.

* Nullum lego parthenonem hujus nominis. *Bellum Fontem* invenio in Rupellen. Diœcesi, sed virile Monasterium Ord. S. B.

Arnulphus Abbas Marchasii-Radulphi acceptat fundationem Alba-curia.

EGo Arnulphus Dei gratiâ Abbas de Marchasio-Radulphi, notum fieri volo tam præsentibus, quàm futuris, quòd venerabilis Guimbertus Ecclesiæ Columbensis Abbas, assensu totius sui Capituli, capellam de *Haubecourt*, quam quidam Miles Albericus nomine, in fundo ædificaverat, & Monachis Columbensibus donaverat, cum decima decem agripennorum, quinque videlicet ex parte Stephani de *Cresperiis*, ipso concedente, & quinque ex sua, precibus Domini Gasconis de Pissiaco, Abbatia de *Marcheroüil* concessit, salvo tamen Ecclesiæ de *Orgivalle* jure parochiali, extrà mansiones, quas ibi facient Canonici nostri, & hortos, & virgulta, fratres quoque nostros & sorores, & reliquam nostram familiam excepto presbytero Parochiano, & armenta nostra & pecora, ab omni jure parochiali & decimatione, ubicumque maneamus, libera tenemus. Erant autem hi decem agripenni inter illam Capellam & villam Orgivallis, citrà rivulum à parte montis, in quo sita est eadem villa. De cæteris siquidem terris cultis aut incultis, aut nemoribus, dono seu emptione in illa Parochia, & decimatione comparatis, nunc & in perpetuum decimationem Monachis ex integro reddemus, nec unquam alicujus Romani Privilegii nec alicujus ecclesiasticæ personæ, nec secularis munimine fulciti, quod in suis Abbatiis, seu de *Premontré*, quæ aliarum Abbatiarum Ordinis mater est, & origo, si habeamus, sive in futuro habituri sumus, ab hac conventione resiliemus. Ut hanc conventionem firmiter in perpetuum teneamus, sigilli nostri munimine roboramus, & ipsum Dominum Gasconem de Pissiaco plegium de hoc contradidimus: & si fortè illi loco Abbatem præfigimus, ab illo litteras hujus conventionis dare faciemus infra quadraginta dies. Quibus testes sunt Abbas Columbensis, Abbas de *Resons*, Aymo hujus loci prior, Robertus de *Montpinçon* Prior Columbensis, Philippus Prior Sancti Germani de *Leya*, Robertus de *Ybreio*, Renaldus Prior Sancti Cosmæ, Petrus Presbyter *Orgivallis*, Dominus Gasco de Pissiaco, & filii ejus Gasco & Robertus, qui hoc concesserunt, Gaudefrinus de *Cavenariis*, & duo filii ejus Simon & Matheus, Anselmus de *Orgivalle*, Gasco de *Toreto* & Robertus Frater ejus & Petrus d'*Yssy*.

Privilegia & Beneficia à Gascone & Amalarico de Pissiaco, Ecclesia Alba-curia concessa, renovantur.

NOverint omnes tam præsentes quàm futuri quod Dominus Vascho de Pissiaco fundator Abbatiæ de *Haubecourt* quitavit à pedagio & omni consuetudine prædictam Abbatiam per totam terram suam & aquam, & hanc largitionem concessit Dominus Vascho filius ejus, & omnes fratres sui. Præterea Dominus Vascho pro anima patris sui, & matris suæ, dedit in perpetuam eleemosynam supra-dictæ Abbatiæ unum sextarium nucum apud *Bettemontem* * annuatim percipiendum. Hoc etiam concessit etiam Almaricus Frater ejus cujus est terra *Bettemontis*. Concessit etiam Dominus Vascho Fratribus supra-dictæ Abbatiæ jura piscatoriæ in Vivario suo de *Fraxinis* pro anniversario matris suæ singulis annis in perpetuum faciendo, cum piscatio perpetuò fiet, & ne alicujus malignitate contradici possit, sigilli sui impressione firmare curavit, his testibus Petro de *Orgeval* Sacerdote, Joislano de Sancta Gemma *, Alcano de *Fraxinis*.

* Bettemont.

* Ste. Gemme.

Pacta & concordata inter Filios & heredes Amalerici de Pissiaco. 1225.

EGo Amalericus de Pissiaco Miles. Notum facio universis præsentes litteras inspecturis, quod Gualtero filio meo qui duxit in uxorem Isabellam filiam Domini Symeonis de *Livies* dedi in maritagio centum & viginti libras terræ, scilicet quidquid habebam apud *Musgnes*, & nonaginta libras apud Meduntam, ita quod ab instanti Festo Sancti Andreæ in antea, Ille qui ex parte mea ibi erit, faciet fidelitatem ipsi Galtero qui reddet ei quidquid exiet à dicta terra *Medante*, usque ad quinque solidos donec perfecerit eidem Galtero nonaginta libras, & post decessum meum concessi ut habeat totum jus suum in tota terra mea, & terrâ matris suæ, tanquam ante natus. Si verò filiam dicti Simonis mori sine hærede contigerit (quod Deus avertat) dictus Simon aut hæredes sui tenebunt dictam terram donec trecentas libras ex ea levaverit, et si Galterum filium meum mori sine hærede contigerit dicta Isabella uxor sua tenebit medietatem dictæ terræ pro sua dote, & alteram medietatem donec ex ea levaverit trecentas libras, & super iis conventionibus tenendis posui in plegium Dominum Gasconem de Pissiaco, de cujus feodo est dicta terra, & præsentes litteras sigillo meo sigillavi. Ego autem Dominus Gasco de Pissiaco ad petitionem dictorum Amalerici avunculi mei, & Galteri filii sui, has conventiones volui & concessi, & de his solvendis plegius fui & garantisator, & ut hoc certum sit & stabile, sigillo meo præsentes litteras sigillavi. Actum anno gratiæ millesimo ducentesimo vigesimo quinto. mense Maio.

Approbat Bochardus de Monte-Moranciaco donationem octo librarum factam à sorore sua Alvia, uxore Gasconis de Pissiaco, Alba-curia 1238.

EGo Bochardus Miles, Dominus *Montis-Moranciaci.* * Notum facio omnibus præsentes litteras inspecturis, quod ego volo, laudo & concedo legatum quod Nobilis Mulier Soror mea defuncta Alvia, quondam uxor Gasconis de Pissiaco militis, fecit pro salute animæ suæ & antecessorum suorum, Viris Religiosis, Abbati & Conventui de Alba-curia Præmonstratensis Ordinis: videlicet de octo libris parisiensibus annui redditûs, singulis annis in crastina omnium Sanctorum percipiendis, ab eisdem Abbate & Conventu, in traverso cujusdam insulæ sitæ propè Sanctum Dionisium quæ dicitur *Castelier*, quod ut ratum sit & firmum, Ego B. prædictus miles, prædicti feodi principalis Dominus, ad petitionem supra-dicti Gasconis militis præsentes litteras sigilli mei munimine roboravi. Datum anno Domini millesimo ducentesimo tricesimo octavo. mense Decemb.

* Montmorancy.

Commutatio quinque modiorum Vini in viginti quinque Solidos pro anniversario Evæ uxoris Almarici de Pissiaco. 1207.

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis Amen. Ego Amauricus de Pissiaco, notum facio præsentibus & futuris, quod ego in recompensatione quinque modiorum vini quos Canonici de *Hanbecourt* habebant in pressoriis meis de *Mulmans*, assignavi eis viginti & quinque Solidos in reddita quem hæreditario jure possideo in portu de *Melunt*, & viginti solidos pro anima Evæ uxoris meæ, singulis annis in festo Sancti Andreæ integrè & absque dilatione percipiendos, quod ut ratum permaneat præsentem paginam sigilli mei impressione volui roborari, cujus rei testes sunt Gasco de *Thorota*, Petrus de *Chaneveriis*. Robertus de *Trenel*. Actum apud *Hanbecourt* in Capitulo, toto præsente conventu, anno ab Incarnatione Domini.

Charta Ludovici IX. Regis Francorum, confirmativa donationum à Simone de Pissiaco factarum Alba-curia. 1244.

LUdovicus Dei gratiâ Francorum Rex. Noverint universi præsentes pariter & futuri, quòd nos venditionem, quam dilectus & fidelis noster Simon de Pissiaco senior, fecit dilectis nostris Abbati & conventui Albæ-curiæ Præmonstratensis Ordinis, de quatuordecim arpentis terræ arabilis; sitis juxta terram eorumdem Abbatis & Conventûs propè territorium grangiæ eorumdem *Du Pon*, quæ quatuordecim arpenta terræ de feodo nostro movent, pro quinquaginta libris parisiensibus eidem Simoni solutis in pecunia numerata, prout in litteris ejusdem Simonis super hoc confectis vidimus contineri: volumus, concedimus, & ratam habemus; & in hujus rei testimonium, ad petitionem præfati Simonis, sigillum nostrum præsentibus litteris duximus apponendum. Actum apud Villam-novam Sancti Georgii anno Domini millesimo ducentesimo quadragesimo quarto, mense Septembri.

Charta Recognitionis Instrumentorum Fundationis & Dotis Abbatiæ de Alnewick, per Henricum de Percy Comitem Northumbriæ, è Benefactorum genere satum.

HEnricus *Percy* Comes Northumbriæ, Dominus honorum de *Cokirmouth* & *Petworth*, Dominus de *Percy*, *Lucy*, *Poynyngs*, *Filzpaine*, & *Wryanem*, ac Guardianus Generalis Orientalium & mediarum Marchiarum Angliæ, versûs partes Scotiam, ac Inclitissimi Ordinis Garterii miles, omnibus & singulis ad quos præsentes litteræ pervenerint salutem.

Noveritis nos præfatum Comitem inspexisse quamdam chartam confirmationis Domini Henrici *Percy*, quinti Domini de *Alnewik*, factam Abbati & Conventui de *Alnewik*, & eorum successoribus, in hæc verba.

Universis Sanctæ Matris Ecclesiæ filiis, tam futuris, quàm præsentibus, præsentes litteras inspecturis, Henricus Dominus de *Percy*, quintus Dominus de *Alnewik*, salutem in Domino: Noveritis nos inspexisse chartam Eustachii filii Joannis, fundatoris Abbatiæ B. Mariæ de *Alnewik*, quam fecit Abbati & Conventui ejusdem loci, in hæc verba.

Charta fundationis Alnewikii.

Eustachius filius Joannis, Villelmo Episcopo Dunelmensi, & Capitulo, & Archidiaconis, & omni Clericatui Episcopatûs *Dunelmi*, & omnibus suis Clericis, & Laïcis, Francis, & Angliçis, totius terræ suæ de *Northumberland*, omnibusque filiis Sanctæ Dei Ecclesiæ salutem. Scitote me dedisse, concessisse, & hâc meâ charthâ confirmasse Deo & Canonicis de *Alnewik*, qui sunt de Ordine Præmonstratensis Ecclesiæ, pro salute animæ meæ, & remissione peccatorum meorum; nec non pro salute animæ Patris mei, & pro anima Yvonis de *Vescy* & omnium Antecessorum meorum, & pro salute Villelmi de *Vescy* filii mei, & omnium puerorum meorum, Ecclesiam de *Lesbury*; cum omnibus appenditiis suis & nominatim cum Capella de *Howghton*, & cum Capella de Sancto Walerico, & omnibus decimis ad illud pertinentibus, & nominatim cum omnibus decimis de dominiis meis de *Lesseburg* & *Hoghton*; scilicet de bladis, & salinis, & de molendinis meis; & Capellam de *Alnewik*, cum omnibus appendiciis suis, ad Abbatiam fundandam, cum omnibus decimis dominiorum meorum, & molendinorum meorum de *Alnewik*: & totam villam de *Hueclif*, cum medietate hominum ejusdem villæ, in mora, & in plano, sicut via vadit de *Alnewik* versûs *Rok* in manu sinistra, usque ad divisas de *Rok*, cum bosco pertinente ad eandem villam; scilicet ab *Hindone*, usque in *Alnam*: & cum his, duas partes de decimis totius dominii mei de *Tughala*, in blado, & in molendino, & cunctis aliis rebus ejusdem dominii. Et similiter duas partes de decimis de dominio meo, & molendino de *Newham*, & de omnibus aliis rebus ejusdem Dominii. Et duas partes de decimis, de dominio, & molendino, & de cunctis aliis rebus de *Chertone*. Et de *Alneham* duas partes de decimis, de dominio & molendino, & cunctis aliis rebus ejusdem dominii: & omnes decimas de piscariis meis, & de Cervis, Bissis, & Porcis, quos canes mei capient de motu meo: & duas partes de decima equarum mearum, dum extrà Parochiam de *Alnewik* fuerint. Et unam mensuram in burgo de Sancto Walerico, & de *Heysend* de decimis *Arnulfi* duas partes. Quare volumus, & concedimus, & firmiter præcipimus, quòd prædicti Canonici hæc omnia prædicta habeant, teneant & possideant benè, in pace, & honorificè, liberè, & quietè, in propriam Eleemosynam. & præterea concedimus, & chartâ nostrâ confirmavimus Ecclesiam Sancti *Wilfridi de Gysnes*, quam Richardus *Tysone* eisdem Canonicis dedit in perpetuam Eleemosynam, cum mensura una, & duabus bovatis terræ in eadem villa; & cum *haghle*, ubi est Ecclesia, cum *Ridleia*, & cum *Morwikhalghe*, sicut Richardus eis concessit: & de bosco suo, quantùm potuerint & voluerint exarare, & molere ad molendinum suum, sicut multuræ; & facere molendinum in feodo suo, super *Cochet*, si potuerint: & unam Salinam in *Werkwordia*. Testibus Hugone Sacerdote de *Tughala*, & Patric. Willelmo Capellano, & *Archill* Sacerdote, Bernardo Clerico, Stephano de *Dunelm*, Richardo, *Tysone*, *Papady*, Rogero, *Malcall*, Richardo de *Rok*, Ada *Murdack*, Ada Vicecomite, Radulpho de *Fung*, Villelmo *Tysone*, Waltero Filio *Mayn*, Yvone de *Vescy*, Arnulpho de *Morwic*, Roberto Puero, Arnulpho de *Heysende*.

Item inspeximus quandam Chartam Willelmi de *Vesci*, filii Eustachii, filii Joannis, factam eisdem Abbati & Conventui in hæc verba. H. Dei gratiâ, Dunelm. Episcopo & Archidiaconis ejusdem Ecclesiæ, & omnibus Sanctæ Matris Ecclesiæ filiis, tam futuris, quàm præsentibus Villelmus de *Vescy*, salutem: sciatis me dedisse, concessisse, & hac meâ chartâ confirmasse Deo, & Ecclesiæ S. Mariæ de *Alnewick*, & Canonicis Ordinis Præmonstratensis,

ibidem Deo servientibus, Ecclesiam de *Chetton*, cum omnibus pertinentiis suis, in liberam & perpetuam Eleemosynam, pro salute animæ meæ, & Patris mei Eustachii, & Matris meæ Beatricis, & antecessorum meorum. Quare volumus, &c. His testibus Galfrido Capellano de *Alnewick*, Matthæo & Galfrido Capellanis Castelli de *Alnewick*, Joanne Vicecomite, Hugone de *Moriwic*, Willelmo *Tysone*, Valtero, *Batail*, Richardo *Mantelande*, Germano *Tysone*, Simone *Lucres*, Radulpho *Brunne*, Heliâ *Brunne*, Waltero de *Maners*, Rogero de *Eslington*, Villelmo de *Muschampes*, Radulpho de *Roces*, Reginaldo.

Inspeximus etiam aliam chartam ejusdem Willelmi, factam iisdem Abbati & Conventui, in hæc verba. H. Dei gratiâ Dunelmensi Episcopo, & Archidiacono ejusdem Ecclesiæ, & omnibus Clericis Northumbriæ, & Laïcis, cunctisque Sanctæ Matris Ecclesiæ Filiis, Villelmus de *Vescy*, salutem. Notum vobis omnibus fiat, nos dedisse, & concessisse Abbatiæ de *Alnewick*, & Canonicis ibidem Deo servientibus, Ecclesiam de *Chaulingham*, in perpetuam Eleemosynam. Testibus his, scilicet, Alano Clerico de *Hesebrugia*, Thoma de *Maners*, Hugone Sacerdote de *Chetton*, Galfrido de *Valoines*, & Arnulpho Dapifero.

Inspeximus etiam aliam chartam ejusdem Willelmi de *Vescy*, factam prænominatis Religiosis Viris in hæc verba. Henrico Dei gratiâ Dunelm. Episcopo, & Archidiacono ejusdem Ecclesiæ, & omnibus Sanctæ Matris Ecclesiæ Filiis, Villelmus de *Vescy* salutem. Sciatis me concessisse, & præsenti chartâ nostrâ confirmasse Deo, & Ecclesiæ Sanctæ Mariæ *Alnewick*, & Canonicis Ordinis Præmonstratensis ibidem Deo servientibus, Ecclesiam de *Alneham*, cum omnibus pertinentiis suis, in liberam & perpetuam Eleemosynam, pro salute animæ nostræ, & Patris nostri Eustachii, & Matris nostræ Beatricis; necnon & omnium Antecessorum nostrorum. Quare volumus, &c. His testibus, Petro de *Roos*, Waltero de *Bolbec*, Thoma de *Muscampes*, Willelmo de *Vescy*, Ada de *Carl*, Radulpho Filio *Mayne*, Radulpho *Brunne*, Thomâ de *Boiesdone*, Simone de *Hausell*, Rogero de *Rembell*.

Bulla Clementis VI. pro Celebratione Festi Sanctæ Gertrudis. Anno 1348.

CLemens Episcopus, Servus Servorum Dei, Dilectis in Christo filiabus Magistræ & Conventui Monasterii de *Aldenburg* Præmonstratensis Ordinis, Diœcesis Treverensis, salutem & Apostolicam benedictionem. Licet is de cujus munere venit, ut sibi à fidelibus suis dignè ac laudabiliter serviatur, de abundantia pietatis suæ, quæ merita supplicum excedit & vota, bene servientibus multò majora retribuit, quàm valeant promereri; nihilominùs tamen desiderantes Domino populum acceptabilem fideles Christi ad complacendum, & quasi quibusdam illectivis muneribus, invocatione Sanctarum scilicet Dei dilectarum indulgentiis & remissionibus invitantes, ut exinde reddantur divinæ gratiæ aptiores. Cupientes igitur ut Ecclesia vestra, tùm ob reverentiam gloriosæ Virginis, sub cujus honore, sicut asseritis, est fundata, ac in qua Beata illa Gertrudis Filia Sanctæ Elizabeth Landgraviæ Hassiæ, mirâ sanctitatis laude Deo creatori suo inservivit, sepulta & exaltata est; tùm etiam ob devotionem, quam Charissimus in Christo Filius noster Ludovicus (a) Illustris Rex Romanorum, aliique nobiles illarum partium, ergà ipsam Beatam Gertrudem quondam Magistram vestram habent, congruis honoribus frequentetur, & solemnizetur; vestris, illorumque precibus devotis inclinati, concedimus, & volumus ut annuatim in die S. Hypolyti, Natalem Beatæ Gertrudis publico officio celebriter in Missis & Horis Canonicis de Communi Virginum, peragatis, & celebretis; insuper vobis omnibusque Natalem ejus celebrantibus, qui etiam vestram Ecclesiam in Profesto & Festo ejus, similiter & in festivitatibus gloriosæ Virginis Mariæ venerabiliter visitaverint, ac toties, quoties ad Sepulcrum Beatæ Gertrudis sæpiùs memoratæ quinquies *Pater* & *Ave* recitaverint, vel Horas Canonicas de ea celebrarint, & ad minùs contriti fuerint, de unaquaque Hora Canonica, de Omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus autoritate confisi, quadraginta dies de injunctis sibi pœnitentiis misericorditer relaxamus. Datum Avenione XV. Kalendas Januarii Pontificatûs nostri anno septimo.

Diploma Henrici VI. Imperatoris, quo Bona Monasterii Altenbergensis ponit sub sua tutela, & Advocatum se profitetur illius.

HEnricus Dei gratiâ Romanorum Imperator semper Augustus. Imperatoriæ Majestatis convenit æquitati, Pauperibus Christi ad Justitiam præesse, & pacem, ut qui ad sinum protectionis nostræ confugiunt, ne pravorum hominum agitentur molestiis, Imperiali benignitate protegantur. Ea propter Notum sit omnibus fidelibus nostris, quòd nos divinæ renumerationis intuitu, Monasterium in *Altenberg*, cum omnibus Personis ibidem Deo servientibus, in specialem nostræ sublimitatis protectionem recepimus, cum omnibus donis quæ nunc possident, aut in posterùm justo acquisitionis titulo poterunt adipisci. Recognoscimus autem eidem Ecclesiæ, quòd Advocatum habere non debet præter nos, & nostros Successores Romani Solii Rectores, & hoc ex pia Serenissimi Patris nostri Friderici quondam Romani Imperatoris Augusti donatione, & nostra ad ipsius Ecclesiæ commodum & profectum Imperatoria concessit largitio. Statuimus igitur, & imperiali Edicto sancimus, ut nullus eos in personis, aut rebus molestare præsumat: Mandantes & præcipientes universis Ministerialibus nostris circa partes illas constitutis, ut eis consilio simul & auxilio fideliter assistant, & à turbatoribus suis tueantur. Datum *Geilenhausen* *, VII. Kal. Augusti.

* Castrum in veteriora Rheni inferioris septem millioribus distans Francofurto, positum adversus Kinzu.

Diploma Regis Romanorum Willelmi in eundem finem. 1255.

VIllelmus Dei gratiâ Romanorum Rex semper Augustus. Universis Sacri Imperii fidelibus hanc paginam inspecturis gratiam suam, & omne bonum. Cùm ab Imperialis & Regiæ Serenitatis potentia pia loca reguntur & reformantur in melius, ubi sacra Religio Regi Regum & Domino famulatur, tunc proculdubio Imperialis & Regius status à brachio divinæ protectionis adjutus, protegi potest fortiter, & faciliùs gubernari. Sanè precibus dilectarum nostrarum Magistræ, & Conventûs Monasterii de *Altenberg* benignis precibus in-

(a) Mirum quod Clemens VI. Ludovicum exautoratum & anathemate Confossum ab eo 12 Aprilis 1343. & 1345. ipsoque rebellem, apellet *dilectissimum Filium*; & *Romanorum Regem* nuncupet, cui æmulum dederat Carolum Luxemburg. ab ann. 1346

clinati, ne pravorum hominum molestiis agitentur, Monasterium ipsum, & Personas in ipsa Domino famulantes, ad imitationem Divorum Imperatorum & Regum Prædecessorum, nostrorum, cum omnibus bonis, quæ nunc possident, aut in posterum justis modis poterunt adipisci, sub protectionem sublimitatis nostræ recepimus, specialem. Recognoscimus insuper, & præsentibus protestamur quòd Advocatum alium, nisi Nos, & legitimos successores nostros habere debent, prout eis à Prædecessoribus nostris fuit Imperiali authoritate concessum; statuimus igitur, & præsenti Edicto sancimus, ut nullus eos in personis, vel rebus molestare præsumat, sed ipsos ab eorum turbatoribus tueantur: & hoc universis Ministerialibus nostris in illis terminis constitutis, præcipiendo mandamus, ut eis, cùm requisiti fuerint, assistant auxilio, consilio & favore. Datum Spiræ v. Kal. Martii, Indict. XIII. Anno Domini MCCLV. (a)

Diploma Richardi Imperatoris in eundem finem. Anno 1263.

RIchardus (b) Dei gratiâ Romanorum Rex semper Augustus Universis S. I. R. fidelibus hanc paginam inspecturis gratiam suam & omne bonum. Cum Regalis dignitas omnium Religionum genera sub umbra protectionis suæ manu tenere debeat, & specialiter deffensare dicatas Domino Personas, quæ maritalibus spretis connubiis, sponsum Jesum Christum accensis sequuntur lampadibus, tantò debemus propensiùs nostro communire præsidio, & earum commoditatibus intendere vigilanter, quantò magis eorum conditio, & sexus fœminæ evidentiùs noscitur indigere. Sanè precibus dilectarum nostrarum Magistræ & Conventûs Monasterii de *Altenberg* benignis precibus inclinati, ne pravorum hominum molestiis agitentur, Monasterium ipsum, & Personas in ipso Domino famulantes, ad imitationem Divorum Imperatorum & Regum Prædecessorum nostrorum, cum omnibus bonis quæ nunc possident, aut in posterum justis modis poterunt adipisci, sub protectionem Sublimitatis nostræ recipimus, specialem. Recognoscimus insuper, & præsentibus potestamur, quòd alium Advocatum, nisi Nos, & legitimos Successores nostros habere non debent, prout eis à nostris Prædecessoribus fuit Imperiali authoritate concessum. Statuimus igitur, & præsenti Edicto sancimus, ut nullus eas in personis, vel rebus molestare præsumat, sed ipsas à quorumlibet turbationibus tueantur: & hoc universis Ministerialibus nostris in illis terminis constitutis, præcipiendo mandamus, ut eis, cum requisiti fuerint, assistant auxilio, consilio & favore.

Datum *Frankfort* XVII. die Septembris, Indict. VI. Anno Domini MCCLXIII. Regni nostri VI.

Diploma Rudolphi Imperatoris I. innovans & confirmans Henrici VI. Diploma 1274.

RUdolphus Dei gratiâ Romanorum Rex semper Augustus. Regalis excellentia tunc sui nominis titulos ampliat, & extollit, cùm loca divino cultui dedicata, & Personas ibidem Domino famulantes benigno favore prosequitur, ac earum justis petitionibus favorabiliter se inclinat. Noverit igitur præsens ætas, & successura posteritas, quòd accedentes ad nostræ Majestatis præsentiam Sorores Monasterii in *Altenberg* nobis humiliter supplicarunt, ut Privilegium ab Henrico quondam Romanorum Imperatore antecessore nostro eis indultum, vellemus de benignitate Regia confirmare, cujus quidem Privilegii tenor talis est.

Henricus Dei gratiâ Romanorum Imperator semper Augustus. Imperatoriæ Majestatis convenit æquitati Pauperibus Christi ad justitiam præesse & pacem, ut qui ad sinum protectionis nostræ confugiunt, ne pravorum hominum agitentur molestiis, Imperiali benignitate, protegantur. Eapropter notum sit omnibus fidelibus nostris, quòd nos divinæ renumerationis intuitu, Monasterium *Altenberg* cum omnibus personis ibidem Domino servientibus in specialem protectionis nostræ protectionem suscepimus, cum omnibus bonis, quæ nunc possident aut in futurum justo acquisitionis titulo poterunt adipisci. Recognoscimus autem eidem Ecclesiæ, quòd Advocatum habere non debet præter Nos & nostros Successores Romani Solii Rectores, & hoc ex pia serenissimi Patris nostri Friderici quondam Romani Imperatoris Augusti donatione, & nostrâ ad ipsius Ecclesiæ commodum & profectum Imperatoria concessit largitio. Statuimus igitur, & Imperiali Edicto sancimus, ut nullus eos in Personis, aut rebus molestare præsumat, mandantes & præcipientes universis Ministerialibus nostris circa partes illas constitutis, ut eis consilio, simul & auxilio fideliter assistant, & à turbatoribus teneantur.

Datum *Geilenhausen* 7. Kal. Augusti.

Nos igitur prædictarum Sororum devotis supplicationibus inclinati, omnes gratias & libertates in supra-scripto Privilegio positas, & expressas, dicto Monasterio concedimus, innovamus, ac authoritate præsentium confirmamus. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc nostræ concessionis & confirmationis paginam infringere, vel ei ausu temerario contraire. Quod qui facere præsumpserit, gravem nostræ Majestatis indignationem se noverit incursurum. In cujus rei robur, & perennem memoriam, præsens scriptum exinde conscribi, & nostræ Majestatis sigillo jussimus communiri.

Datum *Lutre* 9. Septembris, Indict. 2. Anno Domini MCCLXXIV. Regni verò nostri anno 1°.

Diploma Rudolphi I. Imperatoris, quo Altenberga Naviculam in Fluvio Lonâ, adpiscationem concedit. 1284.

RUdolphus * Dei gratiâ Romanorum Rex semper Augustus. Universis S. I. R. fidelibus præsentes litteras inspecturis, gratiam suam, & omne bonum. Virtutum candor eximius & meræ fragrantia sanctitatis, quibus honorabiles & Religiosæ Personæ Magistra & Conventus de *Altenberg* dilectæ nostræ devotæ, se Deo reddunt placitas, & hominibus gratiosas, sic nos reficit in intimis, quòd ad omnia quæ noverimus consona votis suis, semper volumus benevoli inveniri: Et ideo hanc gratiam duximus ipsis faciendam, quòd in Fluvio, qui *Lona* dicitur, unam naviculam pro piscatoribus suis, & aliis usibus quibuscumque, perpetuò habere valeant liberè & quietè. In cujus rei testimonium præsens scriptum exinde conscribi, & Majestatis nostræ sigillo fecimus communiri.

* De Habsbourg.

Datum Spiræ IV. Kal. August. Indict. 12. Anno Domini MCCLXXXIV. Regni verò nostri anno XI.

(a) Is fuit vitæ Guillelmi de Hollandia, annus penultimus.

(b) Dux Cornubiæ antea.

Declaratio & Atteſtatio Henrici Landgravii Haſſiæ, quâ recognoſcit Comites de Salmis, ex propria eorum Confeſſione, nullum habere jus Advocatiæ in Altenberg. 1270.

*Henricus I. cognomēto *Infans*, Henrici II. Brabantiæ & Haſſiæ Ducis Filius ſecundus, Haſſiæ Ducatum à Patre obtinuit, & ſurculum Domûs Haſſiæ conſtituit primus. Aleidem Brunſvicenſem deſpoſaverat ſibi, ex qua filios nactus Joannem & Ludovicum.

HEnricus * Dei gratiâ Landgravius, & Haſſiæ Dominus, omnibus præſentes litteras intuentibus, ſalutem, & fidem præſentibus adhibere. Quoniam labilis eſt memoria hominum, & ea quæ in tempore geruntur, ex facili in oblivionis præcipitium dilabuntur. cautum eſt ut acta digna memoriæ, ſcripturæ ſuffragio, ſubſcriptionibus teſtium, & ſigillorum appenſionibus roborentur. Innoteſcat igitur univerſis præſentis inſtrumenti ſeriem inſpecturis, quòd cùm inter dilectam Matrem noſtram Magiſtram in *Altenberg*, (*a*) & Clauſtrum ſuum ex una parte, & Comites de *Solmezé* ex altera, ſuper jure Advocatiæ in monte ipſius Clauſtri, quam ipſi Comites vindicare ſibi quodam modo nitebantur, controverſiæ materia verſaretur, collectâ ſuper his die placiti & obſervatâ, coram nobis requiſiti fuerunt dicti Comites, quid petere intenderent, vel proponere adverſus Clauſtrum ſupra-dictum: qui reſpondentes in præſentia multorum fide dignorum, publicè recognoverunt ſe in ipſo Clauſtro jus Advocatiæ nullum penitùs obtinere, imò quòd ipſam Eccleſiam vellent ſemper in omnibus promovere. Acta ſunt hæc coram nobis in *Altenberg*, viris idoneis præſentibus, & in teſtibus deputatis, videlicet Domino Abbate de *Romerſtorph*; Item Eberuvino Advocato, Conrado de *Cruſtele*, Danaro & Philippo militibus Caſtrenſibus in *Cals-munde*. Item Adolpho dicto de *Huchilheim*, Machario de *Linſbus*, Conrado de *Cartenbach* militibus Caſtrenſibus in *Gretzm*. Item Hermanno dicto Vitalo milite de *Wittershuſin*. Item Gerberto Advocato Wetzflariens. Item Conrado de *Driedorff*, & Henrico Fratre ſuo, & Kardo & Brunone Scabinis Wetzflarienſibus. Ne autem ſuper his legitimè celebratis in poſterùm dubitationis ſcrupulus exoriri valeat vel diſſentionis alicujus ſcintilla ſcuſſitari, ſigillum noſtrum, unà cum ſigillo *Dominæ Matris meæ*, quæ etiam nobiſcum præſenti ordinationi interfuit, & ſigillo Sifredi Comitis de *Witchinſtein*, qui ſimiliter præſens aderat, nec non Caſtellani de *Callmund*, & Civitatis Vetzflarienſis ſigillis, præſenti litteræ eſt appenſum. Datum anno Domini MCCLXX. menſe Novembri, Pridiè nonas ejuſdem menſis.

Renovatio Privilegiorum Henrici VI. Rodolphi I. facta per Adolphum, anno 1293.

* De Naſſovia.

ADolphus * Dei gratiâ Romanorum Rex ſemper Auguſtus. Regalis exellentia tunc ſui nominis titulos ampliat & extollit, cum loca divino cultui dedicata, & Perſonas ibidem Domino famulantes benigno favore proſequitur, ac eorum juſtis petitionibus favorabiliter ſe inclinat. Noverit igitur præſens ætas, & ſucceſſura Poſteritas, quod accedentes ad noſtræ Majeſtatis præſentiam Sorores Monaſterii in *Altenberg*, nobis humiliter ſupplicarunt, ut Privilegia ab inclytæ recordationis Henrico Romanorum Imperatore, Prædeceſſore noſtro, & Rudolpho Romanorum Rege Anteceſſore noſtro, eis indulta vellemus de benignitate Regia confirmare, quorum Privilegiorum, hujus modi eſt Tenor.

Henricus Dei gratiâ Romanorum Imperator ſemper Auguſtus. Imperatoriæ Majeſtatis convenit æquitati, Pauperibus Chriſti ad juſtitiam præeſſe & pacem, ut qui ad ſinum protectionis noſtræ confugiunt, ne pravorum hominum agitentur moleſtiis Imperiali benignitate protegantur. Eapropter notum ſit omnibus fidelibus noſtris, quod nos divinæ renumerationis intuitu, Monaſterium in *Altenberg* cum omnibus perſonis ibidem Domino ſervientibus in ſpecialem noſtræ ſublimitatis protectionem ſuſcepimus, cum omnibus bonis, quæ nunc poſſident, aut in poſterùm, juſto acquiſitionis titulo poterunt adipiſci. Recognoſcimus autem eidem Eccleſiæ, quòd Advocatum, habere non debet, præter Nos, & noſtros Succeſſores Romani Solii Rectores, & hoc ex pia Sereniſſimi Patris noſtri Friderici quondam Romani Imperatoris Auguſti donatione, & noſtra ad ipſius Eccleſiæ commodum & profectum Imperatoria conceſſit largitio. Statuimus igitur, & Imperiali Edicto ſancimus, ut nullus eos in rebus aut Perſonis moleſtare præſumat: Mandantes & præcipientes univerſis Sacri Imperii fidelibus circà partes illas conſtitutis, ut eis conſilio ſimul & auxilio fideliter aſſiſtant, & à turbatoribus ſuis tueantur. Datum *Geilenhauſen* VII. Kalendas Auguſti.

Rudolphus Dei gratiâ Romanorum Rex ſemper Auguſtus. Univerſis S. R. I. fidelibus, præſentes litteras inſpecturis, gratiam ſuam & omne bonum. Virtutum candor eximius, & miræ fragrantia ſanctitatis, quibus honorabiles & Religioſæ Perſonæ Magiſtra & Conventus de *Altenberg* dilectæ devotæ noſtræ, ſe Deo reddunt placitas, & hominibus gratioſas, ſic nos reficit in intimis, quòd ad omnia quæ noverimus conſona votis ſuis, ſemper volumus benevoli inveniri; & ideo ipſis hanc gratiam duximus faciendam; quòd in Fluvio qui *Lona* dicitur, unam naviculam pro piſcatoribus ſuis, & aliis quibuſcumque uſibus, perpetuò habere valeant liberè & quietè. In cujus rei teſtimonium præſens ſcriptum exinde conſcribi, & Majeſtatis noſtræ ſigillo fecimus communiri. Datum Spiræ 4. Kal. Auguſti, Indict. XII. Anno Domini MCCLXXXIV. Regni verò noſtri anno XI.

Nos igitur prædictarum Sororum devotis ſupplicationibus inclinati, omnes gratias, & libertates in ſupra-ſcriptis Privilegiis poſitas & expreſſas, dicto Monaſterio concedimus, innovamus, & authoritate præſentium confirmamus. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc noſtræ conceſſionis & confirmationis paginam infringere, vel ei auſu temerario contraire. Quod qui facere præſumpſerit, gravem noſtræ Majeſtatis indignationem ſe noverit incurſurum. In cujus rei robur & perennem memoriam præſens ſcriptum exinde conſcribi, & noſtræ Majeſtatis ſigillo juſſimus communiri. Datum *Friedberg* VIII. Kal. Julii, Indict. VI. Anno Domini MCCXCIII. Regni verò noſtri anno 2.

Atteſtatur Adolphus Imperator vidiſſe quaſdam litteras Comitis de Salmis, quibus renuntiat pratenſæ Advocatiæ in Altenberg, alias verò Henrici Imp. vidiſſe, eam ſibi & ſuis Succeſſoribus aſſerentis Advocatiam 1293.

ADolphus Dei gratiâ Romanorum Rex ſemper Auguſtus. Ad univerſorum S. R. I. fidelium

(*a*) B. Gertrudem tunc temporis Altenbergæ præfectam aſſerit Elenchus Magiſtrarum ſupra relatus. Dubiam nihilo minus hanc præfecturam facit Charta Imperatoris Adolfi inferiùs referenda. In hac enim teſtatur ſe vidiſſe litteram Henrici Landgravii Haſſiæ & Sophiæ Matris ejus ſigillis munitam. Muniiſſe verò Sophiam teſtatur Henrici Filii Charta, et quam appellat dilectam Matrem, eandem appellat et Magiſtram in *Altenberg*. Igitur non Gertrudis, ſed Soror ejus Sophia Altenbergæ præerat anno 1270. Viduata ab anno 1247. conjuge ſuo Henrico cognomine magnanimo, Duce Brabantiæ.

noritiam

notitiam cupimus perveniri, quòd vidimus & legi fecimus veras litteras, in nulla sui parte corruptas, munitas appensione sigillorum Illustris Henrici Landgravii, & Hassiæ Domini, & Illustris Sophiæ Filiæ Sanctæ Elizabeth, Ducissæ Brabantiæ, Matris ejusdem Landgravii, nec non Nobilis viri Comitis Sifredi de *Witbistein*, Castri quoque de *Cassumund* & civitatis Wetzlariensis, in quibus continebatur, quòd nobiles viri Comites de *Solmese* recognoverunt, & publicè sunt confessi, se in Monasterio de *Altenberg* nullum jus Advocatiæ penitùs obtinere. Nos autem recognoscimus, quemadmodum inclytæ recordationis Henricus quondam Romanorum Imperator, suis veris litteris, quas etiam vidimus, recognovit, quod idem Monasterium Advocatum habere non debet, præter Imperatores & Reges Romanorum, qui pro tempore fuerint, & Romani Regni gubernacula gubernarint. In cujus rei testimonium præsens Scriptum exinde conscribi, & nostræ Majestatis sigillo jussimus communiri. Datum *Friedberg* VIII. Kal. Julii, Indict. VI. Anno Domini MCCLXXXXIII. Regni verò nostri anno 2°.

Adolphus committit deffensionem Monasterii Altenberg Consulibus trium Civitatum anno 1293.

ADolphus Dei gratiâ Romanorũ Rex semper Augustus. Strenuis viris Sculteto in *Franckenvort* Burgi-Magistro in *Friedberg*, & Advocatis in Wetzflaria eorumdem oppidorum Consulibus, & Civibus universis, devotis suis fidelibus suis, gratiam suam & omne bonum. Affectantes benignitate Regiâ devotarum in Christo Magistræ & Conventûs Sanctimonialium in *Altenberg*, quas sincerè diligimus, injuriosis præcavere dispendiis, & commoditatibus providere, ipsas vestræ protectioni committimus & tutelæ, rogantes pariter & volentes, quatenùs eas contra suos offensores quoslibet efficaciter deffendatis, non sinentes ipsis quandocumque super hoc requisiti fueritis, à quoquam injuriam vel molestiam irrogari. Datum *Friedberg* III. Kal. Julii, Regni verò nostri anno 2°.

Privilegia ab Imperatoribus Friderico & Rodulpho I. concessa Altenberga, confirmat Adolphus. anno 1293.

ADolphus Dei gratiâ Romanorum Rex semper Augustus, Universis S. R. I. fidelibus præsentes litteras inspecturis, gratiam suam, & omne bonum. Volentes devotas in Christo Magistram & Conventum Sanctimonialium in *Altenberg*, Ordinis Præmonstratensis, quarum Ordinem commendabili flore florentem, indeficientis charitatis ardore sincerè diligimus, & arctiùs amplexamur, veluti æternæ benedictionis filias, cœlitùs vitæ fragrantiâ corruscantes, favore semper prosequi singulari; eisdem Magistræ & Conventui, ex Regia benignitate hanc gratiam duximus faciendam, quâ ipsas absque perturbatione cujuslibet, omnibus juribus, libertatibus, & honoribus gaudere volumus, quibus à temporibus inclytæ recordationis Friderici Imperatoris, & Rudolphi Romanorum Regis, Prædecessorum nostrorum illustrium, usque ad hæc tempora sunt gavisæ, tamdiu donec de earumdem Sanctimonialium libertatibus & juribus, per solemnes, & idoneos nostros nuntios, quos ad hoc specialiter destinare proponimus, pleniùs informemur. Hoc Edicto Regio districtiùs inhibentes, ne quis memoratas Magistram & Conventum in *Altenberg* medio tempore præsumat malignè molestare, seu aliqualiter perturbare; alioquin indignationem & offensam regiam se noverit incursurum. Datum *Friedberg* III. Kal. Julii, Indict. VI. Anno Domini MCCLXXXXIII. anno verò Regni nostri 2°.

Innovat Privilegia ab Henrico VI. data Altenberga, Henricus VII. Imperator 1309.

HEnricus Dei gratiâ Romanorum Rex semper Augustus, Regalis excellentia tunc sui nominis titulos ampliat & extollit, cum loca divino cultui dedicata, & Personas ibidem Domino famulantes, benigno favore prosequitur, ac earum justis petitionibus favorabiliter se inclinat. Noverit igitur præsens ætas, & successura posteritas, quòd accedentes ad nostræ Majestatis præsentiam Sorores Monasterii in *Altenberg*, Ordinis Præmonstratensis, nobis humiliter supplicarunt, ut Privilegium ab Henrico quondam Romanorum Imperatore, Antecessore nostro, eis concessum, dignaremur de benignitate Regia confirmare, cujus quidem Privilegii tenor talis est.

Henricus Dei gratiâ Romanorum Imperator, & semper Augustus. Imperatoriæ Majestatis convenit æquitati, Pauperibus Christi ad justitiam præesse & pacem, ut qui ad sinum protectionis nostræ confugiunt, ne pravorum hominum agitentur molestiis Imperiali benignitate protegantur. Expropter, notum sit omnibus fidelibus nostris, quod divinæ remunerationis intuitu, Monasterium in *Altenberg*, cum omnibus personis ibidem Domino servientibus in specialem nostræ sublimitatis protectionem suscepimus, cum omnibus bonis quæ nunc possident, aut in posterum justo acquisitionis titulo poterunt adipisci. Recognoscimus autem eidem Ecclesiæ, quòd Advocatum habere non debet præter nos, & nostros Successores Romani Solii Rectores, & hoc ex pia Serenissimi Patris nostri Friderici quondam Romani Imperatoris Augusti donatione, & nostra ad ipsius Ecclesiæ commodum & profectum Imperatoria concessit largitio. Statuimus igitur, & Imperiali Edicto sancimus, ut nullus eas in personis, aut rebus molestare præsumat; mandantes & præcipientes universis ministerialibus nostris, circà partes illas constitutis, ut eis consilio simul & auxilio fideliter assistant, & à turbatoribus suis tueantur. Datum *Geilenhusen* VII. Kal. Augusti.

Nos igitur prædictarum Sororum devotis supplicationibus inclinati, ad instar divæ memoriæ Rodulphi Romanorum Regis, nostri Prædecessoris, omnes gratias & libertates in supra-scripto privilegio positas & expressas, dicto Monasterio concedimus, innovamus, & authoritate præsentium confirmamus. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc nostræ concessionis & confirmationis paginam infringere, vel ei ausu temerario contraire; quod qui facere præsumpserit, gravem nostræ Majestatis indignationem se noverit incursurum. In cujus rei robur & perennem memoriam, præsens Scriptum exinde conscribi, & nostræ Majestatis sigillo jussimus communiri. Datum in *Geilenhusen* IV. Nonas Oct. Indict. VII. Anno Domini MCCCIX. Regni verò nostri anno 1°.

Henricus VII. Imperator susceptum sub sua protectione Altenberga Cœnobium commendat specialiter Consulibus Vetzlariæ, anno 1309.

HEnricus Dei gratiâ Romanorum Rex semper Augustus. Prudentibus viris Sculteris Consulibus, & Civibus in Wetzflaria & in *Friedberg*, fidelibus suis dilectis, gratiam suam & omne bonum. Noveritis quòd utilitatibus & commodis Religio-

sarum Personarum Magistræ, & Conventûs Sororum Monasterii in *Altenberg*, Ordinis Præmonstratensis, Trevirensis Diœcesis, devotarum nostrarum in Christo dilectarum, affectu benevolo, favore propitio providere salubriter, & earum dispendiis, divinæ renumerationis intuitu præcavere ubilibet disponentes, ipsas, & Monasterium suum, cum omnibus hominibus & bonis suis in nostram, & Imperii protectionem recipimus specialem; propter quod fidelitati vestræ mandamus & præcipimus seriosè, quatenùs prædictam Magistram & Conventum ab insultibus, & injuriosis gravaminibus quorumlibet, autoritate nostrâ, vestræ deffensionis præsidio præservantes, non permittatis ipsis vel Monasterio suo in hominibus, aut bonis suis molestiam inferri aliquam, vel gravamen, Deo & nobis in hoc obsequium gratuitum impensuri. Datum in *Geilenhusen* III. Nonas Octobris, Anno Domini MCCCIX. Regni verò nostri anno 1°.

Renovatio Privilegiorum Henrici VI. à Ludovico IV. Imperatore. 1324.

LUdovicus Dei gratiâ Romanorum Rex semper Augustus. Regalis Excellentia tunc sui nominis titulos ampliat & extollit, cum loca divino cultui dedicata, & personas ibidem Domino famulantes, benigno favore prosequitur, ac earum justis petitionibus favorabiliter se inclinat. Noverit igitur præsens ætas, & successura Posteritas, quòd accedentes ad nostræ Majestatis præsentiam Procuratores Monasterii in *Altenberg*, Ordinis Præmonstratensis, Trevirensis Diœcesis, nobis humiliter supplicarunt, ut Privilegium ab Henrico quondam Romanorum Imperatore, Antecessore nostro, dicto Monasterio suo concessum, dignaremur de benignitate Regia confirmare: cujus quidem Privilegii tenor talis est.

Henricus Dei gratiâ Romanorum Imperator semper Augustus. Imperatoriæ Majestatis convenit æquitati, &c. Datum *Geilenhusen* VII. Kal. Augusti. *Ut suprà pluries est recitatum.*

Nos igitur prædictorum Procuratorum devotis supplicationibus inclinati, ad instar divæ memoriæ Imperatorum, & Regum Romanorum, prædecessorum nostrorum, omnes gratias, & libertates in supra-scripto Privilegio positas, & expressas, dicto Monasterio concedimus, innovamus, & authoritate præsentium confirmamus. Nulli ergo omninò hominum liceat, hanc nostræ concessionis & confirmationis paginam infringere, vel ei ausu temerario contraire: quòd qui facere præsumpserit, gravem nostræ Majestatis indignationem se noverit incursurum. In cujus rei robur, & perennem memoriam, præsens Scriptum exinde conscribi, & nostræ Majestatis sigillo jussimus communiri. Datum *Franckenfurt* II. idus Januarii, Indict. VII. Anno Domini MCCCXXIV. Regni verò nostri anno X.

Ludovicus Imperator IV. Altenbergam Consulibus de Friedberg commendat, ut potè sub protectione Regia & speciali existentem anno 1324.

LUdovicus Dei gratiâ Romanorum Rex semper Augustus. Prudentibus viris Sculteto, Scabinis, Consulibus, & universitati Civium in *Friedberg*, fidelibus suis dilectis, gratiam suam, & omne bonum. Noveritis quod utilitatibus, & commodis Religiosarum Personarum Magistræ & Conventûs Monasterii in *Altenberg*, Ordinis Præmonstratensis, quæ nobis & Imperio specialiter, cum universis bonis, curtibus, & aliis quibuscumque rebus consistentibus, subsunt in temporalibus, affectu benevolo providere salubriter, & earum dispendiis, divinæ renumerationis intuitu, præcavere ubilibet disponentes, ipsas, & Monasterium suum, cum omnibus hominibus & bonis suis, quocumque jure seu nomine censeantur, in nostram & imperii protectionem recipimus specialem. Propter quod fidelitati vestræ mandamus, sub obtentu gratiæ nostræ, & præcipimus seriosè, quatenùs prædictam Magistram & Conventum, quoties & quandò ex parte earumdem requisiti fueritis, ab insultibus, & injuriosis gravaminibus quorumlibet, autoritate nostrâ, vestræ deffensionis præsidio præservantes, non permittatis ipsis, vel Monasterio suo, in hominibus aut bonis suis, molestiam inferri aliquam, vel gravamen, Deo & nobis in hoc, obsequium gratuitum, impensuri. Datum *Franckenfurt* II. Idus Januarii, anno Domini 1324. Regni verò nostri, anno X.

Idem Præceptum pro urbe Vezlariensi. 1324.

LUdovicus Dei gratiâ Romanorum Rex semper Augustus. Prudentibus viris, Scabinis, Consulibus, & universitati Civium in Wetzflaria, fidelibus suis dilectis, gratiam suam, & omne bonum. Noveritis quod utilitatibus & commodis Religiosarum Personarum, Magistræ & Conventûs Monasterii in *Altenberg*, Ordinis Præmonstratensis, quæ nobis & Imperio specialiter, cum universis bonis, curtibus & aliis in quibuscumque rebus consistentibus, subsunt in temporalibus, affectu benevolo providere salubriter, & earum dispendiis, divinæ remunerationis intuitu præcavere ubilibet disponentes, ipsas, & Monasterium suum, cum omnibus hominibus, & bonis suis, quocumque jure, seu nomine censeantur, in nostram & Imperii protectionem suscipimus specialem. Propter quod fidelitati vestræ mandamus sub obtentu gratiæ nostræ, & præcipimus seriosè quatenùs prædictam Magistram & Conventum, quoties & quandò ex parte earumdem requisiti fueritis, ab insultibus & injuriosis gravaminibus quorumlibet, autoritate nostrâ, vestræ deffensionis præsidio præservantes, non permittatis ipsis, vel Monasterio suo in hominibus, aut bonis suis molestiam inferri aliquam, vel gravamen, Deo & Nobis, in hoc, obsequium gratuitum impensuri. Datum *Franckenfurt* II. Idus Januarii, anno Domini MCCCXXIV. Regni verò nostri anno X.

Idem Præceptum pro Joanne Comite Nassovii, anni 1324.

LUdovicus Dei gratiâ Romanorum Rex semper Augustus, Nobili viro Joanni Comiti de *Nassauve*, fideli suo dilecto, gratiam suam, & omne bonum. Gerentes specialem favorem dilectis in Christo Magistræ & conventui Monasterii in *Altenberg*, Præmonstr. Ordinis, Diœcesis Trevirensis, propterea quòd eadem Magistra & Conventus sub speciali protectione sacri Imperii, Romanorum Regum concessione & gratiâ sunt receptæ, ac qui per eas devotus Domino quotidie fit famulatus, libenter facimus, & libentiùs procuramus, quæ ad earum commodum proficiunt & quietem, quatenùs ipsis in pace & tranquillitate positis, Deum pro Nobis, & aliis suis benefactoribus quietiùs interpellent. Scientes itaque te fidum & sincerum dicti Monasterii zelatorem, protectionem & deffensionem ipsius, tam in capite, quàm in membris, ac omnibus hominibus familiaribus, domesticis, inquilinis, rusticis, & colonis, nec non bonis, possessionibus, rebus & juribus, ac aliis intrà & extrà Monasterium sibi pertinentibus quibuscumque, provisioni, industriæ

& circumſpectioni tuæ, autoritate Regiâ committimus per præſentes: volentes ac mandantes, ac præterea te ſpeciali affectu rogantes, quatenùs hujuſmodi protectionis, & deffenſionis commiſſionem tibi per Nos factam, abſque quolibet metu, nulli parcendo, vel contra debitum defendendo, noſtrâ ſultus poteſtate, adeò fideliter exequaris, ut inde lauderis, Dei retributione præmium conſequaris, & in conſpectu Majeſtatis Regiæ meritò commenderis: In præmiſſis, & circà præmiſſa intendentes, ut potentiâ Regiâ per omnia fulciaris. Datum in *Hachenborch* III. Nonas Julii, Regni noſtri anno X.

Renovatio & Confirmatio Privilegiorum Altenbergæ, à Carolo IV. Imperatore. Anno 1454.

CArolus Dei gratiâ Romanorum Rex ſemper Auguſtus, & Bohemiæ Rex. Regalis excellentia tunc ſui nominis titulos ampliat & extollit, &c. *ut in Diplomate Ludovici, quod primò poſitum eſt, ſuprà.* Datum *Moguntiæ* anno Domini MCCCLIV. Indictione VII. Kalendis Januarii, Regnorum noſtrorum anno VIII.

Præceptum Caroli IV. Imperatoris pro deffenſione Altenbergæ, datum Conſulibus Vezlariæ. 1354.

CArolus Dei gratiâ Romanorum Rex ſemper Auguſtus, & Bohemiæ Rex, Conſulibus, Scabinis & univerſitati Civium in Wetzflaria, fidelibus noſtris dilectis, gratiam Regiam, & omne bonum. Noveritis quòd utilitatibus, & commodis Religioſarum Perſonarum Magiſtræ & Conventûs Monaſterii in *Altenberg*, &c. *ut in Præcepto Ludovici, ad eoſdem Conſules, ſuprà.* Datum Moguntiæ anno Domini MCCCLIV. Indict. VII. 2°. Kal. Januarii, Regnorum noſtrorum anno VIII.

Præceptum Friderici IV. Imperatoris, Ducis Auſtriæ, pro deffenſione Altenbergæ 1442.

FRidericus Dei gratiâ Romanorum Rex ſemper Auguſtus, Auſtriæ, Stiriæ, Carinthiæ, & Carniolæ Dux, Comes Tyrolis, ſtrenuis viris Sculteto in *Friedberg*, & Advocatis in Wetzflaria, nec non eorumdem oppidorum Conſulibus, & Civibus univerſis, noſtris & Imperii ſacri fidelibus dilectis, gratiam Regiam, & omne bonum. Noveritis quòd utilitatibus & commodis Religioſarum Perſonarum Magiſtræ & Conventûs Monaſterii in *Altenberg*, Ordinis Præmonſtratenſis, Trevirenſis Diœceſis, devotarum noſtrarum dilectarum, quæ nobis & Imperio ſacro ſpecialiter cum univerſis bonis, curtibus, & aliis quibuſcumque rebus, &c. *Per omnia ut in præced. Præceptis.* Datum Frankofordiæ, anno Domini MCCCCXLII. die octavo menſis Julii, Regni verò noſtri anno III.

Ad mandatum Domini Regis, Hermannus *Hecht.*

Aliud Præceptum Friderici IV. Imperatoris pro conſervatione Altenbergæ, anni 1442.

FRidericus Dei gratiâ Romanorum Rex ſemper Auguſtus, Auſtriæ, Styriæ, Karinthiæ, & Carniolæ Dux, Comes Tyrolis, Strenuis viris Sculteto, &c. *per omnia ſimile præcedenti, cum hac tamen additione.*

Inſuper ex ſpeciali Regio noſtro indulto renovamus, approbamus, & gratioſiùs confirmamus ipſis Magiſtræ & Conventui in *Altenberg*, omnia & ſingula earum Privilegia, litteras, libertates, & jura quæ à Divis Imperatoribus & Regibus Romanorum aut aliis Chriſti fidelibus ritè obtinuerunt, & in futurum, Domino concedente, feliciter obtinere poterunt, in omnibus & ſingulis eorum punctis, clauſulis, & tenoribus, prout ſcripta & ſcriptæ ſunt, ac ſi tenores omnium & ſingulorum præſentibus de verbo ad verbum forent inſerti. Decernentes & volentes expreſsè, ea omnia & ſingula perpetuis temporibus, obtinere inviolabiliter roboris firmitatem, præſentium, ſub noſtræ Majeſtatis ſigillo, teſtimonio litterarum. Datum Franckofordiæ anno Domini MCCCCXLII. die XV. menſis Julii. Regni verò noſtri anno III.

Ad Mandatum Domini Regis Hermannus *Hecht.*

Sunt & ſequiorum Imperatorum Diplomata, Germanico idiomate, in eumdem finem data.

Litteræ Henrici Archiepiſcopi Trevirenſis, quibus committit Abbatibus Saynæ curam & adminiſtrationem Angelicæ-Portæ anno 1275.

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis Amen. (*a*) Henricus Dei gratiâ Trevirorum Archiepiſcopus, Univerſis Chriſti Fidelibus hoc ſcriptum inſpecturis in perpetuum. Cùm ſollicitudinis noſtræ requirat officium, nos omnium Chriſti Fidelium inſudare profectibus, tamen tenemur ex debito favorem noſtrum impenſiùs his inclinare, & eorum commodis ſtudioſiùs, & devotiùs cæteris invigilare, quos Religio ſancta, & devotio pia Chriſto conjungit. Noſcant igitur tam præſentes, quàm futuri, quòd nos Eccleſiam Sororum de Angelica-porta Præmonſtratenſis Ordinis, ſub Sancti Petri & noſtrâ protectione ſuſcipimus, ipſam Conrado Abbati de *Sayna* & ſuis Succeſſoribus in temporalibus committentes & ſpiritualibus gubernandam. Præterea quaſcumque poſſeſſiones, quæcumque bona eadem Eccleſia in præſentiarum juſtè & canonicè poſſidet, aut in futurum conceſſione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, ſeu aliis juſtis modis præſtante Domino poterit adipiſci, firma & illibata ipſi Eccleſiæ, perſonis & eorum ſucceſſoribus permaneant, in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis, locum ipſum in quo præfata Eccleſia ſita eſt, cum omnibus pertinentiis ſuis, Curiam novam cum omnibus pertinentiis ſuis

(*a*) Henricus de *Finſtinga* ſecundus nomine, primùm Trevirenſis Archidiaconus, Arnoldo II. ſucceſſit. De ejus electione author geſtorum Henrici coætaneus hæc habet. *Dominus Papa & Cardinales in Henrico profundam Sapientiam, morum venuſtatem, generis claritatem, & multarum virtutum excellentiam, de perſona ipſius in ſpiritualibus & temporalibus circumſpecti providerunt Eccleſiæ Trevirenſi anno Domini 1260. 3. Kalen. Decembris.* Non tamen pallii uſum obtinuit. Cùm autem anno 1262. Philippum Metenſem Epiſcopum confirmare, & ſacrorum Ordinum celebrare Synodum auſus fuiſſet, apud ſummum Pontificem Urbanum IV. accuſatur de variis criminibus. Inquiritur de ejus vita, à beneficio & Sacerdotio, Pontificali ſententiâ, arcetur, & litteris è manibus lectoris vi extortis & laceratis, contemnit decretum Henricus; ſed de novo in eum, omnia jam ſacrorum jura pervertentem, conſurgit Pontifex; anno ſequenti venit Romam, ubi detentus, à Clemente IV. damnatur. Mortuo Clemente diſſidia cùm electionem impedirent, ab Urbe profugit Henricus. Electo tamen Gregorio X. rediit & in communionem gratiamque Pontificis receptus eſt, & pallii uſum impetravit, diſtributis Romæ triginta tribus marcarum millibus. Duo Canonicorum collegia excitavit, Boneniæ moritur 6. Kal. Maii an. 1286.

Curiam in *Beuren*, curiam in *Vanckele*, curiam in *Liche*, curiam in *Neuvege* apud *Bacheracum*, bona in *Dummerrhusen*, bona in *Guethusen*, bona in *Trys* & in *Pume*, & in *Protege*, & decimam in *Burilstorff*, autoritate ordinariâ confirmamus, & sigilli nostri munimine roboramus. Si quis autem discordiæ seminator, hanc nostræ confirmationis paginam infringere attentaverit, indignationem Dei omnipotentis, & scissionem Sanctæ Matris Ecclesiæ se incurrisse noverit, & horribili anathematis sententiâ se percussum sentiat, donec resipiscat. Testes quoque annotari statuimus quorum hæc sunt nomina. Theodoricus Præpositus, Robertus Decanus, Boëmundus Major, Henricus dictus de *Bolandia*, Archidiaconus Trevirensis, Wernarus Præpositus Ecclesiæ Sancti Castoris in *Confluentia*, Magister Willelmus Decanus Ecclesiæ Sancti Simeonis Trevirensis, Godefridus Comes Saynensis, Henricus & Joannes Comites de *Spanheim*, Henricus Comes de *Virnenburg*, Joannes de *Bruinshorn*, Henricus de *Ehrenberg* & Ditthardus de *Paffendorff*, milites & alii plures fide digni. Actum & datum publicè apud Treviros anno Domini 1275. in crastino Beati Remigii confessoris.

Littera D. Generalis ad Virgines Angeloportanas.

CHarissimæ & devotissimæ Filiæ & Conventuales Virgines.

Exposuit Dilectus nobis Dominus Saynensis, quòd post mortem Domini Abbatis Gerhardi, in *Rommersdorff*, necdùm sibi adjudicatam in Capitulo generali filiam, Monasterium scilicet vestrum Angeloportanum adierit, aut reoccupaverit; Cùm verò muneris nostri sit, cujusque jura sarta tecta tueri, & decreta Capituli generalis executioni demandare: Ipsius verò Abbatis Saynensis sit, suis diligentissimè prospicere, ne quid juris depereat, & deperdita resarciantur: ea propter prænominato Abbati Saynensi demandavimus ut decreto Capituli generalis, de quo vobis constat, aut constare potest, nonobstantibus etiam quibuscumque vestris excusationibus, pareat, & uti Pater Abbas disponat; declarantes nullum posthàc actum vel admissionis, professionis aut cujuslibet institutionis, sine ejus scitu aut consensu valiturum. Interim sum

Addictissimus vester in Christo,
Pater F. MICHAEL COLBERT,
Abbas Præmonstrati & Generalis.

Præmonstrati die 28. Septemb. 1672.

Charta Fundationis Abbatiæ de Aquilar ab Opila Abbate, testamenti sui tabulis consignata anno Christi DCCCXXXII. *æra Hispanica anno* DCCCLX.

IN Nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti. Quod corde credimus, ore proferimus, credimus Patrem ingenitum, Filium unigenitum, & Spiritum sanctum, nec genitum, nec ingenitum, sed ex Patre & Filio procedentem, has tres Personas naturaliter unum Deum esse confiteor: Ex his tribus personis sola Filii persona factus est homo, ipse qui ante secula sine initio genitus est de patre sine matre, ipse ut fine seculi certo tempore natus est de matre sine patre; & in hoc ex utraque natura proprius Filius Dei, non adoptivus: non alius Deus, alius homo, sed ut ipse est verus Deus & verus homo in una persona. Hanc fidem Domini nostri Jesu Christi veram credo, & rectam predicando extremum ultimum diem judicii sperando, & paradisi Dei gratiam conquirendo, de ipso quod nobis Dominus tribuit in thesauro Ecclesiæ illud concedimus. In Nomine Domini. Ego Opila Abbas, qui simul cum fratre meo *Alpidius* eramus in partibus Orientis de *Castella Vegia* * Provinciâ Loricanâ, villâ prænominatâ Tabulatâ in partes *Iberus* fluminis; in ipsis partibus ambo fratres oriundi fuimus. Erat namque frater meus Alpidius Miles, qui militabat in hoc seculo. Quâdam verò die advenit illi voluntas ut egrederetur ad venatum & invenit vestigia aper magnus, & cum suos homines & suos canes sequendo ipsa vestigia devenit usque in montem, qui erat super ripam fluminis *Pisorga*, & conculcantem ipsa vestigia illuc atque illuc per ipsum montem, invenit unam porcam cum suos filios latitantem super unam Ecclesiam subtùs unum arborem *Sabutix* *. Erat ipsa Ecclesia fundata *latus une pegne* * & subtus ipsa pegna invenit aliam Ecclesiam cum tres titulos. Videntes vero ipsum locum dimisit venatum & cum suos homines cucurrit & retulit mihi omnia quæcumque vidit. Ego Opila Abba audiente miratus sum & profectus sum ad videndum ipsum locum & inveni ipsas Ecclesias sicut frater meus mihi retulerat; & ingressus in ipsa Ecclesia prima, inveni in ipsa ara altaris reliquiæ Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, & in alia Ecclesia subtùs ipsa pegna in medio titulo inveni reliquiæ Sancti Pelagii Martyris & S. Engraciæ, & in tertio titulo de sinistra parte inveni reliquiæ Sancti Joannis Baptistæ & Sancti Martini Confessoris, & iterum regressus sum in patria mea, in mea parte cellula ubi natus fui & nutritus in Ecclesia Sancti Michaëlis de Tabulata; & cum consilio & absolutione de fratre Alpidio, de ipsas res temporales qua Dominus mihi dedit, tuli inde duodecim libros inter majores, & minores & quinque vestimentos Ecclesiasticos & sex frontales illos duos seriscos, & illos alios braciles, & Ciclatones, & unam coronam argenteam, & duas Alfajaras, & unum calicem de argento, & unam crucem de allatone, & duos ciriales de allatone, & duos aquamaniles, & uno Incensario, & duas campanas, & unum candelabrum, & unam lucernam, & duodecim lectos cum sua lectaria illud unum lectum ornatum de pallio & sex parelios de manteles * illos duos letratos & tres parelios de tacalesias letratos, & duos vassos argenteos, & tres culiares argenteas, & vassilia multa ex lignis facta, & tres * calderas, & trigentas vaccas & decem equas & quatuor cavallos, & duos asinos, & quatuor jugos de boves & inter capras & boves LXX & XX porcos & cum toto isto habere, quæ nunc superius resonat & cum meos clericos & meos homines profectus sum ad ipsum locum heremum ubi ipsas Ecclesias jam præfatas inveni, & quia præoccupatum locum ipsius montis concidi omnes arbores de ipsa pegna; ubi ipsa Ecclesia prima fundata est à parte orientis usque in illum collatum de pegna longa & subter ipsum collatum per ipsa itinere quæ discurrit usque ad *Congosto*, & per summitatem montis ad illa ripa de Cella & usque in valle de Sancta Maria. Deinde per summis montibus, usque in val de *Ferreros*, sicut aqua devertit per cacumen ipsius montis usque in flumine *Pisorga*; & Ego Opila Abba unà cum Collegio Clericorum & fratrum meorum exercentem, & mundantem ipsum locum, Ecclesias restaurantem, & domos construentem & ampliora hæreditatem multiplicantem, in semas, in pratis, in panariis, in molinos, in piscarias, in ipso flumine *Pisorga*, de summo vado *Carrero* usque in fun-

* Castella veteri.

* Sambucum.

* Ad radices clara rupis.

* Hoc est, Mappas.

* Caldaria.

* Id est à vado currium, ad alveum antiquum vulgo Cauce.

dus calice antiquo * & itineres discopantes, & fontes aperientes, hortos ædificantes, lignos fructis fructiferos, & infructuosos plantantes, & omnia ædificia ipsius Monasterii construentem, & die noctuque in Dei laudibus permanentem, & tam pro vivis quàm pro defunctis orantes, & hospitibus suscipientes, & eleemosynas erogantes. Jam nos ab omnibus operibus fatigatione requiescentes ut vidimus omnia loca bona esse ad habitandum : tradimus ad hunc locum ipsum Monasterium Sancti Michaëlis quem reliquimus in patria nostra, unde venimus in hunc locum, cum tota sua hæreditate, id est terras capientes semina LX. modios de Cebania * & multas vineas, & multo ganato & literia, & omnia tota beneficia ipsius Monasterii, & eligimus Abbatem in ipsum Monasterium meum sobrinum, similis nominis mei Opila; quæ serviat cum ipso Monasterio, & fiat de Camara Sancti Petri & Pauli, & Sanctæ Mariæ quæ nos populare venimus, vel qui post nos ibidem habitare voluerint, ut exinde habeant servis Dei temporale subsidium, & nos communiter remissionem omnium peccatorum, Amen. Post triginta annos venit quidam Comes Osforius, & vidit omnia cuncta Monasterii quæ fecimus, & gavisus est gaudio magno valdè, & dedit laudem Deo, & post inde tradidit semetipsum, tam corpus quàm anima, ad atrium Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli & dedit de sua hæreditate à parte hujus regulæ, id est in pegna de *Aranda* sua portione quæ illi quadravit inter suos germanos, & inter tota sua gente de terminu usque in terminum, de illa pegnella usque à summo cerro, & usque in Cassa de *Todueca*, & inde per cassas de sermino de termino in termino, sicut habuit illud confirmato cum illos senectutos homines de pegna de Aranda, & roboravit cum manibus suis in hanc regulam de Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli & Sanctæ Mariæ Virginis & ad ipsas Reliquias de ipsos sanctos qui in ipsos altares reconditæ sunt, & confirmavit omnia hæreditate quod nos priùs signavimus, & posuit cautum firmissimum. Quòd si infra scriptos terminos, quod superiùs resonat, aliquis homo aut Comes aut potestas, aut Mairinos, aut Saymes vel quilibet homo aliquâ inquietudine voluerit facere, tam in hortis, quàm etiam in pratis, tam in piscando quàm in taliando, sive in arbores fructuosos, quàm etiam & in infructuosos, sive de equo, sive de boves, sive de asinos, qui intro isto termino intraverit, pro unos quisque suos dominus pariet duos de trigo * & pro ovibus, & capris & porcis, quoad melior inter eos invenerit occidatur; & inter ipsos vigiles qui vigilaverint dispensetur, & tam pro ipso Monasterio, quæ ad hanc regulam tradidi; & pro illa hæreditate, quæ ille Comite Domno Osforio tradidit, posuit ille Comes tale cautum; quòd si aliquis homo, aut filiis aut neptis, aut pro-neptis, aut de genealogia sua hunc testamentum quem fecimus tentare voluerit aut dissipare, per semetipsum vel per aliqua persona, vel pro aliqua causa; homo qui talia commiserit imprimis descendat super ipsum ira Dei; & rufea (*Romphea*) Cœlestis: & à Corpore & Sanguine Domini nostri Jesu Christi fiat segregatus & veniat super illum ira Dei sicut descendit super Sodoma & Gomorra, & sicut descendit super Datan & Abiron, viros sceleratissimos, quos vivos terra absorbitit & non habeat partem cum Christo, sed cum Antichristo & cum Juda proditoris Domini, lugeat pœnas in æterna damnatione, & super ipsa damna secularia inferat ille homo à parte hujus regulæ auri libras quinque, & ipsum Monasterium cum totas suas decanias duplato in simile tale loco; & hanc scripturam testamenti firmis permaneat. Facta scriptura hujus testamenti notam die III. Feriâ quintâ Kal. martias sub æra DCCCLX. Regnante Domino nostro Jesu Christo & Principe nostro Domno Ordonius Rex & in legione & in Gallicia & in Asturiis, & in cunctis Provinciis Castellæ. Et Ego Opila Abba unà cum collegio Monachorum in hunc series testamenti quem facere malui & Domino meo Comite Domno Osforio audiente manum meam signum injecit. 2ª. 2 vº. & testibus tradidi ad laborandum, Logonius test. & Conf. Flamius test. & Conf. Stephanus test. & Conf. Joannes test. & Conf. Aldefonsus test. & Conf. Atila test. & Conf. Gontericus test. & Conf. Leobegildus test. & Conf. Floridius Presb. manum meam roboravi 4. Rª. Rª. Rª. Claudius Presb. manum meam roboravi. Et Nª. Rª. Vivantius Presb. manum meam roboravi.

* Hoc est de hordeo.

* Modios Tritici.

Charta Alphonsi I. Regis Castellæ pro subrogatione Præmonstratensium in Monasterium Sancti Augustini Aquilarensis anno 1152.

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, quæ à fidelibus in una Deitate colitur & adoratur. Quoniam Principum, Regum & maximè Imperatorum est, viros Religiosos honorare & eorum petitiones exaudire, loca etiam quæ actio pia instituit, ditare & possessionibus ampliare, quoniam etiam facta eorumdem Imperatorum scripto in perpetuum valituro firmari debent ac muniri, ne tempore præcedente, improbitate, sive ausu temerario possint violari. Eapropter ego Aldephonsus totius Hispaniæ Divinâ clementiâ famosissimus Imperator unà cum uxore mea Imperatrice Dominâ Richâ, & cum filiis meis Sanxio & Ferrando Regibus, simul etiam cum filiabus meis scilicet Constantiâ inclitâ Francorum Reginâ, & cùm Sanxia nobili Navarræ Reginâ facio chartam donationis de Monasterio Sancti Augustini, qui est in *Ferrera*, & scriptum firmitatis in perpetuum valiturum, Deo & beatæ Mariæ de *Retorta* & Domino Sanctio Abbati, & omnibus Fratribus ibidem commorantibus & omnibus successoribus ejus cum suis terminis, cum pascuis, & montibus, cum rivis & molendinis, &c. Et insuper concedo vobis in montibus meis (facultatem) colligendi ligna & in exitibus meis arandi & laborandi

Do etiam vobis, atque concedo firmiter jure meo Imperatorio ut habeatis in potestatem vendendi, donandi & quidlibet faciendi; & hoc factum meum firmum & inconcussum si quis infringere &c. Facta charta æra MCLXXXX. Imperante Aldephonso Imperatore in Toleto Legione Gallecia, Castella, Navarra, Saragozia, Baezia & Almaria... Ego Aldephonsus Hispaniæ Imperator cum filiis & filiabus meis hanc chartam quam fieri jussi, propriâ manu roboro atque confirmo. Rex Fernandus Conf. Rex Sanctius Conf. Comes Almaricus Conf. Comes Lupus Conf. Lutherius *Fernandes* Major domûs Regis Conf. Nunius *Pedrez Alferiz* Imp. Conf. Gundisalvo *Radriz Alferez* Regius Conf. Alvarus *Pedriz* Conf. Joannes Tolet. Episc. Conf. Joannes Oxom. Episc. Conf. Raymundus Palentinus Episc. Vincentius Legoviensis Epis. Conf. Victor Burgensis Epis. Conf. Rodericus Calesorrensis Epis. Conf. Martinus Tarrogonensis Epis. Conf. Martinus Conpostellanus, Epis. Conf. Navarran Salmantinus Epis. Conf. Suerius Cauriensis Epis. Conf. Joannes Legionensis Epis. FF. Joannes Lucensis Epis. FF. Petrus Mindonensis Epis. Conf. Comes Pontius major domûs Imperat. Conf. Comes Rodericus Conf. Gelasius Corbus Conf. *Membragans* Conf. Alvarus

Rodriz. Conf. Ego Magist. Petrus Imp. Cancellarius qui hanc chartam dictavi.

Charta Alphonsi VII. Regis pro translatione Præmonstratensium à Monasterio Sancti Augustini ad Sanctam Mariam de Aquilar anno 1169.

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis quæ à fidelibus in una Deitate colitur & adoratur. Quantò divitiis & possessionibus abundantiùs quisque videtur affluere, tantò largiùs de his quæ possidet, Deo & veris Dei cultoribus pro salute animæ suæ & peccatorum remissione, debet impendere, juxta illud Apostoli, *facite bonum ad omnes, maximè ad domesticos fidei.* Ea propter Ego Aldefonsus Rex Castellæ & Toleti facio chartam donationis de Sancta Maria de *Aquilar* de parte, quæ mihi congruit, cum omni hæreditate sua, cum montibus & fontibus, & deganiis, & molendinis, &c. Deo & B. Mariæ, & tibi Michaeli Abbati totisque successoribus tuis Regulam Sancti Augustini tenentibus. Do etiam atque roboro, & concedo consilio cohæredum illius Monasterii, videlicet Dominæ Sanctiæ Comitissæ, & consilio piæ memoriæ Roderici Monachi, fratris Comitis Nunii & consilio Comitum Nunii Alvari, Almaritii & consilio piæ memoriæ Abbatis Sanctii de Rotorta, & aliorum Abbatum & Fratrum ejusdem Ordinis, ut Abbatia quæ est in Monasterio Sancti Augustini transferatur, & promoveatur ad Monasterium Sanctæ Mariæ de *Aquilar*, & fiat ibi Abbatia, quia in loco illo sufficientiam victûs habere non possunt causâ penuriæ, & paupertatis. Hæredes verò omnes Sanctæ Mariæ de *Aquilar* dederunt, & concesserunt mihi Regi Aldefonso quidquid illis jure hæreditario in illud Monasterium pertinebat, & ego suscipio illud in protectione Dei & mea, do & concedo ipsum Monasterium Sancti Augustini cum omnibus collatiis, & omnibus rebus ibidem pertinentibus; Do etiam Monasterium Sanctæ Mariæ vallis Eguniæ & hæreditates ejus cum omnibus sibi pertinentibus. Do insuper *Terra-diellos*, quæ est inter *Ordejon*, & *Valcarcel* cum omnibus sibi pertinentibus. Do etiam hæreditatem de Villa nova de *Riofresno*; & Ecclesiam Sancti Cipriani de *la Nava* cum omnibus ibidem pertinentibus. Do etiam domum Sanctæ Mariæ de *Fontelenzina* cum omnibus pertinentibus suis, & do & concedo omnes hæreditates quas in termino de *Castroxeriz* justè adquirere potueritis, sive emendo, sive arrumpendo, vel cambiando. Hæc omnia supradicta, Ego Rex Alfonsus do Deo, & Beatæ Mariæ; & tibi jam dicto Abbati Michaeli & omnibus successoribus tuis Regulam Sancti Augustini tenentibus; & mando & concedo ut omnes supra dictæ hereditates sint grangiæ sanctæ Mariæ de *Aquilar* in perpetuum; & hoc facio pro remedio animæ meæ & parentum meorum, & omnium illorum qui hujus boni operis coadjutores fiunt, & ut omnes sibi religiosè viventes victu & vestitu ad plenum fruantur & Dei pauperes sustententur & benedicatur & laudetur Deus in secula seculorum Amen. Et facio scriptum, & facta charta in sancto Facundo, Era 1207. Regnante Rege Alfonso in Castella, & Strematura, & Toleto. Celebrunus Toletæ sedis Archiepiscopus, & Hispaniarum primas confirmo.

Charta Comitum Alvaris & Nunii quâ Ecclesiam Sanctæ Mariæ tradunt Præmonstratensibus 1169.

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, &c. (*ut in donatione præcedenti*) Ea propter scilicet Comes Alvarus & Comes Nunius cum omnibus parentibus nostris & Gonzalvus Ossorii & Sanctia Ossorii, cum omnibus parentibus nostris: Garsias Ordonii, Petrus Fernandi de *Rodelga* cum omnibus parentibus nostris; Petrus Fernandi & Gonzalvus Fernandi, & Domna Maria Fernandi & Gonzalvus Roderici cum omnibus parentibus nostris, facimus chartam donationis de Sancta Maria de *Aquilar* cum omni hæreditate sua, cum montibus, &c. Damus etiam & roboramus pro animabus nostris & omnium parentum nostrorum, ut fiat Abbatia in perpetuum, si autem aliquis, &c. facta charta. Era 1207. Regnante Alfonso Rege in Castella, & in Strematura & in Toleto. Comes Alvarus Conf. Comes Nunius Conf. Comes Lupus Conf. Gomez Gonzalvus Conf. Sanctius Diaz Conf. Gonzalvo Roderici Conf. Alvarus Ruderici Conf. Petrus Fernandi Conf. Gonzalvus Fernandi Conf. Petrus Roderici Conf. Garcia Roderici Conf. Gomez Garcii Conf. Celebrunus Tolet. Archi. conf. Petrus Burgensis Episcopus conf. Raymundus Palentinus Episcopus conf. Guillelmus Segoviensis Episcopus conf. Rodericus Caleforrensis Episcopus conf. Sanctius Episcopus Abulensis conf. Gotrius Abbas de Monte Sacro conf. Joannes Abbas Sancti Petri de *Cardena* conf. Joannes Abbas Sancti Pelagii conf. Roderici Abbas Sancti Christophori conf.

Bulla Honorii III. confirmantis bona, possessiones, & Regulam Sanctæ Mariæ de Aquilar anno 1223.

HOnorius Episcopus Servus servorum Dei, Andreæ Abbati Sanctæ Mariæ Aquilarensis, ejusque fratribus tam præsentibus quàm futuris, regularem vitam professis in perpetuum. Quoties à nobis petitur quod religioni & honestati convenire dignoscitur, animo nos decet libenti concedere, ac petentium desideriis congruum suffragium impertiri. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & præfatam Ecclesiam Dei genitricis & Virginis Mariæ de *Aquilar* in qua Divino mancipati estis obsequio, sub B. Petri & nostra protectione suscipimus & præsentis scripti Privilegio communimus, in primis si quidem statuentes, ut Ordo Canonicus qui secundùm Deum & Beati Augustini Regulam, atque institutionem Præmonstratensium Fratrum in eodem loco institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascumque possessiones quæcumque bona, Ecclesia vestra in præsentiarum justè, ac canonicè possidet, aut in futuro concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis præstante Domino poterit adipisci, firma vobis, vestrisque successoribus, & illibata permaneant: in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis.

Locum ipsum in quo præfata Ecclesia sita est cum omnibus pertinentiis suis.

Ecclesiam Sanctæ Mariæ Aquilarensis, cum omnibus pertinentiis suis.

Ecclesiam Sanctæ Mariæ de *Niord* cum pertinentiis suis.

Ecclesiam Sanctæ Mariæ de *Valle-Eguna* cum omnibus pertinentiis suis

Ecclesiam Sancti Martini de *Pozacos* cum omnibus pertinentiis suis.

Ecclesiam Sancti Stephani de *Cerrazo* cum omnibus pertinentiis suis.

Ecclesiam Sanctæ Mariæ de *Olna* cum omnibus pertinentiis suis.

Ecclesiam Sancti Salvatoris de *Enestar* cum omnibus pertinentiis suis.

Ecclesiam Sancti Martini de *Camporedondo* cum omnibus pertinentiis suis.

Ecclesiam Sancti Martini de *Sotronea* cum omnibus pertinentiis suis.

Ecclesiam Sanctæ Euphemiæ de *Valle-versosa* cum omnibus pertinentiis suis.

Ecclesiam Sancti Michaëlis de *Branosera* cum omnibus pertinentiis suis.

Ecclesiam Sanctæ Mariæ de *Cardoviella* cum omnibus pertinentiis suis.

Ecclesiam Sancti Juliani de *Villa padierna* cum omnibus pertinentiis suis.

Ecclesiam Sancti Romani de *Menezola* cum omnibus pertinentiis suis.

Ecclesiam Sancti Cipriani de *la Vega* cum omnibus pertinentiis suis.

Ecclesiam Sancti Stephani de *Villiela* cum omnibus pertinentiis suis.

Ecclesiam Sancti Michaëlis de *Zalima* cum omnibus pertinentiis suis.

Ecclesiam Sancti Victoris de *Arcn* cum omnibus pertinentiis suis.

Ecclesiam Sancti Mammetis cum omnibus pertinentiis suis.

Ecclesiam Sancti Salvatoris de *Candiosa* cum omnibus pertinentiis suis.

Ecclesiam Sanctæ Columbæ de *Valderredible* cum omnibus pertinentiis suis.

Ecclesiam Sancti Justi, de *Terradillos* cum omnibus pertinentiis suis.

Ecclesiam Sanctæ Julianæ de *Corbio* cum omnibus pertinentiis suis.

Ecclesiam Sancti Martini de *Montenigro* cum omnibus pertinentiis suis.

Ecclesiam Sancti Augustini cum omnibus pertinentiis suis.

Ecclesiam Sancti Romani cum omnibus pertinentiis suis.

Ecclesiam Sanctæ Julianæ de *Valdeboniel* cum omnibus pertinentiis suis.

Ecclesiam Sanctæ Columbæ de *Salazar* cum omnibus pertinentiis suis.

Ecclesiam Sancti Cipriani de *la Nava* cum omnibus pertinentiis suis.

Ecclesiam Sancti Andreæ de *Melgarezo* cum omnibus pertinentiis suis.

Ecclesiam Sanctæ Mariæ Magdalene de *Fontelaenzina* cum omnibus pertinentiis suis.

Ecclesiam Sancti Jacobi de *Valbas* cum omnibus pertinentiis suis.

Ecclesiam Sanctæ Mariæ de *Quintanilla* cum omnibus pertinentiis suis

Ecclesiam Sanctæ Eugeniæ cum omnibus pertinentiis suis.

Ecclesiam Sancti Michaëlis de *Conforcos* cum omnibus pertinentiis suis.

Ecclesiam Sanctæ Marinæ cum omnibus pertinentiis suis.

Ecclesiam Sancti Tirci cum omnibus pertinentiis suis.

Ecclesiam Sancti Martini de *Graial* cum omnibus pertinentiis suis.

Villam de *Cambria* cum omnibus pertinentiis suis.

Domum de *Pradeja* cum omnibus pertinentiis suis.

Domos quas habetis in *Carrion*, & in *Burgis* in duobus locis cum omnibus pertinentiis suis.

Molendina de *Palaciolos* cum domibus, hortis, vineis, campis, & aliis pertinentiis suis.

Teritorium quod dicitur *Civitas Oliva* cum omnibus pertinentiis suis.

Quidquid habetis in Villa *Manio*, in *Astudielo* & in *Grajal* & in *Vallebonel*. Sanè novalium vestrorum quæ propriis manibus, vel sumptibus colitis, sive de vestrorum animalium nutrimentis, nullus decimas exigere, vel extorquere præsumat, liceat quoque vobis Clericos, vel Laïcos liberos & absolutos à seculo fugientes, ad conversionem recipere, & eos absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper, ut nulli fratrum vestrorum post factam in Ecclesia vestra professionem, fas sit sine præpositi sui licentia, nisi arctioris Religionis obtentu, de eodem loco discedere, discedentem verò absque communium litterarum vestrarum cautione nullus audeat retinere. Cùm autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis clausis januis, exclusis excommunicatis, & interdictis, non pulsatis campanis, suppressâ voce divina officia celebrare. Chrisma verò, oleum sanctum, consecrationes altarium seu basilicarum, Ordinationes Clericorum, qui ad sacros Ordines fuerint promovendi, à diœcesano suscipietis Episcopo, siquidem catholicus fuerit, & gratiam & communionem sedis Apostolicæ habuerit, & ea vobis voluerit sine pravitate aliqua exhibere, alioquin liceat vobis, quemcumque malueritis antistitem gratiam & communionem Sacro-sanctæ Romanæ sedis habentem, qui, nostrâ fultus authoritate, vobis quod postulatur impendat. Prohibemus insuper, ut infra fines Ecclesiæ vestræ nullus sine assensu Diœcesani Episcopi & vestro, Capellam seu Oratorium de novo construere audeat, salvis privilegiis Pontificum Romanorum. Ad hæc novas & indebitas exactiones ab Episcopis, Archiepiscopis, Archidiaconis seu Decanis, aliisque Ecclesiasticis, secularibusve personis, omnino prohibemus fieri. Sepulturam quoque ipsius liberam esse decernimus, ut eorum devotioni & extremæ voluntati qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi fortè excommunicati, vel interdicti sint, nullus obsistat, salvâ tamen justitiâ illarum Ecclesiarum à quibus mortuorum corpora assumuntur. Decimas præterea & possessiones ad jus Ecclesiarum vestrarum spectantes quæ à Laicis detinentur redimendi, & legitimè liberandi de manibus eorum, & ad Ecclesias ad quas pertinent revocandi, libera sit vobis de nostra authoritate, facultas. Obeunte vero te ejusdem loci Abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi quâlibet surreptione, astutiâ seu violentiâ præponatur, nisi quem fratres communi consensu, vel fratrum pars majoris & sanioris consilii secundùm Deum & B. Augustini Regulam providerint eligendum. Paci quoque & tranquillitati vestræ, paternâ in posterum sollicitudine providere volentes, authoritate Apostolicâ prohibemus, ut infra clausuras locorum seu grangiarum vestrarum nullus rapinam sive furtum facere, ignem apponere, sanguinem fundere, hominem temerè capere vel interficere, seu violentiam audeat exercere. Præterea omnes libertates & immunitates à prædecessoribus nostris Romanis Pontificis ordini vestro concessas, nec non libertates & exemptiones secularium exactionum à Regibus &

Principibus vel aliis fidelibus rationabiliter vobis indultas, authoritate Apostolicâ confirmamus, & præsentis Scripti privilegio communimus. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum, &c. Datum Laterani per manum Magistri Guidonis, Domini Papæ Notarii, octavo Kalend. Febr. Indict. xi. Incarnationis Domini anno 1223. Pontificatûs verò Dom. Honorii anno 8.

Charta Richardi Bajocensis Episcopi, Canonicos Præmonstratenses constituentis in loco Ardenæ, & bona ipsis concessa confirmantis. Anno 1138.

Richardus (*a*) Dei gratiâ Bajocensis Episcopus Roberti Comitis Glocestriæ Filii Regis Angliæ Filius: Fidelibus tàm præsentibus quàm futuris, salutem. Notum sit vobis quatenùs in territorio quod ab antiquis Ardena appellatur, Ecclesiam in honorem Sanctæ Mariæ dedicavimus quam Ajulphus de *Foro*, concedentibus filiis suis Willelmo de *Baron*, Ælardo de *Hermenvilla*, Guarino, & Waltero Monacho, constituit, ibique Dei & eorum consensu, Regulares Canonicos Deo consecratos pro redemptione animarum in Dei servitio perseverantes, perpetuo constituimus. anno ab Incarnatione Domini 1138. eodem tempore conventio facta est inter Canonicos de Ardena & Sacerdotem de Sancto Germano de *alba herba* hujusmodi:

St. Germain de la Blanche herbe.

Concessit autem Presbyter Canonicus de Ardena Curiam habere solam & quietam, de decimis & reditibus, & omnibus consuetudinibus prædictæ Ecclesiæ Sancti Germani pertinentibus, decimas etiam & omnes consuetudines totius campi qui extenditur usque viam quæ est juxta terram, Willelmi Crassi, & suorum antecessorum, & ex altera parte usque ad capita terrarum Codomensium, exceptâ unâ acrâ, quæ est juxta murum Curiæ, concessit etiam prædictus Presbyter Canonicis decimas & consuetudines unius acræ, ubi fovea est, juxta domum Willelmi Coronati, decimas & consuetudines unius acræ, quæ est inter viam Bajocensem & viam *Franca-Villa*, hoc autem futurum esse ratum & firmum ædificaverunt Canonici & Matheus Presbyter Sancti Germani; ut autem hæc conventio rata & firma teneretur, concessa est Presbytero Sancti Germani tota decima hæredum Ajulfi de *foro* in *Franca-Villa* & in Ardena, teste Willelmo Crasso antequàm hæc conventio firmata est, & Stephano Presbytero de *Maton*. Anschetilo de Aniseio Presbytero, Heliâ Presbytero de *Hamars*, Stephano Canonico, Hugone de montibus, Willelmo filio Polinæ. Magistro Marello, Ranulpho Presbytero de *Columbellis*, Haimone filio Comitis Glocestriæ, Silvestro filio pagani de *Buron*, & Filiis Ajulphi, Willelmo de *Baron* & Celardo de *Hermenvilla*, & Guarino & Walthero monacho, qui prædicti filii Ajulphi concesserunt hæc prædicta omnia Canonicis, & Presbytero de Sancto Germano: Præter hæc etiam dederunt Ecclesiæ Sanctæ Mariæ de Ardena unum campum juxta viam Bajocensem, & alium campum ex altera parte viæ, plures etiam alia dederunt, quæ sequuntur Dedit autem Robertus Regis Filius, Glocestriæ Consul pro anima patris sui in eleemosynam perpetuò unam de præbendis præfecturæ Cadomensis. Mihi quidem reddidit Ælardus de *Hermenvilla* totam suam decimam de suo proprio dominio in *Hermenvilla*, & Ego pro Dei amore dedi Ecclesiæ & Canonicis Sanctæ Mariæ de Ardena. Teste Mathæo Archidiacono, & Vonfrido, & Richerio Canonico, testibusque prædictis Ajulphi Filiis, qui cum sua matre concesserant, eâ videlicet conditione, ut si quis temerario ausu venerandæ Matri Ecclesiæ concessa beneficia subripere tentaverit, persistendo, orthodoxorum communitate careat, iram omnipotentis Dei, anathema factus, perpetuam incurrat. Dedit autem Willelmus de *Baron* tria sextaria frumenti, & totidem hordei, per singulos annos, teste Joanne cognato Prioris Gisleberti & Rogerio fratre ejus: concessit quoque Willelmus Crassus pro anima Patris sui Ecclesiæ prædictæ & Canonicis unam acram terræ, quæ ex juxta puteum Ardenæ: teste Gaufrido *Cornefel* & Joanne cognato Gisleberti Prioris & Rogerio fratre suo, & Waltero Anglico & Willelmo Coronato. Dedit & Ovardus de *Bitot* Ecclesiæ & Canonicis dimidium campum qui est inter *Bitot* & Ardenam, pro fratre suo qui Canonicus fuit in eadem Ecclesia, teste Joanne cognato Gisleberti Prioris, & Rogerio fratre suo, & Rogerio de *Bitot*, & Willelmo Coronato, Hærveo filio Gisleberti: dederuntque filii Hamelini Ecclesiæ & Canonicis unam acram terræ quæ est juxta campum Odardi, teste Roberto de *Agnellis* & uxore, & Henrico filio eorum qui pro Dei amore et concesserunt hos duos campos Canonicis benè & in pace, teste Joanne cognato Gisleberti Prioris, & Rogerio fratre ejusdem & Rogerio de *Bitot*, & Willelmo Coronato & Odardo de *Bitot*, dedit autem Ecclesiæ & Canonicis Willelmus de *Baron* pro anima patris sui & Matris & Fratris & pro sui ipsius anima, unam acram in *Varenda-longa*: teste Joanne cognato Gisleberti Prioris & Rogerio fratre suo, & Torgesio filio Willelmi & Willelmo Coronato & Willelmo filio Havelinæ. Paganus de *Buron* dedit Ecclesiæ Sanctæ Mariæ Ardenæ tres Virgatas terræ in *Varenda-longa* qui & sepultus est in eadem Ecclesia teste Silvestro filio suo, qui hoc concessit & Joanne cognato Gisleberti Prioris & Rogerio fratre suo & Willelmo Coronato & Willelmo filio Hevelinæ, dedit autem & Sylvester filius prædicti Pagani Ecclesiæ Sanctæ Mariæ unum campum qui est inter terras de *Bitot* de feodo Ajulphi de *foro*, teste Godefrido de *Baron* & Willelmo filio Hemelinæ & Torgisio filio ejus, & Joanne cognato Gisleberti Prioris & Rogerio fratre ejus, deditque Robertus Dosnellus Ecclesiæ & Canonicis tres virgatas super Ecclesiam S. Germani, teste Joanne cognato Gisleberti Prioris & Rogerio fratre ejus & Willelmo de *Baron*, & Roberto de *Bagot*, dedit etiam Gaufridus de oppido Ecclesiæ & Canonicis duas acras inter Cadomum & Ardenam, teste, Joanne & Rogerio cognato Prioris, dedit & Henricus filius Herberti duos campos super S. Germanum, teste Rogerio nepote ejus & Waltero filio Ajulphi & Adam de *Franca-villa*, dederunt etiam filii Ajulphi unam domum in foro Cadomi juxta furnum Richardi de *Croleio*, teste Joanne cognato Prioris & Rogerio fratre ejus.

Charta Confirmationis præcedentis Chartæ ab Hugone Rothomagensi Archiepiscopo.

Hugo (*b*) Dei gratiâ Rothomagensis Archiepiscopus tàm Prælatis Sanctæ Ecclesiæ, quàm subditis, salutem, gratiam & benedictionem. Notum

(*a*) Richardus de *Glocestre* tertius nomine, creatur Episcopus secundo anno ab excessu Richardi prædecessoris sui, & non est consecratus ab Hugone Rothomagensi Archiepiscopo post jussionem Pontificis Innocentii IV. quia obiit anno 1141.

(*b*) Hugo Ambianensis tertius, Monachus Gluniacensis, Prior Sancti Pancratii de *Lewis* in Anglia, inde Radigensis Abbas anno 1123. Rothomagensis Archiepiscopus creatur anno 1130. Multùm adjuvit Innocentium secundum contra Petrum Leonis. Adstitit morienti Henrico Angliæ Regi, anno 1135. Kal. Decemb. multa suæ eruditionis monumenta reliquit Hugo. Vivere desiit anno 1164. IV. idus Novembris.

sit

sit vobis quod hanc cartulam nobis præsentatam & sigillo Episcopi Bajocensis confirmatam, & nos Apostolicâ authoritate confirmavimus, &c.

Bulla Lucii II. quâ confirmat Canonicos Præmonstratenses in Ecclesia Ardena, eorumque bona, illos & illa sub protectione Apostolica suscipiendo anno 1144.

LUcius Episcopus Servus servorum Dei, Dilectis filiis Gisleberto Priori Ecclesiæ de Ardena, ejusque fratribus tam præsentibus quàm futuris regularem vitam professis in perpetuum, Salutem & Apostolicam benedictionem.

Ad hoc universalis Ecclesiæ cura nobis à provisore omnium bonorum Domino commissa est, ut religiosas diligamus personas & beneplacentes Deo, religionem studeamus modis omnibus propagare, nec enim Deo gratus aliquandò famulatus impenditur nisi ex charitatis radice procedens, à puritate Religionis fuerit conservatus. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus & præfatam Ecclesiam, in qua Divino mancipati estis obsequio sub beati Petri & nostrâ protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus, statuentes ut quascumque possessiones, quæcumque bona, eadem Ecclesia inpræsentiarum justè & canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum, vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, Domino propitio, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant, in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis, Ecclesiam Sancti Germani de *Alba-berba*, totam decimam de proprio dominio Oelardi in *Hermenvilla*, unam acram terræ de feodo Willelmi Crassi ante puteum Ardenæ, unum campum terræ à *Bitot*, de feodo Odardi, unam acram terræ à *Bitot*, duas acras terræ & tres virgatas in *Varenda-longa*, unum campum terræ ad *Burum* de feodo Ajulphi, duas acras terræ inter Cadomum & Ardenam de feodo Gaufridi de *Castello*, duos campos terræ super S. Germano, de feodo Henrici filii Herberti; novem acras terræ in Ardena, quinque virgultas terræ inter sanctum Germanum & domum infirmorum, quinque virgultas ex altera parte viæ, totam decimam de dominio Adam de *Franca-villa*, unam præbendam Bajocis de decem denariis, de eleemosyna Regis, aliam Cadomi de septem denariis, unam domum Cadomi liberam & quietam de omnibus consuetudinibus in foro, aliam domum in Burgo Abbatissæ Cadomi, duas domos in Burgo Abbatis Cadomi in novo rure, tres acras terræ à *la Perella*, & quidquid habebat Hasculphus in *Lucerna* de proprio dominio, exceptâ parte nemoris de *Curba-fossa*, & duos arpentos vinearum apud *Saligneium*, totam decimam de *Gripum*, tàm in molendinis, quàm in aquis & omnibus redditibus villæ; unam piscariam apud *Boleium*, totam terram Gisleberti filii Adam, de proprio dominio in *Lucerna*, unam acram terræ in *Carum* de feodo Radulphi, filii Ranulphi, duos modios segetis quorum unum dedit Willelmus filius Rogerii; alium Richardus *Chalus*; Sancimus etiam ut Ordo Canonicus secundùm Beati Augustini Regulam & institutionem Præmonstratensium fratrum, perpetuis ibi temporibus inviolabiliter conservetur. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatam Ecclesiam temerè perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, aut aliquibus vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura: salvâ Diœcesani Episcopi canonicâ justitiâ, & Apostolicæ sedis authoritate. Si qua igitur in futurum ecclesiastica, secularisve persona, hanc nostræ Constitutionis paginam sciens contra eam temerè venire tentaverit, secundò tertiòve admonita, si non satisfactione congruâ emendaverit, potestatis, honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere, de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo Corpore & Sanguine Dei & Redemptoris Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco jura servantibus, sit pax Domini nostri Jesu Christi quatenùs & hîc fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniant, Amen.

Ego Lucius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.
Ego Conradus Sabinensis Episcopus.
Ego Albericus Ostiensis Episcopus.
Ego Ismarus Tusculanus Episcopus.
Ego Gregorius Presb. Cardinalis tituli Calixti.
Ego Thomas Presb. Card. tituli Vestinæ.
Ego Gilibertus Presb. Card. tituli Sancti Marci.
Ego Guido Presb. Card. tituli SS. Laurentii & Damasi.
Ego Gregorius Card. Diaconus SS. Sergii & Bacchi.
Ego Guido Diaconus Card. SS. Cosmæ & Damiani.
Ego Gerardus Diaconus Cardinalis Sanctæ Mariæ in Dominica.
Ego Gregorius Diaconus Cardinalis Sancti Angeli.

Datum Laterani per manum Baronis Capellani, Scriptoris. 3. idus Maii, Indictione 7. Incarnationis Dominicæ an. 1144. Pontificatûs verò Domini Lucii secundi Papæ anno primo.

Charta Richardi Anglorum Regis primi nomine, ab omni tributo eximentis Canonicos de Ardena.

RIchardus Dei Gratiâ Anglorum Rex, Dux Normanniæ & Aquitaniæ, Comes Andagavensis, Justiciariis, Vicecomitibus, Ballivis, & omnibus ministris & fidelibus suis totius terræ suæ salutem. Sciatis nos quietos clamasse Canonicos nostros de Ardena, de omni thelonio & passagio & de omni alia consuetudine & exactione seculari per totam terram nostram citrà mare & ultrà mare, per terram vel per aquam in nundinis & castellis & villis & in omni alio loco, quare volumus & firmiter vobis præcipimus, ne exigatis à prædictis Canonicis nostris vel ab hominibus eorum, aliquam consuetudinem de rebus quas homines sui poterunt affidare * suas esse proprias, Teste Willelmo de Sancto Joanne, septimâ die Aprilis apud Dromfront *.

* Hoc est fidem dare.
* Domfront Cenomanensis Provinc æ oppidum.

Charta ejusdem Richardi Canonicos de Ardena eorumque possessiones, sub protectione sua suscipientis.

RIchardus Dei Gratiâ Rex Anglorum, Dux Normanniæ & Aquitaniæ, Comes Andagavensis, Justiciariis, Vicecomitibus, & omnibus Ballivis & fidelibus suis salutem. Sciatis nos suscepisse in manum & custodiam & protectionem nostram Abbatiam Sanctæ Mariæ de Ardena & Canonicos ibidem Deo servientes & omnes res & possessiones eorum, tàm Ecclesiasticas quàm Laïcas, quare volumus & firmiter præcipimus quod custodiatis, manu-teneatis & protegatis prædictam Abbatiam nostram & præfatos Canonicos & omnes res & possessiones eorum sicut nostras Dominicas, ita quòd nullam injuriam aut molestiam vel gravamen eis faciatis, vel fieri

permittatis, & si quis eis vel rebus suis, in aliquo foulfacere * præsumpserit, id eis sine dilatione emendari faciatis, & prohibemus ne ponantur in placitum de aliquo tenemento suo quod in pace tenerent, die quo iter peregrinationis nostræ arripuerimus (*a*) donec peregrinatione illâ redierimus. Teste Willelmo de *Humetis* Constabulario apud *Domfront* octavâ die Aprilis.

* Malefacere.

Charta Brunonis Coloniensis Archiepiscopi pro Monasterio Arnsbergensi anno 1193.

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis Ego Bruno (*b*) Dei gratiâ Sanctæ Coloniensis Ecclesiæ vocatus Archiepiscopus, notum esse volo tàm præsentibus quàm futuris in perpetuum, quòd Henricus Comes de *Arnsberg* inspirante Deo, Ecclesiam *Wedenckshausen* cum omnibus attinentiis suis, pro remedio animæ suæ & parentum suorum tradiderit in manus felicis memoriæ Philippi Archiepiscopi prædecessoris nostri, ad promovendum servicium Dei in loco parentum suorum ossibus honorato. Nos verò Religiosorum prædecessorum nostrorum etsi non perfectione sanctitatis, zelo tamen piæ æmulationis, vestigia secuti, piis ejus votis non solùm annuimus, sed etiam quantum ad nos spectat, ut in diebus nostris Servi Dei & merito & numero crescant, omnem curam superimpendere decrevimus. Ea propter Ecclesiam *Wedenckshausen*, quoniam in ea Servi Dei liberè & Canonicè servierunt, liberam esse statuimus ab omni jure & exactione Episcoporum, Præpositorum, & Decanorum, salvâ tamen canonicâ justitiâ nostrâ, consensu hæredum prædicti Comitis Henrici & filiorum suorum Henrici & Godefridi & consilio Abbatum & Religiosorum virorum, cum Privilegiis & omnibus attinentiis suis in Ecclesia *Rumbecke* commutamus, & illi Ecclesiæ sicut priori, plenum robur nostræ authoritatis accommodamus. Ipsi verò Fratres *Rumbecke* indubitanter per omnia curam animarum gerant in *Wedenckshausen* tam in baptizandis pueris quàm in muniendis infirmis & confessionibus suscipiendis, & synodali justitiâ in illa parochia, chrisma autem & oleum à matre Ecclesia Beati Petri accipient, ad quam obedientia utriusque Ecclesiæ spectat. Si quid verò in sinistris excessibus corrigendis morum, vel vires corrigendi Prælati excesserit, ad nos vel ad Successores nostros referatur. Possessiones quas Fratres ibi possederant eis confirmamus, dotem Ecclesiæ & *Echolt* & duos mansos *Welbere* & tres mansos *Lenole;* mansum unum *Clusiniken*, & unum mansum in *Buren*, & unum mansum *Aacknen*, & unum mansum *Holthusin*, dimidium mansum in *Witmannhusen*, mansum unum *Eckenhusen* qui porrigitur à loco qui vocatur *Thurenekes Winckel* inter *Ruram* Fluvium, & rivum qui vocatur *Berbeke* cum omni decima agrorum quam ipsi novellari fecerint. Alias etiam curtes *Marsvelde* & *Grerode* & *Wande*; quâcumque igitur largitione Comitis & filiorum suorum, in sylvis, ripis, pratis, pascuis animalium, in piscatura, totius ditionis eorum in quibus eis pleni juris libertatem concesserunt & quas in cultis & incultis consecuti sunt, ut largitione fidelium, vel suâ industriâ justè consecuturi sunt, liberè & absque ulla perturbatione possideant: ut autem hæc rata & inconvulsa permaneant, sigilli nostri impressione communivimus, & banno nostro confirmavimus. Quicumque igitur temerario ausu eosdem Fratres super his, quæ eis firmavimus, perturbare, & hoc factum nostrum infringere tentaverit, iram Dei & Sancti Petri Principis Apostolorum & omnium Sanctorum incurrat; & anathematis vinculo, donec per condignam satisfactionem excessus suos correxerit, se obligatum esse sciat. Qui verò eos consilio vel auxilio adjuverit, benedictionem Dei in æternum possideat. Testes aderant Bernardus Ecclesiæ Salensis Præpositus, Pelegrinus Decanus, Wilhelmus Custos, Wernherus Canonicus, Gotmarus Canonicus, Wenandus Magister Scholarum, Henricus Comes de *Arnesberg* & filii ejus Henricus & Godefridus, Comes de *Altena*, Bernardus de *Lippa*, Henricus niger de *Arnesberg*, Everhardus de . . . . Henricus de *Volmustein*, Gerhardus *Snarr*, Hermannus Villicus de . . . . . Albertus & Hermannus filii ejus, Brunstenus *Sconkind*, Conradus & Ecbertus de *Allagen*, & alii plures. Acta sunt hæc anno Dominicæ Incarnationis millesimo, centesimo nonagesimo tertio, Indictione undecimâ, Regnante Domino Henrico Romanorum Imperatore Augusto, anno Præsulatûs nostri primo.

Charta Philippi Coloniensis Archiepiscopi Ecclesiam Wedenckhausen cum suis attinentiis datam à Comite de Arnsberg, confirmantis cùm immunitate à jure & exactione Episcoporum anno 1173.

IN Nomine Divinæ & Individuæ Trinitatis. Philippus Dei gratiâ Sanctæ Coloniensis Ecclesiæ Archiepiscopus. Notum esse volo tàm præsentibus quàm futuris in perpetuum, quod Henricus Comes de *Arnsberg*, inspirante Deo, Ecclesiam *Wedinckhausen*, cum omnibus attinentiis suis, pro remedio animæ suæ & animabus Parentum suorum, tradiderit in manus nostras ad promovendum servitium Dei, in loco Parentum suorum ossibus honorato. Nos verò Religiosorum Prædecessorum nostrorum, etsi non perfectione Sanctitatis, zelo tamen piæ æmulationis vestigia secuti, piis ejus votis non solùm annuimus, sed etiam quantùm ad nos spectat, ut in diebus nostris Servi Dei & merito & numero crescant, omnem curam superimpendere decrevimus. Ea propter prædictam Ecclesiam quatenùs in ea Servi Dei liberè & canonicè Deo servire possint, liberam esse statuimus ab omni jure & exactione Episcoporum, Præpositorum, & Decanorum salvâ tamen Canonicâ justitiâ nostrâ; ipsi verò Fratres eumdem locum inhabitantes, per omnia curam animarum gerant, tàm in baptizandis rudibus, quàm inungendis infirmis, & confessionibus suscipiendis, & synodali justitiâ in sua parochia. Chrisma verò & oleum ut mater Ecclesia habeat, & hæc ab Ecclesia sancti Petri, ad quam obedientia ejus spectat, accipiat. Si quis verò in sinistris corrigendis modum

(*a*) Post natale Domini, anno 1190. in colloquio ad vadum Sancti Remigii Reges Anglorum & Francorum (Richardus & Philippus) inter se convenerunt quòd iter Jerosolimitanum simul, ducente Domino, expedirent. Anno sequenti Richardus transmarinum iter arripuit & 4. Kal. Aprilis anni 1192. ambo Reges apud Messanam naves ascenderunt, & versus Jerosolimam direxerunt vela. Rex Francorum dimissâ terra sanctâ, Parisiis solemni processione receptus est 6 Kal. Jan. 1193. Richardus verò, non nisi autumnali tempore anni ejusdem Mediterraneo se commisit mari, ad repetendam patriam. Mense Decembri ipso die Sancti Thomæ, ab Austriæ Duce captus, Imperatori Henrico venditur; penso captivitatis pretio, in libertatem asseritur 2ª. Februarii 1194. Angliam ingreditur Dominicâ post Festum Sancti Georgii anni ejusdem, incidente in diem 24 Aprilis. Ex hac Mathæi Parisii narratione, terminos à Rege Richardo præfixos in sua charta, deprehendimus, & hanc chartam post statutum iter sanctum & ante inceptum iter, fuisse conscriptam liquet.

(*b*) Bruno de *Altena* tertius nomine, frater Friderici secundi Archiepiscopi Coloniensis & Engelberti Comitis Montensis consanguinibus Alberti Lovaniensis, ex præposito, Coloniensi Cathedræ præficitur anno 1191. post Nativitatem Beatæ Mariæ Virginis, rejectâ Lotharii Præpositi Bonnensis postulatione. Abdicavit Pontificatum anno 1193. Factus Religiosus Cisterciensis in Cœnobio Montis-sancti qui sive *Aldenberg*, ubi sepultus est die 23. Aprilis.

vel vices prælati ipsius excesserit, ad nos vel ad successores nostros referat. Possessiones itaque quas eis firmamus, Dos Ecclesiæ, & mansus unus *Waltero*, mansus unus *Lenole*, mansus unus *Buren*, mansus unus *Aachnen*, mansus unus *Holthusen Ekinckhausen* & *Mons Calvus* qui porrigitur à loco qui vocatur *Thuringerwinckel* inter rura, fluvium & rivum qui vocatur *Berbeske* cum omni decima agrorum, quos ipsi novellati fecerint; quæcumque itaque largitione Comitis in sylvis, pascuis animalium, in piscatura totius ditionis suæ, in quibus eis pleni juris libertatem concessit, consecuti sunt, vel largitione quorumlibet fidelium, vel suâ industriâ justè consecuturi sunt, liberè & absque perturbatione possideant. Ut autem decretum nostrum inconvulsum permaneat, sigilli nostri authoritate communivimus & banno nostro confirmavimus. Quicumque igitur temerario ausu eosdem Fratres super his, quæ eis firmavimus, perturbare, & hoc nostrum decretum infringere tentaverit, iram Dei & Sancti Petri Principis Apostolorum, & omnium Sanctorum incurrat, & anathematis vinculo, donec per condignam satisfactionem excessus suos correxerit, se obligatum esse sciat. Qui verò eos consilio vel rebus adjuverit, benedictionem Dei hæreditate possideat. Acta sunt hæc anno Dominicæ Incarnationis MCLXXIII. Indictione sextâ. Regnante Magnifico Friderico Imperatore, & commissa in manu Fratris Reineri quem ad hoc elegimus coram his testibus. Bruno Præpositus Majoris Ecclesiæ. Siffidus Præpositus Zantensis, Joannes Præpositus Sculecensis. Usto Abbas de *Graffschaffi* (*a*). Albertus Sosatiensis Ecclesiæ Decanus, Cunradus Custos, Gerhardus Sacerdos de Insula sancti Swiberti. Liberi homines & nobiles. Comes Arnoldus. Fritherius ipsius frater de *Altena*, Henricus de *Voxre*, Conradus de *Rudenburg*, Engelbertus *Munzuai*, Ælias frater ejus, Henricus de *Helbecke*, Bernhardus.... Ministeriales, Gerhardus advocatus *Colez*. Hermannus frater ejus, Thiemo de *Suesal*, Leonius de *Hulse*, Joannes filius ejus, Aildegerus, Brunsternus & alii quamplures. Datum Sosatio 3°. Kal. Martii.

Bulla Cælestini tertii Canonicam & bona Monasterii Wedinckhusen confirmantis, eique privilegia concedentis anno 1196.

CÆlestinus Episcopus Servus servorum Dei, Dilectis filiis Christiano Abbati Monasterii sancti Laurentii in *Wedinckhusen*, ejusque Fratribus tàm præsentibus quàm futuris, præclarâ vitâ professis in perpetuum. Religiosam vitam eligentibus Apostolicum convenit adesse præsidium, ne fortè cujuslibet temeritatis incursus, aut eos à proposito revocet, aut robur, quod absit, religionis infringat. Ea propter, Dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & præfatum Monasterium sancti Laurentii in *Wedinckhusen*, in quo Divino mancipati estis obsequio, sub Beati Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus, in primis siquidem statuentes ut ordo Canonicus qui secundùm Deum & Beati Augustini Regulam, atque institutionem Præmonstratensium fratrum in eodem loco institutus dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascunque possessiones, quæcunque bona, idem Monasterium in præsentiarum justè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus, & illibata permaneant in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis: locum ipsum in quo præfatum Monasterium situm est, cum omnibus pertinentiis: Curiam in *Marfelde* quod Henricus Comes de *Arnesberg*, qui Monasterium vestrum piâ consideratione inductus fundavit, concedentibus Henrico & Godefrido filiis suis, eidem Monasterio tradidit perpetuò possidendum, cum omnibus pertinentiis suis. Curiam quæ dicitur *Evenbo*, montem qui dicitur *Echols*, & montem qui dicitur *Cetns*, mansum unum *Weltere*, mansum unum *Lenole*, mansum unum *Buren*, mansum unum *Hagenen*, mansum unum *Holthausen*, *Grinele*, *Hagenbole*, *Mollensclea*, *Wige*, decimam *Wanden* quam habetis ex dono Everhardi de *Arthes*, & fratris ejus Jonathæ, *Evolbem* in *Wirte* quam supradicti Fratres Henricus & Godefridus, Monasterio vestro cum omnibus pertinentiis suis deliberatione providâ, concesserunt; jus quod habetur in monasterio Monialium *Rumbecke*. Sanè novalium vestrorum quæ propriis manibus aut sumptibus colitis, de hortis & virgultis, & piscationibus vestris, de nutrimentis animalium vestrorum, nullus à vobis decimas exigere, vel extorquere præsumat, liceat quoque vobis Clericos vel Laïcos habere, & absolutos è seculo fugientes ad Monasterium recipere, & eos absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper ut nulli Fratrum vestrorum post factam in Monasteriis vestris professionem, fas sit absque Abbatis sui licentia, eodem loco discedere, discedentem verò absque communi litterarum vestrarum cautione nullus audeat retinere. Ad hæc inhibemus nemini Episcopo vel alii plus à vobis pro vestris decimis petere, aut recipere liceat quàm fuerit à Prædecessoribus concessum usque ad hæc tempora requisitum. Cùm autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis clausis januis, exclusis excommunicatis & interdictis, non pulsatis campanis, suppressâ voce divina officia celebrare; Chrisma vero, oleum sacrum consecrationes altarium seu basilicarum, Ordinationes Clericorum qui ad sacrum Ordinem fuerint promovendi, à Diœcesano suscipietis Episcopo, siquidem Catholicus fuerit, & communionem sanctæ Romanæ sedis habuerit, & nisi vobis voluerit sine pravitate quadam exhibere; alioquin liceat vobis quemcunque volueritis Catholicum adire antistitem, gratiam & communionem sedis Apostolicæ habentem, qui nostrâ fretus authoritate, vobis quod postulatis impendat, prohibemus insuper ut infra fines parochiæ vestræ nullus sine assensu diœcesani Episcopi & vestro Capellam vel oratorium de novo construere audeat, salvis privilegiis Romanorum Pontificum; ad hæc novas & indebitas exactiones ab Archiepiscopis, Archidiaconis, Decanis, aliisque omnibus ecclesiasticis secularibusve personis omnino fieri prohibemus, sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decernimus ut eorum devotioni & extremæ voluntati qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi fortè excommunicati, vel interdicti sint, nullus obsistat; salvâ tamen justitiâ illarum Ecclesiarum à quibus mortuorum corpora assumuntur, decimas præterea & possessiones & jus Ecclesiarum vestrarum spectantes quæ à Laïcis detinentur, redimendi & legitimè liberandi de manibus eorum & ad Ecclesias ad quas pertinent, revocandi, libera sit vobis de nostra authoritate facultas, paci quoque & tranquillitati vestræ, paternâ in posterum sollicitudine, providere volentes, authoritate Apostolicâ confirmamus ut infra clausuras locorum vel grangiarum vestrarum,

(*a*) Abbatia O. S. B. in Angaria Westphaliæ congregationis Bursfeldensis.

nullus rapinam vel furtum facere, ignem apponere sanguinem fundere, hominem temerè capere vel interficere seu violentiam audeat exercere. Preterea omnes libertates, & immunitates à prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus Ordini vestro concessas, nec non & libertates & exemptiones secularium exactionum à Regibus & principibus & fidelibus rationabiliter indultas, authoritate Apostolicâ confirmamus, & præsentis scripti privilegio communimus. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatum Monasterium temerè perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibus libet vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt, usibus & commodis profutura, salvâ sedis Apostolicæ authoritate, & diœcesani Episcopi canonicâ justitiâ. Si quæ igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostræ confirmationis paginam sciens contra eam temerè venire tentaverit, secundò tertiòve commonita, nisi reatum suum congruâ satisfactione correxerit, potestatis, honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo Corpore & Sanguine Dei Domini Redemptoris nostri Jesu Christi, aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus, sit pax Domini nostri Jesu Christi, qui & hîc fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant, amen, amen. Ego Cælestinus Catholicæ Ecclesiæ Episcopus. Ego Ottomanus Ostiensis & Welletrenensis Episcopus. Ego Petrus Portuensis & S. Rufinæ Episcopus. Ego Petrus tit. S. Ceciliæ Presbyter Cardinalis. Ego Joannes S. Pudentianæ tit. Pastor Presb. Cardinalis. Ego Joannes Ecclesiæ S. Clementis Cardinalis Viterpiensis & Tusculanus Episcopus. Ego Hugo Presb. Cardinalis tit. Equitii. Ego Joannes tit. S. Stephani in Cælio monte Presb. Cardin. Ego Cintius tit. S. Laurentii in Lucina Presb. Card. Ego Laffricius tit. S. Praxedis Presb. Card. Ego Bernardus S. Petri Presb. Card. tit. Eudoxiæ. Ego Gracianus SS. Cosmæ & Damiani Diac. Card. Ego Gerhardus S. Adriani Diac. Card. Ego Gregorius S. Martini in porticu Diac. Card. Ego Gregorius S. Georgii ad velum aureum Diac. Card. Ego Lotharius SS. Sergii & Bacchi Diac. Card. Ego Nicolaus S. Mariæ in Cosmedin Diac. Card. Ego Babo S. Theodori Diac. Card. Datum Laterani per manum Centii S. Luciæ in Orthea Diac. Cardinalis Domini Papæ Camerarii Non. Martii. Indictione 14. Incarnationis Dominicæ MCXCVI. Pontificatûs nostri Domini Cælestini Papæ tertii quinto.

Bulla Innocentii II. pro confirmatione Monasterii Arnsteinensis MCXLII.

INnocentius Episcopus Servus servorum Dei. Dilectis filiis Godefrido Abbati Arnsteinensi ejusque Fratribus tàm præsentibus quàm futuris regulariter substituendis in perpetuum. Ad hoc universalis Ecclesiæ cura nobis à provisore omnium bonorum Deo, commissa est ut religiosas diligamus personas, & beneplacentem Deo religionem studeamus modis omnibus propagare. Nec enim Deo gratus aliquandò famulatus impenditur, nisi ex charitatis radice procedens, à puritate Religionis fuerit conservatus, oportet igitur omnes Christianæ fidei amatores diligere, & loca venerabilia cum ipsis personis divino officio mancipatis, attentiùs confovere, ut nullis pravorum hominum inquietentur molestiis, vel importunis angariis fatigentur. Proinde, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & Arnsteinensem B. Dei Genitricis semperque Virginis Mariæ, & gloriosi Confessoris Christi Nicolai Ecclesiam, in qua divino mancipati estis obsequio sub B. Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus. Imprimis si quidem statuentes ut Ordo Canonicus secundùm Beati Augustini regulam & institutionem Fratrum Præmonstratensium perpetuis ibi temporibus inviolabiliter conservetur. Nullus etiam Fratrum post factam professionem alicujus levitatis instinctu, vel districtioris religionis obtentu audeat sine Abbatis, totiusque Congregationis permissione discedere; discedentem verò nullus Abbatum, vel Clericorum sine communi litterarum cautione suscipiat. Præterea quascumque possessiones, quæcumque bona tàm ex dono vel concessione illustris viri Ludovici & Gudæ uxoris suæ, quàm aliorum Dei fidelium, in præsentiarum justè & Canonicè possidetis, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium seu aliis justis modis, Deo propitio, poteritis adipisci, firma vobis vestrisque successoribus in perpetuum & illibata permaneant, in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis, Ecclesiam Sanctæ Margaretæ cum decima. Ecclesiam *Kirchdorff* cum decima & cæteris suis pertinentiis, sicut à Fratre nostro Alberone Archiepiscopo Trevirensi, vobis rationabiliter concessa esse dignoscitur. *Clelcbach* cum omni possessione sua, sicut à præfato Archiepiscopo vobis concessa est. *Hattenhusen*, *Welterode*, *Gozenerode*, *Holdenruche* cum omnibus eorum pertinentiis, vineas & silvas in *Neven* & *Bremme* cum omni jure & dominio sicut præfatus Ludovicus vobis concessisse dignoscitur. *Bubenheim*, cum Ecclesia & omnibus possessionibus suis. *Wize* & *Berbernhem*. Sane laborum vestrorum quos propriis manibus aut sumptibus colitis, sive de nutrimentis animalium vestrorum, nullus omnino Clericus vel Laïcus decimas à vobis exigere præsumat. Obeunte verò te ejusdem loci Abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi quâlibet subreptione, astutiâ vel violentiâ præponatur, sed liceat vobis communi consilio, vel parti sanioris consilii secundùm Dei timorem & Beati Augustini regulam absque ullius contradictione Abbatem eligere; porrò loci vestri Advocatiam nullus invadere, vel usurpare præsumat, nisi quem Abbas & Fratres secundùm Deum, & ipsius loci utilitatem providerint eligendum. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatam Ecclesiam temerè perturbare aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere aut aliquibus vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum, pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salvâ Trevirensis Archiepiscopi canonicâ justitiâ. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temerè venire tentaverit secundò, tertiòve commonita, si non satisfactione congruâ emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo Corpore & Sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri Jesu Christi, aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco justa servantibus, sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenùs & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen.

Ego Innocentius Catholicæ Eccl. Episcopus.
Ego Conradus Sabinensis Episcopus.

Ego Gregorius Cardinalis Diaconus SS. Sergii Bacchi.

Ego Stephanus Prænesting Episcopus.

Ego Otto Diaconus Cardinalis Sancti Gregorii ad velum aureum.

Ego Stannus Presb. Card. tituli S. Saitnæ.

Ego Guido Card. Presb. tituli S. Crisogoni.

Ego Rainerig Presb. Card. tituli S. Priscæ.

Ego Guido Diaconus Card. SS. Cosmæ & Damiani.

Ego Petrus Diac. Card. Sanctæ Marthæ in Portricu.

Datum Lat. per manum Gerardi Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presb. Cardinalis ac Bibliothecarii ij. Kal. Octobris, Indictione quinta, Incarnationis Dominicæ an. MCXLII. Pontificatûs verò Domini Innocentii Papæ II. anno XIII.

Confirmatio Conradi tertii Imperatoris.

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Conradus, Divinâ favente clementiâ, Rex Romanorum secundus. Notum sit cunctis Dei fidelibus tàm futuris quàm præsentibus, quòd Comes Ludovicus de *Arnstein* & Guda Comitissa uxor sua Spiritu sancto inspirante, miro modo, ubi vult, operante, prædia sua libera, hæreditate ab eis possessa, sancto Petro in Trevirensi Ecclesia obtulerunt, hoc tantùm jure, ut Abbas quem Cœnobio ex possessionibus suis pro remedio animarum suarum in honore Sanctæ Mariæ & Sancti Nicolai & Sanctæ Margaretæ constituto præfecerint, locum & dignitatem suam in Trevirensi synodo obtineat & conventus fratrum suorum liberam electionem Abbatum habeat & quemcumque velit advocatum sibi præstituat. Decreverunt enim ex Castello suo nomine *Arnstein* tabernaculum militiæ Dei cum Fratribus Deo ibidem ad imitationem Canonicorum Præmonstratensium sub Regula Beati Augustini continuè servientibus constituere, & reliqua sua prædia tàm invia quàm pervia, tam saltuosa, quàm plana, prata, pascua, decursusque aquarum, saltus nemorum, piscationes, venationes ad hoc cœnobium pertinere, & ejusdem loci homines ad eandem curiam pertinentes, viros videlicet quatuor denarios, mulieres verò duos persolvere. Hæc autem sunt nomina locorum ad Ecclesiam prædictæ cellæ suo jure pertinentium *Selbach*, *Kirchdorff*, Ecclesia scilicet cum omni decima *Goziimiroth*, *Weldroth*, *Haltenhusen*, *Salscheidt*, *Holdinrachim*, tres hubæ de *Singhophin*, *Brunenbach*, duæ hubæ de *Pissinhophen*, *Nieren* cum vineis & silvis, *Werhe Bubinheim* cum Ecclesia & omni ejusdem villæ populo; una huba alterius villæ etiam nomine *Bubenheim*, quæ singulis annis decem solidos persolvit. Nos igitur voluntati eorum consentiendo, petitioni suæ satisfecimus & dispositionem & statutum de omnibus suis possessionibus cum præsignato jure Regali, nostrâ authoritate confirmavimus, cujus confirmationis testes subscriptos adhibuimus Sigifridum Spirensis Ecclesiæ Episcopum, Bugonem Wormatiensem Episcopum, Wolicandum Abbatem Lorsaniensem. Benedictum Abbatem Huzinburgensem. Fredericum Ducem, Heremannum Palatinum Comitem, Heberhardum, Emichonem, Echebertum, Udalricum, Henricum *Catzenellenbogen*. Bobbonem de *Heninberch*, Adilbertum de *Lewenstein*, Comites omnes, Udalricum de *Hurningen*, Godefridum de *Spanheim* Gerlacum de *Isenburch*, & reliquos plures ejusdem conditionis, attestatione quidem horum sic præfatæ dispositionis statutum confirmavimus, quod nullus sive Archiepiscopus, sive Suffraganeus ejus, sive Dux, sive Marchio, sive Comes Palatinus, sive alii quantumvis nobiles, destruere audeat; sed si temerario ausu tamen aliquis de prædictis possessionibus aliquid mutare sive fraude, vel violentiâ aliquid substrahere voluerit, ita quòd nostram confirmationem irritam faciat; centum libras auri componat, de quibus quinquaginta quidem mittat in nostram Cameram, reliquas verò partes ad præscripti cœnobii cum magna devotione det Ecclesiam. Ego Arnoldus (*a*) Cancellarius vice Henrici (*b*) Moguntini Archiepiscopi & Archicancellarii recognovi. Anno Dominicæ Incarnationis MCXLVI. Indictione nonâ. Regnante Conrado Romanorum Rege III. anno verò Regni ejus VII. Data Spiræ feliciter Amen.

Confirmatio Hillini Archiepiscopi Trevirensis.

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Hillinus * Trevirorum Archiepiscopus & Apostolicæ sedis Legatus. Si in Sacro-sanctis Evangeliorum libris mulier vidua in Gazophilacium duo mittens minuta, à Domino eo quòd sibi nihil retinuerit, plus aliis, qui etsi majora, non tamen omnia obtulere, laudata est, multò magis nos eos qui se suaque, fideli devotione relinquentes, divinis per omnia mancipaverunt obsequiis, honorare & diligere atque ex injuncto nobis divinitùs Pontificatûs ac Legationis officio manu tenere debemus, & contra omnes injuriosorum incursus defensare & communire quantùm possumus, ut nos quoque bonis eorum operibus studio nostro cooperantes remunerationis perpetuæ cum ipsis participare queamus. Quapropter notum facimus tàm futuris quàm præsentibus, quòd Illustris Comes Ludovicus unà cum præclara Conjuge sua Guda, temporibus venerandæ memoriæ prædecessoris nostri Domini Alberonis, castrum suum quod dicitur *Arnstein*, unà cum omni Allodio suo pro cœlestis Regni amore abdicantes, B. Dei genitricis Mariæ, sanctoque Nicolao promptâ voluntate obtulerunt, & ut ibidem vita canonica secundùm regulam Beati Augustini, & Ordinem Præmonstratæ domûs in perpetuum servetur, disposuerunt, procedente verò tempore, ordinatis jam inibi Fratribus, locum ipsum cum omnibus pertinentiis suis Ecclesiæ Beati Petri cui nos, Deo authore, præsidemus, hortatu ejusdem prædecessoris nostri absque omni censûs pensione contradiderunt, ab eo pro recompensatione tantæ devotionis quædam bona quæ priùs ipse Ludovicus ab Archiepiscopatu Trevirensi in feudum habuerat, jure proprietatis perpetuò possidenda receperunt. Nos igitur justis eorum petitionibus an-

* De eo infra, ubi de Santa Cruce

(*a*) Arnoldus I. nomine è Comitibus de *Altena* vir omnino Religiosus, ait Bruschius, justi & æqui studiosissimus qui violentiis restiterit & Ecclesiam defenderit ex B. Andreæ præposito Colonien. Archiepiscopus electus est anno 1137. juxta chronicam Belgii factam Joan. Bapt. Lud. de *Castillon* substitutum Hugoni prædecessori suo an. 1138. contendunt Sammarthani. Tardius hanc dignitatem adeptum fuisse asserit ex Gasparo Bruschio Bernardus à *Mallinckrot*, scilicet post cancellariatum Aulicum Imperialem, quem Arnoldo Cunradum Suevum Imp. tradidisse an 1138. testantur recognitiones ab ipso factæ: Aquisgrani Fridericum I. Imperat. 7. idus Mart. an. 1152. ab ipso Arnoldo coronatum fuisse volunt Sammarthani, postmodùm in Remensi Concilio de simonia cum Moguntinensi Archiepiscopo insimulatum, depositum fuisse, cum tamen die 3°. Aprilis anni 1151. obiisse scribit Ludovicus de *Chatillon*.

(*b*) Henricus I. cognomento felix, ex Præposito creatur Moguntinensis Archiepiscopus an. 1142. à Rege investitus apud Francofordiam, insigni pietate excultus, falsò accusatur apud Pontificem à Canonicis, quòd pro ratione officii Episcopalis, solutæ vitæ deditos objurgasset. Deponitur jussu Eugenii tertii Wormatiæ die 27 Julii anni 1151. in Saxoniam relegatus ubi obiit anno 1153. Kal. Sept. tumulatus Embeci.

nuentes sub nostra tuitione & sedis Apostolicæ, cui Legationis gratiâ in Teutonico Regno subministramus, defensione, eundem locum cùm omnibus prædiis & possessionibus, vel quibuslibet bonis hactenùs sibi contraditis, vel deinceps justâ ratione tradendis, defensandum suscipimus. Has itaque possessiones præfatæ Ecclesiæ in *Arnstein* privilegii nostri authoritate communimus videlicet *Bubenheim* quod est in pago Wormatiensi cum Ecclesia, decimis & hominibus, cunctisque reditibus ejus, ita quòd nulli potestati seculari subjaceat. In Archiepiscopatu Moguntino in villa *Wisze* triginta mansos & claustrum in *Gommersheim* cum omnibus appenditiis ejus. Item in Archiepiscopatu nostro in villa *Hattenhusen* octo mansos in *Weltrodt* quatuor mansos & villam *Gozemerode* cùm omni jure præter duos mansos in *Brunenbach*, unum mansum & curtim *Holdenruck* cum omni jure & *Salscheidt* cum omni decima. In *Singhoben* tres mansos, in Villa *Neve* & *Breeme*, vineas, agros, silvas & decimam selectæ terræ, in campo curiam & vineas. Item Ecclesiam Sanctæ Margaretæ in *Arnstein* in legitima donatione contradidit. Præterea curtim *Selbach* & Ecclesiam de *Kirchdorff* quæ præfatus Prædecessor noster piæ memoriæ Alberto eidem Ecclesiæ in *Arnstein* contulit. Nos quoque pro remissione peccatorum nostrorum & omnium successorum nostrorum Archiepiscoporum ad usus Fratrum inibi Deo servientium, contradimus cum omni jure & integritate, cum hominibus scilicet & decimis universis ad Ecclesiam *Kirdorff* pertinentibus, ipsamque Ecclesiam, sicut & illam Beatæ Margaretæ in *Arnstein* à jure Synodali & ab omni servitio Archiepiscopi, Archidiaconi, vel Decani penitùs emancipamus; & omnem decimam utriusque Parochiæ ex integro concedimus, & sicut ab Antecessore nostro indultum esse cognoscimus. Si quæ bona Fratrum intra nostrum Episcopatum de loco ad locum transferri contigerit ab omni telonii vel vectigalis onere esse absoluta statuimus, hocque confirmamus ut nullus aliquo tempore supra prædicta bona constituatur advocatus, sed solummodò sub nostræ protectionis munimine, sive successorum nostrorum tuta consistant. De cætero sancimus ut nullus unquam Abbas ibi constituatur, nisi quem communiter libero consensu Fratrum, Conventus elegerit. Si quis igitur, quod absit, contra hujus nostræ Constitutionis paginam temerario ausu venire tentaverit, severissimam Divinæ indignationis ultionem persentiat, & timendi anathematis sententiæ subjaceat, donec condignâ satisfactione resipiscat, conservatoribus autem hujus nostræ Constitutionis, vita, salus, pax & gaudium sine fine permaneat. Amen.

Testes hujus rei sunt.

Godefridus majoris domûs Præpositus & Archidiaconus.

Rudolfus Decanus & Archidiaconus.

Alexander Archidiaconus & S. Florini in confluentia Præpositus.

Joannes Archidiaconus.

Conradus Præpositus Sancti Paulini.

Baldricus Majoris domûs Scolasticus & Sancti Simeonis Præpositus.

Robertus de *Palatiolo* Præpositus.

Eustachius Abbas in *Arnstein*.

Sigerus Abbas de Sancto Maximino.

Bertolffus Abbas Sancti Eucharii.

Ludovicus de *Sancta Maria Veterum* Abbas.

Godefridus Abbas Sancti Martini.

Richardus Abbas de *Sprinkerbach*.

Wichinamus Abbas de *Luneche*.

Wolframus Abbas de *Wadengozinge*.

Henricus Abbas de *Rumersdorph*.

Hildelinus Abbas de *Schenangia*.

Wichimanus Abbas de *Grunurt*.

Henricus Comes de *Lutzenbunech*.

Albertus Comes de *Chisnei*.

Sifridus Comes de *Vianna*.

Arnoldus de *Serrba*.

Cuno de *Maelberg*.

Wilhalmus *Marscalleg*.

Gerhardus de *Hasch*.

Henricus de *Palatio*.

Fredericus de *Marato*.

Fridericus aureus.

Acta sunt hæc Treviris 4. Kal. Nov. anno Dominicæ Incarnationis MCLVI. Indictione quartâ, epactâ tertiâ. concurrente VII. anno Pontificatûs Venerabilis Hillini Trevirorum Archiepiscopi & Apostolicæ sedis Legati quarto, feliciter regnante. Amen.

Diploma Arnoldi Comitis Lossensis, pro fundatione Averbodii.

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Respectu divinæ misericordiæ dignum adjudicamus fideles Christi famulos nos debere & de nostra abundantia necessitatibus eorum concurrere & eorum inopiam sublevare, ut cùm defecerimus, recipiant nos in æterna tabernacula. Hinc est quod Ego Arnoldus (*a*) Dei gratiâ dictus Comes de *Los* cum Lodewico filio meo, Ecclesiam Sanctæ Mariæ, Sanctique Joannis Baptistæ in Averbodio allodio nostro fundavimus, & in ea Canonicos Præmonstratensis Ordinis, sub Regula Beati Augustini degentes, collocavimus; quibus omnem terram cum nemoribus à termino *Erdebergha* usque ad terminum qui dicitur *Ubrepack* cum pascuis circumjacentibus, liberè concessimus. Ecclesiam etiam de *Tessenderlo*, cum decimis & appenditiis, & cum omnibus ejusdem villæ usibus, aquis videlicet & pascuis, prædictis Fratribus in usus proprios largiti sumus. Hanc etiam donationem nostram à Patre nostro universalis Ecclesiæ Pontifice, beatæ memoriæ Innocentio, firmari fecimus. Hoc diploma legitur in hist. Loss. p. 101.

Ne autem aliquis successorum meorum hanc nostram donationem temerè violare præsumat, præsentem paginam sigilli nostri attestatione communivimus. Acta sunt hæc anno Incarnationis Dominicæ MCXXXV. Indictione XIII. Præsentibus Liberis hominibus & nostris Ministerialibus, quorum hæc sunt nomina, Walterus de *Heere*, Cono frater ejus, Engranius de *Los*, Godefridus & Hildefridus fratres ejus, Eggebertus de *Rolenghem*, Oldericus de *Bilreivelt*, Helias de *Gelmene*, Godefridus de *Mettincouen*, Robertus de *Berlos*, Hugo frater ejus, Hermannus *Busch*, Hermannus de *Bovingen*.

Diploma Alexandri Leodiensis Episcopi.

EGo Alexander Divinâ ordinante clementiâ, Dominici gregis in Episcopatu Leodinensi humilis custos & provisor, notum facio ac sigilli nostri impressione memoriter tenendum trado tàm posteris sequacibus, quàm nostri temporis catholicæ fidei cultoribus, quòd videlicet Comes Ernulfus de *Los*, assensu aliorum nobilium participum suorum, scilicet Ernulfi de *Arscot*, Ernulfi de *Dist* canonici de *Repe* & Radulphi Abbatis Sancti Trudonis, allodium

(*a*) Arnulfum apellat Mantelius in hist. Loss. l. v. p. 84. Filius erat Emmonis Comitis Loss.

quod nominatur *Averbodo*, ad laudem & honorem Christi, Domino ibi famulari volentibus, dederit pro salute animæ suæ & patrum suorum, ut ibi ædificent & semina spargant, unde in terra viventium manipulos colligant, hoc autem in nostris diebus stabilitum est, me teste, me præsente, temporibus quoque Litherii Imperatoris, Brunonis Archiepiscopi Coloniensis, Pagani Ducis Lenburgensis, Godefridi Comitis Namurcensis. Hujus sanctionis idonei existunt testes, Steppo Præpositus in Ecclesia sancti Lamberti & Archidiaconus, Joannes Archidiaconus, Gilbertus Archidiaconus, Dodo Archidiaconus, Reinerus Archidiaconus, Hermannus Archidiaconus, Alexander Archidiaconus. Bannum ergo Dei & nostrum ponimus ne quis de cætero institutionem præscriptam infringat, quod si quis fecerit anathema sit.

Diploma Stephani Episcopi Metensis.

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis Patris & Filii & Spiritûs Sancti. Stephanus Divinâ miseratione Metensis Episcopus, omnibus tam præsentibus quàm futuris in perpetuum. Quia juxta Apostolum bonum operari ad omnes commonemur, & debitores sumus, maximè illis curam beneficentiæ impendendam esse non dubitamus, qui relicto fluctuantis mundi præsentis naufragio, ad tranquillum contemplationis portum feliciter se contulerunt, ac in eo anchoram suæ salutis confixerunt. Igitur ob remedium nostrorum peccatorum seu omnium prædecessorum nostrorum vel successorum, petitione nec minùs Gerardi venerabilis Sanctæ Crucis Cardinalis, tunc etiam Apostolicæ sedis Legati, terram quæ *Averbodium* vocatur, usque ad hæc tempora solis latronum vel prædonum spurcitiis, rapinis ac homicidiis vacantem, in qua cum aliis nobilibus viris portionem aliquam Ecclesia Sancti Trudonis habuit, consensu Radulphi ejusdem Ecclesiæ Abbatis & Fratrum Ecclesiæ Sancti Joannis Baptistæ quæ inibi fundata est, liberè possidendam contradidimus: eo quidem tenore ut Ecclesiæ sancti Trudonis singulis annis in Epiphania Domini aureum nummum, sive pretium ejus, Fratres Ecclesiæ Sancti Joannis suprà memoratæ, persolvant. Huic nostræ traditioni assensum præbuerunt Advocati prædictæ Sancti Trudonis Ecclesiæ Waleramnus Dux & Marchio Lotharingiæ, & Giselbertus de *Duraco* Ut autem hæc rata & inconcussa jugiter permaneant, præsentem paginam conscribi jussimus sigilli nostri impressione roboratam. Testes quoque hujus rei adhibiti & advocati sunt prædictus Cardinalis Gerardus, Bruno Coloniensis Archiepiscopus, Episcopus Albero Leodinensis, Andreas Trajectensis, Nicolaus Cameracensis, Comites Godefridus de *Namurco*, Arnoldus de *Los*, Waleramnus Dux, Giselbertus de *Duraco*, Lambertus de *Monte acuto*. Actum anno Incarnati verbi millesimo centesimo XXXVI. Indictione XIV. In nomine Domini feliciter. Amen.

Diploma Innocentii secundi bonorum Averbodii confimativum.

INnocentius Episcopus Servus servorum Dei, Dilecto filio Andreæ Abbati Sanctæ Mariæ sitæ in Averbodio, tuisque successoribus canonicè substituendis, in perpetuum. Piæ postulatio voluntatis effectu debet prosequente compleri, quatenùs devotionis sinceritas laudabiliter enitescat, & utilitas postulata vires indubitanter assumat. Ea propter, Dilecte in Domino fili Andreas Abbas, tuis petitionibus clementer annuimus, & Ecclesiam Sanctæ Mariæ sitam in *Erebodio* quam utique nobilis vir Arnulfus Comes ejusque consortes, piæ devotionis intuitu fundaverunt & ad vestram sustentationem Omnipotenti Domino pro animarum suarum remedio liberè obtulerunt, à termino videlicet *Endeberghe* usque ad terminum qui dicitur *Ulrepat* cum pascuis circumjacentibus sub protectione Beati Petri suscepimus & præsentis privilegii paginâ communivimus. Statuimus etiam ut quascumque possessiones, quæcunque bona idem locus impræsentiarum justè & canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium seu aliis justis modis, Deo propitio, poterit adipisci, firma tibi tuisque successoribus, & illibata permaneant. Adjicimus quoque ut idem locus ab omni exactione liber maneat, sicut ab iisdem fundatoribus statutum fuisse cognoscitur, nec aliquem præter Episcopum habeat advocatum, & ut Ordo Canonicus secundùm Regulam Sancti Augustini & institutionem Præmonstratensis Ecclesiæ ibi perpetuò conservetur. Sancimus etiam ut nemini Fratrum post factam in eodem loco professionem absque licentia Prælati sui ad alium locum liceat transmigrare, quod si discesserit & canonicè commonitus redire contempserit, facultatem nihilominùs habeatis eundem à divinis officiis interdicere, interdictum verò nullus Episcoporum vel Abbatum suscipere audeat vel retinere. Sanè de laboribus quos propriis manibus & sumptibus colitis, decimas exigi prohibemus, de nutrimentis quoque animalium vestrorum idipsum observari præcipimus. Ut autem quietiùs atque liberiùs manere possitis in omnipotentis Dei servitio, authoritate Apostolicâ inhibemus ne cuilibet Episcopo liceat vos ad opera sua, nisi fortè ad Synodum, invitos trahere vel vocare, porrò sepulturam ejusdem loci omnino liberam esse concedimus ut videlicet eorum qui se illic sepeliri deliberaverint devotioni & extremæ voluntati (nisi fortè excommunicati sint) nullus obsistat, salvâ nimirùm Matricis Ecclesiæ canonicâ justitiâ, vel reverentiâ. Inter cæteras ejusdem loci possessiones Ecclesiam quæ dicitur *Tessenderloo* nihilominùs confirmamus. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat eundem locum temerè perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu aliis perturbationibus fatigare, sed omnia integrè conserventur pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt omnimodis usibus profutura. Si qua sanè in posterum ecclesiastica secularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temerè venire tentaverit, secundò tertiòve commonita, si non congruè satisfecerit, potestatis honorisve sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo Corpore & Sanguine Domini nostri Jesu Christi aliena fiat. Conservantes autem hæc omnia omnipotentis Dei & Beatorum Apostolorum ejus Petri & Pauli benedictionem & gratiam consequantur. Amen. Ego Innocentius catholicæ Ecclesiæ Episcopus. Datum Laterani per manus Almerici S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Diaconi & Cancellarii XVI. Kal. Maii. Ind. II. Dominicæ Incarnationis MCXXXIX. Pontificatûs Domini Innocentii Papæ II. anno X.

Diploma Henrici Leodiniensis Episcopi omnia bona Averbodiensi Ecclesia collata, confirmantis.

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ego Henricus Dei gratiâ Leodiensis Episcopus tam futuris quàm præsentibus in perpetuum. Ne temporum longinquitate oblitterentur & in futurum in

controverſiam reducantur quæ noſtris diebus geſta ſunt, præſenti pagellæ committimus. Henricus de *Hacia* & Willelmus frater ejus de *Dungelbergio* omnium cohæredum ſuorum conſenſu, pro remedio animarum ſuarum, proprium allodium ſuum quod *Waganbes* dicitur, Eccleſiæ ſanctæ Mariæ Sanctique Joannis Baptiſtæ in Averbodio ſitæ, præſente bonæ memoriæ Andrea Abbate ipſius loci, in monumentum ſui, ad divinum ibidem officium celebrandum contulerunt, poſtea verò quædam nobilis Matrona nomine Beatrix de *Geiſt*, ſeptem bonnaria terræ adjecit cum tribus areis & * camba una. Balduinus & Henricus de *Sluſa* pro animabus Patris & Matris, & fratrum ſuorum tria bonnaria addiderunt. Nos verò ſanctæ memoriæ Prædeceſſorum noſtrorum, qui promovendæ Religionis affectu, effectu vitam æternam mercati ſunt, etſi impares merito, qualeſcumque tamen æmulatores, piæ devotionis voluntate, pauperum Chriſti ex modulo noſtro in Diœceſi noſtra auxilio noſtro indigentium curam gerere, vota exaudire & bona meri intendimus. Igitur prædicta bona, & alia quibus aucta ſunt vel augeri in poſterum poſſunt, ſeu largitione Ducis, aliorumve Principum, ſeu fidelium, præſenti ſcripto, ſigilli noſtri authoritate roboramus. Quicumque verò auſu temerario Fratres ſuper his quæ eis firmavimus, & hoc ſcriptum irritum facere tentaverit, iram Dei omnipotentis & Matris ejus, & omnium Sanctorum incurrat, & anathematis vinculo, uti ſacrilegum decet, quouſque condignam ſatisfactionem peregerit, obligatum ſe ſciat.

* Braſſiatorum officina

Hujus actionis teſtes ſunt Alexander ſummus Præpoſitus, Archidiaconi, Reinerus, Bruno, Amalricus, Balduinus, Dodo, Elbertus. Abbates, Gelrandus de Floreſſia, Lucas de *Cornelio monte*, Philippus de *Parco*. Liberi homines, Godefridus Dux Lotharingiæ, Henricus Comes de *Namurco*, Ludovicus Comes de *Loſſ*, Willelmus de *Birbaſio*, Anſelmus de *Boneſſia* Wiricus de *Prato*. Acta ſunt hæc anno Domini 1149.

Diploma Ludovici Comitis Loſſenſis quædam bona Averbodienſi Eccleſiæ concedentis.

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ego Ludovicus Dei gratiâ Comes in *Los* omnibus tàm futuris quàm præſentibus, ſalutem & vitam in Chriſto perpetuam. Quoniam rectè geſta bonorum præcedentium, beneficio litterarum, memoriæ commendantur poſterorum, Notum facimus cunctis in Chriſto fidelibus, quòd allodium noſtrum in *Barebergh*, tum intuitu æternæ renumerationis, tum petitione Domini Andreæ Abbatis, fratriſque Hidulphi medici, ad Averbodienſem Eccleſiam liberè contulimus, ſciendum verò quòd ejuſdem Allodii medietatem Comes de *Duras* nomine Godinus, quia pertinebat ad ipſum, partim accepto pretio, partim pro remedio animæ ſuæ, præfatæ Eccleſiæ contradidit & effeſtucavit. Nos verò prætextatam poſſeſſionem tàm in arabili terra, quàm in pratis ac paſcuis ut potè legitimi Averbodienſis Eccleſiæ Advocati, tuendam ac tenendam ſuſcepimus, ſigillique noſtri impreſſione communivimus. Præterea ſciendum eſt quòd Emelinus quidam de *Diolo* cum fratribus Sigero, Gerungo, manſum terræ quem hæreditario jure poſſederat in *Balrebergh* cujuſque fundus erat Fratrum Eccleſiæ Sanctæ Mariæ, Sanctique Joannis, in vadium pro tribus marcis poſuit. Poſt aliquantùm verò temporis filii prænominatorum germanorum, qui calumniam aliquam contra Eccleſiam moverant, acceptis quatuor ſolidis Colonienſibus, præfatam terram perpetuò poſſidendam coram Villico & Scabinis de *Surle* legaliter tradiderunt Eccleſiæ & effeſtucaverunt. Præcedente quoque tempore emit Eccleſia tria prati bonnaria à quodam Willelmo de *Stoccherode*, fratre *Franconis*, qui cum filiis ſuis in curia de *Sorle*, idem pratum in præſentia Scabinorum Eccleſiæ legitimè tradidit & effeſtucavit. Hujus autem rei teſtes ſunt Arnoldus de *Corterthe*, Theodoricus de *Piberſen* Giſelbertus de *Leurre*. Viri nobiles Hincherannus de *Los*, Arnoldus de *Buch*, Reinerus, Hanagravius, aliique quamplures. anno MCLIV. feliciter.

Charta Philippi Colonienſis Archiepiſcopi bonorum Averbodienſis Eccleſiæ confirmativa.

PHilippus (*a*) Dei gratiâ Colonienſis Archiepiſcopus. Dilectis in Chriſto Fratribus Steppo-ni Abbati & toti Conventui in Euvebodia ſalutem in vero ſalutari. Sicut injuſta petentibus nullum omnino præbere debemus aſſenſum, ita quidem juſta poſtulantibus, ex officii noſtri debito, circumſpectâ ſedulitate, tenemur aſſurgere. Quapropter, Fratres in Domino dilectiſſimi, quia juri conſonum & rationi conſentaneum eſſe dignoſcitur ut veſtris juſtis condeſcendamus poſtulationibus, domum veſtram in Euvebodia quam licet poſſeſſione tenuem, devotione tamen invenimus locupletem, cum omnibus ſuis appenditiis, ſive eis quæ in præſenti rationabiliter poſſidetis, ſive quæ in poſterum largiente Domino, ex fidelium eleemoſynis, ſive quibuſcunque laboribus veſtris, vel aliis dignis modis eſtis adepturi, in protectione noſtra & Sanctæ Colonienſis Eccleſiæ ſuſcipimus; nominatum autem jus patronatûs Eccleſiæ in *Teſſenderlo*, à Comite Arnoldo de *Los* vobis collatæ, ſimiliter jus patronatûs in *Ceſtelt* quod Henricus de *Lathem* à Duce Godefrido de ipſa Eccleſia feodatus, per conſenſum & licentiam, imò cooperationem ejuſdem Ducis, ſicut idem Dux alibi ſigillo & litteris ſuis, vobis confirmat & libertatem donat, quantùm ad jus & dominium curiæ ſuæ in *Areſchot* pertinet, quolibet beneficiorum genere bona veſtra ampliandi, pro remedio animæ ſuæ legitimè vobis contulit, filio ejuſdem Henrici ſalutario conſentiente, & donationem Patris approbante. Item jus patronatûs Eccleſiæ in *Corſle* ab advocato *Haſbanie* Ludovico, vobis ſimiliter legitimè collatæ, feodum quoque villarum *Bladendunc* & *Varenreit*, quas Gerardus cognomento *Symot* vobis ſimiliter legitimè contulit ſicut illas feodali jure à Domino Waltero *Berthout* tenebat, conſentiente & conferente vobis eodem Waltero *Berthout* poſt reſignationem ejuſdem Gerardi. Item quidquid pertinet ad curiam veſtram *Cheſerbuſch*. Item beneficium, quod contulit vobis Comes Gerardus de *Los* in *Cheſſendrelon*, cum cæteris omnibus bonis veſtris, ſicut & ea juſtè ac pacificè poſſideris, authoritate quâ fungimur, vobis confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio, & ſigilli noſtri munimine roboramus, ſub anathematis interdicto inhibentes, ne quis vos, vel aliquos ſucceſſorum veſtrorum ſuper his deinceps infeſtare præſumat, aut moleſtare, ſed liberè & abſolutè, ſicut à majoribus noſtris ſummis Pontificibus, ordini noſtro miſericorditer eſt indultum. Liceat vobis ſupradictarum Eccleſiarum

(*a*) Hic Præſul Philippus eſt de *Heinsberg*, nam Philippus alter qui in Archiep. Colonienſium ſerie eſt Septuageſimus, non niſi ſeptem annis Colon. rexit Eccleſiam, hæc autem Bulla Philippi Præſulatûs an. 18. ſcripta fuit, & inſuper tempore alterius Philippi Abbas Averbodii non erat Steppo, cùm autem Philippus de *Heinsberg* an. 1167. ad Archiepiſcopales fuerit evectus infulas, conſequenter an. Domini 1185. hoc cuſum eſt diploma.

Perſonatum

personatum & investituram sine omni illicita exactione, ab Archidiaconis suscipere & tenere. Si quis autem diffidentiæ filius, hoc nostræ confirmationis scriptum rationabile, infringere præsumpserit, maledictionem Dei omnipotentis, & nostram, se noverit incursurum. Datum in Everbod. Pontificatûs nostri anno XVIII. *

* Id est anno 1185.

Charta Ludovici Comitis Lossensis, quâ unum terræ mansum Averbodio tradit.

LUdovicus Dei gratiâ Comes de *Los*, omnibus in Christo fidelibus, in perpetuum. Cùm cuilibet formæ virtutis & industriæ incrementum præstandum est, & justæ petitioni in piis causis subveniendum, & inter cætera precipuè domesticis fidei, piæ considerationis intuitu, parere ex usu frequenti, & affectuoso, necessarium duximus rationabili petitioni Abbatis Andreæ de Averbodio, satisfacere, & ex modo justitiæ nostræ auctorabili consensu adesse; unde notum facimus tàm præsentibus quàm futuris, quòd quidam Robertus cum complicibus cohæredum suorum, quemdam mansum *Gart*, cohærentem *Tessenderlon*, quem hæreditatis jure possedit, Spiritûs sancti gratiâ cooperante, & divino instinctu promovente, Ecclesiæ Beatæ Mariæ & Sancti Joannis Baptistæ in Averbodio, prout legaliùs potuit, tradidit, & cùm sæpè ex prosperitatis munere ad devium homo revocatur & jucundiora boni, malis intervenientibus, perturbantur, legitimam traditionem Claustri quidam miles, Giroldus nomine, causis intervenientibus, sitæ vindicavit possessioni, & manutenuit, accidit ut idem Robertus eundem mansum eidem militi in vadio dedit, & post eidem vendidit prout curia, cui appendebat mansus, ordinabat, & sententia Scabinorum dictabat. Aliquo tempore post succedente, idem miles Geroldus quodam vulnere cæsus, ad claustrum *Averbode* pervenit, & se cum eodem manso obtulit & contulit, & sic idem mansus legitimâ traditione datus est claustro & Abbati, ad usum & commoditatem Fratrum. Prætetea Theodoricus de *Brusthemia*, qui jure feodali eundem mansum possedit, id juris quod habuit, claustro contradidit; Conradus de *Dalchem*, cujus erat allodium mansûs, mihi Ludovico ut Comiti ejusdem Provinciæ & advocato præfati claustri, ordine judiciario, ut ad usus Fratrum tradidit & vuerpivit & effestucavit. Ego enim post hanc legalem donationem ut Comes & advocatus, eidem claustro dono perpetuo contradidi, & ut in perpetuum inconvulsum & ratum permaneret, scripto meo & sigilli nostri impressione, sancitum confirmamus. Hujus rei testes sunt Gocelinus pater suus, Baldricus de *Tuneldone*, Geraldus de *Merbot*, Baldricus de .... Eustachius frater ejus. Frater Libertus & Rodolfus Conversus. Theodericus villicus, Gerardus Socer ejus, *Engelgot* de *Barle*, & alii quamplures probi & honesti viri. Actum est hoc anno Incarnationis Verbi MCLX.

Charta Alexandri Episcopi Leodiensis, quâ prædium Averbodio legatum testatur, & approbat. Anno 1166.

EGo Alexander Dei gratiâ Leodiensis Ecclesiæ humilis minister. Notum facio tàm præsentibus quàm futuris, Joannem filium Giselberti de *Messelbur*, totum prædium suum quod inibi habuit, sive in Ecclesia, sive in terra, sive & in paludibus, pro salute animæ suæ, & animarum Antecessorum suorum, Ecclesiæ Sanctæ Mariæ Sanctique Joannis Baptistæ in Averbodio, liberè contulisse, ita dumtaxat, ut ipsum ab eadem Ecclesia in feudo deinceps teneat. Itaque hanc legitimam donationem rogatu dilecti filii nostri Andreæ, præfatæ Ecclesiæ Abbatis, firmam & ratam, scripto meo & sigilli mei impressione ex hoc nunc & usque in seculum facio; & eos qui eam infringere attentaverint, potestate nobis traditâ, ex authoritate Patris & Filii & Spiritûs sancti, & SS. Apostolorum Petri & Pauli & omnium Apostolorum, & Sancti Lamberti, nunc & semper excommunico. Hujus rei testes sunt Henricus, Reizo, Rabodo, *Gerlac*, Guncelinus, Arnulfus, Walterus, Hildebrandus, Walterus. Acta sunt hæc anno Incarnationis Dominicæ MCLXVI.

Charta Hugonis Leodiensis Episcopi, quâ Abbati Averbodiensi, à Lossensi Comite in perpetuum Capellanum assumpto, concedit ut eidem Comiti, vice suâ in spiritualibus absolutè providere valeat.

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, Patris & Filii & Spiritûs sancti. Hugo Dei gratiâ Leodiensis Episcopus, omnibus hanc paginam inspecturis, in perpetuum. Licet totius commissi nobis gregis Dominici, ex officio pastorali curam gerere debeamus, speciali tamen diligentiâ in eorum cautela, & quietis provisione necesse habemus invigilare, aliorum erga eos libertatem approbare, qui fluctibus seculi calcatis, ad tranquillum placidæ conversationis portum enataverunt. Unde est quòd nos ad instantiam viri inclit, Ludovi Comitis de *Los*, dilectissimi nostri, Abbati Averbodiensi in perpetuum commisimus vices nostras in conferendis spiritualibus eidem Comiti, & suis successoribus, & suæ familiæ in recipienda confessione, viatico porrigendo, unctione sacrâ & sepulturâ ministrandâ, eo quòd ipsum Abbatem sibi ac suis elegit in perpetuum Capellanum. (*a*) Quod ut ratum permaneat præsentibus litteris confirmamus. Datum anno Domini MCCXIII.

Charta Donationis Altarium de Nielles, Caquelles, Bayenghem, Haringes, Abbatiæ S. Augustini Tarvanensis factæ à Milone I. Episcopo Morinensi anno 1147.

EGo Milo * Dei gratiâ Morinorum Episcopus, Dilecto filio Alelmo de Sancto Augustino Abbati, suisque Fratribus Regularem vitam professis, in perpetuum. Universis Sanctæ Ecclesiæ Doctoribus & Magistris convenit, ut fidelium & maximè eorum, qui temporalia postponentes, paupertati spontaneæ, scilicet pro Christo, se subdiderunt, intentioni piæ semper annuant, & non solùm in spiritualibus, sed etiam in temporalibus pro posse, consulere intendant. Illius itaque considerationis intuitu, Dilecte fili Alelme Abba, tibi, tuisque Fratribus in Ecclesia Sancti Augustini religiosam vitam ducentibus, altaria de *Nielles*, de *Znalquesla**, de *Bayenghem*, de *Haringues* & *Rincq*, in perpetuum concessi, ut Fratrum sustentationi proficiant, & mei memoria perpetuò in Ecclesia ipsa celebretur. Si quis hujus paginæ donationis sciens, & temerè, obviare tentaverit, donec errorem suum satisfactione correxerit, anathema sit. Actum est hoc anno Do-

* Is ex Abbate S. Judoci elegitur Tarvanensis Episcopus anno 1130. & consecratur an. sequenti, moritur an. 1159.

* Zuaquelles.

(*a*) Abbates Averbodii Comitum Lossensium (quandiu regnarunt) fuere Sigilliferi, Camerarii, Consiliarii, atque Capellani, unicum hodie superest vestigium præteriti; nempe quotannis supremus Lossensis Comitatûs *Drossardus*, ut vocant, par calcarium deauratorum, Averbodiensi Abbati, solet atque debet offerre.

mini MCXLVII. coram his Testibus, Philippo, Milone Archidiaconis, Odone Magistro, Alelmo, Balduino Canonicis.

Bulla Eugenii III. Bonorum Abbatiæ S. Augustini confirmativa. Anno 1148.

EUgenius Episcopus, Servus servorum Dei, Dilectis filiis Alelmo Abbati Ecclesiæ Beati Augustini, ejusque Fratribus tam præsentibus, quàm futuris, regularem vitam professis. Desiderium quod ad Religionis propositum & animarum salutem pertinere monstratur, autore Deo, sine aliqua dilatione est complendum. Ea propter, Dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & præfatam Ecclesiam, in qua divino mancipati estis obsequio sub Beati Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus: statuentes ut quascumque possessiones, quæcumque bona eadem Ecclesia in præsentiarum justè & canonicè possidet, aut in futurum, concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus, & illibata permaneant: In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis: altaria videlicet de *Nielles*, de *Qualquella*, de *Reinghem*, de *Haringes*, de *Rincy*, quæ à venerabili Fratre nostro Milone Morinensi Episcopo, Ecclesiæ vestræ concessa sunt, & scripto suo firmata: terram in qua atrium est, quam Robertus de *Corbeia* & filii ejus, & Hugo de *Sobrois*, Ecclesiæ vestræ concesserunt: ex dono Heliæ militis, filii ejus, pratum; terram Sancti Philiberti, quam Amalaricus vobis sub annuo censu dimidii modii frumenti & dimidii avenæ concessit: terram uxoris Roberti de *Corbeia* in *Arnoldsvalle*: terram *Lucendis* molendinariæ in parochia de *Nielles*: terram de *Laris*, sicut à Monasterio de *Corbeia* vobis pro decem solidis annuatim persolvendis concessa est: terram totam, quam Hugo de *Chertneia* in territorio de *Alceris* habuit, sicut eam vobis pro marca argenti singulis annis censualem concessit. Decernimus ergo, ut nulli omninò hominum liceat præfatam Ecclesiam temerè perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, aut aliquibus vexationibus retinere, sed omnia integra conserventur eorum, pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salvâ sedis apostolicæ authoritate, & diœcesani Episcopi canonicâ justitiâ. Si quæ igitur in futurum ecclesiastica, secularisve, persona hanc nostræ Constitutionis paginam sciens, contra eam temerè venire tentaverit, Secundò, tertiòve commonita, si non satisfactione congruâ emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo corpore ac sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri Jesu Christi, aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat: cunctis autem eidem loco justa servantibus, sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenùs & hìc fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Ego Eugenius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus, Eho Albricus Ostiensis Episcopus; Ego Imarus Tusculanus Episcopus, Ego Ubaldus Presbyter Cardinalis, titulo SS. Joannis & Pauli, Ego Wilbertus indignus Sacerdos titulo Sancti Marci, Ego Aribertus Presbyter Cardinalis titulo Sanctæ Anastasiæ, Ego Hugo Presbyter Cardinalis titulo in Lucina. Datum Lugduni (*a*) per manum Willonis (*b*) Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconi Cardinalis & Cancellarii, decimo Kalendas Decembris, indictione undecimâ anno MCXLVIII. Pontificatûs verò Domini Eugenii Papæ anno tertio.

Charta Milonis II. Episcopi Tarvanensis, quâ Paternitatem in Sancti Augustini Monasterium, translatam ab Abbatia Sancti Petri Selencurtensis, ad Furnensem Abbatem, laudat & approbat. Anno 1164.

EGo Milo Dei gratiâ Morinorum Episcopus, tàm præsentibus quàm futuris, in perpetuum. Notum & indubitabile esse volo, quod beatæ memoriæ Prædecessor noster Milo, Abbatem & Fratres de Ecclesia Sancti Petri de *Silencurte* elegerit, & in Ecclesia, quam in honore Sancti Augustini, propè Tervanam fundaverat, ad observandum Ordinem locavit. Porro idem Abbas & Fratres, in prædicto loco non solùm nihil proficere potuerunt, verùm etiam bona domûs malè dissipantes, minuerunt potiùs quàm auxerunt; postremò necessitate compulsi, locum desolatum & penè nudum, deserere coacti sunt. Abbas itaque Sancti Augustini, in generali Capitulo Abbatum, ad regendam eamdem Ecclesiam minimè se idoneum fore professus, Abbate suo de *Silencurte* volente, memoratam domum cum pertinentiis suis, in manu Domini Philippi Præmonstrati Abbatis, ex toto resignavit: Abbas verò Præmonstratensis, habito consilio Abbatum, præfatum locum Sancti Augustini, Willelmo Abbati Sancti Nicolai de *Furnis*, regendum & emendandum commisit. Ipse autem Willelmus Abbas, tàm obedientiâ Ordinis, quàm nostro præcepto constrictus, prædictum locum suscepit, & in eodem Abbatem & Fratres, qui Deo servirent, instituit. Igitur Willelmus Abbas cùm sæpè-dictam Ecclesiam in suam curam, quæ autoritate Ordinis ei credita est, accepisset, præcavens in futurum, ne usquam videlicet de hoc facto querelam incurrere posset, hæc ita se habere sigilli nostri impressione testimonium obtinuit.

Decretum Capituli generalis, quo paternitas in Sancti Augustini Abbatiam, transfertur ab Abbate Silencurtis, in Abbatem Furnarum an. 1164.

PHilippus Dei gratiâ Præmonstratensis Ecclesiæ Abbas, omnibus coabbatibus præsentes litteras audituris, salutem. Cùm Fratres de *Silencurte*, in Ecclesia Sancti Augustini extra Tervanam, ad observandum Ordinem nostrum essent constituti, minùs sese religiosè habentes, & res Ecclesiæ malè dissipantes, odiosi & contemptibiles facti sunt, unde Abbas eorum sæpiùs castigatus, & ex hoc non emendatus, meruit deponi, cùmque alium Abbatem haberent, item nihil proficientes, sed magis ac magis ad illicita pervenientes, coabbatum nostrorum judicio inutiles judicati, ab illius loci cura sunt absoluti; quo facto, Willelmo Abbati de *Furnis*, locum istum desolatum, consultis Abbatibus, committendum tradidimus; qui Fratribus inibi & Absalone Abbate constituto, rei dilapsæ, diligenter recuperandæ, & cultui Religionis piè insistendo, in brevi eamdem Ecclesiam venerabilem reddiderunt, porrò post hæc, de paternitate mentione factâ, Abbatum judicio, Ecclesiæ Furnensi est attributa. Actum

(*a*) Legendum puto, *Guidonis*, ipsius qui subscripsit privilegio ejusdem Pontificis datæ Remis, in gratiam Monasterii Sancti Theodorici xiv. Kal. Maii anno 1148.

(*b*) Attamen ex citatis à Pagio ad annum 1148. num. 13. monumentis & Scriptoribus constat innocentium III. è Galliis discessisse ante mensem Julium.

Præmonstrati anno Domini MCLXIV. Deo cooperante & rem gestam confirmante sequentibus signis. S. Warini Abbatis Sancti Martini Laudunensis, S. Gerlandi de *Floreffia*, S. Geroldi Abbatis Sancti Martini, S. Abbatis Sancti Judoci de Nemore.

Confirmatio bonorum & Jurium Ecclesiæ Sancti Augustini, per Milonem II. Episcopum Tarvanensem, anno 1168.

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ego Milo, Dei patientiâ, Morinorum Episcopus, Universis Sanctæ Matris Ecclesiæ filiis, in perpetuum. Cùm justum sit ut Pastores Ecclesiæ justis subditorum precibus acquiescant, præcipuè sanctis eorum petitionibus, non solùm in spiritualibus, sed etiam in temporalibus favere & consulere, debitores tenentur, qui temporalia calcantes, divinis laudibus vacare comprobantur. Unde tuis, Fili mi Absalon Abba, tuorumque Fratrum, in Ecclesia Beati Augustini regularem vitam ducentium, petitionibus benignè acquiescentes, quæcumque pius Prædecessor meus, Dominus Milo Episcopus, vobis & Ecclesiæ vestræ, quam ipse fundavit, & paternâ renumeratione donavit, vel quæ à fidelibus in eleemosynam collata sunt, vel justè acquisistis, paterno intuitu vobis roboramus, & sigilli nostri impressione confirmamus, quæ nominatim exprimenda dignum ducimus, Altare de *Stavela*, altare de *Haringa*, altare de *Beinghem* & de *Bocbout*, & terram cum suis appenditiis, quam per Fratrem Gustridum, & suos in parochia de *Beinghem*, Ecclesia vestra obtinuit. Altare de *Calquella*, & de *Nieles* decem libras monetæ Flandrensis, quas ab Ecclesia Sancti Nicolai de *Furnes*, sibi debitas, Comes Philippus pro combustione Ecclesiæ vestræ, vobis à præfata Ecclesia in perpetum singulis annis reddendas, in eleemosynam donavit. Terram Sancti Philiberti, quam per ecclesiam Luxoviensem & ejus homines de *Herly*, sub censu annuali perpetuò possidetis, terram *Lares*, quam Ecclesia Corbiensis pro decem solidis singulis annis in perpetuum vobis concessit. Unam carrucatam terræ, quam in Parochia de *Bomii*, Hugo *Bouteru* vobis donavit. Tertiam partem totius molendini, quod in parte inferiori ad Septentrionem à *Bomu* situm est, quam Bernardus & Hugo filius ejus, pro sex raseriis annuatim solvendis, per manum Domini sui Walteri *Butrrii*, perpetuò vobis dederunt. Terram, quam acquisistis ab Henrico, annuente Domino suo Arnulpho advocato, quæ jacet in *Bikinghem* dedit, & illam similiter, quam Drogo *Excufflans* in eleemosynam dedit & quam à Walone *Capel* juxta *Albelet*, & in *Krvervad* tenetis. Terram, quam tenetis ab Herberto de *Inkinnegata*. Terram quam Robertus *Lew* de *Arta*, inter Abbatiam & *Kerseka* jacentem donavit. Rivulum quem Hugo de *Salcbru* per terram suam perpetuò in fossatum vestrum decurrentem, annuente Domino suo Anselmo, vobis concessit. Si quis verò hujus nostræ constitutionis paginam sciens, infirmare & infringere præsumpserit, donec resipiscat, & Ecclesiæ jam prædictæ satisfaciat, divinæ ultioni, & sententiæ excommunicationis subjaceat. Actum est hoc anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo sexagesimo octavo, coram his testibus. Signum Aloldi & Walteri Archidiaconorum. S. Lueraldi Decani. S. Balduini Cantoris. S. Joannis Cancellarii. S. Willelmi Thesaurarii. S. Joannis de *Area*, Rogeri Sacerdotum & Canonicorum. S. Alulphi de *Busin*, Clarbaldi de *Straveles*, Hesselini magistri. Adelini Magistri, Eustachii de *Godesem* Diaconorum & Canonicorum, S. Alulphi de *Niles*, Adæ de *Orevilla* Gozelini, Roberti filii Drogonis, Bernardi, Subdiaconorum & Canonicorum. S. Renaldi & Balduini Bernardi, Petri de *Vima*, Lanteri, Roberti, Clericorum Domini Episcopi. Carnulphi, Lamberti, Glorii, Drogonis, Alulphi Wilgelmi *Norin*, Ernulphi *Pilota*, Nicolai, Magistri Arnulphi, Presbyterorum. S. Magistri Baldewini, Hugonis de *Flechin*, Helgoti Diaconorum.

Charta Milonis II. Tarvanensis Episcopi, quâ altare de Glomeinghem concedit Ecclesiæ Sancti Augustini, eâ conditione ut anniversario die mortis ejus, vinum administrabitur Fratribus. Anno 1169.

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ego Milo Morinorum Episcopus, notum facio, tàm futuris quàm præsentibus, quòd Ecclesiæ Sancti Augustini, in memoriam & amorem conditoris ejus, Sanctæ recordationis Domini mei Milonis Episcopi, pro ipsius videlicet pariterque meâ salute, altare de *Glominghem*, firmo perpetuoque tenore dedi possidendum. Eo siquidem ab eadem Ecclesia mihi quoque concesso, mutuâ charitate, quòd post obitum meum per singulos meæ depositionis anniversarios dies, ex eodem beneficio, vinum in refectione Fratrum providebitur generale. Ut autem contentionis omnis tollatur occasio, donumque nostrum ratum permaneat, id ipsum ad notitiam posteritatis, scripto transferre, ac sigillo communire curavimus, his testibus: Gerardo Decano, Alulfo de *Busin*, Garembaldo de *Struellis*, Hescelino Magistro, Alelmo Magistro, Eustachio Diacono, Nicolao de *Bonnesinghem*, Roberto Drogonis, Adam de *Robevilla*, Boscelino, Bernardo Subdiaconis, VVillelmo Accolyto, Joanne Capellano, Magistro Balduino de *Luisy*. Actum est hoc anno Domini MCLXIX.

Charta Desiderii Episcopi Tarvanensis, confirmativa priorum donationum, in gratiam sancti Augustini Tarvanensis an. 1174.

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ego Desiderius (*a*) Dei patientiâ, Morinorum Episcopus, universis sanctæ Matris Ecclesiæ filiis, in perpetuum. Cùm justum sit ut pastores Ecclesiæ, justis subditorum precibus acquiescant, præcipuè sanctis eorum petitionibus non solùm in spiritualibus, sed etiam in temporalibus, favere & consulere, debitores tenentur, qui temporalia calcantes, divinis laudibus vacare comprobantur. Unde tuis, fili mi Absalon Abbas, tuorumque Fratrum, in Ecclesia Beati Augustini regularem vitam ducentium, petitionibus benignè annuentes, quæcunque pii prædecessores mei Domini Milones Episcopi, vobis & Ecclesiæ vestræ pro æterna remuneratione dederunt, vel ab aliis tempore ipsorum data, vel justè acquisita confirmaverunt, paterno intuitu vobis roboramus, & sigilli nostri impressione confirmamus; quæ nominatim exprimenda dignum duximus. Altare videlicet de *Stavelle*: Altare de *Haringe*: altare de *Wunungasela*; altare de *Rinet*; altare de *Gomelinghem*; altare de *Beinghem* & de *Bocbut*: & terram cum suis appen-

(*a*) Desiderius ex Archidiacono Tornacensi & præposito Insulæ, factus est anno 1169 Morinorum Episcopus, Nepos Hugonis Insulæ Castellani: interfuit Synodo Lateranensi an. 1179. Sed propter ingravescentem ætatem anno 1191. Episcopatum abdicavit, sepultus est in Æde Monasterii Camberonensis, in Hannoniæ Comitatu.

ditiis, quam per Fratrem Gufridum, & suos, in parochia de *Beinghem*, Ecclesia vestra obtinuit: altare de *Calquella* & de *Nieles*: decem libras monetæ Flandrensis, quas ab Ecclesia Sancti Nicolai de *Furnes* sibi debitas, Comes Philippus pro combustione Ecclesiæ vestræ vobis à præfata Ecclesia in perpetuum singulis annis reddendas, in eleemosynam donavit, & morum, quem prædictus Comes, in parochia de *Houthem* ad faciendum ignem, Ecclesiæ vestræ in eleemosynam dedit: decem quoque solidos Flandrensis monetæ, quos Balduinus de *Aria*; & totidem, quos Gilbertus dapifer Ariensis, prædicti Frater Balduini, vobis in eleemosymam dederunt; totam terram Sancti Philiberti, quam per Ecclesiam Luxoiensem, & ejus homines de *Herlii* sub censu annuali perpetuo possidetis; & carrucatam terræ quam ab Ecclesia Luxoiensi jure hereditario exercetis, hâc conditione quâ vos duos accipitis manipulos, Ecclesia verò Luxoiensis unum. Terram quoque de *Carnemont*, & de *Spinoval* quam à Joanne de *Rheuthus* legitimè acquisistis per manum Domini sui Willelmi Castellani. Terram de *Lares*, quam Ecclesia Corbiensis pro decem solidis singulis annis in perpetuum vobis concessit. Terram etiam, quam prædictæ terræ contiguam, Walterus *Borrs* ab omni exactione liberam, per manum Domini sui Anselmi Comitis, in concambium vobis dedit, pro terra videlicet, quam pater ejus Hugo, Ecclesiæ vestræ dederat; & illam, quam per manum ipsius Walteri à majoribus suis Ilberto de *Bricxonage* & *Hadewive de Heis* & Roberto *Waldol*, pro dimidio terragio apud *Walgs* quæ *Virerules* dicitur, quam ab Amalrico de *Verton* sub unius modii annuo censu, dimidio avenæ, & dimidio tritici, quale in terra illa creverit, perpetualiter excolendam accepistis. Terram in Arnoldi-valle, quam Beatridis uxor Roberti de *Kerseka*, & Amalricus de *Falcoberga* vobis dederunt, terram quam acquisistis ab Henrico, annuente Domino suo Arnulpho advocato, quæ jacet in *Biesemghem*: & illam similiter quam Drogo *Excuffleano* in eleemosynam dedit, & quam à Walone *Capel* juxta *Albelet*, & in *Kvverval* tenetis. Terram quam tenetis ab Heberto de *Inghenegata*. Terram quam Robertus, seu de *Aria*, inter Abbatiam & *Kerseke* jacentem donavit. Rivulum quem Hugo de *Salsoy* per terram suam perpetuò in fossatum vestrum decurrentem, annuente Domino suo Anselmo, vobis concessit. Unam marcam, quam Willelmus Castellanus de Sancto Audomaro super furnos suos in *Falcoberga*, singulis annis solvendam, ad vinum & hostias altaris procurandas, vobis dedit. Si quis verò hanc nostræ constitutionis paginam sciens infirmare, vel infringere præsumpserit, donec resipiscat & Ecclesiæ prædictæ satisfaciat, divinæ ultioni & sententiæ excommunicationis subjaceat. Actum est hoc Dominicæ Incarnationis anno MCLXXIV. coram his testibus. Signum Guerardi Decani. S. Togeri & Walteri Archidiaconorum. S. Joannis Cancellarii, S. Rogeri & Adæ & Joannis de *Aria* Sacerdotum. S. Magistri Alelmi & Clarebaldi de *Straeles*; Magistri Eustachii & Magistri Simeonis Diaconorum. S. Alelmi de Aurea-Villa, & Roberti *Senfleans*, & Adulphi de *Nieles*, Borimni de Aurea-villa, & Hugonis de *Robaus*. S. Arnulphi de *Gines*, Magistri Balduini Bozunini, Magistri Roberti à *Falkemberga*, Arnulphi Clericorum Episcopi. Datum per Manum Joannis Cancellarii.

Charta Alexandri III. pro Jurium & bonorum S. Augustini Tervanensis confirmatione anno 1170.

ALexander Episcopus Servus servorum Dei. Dilectis filiis Absaloni Abbati Ecclesiæ Sancti Augustini Tarvanensis, ejusque Fratribus tàm præsentibus, quàm futuris, salutem & apostolicam benedictionem. Effectum justa postulantibus indulgere, & rigor æquitatis & ordo exigit rationis; præsertim quandò petentium voluntatem & pietas adjuvat, & veritas non relinquit. Quapropter dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & præfatam Ecclesiam Sancti Augustini, in qua divino estis obsequio mancipati, sub B. Petri, & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus. In primis si quidem statuentes ut Ordo Canonicus, qui secundùm Deum & institutionem Præmonstratensium Fratrum, in eadem Ecclesia institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascunque possessiones, quæcunque bona eadem Ecclesia in præsentiarum justè & canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium seu aliis justis modis, procurante Domino, poterit adipisci, firma vobis, vestrisque successoribus, & illibata permaneant; in quibus hæc propriis nominibus duximus exprimenda. Locum ipsum, in quo præfata Ecclesia sita est, cum omnibus pertinentiis; altare de *Stavele*, de *Haringua*, altare de *Winnenkascha*; altare de *Rincq*; altare de *Bayenghem*; altare de *Bochout*, & terram cum suis appenditiis, quam per Fratrem Gufridum, & suos, in Parochia de *Beinghem* Ecclesia vestra obtinuit. Altare de *Calquellis*, altare de *Nieles*; decem libras monetæ Flandrensis, quas ab Ecclesia Sancti Nicolai de *Furnes*, sibi debitas, Comes Philippus pro combustione Ecclesiæ vestræ, vobis à præfata Ecclesia in perpetuum singulis annis reddendas, in eleemosynam donavit. Terram S. Philiberti, quam per Ecclesiam Luxoiensem & ejus homines de *Herly*, sub censu annuali perpetuò possideris. Terram de *Lares*, quam Ecclesia Corbiensis pro decem solidis, singulis annis in perpetuum vobis concessit. Unam carrucatam terræ quam in Parochia de *Bomy* Hugo *Borris* vobis donavit. Tertiam partem totius molendini, quod in parte interiori ad Septentrionem à *Bomy* situm est, quam Bernardus & Hugo filius ejus, pro sex baseriis annuatim solvendis per manum Domini sui Walteri Borrii, perpetuò vobis dederunt. Unam carrucatam terræ apud vallem, quæ *Virelules* vocatur, quam à Morico de *Verton*, sub unius modii annuo censu, avenæ & tritici bipertito, perpetualiter excolendam accepistis. Terram in Arnoldi-valle, quam Beatridis uxor Roberti de *Kerseka*, & Amalricus de *Falcoberga* dederunt. Terram de *Bickinghem*, quam tenetis de *Vasla Capel*, & terram in *Kvverval*. Terram quam tenetis ab Herberto de *Inghenogata*, terram quam Robertus *Len de Aria*, inter Abbatiam & *Kersecam* jacentem, donavit. Rivulum, quem Hugo de *Salscoy* per terram suam perpetuò in fossatum vestrum decurrentem, annuente Domino suo Anselmo, vobis concessit. Sanè novalium vestrorum quæ propriis manibus aut sumptibus colitis, sive de nutrimentis vestrorum animalium, nullus à vobis de-

cimas exigere præsumat. Prætereà cùm generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis clausis januis, non pulsatis tintinnabulis, exclusis interdictis & excommunicatis, submissâ voce, divina officia celebrare. Liceat quoque Clericos vel Laïcos è seculo fugientes, liberos & absolutos, ad conversionem recipere, & in Ecclesia vestra sine contradictione alicujus retinere. Prohibemus insuper, ut nulli Fratrum vestrorum post factam in loco vestro professionem, fas sit de eodem loco discedere; discedentem verò absque communium litterarum vestrarum cautione, nisi ad arctiorem religionem voluerit transmigrare, nullus audeat retinere. Sepulturam quoque vestri loci liberam esse concedimus, ut eorum devotioni & extremæ voluntati, qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi fortè excommunicati vel interdicti sint, nullus obsistat, salvâ tamen justitiâ illarum Ecclesiarum, à quibus mortuorum corpora assumuntur. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatam Ecclesiam temerè perturbare, aut ejus possessiones auferre vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur, eorum, pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salvâ sedis Apostolicæ authoritate, & diœcesani Episcopi canonicâ justitiâ. Si quæ igitur in futurum, ecclesiastica, secularisve, persona, hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temerè venire tentaverit, secundò, tertiòve commonita, nisi reatum suum dignâ satisfactione correxerit, potestatis, honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo corpore & Sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri Jesu Christi, aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus, sit pax Domini nostri, quatenùs & hîc fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Ego Alexander Catholicæ Ecclesiæ Episcopus. Ego Bernardus Portuensis Ecclesiæ Episcopus, Ego Oddo Tusculanus Episcopus, Ego Joannes Presbyter Cardinalis titulo SS. Joannis & Pauli. Ego Ildebrandus Basilicæ 12. Apostorum Presbyter Cardinalis. Ego Albertus Presbyter Cardinalis Sancti Laurentii in Lucina. Ego Robertus Presbyter Cardinalis. Ego Egerdinus Presbyter Cardinalis . . . . Ego Beinctus Diaconus Cardinalis Sanctæ Mariæ in . . . . Ego Ciesentius Diaconus Cardinalis. Ego Gonfredus Diaconus Cardinalis Sancti Georgii ad vela aurea. Datum Tusculani per manum Bracani Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Subdiaconi, Notarii, octavo Kalendas Januarii, Incarnationis MCLXX. Pontificatûs verò Domini Alexandri Papæ III. anno duodecimo.

Charta Villelmi Castellani Audomarensis in gratiam Sancti Augustini Tarvan.

EGo Willelmus Sancti Audomari Castellanus, notum facio tam præsentibus, quàm futuris, quòd pro mea, meorumque salute, concessi Ecclesiæ S. Augustini Morinensis, ut singulis annis in perpetuum, quotiescumque in villa S. Audomari vinum emerit, in quantùm ad me pertinet, sex bigatas vini, ab foragio libera sit, & immunis. Actum anno Domini MCCXXIX. decimo mensis Maii.

Charta Willelmi Audomarensis Castellani, exemptionem à jure foragii pro octo vini doliis, concedens Abbatiæ S. Augustini. Anno 1241.

EGo Willelmus Sancti Audomari Castellanus, notum facio tàm præsentibus quàm futuris, quòd Ego, pro mea meorumque salute, in puram & perpetuam eleemosynam concessi Ecclesiæ Sancti Augustini Morinensis, ut sit libera & immunis à foragio meo apud Sanctum Audomarum, emendo ibidem singulis annis usque ad octo dolia vini, aliis litteris super immunitate foragii sex bigatarum vini, à me eidem Ecclesiæ jamdudùm traditis, in suo robore duraturis; & hanc eleemosynam dictæ Ecclesiæ teneor warandire. Hoc notato, quòd anniversarium meum in dicta Ecclesia debet perpetuò celebrari. In cujus rei testimonium, & munimen, præsentes litteras præfatæ Ecclesiæ tradidi, sigilli mei appensione roboratas, anno Domini millesimo ducentesimo quadragesimo primo, mense Maio.

Charta Adami Episcopi Tarvanensis, confirmativa Parochiarum, possessionum & jurium tàm à prædecessoribus suis quàm à Laicis collatorum, Ecclesiæ Sancti Augustini Tarvanensis anno 1223.

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ego Adam Dei patientiâ Morinorum Episcopus, Universis Sanctæ Matris Ecclesiæ filiis, in perpetuum. Cùm justum sit ut Pastores Ecclesiæ justis subditorum precibus acquiescant, præcipuè sanctis eorum petitionibus, non solùm in spiritualibus sed etiam in temporalibus, favere & consulere, debitores tenentur, qui temporalia calcantes, divinis laudibus vacare comprobantur. Unde tuis, Fili mi Joannes Abba, tuorumque Fratrum in Ecclesia Sancti Augustini regularem vitam ducentium, petitionibus benignè acquiescentes, quæcunque pii Prædecessores mei Domini Milones, Desiderius, Lambertus, Joannes, Episcopi Morinenses, vobis & Ecclesiæ vestræ pro æterna remuneratione dederunt, vel ab aliis tempore ipsorum data vel acquisita, confirmaverunt, paterno intuitu vobis roboramus, & sigilli nostri impressione confirmamus, quæ nominatim exprimenda dignum duximus. Altaria videlicet de *Stavale*, de *Haringes*, de *Winingasala*, de *Morbeska*, de *Rincq*, de *Resbeka*, de *Gomelinghem*, de *Beinghem*, de *Renchont*, de *Lenlinghem*, de *Calquella*, & *Nielles* cum appenditiis suis. Terram cum appenditiis suis, quam per Fratrem Guffridum & suos, in parochia de *Beinghem* Ecclesia vestra obtinuit, decem libras monetæ Flandrensis, quas ab Ecclesia Sancti Nicolai de *Furnes*, sibi debitas, Comes Philippus pro combustione Ecclesiæ vestræ, vobis à præfata Ecclesia in perpetuum singulis annis reddendas, in eleemosynam donavit; & morum, quem prædictus Comes in parochia de *Houthem*, ad faciendum ignem, Ecclesiæ vestræ in eleemosynam dedit. Decem quoque solidos Flandrensis monetæ, quos Balduinus de *Aria*, & totidem quos Viselbertus dapifer Ariensis, frater prædicti Balduini, vobis in eleemosynam dederunt. Totam terram Sancti Philiberti, quam per Ecclesiam Luxoiensem & ejus homines de *Herly*, sub

censu annuali perpetuò possidetis, & carrucatam terræ, quam ab Ecclesia Luxoiensi jure hæreditario exercetis, hâc conditione, quòd vos accipitis duos manipulos, Ecclesia verò Luxoiensis unum. Terras de *Carvelmont* & de *Spineval*, quas ab Joanne de *Rentis* legitimè acquisistis per manum Domini sui Castellani Willelmi. Terram de *Laret*, quam Ecclesia Corbiensis pro decem solidis singulis annis, in perpetuum vobis concessit. Terram etiam, quam prædictæ terræ contiguam, Walterus *Botry* ab omni exactione liberam, per manum Domini sui Anselmi Comitis, in concambium vobis dedit, pro terra videlicet, quam pater ejus Ecclesiæ vestræ in eleemosynam dederat; & illam, quam per manum ipsius Walteri à banasoribus suis Ilberto *Waldot*, pro dimidio terragio in perpetuum tenetis. Terram in Arnoldi-valle, quam Beatidis uxor Roberti de *Kerseka*, & Amalricus de *Falcoberga* vobis dederunt Terram quam accepistis ab Henrico, annuente Domino suo Arnulfo advocato, quæ jacet in *Bikenghem* & illam similiter quam à Drogo excufflaneo in eleemosynam dedit, & quam à Walone *Capel* juxta *Albelet*, & in *Keverval* tenetis. Terram quam tenetis ab Herberto de *Inkenegata*. Terram quam Robertus *Len* de *Aria*, inter Abbatiam & *Kersekam* jacentem, donavit. Rivulum quem Hugo de *Salcbry* per terram suam perpetuò in fossatum vestrum decurrentem, annuente Domino suo Anselmo, vobis concessit. Decimam de *Cobem*, quæ fuit Petri Wasteblei in agris & silvis. Duas garbas decimæ de *Hangeboc* in Parochia de *Bochout*, quam acquisistis ab Eustachio banasore de *Eglighem*, decimam quæ est in parochia de *Rincq*, quæ fuit Joannis de *Castelet* Militis; eamque, quam annuente Domino per manum nostram vestris temporibus acquisistis, videlicet Capellaniæ patronatum de *Ponte-Roardi*, cum quadam decima de provendis, quæ fuit nobilis viri Willelmi de *Bethunia*, & Elisabeth uxoris suæ, cujus medietas decimæ de ordinatione nostra ad Ecclesiam vestram spectat, reliquum verò ad Capellanum in eadem Capella Domino servientem. Pacem reformatam super querela, quæ versabatur inter vos & nobilem virum Balduinum de *Aria*, occasione rerum de *Rebecqua*, decimam de *Raquinghem* ad ipsum Balduinum pertinentem, quam ipsa vobis per manum nostram in eleemosynam dedit: concordiam factam inter vos, & nobilem virum Hugonem *Botrii*, Dominum de *Bomii* super revocatione culturæ sexies viginti mensurarum terræ, quas ab eodem excolere solebatis. duas garbas decimæ prædictæ, quas post pacem factam inter vos, vobis per manum nostram in eleemosynam dedit ad anniversarium suum singulis annis faciendum. Decimam de *Linghem*, quam à Joanne de *Lietres* milite, de assensu Sibilæ de *Lilerus* Dominæ suæ, & hæredum ipsius Joannis, acquisistis, garbam frumenti annuam & quinque quarterias annuas, dimidium terragium in terra Gerardi de *Brikengny* in decem mensuris terræ. Jus etiam eundi per terram suam, quod Willelmus *Caurel*, & uxor ejus, & filia ejus hæres, vobis in eleemosynam concesserunt, & juramento confirmaverunt, sicut in litteris Curiæ nostræ coram Officiali nostro acta inspeximus. Totum & omnia supra dicta, cum universis appendiciis eorum, nihilominùs confirmamus, & sigilli nostri authoritate roboramus. Si quis verò hujus nostræ confirmationis, infirmare paginam, vel infringere præsumpserit, nisi resipiscat, & Ecclesiæ satisfaciat supra dictæ, divinam ultionem se noverit incursurum. Actum anno Domini millesimo ducentesimo vigesimo tertio, Nonas Novembris.

Exemptio ab omni telonio & vectigali concessa per Philippum Flandriæ Comitem, Ecclesiæ S. Augustini Tarvanensis an. 1177.

EGo Philippus (a) Dei gratiâ Flandriæ & Viromandiæ Comes, notum esse volo tàm futuris, quàm præsentibus, quia in omni loco Dominationis meæ, Fratres Ecclesiæ Sancti Augustini Tarvanensis, quæcumque emerint vel vehi fecerint ad usus suæ indigentiæ, ab omni exactione telonii atque vectigalium, pro mea meorumque salute, liberos in perpetuum fore decrevi. Ut autem ratum atque inconvulsum hoc pietatis meæ beneficium, cunctis seculi ætatibus perseveret, & authoritate sigilli mei, & conscriptione testium subscriptorum corroborare & confirmare curavi. Facta sunt hæc anno Domini millesimo centesimo septuagesimo septimo, Indictione decimâ, præsentibus Abbatibus Waltero de *Dunes*, Hugone de *Furnes*, Huberto de *Capella*, Gerardo Notario, Waltero Capellano, Waltero de *Locra*, Radulpho Castellano Furnensi, Balduino *Plmina*, Reinnabao de *Aria*, aliisque compluribus honorabilibus personis.

Bulla Innocentii IV. confirmatrix exemptionis præcedentis, anno 1247.

INnocentius Episcopus Servus servorum Dei. Dilectis filiis Abbati & Conventui Sancti Augustini Morinensis, Præmonstratensis Ordinis, salutem & Apostolicam benedictionem. Solet annuere Sedes apostolica piis votis, & honestis petentium precibus favorem benevolum impertiri. Ea propter, Dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, ut de blado, vino, lanâ, lignis, lapidibus, & aliis, quæ aliquoties pro vestris usibus, emere vos contingit, nulli pedagia, vinagia, telonia, foragia, quæ pro his à secularibus exiguntur, solvere teneamini, authoritate vobis præsentium indulgemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Lugduni, sexto Kalendas Maii. Pontificatûs nostri anno quinto.

Bulla Martini V. innovans & confirmans præfatam exemptionem, an. 1423.

MArtinus Episcopus, Servus servorum Dei. Dilecto filio Decano Ecclesiæ Morinensis, sa-

(a) Philippus Alsata Princeps Lotharingiæ, à scriptoribus modò magnus, modò gloriosus appellatus, filius Theodorici Comitis Flandriæ, rem Flandricam suscepit anno 1168. uxorem habuit primò Elisabetam Comitissam veromandiæ quâ defunctâ anno 1182. postmodum sibi copulavit Mathildem Lusitaniæ Regis filiam anno 1184. Patrinus & tutor Philippi Augusti Galliæ Regis fuit. In expeditione sacrâ adversus Saladinum debellans, periit Kal. Junii an. 1191. ex Syria Mariti sui corpus referri curavit Mathildis, sepelivitque apud Claram-vallem Burgundiæ cœnobium. Quæ & quantæ fuerint Philippi virtutes, disce ex scriptore coævo. Philippus, inquit, strenuè rexit Comitatum Flandriæ per viginti quatuor annos, nobilissimus omnium qui fuerant ante ipsum in Flandria, divitiis & honoribus affluens, prudentiâ & potentiâ magnus, fervens in justitiam, fortis & probus ad arma unique Machabeorum non immeritò comparandus, Clericos honorabat, Monachos amplectabatur, pauperes deffendebat, causas Religiosorum etiam contra suos quandoque Barones & milites, tuebatur, cujus morte auditâ, confunditur tota patria, & turbatur, dolor & timor occupant universos, maximè clerum & populum, statimque Regnum ejus scissum est in tres partes.

lutem & apostolicam benedictionem. Humilibus supplicum votis libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur opportunis. Exhibita si quidem nuper nobis pro parte dilectorum filiorum Abbatis & Conventûs Monasterii Sancti Augustini Morinensis, Præmonstratensis Ordinis, petitio continebat quòd licet olim, felicis recordationis, Innocentius Papa quartus, Prædecessor noster, per suas litteras, quibus non fuit hactenùs per sedem Apostolicam derogatum, sub data sexto Kalendas Maii, Pontificatûs sui anno quinto, eisdem Abbati & Conventui, ut de blado, vino, lana, lignis, & aliis, quæ aliquoties pro eorum usibus emere consueverunt, nulli pedagia, vinagia, theolonia, foragia, roagia, quæ pro his à secularibus exiguntur, solvere tenerentur, duxerit authoritate apostolicâ indulgendum. Tamen nonnulli contra tenorem litterarum & indulti ejusmodi, de blado, vino, lana, lignis, lapidibus, & aliis, quæ Abbas & Conventus præfati, pro eorum usibus pro tempore emunt, pedagium, vinagia, theolonia, foragia, sive roagia, ab eis exigere, & eos super his molestare & impedire præsumunt, in animarum suarum periculum, ac Abbatis ac Conventûs prædictorum præjudicium non modicum & gravamen. Quare pro parte eorumdem Abbatis & Conventûs nobis fuit humiliter supplicatum, ut ipsi super hoc opportunè providere de benignitate apostolica, dignaremur. Nos igitur hujusmodi supplicationibus inclinati, discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenùs si prædictis litteris in earum propria & originali forma coram te realiter priùs exhibitis, ac per te solemniter & diligenter inspectis & examinatis, eas verâ bullâ ipsius Innocentii prædecessoris more Romanæ Curiæ inpendenti munitas, ac non abrasas seu abolitas; aut in aliqua earum parte suspectas, sed omni prorsùs vitio & suspicione carentes esse constiterit, non permittas præfatos Abbatem & Conventum super præmissis, contra tenorem indulti & litterarum hujusmodi, à quoque indebitè molestari; nonobstantibus, si aliquibus communiter vel divisim, à sede prædicta sit indultum quòd interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras apostolicas, non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem: contradicentes per censuram, appellatione postpositâ, compescendo. Datum Romæ apud Sanctum Petrum tertio Calendas Maii, Pontificatûs nostri anno septimo.

Bulla Innocentii quarti pro redemptione Decimarum de secularium manibus an. 1244.

INnocentius Episcopus, Servus servorum Dei. Dilectis filiis Abbati & Conventui Monasterii Sancti Augustini Morinensis, Ordinis Præmonstratensis, salutem & apostolicam benedictionem. Non est petitio improba, nec postulata conceduntur indignè, cum sic petentium desideriis præbetur assensus, quòd jus non læditur alienum; hinc est quòd nos vestris precibus inclinati, redimendi decimas de manibus Laïcorum, Rectorum Ecclesiarum, in quarum parochiis decimæ ipsæ consistunt, & Diœcesani loci accedente consensu, plenam vobis concedimus authoritate præsentium facultatem; ita tamen quòd eas Ecclesias ipsis restituere teneamini, quandocumque vobis fuerit ab earum Rectoribus de redemptionis pretio satisfactum. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere; vel ei ausu temerio contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem omnipotentis Dei & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Januæ secundò Nonas Augusti, Pontificatûs nostri anno 2°.

Bulla Innocentii IV. concedens licentiam Canonicis Sancti Augustini Morinensis, adeundi hæreditates paternas, ac si in seculo permansissent. Anno 1247.

INnocentius Episcopus Servus servorum Dei. Dilectis filiis Abbati & Conventui Monasteri Sancti Augustini Morinensis, Præmonstratensis Ordinis, salutem & benedictionem apostolicam. Devotionis vestræ precibus inclinati, ut possessiones & alia bona mobilia, & immobilia, exceptis feudalibus, quæ personas Fratrum ad monasterium vestrum, mundi relictâ vanitate, volantium, & professionem facientium in eodem, si remansissent in seculo, ratione successionis, seu quocumque justo alio titulo contigissent, petere, recipere, ac retinere liberè valeatis, authoritate vobis præsentium indulgemus, contrariâ consuetudine nonobstante. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, aut ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Lugduni secundo Kalendas Octobris, Pontificatûs nostri anno quinto.

Bulla Innocentii IV. eximens Ordinem Præmonstratensem ab omni subsidio solvendo Romana Ecclesia, vel ejus Legatis an. 1247.

UNiversis præsentes litteras inspecturis salutem in Domino. Magister Henricus Cantor & Officialis Morinensis, salutem in Domino. Noveritis nos anno Domini millesimo ducentesimo quadragesimo septimo, crastino Apostolorum Philippi & Jacobi, litteras Domini Papæ, bullatas, integras, non abolitas, nec aliquâ sui parte vitiatas, diligenter inspexisse in hæc verba. Innocentius Episcopus Servus servorum Dei, Dilectis filiis Præmonstratensi, & aliis Abbatibus & Prioribus, eorumque Conventibus Præmonstratensis Ordinis, salutem, & apostolicam benedictionem. Cùm pro toto Ordine vestro, juxta ipsius possibilitatem, congruè sit nobis per te, fili Abbas Præmonstratensis, ad mandatum nostrum de Ecclesiæ Romanæ subsidio satisfactum; nos gravaminibus vestris providere volentes, præsentium vobis authoritate concedimus, ne quis Legatus aut Nuntius Apostolicæ sedis, aut Ordinarius seu Prælatus, vel alius, per litteras apostolicas, quæ de hac indulgentia vel Ordine vestro expressam & specialem non fecerint mentionem, ad contribuendum aliquid, occasione Ecclesiæ, seu ecclesiasticæ personæ compellere vos possint invitos. Si quæ latæ sunt in vos vel in domos vestras, aut aliquem Ordinis vestri, prætextu ipsius subsidii, excommunicationis vel interdicti sententias relaxantes; & si quid contra tenorem hujus indulgentiæ fieri contigerit, decernentes aliquatenùs non tenere. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Lugduni Kal. Aprilis, Pontificatûs nostri anno quinto. In cujus rei testimonium præsentes litteras sigillo Curiæ Morinensis prædictâ die fecimus roborari.

Recognitio hujusmodi exemptionis per Officialem Morinensem. Anno 1270.

UNiversis præsentes litteras inspecturis, Magister Dionisius de *Tuania*, & Theobaldus de *Manuba* Canonicus & Officialis Morinensis, salutem in Domino. Cùm monere fecissemus Abbatem & Conventum Sancti Augustini Morinensis, Præmonstratensis Ordinis, super quadam certâ summâ pecuniæ offerendâ, pro subsidio sumptuum & expensarum, quos & quas fecerat venerabilis Pater Petrus Paucadiensis Episcopus, Nuntius Domini Papæ, juxta indulgentiam super hoc ipsi Episcopo à Sede apostolica attributam; ex parte dictorum Abbatis & Conventûs exhibitum fuit nobis & ostensum quoddam privilegium Domini Innocentii Papæ quarti, per quod apparuit Ordini Præmonstratensi indultum esse, & Fratribus ipsius Ordinis, quòd ad contribuendum aliquid Legatis & Nunciis Sedis apostolicæ, occasione cujuscumque subsidii, dicti Fratres compelli nequeant inviti per litteras apostolicas, quæ de hujusmodi indulgentia, & de Ordine Præmonstratensi expressam non faciunt mentionem. Et quia in litteris & indulgentia Paucadiensi Episcopo concessa, nec de Ordine Præmonstratensi, nec de ejus indulgentia mentio habebatur, nos monitioni factæ duximus supersedendum. Datum anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo, feriâ quintâ post *Oculi mei*.

Bulla Bonifacii VIII. licentiam indulgens Religiosis Sancti Augustini, adeundi hæreditates paternas. an. 1296.

BOnifacius Episcopus, Servus servorum Dei, Dilectis filiis Abbati & Conventui Monasterii Sancti Augustini Morinensis, Ordinis Præmonstratensis salutem & apostolicam benedictionem. Devotionis vestræ precibus inclinati, ut possessiones & alia bona mobilia & immobilia, quæ personas liberas Fratrum vestrorum ad monasterium vestrum convolantium, & professionem facientium in eodem, si remansissent in seculo, jure successionis vel quocunque alio justo titulo contigissent, & quæ ipsi potuissent aliis liberè elargiri, feudalibus dumtaxat exceptis, petere, recipere, ac retinere liberè valeatis, sine juris præjudicio alieni, authoritate vobis præsentium indulgemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Laterani tertio idus Martii, Pontificatûs nostri anno primo.

Bulla renovans & confirmans licentiam adeundi hæreditates, quàm priùs Innocentius IV. indulserat anno 1424.

MArtinus Episcopus, Servus servorum Dei, Dilecto filio Decano Ecclesiæ Morinensis, salutem & apostolicam benedictionem. Humilibus supplicum votis libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur opportunis. Exhibita si quidem nobis nuper pro parte Dilectorum filiorum Abbatis & Conventûs Monasterii Sancti Augustini Morinensis, Præmonstratensis Ordinis, petitio continebat; quòd licet olim, felicis recordationis, Innocentius Papa quartus, Prædecessor noster, per suas litteras, quibus non fuit hactenùs per Sedem apostolicam derogatum, sub data secundo Kalendas Octobris, Pontificatûs sui anno quinto, eisdem Abbati & Conventui, ut possessiones, & alia bona mobilia & immobilia, exceptis feudalibus, quæ personas Fratrum, ad dictum monasterium, mundi vanitate relictâ, volantium & professionem facientium in eodem, si remansissent in seculo, ratione successionis, seu quocunque alio justo titulo contigissent, petere, recipere, & retinere valerent, duxerit authoritate apostolicâ indulgendum. Tamen nonnulli contra tenorem litterarum, & indulta hujusmodi pertinaciùs eos molestare & impedire præsumunt, in animarum suarum periculum, ac Abbatis & Conventûs prædictorum non modicum præjudicium & gravamen. Quare pro parte dictorum Abbatis & Conventûs nobis fuit humiliter supplicatum, ut ipsis super hoc providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur hujusmodi supplicationibus inclinati, discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenùs si prædictis litteris, in earum propria & originali forma coram te realiter priùs exhibitis, ac per te solemniter, & diligenter inspectis & examinatis, eas verâ bullâ ipsius Innocentii prædecessoris, more Romanæ Curiæ, impendenti munitas, ac non abrasas seu abolitas, aut in aliqua earum parte suspectas, sed omni prorsùs vitio & omni suspicione carentes esse constiterit, non permittas præfatos Abbates & Conventum super prædictis bonis, contra tenorem indulti & litterarum hujusmodi à quoque indebitè molestari, nonobstantibus, si aliquibus communiter vel divisim à Sede prædicta sit indultum, quòd interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras apostolicas, non facientes plenam & expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem; contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postpositâ compescendo. Datum Romæ apud Sanctum Petrum decimo, Kalendas Martii, Pontificatûs nostri anno septimo.

Charta confirmationis bonorum Monasterii Sancti Andreæ, per Walterum Tyrellum, anno 1160.

NE futuros lateat, & moderni oblivilscantur, scripto mandare curavimus, eleemosynam quandam à Waltero Tyrello, Ecclesiæ B. Andreæ concessam. Igitur Walterus Tyrellus concessit Ecclesiæ B. Andreæ in eleemosynam super altare, quidquid eadem Ecclesia habebat in bosco, & campo, & prato de *Germercorth* (*a*) & *Gossumez* allodio, & *Maignescans*, *Selvigny* & *Goy*, (*b*) Concessit etiam quidquid eadem Ecclesia in territorio de *Champaigne*, (*c*) in bosco, & campo, & prato, & hospitibus, & reditibus, in terra Roberti de *Argovia*, (*d*) in terra Eustachii *Colleth*, in feodo Hugonis de *Belraim*, possidebat: molendinum etiam & prata, & terram de *Alnoy*. (*e*) Concessit etiam quidquid extruncare poterit in territorio de *Magnescans*, allodii de *Handincourt*, & duodecim jugera in territorio de *Sermecorth*, & quidquid extruncare poterit extrà feodum de *Belraim*. Actum est hoc anno verbi Incarnati MCLX. his præsentibus & testibus, Fratre Frumaldo, S. Judoci in nemore Præposito, Balduino S. Andreæ Priore, G ſleberto Præposito, Waltero Cellerario, Hugone de Sancto Richario; præsente etiam Conventu Clericorum,

(*a*) Gremécourt.
(*b*) *Goy*, villa uno quadrante distans ab Abbatia.
(*c*) Villula semi-horâ distans.

(*d*) *Erconla*, super amnem Altheam, vulgò *Lauthies*, Leucâ cum semi distans.
(*e*) *Aulnoi*, in *maresquel*, primæ fundationis sedes.

&

& Laïcorum, Hugone de Fontibus cognato ejusdem Walteri Tyrelli, Eustachio *Coleth*, Fulcone de *Nempont*, Henrico de *Rambecort*, Eustachio de *Airon*, Frodone de *Belraim*, Roberto de *Wailli*, Petro filio *Audam*, & Petro filio ejus, Roberto *Coterel*, Adam de *Porz*, Bartholomeo nomine S. Andreæ; Adam de *Austa*, Warino de *Marescel*, Roberto de Fontibus, Oilardo *Bagarth*, Arnulpho *Cortin*, Engelardo de *Belram*. Hæc omnia suprà dicta Walterus Tyrellus (*a*) Ecclesiæ S. Andreæ concessit, & ut in æternum inconcussa permaneant, sigilli sui impressione munivit.

Charta de Translatione Abbatiæ S. Andreæ à vico de Maresquel *ad grangiam de* Gremecourt, *Domni-Martini prædium. anno 1157.*

NOtum omnibus fieri volumus, quòd Hugo de *Belram*, molendinum, & pratum, quæ ab Ingelranno filio Sobrandi patre suo, apud *Tigny*, hæreditariè possidebat, sub annuo censu trium modiorum annonæ, Ecclesiæ sancti Ludovici perpetuò possidendum, concessit. Contigit autem, quòd Abbas Adam in terrâ de *Gremecourt*, & de *Handiacourt*, & *Goffumez*, quam Ecclesia sancti Judoci per undecim, & amplius annos, à prædicto Ingelranno, & Hugone filio ejus, in eleëmosynam possederat, & ibidem grangiam construxerat, mortuo Ingelranno à prædicto Hugone vexatus nimium, tam precibus, quàm minis devictus, Abbatiam fieri concessit, eo tenore, quòd annuum censum trium modiorum præfati molendini, quem Ecclesia prædicta Hugoni solvendum spoponderat, exceptis quinque sextariis, quos Fulco de *Nempont* à prædicto Hugone in feodum tenebat, ipse Hugo & Radulphus de *Hupi* frater ejus, coram omni Conventu, præsente Willelmo monacho, & Borgone *Nulette*, Ecclesiæ nostræ liberè, & perpetuò possidendum concesserunt. Interfuit etiam Fulco Abbas Ambianis, Joannes Abbas sancti Justi &c. anno 1157.

Hinc liquet sedem Abbatiæ sancti Andreæ, ad Domni-Martini Monasterium primitùs pertinuisse, ex largitione Ingelranni Fundatoris sancti Andreæ. Sed undecim à largitione loci annis, Adamus Abbas Domni-Martini ad constructionem Abbatiæ, illum tradidit, liberumque fecit Hugo fundatoris filius, sub conditione relaxationis trium modiorum, ad quæ tenebatur, ratione sui molendini de *Tigneio*, ergà Dom-Martinenses.

Charta unionis & incorporationis perpetuæ, Præposituræ sanctæ Mariæ Magdeburgensis, cum Abbatia sancti Andreæ in nemore. 1665.

AUgustinus *le Scellier*, Dei & Sanctæ Sedis Apostolicæ gratiâ, Præmonstrati Abbas &c. Reverendo admodùm Domino confratri Nicolao Abbati sancti Andreæ in nemore, nostri Ordinis Præmonstratensis in Circaria Pontivi à Capitulo Generali Circatori, seu Visitatori designato, salutem. Sollicitudo omnium Ordinis Ecclesiarum premit nos ad earum revendicationem, quas è Catholicorum manibus ereptas, aut ad Ordinem evocare, aut jura circà easdem acquisita conservare nobis incumbit, Romanam imitantes, quæ ob easdem causas, subditos suos virtute & scientiâ conspicuos, titulis Episcopatuum, & Abbatiarum de partibus infidelium sæpius condecorat. Hinc similibus motivis stimulati ac pulsati, maximè curâ Ecclesiarum, quæ in Saxoniæ tractibus olim à sanctissimo Patre Norberto, sparso verbi Dei semine peragratis, sub hæreticorum jugo, tot jam annos sepultæ jacent, & præclarum imprimis Monasterium B. Mariæ Magdeburgensis, gloriosum ejusdem sanctissimi Patris quondam sepulcrum ante annos XXXV. vel circiter, Ordini nostro Belgarum Religiosorum submissione, postliminiò restitutum; dein denuò ab iniquis possessoribus occupatum, tenero compassionis affectu considerantes, ne pereat cura, nec titulus tam insignis Ecclesiæ, nobis circà plurima, & diffusum alibi ordinem distentis, tibi præfato Reverendissimo Domino Nicolao *Ledé*, Cœnobii sancti Andreæ in nemore Ordinis nostri, in Arthesiæ Provincia Belgica Abbati, & Confratri dignissimo, cujus sinceram in Deum pietatem, scientiam, morum integritatem, & in rebus agendis longo annorum decursu prudentiam acquisitam, & experientiam, necnon alias insignes animi tui dotes, quas in bonum Ordinis, tot hucusque contestatus es argumentis, jam pridem agnovimus, & suspeximus, tibi, inquam, ac per te, celebri tuo S. Andreæ in nemore Monasterio, tuisque deinceps legitimis successoribus, authoritate nostrâ generali, quâ in Ordine fungimur, & paternâ; quibus nominibus ejusdem loci modò vacantis, & regulari capite viduati provisio, seu quævis alia canonica dispositio, jure devoluto, ad nos plenariè spectat, jam dictum sanctæ Mariæ Magdeburgensis, Ordinis nostri Monasterium, tam in spiritualibus, quàm in temporalibus, pleno jure, tenore præsentium subjicimus, unimus, annectimus, & incorporamus, unà cum omnibus & singulis juribus, privilegiis, honoribus, emolumentis, prærogativis, dignitatibus, titulis, Pontificalium usu, sicut ab antiquo inibi viguit, aliisque dictæ Prælaturæ insignibus; bonis quoque, prædiis, agris, & villis, omni meliori formâ & modo solitis & consuetis, teque in Præpositum B. Mariæ Magdeburgensis, vigore harum, nominamus, præficimus, constituimus, ac designamus, volumusque ex nunc, & in posterum, ab omnibus nobis subjectis utriusque sexûs personis, quarum intererit, ac sub excommunicationis pœna pro tali haberi, censeri, intitulari, agnosci, & recipi; tibique in his quæ ad jurisdictionem tuam pertinebunt, reverenter pareri, & obediri. Dantes ea propter, & concedentes tibi plenam potestatem, atque omnimodam authoritatem per te, vel per Procuratorem tuum, tuo, & Ecclesiæ S. Andreæ in nemore, nomine, sæpe dictum Monasterium, ejusque filios & Cœnobia ab eo immediatè dependentia, ad obedientiam, & subjectionem Ordinis vindicandi, & reducendi, ejus realem & corporalem possessionem apprehendendi, iniquos detentores quibusvis justis mediis removeri curandi, statum & œconomiam (novâ illuc è tuo Claustro ductâ fratrum Religiosorum colonia) ordinandi, ac disponendi, atque secundùm Ordinis nostri Statuta ac laudabiles consuetudines reformandi, ac in qualitate Præpositi per te, vel ubi personaliter adesse nequiveris, per substitutum Rectorem; seu Priorem, in utroque foro gubernandi, eo planè modo, formâ, & tenore, quo monasterio tuo sancti Andreæ præesse soles: sitque perpetuis in futurum temporibus cum omnibus juribus suis, prærogativis,

(*a*) Galterus ille ordine tertius, erat filius Galteri secundi de *Tyrello*, Principis de *Pissiaco*, qui fortuito casu inter venandum, occidit Guillelmum Regem Angliæ. Fundationem Prioratûs sancti Dyonisii de Pissiaco, ejusque conjugi Adeliciæ, sicut & dotationem Abbatiæ sancti Petri Selincurtensis, jure merito ei adjudicant authores. Filium habuit Hugonem, ex quo Joannes summus Classium Galliæ Præfectus, descendit abnepos.

fructibus, & pertinentiis, tibi, et tuo Monasterio in posterùm unitum, annexum, & incorporatum, censeaturque utrumque sub uno capite comprehensum, ut pro tempore Prælatus S. Andreæ in nemore habeatur utriusque loci Pastor, & Rector. Quam quidem unionem, incorporationem, & aggregationem dictò modo à nobis factam, gratam, ratam, & firmam semper futuris temporibus fore declaramus, salvâ tamen nostrâ, & Capituli nostri generalis in dictum locum, & personas, ordinariâ authoritate & jurisdictione. Rogamus Illustrissimos, ac Reverendissimos Episcopos, & Principes, aliosque locorum Magistratus, ac Superiores, ut tibi pro recuperanda dicti Monasterii reali possessione laboranti, benignissimo favoris sui patrocinio adesse, teque contrà adversantes, & refractarios protegere velint, & dignentur, eorum in nostris ad bonum Deum precibus continuò memores futuri. Datum in Archicœnobio nostro Præmonstratensi, die 25. anni 1665. in quorum omnium fidem ac robur præsentes manu propriâ, & Secretarii nostri subscriptas, sigilli nostri appensione jussimus communiri.

Fr. Augustins *Le Scellier*, Abbas Præmonstrati, & Generalis.
(L.S.)

De mandato Reverendissimi Domini mei, Domini Abbatis Præmonstrati, & Generalis, Fr. Franciscus Buyrette, *cum parapho.*

Charta Henrici II. donationes & fundationem Abbatiæ de Barlings *confirmans.*

HEnricus Dei gratiâ *Rex Angliæ* & *Dux Normanniæ & Aquitaniæ* & Comes *Andegaviæ*, Archiepiscopis &c. salutem. Sciatis me concessisse & hâc præsenti chartâ meâ confirmasse Deo & Ecclesiæ Beatæ Mariæ de *Barlings* & Canonicis ibidem Deo servientibus, rationabilem subscriptam donationem sibi factam, & chartis donatorum confirmatam, scilicet ex dono Radulphi de *Haya* senioris & ex concessione Richardi de *Haya* fratris sui, locum qui dicitur *Dxeneye* ad construendam Abbatiam, & totam villam de *Barlings* cùm omnibus pertinentiis, excepto parco & pratis quæ ad illud pertinent ex concessione Conventûs sanctæ Trinitatis *Exaquii*, Ecclesiam sancti Eduardi de *Barlings* reddendo annuatim ipsi conventui unam marcam argenti: ex dono Hugonis Bardulfi senioris & ex concessione H. filii sui unam carucatam terræ in campis de *Rysum* & pasturam quingentarum ovium in eisdem campis, & quidquid juris habebant in molendino apud *Langloath*, ex dono Galfridi de *Haya* duo molendina cùm omnibus pertinentiis, & quatuor bovatas terræ in villa de *Malmesgare* cùm omnibus pertinentiis suis, & duas bovatas terræ in villa de *Thorp*, juxta *Rerkby Mallesard* cum omnibus pertinentiis suis, ex dono Willielmi *Foliot*, & Petronillæ uxoris suæ, unum molendinum apud *Saxeby* cum prato & decursu & refluxu aquæ cum stagno & uno tofto, & duabus bovatis terræ quæ fuerunt Balderici, & cùm uno tofto quod fuit *Toki*, & in Ballivo Lincolniæ totam terram eorum quam tenuit Alanus filius Dunstani, ex dono Josliani de *Evermue* in Ballivo *Linc* terram illam quam Alanus filius Dunstani tenuit de eo, reddendo ei annuatim quatuor solidos, ex dono Adæ *Paynel* dimidiam bovatam terræ cum pertinentiis in *Rysum*, ex dono Abbatis de *Trunchete* & conventûs ejusdem loci, & ex concessione Roberti de sancto Joanne & Olivæ uxoris suæ. Ecclesiam sanctæ Elenæ de *Bruth* & capellam de *Stapelford* cum pertinentiis & ecclesiam S. Nicolai de *Tukesford* cum omnibus pertinentiis, salvâ compositione, quæ facta est inter ipsam & Ecclesiam de *Mest-Markham*, ex dono ipsius Roberti de sancto Joanne & Olivæ sponsæ suæ decimam molendini de *Stapelford* & unam bovatam terræ de dominio suo in eadem villa & pasturam centum ovium in *Bruth* & decimam molendini de *Tukesford* ex dono Walteri de *Briselingthorp*, & ex concessione Bertranni filii sui unam bovatam terræ cum pertinentiis in *Buselingthorp* ex dono Thoraldi de *Nevill* reditum duorum solidorum de tenemento Reginaldi *Pedekeygne* in *Dunham*, ex dono Willielmi filii Thomæ quatuor bovatas terræ & dimidiam in villa de *Duneham* cum omnibus pertinentiis, & redditum septem solidorum de septem bovatis terræ in *Scostorn* ex dono Walteri *Flori* & ex concessione Gilberti hæredis sui, & Toilhelmi filii Thomæ Domini sui septem bovatas terræ cum pertinentiis in villa de *Scortorn*, reddendo annuatim ei viginti tres solidos pro omni servitio, ex dono Hamelini Bardulfi & ex concessione Hugonis Bardulfi hæredis sui, Ecclesiam sanctæ Trinitatis de *Bungaye* cum omnibus pertinentiis, quare volumus &c. His testibus Ranulfo Dunelmensi Episcopo. Willielmo Comite *Arundelliæ* Ranulfo de . . . . Bernardo de sancto Valerico Rogero de *Scutevill*. Willielmo de *Scutevill*. Hugone Bardulfo Dapifero. Ranulpho de *Gudd.* apud *Clivestom.*

Charta Joannis Angliæ Regis Henrici II. filii.

JOannes Dei gratiâ Rex *Angliæ* &c. salutem. Sciatis nos, intuitu Dei, concessisse & confirmasse Deo & Ecclesiæ Beatæ Mariæ de *Barlings* & Canonicis ibidem Deo servientibus, omnes terras, & possessiones, & libertates, quæ Henricus Rex, Pater noster, eis concessit & confirmavit. Præterea concessimus eisdem omnes terras & tenementa & possessiones subscriptas, scilicet ex dono Roberti *Bardolf* totam terram suam de *Scortorn*, cum advocatione Ecclesiæ ejusdem villæ, & omnibus pertinentiis suis, & sexdecim bovatas terræ, & dimidiam in *Carleton* juxta *Lincolniam*. Item ex dono ejusdem Roberti unam bovatam terræ cum pertinentiis in *Mraggeby* & duo messuagia cùm pertinentiis in *Carleton*. Item ex dono ejusdem Roberti unam bovatam terræ cum pertinentiis in *Carleton* juxta mare, & pasturam ad ducentas & quinquaginta oves quæ vocatur *Mest-Wike* in *Heresing*, datum per manum Magistri R. de *Marisco* Cancellarii nostri apud *Hotingham* trigesimâ primâ die Martii anno Regni nostri sexto decimo.

Charta Mathildis de Longespe.

OMnibus sanctæ Matris Ecclesiæ filiis hanc chartam visuris vel audituris. Domina Mathildis de *Longespe*, quondam uxor Domini Willielmi de *Longespe* salutem in Domino. Noverit Universitas vestra me pro Deo & pro salute animæ, piæ memoriæ, Domini de *Longespe*, viri mei, & pro salute animæ meæ, & animarum patris & matris meæ, & omnium antecessorum & successorum nostrorum, dedisse, concessisse & hâc præsenti chartâ meâ confirmasse Deo & Ecclesiæ Beatæ Mariæ de *Barlinges*, & Abbati & Canonicis ibidem Deo famulantibus, ad augmentationem & sustentationem quatuor Canonicorum, in eadem Ecclesia divina officia exequentium, in perpetuum, totum manerium meum de *Cavenby* cum capitali messuagio, & omnibus dominicis

suis cùm advocatione Ecclesiæ ejusdem villæ, cum homagiis, reditibus & serviciis tàm liberorum hominum quàm villanorum, vuardis, releviis, escaetis terris, pratis, pasturâ & molendino cum aqua & omnibus aliis pertinentiis & aisiamentis infra villam & extra, dicto manerio pertinentibus, sine aliquo retenemento habendum & tenendum dictis Abbati & Canonicis & eorum successoribus, de me & hæredibus meis integrè & pacificè in liberam puram & perpetuam eleemosynam solutam & quietam ab omni seculari servicio, consuetudine, exactione & demandâ sectâ curiæ meæ & omnium aliorum, & ego prædicta Mathildis & hæredes mei, totum prædictum manerium de *Caveny* cum omnibus pertinentiis suis libertatibus & asiamentis dictis Abbati & Canonicis & eorum successoribus, contra omnes homines vuarantizabimus, & de omnibus & in omnibus acquietabimus & defendemus, sicut puram & perpetuam eleemosynam in perpetuum, in cujus rei testimonium præsenti chartæ sigillum meum apposui. His testibus, Dominis Joanne de *Beke*, Willielmo de *Engelby*. *Ada Paynel*, Petro de *Dune* militibus, Joanne *Coberington*, tunc Vicecomite *Lincolniæ*, Alex. de *Montu Porti*, Thomâ de *Muleton*, Radulfo de *Newton*, Willielmo de *Wendovere*, & aliis.

Charta Alesiæ de Lascy *Comitissæ Linc. &* Sacrum *de manerio de* Swaton.

UNiversis sanctæ Matris Ecclesiæ filiis, ad quorum notitiam præsentes litteræ pervenerint. Alesia de *Lascy* Comitissa Lincolniæ & Sarisberiæ salutem. Noveritis nos in pura viduitate nostra dedisse & hâc præsenti chartâ nostrâ confirmasse Deo & Ecclesiæ sanctæ Mariæ de *Barlinges*, & Abbati & Conventui ejusdem loci & Canonicis nostris ibidem Deo servientibus & in perpetuum servituris, manerium nostrum de *Sbaton* cum pertinentiis in Comitatu Lincolniæ & advocationem Ecclesiæ ejusdem manerii sine ullo retinemento &c. habendum & tenendum cum feodis, militum homagiis &c. Testibus Domino Hugone *le Despenser* Comite Wintoniæ, Dominis Hugone filio ejus, Radulfo *Basset*, de *Draiton* Philippo *Darcy* & Joanne fratre ejus, Joanne de *Barten* de *Friton* militibus &c. Data apud Eboracum vigesimâ sextâ die julii anno Regni Regis Eduardi filii Regis Eduardi vigesimo sexto.

Charta Walteri * *Brennæ Comitis pro fundatione* Bassi-fontis, *anno 1143*.

CUm multa sint necessaria humanæ fragilitati, maximè necessarium est hominibus, ut qui à peccatis depravantur, aliquibus beneficiis subleventur. Notum sit ergo omnibus tàm præsentibus quàm posteris, quòd Walterus Brenæ Comes ob remedium animæ suæ & prædecessorum suorum, dono concessit Deo & Ecclesiæ in honorem S. Dei Genitricis & Virginis Mariæ fundatæ, in loco qui dicitur *Bassa Fontana* decimam redituum suorum de Brena Castello, videlicet Giovatici * sui, & venditionis fori ac minagii; decimum quoque vas totius annonæ cellarii sui, exceptâ avenâ, quam ad opus equorum suorum emerit, vini quoque decimam concessit excepto quòd aut vendet aut emerit, concessit etiam dono decimam redituum *Pisnei* * & redituum nemoris in donariis & in annona, exceptâ illâ quæ sumitur de forefactis, atque decimam pasnagii * necnon etiam suarum culturarum decimam si legaliter & salvè valeat concedere, nec antea alicui sit concessa ab aliquo prædecessorum, sin autem redecimam. Cum his etiam concessit à rivo de *Ponton*, (*hodie* Ponto *in* Albam *se exonerans*) usque ad rivum qui dicitur *Prose*. terram inter viam & ripam *Albæ* fluvii jacentem, liberam & absolutam. De nemore etiam intra supradictos rivulos, à via ante nemus, quantùm arcus jactare potest intra ipsum nemus, terram quoque de *Courcellis* inter pontem *Martilis* * & Alberti *Mansle*, * in divisione etiam interritorii nostri, inter rivulos commemoratos, supra dictæ Ecclesiæ vestræ ad usus vestros super Albulam fluvium construere concessit molendinum suis nullatenùs nocivum molendinis, ipsum quoque fluvium liberum intra septa ... Denique concessit usuaria in omnibus aquis suis, & in cunctis nemoribus suis, excepto nemore quod dicitur *Ajonum* * ad ædificia nostra & pecora nostra degenda, ita videlicet quod ad villas noctu quiescere pergant, nec aliquam domum, aut aliquod ædificium in eis nemoribus absque suo consensu & licentia, eorum pastores faciant. Ad hujus autem doni institutionem confirmandam testes adhibere curavimus eorumque nomina subscribendo signavi, Erardi filii sui, * Andreæ filii sui, * Mariæ filiæ suæ, Landrici, Clementis, Goberti Sacerdotum, Guidonis de *Larcurt*, Joannis de Brena Clericorum, Hugonis de *Calvo mongolio*, Walteri de *Larzcourt*, Walteri de *Biart*, Zazonis Guidonis fratris Comitis, Hugonis de *Maceriis*, * Philippi de *Valentigniaco*, Petri de *Matboul* militum. Hoc autem definitum & corroboratum notificamus anno ab incarnatione Domini MCXLIII. X. Kal. februarii, lunâ 22. Ludovico Rege Franciæ regnante, præsidente quoque venerabili Hattone Trecensis Urbis præsule.

Charta Hattonis Episcopi Trecensis confirmantis donationes Walteri Comitis Brenæ anno 1146.

HAtto * per Dei patientiam Ecclesiæ Trecensis humilis minister, Anschero venerabili Abbati Imi-fontis, ejusque successoribus canonicè substituendis in perpetuum. Cùm pravorum hominum cupiditas, instigante Diabolo, sæpè adeò inflammetur, ut Ecclesiarum Dei jura & possessiones quibusdam fallaciis usurpent, minores Ecclesias ad primæ sedis Episcopos, ob tutelam confugere necesse est. Ea propter, Fili Charissime Anscheri, cùm locus Imifontis, divinâ propitiante clementiâ, in Abbatiam sublimatus esset, adjuncto tibi Waltero Comite Brenæ parvitatem nostram adiisti, postulans ut donationes, quas Ecclesiæ in prædicto loco sitæ, idem Princeps contulerat prout in præsentia nostra recognovit & nobis reddens Ecclesiam investivit privilegii nostri munitione firmaremus; nos autem justis petitionibus tuis annuimus, donationes autem hujusmodi sunt (*ut in charta præcedenti*)... Has ergo donationes & quidquid Ecclesia tua in præsentiarum possidet; vel in posterum, Deo annuente, justè acquirere poterit authoritate Episcopali tibi & successioribus perpetuo jure firmamus. Si qua ergo ecclesiastica secularisve persona Ecclesiam & commissa tibi his donationibus, vexare & temeré perturbare præsumpserit, secundò, tertiòve admonita, nisi à temerario ausu destiterit, anathematis sententiâ feriatur: & ut hæc nostræ confirmationis forma inviolatum robur obtineat sigillo, nostro muniri præcepimus, testium etiam qui præsentes adfuerunt subscriptione confirmare idoneum duximus. Signum Radulphi Abbatis Belli-loci, Walteri Abbatis de *Capella*, Odonis & Falconis Archidiaconorum. Joan-

* Ordine generationis secundus nomine, erat Airardi Brennæ Comitis filius, matrimonio junctus erat cum Adelaide de *Baldimento*, Andreæ Domini de *Brana* filia.

* Rusticacanam domum interpretantur.

* *Pisney* in Ducatum & Paris Franciæ dignitatem subvectus Comitatus.

* Gallicè. Glandée.

* Mathaur.

* Le Mesnil-Aubert.

* Ajou.

* Nupti agneti de *monte Bellicardo*.

* Domini de *Ramern* juncti matrimonio cum Adelaide de *Vesy*. Gallicanarum copiarum erat ille Præfectus anno 1188. & in propugnatione Ptolomaidis occiditur.

* *Maizieres* & *Valentigny* Villæ à Briennæ distantes unâ leucâ.

* Hatto ex Monacho Cluniacensi ad Episcopatum Trecensem eligitur anno 1122. per Eugenium III. Papam in Concilio Remensi sub annum 1149 sede Pontificiâ privatum fuisse author est Albericus in chronico. Obiit 4. Kal. Sept.

nis Presbyteri de Brena; laudavere etiam hoc atque confirmavere in præsentia nostra Hairadus & Andræas, & Maria soror eorum. Actum est hoc anno Incarnationis Verbi MCXLVI. Eugenii Papæ anno 1. regnante in Francia Ludovico.

Bulla Eugenii tertii pro confirmatione fundationis Monasterii Bassi-fontis *1148.*

EUgenius Episcopus Servus servorum Dei. Dilectis filiis Balduino Abbati de Basso fonte, ejusque fratribus tàm præsentibus quàm futuris regularem vitam professis, in perpetuum. Quoties illud à nobis petitur quod rationi & honestati convenire dignoscitur, animo nos decet libenti concedere & petentium desideriis congruum impertiri suffragium. Ea propter, Dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & Ecclesiam sanctæ Mariæ de Basso-fonte in qua divino mancipati estis obsequio, sub B. Petri & nostrâ protectione suscipimus & præsentis scripti privilegio communimus. Imprimis siquidem statuentes ut ordo Canonicus secundùm sancti Augustini Regulam & Præmonstratensium Fratrum institutionem in vestra Ecclesia futuris perpetuò temporibus inviolabiliter conservetur. Præterea quascumque possessiones, quæcumque bona, in agris, vineis, pratis, sylvis, pascuis, terris cultis, vel incultis, decimis seu aliis quæ eadem Ecclesia justè & canonicé possidet aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium seu aliis justis modis, Deo propitio, poterit adipisci, firma vobis, vestrisque successoribus illibata permaneant, in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis, locum videlicet ipsum de Basso-fonte, locum de *Magnussilum* * cum molendinis, grangiam de *Verpelleria* * cum omnibus earum appenditiis, quidquid à Waltero Comite Brenensi vobis datum est & Episcopi Trecensis sigillo firmatum, decimas *Bleincurtis, Nova-villæ, Vitriaci, Cepeois* * *Conventi & Froevallis;* octavam pariter decimæ de nova & antiqua Brena, cum decimis *Calderii* * sancti *Navortii* atque *Pressei* * octavam pariter totius terræ & aquæ quæ adjacet terræ *Alberti Manilis* *. Porro laborum vestrorum quos in novalibus, propriis manibus vel sumptibus colitis, sive de nutrimentis vestrorum animalium, nullus à vobis decimas exigere præsumat. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum hanc præfatam Ecclesiam turbare temerè, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere seu quibuslibet vexare molestiis audeat. Datum apud Claram-vallem per manum Guidonis Sanctæ Ecclesiæ Romanæ Cardinalis & Cancellarii VIII. Kal. Maii indictione XI. Incarnationis Dominicæ anno MCXLVIII. Pontificatûs verò D. D. Eugenii P. P. III. anno IV.

* Mesnil.
* Verpilliere, Baronatûs pendens à Ducatu *Pysney.*
* Spois, Courignon, *Proval.*
* Chudray S. *Nabor*
* *Pressy.*
* Mainil-Aubert.

Bulla Leonis X. pro secularisatione Parthenonis Bedburgii *, anno 1519.*

LEo Episcopus, Servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Pro debito pastoralis officii nobis ex alto commissi circa statum Ecclesiarum & Monasteriorum omnium salubriter dirigendum, cogimur studiosè intendere & ne penitùs collabatur, neve personæ præsertim fœminei sexus, ibi Deo dicatæ, in opprobrium Religionis & sexûs, extra illa vagentur, tenemur diligenter providere, utque in eis divinus cultus incrementum suscipiat, & ipsarum animarum status procuretur potissimè cum catholicorum Principum pia vota id exposcunt, opem & operam impendimus efficaciter prout locorum & temporum qualitatibus pensatis, conspicimus in Domino expedire. Sane pro parte dilecti filii nobilis viri; Joannis Ducis Clivensis, ac dilectarum in Christo filiarum modernæ Priorissæ & Conventûs Monasterii Monialium per Priorissam gubernari soliti in *Bedbur*, Præmonstratensis Ordinis, Coloniensis Diœcesis, nuper exhibita petitio continebat, quòd licet dictum Monasterium per olim tunc Comites Clivenses, præfati Ducis progenitores, pié fundatum & sufficienter dotatum fuerit, & certus Religiosus dicti Ordinis Præpositus nominatus, qui per Abbatem Monasterii Præmonstratensis, Ordinis dicti, Laudunensis Diœcesis, pro tempore existentem, seu alium Superiorem, cui dictum Monasterium Monialium immediaté subest ad curam animarum earumdem Priorissæ & Monialium exercendam, & administrationem bonorum Monasterii Monialium hujusmodi pro tempore deputatum in receptione & administratione sua ad exercitium & administrationem hujusmodi inter cætera de observando aliquas consuetudines dicti Monasterii Monialium, illiusque utilitatem procurando corporale præstet juramentum. Nihilominus dictus Præpositus, portione sibi pro ejus congrua sustentatione ab olim assignatâ, minimé contentus, quàmplurimos redditus & proventus dicti Monasterii Monialium, quibus ipsæ Priorissæ & Moniales sustentari deberent, in suos usus convertere, ac plura ipsius Monasterii bona absque consensu pro tempore existentis Priorissæ, dicti Monasterii Monialium dictarum Conventûs, diversis personis etiam laïcis ad libitum suæ voluntatis perpetuò vel ad tempus locare, & vendere, necnon litteras redditum & privilegiorum alienare, & ad se recipere non erubuit, & eisdem Priorissæ & Monialibus de per eum administratis, receptis & levatis rationem redderere minimè curavit, ac præfatus Abbas, & alii Prælati dicti Ordinis, earum Superiores in remotis agunt, & pro parte Priorissæ & Monialium prædictarum sæpius requisiti, ut in præmissis salubria remedia adhiberent, eis de nullo remedio sublevante providerunt, & nisi per nos eisdem Priorissæ & Monialibus in præmissis opportuné consulatur, profecto formidandum est quod successu temporum bona Monasterii Monialium hujusmodi totaliter distraherentur, illud desolabitur, ipsæque Priorissa & Moniales extra illud in opprobrium Religionis & sexûs vagare cogentur. Verùm si dictum Monasterium Monialium, in quo non nisi de nobili & militari genere ex utroque parente recipi consueverunt, & in eo Ordo ipse, & quævis illius dependentia, nec Prioratus seu Priorissatus ac officium dicti Præpositi, qui forsan ad nutum dicti Abbatis, seu alterius superioris amovibilis existit; cuique Parochialis Ecclesia in *Kellen* Trajectensis Diœcesis perpetuò est unita, aliaque officia ejusdem Monasterii Monialium penitùs & omnino supprimerentur & extinguerentur, ac unio, annexio, & incorporatio prædictæ dissolverentur, ipsumque Monasterium Monialium in secularem & collegiatam Ecclesiam cum sigillo solito, & massâ communi, ac aliis insigniis secularium, & collegiatarum Ecclesiarum, & in ea unus Decanatus, qui inibi sit dignitas principalis pro una Decanissa & Decano. & sedecim Canonicatus, & totidem præbendæ pro sedecim Canonissis quæ inibi missis & aliis divinis officiis interesse teneantur, & unà cum ipsa Decanissa capitulum constituant, & faciant, erigerentur, & instituerentur, & eidem erigendæ Ecclesiæ omnia & singula bona, jura & actiones dicti Monasterii Monialium & Decanatui pro ipsius dote duplex, nec non singulis Monialibus loco illarum præbenda-

rum singulæ simplices, æquales portiones omnium & singulorum fructuum redituum & proventuum ex dictis bonis pro tempore provenientium perpetuo applicarentur & appropriarentur, ipsaque parochialis Ecclesia mensæ capitulari præfatæ Ecclesiæ etiam perpetuò uniretur, annecteretur, & incorporaretur, statueretur que & ordinaretur, quòd modernæ Moniales ante dicti Monasterii Monialium, de cætero non Moniales; sed Canonissæ essent & nominarentur, & prædictæ, & pro tempore existentes Canonissæ dictæ erigendæ Ecclesiæ occurrentium vacationum dicti Canonicatûs, tam hàc primâ vice, quàm deinceps perpetuis futuris temporibus, una earum de gremio habilem & idoneam in earum & ejusdem erigendæ Ecclesiæ Decanissam eligi, & pro tempore existens Præpositus sancti Victoris Xanctensis dictæ Coloniensis Diœcesis, loci Archidiaconus, electionem sic pro tempore factam cum tam juris quàm facti supplicatione defectuum approbare & confirmare, nec non dictorum Canonicatuum & præbendarum vacationibus etiam pro hac vice quàm de cætero eisdem perpetuis futuris temporibus occurrentibus, ipsaque Decanissa & Capitulum illis personis ad hæc idoneis, & similiter de militari genere ex utroque Parente procreatis, non aliis conferre & de illis providere, ac aliàs de illis disponere, ipsaque Decanissa pro tempore existens, statuta & ordinationes, licita, & honesta, ac sacris Canonibus non contraria condere, & condita immutare ac in melius reformare, nec non ipsa & pro tempore existentes Canonissæ, ac erigenda Ecclesia illiusque pars & bona prædicta omnibus & singulis privilegiis, indulgentiis & exemptionibus, libertatibus, indultis, gratiis, favoribus & immunitatibus, quibus ipsæ ac dictum Monasterium Monialium ante suppressionem & extinctionem hujusmodi usa, potita, & gavisa fuerint solâ exemptione à jurisdictione Archiepiscopi Coloniensis pro tempore existensis & dicti Archidioni exceptâ, uti, potiri & gaudere, ipsæque Decanissa & Canonissæ, ac aliæ personæ in dictâ erigendâ Ecclesiâ pro tempore residentes divinum officium ac omnes horas Canonicas, tam diurnas, quàm nocturnas, secundùm usum pristinum & antiquum earum & dicti Monasterii, ritum & consuetudinem, ac libros inibi consistentes de facili commutari, & alii sine magnis impensis de novo emi non poterunt, decantare, recitare & legere, ac aliàs in habitu, vitâ & moribus Abbatissarum, & aliarum Decanissarum, ac Canonissarum in quibusdam aliis Ecclesiis illarum partium, etiam secularibus & collegiatis, olim Divi Augustini, vel alterius Ordinis, & aliàs ad statum secularem authoritate apostolicâ redactis, confirmare liberè & licitè possint: ita tamen quòd eædem Decanissa & Canonissæ tres Presbyteros idoneos ad earum nutum amovibiles, qui in eadem erigenda Ecclesia missas & alia divina officia celebrent, deputare, illisque ex fructibus communibus ejusdem erigendæ Ecclesiæ congruam portionem pro eorum sustentatione assignare, ipsæque Canonissæ in dicta erigenda Ecclesia, pro tempore receptæ & admissæ, cùm ad id legitimæ ætatis fuerint, obedientiam & castitatem, seque in erigenda Ecclesia perpetuo remanere, vel ab ea nonnisi per certum tempus, per Decanissam pro tempore existentem limitandum, & de ejusdem Decanissæ speciali & expressa licentia recedere, velle vovere & non alia vota emittere teneantur, ac Decanatus & Canonicatus & præbendæ ejusdem erigendæ Ecclesiæ per alias personas, quam de nobili & militari genere procreatas, ut profertur, obtineri non possint, quòdque moderno Præposito dicti Monasterii assignatâ sibi, quoad vixerit, annuâ pensione septuaginta florenos aureos in auro Renensi super fructibus, reditibus & proventibus Ecclesiæ erigendæ hujusmodi pro congrua sua portione prædicta incontinenter de regimine & administratione tam erigendæ, quàm Parochialis Ecclesiarum prædictarum, illarumque rebus & bonis, litteris & juribus se intromittere minimé liceat, profecto ex hoc animarum saluti dictarum Priorissæ & Monialium, ac Divini cultûs inibi augmento plurimûm consuleretur, ac pluribus scandalis, quæ occasione præmissorum oriri formidantur, obviaretur. Quare pro parte Joannis Ducis, ac Priorissæ & Monialium prædictarum quam Dilecti Filii Magistri Joannis *Ingenwinckel* litterarum apostolicarum scriptoris & abbreviatoris & in illarum expeditione dilecto filio Nuncio Julio tituli sancti Laurentii in Damaso Presbytero Cardinali Sanctæ Romanæ Eccclesiæ Vice-Cancellario assistentis Notarii & familiaris continui commensalis nostri, moderni Præpositi ipsius Ecclesiæ Xanctensis asserentium fructus, reditus, & proventus dictæ Parochialis Ecclesiæ sex marcarum argenti puri, secundùm earum existimationem valorem annuum non excedere, nobis fuit generaliter supplicatum, ut dictum Monasterium Monialium, & in eo dictum Ordinem Præmonstratensem, & omnem ejus dependentiam, nec non Prioratum, seu Priorissatum & Præposituram prædictos, & si quæ sint alia inibi consistentia officia penitùs omnino supprimere & extinguere ac unionem, annexionem, & incorporationem prædictas dissolvere, ipsumque Monasterium Monialium in secularem & collegiatam Ecclesiam cum sigillo solito, & massâ communi, ac aliis insigniis secularium, & collegiatarum Ecclesiarum, & in ea unum Decanatum qui inibi sit dignitas principalis, pro una Decanissa & sedecim Canonicatus, & totidem præbendas pro sedecim Canonissis, quæ ibidem missis & aliis divinis officiis interesse teneantur erigere & instituere, ac eidem erigendæ Ecclesiæ omnia & singula bona, jura, & actiones dicti Monasterii Monialium & Decanatui pro illius dote duplicem necnon singulis Canonicatibus loco illarum præbendarum singulas simplices æquales portiones omnium & singulorum fructuum, redituum, & proventuum ex dictis bonis pro tempore provenientium perpetuo applicare & appropriare, ipsamque Parochialem Ecclesiam mensæ capitulari prædictæ perpetuo unire & incorporare, ac, ut præfertur, alia præmissa etiam perpetuo statuere, & ordinare aliasque in præmissis opportunè providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur qui dudum inter alia voluimus, quòd petentes beneficia aliis uniri, tenerentur exprimere verum annuum valorem secundùm earum existimationem etiam beneficii cui aliud uniri peteretur, alioquin unio non valeret, & semper in unionibus commissio fieret ad partes vocatis quarum interest ac Ecclesiarum insignium, nec non divini cultûs augmentum & animarum salutem nostris potissimé temporibus ubique vigere & augere intensis desideriis affectamus, ipsosque Joannem Ducem, & Joannem Præpositum ac Priorissam & Conventum ac eorum singulos à quibusvis excommunicationis, suspensionis & interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris & pœnis à jure vel ab homine, quâvis occasione vel causâ latis, si quibus modo quolibet innodati existant ad effectum præsentem duntaxat consequendum, harum serie absolventes & absolutos fore censentes, ac dictæ mensæ fructuum, redituum & proventuum, verum annuum valorem præsentibus pro expressis habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, Monasterium Monialium, &

in eo Ordinem Præmonstratensem hujusmodi, & omnem ejus dependentiam necnon Prioratum seu Priorissatum & Præposituram sæpe dictas, & si quæ sint inibi alia consistentia officia, penitùs & omnino, præfatâ authoritate Apostolicâ, præsentium tenore supprimimus & extinguimus, ac unionem, annexionem, & incorporationem prædictas, dictâ authoritate dissolvimus; ipsumque Monasterium Monialium, in secularem & collegiatam Ecclesiam cum sigillo solito & massa communi, ac aliis insigniis secularium & collegiatarum Ecclesiarum & in ea unum Decanatum, qui inibi sit dignitas principalis pro una Decanissa, & sedecim Canonicatus, & totidem Præbendas pro sedecim Canonissis, quæ inibi missis & aliis divinis officiis interesse teneantur, & unà cum ipsa Decanissa capitulum constituant & faciant, Apostolicâ authoritate, & tenore prædictorum erigimus & instituimus, ac eidem sic erectæ Ecclesiæ, omnia & singula bona, jura & jurisdictiones dicti suppressi Monasterii, & Decanatui pro illius dote duplicem, necnon singulis Canonicatibus loco illarum præbendarum, singulas simplices, æquales portiones omnium & singulorum fructuum, redituum & proventuum ex dictis bonis pro tempore provenientium, dictâ authoritate Apostolicâ, perpetuo applicamus & appropriamus, ipsamque Parochialem Ecclesiam cum omnibus juribus & pertinentiis suis, ex nunc mensæ capitulari Ecclesiæ sic erectæ hujusmodi authoritate Apostolicâ & tenore prædictorum etiam perpetuo unimus, annectimus & incorporamus, ita quòd liceat ex nunc Decanissæ & Canonissis præfatis per se, vel alium, corporalem Parochialis Ecclesiæ, juriumque & pertinentiarum prædictarum possessionem propriâ authoritate liberè apprehendere & perpetuò retinere, illiusque fructus, reditus & proventus in suos & Ecclesiarum earumdem usus, & utilitatem convertere, ac præfatæ Ecclesiæ Parochiali per unum ex dictis tribus, vel alium idoneum Presbyterum per eas ad earum nutum ponendum & amovendum in Divinis deservire, ac illius Parochianorum curam animarum exercere facere, Diœcesani ac pro tempore existentes Archidiaconi locorum hujusmodi, & cujusvis alterius licentiâ aliàs super hoc minimè requisitâ, necnon quod Decanissa & Canonissæ prædictæ de cætero non Moniales, sed Canonissæ sint & nominentur, & illa & pro tempore existentes Canonissæ dictæ sic erectæ Ecclesiæ occurrente vacatione dicti Decanatûs tam pro hac vice, quàm deinceps perpetuis futuris temporibus unam de earum gremio habilem & idoneam in earum & ejusdem erectæ Ecclesiæ Decanissam eligere & pro tempore existens Præpositus Ecclesiæ Sancti Victoris, loci Archidiaconus, hujusmodi electionem sic pro tempore factam cum defectuum, tam juris, quàm facti suppletione approbare & confirmare, necnon dictarum Canonicatuum & præbendarum vacationes etiam tam hâc primâ vice, quàm de cætero eisdem perpetuis futuris temporibus occurrentes, ipsa Decanissa & Capitulum illis personis ad hoc idoneis & similiter de militari genere ex utroque parente procreatis & non aliis, conferre, & de illis providere, ac aliàs de eis disponere, ipsaque Decanissa pro tempore existens statuta & ordinationes, licita & honesta ac sacris Canonibus non contraria condere, & condita immutare, ac in melius reformare, necnon ipsa, & pro tempore existentes Canonissæ, ac Ecclesia erecta hujusmodi, illiusque res & bona prædicta omnibus & singulis privilegiis, exemptionibus, libertatibus, indultis, gratiis, favoribus & immunitatibus quibus ipsæ & dictum Monasterium suppressum ante suppressionem & extinctionem prædictas, usa, potita & gavisa fuerant, solâ exemptione ab Archiepiscopo & Archidiacono prædictis exceptâ, uti, potiri & gaudere ipsæque Decanissa & Canonissæ ac aliæ personæ in dicta sic erecta Ecclesia pro tempore existentes, divinum officium ac omnes horas Canonicas tàm diurnas quàm nocturnas, secundùm usum pristinum, & antiquum earum & dicti suppressi Monasterii ritum & consuetudinem ac libros inibi consistentes, decantare, recitare & legere, ac aliàs in habitu, vita, & moribus Abbatissarum & aliarum Decanissarum ac Canonissarum in quibusdam aliis Ecclesiis dictarum partium secularibus & Collegiatis olim dicti Sancti Augustini, vel alterius Ordinis, & aliàs ad statum secularem authoritate Apostolicâ redactis, conformare liberè & licitè possint: ita tamen quòd eædem Decanissa & Canonissæ tres Presbyteros idoneos ad earum nutum amovibiles, qui in eadem erecta Ecclesia missas & alia divina officia celebrent, deputare, illisque ex fructibus communibus ejusdem erectæ Ecclesiæ congruam portionem pro communi sustentatione assignare, ipsæque Canonissæ in dicta erecta Ecclesia pro tempore receptæ & admissæ, cùm ad id legitimæ ætatis fuerint, obedientiam & castitatem, seque in eadem Ecclesia pepetuò remanere, vel ab ea nonnisi per certum tempus, per Decanissam pro tempore existentem limitandum, & de ejusdem Decanissæ speciali & expressa licentia recedere velle, & non alia vota emittere teneantur, quodque Decanatus, Canonicatus, & Præbendæ ejusdem erectæ Ecclesiæ per alias personas, quam de nobili & militari genere procreatas, ut præfertur, obtineri non possint, & moderno præposito dicti suppressi Monasterii assignatâ sibi quoad vixerit, dictâ pensione septuaginta florenorum pro congrua sua portione incontinenti de regimine & administratione tam erectæ quàm parochialis Ecclesiarum prædictarum, illarumque rebus, bonis, litteris & juribus se intromittere minimè liceat, authoritate & tenore prædictorum statuimus & ordinamus, & nihilominus Monasterium suppressum prædictum, & illius Moniales etiam nunc existentes, quæ se Canonissis secularibus conformare voluerunt, ab omni obedientia & Superiore Ordinis ac Abbatis Præmonstratensis & aliorum Superiorum prædictorum, nunc & pro tempore existentium, ac ab omni jugo Religionis, tribus votis substantialibus duntaxat exceptis, à quibus propterea absolutæ non existant, penitùs & omnino eximimus, ac Canonissas, ut alias personas ipsius Monasterii suppressi, ipsius Decanissæ pro tempore existentis, ac Decanissam venerabilis Fratris nostri Archiepiscopi Coloniensis, & dicti Joannis *Ingenwinckel*, & pro tempore existentis Præpositi dictæ Ecclesiæ Xanctensis, immediatæ correctioni & superioritati, præfatâ authoritate Apostolicâ, subjicimus; ita quod inter ipsos Archiepiscopum & Præpositum Xanctensem pro tempore prævention locus existat, ac Abbas & alii Superiores præfati, & quivis alii nullam visitationem, correctionem, jurisdictionem aut superioritatem in Ecclesiam erectam, olim Monasterium suppressum hujusmodi, aut illius personas prædictas etiam ratione professionis emissæ, aut delicti, seu rei de qua agitur, ubicumque committatur delictum, ineatur contractus, aut res ipsa consistat, exercere possint, sed Decanissa coram Archiepiscopo seu Præposito Xanctensi, & aliæ personæ etiam professæ coram Decanissa hujusmodi de se querulantibus in justitia, respondere teneantur, ac processus & sententias, quos aliter & quidquid in contrarium fieri contigerit, irrita & nulla, præfatâ authoritate Apostolicâ decernimus, inhibentes sub excommunicatio-

nis latæ sententiæ pœnâ, nunc & pro tempore existentibus, supra dicto & aliis Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Prælatis, Visitatoribus, Superioribus dicti Præmonstratensis Ordinis, ac aliis quibuscumque personis cujuscumque dignitatis, status, gradûs, vel conditionis existant; ne pro tempore existentes Decanissam, & Canonissas & Monasterium suppressum & erectam Ecclesiam hujusmodi in earum personis, rebus, bonis, per se, alium, seu alios quomodolibet molestare præsumant, necnon sub simili pœna præcipientes, atque mandantes moderno Præposito dicti suppressi Monasterii qui ut asseritur, per Priorissam & Conventum præfatum electus, & dictum Abbatem Monasterii Præmonstratensis confirmatus extitit, ut restitutis per eum omnibus & singulis bonis, juribus & litteris ejusdem suppressi Monasterii, abinde contentus portione suâ prædictâ, recedat absque spe illuc ullo unquam tempore revertendi. Quocirca Veneberabilibus Fratribus & universis Archiepiscopis & Episcopis ac dilectis filiis aliis Personis in dignitate ecclesiastica constitutis, necnon quarumcunque Cathedralium Metropoliticarum Ecclesiarum Canonicis, ac dictorum Archiepiscoporum & Episcoporum Officialibus generalibus, per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi & quilibet eorum per se vel alium seu alios præmissa omnia & singula, ubi, quando & quoties expedierit, solemniter publicantes, ipsisque Decanissæ & Canonissis & Capitulo dictæ Ecclesiæ erectæ in præmissis efficaciter defensionis præsidio assistentes, faciant auhoritate nostrâ, illas, erectione institutione, applicatione, appropriatione unione, annexione, incorporatione, ac ipsius unitæ Ecclesiæ possessione ac statutis, ordinatione, exemptione, subjectione, decretis, præcepto, mandato, ac aliis prædictis pacificè frui & gaudere, non permittentes eas desuper per Abbates, Priores, Præpositos etiam dicti suppressi Monasterii ac Prælatos, Visitatores, & superiores prædictos seu quoscunque alios quomodolibet molestari inquietari, vel turbari; contradictores, molestatores, inquietatores & turbatores etiam cujuscunque dignitatis, status, gradûs, Ordinis, nobilitatis, præeminentiæ per Censuras ecclesiasticas, & alia juris opportuna remedia, quâvis appellatione cessante compescendo, invocato ad hoc, si opus fuerit, brachii secularis auxilio, & nihilominus super his habendis servatis processibus, illos quos dictam excommunicationis sententiam & alias censuras & pœnas per eos pro tempore latas, incurrisse constiterit, eas damnabiliter incurisse & incurrisse declarare, & quoties opus fuerit, etiam iteratis vicibus aggravare procurent. Cæterùm si per summariam informationem super his per eos habendam etiam eis constiterit, quòd ad loca in quibus contradictores, molestatores, inquietatores, & hujusmodi, ac alios quos præcedentes litteræ concernunt pro tempore morari contigerit, pro monitionibus ipsis & citationibus de iis faciendis tutus non pateat accessus, nos eis citationes & monitiones quaslibet per edicta publica, locis assignanda publicis, & partibus illis vicinis, de quibus sit verisimilis conjectura, quod ad notitiam citandorum & monendorum hujusmodi pervenire valeant, faciendas, plenam & liberam concedimus earumdem tenore præsentium facultatem, ac volumus & prædictâ authoritate decernimus, quod monitiones & citationes hujusmodi sic factæ, perinde eosdem citatos & monitos arctent, ac si eis personaliter insinuatæ & intimatæ extitissent, non obstante priori nostrâ voluntate, & aliis præmissis ac felicis recordationis Bonifacii Papæ octavi prædecessoris nostri, illâ præsertim quâ cavetur, ne quis extra suam civitatem & Diœcesim nisi in certis exceptis casibus, & in illis ultra unam dietam à fine suæ Diœcesis ad judicium evocetur, seu ne Judices à sede deputati prædictâ extra civitatem & Diœcesim in quibus deputati fuerint, contra quoscunque procedere aut alii, aut aliis vices suas committere, aut aliquos ultra unam dietam à fine suæ Diœcesis earumdem trahere præsumant, & de duabus dietis in Concilio generali aliisque constitutionibus apostolicis, & ordinationibs etiam per nos conciliariter editis, nec non quibusvis gratiis, expectativis, specialibus, vel generalibus reformationibus, etiam mentalibus extensionibus, ampliationibus, revalidationibus & collationibus, mutationibus & aliis perpetuis & temporalibus unionibus, annexionibus, incorporationibus, suppressionibus, extinctionibus, approbationibus, nominationibus, ac uniendi, annectendi, incorporandi, supprimendi, extinguendi, applicandi, approbandi, reservandi, nominandi, ac nominatis, & aliis conferendi seu commendandi & aliis facultatibus & mandatis & absque consensu coadjutorum deputatione etiam cum provisionibus, seu commendis ex tunc, nec non quibusvis aliis gratiis, litteris, privilegiis, indultis, dispositionibus, in quarumvis personarum cujuscumque dignitatis, status, gradûs, ordinis conditionis, nobilitatis, & præminentiæ existentium, etiam familiarium nostrorum continuorum, commensalium, etiam antiquorum, & in certis aliis nostris litteris etiam in forma brevis seu rotulæ, aut aliàs descriptorum, aut Romanæ Curiæ Officialium quævis officia in ea etiam actu exercentium, vel etiam Episcopali, Archiepiscopali, Patriarchali, aut Primatiali dignitate, etiam Cardinalatûs honore fulgentium, vel Patriarchalium, Archiepiscopalium, Episcopalium, Abbatialium, Capitularium, Conventualium, aut quarumvis aliarum Monasticarum dignitatum seu officiorum vel aliorum beneficiorum quorumcunque, etiam in nullius commodum, favorem, à nobis vel Sede prædicta, seu ejus legatis etiam motu proprio & ex certa scientia ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, etiam Regum, Reginarum, Principum, Ducum, Marchiorum, Comitum, Prælatorum, Cardinalium, aut aliorum Dominiorum Ecclesiasticorum, & temporalium & Communitatum, Universitatum, studiorum, jurium cessorum, vel ablatorum, aut damnorum & spolii etiam per infideles eis illatorum seu redemptione captivorum etiam de manibus eorumdem infidelium, vel subsidii & cruciatæ contra dictos infideles aut reparatione fabricæ Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe; seu ob remunerationem laborum, seu servitiorum & obsequiorum etiam nobis vel dictæ sedi etiam pro fide Catholica impensorum seu quâvis aliâ etiam grandi & excogitabili consideratione, intuitu vel respectu in genere, vel in specie etiam nominatum de dicta Parochiali Ecclesia perpetuo vel ad tempus & cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, fortioribus, effractioribus, insolitis clausulis irritantibusque & aliis decretis etiam talibus, quod illis nullatenùs aut nonnisi sub certis inibi expressis modo & formâ derogari, aut illorum effectus suspendi possit, concessis & concedendis, quæ omnia & singula eorumque tenores vim & effectum ac si de verbo ad verbum exprimerentur præsentibus pro sufficienter expressis habentes ad hunc effectum, suspendimus, in dicta Parochiali Ecclesia & ejus vacatione hujusmodi effectum sortiri vel habere & locum sibi vindicare non posse, ac pro nullis ac prorsùs infectis haberi decernimus ac Monasteriorum & Ordinis Præmonstratensis hujusmodi juramento confirmatione Apostolicâ, vel quâvis firmitate aliâ roboratis, statutis

& consuetudinibus privilegiis quoque indultis, & litteris Apostolicis Ordini Præmonstratensi, ac suppresso, necnon Præmonstratensibus Monasteriis prædictis, ipsiusque Monasterii Præmonstratensis protempore existentis Patri Abbati, ac aliis ejusdem Præmonstratensis Ordinis Prælatis, Visitatoribus & Superioribus etiam per nos seu prædecessores nostros Romanos Pontifices, & sedem prædictam motu, scientiâ, potestate & authoritate similibus etiam consistorialiter, & sub quibusvis verborum formis, cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, fortioribus & insolitis clausulis, irritantibusque & aliis decretis etiam ad instantiam, & supplicationem dicti Monasterii Præmonstratensis, & aliorum Patrum, Abbatum, Prælatorum, Visitatorum, & Superiorum concessis, ac per eos, & nos, sedemque prædictam etiam iteratis vicibus approbatis, innovatis, & de novo etiam concessis, etiamsi in eis inter alia contineatur expressè quòd ipsius Præmonstratensis Ordinis Monasteria etiam Monialium, illarumque Conventus & personæ, etiam ex certis causis tunc expressis ad secularia reduci, ac in illis ordo & dependentiæ, necnon beneficia & officia inibi consistentia supprimi non possint, quòd eisdem statutis, privilegiis, indultis & litteris prædictis derogari non possit, nisi ejusdem Patris Abbatis ad hoc expressus accedat consensus & aliàs de illis personis ad dictam sedem pro tempore dispositione nullius sit roboris, vel momenti, quibus ac constitutionibus etiam conciliariter editis prædictis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque tenoribus totis, plena, expressa specialis, specifica & individua, & de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales id importantes, mentio seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua exquisita forma servanda forent, tenores hujusmodi pro sufficienter expressis habentes illis aliàs in suo robore permansuris, hâc vice specialiter & expresse derogamus, contrariis quibuscumque; aut si aliqui super promissionibus sibi faciendis de hujusmodi vel aliis beneficiis Ecclesiasticis in illis partibus speciales vel generales dictæ sedis vel Legatorum ejus litteras impetrarint, etiamsi per eas ad inhibitionem, reservationem & decretis vel aliàs quomodolibet sit provisum, quas quidem litteras & processus habitos per easdem & inde secuta quæcumque ad dictam Parochialem Ecclesiam volumus non extendi, sed nullam per hoc eis quoad assecutionem beneficiorum aliorum præjudicium generatum, & quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis & litteris Apostolicis generalibus & specialibus quorumcumque tenorum existant per quæ præsentibus non expressa, sed totaliter non inserta effectus earum impediri; valeat quomodolibet, vel differri & de quibus, quorumcumque tenoribus totis de verbo ad verbum habenda sit in nostris litteris mentio, specialis provisio, quæ propter unionem, annexionem, & incorporationem prædictas, Ecclesia hujusmodi debitis non fraudetur obsequiis, & animarum cura in ea nullatenùs negligatur, sed ejus congrua supportentur onera consueta, necnon ex nunc irritum decernimus & inanes, si secùs super his à quocunque, quâvis authoritate, scienter vel igoranter contigerit attentari. Nulli ergo liceat hanc paginam nostræ absolutionis, suspensionis, extinctionis, dissolutionis, erectionis, institutionis, applicationis, unionis, annectionis, incorporationis, statuti, ordinationis, exemptionis, subjectionis, decreti, inhibitionis, præcepti, mandati, concessionis, voluntatis, suspensionis & derogationis infringere, vel ausu temerario contraire. Si quis hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Romæ ad Sanctum Petrum anno Dominicæ Incarnationis 1519. quinto Idus Augusti, Pontificatûs anno septimo.

Post quarum quidem litterarum Apostolicarum præinsertarum præsentationem & receptionem nobis & per nos, ut præmittitur, factas, querelam gravem prænominatarum Dominarum modernæ Decanissæ & Canonissarum, ac Capituli secularis & Collegiatæ Ecclesiæ sancti Joannis Baptistæ in *Bedbur* Coloniensis Diœcesis, recepimus, inter alia in effectu continentem, quòd licet ipsæ Dominæ conquerentes, earum bona & res ab omni jurisdictione & superioritate Ordinis Præmonstratensis & cujusdam Pauli *Overheide*, olim asserti Præpositi in *Bedbur*, sint & fuerint exemptæ, ac eidem Domino Paulo asserto Præposito, quoad vixerit pro portione sua competenti septuaginta florenos auri in auro ex fructibus redditibus, & proventibus mensæ capitularis Monasterii suppressi, nunc verò erectæ Ecclesiæ in *Bedbur*, singulis annis persolvendos juxta vim & tenorem præinsertarum litterarum Apostolicarum, coram notario & testibus assignaverint, ipsumque Dominum Paulum assertum Præpositum sæpè & sæpius charitativè, ac aliàs ut restitutis per ipsum omnibus & singulis juribus, litteris, privilegiis, rebus & bonis ad ipsas Dominas conquerentes, earumque erectam Ecclesiam quomodolibet spectantibus, & pertinentibus ab administratione & intromissione bonorum & rerum earumdem conquerentium, ac occupatione Domûs Præposituræ ibidem animo illud revertendi desisteret, & cessaret, ac ipsas Dominas conquerentes bonis & rebus ad ipsas & earum Ecclesiam spectantes, & pertinentibus uti & frui sineret & permitteret, nec non eisdem Dominabus conquerentibus quominùs præinsertis litteris apostolicis in parte vel in toto, uti & frui possint, nullum præstaret impedimentum requisierint & interpellaverint, ipseque Dominus Paulus assertus Præpositus, hujusmodi requisitioni & interpellationi tanquam justæ & rationi consonæ assensum & consensum præstare obligatus & obnoxius extiterit nihilominus idem Dominus Paulus assertus Præpositus, nescitur quo spiritu ductus, prædictâ suâ portione septuaginta florenorum auri, in auro minimè contentus ab administratione & intromissione bonorum & rerum hujusmodi & occupatione Domûs Præposituræ in *Bedbur*, cùm reali deliberatione omnium & singulorum jurium & privilegiorum ipsius Monasterii suppressi apud ipsum existentium, cessare & desistere, necnon quominùs dictæ Dominæ conquerentes hujusmodi bonis suis & rebus, ac erectione & exemptione aliisque privilegiis & indultis apostolicis noviter concessis, uti & frui possint, impedimentum præstare non erubuit, neque erubescat de præsenti, in animæ suæ grave periculum dictarumque Dominarum conquerentium, jacturam & damnum non modicum, & indulti apostolici hujusmodi enervationem & vilipendium. Quare fuimus pro earumdem Dominarum conquerentium debitâ instantiâ requisiti, quatenùs ipsis in & de supra præmissis de opportuno juris remedio providere, atque monitionis & inhibitionis mandatum pœnale unà cum citatione insertâ, in forma solitâ & consuetâ decernere & concedere dignaremur.

Nos igitur Everhardus Decanus judex & conservator ante dictus, attendentes requisitionem hujusmodi fore justam & rationi consonam, quòdque justa petenti non sit denegandus assensus; monitionis & inhibitionis mandatum pœnale præpetitum unà cùm citatione inserta in forma & sub pœnis infrascriptis decrevimus, prout præsentium tenore decernimus

cernimus. Quocirca vobis omnibus & singulis supra dictis & vestrûm cuilibet in solidum, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub excommunicationis pœna quam in vos & vestrûm quemlibet, canonicâ monitione præmissâ, ferimus in his scriptis, nisi feceritis quæ committimus & mandamus districtè præcipiendo mandantes, quatenùs authoritate Apostolicâ prædictâ, nobis, ut præfertur, commissâ, & quâ fungimur in hac parte accedentes quò propterea fuerit accedendum, & accedere fueritis requisiti, seu alter vestrûm fuerit requisitus, moneatis & requiratis præfatum Dominum Paulum *Overheide* assertum Præpositum in *Bedbur* ex adverso principalem, omnesque alios & singulos in præmissis culpabiles, vobis per latorem præsentium in specie nominandos in eorum propriis personis, si ipsorum præsentiam commodè habere poteritis, alioquin per traditionem copiarum præsentium ad domum habitationis eorumdem, quos & eorum quemlibet nos etiam authoritate & tenore præsentium sub suspensionis à divinis, & excommunicationis, nec non quingentorum aureorum florenorum aureorum de CameraCameræ apostolicæ & ejus festo pro una & reliqua medietatibus, dictis conquerentibus si commissa fuerit, applicandorum pœnis, sic requirimus & monemus,ut infra sex dies vestram monitionem hujusmodi & præsentium executionem ipsi factam proximè sequentes, quorum sex dierum duos pro primo, duos pro secundo & reliquos duos dies pro tertio & peremptorio termino ac monitione canonicâ, ad id præfigimus & assignamus ab administratione & intromissione bonorum & rerum dicti Monasterii suppressi & erectæ Ecclesiæ in *Bedbur* Coloniensis Diœcesis restitutis, per ipsam omnibus & singulis litteris, juribus, bonis ac rebus ad ipsas Dominas conquerentes quomodolibet spectantibus & pertinentibus, nec non occupatione domûs Præposituræ illico & incontinenter penitùs & omninò cessent, & desistant; ac eandem domum Præpositura ipsis Dominabus conquerentibus ad earum libitum evacuent, & liberam dimittant, nec non ipsas Dominas conquerentes, bonis & rebus suis ad ipsas quomodolibet spectantibus & pertinentibus, liberè & pacificè ad earum nutum uti & frui sinant & permittant, ac quominus erectione, institutione & exemptione aliisque privilegiis & indultis suis Apostolicis noviter concessis, supra scriptis, uti & frui possint, impedimentum præstent; ac insuper boves & porcos non castriatos breviter præter scitum & voluntatem earumdem Dominarum conquerentium manu temerariâ tempore nocturno seu aliàs arreptos & abactos, ad easdem Dominas conquerentes spectantes & pertinentes restituant, & restitui faciant sive procurent, ac quilibet eorum cesset, desistat, evacuet, dimittat, sinat, & permittat, spectet & restituat, & restitui faciat, sive procuret realiter & cum effectu. Inhibentes nihilominus eisdem monitis, & eorum cuilibet, omnibusque aliis, & singulis sua communiter vel divisim interesse putantibus, sub similibus pœnis & censuris modo præmisso applicandis, ne ipsi seu eorum alter de cætero de administratione & intromissione bonorum & rerum dicti suppressi monasterii, nunc verò erectæ Ecclesiæ in *Bedbur*, illiusque rebus, litteris, & juribus quibuscumque ac occupationi Præpositura prædictæ, intromittere, nec non quominùs ipsæ Dominæ conquerentes, præfatæ erectioni, institutioni,& exemptioni, aliisque privilegiis, & indultis suis Apostolicis præinsertis, uti & frui possint, & valeant, impedimentum præstare audeant sive præsumant, aut alter eorum audeat sive præsumat per se, alium, seu alios publicè vel occultè, directè vel indirectè, quovis ad hoc quæsito colore vel ingenio, alioquin contra ipsos omnes & singulos hujusmodi, nostris, imo veriùs Apostolicis mandatis parere minimè curantes, ad dictarum suspensionis & excommunicationis sive declarationis & dictæ pœnæ pecuniariæ, sive mulctæ exactionem, arctiùs prout de jure poterimus, procedemus, & procedi faciemus, justitiâ mediante, nisi saltem medio tempore causam coram nobis allegaverint, aut alter eorum allegaverit rationabilem; quare præmissa fieri non debeant, parte alterâ ad hoc legitimè vocatâ;citantes insuper peremptoriè coram nobis in *Wischell* in & ad domum habitationis nostræ solitæ residentiæ, infra immunitatem dictæ Ecclesiæ sancti Clementis in *Wischell* sitam, præfatos monitos & inhibitos & eorum quemlibet ad quintam diem, dictos sex dies immediatè sequentem, si juridica fuerit, & nos pro tribunali sederimus, alioquin ad proximam diem juridicam ex tunc immediatè sequentem, quæ nos horâ secundâ post meridiem judicii, sive audientiæ causarum, coram nobis consuetâ ad jura reddendum & causas audiendum in hujusmodi negotio pro tribunali sedere contigerit, ad dictarum Dominarum conquerentium instantiam, ad docendum & fidem nobis legitimam faciendam se præscripto nostro monitionis & inhibitionis mandato realiter & cum effectu paruisse & obtemperasse, alioquin ad videndum & audiendum ipsos in pœnas & censuras inibi comprehensas & comminatas incidisse damnabiliter, & incurrisse per nos declarari litterasque declaratorias desuper opportunas in forma solita & consueta decerni, vel dicendum & causam rationabilem, quare id de jure fieri non debeat allegandum, cum intimatione debita & consueta. Certificantes etiam eosdem monitos, inhibitos, incitatos quòd sive in dicto citationis termino, ut præmissum est, comparere curaverint, sive non, nos nihilominus ad præmissa omnia & singula & eorum continuationem ulteriorem per aliorum mandatum nostrorum forsitan decernendorum & emittendorum virorum, copiarum valvis antedictæ Ecclesiæ in *Wischell* affixione ac aliàs inibi ad instar edictorum publicorum quæ olim in albo prætorio fiebant, atque juxta stilum, qui hodie in audientia contradictarum Apostolicarum ad simile instar observatur, contra eosdem procedemus & procedi faciemus, justitiâ mediante. In quorum omnium & singulorum fidem & testimonium præmissorum, præsentes litteras nostras exinde fieri, & per Notarium publicum,Scribamque nostrum infra scriptum, scribi, sigillique nostri jussimus & fecimus appentione communiri. R. Scriptis ac debitè executis. Datum & actum in domo Capitulari præfatæ Ecclesiæ in *Bedbur*, sub anno Domini millesimo quingentesimo decimo nono, Indictione septimâ, die quidem vigesimâ quintâ mensis Septembris. Pontificatûs sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri, Domini Leonis Papæ decimi præfati anno septimo, præsentibus ibidem venerabilibus & honorabilibus viris Dominis Jacobo *Alfliger* Canonico & Everhardo *Mass* de *Clivis* Vicario insignis Collegiatæ Ecclesiæ sancti Victoris Xanctensis, Coloniensis Diœcesis, nec non Arnoldo de *Choch* Clerico civitatis Coloniensis, testibus ad præmissa vocatis specialiter atque rogatis.

De speciali & expresso mandato antedicti Venerabilis Domini Everhardi *Hollant* Decani, Judicis & Conservatoris prælibati, Henricus *Brinckhusen* Notarius publicus ad infra scripta requisitus subscripsit.

In Nomine Domini amen. Tenore præsentis publici instrumenti cunctis pateat evidenter & sit notum quòd sub anno à Nativitate ejusdem Domini

millesimo quingentesimo decimo nono, Indictione octavâ, secundùm usum, stilum, & consuetudinem scribendi Civitatis & Diœcesis Coloniensis, die verò Jovis, sextâ mensis Octobris, horâ decimâ vel circiter ante meridiem, Pontificatûs verò sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri Domini Leonis divinâ providentiâ Papæ decimi anno septimo, in mei, Notarii publici, testiumque infra scriptorum ad hoc specialiter vocatorum & rogatorum præsentiâ personaliter constituti Reverendi ac Religiosi Patres & Domini, Joannes *Schuyff* Abbas Steinfeldensis Ordinis Præmonstratensis, generalis Visitator dicti Ordinis per Westphaliam, à Superiore Abbate & generali Capitulo, ut dicebat, specialiter deputatus, necnon Paulus *Vann-Oeuverheide* Præpositus monasterii Monialium in *Bedbur* ejusdem Ordinis Præmonstratensis, Coloniensis Diœcesis, principaliter, tam pro se ipsis conjunctim & divisim, quàm omnibus aliis interesse habentibus, & adhærere volentibus, citra tamen quorumcumque Procuratorum, sive Syndicorum suorum, per eos hactenùs quomodolibet constitutorum revocationem, de quo expressè fuerunt protestati, habentes & suis in manibus detinentes quandam provocationem & appellationem, *Apostolorumque* petitionis papiri schedulam, quàm ibidem animo, ut dixerunt, & intentione à certis litteris Apostolicis venerabili & religiosæ Dominæ Abbatissæ & Monialibus in *Bedbur*, taliter qualiter in ipsorum præjudicium concessis, & illarum insinuatione eis seu eorum alteri pro parte dictarum Dominæ Abbatissæ & Monialium monasterii in *Bedbur*, dicti Ordinis Præmonstratensis, factâ, aliisque gravaminibus in dicta schedula appellationis latiùs expressis, tam pro seipsis quàm eis adhærentibus, provocandi & appellandi, *Apostolosque* petendi & recipiendi, ac causam & causas hujusmodi ad Romanam Curiam devolvendi, aliaque faciendi quæ inibi narrantur, legere incipiebant & in parte prælegebant, quâ quidem schedulâ pro lecta habitâ, eandem mihi Notario infrascripto, tradiderunt & exhibuerunt tenoris inferiùs inserti, atque tam conjunctim, quàm divisim provocarunt & appellarunt, *Apostolosque* primò, secundò, tertiò, ac instanter, instantiùs & instantissimè à me Notario publico infrascripto, ipsis & eorum cuilibet dari & de illis respondere petiverunt, & quilibet eorum petivit, aliasque & alia fecerunt seque facere dixerunt prout & quemadmodum in eadem schedula dicebant latiùs contineri. Quibus quidem Dominis Abbati & Præposito & eorum cuilibet sic, ut promittitur, provocantibus & appellantibus, ac *Apostolos* petentibus, Ego Notarius infra scriptus *Apostolos* testimoniales ac alias tales quales potui & debui super ejusmodi eorum appellatione dedi & assignavi de & super quibus omnibus & singulis præmissis, iidem Domini Abbas & Præpositus & quilibet ipsorum tam pro se quàm aliis prædictis sibi à me Notario publico infra scripto, unum vel plura, publicum seu publica fieri & confici petiverunt & quilibet eorum petivit, instrumentum & instrumenta in meliori forma, sensu non variato. Acta fuerunt hæc Coloniæ in domo habitationis venerabilis Domini Joannis . . . . legum Doctoris, sita in vico potiùs apud sanctum Paulum, sub anno Domini indictione, die, mense, horâ & Pontificatu prædictis, præsentibus ibidem honorabili & provido viris Domino Joanne de *Russchede* Presbytero & Joanne de *Rossardia* Clerico, Coloniensis & Trajectensis Diœcesis, testibus ad præmissa vocatis specialiter & rogatis. Tenor autem schedulæ appellationis hujusmodi, talis est.

Cùm appellationis remedium in oppressorum, seu verisimiliter opprimi timentium relevamen salubriter sit adinventum. Quapropter Syndicus seu Procurator, & eo nomine Reverendi Patris Domini Abbatis Steinfeldensis, Ordinis Præmonstratensis, Coloniensis Diœcesis, uti generalis per Circariam seu Provinciam Westphalicam, Commissarii & Visitatoris, à supremo Patre Abbate & Capitulo generali ejusdem Ordinis Præmonstratensis, pro nunc specialiter deputati, aliorumque omnium singulorum quorum interest, intererit, seu interesse poterit quomodolibet in futurum & huic appellationi adhærentium, seu adhærere volentium; nec non honorabilis & religiosi viri Domini Pauli *Vann Oeverheide* Præpositi monasterii Monialium in *Bedbur*, Ordinis Præmonstratensis, Coloniensis Diœcesis, ac Ecclesiæ Parochialis in *Kellen*, Diœcesis Trajectensis, Rectoris & possessoris, & seu iidem Reverendi & honorabiles Domini prælibati, pro se ipsis ac aliis omnibus & singulis quorum interest, intererit, seu interesse poterit quomodolibet, & quos præsens negotium tangit, seu tangere potest, animo & intentione provocandi, & appellandi, *Apostolosque* petendi, causamque & causas hujusmodi ad sedem Apostolicam devolvendi, & omnes alios meliores finem & effectum parti suæ magis utiles in medium profert & exhibet infra scripta. Quòd licet monasterium Monialium in *Bedbur*, in districtu seu dominio Ducatûs Clivensis, Coloniensis Diœcesis situatum, Ordinis Præmonstratensis ante trecentos annos fuerit, & sit à quondam illustrissimis tunc Comitibus, nunc verò Ducibus, tunc Comitatûs nunc autem Ducatûs Clivensis erectum, fundatum, & dotatum, eâ quidem intentione & mente, quod sub habitu, vitâ, moribus, & professione dicti Ordinis tot inibi puellæ Virgines ad idem monasterium & professionem in eodem faciendam susciperentur, quot ex fructibus, redditibus, & proventibus ejusdem monasterii absque penuria juxta juris communis dispositionem sustentari possent, quæque perpetuis futuris temporibus in eodem, omnipotenti Deo in virginitatis decore sicuti corpore mundæ, ita & corde puræ, Deo quotidianis & indefessis suis obsequiis uti verè Deo devotæ sanctæ Moniales professæ famularentur, sitque etiam verum quòd idem Monasterium in *Bedbur* à tempore dictæ fundationis, dotationis semper & continuè antea fuerit sub Præsidente, seu Generali, supremo Patre Abbate dicti Ordinis Præmonstratensis, & eidem, ut & alia monasteria, tam in spiritualibus, quàm in temporalibus subjectum, idemque supremus Pater Abbas consuevit à centum annis proximè effluxis, citra idipsum monasterium, simul cum pluribus aliis ejusdem Ordinis monasteriis sub Circaria, ut ejusdem Ordinis professi vulgariter appellant, seu Provincia Vestphaliæ situatis, Reverendo Patri Abbati dicti monasterii Steinfeldensis pro tempore existenti multoties non tamen continuè, sed interpellatis vicibus quoad visitationem, inquisitionem, correctionem, & alia quæ pro tempore circà personas, res & bona eorumdem monasteriorum occurrerent, facienda, prout & præfato moderno Domino Abbati ab eodem supremo Abbate commissum existit, committere, ita & taliter, quod quicumque, cui hoc à supremo Abbate & Capitulo generali ejusdem Ordinis commissum & injunctum extitit, ex commissione sibi taliter, uti præfertur, facta, semper habere consuevit, habuitque jus inquirendi, visitandi & corrigendi omnes & singulos defectus, tam circa personas ipsarum Monialium, quàm res & bona ac statum ejusdem monasterii occurrentis, quando & quoties hoc eidem præfato domino Abbati Steinfeldensi, seu alicui commissionem à dictis supremo Domino Patre, & Capi-

tulo generali ejusdem Ordinis, habenti, visum fuit expedire: consuevit etiam idipsum monasterium Monialium per Religiosum dicti Ordinis per tempus & tempora proximè dicta, Præpositum vulgariter nuncupatum, tam circa spiritualia, quàm etiam temporalia juxta statuta, consuetudines ejusdem Ordinis laudabiliter regi & gubernari, prout & ante memoriam hominum, semperque & continuè, de post usque ad diem intimationis præsentium litterarum Apostolicarum inferiùs exprimendarum, pacificè & quietè, absque alicujus contradictione rectum & gubernatum extitit, & adhuc salvis infra dicendis existit, unde est quòd ante plures annos dictus Dominus Paulus, Religiosus dicti Ordinis existens, per superiorem & supremum Patrem Abbatem & generale Capitulum ejusdem Ordinis in Præpositum, & laudabiliter regendum & gubernandum dictum monasterium Monialium in *Bedbur* pro tempore, ac etiam dictas Ecclesias in *Kellen* & *Bedbur* ritè per easdem Priorissam & Moniales cum debitis præviis institutionibus Ordinariorum assumptus & deputatus, & de post etiam ab ipsis Priorissà & Monialibus ejusdem monasterii ad eandem Præposituram, de consensu omnium, & aut saltem majoris partis earumdem, electus fuisset, idem Dominus Paulus à tempore suæ deputationis & electionis citra idipsum monasterium Priorissamque & Moniales tam in spiritualibus, quàm in temporalibus prout meliùs potuit, omni adhibito per eum, ut benè & laudabiliter per eundem gubernaretur & regeretur, conamine, & easdem Ecclesias conjunctim & divisim quàm decenter rexit & gubernavit, ita & taliter quod idem Dominus Paulus jam per plures annos fuit in possessione, seu quasi dictæ Præposituræ & Ecclesiarum prædictarum juriumque, & pertinentiarum omnium ejusdem, seu earumdem pacificâ & quietâ, fructus, reditus, & proventus ex dicta Præpositura & ratione ejusdem, & earumdem Ecclesiarum provenientes percipiendo & sublevando, ac in suos & dicti monasterii usus & utilitatem convertendo, & licet taliter in possessione, seu quasi, dictæ suæ Præposituræ ac Ecclesiarum prænotatarum existens, non potuisset per aliquem ab eadem, seu juribus ejusdem, & illorum exercitio fuisse devectus seu spoliatus, nihilominus tamen Priorissà & Moniales dicti monasterii in *Bedbur*, nescitur quo spiritu ductæ, nisi maligno, nondum decem elapsis diebus insinuarunt, & insinuari fecerunt eidem Domino Paulo, certas prætensas litteras Apostolicas, per quas inhibuerunt seu inhiberi fecerunt præfato Domino Paulo, se ne amplius Præpositum dicti monasterii nominaret seu reputaret, neque se, pro tali haberet, teneret, gereret, seu æstimaret, nec jura Præposituræ ac etiam Ecclesiarum prædictarum & earumdem obventiones ampliùs exerceret, sed quòd ab illis se penitùs abstineret, & aliàs ab illarum exercitio penitùs desisteret & cessaret, volentes per hoc eundem Dominum Paulum dictâ Præpositurâ, juribusque & pertinentiis omnibus ejusdem, & seu Ecclesiarum prædictarum indebitè & temerè ac aliàs iniquè ac injustè privare & spoliare. Et licet in eisdem prætensis litteris Apostolicis de prætensa extinctione & seu suppressione dictæ Præposituræ aliquid dicat contineri, veruntamen fuit, & est, quòd plura & diversa in eisdem litteris narrata & expressa fuerunt & sunt subrepticia & obrepticia per falsi suggestionem, & veri suppressionem obtenta, cùm si omnia quæ in eis expressa reperiuntur tacita, & tacita expressa fuissent, nullatenùs dictas litteras in ea saltem forma, in qua concessæ reperiuntur, dicta Priorissa & Moniales obtinuissent, nec obtinere potuissent, prout ex causis infra narrandis & exprimendis pleniùs continetur & dicetur, antequam tamen ad expressionem causarum hujusmodi procedatur, protestatur imprimis Procurator & eo nomine quo supra, & seu prælibati Domini pro se ipsis & eorum complicibus & adhærentibus, quòd per infra dicenda non intendant seu intendunt, prout nec potest nec possunt, in aliquo lædere, vilipendere, taxare, aut quovis modo notare, famam, honorem, & integritatem, laudemque & decorem Illustrissimi & gratiosissimi Domini Domini Joannis Ducis Clivensis senioris, cùm ipse idem Dux, tametsi ex suo nobilissimo stemmate, suisque in omni virtutum genere excellentissimis progenitoribus clarus existat, sed ex propriis etiam & illi innatis virtutibus omnem laudem gloriam & honorem à cunctis promeretur. Unde tametsi dictæ prætensæ litteræ dicantur ad supplicationem ejusdem Principis & Ducis concessæ, quod tamen nullatenùs de mente vel intentione ejusdem fuerit, neque sit, quòd similes litteræ sub eo verborum tenore quo concessæ dicuntur, emanarint, nam si ea quæ ex dictis litteris mala, imò scelera verisimiliter oriri & procedere possint, ipsi Illustrissimo Domino Principi & Duci planè exposita & narrata fuissent, nullatenùs in illarum impetrationem quovis modo consentiisset, est enim idem Princeps erga Deum religiosissimus, illi devotissimus, ita ut nil aliud cupiat quàm si possèt animas Christo lucrifacere: cùm enim illi ex innata pietate, misericordia & bonitate abominabile sit in hominum etiam sceleratorum & hostium non unquam corpora sævire, quanto magis credendum est quòd in animarum perditionem suorum subditorum nullatenùs consentire voluerit, neque quo ad illud quoquomodo perveniri possit, aliquem suum consensum adhibere: quâ quidem protestatione salvâ, citra tamen cujuscunque injuriam, sed solùm jus competens deffendendo & declarando, descendendo nunc ad ea quæ in dictis litteris falsa, narrata & expressa fuerunt & sunt, proponit idem Syndicus, seu Procurator quo supra nomine, seu iidem Domini præfati quod in eisdem falsè narratum existit, quod Præpositus dicti monasterii in *Bedbur* Religiosus Ordinis Præmonstratensis existens, portione sibi pro ejus congrua sustentatione ab olim assignatâ minimè contentus, quàm plurimos reditus & proventus dicti monasterii, quibus ipsa Priorissa & Moniales sustentari deberent in suos usus convertere ac plura ipsius monasterii bona, absque consensu pro tempore existentis Priorissæ dicti monasterii Monialium & dictarum Conventûs diversis personis etiam laicis ad libitum suæ voluntatis perpetuò vel ad tempus locare, & arrendare, necnon litteras redituum & privilegiorum ad se recipere non erubuit, & eisdem Priorissæ & Monialibus de per eum administratis, receptis, & levatis rationem reddere minimè curavit, prout hæc inibi latiùs continentur, dicit enim idem Procurator seu ipse præfatus Dominus Paulus modernus Præpositus, quòd cùm idem jam ad plures annos dictam Præposituram administravit, semper fuit prout de præsenti est contentus antiquâ & solitâ sibi assignatâ portione, & quam sui in eadem Præpositura Prædecessores habuerunt, cùm nec majorem unquam, ab eisdem Priorissà & Monialibus petierit seu postulaverit eo saltem modo quod per hoc dicere potuerunt se in aliquo læsas vel gravatas seu aliàs super hoc conqueri tenerentur seu deberent. Et casu quo idem modernus Dominus Præpositus aliqua ultra antiquam portionem Præposito debitam percepisset, illa tamen non ad alios quam dicti monasterii usus publicè necessarios convertit, prout & in ratione per eun-

dem reddita seu reddenda si opus fuerit id latiùs patebit. Est enim falsum quòd aliqua ipsius monasterii bona absque consensu Priorissæ & Monialium perpetuò vel ad tempus locaverit, seu arrendaverit, aut unquam etiam indebitum consensum adhibuerit, cùm in hoc semper antiquum ejusdem monasterii morem, & laudabilem consuetudinem observaverit. Veritate etiam caret & falsum est quòd litteras redituum seu privilegiorum ejusdem monasterii ad se receperit, saltem eo animo eàve intentione, ut sibi illas retineret, aut alias easdem distraheret, ita ut ad manus earumdem Priorissæ & Monialium non pervenirent, cùm & si aliquas litteras in certis cistis & receptaculis receperit, tunc tamen non alias quam res & bona suæ Præposituræ & monasterii & seu Ecclesiarum prædictarum concernentes ad se recepisset, non eo proposito seu animo, ut illas perpetuò apud se esse, aut illas ad aliorum manus tradere vellet, sed ut ex illis seipsum instruere posset, quæ videlicet Monasterii & quæ Præposituræ & Ecclesiarum prædictarum bona essent, quæ quidem litteræ habentur adhuc & conservantur in bona custodia, ita ut non ad extraneorum manus pervenerunt, & de facili ad omnem nutum haberi poterunt. Et quod ibidem eisdem litteris subjungitur quòd idem Præpositus de per eum administratis, receptis & sublevatis, ipsis Priorissæ & Monialibus rationem reddere non curavit, dicitur & id idem falsum, cùm semper juxta statuta & ordinationem dicti Ordinis obtulerit se promptum, pronum, & paratum Superioribus suis, & illis quibus de jure & consuetudine tenetur, etiam in præsentia Priorissæ & Monialium, & aliarum quarumcumque probarum & honestarum personarum, etiam illustrissimorum Principum & Dominorum senioris & junioris Ducum Cliventium, aut deputatorum ab eisdem computum & rationem legales reddere, prout & in hodiernum diem se promptum, pronum, & paratum offert. Et certè mirandum est, quâ temeritate Virgines & & puellæ Deo dicatæ audeant similia sanctissimo Pontifici, aut illis qui hujusmodi litteras sollicitarunt, contra omnem veritatem suggerere, bonam & redolentem famam viri Religiosi, & antiqui Sacerdotis, qui curam animarum earumdem hactenùs gessit, quique cum eisdem benevolè & piè semper versatus est, quem ut parentem amare, & recolere deberent, postpositâ omni sexûs verecundiâ palam, publicè tractare & sugillare, unde benè potuit dicere idem Dominus Præpositus cum Psalmista, *si inimicus meus maledixisset mihi sustinuissem utique & si is qui oderat me super me magna locutus fuisset, abscondissem me forsitan ab eo, tu vero homo unanimis, Dux meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos, in domo Dei ambulavimus cum consensu*, quamvis & hoc dicere nolit quod immediatè subjungitur, *veniat mors super illos, & descendant in infernum viventes*, cùm hoc dicat, ut sciant quas res tangit, quàm enorme scelus commiserint, ex quo enim pœna coæquanda est delicto, ostendit Psalmista, quàm facinorosum sit homini fingenti se alterius amicum, illi cum se talem fingit, & qui cum eodem ut amicus nihil mali suspicans, maledicere, & illius famæ insidiari. Det autem Deus ipsis Priorissæ & Monialibus ut à peccatis & incepto desistentes convertantur & vivant, pro quo & ipsi Dominus Abbas Stenfeldensis, & Præpositus parati sunt Deum orare. Falsò etiam narratur in eisdem prætensis litteris Apostolicis, quòd præfatus Abbas & alii Prælati dicti Ordinis earum Superiores in remotis agunt, & quòd pro parte Priorissæ & Monialium sæpius requisiti, ut in prænarratis salubria remedia adhiberent, quòd tamen eis de nullo remedio sublevari providerunt; istud enim est ab omni veritate alienum, cùm frequenter tentatum sit à prædecessoribus moderni Domini Abbatis Steinfeldensis & ab ipsomet moderno Domino Abbate ut ad frugem melioris vitæ induci possent, sed in reprobum sensum ductæ, noluerunt, non audientes vocem Domini, cùm & induratum esset cor Pharaonis, nolentes juxta David intelligere ut benè agerent, fuerunt enim ut idem David canit *Aspides surdæ & obturantes aures suas, ut non exaudirent voces incantantium sapienter*, ita quòd si iidem Patres viverent, possent cum Christo dicere, quemadmodum & ille dixit Judæis, O quoties voluimus vos congregare sicut gallina congregat pullos suos sub alis, & noluistis; det etiam Deus & illud quod statim in contextu ejusdem Evangelii subjungitur non eveniat; *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta*. Et quidem ipse jam præfatus Dominus modernus Abbas Steinfeldensis firmam conceperat spem idipsum monasterium in *Bedbur* reformandi, ex quo duo similia & ejusdem Ordinis monasteria, eidem monasterio in *Bedbur* magis vicina, in eodem Ducatu Clivensi, situata, per immediatum Prædecessorem ejusdem Domini Abbatis, & eo defuncto ac negotio reformationis non plenè perfecto, sicque per modernum Dominum Abbatem continuato, intra proximum terminum reformata fuissent, unde etiam est quòd ipsæ Moniales in *Bedbur*, idipsum suspicantes & timentes, omni studio institerunt ut hujusmodi de eis fiendam reformationem impedire possint, unde est quod & eandem bullam & quam citissimè emanaret & accuratissimè procuraverunt; ad hæc enim fortè anhelant quædam ejusdem monasterii Moniales, quæ alias seducentes & eisdem sub specie liberioris vitæ & vivendi modo blandientes, magno contracto ære alieno, hujusmodi litteras Apostolicas impetrare curarunt, pro quibus proculdubio magnæ pecuniæ quantitatem expenderunt. Sed proh Dei atque hominum fidem! Oportebatne internum venenum tanti emere & ex arca educere aurum, ut animarum salus, & omnes quæ in castis & Deo devotis virginibus & Monialibus esse possent, seu requiruntur, virtutes, perirent? hoc enim sumpto veneno, has omnes virtutes è vestigio emigraturas formidandum est. Quis enim dubitat quin maximum in rebus & bonis suis idipsum monasterium passum sit seu patiatur damnum, antequam pecuniarum summam, pro impetranda bulla, ut dicitur, expositam, illis à quibus eandem habet, restituere valeat? Nemo enim sanæ mentis, ad tale quid obtinendum suas mutuò dat pecunias nisi majus lucrum, seu quid aliud inde speret; poterit enim eadem pecuniarum summa, in divini cultûs in eodem monasterio peragendi augmentum aut aliud maximum monasterii bonum seu commodum converti: quod cùm factum non sit sed longè aliter tanta pecuniarum summa in verisimilem monasterii futuram interitionem sit consumpta, constat & ipsas Moniales monasterii seu patrimonium Christi, cujus nulla apud eas proprietas, sed moderatus usus dumtaxat est, in pessimum usum dilapidasse & dissipasse, sacrilegii per hoc crimen seu peculatûs, incurrendo. Et si quis dicat bullam pro tanta pecuniarum summa sibi Moniales emerunt; utique verum dicit. Nam bulla apud latinæ linguæ authores inter alia, etiam rem nullius momenti designat, ut pote quæ ex aquæ inflatione in ipsa aqua gignitur, & ex ea se erigit ut statim evanescat: sed si bullam litteras Apostolicas quis nominet, non video chartam tàm amplam esse ut plumbum illi appensum grave & quartam unius aurei floreni partem valeant, pro qua & illæ proculdubio maximam pecuniarum quantitatem de bonis mo-

nasterii in interitum expenderunt, unde apparet, quantum aurum quod utilissimè expendi potuisset, idipsum venenum assumpserit. De animarum autem salute quid attinet dicere, quis enim tam insanus, qui nesciat & ob id obtentam fuisse hujusmodi bullam, quo liberiùs ipsæ virgines suis voluptatibus fruantur, habeantque quod hactenùs habuerunt, laxiorem vivendi modum quæ quidem ad conservandas animas non quadrant, cum voluptatibus enim corporis se vitio ingerunt, virtutesque propellunt, cùm nec virtutibus ullum cum pravis voluptatibus sit commercium. Unde est quod in Evangelio dicitur, *nemo potest Deo servire & mammonæ*, hinc etiam Christus in evangelio de seminante semen suum loquens dicit: *quod autem inter spinas cecidit, sunt qui audierunt & à sollicitudinibus & divitiis & voluptatibus vitæ, euntes suffocantur, & non referunt fructum.* Hinc Beatus Petrus in prima epistola sua, secundo capitulo jubet abstinere *à carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam*, sunt hostes animæ, quibus non nisi virtutibus, sicque bonis operibus resisti potest; inde est quòd Apostolus jubet nos indui armaturâ Dei ut possimus stare adversus insidias Diaboli, voluptas autem & laxa vivendi norma sunt verè in virginibus, præsertim & puellarum corporibus quàm maximè venenosa dæmonum tela, quibus infinitas ferè hominum animas transfodit, & ad se rapit. Verùm enim verò, ô vos Virgines, si vobis vestrisque animabus & ipsi monasterio, ex cujus bonis alimenta hactenùs sumpsistis, & corpora vestra nutritis, benè consultum esse volueritis, redite ad eum, quo per bullam recedere nitimini, Ordinis, à quo digressæ estis, Superiorem, illiusque observantiam; ille enim vobis, juxta Evangelicam traditionem, jugum suave, onusque Christi leve imponet, quo & conscientias, animasque vestras salvare & ad frugem melioris vitæ redire poteritis; non enim Superior Ordinis aliter cum vobis agere intendit, seu aget, quàm quod Illustrissimis Principibus & Principissæ Ducatuum Clivensis, Juliacensis & Montensis, æquum, justum & honestum videbitur, adjunctis etiam, si vobis Principibus placitum fuerit, præsentibus affinibus, agnatis & consanguineis & amicis vestris, illudque enim Superiori vestro placebit quidquid per eosdem æquum, justum & rationi consonum decretum dictatumque fuerit, & idipsum quod sic justum videbitur, stabile erit & inviolabiliter observabitur, & ut res seriò non autem joco, seu sub aliquo dolo agi videatur, offert se idem Syndicus seu Procurator, quo supra nomine, etiam iidem Domini prælibati ad ea quæ jam proximè dicta, & hujusmodi protestationem & realem oblationem vult & intendit, prout volunt & intendunt se partem suam seu partes suas adhærentes, habere excusatam & excusatas, si quid in posterum, contra easdem Moniales, seu ut jam dici volunt Canonissas, per litteras Apostolicas veras quidem & salutiferas, non ut aliæ Monialium falsæ & venenosæ, seu viâ juris quocunque alio modo licito & honesto ac aliàs condecenti attentari contigerit. Cæterùm cùm & in præsentiarum iidem Principales nequeant ad aliud quàm commune juris remedium, appellationis scilicet, recurrere, idemque Syndicus seu procurator, quo supra nomine sentiat, & seu iidem Principales sentiant, se partesque suas adhærentes, per contenta dictarum litterarum Apostolicarum, & quæ in his comprehensa respectivè reprehenduntur seu quomodo libet comprehendi poterunt, vehementer læsas, & gravatas, timeantque in posterum plus lædi & gravari posse, idcirco tam à contentis dictarum litterarum Apostolicarum, comprehensis in eisdem, & quæ quomodo per easdem comprehendi poterunt ex causis & rationibus prænarratis, & aliàs ubi opus fuerit latiùs specificandis, cùm & per illa & ex illis, & illorum occasione etiam totus ipse Ordo Præmonstratensis plurimùm lædatur & gravetur, cùm quod ab uno ipsorum delinquitur, facilè trahatur ab aliis in exemplum, timeantque propterea plus lædi & gravari posse, nec non ab insinuatione dictarum prætensarum litterarum uti etiam partibus prætactis præjudiciali & molestâ ac à quibuscunque aliis ex supra narratis, & aliis etiam undecumque provenientibus & colligibilibus gravaminibus, Syndicus seu Procurator, tam Reverendi Patris Domini Abbatis Steinfeldensis, quàm etiam Reverendi supremi Patris Abbatis, quin etiam totius Capituli ejusdem Ordinis generalis, præfatique moderni Præpositi nominibus, & seu iidem Reverendi & honorabiles Domini prælibati pro se ipsis & aliis omnibus & singulis quorum interest, intererit aut interesse quomodolibet poterit, & quos præsens negotium tangit, & seu tangere potest, tam conjunctim quàm divisim nomine omnium & singulorum ad sanctissimum in Christo Patrem & Dominum Leonem Divinâ providentiâ Papam decimum, ejusdemque sanctam Sedem apostolicam in his scriptis provocat, & appellat *Apostolosque* sibi primò, secundò & tertiò, ac instanter, instantiùs instantissimè sibi si quis sit, qui illos dare poterit, & à vobis domino Notario testimoniales dari & concedi, petentes subjicientes, & subjiciens etiam se partesque suas complices, & huic appellationi adhærentes & adhæsuras, illorumque personas, bona & res, protectioni, tuitioni & defensioni sanctæ Sedis Apostolicæ, &c. protestantes, &c. salvo jure addendi, minuendi, mutandi, corrigendi, &c. & protestationis prout fuit & est juris.

Et ego Joannes *Schillincke* Clericus Monasteriensis Diœcesis, publicus sacrâ Imperiali authoritate Notarius, venerabilis Coloniensis causarum Scriba communis juratus, quia præmissis omnibus & singulis, dum sic ut præmittitur, fierent & agerentur, unà cum prænominatis testibus præsens interfui, eaque sic fieri vidi & audivi, idcirco hoc præsens publicum appellationis *Apostolorumque* petitionis & illorum dationis instrumentum manu alterius, me interim legitimè impedito, negotiis, fideliter scriptum inde confeci, subscripsi, publicavi, & in hanc publicavi formam, redegi, signoque & nomine meis solitis & consuetis signavi rogatus & requisitus in fidem & testimonium omnium & singulorum præmissorum, &c.

In Nomine Domini amen. Universis & singulis præsens publicum instrumentum inspecturis & visuris pateat evidenter & sit notum, quòd anno à Nativitate Domini millesimo quingentesimo decimo nono indictione juxta & secundùm stilum & consuetudinem scribendi Civitatis & Diœcesis Coloniensis octavâ, die verò vicesimâ octavâ mensis Octobris, Pontificatûs sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri Domini Leonis divinâ providentiâ Papæ decimi, anno ejus septimo, in mei, Notarii publici & testium infra scriptororum ad hoc specialiter vocatorum & rogatorum præsentiâ personaliter constitutus Venerabilis & Religiosus Dominus Paulus *Vaun Overheide* Præpositus monasterii Monialium in *Bedbur*, Ordinis Præmonstratensis, Coloniensis Diœcesis, principalis principaliter pro seipso ac etiam pro Reverendo & Religioso Patre & Domino Domino Joanne *Schuyff* de *Arwyler* Abbate Steinfeldensi ejusdem Ordinis Præmonstratensis, pro tempore generali Visitatore dicti Ordinis per Circariam Westphaliæ, à supremo Domino Abbate &

generali ejuſdem Ordinis Capitulo deputato, ut & tanquam ritè & legitimè per honorabilem Dominum Franciſcum de *Reimbach* Curiæ Colonienſis juratum cauſarum & prætacti ejuſdem Domini Joannis Abbatis Steinfeldenſis rerum deputatum Procuratorem, ſubſtitutus Procurator, & eo nomine de ejuſdem ſubſtitutionis mandato mihi notario publico legitima facta eſt fides, & legitimis dignoſcitur conſtare documentis, nec non pro omnibus & ſingulis aliis intereſſe habentibus & habere prætendentibus, & adhærere volentibus, citra tamen quorumcumque Procuratorum & Syndicorum ſuorum per eundem & eoſdem hactenùs quomodolibet conſtitutorum revocationem, de quo præexpreſsè proteſtatus fuit habens & tenens in manibus ſuis præſens retroſcriptum appellationis & provocationis inſtrumentum, illudque & omnia contenta ejuſdem honeſtis & religioſis Puellis Gerhardæ de *Chenth* Prioriſſæ modo nuncupatæ Decaniſſæ, Alheidæ de *Knyppenberg*, Joannæ de *Nyenfelt*, Stynæ & Catharinæ de *Eyll*, Juttæ de *Hekeren*, Agnetis de *Velen*, Konegundis de *Ambſtel* & Eliſabeth de *Ulfft*, & aliis Virginibus præſentibus ibidem pro tunc Capitulum monaſterii Monialium repreſentantibus, & facientibus in choro Virginum in dicta Eccleſia de *Bedbur* ſimul congregatis & apprehenſis omnibus melioribus viis, modis & formis, quibus meliùs potuit, & debuit, intimavit, inſinuavit & notificavit, & ad earumdem, & cujuſlibet earumdem indubitatam notitiam ritè & debitè deduxit, nec non præſentis retroſcripti publici inſtrumenti veram & debitam concordialem & per diſcretum Petrum *Huſt* notarium publicum auſcultatam & collationatam copiam, & manu ſuâ privatâ ſubſcriptam copiam dictæ Gierhardæ Prioriſſæ porrexit & aſſignare voluit quam quidem copiam cùm prætacta Gierharda Prioriſſa, modo nuncupata Decaniſſa, recipere recuſaſſet in choro ubi dictæ Prioriſſæ & Moniales congregatæ fuerant, idem Dominus Paulus Præpoſitus in pulpito ejuſdem Prioriſſæ dimiſit. Quibus ſic per eaſdem Prioriſſam, modo nuncupatam Decaniſſam, & alias Conventuales, intellectis his vel in effectu ſimilibus per organum dictæ Gierhardæ Prioriſſæ prætactæ reſponderunt verbis, *non animadvertimus ad veſtram appellationem hujuſmodi*, ſed bullæ parere & hærere ſe velle; de & ſuper quibus omnibus & ſingulis præmiſſis, idem Dominus Præpoſitus pro ſe & procuratorio quo ſupra nomine, & ſuis aliis complicibus intereſſe habentibus, ſibi à me Notario publico infra ſcripto unum vel plura, publicum, ſeu publica fieri atque confici petiit inſtrumentum & inſtrumenta in meliori forma.

Acta ſunt hæc in *Bedbur*, in choro Virginum ibidem horâ quartâ, vel circiter ſub anno Domini, Indictione, die, menſe, horâ, loco, & Pontificatu, quibus ſupra, præſentibus ibidem honorabili Domino Joanne Thomæ Preſbytero Diœceſis Trevirenſis. & Theodorico *Heyſter* laico, & Joanne *Stadlknecht* etiam laico teſtibus ad præmiſſa vocatis ſpecialiter & rogatis.

Et Ego Joannes de *Arena*, aliàs de *Bocholdia*, Clericus Monaſterienſis Diœceſis, publicus ſacrâ apoſtolicâ & Imperiali authoritate Notarius, quia præmiſſis omnibus & ſingulis dum ſicut permittitur fierent & agerentur, unà cum prænominatis teſtibus præſens interfui, eaque omnia & ſingula ſic fieri vidi & audivi, ideo hoc præſens publicum inſtrumentum manu meâ propriâ ſcriptum, exinde confeci, ſubſcripſi, publicavi & in hanc publicam formam redegi, ſignoque & nomine meis ſolitis & conſuetis ſignavi, in fidem robur & teſtimonium omnium & ſingulorum præmiſſorum, rogatus & requiſitus.

In Nomine Domini amen. Univerſis & ſingulis præſens publicum inſtrumentum inſpecturis & viſuris pateat evidenter, & ſit notum quòd anno à Nativitate ejuſdem Domini milleſimo quingenteſimo decimo nono Indictione, ſecundùm uſum, ſtilum & conſuetudinem ſcribendi Civitatis & Colonienſis Diœceſis octavâ, die verò Martis, tertiâ menſis Novembris, Pontificatûs verò ſanctiſſimi in Chriſto Patris ac Domini noſtri Domini Leonis divinâ providentiâ Papæ decimi anno ejus ſeptimo coram venerabili & egregio viro Domino Everhardo *Hollant* Collegiatæ Eccleſiæ ſancti Clementis in *Viſſchell* Colonienſis Diœceſis Decano, & me Notario publico teſtibus infra ſcriptis ad hoc ſpecialiter vocatis atque rogatis, perſonaliter conſtitutus honorabilis & providus vir & magiſter Franciſcus *Sluyn* de *Reymbach* decretorum Baccalaureus, & Reverendi Patris ac Venerabilium & Religioſorum Dominorum Joannis de *Arwylre* Abbatis Steinfeldenſis, Ordinis Præmonſtratenſis, pro tempore generalis Viſitatoris per Circariam Weſtphaliæ à ſupremo Reverendo Domino Patre Abbate, & Capitulo generali deputati, & Pauli *Vann-Overheide* Præpoſiti monaſterii Monialium in *Bedbur*, ejuſdem Præmonſtratenſis Ordinis, conſtitutus Procurator de cujus conſtitutionis mandato, mihi notario publico facta eſt fides, & legitimis conſtare dignoſcitur documentis, habens & tenens ſuis in manibus præſens retroſcriptum provocationis & appellationis inſtrumentum publicum, illudque & omnia ejus contenta præmemorato Domino Everhardo Decano Wiſſchellenſi aſſerto Judici & conſervatori jurium & privilegiorum rerumque, & bonorum Decaniſſæ & Canoniſſarum & Capituli Sancti Joannis Baptiſtæ in *Bedbur*, Colonienſis Diœceſis, à ſancta Sede apoſtolicâ generaliter deputato, & pro parte earumdem Decaniſſæ, Canoniſſarum & Capituli in *Bedbur*, ſpecialiter requiſito & electo, qui idem Dominus Everhardus Decanus, quoddam mandatum monitionis pœnale, cum inhibitione & citatione inſerta ſatis exorbitans ad dictarum Decaniſſæ Canoniſſarum & Capituli prætacti in *Bedbur*, adverſùs præmemoratum Dominum Paulum Præpoſitum decreviſſe & emiſiſſe aſſeruit, melioribus modo & formâ, quibus potuit & debuit, inſinuavit, notificavit, & intimavit & ad ejuſdem Decani aſſerti Judicis notitiam debitè deduxit, nec non & idem Dominus Franciſcus Procurator, quo ſupra nomine, dixit ab hujuſmodi mandatis exhorbitantibus, & ejuſdem judicis decreto taliter qualiter in prejudicium partium ſuarum conjunctim & diviſim, emiſſionibus, aliiſque gravaminibus illatis & inferendis, quatenùs tamen opus & neceſſarium fuerit, non aliàs aliter, neque alio modo & intentione provocandi & appellandi, *Apoſtoloſque* petendi & recipiendi & cauſas hujuſmodi ad Romanam Curiam devolvendi atque faciendi prout in quadam ſchedula, quæ in retroſcripto inſtrumento inſerta eſt, quam legere incipiebat, & in parte legi, narrantur & deducuntur, provocavit & appellavit, *Apoſtoloſque* ſibi primò, ſecundò, tertiò, ac inſtanter, inſtantiùs inſtantiſſimè per eundem, quatenùs velit & intendat, alioquin, à me Notario publico infraſcripto, de illis reſponderi petiit aliaſque & alia fecit, prout & quemadmodum in ſchedula inſerta retroſcripta latiùs dixit contineri, nec non in ſignum veræ & realis intimationis, inſinuationis, appellationis, & provocationis hujuſmodi copiam collationatam & auſcultatam, & manu diſcreti Petri de *Huſt* notarii publici ſubſcriptam præſentis retroſcripti inſtrumenti, unà cum inſertione hujuſmodi ſchedulæ de verbo ad verbum concordantis cum eodem inſtrumento in & ad manus ſuas tradidit,

deliberavit, & assignavit, quam quidem copiam idem Dominus Everhardus Decanus ad se recepit & acceptavit & pro intimato habere velle dixit, necnon terminum juris petendi & recipiendi ab eodem *Apostolos* in districtu Wischellensi in domo Decanali suæ residentiæ, prætacto Domino Francisco Procuratori, aut suis Principalibus prælibatis præfixit & deputavit, cui quidem Domino Francisco Procuratori quo supra nomine appellanti & provocanti, & *Apostolos* petenti.

Ego Notarius infra scriptus *Apostolos* testimoniales, ac alias tales, quibus potui & debui super hujusmodi appellatione dedi & assignavi, de & super quibus omnibus & singulis præmissis idem Dominus Franciscus Procurator quo supra sibi à me Notario publico infra scripto unum vel plura, publicum seu publica fieri atque confici petiit instrumentum & instrumenta in meliori forma. Acta fuerunt hæc Coloniæ in Curia Dominorum Abbatis & Conventualium veteris Montis, Ordinis Cisterciensis, sita in platea S. Joannis, sub Parochia Ecclesiæ S. Cuniberti, in Stuffa anteriori ejusdem Domûs, horâ nonâ vel circiter ante meridiem, sub anno Domini, indictione, die, mense, horâ & loco prædictis, præsentibus ibidem honorabilibus & honestis Viris, Domino Matthæo de *Gindevik* Presbytero, & Christiano de *Woringen* Clerico Coloniensis Diœcesis, testibus ad præmissa vocatis atque rogatis.

Et Ego Joannes *Kreyffz* de *Euskirchen* Clericus Coloniensis Diœcesis, sacrâ Imperiali authoritate Notarius publicus, quia præmissis omnibus & singulis, dum sic, ut præmittitur, fierent & agerentur unà cum prænominatis testibus præsens interfui, eaque omnia & singula fieri vidi, & audivi, ac in notam sumpsi, ideo hoc præsens publicum instrumentum manu meâ propriâ scriptum, exinde confeci, subscripsi, publicavi & in hanc publicam formam redegi, signoque & nomine meis solitis & consuetis signavi, in fidem & testimonium omnium & singulorum præmissorum, rogatus & requisitus.

In Nomine Domini amen. Serie præsentis publici instrumenti cunctis idipsum inspecturis, seu legi audituris, innotescat, quòd anno à nativitate ejusdem millesimo quingentesimo decimo nono, indictione octavâ, secundùm usum, stilum & consuetudinem scribendi Civitatis & Diœcesis Coloniensis, die quidem sabbati tertiâ mensis Octobris infra octavam & nonam horas ante meridiem, Pontificatûs sanctissimi in Christo Patris ac Domini nostri Domini Leonis divinâ providentiâ Papæ decimi anno septimo coram venerabili Viro Domino & Magistro Everhardo *Hollant* Decano Ecclesiæ S. Clementis Coloniensis Diœcesis, judice & conservatore jurium & privilegiorum, rerumque & bonorum venerabilis & validarum Dominarum modernæ Decanissæ & Canonissarum ac Capituli secularis & collegiatæ Ecclesiæ S. Joannis Baptistæ in *Bedbur*, dictæ Coloniensis Diœcesis, à sancta sede Apostolica generaliter deputato, & pro parte earumdem Decanissæ Canonissarum & Capituli in *Bedbur*, specialiter requisito, & electo, & in ejusdem meique Notarii & testium infra scriptorum ad hoc specialiter vocatorum & rogatorum, præsentiâ personaliter constitutus honorabilis vir Dominus & Magister Fredericus *Kaetter*, Canonicus dictæ Ecclesiæ Wischelensis, & Reverendi Patris Domini Joannis *Schwys* Abbatis Steinfeldensis Ordinis Præmonstratensis, generalis Visitatoris dicti Ordinis per Westphaliam à supremo Abbate & generali Capitulo dicti Ordinis, ut dicitur, specialiter deputati, uti asseruit Procurator, atque sibi de *Apostolicis*, de & super appellatione pro parte sua præfato Domino Everhardo Decano judici & conservatori, aliàs sicuti dixit insinuata, & seu de novo coram eo interjecta per eundem Dominum Everhardum Decanum judicem & conservatorem respondere petiit, primò, secundò, tertiò, ac instanter, instantiùs, & instantissimè, cui quidem Magistro Frederico *Kaetter* quo priùs nomine Procuratori asserto, supra dictus Dominus Decanus judex & conservator de *apostolicis* sub his respondit verbis. » Cùm in appellatione aliàs interposita, plura deducta sint ex quibus pars appellans » nititur inferre falsitatem in hac impetratione litterarum Apostolicarum expressam, & veritatem » tacitam fuisse, & quidem illæ litteræ absque periculo animarum impetrantium ad effectum perduci nequeant, quòdque exinde Monasterium in » *Bedbur*, tàm in spiritualibus quàm in temporalibus, grave & enorme dispendium incursurum sit, » prout hæc & alia prolixè inibi deducuntur, & » quia ut nobis visum est diligentem investigationem expostulant, nec non ipsius concedentis moderationem & interpretationem, idcirco ex causis » animum nostrum moventibus, & ut omnia maturo consilio fiant prout animarum saluti & impetrantium statui convenire videbitur, expediantur, » negotium istud & illius examinationem ad Sedem » apostolicam, statuentes parti appellanti tempus » bimestre ad prosequendum appellationem suam & » duos alios menses ad certificandum nos de prosecutione hujusmodi, & hoc loco responsionis » *Apostolorum* damus » super quibus omnibus & singulis præmissis, præfatus, Magister Fredericus *Kaetter* quo F. priùs nomine Procurator assertus sibi à me Notario publico infra scripto, unum vel plura publicum, seu publica confici & fieri petivit instrumentum & instrumenta. Acta fuerunt hæc in domo decanali dictæ Ecclesiæ Wischelensis, sub anno Domini, indictione, die, mense, horâ, loco, & Pontificatu præscriptis, præsentibus ibidem discretis viris Henrico de *Udem* Rectore scholarum & Organista dictæ Ecclesiæ Wisschelensis & Joanne *Hauff* Clerico respectivè & Laico Coloniensis Diœcesis, testibus ad præmissa vocatis atque rogatis.

Et Ego Gerhardus *Bauffdoneck* de *Orsoy* Clericus Coloniensis Diœcesis, publicus sacrâ Imperiali authoritate notarius, quia præmissis omnibus & singulis, dum sic, ut præmittitur, fierent & agerentur, unà cum prænominatis testibus præsens interfui, eaque sic fieri vidi & audivi, ideo hoc præsens publicum instrumentum manu alterius, me interea aliunde occupato, fideliter conscriptum, exinde confeci, subscripsi, publicavi & in hanc publicam formam redegi signoque & nomine & cognomine meis solitis & consuetis, signavi rogatus & requisitus in fidem & testimonium omnium & singulorum præmissorum.

Compositionis Copia inter Dominum Præpositum in Bedbur *& Virgines ibidem, ex Germanico in Latinum versa, de feria secunda post sanctæ Luciæ festum an. 1519.*

POstquam inter Decanissam & Virgines in *Bedbur* ex una, & Dominum Paulum *Vann-Overheide* Præpositum ibidem ex altera parte quædam dissidia & defectus provenerint, ratione alicujus bullæ à sanctissimo Patre nostro Papa datæ, in qua Virgines procurarunt & impetrarunt quòd ab Ordine suo Præmonstratensi separatæ sint, Serenissimus & Perillustris Princeps, Dominus meus gratiosus Dux Cliviæ &c. ambas partes hoc die, qui in Scheda expressus est, hîc Cliviæ convocavit in præsentia suorum Superiorum, nominatim Reverendo-

rum Dominorum & Abbatum in *Steinfel*, *Hamborn*, & *Knechsteden*, ac easdem in bonitate composuit, juxta puncta quæ sequuntur.

Præpositus Dominus Paulus prænominatus, Præposituram juxta tenorem Bullæ cedet, & resignabit illam, uti & possessionem ac titulum suæ appellationis renuntiabit, monasterium prædictum quoque, domum & arenam ibidem, intra hunc diem & sancti Petri Cathedram sequentem, cedet, ac Virginibus memoratis, sigillum, ac litteras, documenta & scripturas jura & privilegia, & omnia illis adhærentia; & monasterio obvenientia, ad horam sine medio extradet & cedet.

E contra Virgines prædicto Præposito centum & quinque bonos florenos in pondere, aut pretium eorum in alio genere monetæ in duobus terminis, nempe in Pentecoste & die sancti Martini in hieme, & quidem in Pentecoste proximè sequente pro primo, & sancti Martini die pro secundo, & sic consequenter singulis annis ad dies vitæ suæ & non ultra, ex monasterii bonis, ut pro omni necessitate securus sit & providus.

In casu quo Prælati Ordinis contra memoratam impetratam bullam Virgines prædictas juridicè impeterent, illæ præfato Præposito, quamdiu ejus justa petitio duraverit, non plus quam septuaginta florenos aureos, juxta tenorem Bullæ, solvent, & superflui tunc triginta quinque floreni aurei, ipsis manebunt, & non dabuntur.

Quicumque census & redditus, qui à die sancti Martini aut soluti aut redditi sunt, vel solventur, vel reddentur, hos Virgines levabunt, quicumque autem ante sancti Martini festum soluti non sunt, Præpositus exiget, de illis verò qui soluti sunt & redditi, dabit rationem Virginibus competentem & informationem.

Præterea est conventum quod Præpositus prædictus, Consiliariis & amicis gratiosi chari Domini mei omnes computus suos, & rationes communicabit, & prædictis Virginibus extradet, ad perlustrandum, & quod illi desuper decernent, erunt in eo contentæ, & ne Præpositus Virginibus, & Virgines Præposito incongrua imponant, fient hæc coram Consiliariis Domini mei. Per hæc erunt ambæ partes & manebunt pacificè compositæ, de omnibus defectibus & tricis, temporalibus & spiritualibus, prout huc usque esse poterunt, in consilio & actu, in verbis & factis, eruntque adjustatæ sine fraude & dolo. Testibus . . . . . . Schedulis quarum quælibet una cuique parti, cùm gratiosi Domini mei decreto data est. Actum & compositum Cliviæ, Feriâ secundâ post festum sanctæ Luciæ Virginis 1519.

Copia Missivæ de prædicto negotio in Bedbur *transmissa ad Dominum Præmonstratensem anno 1520*

OMnimodæ subjectionis, intimæque dilectionis plenitudinem ac reverentiam tanto Patre condignam. Licet Reverendissime Pater atque Præceptor, locorum nos separet distantia, atque chaos magnum inter nos firmatum, convenire interdum prohibeat, vestram tamen Reverendissimam Paternitatem tanquam myrrhæ probatissimæ fasciculum inter ubera jugis memoriæ reconditam habemus, nilque nobis auditu jucundius, quàm vestram præclaram Paternitatem ad nostri Ordinis honorem atque profectum prosperè & jucundè valere, quam & Altissimus ad divini sui nominis honorem, animarumque nostrarum salutem dierum felicium longitudine gaudere faciat, & salutare felicitatis perpetuæ concedat, quod ut ipse largiri dignetur, nostrum erit indefessas effundere preces, vestræque colendissimæ Paternitati erit filiorum saluti, animo paterno, charitatis visceribus semper prospicere, & quamvis, Gratiose Pater, ut humanum quid loquamur, ulla non præcesserint merita, quorum intuitu aures præsumamus interpellare paternas, innatæ tamen cunctisque probatæ pietati innitentes, quæ justa ac rationabiliter petentibus semper facilem novit præbere consensum, id quod omni humilitate & debitæ servitutis subjectione petimus, nos adepturos indubiè confidimus. Cùm igitur, Reverendissime Pater, maluissem læta ac prospera vestris inferre auribus, potiùs quàm lugubrem sacri nostri Ordinis statum, jamjamque ad occasum tendentem. Ecce ab Aquilone Satan egrediens, homicida ille à principio, sacræ Religionis fundamenta concutere & domum inter alias insignem evertere cupiens, inauditæ crudelitatis & calliditatis scelus induxit. Nam præclarum illud monasterium, sacrarum velatarum & Deo dicatarum Virginum dictum *Bedbur*, Coloniensis Diœcesis, in nostra Circaria Westphaliæ situatum, Domûs Præmonstratensis immediata & specialis filia, brevi jam tempore elapso in Collegiatam & secularem Ecclesiam nostri sacri & candidi Ordinis habitu mutato in damnum, scandalum & vituperium totius præfati Ordinis, & omnium nostrûm per indulta Apostolica ut apparet, est translatum, nostro Confratre Paulo de *Overheide* dicti translati monasterii Præposito ignorante, qui negotio percepto summoperè dissensit, & de inconsueto proposito post publicationem Bullæ & habitûs mutationem stupefactus, ad me tanquam hujus nostræ Circariæ Visitatorem & superiorem venit requirens auxilium Ordinis, constanterque affirmans, quod ipse velit imposterum immunis esse coram Deo & ordine, nisi velim sibi auxilium & assistentiam præstare, & in re tam ardua de opportunis remediis contra tale nefas providere, insuper præfatus Præpositus asseruit confidenter quòd de omnibus sibi objectis à præfatis Virginibus & objiciendis se legitimè & justè velit excusare coram Ordine & omnibus quorum interest, seu interesse poterit. Ego quidem detestans factum, ignarus quid tutius agendum foret, nec pro tunc habens tempus juxta jurisperitorum consilia, convocandi meos Confratres Prælatos nostræ Circariæ præfatæ, nec etiam propter maximam distantiam Reverendissimæ Paternitatis vestræ potui tam subito tempore eandem Reverendissimam Paternitatem vestram maturè consulere; nihilominus sumens fiduciam justissimæ causæ & detestabilis facti horrens iniquam præsumptionem, confidensque de justissimo zelo totius Ordinis, & omnium Patrum & Confratrum nostrorum Prælatorum, assumpto mecùm in sublevamen oneris præfato Præposito, de consilio diversorum jurisperitorum appellavimus conjunctim & divisim ab hujusmodi indulti Apostolici concessione. Ego ex parte totius Ordinis, & ipse Præpositus pro sui interesse in hoc ipso negotio desudantes, nec corporibus parcentes, verùm utilibus ac necessariis impensis laboravimus ad tres continuos menses, ita ut ea funditùs gesta scribere longum & superfluum esset; post hæc feci convocationem Seniorum, Majorum & saniorum Prælatorum nostræ prælibatæ Circariæ in Civitate Tremoniensi habens super præsenti negotio consilium cum eisdem, qui omnes uno ore & animo concorditer acclamabant ut inceptam appellationem contra nefariam præsumptionem dictarum Virginum omnibus modis cum diligentia prosequi deberem, promittentes auxilium mihi & Præposito præstare juxta formam Statutorum, usque ad Reverendissimæ

Paternitatis

Paternitatis vestræ & Capituli scitum, deliberationem & decretum. Tali animatus fiduciâ, adii Principes, Magnates, & Inclitos terræ, maximè Dominum terræ & fundatores præfati monasterii, ut Creatoris nostri & sacræ Religionis amore non differant Ordini nostro in hujusmodi præsumptionibus contra Deum & æquitatem, conscientiam & sacram Religionem injustissimè procuratis subvenire, tandem ab eodem Domino terræ & fundatore dicti monasterii diæta instituitur ad examinandum proposita præfatarum Virginum sanctissimo Domino Papæ facta, per quæ hujusmodi Bulla procurata dignoscitur ad quam diætam à prædicto Principe nobis præfixam magnis laboribus impensis & expensis isto frigido hiemali tempore cum duobus Abbatibus, & aliis Prælatis, Doctoribus & jurisperitis veniens, objectisque auditis contra dictum Præpositum & Ordinem nostrum juxta tenorem Bullæ coram Illustrissimo Principe, Duce Clivensi & nobilibus terræ, sæpe dictus Præpositus legitimè se ab objectis Virginum defendit, & justissimè se excusavit. Et nos Prælati Superiores dictæ Circariæ nostræ verissimis rationibus Ordinem sufficienter excusatum declaravimus, cùm jam ex præmissis nobis nihil aliud sperare restaret, quàm præfatum monasterium ab illustrissimo Principe cum omnium Nobilium assistentia, manutenere in Ordine nostro Candido, à quo prædictæ Virgines per falsi suggestionem & veri suppressionem, ut lucidè apparet, sunt declinatæ, Ecce lividus ille Coluber, serpens antiquus, quod justitiâ, ratione, & æquitate perducere ad effectum non poterat, nihilominus per nonnullos nobiles dictæ terræ Clivensis, fortè specie & formâ illarum, ut timetur, deceptos & seductos, qui præfatis Monialibus inclinati, etiam sanguine conjuncti, id efficere conatur, ut solemne illud Collegium ita magnificè dotatum, & ad omnipotentis Dei laudem constructum, & in Ordine nostro sacro ad trecentos annos servatum, jam in posterum fiat, ut à vulgo verisimiliter formidatur, publicum (proh nefas!) prostibulum transeuntium & advenientium, venientes, uti veretur, in reprobum sensum ut agant sine timore, quæ non conveniant, &c.

Insuper, Reverendissime Pater, sæpe dictus Præpositus metu & periculo mortis quodammodo coactus est inire cum eisdem virginibus compactionem & concordiam, ita videlicet ut Præpositurâ suâ relictâ, easdem dimittat, & singulis annis habeat ad dies vitæ centum & quinque florenos à dictis virginibus translati monasterii. Et nos Prælati reservantes nobis & Ordini nostro, jus, causam, & actionem seu appellationem inceptam, cum timore & periculo itineris ad propria remeavimus. Nos igitur totius Circariæ nostræ Patres, Reverendissimæ Paternitatis vestræ obsequentissimi & subjectissimi filii, omni solatio destituti, humiliter & devotè pedibus colendissimæ Paternitatis vestræ substrati, instanter orantes petimus, quatenùs eadem Reverendissima Paternitas vestra, hoc ipsum malè præsumptum & cœptum negotium in detrimentum Domûs vestræ & totius Ordinis nostri vergens cum omni diligentia & ferventi animo in Romana Curia prosequi non differat, hujus enim inauditæ præsumptionis scelus jam adaperuit aures non modò omnium Religiosorum, verùm etiam Principum & terræ nobilium, & in communem vulgi fabulam sumus redacti, & nisi à vestra Reverendissima Paternitate, unà cum toto Ordine, his novis adinventionibus vigilantissimè & instantissimè resistatur, ut posteri & pro tempore existentes, hujus negotii exemplo simile nefas formidare habeant, verisimiliter formidandum erit, quòd Domus Præmonstratensis de cætero nullam obedientiam retinebit: quià si præfatæ Virgines unius monasterii id ad effectum sine scitu & voluntate suorum Superiorum potuerunt, quid non tanta Communitas? Pater Reverendissime, non expedit quidem præseris negotium surdâ aure pertransire, quia væ omnibus nobis Rectoribus, sub quorum tempore tortuosus ille serpens malignus hostis Domni Præmonstratensi ac toti Ordini nostro Candido, hoc detestabile nefas inducere tentavit similibus, & pro tempore existentibus monasteriis præstans. In memoria hominum in terris nostris unquam simile auditum, tutiùs enim nostro judicio & utiliùs esset Ordini nostro, medietatem bonorum nostrorum expandere, ut alia medietas reservaretur, quàm totum monasterium perdere sine spe recuperationis ulla, sed quid, Colendissime & Reverendissime Pater, verbosius procedam? poterit enim Reverendissima Paternitas vestra ex singulis scriptis jam actu transmissis facilè diligentiam nostram vigilantissimè factam prospicere, ut ex latore præsentium, qui est plenè de præmissis instructus, informavi, & idem interrogatus de singulis fideliter referre curabit, relationique ejusdem fidem adhibere dignemini. Quamobrem iterum ac denuò, humiliter, instantissimè supplices rogamus, quatenùs eadem Reverendissima Paternitas vestra, diligentem prosecutionem præsentis negotii in Romana Curia faciendam demandare, aut aliàs præmissis obviare salubriter & succurrere dignetur, per quæ Deo gratum obsequium & nobis res non displicita fiet, & quamvis indubitanter confidamus promissa ad effectum perduci per Reverendissimam Paternitatem vestram debere, attamen de singulis per præsentium latorem Reverendissimæ Paternitatis vestræ beneplaciti actis, certiores fieri scriptis, humiliter petimus, ne lamentari habeant tallias & stipendia annua solventes, nec occasionem sibi ipsis subveniendi ex hoc sumant. Si quid minus aut plus calamus in medium protulerit quàm deceat aut expediat, Reverendissima Paternitas vestra dignetur imitari diligentissimas & fidelissimas apiculas variis & diversis floribus insultantes quod bonum est colligere, &c. & de superfluis veniam dare, cum ex vera fraternæ charitatis radice singula procedant, teste nostro Salvatore Jesu Christo, qui Reverendissimam Paternitatem vestram ad honorem sui nominis, Ordinis & sacræ Religionis profectum, sanam & incolumem in longum conservare dignetur nobis subjectissimis filiis vestris semper præcipientes. Datum in nostro Monasterio Steinfeldensi anno Nativitatis Christi millesimo quingentesimo vicesimo, decimâ sextâ mensis Februarii.

Reverendissimæ Paternitatis vestræ,
sanctæ obedientiæ humiles Filii
ac Confratres subjectissimi, Joannes de *Artryler* Steinfeldensis Abbas, Circariæ Westphaliæ Visitator, cæterique Abbates, Præpositi, & Priores Circariæ prædictæ.

Ad Dominum Generalem alterâ Cinerum 1520.

OBsequiosam indefessæ servitutis promptitudinem cum humilis subjectionis omnimoda recommendatione. Inopinati doloris nostri anxietas, Reverendissime in Christo Pater, nos compellit exordium proponere dolorosum, & in gemitu cordis nostra flebiliter exarare gravamina. Quòd videlicet solemne illud Collegium jam suppressi monasterii Monialium in *Bedbur*, Ordinis Præmonstratensis, Coloniensis Diœcesis, in nostra Circaria Westpha-

liæ situatum, immediata & specialis filia Domûs Præmonstratensis, per falsi suggestionem, & veri suppressionem ab Ordine, ut timetur, in perpetuum alienatum existit, decreveram enim firmiter & fortiter ut fidelis filius Reverendissimæ Paternitatis vestræ, laborare juxta scripta & petitionem ejusdem Paternitatis vestræ, de dando subsidio pro ædificiis construendis in Præmonstratensi Ecclesia, pro commodo supervenientium Abbatum tempore generalis Capituli, &c. sed pro præsenti sunt tantæ oblocutiones, tantumque murmur inter Patres & Fratres, quòd non audeo, nec ausus fui tale quid ipsis proponere, & me amplius similia audire tædet. Primò ex hoc dicunt enim & querulosè ingemiscentes clamant, quòd venerabilis Confrater noster Amatus Abbas *Camerefontis* qui jam in nostra Circaria præfata, sine commissione Capituli generalis sectando propriam avaritiam, extorserit à multis tallias de tribus annis futuris, quorum aliqui vix poterant persolvere annum currentem, veniat nunc ille idem & defendat Ordinem & præfatum monasterium in *Bedbur* & ad pristinum statum reducat pecuniis & expensis communibus ad hoc sibi datis. Secundò asserunt quòd verisimiliter timendum sit, nisi à Reverendissima Paternitate vestra & à Patribus in Capitulo generali congregatis ipsis succurratur in suppressione præfati monasterii, ac inceptam appellationem prosequi feceritis in Curia Romana, Ordo noster grave dispendium in consueta sibi hucusque obedientia præstita, & irrecuparabile patietur & refrænantes incontinenter temerariam audaciam & iniquam præsumptionem præfatarum juvencularum irreligiosè & minùs ordinatè juxta formam Ordinis nostri viventium, quæ scilicet sine scitu & voluntate proprii Præpositi sui ac aliorum Superiorum falsè narrando, & veritatem supprimendo, mutarunt habitum, & solemne illud monasterium, quod jam ultra trecentos annos in Ordine nostro permansit & fuit, in secularem & Collegiatam Ecclesiam transtulerunt. Pater Reverendissime & dulcissime, vellem & optarem cordialissimè quòd Reverendissima & Veneranda Paternitas vestra humilem & spiritualem filium exaudiret & his scriptis fidem adhiberet, ac oblivioni minimè traderet quæ nunc in medium profero, habemus enim in nostra Circaria Westphaliæ, circiter triginta monasteria Ordinis nostri Præmonstratensis, quorum remotiora in extremis partibus sita, spatio sive itinere decem dierum ab invicem distant, sic quòd Prædecessores nostri multâ difficultate & labore non modico, eadem monasteria in Ordine nostro & sub Reverendissimæ Paternitatis vestræ & Capituli generalis obedientia reservarunt, sed jam in præfata nostra Circaria, in memoria hominum non est simile auditum, nec visum ut tale nefas committeretur in Ordine nostro candido, & à tam pauperibus & vilibus personis, etiam subditis ac nullius authoritatis; est enim rumor quòd omnia mobilia bona, exceptis necessariis vestibus suis expenderint clam, & alia impignoraverint, nec non à cognatis & fautoribus suis mutuam acceperint pecuniam, cujus summa, ut fide dignorum relatu intellexi, ad mille aureos Rhenenses florenos se extendit, quorum quilibet vobiscum triginta libras valet, quam totam pro expeditione & impetratione Bullæ hujusmodi expenderunt, insuper cum trecentis eorumdem florenis non perducent temerariam præsumptionem suam ad plenum effectum, quia ad tres menses continuos laboravi unà cum Præposito, post insinuationem Bullæ ad impediendum iniquam præsumptionem earumdem, sollicitando apud Principes, magnates, & jurisperitos, magnis expensis & laboribus. Sed filii Belial magni & potentes, huic malo firmum consensum adhibentes prævaluerunt adhuc. Legimus in proverbiis, *væ terræ ejus cujus Rex puer est, & Principes ejus manè comedunt*, intelligenti ista sufficiunt; de his quidem plura scribere possem, sed nescio an ita expediat in scriptis transmittere. Necesse est ergo ut Patres Ordinis, saltem si velint, ut vestigium aliquod ejusdem nostri Ordinis & Religionis in nostra Circaria permaneat, resumant vires pristinas & Prædecessorum fidelium, & zelosorum patrum, constantiam, religionem, diligentiam, & fervorem fideliter imitentur, & nos, locaque nostra ab his inconsuetis adinventionibus contra perversorum & malorum audaciam, & perversam præsumptionem inauditæque credulitatis scelus, prout de jure tenentur, sollicitè defendant, quod & indubiè à vestra Venerandissima & Reverendissima Paternitate, ac Capituli generalis assistentiâ fieri confido, & si, ita ut optamus, & anxii cum cordis angustia anhelamus, actum fuerit, habebitis ejusdem nostræ Circariæ Patres, ut hucusque fuerunt, sine dubio obedientes, benevolos, tractabiles & Superiorum suorum humiles & subjectos veneratores, & hoc tantò magis, quantò majori cura, & diligentia sese viderint (ut ex publicatione communi litterarum earumdem unà cum originalibus scriptis appellationis & Bullæ copia, ac totius negotii actis & gestis præfati translati monasterii præsentium latore transmissis clariùs liquet) à Reverendissima Paternitate vestra defendi. Idcirco opto vehementer & peto ut eadem Reverendissima Paternitas vestra ut superior totius Ordinis deffensor, negotium præfati translati monasterii libenter assumat & prosequatur melioribus formâ & modo, ac eisdem Patribus super litteris modò transmissis scriptis benevolum, ac solatiosum responsum cum præsentium labore transmittere curet, ut mentes omnium Patrum ex hoc allevientur & in posterum gaudentes & benevoli reddant consuetas tallias, ac ad alias contributiones casu provenientes ac Ordini necessarias benevolentiores efficiantur, ad defendendum jura, privilegia sacri Ordinis nostri, quia teste Philosopho, virtus unita major & fortior est seipsâ divisâ. Quamobrem Reverendissime & Colendissime Pater, ex quo desolati filii vestri ex præda jam dicti translati monasterii penitùs sunt mentibus dispersi, & ascendunt variæ in cordibus eorumdem cogitationes, qui nisi experientiâ & certis indiciis viderint & cognoverint sese colligi sub alis protectionis Matris Præmonstratensis Ecclesiæ, & totius Capituli generalis assistentiâ salvari & protegi, verisimiliter formidandum erit ut cùm pulli cognoverint se contemptui haberi, solita ipsis fomenta substrahi, nec à rapacibus avibus sollicitè defendi, paulatim in voluntatibus propriis excrescentes, tandem propriâ & magis placitâ libertate potiti, matrem deserant & passim quisque viam suam eat, donec singuli à matre sua apostataverint, & in prædam æternæ damnationis præcipites devenerint & irreparabile damnum, scandalum & dispendium totius sacrati Ordinis nostri, juxta dictum Beati Pauli Apostoli, *in novissimis diebus instabunt tempora periculosa & erunt homines seipsos amantes*, & in his scriptis, Reverendissime Pater, confido me coram omnipotenti Deo, & omnibus Patribus ac monasteriorum Ordinis nostri Prælatis sufficienter excusatum, nec in posterum de taciturnitatis crimine accusari posse. Præterea omnes Patres Abbates, Præpositi, Priores, & monasteriorum Rectores cum nobilibus terræ & vulgi multitudine unanimiter desiderant & optant diligentissimè, ut Reverendissima Paternitas vestra unà cum totius generalis Capituli assistentia, ita assumant inceptam appella-

tionem, & viâ juris defendant, & melioribus modo, formâque quibus poterint ad effectum usque perducant, ut posteri, & pro tempore existentes ex hoc capiant exemplum de facili non apostatare, quòd si per Patres Ordinis neglectum fuerit, ut jam superiùs satis clarè expressum est, timendum erit de majori periculo (quod Deus avertat) in tantùm etiam, ut verebitur Domum Præmonstratensem per totam Alemaniam de cætero obedientiam modicam retinere, uti lator præsentium qui omnibus negotiis & actionibus præfati suppressi monasterii interfuit, poterit Reverendissimam Paternitatem vestram de singulis interrogatus clariùs & meliùs informare, cui & fidem indubiam præstabitis, & si quid minus, aut plus scripserim quàm Reverendissimam Paternitatem vestram deceat seu audire expediat, veniam dabitis quia singula ex radice fraternæ charitatis & Ordinis zelo procedere dignoscuntur, Teste Altissimo, qui vestram præclaram Paternitatem ad honorem & laudem sui nominis, & Ordinis decorem & profectum, sanam, lætam & longævam conservare dignetur. Etsi nihil dubito, quin Reverendissima Paternitas vestra in dicto negotio sit omnem diligentiam adhibitura, nihilominus per præsentium latorem de singulis, ejusdem Reverendissimæ Paternitatis vestræ beneplacitis certiorari cupio. Datum ex nostro monasterio Steinfeldensi alterâ cinerum anno Domini millesimo quingentesimo vicesimo, more Diœcesis Coloniensis.

Reverendissimæ Paternitatis vestræ humillimus & subjectissimus filius, Joannes de *Artwyler* humilis Abbas monasterii Steinfeldensis.

Et hæc erat Epistolæ superscriptio

Reverendissimo in Christo Patri ac Domino Domino Jacobo divinâ providentiâ & Apostolicæ Sedis gratiâ Abbati Præmonstratensi, meo in eodem Domino gratiosè & piè colendo.

Ad D. Commissarium Reverendissimi Domini Generalis.

Salutem in Domino sempiternam, Venerande Pater & in Domino Confrater. In Vigilia Assumptionis Virginis gloriosæ, litteras vestras recepi ex Civitate Coloniensi à Domino Francisco *Seluym* de *Reymbach* decretorum Baccalaureo, in causâ monasterii translati in *Bedbur*, procuratore, quibus perlectis intellexi D. vestram nomine & ex commissione Reverendissimi Domini Abbatis Præmonstratensis misisse citationem Sororum præfati monasterii translati ad jam dictum Procuratorem nostrum, ex quo intelligo vos appellationem per me ut Visitatorem, nomine totius Ordinis interjectam, velle realiter & cum effectu in Romana Curia prosequi super nullitate litterarum Apostolicarum exemptionis factæ per easdem Moniales, &c. quam citationém ut potui, cum omni diligentia, eisdem Monialibus juxta commissionem mihi factam, & Dominationis vestræ pia desideria publicari curavi, quam sic publicatam & executam vobis remitto. Omnia alia instrumenta juxta currentis facti exigentiam, quæ videbantur necessaria ad processûs negotii continuationem, & quæ nostris jurispetitis sufficere credebantur, Domino Reverendissimo Præmonstratensi personaliter præsentavi circiter quatuor instrumenta in membranis, quæ ut intelligo vos habetis, petitis & ea vobis mitti quæ ad hujusmodi processûs continuationem conducere videbuntur, non plenè intelligo, cùm non sim admodum jurisperitus, quid ad hæc respondebo, spero vos benè intellexisse Bullam quam præfatæ Sorores à Sanctissimo ad earum sinistram suggestionem procurarunt. Legistis etiam puto in appellatione nostra, in qua non credimus esse vera ea quæ summo Pontifici nostro præfato Moniales apertis mendaciis suggesserunt, quorum intuitu hæc Bulla dicitur obtenta, nec unquam coram judice competenti objecta sufficienter & legitimè, prout Præpositus asseruit, probare possunt. In eadem etiam appellatione totum fundamentum Ordinis nostri deductum esse notari placeat. Nos igitur dolo & fraude circumventos conqueri profectò habemus, partibus præcipuè non auditis, & veritate negotii non probatâ hujusmodi Bulla in medium emanaverit. Sane cupitis quid in diæta factum sit coram Domino Duce Clivensi, &c. brevibus prout potero declarabo. Nostis vel audivistis nonnunquam, multa dominia esse *Alimania*, sic plebeius populus suos privatos judices habet, à quibus causæ earumdem examinantur, & concluduntur, secùs tamen si quandoque inter Magnates & Nobiles jurgia gliscunt, reditus ac hæreredítates & similia eorumdem concernentia, hæc plerumque per litteras supplicatorias Principi traduntur, qui illis dominatur & sub quorum dominio constituti sunt, tunc Princeps interdum accusatori dicit, « tu ut asseris, ab illo in tali casu læsus es, idcirco tibi, » & accusato pro te diætam constituo coram Nobis » & nostris Consiliariis in defectibus vestris tractandi, & secundùm quod invenero, judicabo, aut » vos pacatos per conditiones reddam, vel saltem » ad judicem competentem mittam. » Eodem modo, cùm Bulla dicti translati monasterii publicata esset & prædictæ Moniales cum suis complicibus conarentur Præpositum suum vi expellere vigore Bullæ, &c. ipse Præpositus asserens se innocentem de sibi objectis, & sub prætextu supplicationis pro Bulla narratis, venit ad me tanquam ad Visitatorem nostræ Circariæ, petens ut sibi præstarem consilium & auxilium, ne ita notabile membrum Ordinis nostri, & specialis filia Domûs Præmonstratensis præter consuetum cursum rationis & juris, perire & ab Ordine alienari permitterem, quo audito, ego quidem factum detestans, ex consilio quorumdam Jurisperitorum, unà cum Præposito conjunctim supplicavimus per litteras Domino terræ & fundatori, seniori Duci Clivensi, quibus conquerebamur Ordinem & Præpositum injustè comprimi partibus præsertim non auditis; tunc Illustrissimus Dux consueto more utrisque partibus diætam constituit, in qua coram Nobilibus & Consiliariis jam dicti Ducis, hæc quæ sequuntur primò fuerunt à nobis proposita, à me videlicet Visitatore & duobus Abbatibus, ac aliis Ordinis nostri Fratribus, unà cum solemni juris Doctore, quem sanè magnis expensis ad hoc pro nostra parte vocavimus, quòd illa quæ præfatæ Sorores summo Pontifici persuaserunt sive suggesserunt, tam de Prælatis Ordinis, quàm ex parte Præpositi non essent vera, nec unquam ea legitimè probare possent: ad hæc imprimis responderunt, quòd non libenter velint diffamare Prælatos Ordinis & Præpositum in solido, idcirco optarent facere nobiscum concordiam, ut permanerent Canonissæ sicut jam sunt in seculari habitu, Nos maturâ deliberatione habitâ respondimus eisdem, quòd nullo modo velimus hæc occultari, sed quòd in publicum proferrent omnes querimonias, vel adversùs Ordinem, vel in solidum contra Præpositum suum. Objecerunt igitur Virgines ore tenus primò quòd Prælati Ordinis fuissent super accusationibus Præpositi sui quandoque requisiti, quas emendare & corrigere non studuerunt, propterea jam ab Or-

dine, dummodo nullam spem in eis invenissent, alienatæ fuissent, coram adstabat Reverendus Dominus Abbas Knechstedensis, qui tempore illius requisitionis Visitator earumdem extitit, litteris Principis se & Ordinem sufficienter excusans super objectis, deinde proferebant quasdam leves querelas ore tenus contra Præpositum, quibus objectis habitâ deliberatione per præfatum Doctorem, Præpositus ita se purgavit, ac immunem accusationnis coram omnibus se ostendit, ut in nullo eundem convincere poterant, post hæc omnia responsum accepimus ab Illustrissimo Principe, & ejus Consiliariis, quod singula benè audivissent & intellexissent, consulerent ut Prælati Ordinis & Præpositus facerent concordiam cum sæpe dictis Monialibus. Nos prospicientes nihil ibidem posse proficere, omnino non consensimus in concordiam aliquam, sed Præpositus, qui ad bimestre tempus Præposituram suam armatâ manu retinuerat, non modicis impensis & sumptibus propter metum corporis & sociorum, non audebat diutiùs diætâ confectâ, Præposituram præter voluntatem Monialium & earumdem complicium tenere, idcirco ex consilio quorumdam, invitis Visitatore & Ordinis Prælatis, coactus est inire concordiam, Præposituram suam resignando & pensionem annuam ad dies vitæ accipiendo. Volo Dominationem vestram scire, quòd non est mos Germanorum ea scriptis commendare, vel certos testes adhibere ad ea quæ ita à partibus coram Principibus proferuntur, ideo vobis cuncta scripta mittere nequeo, si fortasse pars altera desuper scripta produxerit nobis ignorantibus, puto quòd coram Judicibus eadem nullius momenti aut roboris erunt. Legi etiam conditionatam concordiam Præpositi, quæ in vulgari est, alias vobis misissem quod ibidem declaratur in eventum. Si Ordo appellationem suam prosequi intenderit, pro tunc Præpositus carebit annuè triginta quinque aureis florenis Rhenensibus, quod in augmentum pensionis Bullæ eidem promiserunt annuè se daturas, dummodò Ordo ab incœpto easdem non probaret. Scribit Dominatio vestra ex quo Præpositi causa, unà & Ordinis agitur, ut idem velit manus porrigere adjutrices, idipsum eidem nondum proposui, nec potui propter nimiam ejusdem & monasterii mei distantiam, vereor profectò cum parum subsidii administraturum, quia aliqualiter diffidit, quòd Ordo restituet eum suæ Præposituræ, si verò contigerit quòd Ordo iterum præficeret & restitueret eumdem pristino statui, fortè tantum dabit, quantùm Patribus Ordinis justum videbitur; quippe non modicam pecuniæ summam exposuit propter hoc negotium, item & ego ex bonis & commodis monasterii mei in hoc ipso negotio ultra centum florenorum Rhenensium summam exposui, præter labores meos gravissimos, quibus corpus meum maximo mortis periculo subjeci, cum consilio quidem Patrum nostræ Circariæ, quibus omnibus peractis adii Capitulum nostrum generale sub spe quòd mihi exposita mea refunderentur juxta formam statutorum nostrorum, ibi mecum ita actum est, quòd rariùs, nomine Ordinis tantam pecuniarum summam exponere opportuniùs constitui, de Patribus tamen conqueri illicitum censeo, quandoquidem mecum composuerunt, licet non penitùs me contentaverint, ideo non est è re mea vobis aliquid procuratorium transmittere, & vos negotio substituere, quia totum quod mea interesse & ad Visitatorem pertinere putavi, complevi: plusquam ducenta milliaria confeci in isto negotio extremam diligentiam meam adhibendo, &c. sicut Domino Reverendissimo Præmonstratensi ac Patribus Capituli ferventer proposui, ita ardenter mihi sub bona fide dicti Patres promiserunt communibus Ordinis expensis incœptam appellationem in Curia Romana se prosequi velle, quod si opere compleverint, ut per citationem aliqualiter apparet, non tædebit me laboris mei, nec gravium expensarum recordabor, si quid occurrerit tempore commissionis meæ, in parvo Ordinem non deseram dummodò cognovero diligentiam eorumdem in incœpto negotio. Audivi etiam ab aliquibus meæ Circariæ Patribus, si Ordo hoc negotium diligenter renovari fecerit & ad pristinum statum reduxerit, proculdubio quisque pro sua possibilitate contribuet, & Ordini suffragabitur, quibus ego non deero si negotium incœptum neglexerint & imperfectum dimiserint, brevi pejora prioribus percipietis, formidandum est quòd Domino Præmonstratensi & Capitulo parvam vel nullam obedientiam in posterum præstabunt, quia si unum de minoribus monasteriis potuit hoc incipere & perficere in scandalum, & gravamen totius Ordinis nostri, quid non tanta communitas aut præsertim ditiora monasteria & Abbatiæ? Hæc & similia coram in Capitulo nostro generali protuli & in scriptis ibidem reliqui diligenter Patres extimulando ad prosequendum negotium si diligenter adverterint & gratanter acceperint, Ordini benè erit; sin minùs, spero me purgatum summo Deo & hominibus. His valeat Reverendissima Dominatio vestra mihi semper præcipiendo quæ parcat imperitiæ meæ & omnia in fraterna charitate boni consulat.

Optimus Maximus Deus Reverendam Dominationem vestram suæ sacræ Religioni instaurandæ & ad majora provehendæ tueatur incolumem. Datum ex Civitate Coloniensi die decimâ Novembris 1520.

V. R. P. humilis & Confrater minimus Joannes *Schuys* de *Arwyler* Abbas Monasterii Steinfeldensis, pro tempore Visitator Circariæ Westphaliæ.

Supplica ad Ducem Cliviæ in causa Bedbur.

SErenissime, Perillustris Dux, Domine gratiosissime. Ab olim, vestræ Ducalis gratiæ Majores piæ memoriæ, quorum animabus Deus sit propitius, in honorem Dei & ad animarum suarum salutem ac solatium, Ecclesiam & monasterium in *Bedbur* Ordinis Præmonstratensis, propè Cliviam situatum, valdè laudabiliter fundaverunt & dotarunt, regimen & superioritatem ejus Domini Ordinis Præmonstratensis à longo tempore habuerunt, qui mediante Præposito, & Priorissâ, Virgines & Conventum gubernari permiserunt, cùm jam munus visitandi tanquam Visitatori Circariæ seu Provinciæ Westphaliæ mihi Abbati Steinfeldensi, nomine Superioris nostri Abbatis Præmonstratensis, & mihi Paulo Præposito præfati monasterii regimen demandatum fuerit, mandato paruimus, & omni diligentiâ pro nostra possibilitate hucusque reximus, ita ut nostro judicio, & pro cognitione juris non sumus promeriti qui abinde dejiciamur; nihilominus ut notum est, eadem Priorissa & Virgines prædictæ in *Bedbur* ad sua propria figmenta quædam minus vera & infundata puncta, & querelas sanctissimo Patri nostro Papæ Romano & vestræ Ducali gratiæ exhiberi fecerunt, ad ita rescindendam visitationem ejusmodi, qualem vestra Ducalis gratia illo tempore Visitatori piæ memoriæ Domino Godefrido de *Kestel*, ad suam afflictionem Abbati Steinfeldensi ibidem in *Bedbur* & alibi in D. V. G. territoriis & ditionibus facere & instituere indulserat, jam tum alicubi perfecerat, & modernus Visitator, itidem Ab-

bas Steinfeldensis in procinctu erat, ut continuaret & ulteriùs consummaret, hinc Moniales virgines in *Bedbur*, talem sibi evenire metuentes, inconsuetam bullam magnis expensis & laboribus impetrarunt, per quam monasterii illius census & reditus absque cognitione cujusque ullius juris, aut superioritatis accisi sunt & gravati, & ut timendum est, in postremum aggravabuntur, quæ pecunia ut monasterium emergeret, & ad ampliorem Dei cultum utilis fuisset, & jam esset hujus monasterii commodum & emolumentum, præfatæ Virgines in simul, quæ in eo professæ sunt, & Deo Tri-uno Omnipotenti juramenti loco vota voverunt, & aliquo tempore jam ab eo alimentationem acceperunt, considerare & apud primitùs inceptum Ordinem vota & juramenta permanere debuissent, nec pati ut monasterium in tam enorme damnum incideret, aut ipsæ in illud inducere non debuissent, unde jam notabilis ignominia & opprobrium indecenter emergit in magnum dispendium servitii divini & concordiæ inter probos fideles christianos homines. Quia ergo, gratiosissime Domine & Princeps, præfata fundatio per vestræ Ducalis gratiæ Majores valdè piè & laudabiliter incepta & longo tempore conservata est sub Ordine Præmonstratensi prout vestræ Ducali gratiæ & V. D. G. subditis per patriam notum est, & nos & nostri adhærentes illibenter à nostro jure, superioritate & appertinentiis deturbari vellemus, imo & protegere & deffendere obligati sumus, propterea appellationem juxta formam juris instituimus, animo jus nostrum defendendi, & placitum nobis esse & optabile quòd D. V. G. tam laudabilem à Majoribus suis inceptam fundationem in potestate & virtute defenderet & ita sicut ordinatum est, observari præciperet, & manuteneret ut sic ultimæ voluntates Majorum V. D. G. implerentur, servitium Dei consueto more in sanctitate perficeretur, & nos in jure nostro conservaremur & tutati maneremus, & sicut memorata puncta, Gratiosissime Princeps ac Domine, vestram Ducalem gratiam, Nos, & Ordinem nostrum concernunt, ita confidimus planè quòd à D. V. G. & suscipiantur gratiosè, & benè intelligantur; insuper simul petimus & precamur quòd V. D. G. velit nos in corpore & bonis, ab omni violentia protegere & defendere & mandatum illud quod intelligimus quasi à V. D. G. positum, de non extradendis reditibus, & competentiâ Præposito in *Bedbur* debitâ, velit cessare gratiosè, ita ut apud antiquum jus nostrum & appellationem usque ad exitum rei, permanere valeamus, & non tali modo sine cognitione causæ de nostro jure dejiciamur; in his solatium, gratiam, & subsidium speramus V. D. G. & gratiosum super hoc responsum, id quod nostris precibus, & demissis obsequiis variis nostris omni tempore parati sumus demereri.

Omnipotens Deus V. D. G. in gaudioso regimine conservare velit in seros annos.

V. D. G. submissi

Joannes de *Arwyler* Abbas Steinfeldensis & Paulus *Van-Overbeide* Præpositus in *Bedbur*, ac adhærentes.

Charta Radulphi de Dene, *pro fundatione Abbatiæ sancti Laurentii in* Hottcham.

NOtum sit omnibus tàm futuris quàm præsentibus sanctæ Matris Ecclesiæ filiis, quòd Ego Radulphus de *Dena*, dedi & concessi Deo & sanctæ Mariæ & sancto Laurentio de *Hottcham* & Canonicis ibidem Deo servientibus, Ordinis Præmonstratensis, ad Abbatiam construendam, totum dominium meum de *Hottcham* cum Capella ejusdem loci & cum omnibus ad dominium ipsum pertinentibus & homines meos de *Dudintune* scilicet *Gladwine* fratrem *Speg* cum V. soliditis terræ, & Joannem *Cnokedame*, Gilebertum Carpentarium, Willielmum *Cnokedune*, Hugonem Th. de *Farnstrete* cum terra sua & Robertum *Bunt* & Vulsi *Wiver* & hæredes suos & hæredes Fratris sui *Grig*: & Sewalum & Walvardum & Walterum & terram quam Fulkeri tenet de me in *Dekord*. De qua reddit annuatim unam libram piperis, & octo libras ceræ, & præter hæc mariscum de *Megham*, sicut Radulphus avunculus meus eum tenuit, & totum mariscum quod fuit Vulrici, & novum mariscum quantùm ad me pertinet in liberam & perpetuam eleemosynam. Quare volo & præcipio ut prædicti Canonici hanc donationem habeant & teneant liberè & quietè in bosco & plano, pascuis & pratis, aquis & mariscis & cum omnibus libertatibus & liberis consuetudinibus quibus aliquo tempore liberiùs & quietiùs illa possedi. Hoc autem feci consensu Roberti filii & hæredis mei, pro salute corporis & animæ meæ, & pro salute corporis & animæ dicti Roberti & hæredum meorum, & pro salute corporis & animæ Domini mei Regis Henrici & liberorum ejus, & pro animabus patris & matris meæ & omnium Antecessorum meorum, nec non & Successorum meorum in liberam eleemosinam. His testibus, Rogero filio Reimfrei, Richardo filio Willielmi. Willielmo de *Warenne*, Adam de *Punnges*. Jocelino filio Reimfrei, Michaële de *Tirnebam*, Galfrido de *Saccavile*, Roberto de *Hiclesham*, Radulfo Clerico, Henrico Clerico, Heustachio de *Monte*, Will. de *sancto Albano*.

Alia Charta præfati Radulfi de Dena.

NOtum sit omnibus tàm præsentibus quam futuris quòd Ego Radulfus de *Dena* dedi & concessi Deo & Ecclesiæ sancti Laurentii de *Otthebam*, & Canonicis ibidem Deo servientibus, in puram & liberam & perpetuam eleemosynam, totum dominium meum de *Otthebam* cum Capella ejusdem loci, & cum omnibus ad ipsum dominium pertinentibus & homines meos de *Dudintone* cum tenementis suis, & terram quam Fulkeri tenet de me in *Dekord* & in *Alurichestune*, unde reddit mihi annuatim unam libram piperis & octo libras ceræ & præter hoc dedi eis mariscum de *Begeham* & hidam de *Ambefeld* quam teneo de *Richardo* de *Herfenden*. Quare volo quòd prædicti Canonici hæc tenementa habeant & teneant benè & in pace, liberè & quietè sicut eas meliùs & liberiùs tenui. His Testibus, Richardo filio Willelmi, Rogero filio Reimfredi, Willielmo de *Warenne*, Jocelino filio Reimfredi, Michaële de *Turne*, Radulfo Clerico, Eustachio de *Monte* & aliis.

Charta Roberti de Dena *de terris in* Telletone.

NOtum sit tàm præsentibus quàm futuris quòd Ego Robertus de *Dene*, do & concedo Deo & Canonicis de *Otthebam*, in liberam & perpetuam eleemosynam totam terram quam habui in *Telletone*, cum omnibus pertinentiis suis, & insuper piscariam meam in marisco cum pertinentiis suis, hoc autem ita concedo, ut prædicti Canonici tale servitium inde faciant sicut ego inde faciebam, sub his testibus. Rob. de *Gattun* meo avunculo, Rogero Anglico, Manasse *Aguillun*, Gaufr. de *Sankeville*, Rolando de *Asquitade*. Rich. *Buisson*. Will. *Insteur*, Alexandro *Tripe*, Reinaldo de sancto Alba-

no, Rad. *Esquines* & multis aliis. Hoc donum ut ratum habeatur, sigilli mei munimine roboravi.

Confirmatio Galfridi de Saukeville.

SCiant præsentes & futuri quòd Ego Galfrid. de *Saukeville* concessi & præsenti chartâ confirmavi Deo & Canonicis de *Begeham*, donationes quas Rad. avus meus & Robertus avunculus meus & Ela mater mea eis fecerunt, videlicet ex dono Rad. avi mei totum dominium de *Ottebam*, cum omnibus pertinentiis suis, & cum Capella ejusdem loci, & terram quam Fulkeri tenuit de eo in *Defford*, ex dono Roberti avunculi mei, totam terram de *Teletune* cum omnibus pertinentiis suis. Ex dono Elæ matris meæ totam terram quam habuit apud *Torn* & terram de *Twisel* & terram de *Farestrette* cum omnibus pertinentiis suis. Quare volo quòd prædicti Canonici habeant & teneant omnes prædictas terras liberè & quietè ab omni servitio & consuetudine, quantùm ad me vel ad hæredes meos pertinet, sicut chartæ donatorum, quas inde habent, testantur, salvo forinseco servitio, His testibus Will. *Mause*, Ric. de *Cumba*, Galf. de sancto Leodegario, Magistro Egidio, Burna, Ric. *Branche* Rad. de sancta Brigida, Martino filio Henr. Adam de *Strodes* & multis aliis.

Charta Ela de Saukeville *de translatione Sedis Abbatia.*

SCiant præsentes & futuri quòd Ego Ela de *Saukeville* filia Radulfi de *Dene*, in viduitate, & ligia potestate mea, divinæ pietatis intuitu, concessi Abbati & Canonicis de *Ottebam* propter magnas & intolerabiles inedias loci de *Ottebam*, quòd transferant Sedem Abbatiæ de *Ottebam* usque ad *Begeham*, qui dicitur *Benliu*, salvâ reverentiâ & dignitate advocationis quam mihi & hæredibus meis tam in vita quàm in morte tenentur exhibere: prætereà confirmavi eisdem Canonicis omnes donationes quas Pater meus eis dedit, videlicet totum dominium de *Ottebam* cum Capella & terram de *Dudintone* & de *Thorne*, quare volo quòd prædicti Canonici habeant & teneant omnes prædictas terras cum omnibus pertinentibus suis liberè & quietè ab omni servitio & seculari exactione, quæ ad me, vel ad hæredes meos pertinent, salvo servitio Domini Regis. Item confirmavi eisdem Canonicis totam terram de *Telletona*, cum hominibus & aliis pertinentiis suis quam Rob. de *Dene* Frater meus, eis dedit habendam & tenendam liberè & quietè ab omni servitio & seculari exactione, quæ ad me, vel ad hæredes meos pertinent, salvo servitio Domini Regis. Hanc autem concessionem feci eis pro salute mea & pro animabus antecessorum & successorum meorum ut honestiùs & liberiùs ibi Deo valeant perpetuò ministrare. His testibus Roberto de *Boxley*. Will. de *Ponte*, Rob. Willelmo de *Cumbwelle* Abbatibus: Wandr. de *Curtellis*, Waltero de *Hanley*, Reginaldo de *Clyfton*. Hugone & Reginaldo de *Fokintun*, Radulfo de *Haia*, Galfrido de sancto Leodegario, Radulfo de sancta Brigida, Martino filio Henrici. Simone de *Trusseville*, & multis aliis.

Alia Charta ejusdem Ela super translatione Sedis Abbatia pradicta.

SCiant præsentes & futuri quòd Ego Ela de *Saukeville* filia Radulfi de *Dene*, in viduitate & ligia mea potestate, divinæ pietatis intuitu, concessi Abbati & Canonicis de *Ottebam*, propter magnas & intolerabiles inedias loci de *Ottebam*, quod transferant Sedem Abbatiæ de *Ottebam* usque ad *Begeham*, salvâ reverentiâ & dignitate quam mihi & hæredibus meis tam in vita quàm in morte, tenentur exhibere, Prætereà concessi & præsenti chartâ confirmavi eisdem Canonicis omnes donationes quas Pater meus eis dedit, videlicet totum dominium de *Ottebam* cum Capella ejusdem loci & terram de *Dudintune* cum omnibus pertinentiis suis, & terram quam Fulkeri tenuit de Patre meo in *Sefford* & mariscum de *Pegham* sicut Radulfus de *Dene* Avunculus Patris mei eum tenuit, & totum mariscum quod fuit Ulrici, & novum mariscum quantùm ad prædictum Radulfum de *Dene* pertinebat. Quare volo quòd prædicti Canonici habeant & teneant totas prædictas terras cum omnibus pertinentiis suis in liberam & perpetuam eleemosynam, sicut charta Patris mei, quam inde habent, testatur. Item concessi eisdem Canonicis totam terram quam habent ex dono Roberti fratris mei in *Teletone* cum pertinentiis suis tenendam liberè & quietè quantùm ad me vel ad hæredes meos pertinet, faciendo inde regale servitium, sicut Robertus frater meus faciebat. Prætereà dedi & concessi eisdem Canonicis in liberam & perpetuam eleemosynam totam terram quam habui apud *Thorn*, & apud *Twiseley* cum omnibus pertinentiis suis ad unam lampadem tenendam semper ardentem, ante altare sancti Laurentii de *Ottebam* & terram de *Farstrete* cum pertinentiis, tenendas liberè & quietè, salvo forinseco servitio. Item dedi & concessi eisdem Canonicis in liberam & perpetuam eleemosynam totam terram quam Alirinus *Crop* tenuit de Patre meo in marisco & Ego & hæredes mei warantizabimus prædictis Canonicis omnes prædictas terras contra omnes homines & omnes fœminas. His testibus, Roberto de *Boxley* Willielmo de *Ponte Roberti*. Willielmo de *Cumbwell*. Abbatibus. Galfrido de *Saukeville*. Wandr. de *Curtellis*. Randulfo de *Haia*, Galfrido de sancto Leodegario, Henrico de *Copeham*, Radulfo de sancta Brigida, Richardo filio Walteri, & multis aliis.

Charta Gilberti de Aquila.

SCiant præsentes & futuri quòd Ego Gilbertus Dominus de *Aquila*, concessi & præsenti chartâ meâ confirmavi Deo & Ecclesiæ sancti Laurentii de *Ottebam* & Canonicis ibidem Deo servientibus, in puram, liberam & perpetuam eleemosynam omnes donationes quas Radulfus de *Dena* & Robertus de *Dena* filius & hæres suus, eis rationabiliter dederunt sicut chartæ eorum testantur, scilicet totum dominium suum de *Ottebam* cum hominibus & reditibus, & cum omnibus ad ipsum dominium pertinentibus, & Capellam ejusdem loci cum omnibus pertinentiis suis, & mariscum de *Begeham*, & totum mariscum quod Vulvricus tenuit, & novum mariscum & terram de *Teletone* cum hominibus & aliis pertinentiis suis. Prætereà concessi & firmavi eisdem Canonicis, donationes quas Rikewardus *Brade* & Randulfus *Brade* eis dederunt, scilicet Ecclesiam de *Hellinges* cum omnibus pertinentiis suis, sicut chartæ eorum, quas Canonici inde habent, testantur. Quare volo & firmiter concedo quòd prædicti Canonici habeant & teneant hæc & alia tenementa sua, & eleemosynas de feodo meo quæ eis datæ sunt rationabiliter & in posterum dabuntur benè & in pace, liberè & quietè, sicut chartæ & chirographa donatorum suorum testantur, salvo servitio quod ad me & hæredes meos pertinet, hanc concessionem & confirmationem feci eis pro salute animæ & corporis Domini Regis mei Joannis, & pro salute animæ &

corporis mei, & uxoris meæ, & liberorum nostrorum, pro anima Richerii Patris mei, & pro salute Dominæ Edelinæ Matris meæ & Richerii fratris mei, & pro animabus omnium antecessorum meorum & successorum meorum. His testibus. Dominâ Edelinâ Matre meâ, Richero fratre meo, Engenulfo Clerico, fratre meo, Willielmo de *Caines*, Hugone de *Hassaham*, Willielmo *Manse* Joanne de *Auvrichestune*, & aliis.

Charta Roberti de Turnham.

SCiant præsentes & futuri quòd Ego Robertus de *Turnham* assensu & voluntate Domini mei Richardi Comitis de *Clare*, dedi & concessi & præsenti chartâ confirmavi Deo & sanctæ Mariæ & Canonicis Ordinis Præmonstratensis, qui manserunt apud *Crokeley*, & successoribus suis, totam terram meam de *Begeham*, cum omnibus pertinentiis suis, in puram & perpetuam eleemosynam liberam & quietam ab omni servitio & seculari exactione, ad Abbatiam ibidem construendam in honore Dei & Beatæ Mariæ. Item dedi eisdem Canonicis in puram & liberam & perpetuam eleemosynam totam terram de *Brokeley* cum omnibus pertinentiis suis habendam & tenendam de Galfrido de *Say* & hæredibus suis, liberè & quietè, reddendo inde eis annuatim apud Grenewicum XII. d. pro omni servitio & seculari exactione, & terram de *Ringesillwude* in *Sandrig* quam emi de Willielmo de *Kaw*, has prædictas terras cum omnibus pertinentis suis, dedi eisdem Canonicis, assensu & voluntate Dominorum meorum habendas & tenendas sicut prædictum est, liberè & quietè ab omni servitio & seculari exactione, sectâ, consuetudine & demandâ quæ super terram eveniunt vel evenire possunt, sicut aliqua eleemosyna meliùs & liberiùs dari potest. Præterea dedi eisdem Canonicis in liberam & perpetuam eleemosynam, terram quam habui apud *Rokeland* de monachis sancti Martini de Bosco, reddendo inde annuatim eisdem monachis quinque solidos pro omni servitio & seculari exactione ad festum sancti Michaelis. Item dedi eisdem terram de *Grimbroc* quam tenui de monachis sancti Pancratii de *Levues* reddendo eisdem monachis duos solidos ad festum sancti Michaelis pro omni servitio. Item dedi eis terram quam emi de Gunnora & de filiis suis in *Sindrig* juxta Abbatiam versùs Aquilonem, reddendo eisdem annuatim duos solidos pro omni servitio, præter has prædictas donationes concessi & præsenti chartâ confirmavi prædictis Canonicis omnes donationes quas Michael de *Turneham* avunculus meus eis dedit, videlicet terras de *Blechinden* & de *Winbrig* & de *Esterlige* & de *Patefeld* & de *Faukeriche* & de *Wichilinden* & terram quæ vocatur terra Nicolai, & totum manerium de *Rokeley* & *Grimbroc* & *Childerst* cum hominibus & reditibus, & cum omnibus aliis pertinentiis suis, habenda & tenenda in perpetuum liberè & quietè, integrè & plenariè sine aliquo tenemento, sicut prædictus Michael vel Ego illa unquam meliùs & liberiùs aliquo tempore tenuimus: has prædictas donationes & confirmationes feci eisdem Canonicis pro anima Domini mei Regis Richardi, & pro salute Domini mei Regis Joannis & liberorum suorum, & pro salute mea, & pro animabus omnium antecessorum & successorum meorum. Et Ego & hæredes mei warantizabimus eisdem Canonicis omnes prædictas donationes & confirmationes contra omnes homines & omnes fœminas.

Alia charta præfati Roberti de Turnham.

UNiversis sanctæ Matris Ecclesiæ filiis ad quos præsens charta pervenerit. Robertus de *Turneham* salutem in Domino. Noverit universitas vestra, me intuitu divinæ pietatis concessisse & præsenti chartâ confirmasse Abbati & Canonicis de *Ottebam* propter magnas & intolerabiles inedias loci de *Ottebam*, quòd transferant sedem Abbatiæ de *Ottebam* usque ad Abbatiam de *Begeham* quæ dicitur *Benlun*. Quare volo ut prædicti Abbas & Canonici de *Ottebam* & de *Benlun* & successores eorum habeant & possideant omnes res & possessiones & tenementa quæ eidem Ecclesiæ de *Begeham* à me vel ab aliis collatæ sunt, benè, & in pace, liberè & quietè sine aliquo impedimento, vel molestia & ut hæc mea concessio in omnibus, sicut supra dictum est, firma & stabilis perseveret in perpetuum, præsenti chartâ cum sigilli mei impressione eam confirmavi. His testibus &c.

Charta Stephani de Turncham.

UNiversis ad quos præsens scriptum pervenerit. Stephanus de *Turneham* salutem æternam in Domino. Noverit universitas vestra me divino intuitu, & pro salute Domini mei Regis Richardi, & pro salute Domini mei Regis Joannis & pro salute antecessorum meorum, concessisse & hâc chartâ nostrâ confirmasse Deo & Beatæ Mariæ & Abbatiæ de *Begeham*, & Canonicis Præmonstratensis Ordinis, ibidem Deo servientibus, omnes donatioquas habent ex dono Michaelis de *Turneham* avunculi mei, & Roberti de *Turneham* fratris mei, scilicet terram de *Begeham*, ubi Abbatia sita est, cum hominibus & reditibus & cæteris omnibus ad eandem terram pertinentibus, & terram de *Brokele* cum suis pertinentiis & *Flodham* & *Wigodesmesre* & terras videlicet de *Wichilinden* & de *Blechelindem* & de *Wimbrigge* & de *Faukerige* & de *Osterbgge* & de *Patefeld* cum pertinentiis, & terram quæ vocatur terra Nicolai, & totam terram quam idem Robertus habuit in villa de *Lamberhurst* cum pertinentiis, & pratum de *Wlaestede* & totam villam de *Rokeley* quæ fuit ejusdem Roberti cum pertinentiis suis & *Childerst* & *Grimbroc*, & totam terram quam idem Robertus tenuit de monachis de *Levves*, juxta *Grimbroc* cum pertinentiis suis. Concessimus etiam & confirmavimus eisdem Canonicis terram de *Waldeslnetune* cum pertinentiis, quam habent ex dono Will. de *Detling* & terram *Flodingeford* quam Simon de *Nodingeford* tenuit de eisdem Canonicis, quam habuit ex dono Roberti de *Glatingeham* & unam virgatam terræ in *Oxonia* quam habent ex dono Michaelis de *Codham*. Quare volo quòd prænominati Canonici de *Begeham* habeant & teneant omnia prædicta tenementa, & omnia alia quæ habent de feudo meo benè & in pace cum omnibus pertinentiis suis liberè & quietè, finaliter sicut chartæ donatorum quas Canonici inde habent testantur. His testibus &c.

Charta Walkellini Maminot *de terra de* Broccle *quam dedit Michaeli de* Turncham.

WAlkelinus *Maminot* omnibus hominibus & & amicis suis Francis & Anglicis salutem. Notificetur tam præsentibus, quàm futuris, quòd Ego

Walkelinus *Mamınot* recognovi & dedi & concessi Michaeli de *Tırnebam*, terram de *Brocele*, cum omnibus pertinentiis suis, pro servitio suo, liberam & quietam & hæreditariè tenendam de me & hæredibus meis, reddendo mihi annuatim duodecim denarios infra octabas sancti Michaelis pro omni servitio, pro hac autem terra prædicta, & pro hac concessione devenit Michael prædictus homo meus, & dedit mihi quadraginta solidos. Quapropter præcipio hæredibus meis, & amicos meos precor, ut prædictus Michael teneat terram prædictam cum pertinentiis liberè & quietè & integrè in boscis & in planis, in pascuis & mariscis & omnibus aliis locis, & prohibeo ne aliquis de terra prænominata eum vexet vel disturbet, nec aliquis aliquod aliud servitium petat ab eo præter illos XII. denarios prænominatos. His testibus.

Charta Roberti de Turncham.

RObertus de *Tırnebam* omnibus hominibus suis & amicis salutem. Sciatis me dedisse & concessisse terram de *Roheland*, Michaeli fratri meo hæreditariè tenendam ei & hæredibus suis, de me & hæredibus meis & hanc terram reddo ei pro servitiio suo, & ipse homo meus est pro hac terra prædicta. Servitium hujus terræ tale est quòd Michael faciet mihi sextam partem unius militis, quapropter volo quòd ipse teneat firmiter & liberè pro servitio prædicto. His testibus, &c.

Charta Galfridi de Say.

NOtificetur tam præsentibus quàm futuris quòd Ego Galfridus de *Say* dedi & concessi & hâc chartâ meâ confirmavi, sicut Dominus fundi, & advocatus, Deo & sanctæ Mariæ de *Brocele*, & Fratribus Præmonstratensis Ordinis, ibidem Deo servientibus, totam terram de *Brocele* de Baronia mea cum omnibus pertinentiis suis, sicut charta Domini Walkelini *Mamınot* antecessoris mei testatur, Michaeli de *Tırnebam* tenendam hæreditariè liberè, quietè & honorificè & pacificè, per duodecim denarios reddendos mihi annuatim, & hæredibus meis infra octabas sancti Michaelis pro omni servitio. Etiam Ego Galfridus de *Say* confirmo donationem & confirmationem Julianæ Comitissæ, ad eundem locum, & ad sæpè dictos Fratres ibidem Deo servientes, sicut charta prædictæ Julianæ Comitissæ testatur, de emptione facta de eodem feudo inter Comitissam Julianam & Michaelem de *Tırnebam*. His testibus, &c.

Charta Juliana Comitissa de Brocele.

SCiant omnes sanctæ Matris Ecclesiæ Filii, tam præsentes quàm futuri, quòd Ego Juliana Comitissa dedi & concessi & hâc meâ præsenti chartâ confirmavi, pro salute animæ meæ, & animabus patris & matris meæ, & Dominorum meorum Hugonis *Bigoth* & Walkelini *Maminot*, & pro animabus omnium antecessorum meorum in perpetuam eleemosynam Deo & sanctæ Mariæ de *Brocele* & Fratribus Præmonstratensis Ordinis ibidem Deo servientibus, totam terram de *Brocele* cum omnibus pertinentiis suis in bosco & plano, terris & pascuis, pratis & mariscis, viis & semitis, quam videlicet terram vendidit mihi Michael de *Tırnebam*, sicut suum liberum *Gavilikinde* & *Stockikinde* ad fundandam ibi domum Religionis, concedente Stephana de *Tırnebam* nepote ejus, & in tenemento de *Declinges* terram de *Waldemunton* quam vendidit mihi Joannes de *Stanhan* cum omnibus pertinentiis suis in bosco & plano & pastura, & terram Walteri de *Grenewich* & *Flodham* & reditus Stephani de *Kinarditune* scilicet duos solidos: quare volo & firmiter præcipio ut Ecclesia præfata, & præscripti Fratres habeant & teneant & possideant benè & in pace & honorificè, liberè & quietè & absolutè ab omni servitio & consuetudine & exactione ad me vel ad hæredes meos pertinente, sicut aliqua eleemosyna quietiùs & liberiùs possideri potest, His testibus. &c.

Item confirmatio Galfridi de Say *de Ecclesia de* Grenéwich.

SCiant præsentes & futuri quòd Ego Galfridus de *Say* concessi & præsenti chartâ confirmavi Deo & Ecclesiæ sanctæ Mariæ de *Begeham* & Canonicis ibidem Deo servientibus, in puram liberam & perpetuam eleemosynam, donationem quam pater meus Galfridus de *Say* & Aliz mater mea assensu Gilberti Roffensis Episcopi, eis dederunt quando manserunt apud *Brocele*; scilicet Ecclesiam sancti Nicolai de *Grenewich* cum omnibus ad eandem Ecclesiam pertinentibus, quare volo quòd prædicti Canonici & successores sui habeant & teneant prædictam Ecclesiam de *Grenewich* cum omnibus pertinentiis suis liberè, integrè, & quietè, sicut charta prædicti Episcopi, quam jam dicti Canonici inde habent testatur. His testibus, &c.

Charta Richardi Comitis de Clare *de Paunagio.*

SCiant præsentes & futuri quòd Ego Richardus de *Clare* Comes Herefordiæ concessi & præsenti chartâ confirmavi Deo & Canonicis Ecclesiæ sanctæ Mariæ de *Begeham*, in liberam, puram & perpetuam eleemosynam viginti quinque porcos annuatim in foresta mea de *Tenebrug* ex parte Australi, quietos ab omni Paunagio*, & ut hæc concessio firma & inconcussa permaneat, præsens scriptum sigilli mei munimine roboravi.

* Forte Pondagio sive tributo quod pendebatur pro merce & animali quolibet.

Confirmatio Joannis Regis Angliæ.

JOannes Dei gratiâ Rex Angliæ, Dominus Hyberniæ, Dux Normanniæ, & Aquitaniæ, Comes Andegaviæ, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Comitibus, Baronibus, Justiciariis, Vicecomitibus, Præpositis & omnibus Ballivis & fidelibus suis salutem. Sciatis nos intuitu Dei & pro salute animæ nostræ, & animarum antecessorum & hæredum nostrorum concessisse, & hâc chartâ nostrâ confirmasse Deo & Beatæ Mariæ & Abbatiæ de *Begeham*, & Canonicis Præmonstratensis Ordinis ibidem Deo servientibus, totas subscriptas terras quas habent ex dono Roberti de *Tırnebam* ubi Abbatia sita est, cum hominibus, & reditibus & cæteris omnibus ad eandem terram pertinentibus, & terram de *Gingestbude* in *Sandrigge* & filiis suis juxta Abbatiam versùs Aquilonem & totam terram de *Brokele* cum suis pertinentiis & *Flodham* & *Elgodesmerse* & terras videlicet de *Tilichelınden* & de *Blechınden* & *Tlımberige* & *Faulkerige* & de *Stelrige* & de *Tatefeld* cum pertinentiis, & terram quæ vocatur terra Nicolai, & totam terram quam idem Robertus habuit in villa de *Lamberhust* cum pertinentiis & pratum de *Wastete* & totam villam de *Rokeland* quæ fuit ejusdem Roberti, & *Giloberst* & *Grimbroc* & totam terram quam idem Robertus tenuit de monachis de *Lewes*, juxta *Grimbroc* cum omnibus pertinentiis

nentiis ſuis. Conceſſimus etiam & confirmavimus eiſdem Canonicis terram de *Waldelintlon* cum pertinentiis quam habent de dono Willielmi de *Declinge* & terram de *Flodingeford* quam Simon de *Flodingeford* tenuit de eiſdem Canonicis quam habent de dono Roberti de *Glotingeham*, duas acras terræ juxta Abbatiam ſuam quas habent ex dono Emmæ & *Cruquer*, habenda & tenenda in liberam, puram & perpetuam eleemoſynam benè & in pace, liberè, quietè, & integrè, ſicut chartæ prædictorum donatorum quas inde habent, rationabiliter teſtantur. Quare volumus & firmiter præcipimus, quòd prædicti Canonici habeant & teneant omnia prædicta tenementa cum omnibus pertinentiis ſuis & libertatibus, & liberis conſuetudinibus ſuis, in omnibus locis, & rebus ad ea pertinentibus ſicut ſupra dictum eſt &c. Datum per manum Hugonis de *Welles* Archidiaconi Wellenſis, apud *Merleberg* XVII. die Martii anno 1208. Regni noſtri nono.

Alia charta præfati Joannis Regis Angliæ, conceſſiones plurimorum donatorum confirmans.

JOannes Dei gratiâ Rex Angliæ &c. Omnibus fidelibus ad quos præſens charta pervenerit ſalutem. Sciatis Nos intuitu Dei conceſſiſſe & hàc chartâ noſtrâ confirmaſſe Abbatiæ de *Begeham* & Canonicis ibidem Deo ſervientibus omnia tenementa ſubſcripta, & ſubſcriptas conceſſiones, ſcilicet de conceſſione Elæ de *Saukeville*, tranſlationem ſedis Abbatiæ de *Otteham*, factam uſque ad *Begeham* quæ dicitur *Benlin*, & omnes res & poſſeſſiones, & tenementa quæ præfati Canonici tenent de feodo ipſius Elæ. Item de dono ejuſdem Elæ totam terram quam Alwinus *Crop* tenuit de Radulfo de *Dene* patre ſuo, in mariſco de *Pluenham*. De dono Willelmi de *Kaien*, totam terram quam idem Willielmus habuit in *Sandrige* de feodo de *Ailesford*. De dono Michaelis filii Joannis de *Tonge*, decem acras terræ cum pertinentiis in *Tonge*, ſcilicet medietatem totius terræ de *Tonge*. De dono Radulfi de *Dene* totum dominium ſuum de *Otteham*, cum capella ejuſdem loci, & cum omnibus ad dominium illud pertinentibus, & homines ſuos de *Dodintone* ſcilicet Gladewinum fratrem *Sprig* cum quinque ſolidatis terræ, & Joannem *Gnokeden*, Hugonem & Thomam de *Farnſtret* cum terra ſua, & Robertum *Bunt* & *Wlſy Winer*, & hæredes ſuos, & hæredes fratris ſui *Grig* & Servatum & Vulvardum, & Walterum, & terram quam Fulkerus tenuit de prædicto Radulfo in *Freford* & præter hæc, mariſcum de *Begeham* ſicut Radulfus avunculus ipſius Radulfi eum tenuit, & totum mariſcum Vulurici, & novum mariſcum quantùm ad prædictum Radulfum pertinet. De dono Roberti de *Dene*, terram de *Teletone* & inſuper piſcariam ſuam de mariſco. De dono Gileberti Domini *Aquilæ*, centum viginti acras terræ ſuper *Dikere*, juxta *Tilſke* de ſupra *Pevvebam* & duas arbores ſcilicet unam quercum, & unam fagum recipiendas annuatim infra octabas ſancti Joannis Baptiſtæ in foreſta ſua, per viſum foreſtariorum ſuorum, & ſexaginta careatas turbæ in mora ſua de *Pevenham* annuatim habendas, quandiù mora ſua durabit, & quando mora defecerit, duos ſolidos reditûs in villa de *Pevenham* & ſex denarios quietè accipiendos, & viginti porcos quietos de padnagio in foreſta ſua. De dono Ricewardi *Brade* de *Bellinge*, medietatem Eccleſiæ de *Bellinge* cum omnibus ipſi medietati pertinentibus. De dono Randulfi *Brade* medietatem ejuſdem Eccleſiæ cum omnibus ad ipſam medietatem pertinentibus. De dono ejuſdem Randulfi totam partem ſuam quam habuit in molendina de *Bellinge*, ſcilicet medietatem & medietatem junchetii, & medietatem inſulæ quæ vocatur *Pelinhe*. De dono Magiſtri Nicolai de *Brade*, dimidiam virgatam terræ de feodo Richardi de *Kaines* cum omnibus pertinentiis ſuis. De dono Randulfi de *Brade* totam terram quam idem Randulfus habuit ſupra *Rede* in Dominico, juxta terras Eccleſiæ & *Pelgrave* & *Cnolgrave*, & medietatem moræ quæ dicitur *Langene*. De dono Turſtani filii Gileberti de *Hoding*, dimidiam hidam terræ in *Langport*. De dono Willielmi de *Seſingeham* totam terram quam Godwinus *Cnoke* de eo tenuit in *Pichelham*. De dono Roberti de *Seſingeham* totam terram quam Godwinus *Cnoke* tenuit de Loreta, & de eis in *Pichelham*. De dono Roberti de *Horſenden* totam terram quam Vuluricus tenuit de Loreta, & de eo in *Pichelham* cum eodem Vulurico & hæredibus ſuis. De dono Rikewardi *Brade* totam terram quam Richardus de *Ponte* tenuit, & totam partem ipſius Rikewardi moræ quæ vocatur *Langene*, & totam partem ſuam campi qui vocatur *Delne*. De dono ejuſdem Rikewardi terram ſitam in mariſco, quam Vuluricus tenuit, & totam partem ſuam quæ dicitur *Kerolze*. De dono Richardi de *Alurichestune* totam terram ſuam de *Peteloya*. De dono Willelmi de *Seſingeham* medietatem totius terræ quam Sigarus de eo tenuit in *Pichelham*. De dono Roberti *Folconer* de *Mudetone*, ſex acras terræ in campo qui vocatur *Veldelond* proximas terræ quam Radulfus de *Farnſtret* tenuit. De dono Joannis de *Horſenden* unam hidam terræ in manerio de *Burne*, cum omnibus pertinentiis ſuis. De dono Willielmi *Manſe* totam terram ſuam de *Benerede*, cum omnibus pertinentiis ſuis. De dono Henrici de Palerna, totam terram quam Galfridus de *Duttone* tenuit de eo apud *Dittone*, cum eodem Gaufrido & liberis ſuis. De dono Radulfi de *Leval* tertiam partem Salinæ quæ dicitur aurea, quæ ſita eſt in mariſco inter *Pevebam* & *Peplesham* cum omnibus pertinentiis & proventibus inde venturis. De dono Hugonis de *Diva* totam terram quam prædicti Canonici tenent de feodo ſuo de *Dtebam*. De dono Radulfi de *Iclesham* duas acras Flandrenſes in novo mariſco de *Iclesham* & unam beſcatam terræ incluſam cum expenſis prædictorm Canonicorum in eodem mariſco. De dono Rikewardi de *Hellinge* unam croftam juxta Eccleſiam ejuſdem villæ, quam croftam idem Rikewardus dedit ipſi Eccleſiæ, quam dicti Canonici habent in proprios uſus, illam videlicet croftam quam Willielmus *Scarlet* tenuit ſub annuali cenſu quatuor denariorum & ſex percicatas in longitudine & latitudine de mora ſua juxta domos Eccleſiæ ad curiam prædictæ Eccleſiæ ampliandam. De dono Roberti de *Turneham* totum mariſcum quem habuit in *Rokeland*, de Priore & Monachis ſancti Martini de *Boſco*. Hæc autem tenementa prædicta conceſſimus & confirmavimus prædictis Canonicis de *Begeham*, ſicut chartæ donatorum quas inde habent, rationabiliter teſtantur. Quare volumus &c. Data per manum R. de Mariſco apud *Cnapp*, ſextâ die Aprilis anno 1211. Regni noſtri duodecimo.

Charta Regis Eduardi II. diverſas conceſſiones Abbati & Canonicis de Begeham *factas, confirmans.*

EDuardus Dei gratiâ Rex Angliæ &c. Sciatis quòd cùm celebris memoriæ Dominus Henricus quondam Rex Angliæ avus noſter, ſextò die Martii, anno Regni ſui tricesimo quinto, conceſſerit & chartâ ſuâ confirmaverit dilectis nobis in Chriſto Abbati & Canonicis de *Begeham*, Ordinis Præmonſtratenſis, quòd ipſi & ſucceſſores ſui in per-

petuum haberent unum mercatum singulis septimanis per diem Jovis apud manerium suum de *Rokelande* in Comitatu Sussexiæ, & quòd haberent ibidem unam feriam singulis annis, duraturam per tres dies, videlicet in vigilia, & in die, & in crastino sancti Joannis Baptistæ, nisi mercatum illud & feria illa essent ad nocumentum vicinorum mercatorum & vicinarum feriarum, prout in charta prædicta pleniùs continetur: ac præfati Abbas & Canonici dictis mercato & feriâ juxta tenorem chartæ illius, jam per aliquod tempus usi non fuerint, sicut dicunt & nobis supplicaverunt ut eo non obstante velimus eis concedere quòd ipsi & eorum successores prædicta mercatum & feriam habeant in forma supradicta. Nos præfatis Abbati & Canonicis volentes in præmissis gratiam facere specialem, concessimus & hâc chartâ nostrâ confirmavimus eisdem Abbati & Canonicis quòd ipsi & successores sui in perpetuum habeant prædictum mercatum singulis septimanis per diem Jovis, apud prædictum manerium suum de *Rokelande*, & prædictam feriam ibidem singulis annis per prædictos tres dies duraturam, videlicet in prædictis vigilia, die, & in crastino sancti Joannis, nisi mercatum illud & feria illa sint ad nocumentum vicinorum mercatorum, & vicinarum feriarum, eo non obstante quòd prædictis mercato & feriâ usi non fuerint, sicut prædictum est. Quare volumus &c. Data per manum nostram apud *Persefelde* vicesimo tertio die, septimo anno.. Regni nostri decimo nono. Nos autem concessiones & confirmationes prædictas, necnon ordinationem quam Joannes de *Wanton* miles, per scriptum suum fecit eisdem Abbati & Conventui, sicut possessione & usu communiæ & brueræ de *Ferenthe*, ratificationem etiam, concessionem & confirmationem quas Willielmi *Scarlet* per scriptum suum fecit præfatis Abbati & Canonicis de molendino de *Hellinglech* cum pertinentiis, concessionem etiam quam Joanna quondam uxor Philippi de *Herst*, per scriptum suum fecit eisdem Abbati & Conventui de quadam Wara in eadem villa. Concessionem &c. quas Petrus de *Maule* miles, per scriptum suum fecit eisdem Abbati & Conventui de toto jure & clamio, quæ habuit in omnibus advocationibus, fundationibus, patronatibus, dominiis &c. & demandis quibuscumque ad ipsum & hæredes suos de monasterio de *Begeham* prædicto, quoquo modo pertinentibus, provenientibus, seu spectantibus, seu etiam in quibuscumque terris & tenementis suis, quoquo modo in diversis locis quorumcumque Comitatuum Angliæ, dicto monasterio de *Begeham* datis, concessis, acquisitis. Donationem &c. quas Joannes & Thomas *Le Grout* filius & hæres Willielmi *le Grout*, per scriptum suum fecerunt eisdem Abbati & Conventui, de una acra & dimidia acra terræ, & prati cum pertinentiis jacentibus inter viam Regiam quæ ducit de *La Holze* versûs molendinum de *Begeham*. Donationem &c. quas Egidius de *Syrynton* filius Simonis de *Syrynton*, dicti de *Doverria*, per chartam suam fecit eisdem Abbati & Conventui de sexdecim acris & una roda terræ in *Charlokeston* in parochia de *Ferles* cum viis, semitis &c. ad dictam terram spectantibus & cum tota pastura & communia, ad eandem terram pertinentibus. Concessionem etiam remissionem & quietam clamationem quas Alianora filia Richardi *Le Brode* per scriptum suum fecit eisdem Abbati & Conventui de viginti solidatis reditûs & multura quam eadem Alianora & antecessores sui solebant habere, quietam de tellonio, de molendino prædictorum Abbatis & Conventûs de *Hellingelegh*, & de terris vocatis *Pelrve* & *Juncheria*, & omnibus aliis consuetudinibus & servitiis, quæ de prædictis molendino & terris exigere vel clamare poterit in futurum. Donationem etiam &c. quas Joannes *Grout* filius Willielmi *Le Grout* de *La Hoke*, per scriptum suum fecit eisdem Abbati & Conventui de septem dejuvereis terræ cum pertinentiis, in qua terra continetur quoddam fossatum, & ducit propè molendinum ipsorum Abbatis & Conventus versùs *La Hoke*. Remissionem &c. quas Richardus de *Dunghate* per scriptum suum fecit eisdem Abbati & Conventui de una denariata reditûs quam Joannes de *Dunghate* filius ejusdem Richardi sibi annuatim reddere consuevit pro una acra terræ jacente subtus *Hokehul*. Concessionem &c. quas Radulphus de *La Water* junior filius Willielmi de *La Water* de *Wurtlinges* per scriptum suum fecit eisdem Abbati & conventui de tota terra cum suis pertinentiis quam Willielmus de *la Water* pater suus tenuit de prædictis Canonicis in Vilnagio, & etiam de toto jure & clamio quæ habuit vel habere potuit. Donationem etiam &c. quas Willielmus de *Nortia* miles, per chartam suam fecit eisdem Abbati & Conventui de Will. de *la Water* cum omni sequela & catallis suis & tota terra cum pertinentiis quam idem Willielmus dictus de *la Water*, Petrus *le Large*, & Willielmus filius Simonis de *la Hecbe* nativi sui habuerunt & tenuerunt de se in nativitate apud *Rokeland* & in villa de *Merkinggs* ratas habentes & gratas, eas pro nobis & hæredibus nostris, quantùm in nobis est, dilectis nobis in Christo nunc Abbati & Conventui dicti loci de *Begeham* & eorum successoribus, concedimus & confirmamus prout chartæ & scripta prædicta modò tenent, & ipsi & eorum prædecessores à tempore confectionis chartarum & scriptorum prædictorum, ea tenuerunt ac libertatibus prædictis hactenùs rationabiliter usi sunt & gavisi, in cujus &c. T. Rege apud .... VI. die Junii.

Charta donationis Prioratûs de Behaum, *facta Nicolao* Leunsii *Abbati.*

UNiversis Fidelibus, quibus chartam præsentem videre contigerit, Petrus Arnaldus Dominus de *Luxa*, in Domino salutem. Cùm secundùm Apostolum, operandum sit bonum ad omnes, maximè ad domesticos fidei, notum esse volo tam præsentibus, quàm futuris, quòd ego intuitu pietatis ductus, pro salute tam animæ meæ, quàm parentum, & prædecessorum, & successorum meorum, locum qui dicitur *Behaum*, cum omnibus dependentiis suis, sicut eum tenuit Pater meus, & Ego post ipsum, de assensu & voluntate Reverendi Patris Domini Galhardi, venerabilis Aquensis Episcopi, & consanguinei mei Amaneri de *mixa* Archidiaconi, & etiam Ecclesiæ Aquensis, devotâ & liberali largitione Domino Nicolao Abbati, & Fratribus *Honcie* Ordinis Præmonstratensis, contuli in perpetuam eleemosynam, perpetuis temporibus pacificè & liberè possidendum. De duabus autem partibus, quas habebam in *Vetato*, dedi unam, & Fratribus memoratis ab ipsis tenendam, eo modo, quo ego meam possidebo, partem concessi. Præterea dictis Abbati, & Fratribus Padoventias per terram meam, & dominium meum in pascuis, herbis, eremis, aquis, & nemoribus, & per sacramentum à me corporaliter præstitum, renuntiavi omni juri, quod habebam in dicto loco de *Behaum*, & appenditiis suis; sub eodem sacramento promittens, memoratum locum, & Fratres ibidem existentes, sicut domum propriam de *Luxa*, bonâ fide, & sine dolo deffendam & manu tenebo. Ista eleemosyna facta fuit apud *Behaum* in Ecclesia S. Petri super altare, per ramum & cespitem, in præsentia quàmplurimorum Clericorum, & etiam Fra-

trum, & Sororum ibidem degentium, qui omnes ſine contradictione aliquâ promiſerunt obedientiam in manus Abbatis *Hencia* ſupra dicti: qui Abbas ad hoc dictos Fratres & Sorores de *Bebaum* ad obedientiam recepit, quia *nullius Ordinis erant*, nec ibidem veſtigium religionis cujuſpiam invenit. Ibidem etiam in præſentia omnium, ſuper Evangelium & Crucem, ſuper donationem & eleemoſynam per me factam, manu propriâ juravi quòd de cætero non reclamarem, aut Fratribus moleſtiam vel gravamen inferri, vel moleſtari permitterem, atque omnia perpetuò firmiter & irrefragabiliter obſervanda mecum; & . . . . obligo omnes illos, qui mihi ſuccedent in hæreditate paterna. Nec omittendum puto, quòd iſti meæ donationi, inter alios probos homines, interfuit Domini Amanci . . . . Achipreſbytero ejuſdem Epiſcopi, Petrus de *Grammont* Prior d'*Uxiat*, qui authoritate Pontificiâ excommunicavit ommnes illos, qui de cætero reclamabunt, vel ſe opponent donationi, & eleemoſynæ coram eo, & tantis perſonis, à me tam ſolemniter factæ. Verùm quia generatio præterit, & mortalium memoria labilis noſcitur eſſe, ne de hac ipſa mea largitione ſubrepens oblivio poſteris ſeminarium ſubminiſtret, ſicut à me ſolemniter eſt acta, in ſcripto redacta, ſigilli mei caractere roboravi, teſtibus ſubnotatis, qui præſentes fuerunt. S. Nicolai Abbatis, & Bernardi de *Luxia* Prioris, & Vicarii de S. Joanne Proviſoris de *Hencia*, & Lup. Vergonis Monachi de *Serdua* Subdiaconi, & Petri de *Grammont* Prioris d'*Uxiat* Archipreſlyteri Epiſcopi, & Bernardi de *Luxia* Patrini mei, & Bernardi d'*Aguerre*, & Conſtantini d'*Eſtibans*, & Petri Arnaldi Vaſconis, & Arnaldi *Ramonet Dones*, & aliorum quamplurimorum. Actum anno Incarnationis MCCXXVII,

Diploma Caſimiri Pomeranorum Principis, quo Belbogam *Fratribus Eccleſia Lundicenſis, adjudicat, pro conſtruendo Monaſterio anno 1170.*

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Notum fieri volums tam præſentibus, quàm & poſteris fidelibus, quòd Ego Kaſemarus, Dei gratiâ, Princeps Pomeranorum, Fratribus Eccleſiæ ſanctæ Trinitatis in *Lundig* in terram noſtram venientibus, dedi in perpetuam eleemoſynam undecim villas, juxta *Regam* fluvium ſitas, cum omnibus utilitatibus & appenditiis ſuis liberè & quietè & ſine omni exactione, ſoli clauſtro ibidem conſtruendo perpetualiter ſervituras. Nomina verò villarum ſunt hæc: *Gummin*, quæ ſola culta eſt. *Wiſtrovece*, * *Miroslavece*, *Wyſconu*, *Karcene*, *Darſowve*, *Droſamuſte*, *Drozedowve*; *Chinowve*, *Jarchowve*, *Strcentin*. Hæ decem villæ, licet incultæ, amœnitate tamen ſitûs, ubertate glebæ, venationis, aucupationis, piſcationis copiâ & pecorum abundantiâ, cultis circumjacentibus non cedunt. Ipſa enim terra & circa eam maritima loca fertiliſſima frugum, & pecorum, ac piſcium, & ſylvoſa, ſicut ſcribitur de terra promiſſionis, lacte & melle manantia. Medietatem etiam portionis clauſuræ piſcium in fluvio, qui *Rega* dicitur, Fratrum refectioni dedimus, cum medietate ſtagni, nomine *Niſlloze* & villâ piſcatorum adjacente. Eidem Eccleſiæ contulimus Eccleſiam in *Trebetow* poſt diſceſſum Preſbyteri, qui modò in ea miniſtrat. Contulimus præterea ipſis Fratribus ponere ſex ſartagines in *Colleberg*, ad uſum ſalis ab omni exactionis jure perpetuò liberas. Iſta ad inceptionem prædicti cœnobii contulimus ita liberè, quòd quicumque ſequi eos de terra ſua voluerit, & Fratribus adherere, ab omni exactione & ſervitio noſtro liber ſit, tantummodò Deo & Eccleſiæ ſerviat. Hæc igitur fideliter implenda ſigillo noſtro munimus. Hujus rei Teſtes interfuerunt, Heinicus, Abbas in *Stolpa*, Walterus Præpoſitus de *Grob*, Gotfridus, Bartholomæus, Nicolaus, Preſbyteri. Joannes Caſtellanus de *Dommin*. *Panthen*, *Miſterlawve*, Nidanus de *Wolgaſt*, *Subemer*, *Stodorchowr*. Acta ſunt hæc anno Incarnationis Dominicæ MCLXX. Indictione x.

* Hodie *Venſtren.*

Super hoc etiam eis dedi ſuper hominem Bractonem nomine, tertiam dimidiam marcam nummorum & totam Inſulam, in qua manent; exceptâ villâ *Trebuſe*.

Charta donationis Belbogæ, *Præmonſtratenſibus* de Horto ſanctæ Mariæ, *facta à Bugiſlao, Caſimiro, & eorum matre Anaſtaſia.*

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Amen. Notum fieri volumus tam præſentibus quàm futuris, quòd ego Boguſlaus & frater noſter Kaſimarus, Dei gratiâ, Pomeranorum Principes, cum venerabili matre noſtra, Anaſtaſia, Fratribus *de Horto ſanctæ Mariæ*, in terram noſtram venientibus, dedimus locum juxta *Trebetow* ſitum, quondam *Belbuc*, nunc ſancti Petri caſtrum dictum, & totam inſulam in qua manent. Contulimus etiam eidem loco duodecim villas non procul à *Rega* conſtitutas, cum pratis & omnibus utilitatibus & appenditiis ſuis, liberè & quietè, ſine omni exactione, ſoli clauſtro ibidem conſtituto perpetualiter ſervituras. Nomina verò villarum ſunt hæc: *Gummin* quæ ſola culta eſt, *Wiſtowvezc*, *Miroſlawvezc*, *Wiſta*, *Karcene*, *Darſum*, *Groſamuſter*, *Droſedowve*, *Jarchowve*, *Kinowve*, *Lasin*, *Strigutine*. Medietatem etiam portionis clauſuræ (capturæ) piſcium in fluvio, qui *Rega* dicitur, Fratrum refectioni dedimus cum medietate ſtagni, nomine *Niſloſe* & villam piſcatorum adjacentem. Contulimus etiam eidem Eccleſiæ, Eccleſiam in *Tribbezow* cum omni jure ſuo & viginti marcas nummorum in *Colberga* de taberna annuatim ſolvendas. Et locum ad ſex ſartagines ad uſum ſalis ab omni exactione perpetualiter liberas. Iſta ad inceptionem cœnobii prædicti contulimus ita liberè, ut quicunque, hos de terra ſua ſequi voluerit, & Fratribus jam dicti loci adhærere, ab omni exactione liber ſit, tantùm Deo & Eccleſiæ ſerviat. Ut autem hæc omnia in perpetuum firmiter & inviolabiliter obſerventur, ſigilli noſtri impreſſione munire curavimus. Hujus rei Teſtes ſunt Sigeruvinus Epiſcopus, Abbas Rodigerus, Ditmarus Cuſtos, Conradus Præpoſitus & Bartholomæus & Caſimirus fratres. Henricus Caſtellanus in *Uſnam*, Normanus Caſtellanus in *Dommin*, Umma Caſtellanus in *Camin*. Rotmarus Caſtellanus in *Stetin*. Acta ſunt hæc anno Incarnationis Domini MCCVIII.

Charta venditionis Urbis Treptoæ, *Abbati Belbogenſi, à Vuartiſlao Pomeraniæ Duce, facta. 1242.*

VUartiſlaus, Dei gratiâ, Dux Slavorum, omnibus hanc paginam inſpecturis tam præſenti quàm futurâ gaudere in perpetuum proſperitate. Quoniam in contractibus, quos perpetuari oportet, ex proceſſu temporum ſolet quandoque ambiguitas onerosa evenire, neceſſe eſt, ut ſuper his inſtrumenta publica conficiantur, per quæ & dubietas abſolvatur, & modus contractuum & voluntas contrahentium perpetuò declaratur. Univerſitati itaque tam præſentium, quàm eorum qui poſtmodùm ſunt futuri, notum facere cupientes, præſenti paginâ declaramus, quòd venerabili viro Abbati in *Belbocb* & ſuis ſe-

quacibus vicum Trebetoensem cum tabarna & villam in *Strefco* & *Cricuz*, & aquam liberam usque ad portum maris & medietatem piscaturæ principalis & tractus stagni pro centum marcis argenti, vendidimus, omnia sibi jura, quæ ibi habuimus relinquentes, absque ulla diminutione terminorum sive aquarum vel agrorum, quæ usque huc prædictus vicus noscitur habuisse, absolventes etiam omnes ibi manentes, ab omni, quam Domini terræ facere consueverant in antea exactione. Statuentes etiam ut si quando nimiâ necessitate nos urgente, nobis ad expeditionem homines illius vici, ad defensionem videlicet terræ nostræ,nobis fuerint necessarii, pro eo ad Dominum Abbatem dicti loci, non ad alium recurratur, nec ad hoc vel ad ædificationem Castri alicujus infra terram nostram per coactionem quam compellantur, sed in voluntate sit Abbatis, quot ad hoc negotium transmittantur, spondentes etiam ipsi, ut si quis dicti loci Abbatem in prædicta proprietate tentaverit molestare, vel prætextu alicujus dominii impedire, nos eum in tali impeditione absque loci sui damno vel gravamine absolvere. Si verò talis nostri contractus, rationabiliter de nostra voluntate & conscientia factus, alicui postmodùm in dubium veniat, hunc instrumento per nos dato, testium robore qui præsentes fuerunt, duximus roborandum. Testes autem hujus rei sunt Dux *Barnim*, Paulus Præpositus Colbergensis. Jacobus Dapifer, Sloyslaus Castellanus, Natimarus *Sanda*, Johannes de *Appeldorne*, & Fridericus Milites. Datum in *Cammin* anno gratiæ MCCXLII. in vigilia Jacobi Apostoli 9. Kalendas Augusti.

Charta Bugislai Pomeraniæ Ducis, quâ profitetur se recepisse ab Abbate, Belbogensi mediam partem Civitatis Treptoæ *in verum & legale feudum. 1285.*

In nomine S. & individuæ Trinitatis. Amen.

Bugislaus Dei gratiâ, Dux Slavorum, Titboldus, miseratione divinâ Abbas, totusque Conventus castri sancti Petri in *Belbuck*, omnibus Christi fidelibus in perpetuum. Quoniam generatio præterit, & generatio advenit, & temporum spatiis transeunt universa, necessarium & expediens esse dignoscitur, ut acta & ordinationes Principum, quas cum viris religiosis & Deo dicatis statuunt Ecclesiis & ineunt, legitimis documentis & publicis instrumentis adeò perhennentur, ut in eis nulla in posterum inveniatur occasio malignandi.

Quamobrem transmittere cupimus venerandæ Nationi præsentium & felici successioni futurorum, quòd nos convenimus in hunc modum, super possessione civitatis *Treptowe* cum Teutonicis & jure Lubecensi, secundùm formam juris & libertates civitatis *Grypswold*,ac aliarum civitatum mari adjacentium. Quòd iidem & Ecclesia Belbucensis habebunt ac retinebunt mediam partem civitatis & medietatem monetæ Theolonei, & quod de judicio provenit & medietatem proventuum, utilitatum & usufructuum prælibatæ civitatis in sempiternum possidendum; reliquam mediam partem civitatis cum medietate omnium proventuum jam dictorum ab altari beatorum Apostolorum Petri & Pauli, Ecclesiæ prædictæ recepimus in verum feudum & legale. Et nos præstitimus & hæredes nostri præstabunt Abbati, Conventui & Ecclesiæ fidelitatis juramentum. Et quòd ordinationem factam circa ipsam civitatem inter Nos,& Abbatis totiusque Conventûs libertates & jura debemus in omnibus fideliter & inviolabiliter observare. Et cum medietate molendinorum, quæ nobis heredibusque nostris, competere deberet, compensavimus tres clausuras in *Rhega* destructas. Et sic omnia molendina constructa & construenda in *Rhega* fluvio in terminis ipsius civitatis cum obstructione aquarum & comportatione aggerum, ubicunque opus fuerit, cum omni jure & utilitate prænominati Abbas totusque Conventus sibi ex integro reservabunt. Restauramus nunc eisdem duas villas *Treptowe*, & *Crecus* appositas ipsi civitati, cum proprietate duarum villarum *Sedeline* & *Gummetowe*, quas ipsi donavimus cum omni jure. Inhabitatores earumdem à nobis exhibendis servitiis absolventes, & omnes Ecclesias in ipsa civitate, & locum claustralem cum octo mansis in campo civitatis sitis, præhabiti Abbas totusque Conventus retinebunt. Et nulli Religiosi in ipsa civitate poterunt occupare aut habere mansionem præter dictum claustrum. Item advocatus noster assumpto advocato eorum, in ipsa civitate omnes causas, judicia & excessus judicabit, & quicquid de hujusmodi provenerit, medietatem noster, & medietatem ipsorum advocatus tollet. Et Officiales ipsorum in civitate ement & vendent liberè sicut Burgenses civitatis. Et Consules civitatis singulis annis ipsis fidelitatis juramentum præstabunt, quemadmodùm præstant civitati. Termini autem civitatis extenduntur usque ad prædium *Holm* versùs aquilonem & rivulum, qui fuit inter *Holm* & *Floderka*, & ultra ipsum rivulum, in illa parte *Rhega* habebitur omnis usus in acquisitione lignorum tam prædictorum quàm inhabitatorum; civitatis fundus tamen & terra in loco lignorum semper Ecclesiæ remanebunt. Item in alia parte versùs austrum in ascensu *Rhega* supra pontem, quem civitas suo ponet arbitrio, usque ad terminos villæ *Clötekowe*, civitatis termini protenduntur. Cæterùm ad partem orientalem de primo fossato per quod *Rhega* fluit in stagnum in descensu *Rhega* pontem inferiùs ad orientem civitati & Sanctimonialibus pertinebit. Et quòd ad occidentem retinebit civitas usque ad *Rhegam*, in occidentali verò parte civitas antiquos terminos versùs *Clötekowe*, *Gummetowe* & *Sodelin* retinebit. Præterea autem nominatis & inhabitantibus civitatem libera erit omnis piscatio in ipsa *Rhega*, usque ad stagnum per quod fluit *Rhega*, & in ipso stagno piscatores civitatis, cùm hamis & minutis retibus piscabuntur. De fine stagni in *Rhega* usque ad portum maris, & in ipso portu maris piscationem civitatenses nullo modo exercebunt, nec in majori *Rhega*, quæ *Sagata* vocatur, piscabuntur. Et Abbas & conventus in *Rhega* habebunt & construent clausuras, ubicunque ascensus & descensus navium non poterit impediri per easdem. Ut autem horum omnium præscriptorum robur maneat sempiternum, & à nobis nostrisque hæredibus & successoribus, nec non à prædictis Abbate, Conventu vel Ecclesiâ immutari non valeat vel infringi, præsens instrumentum super his confectum est, cum appensionibus sigillorum nostorum, in certum testimonium & verum munimentum civitati *Trebetowe* duximus largiendum. Testes horum sunt Johannes Decanus, & Vuislaus Canonicus Ecclesiæ Camminensis, Clerici, Nicolaus Draco, Gerhardus Ursus, Nevelingus, Nicolaus *Lode*, Detlevus Smelingus, Milites, Jacobus Corvus, Jacobus de *Gandelin*, Arnoldus Ruffus, Johannes *Witekuben*, Ulricus Faber Burgenses in *Gryphenberg*, & alii quàm plures fide digni. Datum *Belbuch* per manum Johannis civitatis *Trebetowe* Notarii. Anno Domini CIƆCCLXXXV. VI. Idus Martii.

Charta concordiæ inter Bugislaum Pomeraniæ Ducem, & Abbatem Belbogensem, circa amplificationem Urbis Treptoæ.

In nomine Domini. Amen.

NOs Bugislaus Dei gratiâ, Dux Slavorum, Thitboldus, miseratione divinâ, Abbas, totusque Conventus Castri sancti Petri in *Belebuc*, notum esse volumus præsentibus & futuris, nos unanimi consensu super fundatione, ædificatione & possessione nostræ civitatis *Trebetowe* cum Theutonicis de jure Lubicensi concordasse, quòd Consules & Incolæ civitatis ipsius, jus Lubicense habeant, & secundùm hoc judicent omnes causas emergentes; eoque jure, justitiâ, judicio, statutis, consuetudinibus & libertatibus omnibus, in ipsa civitate & extra eam infra terminos & proprietatem ipsius liberè & in perpetuum utantur, & uti debent, quo & quibus civitatis *Gripeswold* iis singulis in civitate, suis terminis & proprietate perfrui hactenùs est consueta. Et nos minorem advocatum in ipsa civitate non ponemus, nisi de Consulum ipsius consilio & consensu. Dedimus etiam & per præsentes damus prædictis Consulibus & Communitati libertatem & omnem proprietatem loci & fundi, in quibus sita & fundata est civitas, ac proprietatem omnium terminorum & metarum ipsius quos aliis nostris litteris distinximus, possidendam, perpetuis temporibus habendam: ita sanè ut infrà ipsos suos terminos omnes suum commodum proficuum & utilitatem omnem disponant & licitè faciant, sicut dicta civitas *Gripeswold* infrà suæ proprietatis terminos hæc omnia fieri faciunt & procurant. Portum quoque dictum *Rhegemunde*, liberum habeant, meliorent, & custodiant, prout ipsis expedit. Et ipsa *Rhega* sit ipsis in ascensu & descensu similiter libera. Damus etiam dictis civibus, quòd dictum portum & *Rhegam* cum rebus & mercibus & navibus liberè possint exire, intrare & in ipsis moram facere, res & bona quæcunque educere, naves suas littoribus applicare. Hæc omnia facient, quoties & quando ipsis videbitur opportunum. In cujus rei evidentiam sigilla nostra præsentibus sunt appensa. Testes verò sunt hi, Nicolaus *Draco*, Hero *Borco* senior, Gerhardus Ursus, Nevenlingus & Conradus de *Wemeren*, Reimarus de *Wachalte* & Joannes de *Ortelenborg* Milites. Jacobus Corvus, Olricus Faber, Dilbernus de *Wollin*, Arnoldus Ruffus, Cives in *Gryphenberg*, & alii quàm plures fide digni, qui tunc præsentes erant & vocati. Datum & actum in *Belbuch* sub anno Dominicæ Incarnationis. MCCLXXXVII. in Vigilia Ascensionis Domini nostri Jesu Christi.

Charta fundationis Bellæ-Stellæ *ab Henrico de* Bello-fago *Milite. Anno 1216.*

NOtum sit tam præsentibus quàm futuris, quòd ego Henricus de *Bello-fago* Miles, dedi Deo & Abbatiæ sanctæ Mariæ de *Bella-stella* in parochia sancti Joannis sitæ, & Canonicis Regularibus Præmonstratensis Ordinis, ibidem Deo servientibus, in puram, liberam & quietam, & perpetuam eleemosynam de assensu & petitione Ædiciæ uxoris meæ pro salute animarum nostrarum & successorum nostrorum, & antecessorum nostrorum, locum in quo eadem Abbatia fundata est, & nemus eidem Abbatiæ adjacens, sicut divisæ inde factæ demonstrant à parte versùs *Landam Prati* & sedem Vicarii supra domum existentis, in loco ubi tres rivuli fontium congregantur & collem ab altera parte juxta Abbatiam usque ad Calceiam Vicarii, & masuram Radulphi *Caud*, & masuram Herveæ de *Bonevilla*, & dominium meum desuper *Chenbiam Essarcea*, & dimidiam acram desuper *Chesneiam* & campum de vallibus de septem virgatis in duobus locis, & unam virgatam desuper domum Gaufridi Roberti, & dimidiam acram ad *Maretes*, & dimidiam acram & dimidiam virgatam ad crucem *Lescelina* & pusillum terræ juxta campum Willelmi Vavassorii & unum campum terræ juxta Haiam Roberti Militis, & pusillum terræ juxta crucem Ivonis & totum dominicum meum in monte *Ceresi* quod non erat feodatum, & capellam sancti Jacobi in monte *Ceresi*, & quidquid ad me pertinet, & jus advocationis & præsentationis Ecclesiarum scilicet sancti Petri de *Mesnillo Vincman* & S. Martini de *Capella Bevel*, & quidquid ad me pertinebat in illis perpetuò possidendum post decessum Richardi fratris mei & filiorum meorum Clericorum. Hæc omnia supra dicta dedi & concessi præfatis Canonicis cum omni libertate & quitancia perpetuis temporibus possidenda, quod ut firmum, stabile permaneat præsentis chartæ & sigilli mei munimine confirmavi. Actum est hoc anno ab Incarnatione Domini MCCXVI.

Charta Roberti Rothomagensis Archiepiscopi, pro confirmatione fundationis Bellæ-stellæ. *anno 1217.*

OMnibus Christi fidelibus ad quos præsens scriptum pervenerit, Robertus (*a*) Dei gratiâ Rhothomagensis Archiepiscopus, salutem in Domino. Ex officio nostro tenemur virorum Religiosorum nostræ Primatiæ indemnitatibus piâ sollicitudine providere, & ut securiùs omnipotenti Deo valeant famulari, ea quæ ipsis piè & justè collata sunt, authoritate nostrâ benigniùs confirmare. Ea propter dilectorum filiorum Abbatis & Conventûs sanctæ Mariæ de *Bella-stella*, Præmonstratensis Ordinis, justis precibus annuentes, locum in quo fundata est Abbatia eorum & Capellam sancti Jacobi in monte *Ceresi* sitam, cum omnibus ipsius pertinentiis & omnia alia quæ Henricus de *Bello-fago* Miles, ejusdem Abbatiæ fundator, eis contulit intuitu charitatis, & insuper omnia alia quæ ab aliis Christi fidelibus tam in Ecclesiis quàm in rebus aliis, antedictis Canonicis misericorditer sunt concessa, sicut piè & justè eis collata sunt, & in chartis donatorum pleniùs continentur, & alia quæ in posterum ex collatione fidelium, seu aliis justis modis, authore Domino, poterunt adipisci, sub nostro & præsentis scripti & sigilli nostri patrocinio communimus, statuentes & districtiùs inhibentes ne quis super his quæ fuerunt canonicè assecuti, eos indebitè vexare aut molestare præsumat, quod si facere præsumpserint, ecclesiasticâ censurâ se noverit percellendum. Datum apud Abbatiam de *Lucerna* anno gratiæ MCCXVII. secundo Idus Augusti.

*Charta Roberti * Bajocensis Episcopi, quâ ab Ædicia uxore Henrici de* Bello-fago, *ratificationem in viduitate factam, donationis* Bellæ-stellæ, *confirmat anno 1218.*

* jam anno 1216. 4. kal. Maii confirmaverat fundationem factam ab Henrico de Bello-fago ut videre est in pag. 910 Neustriæ piæ.

OMnibus Christi fidelibus ad quos præsens scriptum pervenerit. Robertus (*b*) Dei gratiâ Bajo-

a Robertus Pullanus seu Pullus ex Theologo, Rothomagensi Ecclesiæ præesse cœpit anno 1208. Sacræ militiæ nomen dedit contra Albigenses hæreticos unà cum aliis Præsulibus gallicanis 1209. Huic Præsuli rescripsit Innocentius tertius cap. 8. *ad reprimendam, de officiis ordinarii* quatenùs posset Archiepiscopus absolvere excommunicatum à suffraganeo. Moritur anno 1220. Non. Maii sepultus est in Cœnobio *Morti-maris*.

b Robertus de *Ablagel* Bajocensis Episcopus electus anno 1205. 4. Kal. Martii à Waltero Archiepiscopo Rothomagensi, recensetur inter Præsules qui adfuerunt expeditioni Albigensium, decessit anno 1231.

censis Episcopus salutem in Domino. Chartam nobilis mulieris (a) Ediciæ, relictæ Henrici de *Bello-fago*, inspeximus, continentem quòd in viduitate sua dedit & concessit Deo & Beatæ Mariæ de *Bella-stella* & Canonicis Regularibus Præmonstratensis Ordinis, ibidem Domino servientibus, in puram perpetuam & liberam eleemosynam quidquid ipsa habebat, habere poterat & debebat in omnibus absolutè jure hereditario in villa & parochia sancti Joannis de *Cereseio* quam donationem & eleemosynam Dominus Rex concessit sicut in charta * Regia vidimus contineri. Et nos eandem donationem & eleemosynam sicut benè & legitimè facta est in dicta charta prænominatæ mulieris pleniùs continetur, ratam & quietam habentes, eam authoritate Episcopali, præsenti scripto & sigilli nostri patrocinio confirmamus, salvo cujuslibet jure. Datum apud Bajocas anno gratiæ MCCXVIII. mense Octavo.

* Erat Philippi II Regis Galliæ.

Charta Henrici VI. Regis Angliæ, quâ confirmat Abbatiæ de Bella-stella, *omnia ejus temporalia infra Ducatum Normaniæ sita, cum per vim occupasset Neustriam anno 1430.*

HEnricus Dei gratiâ Rex Angliæ, Hæres & Regens Regni Franciæ & Dominus Hiberniæ, ad quos præsentes litteræ pervenerint, salutem. Sciatis quòd de gratia nostra speciali & ut divinum servitium ac alia pietatis opera quæ in Abbatia Beatæ Mariæ de *Bella-stella* Bajocensis Diœcesis, fieri debent, plus solito accrescant & ibidem laudabiliùs manu teneantur & sustineantur, concessimus dilectis nobis in Christo, Abbati & conventui prædictæ Abbatiæ omnia temporalia eidem Abbatiæ infra Ducatum nostrum Normaniæ, qualitercunque pertinentia sive spectantia, habenda in sustentationem divini servitii & aliorum pietatis operum prædictorum de dono nostro, in cujus testimonium has litteras nostras fieri fecimus patentes: teste meipso: apud Castrum nostrum Rhotomagi 12. Januarii anno Regni nostri octavo signatum, per ipsum Regem *Sturgeon*.

Charta Philippi Abbatis de Lucerna, *quâ tanquam Pater Abbas* Bellæ-stellæ, *mandat Abbati de* Ardena *ut ejus vicem gerat in electione Pastoris in Monasterio* Bellæ-stellæ *anno 1422.*

REverendo in Christo Patri ac Domino Domino Philippo, Dei patientiâ & sanctæ Sedis Apostolicæ gratiâ, Abbati Monasterii sanctæ Trinitatis de *Lucerna* Præmonstratensis Ordinis, Abrincensis Diœcesis, vestri humiles & devoti Oratores Prior & conventus Monasterii Beatæ Mariæ de *Bella-stella* prædicti Ordinis, Bajocensis Diœcesis, quæ vestra in Christo filia, videlicet Frater *le Tellier* Prior claustralis .. Robertus de sancto Petro Subprior Conventualis, &c... Philippus Dei gratiâ humilis Abbas sanctæ Trinitatis de *Lucerna* Præmonstratensis Ordinis, Diœcesis Abrincensis, venerabili nobis in Christo Patri Abbati de *Ardena*, salutem & sinceram in Domino charitatem. Cùm Ecclesia de *Bella-stella* quæ est nostra in Christo filia, sit ad præsens Pastoris officio destituta, & nos pluribus aliis nostris & Ecclesiæ negotiis incommutabiliter occupati, ad ipsam ad præsens accedere non possumus, de vestra fideli industria quamplurimùm confidentes, vobis mandamus tenore præsentium, quatenùs ad dictam Ecclesiam, cùm sit nostra in Christo filia, quantociùs personaliter accedas, assumpto vobiscum aliquo .... Actum anno MCCCCXXII. primo Decembris.

a Filia erat Richardi de *Reriwvilla*.

Charta Associationis Abbatiæ Bellæ-stellæ *Academiæ Cadomensi anno 1603.*

UNiversis præsentes litteras inspecturis, nos Rector & Decani Academiæ Cadomensis, notum facimus & tenore præsentium testamur omnibus quorum interest, venerabiles viros Abbatem & Religiosos Monasterii Beatæ Mariæ de *Bella-stella* Ordinis Præmonstratensis, Bajocensis Diœcesis, nostræ Universitatis immunitatibus & privilegiis jam fuisse usos, quod quidem testimonium nobis compertum est non modò, quia in singulis nostris Congregationibus solent ut cæteri Academiæ filii vocari & accersiri, verum etiam quia specialiter patet dictos privilegiatos jussu Amplissimi Domini ac Magistri Jacobi du *Boisson* facultatis Theologiæ Doctoris & Decani nostri Antecessoris, ejusdem Universitatis Rectoris anno MCCCCCXCV. convocatos esse ad eam generalem convocationem, quam vulgò appellant Processionem Rectoris; quæ cùm ita sint, præsentem attestationem Religiosis dicti Monasterii postulantibus concessimus, ut nostris eis liceat gaudere privilegiis, in quorum omnium fidem & testimonium sigillum Recturæ nostræ unà cum Chirographo actuarii nostri & scribæ ordinarii ejusdem Universitatis, his præsentibus duximus apponendum. Datum Cadomi anno millesimo sexcentesimo tertio, die decimâ tertiâ Febuarii, Guillelmus *Piluce*, *Buisson*, Rutanus, Guerchionus, *Decabagnes*, *Le Maitre*.

Charta fundationis Monasterii Bellævallis, *Ordinis Præmonstratensis.*

IN Nomine sanctæ & Individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti. Albero Dei gratiâ sanctæ Virdunensis Ecclesiæ humilis Minister & Servus, universis Catholicæ fidei cultoribus tàm futuris, quàm præsentibus. Cùm omnibus piè viventibus, rectèque petentibus sit favendum, & eorum necessitatibus pro amore Christi clementer subveniendum, illis tamen præcipuè inclinandus est affectus compassionis, qui militare videntur sub titulo Religionis veræ: bonum est enim, & valdè bonum pauperes Christi suscipere, in quibus ipse Christus suscipitur, in quibus vita æterna promeretur, & quod eis impenditur, centuplum recipietur. Hâc igitur promissione confisus, & prædecessorum meorum benefactis & exemplo commonitus, ego Albero sanctæ Virdunensis Ecclesiæ Provisor indignus dominum Rodulfum virum Religiosum, qui amore paupertatis, & zelo arctioris religionis Ecclesiam sancti *Petri-de-monte* reliquerat, in qua viginti annis Abbas vixerat, & cum eo Fratres ejus sequaces pro amore Christi suscipere decrevi in terris, ut Ego suscipi merear in cœlis. Terram ergo quamdam, quæ vulgo Aurea-vallis dicebatur, nunc autem alio nomine Vallis sanctæ Mariæ nuncupatur, quam Comes Raynaldus de Barro à me in feodo tenebat, à quo Comes Henricus de *Grand-pre* eamdem terram modò habebat, ab utroque Comite in manu nostra redditam, supra dicto Abbati, & suis Fratribus, & ejus, ac eorum successoribus sub regula S. Augustini in eadem religione degentibus, integrè & liberè concessimus, & ad Deo serviendum cum omnibus appenditiis suis, terris cultis & incultis, pratis, silvis,

aquis, ficut fines ejus protenduntur, ab una parte usque ad *Haudumele*, & inde usque ad *Manbroal*, exinde verò ad Campum *Jour*, deinde ad *Perticatam*, dein ad *Lauzonzar*, à quo usque ad *Crustam*, à *Crusta* ad Campum *Belim*, cum monte etiam, & usque ad *Dolmsart*, & usque ad petram *Goudrimets*, ab illo usque ad *Fronasfal*, & inde ad *Belchelime*, & usque ad rivulum ubi labitur in aquam *Unamme*, & inde ad *Raoulfelie*, & usque ad metam *Baltros* cum *Halbaumont*, & quoddam pratum hujus alodii extra terminos illos situm, quod dicitur in Dodonis *Broil*, utroque Comite Raynaldo scilicet & Henrico concedente & petente, necnon & conventu Capituli nostri laudante, eisdem Fratribus prædictam terram plenariè & irrefragabiliter donavimus. Ad judicium tamen, quòd terra illa fundus fuerit Ecclesiæ Virdunensis. Statuimus quòd Abbas supradicti loci, si ecclesiasticâ necessitate, ab Episcopo vocatus fuerit, & Episcopus catholicus fuerit, ter in anno Virdunum veniet, & negotiis Ecclesiæ Virdunensis fideliter intererit, nec hoc dimittet, nisi fortè Episcopi illius, in cujus Diœcesi manet, debitis obsequiis impeditus, vel aliquâ legitimâ causâ detentus, venire non potuerit. Ad conservandam præterea charitatem, & providendam animarum salutem, prædicti Fratres in communione orationum suarum nos susceperunt, & quod defunctorum Fratrum Virdunensis Ecclesiæ apud eos, & suorum apud nos memoria plenariè haberetur, & nos ipsis, & ipsi nobis concesserunt. Hæc, Deo inspirante, Domno Abbati Rodulfo, & suis Fratribus, ut prædiximus, devotè tradidimus, & ut rata, illibataque permaneant, Sigillo nostræ auctoritatis munire curavimus & testes idoneos qui interfuerunt subcripsimus. Si quæ ergo ecclesiastica, secularisve persona huic nostræ paginæ contraire præsumpserit, & bonorum Fratrum quietem injustè perturbaverit, primò, secundò, tertiòve commonita, nisi resipuerit & satisfecerit, perpetuò anathematis vinculo subjaceat, & communione Corporis & Sanguinis Domini nostri Jesu Christi hic, & in extremi examine judicii aliena fiat.

Signum mei ipsius Alberonis Episcopi Virdunensis. *Signum* Alberti Primicerii. *Signum* Martini Decani. *Signum* Richardi Archidiaconi. *Signum* Andreæ Archidiaconi. *Signum* Joannis Archidiaconi. *Signum* Stephani Cantoris. *Signum* Hugonis Thesaurarii. *Signum* Domini Hugonis Abbatis Præmonstratæ Ecclesiæ.

Actum est Virduni anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo tricesimo tertio. Epactâ xi. Indictione xi. concurrente vi.

Confirmatio Rainaldi Archiepiscopi Remensis, pro Bella-valle. *1137.*

RAinaldus Dei gratiâ sanctæ Remensis Ecclesiæ Archiepiscopus, dilecto filio suo Philippo, Abbati Bellæ-vallis, cæterisque Fratribus ibidem Deo servientibus, & ejus & eorum successoribus in perpetuum. Quoniam Pastoris illius qui animam pro ovibus suis posuit, licet indigni, vicem gerimus, vel exigit & causa officii ut circa nobis à Deo commissos curam adhibeamus & eorum quieti invigilemus præcipuè illorum qui postpositis omnibus hujus seculi pompis, soli Deo vacare & militare elegerunt sub titulo veræ religionis. Memores igitur propositi nostri & paupertatis vestræ, humillimi filii & Fratres, qui in Bella-valle ad serviendum Deo & ad honorem Genitricis ejus sub regula Beati Augustini & secundum Instituta Præmonstratensis Conventûs congregati estis, paci & quieti vestræ providere curavimus; & ut beneficia Ecclesiæ vestræ collata, vobis & vestris successoribus inconvulsa permaneant, auctoritate nobis à Deo traditâ, confirmare decrevimus. Confirmamus itaque vobis & successoribus vestris ipsum locum qui Aurea-vallis vulgò dicebatur, quem Dominus Albero Episcopus Virdunensis communi assensu & consilio Ecclesiæ suæ, annuentibus & petentibus Comite Rainaldo Barrensi, & Henrico Comite de *Grant-preit*, vobis & vestris successoribus contradidit cum omnibus appendiciis suis, terris cultis, & incultis, pratis, sylvis, aquis, Ecclesiam etiam vestram quæ infra terminos Parochiæ de *Nouart* sita est, ab omni decima sommatica atque ab omni exactione, liberam facimus. Propterea confirmamus vobis locum qui dicitur *Anement*, supra Mosam situm, quem emistis per manum nostram à Hugone Remensi de vico Judæorum & filio ejus Ernaldo septem libris, & redemistis à Hugone de *Dureto* sexaginta solidis, cum omnibus appendiciis suis, terris cultis & incultis, pratis, sylvis, aquis, & molendina quæ fecistis in Mosa, assensu & traditione nostrâ, & piscaturam in supra dicta aqua hinc & inde ab eo loco quo incipit terra de *Anement* ex parte Mosomensis Castri usque ad mortarium de *Vinceio* cum mortua aqua quæ dicitur *Rannus*, & terram quam vobis dedit Willermus *Manses* assensu fratrum suorum, & terras quas vobis dedit Holcardis & Rogerus maritus ejus ex parte sua, & fratres & sorores & nepotes ejus qui ecclesiæ vestræ se contulerunt. Confirmamus etiam vobis locum qui dicitur *Crissetum* quem vobis Alaidis de *Grant-preit* & filius ejus Joannes & reliqui fratres ejus dederunt cum omnibus appendiciis suis, terris cultis & incultis, pratis & sedem molendini in Axona & usum piscationis & usum sylvæ quantùm necesse fuerit ad ædificandum & ad comburendum. Locum istum ab omni decima liberum vobis confirmamus quam vobis remisit Dominus Urso Abbas sancti Dionisii communi consilio Capituli sui sub censu trium solidorum Remensis monetæ singulis annis in Synodo persolvendorum. Hæc itaque & alia quæ justè possidetis & justè suscipietis, vobis confirmamus, & ut rata & illibata vobis permaneant sigillo nostræ autoritatis munire censuimus. Si qua ergo ecclesiastica secularisve persona huic nostræ paginæ contraire temerè præsumpserit & bonorum Fratrum quietem injustè perturbaverit, primò, secundò tertiòve commonita, nisi resipuerit & satisfecerit, perpetuo anathematis vinculo subjaceat, & à communione Corporis & Sanguinis Domini nostri Jesu Christi & hîc & in extremi examine Judicii aliena fiat. Amen. Actum est Remis anno ab Incarnatione Domini Nostri Jesu Christi millesimo centesimo trigesimo septimo.

Bulla Innocentii II. confirmatrix Ecclesiæ & bonorum Bellæ-vallis *anno 1139.*

INnocentius Episcopus Servus servorum Dei. Dilecto filio Philippo, Abbati Bellæ-vallis, ejusque Fratribus, tam præsentibus quàm futuris in perpetuum. Piæ postulatio voluntatis debet effectu consequente compleri, ut devotionis sinceritas laudabiliter enitescat & utilitas postulata vires indubitanter assumat, eapropter dilecti in Domino filii, vestris rationabilibus postulationibus clementer annuimus & quòd à Dei fidelibus, præsertim à venerabili Fratre nostro bonæ memoriæ Rainaldo Remensis Ecclesiæ Archiepiscopo, in Ecclesiis, domibus, sylvis, aquis, aquarumve decursibus, terris cultis & incultis, vobis piâ devotione rationabiliter collata sunt & suo scripto firmata vobis, & per vos mo-

nasterio vestro apostolicæ sedis privilegio confirmamus, in quibus hæc propriis vocabulis exprimenda subjunximus, ipsum videlicet locum qui Aurea vallis dicitur, à venerabili Fratre nostro Alberone Virdunensi Episcopo communi assensu & consilio suæ Ecclesiæ, annuentibus & petentibus Rainaldo Barensi & Henrico de *Grant-preit* Comitibus, vobis vestrisque successoribus cum suis omnibus appendiciis, terris cultis vel incultis, pratis, sylvis, aquis, concessum. Possessionem quoque quæ dicitur *Anement*, super Mosam fluvium sitam, quam per manum prædicti Fratris nostri Rainaldi Archiepiscopi ab Hugone Remensi de vico Judæorum ejusque filio Ernaldo septem libris denariorum emistis, propter quam etiam Hugoni de *Duzeio* sexaginta solidos dedistis, à quibus nimirum idem locus cum suis omnibus pertinenciis, terris videlicet cultis vel incultis, pratis, sylvis, aquis prænominato venditionis & emptionis titulo vobis est traditus, molendina quæ prænominati Fratris nostri concessione & traditione supra Mosam construxistis. Aquam etiam mortuam, quæ *Ramum* dicitur, & terram quam Willelmus *Manses* assensu fratrum suorum vobis donavit, & terram ab Holdiarde & Rogero marito suo & fratribus atque sororibus & nepotibus suis cum personis propriis vobis collatam. Locum qui *Crissetum* dicitur, ab Alaïde de *Grant-preit* & filio ejus Joanne & fratribus suis cum suis omnibus pertinenciis, terris scilicet cultis & incultis, pratis & sedibus molendinorum in Axona, & usibus piscationis & sylvæ quantùm necesse fuerit ad ædificandum & comburendum, vobis & Ecclesiæ vestræ divini amoris intuitu donatum. Decimas sanè quas dilectus filius noster Ursus Abbas monasterii sancti Dionysii Remensis sub censu trium solidorum Remensis monetæ annis singulis persolvendorum Ecclesiæ vestræ concessit, nullus à vobis exigere præsumat. Confirmamus insuper vobis terram, piscaturam, & prata ab Helia de *Burgo* vobis donata, terram quæ dicitur *Wamel* cum omnibus appendiciis, terris cultis vel incultis, pratis, sylvis & aquis vobis præsenti scripto firmamus. Porro decimas laborum vestrorum quos propriis manibus seu sumptibus excolitis, nullus à vobis exigere aut exactionem aliquam imponere Ecclesiæ vestræ præsumat, nulli quoque omnino hominum fas sit Ecclesiam vestram temerè perturbare aut ejus possessiones auferre vel ablatas retinere, minuere, aut aliquibus vexationibus fatigare, sed & omnia integra conserventur vestris & pauperum usibus profutura. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temerè venire tentaverit, secundò, tertiòve commonita, si non congruè satisfecerit, potestatis, honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo Corpore & Sanguine Dei & Domini nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus, sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenùs hîc fructum bonæ actionis percipiant & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen, amen, amen. Ego Innocentius catholicæ Ecclesiæ Episcopus. Datum Laterani per manum Lucæ Presbyteri Cardinalis, agentis vicem Domini Aimerici sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconi Cardinalis & Cancellarii 12. Kal. Januarii Indictione 2. Incarnationis Domini MCXXXVIIII. Pontificatûs verò Domini Papæ Secundi anno nono.

Charta Samsonis Remensis Archiepiscopi.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis Ego Samson Dei gratiâ Remorum Archiepiscopus, universis sanctæ Ecclesiæ filiis tam præsentibus quàm futuris in perpetuum. Quia ex debito curæ pastoralis omnibus in commune fidelibus providere necesse habemus; præcipuam tamen illorum supportationi compassionem debemus, qui ut soli Deo servirent, onus seculi abjecerunt, & ne caro spiritui repugnet, eam in servitutem redigendo, de labore manuum vivere maluerunt. Tuis igitur petitionibus, *Frater Theodorice Abbas de Lacu Virensi*, annuentes, locum & terram quæ *Fouteniles* dicitur, quam Poncius de *Burgo* annuente uxore suâ Cæciliâ & filiâ suâ Richilde cum omnibus appendiciis, pascuis videlicet & sylvis, & pratis, decimis & aquis, in præsentia Comitis *Regis-testis* Viteri, & quæ sui juris erant tibi & successoribus tuis, & Fratribus ibidem Deo servientibus, contulit, & quod alii ab eo tenebant nos præsentis decreti paginâ Fratribus ibidem Deo militantibus perpetuo possidendum decernimus. Adjungimus etiam pratum quòd Rolandus Deo & eisdem Fratribus contulit. Wido verò de *Altreio* quæ in supra dicto loco possidebat, vel alii ab eo tenebant, & terram de *Uveriis* quam ipse de Comite & alii qui resignaverunt, ab eo in feodo tenuerant, concessit. Hubertus etiam Widonis Miles, quidquid ibidem vel alibi de eo tenere videbatur, donavit, Helias de *Theury* quidquid necessarium Fratribus fuerit ad opus cimeterii, horti & pomerii concessit; alii quoque quamplures particulas quas habebant dederunt, quorum ista sunt nomina, Dodo, Garinus, alter Garinus, Lambertus, alter Lambertus, Poncius, Galterus. Ut autem series illa rata & inconvulsa inposterium permaneat, imaginis nostræ munimine, & probabilium personarum intitulatione eam corroborari fecimus. *Signum* Odonis Abbatis sancti Remigii. *S.* Albritii Abbatis sancti Basoli. *S.* Hellini Abbatis sancti Theodorici. *S.* Urcionis Abbatis sancti Dionysii. *S.* Joannis Abbatis de *Septem-fontibus*. * *S.* Walteri Abbatis sancti Martini Tornacensis. *S.* Willelmi Archidiaconi. *S.* Hugonis Archidiaconi. *S.* Leonis Decani. *S.* Gervasii Cantoris. *S.* Simonis Archidiaconi Senonensis. *S.* Bosonis. *S.* Amalrici Diaconorum. *S.* Amalrici, Rogeri, Widonis Subdiaconorum. Actum Remis anno incarnati Verbi MCXLI Indictione IV. Regni Ludovici Francorum Regis anno II. Drogo Cancellarius recognovit, scripsit & subscripsit.

* In Test. cia.

Bulla Eugenii Papæ III. confirmans inductum Ordinem & possessiones Bellæ-vallis *anno 1145.*

EUgenius Episcopus Servus servorum Dei, dilectis filiis Philippo Abbati de *Bella-valle* ejusque Fratribus tam præsentibus quàm futuris regularem vitam professis, in perpetuum. Præsidium quod ad religionis propositum, aut animarum salutem pertinere dignoscitur, animo nos decet libenti concedere, & petentium desideriis congruum impertiri suffragium. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris postulationibus clementer annuimus, & præfatum locum in quo divino mancipati estis obsequio, sub Beati Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus, statuentes

ut qualcumque possessiones, quæcumque bona idem locus in præsentiarum justè & canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum, vel Principum, vel oblatione fidelium seu aliis justis modis poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus, & illibata permaneant; in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis, locum videlicet ipsum qui dicebatur *Wamelis* & nunc nuncupatur *Bella-vallis*, cum omnibus appenditiis suis quæ Alwidis Abbatissa Ecclesiæ sancti Petri Avenascensis communi consensu & consilio totius Capituli sui, vobis & successoribus vestris concessit sub censu unius libræ ceræ annuatim persolvendæ. Locum qui dicitur *Orvans* cum omnibus appenditiis suis, & cum omni decima juxta concessionem & confirmationem Rainaldi Remensis Archiepiscopi. Terram quam dedit vobis Simon *Taschet* & Helias frater ejus. Locum qui dicitur *Duluch* cum omnibus appenditiis suis. Molendinum quod est juxta villam *Noaz* quod vobis dedit Rainaldus Miles & omnes hæredes sui. Loci qui dicitur *Lunasnils* dimidietatem quam vobis dederunt Hugo & frater ejus de *Saceio* & Waucherus & fratres ejus de *Salmoreyo*. Locum qui dicitur *Fosseth* quem vobis dederunt Bartholomæus & Rainaldus de *Granpré* & filii Warini de *Ursfet* & uxores eorum .... de *Brisola*, & uxor ejus & filii eorum. Locum qui dicitur *Anementh* cum omnibus appenditiis suis & quidquid infra fines ejus habebat Mosomensis Ecclesia, sive in decimis, sive in quibuslibet usibus, quod totum Abbas Richardus communi consilio & consensu totius Capituli sui, vobis concessit & contradidit in perpetuo possidendum, sub censu unius modii frumenti annuatim persolvendi, ad mensuram Mosomensem. Molendina in Mosa. Terram quam vobis dedit Herbertus Lupus & uxor ejus & filiæ, & quam vobis dedit Rogerus & Oldiardis uxor ejus & eorum hæredes. Locum qui dicitur *Crissen* quem vobis dedit Haylaidis de *Granpré* & Joannes filius ejus, & fratres sui, & sorores suæ, & Warnerus de *Brixeio*, & hæredes ejus cum omnibus appenditiis suis. Molendina in Axona, piscaturam & usum sylvæ quantùm necesse fuerit ad ædificandum vel comburendum. Quidquid autem in decima supra dicti loci habebat Joannes & Galterus de *Brixeio*, & quidquid ibi habebat Ecclesia sancti Dionisii, sic vobis concessit Urso Abbas ejusdem loci, communi consilio Capituli sui, sub censu trium solidorum Remensium annuatim persolvendorum, piscaturam & terram de *Asne* adjacentem *Crisseio* quam vobis dedit Helias & filii ejus de *Burgo*, cujus terræ quartam partem vobis dedit Odola & Haricus maritus ejus, & filius ejus, & terram quam vobis dedit Rainaldus de *Granpré*; terram quam vobis dedit Guido de *Sancta Maria*, & prata & locum qui dicitur *Fontenellis* cum omnibus appenditiis suis. Donum & rationabilem conventionem molendinorum in Axona inter...... quam vobiscum fecit Odo Abbas sancti Remigii communi consilio Capituli sui, juxta tenorem communis chirographi utriusque Ecclesiæ. Capellam etiam super Arnam fluvium sitam, & domum..... cum omnibus ad eam pertinentibus & terram quam vobis dedit Dudo de *Drona* sub censu decem sextariorum annonæ. Sanè laborum vestrorum quos propriis manibus, aut sumptibus colitis sive de nutrimentis vestrorum animalium, nullus omnino clericus vel laicus decimas à vobis exigere præsumat. Sancimus etiam ut Ordo Canonicus secundùm Regulam sancti Augustini & Fratrum Præmonstratensium rationabiles institutiones, perpetuis ibi temporibus rationabiliter conservetur, nullique Fratrum vel Conversorum post factam professionem, absque Abbatis & totius Capituli permissione liceat ex eodem claustro discedere; discedentem verò nullus audeat retinere. Decernimus ergo ut nulli omninò hominum liceat præfatum locum temerè perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur eorum pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salvâ Sedis Apostolicæ authoritate & Diœcesani Episcopi canonicâ justitiâ. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostræ Constitutionis paginam sciens, contra eam temerè venire tentaverit, secundò tertiòve commonita si non satisfactione congruâ emendaverit, potestatis, honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat; & à sacratissimo corpore & sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco justa servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenùs & hîc fructum bonæ actionis percipiant & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen.

Ego Eugenius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

Ego Guido Presbyter Cardinalis tituli sancti Chrisogoni.

Ego Albericus Ostiensis Episcopus.

Ego Ramerus Presbyter Cardinalis tituli sanctæ Priscæ.

Ego Imarus Tusculanus Episcopus.

Ego Guido Presbyter Cardinalis tituli sanctorum Laurentii & Damasi.

Ego Johannes Diaconus Cardinalis, tituli sancti Adriani.

Datum Vetrallæ per manum Roberti sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyteri Cardinalis & Cancellarii XVIII. Decembris. Indictione 8. Incarnationis Dominicæ anno MCXLV. Pontificatûs verò Domini Eugenii III. Papæ anno 1.

Compositio inter Abbatem Bellæ-vallis, *& Abbatem de S.* Petri-monte.

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ego Amelius, Dei gratiâ Abbas de Bella-valle, & Valterus Dei gratiâ Abbas de S. Petri monte, tam futuris quàm præsentibus in perpetuum. Submonitionem Apostoli Pauli dicentis: *Pacem sequimini cum omnibus, sine qua nemo videbit Deum*, studiosiùs intendentes, ne tanto bono visionis Dei privemur, præceptum ipsius Apostoli, quantùm in nobis est, adimplere necessarium æstimamus. Ea propter controversiam, quæ per subjectorum nostrorum insolentiam, qua stabilitatis propositum in Ecclesiis suis tenere spernentes, mutuo transitu ad Ecclesias nostras contrà voluntatem nostram se conferebant, orta fuerat, ne indecentiùs invalesceret, & occasionem vagandi subditis præberet, consilio religiosorum Abbatum subscripto nostro terminavimus. Consilio itaque & consensu utriusque Ecclesiæ Capituli, inter nos statuimus quod Clericum vel Laicum, Conversum, Novitium, sive Professum ab altera Ecclesia contra voluntatem Abbatis sui ad alteram transire volentes non recipiemus. Ea ergo mutatione succedentium propter res gesta à memoria hominum sæpiùs elabitur. Ne hoc quod inter nos factum est depereat, & inter prænominatas Ecclesias controversiæ modum proinde validiùs stringat, scripto huic inseruimus, & Ecclesiarum sigillis idem munire fecimus, & lege chirographi idem per medium scindentes in robur & testimonium decisæ litis partes nobis retinuimus, eorum qui vide-

runt & audierunt subnotatis nominibus. Constantinus Abbas S. Pauli Virdunensis, Stephanus Abbas sanctæ Crucis, Hecelinus Abbas Salinæ-vallis, & plures alii testes.

Charta Petri Gorziensis Abbatis, transcribentis Medium-montem *Abbatiæ* Bellæ-vallis *anno 1175.*

IN Nomine sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ego Petrus Dei gratiâ Gorziensis Abbas omnibus fidelibus in perpetuum. Quoniam mundus in maligno positus, & animæ quærentium quæ suâ sunt, his quos de mundo Christus elegit, adversari non desinit; idcirco dignum & justum est ut Ecclesiæ Dei, quæ sunt Christi Sanguine consecratæ & confœderatæ in via peregrinationis hujus, mutuis fulciantur obsequiis, ne fiant sine affectione, & alternis subleventur beneficiis, ne fiant absque fœdere. Quòcircà notum facimus præsentibus & futuris quòd nos communi consilio & consensu Capituli nostri petitioni Fratrum Bellæ-vallis annuentes concedimus & offerimus eis curtem nostram de *Medio-monte*, perpetuâ libertate possidendam, sub annuo trecensu decem librarum Cathalaunensis monetæ, quarum medietas in media quadragesima persolvenda est, altera nihilominùs in festo sancti Johannis Baptistæ apud domum nostram de *Wasnau*. Concessimus itaque eis omnes terras adjacentes & pertinentes ad prædictam curtem, cum decimis de *Kaleringis* & *Puseolis* & quidquid habemus cum molendino *Sumide* & *Falosa* & *Savimaco* & quidquid ad *Medium-Montem* pertinet, utcunque sit, tam in hominibus quàm in terris & cæteris appendiitiis suis; decimam autem terrarum quæ sunt præcipuè de præfata curte & pertinent ad finem *Medium-Montis* in manu nostra retinemus. Quòd si statutum censum loco & die denuntiato, vel infrà octo dies dare noluerint, terra nostra cum omnibus appenditiis suis ad nos liberè revertetur. Præterea si homines præfatæ curtis egredientes ad alia loca, vel bannum ubi ministeriales præcipuos habemus, transmigraverint, de rure pristino in manum nostram & potestatem nostram devenient. Et ut hoc fœdus pacis & dilectionis inter Ecclesias Dei nequâ posterorum violentiâ vel calliditate possit infringi, chirographum fieri decrevimus, cujus medietas sigillo nostro & Capituli nostri sigillata, in Bella-valle, alia verò sigillo Abbatis Bellæ-vallis præmunita in Ecclesia nostra conservabitur in testimonium S..... & utriusque Capituli testes adhibemus. Rambaldus Prior Gorziensis, Gerardus Præpositus, Petrus Thesaurarius, Petrus Camerarius, Theodericus Præpositus de *Waulnau*, Acelinus de *Setanai*, Petrus Abbas *Belli Prati*, Johannes Abbas sancti Clementis, Stephanus Abbas sanctæ Crucis, Johannes Prior *Bella-vallis*, Henricus Præpositus, Theodericus quondam Abbas *Bella-vallis*, Galterus Prior de *Esfei*, Wido, Rogerus, Hugo Canonici, Johannes Capellanus Gorziensis, Willelmus Presbyter, Hocelo Clericus, Simon & Bertrannus Milites, Nicolaus Villicus, Hugo Creditor, Henricus Eschuimus, Wirricus cocus. Actum legitimè, publicè recitatum, canonicè confirmatum in Capitulo sancti Gorgonii Gorziensis, anno Dominicæ Incarnationis MCLXXV. Indictione VIII. Epactâ XXVI. concurrente II. In nomine Domini. Amen.

Charta Jordanis Cardinalis & Legati donationem prædii de Wamele, *& decimas Ecclesiæ de* Vallibus *confirmans.*

JOrdanis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyter Cardinals, Apostolicæ Sedis Legatus, dilectis in Christo Fratribus Johanni Abbati & cæteris *Bella-vallis* Fratribus in perpetuum. Sanctorum Patrum Decreta sanxere, & Imperialium Constitutionum, eisdem consona firmat authoritas, ut quæ semel sacris fuerint dicata locis postmodùm ad prophanos usus revocari non debeant, sed perpetuò quibus fuerint oblata cœnobiis rata & inconvulsa permaneant. Ne igitur temporum antiquitate vel personarum mutatione, à memoria posterorum excidere possit quod in præsentia nostra cùm apud *Bellam-vallem* essemus, ab Engobrando nobili milite de *Altreio* factum est, assistentibus religiosis viris Blihardo Abbate *Deslant*, Johanne Abbate ejusdem loci & quàmpluribus aliis Canonicis de *Bella-valle*, præsentibus etiam nobilibus viris Nicolao de *Vurgo*, Johanne *Malcompost*, Hairico fratre ejus, Renardo *Malenvarde* & multis aliis, præsentis scripti paginâ & sigilli nostri impressione, petitionibus vestris inclinati, ut inviolabiliter permaneant, decrevimus corroborandum. In præsentia itaque nostra & supràn ominatorum virorum, jam dictus nobilis miles Engobrandus de *Altreio*, concessit se dedisse assensu Hadvidis uxoris suæ & filii sui juvenis Engobrandi, & filiarum suarum, possessionem quandam *Wamele*, quam Johannes & Jacobus frater ejus, in feudo ab ipso tenebant, ipsis eam in manus ejus reddentibus, & hoc petentibus Domno Philippo & Johanni Abbatibus *Bella-vallis*, & Fratribus eorum & successoribus ipsorum liberè cum omnibus appenditiis suis, terris cultis & incultis, pratis, sylvis, aquis aquarumque decursibus, decimam etiam quam usque ad tempora illa sui juris esse dicebat, tam laborum, quàm nutrimentorum quæ infrà terminos parochiæ de *Vallibus* habere poterant, suprà dictis Fratribus reliquit, & usuarium nemorum & pascuarum quæ pertinent ad supradictam villam *Vallis* nihilominùs concessit.

Charta Henrici Remensis Archiepiscopi recensens & confirmans varias donationes factas Bellæ-valli. *Anno 1172.*

IN Nomine sanctæ & Individuæ Trinitatis. Henricus Dei gratiâ Remorum Archiepiscopus, dilectis filiis suis Theodorico Abbati de *Bella-valle* & Canonicis ibidem regulariter degentibus & successoribus eorum in perpetuum. Quoniam mundus in maligno positus est, & ecclesiastici viri de justè acquisitis plerumque injustè vexantur, hoc solum remedium contra calumnias emergentes & paterna traditio adinvenit, & posterorum solertia observare non negligit, ut quod ad succedentium notitiam debet transmitti, cautione litterarum non negligatur confirmari. Eapropter dilecti in Christo filii, vestris petitionibus clementer annuentes & ab inquietationibus prædonum vos tueri volentes, possessiones vestras, quas ex Dei dono & largitione benignolorum hominum vestra possedit & adhuc possidet Ecclesia vobis & successoribus vestris ratas & intemeratas esse decernimus. Ex quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Terram Alexandri Militis de

Dun, fratris vestri & Canonici quam vobis dedit pro remedio animæ suæ, assensu uxoris Havidis filiique sui Nicolai ac cæterorum hæredum suorum. Terram quam vobis dedit Hairicus *Malconpost* in eadem villa assensu fratrum suorum Johannis, Richeri, Warneri. Terram etiam *Mahout* & Richeri Metensis Canonici fratris sui, quam vobis in eleemosynam dederunt pro remedio animarum suarum, assensu filiorum ejusdem *Mahout*. Pratum in eadem villa Ramardi de *Braus*, quod à Johanne de *Porta* tenebat, quod etiam utriusque assensu concessum est vobis. Terram Simonis *Thaschete*, fratrisque ejus ac sororis quam vobis communi assensu in eleemosynam dederunt; terram etiam cum molendino in eadem villa Walteri Dapiferi, quam à Ramardo de *Braus* in *Vadimonio* & in feodo & in hominio tenebat, quam postmodùm ipse Ramardus cum sororibus suis ac infantibus eorum, accepto à vobis beneficio, liberè & absque ulla calumnia vobis concesserunt. Terram in eadem villa quam vobis dedit Odavus de *Autia* & nepotes sui. Terram nihilominùs Johannis *Laboche*, nepotisque ejus Theodorici, quam vobis in eleemosynam & pro beneficio vestro dederunt. Allodium quod vobis dederunt *Li Passart* & Gerbrandus de *Briola* cum fratribus suis. Terram quam vobis dederunt in eadem villa Wischardus de *Satanas* & cohæredes sui, Hugo nepos suus, Jacobus de *Mosom*, Petrus *Bassac* & Odela filia ejus, Rolandus de *Febures*, Guastus filius ejus, Walterus de *Mosai*, Richerus frater ejus, Ludovicus filius ejus, Burrandus miles, Johannes Carpentarius, tres fratres de *Mortuaaqua*, tres etiam fratres de *Juvimaco*. Terram etiam quæ dicitur de *Bucci* in eadem villa quam vobis dedit Paganus. Terram nihilominùs in eadem villa sancti Vitoni Virduni quæ singulis annis reddit vobis tres solidos, & tres nummos. Allodium Ramardi *Malenvarde* de *Granpreit* Canonici fratris vestri. Terram Ecclesiæ *Mosomi* & sanctæ Mariæ quæ reddit singulis annis duodecim nummos quam tenebant duo fratres Drogo & Richardus. Pratum nihilominùs quod vobis donaverunt Haimardus & Simon Frater ejus de *Noai* quod ipsi hæreditariè, à Thoma Surdo possidebant quodque ipsius laude factum est. Terram quam vobis dedit Robertus ad *Orval*. Terram quoque Bartholomæi de *Granpreit* quam vobis dedit pro salute sua, assensu uxoris suæ Julianæ, pratum etiam quod vobis donavit Huardus filius Gervini de *Altreio*. Terram prætereà de *Asnele* quam vobis donaverunt Hugo de *Saceio* & Haibertus frater ejus, qui postea fuit Ecclesiæ vestræ Canonicus Professus, & Ledevidis soror eorum quæ etiam vestra Conversa fuit, assensu Nicolai filii sui & cæterorum coheredum suorum. Partem quoque ejusdem terræ quam vobis dedit Ramardus de *Braus*, quantùm videlicet suo juri competebat, partem quoque dimidiam ejusdem *Asnele* quam vobis tres fratres Leudo, Paganus, Drogo, pro remedio animæ suæ donaverunt per manum Dominæ Aaliz *Dunt*, filiique sui Goberti & filiæ suæ Aaliz cum suis appenditiis, custumiis, aquis, sylvis, pratis, pascuis, terris cultis & incultis. Terram quam vobis donavit Angubrandus junior de *Altreio*, quam ab eo tenebat Johannes cognomento Francigena, dato ei pro commutatione altero reditu. Terram apud eandem villam quam vobis donavit per manum Henrici Comitis de *Granpreit* Jacobus frater vester, assensu fratrum suorum qui sunt filii Theodorici *Boneth* de *Granpreit*, usum etiam totius nemoris de *Vallibus* in omnibus commodis quæ vobis donavit jam dictus Angubrandus in susceptione filii sui. Partem allodii de *Masnul* quam ab Ecclesia Mosomensi tenetis. Partem ejusdem allodii quam pro remedio animarum suarum Hugo & Haibertus de *Saceio* & cohæredes eorum donaverunt. Item aliam partem quam vobis pro remedio animarum suarum dederunt Aulo de *Santmore* & fratres sui cæterique cohæredes eorum. Terram de *Summatre* quam vobis integrè donavit per manum Domini Rodulphi de *Rancurth* & Idæ uxoris ejus, Wiardus Miles assensu uxoris suæ ac filiorum suorum Rolandi & Oliveri. Terram quam vobis dedit Holduinus & Ponchardus *Fornes*, filius ejus pro remedio animarum suarum, quæ est trans rivulum de *Summatre*. Terram quoque de *Fossez* quam vobis pro remedio animarum suarum ex integro donaverunt Bartholomæus de *Granpreit*, Airlo de *Briulle*, *Warins* de *Wrises* & comparticipes sui, & Johannes *Laboche*. Terram de *Chemere* quam vobis donavit Lambertus Presbyter pro anima fratris sui. Dimidiam præterea partem allodii de *Wisepia* quam pro remedio animarum suarum uxor Leudonis de *Faille* ac filia ejus vobis donaverunt, quamque partem vos centum solidis redemistis, & jam dictis mulieribus sex denariorum libras causâ confirmandæ rei gestæ superaddidistis. Pratum quoque apud *Wisepiam* quod vobis donaverunt pro remedio animarum suarum Henricus Comes *Magniprati* & mater ejus, quod pratum vulgariter dicitur *Libross*. Pratum quod vobis in die conversionis suæ in eleemosynam donavit Girardus frater vester assensu cohæredum suorum. Pratum quod vobis in die conversionis suæ in eleemosynam donavit Franco frater vester assensu cohæredum suorum. Pratum quod vobis in die conversionis suæ in eleemosynam dederunt Walterus Sacerdos, & Canonicus frater vester de *Montinei*, & frater ejus cæterique cohæredes eorum. Allodium de *Chessones* quod vobis in eleemosynam & in susceptione filiæ suæ donavit Johannes *Malconpost* assensu filiorum suorum & fratrum ac sororum suarum cum omnibus appenditiis, pertinentiis, sylvis, terris cultis & incultis, particulas quoque terræ de *Ancrevile* quæ mixtim jacent inter fines de *Chessones* quas vobis in eleemosynam dederunt Comes Henricus *Magniprati* & mater ejus. Allodium de *Vilers* quod vobis in eleemosynam dederunt Odela de *Cherdine* & filius ejus Wiarus, de *Colonies* & cæteri successores Willermus, Petrus, Rolandus de *Colonies* & soror eorum de *Burgo*, ... de *Drebecort* & cohæredes ejus, Hugo de *Porta*, Stephanus & Ango frater ejus de *Chepes*, Rodulphus de sancto Lamberto, & cohæredes sui, soror ejusdem Rodulphi cum pueris suis, Johannes de *Cherbones* & filius ejus Johannes Martinus de *Urmemuse* & Constantius nepos ejus & duæ neptes eorum. Terram etiam de *Cissei* quam vobis donaverunt in susceptione matris ac sororum suarum, & pro remedio animarum suarum Henricus Rufus de *Altreio*, & Odoinus frater ejus, terram cultam videlicet & incultam, & *Spinetum* cum piscatura quæ ad eos pertinebat. Decimam montis sancti Martini quam vobis dedit in eleemosynam Walterus Dapifer, quam hæreditariè de Haiberto tenebat. Terram de *Asnes* quam vobis dedit Odeia de *Burgo* & Hairicus maritus ejus & Angobrandus filius ejus, & Cæcilia filia ejus. Terram quam vobis dedit Helias de *Burgo* & Warnerus filius ejus, cujus medietas erat Walteri Diaboli, quamque ipse vobis dedit assensu uxoris suæ. Ne igitur malignorum incursu, Ecclesia inposterum suprà prædictis possessionibus vestris inquietetur, præsentium litterarum cautione, & sigilli nostri impressione, & probabilium personarum quæ huic nostræ confirmationi interfuerunt, annotatione fecimus roborari. Boso Remensis Ar-

chidiaconus. Wiardus Abbas Mosomi, Rainaldus Cantor Compendii, Jupellus, Gerardus Canonici Beatæ Mariæ Remensis, Philippus Canonicus Sancti Simphoriani, Bernerus, Michaël, Simon Capellani nostri. Si quis autem contra hoc nostræ confirmationis scriptum venire præsumpserit, si non congruâ satisfactione correxerit, iram Dei omnipotentis, & Beatæ Mariæ semper Virginis & Beatorum Apostolorum Petri & Pauli se noverit incursurum. Actum anno incarnati verbi MCLXXII. Data Mosomi per manum Johannis Remensis Cancellarii.

Charta Capituli Remensis quâ jus piscationis in flumine Mosa, Bellæ-valli *iniquius disputatum recognoscit, & ab ipsis litigatoribus recognitum, denuò consignat suo diplomate Capitulum Remense anno 1156.*

QUoniam lapsu temporum & mutatione personarum solet deperire memoria actionum, quæ retinenda sunt, necessarium est scripto commendare & sic scribendo ad notitiam posterorum transmittere. Notum igitur sit omnibus tam futuris quàm præsentibus, quòd Anguobrandus Miles filius Hairici Castellani Mosomensis aliquandò movit querelam adversùs Ecclesiam *Bella-vallis*, pro piscatura in Mosa, quam suprà dicta Ecclesia ex dono bonæ memoriæ Domini Rainaldi Remorum Archiepiscopi tenebat, & ejusdem tempore, & successoris sui Domni Samsonis venerabilis Archipræsulis usque ad tempora hujus juvenis Anguobrandi.......... possederat. Cùm ergo supradictus Angobrandus memoratam diù vexasset Ecclesiam, tandem, divinâ opitulante clementiâ, resipiscens ad Ecclesiam *Bellavallis* venit, & querelam quam habebat omninò deposuit, & quidquid justè vel injustè reclamabat super his, pro remedio animæ suæ & antecessorum suorum Ecclesiæ Bellæ-vallis tradidit & wirpivit, & concessit piscaturam liberè ex parte Mosomensis Castri, ab eo loco quo incipit terra de *Anement* hinc & inde, usque ad mortarium de *Vinceio*, ita tamen quòd piscatoribus suis in supra dicta aqua licebit piscari cum retibus & pennellis. Hoc idem donum fecere Angobrandus senior patruus ejus & filius ipsius Angobrandus junior, quibus res hæreditario jure competebat. Si de isto aliquid deveniret, superaddidit etiam ex benevolentia sua suprà dictus Angobrandus Castellanus, ut liceret Fratribus piscari in reliqua aqua inferiùs & superiùs cum opus esset, cum retibus & pennellis tantùm. Quia ergo tunc temporis Dominus noster Samson hujus Sedis, Dei gratiâ, Archiepiscopus in procinctu detinebatur Romani itineris & suprà dicto negotio dampnosa posset esse dilatio; utroque scilicet Abbate Bellæ-vallis, Domno Philippo, & eodem Angobrando petente, seriem actionis scripto commendare curavimus, & ut supradicta rata & inconvulsa permaneant, sigilli Capituli nostri impressione signavimus atque probabilium virorum qui interfuerunt nomina subscripsimus. Actum est hoc in *Bella-valle* præsente omni conventu Clericorum ipsius Ecclesiæ anno incarnati Verbi MCLVI. Indictione IV. Epactâ XXVI. concurrente VII. vigesimâ quintâ die mensis Octobris, VIII. Kal. Novembris, Feriâ V. & recognitum apud *Altreium* in præsentia Domni Leonis Ecclesiæ vestræ Decani IV. Kal. Novembris Feriâ II. Hujus testes sunt ipse idem Domnus Leo & Nicholaus nepos ejus Canonicus nostræ Ecclesiæ, Wido Canonicus sancti Simphoriani, Jorandus Abbas Mosomensis Ecclesiæ, Warnerus miles de *Altreio*, Henricus & Hugo frater ejus, Petrus Ramardus de *Brans*, Johannes *Buca*, Giraldus Faber Mosomensis, Widricus de *Sanmeio* cum multis aliis.

Charta Henrici Comitis Grandis-prati *pro compositione discordiæ inter Abbatem* Bellæ-vallis *& Balduinum de* Altreio *anno 1294.*

UNiversa quæ geruntur in tempore ne sequantur naturam temporis, æternari debent memoriâ litterarum. Ea propter Ego Henricus *Grandis-prati* Comes & Dominus, ad præsentium & futurorum transmitto notitiam modum pacis & concordiæ quæ nobis & aliis honestis viris mediantibus, facta est inter Ecclesiam *Bella-vallis* & Dominum Balduinum de *Altreio*. Ipse namque Balduinus querelam movit adversùs Fratres *Bella-vallis* pro villa quæ *Vallis* dicitur, quam prædicti Fratres legitimè tenere dignoscuntur sub annuo censu de Monialibus sancti Petri *Advenacensis*, dicens quòd absque consensu suo & notitia in eandem possessionem intraverint. Ad instantiam autem nostram & bonorum hominum, ipse Balduinus chartas & munimenta quæ Abbatissa & Capitulum *Advenaci* & & Angubrandus ejusdem Balduini pater, tunc temporis ipsius villæ Advocatus, super eâdem possessione Fratribus *Bella-vallis* fecerunt, audivit & laudavit, & hominium Abbas *Bella-vallis* fecit, & hæredes suos similiter in perpetuum facturos recognovit quemadmodùm antecessores sui hominium facere solebant Abbatissæ Advenacensi antequam ad Ecclesiam *Bella-vallis* eadem possessio devolveretur: Abbas verò & Fratres *Bella-vallis* terras quas ab hominibus de *Vallibus* pretio comparaverant, receptâ pretii quantitate, vel eas quas eleemosynæ titulo adquisierant ex eo tempore quo ejusdem Balduini pater, Sepulcrum Domini petiit, ad antiquos possessores redire permiserunt, salvo tamen jure quod terræ reddere deberent, nec præter eas terras quas Fratres *Bella-vallis* in villa de *Vallibus* modò possident, aliquas adversùs homines ejusdem villæ adquirere poterunt nisi de consensu ipsius Balduini, fundum totius terrarum quæ in ipso nemoris de *Vallibus* & proventum terrarum quæ in ipso nemore excrcebantur, ad Ecclesiam *Bella-vallis* pertinere idem Balduinus recognovit, in quo scilicet nemore usuarium Fratres *Bella-vallis* habebant, quantùm Abbatiæ, vel grangiæ quæ in *Vallibus* sita est, necesse fuerit ad comburendum vel ædificandum, si minimè ipsum nemus vendere vel dare poterunt. Et si quis Fratrum *Bella-vallis* per ignorantiam ipsum nemus ad alios usus inciderit, si dixerit in fide, quòd ignoranter fecerit, credetur ei. Poterunt autem Fratres *Bella-vallis* præter eas terras quas modò in villa de *Vallibus* possident, post novalia quæ sunt juxtà rivum qui fluit inter nemus de *Vallibus* & nemus *Bella-vallis* terram colere quantùm duæ carrucæ laborare sufficiant. Statutum est etiam quòd terras ad eandem villam pertinentes quæ per quinque annos vacuæ & incultæ remanserint, Villicus ejusdem villæ cui voluerit qui terras colere & proventum solvere debeat, dimittet. Qui si negligens inde repertus fuerit, Fratres *Bella-vallis* cuicumque voluerint hominum de *Vallibus*, eas dimittent, ipse verò Balduinus bannum & justitiam super villam de *Vallibus* & ejusdem villæ homines habebit, quemadmodùm in charta Domini Henrici Remensis Archiepiscopi continetur. Hæc ergo omnia sic à vobis per ordinem digesta sunt: facta sunt in præsentia nostra laudante Alide ipsius Balduini uxore, laudantibus

etiam Angobrando fratre suo & Helizabet sorore suâ. Super quibus omnibus tenendis & conservandis nos idem Balduinus obsidem dedit, & hæc omnia sigillo & authoritate Domini Remensis muniri fecit, præsens etiam scriptum sigilli nostri munimine roboravit, suum etiam sigillum ad majoris observantiæ cumulum apposuit. Actum ab Incarnatione Domini MCCLXXXXIV.

Bulla Innocentii II. confirmatrix bonorum Bellelagiæ *concessorum, de anno 1141.*

INnocentius Episcopus, Servus servorum Dei, dilectis filiis Geroldo Abbati Bellelagiæ, ejusque Fratribus tam præsentibus, quàm futuris regulariter substituendis, in perpetuum. Quoties illud à nobis petitur, quod religioni & honestati convenire dignoscitur, animo nos decet libenti concedere & petentium desideriis congruum impertiri suffragium. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & Beati Imeri Ecclesiam, in qua divino mancipati estis obsequio, sub Beati Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus. Inprimis siquidem statuentes ut Ordo Canonicus secundùm Beati Augustini regulam & institutionem Fratrum Præmonstratensium, perpetuis ibi temporibus inviolabiliter conservetur. Præterea quascunque possessiones, quæcumque bona, ipsa Ecclesia in præsentiarum justè & canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, Deo propitio, poterit adipisci, firma vobis, vestrisque successoribus & illibata permaneant: in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis: Ecclesiam sancti Ursicini de *Nocriol* cum appenditiis suis. Rurscam vallem cum appenditiis suis. Curiam de *Boecourt* cum pertinentiis suis. Vineas apud *Biellam.* Sanè laborum vestrorum, quos propriis manibus aut sumptibus colitis, sive de nutrimentis vestrorum animalium, nullus omnino clericus vel laicus decimas à vobis exigere præsumat. Prohibemus etiam ut nullus, præter Basileensem Episcopum, ipsius loci advocatiam occupare præsumat. Decernimus ergo ut nulli hominum præfatam Bellelagiensem Ecclesiam liceat temerè perturbare, aut ejus possessiones auferre, retinere, minuere, seu quibuslibet molestiis fatigare; sed omnia integra conserventur, eorum pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salvâ Basileensis Episcopi canonicâ reverentiâ. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temerè venire tentaverit, secundò tertiòve commonita, si non satisfactione congruâ emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se Divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo Corpore & Sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco justa servantibus, sit pax Domini nostri Jesu Christi quatenùs & hic fructum bonæ actionis percipiant & apud districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen.

Ego Innocentius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.
Ego Conradus Sabinensis Episcopus.
Ego Albicus Ostiensis Episcopus.
Ego Stephanus Prenestinus Episcopus.
Ego Octavius Diaconus Cardinalis sancti Nicolai in Carcere.

Datæ Litteræ per manum Gerardi S. R. Ecclesiæ Presbyteri Cardinalis Bibliotecarii II. idus Martis, Indictione IV. Incarnationis Dominicæ MCXLI. Pontificatûs Domini Innocentii Papæ anno XI. *(a)*

Bulla Eugenii III. quâ Monasterium Bellelagiæ *sub protectione Apostolica suscipit, bonaque ejus & possessiones eidem confirmat.*

EUgenius Episcopus Servus servorum Dei, dilectis filiis Geroldo Abbati monasterii de Bellelagia ejusque Fratribus tam præsentibus, quàm futuris regularem vitam professis in perpetuum. Religiosam vitam eligentibus congruâ nos oportet considerationе prospicere, ne aut alicujus necessitatis occasio desides faciat, aut, quod absit, robur conversationis infringat. Qua propter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & præfatum locum, in quo divino mancipati estis obsequio, sub Beati Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti patrocinio communimus: statuentes ut quascunque possessiones, quæcunque bona idem monasterium in præsentiarum justè & canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant; in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Ecclesiam de *Boecourt*, cum omnibus appenditiis suis. Ecclesiam de *Thasvenna*, cum pertinentiis suis, sicut venerabilis frater noster Ordibus * Basiliensis Episcopus vobis rationabiliter concessit, & scripto suo firmavit. Ecclesiam sancti Ursicini de *Nugerol*; vineas de *Bielno*, curiam in *Boescorth.* Decernimus ergo ut nulli omninò hominum liceat præfatum locum temerè perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu aliquibus vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur, eorum, pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salvâ Sedis Apostolicæ authoritate, & Diœcesani Episcopi canonicâ justitiâ. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostræ Constitutionis paginam &c. *ut in Bulla Innocentii II.* Ortlicbus.

Ego Eugenius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

Datum Losannæ per manum Guidonis S. R. Ecclesiæ Diaconi Cardinalis & Cancellarii XVI. Kalend. Junii, Indictione XI. Incarnat. Dominicæ anno MCXLVIII. Pontificatûs verò Domini Eugenii Papæ III. anno IV.

Bulla Lucii III. confirmantis Ecclesias & bona concessa Monasterio Bellelagiæ *anno 1181.*

LUcius Episcopus Servus servorum Dei, dilectis filiis Abbati monasterii de *Bellelaia* ejusque Fratribus tam præsentibus quam futuris regularem vitam professis in perpetuum. Religiosam vitam eligentibus Apostolicum convenit adesse præsidium ne fortè cujuslibet temeritatis incursus aut eos à proposito revocet, aut robur, quod absit, sacræ Religionis infringat. Quapropter dilecti in Domino filii vestris justis postulationibus clementer annuimus, & præfatam Ecclesiam de *Bellelaia*, in qua divino mancipati estis obsequio, ad exemplar Prædecessorum nostrorum felicis recordationis Innocentii & Eugenii Romanorum Pontificum, sub Beati Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus, in primis siquidem statuen-

(a) Lege anno XII. Siquidem electus est in Pontificem Innocentius II. die 15 Februarii 1130.

tes ut Ordo Canonicus qui secundùm Deum & Beati Augustini regulam, atque institutionis Præmonstratensis formulam, in eadem Ecclesia institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur, præterea quascumque possessiones, quæcunque bona eadem Ecclesia in præsentiarum justè & canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant, in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis; locum ipsum in quo præfata Ecclesia sita est cum omnibus pertinentiis suis; Ecclesiam de *Thavenna* cum Capella de *Reconvillier* cum earum appenditiis, tam dote quàm decimis. Ecclesiam de *Boecourt* cum curte ejusdem loci & aliis suis appenditiis. Ecclesiam sancti Ursicini de *Nugerol* cum curte quam ibidem habetis, & aliis appenditiis suis. *Salmuris* curtem cum vineis. *Corceles* & *Marves*, *Cascale* cum agris. *Louerescé* & *Tavagna* allodium in agris & pratis. Allodium Manegoldi Militis apud *Belvilar* & apud monasterium, allodium de *Verneith* tam in sylva quàm in agris & pratis. Allodium de *Fornat*, curtem de *Racma* cum appenditiis suis. Curtem de *Corcelum* cum appenditiis suis apud *Diviliers*. Allodium apud de *Laumunt*. Allodium apud *Corfaivre*. Allodium apud *Soulier*. Allodium apud *Wingelies*. Allodium Chunegundis apud *Zazingerm*. Allodium Fridelvonnis apud *Beshelaicha*. Allodium Cononis apud *Corgimuart*. Allodium apud *Vilar*. Allodium apud *Bures*. Allodium, curtem de *Montagis* cum appenditiis suis apud *Chouna*. Allodium, monasterium de *Grangurt* cum appenditiis videlicet allodio de *Cordemasche*. Curtem de *Lumgier* cum appenditiis suis. Curtem de *Girevilar* cum appenditiis suis. Allodium apud *Althorselie* cum omnibus eorum pertinentiis. Sanè novalium vestrorum quæ propriis manibus aut sumptibus colitis, sive de nutrimentis animalium vestrorum, nullus à vobis decimas exigere præsumat. Liceat quoque vobis clericos vel laicos è seculo fugientes, liberos & absolutos, ad conversionem recipere, & eos absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper ut nullus Fratrum vestrorum post factam in eodem loco professionem, fas sit absque Abbatis sui licentia de eodem loco discedere, discedentem verò absque communium litterarum cautione, nullus audeat retinere. Cùm autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis clausis januis, exclusis excommunicatis & interdictis, non pulsatis campanis, suppressâ voce, divina officia celebrare. Chrisma verò, oleum sanctum, consecrationes altarium, seu Basilicarum, Ordinationes Clericorum qui ad sacros Ordines fuerint promovendi, à Diœcesano suscipiatis Episcopo, siquidem catholicus fuerit, & gratiam atque communionem apostolicæ Sedis habuerit, & ea vobis gratis & absque gravitate aliqua voluerit exhibere, alioquin liceat vobis quemcunque malueritis adire Antistitem, qui nimirum nostrâ fultus autoritate, quod postulatur indulgeat. Prohibemus etiam ut nullus præter Basiliensem Episcopum ipsius loci advocatiam occupare præsumat. Sepulturam præterea ipsius loci liberam esse decernimus, ut eorum devotioni & extremæ voluntati qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi fortè excommunicati, vel interdicti sint, nullus obsistat, salvâ tamen justitiâ illarum Ecclesiarum à quibus mortuorum corpora assumuntur. Obeunte verò te, nunc ejusdem loci Abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi quâlibet subreptionis astutiâ, seu violentiâ præponatur, nisi quem Fratres communi consensu, vel Fratrum pars consili sanioris secundùm Dei timorem & Beati Augustini regulam providerint eligendum. Paci quoque & tranquillitati vestræ paternâ sollicitudine providere volentes, authoritate Apostolicâ prohibemus ut infra clausuras locorum seu grangiarum vestrarum nullus violentiam, vel rapinam seu furtum committere, ignem apponere, seu hominem capere vel interficere audeat. Decernimus ergo ut nulli omninò hominum fas sit præfatam Ecclesiam temerè perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salvâ Sedis Apostolicæ authoritate, & Diœcesani Episcopi Canonicâ justitiâ. Si qua igitur in futurum ecclesiastica, secularisve persona hanc nostræ Constitutionis paginam sciens, contra eam temerè venire tentaverit, secundò, tertiòve commonita nisi reatum suum dignâ satisfactione correxerit, potestatis, honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo corpore & sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco jura servantibus, sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenùs & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen.

Ego Lucius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

Ego Petrus Tusculani Episcopus.

Datum Vellan. per manum Alberti S. R. E. Presbyteri Cardinalis & Cancellarii xiv. Kal. Aprilis Indictione xiv. Incarnat. Dominicæ anno MCLXXXI. Pontificatûs verò Domini Lucii Papæ tertii anno primo. (a)

Charta Sigismundi Imperatoris privilegia Monasterio Bellelagiæ *concedentis anno 1414.*

IN Nomine sanctæ & Individuæ Trinitatis feliciter Amen. Sigismundus Dei gratiâ Romanorum Rex semper Augustus ac Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, &c. Rex. Notum facimus tenore præsentium quibus expedit universis ad perpetuam rei memoriam. Inter gloriosas rei publicæ curas quibus cor nostrum quotidianâ sollicitudine pro subditorum salute distrahitur, ad illud præcipuè aciem nostræ mentis convertimus, & sedulum destinamus affectum, qualiter venerandas Ecclesias & personas ecclesiasticas cælestis Imperatoris mancipatas obsequiis, piis protegamus desideriis ac libertates eorum continuis benignitatis favoribus foveamus, nunc novas libertates largiendo, nunc pro qualitate temporis veteres innovando. Sanè pro parte honorabilis & Religiosorum Henrici Abbatis & Conventûs Monasterii *Bellelagiæ* Ordinis Præmonstratensis, Basiliensis Diœcesis, devotorum nostrorum dilectorum nobis nuper duplex oblata petitio continebat, quatenùs ipsos Henricum Abbatem & Conventum monasterii *Bellelagiæ* ac ipsorum hominibus universis, juribus & possessionibus, oblatis, donationibus, rebus ipsorum & bonis singulis, in nostram & Imperii Sacri protectionem, defensionem, salvam gardiam & tutelam reciperemus specialem, ipsisque Abbati & Con-

(a) Attamen Lucius 3. creatus est Pontifex hoc anno 1181. mensis Augusti die dumtaxat 29. oscitanter qui hanc Bullam exscripsit, huic epocham de 14 Kal. April. 1181. annexuit.

ventui & ipsorum monasterio prædicto universa & singula jura, libertates, gratias, privilegia, litteras & indulta, quæ & quas a recolendæ memoriæ Divis Imperatoribus & Regibus, nostris prædecessoribus, & ab aliis Christi fidelibus obtinuisse dignoscuntur, de innata nobis benignitatis clementia, approbare, ratificare, innovare, authorisare & confirmare, ac de novo concedere dignaremur. Nos itaque considerantes præfati Henrici Abbatis & Conventûs antecessorum suorum virtuosa insignia, & alia multiplicia devotionis & virtutum merita, quibus nostram Celsitudinem & Sacrum Romanum Imperium hactenùs studuerunt præ cæteris diligentiâ attentâ venerari, supplicationibusque ipsorum favorabiliter inclinati, præsertim cùm dicta supplicatio de fonte emanet rationis, & justa petentibus non sit denegandus assensus, eumdem Abbatem ejusque Conventum ac ipsorum successores dicti monasterii *Bellelagiæ* cum ipsorum hominibus universis, juribus, possessionibus, oblationibus, rebusque ipsorum & bonis universis, tam præsentibus quàm futuris, sub nostræ & Imperii Sacri protectionis defensionis clipeum & salvæ gardiæ umbram gratanter recepimus & recipimus per præsentes, eisdemque Abbati & Conventui ac ipsorum monasterio universa & singula jura, libertates, gratias, concessiones, privilegia & litteras atque indulta quæ & quas à Divis Romanorum Imperatoribus, & Regibus nostris, prædecessoribus & ab aliis Christi fidelibus ritè obtinuerunt in omnibus suis articulis, punctis, sententiis, & tenoribus de verbo ad verbum prout scripto seu scripturæ sunt, ac si tenores omnium specificè præsentibus forent inscripti, & etiamsi de his jure vel consuetudine deberet fieri mentio specialis, animo deliberato non per errorem aut improvidè, sed sano Principum, Comitum, Baronum, Procerum, & Nobilium nostrorum accedente consilio & ex certa nostra scientia, autoritateque Romana, Regia, ac de Imperialis plenitudine potestatis approbamus, ratificamus, innovamus, de novo concedimus, auctorisamus, & tenore præsentium gratiosiùs confirmamus, & prout dignè possumus roboramus, nostris tamen & aliorum quorumcumque juribus semper salvis. Mandamus insuper universis & singulis Principibus Ecclesiasticis & Secularibus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Nobilibus, Militibus, Clientibus & signanter Sculteris, Scabinis, Consulibus & Communitatibus Imperialium nostorum oppidorum Bernensium & Solodorensium, cæterisque nostris & Imperii Sacri subditis & fidelibus dilectis, ne præfatos Abbatem & Conventum monasterii *Bellelagiæ*, in ipsorum juribus, possessionibus, rebus, atque bonis, deinceps & antea contra justitiam impedire, molestare, seu quovis modo molestare præsumant, quin potius ipsos & eorum successores authoritate nostrâ Imperiali totis suis viribus contra quoscunque ipsorum invasores & indebitè aggravatores manu teneant & defendant. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc nostræ approbationis, ratificationis, salvæ gardiæ receptionis, confirmationis, gratiæ paginam infringere, vel ei quovis usu temerario contraire, si quis autem hoc attentare præsumpserit, nostram & Imperii Sacri indignationem gravissimam & pœnam quadragintâ marcarum auri purissimi se noverit incursurum, quarum medietatem Imperiali nostro ærario, sive fisco, residuam verò partem injuriam passorum usibus decernimus irremissibiliter applicari præsentium sub nostræ Majestatis sigillo, testimonio litterarum. Datum Constantiæ an. Domini MCCCCXIV. quartâ die mensis Maii Regnorum nostrorum anno Hungariæ tricesimo, Romanorum verò septimo. Ad mandatum Domini Regis Joannes (a) de Strigonio Præpositus & Vicecancellarius. Sig. Joannes *des Boys*.

Epistola ad Henricum (b) *Basiliensem Episcopum, quâ examinatio & confirmatio Abbatis* Bellelagiæ *negatur de jure ipsi Episcopo Basiliensi.*

Reverendo in Christo Patri ac Domino H. Dei gratiâ Basiliensi Episcopo E. Cantor Basiliensis Camerarius & Scholasticus ejusdem Ecclesiæ, reverentiam tam debitam quàm devotam. Paternitati vestræ innotescat quòd nos usi consilio jurisperitorum, inspeximus & examinavimus privilegia quæ Abbas de *Lacu* Præmonstratensis Ordinis, Lausan. Diœcesis nobis exhibuit super illo articulo. Utrum examinatio & confirmatio Electi de *Bellelagia* vestræ Diœcesis ad vos an ad ipsum de jure pertineat. Deliberato eo consilio, nobis videtur quòd vos in dicto Electo nullam habeatis examinationem, nec confirmationem, sed liberè curam & munus benedictionis prædicto Electo sine aliqua difficultate debetis conferre, aliàs privilegia ipsorum parùm vel nihil essent valitura. In signum veritatis sigillo Domini Cantoris usi sumus in hac parte. Datum Basileæ anno Domini MCCLXXVI.

Charta.

Otto Dei gratiâ Basileensis Episcopus universis præsentes litteras inspecturis, veritatis notitiam cum salute. Noveritis nos anno Domini 1307. feriâ tertiâ post Octavas B. B. Apostolorum Petri & Pauli quoddam privilegium à felicis recordationis Domino Honorio quondam Papa III. Religiosis viris Abbati & Conventui monasterii de *Bellelagia*, Ordinis Præmonstratensis, nostræ Diœcesis, indultum sanum, integrum, & in nulla sui parte vitiatum, verâ ipsius Domini Papæ bullâ, prout primâ facie apparebat, bullatum cum filis de serico, vidisse, & diligenter inspexisse, ac coram nobis perlegi fecisse quod sic incipit.

Honorius Episcopus Servus servorum Dei. Dilectis filiis Abbati & monasterio de *Bellelagia*, ejusque Fratribus tam præsentibus quàm futuris regularem vitam professis in perpetuum. Religiosam vitam eligentibus &c. & sic terminatur. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus, sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenùs & hîc fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. In hoc autem privilegio inter alia hæc clausula est inserta : Sanè Novalium vestrorum, quæ propriis manibus

(a) Primùm Præpositus, postmodùm Archiepiscopus Strigoniensis. Extat apud Goldast tom. III. Imperial. pag. 424. Sigismundi Cæsaris diploma de electione Summi Pontificis tempore Constantiensis Concilii an. 1415. datum, quod ipse Joannes tanquam Vicecancellarius scripsit, sub eodem titulo subsignavit Noviomagi anno 1416. 17 Novemb. investituram de Regalibus Othonis Hoja Episcopi Monasteriensis. At anno 1417. adhibitus in consilium cognitionis super Coloniensis Archiepiscopi cum Montium Duce controversia, Archiepiscopus & Cancellarius vocatur, apud eundem Goldast tom. I. Const. Imp. pag 394. Hujus Joannis crebra mentio fit in actis Conciliabus sub hoc Imperatore habitis anno 1429. ubi Cancellarius Cæsareus expressè dicitur. Bonfinius scribit Joannem è genere Sclavonico, Archiepiscopum Strigoniensem, obiisse anno 1472. sed hic ab isto diversus, multòque junior videtur.

(b) Hic Henricus Basiliensis Episcopus 28. sui nominis, quintus erat de *Isenacim* Ordinis Minorum, à sede Basiliensi ad Moguntinam transiit authoritate Honorii IV. Cleri strenuus reformator fuit, ideoque ab eo Epitaphium ejus factum est hoc modo.

Nudipes antistes, non curat Clerus ubi stes,
Si non in cœlis, sis ubicumque velis.

aut sumptibus colitis, sive de nutrimentis animalium vestrorum nullus à vobis decimas exigere, vel extorquere præsumat. In cujus visionis nostræ testimonium, & dictæ clausulæ transcripti testimonii sigillum nostrum præsentibus duximus appendendum. Datum Basileæ anno & die prædictis.

Unde Bullâ hæc Honorii visâ, examinatâ & approbatâ, hanc declarationem de & super nostra Novalia pronuntiavit eodem anno & penè eodem die.

Nos Otto D. G. Basileensis Episcopus notum facimus universis præsentes litteras inspecturis, quòd cùm requisiti essèmus ex parte Religiosorum virorum Abbatis & Conventûs monasterii *Bellelagiæ*, Præmonstratensis Ordinis, nostræ Diœcesis, quòd dicere & declarare vellemus ad quos perceptio decimarum novalium debeat spectare de jure? Nos prout tenemur ex officio precum ipsorum instantiæ satisfacere in hac parte volentes, jurisperitorum communicato consilio dicimus & declaramus sicut & jure declarant, quòd perceptio hujusmodi decimarum novalium de jure communi spectat & spectare debet ad Rectores Ecclesiarum parochialium tantùm, infrà quorum fines seu limites hujusmodi novalia consistere dignoscuntur. In cujus declarationis nostræ testimonium, sigillum nostrum præsentibus est appensum. Datum Basileæ anno Domini 1307. feriâ 3. post Octavas B.B. Petri & Pauli Apostolorum.

N. Walterus.

Charta.

NE variante tempore varient & actus mortalium memoriæ commendandi. Ego Philippus Dei gratiâ Præpositus Ecclesiæ S. Ursicini, notifico præsentibus & futuris attestatione sigilli mei, & subscriptione legitimorum testium, me Ecclesiam de *Montegnez*, cum ea esse investitus, eâ conditione in manu D. Archiepiscopi resignasse, ut eam Fratribus Præmonstratensis Ordinis, videlicet *Bellelagiæ*, tunc temporis, manentibus in *Grandi gurgite* largiretur, quam ipse ut pote vir plenus Spiritu sancto satis devotè eis tradidit, & ea perpetuò possidenda datis litteris de rato prædictam Ecclesiam investivit. Hujus rei testes sunt Hugo Præpositus de *Mandure*, Brocardus de *Granges*, Henricus de *Porrentruis*, Borchardus de *Miecort*, Hugo de *Villars*, Cono de *Machevillard*, Fridericus de *Luttenbach*, Gualterus de *Villar*, Olricus de *Monstier*, Alexius de *Loreiller*, Ottho nepos prædicti Præpositi.

Theodoricus Dei miseratione Bisuntinæ Sedis humilis Minister, præsentibus futuris rei gestæ notitiam sciant, quos scire opportuerit. Quòd cùm Philippus S. Ursicini Præpositus Ecclesiam de *Montegnez* quam à nobis tenebat, nobis resignasset, pauperrimæ domui de *Grand gourt* divini amoris intuitu eandem Ecclesiam perpetuò dedimus & concessimus habendam, salvo tamen jure Pontificali, & ministerialium nostrorum. Testes Humbertus Belli-Campi Abbas, Willelmus ejusdem loci Archidiaconi, Joannes Camerarius, Odo de *Ru* Canonicus. Quòd ut in futurum firmum permaneat, sigilli nostri testimonio fecimus insigniri. Actum anno Dominicæ incarnationis 1189. Datum per Amædeum Cancellarium nostrum. D. Abbas Bellelagiensis tanquam Collator tenetur ad tectum chori, & Parochiam ad navim Ecclesiæ in debita structura conservandam. Parochi qui huic Ecclesiæ parochiali inservierunt, fuerunt plerumque iidem, qui Priores, vel administratores, vel admodiatores in *Grangurt* egerunt.

Instrumentum salvi conductûs pro R. P. Petro IV. cognomento Martini, *Abbate Bellelagiensi XXI. quod obtinuit à Patribus Synodi Generalis Basileensis &c. tanquam ab eis deputatus ad partes Galliæ.*

SAcro Sancta Generalis Synodus Basileensis in Spiritu Sancto legitimè congregata, universalem Ecclesiam repræsentans. Universis & singulis venerabilibus Patriarchis, Archiepiscopis, ac dilectis Ecclesiæ filiis Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Decanis, cæterisque Prælatis secularibus & regularibus, exemptis & non exemptis, nec non illustribus Regibus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Principibus, Baronibus, Militibus, Militaribus, Dominis Terrarum, Civitatum, oppidorum, aliorumque locorum Communitatibus, ac aliis Christi fidelibus ad quos præsentes litteræ pervenerint Salutem, & omnipotentis Dei benedictionem. Cùm Dilectus Ecclesiæ filius Petrus monasterii B. Mariæ de *Bellelaya* Ord. Præmonst. Basil. Diœces. pro nonnullis arduis negotiis hujus sacri Concilii ad nonnullas Regni Franciæ partes proficiscatur, nos cupientes eundem Abbatem in eundo, stando, & redeundo plenâ ubique securitate gaudere, universitatem vestram & vestrûm singulos præsentium tenore requirimus & hortamur in Domino, vobis nihilominus & vestrûm cuilibet, in virtute S. obedientiæ & sub excommunicationis pœna districtè præcipiendo mandamus, quatenùs præfatum Abbatem cum sex sociis sive familiaribus, equitibus vel peditibus, per quæcumque loca, territoria, provincias, civitates, terras, castra, oppida, districtus, passus, portus, pontes, flumina & loca vestris dominiis subjecta, ire transire, stare & redire cum rebus & bonis suis universis securè & liberè permittatis, absque solutione seu exactione alicujus dacci, pedagii, telonei seu gabellæ, nullamque in personis & rebus hujusmodi inferatis injuriam, molestiam, vel offensam, nec ab aliis in quantùm in vobis fuerit permittatis inferri, quin immò ipsis de guidis sive demonstratoribus viarum libero & salvo conductu atque scorta, & omni gratâ receptione, liberaliter providere curetis taliter in præmissis vos habentes, quod vestra exinde devotio valeat apud nos & universalem Ecclesiam meritò commendari. Datum Basileæ 6°. Kal. Maii anno à Nativitate Domini 1435.

H. S. Layens.

Bulla Innocentii VIII. Incorporatio Ecclesiæ de Nova-villa *ad Monasterium* Bellelagiæ.

INnocentius Episcopus Servus servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Romanus Pontifex ex injuncto sibi desuper pastoralis officii debito ad illa libenter intendit, per quæ personarum quarumlibet præsertim religiosarum, quieti & indemnitatibus valeat salubriter provideri. Sanè pro parte dilectorum filiorum Abbatis & Conventûs B. Præm. Ord. Bas. Dioec. nobis nuper exhibita petitio continebat, quòd ipsi à tempore cujus contrarii memoria hominum non existit, perceperunt continuò fructus, reditus, & proventus, parochialis Ecclesiæ *Nova-villa* aliàs *Neuwenstat*, Lausan: diœcesi. ac illi annexorum & animarum parochianorum cura illius exerceri eidemque Ecclesiæ deservirì fecerunt per unum ex Canonicis dicti monasterii per-

eos præsentatum pro tempore Episcopo Lausan. pro tempore existenti, & per ipsum Episcopum in perpetuum Vicarium inibi ad præsentationem hujusmodi institutum, congruam portionem, de fructibus, redditibus, & proventibus prædictis percipientes prout percipiunt, & deserviri faciunt de præsenti pacificè & quietè, quo autem jure, aut titulo id faciant, propter temporis antiquitatem docere posse non confidunt; credunt tamen eandem parochialem Ecclesiam antiquitùs fuisse dicto monasterio perpetuò unitam, annexam & incorporatam & se illam ut sic unitam, annexam & incorporatam possidere. Cùm autem, sicut eadem petitio subjungebat, Abbas & Conventus præfati dubitent super dictâ Ecclesiâ molestari posse tempore procedente, & plerumque retroactis annis inter eos & perpetuum Vicarium qui pro tempore fuit dictæ Ecclesiæ & ipsius Ecclesiæ Parochianos respectivè, diversæ graves controversiæ & differentiæ exortæ extiterunt propter quas dicta Ecclesia in suis viribus & consequenter ipsum monasterium, magnam jacturam susceperunt, sperentque ipsi Abbas & Conventus, quòd si eidem Ecclesiæ per Canonicum dicti monasterii vel Presbyterum secularem ad ipsorum Abbatis & Conventûs nutum amovibilem, in divinis deserviretur, & cura animarum hujusmodi exerceretur, profectò exinde tam ipsorum Abbatis & Conventûs, quàm dictorum Parochianorum quieti, tranquillitati & commodo plurimùm contulerit. Pro parte Abbatis & Conventûs prædictorum nobis fuit humiliter supplicatum, ut Ecclesiam prædictam dicto monasterio perpetuò unire & incorporare & perpetuam Vicariam illius ibidem penitus & omninò extinguere, ac ut eidem Ecclesiæ de cætero per Vicarium, ad eorum nutum amovibilem, Presbyterum secularem, seu dicti monasterii Canonicum in divinis deserviri & animarum Parochianorum prædictorum curam facere valeant, concedere, aliàsque in præmissis opportunè providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur qui dudum inter alia voluimus quòd petentes beneficia Ecclesiastica aliis uniri, tenerentur exprimere verum valorem fructuum, redditnum, & proventuum monasterii cui unio fieri peteretur, alioquin unio non valeret, & quòd semper in unionibus commissio fieret ad partes, vocatis quorum interesset, Abbatem & singulares personas Conventûs prædicti à quibusvis excommunicationis, suspensionis & interdicti, aliisque sententiis Ecclesiasticis, censuris & pœnis à jure vel ab homine quâvis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes & absolutos fore censentes, ac fructuum, redditnum, & proventuum dicti monasterii verum annuum valorem, nec non ultimum vacationis dictæ Ecclesiæ modum, etiamsi ex illo, vel loco ejus quævis generalis reservatio resultet, præsentibus pro expressis habentes, Ecclesiam prædictam, ejus & illi annexorum, fructus, redditus & proventus 18 marcarum argenti, secundùm communem æstimationem valorem annuum non excedunt, quovis modo, & ex cujuscumque persona & si per liberam cujusvis resignationem de illa extra Romanam Curiam etiam coram Notario publico, & testibus sponte factâ, aut constitutione felicis recordationis Joannis Papæ XXII. Prædecessoris nostri, quæ incipit, *Execrabilis*, vel assecutione alterius beneficii Ecclesiastici ordinariâ autoritate collati vacet, etiamsi tanto tempore vacaverit, quod ejus collatio juxta Lateran. Statuta Concilii ad Sedem apostolicam legitimè devoluta, ipsaque Ecclesia dispositioni apostolicæ specialiter reservata existat, & super ea inter aliquos lis, cujus statum præsentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indivisa, dummodo tempore datæ præsentium non sit in ea alicui specialiter jus quæsitum cum annexis hujusmodi ac omnibus juribus & pertinentiis suis dicto monasterio authoritate apostolicâ, præsentium tenore perpetuò unimus, annectimus, & incorporamus: ita quòd liceat Abbati & Conventui præfatis, unionis, annexionis, & incorporationis hujusmodi vigore Ecclesiæ annexorum jurium & pertinentiarum prædictorum possessionem per se vel alium seu alios propriâ authoritate de novo... apprehendere & perpetuò retinere, ac illius & annexorum hujusmodi fructus, redditus & proventus in suos ac dicti monasterii usus & utilitatem convertere, necnon cedente illius moderno perpetuo Vicario seu obtentam inibi per eum perpetuam Vicariam alias quomodolibet dimittente per Vicarium qui Presbyter secularis seu Canonicus dicti monasterii alias idoneus existat ad eorumdem Abbatis & Conventûs nutum amovibilem, eidem Ecclesiæ in divinis deserviri, & animarum Parochianorum hujusmodi curam exerceri facere, Diœcesani loci, & cujusvis alterius licentiâ super hoc minimè requisitâ, censeaturque ex tunc perpetua Vicaria prædicta eo ipso extincta, non obstantibus priori voluntate nostrâ prædictâ ac felicis record. Bonifacii Papæ VIII. prædecessoris nostri, & aliis apostolicis Constitutionibus, nec non monasterii & Ordinis prædictorum juramento, confirmatione apostolicâ, vel quâvis firmitate aliâ roboratis Statutis, & consuetudinibus contrariis quibuscumque, aut si aliqui super provisionibus sibi faciendis de hujusmodi vel aliis beneficiis Ecclesiasticis, in illis partibus speciales vel generales dictæ Sedis, vel legatorum ejus litteras impetrarint, etsi per eas ad inhibitionem, reservationem & decretum, vel aliàs quomodolibet sit processum; quas quidem litteras & processus habitos per easdem ac inde secuta quæcumque ad Ecclesiam & Vicariam ipsas volumus non extendi, sed nullum per hoc eis quoad assecutionem beneficiorum aliorum præjudicium generari, & quibuslibet aliis privilegiis & litteris apostolicis, gradibus vel specialibus quorumcumque tenorum existant per quæ præsentibus non expressa, vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, & de quibus quorumcumque, totis tenoribus habenda sit in nostris litteris mentio specialis. Proviso quòd propter unionem, annexionem & incorporationem hujusmodi dicta, Ecclesia debitis non fraudetur obsequiis, & animarum cura in ea nullatenùs negligatur, sed ejus congruè supportentur onera consueta. Nos enim ex nunc irritum decernimus & inanè si secus super his à quoquam quâvis authoritate scienter, vel ignoranter, contigerit attemptari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis, unionis, annexionis, incorporationis, voluntatis, vel constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac BB. Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnat. Dominicæ MCCCCLXXXIX. 3°. Kal. Feb. Pontificatûs nostri anno VI.

Bulla Leonis X.

LEo Servus servorum Dei. Dilectis filiis Abbati & Conventui monasterii Bellelagiæ Præmonst. Ord. Basil. Diœcesis, Salutem & apostolicam Benedictionem. Cùm à nobis petitur quod justum est & honestum, tam vigor æquitatis, quàm ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad de-

bitum perducatur effectum. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrente assensu, personas vestras & locum in quo divino estis obsequio mancipati, cum omnibus bonis, quæ in præsentiarum rationabiliter possidetis, aut in futurum justis modis, dante Domino, poteritis adipisci, sub B. Petri atque nostra protectione suscipimus. Omnes quoque libertates & immunitates à prædecessoribus nostris Rom. Pontif. sive per privilegia, aut indulta, vel alias indulgentias vobis & monasterio vestro concessas, nec non libertates, & exemptiones secularium exactionum ab Imperatoribus, Regibus, Principibus, & aliis Christi fidelibus, vobis & eidem monasterio rationabiliter indultas, specialiter autem oblationes, census, fructus, redditus, proventus, possessiones, agros, campos, prata, pascua, nemora, sylvas, domos, hortos, aquas, aquarum decursus, stagna, lacus, molendina, piscarias, jura, jurisdictiones, & alia mobilia & immobilia bona ad monasterium prædictum spectantia, nec non monasterium *Portæ-Cæli* & Prioratus B. Mariæ in *Grandgourt* Conventu carentia ac S. Martini de *Montegne*. in Magdalena SS. Stephani & Laurentii in *Texfelden*, S. Petri in *Altorff* S. Petri in *Buestingen*. S. Georgii in *Belucler*. SS. Nicolai & Leodegarii in superiori *Pfetterthausen*. S. Urcisini in *Nova-villa*. S. Martini in *Bietterlen*, ac S. Germani in *Longa aqua*, parochiales Ecclesias, sive eorum perpetuas Vicarias atque Ecclesias & Capellas Constantiensis, Bisuntinensis, Basileensis, & Lauzanensis Diœc. ac alia perpetua beneficia Ecclesiastica, quæ eidem primo dicto monasterio vestro canonicè unita, annexa & incorporata esse asseritis, sicuti ea omnia justè & pacificè possideris, vobis, & per vos eidem primo dicto monasterio authoritate apostolicâ confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ susceptionis, confirmationis, & communitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei ac BB. Petri & Pauli, Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ 1516. 4. Nonas Januarii, Pontificatûs nostri anno IV.

Sigill. Leo. J. Valtrini.

Bulla Adriani VI.

ADrianus Episcopus Servus servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam, rationi congruit, & convenit æquitati, ut ea quæ de Romani Pontificis gratia processerunt, licet ejus superveniente obitu, litteræ apostolicæ desuper confectæ non fuerint, suum sortiantur effectum. Dudùm siquidem, felicis recordationis, Leoni Papæ X. prædecessori nostro, pro parte dilecti filii Nicolai Abbatis monasterii Belle. Præm. Ord. Basil. Diœc. exposito, quòd licet aliàs piæ memoriæ Humbertus Episcopus Basil. providè considerans, quòd fructus, redditus & proventus parochialium Ecclesiarum in *Altorff*, & S. Petri in *Buerlingen* dictæ Diœcesis adeò tenues & exiles erant, quòd ex illis duo Rectores, seu Vicarii sustentari non poterant, Ecclesias prædictas quarum jus patronatûs antea per nonnullos laicos dicti monasterii tunc & pro tempore existenti Abbati, concessum fuerat, tunc certo modo vacantes ad tunc Abbatis & dilectorum filiorum Conventûs monasterii hujusmodi instantiam, & de tunc Parochianorum dictarum Ecclesiarum consensu mensæ Abbatiali perpetuò univisset, annexuisset, & incorporavisset, ac quòd unus Sacerdos seu perpetuus Vicarius per tunc Abbatem & Conventum hujusmodi deputandus, eisdem Ecclesiis in divinis sub certis modo & forma deservire haberet, & teneretur, statuisset & ordinavisset, prout in ipsius Humberti Episcopi litteris de super confectis, dicebatur pleniùs contineri, tamen successu temporis ob negligentiam, ut credebatur, Abbatum dicti monasterii, qui pro tempore fuerant, dictæ Ecclesiæ in pristinum statum prout ante dictam unionem fuerant, reductæ erant, & pro parte ipsius Nicolai Abbatis asserentis ipsarum Ecclesiarum fructus, redditus, & proventus valorem annuum quatuor marcarum argenti puri insimul non excedere, eidem prædecessori humiliter supplicato, ut Ecclesias prædictas eidem mensæ de novo perpetuò unire, annectere, & incorporare aliàsque in præmissis opportunè providere de benignitate apostolica dignaretur, idem prædecessor qui dudum antea inter alia voluerat, quòd petentes beneficia Ecclesiastica aliis uniri tenerentur exprimere verum annuum valorem secundùm communem æstimationem & beneficii cui aliud uniri, peteretur, alioquin unio non valeret, & semper in unionibus commissio fieret ad partes, vocatis quorum interesset, quemque pastoralis officii debitum excitabat & inducebat, ut personarum Ecclesiasticarum, præsertim Abbatiali dignitate præditarum, commoditatibus & utilitatibus quantumcumque Deo poterat favorabiliter provideret, eundem Nicolaum Abbatem à quibuscumque excommunicationis, suspensionis & interdicti aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure vel ab homine quàvis occasione vel causâ latis, super quibus quomodolibet innodatus existebat, ad effectum infra scriptorum duntaxat consequendum, absolvens, & absolutum fore censens, nec non dictæ mensæ fructuum, redditum, & proventuum verum annuum valorem pro expressis habens, ipsius Nicolai Abbatis in ea parte supplicationibus inclinatus, sub dato videlicet undecimo Kal. Junii Pontificatûs sui octavo anno, Ecclesias prædictas cum omnibus juribus & pertinentiis suis eidem mensæ authoritate apostolicâ de novo univit, annexuit, & incorporavit, & Conventui monasterii hujusmodi per se, vel alium seu alios, corporalem possessionem dictarum Ecclesiarum, juriumque & pertinentiarum prædictorum propriâ authoritate liberè apprehendere, & illarum fructus, redditus & proventus in suos, & mensæ ac Ecclesiarum hujusmodi usus & utilitatem convertere, Diœcesani loci & cujusvis alterius licentiâ super eo minimè requisita, nec non Ordinarii loci ad id expressò accedente assensu, eisdem Ecclesiis per aliquem Sacerdotem seu Vicarium idoneum ad nutum Abbatis pro tempore existentis & Conventûs prædictorum ponendum & amovendum quotiens eis placeret, in divinis deservivi, & animarum curam Parochianorum earumdem Ecclesiarum exerceri facere, nonobstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac voluntate prædictâ contrariis quibuscumque aut si aliqui super provisionibus sibi faciendis de hujusmodi vel aliis beneficiis Ecclesiasticis in illis partibus speciales vel generales Apostolicæ sedis vel legatorum ejus litteras impetrasset, etsi per eas ad inhibitionem reservationem, & decretum vel aliàs quomodolibet esset processum, quas quidem litteras & processus habitos per easdem & inde secuta quæcumque, idem prædecessor ad dictas Ecclesias voluit non extendi, sed nullum per hoc eis quoad assecutionem beneficiorum aliorum præjudicium generari, & quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis & litteris Apostolicis generalibus vel specialibus quorumcumque tenorum existerent, per quæ litteris ipsius prædecessoris, si super hoc confectæ fuissent, non expressa, vel totaliter non inserta, effectus earum impediri vale-

ret quomodolibet vel differri & de quibus quocumque totis temporibus de verbo ad verbum habenda esset in eisdem litteris mentio specialis, proviso quòd propter unionem, annexionem, & incorporationem prædictas, dictæ Ecclesiæ debitis non fraudarentur obsequiis, & animarum cura in eis nullatenùs negligeretur, sed earum congruè supportarentur onera consueta. Idem enim prædecessor ex tunc irritum decrevit & inane si secùs super iis à quoquam, quavis authoritate, scienter vel ignoranter, contingeret attemptari. Ne autem de absolutione, unione, annexione, incorporatione, & decreto prædictis pro eo quòd super illis ipsius prædecessoris litteræ ejus superveniente obitu, confectæ non fuerunt valeat quomodolibet hæsitari; ipseque Nicolaus & pro tempore existens Abbas dicti monasterii, illorum frustretur effectu, volumus & authoritate apostolicâ decernimus, quòd absolutio, unio, annexio, & incorporatio & decretum hujusmodi perindè à dicta die 1°. Kal. Junii suum sortiantur effectum ac si super illis ipsius prædecessoris litteræ sub ejusdem diei data confectæ fuissent, prout superiùs enarratur, quòdque præsentes litteræ ad probandum plenè absolutionem, unionem, annexionem, incorporationem & decretum prædicta ubique sufficiant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ voluntatis & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire, si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei ac BB. Petri & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ 1522. pridie Kal. Septembris, Pontificatûs nostri anno primo N. B. Cam.

Charta Humberti Basileensis Episcopi.

NOs Humbertus Dei & apostolicæ Sedis gratiâ Electus, confirmatus Episcopus Basileensis. Notum fieri cupimus universis, quòd cùm dudum de consensu venerabilium Fratrum nostrorum Dominorum Præpositi, Decani, & Capituli Ecclesiæ Basileensis, Religiosis, in Christo nobis dilectis, Fratribus Abbati & Conventui monasterii Bellelagiæ, Ord. Præmonstratensis, nostræ Basil. Diœc. liberè concesserimus, permiserimus, & indulserimus, quòd ipsi Abbas & Conventus in grangiis & domibus ac curtinis dicti monasterii, tam infrà septa & valles ipsius monasterii, quàm in villis *Rebevellier*, & in *Ressine* quot voluerint, & in *Reconvellier* unum, in *Buestingen* unum, in *Loveresse* unum in *Sacourt* unum, in *Tavanne* unum, & in *Pontenet* duos ducere, locare & habere possint & valeant colonos de dominiis quibuscumque, dominio Ecclesiæ nostræ Bas. & hominibus & colonis ad idem dominium Ecclesiæ Basileensis pertinentibus, duntaxat exceptis, ipsisque colonis hujusmodi in dictis grangiis, domibus & curtinis locandis & habendis ut præfertur, eorumque ab eis procreandis successoribus gratiam fecerimus, prout in littera desuper habita atque facta, & sigillis nostro, & dicti Capituli nostri pendentibus sigillata, pleniùs continetur, quam hîc habere volumus pro inserta. Idcirco volentes ob continuam familiaritatem, & multiplicia servitia nobis & dictæ Ecclesiæ Basil. per venerabilem nobis in Christo dilectum fratrem Henricum *Sleer* Abbatem dicti monasterii hactenùs impensa, & impendenda, ut confidimus, in futurum, eisdem Abbati & Conventui gratiam facere ampliorem, eos uberiore dono gratiæ prosequendo, de consensu & voluntate Dominorum de Capitulo prædictorum, concessimus, permisimus, & indulsimus, concedimus, permittimus, indulgemus & favemus per præsentes pro Nobis & successoribus nostris Episcopis Basil. quòd Abbas & Conventus prædicti, suique successores, de hominibus Ecclesiæ nostræ Basil. prædictæ, qui extra terram & dominia ejusdem Ecclesiæ ad aliena loca & dominia se receperunt & diverterunt, nec non de hominibus dictæ Ecclesiæ nostræ, quorum loca ubi mansiones habuerunt, vel habituri sunt de ipsa Ecclesia impignorata non sunt, aut impignorabuntur, recipere, locare possint, & habere usque ad unum duodenarium sive duodecim homines ad habitandum infrà septa & valles, ac in villis de quibus est præscriptum, ubi in eisdem septis & vallibus, & villis hujusmodi tunc dictis Abbati & Conventui visum fuerit expedire, si tamen, quòd uno, duobus, vel tribus, vel pluribus à dictis locis, aut altero ipsorum divertentibus, recedentibus, aut per mortem decedentibus, vel aliàs loca ipsa dimittentibus, liceat ipsis Abbati & Conventui in locum seu loca hujusmodi recedentium, decessorum, aut dimissorum, alium, aut alios ponere, habere, & locare de hominibus jam præfatis usque ad dicti numeri duodenarii perfectionem expletam, quibus etiam colonis recipiendis, permissis, & procreandis ab eisdem successoribus talem fecimus & facimus gratiam per præsentes, quòdque diù dicti coloni in domibus, grangiis, & curtinis prædictis locandi & habendi ut est præmissum, & eorum successores prænotati fuerint, & mansionem habuerint in eisdem ab omni steurarum & petitionum in gallico dictorum *Enguisses*, executione & præceptis & mandatis aliis quibuscumque quas Nos aut Officiales nostri quicumque, seu Communitates vel Villarum nostrarum villici quarumcumque ab ipsis petere & exigere possemus, & possent de jure vel de facto aut aliis modis & actionibus quibuscumque exempti sint, quitti, liberi penitùs & absoluti prout & nos Humbertus Episcopus Basil. prædictus eosdem colonos & eorum successores præscriptos pro nobis & successoribus nostris Episcopis eximimus, quittamus, liberamus & absolvimus, sub his tamen conditionibus videlicet, quòd quilibet pater-familias, aut eo mortuo sua familia, dictorum colonorum nobis & successoribus nostris Episcopis Basil. singulis annis ex nunc in antea in festo S. Martini Episcopi, unum florenum auri bonum & legalem & in Carnisprivio unum caponem tradere & exsolvere, nec non temporibus duntaxat cùm vexillum seu pannerium de *Tebperg* in expeditionibus in campis, & ipsis colonis hoc præceptum fuerit id ipsum vexillum sequi, & sicut cæteri ibidem existentes facere debeant & teneantur, dolo & fraude in his penitùs exclusis. Hoc tamen Nobis & successoribus nostris Episcopis Basil. salvo, & reservato, videlicet quòd si terræ vel loca de dicta Ecclesia nostra impignorata prætacta per Nos vel successores nostros redimi contingeret, aut redimerentur, ex tunc homines qui de eisdem terris & locis sic redemptis per dictos Abbatem & Conventum recepti fuissent, ut prætangitur, Nobis & eisdem successoribus in solutione & ad solutionem steurarum & aliorum jurium nobis debitorum teneantur & sint adstricti in omnem modum, quem & prout alii homines nostri in dictis redemptis locis adstricti sunt, atque tenentur. Volumus tamen nihilominus quòd litterâ de qua supra fit mentio, in suo robore debeat permanere, nec ei per præmissa in aliquo intendimus derogare. Item volumus etiam quòd coloni prædicti se nullibi debeant aut teneantur per modum Burgensium obligare, seu civilegium quodcumque sibi assumere vel acceptare, sed permanere cum & sub dominio Ecclesiæ Basil. prælibatæ, quandiu in supra dictis curtinis fuerint, seu moram traxerint in eis-

dem. In quorum præmissorum de quibus duæ æquales litteræ ejusdem tenoris, una pro Ecclesia nostra Basil. & alia pro Abbate & Conventu prædictis sunt confectæ, testimonium, sigillum nostrum Episcopale his litteris fecimus appensari. Et nos Præpositus, Decanus, & Capitulum præfati, recognoscentes præmissa omnia & singula prout præscripta sunt, de nostris scitu, consensu, & voluntate fuisse & esse peracta, idcirco capitulariter, unanimiter, & concorditer ea approbamus, sigillum dicti nostri Capituli unà cum sigillo dicti R. in Christo Patris ac D. D. nostri Humberti Electi, confirmati Episcopi Basil. præsentibus est appensum in evidentius testimonium præmissorum. Datum & actum Basileæ anno Domini MCCCCIV. Feriâ proximâ post festum S. Martini Episcopi.

Charta.

NOs Humbertus de *Novo-Castro* Dei & apostolicæ Sedis gratiâ Basil. Episcopus ad universorum notitiam deduci cupientes quòd nostri prædecessores Episcopi Basil. à longis temporibus monasterium Bellelag. Præmonst. Ord. nostræque Diœcesi. Basil. favoribus prosequi gratiosis conabantur. Nos igitur eorum vestigia sequi desideramus, attendentes enim personas inibi Deo famulantes propter tenuitatem redditüum commodè non posse sustentari. Quapropter ob nostræ prædecessorumque nostrorum animarum remedium & salutem, pro ipsius monasterii personarum necessitatibus sublevandis, Divini quoque cultûs monasterii ejusdem in augmentum, religiosis & nobis in Christo dilectis Fratribus Abbati & Conventui monasterii jam tacti redditus, proventus, jura & obventiones altaris B. Catharinæ Virginis nuper fundati in Ecclesia Parochiali in *Tasfenen* dictæ nostræ Basil. Diœcesi. dudum Fratribus eisdem ad mensam communem........

Charta Hugonis de Gornaco, *pro fundatione* Bellozanæ. *Anno 1198.*

UNiversis Sanctæ Matris Ecclesiæ filiis, ad quos præsens scriptum pervenerit, Hugo de *Gornaco* salutem. Notum sit tam omnium futurorum, quàm præsentium charitati, quòd Ego Hugo de *Gornaco*, divinæ pietatis & dilectionis intuitu, pro salute animæ meæ & patris mei, & matris meæ & aliorum antecessorum meorum, & pro salute hæredum meorum; in propria hæreditate mea, in foresta mea juxta *Bellosanam* in honore Dei & Salvatoris nostri Jesu-Christi, & Beatissimæ Virginis Mariæ matris ejus, fundavi Abbatiam; ibique ad serviendum Deo in perpetuum, secundùm Regulam Beati Augustini & consuetudines Ordinis Præmonstratensis, Abbatem & Conventum piè institui: ad quorum victum & vestitum & ad necessaria Christi pauperum ad se confluentium, secundùm possibilitatem loci, de terris & redditibus & justis acquisitionibus meis, in puram, perpetuam, & liberam eleemosynam, Omnipotenti Deo & Beatæ Mariæ, & Abbati & Canonicis ibidem Deo servientibus, ea, quæ subscripta sunt, super altare ejusdem Abbatiæ devotè obtuli, scilicet locum illum, in quo fundata est Abbatia: & quamdam petiam forestæ meæ de *Braio* juxta Abbatiam, sicut signa facta fuerunt, quando donavi eam, & sicut fossata ibi facta demonstrant, usque ad rivulum, qui descendit de *Merval* in forestam: & totum alnetum, quod est inter nemus Canonicorum & rivulum de *Merval*; & quamdam petiam unius campi, qui fuit *Asse* de *Cronge*, inter ipsam Abbatiam & villam de *Bellozana*, & Ecclesiam sancti Petri de *Vellebue* cum Capella sancti Aniani & Ecclesiam sancti Martini de *Bremontier* cum Capella sancti Leonardi de *Merval*, & Capellam sanctæ Margaretæ de *Bellozana*, & quidquid juris & libertatis Abbatia de *Beccoberlum* & Ego habuimus in prædictis Ecclesiis & Capellis & in omnibus pertinentiis & decimis & libertatibus earum, exceptâ Capellâ Beatæ Mariæ, quæ est in curia mea de *Bellozana*, quam in manu mea retinui ad voluntatem meam faciendam, ita quòd Canonici præfati in prædicta mea Capella nullam reclamationem facere possunt. Et præterea totum massagium, cum toto pomerio, quòd Monachi de *Beccoberlum* habuerunt apud *Bremontier*, cum omnibus terris & tenementis, quæ iidem Monachi supra Montes habuerunt; cum omnibus libertatibus, & quittationibus, quas sæpè-fati Monachi in omnibus præscriptis teneamentis, & pertinentiis eorum habuerunt: & juxta pomerium suum dedi eis terram triginta pedum latitudinis in masura, quam tenuit Radulphus *Fauvel*, usque ad communem viam villæ & totam culturam de *Betonessart*, & totam culturam de Bosco, & totam culturam de *Genete Maria*, & unam petiam terræ juxta *Andon*, & culturam de *Mesnil*, & totam culturam *Thalasmi*, & unum campum in Monte Richardi, & culturam de *Bequerel*, & culturam de *Rustachon* & unam virginatam juxta, & aliam ad viam *Romeisen* & virgatas tres ad spinam de *Merval* & Ecclesiam de *Thil* cum omnibus suis pertinentiis: & quidquid juris in eadem Ecclesia habebam, quam mihi Simon de *Belsac* donavit. Et iterum donavi prædictæ Abbatiæ totam terram, quam escambiavi ab Odone de *Bremontier* apud Bellozanam, præter hortos & prata. Dedi etiam his unam culturam terræ, quam emi ab Ydra filia Philippi de *Corcelles*, quæ vocatur cultura de *Sablonia*. Et quamdam terram, quam emi ab Albereda filia Willielmi *Blanguian*, quæ dicitur campus de *Prato-Monachi*, & juxta terras, quæ fuerunt Monachorum de *Becche* supra Montes. Dedi eis particulam nemoris mei à *Tronqueta* ad viam, quæ venit per ante Rogos de *Busco Erembodi*, sicut divisiones demonstrant, ad ibi ædificandum sibi manerium, & centum acras terræ in *Haya* de *Macy* propinquiores bosco Monachorum de *Bellobecco* pro qua terra Monachi de *Belbec* reddere debent centum minas frumenti singulis annis, ad minam Rothomagi, præfatis Canonicis ad Festum omnium Sanctorum recipiendas in grangia de *Morimont*, de meliori frumento post sementem, sive terra fuerit culta, sive non. Pasnagia quieta porcorum suorum, & pasturas suorum animalium, & mortuum boscum in foresta mea & haiis meis de *Braio* pacificè habeant & possideant. Et præterea eisdem Canonicis concessi libertatem vendendi & emendi ea, quæ necessaria fuerint ad proprios usus prædictæ Abbatiæ per totam terram meam, absque ulla consuetudine danda. Hæc autem omnia præscripta ad fundationem Abbatiæ meæ de *Bellozana* libera & absoluta ab omni seculari servitio, & ab omnibus exactionibus & querelis mihi & hæredibus meis pertinentibus, nihil in prædictis eleemosynis mihi vel hæredibus meis retinens, præter orationes & beneficia spiritualia, Deo & Beatæ Mariæ in perpetuum donavi. Ut autem hæc donatio mea, rata & inconcussa perseveret, appositione sigilli mei & præsenti scripto corroboravi. Actum est hoc Verbi Incarnati anno MCXCVIII. Teste Domino Gualtero Rothomagensi Archiepiscopo, omnes prædictas donationes approbante & confirmante. Teste etiam Hugone de *Cantevilliers* Abbate de *Beccoberlum*. Roberto Abbate de *Bellobecco*. Gaudefrido Abbate de *Insula-Dei*. Roberto Abbate de *Ardena*. Magistro Roberto de sancto Paterno Ro-

thomagensi Archidiacono. Magistro Hugone de *Archis*. Odone Capellano Domini Hugonis de *Gornaco*. Radulpho Thesaurario de *Gornaco*. Ric. de *Anfay*. Radulpho de *Maillon*. Hermendo de *Merval*. Egidio de *Hodene*. Morello Fratre suo Portario. Nicolao de *Froessegres*. Hugone de *Agia*. Willelmo de sancto Martino. Adamo de *Ferrieres*. Acardo Malovicino & pluribus aliis.

Charta Philippi Pulchri recensentis & confirmantis diplomata Regum Angliæ. Anno 1314.

PHilippus Dei gratiâ Francorum Rex. Notum facimus universis tam præsentibus, quàm futuris, Nos infra scriptas vidisse litteras in hæc verba. Universis sanctæ Matris Ecclesiæ filiis ad quos præsens scriptum pervenerit &c. *ut in fundatione supra scripta.*

Alia Charta.

RIchardus Dei gratiâ Anglorum Rex, Dux Normaniæ, Aquitaniæ, Comes Andegavensis, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Comitibus, Baronibus, Justiciariis, Vicecomitibus, Senequalchis Præpositis, Ballivis, & omnibus ministris & fidelibus suis, salutem. Sciatis nos concessisse, & præsenti charta nostra confirmasse Deo & Beatæ Mariæ de *Bellozana*, & Abbati & Canonicis Præmonstratensis Ordinis, ibidem Deo & Beatæ Mariæ servientibus, rationabilem donationem, quam Hugo de *Gornaco* eis fecit, de loco ipso, in quo fundata est Abbatia Beatæ Mariæ de *Bellozana*: & quamdam petiam forestæ suæ de *Brayo*, juxta ipsam Abbatiam & quidquid idem Richardus habebat de dominio suo infra viam, quæ vadit à *Gornaco* ad Feritatem; & boscum Canonicorum, & unum maisagium cum toto pomerio, quod Monachi de *Beccoherlum* habebant apud *Bremontier*; & totam decimam quam in eadem villa habebant, &c. Quare volumus & firmiter præcipimus, quòd dicta Abbatia & Canonici ibidem Deo & Beatæ Mariæ servientes, prædictas donationes omnes cum libertatibus, & liberis consuetudinibus, à prædicto Hugone sibi concessis, habeant & teneant benè & in pace, liberè & quietè & integrè, plenariè, & honorificè, in bosco, & in plano, in pratis & pasturis, in aquis & molendinis & stagnis, in viis & semitis, & in omnibus locis & libertatibus ad prædictas donationes pertinentibus, cum omnibus libertatibus & liberis consuetudinibus suis, sicut charta ejusdem Hugonis testatur. Testibus iis; Joanne Comite Moretaniæ Fratre nostro. R. Com. Vüllo de *Hmnet*, Constaburio Normanniæ. Roberto de *Harecort*. Rob. de *Haya*. Rad. Capellano nostro. D. Hôm. de *Herdem*. Joanne de *Brancostr*, & pluribus aliis. Data per manum Ec Ec Lyrên Episcopi Cancellarii nostri apud *Longum-campum* XIII. die Julii anno nono Regni nostri.

Item alia Charta.

JOannes Dei gratiâ Rex Anglorum, Dominus Hiberniæ, Dux Normanniæ, Aquitaniæ, & Comes Andegavensis, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Comitibus, Baronibus, Justiciariis, Vicecomitibus, Præpositis, & omnibus Ballivis, salutem. Sciatis Nos concessisse, & hâc nostrâ chartâ confirmasse, Abbati & Canonicis de *Bellozana* omnes donationes subscriptas, quas Hugo de *Gornaco* eis fecit. Scilicet locum illum, in quo fundata est Abbatia de *Bellozana*; & quamdam petiam forestæ de *Brayo*, juxta ipsam Abbatiam, sicut signa facta fuerunt, quando ipse Hugo de *Gornaco* eam eis donavit, & sicut fossata ibi facta demonstrant, usque ad rivulum qui descendit de *Merval*. & quandam petiam unius campi, qui fuit *Asse* de *Carouge*, inter ipsam Abbatiam, & villam de *Bellozana*, & Ecclesiam sancti Petri de *Ellebuc*, cum Capella Sancti Aniani: & Ecclesiam sancti Martini de *Bremontier*, cum Capella sancti Leonardi de *Merval*, & Ecclesiam sanctæ Margaretæ de *Bellozana*, & quidquid juris & libertatis Abbatia de *Beccoherlum* & prædictus Hugo habuerunt in prædictis Ecclesiis & Capellis, & in omnibus pertinentiis, & decimis & libertatibus earum, exceptâ Capellâ Beatæ Mariæ, quæ est in Curia ipsius Hugonis apud Bellozanam, quam in manu sua retinuit ad voluntatem suam faciendam; ita quòd Canonici prædicti in præfata Capella nullam reclamationem facere possint. Et præterea totum masagium, cum toto pomerio, quod Monachi de *Beccoherlum* habuerunt apud *Bremontier*, cum omnibus terris & tenementis, quæ iidem Monachi habuerunt in parochia de *Bremontier*, exceptis hospitibus cum masuris eorum & duas carrucatas terræ, quas iidem Monachi habuerunt supra Montes, cum omnibus libertatibus & quietationibus, quas præfati Monachi in omnibus præscriptis tenementis eorum habuerunt. Et juxta pomerium suum terram triginta pedum latitudinis in mazura, quam Richardus *Favuel* tenuit, usque ad communem viam villæ. Et totam culturam de *Betonessart*. Et totam culturam de Bosco. Et culturam de *Geneste*, Mariæ. Et quandam petiam terræ juxta crucem *Hodene*. Et culturam de *Mesnil*. Et Culturam *Thalami*. Et unum campum in Monte Richardi. Et culturam de *Becrel*, & culturam de *Rasinchon*, & unam virgatam juxta . . . . & aliam ad viam *Romeyson*. Et tres virgatas ad spinam de *Merval*. Et Ecclesiam de *Thil* cum omnibus suis pertinentiis; & quidquid juris Hugo ipse habuit in eadem Ecclesia, quam Simon de *Belsac* ei donavit. Et totam terram quam prædictus Hugo escambiavit ab Odone de *Bremontier* apud Bellozanam, præter hortos & prata. Et unam culturam terræ quam sæpe nominatus Hugo emit ab Hydra, filia Philippi de *Corcellis*, quæ vocatur cultura de *Sabloneria*. Et quandam terram quam emit ab Albereda filia Guillelmi *Blanquemain*, quæ dicitur campus de Prato Monachi, & juxta terras, quæ fuerunt Monachorum de *Becco* supra Montes. Particulam nemoris à *Tronqueta* ad viam, quæ venit per ante rogos de *Busco Erembordi* sicut divisiones demonstrant ad ibi ædificandum sibi manerium, & libertatem vendendi & emendi ea, quæ necessaria sunt ad proprios usus Abbatiæ suæ, per totam terram ipsius Hugonis, absque consuetudine danda. Hæc autem præscripta concessimus & confirmamus eis habenda & tenenda, sicut charta ipsius Hugonis, quam habent, rationabiliter testatur. Testibus Guillelmo Archiepiscopo Ebôri. Guillelmo Marescallo Comite de *Pembroc*. Rogerio de *Theone*, Guillelmo de *Stagno*, Stephano de *Longo-Campo*. Fulcone de *Campi-Lupo*. Petro de *Scolieres*, Guillelmo de *Sancto-Lupo*, Odone de *Bremontiers*. Datum per manum S. Archidiaconi Welleñs apud *Lyram* septima die Januarii anno Regni nostri primo.

Nos salutem attendentes Ecclesiasticis personis, & maximè sub regulari habitu deo famulantibus, manum charitativam porrigere apud homines esse laudabile, & meritorium apud Deum, ut nostræ prædecessorum nostrorum recolendæ memoriæ Joannæ Dei gratiâ Francorum & Navarræ Reginæ consortis nostræ quondam charissimæ, animabus, majestatis divinæ clementiam possimus acquirere, res & possessiones prædictas, Religiosis prædictis per supra di-

ctum Hugonem erogatas, & per Reges prænominatos confirmatas, prout ex præcedentium litterarum apparet tenoribus, eisdem Religiosis, quatenùs eas habuerunt hactenùs, & pacificè possederunt eisdem concedimus donationes & confirmationes factas volumus, laudamus, approbamus, & nostra authoritate Regià tenore præsentium confirmamus; nostro tamen in aliis, & alieno in omnibus jure salvo. Quod ut perpetuæ stabilitatis robur obtineat, præsentes litteras sigilli nostri fecimus impressione muniri. Datum apud Bellozanam anno Domini millesimo trecentesimo quarto decimo mense Augusti.

Confirmatio Gualteri Rothomagensis Archiepiscopi anno 1190.

UNiversis Christi fidelibus, ad quos præsens scriptum pervenerit, Gualterus Dei gratià Rothomagensis Archiepiscopus, salutem in Domino. Ne Deo semel oblata, collata, & dicata profanentur, vel in usus seculares convertantur, ad omnium notitiam volumus pervenire, Nos Ecclesias, grangias, & reditus, & libertates, quæ dilectus filius noster Hugo de *Gornaco* contulit Deo & Beatæ Mariæ, ad fundandum & dotandum Ecclesiam apud *Bellozane*, in qua Abbas & Conventus juxta consuetudinem Ordinis Præmonstratensis ministrarent, Deoque devotè servirent autoritate pontificali confirmasse, cum cæteris omnibus quæ piè & justè eidem loco conferentur. Sunt autem hæc collata à prædicto Hugone, locus scilicet in quo fundata est Abbatia, & quædam portio forestæ ejus de *Brayo* juxta ipsam Abbatiam, sicuti signa facta fuerunt quando donavit eam & sicut fossata ibi demonstrant usque ad rivulum qui descendit de *Merval* in forestam, & totum alnetum quod est inter nemus Canonicorum, & rivulum de *Merval*, & quædam portio unius campi, qui fuit *Asse* de *Carouge* inter ipsam Abbatiam & villam de *Bellozana*, &c. Confirmavimus etiam dictis Canonicis de *Bellozana* Ecclesiam sancti Luciani quam dedit eis Ingueranus de sancto Luciano cum omnibus pertinentiis ejusdem. Confirmavimus etiam eisdem omnia quæ contulit eis Odo de *Bremontier*, scilicet quidquid terræ habebat in prato & mora *Cecnilis*, & totam portionem terræ quam habebat juxta *Barbedelon*, & totam portionem terræ quæ fuit Simoni *Hochede* juxta terram Radulphi *Bursi*, & totam terram quam habebat ante Abbatiam de *Bellozana* juxta terram Hugonis de *Age*, & terram quam Adam de *Saint Ouen* confirmavit eis de dono Balduini patris sui, scilicet quam habuit juxta rivulum campi de *Ovines* & rivulum de *Merval* in dominio suo & pratum quod Adam de Sancto Ovino dedit eis quod est in capite prati Christianæ, quod fuit Richardi *Fabry*, cum omni libertate & libera consuetudine. Dedimus autem & confirmavimus dictis Canonicis omnes prædictas Ecclesias cum omnibus pertinentiis, salvis honestis vivariis Sacerdotum in prædictis Ecclesiis ministrantium, & salvo jure Pontificali in proprios usus convertendas. Concessimus etiam eis & confirmavimus viginti libras reditûs quas Dominus Joannes Rex Angliæ, dum Comes fuit Moritaniæ, eis in insula de *Gerse* dedit, & postea factus Rex sigillo Regio confirmavit, sicut in chartis ipsius quas prædicti Canonici habent continetur. Ut autem hæc omnia prædicta in perpetuum inconcussa permaneant ex præsenti scripto & sigilli nostri munimine roboravimus. Omnibus autem hanc chartam servantibus, sit salus, gratia Dei & abundantia pacis in virtute Spiritûs sancti; eam autem infringentibus, sit ira & indignatio Dei sicut filiis diffidentiæ. Testibus Magistro Roberto Archidiacono. Magistro Simone Cancellario, Magistro Joanne de *Villers*. Henrico de *Andelito*, & Gualtero de *Brevia* Canonicis Rothomagensibus. Roberto de sancto Nicolao Capellano, Magistro Guilberto de Marcello. Magistris Badûs de *Constant*, & Guillelmo de *Desac*, Richardo *Hayrd* Notario & multis aliis. Actum anno Incarnat. Dominicæ MCXCIX. XIII. Kal. Februarii. Pontificatûs nostri anno quarto decimo apud Rothomagum.

Charta Donationis Ecclesiæ B. Mariæ de Valle Guidonis *factæ Abbatiæ* Bellozanensi.

SCiant omnes præsentes & futuri, quòd Ego Guido *Malus-vicinus*, Dominus de *Rodonio*, dedi & concessi in puram & perpetuam eleemosynam pro salute animæ meæ & pro salute animarum patris & matris meæ, & omnium antecessorum & hæredum meorum, Deo & Ecclesiæ Beatæ Mariæ de *Bellozana* Premonstratensis Ordinis, & Canonicis ibidem Deo servientibus, Ecclesiam Beatæ Mariæ sitam in dominio meo de *Valle Guidonis*, cum toto pourpritio & cum undecim carpentis forestæ meæ sitis inter dictam Ecclesiam, & Menillium Reginardi sicut metæ & signa facta fuerunt, quando donavi eam, dedi etiam dictis Canonicis medietatem Vallis Guidonis à via quæ dicitur *Gochet* usque ad viam quæ tendit de *Vernone* versùs *Meduntam*. Et totam terram quesnei mei cum bosco qui ad me ibi pertinet sicut metæ & signa demonstrant subtus semitam quæ tendit de *Bodmers* versùs Ecclesiam *Vallis Guidonis*, & sexaginta solidos Parisienses in reditu meo de *mundata* illis annuatim reddendos infra quindenam Pentecostes, per manum propositi recipientis præposituram de *Rodonio* in *Meduntа*, & octo libras Parisienses percipiendas singulis annis in festo sancti Remigii per manus majoris & parvi de *Vitolio*, & duo doubleria plena vini percipienda singulis annis in tempore vindemiarum apud *Vetolium* in vinea quæ vocatur vinea de *Thomas*, ita quòd quicumque dictam vineam possideat prædicta duo doubleria plena vini ejusdem vineæ præfatis Canonicis, vel eorum mandato liberè & quietè reddere tenebitur sine aliquibus sumptibus tempore vindemiarum, vel aliis temporibus ex parte dictorum Canonicorum in prædicta vinea, ponendis, si autem ad dictum terminum, dictis Canonicis vel eorum mandato, duo dicta doubleria plena vini non redderent, licet dictis Canonicis in manu sua dictam vineam capere, & sicut suam propriam possidere & sexaginta arpenta terræ sita in landa de *Frevilla* extra boscum, & duo arpenta nemoris mei sita juxta prædictam terram & pasturam viginti vaccis & vitulis sequentibus in tota foresta mea de *Cheuse* exceptis talleis meis & pasnagium quietum sexaginta porcis in tota foresta mea præter notata exceptis talleis meis, & sciendum est quòd cùm Ælicia mater mea Domina de *Vetolio* dedisset & concessisset dictis Canonicis in puram & perpetuam eleemosynam sex sextarios bladi ad mensuram *Meduntæ* percipiendos annuatim in molendinis suis de *Vetolio* infra mensem Decembris. Ego & dicti Canonici amicabiliter fecimus talem commutationem videlicet quod ipsi quitaverint mihi & hæredibus meis in perpetuum sex sextarios bladi supra dictos, & Ego quitavi eis sex sextarios avenæ quos mihi debebant & hæredibus meis nomine reditus annuatim persolvendos ratione cujusdam terræ quam de me tenebant, sitæ juxta prædicta sexaginta arpenta terræ. Præterea cum Ælicia soror mea uxor nobilis viri Guillelmi Buticularii Silvanectensis, de assensu & voluntate ejusdem Guillelmi dedit & concessit præ-

dictis Canonicis decem libras parisienses annui reditûs percipiendas singulis annis in festo sancti Remigii per manum Præpositi recipientis talliam de *Chausors* & unum modium avenæ percipiendum singulis annis in crastino Natalis Domini per manum servientis sui qui reditus suos apud *Sommesam* recipit, sicut in charta ejusdem Guillelmi pleniùs continetur. Ego istas donationes tanquam Dominus Capitalis feodi volo, laudo, & præsenti chartâ confirmo, & ne dicti Canonici de *Bellozana* istis donationibus videantur ingrati, ipsi tenebuntur ponere quinque Sacerdotes de suis Canonicis in Ecclesia Beatæ Mariæ de *Valle Guidonis*, videlicet quatuor pro eleemosynis, quas eisdem contuli, de ipsis reditibus meis, & quintum pro eleemosyna quam Ælicia soror mea eisdem contulit, sicut superiùs expressum est, qui ibidem divina mysteria celebrabunt. Si verò contigerit quòd dicti Canonici de *Bellozana* dictos quinque Sacerdotes in prædicta Ecclesia de *Valle Guidonis* non posuerint, sicut superiùs continetur, omnes præfatas donationes in manu mea mihi tenere licebit & hæredibus meis similiter, donec prædicti quinque Presbyteri in dicta Ecclesia fuerint restituti. Ut autem dictas donationes eleemosynariè factas, ratas & inconcussas firmum robur in posterum obtineat, præsentem chartam sigilli mei munimine roboravi. Actum anno gratiæ millesimo ducentesimo tricesimo quarto, mense Maio.

Charta Caroli VI. Regis Galliæ, quâ præbendam Collegialis Ecclesiæ de Gornaco *incorporat* Bellozanæ. *Anno 1399.*

CHarles par la grace de Dieu, Roy de France, au Bailly de Caux, ou à son Lieutenant, salut. Oüi avons la supplication de *Bellosanne* prés *Gournay* en vôtre Bailliage, contenant que comme pour cause de vastations des guerres & plusieurs autres fortunes avenuës à ladite Abbaye qui est de fondation Royalle, a été icelle & est moulte diminuée de biens, rentes, revenus pour ce ja pieça eût été à ladite Abbaye annexée & adjoint perpetuellement par nos prédecesseurs Roys de France, & par Lettres & Chartes sur ce faites, & scellées en las de soye & cire verte, & par nous icelles confirmées, une des Chanoinies & Prébendes de l'Eglise de saint Hildevert de *Gournay*, la premiere qui lors vacqueroit & eschéroit à ce que l'Abbé & autres Successeurs Abbés d'icelle Abbaye fussent & soient reçus à ladite Eglise de *Gournay*, & tenus comme Chanoines en cœur & en tous les honneurs, droits, profits, & émolumens qu'à Chanoine d'icelle Eglise peut compéter & appartenir. Ainsi comme ces choses & autres par nosdites Lettres de confirmation ont put plus à plein apparoir, néantmoins sous l'ombre de ce que notre tres chere & amée Dame la Reine Blanche, que Dieu absolve, a long-temps tenu en Domaine les Terres & Laux où ladite Eglise de *Gournay* est assise, & que le Doyen & Chapitre d'icelle Eglise voudroient peut-être aucunement empêcher lesdits Religieux, & aussi mêmement que à présent si l'une desdites prébendes vacquoit; Nous de ce que dit est non recolans la pourrions donner à aucun qui voudroit par ce en joüir, lesdits Religieux n'ont pû, ne pourroient être de ladite prébende pourvûs ne bonnement joüir de nosdites Lettres de confirmation, & leur seroient pour ce de nul effet ou valoir, si comme ils disent réquérants sur ce notre grace & provision.

Nous, ces choses considérées, voulant nosdites Lettres de confirmation sortir & avoir leur plein effet, & les volontés & ordinaires de nosdits prédécesseurs, & de Nous être en cé entierement accomplies, vous mandons, & parce que ladite Eglise est assise és Terres de vôtre Bailliage, commettons que au cas dessus dit vous faites, ou faites faire exprés commandement de par Nous auxdits Doyen & Chapitre de *Gournay* que de la premiere Prébende ou Chanoinie qui vacquera en ladite Eglise, ils en pourvoyent l'Abbé de ladite Eglise de *Bellozanne*, qui à présent est pour lesdits Religieux, & l'en fassent & souffrent & laissent joüir paisiblement selon la force & teneur de nosdites Lettres dont il vous apparoistra en contraignant à ce lesdits Doyen & Chapitre, par la prinse de leur temporel, & tous autres qui pour ce seront à contraindre par toutes les voyes & manieres dûës, & en cas d'opposition faites aux parties icelles ouyes, sur-tout sommairement & de plain en assises, & dehors par compétentes déclarations bon & bref accomplissement de Justice: Car ainsi Nous plaist-il être fait de fait de grace spéciale par ces présentes, nonobstant stil ou coutume du pays quant à ce dit chef ou quelconques Lettres subreptices à ce contraires. Donné à Paris le dixiéme jour de Mars, l'an de grace mil trois cens quatre-vingt & dix-neuf & de notre Regne le vingtiéme.

Charta Theodorici Archiepiscopi Bisuntini pro consecratione Ecclesiæ Belli-Campi *anno 1183.*

THeodoricus divinâ miseratione Bisuntinæ Sedis Minister, præsentibus & futuris rei gestæ notitiam. Sciant quotquot opportunum scire fuerit, quòd cùm inter Canonicos Ecclesiæ Montis-Belligardi & fratres Belli-Campi, super quarumdam concambiis terrarum, & commutationibus, controversia versaretur, ita quòd Canonici Ecclesiæ Montis-Belligardi, ex calumpnia quam erga eos proponebant, dedicationem Ecclesiæ impedirent, Fratres Belli-Campi instrumenta produxerunt, quibus quod proponebant, ratum esse ex testimonio Karthæ prædecessoris nostri Humberti, felicis memoriæ, probaverunt. Tandem cùm in præsentia nostra, ea quæ ad causam facere videbantur ..... allegassent, in nos utriusque partis assensu præsentibus & testibus Humberto Salinensi Archidiacono, Amedeo Ecclesiæ sancti Stephani Cantore, Richardo Decano Montis-Belligardi, Odone Cantore Sti Johannis, Amedeo Comite Montis-Belligardi, Petro & Johanne Ecclesiæ Montis-Belligardi Canonicis, Moranno & Hugone Militibus, compromiserunt. Nos verò instrumenta Fratrum Belli-Campi diligenter inspicientes authoritate dicti nostri prædecessoris, cum voluntate & pace dictorum Canonicorum Ecclesiæ Montis-Belligardi, Ecclesiam Belli-Campi consecravimus & Kartham prædecessoris nostri ..... omnibus aliis querelis eorum, de cætero ratam permanere decrevimus. Hæc autem quæ in præsentia nostra facta sunt, rata & immutabilia permanere volentes, sigilli nostri munimine corroborari fecimus. Actum anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo octuagesimo tertio. Datum per manum Amedei Cancellarii nostri.

Transactio inita inter Abbatem de Corneolo, *&* *Comitem* Montis-Bellicardi *super Abbatia* Belli-Campi *annis 1630. & 1631.*

SOit notoire à tous qu'il appartiendra, que comme par cy-devant sur l'instance & poursuite envers sa Majesté Imperiale par le Sieur Rev. Abbé de Rotte, Vicaire General de l'Ordre Prémontré au

circle de Suabe en Allemagne pour le retablissement de l'Abbaye de Belchamp, biens & revenus en dépendants ſis & ſitués au Comté de Montbelliard, il auroit plait à icelle Sa Majeſté par une ſienne lettre cloſe, mander à fut tres illuſtre Prince & Seigneur Loys Friderics Duc de Wirtemberg & Thec Comte de Montbelliard &c. de laudable mémoire, faire apparoir à quel droit & tiltre il détenoit leſdits biens qu'iceluy ſieur Abbé diſoit être par lui ſaiſis & occupez. Ce que déſirant faire avec humble reſpect, ſeroit arrivé que le ſieur Révérend Abbé de Corneul adverty de telle pourſuite, & prétendant icelle lui appartenir en qualité de Viſiteur & Pere Abbé de ladite Abbaye de Belchampts & Vicaire general dudit Ordre au circle de Bourgogne & Seigneuries limitrophes, icelui l'auroit repréſenté tant au Seigneur Révérendiſſime Général, qu'à tout le Chapitre général de leur Ordre tenu à Prémontré le cinquiéme jour du mois de May 1630. deſquels auſſi à ce regard il auroit obtenu pouvoir & commiſſion non ſeulement de faire la ſuſdite pourſuite & répétition, mais voyres en cas de beſoin de traiter & tranſiger deſdits biens & revenus de ladite Abbaye. Ce qu'ayant fait entendre à Sadite Alteſſe, il lui auroit pleu d'agréer qu'il en entrat en conférence avec leſdits Sieurs ſes deputés cy aprés dénommez, pour avec iceux adviſer à un amyable accommodement de tel fait, auquel effet s'eſtant retreuvé en ce lieu de Montbelliard le 9. jour d'Octobre 1610 aſſiſté du ſieur Docteur Lampinez, Conſeiller à préſent en la Souveraine Cour de Parlement à Dole, & ſoit abbouché avec les Sieurs députez, aprés leur avoir fait apparoir de ſadite charge & pouvoir, leur auroit auſſi fait répréſenter qu'en telle qualité d'Abbé de ladite Abbaye de Corneul lui compétoit & appartenoit le droit de la viſitation & inſpection ſur ladite Abbaye de Belchampts, & de plus de la collation & pourvoyance d'icelle, comme étant une fille de ſadite Abbaye ; que néanmoins il ſeroit arrivé qu'en l'an 1552. Frere Nicolas Avenne qui étoit canoniquement pourvû de ladite Abbaye, & jouiſſant effectuellement des fruits & revenus d'icelle par le temps du traite de Paſſau, & depuis en auroit été depoſſedé par l'illuſtre Seigneur le Duc Chriſtofle predeceſſeur de Sadite Alteſſe, qui ſe ſeroit ſur la fin de l'an 1552. entremis eſdits biens, & les détenu & occupé comme auroient fait ſes illuſtres Succeſſeurs juſques à préſent, ſans que le Service divin fut adminiſtré & déſervy ſuyvant l'intention des fondateurs ; ce qu'eſtant contraire au recès du St. Empire ſelon la Déclaration récemment en faite par les Patentes & nouveaux Edits de Sa Majeſté Impériale, c'étoit le ſujet qu'il en faiſoit la préſente inſtance & répétition, tant en ſon nom, que comme de ce ayant charge de tout ledit Ordre. A quoy fut répondu par leſdits Seigneurs députez qu'ils ne pouvoient accorder que ledit Sieur Révérend Abbé heuſt aucun droit de collation & nomination de ladite Abbaye de Belchampts pour ce que par le contraire il étoit de facile preuve que tel droit appartenoit comme il avoit toujours fait aux Seigneurs Comtes de Montbeliard, fondateurs de ladite Abbaye, au moyen de quoy & à raiſon de ce que tant icelle que les biens & revenus en dépendants eſtoient ſous les Terres & Juridiction dudit Seigneur Duc en ſa Comté de Montbeliard, il lui avoit été loiſible de conformément au recès dudit St. Empire concernant la pacification de Religion, ſaiſir leſdits biens pour être appliqués à œuvres pieuſes, qu'il auroit auſſi été fait & ce avant ledit traité de Paſſau, dont ledit Sieur Revérend Abbé n'avoit aucun fondement d'y rien pretendre ou répéter, toutefois comme il ſe fondoit en outre le prédit temps de la ſaiſie & occupation deſdits biens qu'ils deſiroient fort d'avoir communication des enſeignemens, ſi aucuns en avoit, par leſquels il entendoit de vérifier tel mis en avant, avec offre de lui faire communication reſpective de ceux que l'on avoit en mains pour vérifier le contraire, ce qu'ayant été fait & iceux meurement éxaminez & beaucoup débatus de part & d'autre, enfin ſe ſeroit retreuvé beaucoup mieux éclaircy, & vérifié que leſdits biens auroient été ſaiſis avant ledit traité de Paſſau, & partant auroient leſdits Sieurs Députés ſouſtenus derechef qu'à teneur deſdits recès, Sadite Alteſſe auroit juſte droit de conſerver & maintenir leſdits biens en état qu'ils étoient. Toutefois que comme elle avoit toujours heu cette affection ſinguliere de bailler tout poſſible contentement aux Seigneurs & Etats voiſins ; comme auſſi pour le bien de paix & le reſpect de Sa Majeſté Imperiale qui l'en avoit recherché, il ſe ſeroit ſubmis d'en entrer en compoſition & traité amyable, & par effet aprés en avoir beaucoup conconféré par enſemble, enfin ſeroient demeuré d'accord de tout ledit fait, & en auroient couché les articles par éſcript comme chacune des parties ſe ſeroient ſubmis de faire veoir & agréer aux Seigneurs ſes principaulx, ſçavoir leſdits ſieurs Députés à Sadite Alteſſe, & les Sieur Révérend Abbé au Révérendiſſime Général dudit Ordre, ce qu'auroit auſſi eſté fait par ledit Sieur Abbé. Mais en telle intervalle, il auroit pleu à Dieu retirer de ce mortel monde Sadite Alteſſe, icelle auroit été prévenuë & empeſchée d'en bailler ſon approbation par éſcript dudit Traité, lequel néantmoins il lui auroit pleu de ſon vivant agréer de bouche, ſuivant quoy s'étant derechef ledit Sieur Révérend Abbé retreuvé en ce lieu ce jourd'huy datte de ceſte, & fait apparoir de ladite approbation & ratification leſdits Sieurs Députez, s'aſſurant auſſi d'obtenir la ratification des illuſtres Seigneurs Tuteurs qui ſeroient décernez aux illuſtres Seigneurs & Princes enfants heritiers de Sadite Alteſſe défuncte, ſeroient demeuré d'accord que ledit Traité fut paſſé, conclud & arreſté ſoubz les réſerves, articles & conditions appoſées en lad. ſolempnelle de l'aggréation & approbation dudit Seigneur Révérendiſſime Général, dont la teneur eſt cy aprés inſerée de mot à autre, enſemble deſdites commiſſions & procurations. Pour ce, eſt-il donc que pour donner effect à icelui conſtitué en leurs perſonnes pardevant Henry Vernnecy de Cerbin Notaire Royal au Comté de Bourgougne, & en l'Officialité de Beſançon, & David Thevenot de Montbéliard auſſi Notaire audit Comté de Montbéliard ſoubſcript ledit Révérend Sieur Hieroſme le Blanc Abbé de Corneul, tant en ſon nom propre & comme Viſiteur General dudit Ordre au circle de Bourgougne & lieux circonvoiſins.. Que comme ayant charge, pouvoir & procuration du Seigneur Révérendiſſime Général & Chapitre général dudit Ordre, aſſiſté de Meſſire Jean Lampinez, Docteur és Droits Conſeiller en ladite Cour de Parlement à elle d'une part, Noble & honoré Sieur Jean Guillaume Gueldrich, Ecuyer Seigneur à *Simarbofenn* Bailly à Montbéliard, Jean Chriſtofle Zenger, Docteur és droits, Chancelier audit lieu, & Nicolas Perdrix, Conſeiller & Avocat fiſcal, Commis députez à cet effet, ſoubz offre de faire ratifier & appreuver tout le contenu au preſent Traicte par leſdits illuſtres Seigneurs Princes Tuteurs d'autre part ; leſquels ont dit, déclaré & confeſſé avoir traicté, tranſigy, convenu & accordé, comme par effect ils traitent, tranſigent, conviennent & accordent du fait de ladite Abbaye de Belchampts, biens, rentes & revenus

nus en dependants, en la forme & maniere que s'ensuit.

Sçavoir, que lesdits Sieurs Députez pour toutes les prétentions, droits, actions & réclamations que ledit Sieur Abbé & tout le prédit Ordre de Prémontré, duquel il a charge, pourroit avoir & répéter, soit en vertu du prédit Mandement de Sa Majesté Impériale ou autrement à quelque cause ou moyen que ce soit, esdits biens & revenus de ladite Abbaye de Belchampts, & ce que peut dépendre & appartenir à icelle, ont cedé, remis & accordé, commi'lz, cedent, remettent & accordent à icelui Sr. Révérend Abbé de Corneul present, agréant & acceptant pour lui & ses successeurs en ladite Abbaye de Belchampts compris dans l'enclos d'icelle, avec les Jardins, Vergers y joignants, pour y estre & demeurer en proprieté, saufz & reservé que lesdits très illustres Princes, auront pour leurs Personnes ou autres de qualité telles qu'il leur plaira; le logement en ladite Maison & Abbaye de Belchampts tant que ladite Religion Catholique ne s'exercera pas en icelle. Bien entendu toutefois qu'audit cas dudit logement ils feront entretenir les prédites maisons & logement, & ne permettront estre fait aucune chose contre l'honneur desdites Eglises & maison, comme de même ont lesdits Sieurs Députez cedez, remis & accordez audit Sieur Révérend Abbé les droits de nomination & présentation des Cures de Chévremont & autres avec les Chapelles & autres Bénéfices dépendants de ladite Abbaye de Belchampts non situez dans ledit Comté de Montbéliard & Terres souveraines d'Héricourt, Chastelot, Blammont, Clermont, pour en jouir & user par ledit Sieur Révérend Abbé & ses successeurs quand le cas arrivera; auquel effect, tous titres, papiers & enseignemens concernans lesdits biens, droictures & revenus lui ont éte mis en main pour s'en servir à perpetuité: pareillement lui ont aussi lesdits Sieurs Députez cedé, remis & délivré toutes les Sanctuaire, Reliquaires, Calices, Ciboires, Chapelles, Chasubles, Livres, & autres Ornemens & Parements de l'Eglise & Autel de ladite Abbaye que pouvoient encore rester & existant qu'ont estez à la bonne foy révélez & rechetchez, & pour le regard de ceux n'estant plus en être, lui en ont accordé la somme de mille francs monnoye de Bourgougne, payable au terme prins pour ladite somme de treize mille francs cy aprés mentionnez, conformément à l'article de l'aggréation dudit Seigneur Révérendissime Général, concernant ledit fait. *Item* ont encore cedez, remis & accordez comme ils cedent, remettent & accordent audit Sieur Révérend Abbé de Corneul tous les autres biens meuvants de ladite Abbaye de Belchampt, estant hors ladite Souveraineté de Montbéliard & desdites Terres d'Héricourt Chastelot, Blammont, & Clermont, & dans la Ferrette pays d'Allemagne, Comté de Bourgougne & autres Provinces ou Etats que seront & demeureront semblablement réservez & affectez à ladite Abbaye de Corneul, pour en jouyr & user comme des autres biens d'icelle, sans que lesdits illustres Princes & Comtes de Montbeliard y puissent prétendre chose quelconque cy apres, à l'effet de quoy iceux Sieurs Députez ont aussi reallement delivré & mis en main audit Sieur Reverend Abbé tous tiltres concernant lesdits biens, & de plus ont encore payé & délivré audit Sieur Abbé en son particulier la somme de mil francs, monnoye courant au Comté de Bourgougne, pour l'aider à rembourser des fraictz qu'il a fait à la poursuite & recouvrement de ladite Abbaye de Belchampt, dont & de laquelle somme il s'est tenu & tient pour contant; outre toute lesquelles choses lesdits Sieurs Députez ont encore ausdits noms promis & promettent de rendre, payer & délivrer audit Sieur Révérend Abbé, ou qui de lui aura cause, au lieu de *Cerbin* en la maison dudit Henry Vermercy, Procureur audit lieu pour Sadite Altesse, en augmentation & accroissement des biens & revenus de ladite Abbaye de Corneul & à charge de faire déservir en icelle les fondations autrefois instituës & ordonnes par lesdits très illustres Princes, Seigneurs & Comtes de Montbéliard en ladite Abbaye de Belchampt, la somme de treize mil francs monnoye prédite courant au pays & Comté de Bourgougne, laquelle somme sera à l'instant envoyée & convertie en achapts de fonds, terres & heritages par la participats de tel ou tel qu'il plaira auxdits Seigneurs illustres Tuteurs & Administrateurs de ce pays à ce députe, & lesquels biens seront tenus & possédez par ledit Sieur Abbe & prédit successeurs comme subrogués au lieu des biens de ladite Abbaye de Belchampt, dont le prédit payement & delivrance de ladite somme s'en fera incontinant que ledit Sieur Abbé pourra trouver en achapt de tels fonds, que sera commode & utile a ladite Abbaye moyennant avertissant de ce un mois auparavant, pour la sûreté du payement de laquelle dite somme lesdits Sieurs Députez ont obligé & ypothequé tous les biens desdits Seigneurs illustres Princes estans au Comté de Bourgougne qu'ils ont submis à toutes Cours & Jurisdiction tant Ecclesiastique & seculiere, même à celle de Sa Majesté Catholique, renonçant audit nom à toutes choses à ce contraire, même au droit disant généralle renonciation ne valoir si la specialle ne precede. Moyennant quoy ledit Sieur Revérend Abbé, tant en son nom propre que de tout le prédit Ordre & Reverendissime Général d'iceluy & en vertu de son predit pouvoir & procure, comme aussi de l'authorité & consentement d'iceluy Seigneur Révérendissime General du depuis entrevenus par sa predite approbation de tous les articles du présent Traicté, à cedé, remis & transporté, concede, remet & transporte purement, perpetuellement & à jamais auxdits Seigneurs illustres Princes leurs hoirs, successeurs & ayans causes, lesdits Sieurs Députez stipulants & acceptants au nom d'iceux, tous les biens, droits, rentes, revenus annexe & immeubles de quelque nature, espece & qualité qu'ils soient ou puissent être, dependant de ladite Abbaye de Belchampt scituez riere ledit Comté de Montbéliard & predictes Seigneuries ajointes sans en rien excepter ny retenir saufz ce que dessus a été particulierement reservez avec toutes leurs dépendances & appartenances; desquels icelui dit Sieur Abbé en tant que besoing fait, s'est déveslu & departy, devest & départ & en a investi lesdits Seigneurs Princes, soit pour en appréhender de nouveau, ou se maintenir & continuer la libre, paisible, & entiere possession & jouïssance que cy-devant & jusques à présent lesdits illustres Seigneurs Pére & prédecesseurs en ont heu sans que jamais ledit Révérend Sieur Abbé son prédit Réverendissime Général, ny tout ledit Ordre, moins aucun particulier d'icelui & tous leurs successeurs y puissent rien prétendre, quéreler ou répéter à quelque cause, moyen ou prétexte que ce soit, ains le présent Traicté & tout ce qu'en dépend avoir à jamais pour ferme, stable & agréable, sans y contrevenir en façon que ce soit, directement ou indirectement, par luy ou par autre, soubz hypotheque & obligation de tous les biens de ladite Abbaye de Corneul ceulx dudit Révérendissime Général & de tout sondit Ordre, & particuliérement sous la réserve d'obligation & special ypotheque sur tous les biens &

fonds que seront acquis & acheptés desdits deniers, lesquels demeureront perpetuellement affectez & ypothequez pour entiere observation, garenthie & maintenuë dudit présent Traicté pour y avoir recours par lesdits illustres Seigneurs & Princes & leurs successeurs au cas qu'ils y fussent cy-aprés troublez en la libre & paisible possession & jouïssance des biens & revenus de ladite Abbaye de Belchampt à eux cedez & remis, auquel predit effect il a submis & submet tous lesdits biens à toutes Cours & Jurisdiction pertinentes & necessaires, tant Ecclesiastique que séculiere, renonçant à toutes loix, privileges & faveurs tant de sa personne & qualité que dudit Ordre, & à toutes exceptions contraires aux présentes, mesme au droit disant générale renonciation ne valoir sy la spécialle ne précéde. Que fut fait & passé audit Montbéliard au Chasteau d'icelle environ les sept heures du matin le 20. du mois de Mars stil ancien, & 30. stil Grégorien de l'an 1631. és présences de Messire Etienne Barberot, Chanoine au Chasteau de Gray; Pierre Cármillet, étudiant en Théologie en l'Universite de Dole; Guillaume Landry de Mortau, Notaire au Comté de Bourgougne; Leonard Burmugs, Tresorier; Michel Carray Régistrateur, & Jean Rudalff Roussel, Clerc juré en la Chancellerie dudit Montbéliard, témoings requis & soubzsignez aprés les susdites procuration & ratification.

S'ensuit la teneur de la commission & procure dont cy-dessus est faicte mention. *Universis præsentes litteras inspecturis, Petrus permissione divinâ Præmonstratensis Abbas, totiusque Canonici Ordinis ejusdem Abbatum Capitulum generale, salutem. Notum facimus quod hâc die data præsentium Capitulariter pro Capitulo generali sedentes ex nostra scientia & spontanea voluntate fecimus, constituimus & ordinamus tenoreque præsentium facimus, constituimus, & ordinamus nostrum certum, legitimum & indubitatum procuratorem specialem, & generalem, ita quòd specialitas non deroget generalitati nec è contra, Reverendum Patrem D. Hieronimum* le Blanc *monasterii B. Mariæ de* Corneolo *prædicti Ordinis nostri in Comitatu Burgundiæ, Diœcesis Bisuntinæ, Abbatem, nec non Monasterii B. Mariæ de* Bellocampo *in Bisuntina pariter Diœcesi & Comitatu de* Montbéliard, *Patrem Abbatem immediatum, Confratrem nostrum charissimum, præsentem & acceptantem solum & in solidum specialiter & expressè ad pro nostro & totius Ordinis nostri prædicti nominibus, pro nobis & pro eo coram sacra Majestate Imperatoria, sacri Palatii & Cameræ Imperialis Auditoribus, Regia Catholica Majestate, suprema Curia Parlamenti Dolani Senatoribus & aliis cujuscumque nominis & potestatis Judicibus, Magistratibus, Justitiæ Officiariis, & Commissariis ad quos spectabit, comparendum & Ordinem nostrum repræsentandum, monasterium prædictum Bellicampi quod ab illustrissimo Comite de* Montbeliard *ab aliquot annis citrà occupatur & detinetur cum suis pertinentiis, fundis, prædiis, villis, decimis, vineis, juribus quibuscumque in jure vindicandum & restitui petendum, atque ad hunc effectum prædictum illustrissimum Comitem seu quemvis alium detentorem restitutionem hujusmodi impedientem, omnibus juris & justitiæ mediis congruis & opportunis cogendum & compellendum: cum eodem Domino Comite, seu quovis alio componendum, paciscendum & transigendum, conditiones proponendum & acceptandum, unum quoque vel plures procuratorem seu procuratores, qui similem vel limitatam habeat seu habeant potestatem loco suo substituendum, eumque, vel eos, si opus sit, revocandum, præsente procuratorio nihilominus in suo robore permansuro, & generaliter omnia & singula in præmissis & circa ea faciendum, dicendum, gerendum, & exequendum si quæ necessaria fuerint seu quomodolibet opportuna quæque nos ipsi faceremus, diceremus, gereremus, & exequeremur, seu facere, gerere & exequi possemus, si præsentes personaliter præmissis adessemus, promittentes bonâ fide, & sub hypotheca & obligatione omnium & singulorum bonorum nostrorum, nos ratum, gratum, stabile atque firmum habere & perpetuò habituros totum id & quodcumque per prædictum Confratrem & Procuratorem nostrum, factum, dictum, gestum, & executum fuerit in præmissis. Datum & actum in Præmonstratensi totius Ordinis Archicœnobio, nobis pro generali Capitulo sedentibus & illud ac totum Ordinem prædictum repræsentantibus, die 5. mensis Maii anno Incarnationis Dominicæ 1630.* Ita signatum in Originali *de Mandato Reverendissimi Domini Præmonstr. & Capituli generalis,* GERARDUS *dicti Capituli Secretarius.* Cui Originali appensa sunt sigilla duo, in cera rubra utrumque insculpta, Reverendissimi scilicet Generalis & præfati Capituli.

Teneur de la ratification dudit Seigneur Revérendissime Général mentionné cy-devant.

A tous ceux qu'il appartiendra présent & advenir, Pierre Gosletz par la permission divine, Abbé de Prémontré, Conseiller & Aumonnier du Roy tres-Chrétien, Chef & Reformateur Général de tout l'Ordre dudit Prémontré, & ayant l'entier pouvoir du Chapitre général du même Ordre, salut. Sçavoir faisons que Revérend Pere en Dieu Messire Hierosme le Blanc, Docteur és saints Decrets, Abbé de Notre-Dame de Corneul, Visiteur dudit Ordre en la Circarie de Bourgougne, notre très cher Confrere, s'est présenté à nous en nôtre Abbaye dudit Prémontré le jour & datte des Présentes, accompagné de Noble Jean Lampinet, Docteur és droits, Avocat au Parlement de Dole son Conseil, à l'effect de nous informer de tout ce qu'il avoit fait & négotié en divers voyages par luy faits en la ville de Montbeliard pour procurer le recouvrement de l'Abbaye de Notre-Dame de Belchampt, scituée dans le Comté dudit Montbéliard, suivant la commission que nous & nôtredit Chapitre général lui en avons donné le 5. du mois de May de l'an courant 1630. à l'Assemblée generalle dudit Chapitre tenu pour lors audit Prémontré, ensuite & conformité de laquelle commission il nous auroit fait entendre, premiérement par sa bouche, & par après par celle du Sieur Lampinet son Advocat & conseil, duquel il se seroit fait assister au dernier voyage par luy fait audit Montbéliard, qu'il avoit heu plusieurs & diverses conferences avec lesdits Sieur Bailly, Gouverneur, & Chancelier dudit Montbéliard pour traicter du fait de ladite Abbaye de Belchampt, & de la restitution d'icelle, ausquelles conferences il avoit fait ample ouverture & déduction tant du contenu en nôtredite Commission à lui addressée comme sus est dit, que des droits qu'il avoit sur ladite Abbaye en qualité de Pere Abbé d'icelle à cause de ladite Abbaye de Corneul, ensemble des tiltres, papiers & mémoires qu'il pourroit avoir d'un chacun desquels il nous a fait apparoir en particulier, servants à justifier tant sadite qualité de Pére Abbé de Belchampt, que l'estat des biens en mouvants & dépendants, que le tout avoit été occupé soubz le nom dudit très illustre Prince depuis la datte du Traicté de Passeau fait au mois d'Aost de l'an 1552. pour la pacification des differents mûs à l'Empire sur le fait de la Religion, ausquelles commission, deduction, tiltres, mémoires & enseignemens, lesdits Sieurs Bailly, Gouverneur, Chancelier & Conseillers deputez par ledit très illustre Prince, auroient fait diverses réponses, ainsi

que nôtredit très cher Confrére nous auroit rapporté, même en ce que touchoit le temps de l'occupation de ladite Abbaye, laquelle ils auroient constamment maintenuz avoir été occupée de la part dudit très illustre Prince long-temps avant ledit Traicté de Passeau, pour preuve & verification de laquelle proposition luy auroient fait veoir divers papiers & actes vérifiants le temps de ladite occupation, & de tous lesdits biens en dépendants, & & inferé d'iceux que puis par le Décret de Sa Majesté Impériale le rétablissement des bénéfices & biens d'Eglise occupés depuis le Traicté de Passau étoit seulement ordonné, & non de ceux que les Etats & Princes dudit Empire s'étoient appropriez avant la datte d'iceluy, qu'il n'échéoit aucun rétablissement de ladite Abbaye de Belchampt, ny de sesdites dépendances, & que quand il en eschevroit aucun, c'étoit bien peu de chose des revenus & biens de ladite Abbaye selon qu'en pouvoit faire foy les comptes tant anciens que modernes rendus d'iceux par devant les Officiers desdits très illustres Princes selon qu'ils en auroient fait apparoir à nôtredit très cher Confrere par la communication desdits comptes, desquels ils luy auroient mis en main deux à l'Original, l'un de l'an 1543. rendu aux Srs. lors Révérend Abbé & Religieux dudit Belchampt, par Etienne Piegay Bourgeois dudit Montbéliard leur Recepveur y joint un Extrait de l'affinement & closture d'autres comptes desdits revenus pour les années 1544. 1626. 1627. pourtant que le revenu annuel de ladite Abbaye est de 36 bichotz deux couppés d'avenne, & en argent de six vingt livres par communes années, les charges y comprinses qui montent en froment à six bichotz & cinq quartes, & en aucune à cinq bichotz treize quartes, avec un mémoire bien ample desdits papiers & actes justificatifs de l'occupation susdit anterieure audit Traicté de Passau, sur la vision desquels & sur les raisons tirez d'iceux par lesdits Sieurs Députez dudit très illustre Prince, notredit très cher Confrére auroit par l'advis de sondit conseil, aprés avoir le tout bien & consciencieusement examiné qu'il nous a fort amplement remontre & fait entendre, concluď & resolu audit Montbéliard l'unziéme jour du mois d'Octobre de ladite année 1630. soubz nôtre bon vouloir & plaisir les articles qu'il nous a presenté signez de luy & scellez de son cachet ordinaire, & de ceux desdits Sieurs Députez dudit très illustre Prince, & encore d'iceluy dudit Sieur Advocat Lampinet, desquels articles la teneur s'ensuit.

Pour pacifier la difficulté concernant le rétablissement de l'Abbaye de Belchampt entre Son Altesse & le Révérend Abbé de Corneul, ont été accordez les Articles suivants soubz le bon vouloir & plaisir de Sadite Altesse, & du Seigneur Révérendissime Général de l'Ordre de Prémontré.

I.

Premierement que l'Eglise & maisonnement de de laditte Abbaye de Belchampt, comprins dans l'enclos d'icelle avec les Jardins & Vergiers y joignants, demeureront en proprieté à l'Abbaye de Corneul.

II.

Item. Que les droits de présentation & nomination des Cures de Chevremont & autres, comme aussi des Chapelles & autres Bénefices dépendants de l'Abbaye dudit Belchampt non scitué dedans le Comté de Montbeliard & Terres d'Hericourt, Chastelot, Blammont & Clermont, demeureront audit Sieur Révérend Abbé de Corneul, pour par lui & ses successeurs Abbes d'icelle, en jouïr & user quand le cas arrivera.

III.

Item. Qu'audit effect, tous tiltres, papiers & enseignemens concernants les droits de présentation & nomination desdits Bénéfices, luy seront mis en main pour s'en servir à perpétuité.

IV.

Item. Que les Sanctuaires, Reliquaires, Calices; Ciboires, Chappes, Chasubles, Livres & autres Ornements & Parements de l'Eglise, & autres de ladite Abbaye qui seront encore en estre & extant au pouvoir de Sadite Altesse, seront rendus & restituez audit Sieur Révérend.

V.

Item. Que les autres biens mouvants de ladite Abbaye de Belchampt estants hors de ladite Souveraineté de Montbéliard & desdites terres d'Héricourt, Chastelot, Blammont & Clermont & dans la Ferrette pays d'Allemagne, Comte de Bourgougne, & autres Provinces ou Etats, seront & demeureront semblablement reservez & affectez à ladite Abbaye de Corneul, pour en jouïr & user comme des autres biens d'icelle, sans que Sadite Altesse y puisse prétendre chose quelconque cy apres, à l'effet de quoy Elle fera aussi delivrer audit Sieur Révérend, tous tiltres concernants lesdits biens.

VI.

Item. Que Sadite Altesse a accordé audit Sieur Révérend en augmentation & accroissement des biens & revenus de ladite Abbaye de Corneul, & à charge d'y faire déservir les fondations autrefois ordonnees & instituées en ladite Abbaye de Belchampt par les très illustres Princes ses Prédecesseurs, la somme de 13000. francs monnoye du pays & Comté de Bourgougne, laquelle sera employee en achapt & acquisition de fonds à la participation de tels ou tels qu'il plaira à Sadite Altesse de députer incontinant après la passation dudit Traicté à faire entre Sadite Altesse & ledit Sieur Révérend, & ce moyennant qu'il advertisse Icelle trois sepmaines ou un mois auparavant.

VII.

Item. Que Sadite Altesse fera délivrer audit Sieur Révérend au claud dudit Traicté la somme de mil francs monnoye susdite, pour l'aider à rembourser des frais quil a fait en divers voyages, pour le subjet de ladite Abbaye de Belchampt.

VIII.

Item. Que moyennant ce que dessus, ledit Sieur Révérend, tant au nom & comme Pere Abbe dudit Belchampt, qu'en vertu du pouvoir & commission qu'il a heu du Seigneur son Révérend General & Chapitre général de l'Ordre de Prémontre tenu le 5. de May de l'an 1630. audit Prémontré, pour traicter du fait dudit Belchampt, laquelle commimission sera inserée en fin dudit Traicte à faire, & encore de l'authorité, approbation & consentement dudit Seigneur Révérendissime Général, quittera, cedera, remettra & renoncera pour jamais à sadite Altesse tous les autres biens & droits non cy-dessus reservez

de quelque nature & espece qu'ils soient & puissent être, dependants de ladite Abbaye de Belchampt, assis & scitues riére le Comté de Montbeliard & Terres d'Héricourt, Chastelot, Blammont & Clermont, & desquels biens Sadite Altesse est présentement en possession.

I X.

Et finablement, que ledit Sieur Révérend fera son possible auprès dudit Seigneur son Reverendissime Général, pour le faire consentir que le logement de ladite maison de Belchampt demeure à sadite Altesse, soit pour sa très illustre Personne ou tel autre qu'il luy plaira, tant que ladite Religion Catholique ne s'exercera pas audit Belchampt. Bien entendu toutefois qu'audit cas dudit logement sadite Altesse fera entretenir lesdits maison & logements, & ne permettra être fait aucune chose contre l'honneur de l'Eglise & maison dudit Belchampt.

X. & dernier.

Les articles cy-dessus ont estez concluds & arrestés entre nous Hierosme le Blanc, Docteur ès saints Decrets, Abbé de l'Abbaye dudit Corneul, Vicaire Général & Visiteur dudit Prémontré en la Circarie de Bourgougne, tant aux susdites qualités, qu'en vertu du pouvoir special & exprès à nous addressé pour traicter du fait de Belchampt par ledit Seigneur Réverendissime Général du très digne Ordre de Prémontré & par ledit Chapitre général y tenu le 5 May de l'an 1630. d'une part : & par nous les Sieurs Bailly, Chancelier & Conseillier Perdrix, députez de la part de sadite Altesse d'autre, pour entendre & conclure à un accommodement amyable dudit Belchampt ; en foy de quoy nous avons soubzsignez lesdits articles de nos noms & signatures ordinaires, audit Montbéliard l'unziéme jour du mois d'Octobre stil nouveau de l'an 1630. *Ainsi Signé* Hierosme le Blanc, Abbé de Corneul, J. G. Gueldrit, Izeugs Perdrix & F. Lampinet.

Sur la communication desquels articles Nous avons enfin, après avoir le tout exactement meurement pesé & consideré, consenty, appreuvé, aggréé tout le contenu en iceux, comme faisant à l'honneur de Dieu & au bien de notre Ordre de Premontré, voulant pour ce, que suivant & conformement à la teneur d'iceux, Traicté soit passé en bonne & authentique forme, entre ledit illustrissime Prince dudit Montbéliard, & ledit Sieur nôtre très cher Confrére Abbé dudit Corneul, auquel Traicté nous avons interposé & interposons dès maintenant & pour lors, nôtre authorité pour être icelui de telle force, effect, vigueur & valeur que s'il avoit été fait & passé en notre présence & audit Chapitre général, & signé de notre propre main, obligeant pour l'entier accomplissement dudit Traicté tous & chacuns les biens & revenus de nostredit Ordre, aux charges néanmoins modifications, restrictions suivantes & non autrement ny d'autre façon.

Premier, que ledit Traicté portera formellement que sy sadite Majesté Impériale par Décret ou Déclaration publique ou particuliere faite audit très-illustre Prince ayant suivy ou précede sondit Décret Imperial, par lequel Elle a commandé le retablissement des Benefices occupez par les Etats & Princes dudit Empire, depuis ledit Traicté de Passau ayt encore ordonné le mesme rétablissement au regard de ceux dont ils s'estoient saisi auparavant iceluy, qu'audit cas ladite Abbaye de Belchampt avec ses appartenances & dépendances, sans en réserver aucune chose, seront rendus & restituez audit Sieur nôtre très cher Confrére & à sadite Abbaye de Corneul en rendant par lui audit très illustre Prince, la somme qu'il lui aura fait livrer pour & à cause des biens de ladite Abbaye de Belchampt, pour user d'iceux biens, maison & Eglise, selon & conformément à la saincte religieuse & à jamais recommandable intention & volonté de sadite Majesté Imperiale, à laquelle nous entendons de nous régler entiérement.

Item. Que ledit Traicté contiendra que ce cas advenant que nôtredite Religion Catholique se remette par cy-après en l'Abbaye dudit Belchampt, soit du consentement dudit très illustre Prince, ou par les Recez & Constitution du Saint Empire, ledit Sieur nôtredit très cher Confrére & les Sieurs ses successeurs Abbés dudit Corneul, ou les Sieurs leurs Prieurs, Religieux qui déserviront audit Belchampt auront droit d'avoir & tenir fourgs grands & petitz en leurdite Abbaye pour y cuire tout leur pain & paste levée & non levée, & de plus droit de pescher en la riviere du Doux, fluant auprés d'icelle, & de mouture franche & coupage de bois au bois & moulins de ladite Abbaye pour leur usage & necessitez & ceux de ladite maison & Abbaye, comme aussi droit de champoix pour tous leurs bestiaux.

Item. Qu'au cas que nôtredite très sainte foy & Religion Catholique vienne à s'éxercer dans ledit Etat & Comté de Montbéliard du mouvement & consentement dudit très illustre Prince, ou par les Recez ou Constitutions du saint Empire, audit cas ledit très illustre Prince & les très illustres Princes ses successeurs seront tenus de présenter & nommer lesdits Sieurs Religieux desdites Abbayes de Corneul & Belchampt pour être pourvûs des Cures qui souloient être affectées ausdits Religieux, & tenuës pour régulieres auparavant l'occupation de ladite Abbaye.

Item. Qu'au mesme cas du rétablissement de l'éxercice de nôtre sainte Religion en ladite Abbaye, ledit Sieur nôtre très cher Confrére & les Sieurs ses successeurs Abbés dudit Corneul, seront tenus de fournir toutes choses nécessaires pour les mansions & prébendes des Religieux & autres déservants audit Belchampt, tout ainsi & en la même forme qu'il est ordonné par les Constitutions, & en la même forme que se contient le neufviéme desdits articles résolus audit Montbéliard, & aux conditions y portées, & que le surplus d'iceux entre & soit couché dans le Traicté à faire entre lesdites parties.

En foy & témoing de quoy nous avons signez les présentes de nos noms & signature ordinaire, & à icelles fait apposer le scel de nos Armes & celuy dudit Chapitre général soubz le contresigné de notre Secretaire & de tout ledit Ordre, le 10. jour du mois de Décembre l'an susdite 1630. en notre Hostel Abbatial audit Prémontré environ les dix heures du matin dudit jour, és présences des vénérables Freres Blaise Bucquet, François de Donnay, Claude Vinot, Quentin Bonvalet, Médard Danre, Claude Cailleux, Pierre le Roy ; tous Prêtres Chanoines & respectivement Soubzprieur, Proviseur, Circateur, Trésorier, Chantre, Soubz-Chantre & Vestiaire de ladite Abbaye de Prémontré. *Ainsi signé* P. Gosset, Abbé de Prémontré & Général de l'Ordre, B. Bucquet Soubz-Prieur, de Donnay, F. Claude Vinot, Bonvalet, F. Médard Danre, F. Claude Cailleux, Pierre le Roy, & contresigné, paraphé & scellé du Maineur de Monsei-

gneur de Prémontré, par moy Frere Gerard, Secretaire desdits Seigneurs & Ordre, & scellée des deux séels en cire rouge, pendant à un ruban de soye blanche. *Ainsi Signé au bas du Prothocolle*, H. le Blanc Abbé de Corneul, Jean Lampinet, Guelduc, J. Zeuger, H. Perdrix, E. Barberot Chanoine, P. Camillet, Binninger, Marray, J. Rossel, J. Landry, H. Vermercy, D. Thevenot.

Le 30e. jour du mois de Mars de l'an 1631 environ le midy, Révérend Sieur Messire Hierosme le Blanc, Docteur és saints Décrets, Abbé & Sieur de Corneul, s'estant transporté en l'Abbaye Nôtre-Dame de Belchampt, a esté mis en possession des Eglise, Cloistre, Maisonnement, Jardins & Vergiers joignants à ladite Abbaye par Henry Vermercy, Procureur de S. A. de Montbéliard en ses Terres & Seigneuries de Passavant, & Député pour le contenu au présent Acte par les Seigneurs Bailly, Gouverneur, Chancelier & Conseil de Son Altesse, par la tradition que ledit Sieur Vermercy a fait audit Sieur Abbé des clefs servants pour ouvrir toutes les portes de ladite Abbaye, & par l'ouverture d'icelles portes, en laquelle Abbaye a demeuré ledit Sieur Révérend Abbé environ une heure; & aprés ce a rendu & restitué audit Sieur Vermercy lesdites clefs pour les remettre à S. A. ou auxdits Seigneurs Bailly, Gouverneur, Chancelier & Conseil dudit Montbeliard pour le logement accorde à S. A. pour sa très illustre Personne ou pour autre qu'elle voudra choisir de qualité en ladite Abbaye de Belchamp, conformément aux Articles & Traicté sur ce fait & resolu audit Montbeliard, entre S. A. & ledit Sieur Révérend Abbé le 29. dudit mois & an que dessus. Le tout fait soubz les mesmes clauses & promesse de ratification & approbation portees audit Traicté audit Belchampt; le tout en présence de vénérable & discrete personne Messire Etienne Barberot, Chanoine au Chasteau de Gray, & d'honoré Pierre Carmillet Escolier estudiant à Dole, témoings requis; *Ainsi signé sur le Prothocolle*, E. Barberot, P. Carmillet, & que Notaire l'ayant receu, H. Vermercy qu'a soubzsigné ceste quoyqu'escripte de la main d'Antoine Sauvageot de Costebrune, Clerc d'icelui, *Ainsi signé* H. Vermercy.

NOUS Julius Friderich par la grace de Dieu, Duc de Wirtemberg & Teckh, Comte de Montbéliard, Seigneur de Heidemheimb, & Administrateur du Duché dudit Wirtemberg, tant en Nôtre chef propre, qu'au nom de très illustre puissant Prince & Seigneur Eberhard, Duc de Wirtemberg & Teckh, Comte de Montbéliard, Seigneur de Heidenheimb, &c. nôtre Nepveux, Tuteurs & Curateurs Testamentaires dés illustres Princes du Comté de Montbéliard. SÇAVOIR faisons, que Nous ayant este fait ample & fidele rapport de ce qu'auroit esté fait & négotié en l'assemblée & conférence tenuë en cette ville de Montbéliard par les Commis à ce députez de la part de nôtre feu très illustre Seigneur & frere Louis Friderich de laudable mémoire d'une part; & le Sieur Révérend Abbé de Corneul d'autre, touchant l'accommodement amyade la difficulte de l'Abbaye de Belchampt & revenus en dépendants prétendus & répétez par ledit Sieur Révérend Abbé, ayant aussi veu & meurement pesé & considéré l'accord & Traicté fait & passé audit subject en ce lieu de Montbéliard le 20. du mois de Mars de l'an présentement courant 1631. receu pardevant Henry Vermercy & David Thevenot, Notaires, commençants en ces mots: *soit notoire à tous qu'il appartiendra*, & finissant en ceux-cy, *scellé des deux seelz en cire rouge, pendant à un ruban de soye blanche* pour bonnes considerations à ce nous mouvantes, & heu sur tout le contenu en iceluy Traicté & Accord, l'advis des gens de nôtre Conseil, Nous l'avons advoué, agreé & ratifié, avouons, agréons & ratifions par ceste en tous ses pointz, clauses, modifications & obligations, sans vouloir jamais contrevenir à iceluy directement ou indirectement par Nous, ny par autre en quelque maniere ou façon que ce soit, le tout néantmoins à ceste charge & réserve, & non autrement. Que comme par ledit Traicté lesdits Deputez ont promis de remettre en main audit Sieur Reverend Abbé tous tiltres, papiers & enseignements qui se pourroient retrouver en estre, concernants les biens, droits & Bénéfices dépendants de ladite Abbaye à luy remis & restituez; qu'au reciproque il sera tenu de faire le mesme, & rendre à nosdits Députez lors de la délivrance de la somme à luy promise & accordée, tous tiltres & documents concernants ladite Abbaye de Belchampt, & ce qu'au reciproque il en a cedé & accordé à nosdits Deputez. En foy de quoy nous avons signé les Présentes de nôtre seing & signature ordinaire, & à icelle fait apposer nôtre seel cire, armoyé de nos Armes. Fait & passé audit Montbéliard le 27e. jour du mois de Mars l'an 1631.

Nous Pierre Gosset par la permission divine, Abbé de Prémontré, Conseillier & Aulmosnier du Roy très Chrestien, Chef & Réformateur général de tout l'Ordre dudit Prémontré, ayant l'entier pouvoir du Chapitre général du mesme Ordre. SÇAVOIR faisons, que Nous ayant esté representé ledit Traicté & Accord fait & passé entre nôtre très cher Confrere Messire Hierosme le Blanc, Docteur és saints Décrets Abbé de Nôtre-Dame de Corneul, & Visiteur de nôtredit Ordre en la Circarie de Bourgougne d'une part; & les Sieurs Bailly, Gouverneur, Chancelier & Conseillier, Commis & Députez par le très illustre Prince & Comte de Montbéliard d'autre, pour l'accommodement amyable de la difficulte de l'Abbaye de Belchampt, biens & revenus en dépendants répétez par nôtredit très cher Confrére, en vertu de la Commission que Nous & nôtre Chapitre général luy en avons donné le 5e. May 1630. ledit Traicté datté du 30e. de Mars 1631. commençant en ce ces mots, *soit notoire à tous ceux qu'il appartiendra*, & finissant par céux-cy, *scellez de deux seels en cire rouge, pendant à deux rubans de soye blanche*, auquel Traicté sont attachez deux sceaux en cire rouge armoyez des deux Armes de la Chancellerie dudit Montbéliard, & de celle de nôtre très cher Confrére, pendants à deux rubans de soye noire & jaune, & ayant recognu que nôtre très cher le Révérend Abbé de Corneul n'a en rien excede de ce qui estoit de nos Commissions & volontez, & à l'advis des gens de nôtre Conseil sur tout le contenu en iceluy Traicté & Accord, pour plusieurs bonnes & justes considerations, l'avons de nôtre authorité & de nôtre Chapitre général, avoué, agréé & ratifié, avouons, agréons & ratifions en tous ses poinis, clauses, modifications & obligations sans vouloir jamais contrevenir à iceluy directement ou indirectement, par nous ou par autres, en quelque maniere & façon que ce soit: En foy & temoignage de quoy nous avons signez les Présentes de notre seing ordinaire, & fait apposer nôtre seel armoyé de nos Armes &ce luy de notre Chapitre, soubz le contreseing de notre Secretaire & de tout ledit Ordre, en nôtre Maison Abbatialle le 23e. de Juillet 1631. *Ainsi signé* P. Gosset, Abbé de Premontré & Général de l'Ordre.

Signé, par Monseigneur de Prémontré, & de son Ordonnance, scelle du seel de ses Armes & Cha-

pitre général, par moy F. Gerard.

F. Gerard, Secretaire dudit Seigneur & de l'Ordre de Prémontré.

Concordia inter duos Abbates Belli-Campi *super possessione Abbatiæ anno 1548.*

COmme Procez fut prochain & d'apparence à voir entre Frere Nicolas Aveine, Religieux de l'Abbaye de Corneul d'une part; & Frere Pierre Vourron, Religieux de l'Abbaye de Belchampt d'autre. Au fait que ledit Frere Nicolas disoit & maintenoit estre vray Abbé jouïssant & possesseur de ladite Abbaye de Belchampt par provision à luy faite par le Sieur Révérend Abbé dudit Corneul Frere Antoine Perchul, comme estant le monastere de Belchampt de la filiation de sadite Abbaye de Corneul: tellement que quand ladite Abbaye de Belchampt est vacante, l'élection appartient aux Religieux, & la confirmation audit Sieur Abbé de Corneul, & dont il peut joüir moyennant toutefois que aprés ladite élection celuy qu'est ainsi eslu Abbé dudit Belchampt obtienne l'entrée de Placet & de Permission de celuy qui pour le temps est & sera Comte de Montbéliard, pour demander & obtenir ladite confirmation & prinse de possession de ladite Abbaye de Belchampt, dont à raison que dessus & autrement convenablement, canoniquement & par entreprinses subsequentes faictes & exercées, mesme és membres dependants de ladite Abbaye de Belchampt, puis en ençà, ledit Frere Nicolas disoit avoir droit en ceste partie, & desquelles provisions & entremises aussi il disoit apparoir par lettrages, recez, instrumens, qu'il déclaroit estre riére luy. A quoy répondoit ledit Frere Pierre Vourron, que depuis le décez dudit feu Frere Huges Saiguin dernier & immédiat Abbé & possesseur de ladite Abbaye de Belchampt advenu sont environ deux ans, ledit Frere Pierre Vourron, au deffaut de nombre suffisant de Religieux pour faire élection en tel cas accoustumé, & que ledit Sieur de Corneul n'y avoit dans temps requis pourvus, ny soy transportez à cet effect en ladite Abbaye de Belchampt, ny en user comme les Abbés de Corneul du passé avoient fait: Illustre, haut & puissant Prince, Monsieur Ulrich, Duc de Wirtemberg, de Teck, Comte de Montbéliard, &c. & Illustre & puissant Prince, Monsieur le Duc Christophe, Duc dudit Wirtemberg & Teck, Comte dudit Montbéliard par ensemble que divisément, & estant Comtes dudit Montbéliard où ladite Abbaye de Belchampt est scituée, & Fondateurs & Gardins d'icelle, avoient d'icelle Abbaye de Belchampt pourveu ledit Frere Pierre Vourron justement, & comme de toute ancienneté en tel cas avoit esté observé, & de maniere qu'icelui Frere Pierre Vourrón, desllors, toujours & publiquement, s'estoit déclaré comme il declaroit Abbé de Belchampt, en jouïssant & faisant les fruits siens & émoluments dependants de ladite Abbaye de Belchampt, sans contrarieté quelconque y mise, sinon par ledit Frere Nicolas Aveine, qui puis environ deux mois avoit fait quelque entremise indehue en membre dépendant de ladite Abbaye de Belchampt, estant au Comte de Bourgougne, & depuis ayant par vuë du Clochier seullement de ladite Abbaye de Belchampt, dit qu'il en prenoit possession combien il ne lui fut permis ny à autres quelconques, sans licence & par exprés consantement des mesdits Sieurs Ducs de Wirtemberg, Comtes de Montbéliard, ou de l'un d'eux faire acte d'entremises, soient fainctes ou réelles, en ladite Abbaye de Belchampt ny és choses en dépendants scituez riere ledit Comté de Montbéliard, moins en joüir en façon quelconques, selon que par le passé & le temps ultra memorial lesdits Sieurs Comtes de Montbéliard toujours en tel cas ont usé pleinement & sans contredit de telle & semblable authorité, & qu'il n'affiez & n'a appartenu à personne quelconque prétendant droit en ladite Abbaye faire chose à ce contraire. A quoy ledit Frere Nicolas Aveine repliquoit n'avoir fait aucune force selon le bon droit qu'il avoit audit monastere de Belchampt en vertu de sadite provision à luy faite par ledit Sieur Révérend de Corneul son Superieur, & en aucunes pieces estant riere le Comté de Bourgougne, en vertu d'un Mandement & Placez obtenu de sa Majesté de l'Empereur, comme Comte de Bourgougne & non autrement, & proposoient icelles parties plusieurs autres choses, chacunes d'elles tendant contre l'entiere & pleniere jouïssance d'icelle Abbaye dudit Belchampt & des droits & profits qu'en dépendent. Pour ausquels differends donner fin lesdites parties amyablement & spontanement on sur ce advisez & traictez en présent du vouloir & consentement de mondit Sieur le Duc Christofle, Duc de Wirtemberg & Teck, Comte de Montbéliard, tant en son nom que de mondit Sieur le Duc son Pere; aussi en présence du vouloir, authorité & consentement dudit Sieur Révérend Abbé de Corneul comme s'ensuit. ASSAVOIR que dés maintenant & pour toujours, ledit Frere Nicolas s'est désisté & désiste au profit dudit Frere Pierre Vourron présent & acceptant de tous droits possessions & autres qu'il a & cy aprés peut avoir & prétendre en ladite Abbaye de Belchampt, & de tous membres & profit d'icelle, luy transférant iceux droits & exercice d'iceux en tant que besoing est. Aussi a promis & jurez sur & aux saints Evangilles de Dieu corporellement touché, ledit Frere Nicolas, du vouloir, authorité & consentement dudit Sieur Abbé de Corneul, de non jamais soy aider desdits lettrages, piéces & instruments contre ledit Frere Pierre Vourron, ains de luy communiquer & donner copie authentique & vaillant original à quantes fois que par ledit Frere Pierre en sera requis, & de les garder fidellement riere lui, à la charge toutesfois que à l'avenir un chacun au jour de feste Assumption Nôtre-Dame, & pendant le temps de la vie dudit Frere Pierre Vourron, commençant le premier terme au jour de feste Assumption Nôtre-Dame en l'an 1549. iceluy Frere Pierre Vourron, sera tenu & a promis audit Frere Nicolas Aveine présent & acceptant de luy payer en ladite Abbaye dudit Corneul, la somme de 24. escus d'or au soleil, de pension, dont les fruitz & profitz desdits membres d'icelle Abbaye de Belchampt dois maintenant sont & seront obligez & affectez envers ledit Frere Nicolas Aveine, pour faute de payement de ladite pension, & incontinant le terme d'icelle expirez, y avoir recours à sa plus grande seureté; à la charge aussi que ledit Frere Nicolas est & demeura Coadjuteur dudit Frere Pierre Vourron, pour advenant le décez dudit Vourron, incontinant & sans autres misteres ny moyens, estre Abbé de ladite Abbaye de Belchampt, que d'icelle & de tous profitz & drois qu'en dépendent, jouir paisiblement; selon aussi que Monseigneur le Duc Christofle, tant en son nom, que au nom de mondit Sieur le Duc son Pere, & ledit Sieur Abbé de Corneul, ainsi l'ont consentus, voulus & ordonnez, & chacun en son endroit en tant que besoing est confirmer & appreuver pour Abbé dudit Belchampt ledit Frere Pierre Vourron, & pour sondit Coadjuteur ledit Frere Nicolas Aveine, selon que le faict

respecte & regarde lesdits Sieurs Ducz & Abbes de Corneul & leurs avants declarez es drois & authorites ausquelles ny à aucunes d'icelles dont par cy-devant les Sieurs Comtes de Montbeliard & Abbes de Corneul ont jouiz & n'entendent en façon que soit deroger ; mais que cy aprés un chacun d'eux en jouissent comme cy devant a este fait sans innovation quelconque, le present Traicté demeurant en sa force, vigueur & effect, comme & au semblable mondit Sieur le Duc Christophe esdits noms, & ledit Sieur Abbé de Corneul, & chacun d'eux ont promis de l'observer & faire tous debvoirs qu'il soit observez & sortisse effect sans y contrevenir directement ny indirectement. Avants consentus toutes lesdites parties avant nommees, & icy traictants que en cas de notables difficultez survenantes quand à la validite du present Traicté & contenu ; Que iceluі soit derechef fait & passé & en iceluy apposees toutes les clauses necessaires servants à icelle validite la substance & effect dudit Traicté garder & observer. En témoignage de quoy le present Traicte & tout le contenu en iceluy a esté seele des Seeaulx & seing manuel de mondit Sieur le Duc Christophle, dudit Sieur Abbé de Corneul, & aussi signé desdits Frere Pierre Vourton & Frere Nicolas Aveine, & des Notaires soubzscripts, & ont lesdits Freres Pierre Vourron & Aveine promis & jurez sur & aux saintz Evangilles de Dieu par eux & chacun corporellement touchez, estant és mains desdits Notaires, de garder, observer & entretenir ce que dessus, soubz l'obligation de leurs biens & privileges de seellez de ladite Majeste audit Comte de Bourgougne, dudit Sieur Duc & Comte de Montbeliard, comme du Sieur Official de Besançon par *injunximus* & *monemus*, renonceants à toutes dispences de Sacrement encore que lesion tres énorme y seroit entrevenüe *re ipsa* & par effect. Fait audit Montbéliard le 14e. jour du mois d'Aost l'an 1548. presents Etienne Cauchardet de Dampbelin & Antoine Nicol de Grandmont & autres témoings à ce appellez & specialement requis.

Extrait des Regiſtres du Parlement de Beſançon de l'an 1702.

LOUIS par la grace de Dieu, Roy de France & de Navarre, &c. Comme par Arrest rendu ce jourd'huy en nôtre Cour de Parlement à Besançon, entre nôtre amé & féal Guillaume Laurent de Vilemal, Abbé de l'Abbaye de Nôtre-Dame de Corneux & en cette partie Demandeur d'une part ; & Leopold Eberhard, Prince de Wirtemberg, Comte de Montbéliard, Deffendeur d'autre part. Veu par nôtredite Cour les piéces des parties fournies par inventaires & certifications, sçavoir de la part dudit Demandeur, la Requeste introductive de l'instance par laquelle il a exposé que par Traité du 30e. Mars 1631. passé pardevant les Notaires Henry Vermetey de Servin au Comte de Bourgongne, & David Thevenot de Montbeliard, entre Hierosme le Blanc Abbé de Corneux son predecesseur d'une part, & les Deputez nommez par Louys Frideric Duc de Wirtemberg &c. Theek, Comte de Montbéliard, & continuez depuis sa mort par les Tuteurs de ses Enfans d'autre part ; au sujet des differends pendants entre les parties pour le fait de l'Abbaye de Belchampt fille de celle de Corneux, dont ledit Prince & ses Prédecesseurs s'estoient appropriés les fonds par voye de fait & de leur propre autorite, il avoit été convenu, &c. sans que le suppliant ny ses predecesseurs ayent pu obtenir l'effect dudit Traite, &c. ladite Requeste du 17e. Aoust 1682. &c. nôtredite Cour a débouté & deboute le Deffendeur de son opposition, & sans avoir egard à la prescription proposée par ledit Deffendeur, dont elle l'a debouté, l'a condamne & condamne de payer au Demandeur vingt-huit mille quatre-vingt livres monnoye de France, pour cinquante quatre termes écheus le 23e. Avril 1701. & aux dépens, &c. Fait en Parlement à Besançon le 31e du mois de Mars l'an de grace 1702. & de notre Regne le 59e. *Signé* par la Cour. Bonhomme.

Charta Philippi Trecenſis Epiſcopi, quâ Osberto & Alardo Eccleſiam de Bervilla, *ad ſerviendum Deo liberius concedit. Anno 1112.*

PHilippus Dei gratiâ Trecensis Episcopus, omnibus catholicis fidelibus salutem & orationem. In nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Notum fieri volumus omnibus catholicæ Ecclesiæ fidelibus tam futuris quàm præsentibus, Dominum Osbertum atque Alardum Sacerdotes, nostram præsentiam adiisse, & tam ex parte sua, quàm ex parte Confratrum suorum à nostra quidem benignitate petiisse donari sibi, eorumque successoribus, secundùm regulam B. Augustini degere volentibus, desertam Ecclesiam S. Marci Evangelistæ reædificandam, illius videlicet parochiæ, quæ dicitur *Bervilla* olim secus *Albam* positam, scilicet locum quemdam, in quo liberè & absolutè Deo servire queant, & de labore boum ac Fratrum corporaliter sibi subvenientium, quibus & ipsi mutuâ charitate tam corporalia quàm spiritualia communicent, cum nutrituris suis vivere valeant. Hoc etiam postulaverunt quatenùs ipsum monasterium nostro muniremus deffensaculo, nostroque redderemus tutum propugnaculo ab omni humana impugnatione, & ab omni nostrorum successorum, imò omnium hominum exactione. Illa autem quæ postulantur spiritali desiderio, semper convenit impleri omnimodo affectu. Quapropter concedimus eis, ut in eadem parochia ubicumque voluerint, prædictam Ecclesiam reædificent, ubique atrium restituant, oblationes, si aliquæ factæ fuerint habeant : cætera vero omnia ad antiquam Ecclesiam pertinentia, quæ depravatâ abusione temeritas Laïcorum usurpare præsumpsit, si tandem quoquo modo à se removere voluerint, nulli alteri Ecclesiæ donari, sed huic restitui liceat. Placuit etiam quòd idem locus specialiter sit in custodia Præsulis Trecensis Ecclesiæ, ut per futura secula semper sint debitores pro nobis Dominum deprecaturi, ut promiserunt, Psalmum *Exaudiat te Dominus*, &c. ℣. *Salvum fac servum tuum* : Collectam, *Deus omnium fidelium Pastor*, &c. Condescendentes itaque petitioni eorumdem Sacerdotum & Confratrum suorum, monasterium ipsum, quod dicitur *sancti Salvatoris sanctique Marci Evangelistæ*, jam reddimus liberum, jam fecimus securum per has nostræ Episcopalis institutionis litteras, ut nullus successorum nostrorum aliquâ exactione inquietare præsumat, neque censum, neque aliquod seculare munusculum ab eo expetat ; sed secundùm paternam affectionem, & piæ correptionis devotionem manum propitiationis adhibeat. Si quæ etiam donentur in futuro prædictæ Ecclesiæ vel per concessionem Principum, vel per oblationem fidelium, canonicâ autoritate approbamus. Et ne quis violentiam eidem inferat, vel in his quæ justè modò possidet, vel postmodùm justè possessura est, pontificali interdictu prohibemus. Si quis autem contra hujus institutionis paginam venire temptaverit, & prædictam Ecclesiam aliquâ violentia opprimere præsumpserit, gladio perpetui anathematis percutiatur ; & nisi resipuerit in ultimo examine inter maledictos maledictus

à ſententia judicis damnetur, quâ hœdi ab agnis ſeparabuntur, *diſcedite à me maledicti, &c.* Qui verò cuſtodierit hanc noſtram inſtitutionem & ſervaverit illæſam, omnimodâ Dei ſit benedictione donatus, pro eo quòd noluit Eccleſiæ noſtræ eſſe ingratus à judice auditurus, *Intra in gaudium Domini tui.* Actum Trecis anno ab Incarnatione Domini MCXIII. Indictione v. anno Epiſcopatûs Philippi Trecenſis Epiſcopi xxix. Rege Ludovico; Hugone Trecenſium Comite.

Charta Aiardi Brenenſis Comitis quâ tradit Fratribus Eccleſiæ ſanctæ Mariæ & ſancti Marci Evangeliſtæ quidquid in finibus Jaſſens *poſſidebat. Anno 1112.*

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Patris & Filii, & Spiritûs Sancti, Amen. Notum ſit omnibus ſanctæ Matris Eccleſiæ filiis præſentibus & futuris, quòd Ego Aiardus Dei gratiâ Brenenſis Comes ob remedium animæ meæ & prædeceſſorum meorum, trado & confirmo Eccleſiæ ſanctæ Dei Genitricis Mariæ & ſancti Marci Evangeliſtæ in parochia *Berville* nuper conſtructæ, liberè & abſolutè, interventu & admonitione Patris noſtri Philippi Trecenſis Epiſcopi & domini Oſberti venerabilis Sacerdotis, quidquid habeo in finibus *Jaſſens* tam in terris quàm in nemoribus & pratis, exceptâ juſtitiâ, & exceptâ terrâ ſubtùs viam ad aquam, quam dimiſi Conſtantio meo homini propter hæreditatem quæ ei contingebat. Trado etiam aquam cum banno ſubtùs Eccleſiam, ab ulmo quæ conſtat ſuper ripam ipſius aquæ in fine *Juvanzei* uſque ad villam *Jaſſens* cum aqua quæ eſt inter *Trenam* & *Albam*, quæ dicitur *vivarium Comitis.* Do præterea prædictæ Eccleſiæ uſuaria in nemoribus meis & libera paſcua per omnem Comitatum Brenæ uſque ad portam Caſtri, ad nutrimenta animalium, tam porcorum quàm aliorum. Concedo etiam omnibus hominibus liberum conductum pro quolibet fori facto, eundo & redeundo ad molendinos ejuſdem Eccleſiæ, omnibus etiam hominibus meis & de Brenenſi feodo vel ſuo alodio eandem Eccleſiam augmentent & multiplicent liberè concedo, & ſi inhabitantes in eodem loco aliquid vendiderint aut emerint, à venta vel redditu mihi debito locum prædictum liberum facio. Ut autem hæc conceſſio firma permaneat, legitimorum teſtium ſubſcriptione & ſigilli mei ſuppoſitione confirmo. *Signum* Angelberti de *Brena*; *Signum* Menel de *Pugy*. *S.* Alphæi & *Rad.* Fratrum *S.* Aiardi & filii ejus Alberti. *S.* Martini *Detrena*. *S.* Bernardi *Uſimare*. *S.* Conſtantii *Cenet* *S.* Burdini de *Jaſſene*. Actum eſt anno Incarnati verbi MCXII. Philippo Trecenſi Epiſcopo, Hugone Campaniæ Comite.

Bulla Innocentii Papæ II. confirmantis omnia bona Eccleſiæ ſanctæ Mariæ de Bello-loco, *& ſub Sedis apoſtolicæ patrocinio ſuſcipientis. Anno 1131.*

INnocentius Epiſcopus Servus ſervorum Dei, dilecto filio Odoni Abbati Eccleſiæ ſanctæ Mariæ de *Bello-loco*, quæ ſuper *Albam* fluvium ſita eſt, ejuſque ſucceſſoribus regulariter ſubſtituendis in perpetuum. Ad hoc univerſalis Eccleſiæ cura nobis à Proviſore omnium bonorum Deo commiſſa eſt, ut & religioſas diligamus perſonas & beneplacente Deo religionem ſtudeamus modis omnibus propagare. Quapropter, dilecte in Domino fili Odo Abbas, venerabilis Fratris noſtri Hattonis Trecenſis Epiſcopi precibus inclinati, tuis poſtulationibus clementer annuimus & Beatæ Mariæ Eccleſiam, cui Deo authore præſides, apoſtolicæ Sedis patrocinio communimus ſtatuentes ut quæcunque bona, quaſcunque poſſeſſiones eadem Eccleſia impræſentiarum juſtè & legitimè poſſidet, aut in futurum conceſſione Pontificum, largitione Principum, oblatione fidelium ſeu aliis juſtis modis, procurante Domino, poterit adipiſci; firma tibi tuiſque ſucceſſoribus, & illibata permaneant, in quibus hæc propriis nominibus duximus annotanda. Territorium videlicet in quo præfata illa Eccleſia conſtructa eſt, & aquam à *Geſſena* villa uſque ad *Juvanzeum* cum banno ab Airardo quondam Bregnenſi Comite, prænominatæ Eccleſiæ conceſſam, ſanè in toto Comitatu Bregnenſi juxta quod à prædicto Airardo & Gualtero filio ejus Bregnenſibus Comitibus ſtatutum eſt & in pertinentiis oppidi *Belle-fortis*, pecora Fratrum ipſius loci libera paſcua tam in nemore quam in campeſtribus habeant. Porro capellam quæ conſtructa eſt in nemore *Dervenſi*, à filio noſtro Simone Domino Caſtri Belle-fortenſis & Amelina quondam matre ejus prædictæ Eccleſiæ donato, uſuaria & in nemoribus ad ipſum caſtrum pertinentibus ad focum faciendum & cætera neceſſaria & *Reſteram* cum appenditiis ſuis ex dono Guarnerii Militis & Mainardi Fratris ejus & *Vendolium* & terras *Darzeicurte* eidem Eccleſiæ in perpetuum confirmamus. Decimas autem laborum quos prædicti monaſterii Fratres propriis ſumptibus excolunt, nullus ab eis præſumat exigere. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatam Eccleſiam temerè perturbare, aut ejus poſſeſſiones auferre vel ablatas retinere, minuere, vel temerariis vexationibus perturbare & fatigare, ſed omnia integra conſerventur eorum pro quorum gubernatione & ſuſtentatione conceſſa ſunt, omnimodis uſibus profutura, ſalvâ nimirum Diœceſani Epiſcopi debitâ juſtitiâ & reverentiâ. Si qua igitur in futurum eccleſiaſtica ſæculariſve perſona hanc noſtræ inſtitutionis paginam ſciens, contra eam temerè venire tentaverit, ſecundò, tertiòve commonita, ſi non ſatisfactione congruâ emendaverit, poteſtatis, honoriſque ſui dignitate careat, reamque ſe divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & à ſanctiſſimo corpore & ſanguine Dei & Domini Redemptoris noſtri Jeſu Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine diſtrictæ ultioni ſubjaceat. Cunctis autem eidem loco juſta ſervantibus, ſit pax Domini noſtri Jeſu Chriſti, quatenùs & hic fructum bonæ actionis percipiant & apud diſtrictum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Amen. Ego Innocentius catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus. Datum Catalauni per manum Aimerici ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Diaconi Cardinalis & Cancellarii decimo ſexto Calendas Martii Indictione ix. Incarnationis Dominicæ anno MCXXXI. Pontificatûs autem Domini Innocentii Papæ II. anno ſecundo.

Charta Walteri de eo dictum eſt, in Baſſò-fonte. Brenæ *Comitis confirmantis donationem Aiardi Patris ſui concedentiſque Eccleſiæ de* Bello-loco *de* Baſſò-fonte. *Uſuaria in nemoribus & paſcuis per totum Comitatum* Brenæ. *Anno 1147.*

IN nomine ſanctæ & Individuæ Trinitatis Patris, & Filii, & Spiritûs ſancti. Amen. Ego Walterus Dei gratiâ Brenæ Comes præſenti ſcripto notifico idipſum audituris ac lecturis, me laudare & confirmare ob remedium animæ meæ & Prædeceſſorum meorum quidquid legitimis teſtibus approbatum eſt, Patrem meum Aiardum dediſſe Eccleſiæ ſanctæ Dei Genitricis Mariæ de *Bello-loco*, videlicet quidquid odminativè contingebat Comiti Brenæ in fine *Jeſ-* *ſenne*

Jesenne tam in terris quàm in nemoribus & in pratis, excepta terrâ subtùs viam, quæ divisa est Constantio, aquam etiam subtùs Ecclesiam, ab ulmo quæ constat super ripam ipsius aquæ in fine *Juvanzei* usque ad villam *Jessenne*, cum aqua quæ est inter *Trenam* & *Albam* quæ dicitur *vivarium Comitis*, præterea usuaria in nemoribus, usualibus & in pascuis omnibus per omnem Comitatum *Brenæ* usque ad portam Castri, salvum etiam conductum omnibus hominibus eundo & redeundo ad molendinos Ecclesiæ; præterea omnibus hominibus Comitis Brenensis dedit libertatem augmentandi & multiplicandi prædictam Ecclesiam de proprio Alodio vel de Brenensi feodo; super hoc si inhabitantes in eodem loco aliquid vendiderint aut emerint, ab omni reddita mihi debito, ego ipse locum prædictum post patrem meum liberum facio. Ut autem hæc concessio firma in ævum permaneat, testes inde legitimos cum sigilli mei suppositione describo Encherum inde Abbatem de *Basso-fonte*, Joannem Capellanum *Brenæ*, Joannem Sacerdotem, *Benehim* filium, Alaidam *Brenæ* Comitissam, Aiardum & Andream Comitis ipsius filios, & Mariam ejus filiam, Jacobum *Cacommaci* Dominum, Ubibonem Comitis fratrem, Milonem de *Plicea* Militem, domnum Galterum *Binot*, Angilbertum *Calvi Magnolium*, dominum *Abram*, Falconem *Burgessesse*, *Grammerrich*, Girardum tunc Brenæ Præpositum, Angbertum, Piodulfum de *Brena vetula* Patres, Aiardum filium Ordunæ de *Brena*, Albricum de *Montignon*, Gerum filium Arbitri *Dunsvilla*, Marcum Ansbertum, Renaldum Benellum de *Frenâ*. Actum est Brenæ anno ab Incarnatione Domini MCXLVII. Regnante Rege Ludovico in Francia.

Bulla Eugenii III. Confirmantis omnia bona Abbatiæ Belli-loci. *Anno 1147.*

EUgenius Episcopus servus Servorum Dei, dilectis filiis Radulpho de *Bello-loco*, ejusque Fratribus tam præsentibus quàm futuris regularem vitam professis in perpetuum. Religiosis desideriis dignum est facilem præbere consensum, ut fidelis devotio celerem sortiatur effectum. Quocirca, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus & præfatum locum in quo divino mancipati estis obsequio, sub B. Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus. Statuentes ut quascunque possessiones, quæcunque bona in præsentiarum justè & canonicè possidetis, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, Deo propitio, poteritis adipisci, firma vobis, vestrisque successoribus & illibata permaneant, in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Territorium videlicet in quo Ecclesia sanctæ Dei Genitricis Mariæ super *Albam* sita est, & aquam à *Gessenna* villa usque ad ulmum *Givanzei* cum banno ab Airardo quondam Brenensi Comite, prænominatæ Ecclesiæ concessam cum terra quam in finibus ejusdem villæ habebat. Sanè in toto Comitatu Brenensi juxtà quod à prædicto Airardo & Galterio filio ejus statutum est, & in pertinentiis *Belle-fortis* oppidi, pecora Fratrum ipsius loci libera pascua tam in nemore, quàm in campestribus, habeant. Porro in loco qui dicitur Capella in nemore Dervensi, à Simone Domino Castri *Belle-fortensis* & Amelina matre ejus prædictæ Ecclesiæ donato, usuaria & in nemoribus ad ipsum Castrum pertinentibus ad focum faciendum & cætera necessaria & *Rosteriam* cum appenditiis suis ex dono Guarnerii Militis & Mainardi fratris ejus & *Vendolium* & domum de *Traulebaosco* datum à Philippo de *Valentiniaco* & Angelberto de *Brena* & Herberto Bariensi Milite & Anschero fratre ejus, cum terra in eodem loco, quantùm uni carrucæ omni tempore opus fuerit, & usuaria in finibus *Valentiniaci* tam in pascuis ob nutrimenta pecorum, quàm in nemoribus ad focum faciendum & ad omnia eidem Domui necessaria; quidquid etiam habebat Hangelbertus de *Brena* in finibus sancti Remigii de *Bosamont* datum ab eodem, & à filiis ejus; omnem etiam terram de *Ponte Mainardi* quæ Mainardo Militi contingebat, datum ab eodem & Petro filio ejus & in finibus *Darzencurte* viginti jugera terræ quæ dedit Odo filius Fulberti, & ultra medietatem totius terræ ejusdem à Gualtero & matre ejus quæ Cometissa vocabatur, datam; & curiam ejusdem loci cum appenditiis suis & molendino, & curiam de *Farnerol* cum appenditiis suis & molendino & curiam in finibus *Beurreville* cum appenditiis suis; omnem etiam decimam de *Bervilla* datam à Philippo Trecensi Episcopo & duas partes majoris decimæ & minoris de *Ferreriis* & de *Casa Salefridi*, salvâ parte Hugonis Monachi in majore decima, & tertiam partem in decima de *Hauncourt* & in decima de *Junscherio* tertii unius medietatem, salvâ parte Ecclesiæ *Rosnaici* & in majori decima *Summevera* in uno tertio de duodecim Vasis. v. Omnem etiam decimam de *Blegnicourt* cum Ecclesia & liberam potestatem eligendi in ipsa idoneum Sacerdotem, tam de vestris clericis, quàm de aliis, sic ab Hattone Trecensi Episcopo canonicè vobis concessum est; & in uno tertio tertiam partem in majori decima sancti Remigii de *Bosemont* eidem Ecclesiæ confirmamus. Sanè laborum vestrorum quos propriis manibus aut sumptibus colitis, seu de nutrimentis vestrorum animalium nullus à vobis decimas exigere præsumat. Decernimus ergo ut nulli omninò hominum liceat præfatum locum temerè perturbare, aut ei possessiones auferre vel ablatas retinere, minuere aut aliquibus vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur, eorum pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt, usibus omnibus profutura, salvâ Sedis apostolicæ authoritate & Diœcesani Episcopi Canonicâ justitiâ. Si qua igitur infuturum ecclesiastica secularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temerè venire tentaverit, secundò, tertiòve commonita, si non emendaverit satisfactione congruâ, potestatis honorisque sui careat dignitate, reamque se divino judicio de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo Corpore & Sanguine Dei & Domini nostri Jesu Christi aliena fiat, & in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco justa servantibus, sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenùs & hîc fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia pacis æternæ inveniant. Amen, Amen, Amen. Ego Eugenius catholicæ Ecclesiæ Episcopus. Ego Albericus Hostiensis Episcopus. Ego Imarus Tusculanensis Episcopus. Ego Odo Diac. Card. sancti Georgii. Ego Joannes Diac. Card. Sanctæ Mariæ novæ. Ego Ignatius Diaconus Card. sanctæ Mariæ in Cosmydin. Datum Parisiis per manum Hugonis Presbyteri Cardinalis, agentis vices domini Guidonis sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconi Cardinalis & Cancellarii, Idibus Maii, Indictione decimâ, Incarnationis Dominicæ anno MCXLVII. Pontificatûs verò Domini Eugenii Papæ III. anno 3°.

Charta fundationis Belli-portûs *anno 1202.*

NOtum sit omnibus tam futuris quàm præsentibus, quòd Ego Alanus Dominus de *Govello* Henrici Comitis filius, assensu Petronillæ uxoris meæ,

& Stephani & Conanni fratrum meorum, Baronumque meorum consilio, ædificavi Abbatiam secundùm Ordinem Præmonstrati, in loco qui dicitur Bellus-portus, ad honorem Dei & sanctæ Mariæ, omniumque Sanctorum pro salute animæ meæ & Henrici Comitis patris mei, & Mathildis matris meæ & P. uxoris meæ, & omnium prædecessorum & successorum meorum. Dedique Deo & Canonicis Regularibus, in præfata Abbatia Deo servientibus, in puram & liberam & perpetuam eleemosynam, locum ipsum in quo eadem Abbatia sita est, quem emi de proprio meo, de Rolando Præposito & Gaufrido, filio *Angour*, & Gaufrido filio *Guibomur*, Glemarco filio *Guillec*, Uruone filio Sacerdotis, Eudone filio Romani, Eudone filio *Dileis*, Gaufrido filio *Paris*, filiis *Caradoc*, filio *Gingam*, filio *Hilary*, Guillelmo filio *Hamon Zellovart*, & villam Comitissæ aviæ meæ quæ dicitur *Caraburum*, & campum Mariæ & molendinum similiter Comitissæ, & aliud molendinum juxta positum, & decimas frugum Parochiæ de *Plovezec* quas tum temporis in manu mea tenebam, & totum reditum avenæ quæ mihi debebatur in *Plovesec*, & lanam & pelles arietum meorum & totum nemus meum de *Plovezec*, retento mihi calefagio moderato, quando perendinabo apud Castellum meum de *Correch*, & totum dominium circa præfatum nemus positum, quod per metas & fossata dividitur ab alia terra. Dedi insuper forestarios & redditum illum quem mihi reddebant pro forestaria præfati nemoris, & pro villa terræ quæ dicitur villa de *Brenant*; præterea dedi terram quæ dicitur *Runandrain*, & *Landas* juxta à parte occidentali, & alias *Landas* juxta præfatum nemus, & sub nemore usque in aquam de *Correch*, cum pratis juxta eandem aquam positis. Dedi & salagium meum & redditum siccariarum de *Plovezec* & de *Caritt*, & Ecclesiam de *Caritt*, & Ecclesiam de *Lanneves*, & Ecclesiam de *Brebac* cum omnibus pertinentiis earum; dedi & insulam de *Beniguet*, & in *Penpoul* minagium frugum & consuetudinem salis & piscium. Dedi & terram Anserum, & insulam sancti Rionis quæ vocatur *Guernevés* cum omnibus suis pertinentiis & quantùm terræ mare permittit desiccari circa præfatam insulam ut sit minihi.* Dedi & in *Plebara* molendinum Canum, & totum feodum *Orguen* de *Maceriis*, salvo jure Domini. Dedi adhuc præfatis Canonicis totam decimam omnium molendinorum meorum de Castro *Andreni*, bladi scilicet & fullonum, & sex Ecclesias in *Govelo* cum omnibus pertinentiis earum quæ ad præsentationem meam pertinebant de jure, & maximè ex pace confirmata inter me & Josselinum Briocensem Episcopum, authoritate judicum à Sede apostolica delegatorum, videlicet R. de *Poile* Archid. G. Præcentoris, Gualteri de *Rusco* Archid. Canonici Constantiensis. Scilicet Ecclesiam de *Pordic*, Ecclesiam de *Stabla*, Ecclesiam de *Plebara*, Ecclesiam de *Ploitou*, Ecclesiam de *Ploha*, Ecclesiam de *Tviat*. Et dedi in Episcopatu Trecorensi Ecclesiam de *Ploagat* cum omnibus pertinentiis suis. Præterea dedi præfatæ Abbatiæ in Anglia in Episcopatu Lincolniensi, scilicet in Soca de *Waltam*, omnes Ecclesias ad præsentationem meam pertinentes, videlicet Ecclesiam omnium Sanctorum de *Waltam*, Ecclesiam de *Bernelobi*, Ecclesiam de *Belesbi*, Ecclesiam de *Hautecleves*, Ecclesiam de *Ravendala*, Ecclesiam de *Brigelai*, Ecclesiam de *Haute-Wardebi*, Ecclesiam de *Alenvardebi*, Ecclesiam de *Belebi* cum omnibus pertinentiis earum, & ad vestituram Canonicorum decem libras Sterlingorum annuatim, in manerio meo de *Ravendala* dedi præfatis Canonicis percipiendas. Dedi adhuc sæpedictis Canonicis in omnibus forestis meis Britanniæ ad libitum suum ligna ad facienda ædificia sua nova, & ad reparanda vetera. Dedi item eisdem Canonicis & concessi in prædictis forestis meis pasnagium porcorum suorum, & pasturagium cæterorum animalium suorum, & sedes duarum piscariarum in mari.

* Anil.

Hæc omnia suprascripta dedi, ut dictum est, & concessi Abbatiæ & Canonicis Regularibus sanctæ Mariæ de *Bello-portu* in puram & liberam & perpetuam eleemosynam cum omni libertate & quittancia perpetuis temporibus possidenda. Actum est publicè anno ab Incarnatione Domini MCCII. Ut autem hæc omnia rata & inconcussa teneantur in perpetuum, præsentis chartæ & sigilli mei munimine corroboravi. Gaufrido Episcopo & H. Archid. Trecorensibus præsentibus, & Gaufrido de *Begar*, Ludone de *Coatmaloan*, Ausgoto de *Lucerna* Abbatibus, Oliverio Archid. Guillelmo *Rabin* Cantore, Guillelmo Decano Briocensibus, Nicolao Presbytero, Herveo Clerico, Eudone nigro, *Caderoch* Militibus & aliis multis Clericis & Laicis.

Charta Conanni Comitis quâ fundationem Belli-portûs *confirmat anno 1202.*

NOtum sit omnibus tam futuris quàm præsentibus, quòd Ego Conanous Henrici Comitis filius, dedi & concessi & hâc meâ præsenti chartâ, & sigillo meo confirmavi Deo & Abbatiæ sanctæ Mariæ de *Bello-portu* & Canonicis Regularibus Præmonstratensis Ordinis, ibidem Deo servientibus, in puram & perpetuam eleemosynam, pro salute animæ meæ, & patris & matris meæ & A. uxoris meæ & puerorum & parentum meorum, totum manerium de *Ravendale* cum omnibus pertinentiis in Episcopatu Lincolniensi situm, cum omni integritate & libertate & quittancia, perpetuis temporibus possidendum. Dedi adhuc & concessi prædictæ Abbatiæ & Canonicis omnes Ecclesias de Socha de *Waltam* ad præsentationem meam pertinentes, in Episcopatu Lincolniensi sitas, videlicet Ecclesiam omnium Sanctorum de *Waltam* & Ecclesiam de *Bernetobi* & Ecclesiam de *Belesbi*, & Ecclesiam de *Haute-cleve*, & Ecclesiam de *Hautwardebi*, & Ecclesiam de *Alenwardebi*, & Ecclesiam de *Besebi* cum omnibus pertinentiis earum; concessi adhuc præfatæ Abbatiæ & Canonicis omnia dona quæ Dominus Alanus frater meus eis fecit, & chartis suis confirmavit; adhuc etiam omnia alia dona quæcumque eis data fuerunt in terris, & feodis meis, à quibuscumque data sint eis. Hæc omnia suprascripta dedi, ut dictum est, & benignè concessi, hâc meâ præsenti chartâ, & sigillo meo confirmavi Abbatiæ & Canonicis sanctæ Mariæ de *Bello-portu* in puram, & liberam & perpetuam eleemosynam, cum omni integritate & libertate & quittancia perpetuis temporibus possidenda. Actum est hoc anno ab Incarnat. Domini MCCII.

Bulla Innocentii III. confirmans & laudans fundationem Belli-portûs. *anno 1202.*

INnocentius Episcopus servus Servorum Dei, dilectis filiis Abbati monasterii de *Bello-portu*, cum Fratribus, tam præsentibus quàm futuris in P. R. M. Religiosam vitam eligentibus. Apostolicum convenit adesse præsidium ne fortè cujuslibet temeritatis incursus, aut eos à proposito avocet, aut robur, quòd absit, sacræ Religionis infringat. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & præfatum Monasterium de *Bello-portu* in quo divino mancipati estis obsequio, sub B. Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti

privilegio communimus. In primis siquidem statuentes ut Ordo Canonicus qui secundùm Deum & B. Augustini Regulam atque institutionem Præmonstratensis Ordinis, in eodem loco institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascumque possessiones quæcumque bona idem monasterium in præsentiarum justè & canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum, vel principum, oblatione fidelium seu aliis justis modis, præstante domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus, & illibata permaneant, in quibus hæc propriis duximus exprimanda vocabulis. Locum ipsum in quo præfatum monasterium situm est, cum omnibus pertinentiis suis. Terram, quæ est inter aquam de *Correch* & rivum de *Utric*, quæ dicitur terra Anserum, à domo usque ad fossatum quod claudit ab utraque aqua versùs *Novam villam* diffusa, ex dono Alani filii Henrici Comitis. Nemus suum de *Ploec* & totum dominium suum circa præfatum nemus positum, quod per metas & fossas dividitur ab alia terra sicut in charta sua plenariè continetur. Redditum custodiæ illius nemoris & villæ quæ dicitur *Bersi*.... terram, quæ dicitur *Runandram*. Insulam S. Rionis, quæ vocatur *Guervenes*. Decem libratas terræ Sterlingorum in manerio suo de *Ravandala*. Sedes duarum Piscariarum in mari juxta domum vestram. Ligna ad facienda ædificia, Oratoria vestra nova & ad reparanda vetera in omnibus forestis suis Britanniæ. Pasnagium porcorum vestrorum, & pasturam animalium vestrorum in forestis eisdem. Costumam salis & piscium de *Penpol*, in *Quirithi* salagium & fenagium. Decimas terræ fernagii. Villam *Buron*. Molendinum Comitissæ. Molendinum novum, campum Mariæ. Terram quæ vocatur *Corucia*, Avenagium de *Plaoc*. Lanam arietum Comitis. Decimas molendinorum de Castro audroëni, fullonicorum videlicet & aliorum. In *Plebara*, Molendinum Canum. Sanè novalium vestrorum quæ propriis manibus & sumptibus colitis, tam de terris cultis, quàm incultis, sive de ortis & virgultis & piscationibus vestris, vel de nutrimentis animalium vestrorum, nullus à vobis decimas exigere, aut extorquere præsumat. Liceat quoque vobis Clericos vel Laicos liberos & absolutos è seculo fugientes ad conversionem recipere, & eos absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper ut nulli Fratrum vestrorum post factam in monasterio vestro professionem, fas sit sine Abbatis sui licentia de eodem loco discedere, discedentem verò absque communium litterarum cautione audeat retinere..... inhibentes ne cui Episcopo vel alii, plus à vobis pro vestris.... petere & recipere liceat, quàm fuerit à prædecessoribus eorum usque ad hæc tempora requisitum. Cùm autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis, januis clausis, exclusis excommunicatis & interdictis, non pulsatis campanis, suppressâ voce, divina officia celebrare. Chrisma verò, oleum sanctum, consecrationes altarium seu Basilicarum, ordinationes Clericorum, qui ad sacros fuerint Ordines promovendi, à Diœcesano suscipietis Episcopo, siquidem catholicus fuerit & communionem sacro sanctæ Romanæ sedis habuerit, & ea vobis voluerit sine pravitate qualibet exhibere; alioquin liceat vobis quemcumque malueritis catholicum adire Antistitem, gratiam & communionem Apostolicæ sedis habentem, qui nostrâ fretus authoritate, valeat vobis, quod postulatur, impartiri. Prohibemus insuper ut infra fines parochiæ vestræ, nullus sine assensu Diœcesani Episcopi & vestro, Capellam seu Oratorium de novo construere audeat, salvis privilegiis Romanorum Pontificum. Ad hæc novas & indebitas exactiones ab Archiepiscopis, Episcopis, Archidiaconis seu Decanis aliisque omnibus ecclesiasticis secularibusve personis omnino fieri prohibemus. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decernimus, ut eorum devotioni & extremæ voluntati, qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi fortè excommunicati, vel interdicti sint, nullus obsistat. Salvâ tamen justitiâ illarum Ecclesiarum a quibus mortuorum corpora assumuntur. Decimas præterea & possessiones ad jus Ecclesiarum vestrarum spectantes, quæ à laicis detinentur, redimendi, & legitimè liberandi de manibus eorum & ad Ecclesias ad quas pertinent, revocandi, libera sit vobis de nostra authoritate facultas. Obeunte vero te nunc ejusdem loci Abbate, vel tuorum quolibet successorum nullus ibi qualibet subreptionis astutiâ seu violentiâ præponatur, nisi quem Fratres communi consensu, vel Fratrum major pars consilii sanioris, secundùm Deum & B. Augustini Regulam providerint eligendum. Pacique & tranquillitati vestræ paternâ in posterum sollicitudine providere volentes, authoritate apostolicâ prohibemus ut infra clausuras locorum seu grangiarum vestrarum nullus rapinam, seu furtum facere, ignem apponere, sanguinem effundere, hominem temere capere, vel interficere, seu violentiam valeat exercere. Præterea omnes libertates & immunitates à prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus Ordini vestro concessas, nec non & libertates & exemptiones secularium exactionum à Regibus, & Principibus, vel aliis fidelibus rationabiliter vobis indultas, authoritate Apostolicâ confirmamus & præsentis scripti privilegio communimus. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatum monasterium temerè perturbare aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare: sed omnia integra conserventur eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salvâ sedis Apostolicæ authoritate. Siqua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam scienter contra eam temerè venire tentaverit, secundò tertiòve commonita, nisi reatum suum congruâ satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo Corpore & Sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus, sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenùs & fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem dona æternæ pacis inveniant. Amen. Amen.

Ego Innocentius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

Locus plumbi.

† Ego Octavianus Hostiensis & Velletrensis Episcopus.

† Ego Petrus Portuensis & sanctæ Rufinæ Episcopus.

† Ego Joannes Albanensis Episcopus.

† Ego Petrus Titulo Sanctæ Cæciliæ Presb. Card.

† Ego Guido Sanctæ Mariæ trans Tiberim titulo Calixti Presbyter Cardinalis.

† Ego Hugo Presbyter Cardinalis Sancti Martini tit. Egtii.

† Ego Cencius Sanctorum Joannis & Pauli Presbyter Card. tit. Pammachii.

† Ego Benedictus tit. Sanctæ Susannæ Presbyter Card.

Ego Grat. SS. Cosmæ & Dam. Diac. Card.

Ego Gregorius S. Georgii ad velum aureum Diac. Card.

Ego Hugo Sancti Eustachii Diac. Card.

Ego Joannes Sanctæ Mariæ in Cosmidin Diac. Card.

Datum Laterani per manum Blaſii Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Subdiaconi & Notarii 11°. idus Novembris Indictione VI^a^. Incarnationis Dominicæ anno MCCII.

Pontificatûs verò Domini Innocentii Papæ III. anno V.

Charta.

ILluſtriſſimo & Sereniſſimo Principi & D. D. Johanni divinâ clementiâ Britanniæ Duci, veſtri Ducatûs felicis proſperitatis augmentum. Reverendis in Chriſto Patribus D. Dominis Dei & Apoſtolicæ ſedis gratiâ Dolenſi, Coriſopitenſi, Trecorenſi, Redonenſi, Maclovienſi, Nannetenſi & Venetenſi Epiſcopis, eorumque & cujuſlibet ipſorum in ſpiritualibus & temporalibus Vicariis & Officialibus generalibus, ac cauſarum nunc Cameræ Apoſtolicæ Auditori, ejuſque Vice-auditori, ſeu locum tenenti, necnon univerſis & ſingulis Dominis Abbatibus, Præpoſitis, Decanis, Archidiaconis, Cantoribus, Cuſtodibus, Theſaurariis, Sacriſtis, tam Cathedralium quàm Collegiatarum, Canonicis, Parochialiumque Eccleſiarum Rectoribus, ſeu locum tenentibus eorumdem, Plebanis, Vice-plebanis, Capellanis, Curatis, & non Curatis, Vicariis perpetuis, Altariſtis, & etiam Monaſteriorum & Ordinum quorumcumque Miniſtris generalibus & Provincialibus, Vicariis, Cuſtodibus, Prioribus, Gardianis, S. Joannis Hieroſolim. Commendatoribus, Præceptoribus, Minorum, Prædicatorum, Heremitarum S. Auguiſtini & Sanctæ Mariæ Carmelitarum Fratribus, cæteriſque Preſbyteris Curatis & non Curatis, Clericis, Notariis & Tabellionibus publicis quibuſcumque; nec non magnificis & nobilibus viris Dominis Parlamentum Britanniæ tenentibus, Præſidentibus Britanniæ, nec non Redonenſi, & Reſordiæ, Goëloviæ in *Guicampo* pro præfato Domino Duce Seneſcallis, Richemondiæ Comiti, nec non de *Rahan*, & *Caſtrobrientis*, de *Quyſim*, de *Coetmen*, de *Pommerit* & de *Feylleis* Dominis, cæteriſque Dominis Comitibus, Baronibus, Militibus, terrarum Dominis, Militatibus, Seneſcalllis, Capitaneis, Armigeris, Baillivis, Judicibus, Juſtitiariis, Advocatis; Magiſtris Civium, Civibus, Incolis, Ravillis, Scribis & Præconibus per Ducatum Britanniæ, ac dictorum Dominorum Epiſcoporum Civitatibus & Diœceſibus ac aliàs ubilibet conſtitutis, ac univerſis & ſingulis Chriſti fidelibus & præſertim Gallicanæ nationis, nec non vobis Reverendo Patri D. Herveo aliſque Epiſcopis Briocenſibus pro tempore exiſtentibus, omnibuſque & ſingulis, quorum intereſt vel intererit, quoſque infraſcriptum tangit negotium, ſeu tangere poterit quomodolibet in futurum quibuſcumque nominibus cenſeantur, aut quacumque fulgeant dignitate, ANSELMUS DE *BELDA* Decretorum Doctor, Archidiaconus Hannoniæ in Eccleſia Leodienſi, litterarum Apoſtolicarum Corrector, executor ad infraſcripta unà cum nonnullis infraſcriptis noſtris in hac parte Collegis, cum illa clauſula, *quatenus vos, vel duo, vel unus veſtrum per vos, vel alium, ſeu alios &c.* à ſede Apoſtolica ſpecialiter deputatus, ſalutem à Domino, & noſtris hujuſmodi imo veriùs Apoſtolicis firmiter obedire mandatis, & præſentibus fidem indubiam adhibere.

Litteras executorias in forma exhibitas, nuncupatas SS. in Chriſto Patris & D. N. Domini Eugenii divinâ Providentiâ Papæ IV. ejus vera Bulla plumbea cum cordula canapis more Romanæ Curiæ impendente bullatas, ſanas & integras, non vitiatas, non cancellatas, neque in aliqua ſui parte ſuſpectas, ſed omni prorsùs vitio & ſuſpicione carentes, Nobis pro parte venerabilium & circumſpectorum virorum Dominorum Abbatis & Conventûs B. M. Belliportûs, Præmonſtratenſis Ordinis, dictæ Briocenſis Diœceſis, in ipſis litteris Apoſtolicis principaliter nominatorum, coram Notario publico & teſtibus infraſcriptis præſentatas, Nos cum ea, quâ decuit, reverentia noveritis recepiſſe, quarum tenor de verbo ad verbum ſequitur, & eſt talis:

Eugenius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei. Dilectis filiis Beatæ Mariæ de *Begar* & B. Mariæ de *Langonia* Coriſopitenſis Diœceſis, Monaſteriorum Abbatibus ac Archidiacono Hannoniæ in Eccleſia Leodienſi, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Exhibita nobis pro parte dilectorum Filiorum Abbatis & Conventûs B. Mariæ Belli-portûs, Ordinis Præmonſtratenſis, Briocenſis Diœceſis, petitio continebat, quòd, licet dictum monaſteriũ cum omnibus & ſingulis ſuis membris & ab ipſo dependentibus Eccleſiis, nec non ejus Abbas pro tempore exiſtens, Canonici, Converſi, & Donati ab omni juriſdictione, ſuperioritate, correctione, punitone, viſitatione, & dominio Epiſcoporum Briocenſium pro tempore exiſtentium, per ſpeciale ſedis Apoſtolicæ privilegium, cui non eſt in aliquo derogatum, penitùs ſint exempta & libera & immunia, nec non eidem ſedi immediatè ſubjecta, fuiſſentque monaſterium, Abbas, Canonici, Converſi & Donati, cum membris & Eccleſiis hujuſmodi in pacifica poſſeſſione vel quaſi exemptionis, libertatis & immunitatis prædictorum à tempore conceſſionis privilegii præfati, & etiam cujus contrarii non exiſtit, ſalvis infraſcriptis caſibus, videlicet: Quòd ipſi Canonici curam animarum in dictis Eccleſiis pro tempore exercentes, ac illas regentes, præfatis Epiſcopis ratione exercitii curæ hujuſmodi ſubeſſe, viſitationem ſuſcipere, procurationem ſolitam & epiſcopalia jura ſolvere, & alia ipſarum Eccleſiarum onera ſupportare, nec non in ſynodis comparere, ac ibidem reſpondere duntaxat aſtricti ſint: Et propterea ipſi Abbas, Canonici, Converſi & Donati ad parendum Epiſcopis Briocenſibus, ac eorum monitionibus & præceptis tanquam Ordinariis & ſuperioribus, ac ad ſolvendum procurationes, vel alia jura epiſcopalia, nec non ire ad ſynodos ac coram ipſis Epiſcopis ex officio contra eos procedentibus, ſive ad inſtantiam perſonarum de ipſis conquerentium comparere minimè teneantur; tamen venerabilis Frater noſter Herveus Briocenſis Epiſcopus minùs veraciter prætendens monaſterium, nec non Abbatem, Canonicos, Converſos & Donatos hujuſmodi ſibi ac ejus juriſdictioni ordinariæ in omnibus fore ſubjecta, & ſuper illis Abbati & Conventui prædictis contra juſtitiam ſe opponens eoſdem, ſuper multipl. moleſtavit, vexavit, perturbavit & etiam impedivit. Ortâque propterea inter Epiſcopum ex una, nec non Abbatem & Conventum ex altera partibus ſuper præmiſſis ac illorum occaſione materiâ quæſtionis, nos cauſam hujuſmodi, non obſtante quòd ex ſua natura ad Romanam Curiam devoluta ac apud eam tractanda & finienda non eſſet, quondam Petro *Nardi* Cappellano noſtro & Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditori ad inſtantiam dictorum Abbatis & Conventûs audiendam commiſimus & fine debito terminandam. Qui cognitis illius meritis, de conſilio & aſſenſu Coauditorum ſuorum Cauſarum dicti Palatii, quibus ſuper his relationem fecit fidelem, per ſuam definitivam ſententiam pronuntiavit, decrevit & declaravit, prout hæc omnia in libello pro parte ipſorum Abbatis, &c. in dicta cauſa exhibito petita fuerant, Monaſterium, Abbatem, Canonicos, Converſos & Donatos, ab omni juriſdictione, ſuperioritate, correctione, punitione, viſitatione & dominio prædictis, prærterquàm quoad caſus præmiſſos, fuiſſe & eſſe exempta, libera & immunia, nec non ipſos Abba-

tem, Canonicos, Conversos & Donatos quomodolibet ad parendum Episcopis eorumque monitionibus & præceptis prædictis, eisdem Episcopis procurationem & jura ejusmodi solvere, vel ad synodum ire ac coram ipsis respondere minimè fore obligatos, ac dictis Episcopis jurisdictionem, superioritatem sive dominium aliquod in monasterium, Abbatem, Canonicos, Conversos & Donatos, membra & Ecclesias hujusmodi alias de cætero exercere nullatenùs licere, oppositionesque, molestationes, vexationes, perturbationes & impedimenta prædicta fuisse & esse temeraria, indebita, illicita, iniqua, injusta, ac de facto præsumpta, nec non præfato Episcopo super illis ac dictis superioritate, jurisdictione, correctione, punitione, visitatione, procuratione & dominio aliàs quàm superius expressum est, perpetuum silentium imponendum fore, & imposuit, ac ipsum Episcopum in expensis coram eo in hujusmodi causa legitimè factis condemnandum fore & condemnavit, illarum taxatione sibi in posterum reservatâ. A qua quidem sententia pro parte dicti Episcopi ad sedem Apostolicam appellatum, nosque causam appellationis ejusmodi dilecto filio Petro *Martini* de *Cavens rubeis* Capellano nostro & Auditori causarum ejusdem Palatii audiendam commisimus & fine debito terminandam, qui, cognitis illius meritis, de consilio & assensu Coauditorum suorum Causarum dicti Palatii, quibus super hiis relationem fecit fidelem, per suam definitivam sententiam pronuntiavit, decrevit & declaravit per præfatum Petrum *Nardi* Auditorem in causa hujusmodi benè fuisse & esse processum, sententiatum & diffinitum, ejusque sententiam prædictam confirmandam fore & confirmavit, ac ab illa pro parte dicti Episcopi malè fuisse & esse appellatum, nec non eundem Episcopum in expensis coram eo in hujusmodi causa factis condemnandum fore & condemnavit, illarum taxatione sibi in posterum reservatâ. Cùmque à sententia Petri *Martini* Auditoris hujusmodi, fuisset pro parte dicti Episcopi ad Sedem appellatum eandem, nos causam ipsius ultimæ appellationis dilectis filiis Magistris Laurentio de *Aretio* primò, & deinde ex certis Causis Roberto de *Cavalcantibus* Capellanis nostris & Auditoribus Causarum ejusdem Palatii audiendam commisimus & fine debito terminandam. Ipseque Robertus Auditor, cognitis illius meritis, de consilio & assensu, Coauditorum suorum Causarum dicti Palatii, quibus super hiis relationem fecit fidelem, per suam diffinitivam sententiam pronuntiavit, decrevit & declaravit, præfatum Petri *Martini* Auditorem in causa hujusmodi benè fuisse & esse processum, sententiatum & diffinitum ejusque sententiam prædictam confirmandam fore & confirmavit, ac ab illa pro parte dicti Episcopi malè fuisse & esse appellatum, ac eundem Episcopum in expensis coram eo in causa hujusmodi legitimè factis condemnandum fore & condemnavit, illarum taxatione sibi in posterum reservatâ. Et subsequenter Petrus *Martini* in triginta duobus, ac Robertus Auditores præfati, etiam in triginta duobus, nec non dilectus filius Magister Wilhelmus *Bont* Capellanus noster, & Causarum dicti Palatii Auditor, cui ex certis causis commisimus ut coram eodem Petro *Nardi* taxaret, coram illo in septuaginta florenis auri de *Camera* boni & justi ponderis factas expensas hujusmodi providis moderationibus taxarunt, Procuratoris ipsorum Abbatis & Conventûs super expensis hujusmodi, juramentis secutis, prout in instrumentis publicis inde confectis ipsorum Petri *Nardi*, Petri *Martini*, Roberti & Wilhelmi Auditorum sigillis munitis dicitur pleniùs contineri. Cùm autem sicut eadem petitio subjungebat, Abbas & Conventus prædicti dubitent quòd præfatus Episcopus sententiis præmissis & præsentium vigore habendis processibus reverenter parere non velit, adeoque illi Episcopo præfato propter ejus potentiam, & aliis quos concernunt, tutè nequeant publicari, pro parte Abbatis & Conventûs prædictorum nobis fuit humiliter supplicatum ut eis super hiis de opportuno remedio providere dignaremur. Nos itaque hujusmodi supplicationibus inclinati discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenùs vos vel duo aut unus vestrûm, per vos vel alium seu alios præmissa ubi & quando expedire videritis authoritate nostrâ solemniter publicari, nec non Monasterium, Abbatem, Canonicos, Conversos & Donatos cum membris & Ecclesiis hujusmodi à jurisdictione, superioritate, correctione, punitione, visitatione & dominio præmissis aliàs quàm in casibus prædictis, exempta, libera & immunia fore nuntiantes, non permittatis Abbatem, Canonicos, Conversos & Donatos prædictos, vel aliquem ex eis etiam quoad Monasteria, membra & Ecclesias hujusmodi ab Episcopis Briocensibus pro tempore existentibus vel ipsorum aliquo contra exemptionem, libertatem & immunitatem prædictas ipsarumque sententiarum effectum impeti indebitè, vel quomodolibet molestari, facientes Abbati & Conventui prædictis, de florenorum summis pro expensis hujusmodi juxta præfatorum instrumentorum earundem condemnationem & taxationum tenores plenam & debitam satisfactionem impendi; & insuper super hiis per vos habendis servatis processibus eos quotiens expedierit aggravare curetis, contradictores authoritate nostrâ, appellatione postpositâ, compescendo, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Cæterùm si per summariam informationem super hiis per vos recipiendam, vobis constiterit quòd ipsius Episcopi & aliorum quos hujusmodi processus concernent, præsentia pro monitionibus eis & citationibus de ipsis faciendis commodè nequeat haberi, nos vobis processus, monitiones & citationes hujusmodi per edita publica locis affigenda publicis partibus illis vicinis, de quibus verisimilis sit conjectura quòd ad notitiam monitorum & citatorum hujusmodi pervenire valeant, faciendi plenam concedimus tenore præsentium facultatem. Et volumus quòd hujusmodi processus, monitiones & citationes perinde eosdem monitos & citatos arctent ac si intimati & insinuati personaliter & præsentialiter extitissent, nonobstantibus constitutionibus Apostolicis & aliis contrariis quibuscumque, seu si eidem Episcopo vel quibusvis aliis communiter vel divisim à dicta sit Sede indultum, quòd interdici, suspendi vel excommunicari non possint, per litteras Apostolicas non facientes plenam & expressam de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Datum Bononiæ anno Dom. Incarn. MCCCCXXXVI. x. Kal. Jul. Pontificatûs nostri anno VI. Post quarum quidem litterarum Apostolicarum executoriarum præsentationem & receptionem nobis & per nos, ut præmittitur, factas, productis primitùs coram nobis nonnullis testibus fide dignis, ad informandum animum nostrum de & super non tuto accessu ad dictum Herveum Briocensem Episcopum, ipsisque testibus per nos receptis rite admissis & in forma juris juratis, & per.....ter examinatis, subsequenter fuimus pro parte Dominorum Abbatis & Conventûs B. M. Belli-portûs, dictæ Briocensis Diœcesis, debita cum instantia requisiti quatenùs ad executionem dictarum litterarum, executorialium & contentorum in eisdem procedere dignaremur juxta traditam seu directam à sede Apostolica nobis formam.

Nos igitur Anselmus Archidiaconus & executor præfatus, volentes mandatum hujusmodi à sede Apostolica nobis, ut premittitur, factum re-

verenter exequi, ut tenetur : & quia per summariam & diligentem informationem quam habuimus ex dictis & depositionibus testium prædictorum reperimus dictis Dominis Abbati & Conventui B. M. Belli-portus ad dictum Dominum Herveum Episcopum pro executione hujusmodi litterarum Apostolicarum & præsentis nostri processûs legitimè fienda, totum non patere accessum, idcirco Apostolicâ authoritate nobis in hac parte commissâ per hoc præsens publicum editum in audientia publica litterarum contradictarum Domini nostri Papæ legendum à S. *Petronis*, pro audientia Causarum Apostolica specialiter deputati, nec non Majoris Bononiensis, ac extra dictam Romanam curiam & in partibus in locis circumvicinis, videlicet in Cathedralium Trecorensis & Venetensis ac Parochialium oppidorum seu villarum de *Gwicampo*, *Castriodrem* dictæ Trecorensis Diœcesis, Ecclesiarum valvis seu portis affigendum & publicandum, quæ omnia & singula, necnon dictas litteras Apostolicas & hunc nostrum processum, ac omnia & singula in eis contenta vobis omnibus & singulis supradictis intimamus, insinuamus & notificamus, ac ad vestram & cujuslibet vestrum notitiam deducimus, & deduci volumus per præsentes, ne de prædictis ignorantiam aliquam, sive excusationem valeatis seu etiam in posterum quomodolibet allegare, vos omnes & singulos supradictos, & presertim Ecclesiasticas personas tenore præsentium requirimus & monemus, primò, secundò, tertiò & peremptoriè, communiter & divisim, vobis nihilominus & cuilibet vestrum in virtute sanctæ obedientiæ & sub infrascriptis sententiarum pœnis districtè præcipiendo mandamus, quatenus infra sex dierum spatium post lecturam in audientia publica prædictam, ac affixionem & publicationem secundò & reliquos duos pro tertio & peremptorio termino ac canonica monitione assignamus, præfatum monasterium B. M. Belli-portus, Abbatem, Canonicos, Conversos, & Donatos cum membris & Ecclesiis ab ipso monasterio dependentibus à superioritate, jurisdictione, correctione, punitione, visitatione & dominio præfati Domini Hervei & aliorum Episcoporum Briocensium pro tempore existentium (aliàs quàm in casibus, videlicet quòd ipsi Canonici curam animarum in dictis Ecclesiis ab eodem monasterio dependentibus pro tempore existentes ac illas regentes, præfatis Episcopis ratione exercitii curæ hujusmodi subesse, visitationes suscipere, procurationes & alia episcopalia jura solvere, & alia ipsarum Ecclesiarum onera supportare, nec non synodis comparere & ibidem respondere duntaxat astricti sint) exempta, libera & immunia fore nuntietis, & ab aliis nuntiari faciatis, nec non præfatos Dominos Abbatem, Canonicos, Conversos, & Donatos aut aliquem ex eis etiam quoad monasterium, membra & Ecclesias hujusmodi ab ipso Domino Herveo & aliis Episcopis Briocensibus pro tempore existentibus, vel ipsorum aliquo contra exemptionem, libertatem & immunitatem privilegii Apostolicæ sedis eis concessi, necnon diffinitivarum sententiarum, de quibus in dictis litteris Apostolicis fit mentio, impeti indebitè, vel quomodolibet molestari non permittatis, aut aliquis vestrûm permittat. Monemusque insuper per simile editum modo & firma præmissis affigendum & publicandum, vos Dominum Herveum Episcopum antedictum quatenùs infra triginta dierum spatium post affixionem & publicationem præsentium in valvis seu portis ante dictis factas, immediatè sequintium, quorum triginta dierum decem pro primò, decem pro secundo, & reliquos decem dies vobis Domino Herveo Episcopo præfato pro tertio & peremptorio termino ac canonica monitione assignamus, eisdem Dominis Abbati, & Conventui seu eorum legitimo Procuratori ad hoc speciale mandatum habenti de centum & triginta quatuor florenis auri de Camera boni & justi ponderis ratione expensarum in lite & causâ ejusmodi pro parte prædictorum Dominorum Abbatis & Conventûs principalium in tribus præsentis causæ instantiis legitimè factarum, & per diversos sacri Palatii Apostolici Causarum Auditores, ut in dictis litteris Apostolicis pleniùs continetur, taxatarum, ac etiam de quatuordecim similibus florenis ratione expensarum pro dictis litteris executorialibus & præsentibus nostris processibus factarum, ad quos quidem florenos hujusmodi expensas providâ moderatione prævià taxavimus & taxamus per præsentes, debitam, plenam & integram satisfactionem & solutionem impendatis & impendere procuretis realiter & cum effectu, aut interim super præmissis vos cum eisdem Dominis Abbate & Conventu amicabiliter componatis & concordetis. Quòd si fortè præmissa omnia & singula prout superiùs mandantur, non adimpleveritis ac mandatis & monitionibus nostris hujusmodi, imò veriùs Apostolicis non parueritis realiter & cum effectu, nos in vos & alios quoscumque qui in præmissis culpabiles fueritis ac dictis Dominis Abbati & Conventui principalibus impedimentum præstiterit quominùs omnia & singula supradicta suum debitum sortiantur effectum, & impedientes hujusmodi, dantes consilium vel favorem, publicè vel occultè, directè vel indirectè, quovis quæsito colore, necnon in contradictores quoscumque in hac parte & rebelles tam Ecclesiasticos quàm seculares, cujuscumque statûs, gradûs, ordinis vel conditionis existant, ex nunc prout ex tunc singulariter in singulos & præsertim in vos D. Herveum Episcopum excommunicationis, in capitula verò quæcumque in hiis delinquentia suspensionis à divinis, & in Briocensem ac quorumcumque Prælatorum Ecclesias, monasteria & capellas interdicti sententias ferimus in hiis scriptis, & etiam promulgamus. Vobis verò Reverendis in Christo Patribus aliis Dominis Episcopis prædictis, quibus ob reverentiam vestrarum Pontificalium dignitatum duximus deferendum in hac parte, si contra præmissa vel præmissorum aliquod feceritis per vos vel submissas, personas, canonicâ monitione præmissâ, ingressum Ecclesiæ interdicimus in hiis scriptis .... per alios sex dies dictos sex immediatè sequentes, vos .... in hiis scriptis suspendimus à divinis. Verùm si præfatas interdicti & suspensionis sententias, per alios sex dies præfatos duodecim immediatè sequentes animis, quod absit, sustinueritis induratis. Vos ex nunc prout ex tunc, & ex tunc prout ex nunc, in hiis & eisdem scriptis excommunicationis sententia innodamus. Cæterùm cùm ad executionem ulteriorem in præsenti negotio faciendam, nequeamus pluribus aliis arduis in Rom. Curia præpediti negotiis, personaliter interesse, universis & singulis Dominis Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Decanis, Archidiaconis, Scholasticis, Cantoribus, Succentoribus, Custodibus, Thesaurariis, Sacristis tam Cathedralium quàm Collegiatarum canonicis, Parochialiumque Ecclesiarum Rectoribus seu loca tenentibus eorumdem, Plebanis, vice-plebanis, Capellanis, Curatis & non curatis, Vicariis perpetuis, altaristis cæterisque præsbyteris, Clericis, Notariis & Tabellionibus publicis quibuscumque per civitates & Diœceses supradictas & alias ubilibet constitutis & eorum cuilibet in solidum super ulteriori executione hujusmodi man-

dari Apostolici, atque nostri ulteriùs facienda, tenore præsentium committimus plenariè vices nostras donec eas ad nos duxerimus revocandas, quos & eorum quemlibet tenore præsentium requirimus & monemus primò, secundò, tertiò & peremptoriè, eisque nihilominùs & cuilibet eorum in virtute sanctæ obedientiæ & sub excommunicationis pœna, quam in eos & eorum quemlibet, si ea, quæ eis in hac parte committimus & mandamus, neglexerint, seu contempserint ac distulerint contumaciter adimplere, infra scriptâ monitione præmissâ, ferimus in hiis scriptis, districtè præcipiendo mandantes quatenùs infra sex dierum spatium post publicationem seu notificationem præsentium eis, seu alteri eorum factam, & postquàm pro parte dictorum Dominorum Abbatis & Conventûs principalium, vigore præsentium super hoc fuerint requisiti, seu alter eorum fuerit requisitus, immediatè sequentium, quem terminum eis & eorum cuilibet omni dilatione ac canonicâ monitione assignamus, ad vos omnes & singulos supradictos, quibus noster præsens processus dirigitur, necnon ad dicta loca pro executione præmissorum per nos deputatos, & alias quascumque Ecclesias & loca alia quæcumque ubi tutè fieri poterit, & in quibus præsentes nostras litteras, sive præsentem nostrum processum omniaque & singula in eis contenta, vobis omnibus & singulis supradictis intimari & insinuari volumus, accedant vel accedat & easdem & omnia & singula in eis contenta in valvis dictarum & aliarum quarumcumque Ecclesiarum & locorum vicinorum ubi tutè fieri poterit, ubi, quando & quotiens fuerint requisiti: seu alter eorum fuerit requisitus communiter & divisim intiment, affigant, legant, publicent, & ad eorum & cujuslibet ipsorum & aliorum quorumcumque Christi fidelium intellectum in materna lingua, & aliàs prout meliùs poterit, exponatur; & nihilominùs præfatum monasterium B. M. Belli-portûs, Abbatem, Canonicos, Conversos & Donatos cum membris & Ecclesiis ante dictis, à jurisdictione, correctione, punitione, visitatione & dominio sæpe dicti D. Hervei & aliorum Episcoporum Briocensium pro tempore existentium supradictis, aliàs quàm in casibus prædictis, astricti sint, exempta, libera & immunia fore nuntient & ab aliis nuntiari faciant, ac eosdem Dominos Abbatem, Canonicos, Conversos & Donatos aut aliquem ex eis etiam quoad monasterium, membra & Ecclesias hujusmodi ab ipso Domino Herveo & aliis Episcopis Briocensibus pro tempore existentibus vel ipsorum aliquo contra exemptionem libertatem & immunitatem privilegii Sedis Apostolicæ concessi, nec non diffinitivarum sententiarum prædictarum effectum impeti indebitè, vel quomodolibet molestari non permittant, aut aliquis eorum permittat, ac Abbati & Conventui principalibus prædictis, vel dicto Procuratori pro eo ad hoc sufficiens mandatum habenti, de dictis florenorum summis pro expensis ante dictis, plenam ac debitam satisfactionem impendi faciant, & permittant, seu quilibet eorum faciat & permittat. Et si forsan, quod non credimus, dictus D. Herveus Episcopus, cæterique contradictores in hac parte & rebelles hujusmodi nostris monitionibus & mandatis infra dictos eis terminos assignatos non paruerint realiter & cum effectu, dictas excommunicationis sententias propter hoc incurrendo ex tunc, omnes & singulos præfatos subdelegatos nostros & eorum quemlibet requirimus & monemus & sub excommunicationis pœna præfata mandamus quatenùs singulis diebus Dominicis & Festivis in suis Ecclesiis; Monasteriis & Capellis, ubi quando & quotiens opus fuerit & pro parte Dominorum Abbatis & Conventûs principalium fuerint seu alter, eorum fuerit requisitus, infra Missarum & aliarum Horarum Ecclesiasticarum solemnia præfatum D. Herveum Episcopum ac contradictores in hac parte & rebelles sic excommunicatos, tandiù denuntient, & ab aliis, quantùm opus fuerit, publicè denuntiari faciant, donec à nobis super hoc aliud habuerint in mandatis. Si verò præfatus D. Herveus Episcopus ac contradictores in hac parte & rebelles hujusmodi denunciationem excommunicationis & ipsius sententiam per decem dies post eamdem denunciationem sustinuerint, ex tunc processus nostros aggravare volentes, præfatis nostris subdelegatis sub pœna excommunicationis præfata, committimus & mandamus, quatenus singulis diebus Dominicis & festivis in suis Ecclesiis, Monasteriis & Capellis infra præscriptarum Horarum solemnia, dictam denunciationem excommunicationis reïterando & innovando, eundem D. Herveum ac contradictores & rebelles, sicut præmittitur, excommunicatos nominatim, campanis pulsatis & candelis accensis ac demum in terram projectis, cruce erectâ & religion .... inducta, aquam benedictam aspergendo ad fugandum dæmones qui eos detinent ligatos & suis laqueis catenatos, orando quòd D. N. J. C. ipsos ad catholicam fidem reducere dignetur, ne eos in tali perversitate dies eorum finire permittat, cum decantatione ℟. *Revelabunt cœli iniquitatem Juda, &c.* & Psalmi, *Deus Laudem meam ne tacueris*, cum Antiphona, *Media vitâ*, totaliter; & hoc facto & finito ad januas Ecclesiarum suarum unà cùm Clericis ac Parochianis accedendo, & ad terrorem, ut ipse D. Herveus Episcopus ac contradictores & rebelles eò citiùs ad obedientiam redeant, tres lapides versùs domos habitationum suarum projiciendo, in signum maledictionis æternæ, quam dedit Deus *Dathan & Abiron*, quos terra vivos absorbuit, etiam post Missam & in Vesperis & aliis quibuscumque Horis canonicis, Sermonibus & Prædicationibus publicis, solemniter publicent & denuntient, & ab aliis, quantùm in eis fuerit, publicari & denuntiari & ab omnibus Christi Fidelibus arctiùs evitari faciant, donec & quousque aliud à nobis vel Superiori nostro super hoc habuerint in mandatis.

Verùm si præfati, denuntiati & aggravati per alios decem dies dictos, decem dies immediatè sequentes præfatas denuntiationes .... gravation .... ad ipsorum notitiam deductas animis, quòd absit, sustinuerint induratis, ex tunc processus nostros hujusmodi reaggravand .... authoritate Apostolicâ præfatâ, modo & formâ præmissis ...... præsentium requirimus & monemus ac eis cuilibet eorum in virtute sanctæ obedientiæ & sub infra scripta excommunicationis pœna, quam in eos & eorum quemlibet contra facientem ferimus in hiis scriptis, districtiùs injungant, prout & nos etiam injungimus eisdem, quatenùs infra sex dierum spatium post intimationem & requisitionem .... ipsis factas immediatè sequentium, quorum sex dierum duos pro primò, duos pro secundo & reliquos duos dies eis & eorum cuilibet pro tertio & peremptorio termino ac monitione canonica assignamus, ipsi Christi fideles & quilibet ipsorum à participatione & communione ipsorum denunciatorum, aggravatorum & reaggravatorum penitùs & omnino desistant, & quilibet ipsorum desistat, nec cum eisdem denunciatis, aggravatis & reaggravatis aut eorum altero servando, loquendo, stando, sedendo, ambulando, salutando, hospitando, comedendo, bibendo, molendo, coquendo, cibum, potum, aquam, vel ignem ministrando, aut aliquo humanitatis solatio, præterquàm

in casibus à jure permissis, participare præsumant, seu alter eorum præsumat; & si contrarium fecerint, nos in eos & eorum quemlibet cum dictis denunciatis, aggravatis & reaggravatis promulgamus. Et nihilominùs omnes & singulos subdelegatos nostros modo & formâ præmissis, requirimus & Monemus, eisque sub dicta excommunicationis pœna mandamus quatenus singulis diebus Dominicis & festivis, quotiens expedierit, in suis Ecclesiis, monasteriis & Capellis infra Missarum aliarumque Ecclesiasticarum Horarum solemnia præfatos Christi fideles & servitores qui cum dictis denuntiatis, aggravatis & reaggravatis rebelliter participaverint, excommunicatos publicè denuntient & ab aliis Christi fidelibus arctiùs evitari faciant, donec & quousque absolutionis beneficium desuper obtinere meruerint.

Præterea si præfati denunciati, aggravati & reaggravati per decem dies proximè dictos, viginti dies immediatè sequentes animis, quòd absit, induratis & postquam constiterit hujusmodi reaggravationem ad ipsorum notitiam pervenisse, prædictas nostras sententias sustinuerint, Pharaonis duritiam imitando, ad modum aspidum surdarum aures suas obturantium, ne vocem audeant incantantium, Nos ex tunc, prout ex tunc, lapsis terminis ante dictis, omnes & singulas civitates, terras, oppida, castra, villas, suburbia, collegia quarumcumque Ecclesiarum, ac Parochias & quæcumque alia loca, in & sub quibus dictos denuntiatos, aggravatos & reaggravatos vel alterum eorum morari & ad quos, seu quæ ipso seu ipsorum alterum declinare contigerit, quandiù ibidem fuerint seu aliquis eorum fuerit, in hiis scriptis Ecclesiastico supponimus interdicto. Mandantes omnibus & singulis nostris subdelegatis supradictis modo & formâ præmissis & sub pœnis & sententiis ante dictis, quatenùs ex tunc, quandiù dicti denunciati, aggravati & denunciati in locis prædictis fuerint aut aliquis eorum fuerit, cessent & ab aliis cessari faciant, apertis januis, & in præsentia populi penitùs à divinis. Quam quidem cessationem per tres dies continuos post ipsorum denunciatorum, aggravatorum & reaggravatorum vel alterius eorumdem recessum observent, & ab aliis continuari & observari facian& procurent, ita & taliter quòd hujusmodi stante Interdicto, nulla Sacramenta ecclesiastica in & sub eisdem locis, sub quibus dicti denuntiati, aggravati & reaggravati fuerint, vel aliquis eorum fuerit, ministrentur, nisi pœnitentia & baptismus, omnibus indifferenter, Eucharistia infirmis tantùm, & matrimonium sine Ecclesiastica solemnitate contrahatur, inibi & sub eisdem locis decedentibus Ecclesiastica denegetur sepultura. Demum si præfati denuntiati, aggravati, reaggravati & interdicti infra alios decem dies præfatos, triginta dies ex tunc immediatè sequentes, processibus, mandatis & monitionibus nostris hujusmodi, imò veriùs Apostolicis non paruerint cum effectu, quod Deus avertat, Nos ex tunc attendentes quòd, injunctione non proficiente Ecclesiastica, temporalis gladius non immeritò suffragatur, auxilium brachii secularis duximus invocandum, ut quos timor Dei à malo non revocat, temporalis saltem coerceat severitas disciplinæ. Hinc est Vos Illustrisimi & serenissimum Principem Dominum Ducem ante dictum dicti gladii principalem vibratorem & justitiæ zelatorem in Domino exhortamur, Vosque magnificos & nobiles viros Dominos Comites, Barones, Milites Terrarum Dominos, Senescallos, cæterasque personnas temporales antedictas requirimus dictâ auctoritate Apostolicâ & monemus communiter & divisim, vobisque nihilominus & cuilibet vestrûm in virtute sanctæ obedientiæ & sub excommunicationis pœna, quam in vos & vestrûm quemlibet, canonicâ monitione præmissâ, ferimus in hiis scriptis, si non feceritis quod mandamus, districtè præcipiendo mandantes quatenùs infra sex dierum spatium post lapsum dictorum terminorum, & postquàm præsens noster processus vobis vel vestrûm alicui in vestris territoriis, jurisdictionibus & districtibus fuerit publicatus immediatè sequentium quorum sex dierum duos pro primo, duos pro secundo, & reliquos duos dies vobis & vestrûm cuilibet pro tertio & peremptorio termino ac monitione canonica assignamus, vosque omnes & singulæ personæ temporales antedictæ & quilibet vestrûm, quorum omnium super hoc auxilium brachii secularis invocamus, quotiens & quando pro parte prædictorum Dominorum Abbatis & Conventûs prencipalium fueritis requisiti, seu alter vestrûm fuerit requisitus in subsidium juris contra prædictos denuntiatos, aggravatos, reaggravatos & interdictos dictâ auctoritate Apostolicâ, per captionem, invasionem, incarcerationem, & detentionem personarum, corporum, rerum & bonorum dictorum denuntiatorum, aggravatorum, reaggravatorum & interdictorum insurgatis, & alios insurgere faciatis, nec non personas, corpora, res & bona eorumdem & cujuslibet ipsorum, capiatis, invadatis, in carcere, & in custodia detineatis, arrestetis & occupetis per vos vel alium seu alios; & quilibet vestrûm qui super hoc fuerit requisitus, capiat, invadat, custodiat, detineat, arrestet & occupet liberè & licitè; super quibus omnibus & singulis vobis & vestrûm cuilibet licentiam & plenariam concedimus facultatem per præsentes, dictosque denunciatos, aggravatos, reaggravatos & interdictos astringatis & compellatis potenter etiam manu forti, absque tamen gravi læsione corporum eorumdem usque ad integram satisfactionem omnium & singulorum præmissorum dictis Dominis Abbati & Conventui principalibus impedendam, donec & quousque dictus D. Herveus Episcopus præfatum monasterium, Canonicos, Conversos & donatos cum membris & Ecclesiis antedictis à jurisdictione, superioritate, correctione, punitione, visitatione & dominio & aliis prædictis, aliàs quàm in casibus prædictis, exempta, libera & immunia, sicut præmissum est, dimiserit, nec non de dictis florenorum summis satisfecerit competenter, aut donec & quousque idem D. Herveus Episcopus aliique contradictores & rebelles à prædictis rebellione & impedimento destiterint & ad gremium S. M. Ecclesiæ redierint, beneficiumque absolutionis à sententiis prædictis, aut aliud à Nobis vel Superiori nostro receperint in mandatis. Quòd si fortè Vos, illustrissime & serenissime Princeps, Domine Joannes Dux, executor justitiæ præsentis nostri processûs & mandatorum nostrorum, imò veriùs Apostolicorum, transgressor, contradictor, vel neglector fueritis, quod tamen vestræ Serenitatis præfulgidæ jamdudùm per totum orbem divulgatæ obedientia suspicari non sinit, procul dubio etiam judicium justi Judicis offenderetis, & præmium aliàs pro executione justitiæ à Deo paratum nihilominùs amitteretis; & licet vos hujusmodi nostris sententiis sic ligare, vobis ob reverentiam vestræ Ducalis dignitatis non immeritò deferentes, intuitu justitiæ & ob sedis Apostolicæ reverentiam vestramque Serenitatem præfulgidam, ad præfatam executionem efficaciter adimplendam, prout ad eandem spectat, in Domino exhortamur; & nihilominùs dicti subdelegati nostri omnia alia & singula nobis in hac parte commissa, plenariè exequantur juxta traditam seu directam à sede Apostolicâ nobis formam: ita tamen

men quòd iidem vel quicumque alius nihil in præjudicium dictorum Dominorum Abbatis & Conventûs principalium, valeant attemptare nec in processibus per nos habitis & sententiis per nos latis absolvendo vel suspendendo aliquid immutare. In cæteris autem quæ eisdem Dominis Abbati & Conventui principalibus super præmissis in aliquo nocere possit seu obesse, ipsis & quibuscumque aliis potestatem omnimodam denegamus; & si contingat illos super præmissis in aliquo procedere, de quo nobis potestatem plenariam reservamus, non intendimus propterea commissionem nostram hujusmodi in aliquo revocare, nisi de revocatione ipsa specialem & expressam in nostris litteris fecerimus mentionem. Per processum autem nostrum hujusmodi nolumus nec intendimus nostris in aliquo præjudicare Collegis quominùs ipsi vel eorum alter, servato tamen hoc nostro processu, in hujusmodi negotio procedere valeant, prout ipsis vel eorum alteri visum fuerit expedire. Præfatas quoque litteras & hunc nostrum processum volumus penès dictos Dominos Abbatem & Conventum principales, vel procuratorem eorumdem remanere, & non per vos vel aliquem vestrûm seu quemvis alium, ipsis invitis, quomodolibet detineri. Contrarium autem facientes &c .... In quorum omnium & singulorum fidem & testimonium præmissorum, præsentes litteras, sive præsens publicum instrumentum hujusmodi nostrum processum executorium in se continentes, sive continens, exinde fieri & per Notarium publicum infrascriptum subscribi & publicari mandavimus, nostrique sigilli mandavimus appensione communiri. Datum & actum Bononiæ in domo habitationis nostræ, sub anno à Nat. Domini 1436. Ind. 14. die verò Jovis 28. mensis Junii. Pontif. præfati D. N. D. Eug. PP. IV. anno 6. præsentibus ibidem honorabilibus viris DD. Guillermo de *Pratis* Canon. Briocensi & Guillermo *Kerbuzic* Baccal. in Legibus, Clerico Trecorensis Diœc. testibus ad præmissa vocatis.

Charta Oberti (a) Leodiensis Episcopi, quâ locum Cornelii-Montis, *liberum declarat, ipsius Oratorio in honorem duodecim Apostolorum dedicato, tribuitque Fratribus illius loci, viginti quinque solidos de Theloneo Leodiensi anno 1116.*

IN nomine sanctæ & Individuæ Trinitatis, Notum sit omnibus tam posteris quàm præsentibus, quia Dominus Obertus Leodiensis Episcopus, postquam totum Montem-Cornelium ita liberum fecit, ut quicumque Fratrum abjectis negotiis secularibus, Deo militaturus deinceps illic præesse debuerit, tantummodò à manu Leodiensis Pontificis donum accipiat, postea Oratorium sanctorum Apostolorum in eo dedicavit; qui etiam pro salute animæ suæ constituit de suo Thelonio singulis solvendos viginti solidos ad usus Fratrum, Deo, sanctisque Apostolis ibidem servientium, & quinque solidos ad nocturnum luminare, quòd ut salutiferum piæ imitationis exemplum tam suis successoribus quàm cæteris Dei cultoribus, fieret, litteris annotavimus, & ut ratum inviolatumque permaneret, præsenti sigillo ejusdem Præsulis muniri fecimus. Actum est hoc anno ab Incarnatione Domini 1116. Indictione nonâ, regnante Henrico IV. sub testimonio eorum quorum nomina subscripta sunt, Fredericus Præpositus de sancto Lamberto, Henricus Decanus, & Archidiaconi Andreas, Henricus, Alexander, Almanus, Steppo & nonnulli Confratres ejusdem Congregationis cæterarumque Congregationum Leodiensium, testes sunt hujus rei.

Charta Alberonis Leodiensis Episcopi quâ Ecclesiam Cornelii-Montis, *liberam constituit, & Synodi generalis authoritate confirmavit, anno 1124.*

IN Nomine sanctæ & Individuæ Trinitatis, Notitiæ simul & memoriæ tam posterorum quàm præsentium commendatum esse volumus, quòd Ego Albero (b) Dei misericordiâ Leodiensis Episcopus, Ecclesiam sanctorum Apostolorum in Cornelio-Monte sitam, sub manu Episcopali, sicut erat ex quo dedicata fuerat, liberam omnino constitui; & in Synodo generali quam primam in Ecclesia S. Lamberti, Deo largiente, celebravi, judicio & authoritate Synodalis sententiæ eamdem libertatem banno confirmavi; hujus confirmationis testes & cooperatores sunt Præpositi & Archidiaconi, Andreas, Henricus, Alexander, Almanus, Steppo, Syffridus Archipresbyter de sancta Maria & cæteri Canonici S. Lamberti, dein Abbates Oubbertus de sancto Jacobo, Robertus de sancto Huberto, Rodulphus de sancto Trudone, cæterique Abbates & Decani, tam claustrales quàm parochiales, cum Clericis & Presbyteris, sed & Laici nobiles & Principes, Comes Namurensis, Godefridus Comes, Otto de *Kincy*, aliique tam liberi quàm de familia S. Lamberti innumerabiles, & ut compendio dicatur, omnes ferè sunt testes hujus rei qui eidem sanctæ Synodo interfuerunt. Actum est hoc anno Dominicæ Incarnationis 1124. Indictione secundâ, regnante Henrico quinto Imperatore Augusto.

Bulla Innocentii II. quâ Fratribus Montis-Cornelii, *confirmat omnia bona ipsis concessa, anno 1143.*

INnocentius Episcopus servus Servorum Dei, dilectis filiis Lucæ Abbati Ecclesiæ Sanctorum Apostolorum in Monte-Cornelio juxta Leodium sitæ, ejusque Fratribus tam præsentibus, quàm futuris regularem vitam professis, in perpetuum. Ad hoc nobis Ecclesiæ catholicæ cura à summo Pastore Deo, commissa est, ut Dei servos paternis affectibus diligamus, & eò ampliùs studeamus ipsorum devotionem modis omnibus confovere, quò ferventiùs ipsis disciplinis ecclesiasticis, & sanctorum Patrum regulis inhærere noscuntur; tunc enim Deo gratus, Apostolicus impeditur famulatus, si sanc-

(a) Obertus Canonicus Cathedralis Ecclesiæ sancti Lamberti Leodiensis & Præpositus sanctæ Crucis, acceptâ licentiâ, teste Chapeavillo, adhibitâ simulatione, referente Bartholomæo *Fisen*. Romam eundi, quò, salutatis Apostolorum Principibus, priores noxas expiaret, versabatur in Curia Henrici IV. tunc bellum gerentis adversus summum Pontificem Paschalem II. Cùm Henricum Leodiensem Episcopum anno 1091. pridie Kal. Junii è vita excessisse auditum est in aula Regis, tunc Obertus receptus inter Regii sacrarii Sacerdotes non ingratus Regi, Episcopatum petit, ac ut obtineat, aurum offert, & certam ab eo Principatu fidem, nulloque casu convellendam. Valuit Abbati auri fulgor; eo Regis munere ornatus Obertus, Leodium venit pridie Natalis Domini anni 1092. & Princeps salutatus est. Coloniæ ipsis Februarii Kalendis eum consecravit Archiepiscopus Hermannus tertius, cognomento pius. Licet aliunde quam per portam in ovile introierit Obertus, tamen indecora principia, glorioso fine correxit; præclara enim permulta regiminis sui tempore gessit; tandem pridiè Kalend. Februarii anni 1118. moritur, & sepelitur in Ecclesia Sancti Lamberti

(b) Albero Frater Ducis Lovaniensis Godefridi, vir summæ authoritatis & columbinæ simplicitatis, ex Primicerio Ecclesiæ Cathedralis sancti Stephani Metensis, Episcopus Leodiensis electus anno 1128. cum sedes duobus annis vacasset, moritur die 1°. Januarii anno 1123. sepultus in Ecclesia sancti Ægidii juxta Leodium ante majus altare, quam Ecclesiam & Canonicis & bonis ditarat.

torum locorum salubris institutio, rigor & ordo nostris patrociniis in Religionis puritate fuerint conservata. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & præfatam Ecclesiam in qua Divino mancipati estis obsequio, sub Beati Petri & nostra protectione suscipimus& presentis scripti privilegio communimus, statuentes ut qualcumque possessiones, quæcumque bona in præsentiarum justè & canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum, vel Principum, oblatione fidelium seu aliis justis modis, Deo propitio, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis, in *Viler* qui dicitur Episcopi, terram Udelini, Gisleberti, & Hillini, cum domibus, cortiliis, & pratis. In urbe Leodii 15. solidos, quos de suo thelonio singulis annis Obertus Episcopus in dedicatione Ecclesiæ vobis donavit. Domum quam dedit Lambertus de *Mosa*, & duas mensas forenses, & hortum monti Ecclesiæ vestræ adjacentem, & quatuor solidos Rodulphi de Vico S. Joannis, quos pro anima sua Ecclesiæ vestræ donavit, terram quam dedit supradictus Lambertus de *Mosa* in villa quæ dicitur *Latins* cum domibus & cortiliis. Terram quam dedit vobis Fredericus villicus de *Jupilia* & uxor ejus Mabilia in eadem villa *Latins*. Terram etiam quam dedit vobis Gislebertus & uxor ejus Richeldis in villa quæ dicitur *Hollonia* super *Jecoram* & in altera villa quæ dicitur *Hastaples*, cum domibus, cortiliis, pratis, censu denariorum. Præterea quidquid habetis in villa quæ appellatur *Richen*, scilicet in Ecclesia, in censu denariorum, in terra arabili, in sylvis, pratis, terris cultis & incultis, quidquid etiam habetis in villa quæ dicitur *Mercheruil*, & in sarto quod appellatur *Colieres*, in loco qui dicitur *Heys* sive *Curtius Aufridi*, & in villa quæ dicitur *Gonberys* scilicet in Ecclesia Beati Petri & sancti Georgii, in decima, in censu denariorum, in terra arabili, & in sylvis, pratis, pascuis, terris cultis & incultis & in villa quæ appellatur *Radenchen*, scilicet domum hospitalem cum suis pertinentiis. Sanè laborum vestrorum quos propriis manibus aut sumptibus colitis, sive de nutrimentis vestrorum animalium, nullus omnino Clericus, vel Laicus decimas à vobis exigere præsumat. Ordinem quoque & propositum vestrum canonicè vivendi secundùm Beati Augustini Regulam & institutionem Præmonstratensis Ecclesiæ, nullus audeat immutare, vel super vos Ordinem alterius professionis inducere, nulli etiam Fratrum vestrorum post factam ibidem professionem, absque Abbatis & Capituli sui licentia, liceat ex eodem claustro discedere; discedentem verò nullus audeat retinere, oleum autem infirmorum, consecrationes altarium, vel Ecclesiarum ac ordinationes Clericorum, à Diœcesano Episcopo accipiatis, si gratiam sedis Apostolicæ habuerit, & ea vobis gratis & sine exactione aliqua exhibere voluerit; alioquin eadem à quolibet catholico accipiatis Episcopo, qui nostrâ fultus authoritate, quod postulatur indulgeat. Porro libertatem Ecclesiæ vestræ ab Episcopis Oberto & Alberone privilegio determinatam, atque firmatam assensu Leodiensis Ecclesiæ, vobis authoritate Appostolicâ confirmamus. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatam Ecclesiam temerè perturbare aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, aut aliquibus vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur, eorum, pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt, usibus omnimodè profutura, salvâ Diœcesani Episcopi Canonicâ justiciâ. Si quæ igitur in futurum Ecclesiastica, secularisve persona, hanc nostræ Constitutionis paginam sciens, contra eam temerè venire tentaverit, secundò, tertiovè commonita, si non satisfactione congruâ emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se Divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo Corpore & Sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat: cunctis autem eidem loco jura servantibus, sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenùs & hîc fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant, Amen, Amen, Amen.

✠ Ego Innocentius catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

L. S.

Datum Laterani per manum Gerardi S. Romanæ Ecclesiæ Presb. Card. ac Bibliothecarii, 4. non. Maii, Indictione 6. Incarnationis Dominicæ anno 1143. Pontificatûs D. D. Innocenti Papæ secundi anno 14.

Bulla Eugenii III confirmantis bona & libertates Montis-Cornelii, *anno 1147.*

EUgenius Episcopus servus Servorum Dei, dilectis filiis Lucæ Abbati Ecclesiæ Sanctorum Apostolorum in Monte-Cornelio juxta Leodium sitæ, ejusque Fratribus tam præsentibus, quam futuris regularem vitam professis, in perpetuum. Quoties illud à nobis petitur, quod Religioni & honestai convenire dignoscitur, animo nos decet libenti concedere & petentium desideriis congruum impertiri suffragium. Ea propter, dilecti in Domino filii, prædecessoris nostri, felicis memoriæ, Papæ Innocentii vestigiis in hærentes, vestris justis postulationibus clementer annuimus & præfatam Sanctorum Apostolorum Ecclesiam, in qua Divino mancipati estis obsequio, sub Beati Petri & nostra protectione suscipimus & præsentis scripti patrocinio communimus, statuentes ut qualcumque possessiones, quæcumque bona eadem Ecclesia in præsentiarum justè & canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum, vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, Deo propitio, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant; in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. In urbe Leodii viginti quinque solidos, quos bonæ memoriæ Obertus Leodiensis Episcopus, de Theloneo suo singulis annis vobis persolvendos concessit, domum quam dedit vobis Lambertus de *Mosa* cum granario juxta forum Leodiense, domum Mariæ *de Coir* in eodem foro septem mensas tam panes quàm subterales vendentium, domum extra Castellum, vineam Radulphi apud Villare Episcopi, terram Udelini Camerarii supradicti Episcopi, terram Gisleberti, terram Illini cum domibus, ortis & pratis, terram Bovonis Presbyteri, terram Frederici, terram Joannis, filii ejus, terram Joannis generi ejusdem Frederici, terram Godefredi Militis in villa quæ dicitur *Latins*, terram quam prefatus Lambertus de *Mosa*, vobis donavit, terram Frederici villici & uxoris ejus Mabiliæ in villa quæ dicitur *Holonia* super *Jecoram*, & in villa quæ dicitur *Hastaples*, terras quas Gislebertus de *Insula* cum uxore sua vobis donavit, & quod habetis in villa quæ dicitur *Richen*, in ecclesia, in censu denariorum, in terra arabili, in sylvis, pratis, terris cultis & incultis, quidquid etiam habetis in villa quæ dicitur *Mecheronl*, & in sarto quod appellatur *Roliers*,

in loco qui dicitur *Heis*, sive curtis Aufridi, molendinum cum terra quam ibi habetis, quidquid habetis in villa quæ dicitur *Guntherses*, scilicet in Ecclesia Beati Petri & sancti Georgii, in decima, in censu denariorum, terra arabili, sylvis, pratis, pascuis, terris cultis & incultis, in villa quæ appellatur *Radenchen*, domum hospitalem cum pertinentiis suis, quam Gislebertus Miles vobis concessit; cotidianum quoque usum in lignorum sylva quæ dicitur *Brues* sive in alia ad curiam *Jupilia* pertinentem, quam venerabilis Frater noster Albero Virdunensis Episcopus Ecclesiæ suæ consensu vobis concessit & scripto suo firmavit, totum alodium quod appellatur *Bosouth*, tam in sylvis, quàm in pratis, pascuis, terris cultis & incultis, cum Ecclesia in eodem alodio sita, & decima & dote ad eandem Ecclesiam pertinente; terram quam tenetis in villa quæ appellatur *Borsouth*, mansum terræ quem habetis inter *Hesbines* & *Halincurth* cum familia, terram Walteri Militis *de Bassines* cum familia; præterea ordinem & propositum vestrum canonicè vivendi secundùm Beati Augustini Regulam & Institutionem Præmonstratensis Ecclesiæ nullus audeat immutare *& reliqua ut in Bulla Innocentii II.* Datum Rhemis per manum Guidonis S. Romanæ Ecclesiæ Diac. Cardinalis & Cancellarii 17. Kal. Aprilis Indict. 10. Incarnationis Dominicæ MCXLVII. Pontificatûs verò D. Eugenii Papæ III. anno tertio.

Charta donationis Capellarum S. Remacli & de Grivegnée *cum matrice Ecclesia de* Jupilia *in favorem Monasterii* Belli-reditus *per Garsilium Aquensis Ecclesiæ Decanum anno 1274.*

GArsilius Dei gratiâ Decanus Ecclesiæ Aquensis, Leodiensis Diœcesis, omnibus & singulis præsentes litteras inspecturis æternam salutem in Domino. Universis & singulis notorium esse volumus quòd cùm Capella *S. Remacli* & de *Grivegnée* extra muros Leodienses, Decanatui Ecclesiæ nostræ Aquensis unà cum matrice sua Ecclesia de *Jupilia*, sint annexæ, nos attendentes quòd in majori nostra Ecclesia Aquensi, ac in ipsius Decanatûs dignitate, cujus curam & regimen gerimus, nos personaliter deservire oportet juris in hac parte requirentes documenta, virum religiosum Dominum Joannem Cornelii-montis Abbatem, Ordinis Præmonstratensis, ipsum scilicet & successores suos quoscumque ubi esse contigerit, Abbates in dictis Capellis perpetuos Vicarios constituimus, ut quilibet Abbas per se, sive unum de Canonicis ad hoc idoneum perpetuò deserviat in eisdem. Et cum os bovi non debeat ligari trituranti, & qui altari servit de altari debeat vivere, dicto Abbati pro se, vel per idoneum Canonicum suum, sicut prædictum est, deserviente, assignavimus de proventibus earumdem Ecclesiarum portionem congruam, videlicet quindecim libras albotum, quæ competens est portio talibus Ecclesiis per Dominum Episcopum loci ordinarium, statuta, quâ portione debet esse contentus idem Abbas in bonis solùm obligantibus, scilicet earumdem Capellarum, & quibusdam aliis bonis pertinentibus ad Capellam de *Grivegnée*, quæ sunt hæc: tria bonaria tam terræ quàm prati araria sita juxta *Grivegnée*. Item unum bonnarium in *Hasbania* situm apud *Lantin*. Item unum bonnarium quod colit Petrus. Item decima trium jornalium quæ tenet Dominus Joannes de *Prato & Renval* de *Chaynée*, & decima prati quod fuit Petri Militis de *Hambrins*. Item duo septaria speltæ super uno jornali juxta *Angleur*. Item quatuor solidi Leodienses, quos legavit Dominus Henerus de *Grivegnée*, percipiendi, bonis aliis ad has Capellas & ad matricem Ecclesiam prædictam, majore scilicet ac minutâ decimâ & aliis quibuscumque proventibus ipsi Ecclesiæ Aquensi & Decanatui per omnia salvis; ita tamen quòd si prædictis datur vel legatur in eleemosynam, percipiet dictus Abbas convertendum in augmentum suæ portionis prædictæ. Prædicta autem fecimus de consensu, voluntate, & authoritate Capituli nostri, & nos Capitulum confitemur in prædictis nos consensisse. In hujus autem rei testimonium præsentibus litteris sigilla nostra apposuimus, tenore earumdem sub sigillo prædicti Abbatis & Conventûs dicti Monasterii nobis retento. Datum ferâ quartâ ante Pentecosten anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo quarto.

Charta Joannis Episcopi Leodiensis pro permutatione Cornelii-montis *cum* Bello-reditu. *Anno 1287.*

JOannes (a) Dei gratiâ Leodiensis Episcopus & J. Dei permissione Abbas, totusque Conventus Monasterii Cornelii-montis, propè Leodium, Præmonstratensis Ordinis, Leodiensis Diœcesis, salutem in Domino sempiternam. Incessabilis hominum circa monasterium prædictum & bona ejusdem necnon commorantes & continuò nocte dieque manu armatâ ad spoliandum homines suis rebus & substantiis intolerabili furore confluentium, protervitas prona ad mala plurima peragendum, possessiones & bona dicti monasterii quam plurima sita sub dictorum hominum impiorum potentia abstulit, rapuit & ipsum monasterium eisdem bonis spoliavit, communicantium & laborantium personas dictorum Abbatis & Conventûs, & eorum familiæ rapere & capere, & ejusdem monasterii grangias, curtes & ædificia incendio devastare, adeò afflictiones suas nobis, Abbati & Conventui prædictis in his & aliis inferentes, quòd nos Abbas & Conventus prædicti, eorumdem impiorum oppressi malitiis, ad tantam devenimus paupertatem, quòd necessitate coacti, monasterium nostrum prædictum relinquere disposuimus, & ad singula loca nostri Ordinis pro sustentatione habenda declinare; quocirca Nos J. Dei gratiâ Leodiensis Episcopus prædictus, ipsos Abbatem & Conventum dilectos in Christo filios nostros, quorum vitam & conversationem laudabiles reperimus, frequenti clamore lamentabili eorum tribulationes & angustias hujusmodi ad nostram audientiam producentes, paternâ sollicitudine (ut tenemur) ne devotâ ipsorum Congregatione separatâ in nostra Diœcesi divinum officium subtrahatur, à præmissis, eorum tribulationibus & angustiis eos eripere volentes, & ab impiorum manibus liberare, cum dictis Abbate & Conventu permutationem faciendo pro dictis eorum monasterio & bonis inferiùs expressis, periculis & machinationibus dictorum hominum impiorum subjectis, de consensu & voluntate Capituli nostri majoris Ecclesiæ Leodiensis domum & curtem nostram dictam de *Biaurepaire* sitam in

(a) Joannes, filius Guidonis Flandriæ Comitis & Namurci, vir humilis, & modestus, doctor Decretorum, ex Metensi Episcopo Leodium 31 Octobris an. 1282. Intravit, ejus Ecclesiæ regimen assumpturus, approbante summo Pontifice Martino IV cum per annum & amplius Buchardus de Hannonia, & Wilhelmus de Alvernia Canonici ad Episcopatum Leodiensem in discordia electi frustra contendissent: quippe a Martino infirmata fuit utriusque electio, Joanni Episcopatum Leodiensem, Buchardo Metensem, Guillelmo Bisuntinum per compositionem adjudicavit. Obiit autem Joannes die 14. Octob. an. 1291. Sepultus apud Abbatiam de *Fimis* alias *Fimes*.

civitate Leodienſi ipſis Abbati & Conventui ut ad dictam domum ſe & ſuam manſionem & Abbatiam transferant cum omnibus bonis ſuis, juribus & privilegiis, quæ privilegia ex nunc ipſis & dicto loco robur quò plus obtineant, volumus obtinere, quæ etiam in quantùm poſſumus, authoritate Pontificali ipſis confirmamus, & monaſterium ſuum & ædificia ſua, pro ſua voluntate ibidem conſtruant, quæ faciendi eiſdem per præſentes liberam concedimus facultatem, & apud villam noſtram de *Freires* nonaginta & unum bonuaria terræ, item ſex bonuaria prati, item tredecim modios & duo ſextaria ſiliginis, annui & perpetui reditûs, item ſeptem bonuaria terræ vel circiter quæ vocatur *Terre d'Allemaurie*, item tres dimidios cum dimidio ordei annui, & perpetui reditûs; item apud *Tongris* villam noſtram, ſeu in territorio ejuſdem villæ viginti ſex modios & quinque ſextaria * ſpeltæ annui & perpetui reditûs, item duodecim modios & duo ſextaria ſiliginis annui & perpetui reditûs, item quindecim modios & duo ſextaria ordei annui, & perpetui reditûs, item triginta octo bonuaria terræ, item apud Villam *Deilvege* quindecim modios ſpeltæ & quindecim modios ordei annui & perpetui reditûs, item molendinum noſtrum *Deilvege* ſecundùm quod ſe habet ſupra & infra cum appenditiis in eodem jure, in quo illud tenemus ſub hoc modo quòd incolæ villarum *Deilvege*, de *Villars*, & de *Naveroule* & ipſis appenditiis ad dictum molendinum molere debent, & quòd dictum molendinum ibidem ſit & eſſe debeat in poſterum bannale, quod nos Epiſcopus promittimus pro nobis & ſucceſſoribus noſtris Epiſcopis Leodienſibus nos facturos, nos & Eccleſiam noſtram prædictam, ad hoc tenore præſentium obligantes, item apud Villare quod dicitur Epiſcopi, centum & viginti modios ſpeltæ annui & perpetui reditûs concedimus & tradimus pleno jure, quem reditum annuum ipſis Religioſis ad terras noſtras territorii dictæ villæ debemus & promittimus eiſdem Religioſis aſſignare. Promittimus etiam quòd ipſos Religioſos, vel eorum Procuratorem nomine eorumdem, in poſſeſſionem corporalem dictorum bonorum ſecundùm ſolemnitates in hoc debitas & conſuetas, & conſuetudines locorum inducemus ſeu induci faciemus in noſtris ſumptibus & expenſis ipſis Religioſis dari & tradi integraliter domum & curtem quæ fuit monaſterii Florinenſis, contiguas domui prædictæ de *Beaurepaire* ad monaſterium & clauſtrum in ipſa domo de *Beaurepaire* conſtruendum, ampliandum, vel aliàs prout eis placuerit de ipſa diſponendum. Præterea promittimus dictis Religioſis quòd reditus perpetuos in caponibus, & aliis ad numerum & valorem tantos ad quantos aſcendunt, ſeu aſcendent reditus caponum & denariorum quos nobis dicti Religioſi contulerint, & tradiderint, & aſſignaverint, debemus & promittimus tradere & etiam aſſignare inſpectâ ſuper hoc utilitate evidenti Eccleſiæ, Civitatis & Diœceſis noſtrarum Leodienſium cum acquiſitis bonis dictorum Religioſorum prædictis per eorum acceſſus & tranſitus malefactorum & noſtram civitatem & Diœceſim prædictas continuè impugnantium incurſibus, malevolis infeſtationibus, & impugnationibus nos & noſtri ſucceſſores poterimus Eccleſiam, civitatem & Diœceſim Leodienſem prædictas ac rempublicam cuſtodire ac pleniùs defenſare: & nos Abbas & Conventus prædicti, de conſenſu & voluntate venerabilium Patrum noſtrorum Præmonſtr. & Floreffienſis Patris Abbatis noſtri, Abbatum Ordinis prædicti pro dictis reditibus & bonis à dicto Domino Epiſcopo nobis traditis & nobiſcum permutatis dictum monaſterium noſtrum Cornelii-montis & clauſtrum cum ſuis pertinentiis & juribus infra ſcriptis, videlicet viginti quinque bonuariis terræ ſuæ circa dictum monaſterium, item molendino noſtro de *Grivegnées* cum curte, pratis, & ſuis appenditiis continentibus quinque bonuaria, item ibidem undecim modiis tam avenæ, quàm ſpeltæ annui & perpetui reditûs, item apud *Juppille* & circa *Roberti-montem* viginti modiis ſpeltæ annui & perpetui reditûs, item apud *Mecheroul* curtem noſtram cxc. bonuariis terræ arabilis, item xx. bonuariis prati, item xlv. vel circiter bonuariis nemoris, item vi. bonuariis terræ jacentis in triſco, item circa *Jenmagne* xxv. bonariis terræ item inter *Mecheroule* & *Fleron* una∫ parva decima, item apud *Iceve* v. bonariis terræ cum dimidio, item apud *Ketinnes* tribus bonariis terræ, item ad locum qui dicitur *Merlamont* juxta *Ongneses* tribus bonariis terræ, apud Curiam noſtram de *Wargenfoſſe* cxv. bonariis terræ, item xv. bonariis jacentibus in triſco, item xx. bonariis prati, item xxx. bonariis nemoris, item apud *Bushemont* juxta *Herves* ſex bonariis terræ arabilis, item apud *Vacamont* juxta *Herves* parùm prati & terræ uſque ad tria jornalia terræ, item apud magnum *Soumagne* tribus bonariis terræ, item apud *Hanchees* deſuper *Fraipont* x. bonariis terræ vel circiter, item apud Curtem noſtram de *R chen* lx. bonariis terræ arabilis & lx. bonariis parùm plus, vel parùm minus nemoris, item ibidem ſex bonariis terræ, item ibidem octo doſinis avenæ annui & perpetui reditûs, item ibidem portionem quam habemus in decima magna & parva dicto Domino Epiſcopo perpetuò concedimus & tradimus pleno jure ab ipſo & ſuis ſucceſſoribus Epiſcopis Leodienſibus perpetuò poſſidenda, retentis nobis vineâ quæ ſita eſt deſuper Villam de *Weis* cum tribus jornalibus terræ arabilis ipſi vineæ appendentibus, nec non pratis exiſtentibus ſubter dictum monaſterium Cornelii-montis, quæ quidem bona retenta nobis dicto Domino Epiſcopo minimè conferimus, & cùm nos Abbas & Conventus prædicti tenemur cuidam Capellæ S. Mariæ in *Jupilia* aliquem de noſtris Concanonicis ſeu Fratribus facere deſervire & ob hoc uſuagium ſeu maniamentum in nemoribus de *Breurt* & de *Ballaire* habeamus, volumus quòd Dominus Epiſcopus prædictus dictum uſuagium & quidquid juris habemus in dictis nemoribus, habeat, & illud ei conferimus & concedimus, dum tamen dictæ Capellæ per ſacerdotem ſecularem poſſimus facere deſervire, & nos Epiſcopus prædictus, illud dictis Abbati & Conventui concedimus & noſtrâ Pontificali authoritate confirmamus, ita etiam quòd nos Abbas & Conventus prædicti, perpetuò habebimus unum vel duos de Fratribus noſtri Ordinis idoneum, vel idoneos, in loco Cornelii-montis inſtituendum, vel inſtituendos, deſtituendum, vel deſtituendos à nobis Abbate prædicto & noſtris ſucceſſoribus Abbatibus dicti monaſterii, prout nobis placuerit, poterimus etiam loco deſtituti, vel deſtitutorum, alium vel alios, nos Abbas prædictus ſubrogare, cui vel quibus nos Abbas & Conventus dicti monaſterii tenebimur in expenſis veſtium & victualium, & aliis neceſſitatibus ſuis ſine ſumptibus ipſius Domini Epiſcopi competenter providere, poſſumus etiam nos Abbas prædictus & poterimus ſi voluerimus, prædictum ſeu prædictos, inſtitutum ſeu inſtitutos, à dicto loco totaliter amovere, ibidem non manſuros in futurum, locum Cornelii-montis reſtituentes eiſdem ſeu eidem, à quoquam minimè compulſuri, in quo etiam loco campanam unam relinquere debemus, loco & manſione ipſis Fratribus in quibus morari honeſtè poterunt & debebunt, à nobis Epiſcopo Leodienſi & noſtris ſucceſſoribus competentibus aſſignandis

* Gallicè Eſpiotte.

pro orationibus ab ipsis pro benefactoribus dicti monasterii vivis & defunctis ibidem effundendis, & nos Leodiensis Episcopus pro usuagio quod ipsi Abbas & Conventus habebant in dictis nemoribus de *Breust* & de *Bellarre* nobis ab eisdem tradito & concesso, promittimus ipsis Abbati & Conventui in nostris nemoribus usuagium & maniamentum assignare ad quantitatem & valorem ad quos usuagium prædictum nobis à dictis Religiosis concessum & traditum, ad arbitrium bonorum se extenderit, & nos Leodiensis Episcopus prædictus, promittimus quòd nos procurabimus & faciemus jus patronatûs Ecclesiæ de *Liers*, cum decimis & aliis pertinentiis suis dari & tradi dictis Abbati & Conventui pro juribus patronatuum Ecclesiarum de * *Soumagne* & *Simplevoir* decimis & aliis juribus ad dicta jura patronatuum spectantibus & nos Abbas & Conventus prædicti promittimus dicto Leodiensi Episcopo, quòd dicta jura patronatuum Ecclesiarum prædictarum de *Soumagne* & de *Simplevoir* cum juribus & aliis pertinentiis suis prædictis, dicto Domino Leodiensi Episcopo conferemus, quàm citò jus patronatûs dictæ Ecclesiæ de *Liers* cum juribus & pertinentiis suis nobis tradi & conferri procuraverit, ut promisit. Præmissa autem & singula prout superiùs sunt expressa & contenta, nos Episcopus prædictus dictis Religiosis & Conventui bonâ fide promittimus facere & implere, & ut præmissa majus robur habeant firmitatis: & in testimonium & in munimen præmissorum præsentibus litteris nostri Episcopi Leodiensis prædicti, nec non nostrorum Abbatis & Conventûs Cornelii-montis prædictorum sigilla sunt appensa, & nos B. Dei gratiâ Præpositus, J. Decanus, Archidiaconi, totumque majoris Ecclesiæ Leodiensis Capitulum, præmissis, superiùs contentis & expressis tanquam factis pro utilitate & commodo Ecclesiæ, Civitatis & Diœcesis prædictarum, nostrum consensum adhibentes pariter & assensum, eisdem præsentibus sigillum Ecclesiæ nostræ Leodiensis prædictæ, apposuimus in testimonium & corroborationem præmissorum unà cum sigillis dictorum Domini Episcopi Abbatis & Conventûs superiùs nominatorum. *

* Permutatio patronatuum non est facta sed pastoratus de *Soumagne* & *Simplevoir* spectant hactenus ad monasterium.

* Ad annum 1288. mense Aprilis hanc commutationem factam refert Chapeawille t. 2. p. 321. tamen ex subsequentibus chartis arguitur uno anno præcessisse istam commutationem.

Charta Ratificationis præcedentis permutationis Cornelii-Montis *cum* Bello-Reditu, *facta à Joanne Episcopo Leodiensi. Anno 1287.*

J. Decanus & W. de *Attrabato* Canonici Majoris Ecclesiæ Leodiensis, in omnium Salvatore salutem. Cùm Reverendus Pater & Dominus noster Dominus J. Dei gratiâ Leodiensis Episcopus, nos ad tractandum cum Religiosis viris Abbate & Conventu Cornelii-montis propè Leodium, Præmonstratensis Ordinis, super permutatione facienda de suo Monasterio Cornelii-montis prædicto, & aliis bonis suis in cedula cui præsens littera est infixa contentis, ad alia bona ipsius Domini Episcopi in eadem cedula nominata deputaverit, & instituerit, universitati vestræ tenore præsentium intimamus quòd nos habito cum dictis Religiosis tractatu diligenti, de præmissis disposuimus & ordinavimus nos & prædicti Abbas & Conventus prout in scedula supra dicta continetur, & in hoc dictus Dominus Episcopus & nos consensimus præsentium testimonio litterarum quibus sigilla nostra duximus apponenda, Datum anno Domini MCCLXXXVII. in die Festi Beati Thomæ Apostoli.

Charta Joannis Leodiensis Episcopi, in qua transactionem confirmat præcedentem & executioni mandat. Anno 1288.

SAnctorum venerationem fidelium devotio prosequitur qui dum adhuc in mortali corpore viverent, æternæ beatitudinis consortium sunt adepti, & illorum nihilominùs veneratio recoli censetur, qui Monasteriorum, seu Religionis palmis pullulantes, eorum jugum virili cursu pro Christi nomine salubriter evaserunt, inter quos sanctos Dei Apostolos Christi successores, qui flores suæ Religionis Domino dedicarunt, ratio locum gloriæ insinuat obtinere, verùm cùm ipsi gloriosi Apostoli plus acceptare credantur laudum munia, quæ sibi sinceriùs offeruntur ab his qui eos imitantur tolerantiâ quotidianæ passionis, quæ professis Ordinum per pœnitentiam infligitur & labores, nos Joannes Dei gratiâ Ecclesiæ Leodiensis minister humilis, Religiosorum virorum Abbatis & Conventûs Monasterii Cornelii-montis juxta Leodium, Ordinis Præmonstratensis, in quo duodecim Apostoli colebantur, pressuras quas vicini prædones eis in bonis & corporibus inferebant, attendentes, ex quorum improba rapina substantia ipsorum Religiosorum fatiscebat, propter quæ devotio ipsorum patiebatur detrimentum, animadversione ducti, ad eorum supplicationem eis indulsimus, ut ipsi de loco Montis-Cornelii vicino prædonibus, & eorum infestationibus ad locum de *Bello-reditu* in insula Leodii, aptum Religioni, se transferrent, ut ipsi votis eorum & Religionis dulcedine suggerentibus, in pace & quiete sub eorum Regula Domino attentiùs desudarent, & cùm propter hæc ipsi Religiosi ex nostra concessione & indulgentia, ad dictum locum de *Bello-reditu* se transtulissent, nos eis ipsum locum cum ejus appenditiis, procincturis, manso, Dominico & integro ambitu dicti loci incorporavimus & incorporamus, ut tranquillitas pacis eorum & devotio, Domino concedente, plerumque invalescat, & cujus admiranda potentia dat per gratiam esse fortissima, quæ sunt fragillima per naturam, nos & eos robore fulciat & virtute perfundat, donecque sic prosequi quod impotentiæ nostræ commisit & humilitati, ut is & alii actus nostri & sui in beneplacito suo proficiant & ad salutaria dirigantur, in cujus rei testimonium & munimen præsentibus litteris sigillum nostrum est appensum. Datum anno Domini 1288, feriâ quintâ post Resurrectionem Domini, primâ die mensis Aprilis.

Charta Rudolphi Imperatoris, quâ confirmat permutationem Cornelii-montis *cum* Bello-reditu. *Anno 1290.*

NOs Rudolphus Dei gratiâ Romanorum Rex semper Augustus, ad universorum Sacri Imperii Romani fidelium, tam præsentium quàm futurorum notitiam volumus pervenire, audivisse & vidisse litteras inferiùs annotatas, non cancellatas, non abolitas, nec in aliqua parte vitiatas, veris sigillis venerabilis Episcopi, Capituli Ecclesiæ sancti Lamberti Leodiensis, Abbatis & Conventûs Monasterii *Belli-reditûs* Leodiensis, Præmonstratensis Ordinis, & Joannis Archipresbyteri Leodiensis sigillatas, quæ sequitur in hunc modum: Joannes Dei gratiâ Leodiensis Episcopus, universis Christi fide-

libus salutem in Domino sempiternam. Curâ & sollicitudine pastorali loca Religiosa & eorum personas studiosiùs laboravimus semper ab impiorum incursibus eripere, & ut divinæ contemplationi liberiùs vacarent in pacis tranquillitate collocare: Cùm igitur dilecti filii Abbas & Conventus Ecclesiæ Montis-Cornelii, nostræ Diœcesis, Ordinis Præmonstratensis, in rebus & corporibus & molestiis, & incursibus malorum hominum & prædonum ad dictum locum Montis-Cornelii quotidie confluentium, pluries deprædati & quasi penitùs exinaniti, tot & tantas injurias & damna in ipso loco tolerarunt, quòd ibidem pacificè vivere, & Religionis suæ regulas & professiones non poterant commodè observare, authoritate Pontificali, dictis Abbati & Conventui ad eorum & aliorum proborum supplicationes instantes concessimus & concedimus ut de dicto loco Montis-Cornelii vicino prædonibus, ad locum dictum de *Bello-reditu* in insula Leodii, pacificum & Religioni congruum, se & sua transferant, cum omnibus privilegiis, indulgentiis, gratiis, eleemosynis, concessionibus, ac aliis quibuscumque juribus, quocumque nomine censeantur, quæ ipsis Abbati & Conventui nomine Ecclesiæ Montis-Cornelii competebant, perpetuò moraturi, & nos dictum locum de *Bello-reditu*, cum Ecclesia, claustro, refectorio, dormitorio, domo dicta de *Florines*, eorum ambitu, procincturis, appendiciis & pertinentiis universis, cum omnibus privilegiis, indulgentiis, gratiis, eleemosynis, concessionibus, ac aliis quibuscumque juribus, quocumque nomine censeantur, quæ ipsis Abbati & Conventui ratione Ecclesiæ Montis-Cornelii competebant, & ratione Ecclesiæ de *Bello-reditu*, cum bonis à nobis cum ipsis Abbate & Conventu permutatis competunt & competere possunt, rebus & bonis Cornelii-montis expressis in litteris super hoc confectis, quæ dicti Religiosi in nos ex permutatione super hoc facta transtulerunt, dumtaxat exceptis, ipsis Abbati & Conventui de *Bello-reditu* incorporavimus, incorporamus & adunimus, & nostra authoritate Pontificali ordinariâ confirmamus: in quorum testimonium & munimen præsentes litteras sigilli nostri appensione corroboravimus. Actum & Datum anno Domini MCCLXXXVIII. mense Aprili. Item nos homines de Capitagio Dei notum facimus omnibus quòd comparentibus coram nobis inter sanctam Mariam & sanctum Lambertum in Leodio, Reverendo Patre nostro Domino Joanne de *Flandria*, Dei gratiâ Episcopo Leodiensi, Decano & Capitulo Ecclesiæ S. Lamberti Leodiensis ex una parte, Abbate & Conventu de *Cornillon* juxta Leodium, Præmonstratensis Ordinis ex altera, prædicti D. Episcopus, Abbas & Conventus dixerunt quòd de consensu & voluntate Decani & Capituli prædictorum pro utilitate & profectu Ecclesiæ S. Lamberti & Episcopatûs Leodiensis, inter se ordinaverunt communi assensu quamdam permutationem quorumdam bonorum pertinentium ad Episcopatum Leodiensem, pro quibusdam aliis bonis dictorum Abbatis & Conventûs commissum fuit Joanni de S. Martino Scabino Leodiensi ibi præsenti, tanquam homini de Capitagio Dei, quod ipse consideratis jure & lege Patriæ, referret utrum dictus Dominus Episcopus Leodiensis, secundùm jus & legem patriæ, de consensu & voluntate Decani & Capituli Ecclesiæ S. Lamberti antedicti, poterat permutare bona pertinentia ad Episcopatum Leodiensem, pro aliis bonis, & Episcopatum exhæredare & aliam personam exhæredare ex causa permutationis, qui Joannes de S. Martino consideratis jure & lege patriæ, retulit pro jure & lege & per plenam sequelam hominum de Capitagio Dei ibi præsentium, quòd D. Episcopus Leodiensis prædictus de consensu Decani & Capituli Ecclesiæ S. Lamberti prædicti, benè poterat permutare bona pertinentia ad Episcopatum Leodiensem pro aliis bonis, & Episcopatum exhæredare, & aliam personam adhæredare ex causa permutationis, quo relato Dominus Episcopus & Capitulum antedicti, ibidem illâ horâ fecerunt investiri per nos Abbatem & Conventum supra dictos pro se & suis successoribus, tanquam de suo bono allodio, ratione dictæ permutationis, de domo, curte, loco, & assisa dictis de *Beaurpaire* existentibus in loco qui dicitur transitus, in insula Leodiensi, cum omnibus suis appendiciis, jurisdictionibus & pertinentiis integraliter, item de quatuor viginti & undecim bonariis terræ arabilis jacentia in terra, & territorio de *Frere* in Hesbania, item de sex bonariis prati, item de tredecim modiis & duobus sextariis siliginis hæreditariè, item de septem bonariis terræ arabilis, vel circiter quæ dicitur terra de *Mayrie*, item de tribus modiis & dimidio ordei hæreditariè, item in villa de *Tongris* & ejus territorio de viginti sex modiis & quinque sextariis speltæ hæreditariè, item de duodecim modiis & duobus sextariis siliginis hæreditariè, item de quindecim modiis & duobus sextariis siliginis hæreditariè, item de triginta octo bonariis terræ arabilis, item in villa de *Wege* & ejus territorio de quindecim modiis speltæ & quindecim modiis ordei hæreditariè, item de molendino *Dellweige* prout situm est supra & infra cum omnibus suis appendiciis, in tali dominio, & tali jure quibus dictus Dominus Episcopus ipsum molendinum tenebat, & tali conditione quòd molentes dictarum villarum *Dellweige*, de *Vileir l'Evesque*, de *Nanveroule*, & earum appenditionum, molere debent ad ipsum molendinum pro banno, & debet ipsum molendinum esse bannale hæreditariè, & eis fuit deliberatum bannale, item in villa de *Vileir l'Evesque* & ejus territorio, de sex viginti modiis speltæ hæreditariè super terras & bona pertinentia ad dictum Dominum Episcopum in villa de *Vileir l'Evesque* & omne bladum locorum supra dictorum ad mensuram Leodiensem; factâ autem investiturâ prædictâ, ibidem illâ horâ Abbas & Conventus prædicti fecerunt investiri per nos Dominum Episcopum & Capitulum prædictos ad opus eorum & Episcopatûs Leodiensis, tanquam de suo bono allodio de domo de *Cornilhon* prout sita est intra clausuram de domibus eorum, curtibus & earum appenditiis infra scriptis de viginti quinque bonariis terræ jacentibus in circuitu *Cornilhon*, de molendino de *Grivegnees* & ejus pertinentiis de quibus sunt in curte & prato quinque bonaria & novem modii intra avenam & speltam hereditariè, item in *Juppille* & in circuitu Roberti-montis viginti modiis speltæ hæreditariè, item de Curia de *Mecheroul* & novem viginti bonariis terræ, viginti bonariis prati, quadraginta quinque bonaris nemoriis, vel circiter, sex bonariis terræ in *Trisco*, in circuitu *Soumagne*, viginti quinque bonariis terræ inter *Mecheroul* & *Fleron*, unâ parvâ decima in *Sceve*, quinque bonariis & dimidio terræ in *Retinnes*, tribus jornalibus terræ in *Mierlemont* juxta *Erregnees*, tribus bonariis terræ, item de curia de *Wargierfosse* centum & quindecim bonariis terræ, quindecim bonariis terræ in Trisco, viginti bonariis prati, triginta bonariis nemoris; in *Buhemont* juxta *Herves* sex bonariis terræ, in *Wacomont* inter pratum & terram tribus jornalibus, in magno *Soumagne* tribus bonariis terræ, in *Hanchees* decem bonariis terræ, vel circiter, item de Curia de *Richen* sexaginta bonariis terræ arabilis, & sexaginta bonariis non arabilis, sex bonariis & tribus jornalibus prati, sexaginta bonariis nemoris vel circiter, sex bonariis ter-

ræ, octo dolinis avenæ hæreditariè & portione quam habebant in magna decima, & in parva dicti loci, & sciendum est quòd ibi fuit expressum & ad hoc se obligaverunt dicti Religiosi, quòd si in istis bonis de quibus investiri fecerunt dictos Dominum Episcopum & Capitulum, ut dictum est, aliquid esset terræ censualis, de illo debent Dominum Episcopum facere investiri per curias à quibus moventur, seu tenentur cùm ipse Dominus Episcopus voluerit, & dicti Religiosi poterunt, & tantum debent dicti Religiosi dicto Domino Episcopo reassignare alibi de censu in denariis & caponibus quantùm pro dicta terra censuali, dicta *Tresfons*, solvetur de censu, post præmissa autem una partium prædictarum werpivit sive effectucando renuntiavit, alteri bona supradicta, & fecit una alteri quod facere debuit de lege & jure patriæ, fuitque utraque partium prædictarum judicata per nos in pace remanere in bonis supra dictis, sibi ab altera parte traditis & effectucatis secundùm jus & legem ac institutionem hominum de Capitagio Dei ibi præsentium, scilicet Magistri Joannis de *Cambrus* Decani, Magistri Joannis de *Liele* Archidiaconi, Domini Alexandri de *Brunshove*, Magistri Stephani, Domini Nicolai de *Parvie*, Domini Hermanni de *Revensberghe*, Magistri Joannis *Gillart*, Domini Wilhelmi de *Eppe*, Domini Joannis de *Lavaux*, Magistri Ægidii *Patien*, & Domini Rigaldi de *Scenecch* Canonicorum Ecclesiæ Sancti Lamberti Leodiensis, Magistri Joannis *Rufol* Officialis Curiæ Leodiensis, Domini Joannis Archipresbyteri Leodiensis, Domini Joannis de *Tludinio* Plebani, Domini Arnoldi de *Skendremal* & Domini Reneri de *Visero* Marescalli Episcopatûs Leodiensis, Militum, Joannis de sancto Martino qui dictum judicium retulit, Everhardi de *Insula*, qui dictas investituras fecit, Joannis *Surlet* & Joannis de *Lardier* Scabinorum Leodiensium, Joannis de *Gottehem*, Franconis Advocati de *Florom*, Theodrici ejus fratris, Wilhelmi de *Brust*, Godardi de *Harsta*, Joannis *Hazett*, Theodrici ejus fratris, Thonesti de *Fontaines*, Ægidii nati Domini Tillemani de Prato, Walteri *Pisset* de *Viller*, Ranwesotti de *Odeur* & plurium aliorum, & ut præmissa stabilia sint & firma, nos Joannes Dei gratiâ Leodiensis Episcopus, nos Capitulum S. Lamberti Leodiensis, Abbas & Conventus & Joannes Archipresbyter supra dicti, præsentibus litteris in testimonium veritatis & præmissorum, sigilla nostra apposuimus. Actum anno gratiæ MCCLXXXVIII. mense Aprili. Item omnibus præsentes litteras visuris, nos Joannes de Flandria Dei gratiâ Episcopus Leodiensis, Præpositus, Decanus, Archidiaconi, totumque Capitulum Ecclesiæ S. Lamberti Leodiensis, salutem, & cognoscere veritatem; sciant omnes quòd cùm ita esset, quòd nos Joannes Episcopus prædictus, ratione permutationis quæ facta erat & est inter nos de consensu & voluntate prædictorum Præpositi, Decani Archidiaconorum & Capituli dictæ Ecclesiæ S. Lamberti ex una parte, Abbatem & Conventum de *Beaurepaire* in Leodio quondam de *Cornilhon*, Ordinis Præmonstratensis, ex alia parte, pro profectu & utilitate dictæ Ecclesiæ nostræ S. Lamberti & Episcopatûs Leodiensis, debuissemus & fuissemus obligati ad faciendum recompensationem & reassignamentum nemoris Abbati & Conventui de *Beaurepaire* prædictis, secundùm jurisdictiones, usuagia & maniamenta quæ per longum tempus habuerant & habebant die dictæ permutationis in nemoribus de *Breust* de *Juppille* & de *Belarre* in nobis ab ipsis translatas & translata & quorum sumus in possessione prout hæc continentur in instrumentis super hoc confectis, sigillatis sigillis nostro, & dictæ nostræ Ecclesiæ sancti Lamberti & aliarum bonarum gentium; Nos Joannes Episcopus prædictus, ratione dictarum permutationis & obligationis assignavimus & assignamus per præsentes litteras ante dictis Abbati & Conventui, de consensu, consilio, & voluntate Præpositi, Decani, Archidiaconorum & Capituli prædictorum, pro utilitate & profectu dictæ Ecclesiæ nostræ S. Lamberti & Episcopatûs Leodiensis, accipienda & habenda ab ipsis Abbato & Conventu & eorum successoribus perpetuo centum bonaria nemoris in uno latere sive cornu nostri nemoris de *Serainge*, in una petia & una parte dicti nemoris de *Serainge* extra supradicta inter *Bonnes* vulgò dictas signa & terminos in recompensationem & restaurationem nemoris, jurisdictionem usuagiorum & mansamentorum prædictorum, quæ centum bonaria nemoris incipiunt seu habent principium scilicet ad communitatem in loco qui dicitur supra *Ruechan* inter locum qui dicitur *Lebatue*, & locum qui dicitur *Walenbess*, & tantùm ibidem superiùs quòd dicta centum nemoris bonaria ibi sunt inter signa & terminos separata in hunc modum, quòd dicti Abbas & Conventus possunt & poterunt obstruere & tollere omnes vias & semitas quæ sunt, & inventæ sunt, & erunt in suis prædictis centum bonariis nemoris, exceptâ dumtaxat viâ de *Tristeal*, nec poterit, nec debebit quis amodò facere aliquam aliam viam, vel semitam sine eorum propria voluntate, nisi de jure ibi esse debeat. De quibus centum bonariis nemoris prout hîc superiùs sunt divisa, separata & expressa, & in quorum possessione eos ponimus per præsentes, nos volumus quòd ipsi & eorum successores suam faciant voluntatem ab hac die in posterum, in fundo & superficie tanquam de sua bona hæreditate & ponant & tollant forestarios & custodes ad suum placitum, & faciant omnes alios suos usus integraliter absque reclamatione & calumnia alicujus, pacificè & quietè. In quorum præmissorum testimonium nos Joannes Dei gratiâ Leodiensis Episcopus prædictus, his litteris sigillum nostrum apposuimus. Et nos Præpositus, Decanus, Archidiaconi, & Capitulum Ecclesiæ S. Lamberti prædicti, cognoscimus & testamur omnia præmissa esse vera & facta à Reverendo Patre nostro supradicto, de nostro consilio, consensu, & voluntate pro utilitate & profectu dictæ Ecclesiæ S. Lamberti & Episcopatûs Leodiensis, habemusque firmas & stabiles antedictas recompensationem & reassignationem supra dictorum centum bonariorum nemoris, quas dictus Reverendus Pater noster fecit, & habet pro factis, Abbati & Conventui de *Beaurepaire* prædictis in locis, modis & conditionibus quibus ipse fecit, & quæ in his litteris conscriptæ sunt & expressæ, & in testimonium præmissorum unà cum sigillo nostri Reverendi Patris superiùs nominati, præsentibus litteris sigillum nostrum fecimus apponi. Actum & Datum anno gratiæ MCCLXXXVIII. mense Januario. Nos itaque Rudolphus Romanorum Rex semper Augustus, qui miseratione divinâ Romano præsidemus Imperio, Ecclesias Dei sub Imperio constitutas cupientes votivis promotionibus efficaciter prævenire, necnon earum dispendiis obviare Religiosorum virorum Abbatis & Conventûs Bellireditûs Leodiensis Diœcesis, Præmonstratensis Ordinis, prædictorum devotis precibus inclinati, universa & singula, prout superiùs sunt expressa, ratificamus, approbamus, nec non authoritate Regiâ confirmamus. Nulli ergo hominum omninò liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, aut ei in aliquo, ausu temerario, contraire, quod qui facere præsumpserit, nostræ Majestatis indignationem se noverit incursurum in cujus ratificationis, approbationis, & confirmationis testimonium, præsens,

ſcriptum Majeſtatis noſtræ ſigillo fecimus communiri. Datum Erfodiæ decimâ ſextâ Kalendas Junii, indictione tertiâ. Anno Domini milleſimo ducenteſimo nonageſimo. Regni verò noſtri anno decimo ſeptimo.

Littera Quittationis loci Belli-reditûs, *à Canonicis de ſancto Victore, Præmonſtratenſibus Canonicis facta anno 1296.*

UNiverſis præſentes litteras inſpecturis, Frater Odo humilis Abbas monaſterii Sancti Victoris Pariſienſis, totuſque ejuſdem loci Conventus, æternam in Domino ſalutem. Noverint univerſi quòd cùm Dominus Baldardus quondam Archidiaconus Leodienſis, locum de *Bello-reditu* ſive *Beaurepaire* in inſula Leodienſi ſitum, ſatis inſignem, ab Epiſcopo & Capitulo Leodienſi acquiſierit atque dotaverit, & in extremis laborans Canonicos Regulares noſtri Ordinis in eodem loco,& de Domo noſtra Deo famulaturos, ibidem inſtituerit atque mandaverit ordinari, & per venerabilem virum magiſtrum Godefridum de *Fontanis* Canonicum Leodienſem, dictum locum de *Bello-reditu* cum pertinentiis ſuis, juxta ordinationem præfati Archidiaconi Leodienſis, inſtantiſſimè nomine executorio ipſius Archidiaconi nobis obtulerit cum effectu, & ut aſſenſum noſtrum præberemus ſtudioſiſſimè laboraverit, nos maturâ & multiplici deliberatione ſuper hoc præhabitâ, unanimi noſtro conſenſu, loco prædicto de *Bello-reditu* cum pertinentiis ſuis & aliis bonis occaſione dicti loci & perſonarum noſtrarum acquiſitis, renuntiavimus ſine lege aliqua repetendi, attendentes quòd viri Religioſi Abbas & Conventus quondam Montis-Cornelii juxta Leodium, Ordinis Præmonſtratenſis, de voluntate & aſſenſu Epiſcopi & Capituli Leodienſis, ad ipſum locum de *Bello-reditu* ſive de *Beaurepaire*, ibidem Deo perpetuò famulaturi. Nos verò de dicta tranſlatione gaudentes ac eorum juſtis deſideriis annuentes, ipſum locum prædictum de *Beaurepaire* cum omnibus pertinentiis ſuis, quantùm in nobis eſt conferimus, & per præſentes litteras totaliter cedimus, præmiſſa omnia à nobis penitùs abdicantes, & in eos transferentes, conſtituimus etiam nihilominùs ipſos Religioſos donatarios, procuratores & dominos tanquam in res ſuas, & ponimus eos in locum noſtrum, mandatis & ceſſis directis & utilibus actionibus ut amodò poſſint ſuo nomine agere, ſe tueri, excipere, replicare & omnia facere, tanquam quis in re ſua facere poteſt & debet, quam donationem & liberalitatem in dictos Religioſos dilucidè & ſpontaneè collatam, promittimus ratam & firmam habere & obſervare, ſine lege aliqua repetendi, & eam non infringere vel revocare aliquo ingenio ſine cauſa. In quorum teſtimonium & robur firmitatis ſigilla noſtra præſentibus litteris duximus apponenda. Datum & actum anno Domini MCCXCVI. menſe Martio.

Charta confirmationis & approbationis unionis, annexionis, & incorporationis Canonicatûs & præbendæ ſanctæ Crucis *Leodienſis, Abbatiali dignitati monaſterii* Belli-reditûs, *anno 1483.*

DOminicus * miſeratione divinâ titulo ſancti Clementis, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Preſbyter Cardinalis Tanemenſis nuncupatus, in Sabaudiæ & nonnullis aliis Provinciis & dominiis Apoſtolicæ Sedis Legatus, Eccleſiarum & monaſteriorum ac in eis famulantium perſonaliter quieti, & paci, ac utilitatibus prout ſollicitudinis legationis noſtræ exigit officium intendentes, illa quæ in eorum honoris & amicitiæ, ac poſteritatis argumentum præceſſerunt ut perpetuæ ſtabilitatis vim & robur obtineant, libenter cum à nobis petitur authoritate apoſtolicæ Sedis firmitatis robore favorabiliter communimus; ſanè ſicut nuper pro parte dilectorum nobis in Chriſto Abbatis & Conventûs monaſterii *Belli-reditus* Præmonſtratenſis Ordinis, Leodienſis Diœceſis, ac Decani & Capituli ſanctæ Crucis, etiam Leodienſis, exhibita petitio continebat, quòd ipſi olim pro conſervanda inter eos mutua fraternitate & amicitia, & aliis certis rationabilibus cauſis unam ex præbendis ſanctæ Crucis, quam quondam Henricus de *Calceata* aliàs dum viveret, obtinebat, menſæ Abbatiali dicti monaſteri, cum hoc quòd Abbas pro tempore exiſtens in certis diebus & ſolemnitatibus in ipſa Eccleſia faciens miſſarum & aliorum divinorum officia, annuatim celebrare teneretur, & quibuſdam aliis conventionibus & modis tunc expreſſis, authoritate ordinariâ perpetuò uniri, annecti & incorporari obtinuerunt, prout in quibuſdam litteris ſeu documentis publicis deſuper confectis, dicitur pleniùs contineri, quare pro parte eorumdem Abbatis & Conventûs, nec non Decani & Capituli nobis fuit humiliter ſupplicatum, unioni, annexioni, & incorporationi, & aliis quæ propterea præceſſerunt pro illorum ſubſiſtentia firmiori, robur authoritate apoſtolicâ adjicere, & ut perpetuò durent opportunè providere de benignitate apoſtolica ac officii noſtræ delegationis dignaremur. Nos itaque conſiderantes unionem, annectionem & incorporationem hujuſmodi, & prout illa concernunt inde ſecuta quæcumque ſtatui, amicitiæ, & proſperitati eorumdem Decani & Capituli, nec non Abbatis & Conventûs cedere, authoritate apoſtolicâ nobis per litteras ſanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini noſtri Domini Sixti divinâ providentiâ Papæ IV. nobis conceſſâ, & quâ fungimur in hac parte, unionem, annectionem, & incorporationem prædictas, & alia præmiſſa inde ſoluta, ut præfertur, confirmamus ac etiam approbamus, ac præſentis ſcripti patrocinio communimus, ſupplentes omnes & ſingulos defectus ſi qui forſan intervenerunt in eiſdem; & nihilominùs pro majori ſecuritate ac tuitione Decani & Capituli, nec non Abbatis & Conventûs prædictorum, Canonicatum & præbendam prædictos, penitùs & omninò ſupprimentes ac extinguentes cum omnibus juribus, pertinentibus, privilegiis, atque libertatibus ſuis, nec non eorum ac menſæ Abbatialis prædictæ fructuum, reddit
uum & proventuum veros valores annuos pro ſufficienter expreſſis habentes, eoſdem Canonicatum & præbendam dictæ menſe Abbatiali unimus, annectimus & incorporamus; quocirca Reverendo in Chriſto Patri Epiſcopo Elugienſ. & dilectis nobis in Chriſto Leodienſ. & Camerac. Officialibus eâdem authoritate tenore præſentium committimus & mandamus quatenùs vos, vel duo, aut unus veſtrûm, per vos vel per alium, ſeu alios, Abbati & Conventui, necnon Decano & Capitulo præfatis, in quantùm eorum quemlibet reſpectivè concernit efficacis defenſionis præſidio aſſiſtendo faciant eos ac ipſorum quemlibet in & deſuper præmiſſis pacificè gaudere, non permittentes eos, ſeu eorum aliquem per quempiam ſuper illis moleſtari per cenſuram eccleſiaſticam & alia juris remedia compeſcendo; nonobſtantibus omnibus quæ præfatus Dominus noſter Papa in ſuis litteris voluit non obſtare contrariis quibuſcumque. In quorum fidem præſentes litteras fieri, ſigillique noſtri juſſimus & fecimus appenſione communiri. Datum Taurinii in noſtro Epiſcopali Palatio anno Incarnationis Dominicæ

* De Ruvere Archiepiſcopus Tarantaſienſis.

minicæ millesimo quadringentesimo octuagesimo tertio, sexto decimo Kal. Aprilis. Pontificatus præfati Domini nostri Sixti Papæ IV. anno XII.

Decreta sacra Congregationis Cardinalium negotiis Episcoporum & Regularium præposita in causa Leodiensis Parochialis Præmonstratensis. Anno 1713.

Cùm Pater Franciscus *de la Motta* ex Canonicis Regularibus monasterii sanctorum Apostolorum Montis Cornelii, Ordinis Præmonstratensis, deputatus existeret per Dominum Abbatem dicti monasterii nuncupati Belli-reditûs, administrationi curæ animarum Ecclesiæ positæ in loco de *Louirval*, modernus Abbas Belli-reditûs providere cupiens. Prioratum tunc vacantem Conventûs Monialium de *Rechem* à dicto monasterio dependentem, de mense Maii 1710. revocavit dictum Patrem Franciscum à cura animarum, illumque Priorem memorati Conventûs Monialium constituit; at ipse Pater *la Motta* proprii Abbatis mandato debitam obedientiam præstare renuens, ad D. Nuntium Coloniensem recursum habuit, qui ita decrevit. *Pareat Pater Franciscus la Motta Abbati suo infra quindecim, quâ pœnitione pravià ipsum audiemus*, verùm parere detrectans, fuit ab ipso Patre Abbate declaratus excommunicatus affixis cedulonibus. Propterea habito recursu ad hanc sacram Congregationem, Eminentissimi Patres sub die 22. Januarii ejusdem anni rescripserunt. *Amoto per modum provisionis Patre* la Motta, *& interim proviso per Ordinarium de alio administratore, suspensis censuris Patres deducant sua jura intra terminum trium mensium*, & successivè die 29. ejusdem mensis, & iterum sub x. Martii decretum fuit. *Remotus per modum provisionis Pater la Motta se conferat ad monasterium assignandum à suo Patre Generali: interim vero Ordinarius per modum provisionis, & sine præjudicio jurium partium deputet administratorem Parochiæ vel Regularem ex eodem Ordine Præmonstratensi, vel secularem sibi magis benè visum.*

Repropositâ causâ die 22. Aprilis dicti anni, eadem sacra Congregatio perstitit in decretis, ac censuit, causam ampliùs non proponendam, & ad mentem, nec non proponendam causam super meritis, etiam unica, omnino in prima Julii. Assumpto itaque formali examine meritorum super jure Abbatis, revocandi ad Claustra Regulares curam animarum exercentes in Parochialibus, sine ullo positivo consensu Ordinariorum, partibus hinc inde auditis & informantibus, eidemque Patri *la Motta* adhærente Promotore fiscali Curiæ Episcopalis Leodiensis sub die 2. Septembris dicti anni 1712. rescriptum fuit, *licuisse Abbati revocare ad Claustra Patrem la Motta sine consensu Ordinarii, eo tamen certiorato; & quoad censuras consulendum sanctissimo Domino nostro pro facultate absolvendi & dispensandi.* Et in repropositione die 3. Februarii 1713 dictum extitit *non licuisse nisi certiorato priùs per Abbatem Ordinario, licere tamen sine consensu ejusdem Ordinarii, in reliquis decretis.*

His nonobstantibus, idem Pater *la Motta* ipsique adhærens, recursum habuerunt ad Rev. P. D. Auditorem Sanctissimi pro habenda signatura gratiæ, cujus loco deputata fuit particularis Congregatio septem Curiæ Prælatorum, nempe Rev. P. D. Nuntii, Petræ, de Cavaleriis, Sergardi, Liccii, de Riccis, & Passerini, instantes in commissione transmissâ, *quòd prævia suspensione resolutionum hujus sacræ Congregationis, iterum ad ipsam causa remitteretur cum voto Rotæ suffragantibus omnibus* prodiit tamen resolutio Congregationis particularis *nihil de voto Rotæ & ad eandem Congregationem quoad omnes, non retardatâ executione decretorum. Demum posthabitâ causâ per eundem Eminentissimum Fabronum partibus iisdem auditis, sacra Congregatio Eminentissimorum & Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis & consultationibus Episcoporum & Regularium præposita, decrevit & mandavit: Quòd Pater la Motta omnino pareat & ampliùs causa non proponatur, & quoad alios, ut fuit suppositum adhærentes sub nomine majoris partis Præsulum & Ordinariorum Germaniæ in præcedentibus instantibus non auditorum, providebitur in casibus particularibus.* Romæ primâ Decembris 1713.

Diploma Andreæ Episcopi Ultrajectini pro confirmatione inductionis Præmonstratensium in* Bernæ *arcem anno 1134.*

* Cuickensis Comitis filius ex Leod. Præposito Traject. Episcopus anno 1128. condens & reformans cœnobia, dotansque Ecclesias moritur anno 1138. 9. Kalendas Junii.

IN Nomine Domini Amen, Andreas misericordiâ Dei, quæ vocat ea quæ non sunt, Ecclesiæ Trajectensis Episcopus. Quo studio, quâve sollicitudine sit invigilandum his, qui sibi nihil reliquerunt, ut nudi sequerentur nudum Christum, pietas fidelium novit, quæ pelles animalium tanquam potestates sublimes, ad excipiendas tempestates, tabernaculo supposuit, quatenùs intra tabernaculum purpura contemplativorum tranquillâ pace respondeat, & lumen honestæ vitæ circumquàque diffundat. Et nos igitur, pro posse nostro, hoc æmulantes, præsenti scripto, præsentibus & posteris edicimus, quòd Folcoldus de Berna, vir liber & dives, sed & uxor ejus Bessela, inspiratione Dei, sanè intelligentes, cedros libani quos plantavit Dominus, nidum haberi passeribus ad honorem Dei & *Theotocon* Beatæ Virginis Mariæ, Abbati Roberto de Insula ejusdem Beatæ Matris, ipsam Bernam cum omnibus suis appertinentiis, *Maesmond* quoque cum omnibus suis artinentiis, necnon & *Erthepe*, quæ est in Tessandria, cum omnibus suis attinentiis, sed & *Altforge*, cum omnibus suis attinentiis, item etiam *Mesberch* cum omnibus usibus suis, quos in seculo viventes inibi jure obtinuerunt, per manus nostras tradiderunt. Abbas autem præmemoratus ex Canonicis suis Abbatem idoneum excipiens, superadditis ei conservis & commilitonibus Dei, prædictæ Bernæ per manus nostras imposuit, Ecclesiamque illam ab omni sua vel successorum suorum obedientia & commodo temporali penitùs absolutam, nostro regimini & obedientiæ substituit, nihil juris aut respectûs in Ecclesia sibi prædicta reservans; præterquam si minùs ordinatè quid egerint, coadjuvante tunc loci præsente Abbate commonitione fraternâ, secundùm tenorem matricis Ecclesiæ, corripiat & emendet, nos item prædictam Ecclesiam, ab omni tam nostra, quàm fidelium nostrorum exactione liberam, ex hoc nunc edicimus & facimus, nihil excipientes, præter orationes & obedientiam filialem, sepulturam etiam & inunctionem infirmorum suorum tantùm, sed & ipsum oleum secundùm quod Ecclesiæ de Insula prædicta concessimus, concedimus & isti, absque consensu verò aut conductu Sacerdotum comprovincialium, nullum ex ipsorum Parochianis excipient mortuum, vel sepelient. Et ne quid contrarium legibus hæc inscriptio minùs habeat, tempus ac testes assignavimus, & sigilli nostri impressione firmavimus. Multiplicationem in omni benedictione qui ad prædictam Ecclesiam ea quæ justa sunt, custodiunt, invasoribus autem manus anathematis & æternæ damnationis obtendentes. Et hæc quidem gesta sunt Unigeniti æterni anno Incarnat. millesimo centesimotricesimo quarto, Indictione XII. anno

verò Lothatii decimo. Imperii secundo ejusdem, Episcopatûs autem mei septimo, præsentibus testibus subscriptis;

Harberto, majoris Ecclesiæ Præposito,
Luberto, ejusdem Ecclesiæ Decano,
Hermanno, Præposito sancti Bonifacii,
Luberto, Decano de sancto Petro,

Canonicis.

Ottone, Ascellino, Alardo, Conrado, Alberone, Chrisantho, Blitero, Guilelmo.

Liberis hominibus.

Arnoldo juvene, Comite de *Clive*, Gerundo de *Asper*, Guilelmo filio Comitis Guilelmi.

Ministerialibus.

Hereboldo, Rutherico, Giselberto, Alphardo Sculteto, Arnoldo Castellano.

Albertus, Dominus de Dintere, *vir nobilis, dat Bernensi monasterio prædium* Bernehese *in Campania Brabantiæ anno 1196.*

IN nomine sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ego Albertus de *Dintere*, tradidi meipsum Ecclesiæ sanctæ Mariæ in Berna, & quidquid habere visus sum in vicinia Curiæ, quæ vocatur *Bernehese*, & universas possessiones agrorum meorum, & dimidietatem paludis quæ vocatur *Loesbruc*, cum libera potestate communis usûs in aquis & pascuis, & sylvis, in *Hese-wich*, & quia hæc à Domino Henrico de *Kuc* feodaliter tenebam, ipse autem à Duce Lovaniensi, & transferre in alienam potestatem per meipsum legitimè non poteram, allodium meum, in *Medela* loco memorati feodi Domino Henrico confirmavi. Quod in usum Ducis suscipiens, proprietatem ejus Duci legaliter assignavit in die sancti Servatii, apud villam quæ vocatur *Orschot*; Dux verò jus suæ proprietatis, quod in meo feodo apud *Bernehese* habebat, Ecclesiæ Bernensi condonavit & *Zalam* ejus, in eodem loco & die, Dominus Henricus de manu Ducis, ad usum Ecclesiæ suscepit, in præsentia honorabilium virorum istorum

Domini Alberti, filii Domini Henrici, Theoderici de *Herlar*, Huberti de *Hese-wich*, Wilhelmi Comitis de *Megem*, Anselmi de *Welde*, Walteri *Bac*, Henrici Sculteti.

Ubi autem prædicta bona in *Bernehese* Dominus Henricus, & filius suus, ad usum Ecclesiæ, unà cum manu Abbatis Everardi, apud Castrum *Herpen* susceperunt, hi sunt testes, qui præsentes fuerunt

Henricus de *Batenburch*, Consobrinus Domini Henrici, Walterus *Alf.* Marsilius de *Loen*, Wilhelmus *Appelgren*, Egeno de *Har*, & filius suus Robertus, Henricus *Spegel*, Helias.

Albertus, Dominus Cudicensis, donationes ab Alberto Dintera, & Almerico Hesevici Dominis factas, in usum monasterii Bernensis, confirmat.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Amen. Ego Albertus de *Kuc* omnibus Christi fidelibus tam posteris, quàm præsentibus in perpetuum. Cùm facta patrum præcedentium non semper tangant memoriam posterorum, necessarium duximus ea diligentioris stili officio describi, quæ sanctæ devotionis intuitu consummata vigili memoriæ perpetuò expedit commendari, hinc est quòd ea quæ devoto inchoata principio dignoscimus, idoneo fine terminare satagimus: scilicet quòd quidam liberæ conditionis Miles Albertus de *Dintere*, quamdam curiam in suo allodio apud *Bernehese* possedit, in cujus possessionem jure hæreditario successit. Dicta autem curia hoc juris in sylvæ *Dintere* huc usque & nunc obtinet & obtinuit, quòd ejus incolæ & ligna ardenda, & ligna ædificiis in eodem allodio apta, pro suo placito ad plenum liberè possunt educere, porcos itaque domesticos in prælibata sylva possunt sine decima nutrire, communibus pascuis pratorum & rivorum, cum suis cohæredibus, participare; nec super his Domini de *Kuc*, vel alicujus sui cohæredis, prohibitionem vel gravamen formidare. Alter itaque ejusdem conditionis Miles Almericus de *Hes-wich*, apud *Bernehese*, curiam aliam, in suo allodio eodem jure quo & prædictus Miles possedit; quæ curia prænominatæ curiæ jus in omnibus & per omnia à primo fundamento hactenùs quietè obtinuit. Horum militum uterque utramque curiam Conventui Beatæ Virginis Mariæ in Berna integrè & irrevocabiliter, patris mei Henrici consensu annuente, contulit. Conventui quoque prædicto de bonis de *Ambershoye* collata est dimidia potestas, quâ quælibet curia pollet. Contulit etiam dicto monasterio nominatus Albertus de *Dintere* medietatem de *Losebruch* tam in arboribus, quàm in plantis. Nos autem dictis eleemosynarum largitionibus, nunc, nostri scripti & sigilli munimento, fidele testimonium adhibentes, ea quæ prælibavimus, rata & inconvulsa volumus permanere.

Qui autem sacrilego ausu hæc turbare, vel violare attentaverit, divinæ sententiæ & nostræ animadversioni usque ad condignam & plenariam satisfactionem, subjacebit.

Charta fundationis Blancæ-landæ *per Richardum de* Haia *& Mathildem ejus uxorem anno 1154.*

RIchardus de *Haia* & Mathildis uxor ejus omnibus hominibus suis & amicis Normaniæ & Angliæ, salutem & dilectionem. Notum sit vestræ dilectioni, & omnium tam præsentium, quàm futurorum charitati, quòd nos in propria hæreditate nostra, in loco qui Blanca-landa dicitur, unum monasterium fundavimus, in honore Dei & Domini nostri Jesu Christi, & Beatæ Genitricis ejus, & sanctissimi Confessoris Nicolai, ibique Conventum Canonicorum ad serviendum Deo in Ordine Præmonstratensi, constituimus, quibus ad victum & vestitutum, pro redemptione animarum nostrarum & vestrarum, & omnium antecessorum nostrorum, de parvitate nostra, chartâ subscriptâ conferentes in perpetuam eleemosynam per manum Domini Richardi * Constantiensis Episcopi, Domino consecravimus, Willelmo de *Vernone* & Richardo filio ejus, & Radulfo de *Haia* nepote nostro, concedentibus (& super altare præfati monasterii) propriis manibus nobiscum offerentibus, ipsum videlicet locum in quo fundatum est monasterium, cum omnibus adjacentibus suis, à *Bella-valle* usque ad montem *Esternelin* sicut eum à foresta separat terminorum oppositio. In *Haia* putei terram *Cornart*, in theloneo quadraginta solidos & domum Hugonis de *Nigelli humo* cum suo horto & prædio, ita quietam, quòd homo qui in ea manebit, vendet, & emet in domo, & extra in foro & ubique quietè; & duas acras terræ juxta terram *Malcomvenans*, & molendinum Tanarium juxta parcum in *Anfremesnil*, terram Radulphi Clerici & terram Gaufridi fratris Sacerdotis, & alias decem acras terræ, & in mari unam piscaturam & salinam *Osbert*, & terram Richerii de *Fanullereft*, & terram integram quam tenebat Radulphus *Chenevant*,

* Ex Decano Bajocensi fit Episcopus Constant. anno 1151.

pro uno quarterio avenæ ad mensuram Roberti *L'Alemand* ad *Candecoste* terram *Vase* & in *Varandbec* terram *Gobé*, *Odessart* duas masuras terræ, & cum altera earum costumas in foresta ad opus figuli, forestas autem nostras ubique & quamdiù duraverint ad omnia ædificia sua propria facienda & reficienda; similiter ad ignem & ad omnia domûs necessaria, pasnagium porcorum suorum in eis quietum & suorum hominum ab ipsis hominibus sibi persolvendum, & omnes sibi utiles & necessarias costumas forestæ. In parco autem suorum tantùm porcorum quietationem & communem cum nostris, & similiter post nos cum porcis Domini libertatem & abrosturam, & coria cervorum & omnium bissårum *, & terram Rogerii forestarii integrè, sub chemino scilicet & super cheminum quam donaverunt eis ipse & Paganus filius ejus, cum domo quæ in ea erat. In *Chetevilla* terram Hugonis Tauri & pisces exclusæ, quocumque modo capiantur, & assisiam retis in novio molendini ad capiendas Anguillas, & si voluerint sub illo facere piscaturam, & unam masuram terræ ibi juxta ad hispetandum piscatorem. In *Bosvilla* terram *Parmer*, in *Pouppevilla* & *Vavevilla* decimam grangiarum, videlicet cùm ad illas currus attulerit garbas, sive quadriga vel quocumque modo afferantur, & undecumque novem in grangiis computentur, decima Canonicis reddatur, & decimam garbagii & omnium denariorum (excepto theloneo) & omnium quæ ex illis dominio exeunt, etiam fœni, & camparti, crassi piscis, & feriæ campaniæ, excepto molendino de *Vado*, Ecclesias autem de *Chetevilla* & de *Bossevilla*, & in Ecclesia de *Montegardo* quidquid ad feudum de *Haia* pertinet, similiter per manum Domini Richardi Constantiensis Episcopi, donavimus huic monasterio nostro, ita scilicet quòd in Ecclesia de *Montegardo* Canonici in vita Radulphi de *Roton* duas gerbas decimæ tantum habeant, post mortem verò ipsius integraliter totum ad Canonicos redeat, illam autem de *Chetevilla* Gaudefridus Sacerdos, & illam de *Bossevilla* Gaufridus, quæ tunc in illis erant personæ in vita sua à Canonicis requirentes, susceperunt tanquam Clerici obedientes & de recognitione quod inter illos convenit annuatim reddentes. Post mortem verò illorum integraliter & tota, exceptâ quadam parte decimæ garbarum quæ ad præbendam de *Moretonio* pertinet, & quietè ad Canonicos redeant, prænominati Sacerdotes Gaudefridus & Gaufridus omnem juris hæreditarii acclamationem quam in illis faciebant, in manu Domini Episcopi resignaverunt, & super altare præfati monasterii propriis manibus ponentes omninò dimiserunt, quod similiter Radulphus de *Roton*, fecit de illa de *Montegardo*. Et Ecclesiam sancti Simphoriani cum omnibus ad eam pertinentibus de quibus est decima molendini de *Candecotte* & decima piscium exclusæ ejus. In Anglia *Canbringueham* manerium cum omnibus pertinentiis, exceptâ Ecclesiâ. Hæc itaque præscripta præsente Clero & populo ea approbante, donavimus huic nostro monasterio sancti Nicolai de *Blanca-landa*, nihil omninò in omnibus retinentes, sed ab omni jure & dominio & secularium consuetudinum querela & exactione ad nos pertinentibus, libera & absoluta super altare offerentes per manum Episcopi, Domino consecravimus, excepto opere exclusæ in terra *Parmer* de *Bossevilla*, & in terra Hugonis Tauri de *Chetevilla* quæ matura etiam costumas habet quietas in foresta & exceptâ moltâ * de terra hominum Radulphi Clerici apud *Anfremesnil* & opere exclusæ. Testibus Richardo Constantiensi Episcopo. Waltero Abbate *Montisburgensis* * Radulpho Priore *Exaquii*. Philippo Constantiensi Archidiacono, Culgelgerio de *Bouhon*. Roberto de sancto Germano, Roberto de *Pretot*, Renaldo de *Mesnil*. Richardo *Avenel*. Radulpho *Cluves* & aliis multis, anno ab Incarnatione millesimo centesimo quinquagesimo quarto.

* Gallicè *Biche*.

* *Droit de moulage*.

* *Monteburg*, Abbatia Diœces. Constant. O. S. B.

Charta Richardi Constantiensis Episcopi quâ Blancæ-landæ *fundationem & bonorum collationem factam, confirmat anno 1154.*

UNiversis sanctæ Matris Ecclesiæ fidelibus, Richardus Constantiensis Episcopus salutem. Quoniam deficiente fide & subcrescente malitiâ, multa quæ in sanctæ Matris Ecclesiæ sinu à bonis fidelibus ejus filiis, fuerant collata, & ad usus pauperum Christi in sancta Religione piè & simpliciter consecrata, eorum perversos hæredes ad iniquitatis velle & conari reducere cognovimus, præcipuèque nullius caracteris testimonio & authoritate fultâ inveniebantur. Idcircò nos fundationis & eleemosynarum Ecclesiæ sancti N'colai de Blanca-landa veritatem in quantùm vidimus, fecimus & audivimus, hujus nostri scripti repræsentatione & testimonio corroborare, & sigilli nostri impressione fideliter appositâ, totius nequitiæ commenta, sive dubietatis nubilum resequare, auferre, curam habuimus. Volumus itaque ad omnium tam præsentium, quàm futurorum notitiam pervenire, quòd Richardus de *Haia* & Mathildis uxor ejus hanc præfatam Ecclesiam fundaverunt, & per nostram manum, Conventum Canonicorum ad serviendum Deo in Ordine Præmonstratensi ibi posuerunt, ad quorum usus necessarios de terrenis suis bonis, ista quæ subscribuntur contulerunt, sibi nihil omnino retinentes in illis, exceptâ moltâ & opere exclusæ * in terra Radulphi Clerici de *Anfremesnil* & opere exclusæ in terra Hugonis Tauri de *Chetevilla* .... ipsum videlicet locum qui Blanca-landa dicitur, cum omnibus adjacentibus suis à *Bella-valle*, usque ad montem *Estenclin*, sicut eum à foresta separat signorum appositio, & ipsam forestam ubique & quandiu duraverit ad omnia ædificia sua facienda & reficienda & ad omnia domûs necessaria, & ad ignem ad libitum & sicut Domino .... &c. Decernimus itaque ut nulli omnino hominum liceat unquam præfatam Ecclesiam temerè perturbare, quod ejus sit auferre vel ablatum retinere, nec eam temerariis vexationibus fatigare, inquietare, sed omnia ei conserventur integra, regularium Fratrum & pauperum usibus profutura. Si quæ igitur in futurum Ecclesiastica, secularisve persona contra hanc nostræ confirmationis, & attestationis paginam venire præsumpserit, secundò, tertiòve commonita, si non satisfactione congruâ emendaverit, ream se de perpetrata iniquitate cognoscat & à sacratissimo Corpore Dei & Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine ultioni subjaceat: Cunctis autem ejusdem Ecclesiæ jura tuentibus, vel de bonis suis ei aliquid conferentibus, sit pax & gratia Domini nostri Jesu Christi, & sic fructum aliquem bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem æternæ vitæ præmia consequi mereantur. Amen. Anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo quinquagesimo quarto, Indictione quartâ.

* Gallicè *Escluse*.

Diploma Henrici II. Regis Angliæ, pro confirmatione fundationis & dotis Blancælandæ *anno 1157.*

HEnricus Rex Angliæ & Dux Normanniæ & Aquitaniæ & Comes Andegavensis, Archi-

episcopis, Episcopis, Abbatibus, Comitibus, Vicecomitibus, Baronibus & Justiciariis omnibus suis, & omnibus fidelibus suis salutem. Sciatis me concessisse & confirmasse in perpetuam eleemosynam Deo & Ecclesiæ sancti Nicolai de *Blanca-landa*, & Canonicis ibidem sub Abbate in Ordine Præmonstratensi Deo servientibus, quidquid eis rationabiliter & justè collatum, videlicet has subscriptas eleemosynas quas Richardus de *Haia* & Mathildis uxor ejus, prædictæ Ecclesiæ Fundatores, & Radulphus de *Haia*, Richardus Nepos & Willelmus de *Vernone* & Richardus ejus filius eidem Ecclesiæ contulerunt, ipsum videlicet locum qui Blanca-landa dicitur, in quo fundata est Ecclesia cum omnibus adjacentibus suis, terra fructuosa & infructuosa, landa & foresta à Bella-valle usque ad montem *Estenclin*, &c.... In Anglia manerium de *Candbrindham* cum omnibus ad illud pertinentibus. In *Pomprvilla* & *Vavevilla* quæ maneria ipse Richardus de me pro servitio suo habebat, concedo & confirmo illa quæ ipse Richardus præfatæ Ecclesiæ contulit.... Ut autem hæc omnia subscripta & quæcumque in futurum & à quibuscumque rationabiliter & justè prædictæ Ecclesiæ fuerint collata, firma & illibata permaneant, regiâ authoritate confirmo, & confirmata in regnum post me venturis protegenda & confirmanda commendo. Datum anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo, quinquagesimo septimo.

Diploma Caroli VI. Regis Galliæ pro Blanca-landa *1398.*

CArolus Dei gratiâ Francorum Rex. Notum facimus universis præsentibus & futuris, nos infra scriptas vidisse litteras, quarum tenor sequitur & est talis. Richardus de *Haia* & Mathildis uxor ejus omnibus hominibus suis & amicis Normanniæ & Angliæ salutem & dilectionem. Notum est vestræ dilectioni & omnium tam præsentium, quàm futurorum charitati, quòd nos in propria authoritate nostra in loco qui Blanca-landa dicitur, unum monasterium fundavimus in honore Dei & Domini nostri Jesu Christi & Beatæ Genitricis ejus & sanctissimi Confessoris Nicolai ibique Conventum Canonicorum ad serviendum Deo in Ordine Præmonstratensi, constituimus, quibus ad victum & vestitum pro redemptione animarum nostrarum & vestrarum & omnium antecessorum nostrorum de parvitate nostra, hæc subscripta conferentes in perpetuam eleemosynam per manum Domini Richardi Constantiensis Episcopi Domino consecravimus, Willelmo de *Vernone* & Richardo filio ejus & Radulpho de *Haia* nepote nostro concedentibus, & super altare præfati monasterii propriis manibus nobiscum offerentibus, ipsum videlicet locum in quo fundatum est monasterium cum omnibus adjacentibus suis à *Bella-valle* usque ad montem *Estenclin*, sicut eum à foresta separat terminorum appositio, in *Haia* putei terram *Cornart* in Thelonio quadraginta solidos & terram Hugonis de *Nugelli-humo*, &c. In Anglia *Canbrindham* manerium cum omnibus pertinentiis suis, exceptâ Ecclesiâ. Hæc itaque præscripta præsente Clero & populo & approbante, donavimus huic nostro monasterio sancti Nicolai de *Blanca-landa*, nihil omnino in omnibus his retinentes, &c. quas quidem litteras ac omnia & singula in eisdem contenta ad supplicationem Religiosorum monasterii sancti Nicolai de *Blanca-landa* Ordinis Præmonstratensis, supra nominatorum, quatenùs debitè usi sunt, ratificamus, laudamus, approbamus, tenore præsentium de nostris authoritate regiâ & gratiâ speciali confirmamus, earumdem serie mandamus Ballivo de *Costentino*, cæterisque Justiciariis nostris, præsentibus & futuris, quatenùs præfatos supplicantes & eorum posteros, contra præscriptarum litterarum tenorem nullatenùs inquietent, perturbent, sive molestent, aut inquietari, sive molestari permittant amodò, quomodolibet in futurum: quod ut firmum & stabile perpetuò perseveret, nostrum præsentibus litteris fecimus apponi sigillum, nostro & alieno in omnibus jure salvo. Datum Parisiis mense Martii, anno Domini millesimo trecentesimo nonagesimo octavo & Regni nostri decimo nono.

Charta Walteri de Bolebec *pro fundatione Monasterii de* Blancâ landâ.

OMnibus..... Walterus de *Bolebek* salutem. Notum vobis facio me concessisse & dedisse, & hâc meâ chartâ confirmasse Deo, & sanctæ Mariæ Virgini, & Conventui duodecim Canonicorum Ordinis Præmonstratensis, nisi consilio Domini Episcopi, & Advocati ejusdem loci, ultra prædictum numerum aliquis ibidem recipiatur, totam terram inter has divisas: scilicet à *Derwenta*, per burnam de *Akedene*, contra montem usque ad parvam *Akedene*, & inde per parvam *Akedene* contra montem, usque ad capud *Widenes*; & inde usque ad *Carres*, & de *Carres*, per capud *Bradeshag*, usque in *Hilvedene-Burneham*; & ex alterâ parte per *Hilvedene-Burneham* contra montem usque ad vadum viæ *Corbrig*; & sic contra vallem, per viam *Cobrigia* usque in *Derwentam*; & inde per *Derwentam*, usque ad prædictam *Akedene*, in sylvis, in planis, in pratis, in pascuis, in stagnis, in aquis, in molendinis ad faciendam Abbatiam.

Præterea dedi eis duas Ecclesias; scilicet de *Herla*, & de *Bywel*, cum omnibus pertinentiis suis, scilicet Capellâ de *Stiford*, Capella de *Shotleya*, & Capellâ *Appoltreleya* Interim verò trado eis molendinum de *Shotleya*, eâ conventione ut cùm reciperent Ecclesiam de *Bywel*, reddant mihi molendinum. Concessi quoque eis decimas de villa *Wittardhope*, & decimos pisces de stagno meo de *Stiforde*, solutâ decimâ ad Ecclesiam pertinente. Omnia hæc nominata dedi eis & concessi, pro salute animæ meæ, & antecessorum meorum in perpetuam eleemosynam, ita liberam & quietam, sicut aliqua eleemosyna liberiùs & quietiùs dari vel teneri potest. T. Domino Hugone Dunelmensi Episcopo, G. Priore, & Conventu Dunelm. Willelmo Archidiacono, Simone Camberlano, Adam de S. Egidio, Valkelino Decano, Richardo de *Colinham*, Willielmo de *Hovedene*.

Charta ejusdem Walteri, de Advocatia Ecclesiæ de Hedone.

UNiversis... Walterus de *Bolebeke*, salutem. Noverit......me dedisse..... Deo, & Ecclesiæ S. Mariæ de Blanca-landa, & Canonicis ibidem Deo serventibus, quidquid juris & Patronatûs Ego, & antecessores mei habuimus in Ecclesia *S. Andreæ* de *Hedone*, cum suis pertinentiis, in puram & perpetuam eleemosynam...... pro anima Patris mei Walteri, & pro animabus aliorum antecessorum meorum. His testibus Dominâ meâ & Matre *Sibillâ*; Hugone de *Bolebek*, fratre meo; Wielardo, personâ de *Stiford*, Hugone de *Crawedene*, Reginaldo de *Kenebel*. Thurstano filio Ricardi; Ranulpho de *Grey*, Rogero de *Cogners*; Eustachio Clerico; Gilberto de *la Vale*, &c.

Charta Hugonis de Bolebec, *de terris diversis per metas concessis.*

OMnibus........Hugo de *Bolebok*, salutem. Notum habeat universitas vestra, me dedisse .....Deo, & S. Mariæ, & Abbatiæ meæ de *Blanca-landâ* & Canonicis, & Fratribus ibidem Deo servientibus, in puram, perpetuam, & liberam eleemosynam, totam terram in usus proprios ad libitum suum excolendam & ad omnia aisimenta sua, quæ in eam habere poterunt infra istas divisas; scilicet à *Derwenta*, sicut *Wiwardeshope* cadit in *Derwentam*, & sic sursum ad rivulum usque ad *Hessinghopelowe*, & de *Hessinghopelowe*, usque ad capud de *Hulvingdene*; & inde descendendo usque ad viam de *Corebrigge*, in augmentum terræ prædictæ Abbatiæ, in proprios usus antiquitùs optentæ, sicut aliqua eleemosyna liberiùs potest dari, & quietiùs possideri. Et præterea concessi & præsenti charta meâ confirmavi prædictis Canonicis, & Fratribus, communem pasturam ad usum pecuniæ suæ, à *Derewenta*, usque ad divisas de *Slavleye*, in quantùm terra mea extenditur in latum; & versùs Orientem, usque ad terram Domini Hugonis de *Bayllol*, & versùs Occidentem in quantùm terra mea extenditur, scilicet in *Herewode*, & in *Redeleme*, & in *Tunge*, cum pertinentiis in bosco, & in plano, & in mora, & ubique; excepto *Hessinghope*; scilicet per has divisas, à capite de *Langhevede*, usque ad *Standandestane*; & de *Standandestane*, per viam quæ ducit versùs Occidentem, usque in *Beldene*. Et sciendum est quòd Ego H. & hæredes mei, faciemus in *Hesewode* unam vaciariam ad usus nostros proprios, & claudemus xl. acras terræ, ad excolendum, vel ad tenandum ad libitum nostrum; ita tamen quod prædicti Canonici, & Fratres habebunt liberum inter........ad usum pecuniæ suæ, mecum, & cum hominibus meis, in sua communi pastura prænominatæ terræ, excepto *Hessinghope*, per prænominatas divisas. Et sciendum est quòd prædicti Canonici, & Fratres de.... villis, & ædificiis, & wannagiis, quæ ego H. & hæredes mei, in illis prænominatis terris fecerimus, decimas, & omnia jura Ecclesiastica percipiant, salvo jure Capellæ meæ, & hæredum meorum. Hiis testibus Roberto filio Rogeri; Eustachio de *Vesey*, Richardo de *Umfrevill*, Rogero de *Merley*, Rogero *Bertram*, Gilberto *de la Val*, Otewero de *Insula*, Rob. *de la Vale*, Johanne de *Tirtelingtona*, Willielmo filio Reginaldi, Rogero de *Slaveleye*, Willielmo de *Kinebelle*, & multis aliis.

Charta Richardi I. Regis, quâ donationes Monasterio de Bliburg *factas, confirmat.*

RIchardus Dei gratiâ, Rex Angliæ, Dux Normanniæ, & Aquit. Comes Andegav...... Archiepiscopis....... salutem. Sciatis me, pro salute animæ nostræ concessisse, & præsenti chartâ nostrâ, confirmasse in perpetuam eleemosynam, Deo, & Ecclesiæ S. Mariæ de *Bliburg*, & Canonicis ibidem Deo servientibus, & servituris, omnes terras, quas habuerunt in *Denewyco*, tempore Regis Henrici Patris nostri; scilicet ex dono *Bristich*, & Augustini filii ejus, & Godewyni *Oxefot*, & Botildæ filiæ ejus, & *Hunteman*, & Rogeri filii ejus; & *Malet*, & Stephani filii ejus, & Roberti fratris ejusdem *Malet*; & Arnaldi Presbyteri; & Safuli filii Hutredi; & *Ulfcamm*; & Richardi Diaconi; & *Seild*, & *Snotyng* le Riche & Alwini *Bunt*, & Radulphi *Cake*; & Adwyni *Kenewals*; & *Godescald*, & *Dice*, & le *Wasstere*, & Henrici filii *Terri*, & *Levenne Tod*, & *Godenord*, & Walteri *Besant*; & Bernardi, qui habuit sororem *Malet*; & Thiedredi, & Richardi filii *Brubeine*, Brithmari filii Gothæ, & uxoris Walteri, filii Malgeri; & terram quam tenuit Gerardus de *la Marre*, liberas & quietas ab omni terreno servicio, & seculari exactione, per xii. denarios, singulis annis reddendos ad festum S. Michaëlis, sicut reddi solebant ante extensionem factam in *Denewyco*. Et prohibemus ne aliquis super hoc prædictis Canonicis molestiam faciat, vel gravamen, vel pro prædictis terris quicquam ab eis plus exigat. Concedimus etiam & confirmamus præfatis Canonicis redditus suos, quos nunc habent, & quos imposterum rationabiliter adquirere poterint, & omnes terras, quas habent ex dono Willielmi *del Chednes* in *Bliburc*; Terram scilicet, quæ vocatur *Hungescroft*, & mesuagium *Blacstans*, & brueram *del Husses*, quam Burchardus de *Wenhaeston* tenuit; & xx. acras in *Westfeld*, & totam decimam piscationis in *Walberdeswyke*; & omnia quæ habent in *Bregge* ex feodo Willielmi de *Monay*, & hæredum suorum, sive ex dono, sive ex emptione, tam in terris, & turbariis, quàm in pratis, & pasturis.

Et ex dono Reginaldi Clerici, brueram, quæ jacet juxta nemus in *Walberdeswyke* & ex dono Roberti filii Reginaldi duas solidatas redditûs in *Cleeb*, quas Hermerus *Bussel* tenuit. Et ex dono *Mainard* Presbyteri quatuor solidatas terræ in *Barneby*. Et ex dono *Hoddeburt* de *Baudemunt* duas solidatas in *Mulford*. Et ex dono Willielmi *Lagunte* quandam terram in *Gernemue*, quam tenuit Avandus *Simekyn*, in illa parte, quæ est in *Luderingland*. Ex dono Wimari Capellani quandam terram in *Becles* juxta aquam. Et ex dono Roberti *le Bostiler*, & Roberti de *Courceun*, & ex feodo Rogeri *del Chednes* extra terras, quas habent in *Cove*, & in *Nockalles*. Et ex feodo Willielmi *Falesham* terram quam ipsi tenuerunt de *Hemesent*, uxore Willielmi *Kampe*. Et ex feodo Willielmi, filii Walteri terram de *Westale* cum bosco, & aliam terram ejusdem W. in *Holecume*. Et ex dono Rogeri de *Colevile* duas solidatas redditûs in *Bromeune*; & omnes terras & redditus, quos habent ex feodo Osberti filii Willielmi. Et ex feodo Gaufridi de *Mare*, sive hæredum suorum. Omnes istas terras..... Confirmamus Deo & Ecclesiæ S. Mariæ de *Bliburc*. Data per manum E. Episcopi Eliensis, Cancellarii nostri, apud *Cagnes* xxiii. Januari, anno regni nostri x.

Nos autem donationes....nec non concessionem.....quas Walterus, filius Simonis de *Wenhawston*, per chartam suam fecit Deo, Ecclesiæ, & Canonicis prædictis, de toto illo tenemento, quod Dominus Willielmus de *Bedham*, & Dominus Rogerus de *Wimples*, Walterus de *Cretyng*, Willielmus *Fareman*, Robertus *Hulkoil*, & Richardus *le Do*, de *Denewyco*, tenuerunt de ipso Waltero filio Simonis, in villa de *Wenhawstone*, & *Tiringtune*, cum homagiis, servitiis, & omnibus aliis pertinentiis ad ipsum Walterum, filium Simonis, & hæredes suos spectantibus. Concessionem etiam, quam idem Walterus, filius Simonis, per eandem chartam suam fecit Canonicis prædictis, de reditu trium denariorum annuatim, quas Reginaldus *de Monte* sibi reddidit annuatim, pro quadam pecia terræ, quam tenuit de eo in villa de *Wenhawston*. Donationem.......quas Rogerus de *Chednes* per chartam suam fecit.....de terra illa, quam Basilia vidua tenuit de ipso in *Dersham*. Concessionem......quas Willielmus de *Criketot*, filius Willielmi de *Criketot*, per chartam suam fecit Deo, & Ecclesiæ, & Canonicis prædictis, de octo acris terræ in *Westletune*, & de una summa frumenti, secundùm mensuram, quæ habetur in villa S. *Ed-*

mundi. Donationem ...quas Galterus per chartam suam fecit... de sex acris terræ cum pertinentiis, in *Dersham*. Donationem.... quas Hugo de *Cressy* per chartam suam fecit de una marcata redditûs in *Walbertewic*.

Donationem..... quas Thomas de *Hopitune* per chartam suam fecit..... de tota terra, quam *Domelin* tenuit de ipso Thoma in *Jokesford*, & de serviciis ejusdem terræ scilicet de x denariis, & duabus gallinis, & quadam operatione unius diei ad cibum ejusdem *Domelini*, cum omnibus aliis pertinentiis suis: nec non quietam clamantiam, quam idem Thomas per eandem chartam suam fecit..... de eadem *Domelin*, & omnibus hæredibus suis, & homagio predicti Thomæ de *Hopitune*, & omnium hæredum suorum, cum omnibus Catallis * suis in perpetuum. Concessionem....... quas Rogerus, filius Thomæ de *Hapetune* per chartam suam fecit..... de omnibus donationibus, & concessionibus, quas prædictus Thomas Pater suus fecit eisdem Canonicis de tota terra, quam Alanus filius Rogeri de *Jokeford* tenuit de ipso Thoma Patre suo, scilicet de quatuor acris de terra arabili, & dimidia acra de prato, & dimidia acra de marisco, cum mesuagio: & de ipso *Alano* & *Mabilla* uxore ejus, cum tota sequela sua, quietis ab homagio prædicti Rogeri, vel hæredum suorum, sine omni retenemento sibi, vel hæredibus suis. Concessionem.... quas idem Rogerus...fecit... de tota terra, quam *Domelin* tenuit de Patre suo in *Jokesford*, & homagio ipsius *Domelini*, cum omni sequela sua, absque omni retenemento sibi vel hæredibus suis.

* Hoc est, Capitalibus bonorũ mobilium.

Donationem..... quas Michaël de *Bavent* per chartam suam fecit...... de una acra terræ in eadem villa. Concessionem, quas Galfridus *Capa* de *Bulcampe* per chartam suam fecit..... de mesuagio, & toto tenemento, quod Thomas le *Hoppere* tenuit de ipso in *Bulcampe*...... Remissionem etiam, quam idem *Galfridus*.... fecit.... de duobus denariis quos iidem Canonici solebant sibi annuatim reddere de mesuagio Huberti *Coci*, & de illis particulis marisci & prati in *Bulcampe*, quas Alvredus de *Bulcampe* tenuit de ipso Galfrido, & de illa particula Marisci, quam Petrus Permentarius tenuit de eodem, & de illa particula Marisci, quam Rogerus Cocus tenuit de eodem; & de una acra terræ arabilis, juxta domum Thomæ le *Hoppere*, quam Petrus Permentarius tenuit de eodem; & de duabus acris terræ inter domum Benedicti, filii Alani Carpentarii, & Crucem, quas idem Benedictus tenuit de eodem; Et de una acra terræ in villa de *Bulcampe*, propinquiori fossato Ranulfi de *Bulcampe*: & de dimidia acra Marisci in *Hiremore*: & de tota parte, quam idem Galfr. habuit in Marisco, quæ appellatur *Pochelfen*; scilicet à divisa de *Bregge* usque ad divisam de *Henham*, & à divisa de *Henham* usque ad *Galthefordeslade*. Concessionem..... quas Ridch. de *Blumvile* per chartam suam fecit... de omnibus terris, & redditibus, quas Galfridus *Capra*, & prædecessores sui contulerunt eisdem Canonicis; & de feodo ipsius Richardi in villa de *Bulchampe*. Concessionem....... quas Willielmus filius Walteri de *Hadenefeld* per chartam suam fecit....... de una acra terræ arabilis, cum pertinentiis quæ jacet juxta cimeterium Ecclesiæ de *Thuritone*, & ex parte occidenti, una cum advocatione ejusdem Ecclesiæ de *Thuritone*, de omnibus terris, & possessionibus, quas habent de feodo ipsius Willielmi in prædicta villa de *Thuritone*.

Concessionem...... quas idem Willielmus per aliam chartam suam fecit........ de omnibus terris & possessionibus, quas habent de feodo ipsius Willielmi, in villa de *Thuritone*. Concessionem.... quas Walterus filius Willielmi de *Hadonefeld* per chartam suam fecit...... de una acra terræ cum pertinentiis, in villa de *Thuritone*, jacente juxta Ecclesiam ejusdem villæ. Donationem...... quas Radulphus de *Criketot* per chartam suam fecit..... de Ecclesia de *Bliforda*, cum omnibus pertinentiis, & obventionibus suis, & de particula sylvæ in eadem villa, quæ vocatur *Pilchershegh*, cum omnibus rebus ad prædictam Ecclesiam pertinentibus....... Donationem....... quas Willielmus, filius Gilberti per chartam suam fecit ... de marcata redditûs, quem Nicolaus nepos suus tenuit de eo in *Kissemere*. Concessionem........ quas Alicia de *Frostendene*, filia Willielmi de *London*, per chartam suam fecit..... de reditu quatuor solidorum in villa de *Frostendene*, ratas habentes, & gratas .... Confirmamus...... Dat. per manum nostram apud *Bernewell*, XVIII. Februarii.

Charta Burchardi Cameracensis Episcopi, collaudantis Præmonstratensium plantationem in Sartis-Bichewini, *& confirmantis bona iisdem collata, anno 1127.*

IN Nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti. Burchardus, divinâ miseratione, Cameracensium Episcopus, tam futuris, quàm præsentibus, in perpetuum. Noverit discretio vestra Rainardum de *Cruce*, & Beatricem uxorem suam ad Præmonstratam Ecclesiam, dilectione filii sui *Gulielmi*, qui ibidem Deo se serviturum devoverat, devotionis gratiâ devenisse; & allodium in villa *Ramelgies*, sicut liberè tenebant, Deo, & prælibatæ Ecclesiæ, ob suam & prædecessorum salutem obtulisse, & astipulasse. Processu verò temporis, petitione Fratrum ibidem Deo regulariter servientium, ad atrium sacrandum convocati, consilio Clericorum nostrorum eò pervenimus: sed non invento competenti loco, idem Rainardus allodium aliud, scilicet vulgò *Sarta-Bichewini* vocatum, absolutè, cum aliis participibus scilicet Hadewide, & filiis suis Joanne & Lamberto, Bezela quoque, & filiis Lamberto & Waltero, atque Pagano & Sigero, ad designationem atrii emancipavit. In hoc itaque loco, rogatu, & concessione Orberti Clerici, ad cujus altare, scilicet *Vellerellam*, decima loci ipsius pertinebat, atrium sacravimus, atque decimam, quæ in procinctu loci ipsius erat, concessione & redditione ejusdem Orberti, eidem loco in perpetuum canonicè assignavimus. Sæpè fatus autem Rainardus, & uxor sua, immò hæredes sui astipulationem illam, quam super præfato allodio Præmonstratæ Ecclesiæ fecerunt, recognoverunt, & sub legitimo Clericorum, ac Laïcorum testimonio astipulaverunt. Insuper allodium, quod in eadem villa, scilicet *Vellerella*, tenebant, addiderunt, & ut indè munimentum Ecclesiæ eidem apponeremus, humiliter rogaverunt. Molendinum etiam cum stagno adjacenti, quod præfata, Hadewidis, cum filiis suis Joanne & Lamberto, eidem Ecclesiæ contulerunt, huic munimento apponimus. Nos igitur ex officio nostro Ecclesiæ in posterum providentes, conservatoribus benedictione datâ, in prævaricatores, quoad resipuerint, anathematis gladium porrigimus, & ut hæc præfata tam allodii, quàm decimæ, & molendini traditio inconcussa permaneat, subsignato canonico testimonio, immo appositâ sub imaginatione nostrâ, hujus nostri decreti paginam confirmamus. *Signum* Erleboldi Præpositi, & ejusdem loci Archidiaconi. *S.* Joannis Archidiaconi. *S.* Ancelli Archidiaconi. *S.* Gerardi Archidiaconi. *S.* Theodorici Archidiaconi. *S.* Oilardi Decani. *S.* Rotberti Canonici. *S.* Widonis, Radulphi, Hugonis, Lant-

berti, Mascelini, Rotardi, Bernardi, Walcheri, Heriberti, Vincentii, Geroldi, Werinboldi, Bartholomæi, Anselli Canonicorum. *S.* Balduini Hainoënsis Comitis. *S.* Isaac Montensis, Bernardi, Isaac de *Merbiis*, Gualcheri, Ostonis, Walteri, Eustathii, Liberorum. Actum Incarnati Verbi anno millesimo centesimo vigesimo septimo, Indictione v. Præsulatûs Domini Burchardi xii.

Charta Lietardi Cameracensis Episcopi, confirmantis possessiones, & translationem Præmonstratensium ad Bonæ-spei *locum. 1131.*

IN nomine sanctæ & Individuæ Trinitatis. Lietardus, Dei gratiâ, Cameracensis Episcopus, tam futuris, quàm præsentibus, in perpetuum. Noverit fraternitas vestra, quia Rainardus de *Cruce*, & Beatrix uxor sua, allodium, quod in villa *Ramelgiis*, & in villa *Vellereilla* liberè possidebant, Præmonstratæ Ecclesiæ, pro sua & suorum salute obtulerunt, astipulaverunt; illudque postmodùm ejusdem Ecclesiæ Abbas Hugo, & Fratres in liberam Abbatiam, communi consilio, emancipaverunt. Abbas autem *Odo*, & Fratres cum eo illuc transmissi, locum, qui vulgo *Sartha* dicitur, priùs inhabitaverunt, sed ejusdem loci importunitatibus compulsi, ad alium, qui *Bona-spes* dicitur, in eadem Parochia sese transtulerunt. Tunc verò temporis, prædicti petitione Odonis, & qui cum eo erant, Fratrum, illò venimus, & in loco, qui *Bona-spes* dicitur, concessu Capituli sanctæ Mariæ Cameracensis Ecclesiæ, ad cujus Parochiam, videlicet quam supra diximus *Vellerellam*, pertinebat, atrium sacrantes, eam, quæ in procinctu ipsius loci erat, decimam, eodem concedente & reddente Capitulo, Ecclesiæ in perpetuum assignavimus canonicè. Decimam autem pecorum curiæ trans rivulum juxta molendinum sitæ sæpefatum Capitulum respectu sex denariorum annuatim persolvendorum, Ecclesiæ contulit Hadewidis de *Boche*, & filii ejus Joannes, & Lambertus. Ad usus verò tam præsentium, quàm futurorum Fratrum, ibidem Deo servientium, Canonici sancti Joannis de *Valencenis*, terram, quam in villa *Morteri* tenebant, censualiter, sicut in chirographo utrorumque continetur, dederunt. Ejusdem autem terræ decimam, & quæ altari illius loci appendebant, Cameracensis Ecclesiæ Canonici, sub censu quoque & chirographo, prædictis Fratribus in perpetuum concesserunt. Terram verò in loco, qui dicitur *Corvanna*, juxta viam, concessu & redditione Ancelli, Valenceniarum villici, qui eam tenebat, Ecclesia S. Amandi, sub censu similiter sæpedictæ Ecclesiæ astipulavit. Nos itaque juxta nostrum officium, Ecclesiæ providentes in posterum, prævaricatoribus, quoad usque resipuerint, meritâ anathematis sententiâ percussis, conservatoribus debitam benedictionem largimur: & ut supradictorum astipulatio inconvulsa Ecclesiæ permaneat, Canonici testimonii assertione subsignatâ, nostrâ quoque sub imaginatione appositâ, præsentis paginæ decretum confirmamus. *S.* Alardi, ejusdem loci Archidiaconi. *S.* Joannis Archidiaconi. *S.* Theodorici Archidiaconi. *S.* Gerardi Archidiaconi. *S.* Oilardi Decani. *S.* Roberti Cantoris. *S.* Erlebaldi Præpositi. *S.* Widonis Decani. Actum Verbi Incarnati anno millesimo centesimo trigesimo primo, Indict. x. Præsulatûs Domini Lietardi primo.

Bulla Innocentii II. Ecclesiam Bonæ-spei, *& ipsius possessiones confirmantis. Anno 1137.*

INnocentius Episcopus servus Servorum Dei, dilecto filio Odoni, Abbati de *Bona-spe*, ejusque successoribus regulariter substituendis, in perpetuum. Piæ postulatio voluntatis effectu debet prosequente compleri, quatenùs & devotionis sinceritas laudabiliter enitescat, & utilitas postulata vires indubitanter assumat. Quamobrem, dilecte in Domino fili *Odo* Abbas, venerabilis fratris nostri Milonis, Tervanensis Episcopi, religiosi siquidem, prudentis, atque discreti viri precibus inclinati, tuis justis desideriis clementer annuimus, & Ecclesiam de *Bona-spe*, cui Deo auctore, præesse dignosceris, Apostolicæ Sedis privilegio communimus: statuentes, ut quascumque possessiones, quæcumque bona eadem Ecclesia impræsentiarum justè & canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum, vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis rationabiliter præstante Domino, poterit adipisci, firma tibi, tuisque successoribus & illibata serventur. In quibus hæc propriis visa sunt exprimenda vocabulis. Allodium scilicet, in quo præfata Beatæ Dei Genitricis Ecclesia sita est in loco de *Vellereilla*. Allodium de *Ramelgiis*. Allodium de *Gays*. Tria molendina, duo videlicet juxta Abbatiam, & tertium in valle de *Lestines*. Allodium de *Morteri*, salvo siquidem censu annuo, quem Canonicis S. Joannis de *Valencianis* debetis pro ea persolvere; scilicet quinque modios avenæ; duos modios boni frumenti, & dimidium; duos modios siliginis & dimidium; tredecim nummos, & totidem gallinatios. Pro tota decima tam annonæ, quàm pecorum decem modios, & tres solidos. Pro decima curiæ juxta Abbatiam, sex nummos Ecclesiæ sanctæ Mariæ Cameracensis solvendos. Pro decima de *Ramelgiis*, annonæ, ac pecorum, Ecclesiæ Lobiensi decem solidos. Pro decima pecorum de *Gays*, Ecclesiæ S. Huberti de *Marolis*, quinque solidos. Quæ utique supra dicta, scriptis seu chirographis eorum, per quos eadem possideris, vobis sunt concessa atque firmata. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat præfatam Ecclesiam Beatæ Mariæ de *Bona-spe* temerè perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, aut aliquibus vexationibus fatigare, sed omnia ei, cum integritate serventur, eorum, pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt, usibus profutura: salvâ nimirum Diœcesani Episcopi Canonicâ justitiâ, & reverentiâ. Si qua igitur in posterum Ecclesiastica, secularisve persona hanc nostræ Constitutionis paginam sciens, contra eam temerè venire temptaverit, secundò tertiòve commonita, si non reatum suum congruâ satisfactione correxerit, potestatis, honorisque sui periculum patiatur, & à sacratissimo Corpore, & Sanguine Dei, ac Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ subjaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus, sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenùs & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen, Amen, Amen.

Ego Innocentius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.
Ego Guillelmus Prænestinus Episcopus.
Ego Theodowinus S. Rufinæ Episcopus.
Ego Drogo Ostiensis Episcopus.
Ego Albertus Albanensis Episcopus.
Ego Ancelmus Presbyter Cardinalis, titulo S. Laurentii in Licina.
Ego Beaifredus, Presbyter Cardinalis, titulo Vestinæ.
Ego Lucas Presbyter Cardinalis, titulo sanctorum Joannis & Pauli.
Ego Martinus, Presbyter Cardinalis titulo sancti Stephani.
Ego Guido indignus Sacerdos.

Ego GG. Presbyter Cardinalis titulo S. Priscæ.
Ego Bernardus Presbyter Cardinalis titulo sancti Chrysogoni.
Ego Gregorius Diaconus Cardinalis sanctorum Sergii & Bacchi.
Ego Guido Diaconus Cardinalis titulo sanctorum Cosmæ & Damiani.

Datum Pisis, per manum Aimerici, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconi Cardinalis, & Cancellarii, vi. Kal. Februarii, Indict. xv. Incarnat. Dom. anno MCXXXVII. Pontificatûs verò Domini Innocentii II. Papæ anno vii.

Charta Friderici Imperatoris, monasterii Bonæ-spei *possessiones confirmantis. Anno 1166.*

IN nomine sanctæ & Individuæ Trinitatis. Fredericus, divinâ favente clementiâ, Romanorum Imperator Augustus. Decet munificentiam Principalem, inter cæteras Reipublicæ salutiferas curas, Ecclesiarum Dei negotia speciali studio promovere, & earum tranquillitati omnimodâ diligentiâ providere. Noverit igitur omnium tam futurorum, quàm præsentium Christi & Imperii nostri fidelium universitas, quòd *in Curia Aquisgrani, pro transferendo sanctissimi Imperatoris Caroli corpore, per nos celebrata,* moti divinæ gratiæ respectu, & affectuoso dilectissimi Principis nostri Reinoldi, venerabilis Coloniensis Archiepiscopi interventu, devotâ quoque supplicatione Fratris Arnoldi de *Bona-spe*, nostri fidelissimi, clementer inclinati, devotissimum nostrum Philippum, Abbatem de *Bona-spe*, omnesque successores ejus, ac Fratres, ipsam totaliter Abbatiam, cum omnibus suis pertinentiis, sub Imperiali nostra protectione recepimus. Omnia quoque, quæ nunc eadem Abbatia vel legitimâ emptione, vel fidelium rationabili oblatione, seu aliquibus justis modis conquisita in nostro Imperio possidet, aut in futurum Domino largiente acquiret, præsenti nostrâ Imperiali authoritate perhenniter confirmamus. Nominatim autem ipsam Abbatiam de *Bona-spe*, cum omnibus agris, pratis, pascuis, sylvis, molendinis, cunctisque justitiis in confinio illo ipsi pertinentibus. Præterea quidquid habet juris in Curtibus de *Riverolis*, de *Ramelgiis*, de *Merteri*, de *Gays*, de *Reghenies*, de *Coreris*, de *Theologiis*, de *Carbonariis*. Duo quoque molendina in parochia de *Lestinis*, & molendinum de *Berceliis*, & quidquid habet juris in omnibus prædictarum Curtium pertinentiis Quidquid habet juris in Caupona de *Valencenis* super pontem sancti Joannis, & quidquid in oppido Valencenis, vel alicubi in terra Comitis Hainoentium justè possidet, vel adhuc ibidem, aut in aliquibus locis infra sacri Imperii nostri terminos rationabiliter conquiret: salvâ in omnibus Imperiali nostrâ justitiâ. Augustali quoque nostrâ jussione decernimus, ac firmissimè præcipimus, ut in bona supradicta nullus unquam magnus, parvus, seu mediocris manum violentiæ mittere, vel Fratres ibidem Deo servientes irrationabiliter in causam ducere præsumat. Qui verò (quod absit) tale quid præsumpserit, Imperiali nostræ Cameræ, ipsique Ecclesiæ quinquaginta libras auri componat, & hæc confirmatio rursus in stabilitate sua inviolabiliter permaneat. Hæc autem sunt nomina eorum qui præsentes fuerunt, Dominus Rainoldus, venerabilis Coloniensis Archiepiscopus, Alexander Leodiensium Episcopus. Evergilius Paderbonensis Episcopus. Garnerius Mindensis Episcopus. Godefridus, Trajectensis Episcopus. Nicolaus Cameracensis Episcopus. Nomina Principum Imperii, qui præsentes fuerunt, Gotafridus Lovaniæ Dux. Mathæus Lotharingiæ Dux. Henricus Ardennæ Dux. Henricus Comes de *Namur*. Henricus Comes de Guelra. Ut autem hæc nostra confirmatio perpetuis temporibus firma & illibata permaneat, præsentem paginam sigilli nostri munimine jussimus insigniri. S. Friderici Romanorum Imperatoris invictissimi. Ego Christianus sacri Palatii Cancellarius recognovi. Data Aquisgrani, in Palatio Imperiali, iv. Kal. Januarii, anno Domini Incarnat. MCLXVI. Indict. xiv. Imperante Domino Frederico Romanorum Imperatore invictissimo, anno Regni ejus xii. Imperii ejus x. In Dei nomine feliciter. Amen.

Bulla Cælestini Papæ III. possessiones, & Pastoratus Bonæ-spei *confirmantis, & varia privilegia largientis. Anno 1194.*

CÆlestinus Episcopus servus Servorum Dei, Dilectis filiis Roberto Abbati Ecclesiæ B. Mariæ de *Bona-spe*, ejusque Fratribus, tam præsentibus, quàm futuris, regularem vitam professis, in perpetuum. Religiosam vitam eligentibus, apostolicum convenit adesse præsidium, ne fortè cujuslibet temeritatis incursus aut eos à proposito revocet, aut robur, quod absit, sacræ Religionis infringat. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & præfatam Ecclesiam B. Mariæ de *Bona-spe*, in qua divino estis obsequio mancipati, ad exemplar felicis recordationis Alexandri Papæ Prædecessoris nostri, sub Beati Petri, & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus. Inprimis siquidem statuentes ut Ordo Canonicus, qui secundùm Deum, & Beati Augustini regulam atque institutionem Præmonstratensium Fratrum, in eadem Ecclesiâ institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascumque possessiones, quæcumque bona eadem Ecclesia in præsentiarum justè & Canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante domino, poterit adipisci, firma vobis, vestrisque successoribus & illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipsum, in quo præfata Ecclesia sita est, cum omnibus terris, sylvis, pratis, aquis, pascuis, & omnibus appendiciis suis. Terram de *Bergesiis*, & adjacentes possessiones in territorio *Vellerella*, & in territorio *Bruile*, cum annuis reditibus, quos in eisdem villis habetis. Partem decimæ in *Lestinis*, quam sub annuo censu octo librarum Valencenensium à Canonicis *Walecuriæ* tenetis, & molendinum, quod in eadem villa ab Ecclesia sanctæ Mariæ Cameracensis, sub annuo censu sex modiorum annonæ, ad minorem mensuram solvendæ possidetis. Molendinum de *Vallibus*. Terras & reditus, quos in territorio *Vellerella sicca* habetis. Curiam de *Riverolis*, quam Henricus miles, unà cum uxore sua Matilde, & liberis suis, ab omni terragio quod juri suo competebat, per manum Balduini Comitis Ainonensis, intuitu eleemosynæ, liberam esse fecit; & quidquid aliud titulo eleemosynæ vobis donavit. Partem terræ, quæ fuit sancti Salvatoris. Aliam partem terræ, quæ dicitur *Lemeis*. Allodium de *Ramelgiis*. Terram, quam à Templariis, respectu annui census viginti trium modiorum annonæ, & totidem avenæ, ad minorem mensuram solvendæ, possidetis. Quindecim bonaria allodii, quæ duæ Conversæ Sorores in eleemosynam vobis dederunt. Totam decimam terrarum vestrarum, & pecorum in *Ramelgiis*. Et quædam dotalitia de *Merbiolis*, pro quibus quindecim solidos Valencenenses Ca-

nonicis

nonicis S. Urfmari annuatim perfolvitis. Bofcum, qui dicitur *Rojeria*, & quidquid ad curtem de *Riveriolis* pertinere dinofcitur. Curiam de *Duegnies*, falvo annuo cenfu decem modiorum annonæ, quem hæredibus Badonis perfolvitis. Partem decimæ ejufdem villæ, quam cenfualiter habetis. Molendinum, & quidquid illic in terris, pratis, & aquis de jure poflidetis. Curiam de *Gays*, cum omnibus appenditiis fuis, & decimam animalium ejufdem curiæ, quam fub cenfu quinque folidorum Valencenenfium ab Ecclefia fancti Humberti de *Maricolis* poflidetis. Curiam de *Morteri*, cum omnibus appenditiis fuis. Partem terræ, quam habetis ab Ecclefia fancti Joannis de *Valencenis*, falvo cenfu quinque modiorum avenæ & duorum modiorum boni frumenti & dimidii, duorum modiorum bonæ filiginis & dimidii, tredecim nummorum, & totidem Caponum, quem annis fingulis eis debetis. Totam decimam annonæ curiæ de *Morteri*, & pecorum, pro qua decem modios annonæ, & tres folidos Valencenenfes Canonicis Cameracenfibus annuatim perfolvitis. Quidquid poffidetis in burgo de *Valencenis*, & in loco, qui dicitur *Corvamia*. Curiam de *Regenis*, cum omnibus appenditiis fuis, terris videlicet, pratis, aquis, fylvis, pafcuis. Terram de *Corriel*. Curiam fancti Nicolai cum appenditiis fuis. Curiam de *Courrieres*, cum appenditiis fuis, falvo cenfu quinque folidorum Nivellenfium, quem debetis Abbatiffæ Nivellenfi, & totidem hæredibus Gillardi. Curiam de *Bofteleu*, cum appenditiis fuis, & decimam animalium, ejufdem curiæ, fub annuo cenfu quinque folidorum Valencenenfium, quos perfolvitis fuper altare de *Theozies*. Decimam animalium curiæ infra Abbatiam, fub annuo cenfu fex denariorum Valencenenfium, quos Canonicis Cameracenfibus perfolvitis. Altare de *Leugnies*, & ipfam villam cum omnibus fuis pertinentiis. Altare de *Curcellis*, & Allodium fancti Foillani, fub annuo cenfu fexaginta folidorum Namurcenfium, quem Canonicis fancti Foillani de *Foffis* annuatim perfolvitis. Majorem decimam, & omnia, quæ in eadem villa habetis. Altare de *Gemmetines*, & omnem decimam, & dotalicia ejufdem villæ. Altare de *Orbais*, cum appenditiis fuis. Altare de *Carnerus*, cum appenditiis fuis. Altare de *Morlanguess*, cum appenditiis fuis. Altare de *Hasna* fancti Pauli. Altare de *Felluy*. Altare de *Cruce*. Altare de *Reffaix*. Altare de Monte fanctæ Aldegundis, cum appenditiis fuis. Altare de Monte fanctæ Genovefæ, cum appenditiis fuis. Altare de *Herchelina*, cum appenditiis. Altare de *Seneffia*, & dotalitia, & omnem decimam ejufdem villæ, cum omnibus appenditiis fuis. Altare de *Rues famelico*. Molendinum de *Berkellies*, & terras, & omnia quæ ibi poffideris. Decimas, & molendinum & redditus, quos in villa de *Merbiis* poflidetis. Sanè Novalium veftrorum, quæ propriis manibus, aut fumptibus colitis, five de nutrimentis animalium veftrorum, nullus à vobis decimas exigere, vel extorquere præfumat. Liceat quoque vobis Clericos, vel Laïcos, liberos & abfolutos, è feculo fugientes, ad converfionem recipere, & eos abfque contradictione aliqua retinere. Prohibemus infuper, ut nulli Fratrum veftrorum, poft factam in loco veftro profeflionem, fas fit, abfque Abbatis fui licentia, de eodem loco difcedere: difcedentem verò, abfque communium litterarum cautione, nullus audeat retinere. Cùm autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis claufis januis, exclufis excommunicatis & interdictis, non pulfatis campanis, fuppreffâ voce, divina officia celebrare. In Parochialibus verò Ecclefiis, quas habetis, liceat vobis quatuor, aut tres ad minus de Canonicis veftris ponere, quorum unus Diœcefano Epifcopo præfentetur, ut ei curam animarum committat; ita quidem, quòd ei de fpiritualibus, vobis autem de temporalibus, & de Ordinis obfervantia debeat refpondere. Liceum præterea fit vobis in caufis propriis, five civilem, five criminalem contineant quæftionem, Fratrum veftrorum teftimoniis, uti, ne pro defectu teftium jus veftrum in aliquo valeat deperire. Pro Chrifmate verò, Oleo fancto, confecrationibus Ecclefiarum, ordinationibus Clericorum, qui ad facros Ordines fuerint promovendi, five Abbate deducendo ad fedem, vel quibuflibet aliis ecclefiafticis Sacramentis, nullus à vobis, aut fub obtentu confuetudinis, aut quolibet alio modo, quidpiam audeat poftulare. Interdicimus etiam, ne cui liceat in vos, vel monafterium veftrum, fine manifefta & rationabili causâ, excommunicationis, vel interdicti fententiam promulgare, feu vos novis & indebitis exactionibus fatigare. Sepulturam præterea ipfius loci liberam effe decernimus, ut eorum devotioni, & extremæ voluntati, qui fe illic fepeliri deliberaverint, nifi fortè excommunicati, vel interdicti fint, nullus obfiftat, falvâ tamen juftitiâ illarum Ecclefiarum, à quibus mortuorum corpora affumuntur. Obeunte verò te nunc ejufdem loci Abbate, vel tuorum quolibet fucceflorum, nullus ibi quâlibet fubreptionis aftutiâ, feu violentiâ, præponatur, nifi quem Fratres communi confenfu, vel Fratrum pars confilii fanioris, fecundùm Dei timorem, & Beati Auguftini regulam, atque Ordinem Præmonftratenfium Fratrum, providerint eligendum. Paci quoque ac tranquillitati veftræ Paternâ in pofterum follicitudine providere volentes, authoritate Apoftolicâ prohibemus, ut infra claufuras locorum, feu grangiarum veftrarum nullus violentiam, vel rapinam, feu furtum committere, ignem apponere, fanguinem fundere, hominem capere, vel interficere audeat. Præterea omnes libertates, & immunitates, à Prædecefloribus noftris Romanis Pontificibus Ordini veftro conceflas, nec non libertates, & exemptiones fecularium exactionum à Regibus, & Principibus rationabiliter piâ vobis devotione indultas, authoritate Apoftolicâ confirmamus, & præfentis fcripti patrocinio communimus. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat præfatam Ecclefiam temerè perturbare, aut ejus poffefliones auferre, vel ablatas retinere, minuere, feu quibuflibet vexationibus fatigare; fed omnia integra conferventur, eorum, pro quorum gubernatione ac fuftentatione conceffa funt, ufibus omnimodis profutura, falvâ Sedis apoftolicæ authoritate, & Diœcefani Epifcopi canonicâ juftitiâ. Si qua igitur in futurum Ecclefiaftica, fecularifve perfona hanc noftræ Conftitutionis paginam fciens, contra eam temerè venire tentaverit fecundò tertiòve commonita, nifi reatum fuum congruâ fatisfactione correxerit, poteftatis, honorifque fui dignitate careat, reamque fe divino judicio exiftere de perpetrata iniquitate cognofcat, & à facratiffimo Corpore & Sanguine Dei, & Redemptoris noftri Jefu Chrifti aliena fiat, atque in extremo examine divinæ ultioni fubjaceat. Cunctis autem eidem loco fua jura fervantibus, fit pax Domini noftri Jefu Chrifti, quatenùs & hîc fructum bonæ actionis percipiant, & apud diftrictum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen, Amen, Amen.

Ego Cælestinus Catholicæ Ecclefiæ Epifcopus.
Ego Albinus Albanenfis Epifcopus.
Ego Octavianus Hoftienfis, & Velletrenfis Epifcopus.
Ego Joannes Præneftinus Epifcopus.
Ego Petrus Portuenfis, & S. Rufinæ Epifcopus.
Ego Pan. Bafilicæ duodecim Apoftolorum Pref-

byter Cardinalis.

Ego Petrus, titulo S. Cæciliæ Presbyter Cardinalis.

Ego Joannes titulo S. Clementis Card. Viterbiensis.

Ego Guido sanctæ Mariæ trans Tyberim, titulo Calyxti Presbyter Cardinalis.

Ego Hugo Presbyter Cardinalis sancti Martini, titulo Equitii.

Ego Joannes titulo S. Stephani in Cælio monte Presbyter Cardinalis.

Ego Cinthius, titulo sancti Laurentii in *Lucina* Presbyter Cardinalis.

Ego Soffredus titulo S. Praxedis Presbyter Card.

Ego Bernardus sancti Petri ad vincula Presbyter Cardinalis, titulo Eudoxiæ.

Ego Fid. titulo S. Marcelli Presbyter Cardinalis.

Ego Joannes titulo S. Priscæ Presbyter Cardinalis.

Ego Gratianus sanctorum Cosmæ & Damiani Diaconus Cardinalis.

Ego Gregorius S. Mariæ in portu Diaconus Card.

Ego Gregorius S. Georgii ad velum aureum Diaconus Cardinalis.

Ego Lotarius sanctorum Sergii & Bacchi Diaconus Cardinalis.

Ego Gregorius S. Angeli Diaconus Cardinalis.

Ego Petrus Stæ.... in via lata Diaconus Cardinalis.

Datum Laterani, per manum Centii, sanctæ Luciæ in Orthea Diaconi Cardinalis, Domini Papæ Camerarii, IV. Id. Novembris, Indict. XIII. Incarnationis Dominicæ anno MCLXXXXIV. Pontificatûs verò Domini Cælestini Papæ III. anno quarto.

Charta Balduini, Comitis Hannoniæ, Speïenses ab omni Winagio, vel Theloneo eximentis.

EGo Balduinus Flandrorum, & Hainoensium Comes, omnibus, quos præsens scriptum videre contigerit, notum fieri volo, quòd pro salute animæ meæ, & prædecessorum meorum, concessi Domino Abbati de *Bona-spe* & Ecclesiæ, in perpetuam eleemosynam, quòd de omnibus rebus suis, & possessionibus propriis, vel emptis, vel emendis, vel aliis quæ de jure suo habent, seu vehantur equis, seu curribus, vel aliis vehiculis, nullum, per totam terram meam eundo vel redeundo solvent Winagium, vel Theloneum; nec volo, quòd super mandatum meum ulteriùs ab Ecclesia exigatur. Hoc autem ut ratum perduret, & firmum observetur, præsentem paginam concessionis hujus caractere conscripto, & sigilli mei appensione roborari decrevi. Actum anno Verbi Incarnati millesimo ducentesimo secundo, mense Martio. Hoc autem sciendum est, quòd ubicumque Winagium, & Theloneum est meum proprium, Fratres Ecclesiæ prædictæ, liberos & quittos penitùs dimitto de omni Winagio, & Theloneo, de hiis quidem rebus, quæ pertinent ad proprios usus Fratrum, & Ecclesiæ.

Charta Mathai I. Lotharingiæ Ducis, approbantis fundationem Bonifageti.

IN nomine sanctæ Trinitatis. Mathæus, Lotharingorum Dei gratiâ Dux & Marchio, tam futuris, quàm præsentibus. Divini significatione eloquii, charitatem cum qua omne subsistit bonum, quod sine qua nullum est, quasi matrem & radicem omnium virtutum esse docemur, ex quo quantò majores, quantò potentiores sumus, tantò diligentiùs, tantò enixiùs Catholicam sanctamque Ecclesiam diligere, dilectam dilatare, dilatatam venerari ac deffendere jubemur pro viribus multipliciter. Unde tibi, Gunthere Abbas Reverende *Bonfail*, universisque successoribus tuis, eidem Domino famulantibus, tenorem ejusdem loci, quem Villelmus de *Archus*, cum uxore fratris sui Valentia, Ecclesiæ vestræ per beneplacitum nostrum, quia juris nostri erat, dedit, Nos ipsi pariter integrè, videlicet in terris, in pratis, in sylvis, in aquis perpetuò possidendum concedimus. Ut autem hoc firmiùs habeatur, & tutiùs possideatur, scripto mandare, sigilli nostri impressione firmare, testibus legitimis roborare, tenoris tempus notare curavimus....

Hac cartha ex autographo descripta, testes, & caracterem chronologicum spondens, neutrum exequitur in fine, ex Cancellarii oscitantia pars defectu laborant non nulla Principis ejusdem diplomata, quæ contrectavimus, genuina licet & sigillo munita. sub annum 1145. à limine fundationis, datum est hoc Mathai preceptum.

Charta Mathai Ducis, pro confirmatione donationis Allodii du Faxal.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego Mathæus Lotharingorum Dux, Marchio, tam futuris, quàm præsentibus. Quia potestas omnis à Deo est, sicut authoritas SS. Patrum continet, quantò sublimioribus potestatibus provecti sumus, tantò attentiùs Ecclesiam Dei sublimare ac deffendere pro scientia & facultate debemus. Ea propter universitati fidelium significare decrevimus, quòd tenorem allodii de *Fajchal** integraliter cohæredes universi pariter, Congregationi de *Bonfail* tam vendiderunt, quàm pro animabus suis, atque prædecessorum suorum, in eleemosyna apud *Charmoys*, concesserunt, scilicet Joannes Sacerdos, Guido frater ejus Clericus, Symon de *Alleviler*, Symon de *Mahummoutoir*, Rogerus de *Funtenay*, Milo de *Clergio* Milites: teste Bancelino de *Dompari**, Guillelmo de *Charmoy* Sacerdotibus; Guillelmo de *Darnule**, Bancelino de *Norbertis*, Galone de *Funtenay*, Uggone de *Aleja*, Embaldo de *Charmoy*. Symon Monachus quadrantem, quem pro eleemosyna in vadimonio tenebat, receptâ pecuniâ, sponte suâ gerpivit. Guillelmus de *Briachort*, penes quem hujus allodii jure hæreditario pars quædam cum molendino pertinebat, divinâ gratiâ ammonitus, seipsum, cum omnibus, quæ ibi sui juris erant, Ecclesiæ de *Bonfail* dedit; Cujus etiam corpus non longè post in ejusdem Ecclesiæ atrio sepultum est. Hujus soror beneficio Fratris annuens, filium suum eidem Ecclesiæ dedit, & vaccam in munere accepit; atque vir ejus annuens, Capam, teste Albrico Sacerdote, atque Ammorrico Patre suo, & Alberto.

* Villa est uno Lapide distita ab oppido de *Charmes* secus Moselam.

* *Dompaire*, oppidum cum Præfecturâ, haud procul à Bonifageto.

* *Darnule*, Toparchia, quam Carolus I. Lotharing. Dux, notho suo Joanni de *Pulligny*, in patrimonium dedit, & unde prodiit nobilis familia de *Darnuele*.

Quemadmodum omnia, quæ pacis beneficio firmantur, certiùs firmâ radice permanent, idcirco promissio hujus allodii, ab uxore, & filia Vuiteri de *Butneacho* hoc possidentis, cum fratribus, nisi esset in vadio, postulata est, & impetrata. Et ne gratis aliquando hoc fecisse pœniteret, largitione duodecim solidorum, & vaccæ, tam ipsa, quàm filia ejus, & Pater Balduinus in Ecclesia concesserunt; teste Lamberto Monacho Patruo ejus, & Joanne Amantiæ, Widrico Priore, & Bovone Canonicis. Quæ etiam non longè post, in Congregatione Sororum ejusdem Ecclesiæ, omnia relinquens, recepta est.

Nos quoque, ad quos totum spectat, de manibus nostris præfatæ Congregationi de *Bonfail* allodium illud dedimus; atque si quid inde contrarietatis deinceps orietur, manu tenere promisimus. Quia verò gestarum rerum memoria scripto firmiùs, quàm verbo posteris commendatur ordinare, supradictæ paginæ atque sigillo nostro roborare curavimus.

Hæc charta Matthæi Ducis, posterior est anno 1147. cùm Bulla Eugenii 3. non meminit Allodii *Fajcalis*.

Bulla Eugenii III. pro confirmatione statûs & possessionum Boni-fageti *anno 1147.*

EUgenius Episcopus........Dilectis filiis Gunthero Abbati de *Bonfail* ejusque Fratribus, tam præsentibus quàm futuris, in perpetuum. Religiosis desideriis dignum est facilem præbere consensum, ut fidelis devotio celerem sortiatur effectum. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & præfatum locum in quo divino mancipati estis obsequio sub B. Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus, statuentes ut quascumque possessiones, quæcumque bona idem locus in præsentiarum justè & canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis Deo propitio, poterit adipisci, firma vobis, vestrisque successoribus, & illibata permaneant. In quibus hæc propriis exprimenda vocabulis duximus. Quidquid juris habetis in *Bonfail*, in agris videlicet & pratis, sylvis & aquis, cum molendinis. Terram de *Bauville* sicut Hugo tenuit. Præterea laborum vestrorum, quos propriis manibus, aut sumptibus colitis, seu de nutrimentis vestrorum animalium, nullus à vobis decimas exigere præsumat. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatum locum temerè perturbare, aut ejus possessiones auferre, aut ablatas retinere, minuere, aut aliquibus vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur, eorum, pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt, usibus profutura; salvâ sedis Apostolicæ authoritate & Diœcesani Episcopi justitiâ. Si quæ igitur in futurum Ecclesiastica secularisve persona, hanc nostræ constitutionis paginam, sciens contra eam venire tempaverit, secundò tertiòve commonita, si non satisfactione congruâ emandaverit, potestatis, honorisque sui dignitate careat.........

Ego Eugenius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

Ego Addo Diaconus Card. S. Georgii ad velum.

Ego Octavianus Diaconus Cardinalis S. Nicolai in Carcere.

Ego Humbaldus Presbyter Card. tit. SS. Joannis & Pauli.

Ego Guido Presbyter Card. tit SS. Laurentii & Damasi.

Ego Hugo Presbyter Cardi. tit. in Lucinia.

Ego Jordanus Presbyter Card. tit. S. Susannæ.

Datum Virduni per manum Guidonis S. R. E. Diaconi Card. & Cancellarii 8. Kal. Martii Incarnationis Dominicæ MCXLVII. Indict. x. Pontificatûs verò Domini Eugenii Papæ III. anno IV.

Bulla Victoris IV. pro Monasterio* Bonifageti. *1163.*

* Antipapa.

VIctor Episcopus servus Servorum Dei. Dilecto filio Ascelino Abbati de *Bonfail* ejusque Fratribus...... Desiderium quod ad Religionis propositum & animarum salutem monstratur pertinere, authore Deo, sine aliqua est dilatione complendum. Quocirca, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & præfatum locum in quo divino estis obsequio mancipati, sub B. Petri & nostra protectione suscipimus & præsentis scripti privilegio communimus. Statuentes ut quascunque possessiones, quæcunque loca in præsentiarum justè & canonicè possidetis, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, Deo propitio, poteritis adipisci, firma vobis, vestrisque successoribus & illibata permaneant; in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum scilicet in quo Abbatia fundata est, quæ dicitur *Bonfail*, terram *Bauville*, terram de *Bebulis* cum molendino, terram de *Gresiliis*, allodium de *Fiscalis* cum molendinis, & quidqnid apud *Brantinis* possidetis, terram de *Moironcourt*. Sanè laborum vestrorum, quos propriis manibus aut sumptibus colitis, sive de nutrimentis vestrorum animalium, nullus à vobis decimam exigere præsumat. Decernentes ergo ut nulli hominum omnino liceat præfatum locum temerè perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, aut aliquibus vexationibus fatigare, sed omnia eorum integra conserventur pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura......

Datum Tulli per manum Joannis S. R. E. Presbyteri Cardinalis & Cancellarii, VIII. Idus Octobris Indictione XI. Incarnat. Dominicæ anno MCLXIII. Pontificatûs verò Domini Victoris Papæ quarti anno IV.

Charta Friderici II. Lotharingiæ Ducis, quâ in damnorum compensationem, piscationem & amnem Madonis, *concedit* Boni-fageto *1292.*

JE Ferry, Duc de Lohereine & Marchis, fais sçavoir à tous que je ai donei & octroyei, doing & octroye à l'Eglise de *Bonfayt* à toujoursmais, toute la riviere de Maudon dei lo Pont, que on dit à *Ferrey* de les Pont jusques à *Melin*, que on dit à *Huchelon*, & tout le rui qui vient de *Beuville*, jusques à laditte *Beuville*. Et ceste don & cest octroy, ay je donnei à laditte Eglise de *Bonfaye* pour restitution d'aucuns torts faits, que je avois fait à laditte Eglise, & de ce l'an dois-je porter bone warantie à ladite Eglise, envers tous cels qui à droit vorroient venir. En témoignage de cest chose, en ai danai ces Lettres cachetées de mon Sel, lesquels furent faites l'an de grace mil doux cens quatre-vins & douze en moy de Juin.

Charta Caroli III. Lotharingiæ Ducis, quâ ad sublevamen paupertatis Boni-fageti, *& pro Anniversario suo, decem Resalia frumenti annuatim assignat.*

CHarles par la grace de Dieu, Duc de Calabre, Lorraine, Bar, Gueldres, Marchis, Marquis du Pont-à-Mousson, Comte de Provence, Vaudemont, Blamont, Zutphen, &c. A tous ceux, qui ces Presentes verront, SALUT.

Comme par une pieté chrétienne, nous avons bénignement consideré le peu de facultés & moyens, que les Abbés, Religieux, & Convent de *Bonfay*, en notre Bailliage de Vosges, ont pour leur entretenement, subsistance, & nourriture; & que cependant néamoins ils s'aquittent deuëment & dévotement de ce qui est de leur charge & profession tant à la célébration du saint Service divin, que satisfaction de ce qui est étably & ordonné en laditte Eglise, par les Fondateurs & Bienfaiteurs d'icelle, dequoy nous avons ung bien bon & singulier contentement. Et soit que pour leur donner tant meilleur moyen & occasion de perseverer, & continuer de bien en mieux en leurs bons offices, nous ayons advisés & déliberés user de notre liberalité par quelque bienfait particulier en leur endroit. Sçavoir faisons, que Nous ce que dessus favorablement & piteusement considere, & afin que cy après nous soyons

d'autant plus participant és prieres & suffrages qui se feront en ladite Eglise ; Avons pour ces causes, de nostre grace spéciale, & propre mouvement, donné, octroyé & accordé, donnons, octroyons & accordons par ceste, pour Dieu, & en aulmones auxdits Abbé, Religieux & Convent de *Bonfay*, la quantité de veingt Rezeaus de Froment, mesure de Dompaire, de rente annuelle & perpetuable, à prendre, lever, & recevoir par chacun an, au terme saint Martin d'hyvers, en nos greniers dudit Dompaire, commençeant le premier terme & payement audit jour saint Martin d'hyvers prochainement venant, & continuant à l'advenir à perpetuité, comme dict est ; moyennant & à charge qu'iceux Abbé, Religieux & Convent de *Bonfay* presens & àvenir, seront tenus chanter & célébrer par chacun an, en laditte Eglise, le quinziéme jour de Février, qui est le jour de nostre Nativité, une haute Messe du saint Esprit, à Diacre & Soub-diacre, pour nostre salut & prosperité, avec la Collecte, *& famulum tuum Carolum, Principem nostrum, cum inclyta prole, ab omni adversitate custodi.* Et après nostre décès, au lieu de laditte haute Messe, une Anniversaire perpetuelle (à tel jour, que nous décederons) de trois hautes Messes ; la premiere, du saint Esprit ; la seconde, de Nostre-Dame, & la troisiéme des Trespassez, aussi & Diacre & Soub-diacre, & de Vigilles précédantes, avec luminaires, ainsi qu'on a accoustumé pour les Princes : en tous & chacuns lesquels suffrages, bienfaits, Messes, Prieres & Oraisons, qui doresnavant se feront en laditte Eglise, lesdits Abbé & Religieux faisants mention de nous, y ajouteront & accompaigneront aussi nos Prédecesseurs Ducz, que Dieu absolve, & nos Successeurs & Lignés, dont iceux Abbé & Convent bailleront Lettres reversalles, & de promesse en bonne forme, pour estre mises au Thrésor de nos Chartres, à ce de servir de mémoire & assurance perpétuelle sur toutes & chacunes les choses prémantionnées. Sy donnons en Mandement à notre Receveur dudit Dompaire présent & avenir, que des grains de sa charge & recepte, il en paye, baille & délivre par chacun an audit terme saint Martin d'hyvers, à iceux Abbé, Religieux & Convent de *Bonfay*, laditte quantité de veingt Rezeauls Bled Froment, en rapportant pour une seule, & la premiere fois coppies de cestes, deuëment collationnées, avec quittance & acquit sur ce suffisant : Ce qu'à cest effet, & en la forme susdite sera payé & délivré par nostre Receveur de Dompaire présent & avenir, lui sera passé & alloué en dépenses de chacun de ses comptes, qu'il appartiendra, par nos tres chers & féaux Conseillers Présidents, & Gens de nos Comptes de Lorraine Auditeurs d'iceux, auxquels mandons ainsi le faire sans difficulté : Car tel est nostre vouloir. En témoings dequoy nous avons à cests Présentes, signés de nostre main, fait mettre & appendre nostre grand Sel. Donné en nostre Ville de Nancy, l'onziéme jour du mois de Février mil ceinq cent quatre-vingt & quatre. *Signé*, CHARLES. Et sur le reply : Par Monseigneur le Duc, & le Sieur de Pange, Chef des Finances, & Président des Comptes de Lorraine, present. *Et plus bas*, C. Guerin, & N. Henry, avec paraffe.

Bulla Lucii III. confirmantis bona Ecclesiæ Bonifageti, anno 1181.

LUcius Episcopus servus Servorum Dei. Dilectis filiis Wiardo Abbati Ecclesiæ de *Bono-fageto* ejusque Fratribus tam præsentibus quàm futuris, regularem vitam professuris, in perpetuum. Religiosam vitam eligentibus, Apostolicum convenit adesse præsidium, ne fortè cujuslibet temeritatis incursus eos à proposito revocet, aut robur, quod absit, sacræ religionis infringat ; ea propter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & præfatam Ecclesiam Beatæ Mariæ de *Bono-fageto* in qua divino mancipati estis obsequio, sub B. Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus, imprimis siquidem statuentes ut Ordo Canonicus qui secundùm Deum, & B. Augustini regulam atque institutionem Præmonstratensium Fratrum, in eadem Ecclesiâ institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Propterea quæcumque possessiones, quæcumque bona eadem Ecclesia in præsentiarum justè & canonicè possidet, ac in futurum concessione Pontificum, largitione Regum, vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus, & illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum scilicet in quo Abbatia fundata est, qui dicitur *Bonfays*, cum omnibus pertinentiis suis, terris, pratis, sylvis, aquis, pasturis omni generi animalium necessariis, quem dedit vobis Willelmus de *Bernole* consilio & assensu omnium hæredum suorum, & Mathæi Ducis Lotharingiorum ; grangiam de *Grosillis* cum pertinentiis suis, terris, pratis, sylvis & pasturis ; allodium de *Feyschal* cum molendinis & aliis pertinentiis suis, terris, pratis, sylvis & pasturis. Quidquid apud *Brantigny* possidetis, grangiam de *Moironcourt* cum omnibus pertinentiis suis, pratis, sylvis, terris & pasturis ; allodium de *Jannese*, quod accepistis de manu Widerici Abbatis *Clari-loci* consilio & consensu omnium Fratrum suorum tam Monachorum quàm Laïcorum, acceptis à vobis triginta libris Tullensis monetæ, quod allodium contulerunt eis & Ecclesiæ suæ viri nobiles, Holdericus videlicet de *Granceyr* & Holdericus filius ejus, Gerardus de *Forcherul* & filii sui, Petrus, Gauselius, Gerardus ; consilio etiam & consensu Ducis Mathæi sub testimonio Theodorici de *Romans*, Gerardi Advocati de *Bruyeres*, Vuillelmi de *Arches*. Tenorem etiam totum Theobaldi de *Jorseio*, in agris, sylvis, pratis, pascuis juxta prædictum allodium adjacentibus, qui vulgo *Benevilis* vocatur, quem priùs dederunt supra dictæ Ecclesiæ *Clari-loci*, ipse Theobaldus de *Jorleio* & *Willer* de *Floremont*, assensu filii sui Gerardi, rogatu & consilio Mathæi Ducis, Ducissæ *Beathar*, & filiorum suorum Symonis & Frederici ; decimas etiam prædicti allodii à *Benevilis*, de pratis, campis, & de omnibus aliis de quibus decimæ persolvuntur, quas Henricus quondam Tullensis Episcopus memoratæ Ecclesiæ *Clari-loci* priùs possidendas in perpetuum concesserat consilio Odonis Archidiaconi, rogatu & assensu Abbatissæ Romaricensis totiusque Capituli sui ; assensu etiam ipsorum Clericorum ad quos præfatæ decimæ pertinebant, Gerardi videlicet de *Jorseio* & Widerici nepotis sui & Hefridi Presbyteri de *Janneio*, quibus & suis successoribus singulis annis persolvetis quinque solidos Tullensis monetæ in festo B. Martini, aut infra octavas, ponentes eos super altare memoratæ Ecclesiæ de *Janneio*, quas decimas cum tenemento Theobaldi de *Jorseio* & cum allodio de *Janneio* accepistis de manu supra dicti Abbatis Widerici *Clari-loci*, consensu totius Capituli sui & in ea libertate & integritate, quâ jam dicta Ecclesia *Clari-loci* priùs possidebat. Sanè Novalium vestrorum quæ propriis manibus aut sumptibus colitis, sive de nutrimentis

animalium vestrorum, nullus à vobis decimas exigere præsumat. Liceat quoque vobis Clericos vel Laïcos à seculo fugientes liberos & absolutos ad conversionem accipere, & eos absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper ut nulli Fratrum vestrorum post factam in eodem loco professionem fas sit absque Abbatis sui licentia de eodem loco discedere, discedentem verò absque communium litterarum cautione; nullus audeat retinere. Cùm autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis clausis januis, exclusis excommunicatis & interdictis, non pulsatis campanis, suppressa voce, divina officia celebrare; in Parochialibus verò Ecclesiis, quas habetis ac vobis quatuor aut tres ad minus de Canonicis vestris ponere, quorum unus Diœcesano Episcopo præsentetur, ut ei curam animarum committat ita quidem quòd ei de spiritualibus, vobis autem de temporalibus & de Ordinis observantia debeat respondere. Pro Chrismate autem, Oleo sancto, consecrationibus Ecclesiarum, ordinationibus Clericorum qui ad sacros Ordines fuerint promovendi, sive Abbate deducendo ad sedem, vel quibuslibet aliis Ecclesiasticis sacramentis, nullus à vobis, aut sub obtentu consuetudinis, aut quolibet alio modo quidpiam audeat postulare. Si quis autem contra hoc venire præsumpserit, portionem cum *Giezi* se noverit habiturum, cujus factum exactione turpis muneris imitatur. Sepulturam præterea ipsius loci liberam esse decernimus ut eorum devotioni & extremæ voluntati qui se illic sepeliri deliberaverint nisi fortè, excommunicati vel interdicti sint, nullus obsistat, salvâ tamen justitiâ illarum Ecclesiarum, à quibus mortuorum corpora assumuntur. Paci quoque & tranquillitati vestræ paternâ sollicitudine providere volentes, authoritate apostolicâ prohibemus ut infra clausuras locorum seu grangiarum vestrarum nullus violentiam vel rapinam, furtum committere, ignem apponere, seu hominem capere vel interficere audeat. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum fas sit præfatam Ecclesiam temerè perturbare, aut ejus auferre possessiones, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salvâ sedis Apostolicæ authoritate, & diœcesani Episcopi Canonicâ justitiâ. Si quæ igitur in futurum Ecclesiastica, secularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temerè venire tentaverit, secundò tertiòve commonita, nisi reatum suum dignâ satisfactione correxerit, potestatis, honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sanctissimo Corpore & Sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo judicio Divinæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus, sit pax Domini nostri Jesu Christi quatenùs & hîc fructum benedictionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Amen.

Ego Lucius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

Ego Theodorinus Portuensis Episcopus. Ego Paulus Prænestinus Episcopus. Ego Petrus Cardinalis tituli sanctæ Suzannæ. Ego Wivianus Presbyter Cardinalis tituli S. Stephani in monte. Ego Cynthius Presbyter Cardinalis tituli sanctæ Cæciliæ. Ego Arduinus Presbyter Cardinalis tituli sanctæ Crucis. Ego Matthæus Presbyter Cardinalis tituli sancti Marcelli. Ego Hyachintus Diaconus Cardinalis sanctæ Mariæ Mefforis. Ego Rainerius Diaconus Cardinalis sancti Gregorii ad velum aureum. Ego Gratianus Diaconus Cardinalis SS. Cosmæ & Damiani. Ego Rainerius Diaconus Cardinalis sancti Adriani.

Datum Laterani per manum Alberti S. R. E. Presbyteri Cardinalis & Cancellarii decimo octavo Kalendas Februarii Indictione decimâ quintâ Incarnationis Dominicæ anno millesimo centesimo octogesimo primo. Pontificatûs verò Lucii Papæ III. anno primo.

Charta donationis facta à Willermo milite & Gerardo Ronzarts *Ecclesiæ Beatæ Mariæ de* Bono-fageto, *anno 1228.*

Certiora sunt omnia quæ geruntur & minori possunt calumniâ perturbari si vigorem trahant à testimonio litterarum. Innotescat ergo præsentibus, & sciant posteri quòd Nos, Ego videlicet Willelmus Miles & Gerardus cognomine *Ronzarts*, Filii Domini Alberici de *Berru*, pro salute animarum nostrarum & antecessorum nostrorum dedimus, laude & assensu hæredum nostrorum, Ecclesiæ B. Mariæ Bonifageti in perpetuam eleemosynam in omni tenuria nostra, quæ est sita à *Vallois* usque ad aquam d'*Adompt*, tam in pratis quàm in campis & nemoribus; & etiam in *Huonchenoy* & in *Boulloy*, quæ jure hæreditario possidemus, omne usagium pasturarum pro animalibus suis & propriis porcis tam in herbis quàm in glande & faina, liberè & absolutè possidenda. Excepto quòd si alicui hominum aliquod damnum intulerint, absque Bannali justitiâ damnum restituent. Dedimus & in prædictis nemoribus usagium ad ædificationem Ecclesiæ tantummodò & Abbatiæ cum foagio. Excepto quòd in *Boulloy* confoagii quercum vel fagum non scindent. Insuper ut hoc ratum permaneat Dominus Albertus de *Darney* ad rogatum partium sigilli sui munimine præsentem paginam roboravit, & donationem factam pro posse suo illæsam observare promisit. Actum apud *Darneyum* anno Domini MCCXXVIII.

Charta Odonis Episcopi Tullensis confirmantis donationem supradictam anno 1228.

Odo Dei gratiâ Tullensis Episcopus, universis præsentibus & futuris, salutem in Domino. Notum vobis facimus quòd eleemosynam quam fecerunt Ecclesiæ Boni-fageti, Præmonstratensis Ordinis, in perpetuum Willelmus & Gerardus dictus *Ronzarts* Fratres Milites de *Beru*, laude & assensu hæredum suorum, de omni usuaria. Pasturagium pro universis animalibus & propriis porcis ejusdem Ecclesiæ per omnem tenuriam, quam possident iidem Fratres à *Vallois* usque ad aquam d'*Adompt*, & in *Huonchenoy* & in *Boulloy*, tam in pratis quàm in campis & nemoribus, in herbis scilicet, glande & fayna; & de usuario in nemoribus ipsis ad ædificationem & foagium ejusdem Abbatiæ, prout in charta dilecti & fidelis Ministri Alberti de *Darneyo* continetur, ratam & gratam habemus, & ad preces eorum eandem eleemosynam præfatæ Abbatiæ in perpetuum sigilli nostri robore & testimonio confirmamus. Datum apud *Parneyum* anno Domini MCCXXVIII. mense Junio in festo S. Barnabæ Apostoli.

Diploma Matthæi confirmantis donationes factas à Wichardo Domino de Montreüil-le-sec *& Simone Clarimontis anno 1222.*

Ego Matthæus Dux & Marchio Lotharingiæ. Notum facio omnibus tam futuris quàm præsentibus, quòd Wichardus Dominus de *Montreuil-*

le-sec pro remedio animæ suæ, suorumque antecessorum, benigno favore laudavit & concessit, laude & consensu uxoris suæ, Ecclesiæ Boni-fageti omnes eleemosynas factas liberè & absolutè à prædecessoribus suis Domino Symone *Clari-montis* & Wichardo fratre suo, videlicet Ecclesiam de *Montreüil* cum appenditiis suis, scilicet tractum cum decimis quod jure successivo, sicut allodium proprium possidebant; & etiam donationem decem solidorum Tullensis monetæ, factam in perpetuum Ecclesiæ Boni-fageti, à patre suo Wichardo, quos eadem Ecclesia jam Wichardo singulis annis pro pasturis de *Montreüil* & de *Gresillis* persolvebat, quibus pasturis jam dicta Ecclesia usa est & utetur, damno restituto, absque bannali Emenda; propterea notum facio quòd idem Wichardus Dominus de *Montreüil-le-sec* laude & consensu uxoris suæ, contulit in eleemosynam perpetuam Ecclesiæ Boni-fageti pro grangia de *Gresillis*, plenarium usuarium in nemoribus suis quibus homines sui de *Montreüil* & de *Gresillis* utuntur & utentur, & etiam glandem & faginam pro proprio nutrimento ejusdem grangiæ. Dedit etiam in perpetuum jam dictæ Ecclesiæ hortum adjacentem propè grangiam de *Gresillis*, quem Robertus de *Gresille* tenuerat, & quidquid juris in eo habebat idem Robertus, laude & consensu hæredum suorum in eleemosynam jam dictæ Ecclesiæ contulerat. Et ut hoc ratum & inconcussum permaneat, præsentem paginam sigilli mei munimine roboravi. Actum anno gratiæ millesimo ducentesimo trigesimo secundo.

Bulla Gregorii IX. Ecclesiam Boni-fageti *in sua protectione suscipientis, anno 1236.*

GRegorius Episcopus servus Servorum Dei. Dilectis filiis Abbati & Conventui monasterii Bonifageti, Ordinis Præmonstratensis, Tullensis Diœcesis, salutem & Apostolicam benedictionem. Sacrosancta Romana Ecclesia devotos & humiles filios ex assuetæ pietatis officio propensiùs diligere consuevit, & ne pravorum hominum molestiis agitentur eos tanquam pia mater suæ protectionis munimine confovere. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, personas vestras & monasterium Bonifageti in quo divino estis mancipati obsequio, cum omnibus bonis quæ in præsentiarum rationabiliter possidetis, aut in futurum justis modis, præstante Domino, poteritis adipisci, sub B. Petri & nostrâ protectione suscipimus. Specialiter autem allodium de *Motroncourt* quod quondam Philippus de *Geliberto Viller* spectans ad ipsum, monasterio vestro piâ & providâ liberalitate donavit de *Fascbal*, de *Gresillis* & de *Gavini* grangias cum pertinentiis earumdem, nec non terras, possessiones, vineas, prata, nemora, & alia bona vestra sicut ea omnia justè ac pacificè possidetis, vobis & per vos eidem monasterio authoritate apostolicâ confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ protectionis & confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & BB. Petri & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Viterbii Kalendis Septembris, Pontificatûs nostri anno XI.

Charta.

GIe, Aubert Sire de *Darnay* fais connoissant à tous ceux qui cest Ecrit verront & oiront, que le Sire Girars li Chevalier de *Beiru* fils Monseignor Jofroy, qui fut par lo lor & par lo cruante Dame Ysabelle sa femme, & de tous ses hoirs, at donnés en aulmosne peremaignable à l'Eglise de *Bonfay* & aux Chanoines de céans en tout son ténement, qui est des *Vallois* & jusques à Lavate d'*Adon* entierement le pasturage por lud bestes grosses & menues & por leurs propres porcs. Leur at donné en suivant la paisson des glands & des faines des bois de *Huonchanoy* & de *Boulloy* & si les bestes ais devant dit Seignors faisoient aucun dommeige sans amende faisant. Et sur ai donné encor avot tout ceu l'usuaire au devant dit Bois pour l'édifice de lur Eglise & de lur Abbaye tant soulement & por lur affoage assimant. Fors-tant que por lur affoage ne devent il trancher ne Fol, ne Chesne au Bois de *Bolloy* & se aucuns hommes voloit faire tort à devant dit Chanoine de ceste chose. Gie & mes hoirs leur en devons porter garantie à nos peines, & en témoignaige de verité gie ai fait saeller de mon sael ces présentes Lettres que furent faites en l'an de grace comme li miliaires couroit pour MCCLVI ans au mois de Décembre.

Bulla Urbani IV. confirmantis donationem factam à Wichardo de Montreolo *de usuagio in nemoribus de* Monstreolo-sicco *&* Gresillis, *&c. Anno 1260.*

URbanus Episcopus servus Servorum Dei. Dilectis filiis Abbati & Conventui monasterii de *Bono-fageto*, Præmonstratensis Ordinis, Tullensis Diœcesis, salutem & apostolicam benedictionem. Cùm à nobis petitur quod justum est & honestum, tam vigor æquitatis quàm Ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum; sanè petitio vestra nobis exhibita continebat, quòd quondam Wichardus Dominus de *Monstreolo-sicco* accedente consensu quondam Aleydis uxoris ejusdem, usuarium in suis nemoribus quibus homines sui de *Monstreolo* & de *Gresille* utebantur, vobis & monasterio vestro, pasturam quoque pro grangia de *Gresille* & etiam glandem ac faginam pro animalibus vestris ejusdem grangiæ ad eundem Wichardum de jure spectantes contulit intuitu pietatis, prout in litteris inde confectis, dicitur & pleniùs continetur. Nos itaque vestræ supplicationi inclinati, quod super hoc piè & providè factum est ratum & gratum habentes, illud authoritate Apostolicâ confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & BB. Petri & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum apud Urbem veterem Kalendis Maii. Pontificatûs verò nostri anno secundo.

Charta donationis facta à Willermino de Bellarupe *& Margareta uxore sua, de media parte nemoris vulgo* Vionchenoy *Anno 1299.*

JE Villermins de *Boilruy*, Escuyer, & Marguerite sa femme, faisons sçavoir à tous que nous avons vendus, octroyés & acquetés à hommes Religieux l'Abbaye & l'on Convent de *Bonfay* comme franc aleuf pour toujoursmais sans reclamer de nous ne de nos hoirs la moitié du Bois qu'on appelle *Vionchanois* à tenir & avoir loudit Bois asdits Religieux à toujoursmais comme franc aleuf, que tant que lesdits Religieux auroient ou dit Bois lou usuaire en vert & en sec, en passonage & en paturage, & nous sommes dévestus don dit Bois vendu, & en avons envestit lesdits Religieux por toujoursmais,

& mis en corporelle possession par ces presentes Lettres, pour la somme de cinquante livres de boins gros Tournois; laquelle somme d'argent nous avons chûë & reçeuë desdits Religieux en bonne monnoye bien nombrée & contée, & renonçons & avons renonciés à l'exception de la monnoye ne mies cuë & ne mies nombres, à l'exception de deception de *Barat*, de *Boydic* & à toutes autres exceptions & raisons & deffenses & aides de fait, de coutume ou de droit escript & non escript, que en cest fait nous ou nos hoirs pourroient aider & ausdits Religieux neure & an droit que dit generalle renonciation non valoir & specialement si Marguerite des susdits au bénéfice de douaire, de don pour nôces & à tous privileges introdus en la faveur des femmes; & avons promis & promettons par nos foys corporellement donner en lieu de sarement & soub l'obligation de tous nos biens que nous ausdits Religieux garentiront bien & loialement lou dit Bois vendu, envers toutes gens qui à droit vourroient venir, & que nous contre les choses dessus dittes, ne venrons ne ne reclamerons jamais par nous ne par autre; & se nous faisons contre en tout ou en partie, nous volons que nous n'en soyons de rien oy. Et que sages hommes & discrets lis Officiaux de Toul en au Juridiction nos nos mettons tant comme à ces nos excommunié, & fasse dénoncier pour excommuniés par tout à la sole Requeste lesdits Religiouls. En témognige de verité avons nous requis à mettre lou sael de la Core de Toul en ces présentes Lettres, & est encor à sçavoir que parmi cest dit vendage li dit Religiouls doivent faire l'Anniversaire en lor ditte Eglise des ancessoires de moy Willermin dessus dit. Et Nous Officiaux de Toul à la Requeste de Willermin & de Marguerite dessus dite, faite en la présence de nostre fiable Joffroy de Toul Clerc Notaire jurei de nostre ditte Core de Toul, en si comme il lont nos ait raportei au quel nous croyons en cette chose, & en autre avons fait mettre lou sael de laditte Core en ces presentes Lettres en témognage de verité que furent faites l'an notre Seigneur mil deux cents quatre-vins & dix & neuf, lou Diemange aprés feste saint Piere ami Ost en Aost.

Concessà est coram me Jaffredo Presbytero præsentibus Domino Petro Curato loci, *Andero* de *Monte Cort* Armigero. Conone de *Vallous* & Remo de *Gilonville* & pluribus aliis.

Charta donationis mediæ partis nemoris dicti Vionchenois *Ecclesiæ Bonifageti, anno 1303.*

JE Guios de Roloy Escuyer, & je Ysabelle sa fame faisons sçavoir à tous que nous avons vendus octroyés & acquites à homes Religious l'Abbé & lou Covent de Bonfai comme franc aleuf por toujormais sans reclamer de nous ne de nos hoirs, la moitié don Boix on appelle *Vianchenoy* à tenir & avoir lou dit Boix ausdits Religious à toujours mais come franc aleuf, fort que tant que li dit Religioux auroient lor usuaire en dit bois en vert & en sec, en passenage & en pasturage, & nous summes dévêtu don dit Boix vendu, & en avons envestu lesdits Religious por toujoursmais & mis en corporelle possession par ces présentes Lettres por la somme de soixante livres de petits phenisiens fors. Laquelle somme d'argent nous avons eue & reçue desdits Religous en monnoye contée & nombrée, & renonçons & avons renoncés à l'enception de la monnoye ne mies eue & ne mies nombrée, à l'exception de déception de *Barat* de *Bordic* & à toutes autres exceptions, raisons & deffansions & aides de fait & de droit de cottume ou de droit escrit que en cest fait nous ou nos hoirs porroient aider & ausdits Religious neure & en droit qu'on dit generaux renontiations non valoir, & je specialement Ysabelle dessus ditte au bénéfice de Doüaire, de don pour nôces, & à tous privileges introduits en faveur des fames, & avons promis & promettons par nos fois corporellement données en lou de sarement & soubs l'obligation de tous nos biens que nous ausdits Religious garantiront bien & loiaument lou dit Boix vendu envers toutes gens qui à droit vorroient venir, & que nous contre les choses dessus dites ne venrons ne ne reclamerons jamais pour nous ne pour autres, & se nous faisions en contre en tout ou en partie, nous voulons que nous soyons de rien oy; & que sages homes & discrets les Officiaux de la Cour de Toul, en qui Juridiction nous nous mettons, tant come à ceux nous excommunie & face deument dénoncier pour excommuniés par tour à la seule Requeste lesdits Religious. Et est encore à sçavoir que à la Requeste lesdits Religious lor devons donner Lettres saelées du sael honorable homme Duc de Lohoreine dou vandaige dessus dit en la meniere qui est dessus devisée, & en témoignaige de veritat, eruons nous requis de mettre lou sael de la Cour de Toul en ces presentes Lettres. Et est encore à sçavoir que parmi lou dit vandage li dit Religious doient faire l'Anniversaire en lour ditte Eglise des ancesseurs de moy Guiot dessus dit Et nous Officiaux de Toul, à la Requeste de Guiot & Ysabelle sa fame dessus dits, fait en la présence de notre foable Joffroy de Toul, Clerc Notaire & Jurei de nostre Cour de Toul ainsi come il lont nous ent rapportei auquel nous avons en cette chause, & en autres avons fait mettre lou Sael de ladite Cour de Toul en ces presentes Lettres en temoignage de veritei, que furent faites l'an notre Segnor mil trois cents & trois lou lendemain de feste Toussaints. Concessa sunt coram me Joffrido, præsentibus Domino Joanne.

Charta Bartholomæi Laudunensis Episcopi, qua ad Fontanellam *transfert Præmonstrati Virgines, & dotem Sanctimonialibus assignat. an. 1141.*

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Quia inter multimodas humanæ corruptelæ miserias, non ultimum sibi locum oblivio vindicat, huic non mediocriter medetur si pietatis opus ad posteritatis notitiam scripto commendetur. Eapropter Ego Bartholomæus Dei gratiâ Laudunensis Episcopus, Notum esse volo Norberto, viro Deo hominibusque accepto, ejusque Fratribus in valle Præmonstratensi Deo famulantibus, curtem *Fontenellam*, & molendinum quod noviter juxta eandem curtem sumptibus meis construxeram, ob remedium animæ meæ & prædecessorum meorum, veluti Christi pauperibus, perpetuò habendam, concesserim, igitur præcedentibus temporibus Domino Noberto ad Archiepiscopatûs dignitatem promoto, Dominoque Hugone ad prædictorum Fratrum curam subrogato, eidem visum est Hugoni, Sorores suas quæ in eadem valle penès se morabantur, veluti nimis sibi propinquas removere, & ad Deo serviendum longiùs relocare. Ego autem nolens eas ab Episcopio meo exponi, & præcipuè ob spiritalis dilectionis affectum, quem habueram erga Dominam Agnetem, uxorem Domini Andreæ de *Baldimento*, quæ Christo servitura, eisdem Sororibus se conjunxerat apud præfatam curtem *Fontenellam*, constructo eis ex sumptibus meis monasterio, concessu prædicti

Abbatis in vicinitate mea, me earum sperans apud monasterium suffragio adjuvari, eas detinui, & tunc demum vivarium prædicto molendino adjacens, quòd priùs detinueram, in usus earumdem Sororum attribui, quodque mei juris erat in donariis, hominum meorum quæ eisdem Fratribus & Sororibus per Episcopium meum contulerunt, liberè concessi & quasdam terras in confinio ejusdem curtis jacentes, à rusticis quibusdam quos nominabamus, datâ eis terrâ æquè bonâ, cambivimus, ut Fratribus essent viciniores, & ad excolendum promptiores, hæc sunt nomina Rusticorum, Constevalus, Theobaldus, Odo de *Anisi*, & bono frater ejus, Anselmus, Hugo, Rogerus. Quod ut ratum, & inconvulsum perpetuò perseveret, sigilli nostri impressione signamus, & malignorum protervium ab hujus domi nostri temeraria violatione, datâ anathematis sententiâ, coercemus.

Charta Radulphi Dynastæ Cociaci *quâ transmigrationi Sanctimonialium à loco de* Rosieres, *consentit.*

EGo Radulphus Dominus *Cociaci*, Notum facio tam præsentibus, quà futuris, me permisisse & concessisse Domino Hugoni Abbati Præmonstrati, & Fratribus, quòd Sororibus, quas de loco qui *Rosieres* dicitur, transmigrare fecerunt, causâ, ut asserunt, honestatis & pacis, non inquietabo voluntatem eorum, nec Ego nec hæredes mei, nec ipsas nec alias illuc reduci faciemus ad inhabitandum; sed stabimus inde consilio & voluntati præfati Abbatis, & aliorum Abbatum, qui communi deliberatione statuerunt, ut inde transmigrarent, & ut inde certiores reddantur sigilli nostri appositione præsens scriptum confirmari feci.

Diploma Ludovici VII. Regis Francorum, quo datum Bonolio *ab Episcopo Noviomensi nemus confirmat.*

IN Nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti. Ludovicus Dei gratiâ Rex Francorum & Dux Aquinatum, tam modernorum universitati, quàm secuturæ posterorum successioni in perpetuum. Quod ad Regiam pertinet majestatem, sanctorum Patrum vestigiis insistere & pauperum Christi curam gerere eisque in posterum providere decrevimus, ut eo libentiùs quò securiùs vota sua Domino offerant & majori devotionis affectu pro nobis immolare Deo Patri non desistant. Ea propter nemus illud, quod *nemus Episcopi* antiquitus vocatum est, quod inter villam de *Flavi*, & Bonolium est, quod & bonæ memoriæ Balduinus Noviomensis Episcopus, Ecclesiæ Præmonstratensi ad opus Fratrum & Sororum apud *Bonolium* Deo servientium, sub annuo censu perpetuo tenendum cessit & firmavit: Nos quoque eidem Ecclesiæ, quantùm ad nostrum interesse, concedimus in perpetuum; eo tamen tenore quo præfatus Episcopus, illud ei contulit, confirmamus. Et ne qua deinceps Ecclesiastica secularisve persona, præfatam Ecclesiam super hoc inquietare præsumat, ut hoc ratum & illibatum permaneat, & benevolum assensum adhibemus, & sigilli nostri authoritate, atque imaginis nostræ impressione, idoneorumque testium adstipulatione, præsentem paginam communimus. *Signum* Sampsonis Rhemensis Archiepiscopi. *Signum* Balduini Noviomensis Episcopi, *Signum* Matthæi * Constabularii. Actum Lugduni anno Incarnationis Verbi MCL.

* D. Montmorenciaco

Statutum de numero viginti Sororum recipiendarum in Domo de Bonolio, *& modo vivendi earum in communi.*

UNiversis præsentes litteras inspecturis. Hugo Dei patientiâ Abbas Præmonstratensis, & ejusdem loci Conventus, salutem in Domino. Cùm de communi consensu Capituli generalis, causâ pietatis, concessum fuerit & præceptum, ut processu temporis in domo nostra de *Bonolio* recipiantur Sorores, ne ipsarum numerus ad nihilum dirigatur; volentes ut tam receptis, quàm recipiendis ibidem Sororibus, secundùm facultates domûs sufficienter & honestè valeat provideri, de receptione numero, & modo vivendi earum de communi nostro consensu, ita duximus statuendum: scilicet ut cùm aliqua recipienda fuerit in Sororem, recipiatur de Abbatis, Prioris, Subprioris, & aliquorum majorum Ecclesiæ nostræ, qui pro tempore fuerint, communi consilio & assensu, hoc proviso, quòd tam receptæ, quàm recipiendæ in eadem domo Sorores, vigesimum numerum aliquatenùs non excedant; Nec poterunt imposterum ibi esse sive vestitæ, sive vestiendæ plusquàm viginti Sorores, quæ in vestitu, victu, & aliis observantiis Ordinis, prout potuerint, se ad invicem confortantes, in communi Refectorio comedant, nisi sint in Infirmitorio pro ægritudine manifesta, uno pane & eodem potu, eisdemque pulmentis vescantur, communiter vestiantur, in communi laborent, quidquid laboraverint, quidquid habuerint sive redditus, seu alia bona, totum redigatur in commune, & omnia sub communi & certa custodia reserventur, ad præceptum Abbatis, ut pro dispositione ipsius & secundùm ordinem, de iis & aliis necessaria eisdem Sororibus ministrentur. Et si aliquæ rebelles fuerint in hac parte, ad observationem præmissorum per censuram Ecclesiasticam compellantur & puniantur, prout Abbati visum fuerit expedire. Verùm quoniam sæpè multiloquium generat peccatum & perturbat affectum devotionis, ac impedit intentionem orandi, statuimus & volumus firmiter observari, ut eædem Sorores infra Oratorium, Claustrum, Refectorium, & Dormitorium, silentium teneant secundùm Ordinis Instituta: transgredientibus secundùm Statuta eadem puniendis. Et si aliqua voluerit cuiquam loqui, non vadat ad portam, nisi de licentia Magistræ ipsarum, & cum custodia deputata. Et illa quæ habebit ad mandatum Abbatis Magisterium, post ipsum Abbatem super omnes Sorores, non dicatur vel vocetur Priorissa de cætero, sed Magistra, cum nec ipsa Magistra, nec etiam Magister domûs illius, curam habeant animarum annexam. Ut autem præmissa omnia tam à nobis, quàm à receptis, & recipiendis Sororibus, bonâ fide, & firmiter observentur, præsentes litteras fecimus sigillorum nostrorum munime roborari. Actum anno Domini 1240. mense Aprili.

Bulla Innocentii IV. confirmatrix præcedentis Statuti.

INnocentius Episcopus servus Servorum Dei, Dilectis filiis Abbati & Conventui Præmonstratensi, salutem & apostolicam benedictionem. Licet sicut vestra petitio nobis exhibita continebat, dudùm statutum fuerit à vestro generali Capitulo & per Sedem Apostolicam confirmatum, ut Sorores non reciperentur de cætero in domibus & monasteriis

ſteris Ordinis veſtri ſubjectis ; quia tamen ſtatuto hujuſmodi ſcandalizantur plurimi, & eorum devotio non modicum erga ipſa monaſteria refrigeſcit, cùm bona quæ ad ſuſtentationem Sororum ipſis domibus, pietatis intuitu, contulerunt, contra intentionem ipſorum alias convertantur. Nos volentes ſcandalum de ſinceris mentibus amputare, recipiendi, ſtatuto non obſtante, in domo veſtra de *Basolio* uſque ad viginti Sorores, computatis illis quæ ſunt ibidem, quarum numero dicta domus de cætero ſit contenta, vobis,authoritate præſentium, concedimus facultatem. Datum Lugduni tertio Idus Decembris, Pontificatûs noſtri anno quinto.

Charta Goſleni Sueſſionum Epiſcopi, pro confirmatione ſubſtitutionis Præmonſtratenſium in Eccleſia Branenſi. *1145.*

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ego Goſlenus Dei patientia Sueſſionum vocatus Epiſcopus, Petro venerabili Abbati Regularium Canonicorum Eccleſiæ ſanctæ Mariæ, ſanctique Evodii de *Brana*, omnibuſque ſucceſſoribus ejus canonicè ſubſtituendis in perpetuum, ſalutem. Cùm divina miſeratio paternitatem noſtram Sueſſionis in Epiſcopali ſede ſedere diſpoſuiſſet, divinum cultum in Epiſcopatu à Deo nobis commiſſo, ampliare votum habuimus, unde factum eſt ut & antiqua monaſteria in majori Religionis fervore, Deo annuente, promoverentur, & ubi antea non fuerant, Deo cooperante, conſtruerentur ; in quibus Eccleſiaſtica ſervitia per Dei placitum ſine intermiſſione, & Religione creſcunt & numero. Tunc temporis autem Eccleſia ſanctæ Mariæ ſanctique Evodii, quæ intra muros Branæ ſita eſt, per ſeculares Canonicos adminiſtrabatur : eam Dominus Andræas de *Baldimento*, & Agnes uxor ejus, aſſiſtentibus eorum filiis, qui tunc ſuperſtites erant, in manu noſtra reddiderunt, & quidquid dominii vel ipſi, vel anteceſſores eorum, in ea habuerant, omnimodis quietum clamaverunt. Nos verò, divinâ opitulatione, regulares Canonicos ibi ſubſtituimus. Inde factum eſt ut numeroſiores Fratres hoſpitalitati & eleemoſynæ attentiùs intendentes, idem Andreas & uxor ejus præter antiquas poſſeſſiones, de bonis ſuis propriis munerarent. Nos ergo tibi, Petre fili in Chriſto, & Fratribus ejuſdem Eccleſiæ in poſterum providentes, quæcumque inpræſentiarum poſſidet, vel in futurum, Deo volente, quibuſcumque juſtis modis obtinere poterit, præſenti chartâ communire, & ut in ſempiternum inviolatum robur obtineant, imaginis noſtræ impreſſione firmare curavimus. Hæc igitur ſunt ſcilicet homines capitales & vineæ & vinatica & cenſus & terragia, &c. *de bonis & poſſeſſionibus eiſdem quæ in Bulla Eugenii tertii legenda ſunt.* Actum eſt hoc Incarnationis Dominicæ MCXLV. anno, Ludovico regnante in Francia & Aquitania anno xi. Pontificatûs autem noſtri anno xix. Hæmannus Cancellarius recognovit. Hujus confirmationis teſtes ſunt Hugo Præmonſtratæ Eccleſiæ Abbas, Walterus Abbas ſancti Medardi, Ervaldus Abbas Monachorum ſancti Criſpini, Anſculfus Præpoſitus, Nivelo Archidiaconus, Theobaldus Archidiaconus, Willermus Archidiaconus, Radulfus Archidiaconus & Theſaurarius, Joannes Capellanus. De Militibus Ivo Comes Sueſſion. Gerardus de *Cherſi*. Petrus de *Brana*, Ingelrannus *Matiſarz*. Bartholomæus de *Brana*, Paganus Præpoſitus.

Charta ſecunda Goſleni Sueſſionenſis Epiſcopi, pro confirmatione donationis Decimæ ſancti Albini, Eccleſiæ Branenſi, *anno 1137.*

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ego Goſlenus, Dei patientiâ, Sueſſionum Epiſcopus, Petro, ejuſdem gratiâ, venerabili Abbati Branenſis Eccleſiæ Beatæ Mariæ, ſanctique Evodii, ejuſque Succeſſoribus Canonicè ſubſtituendis, in perpetuum. In Epiſcopali ſede ideò nos a Deo collocatos cognoſcimus ut in malorum perturbationibus viriliter reſiſtamus, & bonorum quieti ipſorumque amplificationibus diligentiùs ſtudeamus. Quapropter, Frater in Chriſto, ad præſentium, futurorumque notitiam extendere volumus quòd Albricus de *Calviaco*, qui dicitur *Pellez*, decimam villæ quæ dicitur ſancti Albani, & in noſtro Epiſcopatu ſita eſt, quam in ſuo dominio, tenebat conſenſu Hemelinæ uxoris ſuæ ſecundæ, reddidit in manu Rainaldi Comitis Sueſſionenſis, de cujus feodo illam habebat, Comes verò rogatu ipſius Albrici in manu noſtra reddidit & refutavit. Hàc quidem utriuſque petitione ut ipſam decimam conferrent tibi & Eccleſiæ tuæ, ob remedium animarum ſuarum & ſuorum prædeceſſorum, ſibique attinentium, ad ſuſtentationem Fratrum & Sororum inibi Deo ſervientium. Factum eſt autem hac diſtinctione, ut in vita ſua quandiù vellent ipſe Albricus, & prædicta uxor ejus Hemelina & quidam eorum filius nomine Adulfus, omnes reditus ipſius decimæ haberent, niſi, gratiâ Dei inſpirante, in aliqua converterenrur Eccleſia, ad recognitionem doni præfatæ Eccleſiæ facti, ſingulis annis duos modios frumenti de eadem decimâ ipſi Eccleſiæ redderent communi menſurâ ejuſdem villæ, & poſt eorum obitum ſive converſionem, omnia in poſſeſſione ſæpè fatæ Eccleſiæ manerent. Ut autem factum, ratum & inconvulſum permaneat ſcriptum, authoritate noſtrâ confirmavimus, & ſigilli noſtri impreſſione ſubſignavimus. Si quæ igitur Eccleſiaſtica ſeculariſve perſona, hanc noſtræ inſtitutionis formam irritare, vel temerario auſu deſtruere tentaverit, ſecundò, tertiòve commonita, niſi de tanta præſumptione ſatisfecerit, anathemati ſubjaceat. Actum eſt anno Incarnationis Dominicæ MCXXXVII. Epacta xxvi. quarto concurrente, indictione xv. Actum eſt xi. anno Epiſcopatûs noſtri. Huic donationi interfuerunt Walterus Archidiaconus, Abbas Vivarienſis, Magiſter Arduinus, Joannes Capellanus, Petrus de *Brana*, Walterus de *Baſoches*, Odo *Lacampenois*.

Bulla Eugenii III. confirmantis omnia bona Eccleſiæ Branenſis. *An. 1147.*

EUgenius Epiſcopus ſervus Servorum Dei. Dilectis filiis Petro Abbati Eccleſiæ Beatæ Mariæ & ſancti Evodii de *Brana*, ejuſque Fratribus tam præſentibus, quàm futuris regularem vitam profeſſis, in perpetuum. Religioſis deſideriis dignum eſt facilem præbere conſenſum, ut fidelis devotio celerem ſortiatur effectum. Quapropter, dilecti in Domino filii, veſtris juſtis poſtulationibus clementer annuimus & præfatam Eccleſiam in qua divino mancipati eſtis obſequio, ſub Beati Petri & noſtra protectione ſuſcipimus, & præſentis ſcripti privilegio communimus, ſtatuentes ut quaſcunque poſſeſſiones, quæcunque bona eadem Eccleſia inpræſentiarum juſtè

& canonicè poſſidet, aut in futurum conceſſione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, ſeu aliis juſtis modis, Deo propitio, poterit adipiſci, firma vobis, veſtriſque ſucceſſoribus & illibata permaneant, in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Homines videlicet capitales, vineas, vinatica, cenſus & terragia, & quidquid habetis in caſtro *Brana* (*a*) totam villam *Vacinus* (*b*), exceptâ terrà ſancti Medardi, terram *Spiritelli* (*c*) cenſum apud *Converellam* (*d*) decem ſolidos & quandam culturam, totam decimam de curia *Macenorum* (*e*) quatuor ſextarios frumenti de molendino Hugonis filii Radulfi apud montem *ſancta* (*f*) *Maria*, quatuor ſextarios frumenti de mina & cenſu, apud *Quincy* (*g*) cenſus, apud *Toniam* (*h*) decem ſolidos cenſuales & ſeptem de hoſpitibus & reditus avenæ & terragium. Apud *Lus* (*i*) cenſus, vinaticum & terragium. Apud *Cerſeolium* (*k*) altare & totam decimam in culturis Domini ipſius villæ, vineas, terras arabiles & molendinum. Apud *Limet* (*l*) vineas & vinaticum. Apud *Legiam* (*m*) cenſus & terragium. In decima de *Cury* (*n*) modium frumenti. Apud *Cremella* (*o*) cenſus. Apud *Villers* (*p*) cenſus & terragium. Apud *Beſtiſi* (*q*) cenſus. Apud *Villare* ſuper *Axonam* (*r*) vinaticum, cenſus & terragium. Apud *Arſeium* (*ſ*) vinaticum & cenſus. Apud *Ducellum* (*t*) cenſus, terragium & vinaticum. Apud *Curcellas* (*u*) cenſus, terragium & vinaticum & pratum. Apud *Brainellam* (*x*) vinaticum, cenſus & terragium & prata & torcular. Apud *Ay* (*y*) cenſus & fraxinum, quatuor ſextarios frumenti in quodam molendino, redecimationem Dominii Caſtri *Brana*, vini vinearum, torcularium, & vinaticorum ſuorum & totius annonæ, in furnis videlicet, in molendinis, in propriis agriculturis, in terragiis, in reditu avenæ & fœni, & redecimationem totius annonæ trium villarum ſcilicet *Villers* & *Villa media* & in avena quæ ei pro uſu nemoris debet, ita videlicet ut ubicunque dominii poſſeſſio transferatur prædictæ Eccleſiæ, ſua redecimatio reſervetur, & quidquid habebat in piſcatione molendinorum *Brana*. Curiam de *Bruerius* (*a*) cum pertinentibus ſuis. Molendinum de *Joi*. (*b*) Decimam & terragia, & cenſus quarumdam culturarum de Eccleſia ſancti Petri de *Hannon* (*c*) ad cenſum quinque ſolidorum. Hoc etiam ab eodem Domino conceſſum eſt vobis ut omnes feodati ſui de feodis ſuis, quæ ab eo tenebant, licenter vobis eleemoſynas facerent. Quartam partem paſcuarum de *Granges* (*d*) & terras arabiles tres *Ancy* (*e*) unum molendinum, duas partes magnæ decimæ de *Blanſi* (*f*) terras arabiles, vineas, molendinum, pratum & nemus. Totam curiam de *Sarteas* (*g*) & quidquid pertinet ad illam curiam. Quartam partem decimæ de *Vailly*. (*h*) Apud *Vergels* (*i*) cenſus. Curiam de *Curtialt* (*k*) & quidquid ad ipſam curiam pertinet in Sueſſionenſi civitate, modium ſalis, & modium vini, & decem ſolidos cenſuales. In Laudunenſi Epiſcopatu duo molendina & terram arabilem quam dedit vobis Bartholomæus Epiſcopus ad cenſum duodecim nummorum. Apud *Bergam* quinque millia allecium & decem pondera caſeorum. Sanè laborum veſtrorum quos propriis manibus aut ſumptibus colitis, ſive de nutrimentis veſtrorum animalium nullus omnino à vobis decimas exigere præſumat. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatam Eccleſiam temerè perturbare, aut ejus poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, aut aliquibus vexationibus fatigare, ſed omnia integra conſerventur, eorum pro quorum gubernatione & ſuſtentatione conceſſa ſunt, uſibus ommimodis profutura, ſalvâ ſedis Apoſtolicæ authoritate, & Diœceſanorum Epiſcoporum canonicâ juſtitiâ. Si quæ igitur in futurum Eccleſiaſtica ſæculariſve perſona, hanc noſtræ conſtitutionis paginam ſciens, contra eam temerè venire tentaverit, ſecundò tertiòve commonita, ſi non ſatisfactione congruâ emendaverit, poteſtatis honoriſque ſui dignitate careat, reamque ſe divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & à ſacratiſſimo Corpore & Sanguine Dei & Domini Redemptoris noſtri Jeſu Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine diſtrictæ ultioni ſubjaceat. Cunctis autem eidem loco juſta ſervantibus, ſit pax Domini noſtri Jeſu Chriſti, quatenùs & hîc fructum bonæ actionis percipiant, & apud diſtrictum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Datum Pariſiis per manum Hugonis Preſbyteri Cardinalis, agentis vicem Domini Guidonis ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Diaconi Cardinalis & Cancellarii. Menſis Maii. Indictione x. Incarnat. Dominicæ anno MCXLVII. Pontificatûs verò Domini Eugenii Papæ tertii anno tertio.

Bulla Adriani Papæ IV. quâ confirmatur ſubſtitutio Præmonſtratenſium in Eccleſia Beatæ Mariæ ſanctique Evodii de Brana *Anno 1154.*

ADrianus Epiſcopus ſervus Servorum Dei, dilectis filiis Radulpho Abbati Eccleſiæ Beatæ Mariæ & ſancti Evodii de *Brana*, ejuſque Fratribus tam præſentibus, quàm futuris regularem vitam profeſſis, in perpetuum. Regularem vitam eligentibus Apoſtolicum convenit adeſſe præſidium, ne fortè cujuſlibet temeritatis incurſus aut eos à propoſito revocet, aut robur, quod abſit, ſacræ Religionis infringat. Quapropter, dilectiſſimi in Domino filii, veſtris juſtis poſtulationibus clementer annuimus, & præfatam Beatæ Dei Genitricis Mariæ ſanctique Evodii Eccleſiam, in qua divino mancipati eſtis obſequio, ſub Beati Petri & noſtra protectione ſuſcipimus, & præſentis ſcripti privilegio communimus. Imprimis ſiquidem ſtatuentes ut Ordo Canonicus, quem profeſſi eſtis ſecundùm Beati Au-

(*a*) Braine.
(*b*) Vallenis.
(*c*) Eſpretelle.
(*d*) Courvelles.
(*e*) La cour des Moines.
(*f*) Mont Notre-Dame.
(*g*) Quincy.
(*h*) Juagne.
(*i*) Luy
(*k*) Cerſeüil
(*l*) Lymé.
(*m*) Leige.
(*n*) Cuiry.
(*o*) Cramaille.
(*p*) Villers.
(*q*) Beuſi.
(*r*) Villers ſur Ayne.
(*ſ*) Pontarcy.
(*t*) Duiſels.
(*u*) Courcelles.
(*x*) Brenel.
(*y*) Ay.
(*a*) Bruyeres.
(*b*) Jouy.
(*c*) Haſnon.
(*d*) Grangias.
(*e*) Port Dancy.
(*f*) Blanſy.
(*g*) Serriaux.
(*h*) Vaiſſy.
(*i*) Vergely.
(*k*) Curtiaux.

gustini Regulam & institutionem Fratrum Præmonstratensium, in eadem Ecclesia perpetuis temporibus inviolabiliter servetur; postea quascumque possessiones quæcunque bona inpræsentiarum justè & canonicè possidetis, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, Deo propitio, poteritis adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant, in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis, homines videlicet capitales, *& cætera quæ in Bulla Eugenii tertii legenda sunt.* Datum Romæ apud sanctum Petrum per manum Rolandi sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyteri Cardinalis & Cancellarii. Non. Jan. Indict. 2. Incarnationis Dominicæ anno MCLIV. Pontificatûs verò Domini Adriani Papæ IV. anno primo.

Charta Gosleni Suessionensis Episcopi, quâ testatur Branensibus Religiosis in eleemosynam datum esse quoddam vivarium ab Agnete Branensi Domina. 1150.

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Goislenus, Dei patientiâ, Suessonum vocatus Episcopus, Radulpho venerabili Abbati de *Brana*, omnibusque successoribus ejus canonicè substitutis, in perpetuum. Notum fieri volo tam præsentibus, quàm futuris, quòd Agnes Branæ Domina, ob remedium animæ suæ prædecessorumque suorum, & Milonis mariti sui, Comitis de *Barro*, vivarium quod est apud *Ancy*, & piscaturam cum universa superiore aqua, quæ ad eam pertinebat, Ecclesiæ S. Mariæ, sanctique Evodii de *Brana* dedit, & ut firmius esset, super altare de *Brnierus* per librum posuit. Hujus rei testes sunt Hugo Abbas de Præmonstrato, Godefridus Abbas de *Castro Theoderici*; Girelmus Abbas de *Carthovoro*; Gisslebertus Miles de *Firmitate*; Ado de *Corlandon*. Actum anno Incarnationis Dominicæ MCL.

Charta Roberti Comitis Drocarum, & Branæ Domini, pro Abbatia S. Evodii de Brana. *Anno 1179.*

NOverint omnes tam præsentes, quàm futuri, quòd ego Robertus Comes Drocarum, & Dominus Branæ, Frater illustris Regis Francorum, & carissima uxor mea Agnes Comitissa Branæ, assensu dilecti filii nostri Guillelmi, & omnium filiorum nostrorum, concessimus Ecclesiæ B. Mariæ sanctique Evodii de *Brana*, quòd ubicumque Fratribus ejusdem Ecclesiæ placuerit, habeant in nemore nostro singulis diebus de nemore mortuo, quantùm magis una biga cum duobus equis portare poterit; ob remedium animæ piæ memoriæ Domini Henrici Fratris nostri, Remensis Archiepiscopi. Actum anno Incarnationis Dominicæ MCLXXIX.

Charta Nicolai Domini de Basochiis, *pro Abbatia S. Evodii Branensis. Anno 1189.*

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ego Nicolaus Dominus de *Basochiis*, universis notum facio, quòd assensu Agnetis uxoris meæ, Nicolai filii nostri, cæterorumque liberorum nostrorum, omnem terram quam juxta *Courtiaus* tenebant de monasterio S. Theobaldi ad trecensum x. solidorum, Fratribus Ecclesiæ B. Mariæ sanctique Evodii de *Brana*, vendidi & contuli in eleemosynam sub eodem trecensu perpetuò possidendam &c. Hanc igitur pactionem laudaverunt & approbaverunt Abbas & Capitulum majoris monasterii, Agnes Comitissa Branæ, Robertus Comes filius ejus, & Yolendis uxor sua, & prædicti Comitis Fratres Willelmus & Joannes, Raynaldus de *Corlandon*, & Falcâ uxor ejus. Inde sunt testes pariter & obsides Dominus Willelmus Archiepiscopus Remensis, & Dominus Nivelo Episcopus Suessionensis, Robertus Comes Branæ. Actum anno ab Incarnatione Domini MCLXXXIX.

Littera Joannis Comitis Drocarum, & Domini Branensis, quibus Abbatia S. Evodii de Brana *confirmat varias eleemosynas & legata. Anno 1241.*

NOverint universi tam præsentes, quàm futuri, quòd Joannes Comes Drocarum & Dominus Branæ, omnes eleemosynas & legata, quæ sunt de feodo & dominio meo, ab Antecessoribus meis facta viris Religiosis Abbati & Conventui S. Evodii de *Brana* usque in præsentem diem, pacificè & quietè possidenda concessi: pratum maximè quod dicitur *Mortuum-mare*, quod bonæ memoriæ Joannes de *Brana*, quondam Comes Masticonensis, avunculus meus, in perpetuam eleemosynam dictæ Ecclesiæ S. Evodii contulit, &c. Item decem libras Pruvinensis monetæ, quas Yolendis amita mea, quondam Comitissa de *Ango*, de voluntate & assensu mariti sui Radulphi de *Issoudun* Comitis de *Ango*, dedit in eleemosynam supradictæ Ecclesiæ, &c. Item eleemosynam Gaufridi de *Ango* Militis &c. Actum anno gratiæ MCCXLI.

Charta Friderici Brandeburgensis Episcopi, concedentis monasterio sanctæ Mariæ Magdeburgensis jus patronatûs Parochiæ in Schartouve.

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Fredericus, Dei gratiâ, Brandeburgensis Ecclesiæ Episcopus, Joannes Præpositus, Walterus Prior, totumque Capitulum ejusdem Ecclesiæ, Universis tam præsentibus quàm futuris in vero salutari salutem & sinceram in Domino charitatem. Sicut ingratitudinis vitium fluenta gratiæ & fontem liberalitatis exsiccat, sic utique gratitudinis virtus accendit animos devotorum in amplioris fidei & plenioris sinceritatis affectum, ut ergo purum fiat quidquid circa devotos agimus & sincerum, statum ipsorum cupimus ampliari potiùs quàm arctari. Postquam ergo ex quadam permutatione jus patronatûs Ecclesiæ Parochialis sancti Sebastiani in villa *Schartouve*, Diœcesis Brandeburgensis, ad honorabilem virum Præpositum Dominum, & Ecclesiam seu monasterium Beatæ Mariæ Virginis in *Madeburg* Ordinis Præmonstratensis, titulo permutationis fuisset translatum; considerantes qualiter præfata Ecclesia sanctæ Mariæ, tam jugiter quàm præclarè præ cæteris sit devota, ac præfulgeat corpore Reverendissimi Patris Norberti, qui ibidem memoriter in tumba requiescit, attendentes quoque quomodo nostra Ecclesia cum similibus salutiferis gaudet, & fulcitur edictis Norbertinis, cupientes nunc opportuno tempore prædictam Ecclesiam Beatæ Mariæ aliquo speciali salutare ad honorem Dei Patris omnipotentis, ac ad laudem Almæ Virginis Mariæ jam dictæ Ecclesiæ Patronæ, nec non ad decorem Serenissimi Patris Norberti ex multa deliberatione dudum præhabita, ut præsentia cedant in capacitatis memoriam, in futuro volumus & ordinamus infra scriptam nostram ordinationem ac incorporationem in perpetuum valituram, videlicet quòd Plebanus quicunque seu rector Ecclesiæ præfatæ in *Schartouve*, qui tempore fuerit, VI. marcas ar-

genti Stendalgensis, Magdeburgensis ponderis, & octo choros diversi generis annonæ supra dictis Præposito qui pro tempore fuerit, & Ecclesiæ sanctæ Mariæ singulis annis in perpetuum, & cunctis temporibus sæculorum de reditibus & proventibus ipsius Ecclesiæ analis in *Schartowe* ad usus præfati Præpositi ac ipsius Ecclesiæ persolvet, præsentabit, donabit, atque dabit ad diem sancti Martini hiemalem; quas VI. marcas & octo choros ad usus dictæ Ecclesiæ sanctæ Mariæ in *Magdeburg* incorporamus, ad quam etiam præstationem & persolutionem redituum prædictorum, sæpè dictis Præposito & Ecclesiæ permittitur sic liberè, sic piè faciendam omnem qui in dicta Ecclesia Parochiali Plebanus seu rector Ecclesiæ Parochialis inventus fuerit, aut se pro Plebano vel rectore gesserit, vel habuerit, cujuscunque statûs vel conditionis fuerit, singulis annis nunc & in perpetuum volumus obligari: si verò quoquo modo talis rector præfatæ Ecclesiæ parochialis contra prædictam nostram ordinationem noviter aut in solutione prædictorum redituum negligens seu rebellis fuerit, aut quidquam fecerit per se vel per alium, aliquâ causâ vel ingenio, de jure vel de facto, sub pœna duplici dictæ summæ VI. marcarum & refectione damnorum & expensarum litis, & extra ad prædicta sciat se teneri, & pœnâ solutâ, vel non, prædicta damna & singula rata & firma permaneant, & durent. Ne igitur beneficium sicut præmittitur gratanter factum, fiat nobis & Ecclesiæ Brandeburgensi in posterum inutile & damnosum, in omnibus præmissis prout narrata sunt & narrantur, jura Episcopalia Ecclesiæ nostræ Brandeburgensi, ac Præpositi ejusdem Ecclesiæ & loci, in universis & singulis ac in Kathedratico, Synodatico & Synodalibus suo tempore dandis & præstandis, nec obstantibus, nec præjudicantibus præmissis, nobis retinemus semper salva. Ad hæc adjicimus quotiescumque quandocumque & ubicumque ab Episcopo Brandeburgensi, qui pro tempore fuerit, seu ab ipsa Ecclesia Brandeburgensi contigerit fieri ab ipsa Diœcesi Brandeburgensi in Cleros seu Clericos precariam exactionem, seu subsidium generale vel speciale, ex nunc prout ex tunc, precariam exactionem seu subsidium quoad æstimationem viginti & octo frustorum redituum nobis & Ecclesiæ Brandeburgensi retinemus, hoc est prædicta Ecclesia sanctæ Mariæ in *Magdeburg* unà cum præfata Parochiali Ecclesia in *Schartowe*, seu Rectore ejusdem Ecclesiæ in *Schartowe*, qui pro tempore fuerit, nomine ipsius Ecclesiæ parochialis pro viginti & octo frustis in tali precaria exactione seu subsidio, contribuere & solvere tenebuntur nobis & Ecclesiæ Brandeburgensi, quæ summa viginti & octo fuit, est & erit vetus & antiqua æstimatio Ecclesiæ in *Schartowe* prælibatæ, item ejusdem Plebanum seu Rectorem Ecclesiæ ad mandata nostra recipienda & illa exequenda ad omnia talia & singula facienda quæ subditi nostri & Ecclesiarum Rectores seu Plebani inter Dyoc nobis & Ecclesiæ Brandeburgensi faciunt & obediunt, obligatum esse volumus & adstrictum. Testes prædictæ ordinationis & incorporationis sunt honorabilis Vir Dominus Otto de *Brena* Canonicus & Cellarius Ecclesiæ Magdeburgensis. Dominus Joannes Præpositus Ecclesiæ Brandeburgensis & totum ejusdem Ecclesiæ Capitulum, Albertus dictus *Storm* Notarius noster, & quam plures alii fide digni. Præterea potestamur, imo specialiter nobis reservamus & retinemus quòd propter dictam ordinationem & incorporationem & gratiæ factionem nostram nullum præjudicium & incommodum de jure & de facto quod nunc & quocumque tempore in posterum poterit suscitari nobis & Ecclesiæ Brandeburgensi, volumus generari; sed secundùm nostrum arbitrium & placitum in dicta Ecclesia in *Schartowe* plenè nobis retinemus potestatem & voluntatem cuncta & singula facere quæ in parochiis & Ecclesiis parochialibus nostræ Diœcesis facimus aut in futurum faciemus, nec non Plebanum seu Rectorem dictæ parochialis Ecclesiæ qui pro tempore fuerit in his & similibus & aliis Ecclesiis parochialibus nostræ Diœcesis requiruntur & exiguntur per præsentes nostras litteras & præsentem nostram protestationem, ordinationem & conservationem volumus obligari: ut autem prædicta nostra ordinatio, incorporatio & omnia prædicta sicut à bona voluntate & liberalitate nostra procedunt, perpetuâ stabilitate ac sollicitudine, ac futuro tempore firma & inconvulsa à cunctis fidelibus habeantur & observentur, præsens inde privilegium conscribi præcipimus nostrarum imaginum impressionibus & sigillorum nostrorum munimine roboratum. Actum & datum anno Domini millesimo trecentesimo nono. Pontificatûs nostri Fred. antedicti Episcopi

Charta Friderici Brandeburgensis Episcopi, transferentis Ecclesiæ B. Mariæ Magdeburgensis, jus patronatûs Ecclesiæ Burch.

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis Fredericus, Dei gratiâ, Brandeburgensis Ecclesiæ Episcopus, Joannes Præpositus, Walterus Prior, totumque Capitulum ejusdem Ecclesiæ, Universis tam præsentibus, quàm futuris, in vero salutari salutem & sinceram in Domino charitatem. Sicut ingratitudinis vitium fluenta gratiæ & fontem liberalitatis exsiccat, sic utique gratitudinis virtus accendit animos devotorum in amplioris fidei & plenioris sinceritatis affectum, ut ergo purum fiat quidquid circa devotos agimus, & internum statum ipsorum cupimus ampliari potiùs quàm arctari. Postquàm ergo ex quadam permutatione jus patronatûs Ecclesiæ Parochialis sanctæ Mariæ in civitate *Burch* & ipsius appenditiæ Ecclesiæ sancti Nicolai Diœcesis Brandeburgensis, ad honorabilem virum Dominum Præpositum & Ecclesiam seu monasterium Beatæ Mariæ Virginis in *Magdeburg*, Ordinis Præmonstratensis, titulo permutationis fuisset translatum, considerantes qualiter præfata Ecclesia sanctæ Mariæ tam jugiter quàm præclarè præ ceteris sit dotata, ac præfulgeat corpore Reverendissimi Patris Norberti qui ibidem memoriter in tumba requiescit, attendentesque quomodo nostra Ecclesia cum similibus salutiferis gaudet & fulcitur edictis Norbertinis, cupientes nunc opportuno tempore prædictam Ecclesiam Beatæ Mariæ aliquo speciali salutare ad Dei Patris omnipotentis ac ad laudem Almæ Virginis Mariæ jam dictæ Ecclesiæ Patronæ, nec non ad decorem Serenissimi Patris Norberti, ex multa deliberatione dudum præhabita, in capacitatis memoriam, in futuro volumus & ordinamus infra scriptam nostram ordinationem ac incorporationem in perpetuum valituram, videlicet quòd Plebanus seu Rector Ecclesiæ præfatæ in *Burch*, qui pro tempore fuerit, quadraginta marcas argenti Stendalliensis, Magdeburgensis ponderis, supra dictis Præposito qui pro tempore fuerit, & Ecclesiæ sanctæ Mariæ singulis annis in perpetuum & cunctis temporibus singulorum, de reditibus & proventibus ipsius Ecclesiæ Parochialis in *Burch*, ad usus præfati Præpositi ac ipsius Ecclesiæ persolvet, præsentabit, donabit, atque dabit ad diem sancti Martini hiemalis, quas marcas quadraginta ad usus dictæ Ecclesiæ in *Magdeburg* sanctæ Mariæ incorporamus, ad quam etiam præstationem & persolutionem redituum qua-

draginta marcarum prædictarum sæpedictis Præposito & Ecclesiæ permittitur, ut liberè sic piè faciendam omnem quæ in dicta Ecclesia parochiali Plebanus seu Rector Ecclesiæ parochialis inventus fuerit, aut se pro Plebano vel Rectore gesserit, seu habuerit, cujuscunque status vel conditionis fuerit, singulis annis nunc & in perpetuum volumus obligari. Si verò quocumque modo talis Rector præfatæ Ecclesiæ parochialis, contra prædictam nostram ordinationem & incorporationem venerit, aut in solutione prædictarum marcarum negligens seu rebellis fuerit, aut quidquam fecerit per se vel per alium aliquâ causâ vel ingenio ; de jure, vel de facto ; sub pœna duplici dictæ summæ pecuniæ & refectione damnorum & expensarum litis & extra, ad prædicta sciat se teneri, & pœnâ solutâ, vel non, prædicta omnia & singula rata & firma permaneant & perdurent. Ne igitur beneficium, sicut præmittitur gratanter factum, fiat nobis & Ecclesiæ Brandeburgensi in posterum inutile & damnosum, in omnibus præmissis prout narrata sunt & narrantur, jura Episcopalia Ecclesiæ nostræ Brandeburgensis ac Præpositi ejusdem Ecclesiæ & loci in universis & singulis, & in Cathedratico, Synodatico & Synodalibus suo tempore dandis & præstandis, nonobstantibus nec præjudicantibus præmissis, nobis retinemus semper salva. Ad hæc addicimus quotiescumque quandocumque & ubicumque ab Episcopo Brandeburgensi qui pro tempore fuerit, seu ab ipsa Ecclesia Brandeburgensi contigit fieri in ipsa Diœcesi Brandeburgensi in Cletos seu Clericos precariam exactionem seu subsidium generale vel speciale, ex nunc prout ex tunc, precariam exactionem seu subsidium generale quoad æstimationem centum frustorum redituum nobis & Ecclesiæ Brandeburgensi retinemus, hoc est prædicta Ecclesia sanctæ Mariæ in *Magdeburg* unà cum præfata parochiali Ecclesia & sua appenditia in *Burch*, seu Rectore ejusdem Ecclesiæ in *Burch*, qui pro tempore fuerit, nomine ipsius Ecclesiæ parochialis, pro centum frustis in tali precaria exactione seu subsidio contribuere & solvere tenebuntur nobis & Ecclesiæ Brandeburgensi, quæ summa centum frustorum fuit, est & erit vetus & antiqua æstimatio Ecclesiæ in *Burch* prælibatæ, item eundem Plebanum seu Rectorem Ecclesiæ, ad mandata nostra recipienda & illa exequenda & ad omnia alia & singula facienda quæ subditi nostri & Eclesiarum Rectores seu Plebani nostræ Diœceseos, nobis & Ecclesiæ Brandeburgensi faciunt & obediunt, volumus esse adstrictum & obligatum. Testes prædictæ ordinationis & incorporationis sunt honorabilis Vir Otto de *Brena* Canonicus & Cellarius Ecclesiæ Brandeburgensis, Dominus Joannes Præpositûs Ecclesiæ Brandeburgensis, Joannes de *Milanu* Canonicus regularis ejusdem Ecclesiæ. Frater Henricus dictus de *Apelt*, Sanctorum Fratrum Minorum in *Magdeburg* Albertus dictus *Storm* Notarius noster & alii quamplures fide digni. Præterea potestamur, imo specialiter nobis reservamus & retinemus, quòd propter dictam ordinationem, incorporationem, & gratiæ factionem nostram, nullum præjudicium & incommodum de jure & de facto, quod nunc & quocumque tempore in posterum poterit suscitari nobis & Ecclesiæ Brandeburgensi volumus gravari, sed secundùm nostrum arbitrium & placitum, in dicta Ecclesia parochiali in *Burch*, plenè nobis retinemus potestatem & voluntatem ponendi & instituendi capitula nostra, & cuncta & singula facere quæ in Parochiis & Ecclesiis Parochialibus nostræ Diœcesis facimus aut in futurum faciemus, nec non Plebanum seu Rectorem dictæ parochialis Ecclesiæ qui pro tempore fuerit, in his quæ in similibus & aliis Ecclesiis parochialibus nostræ Diœcesis requiruntur & exiguntur, per præsentes nostras litteras & præsentem nostram ordinationem, protestationem & conservationem volumus obligari. Ut autem prædicta nostra ordinatio & incorporatio & omnia prædicta sicut à bona voluntate & liberalitate nostra procedunt, perpetuâ stabilitate ac sollicitudine ac futuro tempore firma & inconvulsa à cunctis fidelibus habeantur & conserventur, præsens inde privilegium conscribi præcipimus nostrarum Imaginum impressionibus ac sigillorum nostrorum munimine roboratum. Actum & datum *Brandeburg* anno Domini MCCCVIII. duodecimo Kal. Martii Pontificatûs nostri Frederici ante dicti Episcopi anno quinto.

Bulla Alexandri VII. pro confirmatione fundationis Briolarum *anno 1660. ad Officialem Remensem directa.*

DIlecte fili, salutem & Apostolicam benedictionem. Nuper pro parte dilecti filii Petri de *Cadnet* Nobilis, Presbyteri Remensis, seu alterius Diœcesis, nobis expositum fuit quòd parochialis Ecclesia de *Briolis* ad Mosam, Remensis Diœcesis, à Priore & Conventu monasterii sancti Pauli Virdunensis Ordinis Præm. dependens, illiusque parochianorum cura per unum Presbyterum regularem ejusdem Ordinis ad nutum Prioris ejusdem monasterii pro tempore existentis, manualem & amovibilem, exerceri consuevit, ipseque Petrus pro sua erga Deum pietate, de suis propriis bonis, de quibus testari, aut aliàs legitimè disponere poterat, in proprio suo fundo, unam domum regularem, sive unum Seminarium vel Residentiam, aut Novitiatum communem vel ad usum Studii generalis Congregationis Canonicorum Regularium reformatorum ejusdem Ordinis, cujus Superior ad nutum Capituli annui dictæ Congregationis ponendus & amovendus, curam animarum Parochianorum dicti loci, & alias parochiales functiones exerceat, perpetuò fundavit, & pro illorum sustentatione & manutentione, competentem reditum annuum in bonis stabilibus ad eum spectantibus, legitimè assignavit & attribuit, ac pro validitate fundationis ac dotationis hujusmodi, ipsiusque novæ domûs regularis firmiori subsistentia, ad infra scriptam cum dilectis filiis Vicario generali, & aliis deputatis Capituli generalis dictæ Congregationis devenit transactionem ultimò, quòd ususfructus bonorum per dictum Petrum ut præfertur, assignatorum, per modum precarii, eidem Petro, quoad vixerit, cedant, vel illorum ratione & pro fructibus compensativis, Religiosi dictæ domûs regularis pro tempore existentes, annuatim quingentas libras Turonenses, memorato Petro, quoad vixerit, rependere & solvere debeant, quòdque domus ipsa, seu illius Religiosi & Canonici nullo unquam tempore titulum vel denominatione Prioratûs, vel monasterii assumere possint, sed titulo Seminarii, vel Residentiæ, aut Novitiatûs communis, vel Studii Generalis dictæ Congregationis perpetuò contenti esse debeant, sub pœna caducitatis & privationis dictæ donationis, ipsique Religiosi divina officia, juxta Ordinis Præmonst. instituta celebrare, & Litanias juxta dicti Petri mentem, clarâ & intelligibili voce in Ecclesia seu Capella dictæ domûs regularis recitare, ac unam pro Fundatoribus dictæ domûs inter quos numerare debeat dilectus filius modernus Comes de *Charot*, ejusque familia, & iterum anniversaria pro prædicto Petro in die ejus obitûs, singulis annis & quolibet die, unam missam tam pro dicti Petri quam parentum

suorum & quondam Annæ de *Chicolis* dum viveret mulieris Nobilis, celebrare debeant, ac aliàs prout in diversis scripturis desuper confectis quarum tenor pro plenè & sufficienter expresso haberi volumus, uberiùs dicitur contineri. Cùm autem sicut eadem expositio subjungebat, idem Petrus præmissa pro illorum firmiori validitate & subsistentia Apostolicæ nostræ confirmationis patrocinio roborari plurimùm desideret: Nos eundem Petrum specialibus favoribus & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis à jure vel ab homine quàvis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existat, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus prædicti Petri nomine, nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, discretioni tuæ per præsentes committimus, & mandamus, ut constito tibi, de narratis assignatione & transactione hujusmodi, aliaque præmissa ac desuper confecta instrumenta seu scripturas cum omnibus & singulis in illis contentis licitis tum & honestis ac regularibus memorati Ordinis institutis non contrariis per authoritatem nostram Apostolicam confirmes & approbes, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicias, ac omnes & singulos, tam juris, quàm facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, eâdem authoritate suppleas, nonobstantibus Apostolicis ac in Generabilibus, Provincialibusque Conciliis, Edictis generalibus vel specialibus Constitutionibus, & Ordinibus, ac dicti Ordinis & juramento confirmatione Apostolicâ, vel aliâ quàvis firmitate roborato, statutis & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis & terminis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis confirmatis & innovatis, quibus omnibus & singulis illorum tenorem præsentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ut ad præmissorum effectum hâc vice duntaxat, specialiter derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque. Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem sub annulo Piscatoris die quintâ Januarii MDCLX. Pontificatûs nostri anno quinto.

Charta Eduardi II. Regis Angliæ, fundationem & possessiones Parthenii de Brodholme, *confirmantis.*

REx omnibus ad quos .... Salutem. Donationem & concessionem quas Radulphus de *Albaniaco* per chartam suam fecit Deo & sanctæ Mariæ, & Fratribus & Sororibus de *Brodholme*, de toto eo quod fuit de feodo suo in pomerio juxta cimiterium Ecclesiæ sancti Botulphi de *Saxelby* & de quadam planitie terræ jacente inter curiam earumdem Sororum & nemus suum, in liberam puram & perpetuam eleemosynam. Donationem .... quas Sarra filia Petri de *Gousla* per chartam suam fecit prædictis Sororibus de *Staynhil*, *Barnetwode* & *Sothetwode* & de omnibus terris, & omnibus pratis, & tota pastura, & omnibus tenementis quæ habuerunt ex meridiana parte *Fossedik* & de tribus bovatis terræ cum omnibus pertinentiis suis in *Saxelby*, & de omnibus terris & omnibus pratis & de omnibus donationibus quas Petrus de *Gousla* pater suus & Agnes de *Camvilla* mater sua, & Henricus frater suus, præfatis Sororibus dederunt & concesserunt in liberam & perpetuam eleemosynam. Concessionem etiam & confirmationem quas Petrus de *Chamnpaigne* Miles, per chartam suam fecit Deo & sanctæ Mariæ & Monialibus loci prædicti de *Staynhil*, *Barnetwode* & *Southtwode* & de omnibus terris & omnibus pratis, & tota pastura & omnibus tenementis quæ habuerunt ex meridionali parte de *Fossedik* & de tribus bovatis terræ cum omnibus pertinentiis suis in *Saxelby* & de omnibus terris & omnibus pratis, & omnibus donationibus quæ Petrus de *Goussel* & Agnes uxor ejus & Sarta filia ejusdem Petri & Henricus frater ejusdem Sarræ præfatis Monialibus dederunt & concesserunt in liberam & perpetuam eleemosynam. Donationem .... quas Richilda filia Margeriæ quæ fuit uxor Radulphi Ferrarii de *Lincolnia*, per chartam suam fecit præfatis Fratribus & Sororibus, de quatuor solidatis reditûs, & reditu unius libræ cumini cum pertinentiis recipiendis de uno tosto in *Saxelby* super *Fossedik* in liberam, puram, & perpetuam eleemosynam. Donationem .... quas Petrus filius Petri de Campania, per chartam suam fecit præfatæ Priorissæ & Conventui loci prædicti de uno tosto cum pertinentiis in *Saxelby* in puram & perpetuam eleemosynam. Concessionem .... quas A. Abbas de *Newbus* & Conventus ejusdem loci .... fecerunt præfatis Sororibus de omnibus donationibus quas habuerunt vel haberent per chartas donatorum suorum .... Donationem ..... quas Joanna filia Willielmi de *Ver* per chartam suam fecit prædictis Fratribus & Sororibus de una bovata terræ cum pertinentiis in *Saxelby* & dimidia acra, & tribus perticatis prati cum pertinentiis in eadem villa & de tosto & crofto in quibus Henricus *Gagler* aliquandò mansit, & de una bovata terræ cum pertinentiis, & quatuor acris prati eidem bovatæ terræ pertinentibus in *Engelby* in puram & perpetuam eleemosynam. Donationem .... quas *Galfridus* de *Crosseby*, per chartam suam fecit prædictis Priorissæ & Sororibus de dimidia unius tosti cum ædificiis superædificatis & de duobus selionibus ad dictam medietatem pertinentibus in liberam, puram & perpetuam eleemosynam. Donationem, &c. quas Petrus de Campania per chartam suam fecit prædictis Sororibus de quatuor solidatis redditûs percipiendis de uno tosto in *Saxelby* in liberam puram & perpetuam eleemosyna. Donationes quas Baldewinus *Wacc*. per chartam suam fecit, &c. de quinque solidis reditûs percipiendis de reditu moræ suæ in *Scheldinghope* in liberam, &c. eleemosynam.

Donationem, &c. quas Walterus de *Cliffort* & *Agnes* uxor ejus, per chartam suam fecerunt prædictis Fratribus & Sororibus de Ecclesia sanctæ Helenæ de *Hornhag* & de situ molendini in mora quæ jacet inter *Hornhag* & *Drengesha* cum pertinentiis in liberam puram & perpetuam eleemosynam. Donationem, &c. quas Walterus filius Walteri de *Clifford* per chartam suam fecit eisdem Sororibus de Ecclesia sanctæ Helenæ de *Turnehag* & de triginta acris terræ, cum pertinentiis dictæ Ecclesiæ pertinentibus in puram & perpetuam eleemosynam. Concessionem, &c. quas Hugo filius Lamberti de *Busseto* per chartam suam fecit, &c. de xvi. solid. reditûs cum pertinentiis in *Newerke* quas Dominus Hugo quondam avus suus, eis dedit, percipiendis de Joanne filio Henrici de *Cutiler*, in liberam & perpetuam eleemosynam. Donationem insuper &c. quas idem Hugo, &c. fecit, &c. de duobus quarteriis bladi, scilicet uno quarterio frumenti, & uno quarterio siliginis, recipiendis de se & hæredibus suis apud manerium suum de *Mygesley* in puram & perpetuam eleemosynam. Concessionem ..... quas Hugo de *Busseto* filius Lamberti de *Busseto* per chartam suam fecit .... de duobus quarteriis bladi, scilicet uno quarterio tritici & uno quarterio siliginis recipiendis de se & hæredibus suis in manerio

suo de *Megesleie* in puram & perpetuam eleemosynam. Donationem, &c. quas Willielmus *Winok* de *Fillingham* per chartam suam fecit.... de tofto suo cum fossato & pertinentiis suis in *Fillingham* in puram & perpetuam eleemosynam. Donationem.... quas Willielmus *Nevuebrid* de *Herdewik* per chartam suam fecit.... de octo solid. reditûs percipiendis per manus ipsius Willielmi & hæredum suorum infra clausum de *Brodholme*. Donationem.... quas Galfridus filius Murieldæ de *Thornhaugh* per chartam suam fecit.... de uno tofto & uno crofto cum pertinentiis in *Herdeby* juxta *Cykel* in liberam, puram, & perpetuam eleemosynam. Donationem.... quas Helias filius Rogeri filii Rocelini per chartam suam fecit de medietate unius acræ terræ cum pertinentiis jacente super *Stamlandes* in liberam.... eleemosynam. Donationem... quas Marsilius Flandrensis de *Lincolnia* & Hadeuvis uxor ejus & Tho. hæres suus, per chartam suam fecerunt de quadam terra in *Lincolnia*, videlicet quæ fuit Walteri filii Joannis in *Henland*, in puram & perpetuam eleemosynam. Donationem.... quas Aubraia filia Radulfi filii Lamberti de *Lincolnia*, per chartam suam fecit, &c. de tota terra sua quæ jacet in parochia sancti Eduardi de *Wickeford* in *Lincolnia*, & de reditu duarum marcarum percipiendarum de eadem terra in puram & perpetuam eleemosynam. Concessionem...., quas Ivo filius Radulfi filius Lamberti per chartam suam fecit, &c. de tota illa terra quam Aubrea soror sua eis dedit, & de toto reditu de dicta terra proveniente in puram & perpetuam eleemosynam. Donationem..... quas Radulfus de *Muscampe* per chartam suam fecit, &c. de dimidia marcata reditûs cum pertinentiis in *Colingham* quam Radulfus de *Hag* & Nicolaus frater ejus dictis Fratribus & Monialibus proportionaliter concesserunt. Donationem, &c. quas Isabella filia Alured de *Colingham* per chartam suam fecit prædictis Monialibus de quatuor soliditatis & duabus denariatis reditûs percipiendis de Henrico filio Adæ de *Muscampe* & hæredibus suis. Donationem, &c. quas Richardus de *Chapol* per chartam suam fecit, &c. de uno tofto & decem selionibus terræ & una roda prati & dimidia cum pertinentiis in *North Colingham* in puram & perpetuam eleemosynam. Donationem.... quas Walterus Faber de *Saxelby* per chartam suam fecit, &c. de quatuor selionibus terræ cum pertinentiis in *Forkesei*. Donationem... quas Petrus de *Campania* per chartam suam fecit &c. de octo sol. reditûs cum pertinentiis in *Stowe*. Donationem... quas A. filius Mariotæ de *Torkezele* per chartam suam fecit, &c. de quatuor sol. reditûs percipiendis per manum suam & hæredum suorum infra clausum de *Brodholme*.

Donationem, &c. quas Simon de *Hal* Camerarius per chartam suam fecit, &c. de Thoma de *Hinche*, cum homagio & servitio suo & hæredum suorum, & de uno tofto & sex acris & medietate unius bovatæ terræ cum omnibus aliis terris, pratis, & pascuis cum pertinentiis in parva *Hal*, ac de una denariata & duabus marcatis reditûs, & dimidia quas dictus Thomas sibi reddere solebat, & de Richardo le *Ken*, cum homagio & servitio suo & cum terra quam de eo tenuit in eadem villa, & de dimidia marcata reditûs percipienda de dicto Richardo in liberam, &c. eleemosynam ratas habentes & gratas, confirmamus, &c. Rege apud *Ebor.* primâ die Decembris.

Charta Bartholomæi Episcopi Laudunensis innovantis & confirmantis donationes & privilegia Bucilii *ab Herberto & Gertrude ejus sponsa, olim concessa, ad fundationem Parthenii anno 1120.*

EGo Bartholomæus, Dei gratiâ, Laudunensium Episcopus. Quia seculo senescente, cuncta simul deficiunt, itaut etiam scripta quæ ad servandam hominum memoriam fieri solent, nimiâ vetustate solvantur; necessitate compulsi sumus, Ecclesiis nobis commissis à Deo, quas in exordio Episcopatûs nostri ex magna parte destructas reperimus, in hoc prudenter & fideliter subvenire, & earum privilegia ferè consumpta & attrita renovari, & nostro munimine confirmari faceremus. Eapropter notum fieri volumus tam futuris, quàm præsentibus, quòd inter aliarum Ecclesiarum privilegia etiam Bucelliensis Ecclesiæ antiqua privilegia, quæ ob sui vetustatem penè deperierant, in conspectu generalis Synodi præcepimus afferri & rescribi, rescripta sigillo nostro firmari, firmata coram personis adstantibus recitari. Inter autem privilegia unum erat vetustissimum sub nomine Elberti Viromandensis Comitis, ejusdem Bucelliensis Ecclesiæ Fundatoris, conscriptum, quod propter authoritatem ejusdem Fundatoris diligentiùs audiri & ipsius continentiam præsenti scripto fecimus inseri. Ipse quippe Comes ob remedium animæ suæ & prædecessorum suorum instinctu nobilissimæ uxoris suæ Gertrudis fundavit Ecclesiam de veteri *Bucilia*co in allodio suo, in honore Beati Petri Apostolorum Principis, & Sanctimoniales inibi ad serviendum Deo constituit; & quæ subscripta sunt sicut in eodem privilegio reperta sunt, liberè eidem Ecclesiæ contulit. Totum allodium suum de *Bucilia*co cum appenditiis suis. Allodium de *Harcignys*: allodium de *Effris*: allodium de *Perveriis*: allodium de *Leberis*, de *Angoriis*, & de *Lentis*, cum legitimis reditibus eorumdem allodiorum, scilicet censibus, terragiis, sylvagiis, banno, justitia, & sanguine, & aliis justis consuetudinibus. Medietatem sylvæ, quæ dicitur de *Communione*. Medietatem totius territorii de *Martigniaco*. Molendinum supra *Razam* apud novas domos. Sed quia prædicta allodia ex magna parte nemorosa erant & infructuosa, ut non sufficere possent ad victum habitantium in Buceliensi Ecclesia, præfatus Comes ad supplementum annonæ & vini, contulit eidem Ecclesiæ territorium totius villæ de *Curves*, cum reditu ejus, & quartam partem *Hermendivillæ*, quæ nimirùm antea fuerant Ecclesiæ sancti Quintini Viromandensis. Sed ipse Comes pro recompensatione dedit eidem Ecclesiæ Crucem auream gemmis insignitam, quæ Crux ad memoriam hujus facti permanens in Ecclesia sancti Quintini usque hodie dicitur *Crux Bucilensis*. Servos etiam & ancillas, quos in prædictis locis seu villis, idem Comes habebat, liberè donavit præfatæ Buciliensi Ecclesiæ, nullo sibi, vel posteris suis dominatu, seu jure retento; & tam eos quàm Ecclesiam, in omni loco dominationis suæ ab omni tributo wionagio & thelonio liberos reddidit. Insuper etiam ad augmentum teneræ plantationis suæ, quidquid ulterius à feodo suo rationabiliter acquirere posset, eidem Ecclesiæ gratanter annuit: ipsamque Ecclesiam sub custodia sua, & successorum suorum materiali gladio defendendam, ut Capellam propriam, detinuit. Nos igitur eamdem Ecclesiam

paterno affectu diligentes, & priorum benefacta, sicut dignâ memoriâ celebrantur, piè & fideliter amplectentes, omnia hæc quæ præscripta sunt liberè & quietè ipsi Ecclesiæ in perpetuum possidenda Pontificali authoritate confirmamus. Si quæ ergo Ecclesiastica vel secularis persona, &c..... *Signum* Domini Bartholomæi Episcopi, qui hoc scriptum fieri jussit. *Signum*, &c. Actum Lauduni in generali Synodo & confirmatum anno Incarnati Verbi MCXX.

Charta Ejusdem Bartholomæi, quâ institutus Ordo Præm. Bucilii, *laudatur; conceduntur Altaria, & possessiones confirmantur, anno 1148.*

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis Patris & Filii & Spiritûs Sancti. Ego Bartholomæus Dei gratiâ sanctæ Laudunensis Ecclesiæ Minister indignus. Quoniam sine veræ religionis cultu, nec charitatis unitas potest subsistere, nec Deo gratum exhiberi servitium; expedit dignitati Ecclesiasticæ Religiosas personas diligere, & Religiosa loca Pastoralis autoritatis munimine confovere. Unde quoties hoc à nobis expetitur, animo nos decet libenti concedere, & petentium desideriis congruum impertiri suffragium. Ea propter, dilecte in Domino fili Persice, tuis justis petitionibus annuentes, Ecclesiam sancti Petri de *Buciliaco*, cui, autore Deo, præesse dignosceris, ubi priùs Moniales fuerant secundùm tenorem Ordinis Præmonstratensis sub Beati Augustini Regula confirmamus, tibique, posterisque tuis, Episcopali autoritate firmantes, perpetuò concedimus ut à Sacerdotibus Canonicæ professionis, tuæque, posterorumque tuorum subjectionis, boni testimonii viris, altaria propria Ecclesiæ nostræ Diœcesis, salvo tamen jure Pontificali, procurari facias: præterea statuimus ut quascumque possessiones, quæcumque bona præfata Ecclesia in præsentiarum justè & canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium seu aliis justis modis, Deo propitio, poterit adipisci, firma tibi, & tuis successoribus, & illibata permaneant, in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Ipsam videlicet Ecclesiam de *Bucilly*; Ecclesiam de *Effris*; Ecclesiam de *Curalt*, Ecclesiam de *Harcennes*, cum villis & omnibus legitimis reditibus earumdem villarum, quæ nimirum villæ lege & consuetudine Buciliensis villæ tractabuntur, & judicio Majoris Buciliensis, seniorum & saniorum Buciliensium, si de jure Ecclesiæ dissenserint, in Camera Abbatis apud Bucilium judicabuntur. Altare de *Novis Domibus* cum tota decima & dote. Alodium quod dedit Odo de *Trebchum*, in quo sibi nihil juris retinuit, nisi tertiam partem de Comesto, quia ut Advocatus advocabitur, dimidium territorii quod dicitur de *Communione*, cum tota decima, totoque territorio & omnibus legitimis reditibus ejus. Altare de *Olues* cum dote. Altare de *Buire* cum dote, & terram quam dedit Fulco Leurinus de *Leberies*. Territorium & decimam similiter de *Angozies* & de *Lentis*. Altare de *Esperfi*, cum dote & appenditiis suis. Altare de *Martigniaco*, & medietatem totius villæ totiusque territorii, & medietatem omnium legitimorum redituum, absque casa Ecclesiæ. Molendinum de *Fossa*. Alodium de *Lunies*. Apud *Anies* quosdam campos, sylvas & quædam prata apud *Balbinies*; quosdam campos, sylvas, & prata de territorio de *Blicy*. Quartam partem tam in decima, quàm in terragio, cæterisque reditibus, duasque terræ carrucas, cum pratis, & totam Juissanam vallem. In Ecclesia sancti Michaëlis modium avenæ. Voinæ pratum, & unam terræ carrucatam. Apud *Fromont* quosdam campos qui cognomine dicuntur campi sancti Petri, cum sylva. Apud *Agicourt* quosdam campos. Altare de *Luzoir* cum dote. Apud *novas domos* molendinum super *Tyaram* ab una quaque domo de duabus decaniis, quæ est in Terrasia, abolatam ceræ Ecclesiæ singulis annis persolvendam, quam piæ memoriæ prædecessores nostri Adalberon, Leotericus, & Elinandus eidem Ecclesiæ confirmarunt. De *Albunies* totam decimam & tertiam partem de terragio. Ut autem hæc rata & inconcussa permaneant proprii sigilli impressione, & testium subscriptione roborari præcepimus. *Signum* Domini Bartholomæi Episcopi, qui hoc signum fieri jussit. *S.* Galteri Decani. *S.* Richardi Archidiaconi. *S.* Milonis Cantoris. *S.* Roberti Capellani. *S.* Raduini Abbatis *S.* Vincentii. *Signum* Abbatis sancti Joannis. *S.* Hugonis Abbatis Præmonstratensis. *S.* Galteri Abbatis. *S.* Martini, &c. Actum Lauduni solemniter anno Dominicæ Incarnationis MCXLVIII. VIII. Kal. Julii. Epact. XXVIII. Ego... Sanctæ Mariæ Laudunensis Ecclesiæ Cancellarius relegi & subscripsi.

Bulla Eugenii III. confirmantis subrogationem Præmonstratensium in Bucilio. *an. 1148.*

EUgenius Episcopus servus Servorum Dei, Dilectis filiis Persico Abbati Buciliensis Ecclesiæ, ejusque Fratribus tam præsentibus, quàm futuris regularem vitam professis, in perpetuum. Piæ voluntatis affectus effectu debet prosequente compleri ut devotionis sinceritas laudabiliter enitescat, & utilitas postulata vires indubitanter assumat. Quocirca, Dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & Ecclesiam sancti Petri de *Bucilus*, in qua divino mancipati estis obsequio, sub Beati Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus. Inprimis siquidem statuentes, ut Ordo Canonicus secundum Beati Augustini Regulam, & Præmonstratensium Fratrum institutionem in vestra Ecclesia futuris perpetuò temporibus inviolabiliter conservetur. Præterea quascumque possessiones, &c.

Ego Eugenius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

Ego Imarus Tusculanus Episcopus.

Ego Hubaldus Presbyter Cardinalis tituli sanctæ Praxedis.

Ego Hugo Presbyter Cardinalis titulo sancti Marcelli.

Ego Guido Presbyter Cardinalis tituli Pastoris.

Ego Bernardus Presbyter Cardinalis tituli sancti Clementis.

Ego Oddo Diaconus Cardinalis Scrib.

Ego Octavianus Diaconus Cardinalis tituli sancti Nicolai in carcere Tulliano.

Ego Joannes Saparo Diaconus Cardinalis tituli sancti Adriani.

Ego Gregorius Diaconus Cardinalis sancti Angeli.

Ego Joannes Diaconus Cardinalis sanctæ Mariæ novæ.

Ego Hiacinthus Diaconus Cardinalis sanctæ Mariæ in Cosmedyn. Datum apud Claram-vallem per manum Guidonis sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconi Card. & Cancellarii VI. Kal. Maii. Indictione primâ, Incarnationis Dominicæ anno MCXLVIII. Pontificatûs verò Domini Eugenii Papæ tertii anno IV.

Littera

Littera Societatis & Fraternitatis inter Abbatiam Bucilii *& S.* Remigii *Remensis anno 1200.*

PEtrus (a) Dei gratiâ sancti Remigii Abbas, totumque loci ipsius Capitulum, omnibus ad quos istæ litteræ pervenerint salutem in Domino. Noverit universitas vestra quòd Fratribus Bucilienfibus, ad petitionem Guidonis Abbatis ipsorum, talis à nobis est concessa societas, quòd in omnibus bonis spiritualibus, quæ in Divino cultu, nocte dieque expendimus, eandem participationem habeant, qualem unus ex Professis nostris. Insuper etiam pro defunctis utriusque Ecclesiæ, feriâ quintâ post *Invocavit me*, solemne officium tam à nobis, quàm ab ipsis, cum missa celebrabitur. Verùm quoties Abbas, aut aliquis Canonicorum, hospitandi gratiâ, supervenerit, in refectorio nostro cum Fratribus nostris ad mensam residebit: sed Conversi ad hospitium deducentur. Actum anno Incarnationis Domini. MCC.

Charta Galteri Laudunensis Episcopi, confirmantis fundationem Monasterii Buciliensis, *à suo prædecessore factam, anno 1151.*

EGo Galterus, Dei gratiâ, Laudunensis Ecclesiæ Præsul indignus. Notum fieri volumus tam futuris, quàm præsentibus, quòd commune privilegium Buciliensis Ecclesiæ firmatum à prædecessore nostro bonæ memoriæ Domino Bartholomeo justitiæ cultore, simplicitatis amatore, Ecclesiarumque fundatore, in præsentia generalis Synodi fecimus relegi, approbantes quæ firmavit, & firmantes quæ probavit; in primis siquidem statuentes quod statuit, ut in Ecclesia Buciliensi B. Petri Apostolorum Principis, in qua priùs Moniales fuerant, Canonicus Ordo secundùm regulam B. Augustini & secundùm tenorem Ordinis Præmonstratensis, futuris temporibus servetur; imitantesque ejus liberalitatem, quin potius in bono boni discretionem, sicut commisit & deinceps committenda firmavit, & nos committimus ejusdem Ecclesiæ Pastoribus..... & probatæ conversationis Pastoribus curam animarum, eorum videlicet qui in villis, quarum altaria Ecclesiæ sunt propria, commorantur, quatenùs Canonici qui de altario habent vivere, perpetuò altaribus deserviant, injustum judicantes illis regimen concedi, qui, etsi sciunt, tamen nolunt seipsos regere. Si enim secularis sui ipsius curam negligens *cæco ducatum præstat, nonne ambo in foveam cadunt?* Tutiùs ergo censemus religioso irreligiosos, maturo immaturos, quàm seculari, non dico Presbytero, sed mercenario, seculares committendos. In omnibus tamen & per omnia censuram Ecclesiasticam & jus Pontificale conservamus. Præterea statuimus ut quascumque possessiones &c. *ut habentur in Charta Bartholomæi* Nos itaque eandem Ecclesiam paterno affectu diligentes & priorum benefacta, sicut digna celebrant memoria, piè & fideliter amplectentes, omnia hæc quæ præscripta sunt, liberè & quietè ipsi Ecclesiæ in perpetuum possidenda, Pontificali authoritate confirmamus. Ut autem paginæ tenor illibatum perpetuumque robur obtineat & sigilli nostri impressione & testium subscriptione muniri fecimus. Signum Galteri Decani &c.

Charta Rogeri Laudunensis Episcopi, varias donationes à variis factas, recensentis & confirmantis, anno 1156.

EGo Rogerus, Dei gratiâ, Laudunensis Episcopus, notum facio tam futuris, quàm præsentibus, quòd Alardus de *Hirceon* Ecclesiæ S. Petri de *Bucelly*, dimidietatem totius territorii, quod dicitur *Communa*, assensu Domini Joannis Comitis Viromanduensis, Burchardi de *Guisia*, Bliardi de *Firmitate* & liberorum ejus, per quos gradatim idem territorium ab ipsis descendebat, coram Rege Ludovico in eleemosynam devoti dederunt. Item prædictus Burchardus, annuente uxore suâ Alcide & Godefrido fratre ipsius, unum modium frumenti ad mensuram Guisiæ, super molendinum ipsius villæ, pro damnis quæ præfatæ Ecclesiæ contulerat, & in eleemosynam perpetualiter donavit. Renaldus quoque totam terram quam habebat in confinio territorii de *Curello*, consensu teneri Curelli & fratris ejus Willermi, de quorum feodo illam tenebat, annuente filiâ ejus Beatrice atque Winimaro ipsiusmarito, pro censu duorum modiorum melioris frumenti post sementem, quod in eadem terra creverit, ad mensuram de *Petro-ponte*, annuatim sibi à prætitulatæ Ecclesiæ Fratribus apud *Petro-pontem*, sive mihi persolvendo, eidem Ecclesiæ in perpetuum concessit. Ut autem hæ fidelium oblationes Deo in prædicta Ecclesia famulantibus inconvulsæ jugiter permaneant, eas interpositâ anathematis sententiâ, sigilli nostri impressione muniri & subscriptorum testium astipulatione roborari jussimus &c.

Charta Conventionis facta inter Capitulum Buciliense *& Jacobum de* Guisia, *de erectione Villæ* Montis putei. *Anno 1170.*

EGo Ludovicus, Dei gratiâ, Buciliensis Abbas, omnibus fidelibus Christianis in perpetuum, notum fieri volumus tam futuris, quam præsentibus, in hoc nos assensu Capituli nostri & Jacobum Dominum de *Guisia*, convenisse ut villam pariter ædificemus in territorio *Communa*, quod Ecclesiæ nostræ proprium est, lege quâ *Vervin* constructum est, in loco qui dicitur *Mons Putei*, ita tamen quòd detinemus totam decimam, terragium, censsus pratorum, sylvagia, apes, & jus cinerum, libertatem territorii ex integro nobis retinentes, molendina etiam bannalia; neque enim alius alia ædificabit molendina, nisi ea quæ propria erunt Ecclesiæ; vivaria quoque cum tota piscaria & furnos bannales, alios enim quàm bannales habere non licebit. In quibus furnis Nos Domino Jacobo medietatem tantùm in vita concedimus, post cujus mortem cedent in partem nostram. Jus quoque venditionum sive in villa sive extra villam, Nobis retinemus. Domum verò cum aisentiis necessariis ab omni exactione liberam in villa, ubi placuerit, habebimus. Si quis libertatem fregerit, domûs refugio liberabitur. Si aliqui de familia Ecclesiæ intra curtis ambitum rixantes, se invicem contuciaverint, Ecclesia absque villæ justitia pacabit eos; si pacari noluerint & proclamationem fecerint, lege villæ tractabuntur. Attamen Domus Ecclesiæ legi villæ nullo modo subjacebit, quia omnimodo libera est, nec cujuspiam foris factum in eam retorquebitur. Si mansuarius à villa recesserit, Ecclesia ter-

(a) De *Rebencourt* secundus nomine successit Simoni 4. Julii 1198. defuncto, & obiit anno 1203.

ram ejus colet, donec idem vel alter redeat, qui eam colat. Quòd si villam contigerit destrui, terra coletur ab Ecclesia donec communi assensu, videlicet sæpe dictæ Ecclesiæ & Domini de *Gusia*, reædificetur lege quâ priùs constructa fuerat. Domino autem de *Gusia* Jacobo & ejus successoribus, concedit Ecclesia cæteros reditus villæ cæterasque querelas juxta legem de *Vervin*, qui ab eo mutari non poterunt, & duas terræ carruces, de quibus terragium & decimam solvet, sicut alius terræ cultor, & in horreum Ecclesiæ conduci terragium faciet. Verumtamen si terram prænominatam Dominus non coluerit, Ecclesiæ colere licebit. Domum quoque ejusdem libertatis, cujus est domus Ecclesiæ, habebit Dominus de *Gusia* in villa. Hæc villa vel redditus Ecclesiæ seu terræ Domino *Gusiæ* concessâ, non poterit cuiquam in eleemosynam vel in feodum dari, commutari, vendi, seu invadiari, nisi Ecclesiæ à qua descendit. Ne autem hujus paginæ tenor temerè infringatur, & testium subscriptione & chirographi subscriptione, & sigilli Ecclesiæ nostræ, sigilli etiam sæpe dicti Domini impressione muniri fecimus. *Signum* Godefridi de *Gusia*. *S.* Galteri de *Bozies*. *S.* Raineiri *S.* Sains. *S.* Droconis de *Dracilun*. *S.* Gerardi de *Puisenr*. *S.* Droconis de *Baurrens*. *S.* Clarenbaldi de *Fasti*. *S.* Gerardi de *Seguncurt*. Actum & confirmatum anno Incarnati Verbi MCLXX.

Charta Rogeri confirmativa pactionis facta inter Ecclesiam Buciliensem *& Jacobum de* Avesnis, *anno 1187*.

EGo Rogerus, Dei gratiâ, Laudunensis Episcopus. Quoniam transit quod loquimur, & manet quod scribimus, & dignum duximus ea scriptis annotari quæ posterorum memoriæ necesse est commendari. Inde est quòd tam futuris quàm præsentibus, scripto notificari voluimus quòd Abbas & Capitulum de *Bucilly* & Dominus Jacobus de *Avesnis* in hanc formam pacis & concordiæ convenerunt, quòd assensu nostro & Hugonis Præmonstratensis Ecclesiæ Abbatis, jam dictus Abbas & Capitulum de *Bucilly* D. Jacobum in communione villæ *Montis-putei*, scilicet in hominibus, in decima, in terragio, in furno, in cambis & in omnibus commodis, insuper in terra de *Buris*, quæ est ultra *Ysaram* in territorio jam dictæ *Communionis* & villæ *Montis-putei*, participem unanimiter fecerunt, exceptis tantùm oblationibus & personatu altaris & minutâ decimâ, quæ sibi retinuit Ecclesia, excepto quòd tertia pars decimæ majoris & minutæ cedit Sacerdoti. Sciendum è contra quòd D. Jacobus prædicto Abbati & Capitulo tam in justitia & omni jure, quàm in commodis omnibus quæ priùs in prænominata villa habebat, vel acquirere posset bonâ fide, medietatem in perpetuum concessit ....item nemora omnia *Montis-putei*, nec non & territorii de *Bures*, quæ sunt Buciliensis Ecclesiæ, præfatus Jacobus vel ejus hæres, bonâ fide custodiet, nec aliquid absque assensu Ecclesiæ dare vel vendere licebit...... Ut igitur hæc omnia rata & inconcussa permaneant sigilli nostri impressione testiumque subscriptione roboratur. *Signum* D. Rogeri Laudun. Episcopi, qui hoc scriptum fecit & hujus facti fidejussor & obses extitit. *S.* Magistri Tenardi Laudun. Archidiac. *S.* Hugonis Præm. Abbatis. *S.* Petri Buciliensis Abbatis. *S.* Dudonis Prioris. *S.* Radulphi Presbyteri *Montis-putei*. *S.* Balduini. *S.* Rogeri Scabinorum *Montis-putei*, sociorumque ipsorum. Actum anno Incarn. Dominicæ MCLXXXVII. mense Julio.

Charta Rogeri Comitis Porcensis, pro Canonicis sancti Bertholdi de Calvo-monte *1087*.

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis &c. Notum sit omnibus sanctæ Ecclesiæ filiis præsentibus & futuris, quòd Ego Rogerus Comes Porcensis territorii, villam mei juris dictam *Remandicurtem*, cum omnibus appenditiis, sylvis, pratis, aquis, aquarumque decursibus cum molendino, cum banno, & omni justitia, cum omnibus incolis in eadem villa manentibus & mihi subditis, cum tota familia tradidi habendam & possidendam communiter per omnia, Ecclesiæ sancti Confessoris Theobaldi * & Ecclesiæ sancti Bertholdi de *Calvo-monte*, pro remedio animæ meæ, & Ermengardis uxoris meæ, & filiæ meæ Sibillæ, omnium progenitorum meorum, quam ita liberam astantibus nobilibus & ignobilibus feci, ut nemini successorum meorum, vel ministrorum, liceat quidquam reclamare. Sanè nec hoc prætereundum est, quòd si quæ deinceps in eadem villa & allodio acquiri poterunt ab utraque Ecclesia pariter acquirentur, & acquisita communiter partientur. Hujus donationis testes fuerunt quorum nomina subscripta sunt. *S.* Rogeri Comitis. *S.* Alberti Comitis Namurcensis. *S.* Godefridi filii ejus. *S.* Eremngardis Comitissæ. *S.* Sibillæ. *S.* Hugonis Scoti. Et aliorum multorum. Actum publice anno Incarnati Verbi 1087. Indictione decimâ, Regnante Rege Francorum Philippo primo, vigesimo octavo anno.

* Prioratus Castri portuensis sub invocatione S. Theobaldi.

Charta Sansonis Archiepiscopi Remensis, pro confirmatione Allodii dati Eremitis Calvomonti, *anno 1142*.

EGo Sanson * Divinâ miseratione Remorum Archiepiscopus, universis sanctæ Matris Ecclesiæ filiis, tam præsentibus, quàm futuris in perpetuum. Quoniam inter cæteros humanæ fragilitatis defectus, etiam oblivione plurium tentamur, utile visum est litteris annotare, quod temporum evolutione cogimur oblivisci; præsentibusque & futuris, notum fieri volumus quòd Comes Henricus de *Castello*, & Clarembaldus de *Roseto*, uxoribus & filiis eorum concedentibus, Domno Radulpho & Garnerio heremi cultoribus, allodium in territorio sylvæ quæ *Tersiola* nuncupatur, super rivulum quem accolæ *Vob*, respectu supernæ remunerationis absque ulla terragii, vel cujuslibet debiti exactione liberè donaverunt. Concesserunt etiam quòd quid quid de circumstanti nemore, per se, vel per carrucas suas possent extirpare, cum aquis circumfluentibus, quantùm usibus eorum sufficeret, liberè possiderent. Canonici etiam de *Calvo-monte*, totam decimam ejusdem loci prædictis Fratribus donaverunt... Actum Remis anno Incarnati Verbi millesimo centesimo quadragesimo secundo.

* Des Prez Archidiaconus Carnotensis recusante sancto Bernardo, electus anno 1140. post 20. annos regiminis & amplius, obiit die 21. Septembris anno 1161. in Ilignacensi Monasterio factus ibidem Monachus juxta Remense chronicon,

Bulla Eugenii III. confirmativa Instituti Præmonstratensis in Calvo-monte, *1147*.

EUgenius Episcopus servus Servorum Dei, dilectis filiis Joanni Abbati Calvomontensi ejusque Fratribus tam præsentibus, quàm futuris Regularem vitam professis, in perpetuum. Religiosis desideriis dignum est facilem præbere consensum, ut fidelis devotio celerem sortiatur effectum. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus ut præfatum locum in quo divino estis mancipati obsequio, sub Beati Petri & nostra protectione suscipimus & præsentis scripti privilegio

communimus; statuentes ut quascumque possessiones quæcumque bona, idem locus justè & canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium seu aliis justis modis, Domino propitio, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant: in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Altare de *Adon* cum ipsa villa & molendino & terram *Ponsu*. Altare de *Rosetco* cum terra & pratis. Altare de *Rubeniaco*. Altare de sancto *Nenntio*. Altare de sancto *Ferreolo*. Altare de *Parniaco*, cum terris ad ipsa altaria pertinentibus. Altare de *Membercis*. Molendinum de *Ronna*. *Campaniolas* cum cæteris villis & medietatem de *Remoldi-Curte*, quæ Comes Rogerus & Comes Hezelinus cum servis & ancillis ab omni consuetudine liberas, dederunt. Terram Hermanfridi & partem allodii de *Adsliaco*. Allodium de *Justinia* quod dedit Hugo Scotus. Allodium de *Cerisiaco*. Allodium de sancto *Ferreolo*. Allodium de *Buriniaci-monte*. Terram de *Persour*, terram de *Rubiniaco*, Woderici filii Valerii; & nonam partem de *Guistreio*. nonam partem de redditibus Comitis qui pertinent ad *Calmontem*, nonam partem furni ejusdem Castri, nonam partem molendinorum de *Turri*. Quinque mansuras de *Fusami-monte* & terras pertinentes. Terram de *Bus*. Terram de *Eselci*. Terram de *Scon*. Terram de *Altavilla* cum pratis. Terram de *Scipsis* cum pratis. Terram de *Vasineio*. Terram de *Ennicebus*, terram Milonis de *Ruba*. Terram Ohardi de *Ultreimonte*. Terram apud *Mambertiacum*. Allodium *Intersijola* super rivulum *Vob* quod Henricus Comes & cæteri hæredes concesserunt. Villam quoque quæ antiquitùs *Trion* dicebatur, cum altari & decima & pratis, & sylvis, terris cultis & incultis ad eandem villam pertinentibus & omnibus quæ in eodem loco Radulphus & Guarnerus acquisierunt. Terram Gualteri de *Castello*. Terram de *Proveri-monte* cum omnibus appenditiis suis. Et terram de *Ultrei-monte* cum appenditiis suis. Terram de *Potestibus* sanctæ Mariæ. Terram de *Mandencio*. Terram de *Nantuel*. Terram de *Fin*. Molendinum de *Fannon* cum terra. Molendinum de *Tremel*. Terram de *Curcinis* cum appenditiis suis. Terram cum sylva apud *Luchiacum*. Terram de *Wriguandano fonte*, & decimam culturæ vestræ in territorio sancti Ferreoli. Et partem decimæ quam Gilbertus à Radulpho de *Turre* tenebat, sicut à venerabili Fratre nostro Sansone Remensi Archiepiscopo vobis concessæ sunt & scripto suo firmatæ. Nihilominùs quæ de feodis Henrici Comitis & Comitissæ de *Calmonte* & Radulphi præfati de *Turre* jam legitimè acquisitis vel in antea acquiretis sicut ab ipsis vobis concessum est. Sancimus etiam ut Ordo Canonicus qui per Dei gratiam secundum B. Augustini Regulam, & Fratrum Præmonstratensium Institutionem in eadem Calmontensi Ecclesia noscitur institutus, perpetuis temporibus inviolabiliter conservetur. Sanè laborum vestrorum quos propriis manibus aut sumptibus colitis, sive de nutrimentis vestrorum animalium, nullus à vobis decimas exigere præsumat. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatum locum temerè perturbare aut ejus possessiones auferre, aut ablatas retinere, minuere, aut aliquibus vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum pro quorum sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura. Salvâ sedis Apostolicæ autoritate & Diœcesanorum Episcoporum Canonicâ justitiâ. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica secularisve persona, hanc nostræ Constitutionis paginam, sciens temerè contra eam venire temptaverit, secundò tertiòve commonita, si non satisfactione congruâ emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat; & à sacratissimo Corpore & Sanguine Dei nostri Jesu Christi, aliena fiat, atque in extremo examine districtæ judicii ultimi subjaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco justa servantibus, sit pax Domini nostri Jesu Christi quatenùs & hîc fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Sic signatum Eugenius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus. Ego Albericus Ostiensis Episcopus. Ego Emarus Tusculanensis Episcopus. Datum Parisiis per manum Hugonis Presbyteri Cardinalis, agentis vicem Guidonis sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diac. Cardinalis & Cancell. XVI. Kal. Junii. Ind. X. Incarnationis Domini anno MCXLVII. Pontificatûs verò Domini Eugenii III. Papæ tertio.

Bulla Gregorii IX. confirmantis bona Monasterii Calvomontani, *anno 1227.*

GRegorius Episcopus servus Servorum Dei. Dilectis filiis Abbati Calmontensi ejusque Fratribus tam præsentibus, quàm futuris, regularem vitam professis, in perpetuum. Quotiens à nobis petitur quod religioni & honestati convenire dignoscitur, animo nos decet libenti concedere, ac petentium desideriis congruum suffragium impertiri. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus & Ecclesiam Calmontensem, in qua divino estis obsequio mancipati, sub B. Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus; imprimis siquidem statuentes, ut Ordo Canonicus, qui secundùm Deum & B. Augustini regulam atque institutionem Præmonstratensium Fratrum in eodem loco institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur, præterea quascumque possessiones, quæcumque bona eadem Ecclesia in præsentiarum justè ac canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis: locum ipsum in quo Ecclesia præfata sita est, cum parochia sibi adjacente, quam bonæ memoriæ Henricus Rhemensis Archiepiscopus Ecclesiæ vestræ concessit, cum omnibus appenditiis suis: Usuagium quod habetis in pascuis, aquis & cunctis nemoribus Domini Calmontis & de *Rosoy* extra hayam de *Bonfan* ad usum Abbatiæ & appenditiorum ejus, ad succidendum & ædificandum tam domos, quàm alia necessaria: omnes decimas parochiæ de *Calmonte* & appenditiorum ejus, tam majores, quàm minores, terragia etiam & prata vestra circa vallem Calmontensem adjacentia cum censibus quos de pratis & terris vestris in eodem territorio habetis; viginti solidos census Rhemensis, quos vobis quondam Rainaldus Comes Calmontensis piâ devotione donavit, cùm sepulturam Christianam Roberto filio suo à sede Apostolica impetravit; stagnum quod dicitur *Kanardi* Clerici & molendinum cum aisentiis suis. Molendinum *Deliveres*, cum stagno & aisentiis ad idem molendinum pertinentibus cum pratis & terris vestris dicto molendino adjacentibus; altare de *Adon* cum parochia & aliis appenditiis suis, cujus appenditia sunt *Calmons & Logny*, quidquid etiam habetis in dicta villa de *Adon* in terris, pratis, censibus & aliis redditibus. Altare de *Dommelier* cum parochia & appenditiis suis, cujus appenditia sunt *Givron* & *Begny*, quæ vobis contulit bonæ memoriæ .... titulo S. Sabinæ Pesbyter Cardinalis Archiepiscopus Rhemensis; quidquid etiam in jam dictis villis ha-

betis in terris, decimis, censibus & aliis beneficiis. Teloneum in festo B. Michaëlis apud S. Dionysium, quod vobis contulit idem Comes Rainaldus de assensu filiorum suorum Rogeri & Nicolai; Altare de *Pargny* cum parochia & curte & aliis appenditiis suis. Altare S. Ferreoli cum parochia & medietate decimæ tam majoris quam minutæ. Bannalem furnum quem vobis dedit Elizabeth filia ejusdem Comitis Rainaldi de assensu ejusdem patris sui & Fratrum suorum Rogeri & Nicolai, cum sepultura Christiana quondam Roberto Fratri suo de benignitate sedis Apostolicæ fuit indulta; unius modii frumenti annuum redditum, quem vobis Radulphus de *Esliee* contulit. Annuum redditum modii frumenti & quatuor sextariorum avenæ, in quo nomine census, hæredes Radulphi pro quadam vobis terra tenentur. Annuum redditum decem modiorum vini quem ab eodem Radulpho apud *Vassoniam* habetis; quidquid habetis in villa S. Ferreoli in decimis, censibus, & aliis redditibus; annuum redditum decem modiorum vini apud *Jumigny* quem vobis contulit Nobilis Mulier Ælidis du *Valchan* pro anima quondam Henrici filii sui de assensu filiorum suorum Gofridi, Valcheri, & Nicolai. Altare de *Remaveur* cum parochia, decima, stagno & molendino quod habetis à Monachis S. Nicasii Remensis, cum omnibus quæ habebant in præfata villa de *Remaveur*, sub annuo censu quinque modiorum frumenti ad mensuram Rhemensem, quartam partem etiam ejusdem villæ de *Remaveur* in omnibus profectibus quam bonæ memoriæ Rogerus & Hesselinus Comites, cum servis & ancillis ab omni consuetudine liberam, vestro monasterio contulerunt. Curtem de *Fler* cum pratis, sylvis, terris cultis & incultis & omnibus aliis appenditiis suis. Molendinum de ...... cum stagno & quidquid in villa de ..... habetis. Altare de *Trion* cum parochia, curte, molendino, stagno, decima, terris cultis & incultis ad eandem curtem pertinentibus. Altare de *Jussi* & de *Roquigny* cum parochia, decima & aliis appenditiis suis, cujus appenditia sunt *Romaigne* & *Montmeliand*, altare de *Masnulet* de *Oigny* cum parochia & curte, nemore & aliis appenditiis suiis; annuum redditum duorum sextariorum frumenti apud *Thoring*, allodium de *Justine* quod Hugo Scottus piâ vobis liberalitate donavit; annuum redditum dimidii ferrodii frumenti, quem habetis de allodio de *Chiry*; annuum redditum duodecim denariorum cum censu annuo quos in villa de *Chiry* habetis de quadam terra; allodium de *Brumachi-monte*, terram de *Pressoir*; nonam partem molendinorum de *Turre*; altare de *Mainbrechies* cum decima & parochia & appenditiis suis videlicet *Rubigny*, *Hardoye*, *Rubigny*, *Vauvadimont*, *Xusgies*, & *Maulimau*; quidquid etiam habetis in villa de *Mainbrauchies* in usuagiis censibus & aliis beneficiis: quidquid habetis in villa de *Rubignies* in censibus in decimis & aliis beneficiis; annuum redditum duorum sextariorum frumenti de terragiis de *Rubignies*, quem nobilis vir Rogerus de *Calmont* piâ vobis liberalitate donavit in consecratione altaris de *Vallibus*, annuum redditum solidorum Remensium. Census quos apud *Vaux* vobis contulit Radulphus Dominus de *Orkert* pro anima Idæ uxoris suæ; annuum redditum unius Jaleti frumenti à Willo molendinario vobis collatum. Terram de *Rus*. Terram de *Esclei*, terram de *Suns*, terram de *Alta-Villa* cum pratis; terram de *Wafenges* de qua habetis annuatim unum sextarium frumenti; terram Oudardi de *Outremont* & terram de *Provamunt*: terram de *Currenignies*: terram quæ fuit Gualtero de *Castello*. Terram de *Manloes*, terram de *Berlize*, terram & pratum de *Vuagnum* pro quo Dominus de *Nova-villa* tenetur vobis duos solidos Parisienses solvere & homagium vestræ Ecclesiæ exhibere, annuum redditum decem modiorum bladi de meliori & yvernagio & decem modiorum avenæ partis Róberti Militis de *Resignies*, quam habebat in decima majori de *Rubignies*, de *Vallibus* & *Vaudimont*, & partem totius minutæ decimæ quam idem Rogerus habebat in prædictis villis ex donatione Rogeri de *Roseto*. Annuum redditum quinque solidorum Parisiensium singulis Presbyteris vestris parochialibus de *Chaumont* de *Luegnies*, de *Rumolet*, de *Donnelies*, de *Membrecus*, de *Rubignies*, de *Hardoie* & de *Rocquimes* de redditibus suis quos habet in *Chaumont* in *Luegnies*, in *Rumolet* in *Donnelies* & *Roquimes*. Annuum redditum, trium modiorum frumenti, trium modiorum siliginis & trium modiorum tremesii in decima de *Avancon*, & terragio ejusdem villæ quem Dominus Guido de *Thorsi* vobis contulit intuitu pietatis. Annuum redditum septem modiorum dimidii frumenti, quem habetis apud Calmontem in grangia Domini de *Calmonte*, & omnia alia quæ habetis sub Dominio Comitis & Domini Calmontis & Domini Castri Portuensis & Castellaniæ Turrensis, cum pratis, terris, vineis, nemoribus, usuagiis & pascuis in bosco & plano, in aquis & molendinis, in viis & semitis & omnibus aliis libertatibus & immunitatibus suis. Sanè novalium vestrorum quæ propriis manibus aut sumptibus colitis sive de vestrorum animalium nutrimentis, nullus à vobis decimas exigere vel extorquere præsumat; liceat vobis Clericos vel Laicos liberos & absolutos è seculo fugientes, ad conversionem recipere & eos absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper ut nulli Fratrum vestrorum post factam in Ecclesia vestra professionem, fas sit sine Abbatis sui licentia, nisi arctioris religionis obtentu, de eodem discedere; discedentem verò absque communium litterarum vestrarum cautione nullus audeat retinere. Cùm autem generale interdictum terræ fuerit; liceat vobis, clausis januis, exclusis excommunicatis & interdictis, non pulsatis campanis, suppressâ voce, divina officia celebrare: chrisma verò, oleum, consecrationes altarium, seu basilicarum, Ordinationes Clericorum, qui ad sacros Ordines fuerint promovendi, à Diœcesano suscipietis Episcopo, si quidem Catholicus fuerit, & gratiam & communionem sacrosanctæ Romanæ sedis habuerit, & ea vobis voluerit sine pravitate aliqua exhibere, alioquin liceat vobis quemcumque malueritis, Catholicum adire Antistitem, gratiam & communionem Apostolicæ sedis habentem, qui nostrâ fretus authoritate, vobis quod postulatur impendat. Prohibemus insuper ut infra fines parochiæ vestræ nullus sine assensu Diœcesani Episcopi & vestro, Capellam seu Oratorium de novo construere audeat, salvis privilegiis Pontificum Romanorum. Ad hæc novas & indebitas exactiones ab Archiepiscopis, Archidiaconis seu Decanis, aliisque omnibus Eclesiasticis secularibusve personis omnino fieri prohibemus; sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decernimus ut eorum devotioni & extremæ voluntati, qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi forte excommunicati vel interdicti, aut etiam publicè usurarii sint, nullus obsistat. Salvâ tamen justitiâ illarum Ecclesiarum, à quibus mortuorum corpora assumuntur. Decimas prætera & possessiones ad jus Ecclesiarum vestrarum spectantes, quæ à laïcis detinentur, redimendi & legitimè liberandi de manibus eorum & ad Ecclesias ad quas pertinent revocandi, libera sit vobis de nostra authoritate facultas; obeunte vero te nunc ejusdem loci Abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutiâ seu violentiâ, præponatur, nisi quem

Fratres communi consensu vel Fratrum pars consilii majoris & sanioris secundùm Deum & B. Augustini Regulam providerint eligendum. Paci quoque & tranquillitati vestræ paternâ in posterum sollicitudine providere volentes, authoritate Apostolicâ prohibemus ut infra clausuras locorum seu grangiarum vestrarum, nullus rapinam seu furtum facere, ignem apponere, sanguinem fundere, hominem temerè capere vel interficere seu violentiam audeat exercere. Prætereà omnes libertates & immunitates à prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus, Ecclesiæ vestræ concessas, nec non libertates & exemptiones secularium exactionum à Regibus & Principibus vel aliis fidelibus rationabiliter vobis indultas, authoritate Apostolicâ confirmamus & præsentis scripti privilegio communimus. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatam Ecclesiam temerè perturbare aut ejus possessiones auferre vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salvâ sedis Apostolicæ authoritate ac Diœcesani Episcopi canonicâ justitiâ, & in supra dictis decimis moderatione Concilii generalis; si qua igitur in futurum Ecclesiastica secularisve persona, hanc nostræ Constitutionis paginam sciens contra eam temere venire tentaverit, secundò tertiòve commonita, nisi reatum suum congruâ satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui careat dignitate, reamque se Divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo Corpore & Sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri Jesu Christi, aliena fiat, atque in extremo examine districtæ subjaceat ultioni, cunctis autem eidem loco sua jura servantibus, sit Pax Domini nostri Jesu Christi quatenùs & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Amen. Sic *Signatum*.

Ego Gregorius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

Ego Pelagius Albanensis Episcopus. Ego Guido Prænestiensis Episcopus. Ego Thomas titulo S. Sabinæ Presbyter Cardinalis. Ego Bartholomæus S. Pudentianæ Presbyter Cardinalis titulo Pastoris. Ego Sigenbaldus titulo S. Laurentii in Lucina Presbyter Cardinalis. Ego Oct. SS. Sergii & Bacchi Diaconus Card. Ego Rainerius S. Mariæ in *Cosmeden* Diac. Card. Ego Romanus S. Angeli Diac. Card. Ego Stephanus S. Adriani Diac. Card. Ego Petrus S. Georgii ad Velum aureum Diac. Card. Ego Otho S. Nicolai Ecclesiæ Tullianensis Diac. Card. *omnes cum Parapho.* Datum Laterani per manum Martini S. R. E. Vicecancellarii III. Idus Martii Indictione 1ª. Incarnationis Dominicæ anno 1227. Pontificatûs verò Domini Gregorii PP. Noni anno primo.

Bulla Alexandri Papæ IV. anno 1257.

ALexander Episcopus servus Servorum Dei. Dilectis filiis Abbati & Conventui monasterii *Calvi-montis*, Præmonstratensis Ordinis, Rhemensis Diœcesis, Salutem & Apostolicam Benedictionem. Vestræ religionis devotione inducimur ut petitionibus vestris quantùm cum Deo possumus, annuentes, specialem vobis gratiam faciamus, hinc est quòd nos vestris supplicationibus inclinati ut possessiones & alia bona mobilia & immobilia quæ liberas personas Fratrum ad monasterium vestrum, mundi relictâ vanitate, volantium & in eo professionem facientium, si remansissent in seculo, ratione successionis vel quocumque alio justo titulo, contigissent, exceptis feudalibus, & in alios transferre licitè potuissent, petere & recipere valeatis, ac etiam retinere, vobis authoritate præsentium concedimus facultatem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem omnipotentis Dei & B. B. Petri & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Viterbii decimo Kalendas Decembris. Pontificatûs nostri anno 3°.

Charta Thomæ Regis Navarræ, amortisantis bona omnia Calvomontanæ *Ecclesiæ, anno 1269.*

NOs Thomas, Dei gratiâ, Rex Navarræ, Campaniæ ac Briæ Comes Palatinus. Notum facimus universis præsentes litteras inspecturis, quòd cùm Abbas & Conventus de *Calvo-monte* Ordinis Præmonstratensis, aliqua in feodis, retrofeodis, allodiis, sive censivis nostris, per emptionem, per donationem, per escambium seu alio modo acquisierunt, Nos ob animæ nostræ ac successorum nostrorum remedium omnia acquisita à prædictis Abbate & Conventu usque ad confectionem præsentium litterarum facta eisdem laudamus ac etiam confirmamus; volentes & concedentes ut supradicti Abbas & Conventus prædicta omnia acquisita usque nunc facta, in perpetuum habeant, teneant ac possideant in manu mortua pacificè & quietè, salvo jure in omnibus alieno, posteris & successoribus suis gardam & justitiam in omnibus acquisitis supra dictis penitùs concedentes. In cujus rei testimonium & munimen perpetuum præsentes litteras sigillo nostro fecimus sigillari. Datum per nos in Abbatia de *Argencolis* die Martis proximâ post Dominicam quâ cantatur, *Reminiscere*, anno Domini 1269. Not. Th. Brunelli.

Charta Philippi V. Francorum Regis, approbantis aliquas donationes factas Monasterio Calvimonti, *anno 1292.*

PHilippus, Dei gratiâ, Francorum & Navarræ Rex. Notum facimus tam præsentibus, quàm futuris, quòd cùm, ut intelleximus, Gilbertus de *Belio-rivo* Scutifer, terras, prata, masuras, redditus & possessiones suas alias de nostris retrofeodis Campaniæ moventes, sitas in villis, territoriis *Calvi-montis*, de *Dommelier* & de *Grivron*, quas idem Gilbertus in feodum tenebat à Nobili viro Thoma de *Aspero monte* Domino Calvi-montis, in Portiano Milite, & causâ permutationis concesserit & perpetuum quittaverit vinagia sua, quæ ipsi Religiosi ab antiquo & tanquam amortisata habebant & percipiebant in villis & territoriis de *Vassogia* & de *Jumegniaco* ab eodem Gilberto & suis hæredibus & successoribus tenenda in perpetuum & habenda, & in nostris retrofeodis Campaniæ reponenda in locum rerum prædictarum, quas dictus Gilbertus transtulit in eosdem; ipseque Gilbertus hujusmodi vinagia reposuit in nostris retrofeodis & de illis fidem & homagium juraverit ut Domini supradicti. Qui Dominus cum Joanna uxore sua per litteras suas dicuntur assensum suum præstitisse permutationi prædictæ, nos ad ipsius Gilberti requisitionem pro nobis & Domina consorte nostra Joanna Dei gratiâ Franciæ & Navarræ Regina, dictam permutationem modo prædicto factam volumus, laudamus & tenore præsentium approbamus, volentes & concedentes quòd dicti Religiosi & eorum monasterium res prædictas in eosdem, ut præmissum est, à dicto Gilberto translatas, perpetuò teneant, habeant & possideant pacificè & quietè, absque coactione vendendi vel

extra manum suam ponendi, salvo tamen in aliis jure nostro, & jure quolibet alieno; quod ut firmum & stabile permaneat in futurum, præsentibus litteris nostrum fecimus apponi sigillum. Nos autem Joanna, Dei gratiâ, Franciæ & Navarræ Regina, de cujus hæreditate prædicta movere noscuntur, dictæ permutationi, quantùm in nobis est, nostrum præbemus assensum, & ad majorem eorum firmitatem præsentibus litteris nostrum fecimus apponi sigillum unà cum sigillo charissimi conjugis & Domini nostri Regis prædicti. Actum Parisiis anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo secundo mense Decembri.

Bulla Bonifacii Papæ octavi, annullantis alienationem bonorum Abbatiæ Calvomontanæ. *Anno 1296.*

BOnifacius Episcopus servus Servorum Dei. Dilecto filio Priori Ecclesiæ S. Mauritii Rhemensis, Salutem & Apostolicam Benedictionem. Ad audientiam nostram pervenit quòd tam dilecti filii Abbas & Conventus monasterii Calvi-montis, Præm. Ord. Rhem. Diœc. quàm prædecessores eorum decimas, terras, domos, redditus, vineas, hortos, sylvas, grangias, piscarias. villas, castra, casalia, nemora, maneria, viridaria, pascua, molendina, jura, jurisdictiones, possessiones & quædam alia bona ipsius monasterii, datis super hoc litteris, confectis publicis instrumentis, factis renuntiationibus, juramentis interpositis, & pœnis adjectis, in gravamen ejusdem monasterii læsionem non nullis Clericis & Laicis aliquibus eorum ad vitam, quibusdam verò ad non modicum tempus & aliis perpetuò ad firmam vel sub censu annuo concesserunt. Quorum aliqui super his confirmationis litteras in forma communi dicuntur à sede Apostolica impetrasse. Quia verò nostra interest læsis monasteriis subvenire. Discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus quatenùs ea quæ de bonis ipsius monasterii per concessiones hujusmodi alienata inveneris illicitè vel distracta, non obstantibus litteris, instrumentis, renuntiationibus, juramentis, pœnis seu confirmationibus supradictis, studeas ad jus & proprietatem ejusdem monasterii legitimè revocare. Contradictores per censuram Ecclesiasticam, appellatione postpositâ, compescendo. Testes autem qui fuerunt nominati, si se gratiâ, odio vel timore substraxerint, censurâ simili, appellatione cessante, compellas veritati testimonium perhibere. Proviso ne aliquis extra suam civitatem & Diœcesim authoritate præsentium ad judicium evocetur, nec procedatur in aliquo contra eum. Datum Romæ apud S. Petrum VI. Kal. Novembris Pontificatûs nostri, anno secundo.

Bulla Ejusdem Bonifacii Papæ Octavi. Anno 1302.

BOnifacius Episcopus servus Servorum Dei. Dilecto filio .... Priori S. Nicasii Rhemensis, Salutem & Apostolicam Benedictionem. Pium esse dignoscitur ut gloriantibus in malitia per nos taliter obsistatur, quòd repressis eorum insultibus vacantes divino cultui liberiùs possint in observantia mandatorum Domini delectari; cùm itaque, dilecti filii Abbas & Conventus monasterii de *Calvo-monte* ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, Præmonstratensis Ordinis, Rhemensis Diœcesis, à non nullis, qui nomen Domini recipere in vacuum non formidant, gravibus, sicut asserunt, affligantur injuriis & jacturis, nos eorumdem Abbatis & Conventûs providere quieti & malignantium malitiis obviare. Discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus quatenùs dictis Abbati & Conventui contra raptorum, prædonum & invasorum audaciam efficaci præsidio deffensionis assistens, non permittas eos in personis & bonis suis à talibus molestari, molestatores hujusmodi per censuram Ecclesiasticam, appellatione postpositâ, compescendo. Attentiùs provisurus ne de iis super quibus lis est fortè jam mota, vel quæ causæ cognitionem exigunt, & quæ personas & bona hujusmodi non contingunt, te aliquatenùs intromittas. Nec in Episcopos aliosve superiores Prælatos, excommunicationis vel suspensionis, aut universitatem aliquam interdicti sententiam promulgare præsumas, nos enim si secùs præsumpseris tam præsentes litteras, quàm etiam processum quem per te illarum authoritate haberi contigerit, omnino carere viribus ac nullius fore decernimus firmitatis, hujusmodi ergo mandatum nostrum sic prudenter & fideliter exequaris, quòd ejus finem quomodolibet non excedas, præsentibus post triennium minimè valituris. Datum Laterani Idibus Decembris, Pontificatûs nostri anno octavo.

Charta Petri Meldensis Episcopi pro confirmatione juris & dominii Cameræ-fontis, *anno 1246.*

PEtrus (a) Dei gratiâ Meldensis Episcopus, præsentes litteras inspecturis salutem in Domino. Notum facimus quòd charissimi Fratres nostri, Magister Alermus Dominus de *Plesseto*, & Dominus Guido Miles, Dominus de *Cusiaco*, coram nobis constituti, voluerunt & concesserunt, & in manu-mortua ex consensu nostro in perpetuam eleemosynam confirmaverunt Ecclesiæ Cameræ-fontis, ad majorem libertatem dicti loci, quòd Abbas dictæ Ecclesiæ habeat & possideat omne jus justitiæ in toto ambitu, in omnibus terris, pratis, vineis & nemoribus in eo contentis, in declive ab illa parte quæ differt communitates de *Cusy*, desuper nemus de *Groa*,* insequendo cheminum quod ducit ad nemus *Malforis**, & de *Thenleo**, usque ad cheminum de *Laguy* descendendo, & insequendo totum cheminum ad *Cruces*, usque ad pedem & buttam *Mota* juxta vivarium de *Rosieres* dirigendo ad locum priorem, ita quòd ipsi, nec hæredes sui, nec alii quicumque in circuitu jam dicto, in censu aut campi parte poterunt de cætero aliquid reclamare, obligantes se & successores suos eidem Ecclesiæ omnia garentire. Quod ut ratum permaneat præsentes litteras sigilli nostri munimine fecimus roborari. Actum anno gratiæ 1246. mense Maio.

* Greu
* Malfory.
* Tenner.

(a) Petrus de *Cusy*, Milonis Toparchæ filius, Episcopatum Meldensem post decessum Almarici adiit anno 1221 Synodo Parisiensi interfuit anno 1256. obiit anno 1257. in ejus locum suffectus est Alermus, non Aleranus ut scribunt San-Marthani quibus ignota erat Alermi prosapia, quæ communis utrique fuit, ut potè ex eodem Milone de *Cusiaco* progeniti. Decanatum Meldensem gerebat Alermus, dum ad Episcopales infulas post fata fratris subvectus est.

Charta Alphonsi Principis Portugaliæ & Mathildis Comitissæ Boloniæ & Domni-Martini, uxoris ejus, quâ locum cum omni jure transcribunt Cameræ-fonti, *ad constructionem sedium novæ Abbatiæ, anno 1243.*

EGo Alphonsus Filius illustris Regis Portugaliæ, Bolloniæ & Dompni-Martini Comes, & Ego Mathildis (*a*) ejus uxor Bolloniæ & Dompni-Martini Comitissa, omnibus præsentes litteras inspecturis salutem in Domino. Notum facimus quòd cùm Ecclesia Cameræ fontis teneret à nobis ad campi partem quandam petiam terræ, continentem circiter septem arpentos, sitam in clauso novæ Abbatiæ Cameræ-fontis, nos intuitu Divinæ pietatis & ob salutare remedium animarum nostrarum, ad majorem libertatem dicti loci de novo ædificandi, quittavimus memoratæ Ecclesiæ in perpetuam eleemosynam, campi partem prædictam, volentes & concedentes ut supradicta Ecclesia, præfatam petiam terræ liberam & immunem, cum omni jure & justitia in manu-mortua teneat in perpetuum. Volumus etiam & laudamus quòd jam dicta Ecclesia habeat & possideat omne jus justitiæ altæ & bassæ, in omnibus terris, pratis, nemoribus, & aliis possessionibus suis moventibus ex feodis aut retrofeodis nostris, & ubilibet constitutis. Quittamus etiam omne jus grueriæ & greeriæ quod habere possumus in dictis nemoribus, ita quòd dicta Ecclesia ex omnibus præmissis liberè possideat in manu-mortua in perpetuum. Et cum jam dicta Ecclesia haberet & possideret annuatim quinquaginta solidos Privinienses * supra census nostros de *Dompno-Martino*, ex donatione Philippi quondam Comitis prædecessoris nostri, Abbas prædictæ Ecclesiæ, dictum censum nobis quittavit, & nos in recompensationem, concedimus præfatæ Ecclesiæ viginti arpennos & tria quarteria terræ sita in territorio de *Monbolon*, in loco dicto *les Aulnois*, desubtùs cheminum de *Malsoris*, contiguum terris *Tegulariæ* dictæ Abbatiæ, cum omni jure & justitia, in manu-mortua similiter possidendos. Promittentes bonâ fide omnia præmissa garrentire, relinquentes ad hæc successores nostros specialiter obligatos. In cujus rei testimonium & confirmationem præsentes litteras sigillorum nostrorum munimine fecimus roborari. Actum anno gratiæ, MCCXLIII.

* De Provins.

Bulla prima Innocentii Papæ IV. pro Præpositura Campi-Regis. *Anno 1252.*

INnocentius Episcopus, servus Servorum Dei, dilectis filiis Præposito *Campi-Regis*, ejusque Fratribus, tam præsentibus, quàm futuris, regularem vitam professis, in perpetuum. Religiosam vitam eligentibus Apostolicum convenit adesse præsidium, ne fortè cujuslibet temeritatis incursus aut eos à proposito revocet, aut robur, quod absit, sacræ Religionis infringat. Eapropter, dilecti in domino filii, vestris postulationibus clementer annuimus, & monasterium *Campi-Regis*, Trajectensis Diœcesis, in quo divino estis obsequio mancipati, sub B. Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus. In primo siquidem statuentes, ut Ordo Canonicus, qui secundùm Deum, & B. Augustini Regulam, atque institutionem Præmonstratensium Fratrum, in eodem loco institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascumque possessiones, quæcumque bona idem monasterium in præsentiarum justè ac canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis: locum ipsum, in quo præfatum monasterium situm est, cum omnibus pertinentiis suis: Hospitale de *Delfft*, cum omnibus pertinentiis suis; terras & possessiones quas habent in territorio Castri, quod *Delfil* vulgariter nuncupatur, cum terris, pratis, nemoribus, usuagiis, & pascuis, in busco & plano, in aquis & molendinis, in viis & semitis, & omnibus aliis libertatibus & immunitatibus suis. Sanè novalium vestrorum, quæ propriis manibus, aut sumptibus colitis, de quibus aliquis hactenùs non percepit, sive de vestrorum animalium nutrimentis, nullus à vobis decimas exigere, vel extorquere præsumat. Liceat vobis quoque Clericos vel Laïcos, liberos & absolutos è seculo fugientes, ad conversionem recipere, & eos absque contradictione alicujus retinere. Prohibetur insuper, ut nulli Fratrum vestrorum post factam in monasterio vestro professionem, fas sit sine Præpositi sui licentia de eodem discedere, etiam arctioris religionis obtentu; discedentem verò absque communium litterarum vestrarum cautione, nullus audeat retinere. Cùm autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis clausis januis, exclusis excommunicatis & interdictis, non pulsatis campanis, suppressâ voce, divina officia celebrare dummodò causam non dederitis interdicto. Chrisma verò, oleum sanctum, consecrationes altarium seu basilicarum, seu Ordinationes Clericorum, qui ad Ordines fuerint promovendi, à Diœcesano suscipiantur Episcopo, siquidem Catholicus fuerit, & gratiam & communionem sanctæ Romanæ sedis habuerit, & ea vobis voluerit sine pravitate alicujus exhibere. Prohibemus insuper ut infra fines parochiæ vestræ nullus, sine assensu Diœcesani Episcopi vestri Capellam, seu Oratorium de novo construere audeat, salvis privilegiis Pontificum Romanorum. Ad hæc novas & indebitas exactiones ab Archiepiscopo, Episcopo, Archidiacono, seu Decanis, omnibusque aliis Ecclesiasticis, secularibusve personis, à vobis omnino fieri prohibemus. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decernimus, ut eorum devotioni & extremæ voluntati, qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi fortè excommunicati, vel interdicti sint, aut etiam publici usurarii, nullus obsistat, salvâ tamen justitiâ illarum Ecclesiarum, à quibus corpora mortuorum assumuntur. Decimas præterea & possessiones ad jus vestrarum Ecclesiarum spectantes, quæ à laicis detinentur, redimendi, & legitimè liberandi de manibus eorum, & ad Ecclesias, ad quas pertinent, revocandi, libera sit vobis de nostra authoritate facultas. Obeunte verò te, nunc ejusdem loci Præposito, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi quâlibet subreptionis astutiâ, seu violentiâ præponatur, nisi quem Fratres communi consensu, vel Fratrum major pars consilii sanioris, secundùm Deum, & B. Augustini regulam providerint eligendum. Paci quoque, & tranquillitati vestræ paternâ inposterum sollicitudine providere volentes, authoritate Apostolicâ prohibemus, ut infra clausuras locorum, seu grangiarum vestrarum nullus rapinam seu furtum facere, ignem apponere, sanguinem effundere, hominem tenere, capere, vel interficere, vel violentiam audeat exercere. Præterea omnes li-

(*a*) Erat filia unica Reginaldi Comitis de Dompno-Martino & Idæ Comitissæ Bolloniæ, Philippo Franciæ Principi nupta primùm, deinde anno 1235. Alphonso Lusitaniæ Principi, postea Regi, à quo repudiata est ut ad alia vota transiret Princeps inquies.

bertates & immunitates à prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus monasterio vestro concessas, necnon libertates & exemptiones secularium exactionum à Regibus & Principibus & aliis fidelibus rationabiliter vobis indultas authoritate Apostolicâ confirmamus, & præsentis scripti privilegio communimus. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatum monasterium temerare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, seu quibuslibet vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur, eorum, pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salvâ sedis Apostolicæ authoritate & Diœcesani Episcopi canonicâ justitiâ. Si quæ igitur in futurum Ecclesiastica secularisve persona, hanc nostræ Constitutionis paginam sciens, contra eam, &c. Datum Perusii per manum Magistri Wilhelmi scholarum Parmens. sanctæ Romanæ Ecclesiæ Vice-cancellarium, v. Idus Octobris, Indictione x. Incarnationis Dominicæ anno 1252. Pontificatûs verò Domini Innocentii Papæ IV. anno x.

Bulla 2ª. Innocentii IV. quâ Cœnobium Campi-Regii *eximit à solvendis Decimis Novalibus. Anno 1253.*

INnocentius Episcopus, servus Servorum Dei, dilectis filiis Præposito & Conventui monasterii *Campi-Regis*, Præmonstratensis Ordinis, Trajectensis Diœcesis, salutem & Apostolicam benedictionem. Meritis vestræ Religionis, contemplatione quoque dilectæ in Christo filiæ Nobilis mulieris Richildis Domicellæ de *Hollandia*, amitæ Charissimi in Christo filii nostri Willelmi Regis Romanorum Illustris, quæ monasterium vestrum de bonis propriis fundavit, sicut accipimus, & dotavit, inducimur, ut vos favoris præcipui gratiâ prosequamur; hinc est quòd vestris, & dictæ Nobilis postulationibus grato concurrentes assensu, ut de novalibus, quæ propriis sumptibus colitis, & de quibus aliquis hactenus non percepit, sive de hortis, aut nutrimentis animalium vestrorum, decimas nemini solvere teneamini, authoritate vobis præsentium indulgemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Perusii III. Kal. Octobris, Pontificatûs nostri anno decimo.

Diploma protectorium ejusdem Innocentii IV. anno 1252.

INnocentius Episcopus, servus Servorum Dei, venerabilibus Fratribus Archiepiscopo Coloniensi, & Suffraganeis ejus, & dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, Decanis, Archidiaconis, Archipresbyteris, & aliis Ecclesiarum Prælatis, per Coloniensem Provinciam constitutis, salutem & Apostolicam benedictionem. Non absque dolore cordis & plurima turbatione didicimus, quòd ita in plerisque partibus Ecclesiastica censura dissolvitur, & Canonicæ sententiæ severitas enervatur, ut viri Religiosi & hi maximè, qui per sedis Apostolicæ privilegia, majori donati sunt libertate, passim à malefactoribus suis injurias sustineant, & rapinas, dùm vix invenitur qui congruâ illis protectione subveniat, & pro fovenda pauperum innocentia se murum deffensionis opponat; specialiter autem dicti filii Præpositus & Fratres Monasterii *Campi-Regis*, Præmonstratensis Ordinis, Trajectensis Diœcesis, tam de frequentibus injuriis, quam de quotidiano ipso defectu justitiæ conquerentes, universitatem vestram litteris petierunt Apostolicis excitari, ut ita videlicet eis in tribulationibus suis, contra malefactores eorum promptâ debeatis magnanimitate consurgere, quòd ab angustiis, quas sustinent & pressuris, vestro possint præsidio respirare; ideòque universitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, atque præcipimus, quatenùs illos, qui possessiones, vel res, seu domos prædictorum Fratrum irreverenter invaserint, aut ea injustè detinuerint, quæ prædictis Fratribus ex testamento decedentium relinquuntur, seu in Fratres ipsos, vel ipsorum aliquem, contra Apostolicæ sedis indulta, sententiam excommunicationis aut interdicti præsumpserit promulgare, vel decimas de nutrimentis animalium suorum, spretis Apostolicæ sedis privilegiis, extorquere, monitione præmissâ, si Laici fuerint, publicè candelis accensis, singuli vestrûm in Diœcesibus & Ecclesiis vestris, excommunicationis sententiâ percellatis; si verò Clerici, vel Canonici regulares, seu Monachi fuerint, eos appellatione remotâ, ab officio & beneficio suspendatis, neutram relaxaturi sententiam, donec prædictis Fratribus plenariè satisfaciant, & tam Laici, quàm Clerici seculares, qui pro violenta manuum injectione in Fratres eosdem vel ipsorum aliquem, anathematis vinculo fuerint innodati, cum Diœcesani Episcopi litteris ad sedem Apostolicam venientes, ab eodem vinculo mereantur absolvi. Datum Perusii II. nonas Octobris, Pontificatûs nostri anno decimo.

Diploma ejusdem Innocentii, quâ Præposito, Canonicis, & Monialibus Campi-Regis, *indulget facultatem adeundi hæreditatem paternam, ac si in seculo mansissent. Anno 1252.*

INnocentius Episcopus, servus Servorum Dei, dilectis filiis Præposito & Conventui monasterii *Campi-Regis*, Præmonstratensis Ordinis, Trajectensis Diœcesis, salutem & Apostolicam benedictionem. Devotionis vestræ precibus inclinati, ut possessiones, & alia bona mobilia & immobilia, exceptis feudalibus, quæ liberas personas Fratrum aut Sororum vestrarum, qui de seculo fugientes, in monasterio vestro habitum professionis assumunt, hæreditario jure, vel alio justo titulo contingerent in seculo remanendo, exceptis rebus feudalibus, exigere, recipere, ac etiam retinere liberè valeatis, authoritate vobis præsentium indulgemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & B. B. Petri & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Perusii x. Kal. Octobris, Pontificatûs nostri anno x.

Diploma Pontificis ejusdem, quo possessiones Campo-Regis *à Romanorum Rege Willelmo concessas, confirmat. Anno eodem.*

INnocentius Episcopus, servus Servorum Dei, dilectis filiis Præposito & Conventui monasterii *Campi-Regis*, Præmonstratensis Ordinis, Traject. Diœcesis, salutem & apostolicam benedictionem. Sacrosancta Romanorum Ecclesia devotos & humiles filios ex assuetæ pietatis officio propensiùs diligere consuevit, & ne pravorum hominum molestiis agitentur, eos tanquam pia mater suæ protectionis munimine confovere. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, personas vestras & monasterium *Campi-Regis*, in quo divino estis obsequio mancipati, cum omnibus

omnibus bonis, quæ inpræsentiarum rationabiliter possidet, aut in futurum justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, sub B. Petri & nostra protectione suscipimus; specialiter autem sexcentas mensuras terræ infrà parochiam de *Dilez*, quas charissimus in Christo filius noster Willelmus Rex Romanorum Illustris, & dilecta in Christo filia Nobilis mulier Richildis, Domicella Hollandiæ, ipsius Regis amita, ad ipsos spectantes, ipsi monasterio, sicut dicitis, piâ & providâ liberalitate donarunt, & alia bona vestra, sicut ea omnia justè ac pacificè obtinetis, vobis & per vos eidem monasterio authoritate Apostolicâ confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ protectionis & confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & BB. Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Perusii II. Nonas Octobris, Pontificatûs nostri anno x.

Charta Donationis Ecclesiæ Pynacrensis, per Florentium Hollandiæ Tutorem, anno 1257.

NOs Florentius (*a*) Tutor Hollandiæ, notum facimus universis præsentem litteram inspecturis, quòd nos, consideratâ necessitate novellæ plantationis Sanctimonialium de *Coningsfelt*, jus patronatûs Ecclesiæ de *Pynacker*, & ipsam Ecclesiam cum omnibus proventibus suis, cedente vel decedente Willelmo Rectore ipsius Ecclesiæ, dictis Sanctimonialibus, divinæ retributionis intuitu, liberaliter duximus assignandam: ita, inquam, quòd eandem Ecclesiam per legitimum Vicarium sui Ordinis procurent, & faciant in perpetuum deserviri. Ne autem super hoc inposterum valeat aliquis dubitationis scrupulus suboriri, præsentem paginam prædictis indulsimus, sigilli nostri munimine roboratam. Datum apud Hagam, anno Domini 1257. in Cathedra Beati Petri Apostoli.

Diploma Henrici Trajectensis Episcopi, quo donationem prædictam confirmat, anno 1259.

HEnricus*, Dei gratiâ, Trajectensis Episcopus, dilecto in Christo Jo. Decano Ecclesiæ S. Joannis Trajectensis, salutem in Domino. Cùm vir nobilis bonæ memoriæ quondam Florentius Tutor Hollandiæ, jus Patronatûs Ecclesiæ de *Pinacker*, & ipsam Ecclesiam cum omnibus proventibus suis, cedente vel decedente Willelmo Rectore ipsius Ecclesiæ, dilectis in Christo Sanctimonialibus novellæ plantationis in *Coningsfelt*, divinæ retributionis intuitu, liberaliter duxerit conferendam; ita quòd eandem Ecclesiam per legitimum Vicarium sui Ordinis officiari procurent, & faciant in perpetuum deserviri, prout in litteris ipsius Nobilis super hoc confectis, pleniùs continetur. Nos prædictarum Sanctimonialium monasterii in *Coningsfelt*, devotis in hac parte supplicationibus inclinati, collationem & assignationem juris patronatûs prædictæ Ecclesiæ, & assignationem ipsius Ecclesiæ de *Pynacker* eis factam, quia ritè & legitimè factæ sunt, authoritate præsentium confirmamus & præsentis scripti sigillo communimus; discretioni tuæ, præsentium authoritate mandantes, quatenùs prædictas Sanctimoniales in præmissis, contra nostræ confirmationis tenorem non permittas ab aliquibus indebitè molestari, molestatores hujusmodi, authoritate nostrâ, per censuram Ecclesiasticam compescendo. Datum apud Trajectum anno Domini 1259. in Oct. Nat. Beati Joannis Baptistæ.

* Henricus Viadensis Comitis filius, Golsvino successit in episcopatu Trajectensi, anno 1250. die 4. Junii 1267. Trajecti obiit, tumulatus in majori Ecclesiâ, quam novo opere exornaverat.

Charta Ratificationis prædictæ concessionis, per Aleydem Willelmi Regis sororem, anno 1261.

ALeydis, quondam uxor D. Joannis de *Avennis*, Tutrix Hollandiæ & Zelandiæ, universis præsentia visuris, salutem in Domino. Universitati nostræ significamus, quòd nos & jus patronatûs Ecclesiæ de *Pynacker* cum omnibus proventibus suis, prout dilectus frater noster Dominus Florentius piæ memoriæ, Sanctimonialibus in Regio-Campo assignavit, ratificamus. Datum in *Zande*, anno Domini 1261. in Die Animarum.

Charta ejusdem Aleydis in eundem finem, anno 1264.

ALeydis quondam soror Domini Willelmi Regis Romanorum Illustris, & quondam uxor D. Joannis de *Avennis*, universis præsentem litteram inspecturis, salutem, & noscere veritatem. Quantò sinceriùs loca religiosa diligimus, tantò libentiùs super his quæ ipsorum profectum respiciunt, favorem eis benevolum impertimur. Igitur ad singulorum cupimus pervenire notitiam, quòd cùm adhuc hæreditario jure, & successivè post dilectum fratrem nostrum Florentium, terram Hollandiæ & Zelandiæ tueremur, & Ecclesiastica beneficia vacantia, ad nostram in eadem terra spectarent donationem sive præsentationem. Nos consideratâ necessitate novellæ plantationis Sanctimonialium Præmonstratensis Ordinis in *Coningsfelt*, omne jus patronatûs, collationis seu præsentationis, vel patronatûs Ecclesiæ de *Pynaker*, & ipsam Ecclesiam, ad nos pleno jure spectantem, cum omnibus proventibus & pertinentiis suis, statim cùm vacabat post mortem Domini Willelmi legitimi Plebani tunc temporis ipsius Ecclesiæ, dictis Sanctimonialibus divinæ retributionis intuitu, liberaliter & piè contulimus, & adhuc conferimus perpetuò sine calumnia possidendam. Ut autem hæc pia & justa collatio facta ob remedium animarum claræ memoriæ fratrum nostrorum D. Villelmi Romanorum Regis, & D. Florentii, qui dictum monasterium assiduè speciali prosecuti sunt prærogativâ favoris, stabilior & inviolabilior observetur, in evidentiam pleniorem, præsentem paginam ipsis Sanctimonialibus contulimus, sigilli nostri munimine roboratam. Datum apud *Coningsfelt*, anno Domini 1264. feriâ sextâ ante festum B. Joannis Baptistæ.

Charta Reghtildis Comitissæ Hollandiæ, in qua commemoratur collatio juris patronatûs in Pynacker, *Campo-Regis facta per Florentium & Aleydem supra memoratos, anno 1264.*

NOs ... Comitissa Hollandiæ, & mater Domini Willelmi quondam Romanorum Regis Illustris, notum facimus universis præsentem litteram inspecturis, quod audivimus; & ob hoc meritò testimonium perhibebimus in æternum, quòd dilectus filius noster Dominus Villelmus quondam Romanorum Rex semper Augustus, ob remedium animæ suæ, & suorum antecessorum, consideratâ necessitate novellæ plantationis Sanctimonialium de *Coningsfelt*, jus patronatûs Ecclesiæ de *Pynacker*, & ipsam Ecclesiam cum omnibus proventibus suis, cedente vel decedente Willelmo Rectore & Pastore tunc temporis ipsius Ecclesiæ, dictis Sanctimonialibus, divinæ retributionis intuitu, liberaliter & absolutè contulit, quietè & pacificè perpetuò possidendam. Præterea donationem Ecclesiæ memoratæ dilecti filii nostri,

(*a*) Frater defuncti Guillelmi II. Comitis Hollandiæ, ac Regis Romanorum; Florentii V. patruus & tutor.

Dominus Florentius Miles, & Domina Aleydis, quondam uxor Domini Joannis de *Avennis*, Tutores Hollandiæ & Zelandiæ successivè, favorabiliter, & piè ratificaverunt, sicut in litteris eorum pleniùs continetur. In cujus rei testimonium & perpetuam firmitatem præsentem litteram sigilli nostri munimine roboratam, contulimus super eo. Datum anno Domini 1264.

Bulla Eugenii III. pro confirmatione Fundationis, Dotis & Privilegiorum Capellæ, *anno 1147.*

EUgenius Episcopus, servus Servorum Dei, Dilecto filio Galtero Abbati sanctæ Mariæ de *Capella*, ejusque Fratribus tam præsentibus, quàm futuris, regularem vitam professis, in perpetuum. Quoties illud à nobis petitur quod rationi conveniens esse dignoscitur, animo nos decet libenti concedere & congruum impertiri suffragium, ut fidelis & pia devotio celerem consequatur effectum. Ea propter, Dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus & præfatam Ecclesiam in qua Divino mancipati estis obsequio, sub B. Petri & nostra protectione suscipimus & præsentis scripti privilegio communimus, statuentes ut quascumque possessiones, quæcumque bona... firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant, in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Territorium in quo ipsa Ecclesia constructa est, datum à Simone Domino Bello-Fortensi, & Emelina matre ejus, cum usuario totius nemoris usque ad prædictum Castrum. *Merefert* curtem cum appendititiis suis, terram quæ circa ipsam curiam est, ex dono Radulphi de sancta Margarita. Molendinum de *Sussanno-Monte* cum terra que molendino adjacet. Similiter ex dono prædicti Radulphi fratribus suis concedentibus & Dominis de quorum feodo erat, Comite videlicet Theobaldo, Egidio cum fratre suo Leobaldo, & Marchario de *Magnicourt*, Curtem sanctæ Petronillæ cum appendititiis suis, terram de *Otagnis*; novam domum quæ sita est super *Mannumam*; tertiam partem decimæ de villa sancti Audoëni quam habetis ab Ecclesia sancti Quintini Bellevacensis, & quidquid ibidem ipsa sancti Quintini Ecclesia jure possidebat. Decimam totam de *Curcellis* exceptâ parte Presbyteri. Medietatem tertiæ partis decimæ *Juncheriu*, partem decimæ de *Longa Villa*. In Ecclesia *Charchericurtis* liberam electionem Sacerdotis ab Athone * Trecensi Episcopo vobis concessam. Sanè laborum vestrorum quos propriis manibus aut sumptibus colitis, sive de nutrimentis vestrorum animalium nullus à vobis decimam exigere præsumat. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatam Ecclesiam temerè perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere aut aliquibus vexationibus fatigare, sed omnia integrè conserventur eorum pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salvâ sedis Apostolicæ authoritate & Diœcesani Episcopi Canonicâ justitiâ. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica secularisve persona, hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temerè venire tentaverit, secundò, tertiòve commonita, si non satisfactione congruâ emendaverit, potestatis, honorisque sui dignitate careat, reamque se Divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, ac à sacratissimo Corpore & Sanguine Dei & Domini nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco justa servantibus, sit pax Domini nostri Jesu Christi quatenùs & hic fructum bonæ actionis percipiant & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen Amen.

* Atho eligitur anno 1121. & rexit usque ad an. 1149.

Ego Eugenius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.
Ego Albertus Ostiensis Episcopus.
Ego Imarus Tusculanus Episcopus.
Ego Odo Diaconus Cardinalis sancti Georgii.
Ego Joannes Diaconus Cardinalis sanctæ Mariæ Novæ.

Datum Parisiis per manum Hugonis Presbyteri Cardinalis, Agentis vices Domini Guidonis sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconi Cardinalis & Cancellarii, Idibus Maii, Indictione decimâ, anno MCXLVII. Pontificatûs verò Domini Eugenii III. anno tertio.

Charta Simonis Domini Belli-Fortis, *confirmantis omnia concessa à prædecessoribus suis* Capellæ ad Plancas, *anno 1152.*

NOtum sit omnibus Ecclesiæ Dei filiis tam præsentibus quàm futuris, quòd Ego Simon Dominus *Bel-Fortis* anno Verbi incarnati MCLII. Indictione decimâ quintâ, Epactâ duodecimâ concurrente verò cum Bissexto, in præsentia multorum concessi & confirmavi Ecclesiæ sanctæ Genitricis Dei Mariæ, ob remedium animæ meæ & patris mei omniumque prædecessorum meorum, omnia illa quæ ab iisdem prædecessoribus Ecclesiæ prædictæ Fratribus ibidem Deo servientibus, tradita sunt, Hugone Domino de *Brecis* in præsentia Wilermi Domini de *Damna-petra*, & Milonis de *Planeri*, & quamplurimis aliis assistentibus, laudante videlicet ipsam terram in qua Ecclesia posita est, cum appendititiis suis liberam, & per totum nemus & terram quæ ad me pertinet, libera pascua omnibus suis pecudibus tam porcis, quàm cæteris animalibus, insuper sua usualia in nemoribus usualibus, & pontem quem transportaverunt in locum transpositionis esse concessi. Apud *Meresert* curtem verò vinea & si quid aliud cultum vel incultum ante possessum est, liberum erit, exceptâ terrâ Gisberti, quæ terragium dabit. Apud *Belfortem* modius vini de vinea Hugonis, quisquis eam possederit & eleemosyna pueri Radulphi, scilicet vinea & pars molendini de *Hermanchap* & cætera libera erunt. Ut verò breviter dicam quidquid ante tenuerunt tam in terris, quàm in pratis & in aqua, ipsa etiam terra ultra metas divisionis extirpata & cætera omnia libera erunt; salvo terragio apud *Autingis* & de quibusdam campis sanctæ Petronillæ & censu sex denariis terræ & prati *Ogeri*, metas verò positas & factas in veteri ponte juxta nemus usque ad viam quæ venit de novo ponte, ipsemet fieri institui. Hæc verò via tendens *Flasceneus* pro meta habetur. Hujus rei testes sunt Radulphus Abbas de *Bello-loco* & Baldinus Abbas de *Basso-fonte*, &c.

Charta ejusdem Simonis Domini Belli-Fortis, Capellæ *bona quadam largientis, anno 1152.*

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ego Simon Dominus *Belli-Fortis*, notum facio tam præsentibus, quàm futuris, quòd ob remedium animæ meæ, omnium quoque prædecessorum meorum, concessi, laudavi & confirmavi Ecclesiæ sanctæ Dei Genitricis Mariæ de Capella & Fratribus ibidem Deo servientibus, grangiam de *Olbingus* quæ vulgariter appellatur *la Loye*, & unà cum terris, pratis, pascuis illi grangiæ pertinentibus: insuper dedi Fratribus prædictis plenam libertatem quòd ipsi, vel ipsius grangiæ Admodiatores, poterunt in prænominata grangia nutrire & possidere cuncta animalia trasentia, sive non trasentia ad aratrum liberè & sine ulla coactione, ne propter hoc solvendi aliquam redevantiam, sed

ficut antea poffidebam. Dedi etiam apud fanctam Petronillam terragium quod ibi accipiebam. Dedi etiam fextam partem totius groffæ decimæ de *Joncherio* de *Othingus* de *Balleio* cum tractu ejufdem partis. Hæc omnia bonâ voluntate & bono animo liberè poffidenda donamus, laudante Hugone fratre meo Domino de *Brecus*, & poftea fuccedente Felicitate filiâ meâ. Ut autem hæc rata & inconcuffa permaneant, teftibus annotatis, figillo meo munivi. Hi verò funt teftes Abbas *Clara-vallis*, Theodoricus de *Bullancour*, Joannes *Belli-loci*, Aubertus de *Septem-fontibus* Abbas. Actum anno 1152. Ludovico Francorum Rege regnante. Henrico Trecenfium Epifcopo.

Charta Gaufridi Domini de Joinville, *confirmantis* Capellæ *terras* Longævillæ *adjacentes, traditas à Patre fuo Rogero, anno 1157.*

EX confuetudine veterum habemus ut quæcumque pro communi utilitate temporibus Principum agerentur, ad rememorandam generationem quæ fuperventura erat, fcripturæ commendarentur. Quapropter Ego Gaufridus *Joinville* Dominus, Comitis Henrici Senefchalcus, notum facio pofteris quòd Dominus Galterus Abbas, Fratrefque Capellæ à me petierunt terras *Longævillæ* adjacentes, quas pater meus Rogerus eidem Capellæ antiquitùs contulerat, fibi collaudari, tenoremque fuum impreffione figilli mei informari, quorum petitionibus libenter annuens, paci & quieti eorum inpofterum providens, Ego Gaufridus Felicitate uxore meâ & filio meo Gaufrido, filiâ quoque Gertrude pariter collaudantibus, pro falute animarum noftrarum terram, quam præfata Ecclefia eatenùs five extirpaverat, five acquifierat, cum pratis & aquis conceffi liberam & abfolutam ab omni reditu, Fratribus fub fuo jure poffidendam, ufibus quoque ipforum & pro Fratribus omnimodò profuturam, cujus termini terræ funt fecùs villam defcendentes ad *Vruam* fluvium & afcendentes fecùs eandem fylvam per fatta, &c..... hanc, inquam, terram quæ arari poteft infra prædictas metas omni profectu Ecclefiæ laudo ufuarium, nihilominus nemoris quod à fummitate farti prædicti Renandi, diftenditur in directum ad *Rafnurias* ufque *Versa* & fub *Lana* in unum conveniunt, neceffariis eorum ufibus relaxo. Hujus fiquidem liberalitatis donatio ne unquam valeat præfumptione aliquâ minutari, minorari, temerari, præfenti fcripto & figillo meo cum atteftatione eorum qui interfuerunt, affignari curavi. Radulphus Abbas de *Bullancour*, Obertus Prior ejufdem loci, &c. Actum anno ab Incarnatione Domini 1157. Regnante Ludovico Francorum Rege, coram aftantibus Galtero & Fratribus Capellæ in eodem loco unde tractatum eft.

Charta Henrici Trecenfium Comitis Palatini, quâ confirmat donationem cujufdam terræ factam Fratribus de Capella *ab Oliverio milite de* Droniaco, * *anno 1157.*

* Gallicè Dronet.

EGo Henricus * Trecenfium Comes Palatinus, notum fieri volo præfentibus & futuris quòd Olivarius Miles de *Droniaco*, partem cujufdam terræ in finibus fancti Audoëni quantùm arari poteft duabus carrucis per annum fingulis arationis & feminationis temporibus, Abbati & Fratribus de Capella Deo fervientibus, pro remedio animæ fuæ parentumque fuorum, & filia fua, quam in Ecclefia prædicta Dei fervitio mancipavit, fub hac conditione donavit ut fingulis annis dimidium modium annonæ, duo fextaria frumenti, duo filiginis, & quatuor avenæ ad menfuram fanctæ Margaretæ, ficut folet emi & vendi, pro parte terragii Monachorum fancti Stephani, Olivero perfolvant, infuper in ipfa terra quantùm fpatii neceffe effet ad conftruendam Curiam. Hoc autem ut ratum effet Oliverus & filius ejus Gaucherus, quoniam de meo feodo erant, manum fuam deveftierunt, meamque inveftierunt, & ego manum Abbatis inveftivi. Hæc omnia laudaverunt uxor Oliveri & filii & filiæ. Hoc autem ut inconcuffum permaneret figillo meo confirmari præcepi. Hujus rei teftes funt Gaufridus de *Joinville*, Nevelo de *Aine*, Philippus de *Varicourt*, Renandus de *Cufniaco*. Factum eft hoc Verbi incarnati 1157.

* Secundus nomine filius Henrici primi cognomento Divitis. In Paleftina lapfus è feneftra obiit anno 1197.

Bulla Urbani VIII. pro unione monafterii Capellenfis *facienda Collegio Societatis Jefu erigendo Siegenæ. 1627.*

AD perpetuam rei memoriam. Etfi Romanum Pontificem omnes, qui Chriftiano nomine cenfentur, paternâ decet charitate complecti, iis tamen æquum eft plura & uberiora Paftoralis benignitatis argumenta præbere, qui arma lucis induentes, errorum tenebras depellere, impietatemque profligare nituntur. Quod quidem ficuti in omnibus maximè laudatur, ita in Principibus viris, quorum exempla in cæteros manare, virtutefque in æternæ falutis via creditis fibi populis prælucere confueverunt, fummopere expetendum eft; hæc igitur nobis ob oculos proponentes, nec non etiam laboriofam atque indefeffam, quam Societas Jefu in militantis Ecclefiæ agro colendo vel vepribus purgando, falutaribufque Ecclefiafticæ difciplinæ fementis irrigando, inter cæteros illius cultores affiduè navant operam, intra cordis noftri arcana continuò revolventes, meritò inducimur ut ad ea per quæ ejufdem Societatis Collegiis pro fuis neceffitatibus & oneribus fublevandis congrua fubventionis auxilia fubminiftrari valeant, libenter intendamus, ac in his Paftoralis officii noftri partes favorabiliter interponamus, prout rerum & temporum qualitatibus debitè penfatis, confpicimus in Domino falubriter expedire. Sanè Dilectus Filius Joannes Comes de *Naffaw* nobis nuper exponi fecit, quòd ipfe pro fuo ardenti Catholicæ Religionis & honoris Domûs Dei zelo, fub die 6ª. Junii proximè præteriti, in terra de *S.gen*, fuæ temporalis jurifdictionis, Moguntinæ Diœcefis, hærefim Calvinifticam quæ 8ª. circiter annis in Comitatu de *Naffaw*, & adjacentes illi, five vicinas Provincias, inftigante humani generis hofte, irrepferat, ejufque fectatores quofcumque publico programmate five edicto profcripfit, profcriptamque & profcriptos effe voluit & decrevit, fanctamque Religionem Catholicam, quæ tot annorum fpatio inde exularat, illiufque exercitium in Terra & Comitatu hujufmodi fingulari Salvatoris noftri beneficio reftituit, non fine magno Chrifti fidelium illarum partium fpirituali gaudio, fructu & confolatione, cumque in eodem Comitatu monafterium quod *Chappel* nuncupatur, olim Monialium Ciftercienfis Ordinis, in quo multis abhinc annis Moniales, graffantibus in illis partibus hærefibus, exiftunt, ac in terra prædicta una Ecclefia in qua impiæ Calvini hærefes docebantur, & quæ olim domus regularis Fratrum Ordinis Minorum fancti Francifci de Obfervantia erat, reperiantur. Idem Joannes operæ pretium futurum effe exiftimavit, fi monafterium & domus hujufmodi Ordinibus prædictis, ac omni illorum effentia & exiftentia regularibus, Apoftolicâ authoritate perpetuò fuppreffis & extinctis, Ecclefia ipfa domufque regularis eidem Societati Jefu pro uno illius Collegio ibi erigendo concederetur, fructus verò monafterii hujufmodi, quod omnino deftitu-

tum eſt, cum omnibus juribus & pertinentiis univerſis eidem Collegio pro illius dote & manutentione, oneruṁque illis incumbentium ſupportatione, unirentur & incorporarentur, hoc enim pacto ut ejuſdem Societatis Preſbyteri juxta ſalubria eorum Inſtituta, ejuſdem terræ & finitimorum locorum Juventutem in Catholica Religione & Doctrina Chriſtiana, boniſque moribus & diſciplinis imbuant & inſtituant, hæreſim & damnatarum opinionum contagium in illis partibus adhuc graſſans, reprimant, & fidei Catholicæ ſinceritatem ibidem conſervent, aliaque pia & ſalubria miniſteria ad publicam utilitatem & ſalutem jugiter obeant; quare pro parte dicti Joannis nobis aſſerentis, fructus, reditus & proventus dicti monaſterii cum illis forſan annexis, ſummam mille Scutorum vel circiter, ſecundùm communem exiſtimationem valorem annuum non excedere, nobis fuit humiliter ſupplicatum ut ſuper præmiſſis opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur hujuſmodi ſupplicationibus inclinati; & qui dudum inter alia voluimus, quòd petentes beneficia Eccleſiaſtica aliis uniri, tenerentur exprimere verum annuum valorem ſecundùm communem exiſtimationem, tam beneficii uniendi, quàm illius cui uniri peterentur, alioquin unio non valeret, & ſemper in unionibus commiſſio fieret ad partes, vocatis quorum intereſt, & idem obſervari voluimus in quibuſvis ſuppreſſionibus perpetuis, conceſſionibus & diſmembrationibus, etiam de quibuſvis fructibus & bonis Eccleſiaſticis, egregium catholicæ Religionis zelum ipſius Joannis plurimùm in Domino commendantes, ipſumque in quibuſvis cenſentes, necnon dicti monaſterii valoris modum quem, etiamſi ex illo quævis generalis reſervatio etiam in corpore juris clauſula reſultet, præſentibus pro expreſſis habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, monaſterium prædictum, ſicut præfertur, deſtitutum quovis modo & ex cujuſcumque perſonæ, ſeu per liberam reſignationem vel conceſſionem cujuſvis de illo, illiuſque regimine & adminiſtratione in Romana Curia vel extra eam, etiam coram Notario publico & teſtibus ſponte factis vacet, etiamſi tanto tempore vacaverit, quòd ejus proviſio juxta Lateranenſis ſtatuta Concilii, aut alias Canonicas ſanctiones ad ſedem Apoſtolicam legitimè devoluta exiſtat, & illa ex quavis cauſa ad Sedem eandem ſpecialiter vel generaliter pertineat, & ſuper illius regimine & adminiſtratione inter aliquos lis, ſeu illorum profeſſorio vel quaſi moleſtia, cujus ſtatum etiam præſentibus pro expreſſo haberi volumus, pendeat indeciſa, dummodo tempore datarum præſentium non ſit eidem monaſterio de Abbatiſſa canonicè proviſum, nec non domum regularem prædictam cum illorum annexis ac omnibus juribus & pertinentiis ſuis, Collegio dictæ Societatis in prædicta terra de *Sigen* erigendo ex nunc prout ex tunc, poſtquàm erectum fuerit, ita quòd illius liceat Rectori, Preſbyteris & Clericis pro tempore exiſtentibus per ſe vel alium, ſeu alios, eorum dicti Collegii nominibus corporalem realem & actualem poſſeſſionem ſeu quaſi regiminis & adminiſtrationis bonorum monaſterii & domûs regularis hujuſmodi propriâ authoritate liberè apprehendere & apprehenſam perpetuò retinere, fructus quoque redditus & proventus, jura, obventiones, & emolumenta quæcumque percipere, exigere, levare, locare, arrendare, adminiſtrare, atque in uſus, neceſſitatem vel utilitatem convertere, Diœceſani loci vel cujuſvis alterius licentiâ deſuper minimè requiſitâ, Apoſtolicâ authoritate tenore præſentium, perpetuò unimus, annectimus & incorporamus; necnon in dictis monaſterio & domo regulari, ſicut prædictum, unitis Ciſtercienſi & S. Franciſci Ordinibus, ordines & regulas omnemque illorum ſtatum, eſſentiam & dependentiam, regulares, authoritate & tenore præmiſſis ſimiliter perpetuò ſupprimimus & extinguimus, decernentes eaſdem præſentes litteras etiam ex eo quòd Superiores Ordinum prædictorum, vel alii quicumque in præmiſſis intereſſe habentes, ſeu habere prætendentes, illis non conſenſerint, nec ad ea vocati, nec etiam cauſæ propter quas illæ emanarunt coram loci Ordinario, etiam tanquam ſedis Apoſtolicæ delegato, ſive aliàs examinatæ, verificatæ & juſtificatæ fuerint de ſubreptionis vel obreptionis, ſeu nullitatis vitio, aut intentionis noſtræ, vel alio quopiam defectu notari, impugnari, retractari, annullari, vel invalidari, ſeu in jus vel controverſiam vocari, aut ad viam vel terminos juris reduci, ſive adverſus illas quodcumque juris, gratiæ, vel facti remedium impetrari; aut concedi ullatenùs unquam poſſe ſed ſemper & perpetuò validas, efficaces & firmas fore & eſſe, neque ſub quibuſvis ſimilium vel diſſimilium gratiarum revocationibus, aut aliis contrariis diſpoſitionibus etiam per nos & ſucceſſores noſtros Romanos Pontifices pro tempore exiſtentes, ac Sedem prædictam, ſub quibuſviſcumque verborum expreſſionibus & formis pro tempore quomodolibet factis, nullatenùs unquam comprehendi, ſed ab illis ſemper excipi, & quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum & validiſſimum ſtatum reſtitutas, repoſitas & plenariè reintegratas, ac de novo etiam ſub quacumque poſteriori data, per Rectorem & Collegiales nunc & pro tempore exiſtentes de Collegiis quandocumque eligenda, conceſſas eſſe & fore, ſuoſque plenarios & integros effectus ſortiri & obtinere, ſicque per quoſcumque judices ordinarios, & delegatos, quâcumque authoritate fungentes, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores ac S. R. E. Cardinales etiam de Latere Legatos & Vice-legatos dictæque Sedis Nuncios judicari & definiri debere. ac irritum & inane quidquid ſecùs ſuper his à quoquam, quâvis authoritate, ſcienter aut ignoranter contigerit attentari. Quocirca dilectis Filiis cauſarum Curiæ Cameræ Apoſtolicæ generali Auditori, & Venerabilium Fratrum noſtrorum Archiepiſcopi Moguntinenſis & Epiſcopi Spirenſis Vicariis in ſpiritualibus Generalibus per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenùs ipſi, vel duo, aut unus eorum per ſe, vel alium ſeu alios, præſentes litteras & in eis contenta quæcumque ubi & quando opus fuerit, & quoties pro parte nunc, & pro tempore exiſtentium Rectoris & Collegialium ejuſdem Collegii, ſeu alicujus, deſuper fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, eiſdem in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant authoritate noſtrâ præſentes litteras & in eis contenta hujuſmodi ab omnibus ad quos ſpectat & pro tempore ſpectabit, inviolabiter obſervari ac ſingulos, quos ipſæ litteræ concernunt, illis pacificè frui & gaudere. Non permittentes ipſos ſeu eorum quempiam per quoſcumque, quomodolibet, indebitè moleſtari, contradictores quoſlibet & rebelles per cenſuras & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris & facti remedia, appellatione poſtpoſitâ, compeſcendo. Nonobſtantibus præmiſſis ac piæ memoriæ Bonifacii P. P. VIII. prædeceſſoris noſtri, ac noſtris de unionibus committendis ad partes vocatis intereſſe habentibus & exprimendo vero annuo valore ſecundùm exiſtimationem prædictam, tam beneficii uniendi, quàm illius, cui ſit unio, nec non Laterani noviſſimè celebrati uniones perpetuas niſi in caſibus à jure permiſſis, fieri prohibentibus, aliiſque quibuſvis Apoſtolicis, necnon in Synodalibus, Provincialibus, & univerſalibus Conciliis, Editis ſpecialibus vel generalibus Conſtitutionibus & Ordininationibus, ac monaſterii & domûs regularis, Ordinumque &

Collegii prædictorum juramento confirmatione Apostolicâ vel quâvis firmitate aliâ roboratis, statutis & consuetudinibus, privilegiis quoque & indultis & Litteris Apostolicis, illis eorumque Superioribus & personis sub quibuscumque tenore & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis & insolitis clausulis irritantibus, & aliis decretis in genere vel in specie, etiam motu proprio, & ex certa scientia ac consistorialiter, etiam iteratis vicibus, in contrarium forsan quomodolibet concessis, approbatis & innovatis, quibus omnibus etsi de illis eorum totis tenoribus specialis, specifica, expressa & individua non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illis aliàs in suo robore permansuris, hâc vice duntaxat specialiter & expresse derogamus, contrariis quibuscumque aut si aliquibus communiter vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint, per litteras Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris MDCXXVII. Die XVIII. Julii. Pontificatûs nostri anno primo.

Copia Expulsionis Virginum, & Mandati quo Virgines ex monasterio Keppel, *Ordinis Præmonstratensis, expulsæ sunt, ex Germanica lingua in Latinam translati. 1626.*

NOs Joannes Comes Nassawiæ, Cazemelibocci, Vianæ & Diazi, Liber Baro de *Brada*, Grimberga, Avalunæ & *Dieft*, Dominus in *Vinlstain* Noscrovii *Werethan* & *Nieben*, hæreditarius Burggravius Antuerpiæ & Desanionis, Eques aurei Velleris ac Sacræ Cæzareæ uti & Regiæ in Hispania Majestatis Consiliarius Bellicus & Chiliarcha. Offerimus vobis Mariæ *ab Effren* condictæ *Hall*. Annæ Mariæ *Vonder Heeff*, cæterisque omnibus Virginibus in *Keppel*, nostram gratiam & omne bonum, pariterque vobis omnibus & singulis præsentium tenore notificamus. Cùm secundùm jus Canonicum & Civile indubium & certum sit quòd nulli laïci aut seculares non ordinatæ personæ, bona Ecclesiastica, ut sunt, Ecclesiæ ipsæ, altaria, Deo sacra Loca, & eorum beneficia proventus & reditus, aut aliud quoquomodo ad Ecclesias pertinens & appendiinum jure proprio habere, possidere possint sine læsione justitiæ, propriarum conscientiarum & destructione fundationum à charis nostris prothoparentibus erectarum, eo quòd omnia ista unicè & solùm ordinata, erecta, & Catholicæ Ecclesiæ ex antiqua Catholica pietate à Fundatoribus donata & oblata fuerint ut secundùm usum & ordinem Catholicæ Ecclesiæ cultus Divinus iisdem promoveretur, & Sacerdotes Ministrique Ecclesiæ inde sustentarentur, minimè verò ut talia bona hostibus Catholicæ Religionis vel aliàs à Catholicis & Laïcis usu venirent & communicarentur; ita ut si nos in contrarium quidquam posthàc in Comitatu nostro dissimularemus, faceremus aut permitteremus, illud nequaquam coram Deo & toto Orbe deffendere sciremus, eo amplius quòd tales seculares possessores, vel potiùs detentores, nullo justo titulo venerint, nec ista aliter quàm per temerariam invasuram cum ejectione legitimorum Officiantium & infeudati Cleri ad se rapuerint, & nunc Nos ad, vigore à sua Pontificia Sanctitate supremo nostro animarum Pastore & spirituali Patre in terris antecedenter ad nos emanatorum instantiam Mandatorum, in nostra civitate Siegena, sextâ, adhuc currentis mensis Junii publicatum Edictum modò omnia & singula ejusmodi bona Ecclesiastica ad usum verorum ministrorum & veterum legitimorum possessorum reduxerimus; Ea propter mandamus & præcipimus vobis omnibus & singulis hisce seriò & vigore harum ut quam primùm post redditam omnium administrationem & gubernium tam ab ipsomet monasterio *Keppel* quàm etiam omnibus ad id pertinentibus bonis cujuscumque nominis & qualitatis sint, nullo excepto, abstineatis & penitùs renuncietis; Prædicantem unà cum uxore & prolibus sine mora amandetis, & omnem illam administrationem non solum nostro Quæstori Christophoro *Altgelden*, quem ad hoc uti etiam omnium, nomine nostro, inventarium erigendum ac possessionem sumendam sed & ulteriùs, quidquid ad plenissimam harum executionem necessarium fuerit perficiendum, ordinavimus, constituimus, ac plenariam facultatem dedimus, prout etiam hisce in optima juris forma ordinamus, & plenam facultatem damus, traditis & in ea sine omni molestia & impedimento relinquatis, sed etiam eidem hodie ad primum diluculum omnes Ecclesiæ claves, & intra tres dies omnes sigillatas Litteras, Registros, Fundationes, & Erectiones, pariterque omnium memorati monasterii bonorum accuratam designationem aut specificationem & quidquid ex antiquis Ecclesiæ rebus ut sunt Calices, Cyathi, Reliquiæ, Capsæ, Picturæ, & Statuæ, aut quidquid ab olim Ecclesiæ applicatum fuit, adhuc residuum, sine ulla oppositione & renitentia fideliter consignetis. Nihilominùs autem ut nostram in vos gratiosam affectionem videre & experiri possitis, ex speciali gratia consentimus, damus & permittimus vobis sex septimanas à dato hujus ut interea de rebus vestris disponatis, & apud fideles amicos aut cognatos secundùm cujusque conditionem commodam mansionem aut refugium vobis quæratis & procuretis, atque Nos interim per prædictum Quæstorem nostrum vobis secundùm statûs & decoris exigentiam provideri faciemus. Secundùm quod omnes & singulæ sese dirigere norint in testimonium nostræ met propriæ subscriptionis & appressi sigilli. Datum in nostra civitate Siegena ultimâ Julii 1627. JOANNES COMES Nassoviæ.

Copia Protestationis Nobilium super expulsione Virginum è monasterio Keppel, *Ordinis Præmonstratensis.*

IN Nomine Sanctissimæ & Individuæ Trinitatis. Amen. Hisce notum sit omnibus & singulis, præsens publicum Protestationis instrumentum, visuris, lecturis aut legi audituris, quòd anno post gratiosam Nativitatem & Incarnationem unici nostri Redemptoris & Salvatoris Jesu Christi, dum notabatur annus 1627 Indictione IX. sub Imperio Serenissimi, Potentissimi & Invictissimi Principis & Domini Domini Ferdinandi hujus nominis secundi, electi & confirmati Romani Imperatoris semper Augusti, Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croaciæ, Sclavoniæ Regis, Archiducis Austriæ, Ducis Burgundiæ, Styriæ, Carynthiæ, Carniolæ & Vitemburgi, Comitis Tyrolenensis, Domini nostri Clementissimi, suæ Cæzareæ Majestatis Regnorum anno Romani octavo, die Sabbathinâ, nonâ Mensis Septembris, inter nonam & decimam ante meridianam, *Frendorpia* in Comitatu Nassovico, in ædibus defuncti OEnopolæ & Hospitis *Simons* propè Cæmeterium sitis, in novissimo Hypocausto majori ad culinam, coram me infra nominato, publico

& jurato Notario, & ad hoc vocatis & specialiter requisitis fide dignis testibus, personaliter venerit & comparuerit Prænobilis & Generosus Johannes Stephanus *Von-Heß*, habens in manu chartaceam schedam, quam mihi nomine omnium de monasterio *Keppel* interessatorum Nobilium, tradidit, petens eandem legi, quam etiam debita cum reverentia accepi, ejusque tenor de verbo ad verbum est sequens: Honeste & pereruditе Domine Notari Cæsaris, Nos infra nominati Comitatûs Nassovici & alibi incolæ & pervetusti monasterii in *Keppel* interessati de Nobilitate, hisce & in vigore præsentis schedæ Protestationis, quam in præsentia ad hoc specialiter requisitorum testium fide dignorum, vobis præsentamus, bonâ fide & urgentibus de causis celare non possumus: qualiter nimirum prædictum monasterium & Domus Dei in *Keppel*, Ordinis Præmonstratensis, à nostris honoratissimis in Domino quiescentibus Parentibus & Ascendentibus, precipuè verò à vetusta Nobili Familia *de Han* dicta *Birchen*, ad Dei honorem, propagationem & excitationem Christianæ Catholicæ Religionis, pietatis, fervoris & devotionis etiam conservationem Nobilis styrpis & nominis, christianè, piè & sanctè pro Nobilibus Virginibus fundatum, erectum, dotatum & ordinatum sit, non aliâ intentione, quàm ut fundationes istæ & Ecclesiasticæ dotationes ipsis & earum posteritati, nunc & in perpetuum applicatæ, proficerent Nobili earum prosapiæ, stemmati & nomini hîc temporaliter, prout modò feliciter fruuntur, nequàquam verò ut illic æternaliter, mentionatum monasterium *Keppel* ipsis earum posteris & universo laudabili, venerabili & perantiquo Præmonstratensi Ordini subduceretur, & contra vetustas fundationes ad alieni Ordinis homines & viros transferretur: interim tamen ita est nobisque fideliter tam ore tenus quàm scripto relatum, quòd perillustris Comes & Dominus Dominus Johannes Comes Naassoviæ, Castimeliboci, Vianæ & Diazii, Dominus in *Beildstein*, noster Clemens Dominus, ultimâ elapsi mensis Julii, anno currente, serium & strictum Mandatum ad Dominam Magistram, cæterasque Conventuales dicti monasterii *Keppel* ejus tenoris: ut dicta Domina Magistra & Conventuales administrationi & gubernio mentionati monasterii *Keppel*, renuntiaret, & penitùs abdicaret, Plenipotentiarius verò suus & Quæstor Christophorus *Alegelden* omnia occuparet, eidemque ad diluculum omnes claves Ecclesiæ, & intra triduum omnes litteras, registros, fundationes, & quantùm possibile omnium dicti monasterii bonorum, annuorum redituum, censuum, obventionum sinceram designationem, & omnia Ecclesiæ utensilia, calices, cyathos, capsas Reliquiarum, picturas & statuas extraderet & consignaret, Conventuales quoque intra sex septimanas à dato insinuationis, monasterio excederent & ad amicos se reciperent, dari & insinuari jusserit quemadmodùm Mandatum illud modò hesternâ die executum, & una ex parte expostulatione scilicet & absportatione omnium & singularum ad monasterium pertinentium litterarum per Schultetum in *Frendorff*, post acceptam & in scriptis ostensam Comitis jussionem, actualiter in effectu deductum fuit, ac prout prætumendum in aliis prædictis punctis ampliùs executivè perficietur, attento quòd illud amodò Patribus Societatis Jesu (à quo, quo jure & titulo hucusque ignotum) commissum sit. Cùm verò nos in his & similibus attentatis, (sic enim ista hucusque donec .... salvo tamen cujuscumque honore accipimus.) innovatis, novitatibusque & intempestivis alienationibus summè gravatos sentiamus, & silentium nostrum ad hoc coram Deo, & posteris nostris, quòd ita & taliter cum illis à nostris in Domino defunctis honoratis Prothoparentibus, legatis, fundationibus, donis & erectionibus ab honoratissimis antecessoribus Illustris Domini nostri piæ memoriæ sub Comitiali sigillo approbatis & confirmatis. Non citatâ nec in contradictorio Ecclesiastico & competente judicio auditâ alterâ parte præcipitanter actum, Conventuales à sua per multa centena annorum deductâ possessione dejectæ, & in locum earum Patres Societatis fundationibus, donationibus, erectionibus, è diametro contravenientes in summum præjudicium Ordinis Præmonstratensium, introducendi essent in conscientia nostra deffendere non possimus; hinc nos omnes & singuli super istis omnibus & singulis præteritis, præsentibus & futuris attentatis hisce in optima juris forma coram vobis Notario, per expressum solemnissimè protestari volumus, & quòd nos à charis nostris Prothoparentibus piæ memoriæ factas & ordinatas fundationes, & inde per multa annorum secula deductam & ab illis inibi semper sustentatis Catholicis (excepto quod ex postfacto ab antecessore piæ memoriæ nostri perillustris & gratiosi Domini illius & jussu & coactione verosimiliter reformatum esse potuit) nobilibus Virginibus usque in hanc horam pacificè continuatam possessionem omnibus & singulis à jure concessis remediis vindicare, & illis tam Dominum nostrum gratiosum, quàm etiam venerabiles Patres Societatis locis suis, nobis, nostrisque posteris præter Ordinem Præmonstratensem uti omnimodò reservemus, etiam ut acta nec nobis noc posteris nec sæpe mentionato Ordini, ullum præjudicium parere debeant, tempestivè excipimus, attamen cum hac expressa & adjecta oblatione ad removendas ulteriores causationes alienationem in tantùm pati & videre possimus, ut nimirùm præsentes Conventuales in vera Catholica Religione instruerentur, repugnantes ejicerentur, & aliæ in locum earum tamen nobiles Virgines ex suo Ordine subrogarentur & introducerentur: idcirco vos Notarium seriò requirentes & expetentes, ut nobis super hanc nostram Protestationem & oblationem unum vel quot necessaria fuerint publica & fide digna instrumenta conficiatis, ac ea ex post suæ gratiæ Comiti Johanni, nostro Clementi Domino, & ipsis Sigenæ morantibus Patribus Societatis Jesu, insinuetis, & manifestas faciatis, cæteraque alia faciatis quæ necessitas rerumque harum conditio exposcit & exigit, in quo ostendet & monstrabit quod aliàs vestri officii æquum est. Signatum in Augusto, anno 1626. Johannes *Vonlelbach* dictus *Lose* subscripsit, Conradus, Wilhelmus *Vonlelbach* subscripsit, Conradus Wilhelmus *Vonlelbach* dictus *Quatfaseel* subscripsit. Omnes Johannis Georgii *Von* & *Suderhéise* hæredes. Joannes *Velten Von Wischelsu Langenau*. Cùm jam Prænobilium illorum D. D. petitionem ratione mei officii & juramenti præstiti, recusare non scivetim, sic ipsis præsens instrumentum in hac forma communicare volui: factum & actum anno, indictione, Cæzareo regimine, mense, die & horâ, situ & loco ut supra in præsentia honestorum & proborum Hermanni *Kempffres* Hospitis in *Frendorp* & Henrici *Schuttenhelm*, *Vonnelben Elendesheim* ad hoc specialiter requisitorum fide dignorum testium; & quia Ego Hermannus *Pflag* ex Cæzareæ Majestatis facultate publicus juratus Notarius præfato Protestationis actui personaliter ad, & interfui, omnia cum prædictis testibus vidi; & audivi; ideo ista in hanc publicam formam redegi, propriâ manu exaravi, nomine & cognomine meis subscripsi, & consueto meo Notoriatûs sigillo ad latus posito, attestor specialiter in hunc finem vocatus & requisitus.

Charta Donationis loci de Capella *per Bernardum Jordanum de* Insula *anno 1143.*

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ego Bernardus Jordanus de *Insula*, & filii mei Jordanus & Bernardus Jordanus, pro mea nostrorumque salute, donamus Deo & Bernardo Abbati Casæ-Dei, in loco qui dicitur *Capella*, totum quod ad nostrum jus pertinebat, à rivo usque ad extremum Garonnæ, liberum ab omni censu vel exactione in perpetuum: quod ut ratum permaneat, scriptum hoc fecimus, quod testium subscriptione roborari curavimus, scilicet Guillelmi Abbatis Gratiæ-Dei, * & Guillelmi Capellani sancti Martini de *Insula*, Gerardi de sancto Germario, & Bertrandi de *Falgas*, & Bernardi de *Mervilla*, aliique plures tam Clerici, quàm Laïci; Actum apud *Insulam* anno Incarnationis Verbi millesimo centesimo quadragesimo tertio.

* Nunc S. Joannis de Costella.

Charta Donationis terræ de Forcleux *& de* Gala, *factæ à Jordano de* Insula *1171.*

IN Nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti. Ego Jordanus de *Insula* filius Bernardi Jordani, pro me & pro filiis meis ac filiabus natis ac nascituris, pro remissione peccatorum meorum, & pro animabus parentum meorum & filiorum meorum Odonis, & Jordanis & Odonis, dono & concedo & confirmo Deo & Beatæ Mariæ & Guillelmo Abbati Capellæ & successoribus ejus, & Fratribus ibidem Deo servientibus, præsentibus & futuris, totam terram meam de *Forcleux* cultam & incultam, sicut meliùs habeo vel aliquâ ratione, successione, vel acquisitione habere debeo. Præbeo etiam tibi, Guillelme Abbas Capellæ, & Conventui sanctæ Mariæ Capellæ, præsenti & futuro, pro amore Dei quidquid juris habeo vel habere debeo in terris de *Gala* cultis & incultis. Tribuo etiam vobis quidquid possideo vel possidere debeo jure meo in terris de *Marras*. Absolvo etiam parentibus meis, tenatoribus & hominibus meis, quidquid donare voluerint de rebus vel terris suis ad sustentationem vestram, & vobis Fratribus Capellæ, dono potestatem arripiendi vel acquirendi ab eis quidquid canonicè poteritis: super autem concedo vobis & familiæ vestræ, pecoribus, jumentis, & agnelis vestris padogutiam liberam, sive expletam ab omni censu & exactione, liberam in perpetuum, herbarum videlicet, aquarum & vinearum per totam terram nostram consistentium: & Guillelmus Abbas Capellæ ex anthoritate Dei & totius Ordinis nostri pro me & pro cunctis Abbatibus meis concedo tibi, Jordane de *Insula*, & filiis tuis, voluntariam participationem cunctorum beneficiorum quæ in nostro Ordine Præmonstratensi sine intermissione fuerint, missarum, eleemosynarum, jejuniorum, psalmorum, hymnorum, aliorumque bonorum, quæ ibi privatim & publicè frequentantur; annus millesimus centesimus sexagesimus tertius, Ludovicus regebat Franciam & Raymundus Tolozanus, & Bernardus Episcopalem Cathedram possidebat. Eodem pacto Ego Jordanus de *Insula* dono & concedo pro me & pro toto meo Ordine Beatæ Mariæ & Bernardo Abbati Capellæ & successoribus ejus, & omnibus Fratribus ibidem Deo servientibus, omnia dona supradicta prout meliùs possum, & prohibeo omnibus filiis meis, & toti meæ generationi ne aliquam molestiam de donis supradictis, supradicto Abbati vel Fratribus ejus ingerant; & Ego Guillelmus Abbas Capellæ, ô Jordane de *Insula*, concedo tibi, & omnibus filiis tuis & filiabus, ex Dei authoritate & totius nostri Ordinis, pro me & pro cunctis Abbatibus nostris voluntariam participationem cunctorum beneficiorum quæ in omni Ordine privatim & publicè frequentantur; & quod Jordanus de *Insula* supradicta dona sicut meliùs potuit donavit Bernardo supradicto. Sunt Testes, Frater Guillelmus qui tunc erat Prior domûs Capellæ, & Frater Fortanarius de *Gavou*, & Guillelmus de *Lamota*, & Arnaldus de *Gargas*. Hujus concessionis charta fuit facta sextâ mensis Maii, Dominicâ, Lunâ vigesimâ quartâ, Ludovico Rege Francorum, Raymundo Comite Tolozano, Episcopo nullo, anno millesimo centesimo septuagesimo primo ab Incarnatione Domini.

Charta Fulconis Episcopi Tolozani, dantis & confirmantis Ecclesias & decimas à se & aliis, collatas Capellæ, *1247.*

IN Nomine Domini nostri Jesu Christi Amen. Noverint universi præsentes ac posteri, quibus præsens pagina innotuerit, quòd nos Fulco, Dei gratiâ, Tolozanæ sedis Episcopus, per nos & successores nostros, damus & concedimus in perpetuum Domino Deo & Beatæ Mariæ Virgini, vobis Joanni Abbati domûs Capellæ, & omnibus successoribus vestris, & universis ejusdem domûs Fratribus præsentibus & futuris, omnia jura ad nos spectantia, in omnibus decimis & primitiis & Ecclesiasticis possessionibus Ecclesiæ de *Mairanis*, quæ sita est inter grangiam de *Villaris*, quæ est domûs Capellæ, & Castrum Jordanis Bernardi de *Insula* quod dicitur *Mons-Acutus*, & omnia jura ad nos spectantia in omnibus decimis & primitiis & Ecclesiasticis possessionibus Ecclesiæ sancti Joannis de *Rustiniaco* quæ sita est inter Castrum de *Mervilla* & *Voltam*, & omnia jura ad nos spectantia in duabus partibus decimarum Ecclesiæ de *Mervilla*. Item laudamus & approbamus & in perpetuum confirmamus vobis, Joanni Abbati & successoribus vestris & universis ejusdem domûs Capellæ Fratribus, præsentibus & futuris, omnes acquisitiones quas à Laïcis tam viris quàm mulieribus, fecistis de duabus partibus decimarum Ecclesiæ de *Mervilla* & de omnibus primitiis Ecclesiatum de *Mairanis* & sancti Joannis de *Rustiniaco* videlicet à Domina Ursa & filia ejus *Assant* & Fratre ejus Vitale de *Monte-Gaillardo* & à Bernardo *Anerio* & filio suo Guillelmo de *Bellovisu* & à Bernardo *Navario* & Fratre ejus Arnaldo, & à Poncia de *Saxiis* & filiis ejus Petro Garzia & Bernardo Garzia, & à Petro Ardoino. Sicut instrumenta quæ nobis ostendistis, quæ scripsere publici Tolozæ Notarii, sicut ex ipsorum tenore perpendimus, acquisitiones indè planiùs continentur quorum scripsit Andreas unum, & Radulphus duo, & Arnaldus Barranus unum, & Arnaldus Petrus unum, & Poncius Helias unum. Retinemus tamen & volumus ut in memoriam dicti doni nobis & successoribus nostris tres libras piperis pro censu annis singulis in festo Nativitatis Domini persolvatis; & si parochiani venerint causâ mansionis ad aliquam prædictarum Ecclesiarum, ut ad omnes faciatis tunc ibi ad honorem Dei divina officia celebrari; In testimonium etiam hujus doni & ut præsens donatio robur habeat perpetuæ firmitatis, præsentem paginam sigillo nostro fecimus confirmari.

Prædictus autem Dominus Raymundus Episcopus Tolozanus constitutus in generali Capitulo Ecclesiæ Tolozanæ festivitatis omnium Sanctorum, de assensu & voluntate Raymundi Præpositi & totius prædicti Capituli, scilicet Vitalis Aurioli Prioris, & Ma-

gistri Arnaldi Pelissoni, & Francisci Archidiaconi Gimansis, & Martini Prioris Lumberiensis & Raymundi Resplandii Archidiaconi Lelatensis, & Bernardi *Mascaroni* Archidiaconi Savensis, & Raymundi Fabri Prioris *Marelli*, & Petri *Despaor* Prioris de *Noerso*, & Raymundi Carvagerii Sacristæ, & Bernardi Britonis Infirmarii, Magistri Bernardi Archidiaconi *Veris Moresii*, & *Ulmi*, Bernardi Cellarii, & Guillelmi Attonis Archidiaconi *Villa-Longa*, & Bertrandi de *Falgario* Prioris de *Unsenco*, & Arnaldi Mascaronii, & Guillelmi de *Toloza* Operarii, & Guillelmi Vaceri Prioris de *Vaucella*, & Poncii de *Toloza* Prioris de *Arrigaco*, & Arnaldi Onis, & Arnaldi Garini, pro se & suis successoribus confirmavit, concessit, laudavit & approbavit donationem seu collationem prædictarum Ecclesiarum & decimarum, quam præfatus Dominus Fulco fecerat Abbati & Fratribus domûs Capellæ, prout in ipsis prædictis litteris pleniùs continetur, & ex mera liberalitate pro amore Dei quia prædictum monasterium Capellæ, Ordinis Præmonstratensis, situm in Diœcesi Tolozana, pauper est & exiguos habet redditus, præfatus Dominus Raymundus Episcopus Tolozanus, pro se & successoribus suis Domino Fratri Joanni Dei gratiâ Abbati monasterii Capellæ & omnibus successoribus suis & universis ejusdem domûs Fratribus præsentibus & futuris, prædictas tres Ecclesias inter quas est Ecclesia de *Mervilla* & etiam Ecclesia de *la Bouta* sita juxta Ecclesias supradictas cum omnibus decimis & primitiis, possessionibus & redditibus & juribus universis pertinentibus vel pertinere debentibus aliquo modo ad Ecclesias supradictas, vel ad aliquam prædictarum Ecclesiarum. Retinuit tamen præfatus Dominus Episcopus, quòd Abbas Capellæ qui pro tempore fuerit, præsentet Domino Episcopo Tolozano & suis successoribus Capellanum ad curam animarum tenendam in Ecclesiis supradictis; Retinuit etiam dictus Dominus Episcopus in prædictis Ecclesiis procurationes suas Archidiaconorum & Archipresbyterorum & Cathedralium ac alia jura Episcopalia universa. Condictum fuit etiam inter partes & expressè concessum, & prædictus Dominus Abbas pro se & successoribus suis de consilio assensu & voluntate Conventûs dicti loci, scilicet Fratris Vitalis de *Alta-Monte* Prioris, & F. Raymundi Admerii Grangerii de *Villario*, & F. Arnaldi Vestiari, & F. Bernardi de *Levinaco* Sacristæ, qui ipse & totus Conventus prædicti monasterii, hoc laudaverunt & concesserunt, concessit, promisit, mandavit & se ex certa scientia obligavit in perpetuum, quòd ipse & successores sui perpetuis temporibus venient ad Synodum bis in anno Tolozæ, & ibi audient & recipient præcepta Synodalia honesta & Canonica & quantùm in ipsis fuerit observent & adimpleant fideliter & devotè. Præterea supradictus Dominus Abbas de consilio & assensu & voluntate Conventûs sui prædicti promisit, & obligavit se & successores suos & prædictum monasterium Capellæ, quòd pro dono & collatione prædictarum Ecclesiarum annis singulis in perpetuum in festo S. Thomæ Apostoli reddat & persolvat censum annualem prædicto Domino Episcopo & successoribus suis, scilicet tres libras ceræ, & tres libras piperis. Item prædictus Dominus Episcopus dedit & liberaliter contulit Capitulo prædictæ Ecclesiæ Tolozanæ in perpetuum, de prædictis sex libris ceræ & piperis, unam libram ceræ & aliam libram piperis, annis singulis solvendas in perpetuum, Cellariis Capituli supradicti; & prædictus Dominus Abbas pro se & successoribus suis convenit, promisit & mandavit quòd ex prædictis sex libris ceræ & piperis, persolvet dicto Domino Episcopo Tolozano & ejus successoribus annis singulis in prædicto festo S. Thomæ in Aula ejusdem Domini Episcopi Tolozæ, duas libras ceræ & duas libras piperis, & solvet Cellariis Capituli prædictæ Ecclesiæ Tolozanæ in Cellario, in prædicto festo S. Thomæ, unam, libram ceræ, & libram piperis annuatim.

Actum est hoc septimâ die introitûs mensis Novembris, regnante Ludovico Rege Francorum, Raymundo Tolozano Comite, Raymundo Episcopo prædicto; anno ab Incarnatione Domini millesimo ducentesimo quadragesimo septimo. Hujus rei sunt testes Gaillardus Prior *Mansi Sanctarum Puellarum*, & Guillelmus Barascus Capellanus ejusdem loci, & Joannes de S. Romano qui chartam istam scripsit: ad majorem autem prædictorum omnium firmitatem præfati Dominus Episcopus Præpositus ad Capitulum Ecclesiæ Tolozanæ & prædictus Dominus Abbas & Conventus monasterii Capellæ, sigilla sua apposuerunt huic publico instrumento per alphabetum diviso.

Charta Fundationis Ecclesiæ Capenbergensis, *sub Theodorico Monasteriensi Episcopo, à Godefrido, & Ottone fratribus, Comitibus* Capenbergensibus, *facta.*

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Theodoricus (*a*) Monast. Ecclesiæ, Dei gratiâ, Episcopus, notum fieri volumus tam præsentibus, quàm futuris Christi fidelibus, quòd Comes Godefridus & Otto frater ejus, pro salute animarum suarum obtulerunt se & quædam sua, Deo & Beatæ Mariæ semper Virgini & Beatorum Apostolorum choro, omnibusque sanctis, videlicet Castrum Capenbergense, quod jure allodii possidebant, cum aliis allodiis, curiis & mansis *Verne, Nette, Alstedden, Heile, Capenberg*, cum universis usibus earum, scilicet pratis & pascuis, viis, & inviis, rivis & irriguis, molendinis, nemorosis, & campestribus, tradentes hæc in manus Fratris Norberti, ad usum, & necessitatem Fratrum tam præsentium, quàm futurorum ibidem Deo servientium, secundùm Apostolica Instituta, & secundùm Regulam Beati Augustini sub disciplina & magisterio prænominati Fratris Norberti. Ego verò Theodoricus supradictus Monast. Episcopus, rogatus à Coloniensi Archiepiscopo, & à supranominatis Fratribus Ottone, & Godefrido, & ab universo Canonicorum ibidem degentium Collegio, XVIII. Kal. Septembris in die scilicet Assumptionis S. Dei genitricis semper Virginis Mariæ, per pontificale officium habentes cooperatorem Spiritum sanctum, Castrum & ejusdem Castri ambitum solemni consecratione vertimus & immutavimus, ut exinde esset, sit, atque permaneat immunitas, atque cæmiterium jacientes in eodem Ecclesiæ fundamentum, assignantes eidem Ecclesiæ prædicta allodia in dotem perpetuam. Post hæc autem, brevis elapso temporis intervallo, & aucto Fratrum ibidem Collegio, Go-

(*a*) Treodoricus de *Wintsenberg* nepos Ducis Saxoniæ, Monasteriensi Ecclesiæ præfuit anno 1121. diù cum Burchardo cujus partes Henricus Cæsar turbatur, pro pacifica possessione contendit. Burchardo mortuo in legatione ad Constantinopolitanum Imporatorem, per Lotharium Saxoniæ Ducem, & Comitem de *Wintsenberg* suæ Ecclesiæ restitutus est cum exercitu valido, ut civium & ministerialium Ecclesiæ, nullo modo Theodoricum pati volentium, pertinacia comprimeretur: reparationi structurarum, & reformationi morum tunc plurimùm necessariæ, instituit perfecitque ad bonum modum, priùs quam vivendi finem faceret. Pridie Kal. Maii anni 1127 migravit ab hoc seculo. Vide Crantzium Metrop. L. VI. & Chron. Osnaburg. apud Meibom.

defridus & Otto supradicti germani, adhuc in habitu positi militari, de allodiis quæ tunc hæreditario jure possederunt *Mencgede*, *Curede*, *Sorbec*, *Wisele Westheim* cum mansis & mansionariis, viis & inviis, pratis & pascuis, nemorosis & campestribus, & cum universis usibus & appenditiis suis, & justitiis earum, supradictæ Ecclesiæ *Capenbergæ*. Servisque & ancillis Dei ibidem constitutis, coram Tribunis in statutis, placitis, in usus perpetuos contradiderunt & transfuderunt, suasque dationes, & oblationes in Synodo nostra renovaverunt, & Banno nostro sibi firmari postulaverunt. Ea autem quæ Deo oblata sunt, sacrorum attestatione Canonum, sacra esse perhibentur. Unde qui ea Deo auferre, & ad suum usum retinere præsumunt, sacrilegii & æternæ damnationis rei esse convincuntur. Ea propter, quicumque temerario ausu, Deo & Fratribus jam dictam Ecclesiam & curtes, vel aliquid de supradictis possessionibus, auferre præsumpserit, cum Fratribus nostræ Ecclesiæ Prælatis & Sacerdotibus in Provincia Nobilium & Ecclesiæ Ministrorum, vinculo anathematis, usquequò resipiscat, innodavimus; ut autem hæc tam à futuris, quàm à præsentibus, rata habeantur, & hoc ordine legitimè gesta, & firmata esse credantur, Bullâ nostrâ assignamus, & ut perpetuò inconvulsa permaneat, vinculo banni nostri in virtute Spiritûs sancti firmavimus. Actum verò est anno millesimo centesimo vigesimo secundo, confirmatum verò anno ejusdem Incarnationis millesimo centesimo vigesimo quinto.

Testes primæ traditionis Adolphus Comesde *Altena*. Wigboldus Bruno Tribunus, Vernere *Emunt*. Franco, Lambertus, Reginbold. Bertolf. Confirmationis verò, quæ facta est in Synodo, testes Bruno Præpositus, Rutbertus Decanus, Engelbertus Custos, Gerhardus Magister. Helmwardus, Guntramus, Volckmarus de sancto Mauritio, & omnes Canonici & Sacerdotes, qui sacræ Synodo tunc interfuerunt. Nobiles verò Rudolphus & frater ejus, Bernardus *Vern*, Bernard. *Hereman*. Ministeriales verò Walterus, Thiesmarus, Bruno. Præterea firmavimus eis allodium *Speltherpe*, quod nobilis quidam Emundus in sua conversione eidem Ecclesiæ tradidit. Sed & mansum *Halla* & mansum *Landare*, quos de allodiis suis Ministeriales nostræ Ecclesiæ Lambertus & *Sueter*, supradictæ Ecclesiæ contulerunt. Conservatoribus & defensoribus hujus paginæ & rei gestæ, pax à Deo Patre, & peccatorum indulgentia; violatores verò & defraudatores ejus, sint anathema.

Confirmatio I. Honorii Papa II.

HOnorius Episcopus servus Servorum Dei. Dilecto in Christo Fratri Norberto, & ejus Fratribus, in Ecclesia sanctæ Mariæ de *Capenberg* regularem vitam professis, eorumque successoribus, in perpetuum. Ad hoc universalis Ecclesiæ cura nobis à provisore omnium bonorum Deo, commissa est, ut Religiosas diligamus personas, & beneplacentem Deo Religionem studeamus modis omnibus propagare. Nec enim Deo gratus aliquandò famulatus impenditur, nisi ex charitatis radice procedens, à puritate Religionis fuerit conservatus, hoc nimirum charitatis intuitu rationabilibus tuis postulationibus duximus annuendum. Statuimus itaque, & Apostolicâ authoritate firmamus, ut in Ecclesia *Capenberg*, cujus construendæ fundum Comes Godefridus, & fratres ejus atque cohæres Otto, Deo ac sanctæ Mariæ, sanctisque Apostolis obtulerunt, & *Varlar* & *Hofstadt*, in quibus Fratres vitam Canonicam professi degunt, nulli omnino liceat secundùm B. Augustini Regulam in eisdem Ecclesiis constitutum Ordinem mutare. Nullus etiam Episcoporum futuris temporibus audeat ejusdem Religionis Fratres de eisdem Ecclesiis expellere, nec professionis Canonicæ quispiam ex eisdem Ecclesiis, aut Claustris audeat sine communi Congregationis permissione discedere. Discedentem verò, nullus Episcoporum, nullus Abbatum, nullus Monachorum, nullus omnino hominum sine communium literarum cautione suscipere: prohibemus igitur & omninò interdicimus, ut nulla Ecclesiastica secularisve persona *Capenberg* & ejus ambitum vi, vel fraude intrare, occupare, vel incastellare præsumat. Bona etiam & possessiones, quas supradicti tres, & allodia, quæ alii fideles eisdem Ecclesiis ex justis eleemosynis, in usus Canonicorum legitimè contulerunt, præsentis scripti paginâ confirmamus. In quibus hæc propriis nominibus duximus annotanda, videlicet *Werne*, *Nette*, *Alsteden*, *Heile*, *Capenberg*, *Mangethe*, *Curete*, *Sorbeke*, *Wisele*, *Wisheim*, *Spelthorp*, *Hasela*, *Lancklar*, cum universis usibus earum, scilicet pratis & pascuis, viis & inviis, rivis & irriguis, molendinis, nemorosis & campestribus; quæcumque præterea in futurum concessione Pontificum, liberalitate Regum, vel Principum, vel aliis justis modis canonicè poteritis adipisci, firma vobis, vestrisque successoribus in sanctæ Religionis proposito permansuris, & illibata serventur. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat easdem Ecclesias temerè perturbare, aut earum possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, vel temerariis vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur, Regularium Fratrum & pauperum usibus profutura, salvâ Diœcesanorum Episcoporum Canonicâ justitiâ. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica secularisve persona, hanc nostræ Constitutionis paginam sciens, contra eam temerè venire tentaverit, secundò, tertiovè commonita, si non satisfactione congruâ emendaverit, potestatis, honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat; & à sanctissimo Corpore & Sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri Jesu Christi, aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eisdem Ecclesiis justa servantibus, sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenùs & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen, Amen, Amen.

Ego Honorius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

Datum Laterani per manum Almerici S. Rom. Ecclesiæ Diac. Cardinal. Cancel. 3. Kal. Martii. Indic. 4. Anno Domini Incarnat. MCXXVI. Pontific. Domini Honorii II. Papæ anno 2°.

De omnibus Possessionibus & de Ecclesiis Ahlen & Werne, *Confirmatio.*

EUgenius Episcopus servus Servorum Dei. Dilectis filiis Ottoni Præposito Ecclesiæ S. Mariæ de *Capenberg*, ejusque Fratribus tam præsentibus, quàm futuris Canonicam vitam professis; in perpetuum. Religiosam vitam eligentibus Apostolicum convenit adesse præsidium, & protectionis nostræ suffragium impartiri, ne fortè cujuslibet temeritatis incursus, aut eos à proposito revocet, aut robur, quod absit, sacræ Religionis infringat. Ea propter, dilecti in Domino filii Otto Præposite, cæterique Fratres in Ecclesia B. Mariæ de *Capenberg* ad Dei servitium congregati, vestris justis petitionibus clementer annuimus, & felicis memoriæ, Papæ Honorii prædecessoris nostri, vestigiis inhærentes,

præfatam Ecclesiam, in qua divino mancipati estis obsequio, sub Beati Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus. Imprimis si quidem statuentes, ut Ordo Canonicus, qui secundùm Dei timorem, & Beati Augustini Regulam ibi, authore Domino, institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascumque possessiones, quæcumque bona, in terris, vineis, mancipiis, censibus, decimis, molendinis, aquis, aquarumvè decursibus, pratis, pascuis, nemoribus, campestribus, collibus, vallibus, aut quibuslibet aliis rebus eadem Ecclesia in præsentiarum justè & canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, Deo propitio, poterit adipisci, firma vobis, vestrisque successoribus & illibata permaneant, in quibus hæc propriis duximus vocabulis exprimenda: *Capenberg, Currede, Visele, Wesheim, Werne, Hele, Alstedde, Mengede, Nette, Hilbecke, Sorbeke, Langere, Wethmare, Stockvik* curtem quæ vocatur *Velmede*, & quicquid vobis Vinemarus de jure suo, rationabili dispositione concessit, ex concessione quoque venerabilis Fratris nostri Friderici Monasteriensis Episcopi, Ecclesiam, quæ vocatur *Verna* & Ecclesiam, quam nominant *Ablen*, necnon & Decanias in prædictis Ecclesiis de *Verna* & *Ablen*, ad hoc paci & quieti vestræ providè optantes, authoritate Apostolicâ inhibemus, ut nulla Ecclesiastica, sæcularisque persona *Capenberg* & ejus ambitum, vi vel fraude occupare vel incastellare præsumat, aut Religiosæ conversationis viros exindè removere, sed nec alicui Fratrum post factam ibi professionem, liceat à loco ipso discedere, discedentem verò sine communium cautione litterarum nullus audeat retinere. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat eandem Ecclesiam temerè perturbare, ac ejus possessiones auferre; vel ablatas retinere, minuere, seu aliquibus vexationibus fatigare, sed illibata omnia & integra conserventur, eorum pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salvâ Diœcesani Episcopi Canonicâ justitiâ. Si qua ergo in futurum Ecclesiastica sæcularisve persona hanc nostræ Constitutionis paginam sciens contra eam temerè venire tentaverit, secundò tertiòve commonita, nisi præsumptionem suam congruâ satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo Corpore & Sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine divinæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus, sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenùs & hîc fructum actionis bonæ percipiant, & apud summum Judicem præmia æternæ pacis inveniant, Amen, Amen, Amen.

Ego Eugenius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus subscrip. Ego Conradus Sabinensis Episcopus. ss.

Ego Ilmanus Tuscus Episcopus.

Ego Hugo Hostensis Episcopus. ss.

Ego Otto Diaconus Cardinalis sancti Gregorii.

Ego Gregorius de sancto Angelo Diaconus. ss.

Ego Hyacinthus Diaconus Card. de schola Græca sanctæ Mariæ S. sb.

Ego Gregorius Presbyter Card. de S. Maria Tr. Tyb. ss.

Ego Humbaldus S. Praxedis Presbyter Card. ss.

Ego Joannes de S. Joanne & Paulo Presbyter Cardinalis ss.

Datum Laterani per manum Bosonis S. Rom. Ecclesiæ Scriptoris 4. Non. Jan. Indic. xv. Incarnat. Domini anno millesimo centesimo quinquagesimo secundo. Pontificat. verò Domini Eugenii Papæ III. Anno VII.

Confirmatio Henrici IV. Imperatoris.

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Henricus divinâ favente clementiâ, quartus Romanorum Imperator Augustus. Notum fieri volumus tam præsentibus, quàm futuris Christi fidelibus, quòd Godefridus Comes & Frater ejus Otto Castrum *Capenberg*, quod jure allodii possidebant, cum adjacentibus quatuor curiis *Nette, Lerene, Hele, Alsteden*, Deo Patri omnipotenti, & Beatæ Dei genitrici semperque Virgini Mariæ, & Beatissimis Apostolis Petro & Paulo, Sanctisque omnibus, spe futuræ retributionis animati, obtulerunt, tradentes hoc venerabili Fratri Norberto, suisque Fratribus sibi subjectis, eorumque successoribus in Canonica professione secundùm Apostolica instituta ibidem degentibus. Nos verò ipsis Fratribus ad Imperiale patrocinium confugientibus, traditionem hanc ratam & inconvulsam permanere statuimus. Decernimus etiam & firmamus ex rogatu eorumdem Fratrum, quòd nullus Episcopus, vel ejusdem Ecclesiæ futurus Prælatus, potestatem habeat regulam, professionem, institutionem assumptam permutare, vel indulgentiâ laxioris licentiæ corrumpere. Advocatus ibi nullus sit, nisi Fratres ipsi unanimiter elegerint. Qui si incommodus, vel inutilis fuerit, si semel, secundò vel tertiò correptus, non emendaverit, alium eligendi liberam habeant facultatem. Hoc etiam fideles Dei scire volumus, quòd etiam Godefrido ejusque fratri, pro redemptione animæ meæ, supradicto Sacerdote pro eis intercedente, regiam offensam ex animo condonamus, obsides eorum manumittimus, & quidquid causæ vel exactionis in ipsos habuimus vel habere possemus, æternaliter postponimus. Ad hanc verò nostram traditionem testes idoneos adhibuimus Athelbertum Moguntinum Archiepiscop. Fridericum Archiepiscopum, Colon. Harvicum Ratisbonensem Episcopum, Ottonem Bavenbergensem Episcopum, Brunonem Spirensem Episcopum, Hermannum Augustensem Episcopum, Gebehardum Herbipolensem Episcopum, alii quoque Principes, Henricus Dux Bavariorum, Fredericus Dux, Symon Dux, Pertolfus Dux, & frater ejus Conradus, Marchio Thiepoldus, Marchio Engelbertus, Berengarius. Ut autem hæc nostræ traditionis authoritas stabilis & inviolata omni permaneat ævo, hanc in charta scribi, & sigilli nostri impressione jussimus insigniri; præterea quascumque possessiones, quæcumque bona in terris, vineis, mancipiis, censibus, decimus, molendinis, aquis, aquarumve decursibus, pratis, pascuis, collibus, vallibus, aut quibuslibet aliis rebus, prædicta Capenbergensis, nemoribus, campestribus, montibus, Ecclesia in præsentiarum possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum, vel Principum, oblatione fidelium seu aliis justis modis poterit adipisci, omnia ei Imperatoriâ authoritate confirmamus, in quibus hæc propriis vocabulis duximus exprimenda, *Mengede, Curede, Sorbecke, Visele, Vesheim* cum mansis & mansionariis & universis usibus & justitiis suis. Si qua igitur Ecclesiastica secularisve persona, hanc nostræ Constitutionis paginam sciens contra eam venire tentaverit, si secundò tertiòve commonita, præsumptionem suam non correxerit, indignationis nostræ pœnam sentiet. Data anno Dominicæ

Incarnationis millesimo centesimo vigesimo tertio, Indictione primâ apud *Lobvisen*, qn. Dominus Imperator annulum & baculum remisit

Signum, Monogrammaticum Henrici IV.

Confirmatio Friderici Imperatoris.

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Fridericus divinâ favente clementiâ, Romanorum Imperator semper Augustus. Religiosam vitam eligentibus Imperiale convenit adesse præsidium & protectionis nostræ suffragium impertiri, ne fortè cujuslibet temeritatis incursus aut eos à proposito revocet, aut robur sacræ Religionis infringat. Ea propter dilectissimi consanguinei nostri Ottonis Præpositi, cæterorumque Fratrum in Ecclesia B. Mariæ, sanctique Joannis Apostoli & Evangelistæ de *Capenberg* ad Dei servitium congregatorum, justis petitionibus clementer annuimus & divinæ memoriæ progenitoris nostri Henrici Imperatoris IV. vestigiis inhærentes, præfatam Ecclesiam, in qua divino mancipati sunt obsequio, Imperiali protectione suscipimus & præsentis scripti provilegio communimus. Imprimis siquidem statuentes, ut Ordo Canonicus, qui secundùm Dei timorem & Beati Augustini Regulam, ibi, authore Domino, institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascumque possessiones, quæcunque bona in terris, vineis, mancipiis, censibus, decimis, molendinis, aquis, aquarumve decursibus, pratis, pascuis, nemoribus, campestribus, collibus, vallibus, aut quibuslibet aliis rebus, eadem Ecclesia in præsentiarum justè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum, vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis Deo propitio poterit adipisci, firma eis, eorumque successoribus & illibata permaneant, in quibus hæc propriis duximus vocabulis exprimenda. *Capenberg*, *Currede*, *Visele*, *Visheim*, *Verne*, *Heile*, *Alstede*, *Mengede*, *Nette*, *Hilbeke*, *Sorbeke*: *Langere*, *Vethmare*, *Lencklare*, *Sktickelwyc*, *Herbette*, & quidquid eis Vinnemarus de jure suo concessit, Ecclesias *Vernam* & *Ablen*, necnon Decaniam in prædictis Ecclesiis. Ecclesiam de *Sorbeke* ad hæc paci & quieti eorum providere optantes, Imperiali authoritate inhibemus, ut nulla Ecclesiastica secularisve persona *Capenberg* & ejus ambitum, vi vel fraude occupare vel incastellare præsumat, aut Religiosæ conversationis viros exindè removere. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat eandem Ecclesiam temerè perturbare, aut ejus possessiones præfatas, nec non minutas decimas de *Visela* de *Foresta*, de *Cassela* auferre vel ablatas retinere, minuere, seu aliquibus vexationibus fatigare, sed illibata omnia & integra conserventur, eorum pro quorum gubernatione & sustentatione sunt, usibus omnimodis profutura. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica secularisve persona, hanc nostræ Constitutionis paginam sciens contra eam venire temptaverit, secundò tertiòve commonita, nisi præsumptionem suam congruâ satisfactione correxerit, indignationis nostræ pœnam sentiet. C. libras auri composituram medietatem Cameræ nostræ, alteram medietatem præfatæ Ecclesiæ. Hujus rei testes sunt Hillinus Archiepiscopus Trevirensis. Fridericus Monast. Henricus Leodiensis, Godefridus Trajectensis, Guarnerus Mindensis, Hevergisus Padeburnensis, Hermannus Verdensis, Alberto Verdunensis, Gullimarus Brandenburgensis. Principes, Conradus Comes Palatinus de Rheno, Otto Comes Palatinus *Gnitlijbach*, Fridericus Dux Sueviæ. Ludovicus Comes Principalis.

Signum D. Friderici Roman. Imper. victoriosissimi.

Ego Renaldus (*a*) Colon. Archiepiscopus & Archicancellarius recognovi MCLXI. Indic. IX. Regnante Domino Friderico Rom. Imper. Victoriosissimo, anno Regni ejus x°. Imperii verò VII. data *Lauda* in generali Concilio feliciter. Amen.

De Advocatia & Theloneo in Verda.

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Fridericus divinâ favente clementiâ, Rom. Imperator Augustus. Ex credito nobis divinitùs Imperatoriæ majestatis officio omnium Dei Ecclesiarum defensores existere tenemur; illarum tamen ad utilitatis proventum, & libertatis commodum specialior nos cura respicit, quas Fundatorum solertia protectioni nostræ accuratiùs commendavit. Hinc est quòd Ecclesiam *Capenberga* piæ recordationis Comitibus consanguineis nostris, Godefrido & Ottone Fratre ejus, paterno videlicet nostro, fundatam & nobis ob amorem divinæ remunerationis ab ipsis commendatam memoriter tenentes, universis Imperii fidelibus præsentibus & futuris notum fieri volumus, quòd eandem Ecclesiam cum personis, & universis possessionibus suis in nostram protectionem suscepimus, ab omni jure Advocatiæ, sicut à tempore fundationis suæ ad nostræ usque felicitatis tempora permansit, liberam & immunem perpetuò fore decernentes. Ad hæc quoque ad majorem ejusdem Ecclesiæ libertatem nulli in ea jus Advocatiæ hæreditarium seu feodale recognoscimus, neque hoc coràm Imperiali majestate nostra quisquam se credat obtinere, divinæ quoque remunerationis intuitu ad petitionem Religiosi viri Herimanni ejusdem loci venerabilis Abbatis, concedimus, ut ab omni exactione Telonei de propriis suis bonis tam Ecclesia illa, quàm *Viselensis* illi subdita, apud Insulam sancti Swiberti absolutè, & liberè habeant, nullumque inibi persolvere compellantur. Quòd ut veriùs ab omnibus credatur, ut in omne ævum inconvulsum permaneat, præsentem inde paginam conscribi jussimus, & nostræ Majestatis sigillo communiri. Statuimus igitur & Imperiali authoritate sanximus ut nulla omnino persona humilis vel alta, secularis vel Ecclesiastica, Capenbergen. Ecclesiam, in quibuscumque bonis suis molestare audeat vel aliquid in prædicto loco ab ea seu ab Ecclesia *Viselensi* Teloneum componat, quarum medietas Imperiali fisco, reliquum vero injuriam passis, persolvatur. Hujus rei testes sunt Conradus Moguntinensis sedis Archiepiscopus, Rudolphus Trevirensis electus, Rudolphus Leodiensis Episcopus, Baldevinus Trajectensis Episcopus, Conradus Vormacensis Episcopus, Fridericus Dux Sueviæ, Adolphus Dux Austriæ. Conradus Palatinus Rheni, Luttericus Thuringiæ. Langravius Henricus Comes de *Segne*, Vilhelmus Comes Juliacensis, Otto Comes de *Benthem*, Comes Henricus de *Arnsberg*, Comes Henricus filius ejus. Vernerus de *Bonland* & alii plures.

Signum D. Friderici Romanor. Imperatoris Invictissimi.

(*a*) De eo egimus ubi de monasterio *Ilbenstat*.

Ego Joannes (*a*) Imperialis aulæ Cancellarius vice Conradi Moguntinensis Archiepiscopi, & Germaniæ Archicancellarii, recognovi. Acta sunt hæc anno Domini Incarnationis MCLXXXVII. Indictione v. Regnante Domino Friderico Romano Imperatore glorioso, anno regni ejus xxxvii. Imperii verò xxxiv. in nomine Domini datum Vormatiæ xii. Kal. Septembris feliciter. Amen.

Charta Hermanni Episcopi Monasteriensis de Teloneo *nusquam per Episcopatum Monasteriensem accipiendo.*

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Hermannus, Dei gratiâ, Monast. Episcopus. Scandala undique crebrescentia cogunt nos de Ecclesiis nostro regimini commissis, ampliorem gerere sollicitudinem, eorumque statum quantùm possumus, non solùm à præsentibus, sed etiam à futuris vexationibus præmunire. Pervenit ad nos novam pullulasse consuetudinem apud *Verne & Lunen*, ut ab omnibus Capenbergensi Ecclesiæ attinentibus, vel agros Fratrum colentibus, quandò veniunt emere aut vendere, telonium exigatur. Quòd quia antiquitas non habuit, sed radix omnium malorum avaritia noviter excogitavit, scire volumus universos tam præsentis quàm futuri ævi fideles, statuisse nos & districtâ præceptione mandasse, ut in omni foro per totam nostram Diœcesim, præsertim apud *Verne & Lunen*, homines qui sunt de familia Fratrum Capenbergentium, vel Coloni eorum, ab omni telonei exactione liberi & immunes existant, nec eis quisquam super hac re molestiam inferre præsumat: Ecclesiam quippe Capenbergensem tanquam filiam carissimam diligentes, illud ei libertatis perpetuæ beneficium & specialis prærogativæ gratiam libenter concessimus, qualemque Fratres illi tantò propensiori affectu divinam pro nostra salute clementiam exorent. Testes sunt Præpositus major Hermannus, Henricus Scholasticus, Theodoricus Cancellarius, Henricus de *Burch*, Vynemarus, Henricus de Trimonia, Volmarus Canonici majoris Ecclesiæ, Rudolphus Notarius & alii complures. Actum anno Incarnationis Domini millesimo centesimo nonagesimo quinto

De Ecclesia Sesedensi & ejus dependentia à Capenberg.

HErmannus, Dei gratiâ, Capenbergensis Abbas, notum esse volumus universis Fratribus nostris in perpetuum, quòd Ecclesia in *Capenberg* mater est Ecclesiæ in *Sechede*, Religionis origine, & Ordinis institutione. Nam Fratres Capenbergenses cum Domino Godefrido primo illius loci provisore, illuc tantùm missi sunt, & ibidem secundùm regulam B. Augustini & Præmonstratensis Ordinis institutiones formam vivendi initiaverunt. Unde etiam Capenbergensis Ecclesia debet Ecclesiæ in *Scheida* ex paternitatis jure consilium & auxilium, & illa hunc filialem subjectionem. Siquidem ad muniendam & promovendam Religionis sinceritatem, hujus paternitatis debitum à diebus antiquis in Ecclesiis Christi noscitur observatum. Hoc debitum Fratres de *Scheide*, minùs prudenti consilio usi, Ecclesiæ nostræ diù denegaverunt; tandem tamen Spiritu consilii ad viam veritatis revocati, unanimi consensu Patrem spiritualem sibi in Ecclesia nostra elegerunt, & hujus Paternitatis jus in præsentia totius Conventûs Ecclesiæ nostræ recognoverunt. Quòd ut perpetuis temporibus inviolabiliter observetur quoniam & illis, & nostris Fratribus utile fore confidimus, præsentis scripti testimonio ad posterorum notitiam transmittere placuit.

De Ecclesiis Ahlen *&* Verne *& Decaniis earum.*

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Hermannus (*b*) Dei gratiâ, Monasteriensis Episcopus. Suscepti sollicitudo regiminis urget nos Ecclesiis Dei prospicere, earum paci quantùm possumus, etiam in futurum providere. Noverit itaque præsens ætas, omnisque secutura posteritas quòd cùm nos in Synodo agentes secundùm formam Canonum Archidiaconatus in Episcopatu nostro ordinaremus, eisque singularum Parochiarum jurisdictiones dato privilegio assignaremus, Ecclesiarum tamen *Ahlen & Verne* Decanias omnimodis excepimus, prout eò, quòd has Parochias duas cum suo Banno antecessores nostri (*c*) Fratribus nostris Capenbergensibus gubernandas ante multos annos contulerunt, sicut testantur non solùm Monasteriensium Episcoporum, sed etiam Romanorum Pontificum privilegia apud ipsos conservata. Quòd idcirco ad petitionem dilecti nobis Abbatis Hermanni scribimus, ne quis futurus Archidiaconus, hujus novæ institutionis occasione, terminis jam dictorum Fratrum se immergat, & quasi sub nostro nomine in alienam messem falcem mittat. Ut ergo manifestiùs elucescat, quòd nos novis privilegiis vetera cessare non intendimus, antecessorum nostrorum vestigia sequentes, jam dictas Ecclesias *Ahlen & Verne* cum suis Decaniis, Fratribus Capenbergentibus etiam nostrâ authoritate confirmamus, paginam hanc sigillo nostro munientes, quam si quis violare præsumpserit, æternæ maledictioni, & excommunicationi subjaceat. Testes sunt Hermannus major Præpositus. Franco major Decanus. Magister Henricus Trajectensis. Theodoricus de *Meinhovele*, Hermannus de *Ludenckhusen*, Vinnemarus Canonici, Jordanus Abbas Varlarensis, Godefridus Abbas *Hosvinkele*. Anno Incarnationis Domini 1193. Indictione undecimâ.

Charta de Ecclesiis Ahlen *&* Verne *& Decaniis earum, & de Ecclesia* Burck.

THeodoricus, Dei gratiâ, Monasteriensis Episcopus, dispensationis nobis creditæ debitum considerantes, Ecclesias nobis commissas manu te-

(*a*) Joannes quem anno 1189. Cancellariatum Imperialis aulæ [illegible] *Malinecrotius* L. de Cancellario & Vicecancellario Imp. [illegible] ad minus obiisse constat ex hac charta. Tantæ pr[illegible] civilis & vitæ laudabilis erat, ut omnium votis Treviren[sis] Archiepiscopus electus fuerit anno 1190. mox a Clemente 3°. Pallium accepit, rem Diœcesis pacis artibus restituit, civitatemque a gravissimo Advocatorum jugo exemptam [illegible], ornavit anno 1193. A Friderico Viennensi Comite (qua de causa, manet incompertum) captus, & in custodiam datus est Joannes, sed liberatur ab Henrico Comite Palatino, qui [illegible], suaque omnia ad hujus libertatem procurandam, daturum professus, ad pactionem Fridericum adduxit. Vitam finiit 14. Kal. Augusti anni 1212.

(*b*) Vir insignis, post Godefridum episcopatum Monasteriensem summâ cum industriâ & Religione in Deum præcipuâ; & in populum vigilantiâ non mediocri administravit. Primus instituit, dedicavit & consecravit monasterium & Ecclesiam Transaquam in titulum & honorem B. Mariæ Virginis, quòd monasterium ita excrevit & ita celebre factum est, ut nomen dederit, & civitati & Episcopo, ut paulatim abolito veteri minus Gardavardensi vocabulo inceperit dici Monasteriensis & Civitas & Ecclesia. Ita Crantz. Metrop. L. 4.

(*c*) Wernerus anno 1139.

nere ac defendere & pro posse nostro ampliare, summopere intendimus, unde notum esse volumus tam præsentibus quàm futuri ævi fidelibus, quòd dum nobilissimi Comites Godefridus & Otto germani Fratres, seculo renunciarent, & Castrum *Capenberg* in Claustrum commutarent, tam ministeriales, quam alias possessiones plurimas conferentes B. Paulo Apostolo, Monasteriensem Ecclesiam honorare & ampliare studuerunt. Nos igitur prædecessorum nostrorum vestigiis inhærentes, ipsorum edocti exemplo, Ecclesiam Capenbergensem paterno, ac singulari affectu diligimus, ut potè antecessoribus nostris & nobis ipsis maximè ac singulariter devotam, ipsamque promovendi & Fratrum inibi Deo servientium, paci & utilitati consulendi piam habemus voluntatem. Quapropter cunctas possessiones sive ab Episcopis Monasteriensibus, seu aliorum fidelium devotione collatas, quas in præsentiarum præfata Ecclesia *Capenbergen* possidet, aut in futurum Domino largiente adipisci poterit, unà cum Ecclesia *Ahlen* & *Verne*, earumque Decaniis, & Ecclesia in *Barck* ipsi Ecclesiæ *Capenberg* perpetuò confirmamus. Ne igitur ulla in posterum Ecclesiastica secularisve persona, huic nostræ confirmationi ausu temerario contraire, aut Fratribus *Capenberg* litem vel calumniam suscitare præsumat, præsentem paginam sigillo nostro, quasi veritatis speculo signantes, authoritate Dei omnipotentis, omnium Sanctorum, ac nostrâ districtè inhibemus, & omnem ejus temeratorem perpetui anathematis vinculo innodatum, nisi resipuerit, æternæ Ecclesiæ subjicimus maledictioni. Hujus confirmationis testes sunt Remboldus Præpositus majoris Ecclesiæ in Monasterio, Volmarus Præpositus sancti Pauli. Godefridus sancti Lugeri, Ulricus Decanus sancti Martini: Godefridus & Albo Capellani, Godefridus Burggravius de *Rechede*, Christianus de *Vyschelo*, Alexander Miles de *Verne*, Everhardus Schulteus, & alii quamplures. Datum *Capenberg* XVII. Kal. Januarii millesimo ducentesimo vigesimo tertio, Indictione undecimâ concurrente sextâ, Epactâ XXVIII. Regnante Friderico secundo glorioso Romanorum Imperatore.

Charta Gosleni Episcopi Suessionensis, pro confirmatione Carthovori *anno 1145.*

IN Nomine Trinitatis Ego Goslenus (*a*) Dei gratiâ Suessorum Episcopus humilis, Girelmo Cartovorensis Ecclesiæ Abbati, omnibusque successoribus ejus canonicè substituendis, in perpetuum. Cùm ex debito Episcopalis cathedræ .... debitores simus, eis ampliorem diligentiam exhibere debemus quos ampliori religione fervere non dubitamus. Huc accedit, fili in Christo carissime, quòd Ecclesiam.......cui auctore Deo præesse dinosceris, quam omnium primam post creditam nobis à Deo curæ Pastoralis sollicitudinem Divina clementia, nostra nimirùm operâ suffragante..... humilis Suessorum Episcopus benè gesta nostris temporibus inconvulsa volens permanere. Notum fieri volo tam præsentibus, quam generationi alteræ, quòd Joannes cogno.........dicitur Chaeri hæreditario jure possidebat, in manu nostra refutavit, & Canonicis Regularibus, qui in Ecclesia Cartovori Domino serviunt, officii nostri mediante gratiâ........concesserunt & laudaverunt in præsentia nostra, uxor ipsius Joannis Mabilia, & Agnes ejus filia, & filii ejus Wlardus, Gervasius, Girmaus. Porro ad suæ donationis............. videntibus, super altare obtulerunt; ut liquidò appareret nihil sibi juris in decima retinuisse, sed Ecclesiæ Cartovori eam ex integro concessisse. Testes sunt..........Diaconus, Harmannus Sacerdos, Magister Gilbertus, Radulfus nepos Episcopi; Laïci, Galcherus de *Basilicis*, Ugo nepos ejus, Petrus de *Brana*, Odo...........quòd Andræas de *Baldimento*, qui nostris temporibus Castrum Branæ tenebat, sylvam suam, quæ in finibus Caherici consistit............componendo; & ad omnes utilitates frui devotè concessit; præter quod nec vendere ligna, nec dare alicui possint, quod etiam pro pace firmum futura à suis successoribus.........bitu Comiti Theobaldo concedere fecit. Cui rei interfuit Petrus Abbas de *Brana*, Radulphus sancti Remigii Remensis Monachus, Paganus Præpositus, Gillebertus............ ab aqua villæ quæ dicitur *Fimus*, usque ad molendinum Hugonis filii Guidonis *Desree*, præfatæ Ecclesiæ ad unus piscatoris usum contulit, concedentibus nepotibus suis..........nostro. Galtero Suessionensi Archidiacono, Radulpho Nepote Episcopi, Radulpho Priore sancti Theobaldi, Philippo de *Basilicis*, Hugone parvo. Galterus Lamberti filius &........ Cartovori universam terram & nemora quæ habebant in territorio de *Caberis*, & in illis locis, quorum alternatim *Athias*, alternatim *Danlum* antiquitas appellavit, laudaverunt............& filiæ. Affuerunt in testes Rohardus Decanus, Paganus major de septem montibus, Wualterus Joannes serviens Episcopi. Laudaverunt hoc Petrus de *Brana*..........accedentibus filiis ejus Radulfo, Pontio, Huelardo cum cæteris filiis & filiabus. Præsentibus testibus Hugone Abbate Præmonstratæ Ecclesiæ, Matthæo Canonico, Huelardo Ca....... de monte. Guardo Clero de *Brana*. Hugone de *Cersolio*, Adam Strabone, Petro *Vaget*. Gillebertus Vicecomes de *Basilicis*, quem in præfata Ecclesia perman............mancipavit ad sustentationem pauperum ibi Domino servientium medietatem molendini de *Chines* redditû vineæ apud *Longam vallem* perpetuò dedit. Hujus rei testes.......... Godefridus Presbyter, Galterus & Vitalis........ Laudaverunt hoc Crispinus, & Gillebertus & alii filii ejus. Hujus rei testes sunt Galcherus de *Basilicis*, Gervasus, &..........de *Glina*, Giraldus filius Folcheri.........de *Basilicis* filiam suam per manum Abbatis supradicto modo in eadem Ecclesia ad serviendum Domino constituit.........Hujus rei testes laudaverunt Galcherus de *Basilicis*....

.... tuarum liberè dedi Ecclesiæ Cartovori quidquid sui juris erat in terra nuda ac nemore........ Jeroldo Clerico........Odone Archi.........de *Condeto*, Bartholomæo.......de *Brana*............taliter facta cognovimus veritatis testimonium perhibentes, Episcopali auctoritate firmamus, & ut hæc nostræ confirmationis forma inviolatum robur obtineat.... ne verò ecclesiastica secularisve persona Ecclesiam Cartovori super his donationibus temerè inquietare præsumpserit, secundò tertiòve admonita, nisi à temerario ausu destiterit.......Incarnati Verbi millesimo centesimo XLV. regnante in Francia & in Aquitania Ludovico Rege VII. Episcopatûs autem nostri XVIII.

(*a*) Goslenus de *Vierzy* Archidiaconus Bituricensis & Magister celeberrimus Parisiensis, pater multorum & multorum cœnobiorum, hostis vitiorum & castitatis cultor præcipuus, ut fertur in vita B. Godefridi Episc. Ambian. cap. 25. Episcopatum Suessionensem suscepit gubernandum anno 1127. & post multa clara edita animam reddidit anno 1152. 9 Kal. Nov. & humatus est ante altare B. Apostolorum Petri & Pauli in navi Cathedralis Suessionensis. quinque Abbatias Ordinis Præmonstratensis ejus operâ fundatas fuisse non deleat oblivio.

Charta Alphonsi, Pictaviæ & Tholosæ Comitis, confirmantis acquisitiones, à monasterio Castellensi *factas.*

ALfonsus filius Regis Franciæ, Comes Pictaviæ & Tolosæ, universis præsentes litteras inspecturis, salutem in Domino. Cupientes ut cultus divinus, præsertim in monasteriis quæ in nostro consistunt dominio, imposterum augeatur, notum facimus quòd nos pro remedio animæ nostræ & charissimæ uxoris nostræ Johannæ Comitissæ, ac progenitorum nostrorum, necnon favore Religionis, viris Religiosis Abbati & Conventui *Gratia Dei*, Præmonstratensis Ordinis, Adurensis Diœcesis, ea quæ in feudum & retrofeudum nostris, usque ad tempus præsentis concessionis, ab eisdem nomine Grangiarum eisdem Abbati & Conventui nomine sui monasterii subditarum, videlicet de *Lana*, de *Cabrions*, de *Sancto Macario*, de *Podio*, de *Fonte Claro*, Agennensis Diœcesis, sunt licitè acquisita, quantùm ad nos pertinet, liberaliter confirmamus. Volentes & concedentes quòd ipsi Abbas & Conventus nomine Grangiarum prædictarum, & successores sui, prædicta cum meliorationibus, si quæ per eorum industriam acquisitionibus prædictis accesserint, teneant, possideant & espletteant in perpetuum, pacificè & quietè, & quòd per nos heredes, seu successores nostros compelli non possint eadem extra manum suam ponere in toto vel in parte; in cujus rei testimonium præsentes litteras sigilli nostri munimine duximus roborandas, salvo in aliis jure nostro; & salvo quolibet jure alieno. Nos autem Johanna Tolosæ ac Pictaviæ Comitissa, confirmationem & concessionem prædictas, gratas & ratas habemus, ac pro nobis, heredibus ac successoribus nostris spontaneâ voluntate volumus & approbamus, & ad majoris roboris firmitatem sigillum nostrum unà cum sigillo carissimi Domini nostri Comitis supradicti, viri nostri, præsentibus litteris duximus apponendum. Datum anno Domini MCCLXIX. mense Julii.

Epistola Bernardi Abbatis Gratiæ-Dei, *ad Theobaldum Navarræ Regem, & Campaniæ ac Briæ Comitem. Suffragiorum participationem ipsi concedit.*

ILlustrissimo & Reverendissimo Domino Theobaldo Divinâ gratiâ Regi Navarræ, Campaniæ Briæque Comiti Palatino, Frater Bernardus permissione divinâ Abbas *Gratia-Dei*, Præmonstratensis Ordinis, Adurensis Diœcesis, totusque Conventus ejusdem loci humilis, salutem, & orationes in Domino salutares.

Omnes quamvis per gratiam Baptismi fratres simus in Christo, & unum patrem habeamus in cœlo, mandatis ejus, prout possumus, obedimus, tunc procul dubio maximè unimur, quando orationibus & beneficiis copulamur. Hinc est, Reverendissime Domine, quod ex piæ devotionis affectu, quam erga Ordinem & Domum nostram specialiter cognoscimus Vos habere, vicissitudinem quam possumus impendentes, ad vestræ petitionis instantiam humilem & devotam, plenam participationem omnium orationum & spiritualium beneficiorum, quæ in universo nostro Ordine, & specialiter in Domo nostra de cætero fient, vobis benignâ concedimus in Domino charitate, de consilio & assensu Conventûs nostri: Superioribus adjungentes de gratia speciali, ut cùm obitus vester nostro fuerit Capitulo nuntiatus, tantum pro vobis fiet, quantum pro uno ex nostris benefactoribus fieri consuevit, in missis, orationibus, & in speciali cum obitûs scriptione, & solemni anniversariice-lebratione. In cujus rei testimonium has patentes litteras vobis concessimus & tradidimus, sigillorum nostrorum munimine roboratas. Datum apud Abbatiam *Gratia-Dei*, sabbato proximo ante festum Beati Marci Evangelistæ, anno Domini. MCCLXIX.

Charta compositionis inter Constantiam Bigoræ Comitissam, & Sancium Abbatem Castellensem.

ANtiqua Patrum authoritas decrevit, ut quæ aguntur in tempore, ne labantur cum tempore, scripturæ testimonio commendentur. Ea propter Nos Constantia Dei gratiâ Comitissa Bigorræ, & Vicecomitissa *Marciani*, & Nos Sanctius miseratione divinâ Abbas S. Johannis de *la Castra*, Ordinis Præmonstratensis, Diœcesis Adurensis, Ordinationem infra scriptam, & Compositionem inter nos concorditer hinc & inde factam & habitam, dignum duximus poni & redigi. Sciant igitur præsentes & posteri, quòd monasterium S. Johannis de *la Castra* olim fundatum extitit, & constructum per bonæ memoriæ Dominum Petrum Bigorritanum Comitem & Vicecomitem *Marciani*, & dotatum ex propriis bonis suis. Et quia modernis temporibus super quibusdam terris & tenementis, de feudis & retrofeudis inter nos orta est controversia & .... sic convenimus & statuimus, &c. & nos Margarita Fuxensis Comitissa & Vicecomitissa *Castriboni*, prædicta omnia grata, firma & accepta habentes, sigillum nostrum unà cum sigillis prædictis, huic Ordinationi & scripto duximus apponendum. Datum & actum apud *Montem Marciani* iv. die Februarii, anno Domini. MCCLXXXVIII. regnante Philippo Rege Franciæ. Edwardo Rege Angliæ, ac Duce Aquitaniæ, Amanevo existente Archiepiscopo Auxitano Petro Episcopo, Adurensi.

Charta Alvisi Episcopi Attrebatensis anno 1141. quâ altare de Frasnia *donat Abbatiæ* Castelli *de* Mauritania.

EGo Alvisus, Dei miseratione, Attrebatensis Episcopus, tam futuris quàm præsentibus in perpetuum.

Noverit tam præsens ætas, quàm futura posteritas, quòd altare de *Frasnia* carissimo Fratri nostro Roberto, Abbati de Castello Dei, à nobis traditum, & privilegio nostro confirmatum, ipso cooperante & concedente, Canonicis Condatensibus, sub annuo censu perpetuò tenendum concessimus; ea ratione ut unoquoque anno, pro eodem altari, & pro *Audomez*, prædicto Abbati & successoribus ejus, in festivitate S. Dionysii, triginta & unum solidum persolvant.

Idem autem Abbas ab eisdem Canonicis Synodalia jura suscipiens, nobis & ministris nostris, quia persona altaris est, annuatim persolvet, & idoneum Presbyterum communi eorum consilio electum, populo Dei præficiendum, nobis præsentabit, qui de manu nostra Curam suscipiat, & de conversatione sua, sicut canonicum est, nobis respondeat.

Ut autem hanc pactionis paginam stabilem manere faciamus, authoritatis nostræ sigillum apposuimus, & præsentium testium signa subscribi fecimus. *Signum* Lucæ Attrebatensis Archidiaconi. *S.* Hugonis Ostrevandiæ Archidiaconi. *S.* Petri Præpositi. *S.* Absalon Abbatis. *S.* Amandi. *S.* Fulconis Hasnoniensis Abbatis. *S.* Guarini Abbatis de *Casa-Dei*. *S.* Hugonis Abbatis de Monte. *S.* Eligii. *S.* Balduini Abbatis de *Maere*. Actum Attrebati anno millesimo centesimo quadragesimo primo.

Bulla Alexandri III. Papæ pro* Castello ad Mauritaniam, *anno 1173.

ALexander Episcopus, servus Servorum Dei, dilectis filiis, *Radulpho*, Abbati Ecclesiæ de *Castello*, ejusque Fratribus tam præsentibus, quàm futuris, regularem vitam professis, in perpetuum. Religiosam vitam eligentibus Apostolicum convenit adesse præsidium, ne fortè cujuslibet temeritatis incursus eos à proposito revocet, aut robur, quod absit, sacræ Religionis infringat. Quapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & præfatam Ecclesiam, in qua divino mancipati estis obsequio, sub B. Petri & nostra protectione suscipimus & præsentis scripti privilegio communimus; imprimis siquidem statuentes, ut Ordo Canonicus, qui secundùm Deum, & B. Augustini regulam, & institutionem Fratrum Præmonstratensium in eadem Ecclesia institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascumque possessiones, quæcumque bona, eadem Ecclesia in præsentiarum justè & canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum, vel Principum, oblatione fidelium seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis, vestrisque successoribus & illibata permaneant; in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipsum, in quo præfata Abbatia sita est, cum omnibus pertinentiis suis; Capellam de *Mauritania*, & Capellam de *Bricilla*; altare de *Frasne*, quod Attrebatensis Episcopus vobis legitimè donavit; altare de *Celest*, cum appendititiis suis; *Hersin*, quod Attrebatensis Episcopus vobis & Ecclesiæ vestræ donavit, pro quo Attrebatenses canonicè sexaginta solidos Attrebatensis monetæ vobis annuatim persolvere debent. Apud *Armenteriam* decimam, cujus una pars jacet apud *Frelingiers*, altera in terra de *Florbais*. Apud *Mauritaniam* redditus salis, & decimas piscium; & apud *Bruges* quatuor pensas caseorum. Apud *Flinnes* triginta duas rasenas avenæ. Terram de *Duns*; terras & prata quæ in territorio Mauritaniæ possidetis. Nemus à Domino Ludovico emptum. Sanè novalium vestrorum, quæ propriis manibus aut sumptibus colitis, sive de nutrimentis vestrorum animalium nullus à vobis decimas præsumat exigere. Cùm autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis clausis januis, exclusis excommunicatis & interdictis, non pulsatis campanis, suppressâ voce, divina officia celebrare. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decernimus, ut eorum devotioni & extremæ voluntati, qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi fortè excommunicati vel interdicti sint, nullus obsistat; salvâ tamen justitiâ illarum Ecclesiarum, à quibus corpora assumuntur. In parochialibus autem Ecclesiis, quas tenetis, liceat vobis quatuor aut tres de Canonicis vestris ponere; quorum unus Episcopo præsentetur, ut ab ipso animarum curam suscipiat & ei de spiritualibus, vobis verò de temporalibus debeat respondere. Liceat quoque vobis Clericos vel Laïcos liberos è seculo fugientes, ad conversionem vestram recipere, & eos absque alicujus contradictione in vestra Ecclesia retinere. Prohibemus insuper ut nulli Fratrum vestrorum post factam in eodem loco professionem, aliquâ levitate, sine Prioris vel Abbatis licentia, fas sit de claustro discedere; discedentem verò absque communium litterarum cautione nullus audeat retinere. Statuimus præterea ut nulli Ecclesiasticæ secularive personæ liceat indebitis & inconsuetis exactionibus Ecclesias vestras & Clericos ibidem commorantes, gravare, vel indebitè fatigare. Illud autem modis omnibus prohibemus, ne pro electione vel benedictione Abbatis vestri quidquam aliquis exigere, vel extorquere præsumat, quia libera & gratuita debet esse Abbatis electio & benedictio. Obeunte verò te nunc ejusdem loci Abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus cujuslibet subreptionis astutiâ, sive violentiâ præponatur, nisi quem Fratres communi consensu, vel Fratrum pars consilii sanioris, secundùm Dei timorem, & B. Augustini regulam, providerint eligendum. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatam Ecclesiam temerè perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed illibata omnia & integra conserventur, eorum pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica, secularisve persona, hanc nostræ Constitutionis paginam sciens contra eam temerè venire tentaverit, secundò tertiòve commonita, nisi præsumptionem suam dignâ satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo Corpore ac Sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus, sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenùs & hic fructum bonæ actiones percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen.

Ego Alexander Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.
Ego Ubaldus Hostiensis Episcopus.
Ego Bernardus Portuensis Episcopus.
Ego Walterius Albanensis Episcopus.
Ego Johannes Presbyter Cardinalis Ecclesiæ S. Anastasiæ.
Ego Willelmus Presbyter Cardinalis S. Petri ad vincula.
Ego Boso Card. sanctæ Prudentianæ Ecclesiæ Presbyter.
Ego Oddo Diaconus Card. S. Nicolai in carcere Tulliano.
Ego Cynthius Card. Diac. S. Adriani.
Ego Hugo Diac. Card.
Ego Witellius Diac. Card. SS. Sergii & Bacchi.
Ego Wanfredus Presbyter Card. S. Ceciliæ.
Ego Petrus Presbyter Card. S. Chrysogoni.

Datum Anagniæ per manum Grat. sanctæ Romanæ Ecclesiæ .... XII. Kal. Decembris Indict. VI. Incarnationis Dominicæ anno MCLXXIII. Pontificatûs verò Domini Alexandri Papæ III. anno XV.

Charta Embriconis Virtzburgensis Episcopi pro fundatione* Cellæ Superioris. *anni 1128.

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Noverit tam futuri quàm præsentis ævi concio, quòd Ego Embrico, Dei gratiâ, Virtzburgensis Ecclesiæ præsul, ex divina suggestione volens habere partem in consortio illorum quibus *vivere Christus est, & mori lucrum*, pro remedio animæ meæ, consilio & consensu ejusdem Ecclesiæ tradidi, & per manum Advocati Goteboldi confirmavi Joanni & Henrico Fratribus, & cæteris cum ipsis Deo famulantibus in loco qui dicitur *Cella*, fundum ad ædificandum Oratorium S. Michaëlis Archangeli, cum claustro & cæteris officinis communem vitam agentibus, necessariis, videlicet fundum parochialis Ecclesiæ cum toto suo Cæmeterio, ac totam curiam Episcopalem idem Ecclesiæ adja-

centem. Insuper contradidi eis in eodem loco quatuor mansos cum mansionariis & mansuris quæ vulgò dicuntur *Mueza*, & cæteris appendiciis. Ad hoc etiam de Salica terra nostra dedi eis ibidem trans flumen *Mogunt*, aream ad ædificandam curtim unam, quam appellant *Forethereck* & tres mansos legitimè mensuratos. Dedi eis etiam quatuor piscatores cum cunctis utilitatibus & unum molendinum, accepto ab eis pro his omnibus ex consilio Ecclesiæ æquo concambio, videlicet curiâ unâ in civitate nostra versùs Ecclesiam majorem sitâ, quam ante memoratus supra, Frater Joannes, jure proprietatis possederat, ejusdem Ecclesiæ Canonicus existens. Insuper duodecim vinearum jugeribus, quæ sunt in loco qui dicitur *Steinback*. Ut autem hæc omnia sine contradictione in proprietate sempiterna possideant, Divinâ & Apostolicâ statuimus authoritate, quatenùs pro nobis & pro nostris successoribus ejusdem Ecclesiæ Præsulibus, preces propitiationis Deo & B. Archangelo offerant. Noverit insuper & fideliter recolat omnis tam futuri quàm præsentis ævi Christi Ecclesia quòd eandem memoratam Ecclesiam parochialem à majoris Ecclesiæ Fratribus, ad quorum præbendam tunc cum suis pertinuerat appendiciis, piè ac dignè Deo offerentibus, per manum Præpositi sui Ottonis, liberè ac sine contradictione eis tradendam suscepi, eo pacto ut in eadem villa aliam pro ea instauraremus, sive ut aliquam ejusdem parochiæ Ecclesiarum, si hoc magis commodum videretur, matrem faceremus aliarum. Hanc autem traditionem divinâ authoritate confirmantes, hujus paginæ seriem sigilli nostri impressione signavimus, præcipientes & sub anathemate perpetuo omnibus interdicentes Christianis, ne quis contra eam venire, impetere, sive destruere, præsumpserit, sed firma & inconcussa permaneat omnibus ævis, authoritate omnipotentis Dei & B. Petri Apostolorum Principis. Testes qui præsentes fuerunt, isti sunt: Clerici; Otto Præpositus & Vicedominus, Bruno Præpositus, Conradus Præpositus, Baro Decanus, Wortwinus Decanus, Ludovicus, Conradus, Hertwicus, Richalmus, Grimo, Gozelinus, Henricus, Gehebardus, Berengerus. Laïci liberi; Godeboldus Comes & Advocatus, Boppo, Goswinus Comes, Heremannus, Billungus ministeriales & Urbani. Conradus, Radeholus, Regenhardus, Edelricus, Henricus, Billungus, Conradus, Adelhelmus, *Adelhun*, *Engelbrecht*, cum cæteris fidelibus Clericis & Laïcis, quorum aderant plurimi, divinâ suggerente gratiâ devotissimi: Acta sunt hæc anno Dominicæ Incarnationis 1128. Indictione 6. Regnante D. N. J. C. Imperante Lothario Rege; scripta quoque & signata, in nomine Domini confirmata sunt anno Ordinationis nostræ tertio. Recitata in Synodo.

Charta Embriconis Wirtzeburgensis Episcopi, confirmantis Bona Cellæ Superioris *anno 1130.*

IN Nomine Sanctæ &c. Noverit & fideliter recolat omni tam futuri quàm præsentis ævi Ecclesia, quòd Ego Embrico, Dei gratiâ, Wirtzeburgensis Ecclesiæ præsul, volens habere partem, in consortio illorum, quibus *vivere Christus est & mors lucrum*, pro remedio animæ meæ & successorum meorum Episcoporum, tradidi & sub perpetuo anathemate confirmavi Ecclesiæ S. Michaëlis Archangeli in *Cella*, in usum Fratrum Deo ibidem famulantium, curtim nostram in eadem villa sitam, cum universis appendiciis sive utilitatibus nostri juris & potestatis, in sylvis videlicet, & agris, vinetis, pratis, ac pascuis, mancipiis, decimis & redditibus, molendinis, vadis & piscationibus, vivariis & hortis, exitibus & redditibus & universis commoditatibus longè vel propè positis, tam nostris usibus, quàm aliorum, qui in beneficio habuerant, servientibus: Eâ tamen conditione, ut eadem Ecclesia ab eis qui eam ex suis proprietatibus construxerant, in potestatem nostri Episcopatûs & non alterius redigatur. Hanc autem traditionem divinâ authoritate confirmantes, hujus paginæ seriem sigilli nostri impressione signavimus, præcipientes & sub perpetuo anathemate interdicentes omnibus Christianis, ne quis contra eam venire, aut eam impetere vel destruere præsumpserit, sed firma & inconcussa permaneant omnibus ævis, authoritate omnipotentis Dei, & Beati Petri Apostolorum Principis. Testes qui præsentes fuerunt, sunt isti: Piligrinus Abbas, Dragebodo Monachus, Canonici Humbertus Decanus, Swippodo, Wortwinus Decanus, Conradus, Hertwicus, Conradus, Henricus, Berengerus, Dragebodo Sacerdos, *Ernest*. Laïci: *Egesbreth* Vicedominus, *Radeloch*, *Ragenhant*, *Edelrich*, *Richam*, *Adelhun* &c. Acta sunt hæc anno Incarnationis Dominicæ 1130. Indict. 8. Regnante D. N. J. C. Imperante Lothario Rege.

Bulla Innocentii II. fundationem Cellæ Superioris *confirmantis, anno 1133.*

INnocentius Episcopus servus Servorum Dei. Dilecto filio Joanni Cellensis Ecclesiæ Præposito, ejusque successoribus regulariter substituendis, in perpetuum. Apostolicæ sedis moderamini congruit Religiosos viros debitâ benignitate diligere, & eorum loca protectionis suæ patrocinio communire. Quapropter, dilecte in Domino filii Joannes Præposite, tuis rationabilibus postulationibus accomodantes assensum, Cellensem Beati Archangeli Michaëlis Ecclesiam, quæ juxtà Wirtzeburgensem civitatem à te & Henrico Fratre tuo, devotionis intuitu, fundata esse dignoscitur, præsenti privilegio duximus roborandam. In primis siquidem statuentes, ut Ordo Canonicus, qui secundùm B. Augustini regulam, venerabilis Fratris nostri Norberti Magdeburgensis Archiepiscopi, religiosi utique & prudentis viri, annitente studio, est inibi institutus, perpetuis temporibus in eadem Ecclesia inviolabiliter conservetur. Fratres quoque qui, divinâ inspirante clementiâ, ibidem ad conversionem venerint, post factam in eodem loco professionem, ad alia loca convolandi non habeant facultatem; nullus Archiepiscopus, Episcopus, Abbas vel quilibet alius sine Præpositi sui licentia, eos suscipere aut susceptos, retinere præsumat; hoc enim & sacris regulis inhibetur, & ab Ecclesiasticis personis convenit esse alienum. Porrò permutationem illam, quæ inter te & venerabilem Fratrem nostrum Embricum Wirtzeburgensem Episcopum, consensu Canonicorum suorum, super eodem loco rationabiliter facta est & per scripti sui paginam confirmata, Nos autem authoritate Apostolicâ roboramus. Quæcumque prætereà per vos ab eodem Episcopo vel redempta, vel aliorum fidelium oblatione eidem Ecclesiæ canonicè collata sunt, aut deinceps justis modis, auxiliante Domino, conferri contigerit, tibi tuisque successoribus firma in perpetuum & illibata permaneant, salvâ nimirùm Diœcesani Episcopi justitiâ & reverentiâ. Decernimus ergo ut nulli omninò hominum liceat eandem Ecclesiam temerè infestare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet molestiis fatigare, sed omnia integra serventur,

ventur, eorum pro quorum sustentatione & gubernatione concessa sunt, usibus profutura. Si qua ergo in posterum Ecclesiastica secularisve persona, hanc nostræ Constitutionis paginam sciens contra eam temerè venire tentaverit, secundò, tertiòve commonita, si non satisfactione congruâ emendaverit, potestatis, honorisque sui periculum patiatur, atque à sacratissimo Corpore & Sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat. Cunctis autem eidem Ecclesiæ, quæ sunt justa servantibus, sit pax Domini nostri J. C. quatenùs hic fructum bonæ actionis percipiant & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen, Amen, Amen. Datum Pisis per manum Almerici S. R. E. Diaconi Cardinalis & Cancellarii x. Kalend. Martii, Indict. xi. Incarnationis Dominicæ. 1133. Pontificatûs D. Innocentii P P. II. anno 3.

Bulla Cælestini II. quâ Bona omnia & Jura Ecclesiæ de Cella *confirmat, anno 1143.*

CÆlestinus Episcopus servus Servorum Dei, Dilectis filiis Conrado Præposito de *Cella*, ejusque Fratribus, tam præsentibus quàm futuris, regulariter substituendis, in perpetuum. Piæ postulatio voluntatis effectu prosequente debet compleri, ut & devotionis sinceritas laudabiliter enitescat, & utilitas postulata vires indubitanter assumat. Ea propter, Dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & præfatum locum, in quo divino mancipati estis obsequio, sub B. Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus, statuentes ut quascumque possessiones, quæcumque bona in præsentiarum justè & canonicè possidetis, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum, vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, Deo propitio, poteritis adipisci, firma vobis, vestrisque successoribus & illibata permaneant. Sancimus autem ut Ordo Canonicus secundùm B. Augustini regulam & Fratrum Præmonstratensium institutionem, perpetuis ibi temporibus inviolabiliter conservetur. Nulli quoque Fratrum post factam professionem, absque Præpositi totiusque Congregationis permissione, liceat ex eodem claustro discedere, discedentem verò absque communium litterarum cautione, nullus audeat retinere. Concambium verò quod de loco, qui *Cella* dicitur, cum Wirtzeburgensi Episcopo à vobis rationabiliter factum est, confirmamus, ut nullus ipsius loci Advocatiam sibi usurpare præsumat Apostolicâ authoritate interdicimus. Decimam autem de *Mosa*, sicut ab Episcopo vobis concessa est, vobis nihilominus confirmamus. Decernimus ergo ut nulli hominum &c. Datum Laterani per manum Gerardi S. R. E. Presbyteri Cardinalis ac Bibliothecarii, 8°. Kal. Decembris, Indict. 6. Incarnationis Dominicæ anno 1143. Pontificatûs D. Cælestini P P. II. primo.

Bulla Eugenii III. inhibentis ne exigantur Decimæ novalium Ecclesiæ Cellensis, *anno 1157.*

EUgenius Episcopus servus Servorum Dei, Dilectis filiis Bertoldo Abbati de *Cella* ejusque Fratribus salutem, & Apostolicam benedictionem. Omni tempore Sacrosancta Rom. Ecclesia pro Religiosorum necessitatibus & temporaliter & spiritualiter consuevit esse sollicita, & quantò eos terrenorum curam ampliùs abjecisse conspexit, tantò gratiora semper eis studuit pietatis ac misericordiæ solatia exhibere. Hujus nimirùm solitæ benignitatis intuitu nostri antecessores inducti, discretione præviâ, misericorditer statuerunt, ut Religiosi viri novalium suorum dare decimas non cogantur. Quoniam ergo beneficia pietatis & maximè quæ Religiosorum necessitatibus exhibentur, fraterna charitas non patitur deperire, sanctaque prædecessorum nostrorum instituta semper debent illibata persistere; Nos bono vestræ Religionis odore respersi, authoritate Apostolicâ inhibibemus, ut de novalibus vestris, sive de nutrimentis animalium vestrorum, nullus omninò à vobis decimas præsumat exigere. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, & secundò, tertiòve commonitus, temeritatem suam satisfactione congruâ non correxerit, indignationem omnipotentis Dei & BB. Petri & Pauli Apostolorum ejus, incurrat, atque in extremo examine divinæ animadversionis subjaceat ultioni. Datum Laterani 3°. Idus Januarii.

Bulla Alexandri III. pro Bonis & Privilegiis Cellæ Superioris, *anno 1181.*

ALexander Episcopus servus Servorum Dei, Dilectis filiis Rabenoldo Abbati S. Mariæ Cellensis, ejusque Fratribus tam præsentibus quàm futuris regularem vitam professis. Religiosam vitam eligentibus Apostolicum convenit adesse subsidium, ne fortè cujuslibet temeritatis incursus aut eos à proposito revocet, aut robur, quod absit, sacræ Religionis infringat. Ea propter, Dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & præfatam Ecclesiam S. Mariæ de *Cella*, in qua divino mancipati estis obsequio, sub B. Petri & nostra protectione suscipimus & præsentis scripti privilegio communimus. Inprimis siquidem statuentes, ut Ordo Canonicus qui secundùm Deum & B. Augustini regulam atque institutionem Præmonstratensium Fratrum, in eodem loco institutus esse dignoscitur, perpetuis ibi temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascumque possessiones quæcumque bona eadem Ecclesia impræsentiarum justè & canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum, vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus, & illibata permaneant, in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis: prædium, quod dicitur *Mose*, à Bertholdo Canonico S. Kiliani Wirtzeburgensis Ecclesiæ, pratio comparatum. Item mansum unum & omnem decimationem quandam ad Ecclesiam S. Burchardi spectantem, à bonæ memoriæ Embricone dudùm Wirtzeburgensi Episcopo, justè vobis concessum. Prædium quoque in *Urnelt* partim de oblatione fidelium, partim per pecuniam acquisitum. Item quoddam allodium *Ruchesbrunnen*, quod aliquando ad jura Episcopatûs Wirtzeburgensis, spectavit. Item omnia quæ ab Ebehardo bonæ memoriæ Wirtzeburgensi Episcopo, per manum fratris sui Bertoldi summi Advocati, pro remedio animæ suæ in sylvis, agris, vineis & pratis, molendinis, hortis, exitibus & redditibus, decimationibus & advocatia & universis commoditatibus longè vel propè positis, justè vobis concessa sunt, authoritate vobis Apostolicâ confirmamus; item prædium quoddam juris Numburgensis Ecclesiæ situm in *Albestatt*, *Walbrunenn*, & *Haselbrunenn*, pro cujus tertia parte quæ pertinuit ad usus Canonicorum de majori domo S. Kiliani, persolvitis eis singulis annis, sex talenta in festo S. Martini; ita quidem quòd nec Fratres de domo ampliare Canonem, nec Cellenses diminuere, ali-

quâ occasione præsumant. Decimam verò totius prædicti prædii authoritate Heroldi Wirzeburgensis Episcopi, canonicè acquisitam. Sanè novalium vestrorum nullus à vobis decimas exigere præsumat; liceat quoque vobis Clericos aut Laïcos è seculo fugientes, liberos & absolutos absque alicujus contradictione ad conversionem recipere, & in vestra Ecclesia retinere. Prohibemus insuper ut nulli Fratrum vestrorum post factam in eodem loco professionem, sine Abbatis licentia, fas sit de eodem loco discedere, discedentem verò absque communium litterarum cautione, nullus audeat retinere. Cùm autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis, januis clausis, non pulsatis campanis, exclusis excommunicatis & interdictis, submissâ voce, divina officia celebrare. Obeunte verò te nunc ejusdem loci Abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi quâlibet subreptionis astutiâ, seu violentiâ præponatur, nisi quem Fratres communi consensu, vel Fratrum pars consilii sanioris, secundùm Dei timorem & B. Augustini regulam providerit eligendum. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decernimus, ut eorum devotioni & extremæ voluntati, qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi fortè excommunicati, vel interdicti sint, nullus obsistat, salvâ tamen justitiâ illarum Ecclesiarum, à quibus mortuorum corpora assumuntur. Decernimus ergo ut nulli omninò hominum liceat præfatam Ecclesiam temerè perturbare &c. Ego Joannes tit. S. Marci Presbyter Cardinalis. Ego Petrus Presb. Card. S. Suzannæ tit. Ego Vivianus Presb. Cardin. tit. S. Stephani in Cælio Monte. Ego Cinthius Presb. Card. tit. S Ceciliæ. Ego Hugo Presb. Card. tit. S. Hermetis. Ego Arduinus Presb. Cardi tit. S. Crucis in Jerusalem. Ego Matthæus Presb. Card. tit. S. Marcelli. Ego Jacobus Diacon. Cardin. tit. S. Mariæ in *Cosmydin*. Ego Rain. Diac. Card. S. Georgii ad Velum aureum. Ego Gratianus SS. Cosmæ & Damiani Diac. Card. Ego Joannes Diac. Card. S. Angeli. Ego Rain. Diac. S. Adriani Card. Ego Matthæus S. Mariæ novæ Diac. Card. Datum Tusculani per manum Alberti S. R. Ecclesiæ Presb. Card. & Cancellarii. Nonis Februarii. Indict. 14. Incarnationis Dominicæ anno 1181. Pontificatûs verò D. Alexandri PP. III. anno 22.

Bulla Lucii III. pro confirmatione Bonorum & Privilegiorum Cellæ Superioris, *anno 1181.*

LUcius Episcopus servus Servorum Dei, Dilectis filiis Rabenoldo Abbati monasterii S. Mariæ semper Virginis in Cella, ejusque Fratribus &c. *ut in præcedenti Bullâ Alexandri III.* In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipsum in quo prælibatum monasterium constructum est, cum adjacenti Sanctimonialium Cella & curtiis monasterio contiguis, *Herstatt* videlicet, & illa quæ est ultrà fluvium *Mogi* sita cum prædiis & decimationibus & omnibus pertinentiis suis cultis & incultis; montem etiam qui *Rosenberc*, dicitur, cum omni proventu suo. Ad hæc concambium illud quod inter vos & inter Episcopum Nuwenburgensem & Ecclesiam ipsius, per manus Advocati ejusdem Ecclesiæ, scilicet Theotonis Comitis, filii Marchionis Conradi & per manum Manegoldi cujusdam Nobilis de *Wilpere*, & filiorum suorum, quemadmodùm felicis recordationis prædecessor noster Alexander Papa, & Imperator Fridericus, Heroldus Wirtzeburgensis Episcopus, Tuto Nuwerburgensis Episcopus, & ipsa Nuwerburgensis Ecclesia privilegiis suis confirmaverunt. Sunt autem hæc nomina bonorum quæ Nuwerburgensi Ecclesiæ in comcambio data sunt. Bona in *Himmuffatt*, & in *Hofthem*, in *Carbach*, & in *Birckenvald*, de quibus singulis annis viginti octo Marcæ Ecclesiæ Nuwenburgensi solvuntur. Hæc autem bona in concambio sunt recepta. *Haselbrunen* villa quædam, & villa quæ *Walprunenm* dicitur, & duæ partes villæ, quæ *Albestatt* dicitur, tertiam verò partem ejusdem villæ à Canonicis majoris Ecclesiæ in *Wirciburc* pro annuo canone vos manutenetis, cum villa quæ *Lusenbach* dicitur, & cum bonis quibusdam in *Hisingen*, unde singulis annis sex libras Wirtzeburgensis monetæ persolvitis. Mansos sexdecim quoque quos bonæ memoriæ Heroldus Wirtzeburgensis Episcopus, tres libras cum decimis in *Tiarrebach*, ad opus infirmorum vestro cœnobio contulit, unde singulis annis libram ei persolvitis. Insuper Curiam in *Mose* & Curiam in *Kichesbrunnen*, cum decimis & omnibus pertinentiis suis, & Curiam in *Wirciburg*, & bona vestra in *Gernestatt*, & in *Karbach*, & Curiam in *Heingesfeld*, cum vineis attinentibus. Sanè Novalium vestrorum quæ propriis manibus vel sumptibus vestris colitis, sive de nutrimentis, animalium vestrorum nullus à vobis decimas exigere, vel extorquere præsumat. Paci quoque & tranquillitati vestræ paternâ sollicitudine providere volentes, authoritate Apostolicâ prohibemus ut infrà clausuras locorum, vel grangiarum vestrarum, nullus violentiam, vel rapinam, seu furtum committere, aut ignem apponere, seu hominem capere, vel interficere audeat. Liceat quoque vobis &c. *ut in præcedenti Bulla Alex. III.* Ego Conradus Salp. minister Gabinensis Episcopus. Ego Theodinus Portuensis & sanctæ Rufinæ sedis Episcopus. Ego Petrus Tusculanus Episcopus. Ego Petrus tit. S. Suzannæ Presbyter Cardinalis. Ego Vimanus tit. S. Stephani in Cælio Monte Presb. Card. Ego Cinthius Presbyt. Card. tit. S. Ceciliæ. Ego Arduinus Presb. Card. tit. S. Crucis in Jerusalem. Ego Matthæus Presb. Card. tit S. Marcelli. Ego Laborans Presb. Card. S. Mariæ trans Tiberim tit. Callixti. Ego Jacobus S. Mariæ in Cosmydin Diac. Card. Ego Arditio S. Theodori Diac. Card. Ego Rainerus S. Georgii ad Velum aureum Diacon. Cardin. Ego Gratianus SS. Cosmæ & Damiani Diac. Card. Ego Rainerus Diacon. Card. S. Adriani. Datum Velletrani per manum Alberti S. Rom. Eccl. Presb. Card. & Cancellarii, Kalend. Maii. Indict. 14. Incarnat. Dom. anno 1181. Pontificatûs verò D. Lucii PP. 3. anno 1°.

Bulla Bonifacii VIII. Bona & Privilegia Cellæ Superioris *confirmantis, anno 1297.*

BOnifacius Episcopus, servus Servorum Dei, Dilectis filiis Abbati monasterii Cellæ Superioris, ejusque Fratribus tam præsentibus, quàm futuris, regularem vitam professis, in perpetuum. Religiosam vitam eligentibus &c. *ut in Bulla Alexandri III.* in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipsum in quo præfatum monasterium situm est, cum omnibus pertinentiis suis; Ecclesiam in *Thielhusen* quæ per bonæ memoriæ Bertholdum Episcopum Herbipolensem, Capituli Herbipolensis ad id accedente consensu, ipsi monasterio fuit unita. Montem de *Rosemberc* cum pertinentiis suis; villam in *Haselbrunnen*, cum pertinentiis suis; villam de *Valprun* & duas partes villæ de *Hallestatt* cum pertinentiis suis; villam quæ *Lusenbach* vulgariter nuncupatur, cum pertinentiis suis; Curias de *Herstatt*, & ultrà flumen *Mogi*, cum prædiis, decimationibus & pertinentiis suis ipso monasterio contiguas. Curiam in *Mose*.

& Curiam in *Ruchesbrunnen* cum pertinentiis suis. Curiam in *Vruel* cum pertinentiis suis; Curiam in *Wirceburc* cum pertinentiis suis. Sexdecim mansos terræ quos bonæ memoriæ Heroldus Herbipolensis Episcopus ipsi monasterio contulit. Terras, possessiones, nemora, prata, pascua & quidquid juris habetis in *Insengem*, de quibus annis singulis pro annuo canone persolvitis Canonicis Ecclesiæ Herbipolensis, sex libras Herbipolensis monetæ. Terras, mansos, vineas, areas, possessiones, prata, pascua, & quidquid juris habetis in *Tarnestatt* cum pertinentiis suis. Terras, mansos, vineas, areas, possessiones, prata, pascua, quidquid juris habetis in *Rorbach* cum pertinentiis suis, & alias terras, possessiones, redditus, quidquid juris in civitate & Diœcesi Herbipolensi, monasterium noscitur obtinere, cum terris, pratis, vineis, nemoribus, usuagiis, & pascuis in bosco & plano, in aquis & molendinis, in viis & semitis, & omnibus aliis libertatibus, & immunitatibus suis. Sanè novalium vestrorum &c...... Liceat quoque vobis Clericos vel Laïcos &c.......Prohibemus insuper ut nulli Fratrum vestrorum &c........ Cùm autem generale interdictum &c....... Chrisma verò oleum sanctum, consecrationes altarium, seu Basilicarum, & Ordinationes Clericorum, qui ad Ordines fuerint promovendi, à Diœcesano suscipietis Episcopo, siquidem Catholicus fuerit, & gratiam & communionem sacro-sanctæ sedis Rom. habuerit, & ea vobis voluerit sine pravitate aliqua exhibere. Prohibemus insuper ut infra fines Parochiæ vestræ, si eam habetis, nullus sine assensu Diœcesani Episcopi, & vestro, Capellam seu Oratorium de novo construere audeat, salvis privilegiis Pontificum Romanorum. Ad hæc novas & indebitas exactiones ab Archiepiscopis, & Episcopis, Archidiaconis seu Decanis, aliisque omnibus Ecclesiasticis secularibusve personis à vobis omninò fieri prohibemus. Sepulturam quoque loci liberam esse &c....... Decimas præterea & possessiones ad jus Ecclesiarum, vestrarum spectantes, quæ à Laïcis detinentur, redimendi & legitimè liberandi de manibus eorum, & ad Ecclesias ad quas pertinent revocandi, libera sit vobis de nostra authoritate facultas. Obeunte verò te nunc ejusdem loci Abbate &c..... Paci quoque ac tranquillitati vestræ paternâ inposterùm sollicitudine providere volentes &c.......... Præterea omnes libertates & immunitates à prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus monasterio vestro concessas, nec non libertates & exemptiones secularium exactionum à Regibus, Principibus, vel aliis fidelibus rationabiliter vobis indultas, authoritate Apostolicâ confirmamus, & præsentis scripti privilegio communimus; Decernimus ergo ut nulli omninò hominum liceat præfatum monasterium &c. *Ut in Bulla Alex. III.* Ego Gerardus Sabinensis Episcopus. Ego Joannes Tusculanus Episcopus. Ego Frater Matthæus Portuensis & S. Rufinæ Episcopus. Ego Frater Thomas tit. S. Cæciliæ Presb. Card. Ego Joannes titulo SS. Marcellini & Petri Presb. Cardinalis. Ego Nicolaus tit. S. Laurentii in Damaso Presb. Card. Ego Frater Robertus tit. S. Potentianæ Presb. Card. Ego Frater Simon tit. S. Balbinæ Presb. Card. Ego Matthæus S. Mariæ in Porticu Diac. Card. Ego Guillelmus S. Nicolai in carcere Tulliano Diac. Card. Ego Benedictus SS. Cosmæ & Damiani Diac. Cardin. Ego Petrus S. Mariæ novæ Diac. Card. Datum Romæ apud S. Petrum per manum Petri S. Mariæ novæ Diaconi Cardinalis & S. R. E. Vice-Cancellarii, Nonis Maii, Indict. x. Incarnationis Dominicæ 1297. Pontificatûs verò D. Bonifacii PP. VIII. anno secundo.

Bulla Gregorii XII. prohibentis Episcopo Herbipolensi ne possit exigere à monasteriis Ordinis Premonstratensis decimam partem bonorum eorumdem, anno. 1408.

GRegorius Episcopus servus Servorum Dei. Venerabili Fratri Joanni Episcopo Herbipolensi, salutem & Apostolicam benedictionem. Apostolicæ benignitatis officium à divina nobis pietate commissum, tunc ad executionem laudabilem & effectum dirigimus salutarem, cum personis Ecclesiasticis & Apostolicæ sedi devotis, præsertim Cathedralibus Ecclesiis præsidentibus & Ecclesiis eis commissis, in earum facultatibus destitutis, de congruæ provisionis remedio subvenimus. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte tua petitio continebat, quòd licet Ecclesia tua Herbipolensis à primæva ejus fundatione inter alias Cathedrales Ecclesias partium Alemanniæ, adeò splendidè & notabiliter Oppidis, Castris, Villis, possessionibus, & aliis bonis mobilibus & immobilibus pro Episcopo & nonnullis Prælatis ac Canonicis in eadem Ecclesia pro tempore Domino servituris, dotata & adornata fuisset, quòd inter alias Ecclesias hujusmodi notabiliter reputaretur, tamen postea temporis causante malitiâ, ac propter varias guerrarum turbines quæ partes ipsas non mediocriter afflixerunt, nec non malum regimen quorumdam prædecessorum tuorum Episcoporum Herbipolensium, qui fuerunt pro tempore, ac etiam quasdam partialitates in tua civitate Herbipolensi, contra Clerum & Ecclesiasticas personas earumdem partium suscitatas, adeò in suis facultatibus destituta, ac debitorum oneribus prægravata existit, & quod Tu, cui Ecclesiæ ejusdem, necnon civitatis Herbipolensis in spiritualibus & temporalibus regimen imminet generale, statum tuum juxta Pontificalis dignitatis decentiam tenere, & quod deterius & gravius est, stipendiariis & aliis personis, quas Tu pro deffensione jurium ejusdem Ecclesiæ tenere Te oportet; de stipendiis ipsorum satisfacere non potes, cùm Castra, Oppida, Villæ, possessiones & bona præfata, quibusdam Nobilibus partium prædictarum usque ad summam duorum milionum & quadringentorum millium florenorum auri pro debitis per eosdem prædecessores contractis, remanent obligata. Quare pro parte tua, nobis fuit humiliter supplicatum, ut in præmissis tibi providere, tibi ac tuo necnon ejusdem Ecclesiæ statui de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur attendentes, quòd divisa in partes onera leviùs perferuntur, ac Tibi, nec non præfatæ Ecclesiæ paterno compatientes affectu, hujusmodi supplicationibus inclinati, Tibi ut à quibuscumque personis Ecclesiasticis, Secularibus & Regularibus, exemptis & non exemptis, beneficia Ecclesiastica in eisdem civitate & Diœcesi obtinentibus, cujuscumque dignitatis, statûs, gradûs, ordinis vel conditionis existant, etiamsi Abbatiali aut aliâ quâvis præfulgeant dignitate, decimam partem omnium fructuum, redditCircuum & proventuum beneficiorum hujusmodi usque ad unum annum à dato præsentium computandum, servatâ tamen Constitutione felicis recordationis Benedicti PP. XII. prædecessoris nostri super hoc editâ, & juxta hujusmodi beneficiorum qualitatem exigere, recipere & levare, liberè & licitè valeas, venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, & dilectis filiis Præmonstratensibus, & B. Mariæ Theutonicorum Hos-

pitalium, Jerosolimitanis Magistris & Fratribus, necnon Monasteriorum, Prioratuum, Domorum & locorum Cisterciensis & Carthusiensis Ordinum Abbatibus, Prioribus & Conventibus duntaxat exceptis, authoritate Apostolicâ, tenore præsentium indulgemus. Ita tamen quòd omnia & singula quæ per te interim ex beneficiis hujusmodi percipi contigerit, super quo tuam conscientiam oneramus, in recuperationem Oppidorum, Castrorum, Villarum & aliorum bonorum prædictorum fideliter & integrè convertantur, non obstantibus quibuscumque statutis & consuetudinibus contrariis ac privilegiis, indulgentiis & Litteris Apostolicis, generalibus vel specialibus quorumcumque tenorum existant, eis vel eorum aliquibus communiter vel divisim sub quacumque forma, vel expressione verborum, concessis, per quæ præsentibus non expressa vel totaliter non inserta, effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in nostris litteris mentio specialis. Nos enim ex nunc irritum decernimus & inane, si secùs super his à quoquam, quâvis authoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ Constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire, si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & B. B. Petri & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Lucæ VI. Idus Julii Pontificatûs nostri anno secundo.

Charta Alvaris Diaz pro Fundatione monasterii S. Christophori *de* Ibeas, *anno 1077.*

SUb Christi nomine & individuæ Trinitatis, Pater & Filius, & Spiritus Sanctus, Trina Majestas, & una Divinitas, qui cuncta omnia quæ creavit visibilia & invisibilia ex nihil supplevit, unusque admirabilis est extans inseparabili Trinitati, cujus regnum & imperium sine fine permanet in secula, Amen. Quapropter Ego *Alval Didat* unâ cum uxore mea Theresa *Ordonet*, cum consensu & voluntate ejus gratuita, & voluntate nostrâ spontaneâ, nullius cogentis imperio, nec suadentis articulo, sed jussu omnipotentis Dei, & pro remissione peccatorum nostrorum & parentum nostrorum, nos supra nominati. Videlicet Ego *Alvaro Didat*, cum conjuge mea Theresia *Ordonet*, hereditariè donamus, & concedimus domino Deo, & sancto Christophoro, & tibi fideli nostro Dominico Abbati, illud proprium nostrum monasterium sancti Christophori de *Evea*, propter servitium bonum, quod nobis fecisti, & spopondis facere omnipotenti Deo, & ad honorem S. Christophori, quatenùs pietate Dei, tuâque oratione suffulti, æterna adipisci gaudia mereamur, illo præstante qui vivit & regnat per infinita semper seculorum secula, Amen. Est enim monasterium S. Christophori quod nos supra nominati voluntariè donamus, & concedimus tibi Dominico Abbati ex spontanea voluntate nostra, in villa ubi dicitur *Evea* cum omnibus hærentiis, & adjectionibus suis, & quantùm ad illum monasterium pertinet, & servire debet, quod nostrum fuit, & nostrum, & suum esse debet, videlicet in omnibus exitibus in *Eveas* tertiâ parte, & in defessis in duplo *Tajac*. Insuper & alia monasteria, & hæreditates, quæ subjectæ sunt illi monasterio, idest sancti Vincentii de *Rio* de *Egrva* cum omnibus suis pertinentiis videlicet terras, vineas, hortos, pratos, molendinos, solares populatos, & cum omnibus exitibus, & regressibus, & in *Modubar* de sancto Cypriano omni hæreditate, quæ ad nos ibi pertinet, & quæ fuit Gonzalico Dominici, & alia hæreditate, quæ fuit de Comite *Don Lop*, & sua uxore Domna *Xiolo*, videlicet terras, vineas, hortos, molendinos, Colazos, &c. Damus etiam sancto Adriano monasterio, quod est juxta sanctæ Crucis (oppidum) cum quantùm ad nos ibi pertinet videlicet Colazos, solares populatos, terras, vineas, &c. & illa maneria de *Blazo*, *Munoz* de *Villa Escussa la solaeta*, & in *Mermellar*, quantùm ibi habemus, & ad nos pertinet, & in *Ormazola* ipsa hæreditate de sancto Pantaleone ab omni integritate, & in alia *Ormaza* de *Fornillos* sancto Stephano Monasterio cum Colazos, solares populatos, & non populatos, terras, &c. in *Tolmantos* Collazos, solares, &c. in *Refrio* uno solare cum quanto ad ipsum pertinet, & in *Villorsa* nostra hæreditate, ab omni integritate, videlicet Colazos solares, terras, vineas, &c. & ipsa hæreditate de illa *Albajeria* de sancta *Pia*, quantùm ad nos ibi pertinet; & in sancta *Cruz*, quantùm ad nos pertinet ab omni integritate, & sanctorum Cosmæ & Damiani cum quantùm ad nos ibi pertinet, videlicet terras, vineas, &c. Damus etiam adhuc sancto Petro de *Villaegun* ab omni integritate quantùm ad nos ibi pertinet. Hæc monasteria, & omnes hæreditates quæ in ista charta scripta sunt, quod nostrum fuit, & vestrum esse debet ab omni integritate donamus & confirmamus tibi Dominico Abbati, & successoribus tuis, quos tu præponere volueris in diebus vitæ tuæ ad habendum, ad possidendum, ad vindicandum omnibus diebus vitæ suæ; & non permittimus aliquem hominem qui nobis inquietationem faciat vel modicè. Tali autem pacto & tenore Ego *Alvar Didat*, & uxor mea Theresia *Ordonet* donamus tibi Dominico Abbati supradicto monasterio & has hæreditas, ut ex hac die, vel tempore sint tuæ in vita tua, & post obitum tuum successoribus tuis. Et in genu sitis tu, & successoribus tuis, & monasterium tuum, & in diebus nostris sis noster ad benefaciendum, & vindicandum nos omnibus diebus vitæ nostræ, & vestræ. Et post obitum nostrum non permittimus hæc monasteria & has hæreditates in participatione intrare, non de filiis, neque de filiabus; neque de neptis nostris; sed de filiis, vel filiabus, aut neptis aut bis neptis, quos Ego *Alvar Didat*, habuero de Theresia *Ordonet* ad qualem de istis vobis Dominico Abbati, & successoribus vestris placentium fecerit reclamum habere, illius reclamum habeatis; & si ipsum ad quem reclamum habueritis non rectè defenderit vobis, sit à Deo maledictus, & hoc factum nostrum plenum habeat robur firmitatis. Quo si casu eveniente, quod fieri minimè concedimus, nos seu de filiis nostris, tam de propinquis gentibus nostris, quàm extraneis, quisquis fuerit homo, qui hæc monasteria, & has hæreditates rettentare, & in participatione voluerit mittere; sit à Deo maledictus, & excommunicatus, & absorbeat eum terra sicut absorbuit *Datan*, & *Abiron*, & luat pœnas in Inferno inferiori cum Juda proditore Domini. Facta Charta roborationis & confirmationis VI. Kalendas Januar. in Era MCXV. regnante Rege Alphonso in Legione; & in Castella, & in Toleto, & in omnibus Regnis suis; & hæc charta fuit rata, & confirmata coram his testibus Garci *Sanchet* hic test. Bartholomeus *Diat* hic test. Gonzalvo *Gonzalvet* hic test. Galindo *Galindet* hic test. Comite Garçia *Ordonet* Conf. Senior Diac. *Sanchet* Conf. Garci *Alvaret* Armiger Regis Conf.

Charta Guterii Fernandez de Castro *& Roderici* Munnos *pro augmento dotis S.* Christophori, *anno 1151.*

EGo *Gutier Fernandez* cum uxore mea Domna *Tota* & Ego Rodericus *Munnoz* cum uxore mea Domna *Major*, damus & concedimus Deo, & Abbati Gundisalvo, monasterium sancti Christophori de *Euea* cum universis suis pertinentiis. Scilicet monasterium S. Adriani cum solaribus, & egressibus, & regressibus, & fontibus, & montibus, & pratis, & cum omnibus perti. suis & monasterium S. Vincentii de *Rio Cavia*, cum solaribus & exitibus & vineis & molendinis, &c. & monasterium S. Sprephani de *Hormoza* cum cassas & terras, & vineas, &c. & divisas cum sua Ecclesia, &c. In *Villa majore media Villa*, cum quanto ei pertinet. In *Talmantos* hæreditate, & Collazos, & cum obs pertin. S. in *Villaria* similiter solares, &c. In Villa *Epun* S. Petrum cum quanto ei pertinet. Monasterium S S. Cosmum & Damianum, cum quanto ei pertinet. & similiter sancta *Cruz* cum quanto ei pertin. sancta pia *Del Camino* cum quanto ei pert. en *Reojo* cum quanto ei pertin. has hæreditates supra nominatas, quæ fuerunt de Alvar *Diaz*, damus & concedimus illo foro vel cotto quod est de *Castella*. Alas Ecclesias, y alos monasterios. D. solidos. In vineas, in Rastroxos (hoc est in messis terris) y en los Cottos (id est in pratis prohibitis) de ovibus el Calnero (unum aricem) & de porcis el poreo si instromissi fuerint, & de alia ganato, sicut & fuero de Castella. Super las desessas, quæ habent & adhuc daturi sumus nos, habeant el fueroque habent en el Cartel allio veterum scriptum si quis ex nostris, vel ex nostra progenie, vel ex aliena, &c. Ego Guterius, & uxor mea Tota, qui hoc scriptum fieri jussimus, his coram testibus manibus propriis signando Roboravimus † Ildefonsus Imperator Conf. Sanctius Rex. Conf. Victor Episc. Conf. Joannes Subcoviensis Episc. Conf. Rodericus Nazarensis Comes Conf. Rodrigo *Munoz* testis. Alvaro *Rodriz* test. Fernando *Roiz* test. Munio *Roiz* test. Ridago *Munoz* Alvaro *Munoz* Ordon Sebastian Garcia Sebastian *Nuno* Sebastian Don *Gil* testes. Et confirmationis notum diem secundâ feriâ x. Kalend. Martii. Era MCLXXXIX. Regnante Imperatore Ildefonso in tota Hispania & in omnibus Regnis suis.

Charta Alphonsi VIII. Regis qua Præmonstratenses in Abbatiam sancti Christophori *inducit, anno 1175.*

IN Dei nomine. Cùm brevis sit vita temporalis ad comparationem vitæ æternæ, debet unusquisque dum vivit, bona quæ poterit agere, ut post mortem temporalem per bonorum operum merita possit æternam habere. Hujus rei gratiâ Ego Rex Aldefonsus pro anima mea, & parentum meorum remissione, donando & concedendo, roboro & confirmo, monasterio sancti Christophori totam hæreditatem, & gratiam in hac pagina descriptam, videlicet totum terminum de *Ovea* del camino (hoc est dei tinere) ex dicti monasterii *Aldeola* de sancto Andrea per viam quæ transit per sanctum Emilianum, & vadit ad *Cozcorram* usque ad pratos de *Soffarros*, & per ipsos transiendo flumina de *Cova*, & *Espinosilla*, vadit ad vallem trium fontium, & ascendendo ad collem per summitates ejus, aquis vertentibus, ad dictam *Aldeolam* inclusivè tendit, & redit, demptis aliquibus hæreditatibus aliquorum particularium vicinorum in quibus solummodo habent jus cultivandi, & *Quintanar*, & sanctum Vincentium & *Millaradas* & la *Invierno* suis limitibus distinctis à terminis aliorum locorum convicinorum cum omnibus suis Ecclesiis, & domibus populatis, & populandis, & cum omnibus suis hæreditatibus montibus, & fontibus, & fluminibus, ingressibus, & regressibus, & cum pascuis, & piscationibus, & venationibus, & cum suis incolis, & colonibus & cum suis jurisdictionibus, tam civilibus, quam criminalibus, tam tem poralibus, quàm spiritualibus, & cum universis sibi pertinentiis, quas Ego possum dare & concedere, & concessas roborare, & confirmare quas hæreditates loca & terminos, cum omnibus dictis juribus, & præeminentiis, Imperator Alphonsus dedit ad Ordinem Præmonstratensem, & ad servitium Dei. Roderico Abbati, & fratribus dicti monasterii sancti Christophori quod Guterius Ferdinandus cum uxore sua Domna Toda fundavit, & in eo Abbatem, & Monachos albos, missos ex Præmonstrato Franciæ, cum Missalibus, & libris posuit: quas hæreditates Ego Rex Aldephonsus pro anima mea & parentum meorum dicto monasterio cum dictis juribus, & pertinentiis, nunc & in perpetuum placabiliter do & concedo, roboro & confirmo Ego Rex Aldefonsus chartam hanc præcepi fieri, & meis propriis manibus in Ecclesia sancti Salvatoris de *Carrazena*, coram audientibus circumstantibus confirmando roboravi. Si aliquis homo cujuscumque progeniei &c. Facta charta in mense Novembrio. Erâ MCCVIII. Regnante Aldefonso Rege in Castella, & in Nachara, & in Toletula, & in Estrematura, & in omnibus Regnis suis. Insuper Regiæ parti istius rei contradictor mille aureos persolvat. Comes Alvarus Confirmav. Comes *Nuno* Conf. Comes Petrus Conf. Comes *Vela* Conf. Gundisalvus *Roiz* Conf. Don *Mabric* Conf. Petrus *Gomez* Conf. Carubrunus Tolet. Archiepiscopus, & Hisp. Primas Conf. Petrus Burgensis Episcopus Conf. Reimondus Palent. Episcopus Conf. Don *Gil* Conf. Gonzalvus Roderici Conf. Petrus *Roiz* filius *Gomez* Diago *Guesso* Conf. *Gutier Pelaez* Merinus Regis in Castella Conf. Petrus Garsiæ Major domûs Curiæ Regis Conf. Rodericus Gundisalvi Conf. *Alferez* Regis Gundisalvo *Capelin* Conf. Gonzalvo *Nazareno* Conf. Don *Fortuno* Conf. *Martin Diaz de Melgar* Conf. & Ego Rex Aldefonsus in tempore quo Incarnationes intravi xiv. Kalend. Aug. sub Era MCCXIII. in sancto Dominico de la *Calzada* propriâ manu hanc Chartam, & in ea omnes præscriptas hæreditates coram his testibus confirmando roboravi. Comes Nunius Comes *Don Gomez* Conf. Petrus *Roiz* filius *del Conde* Don *Rodrigo* testis. *Lope Diaz de Mena* test. *Ros Gutierres* major domus test. Gonzalvo *Roiz Duc* test. Gonzalvo *Gadiella* test. *Barzicosteſia* test. & *Gutier Pelaez Merino* test. Gonzalvo *Geidrez de Alvilar* testis.

Charta Fundationis Clarholti, *anno 1133.*

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis Amen. Noverit tam successio posterorum omnium Christi fidelium, quàm modernitas præsentium, quòd Ego Rudolfus de *Stenforde*, pro remissione peccatorum meorum & animæ meæ salute, quidquid hereditatis liberæ habui in *Ullenbo*, videlicet xxvi. portiones, quas *Warscoph* vocant, & quidquid dein-

ceps ibi acquisiero in firmam & stabilem possessionem donaverim ad servitium Dei, & B. Mariæ Genitricis ejus, & sancti Viti, sicut & omnium Sanctorum in *Lette*. Portionem autem supradictarum, x. jacent infra portiones C. illorum de *Ostergo*. IV. verò sunt de allodio de *Methre*. Item IV. intra illorum de *Wie*. Item II. intra C. illorum de *Suthegere*. I. de *Lenelbe* & I. de *Ittemulben*. Quod ut ratum & inconvulsum, nunc & in posterum, Ecclesiæ permaneat, Dominus noster Andræas Episcopus (*a*)... sub cujus justitia, & in cujus Episcopatu eadem terra jacet, tum pro gratia Dei, tum etiam pro mea & Fratrum petitione loci illius, paginam hanc conscribi inde & sigilli sui impressione corroborari jussit, & sub anathemate confirmavit. Actum est autem anno Incarnationis Dominicæ MCXXXIII. indictione XI. regnante Lothario II. anno regni ejus VII. anno verò Episcopatûs Domini Andreæ V. hujus confirmationis testes sunt isti, Waro, Theodoricus, Simon, & Andræas Canonici, Telmarus Presbyter, Godesridus & Theodoricus de *Bocherst*, Wyterus, Ramoardus Sculterus, Gerehardus, Odulfus, Gyselbertus, Hugo de *Fleore*, Engelbertus de *Tnmme* Anselmus de *Bærbolte*, *Assært*, & *Leyfart*, *Rinolt* & *Martnart*, Albertus, Astelmus, Wilterus, Riwinus & multi alii liberi & ministeriales.

Charta Lotharii II. Imperatoris, pro confirmatione Clarholti, *anno 1134.*

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Lotharius Romanorum Imperator Augustus. Notum fieri volumus omnibus fidelibus Christi tam præsentibus, quàm futuris, Nobilem quemdam terræ nostræ, Rudolfum scillicet de *Stenfordt*, ob sui parentumque suorum æternam memoriam, quidquid Dei gratiâ, hæreditarioque jure habuit in *Lette*, *Clabolte*, *Machenberge*, *Vilmerigthorpe*, *Xuplo*, *Obthepe*, *ChaverWigh*, *Elsne*, & in loco maritimo qui *Wilenho* dicitur, usque ad aquam, quam *Lethe* vocant, cum omnibus utensilibus, mancipiis, agris cultis & incultis, sylvis, aquis, pascuis, fratrum & hæredum suorum, Ludolphi videlicet & Udonis consensu, ad usus Domino secundum Beati Augustini regulam servientium, liberè tradidisse in loco Prætoriali, Hathemaresso præsidente, Præside Godeschalco, suscipiente Advocato Hermanno de *Aven-stroth* nostro imperio, justo judicio & pace. Quia ergo nostri officii, nostræque salutis esse certum habemus Domino servientes ipsius adjutorio promovere, volumus & præcipimus, ut nullus in eodem prædio injustâ potestate aliquid, aut calumniâ præsumat exercere, nisi justâ commutatione acquisierit. Advocatus ibi nullus sit nisi quem ipsi Fratres unanimiter elegerint, & de manu Episcopi accipiat, qui si incommodus vel inutilis fuerit, si semel, bis, vel tertiò admonitus, non emendaverit, alium eligendi liberam habeant facultatem; & ut hæc traditionis nostræ authoritas rata & inconvulsa nunc & imposterum permaneat, sigilli nostri impressione roborari jussimus subscriptis idoneis testibus. Vernerus Episcopus Monasteriensis, Sivardus Episcopus Mindensis, Thiethardus Episcopus Osnaburgensis, Gerhardus Cardinalis, Anselmus Havelburgensis Episcopus. Hi autem sunt Principes qui interfuerunt, Otto Comes de *Ruinte*, Albertus Comes de *Ballenstat*. Fridericus Palatinus de *Hunerischenburch*. Hermannus Comes de *Calvenlage*, Adolphus Comes de *Berge*, Gerhardus Comes de *Honstat* cum cæteris nobilibus, Wichboldo & filio suo Bernardo, Herimanno de *Bosenhage* cum quatuor filiis suis Gerhardo Thietmaro, Theodorico, Henrico, Hermanno de *Lippa* cum compluribus aliis in quorum præsentia hoc factum est. Sigillum Domini Lotharii tertii * Dei gratiâ Romanorum Augusti. * Secundi.

Data per manum Norberti * Archicancellarii, & Magdeburgensis Archiepiscopi. Actum Dominicæ Incarnationis anno MCXXXIV. Indictione XII. regnante pio Imperatore Augusto Lothario, anno regni ejus VIII. Imperii verò primo. * Archicancellarius esse cœpit, anno 1131.

Bulla Eugenii III. pro confirmatione statûs & bonorum Clarholti, *1146.*

EUgenius Episcopus, servus Servorum Dei, Dilectis filiis Ermerpardo Præposito Ecclesiæ Beati Laurentii de *Clarholte*, ejusque Fratribus tam præsentibus, quàm futuris, regularem vitam professis, in perpetuum. Apostolicæ moderaminis clementiæ convenit Religiosos diligere, & eorum loca piâ protectione munire: dignum namque & honestati conveniens esse dignoscitur, ut qui ad Ecclesiarum regimen assumpti sumus, eos & à pravarum hominum nequitia tueamur, & Apostolicæ sedis patrocinio faveamus. Ea propter, Dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & præfatam Ecclesiam in qua divino mancipari estis obsequio, sub Beati Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus, statuentes ut quascumque possessiones, quæcumque bona, inpræsentiarum justè & canonicè possidetis, aut in futurum concessione Pontificum, liberalitate Regum, largitione Principum, oblatione fidelium, sive aliis justis modis præstante Domino, poteritis adipisci, firma vobis, vestrisque successoribus, & illibata permaneant, in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Capellam unam in *Clarholte*, Curtes duas, mansos quinque in villa quæ dicitur *Lette*. Capellam unam, mansos tres in *Mackenberge*, mansos duos in *Gunewich*, mansum unum in *Velnceringterpe*, mansos tres in *Rupelo*, mansum unum in *Beblen*, mansum unum in *Veiiterpe*, mansum in *Eslere*, mansum unum in loco maritimo qui *Ullenho* dicitur viginti septem portiones quas *Warscharp* vocant, cum omnibus appenditiis, sylvis, pratis, pascuis, compascuis, aquis aquarumque decursibus, piscationibus, molendinis, viis, inviis, exitibus, & reditibus. Item viginti sex solidos cujusdam decimæ ex dono Episcopi Monasteriensis. Capellam unam in *Beblem* cum omnibus pertinentiis suis, quatuor solidos decimæ in *Millere*, mansum unum in *Clarholte*, duos solidos decimæ in *Huttinghausen*, sylvulam quandam juxta *Hombrinke* de beneficio Comitis Egeberti, cum manso uno infra eandem sylvam posito. Præterea mansum in *Beblenbolte*, duos in *Clarholte*, unum in *Meicherne*, unum in *Edelinckhausen*, unum in *Molenhem* quos à quodam ministeriali Gyselberto cujus fuerant beneficium, sexdecim marcis argenti redemistis, præterea mansum unum quem emistis in *Duninghausen*. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatam Ecclesiam temerè perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fa-

(*a*) Andræas ille, Osnaburgensis Episcopus præsumitur, licet in Syllabo Episcoporum à Cranzio prætermissus; non recensetur etiam in Elencho Monasteriensium præsulum. Andræas ille, ad alterutrum nihilominus, sed maximè ad primum referendus videtur Catalogum.

tigare, ſed omnia integrè conſerventur, eorum pro quorum gubernatione & ſuſtentatione conceſſa ſunt, uſibus omnimodis profutura, ſalvâ ſedis Apoſtolicæ authoritate & Diœceſani Epiſcopi canonicâ juſtitiâ & reverentiâ. Si quæ igitur in futurum eccleſiaſtica, ſecularisve perſona, hanc noſtræ conſtitutionis paginam ſciens contra eam temerè venire tentaverit, ſecundò, tertiòve commonita, ſi non reatum ſuum congruâ ſatisfactione correxerit, poteſtatis, honoriſque ſui dignitate careat, reamque ſe divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & à ſacratiſſimo Corpore & Sanguine Dei, & Domini Redemptoris noſtri Jeſu Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine diſtrictæ ultioni ſubjaceat. Cunctis autem eidem loco ſua jura ſervantibus, ſit pax Domini noſtri Jeſu Chriſti, quatenùs & hîc fructum bonæ actionis percipiant, & apud diſtrictum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Datum Viterbi per manum Roberti Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Preſbyteri Cardinalis & Cancellarii x. Kalendas Junii. Indictione ix. Incarnationis Dominicæ MCXLVI. Pontificatûs verò Domini Eugenii tertii Papæ anno ſecundo.

Charta Arnoldi Oſnaburbenſis Epiſcopi, quâ facultates Præpoſituræ Clarholtenſis *confirmat, Fratribuſque liberam eligendi ſibi Præpoſitum & Advocatum, facit poteſtatem, anno 1175.*

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Arnoldus Dei gratiâ Oſnaburgenſis Eccleſiæ miniſter. Cùm à fonte ſummi boni, nullum bonum irremuneratum relinqui, credendum ſit firmiſſimè, nos ſaluti noſtræ profuturum ſperantes, ſi ſanctæ Dei Eccleſiæ in aliquo prodeſſe, vel honorem ejus promovendo, vel bona à fidelibus ſibi oblata tuendo poſſimus, tam futurorum, quàm præſentium notitiæ patefacere, præſenti ſcripto curavimus, quòd bona quæ Eccleſiæ Beatæ Mariæ & ſancti Laurencii in *Clarholte* ad uſum Fratrum ſub regulari inſtitutione Beatiſſimi Auguſtini inibi viventium, piè ab Ortodoxis eccleſiaſticis ſive ſecularibus perſonnis, ob perpetuam ſui parentumque ſuorum memoriam ibi agendam, ſancto & ſalubri voto collata ſunt à primâ Ipſius Eccleſiæ fundatione uſque ad veſtram vocationem, ſicut privilegio Beatiſſimi Papæ Eugenii communita, & ejuſdem Eccleſiæ ſtabilita ſunt, & ſicut teſtamento ſereniſſimi Imperatoris Lotharii tertii hujus nominis, ſunt confirmata, nec non bonæ recordationis Werneri Monaſterienſis Epiſcopi chirographo roborata, in quibus omnibus eadem bona propriis ſunt expreſſa vocabulis; ita & nos ex divininis nobis injunctæ adminiſtrationis autoritate confirmamus & ſalva atque illæſa ab omni perturbatione fore ex parte Dei omnipotentis ſanximus; ſub ejuſdem quoque tuitionis munimine ea comprehendimus, quæ infra noſtræ Diœceſis terminos tam in ſpiritualibus, quàm temporalibus memorata tenet Eccleſia. Parochiam videlicet in *Clarholte* & curam animarum, decimam de domo quæ *Veſtof* dicitur, quam de beneficio Domini Radolphi de *Stenfort* reſignatam à prædeceſſoribus noſtris acceperunt, trium etiam manſionum decimam, quam eâdem authoritate à laica manu redemerunt, liberam deinceps ſimilis redemptionis ad uſus Eccleſiæ ſuæ in ſingulis terminis habentes facultatem. Igitur ſicut in prætaxatis continetur privilegiis, quaſcumque poſſeſſiones, quæcumque bona eadem Eccleſia inpræſentiarum juſtè ac canonicè poſſidet, aut in futurum quorumcumque piâ largitione ſeu fidelium oblatione, vel quocunque modo factâ decimarum redemptione in ſua parochia præſtante Domino adepta fuerit, integra omnino & illibata in perpetuum uſibus Chriſti pauperum ibidem degentium, conſervari decernimus. Nihilominus quoque ſtatuimus ut de Præpoſito ſibi aſſumendo liberam Fratres habeant electionem, ſimiliter & de Advocato ſibi conſtituendo in ipſorum ſit arbitrio. Si quis autem impoſterum perverſo ductus ſpiritu, contra præmiſſæ conſtitutionis confirmationem venire & eam infringere tentaverit, vel ſæpius memoratam Eccleſiam temerè perturbare, ſeu quibuſlibet vexationibus aut moleſtiis fatigare, præſumpſerit, ſtrictæ animadverſionis anathemati ſubjaceat, quouſque condignæ correctionis ſatisfactionem adhibeat. Denique ut hujus noſtræ traditionis integritas omni ævo poſteritati rata & inconcuſſa permaneat, & atteſtatione præſentis paginæ adnexione ſigilli noſtri roboratæ eam firmavimus, teſtibus adhibitis quorum nomina ſubſcripta ſunt. Wernus Abbas de *Yburgs*. Arnoldus majoris Eccleſiæ Præpoſitus, Thelardus Decanus, Valo Adam, Gerfridus, Joſeph, Dionyſius, Hartgerius Canonici, Comites de *Ravensbergſtein*, & Hermannus Comes de *Tekeneburgs*, Rudolfus de *Stenforde*, Goſcalcus de *Thenbure* cum miniſterialibus Eccleſiæ, Hugone de *Menele*, Everhardo de *Yburch*, Hermanno de *Lothere*, Thydilo de *Mulenſete*, Everhardo de *Winekeſſete*, & aliis compluribus. Actum Dominicæ Incarnationis anno MCLXXV. Indictione VIII. regnante Frederico Romanorum Imperatore Auguſto, invictiſſimo, anno Regni ejus XXIII. Imperii verò XXI. Epiſcopatûs autem Domini Arnoldi Oſnaburgenſis Epiſcopi II. Data *Clarholte* in nomine Domini feliciter, Amen.

Bulla Gregorii IX. pro Clarholto, *an. 1231.*

GRegorius Epiſcopus, ſervus Servorum Dei, Dilectis filiis Præpoſito in *Clarholte*, ejuſque Fratribus tam præſentibus, quàm futuris regularem vitam profeſſis, in perpetuum. Religioſam vitam eligentibus Apoſtolicum convenit adeſſe præſidium, ne fortè cujuſlibet temeritatis incurſus aut eos à propoſito revocet, aut robur, quod abſit, ſacræ religionis infringat. Ea propter, Dilecti in Domino filii, veſtris juſtis poſtulationibus clementer annuimus, & Monaſterium de *Clarholte*, in quo divino eſtis obſequio mancipati, ſub Beati Petri & noſtra protectione ſuſcipimus, & præſentis ſcripti privilegio communimus; imprimis ſiquidem ſtatuentes ut Ordo Canonicus, qui ſecundùm Deum & Beati Auguſtini Regulam, atque inſtitutionem Præmonſtratenſium Fratrum, in eodem Monaſterio inſtitutus eſſe dicitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter obſervetur. Præterea quaſcumque poſſeſſiones, quæcumque bona idem monaſterium in præſentiarum juſtè ac canonicè poſſidet, aut in futurum conceſſione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, ſeu aliis juſtis modis præſtante Domino, poterit adipiſci, firma vobis veſtriſque ſucceſſoribus, & illibata permaneant, in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipſum in quo præfatum monaſterium ſitum eſt cum omnibus pertinentiis ſuis, Eccleſiam de *Clarholte*. Eccleſiam de *Beblen* cum decanatibus ſuis. Eccleſiam de *Lette*, decimas quas habetis in *Dunninghauſen*, in *Holtem*, & *Aldendorp*, Decimas de *Grevene*, de *Huttinghauſen*, de *Quenhorn*, & de *Kudingdorpe* & de *Oſtlinbekte*, decimas in *Havighorſt* & in *Grevinghove*: decimas quas habetis in *Eſlere* & *Spevikenburg*, cum aliis decimis minutis & denariorum redditibus, in *Clarholte* curtim ericutalem cum decima, novam curtim cum decima, curtim in occidente cum decima, curtim in *Herſt* cum decima, manſum in *Norita*

cum decima, curtim *Tydekinek* cum decima, curtim *Vysenil*, mansum in *Velthuff*, mansum in *Ostllarbolte*, mansum in *Varenbolte*, mansum in *Behlenbolte*, in *Lette* curtem unam & mansos quinque, curtem in *Hombrincke*, curtem que dicitur *Frigida curia*, Mansum in *Vesperdorphe*, in *Kudindorpe*, curtim quæ dicitur *Bynckhoff*, & curtim quæ dicitur *Nova Curia* & duos mansos, in *Velmeringtorpe* mansos tres, mansum in *Hoberst*, mansum in *Roketlo*, mansum in *Gunnewich*, mansum in *Dunninghusen*, mansum in *Lutterbecke*, curtim in *Isinghove*, mansum in *Purselingtorpe*, mansum in *Tutorpe*, mansum in *Hedolinghusen*, mansum in *Etlo*, mansum *Todenbosche*, mansum in *Werle*, curtim in *Graffle* cum decima, curtim in *Darphern*, curtim in *Esslere*, reditus salis in *Werle*, in *Gimmere* curtim unam cum decima, molendinum & mansos duos, curtim in *Sandendorpe* cum decima, & mansum unum, mansum in *Hamenheim*. Curtim in *Groppelingen*, mansum in *Vecktorpe*. Curtim in *Versmole*, in *Behlen* curtim, & mansos tres, in *Rupelos* mansum unum, in *Huttinghusen* molendinum & mansos duos, in *Udelinghusen* mansos quatuor, in *Ullenho* mansos tres, & alias terras cultas & incultas, cum omnibus pertinentiis suis. Sanè novalium vestrorum quæ propriis manibus aut sumptibus colitis, de quibus hactenus aliquis non percepit, sive de vestrorum animalium nutrimentis, nullus à vobis decimas exigere vel extorquere præsumat. Liceat quoque vobis Clericos vel Laicos liberos & absolutos, è sæculo fugientes ad conversionem recipere, & eos absque contradictione aliqua retinere: Cùm autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis clausis januis, exclusis excommunicatis & interdictis, non pulsatis campanis, dummodò causam non dederitis interdicto, suppressâ voce, divina officia celebrare, chrisma verò, oleum Sanctum, consecrationes altarium, seu basilicarum, Ordinationes Clericorum qui ad sacros Ordines fuerint promovendi, à Diœcesano suscipietis Episcopo, siquidem Catholicus fuerit, & gratiam & communionem sacro-sanctæ Romanæ sedis habuerit, & ea vobis voluerit sine pravitate aliqua exhibere. Prohibemus insuper quòd nulli Fratrum vestrorum post factam in eodem monasterio professionem, fas sit, sine Præpositi sui licentia, nisi arctioris Religionis obtentu, de eodem loco discedere; discedentem absque communium litterarum cautione nullus audeat retinere. Prohibemus insuper ut infra fines parochiæ vestræ nullus sine assensu Diœcesani Episcopi & vestro, Capellam seu Oratorium de novo construere audeat, salvis privilegiis Pontificum Romanorum, ad hæc novas & indebitas exactiones ab Archiepiscopis, Episcopis, Archidiaconis seu Decanis, aliisque omnibus ecclesiasticis, secularibusve personis, à vobis omnino fieri prohibemus. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decernimus, ut eorum devotioni & extremæ voluntati, qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi fortè excommunicati vel interdicti, aut publicè usurarii sint, nullus obsistat salvâ tamen justitiâ illarum Ecclesiarum à quibus mortuorum corpora assumuntur. Decimas præterea & possessiones ad jus Ecclesiarum vestrarum spectantes, quæ à Laicis detinentur, redimendi & legitimè liberandi de manibus eorum, & ad Ecclesias ad quas pertinent, revocandi libera sit vobis de nostra authoritate facultas. Obeunte verò te, nunc ejusdem loci Præposito, vel tuorum quorumcumque successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutiâ seu violentiâ præponatur, nisi quem Fratres communi consensu vel Fratrum major pars consilii sanioris, secundùm Deum & Beati Augustini regulam, providerint eligendum .... paci quoque & tranquillitati vestræ paternâ imposterum sollicitudine providere volentes, authoritate Apostolicâ prohibemus, ut intra clausuras locorum seu grangiarum vestrarum, nullus rapinam seu furtum facere, ignem apponere, sanguinem fundere, hominem temerè capere, vel interficere, seu violentiam audeat exercere. Præterea omnes libertates & immunitates à Prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus Ordini vestro concessas, nec non libertates & exemptiones secularium exactionum à Regibus & Principibus vel aliis fidelibus rationabiliter vobis indultas, authoritate apostolicâ confirmamus, & præsentis scripti privilegio communimus. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatum monasterium temerè perturbare, aut ejus possessiones auferre vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salvâ sedis Apostolicæ authoritate, & Diœcesani Episcopi Canonicâ justitiâ, & in supradictis decimis moderatione Concilii generalis. Si quæ igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona, nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temerè venire tentaverit, secundò tertiòve commonita, nisi reatum suum congruâ satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo Corpore ac Sanguine Dei, & Domini Redemptoris Jesu Christi, aliena fiat, atque in extremo examine districtæ subjaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus, sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenùs & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant, Amen. Datum Laterani per manum Magistri Martini sanctæ Romanæ Ecclesiæ Vicecancellarii. Sexto Kalendas Maii. Indictione IV. Anno Incarnationis Dominicæ MCCXXXI. Pontificatûs verò Gregorii Papæ noni anno V.

Charta Bartholomæi Episcopi Laudunensis, pro Abbatia Clari-Fontis, *anno 1126.*

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ego Bartholomæus Dei gratiâ, sanctæ Laudunensis Ecclesiæ, minister indignus; quia Domino propitiante, pontificali Cathedræ licet indigni præsidemus, cùm singulis quibusque fidelibus ex Apostolicæ doctrinæ institutione ad omnes, & maximè ad domesticos fidei bonum operari præcipiatur, nobis potissimùm, qui quantò gradûs dignitate altiùs præëminemus, tantò periculosiùs à statûs nostri rectitudine exorbitamus. Necessitas incumbit, ut sic cæterorum curam non negligamus, quatenùs eorum præcipuè qui abjectâ mundi sarcinâ, Deo soli vacant, atque in usu seculi peregrinatione ad patriam festinantibus, ad mundanæ nebulæ caliginem discutiendam, sanctitatis ac religionis exemplo præcipuum lumen præstant, necessitatibus, sollicitudinis vigilantiam exhibeamus, quorum usibus etsi ex proprio concurrere nequaquam sufficimus, aliorum tamen erga eos munificentiam venerari & laudare, atque dignitatis nostræ authoritate corroborare debemus. Notum ergò esse volumus tam præsentibus, quàm futuris, quia cùm in loco qui *Clarus-fons* dicitur, bonæ memoriæ Albericus sub Clericali habitu hereniticam vitam ducere proposuisset, eique Vuido de Guisia in eodem loco magnam partem terræ dedisset; ipse verò Albericus, & se & subditos sibi Fratres, cum loco ipso viri reverendi & spectabilis

lis religionis nostris temporibus Norberti, curæ committere voluisset, illeque humiliter recusasset, post decessum ipsius Alberici petentibus Fratribus, qui in loco remanserant, nos multis precibus ipsum venerabilem Norbertum ut loci illius curam susciperet induximus, terramque priùs à Widone, eo loco traditam, annuente Henrico qui post decessum Widonis viduam ejus Machaniam uxorem habebat, ipsaque Machania concedente, habet. Porro cùm, Domino annuente, loci illius crescente proventu, ad dedicandum illic Oratorium venissemus, Domina Machania cum filiis suis Burchardo, & Godefrido, volente & laudante Baldewino de *Sopeio*, qui in *Lesserius* unde illa possessio hæreditarium jus habebat, totam terram à novali Hansseri usque ad rivum de *Smmerum*, adjuratis etiam officialibus suis ut incertis eam lateribus sicut ad dominium *Lesseriarum* pertinebat, certis limitibus determinarent, Domino Norberto, ejusque Fratribus & subditis eorumque successoribus in eodem proposito permansuris, in eleemosynam dedit, necnon terram de *Lebuis* cujus longitudo à fine terræ Clarifontis usque ad terram *Boverii* extenditur. Latitudo verò inter duos rivos *Bras*, & *Gerbais*, & ultra rivum *Bras* duas carrucatas, annuente Dominâ Machaniâ cum filiis suis. Rogerus de *Heritione* qui eam de eorum beneficio tenebat, eidem famulo Dei ad prædictum locum, annuente uxore ejus cum pueris, necnon fratribus, gratulanter annuit. Et quia tota illa terra in parochia de *Wimius*, cujus altare Canonicorum Beatæ Mariæ Laudunensis Ecclesiæ est, ab ipsis Canonicis hoc obtinuerunt, ut pro decima tam propriæ agriculturæ, quàm nutrimentorum suorum de terra Clari-fontis duodecim nummos, & de terra *Lebnarum* decem & octo nummos census annuatim persolvent, de cætero decimæ ipsius partem illam, quæ ad casam Ecclesiæ pertinet, Domina Oïdela cum filiis suis Adone & Ingelberto, assensu Domini sui Burchardi, de cujus manu beneficium illud descendit, religioso illi viro, subditisque, ac successoribus ejus in eleemosynam libenter obtulit, scilicet, & pro parte illa decimæ quæ Presbytero debita est, Canonici duodecim nummos census, ei quotannis persolvi constituerunt. Hæc ergo efficientia, ut in posterum rata & inconvulsa permaneat, interposito anathemate, præsenti scripto eam firmari præcepimus, testiumque subscriptione ac sigilli nostri impressione roborari præcepimus. Actum Lauduni anno incarnationis Dominicæ MCXXVI. Epactâ xxv. Concurrente III. Indictione IIII. Bartholomæus Episcopus, Lecaldus Archidiaconus, Robertus Decanus. Joannes Capellanus. Bonifacius Diaconus. Paganus Subdiaconus. Bonardus Decanus de *Orini*. Gerardus Decanus de *Fasti*. Adam Presbyter de *Wimiis*. Thibaldus Presbyter de *Anu*. Haimo Presbyter de *Obiis*. Henricus Comes, Domina Machania. Burchardus filius ejus. Godefridus filius ejus. Rogerius de *Heritione*. Balduinus de *Sopeio*. Robertus Mutellus. Rainerus filius ejus. Arnulphus *Calderun*, Walterus *Haid*. Arnulphus de *Heritione*. Ramerus Dapifer. Boverius, Gozeivinus de *Avesnis*. Nicolaus de *Rumini*. Alardus *Vinea de Limais*. Doo major de *Wimiis*. Gilbertus Richerius filius ejus. Robertus de *Stabulis*. Gerardus filius Richildis, Petrus Franciscus. Robertus de *Orniaco*. Hudo de *Erciaco*. Oidela cujus fuit pars decimæ. Retissio, Ado, & Ingelbertus filii ejus. Radulphus major de *Anu*. Arnulphus cognomento Propositus. Waterus miles, Joannes Blaudus. Ego Radulphus Cancellarius relegi.

Charta Bartholomæi Episcopi Laudunensis, pro Ordinatione Abbatis & libertate Clari-Fontis. *1131.*

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ego Bartholomæus Dei miseratione, Laudunensium Episcopus, ad conservandum pacis & unanimitatis vinculum, omnium hominum, si fieri posset, nostræ pastoralitatis attinet cura, maximè eorum qui toto annisu ad supernæ pacis anhelant requiem, & pro suorum Domino famulantur, & omnium remissione peccatorum. Quapropter notum fieri volumus tam præsentibus, quàm futuris, quòd Hugo Abbas Præmonstratæ Ecclesiæ primus, & Fratres ejusdem Ecclesiæ, locum (qui dicitur Clarus-fons) quem in allodio habebant, sicut in eorum Romano privilegio continetur, in Abbatiam pro modo susceptæ professionis secundùm Regulam Beati Augustini, contulerit, & Abbati ibi à nobis ordinato in nostri & nostræ Ecclesiæ præsentia, à seipsis emancipaverit, & liberum concesserit, quæ concessio ne aliquo modo deinceps emutari possit, impressione nostri sigilli confirmari à nobis expetierunt. Actum anno Domini Incarnationis MCXXXI. Indictione IX. Epactâ XX. concurrente III. *Signum* Bartholomæi Episcopi. *S.* Guidonis Archidiaconi. *S.* Lietaldi Archidiaconi. *S.* Bliardi Cantoris. *S.* Gualterii Abbatis Sancti Martini. *S.* Alberici Presbyteri. *S.* Herici Presbyteri. *S.* Rogerii Diaconi. *S.* Joannis Diaconi. *S.* Arnulphi Subdiaconi. *S.* Heritici Subdiaconi. *S.* Bartholomæi Acoliti, Lisiardi Acoliti. *S.* Hugonis Abbatis Præmonstratæ Ecclesiæ, Nicolai Prioris. *S.* Rogeri Presbyteri, Ardwini Presbyteri, Petri Diaconi, Godefridi Diaconi, Hidali Subdiaconi, Thibaldi Subdiaconi, Onulphi Acoliti, Simonis Acoliti. Ego Radulphus Cancellarius relegi.

Bulla Innocentii II. confirmantis statum & Bona Clari-fontis 1138.

INnocentius Episcopus servus Servorum Dei, dilecto filio Gerardo Abbati sancti Nicolai de *Claro-fonte*, ejusque successoribus Canonicè substituendis, in perpetuum. Piæ postulatio voluntatis, prosequente debet studio confoveri, quatenùs & devotionis sinceritas laudabiliter enitescat, & utilitas postulata, vires indubitanter assumat. Interventu itaque venerabilium Fratrum nostrorum Bartholomæi Laudunensis, & Nicolai Cameracensis Episcoporum, tuis, dilecte in Domino fili Gerarde Abbas, justis petitionibus, paternâ benignitate annuimus, & Ecclesiam sancti Nicolai de *Claro-fonte*, cui Domino authore, præsides, cum omnibus suis pertinentiis, præsentis scripti paginâ communimus. In primis siquidem statuentes, ut Ordo Canonicus qui secundùm Beati Augustini regulam & institutionem Fratrum Præmonstratensium, in eadem Ecclesia stabiliter futuris temporibus, ibidem inviolabiliter conservetur. Sanximus etiam ut nulli Fratrum ejusdem Ecclesiæ licentia pateat post factam ibi professionem, absque tuo assensu & Capituli ipsius loci, ad aliam Ecclesiam convolare, nec eundem transmeantem, cuique suscipere liceat, vel tenere, qui etiam si invitatus, canonicèque monitus, recedere noluerit, Abbas in eum Canonicam sententiam proferendi habeat facultatem. Si verò generale interdictum in loco ubi vestra Ecclesia sita est, factum fuerit, exclusis excommunicatis, clausis januis, divina vobis liceat officia celebrare. De-

cernimus in posterum ut quascunque possessiones, quæcunque bona, Ecclesia sancti Nicolai in præsentiarum canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, Domino propitio, acquirere poterit, & Tibi, tuisque successoribus, firma & illibata permaneant, in quibus hæc propriis exprimenda vocabulis duximus.

In Episcopatu scilicet Laududensi, Abbatiam ipsam Clari-fontis cum omni decima, & teragio fundorum sibi adjacentium, scilicet à fonte *Emelim* per novalia Rebonis, Alberti, & Danseri, usque ad viam de *Rosbaïs*, * & ex alia parte à fossis de *Montimbré* per *pulchram quercum* usque ad *siccum Sumerum*, terram etiam de *Bray* cujus terræ longitudo à fine terræ Clari-fontis usque ad terram *Boucoy*; * latitudo verò inter duos rivos, *Bray*, & *Gerbais*, extensa esse cognoscitur. Præterea ultra rivum de *Bray* duas carucatas terræ, quæ omnia infra parochiam de *Wimius* * continentur. In parochia autem de *Lusoir* totam terram, illa quæ est inter *Bray* & *Gerbais*, quam contulit Gileardus cognomento Boverius. Totam etiam terram inter *Braium* & *Sumerum* quæ ad territorium de *Lusoir* pertinet à terra de *Geregnies* * usque ad territorium de *Wamius*, quam contulit Rabodo, uxor ejus Bruna, ac liberi, pro cujus terræ tota decima, tam agriculturæ, quàm educationis animalium Ecclesiæ sancti Petri de *Bucilliaco*, cujus est altare de *Lusoir* duodecin nummi, Ecclesiæ verò sancti Michaëlis duos solidos. Sacerdoti verò *Lusoir* duodecim nummi Valentinensis monetæ annuatim persolvi debent. In parochia verò de *Sorbaïs* allodium quod dederunt Gerardus, & Gofridus filii Hugonis *Malvaïs* assensu matris & fratrum suorum. In Episcopatu autem Cameracensi, terram quæ olim *malusrivus* nunc autem *pulcher-rivus* * nuncupatur, pro cujus fundo heredibus x[cem]. sol. Valentinensis monetæ, pro universa verò ejus decima tam majori, quàm minuta, x[cem]. solidi ejusdem monetæ, Ecclesiæ sancti Michaëlis annuatim persolvuntur. Duas etiam culturas de *Heresiis* * & de *Marcella* ab omni censu liberas. Terram quoque de *Marcella* sub censu duorum solidorum Valentianensium, & duas culturas, unam apud *Heresias*, alteram juxta *Plancam* sub censu quatuor denariorum. Quia verò Fratres communem vitam ducentes, ex aliorum beneficentia, & eleemosyna debent vivere, constituimus ut de laboribus quos propriis manibus, sumptibusve colligitis, decimas cuiquam dare non cogamini. Porro Ordinationes Clericorum, consecrationes altarium vel Basilicarum, seu etiam reliqua Ecclesiastica Sacramenta, à Laudunensi suscipiatis Episcopo, siquidem Catholicus fuerit, & gratiam atque communionem Apostolicæ sedis habuerit, eaque vobis sine pravitate & exactione voluerit exhibere, alioquin Catholicum quemcumque malueritis, adeatis antistitem, qui nostrâ fultus authoritate, quod postulatis indulgeat. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatam Ecclesiam temerè perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet molestiis fatigare, sed omnia vobis integra conserventur, eorum pro quorum gubernatione, & sustentatione concessa sunt, usibus profutura. Si quis sanè ausu temerario, huic nostræ Constitutioni scienter contraire præsumpserit, secundò commonitus, si non præsumptionem suam, congruâ emendatione, correxerit, excommunicationi subjaceat, conservantes hæc autem, omnipotentis Dei & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum &c. Datum &c.

* *Roubaix* nunc Ecclesia parochialis.

* *Boucoy* hodie *Bugny* villa parochiæ de *Roubais*.

Wimius hodie *Vimis* Ecclesia parochialis.

* *Gerenies* parochia.

* Pulcher rivus hodie *Beaurieu* villula in Parochia *d'Estape*.

* *Lersy* Parochia uno milliari à Claro-fonte distans.

Ego Innocentius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

Data per manus Luepori Cardinalis, agentis vices Domini Emerici sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconi Cardinalis & Cancellarii xii. Kal. Januarii Indictione xi. Incarnationis Dominicæ anno MCXXXVIII. Pontificatûs verò Domini Innocentii Papæ secundi anno ix.

Bulla Alexandri III. pro confirmatione eorumdem, anno 1179.

ALexander servus Servorum Dei, dilectis filiis Abbati Sancti Nicolai de *Claro-fonte*, ejusque Fratribus, tam præsentibus, quàm futuris, regularem vitam professis, in perpetuum. Piæ postulatio voluntatis effectu debet prosequente compleri, ut & devotionis sinceritas laudabiliter enitescat, & utilitas postulata, vires indubitanter assumat; Dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & præfatam Ecclesiam in qua divino mancipati estis obsequio, sub Beati Petri, & nostra protectione suscipimus; & præsentis scripti privilegio communimus, in primis siquidem statuentes, ut Ordo Canonicus qui secundùm Deum, & Beati Augustini regulam, atque institutionem Præmonstrati Fratrum, in eadem Ecclesia institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur: præterea quascumque possessiones, quæcunque bona, jam dicta Ecclesia in præsentiarum rationabiliter possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum, vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, propitiante Domino, potuit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus, & illibata permaneant, in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. In episcopatu Laudunensi Abbatiam ipsam Clari-fontis cum omni decima & terragio fundorum sibi adjacentium, à fonte videlicet Emelini per novalia Rebonis, Alberti, & Ansery, usque ad viam de *Robaïs*, & ex alia parte à fossis de *Monte imbra* per *pulchram quercum*, usque ad *Siccum sumerum*. Terram de *Bray* cujus longitudo à fine terræ Clari-fontis usque ad terram Boverii, latitudo verò inter duos rivos *Bray* & *Gerbay* extenditur, & ultra eundem de *Bray* duas carucatas terræ infra parochiam de *Wimiis*, totam decimam de *Wimius* quæ ad casam Ecclesiæ pertinet. Ex dono Boverii in parochia de *Lusoir*, totam terram illam quæ est inter *Bray* & *Gerbay*. Ex dono Rabodonis & uxoris ejus de *Brune* totam terram inter *Braium* & *Sumerum* quæ ad territorium de *Lusoir* pertinet, à terra *Generies* usque ad territorium de *Wimiis*. Ex dono Galfridis *Malvais*, & fratrum suorum, allodium quod ex utraque parte fluvii *Isara* jure hereditario possidebant: in villa quæ *Sorbais* dicitur ab omni exactione liberum & à seculari qualibet donatione, & villicatione penitùs alienum. Tertiam partem decimæ ejusdem allodii de concessione Ecclesiæ sancti Dionysii. Tertiam partem decimæ, quæ pertinet ad altare de *Sorbaco*. Ita tamen ut pro majori decima duos modios frumenti, pro minuta verò duodecim denarios annuos Catalaunensis monetæ solvatis. Pro tertia verò parte quæ Sacerdoti parochiali superest, pro majori decima modium frumenti solvetis: duodecim verò nummos pro minori, ut sic totam decimam supra dicti allodii, quietè & integrè teneatis. De dono Vicelini de *Fasti*, terram quæ dicitur *Mansusféoma* sub censu unius modii frumenti ad mensuram Virumadensem. De dono Bulcardi de Guisia, terragium villæ de *Macunaco* cum media parte rati de *Wodancourt*, piscationem ab *Hiritione* usque Guisiam, & si quid ducere vel reducere, comparare seu vendere, volue-

ritus per totam terram ejusdem Bulchardi, transeatis à vinageo, teloneo, & quâlibet alia exactione omni tempore liberum, omnesque aisentias in sylvis ejus & pascuis. Partem decimæ villæ quæ *Murum fossa* dicitur, quam Walterus de *Popiola* tenebat. De dono Widonis de *Hirtione* tres modios frumenti ad mensuram Guisiensem in terragio ejus de *Wimus* ex concessione Rainardi de *Marli* medietatem totius territorii de *Janctia* pro duobus modiis frumenti annuis ad mensuram Guisiæ; de concessione Willi & Robillardi Fratris ejus de *Hertione* quartam partem territorii supra dicti de *Janctiâ* pro quatuordecim galeis frumenti annuis ad mensuram Guisiæ. Ex dono Gerardi Willici de *Sorbaco* septem galeos frumenti. Ex concessione Ecclesiæ sancti Nicolai de *Pratis* sex modiatas terræ de terra Fulceri pro sex modiis frumenti annuis ad mensuram sancti Wani. Decimam quoque dimidiæ medietatis de terra Gerardi de *Secumcourt* pro uno modio frumenti annuo. Ex concessione Canonicorum Guisensium quidquid habebant in territorio de *Balgencant* pro uno modio frumenti & uno modio avenæ annuis, ad mensuram Virumadensem. Ex concessione Ingellarani Domini de *Cociaco*, liberam potestatem ducendi per totam terram suam quidquid vini aut dabitur, aut ad refectionem & usus vestros emetur, absque vinagio & omni exactione; liberam etiam facultatem alia quæ emeritis ducendi per terram ejusdem ad vendendum & insuper reducendi, & in eadem terra contrahendi absque solutione telonii, & cujuslibet consuetudinis. Ex concessione Ecclesiæ sancti Michaëlis de *Terrachia*, terram sub annuo censu quatuor solidorum Valentinensium liberam ab omni decima, & terragio quidquid terræ est inter utrumque *Sumerum* pro decem solidis annuis Walent. In Episcopatu Cameracensi. Ex dono Stepelini de *Simaco*, terram quæ *bellus rivus* dicitur, sub annuo censu decem solidorum & decimam ejusdem fundi. Ex concessione Ecclesiæ sancti Michaëlis pro decem solidis Valentinensibus annuatim. Ex dono Alardi de *Symaco*, culturas de *Heresies* & de *Marcella* liberas. Ex dono Æmmæ de *Sal*, terram de *Marcella*. De dono Henrici *Bubour* culturas duas unam apud *Heresies* alteram juxta *Plancam*. De dono Hugonis de *Villers*, medietatem allodii quod habebat apud *Villers*. De dono Regerii filii Macharii, molendinum de *Sulcol* cum prato & terra adjacente, pratum de *Lacensis* culturam ad fontem de *Planca* sub annuo censu decem & octo solidorum Valentinensium. Ex concessione Ecclesiæ sancti Huberti Maricolensis, quidquid terræ cultæ & incultæ, & quidquid juris habebat inter duas sylvas *Famam* & *Terraciam*, in agris, sylvis, pascuis, & pratorum redditibus sub censu annuo decem solidorum Valentinensium. Ex concessione Lobiensis Ecclesiæ, terram sui juris cum sylvis, pratis quæ intra jacet terræ Wasaris villæ, & terræ sancti Huberti, & quartariis villæ suæ Bodavii & terram sitam ante portam à terragio & decimis liberam sub censu tantùm solidi Valentini. Ex beneficio Balduini Comitis Anoensis, potestatem liberam in terra sua vendendi, emendi, & mutuandi ad usus vestros, absque vinagio & teloneo. Ex beneficio Nicolai Domini de *Avesnis* liberam potestatem per terram suam eundi, & redeundi absque omni exactione vinagii. Modium unum frumenti ad mensuram sancti Quentini, quem Ecclesia Lisiensis debet vobis annuatim pro terra quam Andreas *Espanes* de allodio suo reliquit vobis in eleemosynam. In episcopatu Noviomensi liberum allodium quod Robertus de *Stabulis*, vobis contulit, in quo sita est curtis *Bulgencam*, & de concessione ejusdem sub annuo censu trium modiorum frumenti ad mensuram Virumadensem campos istos, *Delpomiers*, *Oison*. Culturæ *deperier de Herbuis* de *Strable*, partemque suam de allodio quod commune habebat cum Ecclesia sancti Gervaiii, quod situm est inter *stratam* & curtim supra dictam. Tres campos quos Wardus & Joannes de *Stabulis* vobis de Mansocio dederunt ad nonum manipulum possidendos; terram de *Wiencourt* quam Joannes de *Legeungies* ad nonum manipulum vobis concessit in perpetuum. Terram etiam de *Wiencourt* quam Theodoricus de *Fuisnes* dedit vobis ad duorum modiorum frumenti annuam pensionem. Decimam præfatæ terræ quam Ecclesia sancti Projecti & participes, vobis concesserunt, ab omni exactione villicationis liberam, pro tribus modiis frumenti & modio & dimidio avenæ annuis. Terram quæ *Culturella* dicitur, & duos campos quos Evardus *Pontio* & uxor ejus Albrea & Simon eorum filius, in eleemosynam vobis contulerunt; altare de *Stabulis* cum omnibus pertinentiis suis, de concessione Noviomensis Episcopi. Ex concessione Humolariensis Ecclesiæ sexaginta duas moduatas terræ. Ex terra Roberti de *Spinoit* quam ex Roardo de *Fastis* & ejus heredibus censualem receperat à terragio decima & omni seculari exactione & mansione etiam Ecclesiasticâ, liberam, pensione duorum modiorum frumenti, quam debetis prædictæ Ecclesiæ Humolariensi, exceptâ, ad mensuram sancti Quentini. Ex concessione Ecclesiæ Virmanensis partem illam decimæ, quæ est inter villam ducentem de *Celloroel* ante *Smerum*, & per medias *stabulas* ante *Bocheas* & per medium *bellum tragum* ad viam Cameracensem versus *Bulgencamp*, pro duobus modiis frumenti ad mensuram sancti Quentini; totam terram *Fulcuri* quæ jacet inter *Fillagenes stabulas*, & *Enonumacum* quam Bernardus de *Defillagenes* dedit vobis ad nonum manipulum excolendam; decimam partis ejusdem de eleemosyna Albreæ de *Dalon*, & de campo Walteri hominis partem quam habebant Almuricus de *Fillagenes*, & Gerardus frater ejus in decima de villa quæ est inter *Fillagenes*, & villam quæ ducit ante *Smurum* per *stabulas* ad villam *Crois*. Ex dono Azonis & uxoris ejus, & liberorum suorum campum ad certagum Ecclesiæ, terram illam quæ dicitur ad *Tumuletum Mensendis* quam Hubertus de *Lambresay* dedit vobis sub censu annuo duorum modiorum frumenti ad mensuram Virmandensem. Ex dono Joannis de *Crupilses* modium unum frumenti ad mensuram *Gusiensem*; in molendino suo apud *Crupilias*, duos galetos frumenti quos Richaldis de *Sereis* vobis annuos persignavit super campum qui dicitur ad Rolandi alnetum. Campum qui dicitur *Campus coquinæ* juxta *Bulzencamp* quem Ecclesia sancti Quentini vobis concessit in perpetuum ad tertiam gerbam excolendum; Tres campos quos Ecclesia sancti Folliani pro campo *Engroval* vobis concessit ad tertium manipulum perpetuò possidendos, sine omni decima & terragio, excepto jure messorum sic dictos, *Faltre-fan*, *Alpromerot*; item in exitu *Bello-tragi*. Ex dono Richaldi de *Vilers* & Hugonis Fratris ejus, pratum de *Marisco* & totam culturam positam juxta ipsum *Mariscum* porrectam in longum usque ad terram *Stepelin*, hortulum quemdam in villa ad *Villers*, duos sextarios avenæ, & dimidium annuum solventem, duos quoque capones, & duos nummos, sex nummos quos Hugo *Diiploet* annuatim pro quadam terra, esentiaque ipsius allodii tam in pascuis quàm in aquis & sylvis ad omnes usus in *Bello-rivo* demorantium vendendi & de terra ejiciendi licentiam. Ex dono Alardii Domini de *Simaco*, sylvas & pas-

cuà in perpetuum prout opus habuerint Fratres apud curtem quæ *Bellus rivus* dicitur. De dono Reniraldi & filii ejus Stephani campum *Albi-fontis* & pratum de *Cheveroel*. Ex dono Radulphi *d'Eoa* & filii ejus, campum alium fontis & pratellum unum per quod currit aqua molendini de *Cheveroël* & terram de *Beſeroi*. Ex dono Iſaac de *Oſtreigines* campum alium fontis, & terram quamdam ad curſum aquæ de *Cheveroel*. Ex dono Odilini *Dauphin* campum alium fontis. Ex dono Theobaldi *Chieſtens* campum fontis. Ex dono Radulphi *Machue* pratum de *Cheveroël*, & terram de *Pemival* quæ eſt juxta Bellum-rivum, decimam camporum, Balduini de *Pulia*, & Renaldi *Raugri*. De conceſſione Petri de *d'Alies* totam terram ſuam juxta Bellum-rivum terram videlicet de *Trimuleto*, de *Corileto*, de *Bellun-roi*, de *Maſcelin-ſauz*, campum alium fontis de *Tilignes*, *Alſovel*, deſuper villam ſancti Remigii, ſub cenſu annuo trium ſolidorum. Campum de *Salveneal*, decimam campi qui eſt inter terram Pelini, & vicum qui ducit *Monigenias*. Ex dono Verici campum alium fontis, duo prata inter molendinum de *Cheveroël*. Ex dono Gauderani & Gerbacenſi terram quandam ad curſum aquæ de *Cheveroel* partem pratelli juxta molendinum de *Cheveroel*. De dono Sthepelini de *Simaco* duo pratella de *Gorcigniis*, terramque Theodorici & campum de *Lacroce*. De dono Simonis Præpoſiti unum quartarium terræ ante villam de *Sales*. De dono Iberti de *Sales* duos campos. De dono Girardi Papitionis campum ad Avidis vallem. De dono Alardi de *Sales* campum unum ad *Marcellam*. De dono Richaldis *Boordis* allodium *Delpoiz* liberum. Terram de *Moncellis* ſub annuo cenſu duorum ſolidorum Valentinenſium. Sanè novalium veſtrorum quæ propriis manibus vel ſumptibus colitis, ſive de nutrimentis animalium veſtrorum, nullus à vobis decimas præſumat exigere. Liceat quoque vobis Clericos & Laicos liberos & abſolutos, è ſæculo fugientes, ad converſionem recipere, & eos abſque ullius contradictione in veſtro collegio retinere. Prohibemus autem ut nulli Fratrum veſtrorum poſt factam in eodem loco profeſſionem, ſine Abbatis ſui licentia fas ſit, aliquâ levitate animi, de clauſtro veſtro diſcedere; diſcedentem verò ſine communium litterarum cautione, nullus audeat retinere. Cùm autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis clauſis januis, non pulſatis campanis, excluſis excommunicatis & interdictis, ſuppreſſâ voce, divina officia celebrare, ſepulturamque ipſius loci liberam eſſe decernimus, ut eorum devotioni & extremæ voluntati qui ſe illic ſepeliri deliberaverint, niſi fortè excommunicati fuerint vel interdicti, nullus obſiſtat, ſalvâ tamen juſtitiâ illarum Eccleſiarum à quibus mortuorum corpora aſſumuntur. Decernimus ergo ut nulli omino hominum liceat præfatam Eccleſiam temerè perturbare, aut ejus poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, minuere ſeu quibuſlibet vexationibus fatigare ſed omnia integra conſerventur, eorum pro quorum gubernatione, ac ſuſtentatione conceſſa ſunt, uſibus omnimodis profutura, ſalvâ ſedis Apoſtolicæ authoritate, Diœceſani Epiſcopi Canonicâ juſtitiâ. Si quæ ergo in futurum Eccleſiaſtica ſecularisſve perſona, hanc noſtræ Conſtitutionis paginam ſciens, contra eam temerè venire tentaverit, ſecundò tertiòve commonita, niſi reatum ſuum dignâ ſatisfactione correxerit, poteſtatis honoriſque ſui dignitate careat, & à ſacratiſſimo corpore ac ſanguine Dei & Domini Redemptoris noſtri aliena fiat, atque in extremo examine diſtrictæ ultioni ſubjaceat. Cunctis autem eidem loco ſua jura ſervantibus, ſit pax Domini noſtri Jeſu-Chriſti quatenùs & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud diſtrictum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Datum per manum Alberti ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Preſbyteri Cardinalis & Cancellarii, tertio nonas Novembris, Indictione decimâ tertiâ. Incarnationis Dominicæ anno MCLXXX. Pontificatûs verò Domini Alexandri Papæ III. anno XXI.

Charta Confraternitatis Eccleſiæ Clari-fontis *cum Capitulo* Cymaïcnſi, ***anno 1182.***

Ego Thomas Cymacenſis Eccleſiæ Decanus, totuſque ejuſdem Eccleſiæ Conventus, omnibus tam præſentibus, quàm futuris, in perpetuum. Notum ſit univerſitati fidelium quod Eccleſia de *Cymaco* conceſſit Eccleſiæ Clari-fontis omnes eſentias quæ ſunt de jure ſanctæ Monegundis, in ſylvis & pratis, & aquis, & paſcuis ad uſus curtis quæ *Bellus-rivus* dicitur & ſi evenerit quod in ſylvis præfatæ Eccleſiæ, paſcua de glande fuerint, & alimenta ad uſus porcorum pertinentia, nullum pannagium ſolvet curtis prædicta, de porcis nutritis in ea, & ſi emerit porcos de propria pecunia uſque ad centum, nullum etiam pannagium ſolvet. Conceſſitque Eccleſia de *Cymaco* memoratæ Claræ-fontis Eccleſiæ continua paſcua in perpetuum ad uſus eorum qui in domo de *Merleſart* commorantur, quantùm ad ſe pertinet. Si guerrâ ingruente, Claræ-fontenſes animalia ſua de aliis domibus ſuis ſuper paſcua ſanctæ Monegundis adduxerint, quandiù guerra duraverit, in domibus, paſcuis noſtris, liberè gradientur. Pro hac itaque conceſſione Claræ-fontenſis Eccleſia annuatim circa feſtum ſancti Andreæ, prænominatæ Eccleſiæ Cymacenſi modium frumenti & dimidium modium piſæ, dabit ad menſuram quæ tunc in curſu erat apud *Cymacum*, cùm hoc ſcriptum factum fuit; ſolvetur autem hic cenſus quandiù cum animalibus ſuis in curte *Belli-rivi* manſerint. Et illuc Canonici pro cenſu mittere debent. ſi verò curtis aliquo modo in jus alterius ceſſerit, vel tale quid acciderit pro quo eam relinqui, & animalia inde aufferri oporteat, Eccleſia à cenſu emunis erit quouſque cum animalibus ſuis ad locum ſic priùs inhabitandum redirent. Præterea Dominus Anfridus Abbas, & Capitulum Clari-fontis, & Thomas Cymacenſis Eccleſiæ Decanus, & Capitulum ejuſdem Eccleſiæ, fœdus inter ſe tale conſtituerunt quòd ſi Frater Clari-fontis obierit, Canonicus videlicet, tantùm pro eo faciet Eccleſia Cymacenſis, quantùm pro uno Canonicorum ſuorum facit: & ſi Canonicus Cymacenſis obierit, tantùm de eo fiet quantùm de Canonico Clari-fontis. Si quis hoc violenter, fraudulenter infringere vel contraire voluerit, Eccleſia de *Cymaco* quaſi protetrix & adjutrix, ad ſuam expenſam ubicunque jus fiet, & ubicunque jus erit ire non differet. Hoc ut ratum & inconcuſſum ſine fine permaneat, chyrographo illud munivimus, partemque noſtram ſigillo Clari-fontenſis Eccleſiæ, & ipſius Eccleſiæ partem ſigillo ſanctæ Monegundis & teſtium ſubſignatorum à ſtipulatione confirmavimus. *Signum* Domini Anfridi Abbatis, *S.* Auberti Prioris. *S.* Fulcani Supprioris *S.* Jordani Cantoris. *S.* Arnulphi Sacriſtæ. Signa Balduini, Fulmeri Serandi, Andreæ, Lamberti, Martini, Walteri, Vilelmi, Cellarii, Petri, Joannis Sacerdotum de *Clara-fonte*. *Signum* Thomæ Decani. *S.* Ingelrani Archidiaconi. *S.* Odonis Decani de *Roſeto*, *S.* Alardi, Gerardi, Radulphi Sacerdotum de *Cymaco*. *S.* Magiſtri Nicolai. *S.* Widonis. *S.* Verici. *S.* Ancelmi, Vilelmi Canonicorum de *Cymaco*. *S.* Balduini de *Bulgencamp*. *S.* Roberti de *Mumeigneus* Laicorum de *Claro-fonte*. Actum anno incarnati verbi MCLXXXII.

Charta Compositionis inter Abbatem Varlarensem, & Capitulum S. Lebvini (a) *Daventriensis, super juribus, & limitibus parochiæ S.* Nicolai.

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Amen. Cùm antiquæ constitutionis sive compositionis ordinatio, partibus undecumque inter se dissidentibus interrupta, pro bono pacis reformando, diligenti discretorum solertiâ permutatur, necesse est ut abolitis instrumentis, sive Romanorum Pontificum, sive aliorum Episcoporum, atque his omnibus abjectis, quæ habitæ discordiæ memoriam revocare possunt, novæ forma compositionis novi scripti testimonio innovata fulciatur. Actum est ita, quòd conventualis Ecclesiæ in Daventria Canonici, dum super Capella quadam in monte, intra parochiam eorum sita, adversùs Fratres Varlarenses, qui ad eam procurandam quandoque fuerant vocati, multas querelas actitassent, & hinc inde damnosè diù disceptassent, tandem morâ temporis utriusque partis perturbationem imminuente, conventualis Ecclesiæ Decanus, & Canonici cum Abbate de *Varlare*, & quibusdam ejus Fratribus, in Capitulo Daventriensi amicabiliter consederunt, & compromissione in arbitros factâ, præteritæ liti renuntiantes, formam ab iis ordinatam & præpositam parili voto admiserunt. Statutum est ergo instrumenta, quibus Varlarenses innitebantur, igne consumi, & subscriptam formam perpetuò servari, quæ talis est. Conventualis Ecclesia sicut à fundamentis habuit jus & dominium Parochiæ totalis, obtinens ab australi parte fori, quod vulgo *Brink* dicitur, reliquam partem civitatis, cum villis extra muros, ab *Esven*, in australi parte paludis, quæ vulgari vocabulo *Vene* nuncupatur, positis, Capellæ in monte sub hac conditione concessit, quòd infra terminos hos tantùm, non ultra, Sacerdos montanus, si pro voluntate aliquorum fuerit invitatus, tam in infirmis visitandis, quàm in mortuis sepeliendis, sive parvulis, si parentes voluerint, baptizandis, curam administret, quia liberum relictum est his omnibus arbitrium eligendi utrum à conventualibus, vel eorum Plebano, sive à Sacerdote Montano velint visitari, vel ubi se rogaverint sepeliri. Excipitur ab hac cura, mulierum partu imminente, domi residere debentium oblatio, sive post purgationem earumdem introductio, sponsorum sponsarumque receptio: hæc sibi reservat, & hâc prærogativâ gaudere debet Mater Ecclesia: Quin etiam Plebanus matricis Ecclesiæ, si ab aliquibus fuerit invitatus, liberam habeat præscriptos terminos frequentandi licentiam, ut qui voluerit, eum visitet, ubi sepeleri velit, audiat. Sed Montanus Sacerdos ad omnem suspicionem vitandam, ne vel exhortatione, vel dehortatione suâ damnificari videatur Conventualis Ecclesia, terminos distinctos occasione visitandi, vel vigilias decantandi, nullatenùs egrediatur, nec in exequiis canonicis immisceatur. Quicumque tamen fidelium ubicumque manentium, in animæ suæ remedium, de facultatibus suis ei quicquam largiri voluerit, in pace accipiat. Ad recompensationem igitur damni Canonicorum, quod ex hac distinctione suæ Parochiæ videntur habere Sacerdos Capellæ, præsidens, sexaginta solidos annuatim certis temporibus, videlicet Dominicâ post Circumcisionem viginti solidos: Dominicâ in *Albis* viginti solidos; Dominicâ post Nativitatem Beati Joannis Baptistæ viginti solidos sub tali pœna Canonicis exhibebit; ut si condictis terminis non solverit, Capella sub interdicto sit, dum Diœcesano Episcopo de promissi transgressione & Canonicis de damno satisfaciat, & novissimum assem persolvat. Ut igitur hujus transactionis ordinatio rata sit in perpetuum & inconvulsa, placuit eam in duabus chartis conscribi, unam Domini Trajectensis Episcopi munitam impressione, appendentibus Daventriensis Decani & Capituli sigillis, in monasterio Varlarensi reponi; alteram Domini Monasteriensis Episcopi sigillo, & Abbatis ac Ecclesiæ Varlarensis signo firmatam in Ecclesiâ Daventriensi dimitti. Actum est ita in Capitulo Daventriensi, anno Incarnationis Dominicæ, MCCVI. Indict. IX. Epactâ IX. concurrente VI. Traject. Cathedræ præsidente Domino Theodorico venerabili Episcopo, anno Episcopatûs ejus IX. Testibus, quorum nomina subscripta sunt, præsentibus, Dominus Albertus Livonensis Episcopus, Capellæ in monte dedicator. Jordanus Abbas in *Varlare*, cum Fratribus suis Henrico Priore, & Walderico. Canonici Daventrienses Henricus Decanus, Joannes, Hermannus, Wolterus, Lefordus, Anthonius præsentis chartæ Notarius, Otto, Gerlacus, Rotgerus, Petrus, Theodoricus. Laïci, Arnoldus de *Epse*. Lambertus de *Wotto*, viro, de *Surphene*, Ludolphus Alverici filius, Ludolphus Nicolai filius, Gereboldus, Hartwicus, Christianus Wernerus, Joannes de *India*, Henricus de *Hervesum*, & cæteri quam plures.

Charta Richardi II. Regis Angliæ, pro confirmatione Abbatiæ de Cokersand, *& bonorum ejus.*

REx, &c. Salutem. Inspeximus chartam quam celebris memoriæ, Dominus Joannes quondam Rex Angliæ, progenitor noster, fecit dilecto nobis in Christo Abbati & Conventui Beatæ Mariæ de *Cokersand*, in hæc verba. Joannes, Dei gratiâ, Rex Angliæ, Dominus Hiberniæ, Dux Norm. Aquit. & Comes Andeg. Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Comitibus, Justiciariis, Vicecomitibus, Forestariis & omnibus Ballivis & fidelibus suis salutem. Sciatis me pro amore Dei concessisse Canonicis de *Cokersand* totam pasturam de *Pilin*, habendam & tenendam in liberam, puram & perpetuam eleemosynam, cum omnibus aisiamentis suis. Confirmavimus etiam eis locum de *Cokersand*, cum omnibus pertinentiis suis, in quo fundati sunt, & omnes alias rationabiles donationes eis factas, unde chartas habent, sicut chartæ donatorum rationabiliter testantur. Quare volumus & firmiter præcipimus, quòd prædicti Canonici habeant & teneant prædictam pasturam de *Pilin*, cum pertinentiis, & omnia, sicut prædictum est, liberè & quietè, integrè, plenariè, & honorificè in perpetuam eleemosynam ab omni seculari servitio & exactione, sicut chartæ donatorum quas habent, rationabiliter testantur. Testibus I. Norwicensi. M. Wygornensi Episcopis; R. Comite Leicestriæ. R. Comite Mellenti, Petro de *Pratellis*. Simone de *Patesbulle*. Data per manum H. Cant. Archiep. Cancellarii nostri apud *Gaytinton* XIV. Mart. anno Regni nostri secundo. Inspeximus etiam quandam aliam chartam, quam idem progenitor fecit eisdem Abbati & Conventui, in hæc verba. Joannes, Dei gratiâ, Rex Angliæ, &c. Archiepiscopis &c, salutem. Sciatis nos intuitu Dei & pro salute animæ nostræ, & animarum antecessorum & successorum nostrorum, dedisse & conces-

(a) Collegialis erat Ecclesia, ex alveo S. *Salvatoris* Trajectensis, decimo sæculo educta, in Cathedralem anno 1559 agente Philippo II. Hispaniarum Rege, subvecta. Collapsis motibus Religionis eo Collegio, Capituli & omnium Sacerdotiorum pingue peculium, suo accessu, civitatis ærarium locupletavit.

fisse Deo & Beatæ Mariæ de *Cokersand*, & Abbati & Canonicis ibidem Deo servientibus, duas carucatas terræ cum omnibus pertinentiis suis, de dominio nostro de *Nembigging*, juxta *Singleton*, de quibus percipere solebamus per annum sexdecim solidos, per manum Vicecomitis Lancastriæ, habendas & tenendas eisdem Abbati & Conventui de nobis & hæredibus nostris singulis annis viginti solidos, pro omnibus servitiis & exactionibus ad duos terminos anni; scilicet, ad festum sancti Michaëlis decem solidos; & ad Pascha decem solidos, per manum Vicecomitis Lancastriæ apud Lancastriam. Quare volumus, &c. Data per manum Magistri Richardi de *Marisciis* Cancellarii nostri apud *Fecham*, vicessimo toctavo die Julii, anno Regni nostri decimo septimo &c. Nos autem donationes, concessiones, libertates, franchesias, & quietas clamancias prædictas, & etiam donationem, concessionem, & confirmationem quam Henricus de *Melline*, & hæredes sui fecerunt Deo & sanctæ Mariæ de Hospitali de *Cokersand*, de tota sua parte, de plano ab *Henggestha-laka*, usque ad divisam de *Bikerstet*; & iterum de tertia sua parte de totius *Runnescogs*, usque ad divisam de *Mahgele* usque ad *Henggestha-laka*, in puram & perpetuam eleemosynam, cum omnibus pertinentiis, cum communione dimidietatis prædictæ villæ, liberè & quietè ab omni secularii servitio. Ac etiam donationem, concessionem,& confirmationem quas Joannes de *Hakunesbou*, fecit Deo & Beatæ Mariæ de *Cokersand*, & Fratribus ibidem Deo servientibus, de tota tertia parte totius terræ suæ in *Hakunesbou*, & in *Presbavethe*, quam pater suus habuit, & ipse post ipsum, cum communione & omnibus aisiamentis & libertatibus, quæ continentur in charta Domini Regis, quam habuit in puram & perpetuam eleemosynam liberè & quietè ab omni seculari servitio & exactione in perpetuum. Ac etiam donationem, concessionem & confirmationem quas Tho. filius Siwardi de *Mellings*, & hæredes sui, fecerunt Deo & sanctæ Mariæ, & dicto Hospitali de *Cokersand*, de tota terra, quæ est inter magnam stratam; & divisam à *Symondelmode*, quæ strata............ad vadum quod est *Melling* & *Torp* tendens usque in *Hengarthes laka*. Et de tota sua parte de plano, ab ipsa *Laka*, usque ad divisam de *Bikerstet*; & iterum de tota parte sua totius *Runnescogs*, usque ad divisam de *Artun*, & divisam de *Mahgele*; & de divisa de *Mahgele*, per mossam de *Henggesthes-laka* cum omnibus pertinentiis, in puram & perpetuam eleemosynam cum communione suæ dimidietatis prædictæ villæ, liberè & quietè ab omni seculari servitio. Ac etiam donationem, concessionem, & confirmationem quam Willielmus de *Lancastre* fecit Deo & Beatæ Mariæ de *Cokersand*, & Fratribus ibidem Deo servientibus, de toto bosco suo de *Forton*, & toto dominio suo, cum servitio Henrici filii Willielmi, & omnibus aisiamentis & libertatibus, quæ infra prædictam terram fuerunt, & fieri possent, in puram & perpetuam eleemosynam, liberè & quietè ab omni exactione & seculari servitio, & sicut aliqua eleemosyna liberiùs & quietiùs dari, vel concedi posset. Ac etiam concessionem & confirmationem, quas Joannes *Malherbe* fecit Deo & Beatæ Mariæ de *Cokersand*, & Canonicis Ordinis Præmonstratensis ibidem Deo servientibus, de totis Holmis juxta maram de *Torletun* in * *Lailondesire*, cum omnibus pertinentiis, in puram & perpetuam eleemosynam, liberè & quietè ab omni exactione seculari & servitio per assensum & consensum Prioris & Conventûs Ordinis Cluniacensis de *Fefordia*. Ac etiam donationem & concessionem, & quietam clamanciam & confirmationem, quas Helias filius Rog. de *Hotun*, in *Lailondschire*, fecit Deo & Beatæ Mariæ de *Cokersand*, & Canonicis Præmonst. ibidem Deo servientibus, de tribus carucatis terræ in *Hotun*, in *Lailondeschire*; scilicet de tota villa de *Hotun*, sine aliquo retenemento, tam in servitiis, quàm in hominibus liberis & nativis, cum omnibus aisiamentis, libertatibus, & communionibus quæ in eisdem terris fuerunt, vel esse possent; videlicet bosco, plano, in pratis & pascuis, in moris & mariscis, in piscariis, & piscationibus, & vivariis & stagnis, in viis & semitis, & in omnibus eidem terræ adjacentibus, eisdem Canonicis & successoribus suis, habenda & tenenda in perpetuum quietis & solutis de se & hæredibus suis; ita quòd nec ipsi, nec hæredes sui aliquod jus de eisdem terris exigere possent, præter eleemosynam & orationes: prædicti verò Canonici facient forinsecum servitium Domino Regi, & Dominus prædicti feodi, quantùm pertinet ad....... carrucatas terræ, unde decem carrucatæ terræ faciunt feodum unius militis; pro qua verò donatione & quieta clamantia, prædicti Canonici de *Cokersand*, dederunt sibi centum marcas Esterlingorum; quam quidem donationem & quietam clamantiam, prædictus Helias & hæredes sui warantizabunt prædictis Canonicis, contra omnes homines in perpetuum. Ac etiam donationem, concessionem, & confirmationem, quas Willielmus de *Lancastre*, consensu hæredum suorum, fecit Ecclesiæ sanctæ Helenæ de *Garestang*; & Abbati & Canonicis de *Cokersand*, de quatuor bovatis terræ in villa de *Gairstang* à vado de *Delamespoc*, usque ad rivulum de *Rinersic*, & sic sequendo *Rinersic*, linialiter ultra *Mussam* usque ad vadum de *Tillerdale-holme*; & sic sequendo *Wire* ex parte australi usque in *Belanespoc*; & de terra illa, quæ est juxta Ecclesiam, cum mortuo bosco de *Krikeland*; & similiter concessionem, quam idem Willielmus de *Lancastre* fecit eisdem, & eorum tenentibus, villæ de *Gairstang*, tam qui essent, quàm qui fuerunt de *Honsabold* & *Hoybold*, cum omnibus aliis libertatibus eidem villæ pertinentibus, in bosco, in plano, in pratis, in pascuis, in mussis & scalingis, in puram & perpetuam eleemosynam, liberis & quietis ab omni seculari servitio. Ac etiam concessionem & confirmationem quas Henricus de *Lascy* Comes Lincolniæ, & Constabularius Cestriæ, per quam idem Joannes de *Lascy* concessit & confirmavit Deo & sanctæ Mariæ de *Cokersand*, & Canonicis ibidem Deo servientibus, totam villam de *Hoton* in *Lailondschire*, quam habent ex dono Heliæ filiæ Rogeri; scilicet tres carrucatas terræ cum omnibus pertinentiis suis; scilicet in bosco & plano, in pratis & pascuis, in molendinis & stagnis, in piscariis & piscationibus, & in omnibus aisiamentis & libertatibus, quæ infra divisas ejusdem villæ de *Hoton* fuerunt, vel esse possent, prout chartæ testantur, quas prædicti Canonici habent de eodem Helia; habendum & tenendum de ipso Joanne de *Lascy* & heredibus suis in perpetuum liberè & quietè de secta Curiæ suæ, & pastu servientium suorum, salvo servitio Domino Regi, & cæteris servitiis suis. Ac etiam remissionem & quietam clamantiam quas idem Henricus de *Lascy* de se & hæredibus suis, Deo & Beatæ Mariæ de *Cokersand*, & Canonicis prædictis, de servitio Domini Regis, & cæteris servitiis omnibus, quæ prædictus Joannes de *Lascy* avus suus, per confirmationem suam sibi & hæredibus reservavit, ita quòd prædicti Canonici totam villam de

Hutam prædictam, cum ſuis pertinentiis, ut pleniùs ſupra dictum eſt, habeant & poſſideant ſibi & ſucceſſoribus ſuis, in liberam, puram & perpetuam eleemoſynam, quietam & ſolutam ab omni terreno ſervicio, ſeculari exactione & demanda in perpetuum. Ac etiam donationem, conceſſionem & confirmationem quas Henricus de *Seſton* Clericus, Deo & Beatæ Mariæ de *Cokerſand* & Abbati & Canonicis Præmonſtratenſis Ordinis, ibidem Deo ſervientibus, & eorum ſucceſſoribus, de dominio totius villæ de *Weſt-halton*, cum omnibus pertinentiis ſuis, ſine aliquo retenemento, tam in eſcaetis quàm wardis, releviis, homagiis, ſervitiis, reditibus, & in omnibus aliis rebus quæ ex tunc quocumque modo, caſu, vel ratione prædictæ villæ poſſent evenire, & pertinere, liberè & quietè à ſe & hæredibus ſuis, ſibi & ſucceſſoribus ſuis in perpetuum. Ac donationem, conceſſionem & confirmationem, quas idem Henricus de *Seſton* fecit eiſdem Abbati & Conventui, Canonicis & eorum ſucceſſoribus, de tota tertia parte totius prædictæ villæ de *Halton*, cum omnibus pertinentiis ſuis tam in planis, quàm in boſcis, in moris & mariſcis, in paſcuis & paſturis, in vaſtis & pratis, in parcis & aſſartis, in aquis & vivariis, in ſtagnis & molendinis, in melle & ſpervariis, in fecis & ferinis, in peſſona & herbagiis, & in omnibus aliis pertinentiis ſuis, aiſiamentis, libertatibus, & appruviamentis, quæ fuerunt, vel fiebant, vel ex tunc fieri poſſent infra villam de *Halton*, & extra infra diviſas & metas ejuſdem villæ ſine aliquo retenemento; tenendum & habendum dictis Abbati & Canonicis & eorum ſucceſſoribus in perpetuum, plenariè, integrè, liberè, quietè, bonè & in pace, ſoluta ab omni ſeculari ſervitio, exactione, conſuetudine & demanda. Ac etiam donationem, conceſſionem, & confirmationem, quas Galfridus filius Domini Joannis de *Hucunshoo*, fecit Deo & Beatæ Mariæ de *Cokerſand*, & Abbati & Canonicis Ordinis Præmonſtratenſis, ibidem Deo ſervientibus, de quadam parte terræ ſuæ in territorio de *Presbout*; videlicet tota terra infra has diviſas, ſine aliquo retenemento; ſcilicet de *Loſtockmepul*, ubi crux ſita fuit, rectâ lineâ extenſâ in Auſtro, uſque ad crucem ſuper le *Tonge*; & ſic de illa cruce per quandam foveam inter *Karram* & *le Tonge*, apud Orientem uſque ad aliam crucem ſuper *le Blakelakebanke* ſequendo *le Blakelake*, ex tranſverſo *le Tonge* apud Auſtrum uſque in profundam muſſam; & ex parte Aquilonis de *Loſtokmepul*, rectâ lineâ in Sabulones, & ſic per Sabulones verſùs Orientem uſque ad diviſas dictorum Abbatis & Conventûs: tenendas & habendas imperpetuum dictis Canonicis & eorum ſucceſſoribus, liberè & quietè, integrè, benè & in pace; ita quòd ad eorum libitum prædictam terram circumcludere, foſſare, aſſartare, arare, & omnimoda eorum commoda inde facere, quæ ſibi viderint expedire, ſine contradictione ſui vel hæredum ſuorum. Ac etiam conceſſionem, quam præfatus Galfridus filius Domini Joannis, ſimiliter fecit eiſdem Religioſis, quòd averia eorum tempore æſtivo vel quandocumque neceſſe haberent, ſeu vellent, poſſent ſuper ſabulones uſque ad *Kokir*, tranſire & requieſcere, ſine contradictione aliqua ſui & hæredum ſuorum. Ac etiam donationem, conceſſionem & confirmationem, quas Dominus Edmundus de *Nevill-chivaler*, fecit Deo & Beatæ Mariæ de *Cokerſand*, & Abbati & Conventui ejuſdem loci, ibidem Deo ſervientibus, de tertia parte manerii de *Middleton*, in *Loneſdale*, cum pertinentiis; habéndum & tenendum in puram & perpetuam eleemoſynam præfatis Abbati & Conventui, & ſucceſſoribus ſuis imperpetuum. Ac etiam ratificationem, conceſſionem, & confirmationem quas Willielmus filius Joannis *Haconesholve*, Dominus villæ de *Haconesholve* & *Presholve*, fecit præfatis Abbati & Conventui, & eorum ſucceſſoribus, de quadam charta Galfridi filii Domini Joannis de *Haconesholve*, anteceſſoris ejuſdem Willielmi filii Joannis, per quam idem Galfridus conceſſit & confirmavit Eccleſiæ de *Cokerſand*, & Abbati & Conventui ibidem Deo ſervientibus, omnes terras & libertates quas pater ſuus Joannes de *Haconeſholve*, eis dedit in villa de *Presholve* & *Haconesholve*, ſicut chartæ ipſius teſtantur. Ac etiam conceſſionem quam idem Galfridus fecit eiſdem Abbati & Canonici de tota tertia parte dominii ſui, in villa de *Presholve* & *Haconesholve*, & extra, & per omnia prout in charta Domini Regis, quam idem Galfridus habuit, continetur, in puram & perpetuam eleemoſynam, liberè, quietè ab omni ſeculari ſervitio & exactione ratas habentes & gratas eaſdem omnes & ſingulas donationes, conceſſiones, libertates, francheſias, & quietas clamancias, pro nobis & hæredibus noſtris, quantùm in nobis eſt, Dilectis nobis in Chriſto nunc Abbati & Conventui loci prædicti & eorum ſucceſſoribus, approbamus, ratificamus & confirmamus inperpetuum, ſicut tam chartæ dictorum progenitorum noſtrorum, quàm dictæ chartæ perſonarum dictarum, rationabiliter teſtantur. Præterea volentes eiſdem Abbati & Conventui gratiam in hac parte facere uberiorem, conceſſimus eis & eorum ſucceſſoribus, & hâc chartâ noſtrâ confirmavimus pro nobis & hæredibus noſtris, quantùm in nobis eſt, quòd licèt ipſi vel prædeceſſores aliquâ vel aliquibus libertatum, francheſiarum, vel quietanciarum in ſingulis chartis prædictis contentarum, aliquo caſu emergente, hactenùs plenè uſi non fuerint, ipſi tamen Abbas & Conventus, & eorum ſucceſſores, libertatibus, francheſiis & quietanciis illis & earum quarumlibet de cætero plenè gaudeant & utantur, ſine occaſione vel impedimento noſtri vel hæredum noſtrorum, Juſticiariorum, Eſcaetorum, Vicecomitum, aut aliorum Ballivorum, ſeu Miniſtrorum noſtrorum quorumcumque. His Teſtibus Venerabilibus Patribus W. Archiepiſcopo Cantuarienſi, totius Angliæ Primate, R. London. W. Winton. Epiſcopus . . . . Data per manum noſtram apud *Weſt-monaſterium*, octavâ die Aprilis.

Compoſitio de decimis Parochiarum de Lancaſtre, Pulton, *&* Biſcopheym.

OMnibus Chriſti fidelibus, ad quos præſens ſcriptum pervenerit, Subdecanus Lincolniæ, Prior & Supprior Sanctæ Katerinæ Lincolniæ, ſalutem. Ad omnium veſtrûm notitiam volumus pervenire, nos mandatum Domini Papæ Innocentii III. in hæc verba ſuſcepiſſe, » Innocentius ſervus » Servorum Dei. Dilectis filiis Subdecano Priori & » Suppriori Lincolniæ, ſalutem & Apoſtolicam Be- » dictionem. Ex parte Abbatis & Conventûs ſan- » cti Martini Sagii recipimus quæſtionem quòd » Abbas & Canonici de *Cokerſand* Præmonſtratenſis » Ordinis, Eboracenſis Diœceſis, ſuper decimis & » rebus aliis injuriantur eiſdem: quocirca diſcre- » tioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, » quatenùs partibus convocatis, & auditis hinc in- » de propoſitis, quod juſtum fuerit, appellatione » poſtpoſitâ, diſcernatis; facientes quod decreveritis, » per cenſuram Eccleſiaſticam firmiter obſervari. » Teſtes autem qui fuerunt nominati, ſi ſe gratiâ, » odio, vel timore ſubſtraxerint, per cenſuram eandem, appellatione ceſſante, cogatis veritati te-

» stimonium perhibere. Quòd si non omnes hiis » exequendis potueritis interesse, duo vestrûm ea » nihilominùs exequantur. Data Laterani XIII. Kal. » Junii Pontificatûs nostri anno tertio decimo. » Hujus igitur authoritate mandati partibus in præsentia nostra constitutis, & quibusdam ad utriusque intentionis astructionem propositis, post etiam quasdam altercationes, lis inter eos amicabili compositione conquievit, in hunc modum, videlicet quòd duas partes decimarum bladi in Parochia de *Lancastria*, & de *Pulton*, & *Biscopheym*, super quibus controversiis Abbas & Conventus Sagii percipient; tertiâ parte penès Abbatem & Conventum de *Cokersand* remanente, nec ipsi Abbas & Conventus de *Cokersand*, vel aliquis ex parte ipsorum, prædictas Parochias Abbatis & Conventûs Sagii, ad spiritualia conferenda vel temporalia percipienda, sine licentia & consensu Abbatis & Conventûs Sagii indebitè ingredientur. Si autem dicti Abbas & Conventûs de *Cokersand*, post compositionem illam inter ipsos & Abbatem & Conventum Sagii factam, ex donatione aliquorum, aut aliquo justo titulo, terras aliquas vel possessiones, infra limites prædictorum Abbatis & Conventûs Sagii adquisierint, decimas dictis Abbati & Conventui Sagii, jure Parochiali persolvent, de jure communi persolvendas. Ad hæc sciatis quòd ex utriusque partis consensu, jurisdictionem partes ad istius compositionis observantiam coercendi, si qua illorum contra illam venire voluerit, nobis reservavimus. Facta fuit hæc compositio anno ab Incarnatione Domini MCCXV. In hujus verò rei testimonium præsentis scripti paginam sigillorum nostrorum appositione roboravimus. Ad hoc sciendum quòd Abbas & Conventûs de *Cokersand*, super eadem causa coram nobis impetratis & impetrandis renuntiaverunt.

Compositio inter Priorem & Conventum Lancastriæ, *& Abbatem & Conventum de* Cokersand.

NOverit universitas fidelium, quòd cùm inter Priorem Lancastriæ, agentem nomine sui Abbatis & Conventum Sagiensem ex una parte, & Abbatem & Conventum de *Cokersand*, ex altera, coram Judicibus delegatis apud Lincolniam quæstio verteretur; Priore proponente, quòd idem Abbas & Conventûs, contra compositionem aliquandò inter eos initam, quosdam parochianos dictorum Abbatis & Conventûs Sagii, ad sepulturam in eorum monasterio, in nonnullos qui ipsis Abbati & Conventui de *Cokersand*, serviebant, ad sacramenta Ecclesiastica admiserunt, & ab eis oblationes & personales decimas receperunt, parte ipsius Abbatis & Conventûs de *Cokersand*, se in eis per privilegia Apostolica excusante. Demum partes in præmissis se voluntati Domini Archidiaconi Richemundiæ commiserunt ut ipse super motis questionibus, inter eos amicabiliter ordinet & componat. Qui inspectâ conditione inter eos factâ, & privilegiis ante dictis, statuit ut compositione, cui per privilegia nullatenùs derogatur, in suo robore duraturâ, pœnæ commissæ ab Abbate & Conventu de *Cokersand*, pro eo quòd contra ipsam propositionem venerant, hâc vice penitùs relaxentur. Et quòd ipsi Abbas & Conventûs parochianos Prioris Lancastriæ, sine ipsius licentia, ad sepulturam vel sacramenta Ecclesiastica, scienter de cætero non admittant. Si verò aliquis Parochianus dicti Prioris, apud monasterium de *Cokersand*, sibi elegerit sepulturam, solutis Ecclesiæ, cujus est Parochianus, juribus quæ debentur, Prior requisitus tumulandi eundem, licentiam non negabit, sed ab ejus parochianis, eorum servientibus, per eos oblationes aut personales decimas capi de cætero non permittet. Si verò ipsos Abbatem & Conventum de *Cokersand*, contigat dictam compositionem scienter iterum violare, non solùm ad pœnas ex ipsa violatione commissas, tenebuntur, sed etiam ad eas quæ nec sunt de gratia relaxatæ; nec credatur de parochianis Prioris Lancastriæ in Abbatia de *Cokersand*, continuè servientibus, de quo emitti debeant pro spiritualibus capiendis, sed illis duntaxat qui in grangiis, videlicet de *Karlton* & de *Trefeld*, & de *Stabynhale*, & de *Presheld*, & de *Eslona*, infra parochias dicti Prioris constitutas, servientes, die Paschæ & aliis diebus quibus offerri consuevit, non ad suas parochiales Ecclesias, ut deceret, sed ad monasterium de *Cokersand*, se transferunt, & ibidem contra justitiam offerentes & decimas dantes, defraudent proprias Ecclesias suo jure. Si verò contigerit dictos Abbatem & Conventum de *Cokersand*, de cætero habere aliquas grangias sive mansiones, infra dictas parochias de Lancastria & *Pulton*, servientes in eisdem facient pro se plenariè in decimis personalibus & oblationibus, sicut & faciunt servientes in grangiis prænominatis commorantes; & sciendum quòd ad omnis litigii amputationem, dictus Prior concessit Abbati & Conventui memoratis, quòd ad solvendum decimas de oleribus aut porrectis crescentibus in clauso suo apud *Carlton*, decimas non exiget: si vero granum vel legumen aliud quodcum que severint in eodem, de ipsis solvent decimas fideliter ut tenentur. Et accepta est prædicta ordinatio, à partibus, salvis eisdem Abbati & Conventui suis privilegiis, quoad omnia quæ in compositione prædicta non tanguntur, in cujus acceptationis testimonium partes huic scripto cirographato, signa sua cum signo Archidiaconi appenderunt. Actum apud *Burton* in *Kendal*, V. Kal. Decembris. anno Domini MCCLVI.

Alia Compositio inter eosdem.

NOverit universitas fidelium, quòd cùm Dominus Radulphus de *Truno* Prior Lancastriæ, tam titulo Domini Abbatis Sagiensis, sibi specialiter commisso, quàm authoritate Ecclesiæ suæ de *Pultona*, ad dispersa, si qua fuerint, colligenda, & super hiis modis quibus dictis Abbatiæ Sagiensi & Ecclesiæ de *Pulton* utiliùs esse decreverit paciscendum constitutus, decimam Parochialem de qua pastura in parochia memoratæ Ecclesiæ de *Pulton*, inter *Colecros*, exteriorem foveam Occidentalem, versus *Presbon*, quæ vocatur *Stocpul*; quam quidem pasturam Abbas & Conventus de *Cokersand*, ex collatione Domini Joannis de *Hacunshon*, & Galfridi filii ejus, obtinuerunt, ab ipsis Abbate & Conventu postularet die Jovis, in vigilia Circumcisionis Domini, anno gratiæ MCCLXXI. inter prædictos Dominum Priorem & Abbatem & Conventum, ita convenit, quòd remissis ex parte dicti Domini Prioris, dispendiis inde retro habitis, dicti Abbas & Conventus de *Cokersand*, octodecim denarios ad festum sancti Michaëlis, nomine decimæ, prædictæ Ecclesiæ de *Pulton*, pro prædicta pastura, annuatim persolvent in perpetuum: ita insuper quòd si dicti Abbas & Conventus, dictam pasturam futuris temporibus colere voluerint, dicta Ecclesia de *Pulton*, decimam garbarum totius culturæ quam in ipsa pastura fecerint, plenariè percipiet, unà cum XVIII. denariis annuis supradictis. Et ut hæc compositio

positio in perpetuum irrefragabiliter à partibus teneatur, utraque pars huic scripto hinc inde sigillum suum apposuit, testantibus Galfrido de *Hacunthon*, Amaurico de *Lechampton*, Nic. de Prioratu. Will. de *Benesty*, Gilberto Clerico, Rogero de *Cokersand*, Clerico, & aliis.

Charta Willielmi filii Mich. de* Furnesia *de una portone terræ suæ.

OMnibus sanctæ Matris Ecclesiæ filiis, præsens scriptum visuris vel audituris, Willielmus filius Mich. de *Furnesia*, salutem. Sciatis quòd Ego Willielmus filius Michaëlis de *Furnesia*, dedi, concessi, & hâc præsenti chartâ meâ confirmavi Deo & sanctæ Mariæ, & Hospitali de *Cokersand*, & Fratribus ibidem Deo servientibus, unam portionem terræ meæ de *Thurnum*, cum suis pertinentiis, scilicet illam totam terram per eundem pullum quod descendit de Mossa, in magnum pullum extra antiquam viam.

***De Fundatione Abbatiæ de* Cokersand.**

AD Universorum notitiam perveniat, inter P. Abbatem & Conventum de Leicestria in pratis, & Canonicis de *Cokersand*, ita convenisse quòd jam dictus P. & Conventus de Leicestria, intuitu pietatis & Religionis, dederunt præfatis Canonicis de *Cokersand*, locum in quo domus Hospitalis de *Cokersand*, sita est, in puram & perpetuam eleemosynam, ita ut eis liceat Abbatiam construere, & Abbatem habere, scilicet de tribus rubris usque ad divisum de *Turnham* per mediam mossam &c. Clemens Papa, tertio Pontificatûs sui anno, Domini 1190. confirmavit H. Priori monasterii Hospitalis de *Cokersand*, ut domus sua vocata erit Monasterium Beatæ Mariæ, Ordinis Præmonstratensis, de *Cokersand*.

Charta Willielmi de* Lancastre, *de loco de* Alkelcros, *&c. ad Hospitale manutenendum.

SCiant præsentes & futuri, quòd Ego Willielmus de *Lancastre* dedi, & in puram & perpetuam eleemosynam concessi, & hâc præsenti chartâ meâ confirmavi Hugoni Heremitæ, locum de *Alkelcros*, & *Croc* usque ad pullum, cum omnibus pertinentiis & libertatibus omnibus, ut meam piscariam super *Layn*, & plura si possunt facere, & omnia casimenta in bosco meo ad Hospitale manutenendum. Hoc autem feci consensu & petitione Dominæ Helewisiæ sponsæ meæ, de cujus dote hoc est, liberè & solutè quietè & honorificè ab omni seculari servitio, pro salute animæ meæ & Helewisiæ sponsæ meæ, & hæredum meorum, & antecessorum meorum. His testibus Dominâ Helewisiâ sponsâ meâ, Norm. Dapifero &c.

Decretum Fabii Chisii Neritonensis Episcopi, & sanctæ Sedis per tractum Rheni & inferioris Germaniæ partes Nuntii, cum potestate Legati* de latere, *pro unione* Dunwaldiæ *cum Seminario & Collegio sancti Norberti* Coloniensis, *anni 1643.

NOtum facimus & attestamur quòd anno à nativitate Domini millesimo sexcentesimo quadragesimo tertio, die quidem Mercurii, 20. mensis Maii, Pontificatûs autem SS. D. nostri Urbani Papæ octavi, anno vigesimo, coram nobis personaliter constitutus, admodùm Reverendus D. Pater Norbertus *Horichem*, Abbas monasterii *Steinfeldensis*, Ordinis Præm. per Circariam *Westphalicam* & partes Rheni inferioris, Vicarius generalis & Commissarius Apostolicus, præsentaverit & exhibuerit litteras quasdam translationis, applicationis & dispositionis, per ipsum authoritate Ordinis & paternâ, ac simul potestate ipsi per sedem Apostolicam communicatâ institutæ, sigillatas & subscriptas sub ejusmodi verborum tenore.

F. Norbertus Horichem, *Abbas Steinfeld.* &c.

Post quarum litterarum præsentationem, & receptionem, nobis & per nos, prout præmittitur, factas, fuimus deinde per dictum D. Prælatum vigore earumdem litterarum, ac aliàs quoque requisiti & interpellati, quatenùs translationem & applicationem, seu dispositionem ejusmodi authoritate Apostolicâ, quâ fungimur in hisce partibus, laudare & confirmare eumque in finem ac etiam ad effectum, quatenùs opus, obtinendæ à Sanctissimo D. N. Papa, ulterioris approbationis & confirmationis, seu etiam novæ institutionis, & ordinationis Apostolicæ, probationes & informationes necessarias capere, eisdemque fidem, quam merentur, adscribere, aliaque hâc in parte necessaria, & requisita facere vellemus atque dignaremur. Nos itaque zelum, intentionem, petitionem, & instantiam dicti D. Prælati piam, justam, legitimam & rationabilem fore ac esse, attendentes, veritati fidem attribuere, ac piis & laudabilibus desideriis, quantùm in Domino possumus, secundare, eademque promovere volentes, oblatas probationes, necnon jura, munimenta, documenta & instrumenta ad probationem facientia, & servientia, per dictum D. Prælatum nobis exhibita, recepimus, inspeximus & examinavimus, nec non authenticationem, fidem & integritatem quam habent, & merentur eisdem adscripsimus, & attribuimus, authoritatemque nostram desuper interposuimus aliasque & alia fecimus, prout subsequenter latiùs videre est; mandantes cum hoc magistro Joan. Jacobo Latomo Notario nostro communi, ac specialiter à nobis ad hoc assumpto, ut omnia & quæcunque occasione præmissorum scribenda, registranda occurrent, fideliter scribat ac registret, ac in publicam formam redigat, ac instrumenta necessaria desuper conficiat, prout idem Notarius fideliter se facturum ac morem gesturum firmiter promisit sub juramento, quo sanctæ Sedi Apostolicæ obligatur.

Imprimis D. Abbas & Provincialis, dictas probationes facere volens citra onus superflui, ad quod se non intendit astringere de officio & qualitatibus suis docendo, dixit easdem esse notorias ac de iis existere publicam vocem & famam, seque passim ac palam pro tali reputatum ac habitum fuisse, ac reputari ac haberi, latiùs produxit documentum Vicariatûs seu Provincialatûs, à Reverendissimo Generali & Capitulo Ordinis Præmonst. in personam ipsius nominatim directum, in quo cum plenissima facultate Vicarius Provinciæ Westphaliæ in capite & membris, spiritualibus & temporalibus, constitutus fuit, quod incipit:

Petrus Gossetius, permissione divinâ, Præmonstrati Abbas, Regis Christianissimi Consilarius, & eleemosynarius, totiusque Canonici Præmonstr. Ordinis Caput, pariter & Abbatum ejusdem Capitulum generale, Reverendo Patri ac charissimo Confratri nostro D. Norberto Horichem, *insignis Steinfeldensis monasterii, in Coloniensi Diœcesi, Abbati, salutem.* Finit: *Datum apud Præmonstratum in Laudunensi Diœcesi, nobis ibidem Capitulum generale habentibus. Die 30. mensis Aprilis anno 1663. in quorum fidem ac robur præsentes per Secretarium nostrum subsignari, & sigilli nostri Capitularis fecimus autoritate communiri.* Erat

subscriptum. F. Petrus Gossetius Abbas & Generalis supradictus. Paulò inferiùs. F. Gerhardus Ordinis Secretarius Consistorialis, cum sigillo Capituli generalis dependente.

Item exhibuit Breve Sanctissimi D. N. Urbani Papæ Octavi in forma patente Romæ in Typographia R. Cameræ Apostolicæ an. 1641. impressum, in quo à sede Apostolica D. Abbati Steinfeldensi, omnis & plena potestas datur, omnia faciendi intra Provinciam, quæ Pater Generalis ejusdem Ordinis facere posset in vel extra Capitulum.

2°. Probavit D. Prælatus numerum monasteriorum Ordinis Præmonstr. in Provincia seu Circaria Wesphalica in litteris supra insertis expressum, per notorietatem facti & communem scientiam, & cum hoc exhibuit Catalogos monasteriorum Ordinis manuscriptos & impressos, in quibus numerus supradictorum monasteriorum continebatur, prout sequitur: Steinfeldia, Knechstadium, *Rommersdorff*, *Arnstein*, *Hamburnu*, *Weddinghausen*, Scheida, Seina, *Cappenbergg*, *Varlar*, *Clarholt*, *Reichstein*, *Niderche*, *Wesalien*, *Beselich*, quæ sunt monasteria virorum; *Heinsbergh*, mare S. Gerlaci, *Wenawgia*, *Langwaden*, *Dunwald*, *Fussenich*, *Ellen*, *Aldenburch* Angelica-porta, *Rath*, *Olinghausen*, *Rombeck*. S. Catharinæ in Tremonia Capella juxta Lippiam, quæ sunt Præpositutæ & Prioratus Sororum.

3°. Numerum Religiosorum in monasterio Steinfeldensi Professorum, unà cum designatione parochiarum & beneficiorum Curatorum ab eodem monasterio dependentium.

4°. Existentiam domûs & oratorii publici, ad usum Seminarii Præmonstratensis in hac civitate Coloniensi, propè S. Gereonem situati, probavit per evidentiam facti, & ocularem, quatenùs opus, inspectionem.

5°. Quòd primæva fundatio dicti monasterii *Dunwaldt* pro viris facta fuerit, & viri in eadem Deo servierint, probavit per litteras fundationis, quæ unà cum privilegiis, indultis, documentis, munimentis, juribus & litteris jam dicti monasterii, in antiquissimo codice pergameneo, legali & fidem merente, antiquissimâ manu ordine registratæ continebantur.

6°. Quòd Sanctimoniales ex *Steinfeld* in *Dunwald* missæ, & in locum virorum suffectæ fuerint, probavit præter supradicta ex historia fundationis Steinfeldensis antiquo caractere, & stilo germanico typis impressa.

7°. Quòd Ecclesia de *Dünwaldt* cum jure Baptismi & Parochiæ, ab initio ad Ecclesiam Steinfeldensem pertinuerit, ab eadem dependerit, & ei subjecta sit, & semper plenè subjecta fuerit, probavit præter præmissa per litteras antiquissimas Hugonis Custodis majoris Ecclesiæ Coloniensis, in libro pergameneo supradicto lib. A. 10. registrat.

8°. Quòd dispensatio, & administratio bonorum monasterii Dunwaldensis, & fuerit penes Priorem, sub dependentia ad Abbatem Steinfeldensem, probavit, præter præmissa ex praxi & communi observantia Ordinis Præmonstratensis circa regimen monasteriorum istius qualitatis, quam etiam designavit expressam in Constitutionibus Ordinis hujus renovatio per Capitulum generale anno 1630. Lovanii impressis dist. 2. cap. 25. num. 2.

9°. Quod idem Prior activè & passivè egerit, & conventus fecerit, bona monasterio diversa acquisierit, contractus emptionum, locationum, venditionum, & alienationum celebraverit, & simul sigillo suo subsignaverit, quòdque Prior, & Præfecta super administratione commissa de omnibus, & singulis receptis, & expositis Abbati Steinfeldensi exactam rationem semper dederit, & dare debuerit, probavit ex diversis litteris variorum contractuum, in dicto libro registratis in quibus nomen Prioris principaliter præpositum, & sigillum ejusdem Prioris appositum fuit.

10°. Quòd institutio & destitutio Prioris, Pastoris & Officialium Conventûs in *Dunwald*, sit penes Abbatem Steinfeldensem, & semper fuerit, asserebat constare ex praxi & observantia immemoriali & probari posse confessione moderni Prioris, Pastoris, & Sororum, quatenùs opus.

11°. Quòd Sanctimoniales in *Dunwald* soli Abbati in *Steinfeldt* immediatè profiteantur, obedientiam promittant, asserit constare ex forma professionis earumdem.

12°. Quòd PP. Abbates Ordinis Præmonstr. in locis seu monasteriis Virginum istius qualitatis, si possint, non tamen teneantur novas Sorores recipere, quodque diversa loca seu monasteria Sororum in monasteria virorum aliosque Ordinis usus meliores, sæpius mutaverint, asserit constare ex historiis & praxi Ordinis.

13°. Consensum moderni Prioris Dunwaldensis P. Joannis *Nesselrath* & Priorissæ, ac duarum aliarum Sororum Professarum super mutatione monasterii Dunwaldensis, & applicatione bonorum ejusdem ad usus Ordinis communes, sub eventuali arbitrio D. Abbatis Steinfeldensis, probabat per litteras patentes sub manuali Prioris & Priorissæ & Sororum subscriptione, & sigillo Conventûs Dunwaldensis expeditas, quæ è Germanico in Latinum per eumdem Notarium nostrum jussu nostro versæ erant tenoris sequentis.

Nos Joannes Nesselrath *Prior*, *Elisabetha à* Baur *Priorissa, Anna Margaretha à* Weis *Cellaria, Margaretha à* Vitmundt *monasterii Dunwaldensis Ordinis Præmonstr. Omnibus & singulis, ad quos præsens nostra declaratio & consensus pervenerit, notum esse volumus, qualiter postquam occasione continuò succedentium periculorum bellicorum, & inde illatorum, & perpessorum gravissimorum damnorum & tristissimorum ac turbatissimorum temporum, numerus Conventualium virginum prædictis monasterii plurimùm decreverit, & hinc justus nos timor incesserit fieri posse ut hoc monasterium cum apertinentiis suis, sacro nostro Ordini, contra fundatorum, laudabilis memoriæ, intentionem, in nostrum & Ordinis nostri gravem despectum, præjudicium ac damnum, successu temporis eripiatur: ejusmodi metus omni meliori modo, quantùm in nobis, maturè occurrere volentes scienter consentiamus, ac deliberatè declaraverimus & consenserimus, prout vigore præsentium unanimiter & deliberatè omni modo & formâ meliori, quo in vel extra judicium fieri possit; vel debeat, consentimus, ut casu quo admodùm R. D. Prælatus Steinfeldensis, supra memorati monasterii Dunwaldensis indubitatus Superior & Caput, atque hujus Circariæ Provincialis, deprehenderit aut notaverit, numerum Virginum magis deficere, vel ab antedicta pericula bellorum & temporum injurias commodè & debitè instaurai non posse, ex tunc hoc Monasterium in Conventum virorum ejusdem Ordinis, transformare, vel alio modo in bonum & commodum sacri Ordidis desuper semper ordinare, & taliter disponere valeat ac possit prout notaverit Ordini fore utilius, absque nostra aut alterius cujuscunque, nostro nomine oblocutione aut resistentia: cum expressa tamen præservatione necessariæ vitalitia seu corporalis alimentationis nostræ quam omnes & singula semper in quemcunque eventum, sive citiùs sive seriùs acciderit, ex proventibus hujus*

monasterii ante munia nobis expressè præservamus. In manus testimonium horum præsentem declarationis & consensus nostri scripturam propriis manibus subscripsimus & insuper communi Conventus nostri sigillo scienter firmavimus. Actum in Mon... Dunwald, *id. Februarii anno 1643.* erat subscriptum. *F. Joannes* Nesselrath *Prior in* Dunwaldt, *Elisabeth à* Bant, *Anna Margaretha à* Weis, *Margaretha à* Wirmundt.

Quibus probationibus, modo & ordine quibus supra, factis, quia contenta & narrata litterarum translationis, applicationis & dispositionis partim per superiùs registrata jura, partim ob evidentiam & notorietatem, publicamque vocem, famam, observantiam & Ordinis Præmonstratensis praxim sufficienter probata & justificata, ipsaque documenta, jura litteras, munimenta omnia, & singula propter antiquitatem, formam, aliasque, autentica & legalia deprehendimus; idcirco eadem pro sufficienter recognitis & talibus, quibus in & extra judicium indubia ac plenaria fides adhiberi possit ac debeat, habuimus & habemus, ipsisque autoritatem nostram adscribendam duximus & adscripsimus, insuperque translationem, applicationem & dispositionem per dictum D. Abbatem, & Provincialem, prout præmittitur, institutam authoritate Apostolicâ quâ fungimur laudavimus & confirmavimus, laudamus & confirmamus.

Confirmatio R. D. Augustini Le Scellier *Abbatis Præmonstrati, & Ordinis totius Generalis, anno 1650.*

NOs Frater Augustinus *LE SCELLIER* Christianissimi Francorum Regis Consiliarius, & Eleemosynarius, Dei & S. Sedis Apostolicæ gratiâ Præmonstrati humilis Abbas, totiusque Canonici Præmonstr. Ordinis ac Reformator Generalis. Notum facimus omnibus & singulis, quorum intererit, & testamur per præsentes, quòd ex parte Reverendi admodùm D. Norberti *Horichem* Abbatis Steinfeldensis, nostri per Circariam Westphaliæ & Rheni tractum Vicarii generalis, totiusque Conventûs Steinfeldensis, debitâ cum instantia requisiti fuerimus, quatenùs unionem, translationem seu applicationem partis proventuum monasterii, seu Prioratûs Dunwaldensis, olim Sanctimonialium ejusdem Ordinis nostri Præmonstratensis, Diœcesis Coloniensis, territorii Montensis, ad usum perpetuum Seminarii seu Collegii Religiosorum dicti Ordinis, sub invocatione S. Norberti intra civitatem Coloniensem erecti, per ipsummet exponentem, ante nostram ad Generalatum assumptionem, & eo quidem tempore quo Generalatu Ordinis vacante, ipse authoritate Apostolicâ cum potestate & authoritate Generalis Circariæ Westphalicæ præerat, sub certis conditionibus in vim potestatis supradictæ & juris Paternalis, aliorumque in Ecclesiam Dunwaldensem competentium jurium institutam, apostolicè confirmatam, & à sacra Congregatione de propaganda fide in perpetuam protectionem susceptam, prout latiùs in documentis, & munimentis desuper in forma erectis, nobisque exhibitis, contineri asserebatur, authoritate nostrâ & Ordinis, cui præsidemus, probare, ratam habere, in quantùm opus est aut foret, confirmare vellemus & dignaremur: Cui requisitioni uti æquæ & rationi consentaneæ deferre volentes, supra dicta documenta ac munimenta ad præfatum finem coram nobis producta, sequenti ordine inspeximus: Primò quidem exhibebatur nobis documentum seu litteræ in pergameno sub dependentibus Abbatiæ, & Conventûs Steinfeldensis sigillis in cera viridi, sub data Coloniæ die 9. Aprilis 1643. quibus supra memorata unio, incorporatio seu applicatio partis proventuum Ecclesiæ Dunwaldensis in dotem perpetuam Seminarii S. Norberti, omnisque alia dispositio cum dilucida rationum seu causarum moventium enarratione referebatur; deinde litteræ confirmatoriæ Illustrissimi & Reverendissimi D. Fabii Chitii Episcopi Neritonensis, S. Sedis Apostolicæ per tractum Rheni & inferioris Germaniæ partes cum potestate Legati *à latere*, Nuntii, datæ Coloniæ 23. Maii 1643. in pergameno cum manuali subscriptione & sigillo in cera rubea ex filis sericis coloris viridis dependente, quibus officii divini in loco *Dunwald* & Seminario celebrandi, uti & proventuum partitio juxta distributionem, in documento factam, sicut etiam sexûs ad sexum translatio, totaque dispositio in suprà allegato documento expressa, post sumptas de ordine & mandato suæ celsitudinis informationes super subsistentia omnium & singulorum in eodem documento narratorum, atque in Rotulo, manu ac sigillo bene memorati Domini Nuntii Apostolici roborato, similiter nobis exhibito, comprehensorum, quæ vera, fundata & legalia deprehensa fuerunt, autoritate Apostolicâ laudabantur, approbabantur & confirmabantur; tertiò litteræ Sanctissimi Domini Urbani Papæ VIII. in forma Brevis sub annulo piscatoris & signatura M. A. Maraldi de data Romæ die 22. Decembris 1643. quibus Seminarium præfatum S. Norberti ex bonis seu proventibus sæpè dicti monasterii Dunwaldensis erectum & approbatum in suæ Sanctitatis & S. sedis Apostolicæ, ac sacræ Congregationis Cardinalium de propaganda fide protectionem suscipitur, insuperque facultas, potestas & autoritas tam Abbati & Conventui Steinfeldensi, quàm Congregationi Præmonstratensi, omnia & singula in erectione dicti Seminarii & illius confirmatione contenta, immutandi, alterandi, seu circa ea aliter disponendi & dispensandi, sub pœnis in eodem Brevi expressis adimitur; tandem instrumentum realis & actualis possessionis in *Dunwald* per Fratrem Hermannum *Wilckens* Seminarii pro tempore præsidem, assensu & voluntariâ Prioris loci & duarum Sanctimonialium superstitum deoccupatione & cessione, solemniter in præsentia Notarii ac testium die 4. mensis Aprilis 1644. apprehensæ sub manu & signo Petri Lepperii Notarii Apostolici expeditum; quas quidem litteras omnes & singulas prævià diligenti dicussione, omnique, quà licuit & par est, sedulitate inspeximus, examinavimus, integras, sanas, legales, debitè expeditas, nullâque sui parte vitiatas deprehendimus, & idcirco habito respectu ad ordinationem sedis Apostolicæ, cujus supremæ autoritati nos quâ par est obedientiâ & humilitate, libenter deferimus, habito insuper intuitu earumdem litterarum, nec non consideratione fructûs ac commodi spiritualis in bonum & utilitatem Ecclesiæ Catholicæ, salutis animarum & signanter Ordinis nostri Præmonstratensis, cui animarum cura per suos alumnos exercenda, vi instituti incumbit, ex ejusmodi Seminarii erectione resultantis, applicationem & assignationem partis proventuum Ecclesiæ Dunwaldensis in dotem perpetuam Collegii S. Norberti de loco ad locum, de sexu ad sexum, translationem, omnemque dispositionem, in supra memoratis documentis, munimentis seu litteris comprehensam, cum omnibus & singulis clausulis, conditionibus, præservationibus (salvâ tamen nostrâ, & Capituli nostri generalis quâ in omnibus, & singulis Ordinis Ecclesiis utimur, in Ecclesiam Dunwaldensem, ipsumque Seminarium seu Collegium sancti Norberti superioritate & jurisdictione) præmissâ maturâ delibera-

tione, auditâ quoque relatione Fratris Bonaventuræ de *Teux* nostri Secretarii, vitâ nuper functi, qui etiam loca ipsa ex nostra commissione oculariter inspexit, nostro & Ordinis nostri nomine, probavimus, laudavimus, ratam & gratam habuimus, prout probamus, laudamus ratam ac gratam habemus, & quatenùs opus potestate, & authoritate nostrâ, in Dei nomine confirmamus per præsentes, inhibentes cum hoc sub pœnis Ordinis & nostra arbitraria, omnibus & singulis, utriusque sexûs nobis subjectis, cujuscunque statûs, aut conditionis fuerint, ne sæpè dictam dispositionem & applicationem quovis colore, vel ausu impugnando, Seminarium seu Collegium S. Norberti, in suojure lædere, aut in pacifica possessione turbare præsumant. In quorum omnium & singulorum fidem præsentes manu propriâ, & Secretarii nostri subscriptas, sigilli nostri jussimus appensione communiri. Datum Parisiis in Collegio nostro Præmonstr. die vigesimâ quartâ Novembris anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo.... Augustinus *Le Scellier* Abbas Præmonstratensis & Generalis (L. S.) de mandato Reverendissimi Domini D. mei Abbatis Præmonstr. & Generalis F. Philippus *Baeve* Secretarius.

Bulla Alexandri VII. pro unione Dunvaldiæ *Seminario S. Norberti* Coloniensis *1655.*

ALexander P P. VII. Ad futuram rei memoriam. Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Abbas monasterii Steinfeldensis Ord. Præmonst.; quòd aliàs tunc existens Abbas dicti monasterii Seminario seu Collegio Canonicorum Regularium ejusdem Ordinis cum Oratorio publico sub invocatione S. Norberti, in civitate Coloniensi instituto, partem fructuum, redituum, & proventuum monasterii de *Dunwaldt* Monialium, ad alia ejusdem Ordinis Claustra translatis, ac illis de honesta & decenti alimentatione provisis, de ipsarum Monailium, nec non dilectorum pariter filiorum Conventûs dicti monasterii Steinfeld. & aliorum non nullorum interesse habentium consensu, dotis nomine perpetuò assignavit, quam dotis assignationem, & alia per eundem Abbatem circa statum monasterii de *Dunvaldt*, ac Seminarii seu Collegii hujusmodi ordinata & disposita, Nos tunc in minoribus constituti & munere Nuncii Sedis Apostolicæ cum potestate Legati *de latere* in illis Partibus fungentes, præviâ causæ cognitione, confirmavimus & approbavimus, & alias prout in litteris desuper à nobis die XXIII. Maii MDCXLIII. emanatis uberiùs continetur. Cùm autem, sicut eadem expostio subjungebat, dictus Abbas exponens, qui, ut asserit, Seminarii seu Collegii præfati immediatus Superior existit, præmissa, pro firmiori illorum subsistentia, Apostolicæ confirmationis nostræ robore communiri plurimùm desideret; Nos dictum Abbatem specialibus favoribus & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis & interdicti; aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis, à jure vel ab homine, quâvis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum presentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis, inclinati, nec non præfatarum litterarum tenorem, ad Seminarii seu Collegii, præfatorumque fructuum, reddituum, & proventuum veros annuos valores secundùm communem æstimationem, & alia etiam speciali expressione digna, præsentibus pro plenè & sufficienter expressis habentes, assignationem partis fructuum, redituum, & proventuum monasterii de *Dunvaldt* hujusmodi ad favorem ejusdem Collegii seu Seminarii, ut premittitur, factam, dictasque litteras cum omnibus & singulis contentis in illis, Apostolicâ authoritate, tenore præsentium, confirmamus & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes & singulos juris & facti defectus, si qui in eis quomodolibet intervenerint, supplemus, decernentes præsentes litteras semper firmas, validas & efficaces existere & fore, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, in omnibus, & per omnia perpetuò plenissimè suffragari, sicque in præmissis per quoscunque judices ordinarios & delegatos, & causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari ac definiri debere, ac irritum & inane si secùs super his à quoquam, quâvis authoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstante nostrâ & Cancellariæ Apostolicæ regulâ de similium applicationum confirmaotinibus committendis, ad partes vocatis quorum interest, & de exprimendo in illis vero valore, nec non Lateranensis Concilii novissimè celebrati, uniones perpetuas, nisi in casibus à jure permissis fieri prohibentis, aliisque Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis & quatenùs opus sit, Ord. & monasterii de *Dunwaldt*, hujusmodi etiam juramento Confirmatione apostolicâ, vel aliâ quavis firmitate roboratis, statutis & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis & litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis & innovatis, quibus omnibus & singulis illorum tenores præsentibus pro plenè & sufficienter expressis & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die IX. Novembris MDCLV. Pontificatûs anno primo.

Confirmatio Unionis facta à Capitulo generali Ordinis, anno 1657

AUgustinus *Le Scellier* Christianissimi Francorum Regis Consiliarius & Eleemosynarius, Dei & S. Sedis Apostolicæ gratiâ Præmonstrati Abbas, totiusque Ordinis Præmonst. Capitulum Generale legitimè congregatum; omnibus præsentes visuris salutem. Notum facimus & attestamur quòd post factam expositionem & notificationem venerabilis Fratris Præsidis Coloniensis, petentis unionem monasterii de *Dunwaldt* ad Collegium S. Norberti in urbe Coloniensi Apostolicâ autoritate factam; & admissam à Capitulo generali pariter approbari, commiserimus R. Domino Nicolao *Guinet* Abbati Mussipontano, examen scripturarum desuper porrectarum; qui omnibus diligenter excussis, retulit in modum sequentem.

Reverendissime D. Generalis, ac Assistentes Prælati Reverendissimi, pro injuncto mihi munere commissas publicas informationum tabulas ac eò pertinentes acceptationes, confirmationes, etiam Apostolica Brevia diligenter legi, & attentè inspexi. Continent hæ laudatissimam unionem & incorporationem Prioratûs B. Virginis & S. Nicolai de Dunwaldt, *sive adjunctionem Seminario Norbertino in urbe Coloniensi. Fuit hic Prioratus Insigni Steinfeldensi monasterio ab immemoriali tempore immediatè subjectus. Erat verò initio suæ fundationis anno scilicet millesimo centesimo decimo*

septimo, ab Hainderico Fundatore pro sustentatione virorum inibi Sacramentorum Ecclesiæ Christi fidelibus ministrandorum causâ, habitantium, destinatus, & à Friderico Archiepiscopo hâc lege acceptatus.

Postea tamen per Præpositum sive Prælatum Steinfeldensem fuerunt ibi Moniales introductæ sub obedientia ejusdem quam ei in professione spondere solebant. interposito tamen monasterio Prioris, ab eodem instituendi juxta sacras leges Ordinis Candidissimi. Est hic Prioratus introituum, ut aiunt, sive redituum, modò tamen sint quieta & pacifica tempora, mille trecentorum Imperialium talerorum, id est circiter, sed ad summum, quatuor millium librarum Turonensium sive Francicarum, ita ut quovis tempore vix ad illam summam plenè pertingere possit, his verò bellorum temporibus circiter ad tertiam partem.

Tribus maximè de causis visa est hujusmodi translatio, adjunctio, unio sive incorporatio facienda.

Prima. Quia Prioratus ille situs comperitur juxta sylvas & viam publicam, devastationibus militum & prædonum expositus, ac ab iisdem sæpius expoliatus, exhaustus, & omninò depauperatus, ita ut huc usque Sanctimoniales à viginti & ampliùs annis, interpolatis vicibus, mediâ ferè tanti temporis parte, Coloniæ in diversis conductis ædibus remanere coactæ fuerint.

2°. Quod per ejusmodi devastationes sint ædificia plerumque diruta, Prioratus ære sit alieno gravatus ad summam bis mille quingentorum Imperialium, id est octo millium & quingentarum librarum Turonensium, sive Franciarum, ac consequenter non possit juxta mentem Concilii Tridentini in urbem transferri, & reædificari pro Sanctimonialibus tutiùs collocandis, imo cùm restent solummodo Priorissa cum duabus Sororibus, non possunt oneribus divinorum officiorum satisfacere, nequeunt pariter aliæ illis adjungi, cùm nulla se offerat, sitque unica professa admissa à viginti annis; additur, probaturque in actis publicis, & adjunctis, non esse insolitum in Ordine, ut monasteria Monialium, præsertim ea, quæ initio fundationis pro viris destinata fuerant, juxta primævam originem rursus in monasteria virorum converterentur.

3°. Causa est utilitas & necessitas Seminarii in Provincia Westphaliæ quæ continet Canonicorum monasteria quindecim, Canonicarum quatuordecim, à quibus amplissimæ Parochiæ dependent, quas etsi pro majori parte hæretici occupent, tot nihilominus supersunt, ut numerus animarum Catholicarum curæ ordinariæ Canonicorum hujusmodi subjectarum, extet ad triginta millia, inter quæ pro solo celeberrimo Steinfeldensi monasterio, numerare licet ad novem circiter millia: messis ergo multa, operarii autem non pauci sed multi sunt conquirendi & efformandi, quod feliciter præstari posse per Seminarium prædictum certè existimandum est, præsertim cùm tam maturo judicio, & tam discretis & circumspectis consultationibus ac deliberationibus eximiorum virorum, qui in hoc opere adlaborarunt sit inceptum, ut tanquam suprà firmam petram fundatum, si ruant venti & fluant flumina, non possunt illud movere unquam.

Erat quidem jam à Reverendissimo Domino Abbate Steinfeldensi ante annos viginti quatuor inceptum, ædificia aliquot extructa & aptata sed nonnisi alendis Canonicis quatuor, vel quinque sub præsidio unius Regularis Sacerdotis, ob redituum tenuitatem sufficiens, hâc unione abundantiùs est provisum, & hujusmodi unionis conservandæ & augendæ in bonum, & melius, leges fundamentales sunt præscriptæ, ut sequitur.

In primis ibi habitantes satisfacere debent oneri divini officii secundùm moderationem, & directionem Abbatis Steinfeldensis pro tempore existentis.

Medietas redituum destinatur ad sustentationem duorum Sacerdotum, quorum alter œconomiæ, alter Pastoralis curæ munera debent subire, & exercere; ac etiam ad sustentationem trium Sanctimonialium restantium quo ad vixerint, ad alia tamen monasteria mittendarum, medietatis residuum ad exsolutionem debitorum. Medietas altera ad sustentationem scholarium illuc mittendorum ex Steinfeldensi, in quo sexaginta Professi etiam nunc reperiuntur. Post mortem verò dictarum Monialium & exsolutionem debitorum, quæ ex medietate prima memorata ob id applicabantur, applicanda erunt deinceps ad sustentationem scholarium ex aliis monasteriis Provinciæ Westphaliæ mittendorum, remittendorumque ad nutum & discretionem Abbatis Steinfeldensis, & non aliàs, nec aliter; salvo & sic, & in omnibus jure Patris Abbatis Steinfeldensis, ac Capituli generalis, cui immediatè subjectum erit ejusmodi Seminarium, in casu, quo dictus Pater Abbas Steinfeldensis ac alii Administratores à recta administratione deviarent contra leges & circumstantias præscriptas & memoratas ad effectum earumdem conservandarum, & manutendarum. Facta est hæc unio nonâ Aprilis anno millesimo sexcentesimo quadra gesimo tertio per Reverendissimum Abbatem Steinfeldensem authoritate tum ordinariâ, tum Apostolicâ, sibi tempore Generalatûs vacantis commissâ, de consensu eorum earumque, ad quas pertinebat, probata per has informationes & authentica.

Confirmata per Reverendissimum, & Illustrissimum Nuntium Apostolicum Fabium Chisium amplissimis informationibus præviis, in quibus probantur tales consensus, vigesimâ tertiâ Maii ejusdem anni. Solidata per Brevia S S. Pontificum Urbani & Alexandri, quorum alterum datum Romæ apud S. Petrum anno millesimo centesimo quadragesimo tertio die vigesimâ secundâ Decembris: alterum die nonâ Novembris anno 1655. Acceptata, & in quantùm opus foret confirmata, maximâ adhibitâ circumspectione, per Reverendissimum Augustinum le Scellier *Abbatem Præmonstrati & Ordinis Generalem 24. Novembris 1650. Ex his omnibus patet, quod unio in fine, in intentine, in executione, in materia, in forma, sit perfecta, ac omnibus numeris absoluta, & ab amplissimo Reverendissimoque Generali Capitulo ambabus ulnis amplectenda, laudanda, acceptanda, confirmanda. Sic attestor Nicolaus* GUINET. *Abbas Mussipontanus, Capituli generalis Definitor, causæ Commissarius & Referendarius.*

Auditâ Relatione R. D. Nicolai Abbatis Mussipontani coram omnibus capitulariter congregatis de mane, die quintâ Maii 1657. factâ, quâ exponebatur status monasterii Dunwaldensis & Collegii S. Norberti Coloniensis Capitulum gratam & ratam habuit, & habet unionem factam monasterii, Dunwaldensis ad dictum Collegium S. Norberti in urbe Coloniensi situm, juxta conditiones in ipso unionis instrumento insertas. Videlicet quòd officii divini pensum per Sorores in *Dunwaldt* præstari solitum, in Seminario seu D. Collegio complebitur, cum perpetua fundatorum & benefactorum commemoratione, ita ut Religiosi in Seminario pro tempore futuri, præter quotidiana sacrificia horas quoque Canonicas in Oratorio publico, ritu & tempore in legibus Seminarii præscriptis, sive præ-

ſcribendis, vocaliter in dies perſolvere teneantur, quamdiu, & quouſque dicta vocalis & ſimultanea Horarum recitatio ſacrorum ſtudiorum progreſſum judicio Abbatis Steinfeldenſis non impedierit, prout de facili nunquam impediet. In loco autem *Dunwalde* tres aut ad minus duo, Religioſi Sacerdotes manebunt, ac perpetuò reſidebunt, quorum unus curam œconomiæ ad utilitatem Seminarii, alter parochiæ ſuſtinebit, quique quotidie ſacroſanctum Miſſæ officium pro fundatoribus & benefactoribus ibidem Deo offerent, ita ut cultui divino nihil prorſus decedat, ſed potiùs quo ad locum ſolummodò diviſo detur incrementum; medietas una proventuum Dunwaldenſium uſibus Religioſorum è monaſterio Steinfeldenſi, uti Eccleſia matrice ſeu majore, & ampliorem Religioſorum numerum, ac animarum curam habente mittendorum, perpetuò inſerviet, altera medietas in ſuſtentationem vitalitiam Sororum ſuperſtitum, & ſolutionem æris alieni, atque ſuſtentationem duorum vel trium Sacerdotum ſupra dictorum impendetur. Quidquid autem proventuum dictæ medietatis ære ſoluto, Sororum quæ advixerint alimentationi, & illis mortuis Sacerdotum ſuſtentationi ſuperfuerit, id totum ſupradicto Seminario ad uſum Religioſorum ex aliis monaſteriis ejuſdem Ordinis & Provinciæ, juxta diſpoſitionem Abbatis Steinfeldenſis mittendorum, applicabitur, cum hac expreſſa cautela, quòd proventus illi omnes & ſinguli, ut etiam alii Seminario impoſterum aſſignandi, pro ut indubiè per alios Prælatos in augmentum Seminarii ſemel inchoati, ſucceſſu temporis plures aſſignabuntur, pro parte vel toto per Abbates Steinfeldenſes, vel quoſcumque alios aliis monaſteriis, ſeu uſibus privatis, quovis colore aut prætextu appropriari nequaquam poſſint, vel debeant, ita ut caſu quo Seminarium quocunque modo vel eventu deficere, vel negligi contingeret, proventus memorati immediatæ diſpoſitioni Capituli generalis dicti Ordinis ſubeſſe, & non niſi communibus Provinciæ uſibus in promotionem ſacrorum ſtudiorum, applicari debeant; cura verò, adminiſtratio, ordinatio, aliave quævis diſpoſitio Seminarii, vel in eo exiſtentium, erit & manebit penes Abbatem Steinfeldenſem, qui Præſidem & Procuratorem inſtituendi, ac pro arbitratu amovendi, ſtudentes Religioſos admittendi, & quoties expedire judicaverit, ad monaſteria, unde venerant, remittendi, villas, agros, vineas elocandi, omneſque fructus, & emolumenta ad uſum Seminarii duntaxat impendendi, modum & regulas præſcribendi, exactamque rationem, de temporalibus diætim acceptis & expoſitis, tam à Præſide & Procuratore quàm à Sacerdotibus in loco de *Dunwalde* manſuris exigendi & ſibi reddi faciendi, plenum ſemper jus & omnimodam authoritatem habebit & retinebit. Et conſenſit ac conſentit idem Capitulum generale, quòd dicta unio ſuum integrum ſortiatur effectum, & in perpetuum valeat, & robur habeat. In quorum omnium fidem & robur, præſentes manu Secretarii noſtri ſubſcriptas, ſigilli item noſtri Capitularis juſſimus appreſſione communiri. Datum Præmonſtrati ſedente Capitulo generali die undecimâ Maii 1657.

F. Philippus *BARRUR* Abbas Dompmartinenſis. Dominicus Abbas Wilthinenſis.

F. Gregorius *DUFROQUE* Capituli generalis Secretarius.

Inſtrumentum Venditionis pro ædificatione Collegii Pariſienſis. 1252.

UNiverſis præſentes litteras inſpecturis, Officialis Curiæ Pariſienſis, ſalutem in Domino. Noveritis quòd in præſentia noſtra conſtituta Domina Gila, dicta de *Honſel*, Civis Pariſienſis, vidua, olim uxor defuncti Joannis Sarraceni, aſſeruit quòd ipſa ex ſua propria hæreditate habebat, tenebat & poſſidebat pleno jure domum quamdam *Petri Sarraceni* nuncupatam, cum porpriſio & pertinentiis ejuſdem domûs, ſitam Pariſius, ultra Parvum Pontem in vico de *Hautefeuille*, oneratam in duodecim ſolidos Capitalis cenſûs, centum ſolidos Pariſienſes incrementi cenſûs, & quatuor libras Pariſienſes annui cenſûs ſuper tribus partibus prædictæ domûs, ut dicebat. Quam domum, prout cum ſuis pertinentiis ſe comportat, antè & retro, & in longo & lato, ipſa Gila, propter hæc coram nobis conſtituta, vendidit, quitavit, & conceſſit ex nunc perpetuò, ſeque vendidiſſe, & nomine venditionis nunc perpetuò quitaviſſe & conceſſiſſe recognovit. Et Viris Religioſis Joanni Abbati & Conventui Præmonſtratenſi, pro pretio centum & viginti librarum Pariſienſium jam ſibi ſoluto in pecunia numerata, ut confeſſa fuit coram nobis. De quo pretio quittavit dictos emptores, exceptioni non numeratæ & non receptæ pecuniæ renuntiando per fidem: cedens dictis emptoribus & eorum ſucceſſoribus, ac penitùs transferens in eos omne jus & dominium, omnem poſſeſſionem & proprietatem & omnes actiones reales & perſonales, utiles & directas, & quaſcumque alias, quæ eidem Gilæ in dicta domo & pertinentiis ejuſdem competebant, & competere poterant modo quolibet, nihil juris vel actionis, dominii, poſſeſſionis, vel proprietatis ſibi vel ſuis hæredibus de cætero retinendo in eiſdem & promiſit ipſa Gila, fide in manu noſtra præſtitâ corporali ſponte, adverſùs venditionem & quitationem hujuſmodi, vel præmiſſorum aliquod non venire per ſe, vel per alium jure aliquo in futurum. Imo dictam domum, prout ipſa cum aliis pertinentiis ſuis, ut dictum eſt, ſe comportat, ad dictos duodecim ſolidos capitalis cenſûs, & centum ſolidos Pariſienſes incrementi cenſûs, & quatuor libras Pariſienſes annui cenſûs, ſine alio onere, impedimento vel obligatione, garantizabit, liberabit & defendet ſuis propriis ſumptibus, periculo & expenſis in judicio & extra judicium dictis emptoribus & eorum ſucceſſoribus, quandocumque opus fuerit; & per hoc requiſita fuerit contra omnes. Promiſit etiam ſub præſtita fide, & ex pacto contractûs hujuſmodi, ſe pacificè ſoluturam dictis emptoribus quintum denarium dicti pretii, nomine pœnæ ſeu intereſſe, cum miſiis & omnibus rectis coſtamentis, damnis & expenſis per ſolum procuratoris dictorum emptorum juramentum, ſine alia probatione credendo declarandam, ſi dicta venditio in toto vel in parte retracta fuerit vel evicta. Et pro recta garandia modo prædicto ferenda ſuper jam dicta venditione, & dicta pœna ſeu intereſſe, ſi committatur, ſolvendis, cum miſiis, coſtamentis, damnis & expenſis ipſa Gila ſe & hæredes ſuos, & omnia bona ſua & hæredum ſuorum, mobilia & immobilia, præſentia & futura, titulo que ſpecialis hypothecæ domum quandam, in qua ipſa

ad præsens moratur, suam, ut dicebat, sitam Parisiis in civitate in quadrivio de *Marchè-palu* contiguam domui quondam Egidii *Muette* in censu Monialium *Montis Martyrum* oneratam in sex libras censûs, ut dicebat, dictis emptoribus obligavit, & obligatam reliquit, ad quoscumque devenerit possessores, se quantùm ad hæc jurisdictioni Curiæ Parisiensis supponendo. In cujus rei testimonium sigillum Curiæ Parisiensis duximus præsentibus litteris apponendum. Datun anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo secundo, tertio die Sabbati post Trinitatem.

Instrumentum secundum Venditionis fundi pro ædificatione Collegii Parisiensis *anno 1255.*

UNiversis præsentibus litteras inspecturis Soror Guillerma, humilis Abbatissa sancti Antonii Parisiensis, totusque ejusdem loci Conventus salutem in Domino. Noverit universitas vestra, quod cùm haberemus dominium fundi terræ & ventarum necnon & censum septem librarum & sex solidorum Parisiensium annui reditûs super novem domos sitas Parisiis juxta domum Fratrum Minorum, in vico qui dicitur *aux Estuves*, videlicet quatuor solidos Parisienses fundi terræ super domum liberorum uxoris Adæ dicti Romani: duodecim solidos Parisienses fundi terræ super domum defuncti Petri Sarraceni, & centum solidos Parisienses incrementi censûs super eandem domum; sex solidos Parisienses fundi terræ super domum Joannis de *Bellomonte*, sex solidos Parisienses fundi terræ super domum Margaretæ dictæ *Doncelier*; quatuor solidos Parisienses fundi terræ super domum Nicolai dicti Romani; quatuor solidos Parisienses fundi terræ super domum defuncti Richardi dicti *Dou perche*; quadraginta denarios Parisienses fundi terræ super domum Agnetis de *Vitriaco*, & quadraginta denarios Parisienses fundi terræ super domum Dionysiæ de *Campis*. Nos pro evidenti utilitate domûs nostræ de communi consensu & voluntate nostra, ac de licentia Domini Abbatis Cisterciensis Patris nostri, in hoc utilitatem Ecclesiæ nostræ attendentis, & ipsum contractum ad petitionem nostram per suas patentes litteras confirmantis, sicut in eisdem litteris pleniùs continetur; ac etiam Venerabilis Patris Reginaldi de *Corbolio* Episcopi Parisiensis, eundem contractum assensu suo & consilio approbantis & per suas litteras attestantis, vendidimus Abbati & Ordini Præmonstratensi præfatum fundi terræ dominium & ventarum; necnon & omne jus quod cum ipso dominio & cum præfatis septem libris & sex solidis Parisiensibus censûs annui, in prædictis novem domibus, & in earum fundo habemus & habere poteramus, pro trecentis & quinquaginta libris Parisiensis monetæ in aliam hæreditatem utiliorem nostræ Ecclesiæ jam conversis. Quæ omnia supradicta, videlicet tam dictum fundi terræ dominium & ventarum, ac omne jus nos contingens occasione ipsius dominii fundi terræ, quàm prædictas septem libras & sex solidos Parisienses annui censûs, quæ nobis super domos supra dictas annis singulis debebantur; & etiam plenam possessionem & pacificam omnium prædictorum in dictos Abbatem & Ordinem Præmonstratensem per traditionem transtulimus: promittentes bonâ fide, quòd contra venditionem prædictam, & omnia, supradicta, nec per nos, nec per alium aliquatenùs de cætero veniemus; & quòd prædicta omnia Abbati & Ordini memoratis, secundùm usum & consuetudines Parisienses garantizabimus contra omnes. In cujus rei testimonium & memoriam præsentes litteras dicti Abbati & Ordini Præmonstratensi tradidimus sigilli nostri munimine roboratas. Datum Parisiis anno Domini millesimo, ducentesimo quinquagesimo quinto mense Junio.

Instrumentum tertium Venditionis fundi pro ædificatione Collegii Parisiensis. Anno 1256.

UNiversis præsentes litteras inspecturis Officialis Curiæ Parisiensis salutem in Domino. Notum fecimus, quòd coram nobis constitutus Joannes de *Bello-monte* civis Parisiensis, asseruit quòd ipse habebat, tenebat, & possidebat quamdam domum sitam Parisius ultrà Parvum pontem, contiguam domui quæ fuit Petri Sarraceni, cum porprisio & pertinentiis ejusdem domûs: asseruit etiam idem Joannes coram nobis, quòd ipse habebat & percipiebat annuatim quatuor libras Parisienses annui censûs super tribus partibus domûs prædicti Petri Sarraceni, & super tribus parbus stuffarum domûs ejusdem, quam siquidem domum prædictam, cum porprisio & pertinentiis ejusdem domûs, & quas quatuor libras annui censûs idem Joannes recognovit se vendidisse & quittasse in perpetuum Religiosis viris Abbati & Conventui Præmonstratensi, pro ducentis & quinquaginta libris Parisiensibus tum solutis eidem in pecunia numerata, sicut confessus est coram nobis: & promisit fide datâ, quòd contra venditionem & quittationem prædictas per se, vel per alium, jure hæreditario, ratione conquestûs, aut alio modo non veniet in futurum: & quòd dictam domum, nec non & dictas quatuor libras censûs annui habendas & percipiendas singulis annis ab Abbate & Conventu prædictis super tribus partibus dictæ domûs Petri Sarraceni, & stuffarum ejusdem, eisdem Abbati & Conventui Præmonstratensi garantizabit & liberabit quotiescunque opus fuerit, ad usus & consuetudines Franciæ contra omnes, & quantum ad rectam garandiam & perpetuam super hujusmodi conditionem ferendam, idem Joannes se & hæredes suos, bona sua, & hæredum suorum omnia & singula, mobilia & immobilia, præsentia & futura, ubicumque, & in quibuscumque rebus existant, Abbati & Conventui memoratis specialiter obligavit & reliquit penitùs obligata. Confessus insuper fuit idem Joannes coram nobis sibi esse satisfactum ab Abbate & Conventu supra dictis de quatuordecim libris Parisiensibus in pecunia numerata, in quibus dicti Abbas & Conventus tenebantur eidem ex locatione dictæ domûs venditæ, & pro censu domûs Petri Sarraceni prædictæ, ut dicebat; renuncians quantùm ad istas quatuordecim libras, & quantùm ad ducentas & quinquaginta libras prædictas, exceptioni non numeratæ pecuniæ, non habitæ, non receptæ. Renuntiavit insuper omni juris auxilio Canonici & Civilis, omnibus litteris & instrumentis, necnon & omnibus aliis exceptionibus, actionibus, & defensionibus juris & facti, loci & temporis, per quas præmissa, vel aliquod ex præmissis, possent infringi, vel aliquatenùs retractari, & quæ sibi vel ejus hæredibus prodesse possent in aliquo, & nocere Abbati & Conventui memoratis. Datum anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo sexto mense Octobri, die Lunæ ante Festum omnium Sanctorum.

Bulla Urbani Papæ IV. in gratiam Collegii Parisiensis *Præmonstratensium. Anno 1263.*

URbanus Episcopus servus Servorum Dei, venerabili Episcopo Parisiensi salutem & Apostо-

licam benedictionem. Hoc de tuæ ſinceritatis devotione tenemus, quòd illa mandata promptâ facilitate ad effectum demandes, quæ juri non obviant, & animarum ſalutem, ac regularem reſpiciunt honeſtatem. Cùm igitur dilecti filii Abbas Præmonſtratenſis, ejuſque Coabbates, & Conventus Præmonſtratenſis Ordinis, quemdam Prioratum in Pariſienſi civitate habeant, in quo ipſius Ordinis morantur Fratres ſtudentes in Theologica facultate, quia ipſorum Fratrum honeſtati expedire non creditur nec ſaluti, quòd per Eccleſias pro divinis officiis audiendis diſcurrant. Nos ipſorum Abbatum & Conventuum precibus inclinati, fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenùs eiſdem Fratribus celebrandi divina in eodem Prioratu ſuper altare portatili, authoritate noſtrâ concedas licentiam, ſi expedire videris, ſine juris præjudicio alieni. Datum apud Urbem veterem II. Calend. Februarii Pontificatûs noſtri, anno II.

Reſcriptum Bonifacii Papæ VIII. pro mittendis Canonicis Præmoſtratenſibus ad ſtudia Theologiæ Facultatis. Anno 1295.

EXultavimus in Domino quòd in tuæ mentis arcano hoc præcipuum deſiderium habetur reconditum, ut Canonici tui Ordinis ſplendore virtutum refulgeant & maximè illius ſcientiæ dono prærutilent, quæ illuminat animam & cibo reficit refectionis æternæ. Deſideras enim, ſicut nobis innotuit, Canonicos ipſos Pariſius Theologiæ Facultatis ſtudio deputare, ſuper quo provido ductus conſilio noſtræ permiſſionis gratiam poſtulaſti. Nos itaque in hac parte deſiderium tuum multipliciter commendantes, Canonicos monaſteriorum & locorum dicti Ordinis, quos noveris dociles, & morum maturitate laudabiles quoties tua diſcretio viderit expedire, toties mittendi Pariſius, illic moraturos pro ſtudio memorato, de conſilio trium primorum Abbatum ejuſdem Ordinis ac ordinandi de eorum vita, & aliis quæ ſunt opportuna ſtudentibus, prout eorum exegerit qualitas & ſecundùm Deum ipſorum ſtatui videris expedire, ac contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſitâ, compeſcendi, authoritate præſentium liberam tibi concedimus facultatem. Datum Anagniæ Kal. Auguſti, Pontificatûs noſtri anno primo.

Statuta Collegii Pariſienſis, à Reverendiſſimo Goſſetio Præmonſtrati Abbate, approbata die 17. Martii 1618.

AD CULTÛS DIVINI JURA REDDENDA.

QUoniam prima debet eſſe religionis, ac pietatis cura, omnes & ſinguli Religioſi Canonici in prædicto Gymnaſio commorantes, ſuave jugum Domini ab adoleſcentia portare (Thren 2.) aſſueſcant, moreſque ſuos juxta regulæ S. Patris noſtri Auguſtini in profeſſione aſſumptæ præſcriptum, corrigant, & vitam emendent, aliiſve religionis exercitiis Deum ſibi propitium reddere, illique ſtudia ſua commendare ſatagant.

Omnes quoque ad pulſum Campanulæ, qui quotidie dabitur horâ quartâ antelucanâ, ſurgant, acceptoque ab excitatore lumine, mox ſe aquâ luſtrali aſpergant, in genua procumbant, & petito muſarum principio à ſanctiſſima Trinitate, Deipara Virgine, divis Joanne-Baptiſta, & Anna ejuſdem Deiparæ matre, Præfati Collegii tutelaribus ſanctis, Beatis Auguſtino & Norberto Ordinis Patribus, ſua omnia cogitata, dicta & opera devoveant gloriæ Dei, Eccleſiæ Matri, & Præmonſtratenſis Ordinis utilitati, privatæ ſuæ, & proximorum ſaluti. Deinde tum naturæ cùm Cellulæ juſta perſolvant, & lectum ſternant, tum demum ſigno ſecundo Campanæ Eccleſiæ inſonante, quod præciſè dabitur quadrante ante quintam matutinam properè & graviter in Eccleſiam conveniant, antiphonam *Veni ſancte ſpiritus* verſ. *Emitte Spiritum*, orationem *Deus qui corda fidelium*, devotè cantaturi; & illico Primam & Capitulum Canonicum, Tertiam, Sextam, & Nonam penſi Canonici juxta can. *docentes.* extra. *de celebrat. miſſarum*, diſtinctè & non truncatis verbis aut verſibus, devotè, quâ poteſt reverentiâ & humilitate recitaturi. *Cum oratis Deum* (inquit regula noſtra Auguſtiniana) *hoc verſetur in corde, quod profertur in ore.* Antiphonam porro prædictam de Spiritu ſancto ſequatur immediatè Miſſa, quæ de feria, vel de feſto occurrente, adhibita ſemper de Spiritu ſancto oratione, ab hebdomadariis vicibus immediatè, celebrabitur. Reliquum vero temporis quod ſupererit uſque ad horam ſextam, meditationi, ſine qua anima Deo conjungi vix poteſt, liberè conceſſuri.

Lampas coram Auguſtiſſimo Corporis Chriſti Sacramento, juxta illud Levitici. 6. *ignis in conſpectu meo ardebit ſemper*, indeſinenter ardeat. Sacerdotes bis ad minus ſacris operentur in hebdomada, præter diem Dominicam, ne ſanctiſſimæ Trinitati honorem debitum, vivis mortuiſque ſuffragia neceſſaria denegare videantur; & alternis diebus, aut ad minus Dominicâ die, Confeſſione auriculari conſcientias ſuas eluant. Cæteri verò omnes qui non fuerint Sacerdotes, quâlibet ſaltem Dominicâ primâ & tertiâ cujuſque menſis, nec non ſingulis Dominicis Adventûs & Quadrageſimæ, feſtiſque triplicibus peccata ſua confiteantur, & ad ſacram ſinaxim accedant.

Hujus autem Sacramenti pœnitentiæ miniſtros pater Prior duos vel plures ſeliget ac nominabit probatos & doctos Religioſos, & qui lepram à non lepra diſcernere poſſint, quorum uni poteſtatem abſolvendi à reſervatis ex Clementis VIII. Pontificis maximi Decreto concedet. Qui verò alteri quàm deſignatis confiteri præſumpſerit, pœnâ *cap. 4. diſtinct.* 1. Statutorum Ordinis indictâ mulctetur. Ingreſſuri Gymnaſium Confeſſione generali anteactæ vitæ conſcientiam expiabunt coram patre Priore, aut quem ipſe præfecerit. Confeſſiones fiant ante vel poſt horas Canonicas, ut divinum Officium non perturbetur. Juge ſilentium in Eccleſia ſervetur, niſi neceſſitas exhortationis aut correptionis exegerit ut loquatur quis.

Ut autem lectioni ſuccedat oratio, ſingulis diebus ferialibus poſt quintam, Dominicis verò & feſtis diebus poſt ſeſqui-quartam veſpertinam, edito ultimo Campanæ ſigno, rurſus omnes illicò ad Eccleſiam, preces Veſpertinas & Completorium Canonicum, ſubindeque Matutinas, eo quo ſuperiùs dictum eſt modo, diſtinctè & devotè recitaturi ſe conferent, ne eorum maledictioni ſubjiciantur, qui opus dei faciunt negligenter. Jerem 48.

Nullus penſum Divini officii, quod ſibi ex munere ſolvendum incumbet, niſi præparatus aggrediatur, *nolite cantare*, inquit regula noſtra *cap. 2. niſi quod legeritis eſſe cantandum.* Alioquin ſi fallatur leviùs, terram manu attinget, ſi verò graviùs, vel tardiùs venerit, in medio choro profundè inclinabit, aut in genua procumbet, ad Superioris ſignum tantùm ſurrecturus. Abſentes ab eodem, choro, aut ex eo egredientes ſine Præpoſiti licentia, inobedientiam ſuam ſive negligentiam aquæ potu in altera refectionum abluant, quolibet Sabbato, & ſingulis feſtorum ſolemnum Vigiliis, hebdomadarius

rius Ecclesiam evertat, & in ornando altari, curandis linteaminibus, ornamentis, & sacris Libris sedulâ pietate operam suam navet, celebrantibusque opportunè & religiosè inservire studeat.

Ad paupertatis Monasticæ jura reddenda.

Communis vitæ ratio adeò est necessaria, ut eâ non sedulò observatâ, paupertatis Evangelicæ votum (quod nihil proprii admittit) vix ac ne vix quidem inviolatum esse queat; proinde nullus Religiosorum in hoc Collegio proprium aliquid habere præsumat, sed juxta sancti Patris Augustini, sub qua militamus, regulam cap. 1. omnia sint communia & distribuantur unicuique, sicut cuique opus erit. Apostolicam enim vitam in professione assumpsimus, à qua sinè propriæ salutis dispendio resilire non possumus.

Ut ergo nulli proprietatis periculum immineat, ingressuri hoc Gymnasium, indiculum seu inventorium rerum suarum in papyro fideliter descriptum & subsignatum, dabunt patri Priori, ne partem silentio obvolvente, cum Anania & Saphira, Spiritui sancto qui monasteriorum præses existit, mentiantur; eidemque Priori nummos non solùm ad trimestrem pensionem, sed etiam quos ad privatas suas impensas peragendas, cùm ad rem Litterariam, tùm ad statum Monasticum, paraverant, prænumerabunt & tradent, sedulò in arca communitatis cum cæteris pecuniis consignandos & recondendos, juxta illud. D. Augustini cap. 4. suæ regulæ *Sub communibus custodibus habere quod ponitis;* adeò ut nihil unquam habeant, nullâ re uti queant, nisi de ejusdem patris Prioris consensu & conscientia.

Et ne proprietatis labe contaminetur idem pater Prior, privatarum pecuniarum commonefactorium dabit illas deponenti, ab eoque vicissim memoriale recipiet earumdem distributarum ad illius privatos usus, utrumque cujus intererit, manu subsignatum.

Nulli cuique de suppellectile sibi concessa disponere, litterasve dare vel accipere, aut quodlibet munus recipere liceat, absque ejusdem patris Prioris licentia, nisi velit tanquam proprietarius coerceri, & prout cap. 3. regulæ nostræ Augustinianæ præscribitur, graviùs emendari.

Ne verò pensionum pecuniæ ex malo aliquo regimine videantur diffluere, in cista communitatis, juxta statutorum Ordinis, cap. 20. distinct. 4. præscriptum, fideliter recondantur, & religiosè serventur, quæ tres seras & claves diversas habeat, quarum primam pater Prior, secundam studiorum ac morum Præfectus, tertiam is Religiosus qui a Conventu ad id idoneus censebitur, asservabunt; qui quidem sufficientes pecunias ad quotidiana Religiosorum & communitatis necessaria comparanda Fratri quæstori, seu exteriorum provisori, tradent; quarum, sicut & expensarum rationes, idem exteriorum provisor singulis trimestribus, coram patre Priore & duobus Religiosis Presbyteris, candidè reddet, ut sic se bonum & fidelem dispensatorem, ac proprietatis, vitiorum omnium propagatricis, inimicum patefaciat; memores verborum regulæ nostræ. cap. 4. *quantò amplius rem communem, quàm propria vestra curaveritis, tantò vos ampliùs proficere noveritis.* Ægrotorum necessitati ac infirmitati summâ cum caritate & sollicitudine, ut citiùs recreentur, subveniatur, eorumque cura, prout cap. 15. distinct. 1. statutorum Ordinis, præcipitur, sedulò geratur.

Ad castitatis Deo promissæ, jura reddenda.

Studeat *unusquisque*, Apostolo 1. Thessal. 4. jubente, *vas suum possidere in sanctificatione & honore, non in passione desiderii, sicut & gentes quæ ignorant Deum.* Continentia autem quantò est sublimior, tantò est naufragio propinquior, *& quemadmodum ea*, inquit Laurentius Justinianus lib. de continentia. cap. 5. *laboriosè acquiritur, ita facilè deperditur, si ejus puritas negligatur.* Et ut ipsa de moribus non effugiat, sed limittibus illius contineamur semper *Caro*, inquit Hugo à sancto Victore, *sic nutriatur, ut tamen serviat: sic reprimatur, ut non superbiat: sic foveatur necessitas naturæ, ut abscindatur superfluitas concupiscentiæ.*

Signo ad prandium, cœnam, vel collationem dato, in refectorium, ut consecrationi intersint, tempestivè conveniant: serò venientes, priusquàm accumbant, inclinati, in refectorii medio precentur, donec sedendi signum Præses dederit, vel mulctam imposuerit.

In mensa honesti & taciti, corpus cibo, sacrâ lectione, eâque perpetuâ, nisi pater Prior dispensandum judicaverit, audiendâ animum pascant; idque ut regulæ, quam profitemur, satisfiat, quæ præcipit cap. 2. *Cùm acceditis ad mensam, donec inde surgatis, quod vobis secundùm consuetudinem legitur, sine tumultu & contentionibus audite; nec solæ vobis fauces sumant cibum, sed & aures esuriant Dei verbum.*

Compotationes & comessationes omnes doctrinæ Apostoli *Rom. 13.* & *Galat. 5.* repugnantes, penitùs tollantur, ne juratos castitatis hostes in sinu nostro fovere videamur.

Et quoniam jejunium, docente S. Patre Augustino, conscientiæ nebulas dispergit, & libidinum ardores restringit, jejunia Ecclesiæ & Ordinis, Adventûs præsertim, & dierum Veneris, inviolabiliter & exactè serventur. *Carnem vestram*, inquit regula nostra cap. 2. *domate jejuniis & abstinentiâ escæ & potûs, quantùm valetudo permittit.* Violatores proinde jejuniorum Ordinis, ad jejunium duorum dierum compellantur; qui autem jejunium Ecclesiæ solverint, ad triduanum in pane & aqua teneantur.

Collationes dierum jejunii solo pane & modico vino adhibitis, accumbendo mensæ Conventuali, & prout *cap. 12. distinct. 1. statutorum* præscribuntur, fiant.

Cubiculum & musæum, præter libros reliquamque suppellectilem necessariam, etiam imagine Christi Crucifixi, ac Virginis Matris, quos cogitationum, dictorum & factorum testes se habere quivis certò existimet, sit ornatum.

In iis existentes cubiculis aut musæis, clavem in sera relinquant; nec ullus ita cubiculi aut musæi januam obserabit, ut à foris aperiri non possit à Præposito, vel studiorum ac morum Præfecto, quibus solis hoc licitum erit.

Ad fugiendum otium, castitatis Deo consecratæ inimicum, omnes studiorum penso impigrè incumbant, & juxta uniuscujusque ingenium ac industriam seriò occupati detineantur: *Ne adversarius noster Diabolus, quærens quem devoret, 1. Pet. 5.* nos otiosos reperiat. *Ascendam*, inquit apud Ezechielem cap. 38. *ad terram sine muro, veniam ad quiescentem, habitantemque securè.*

Denique ne castitati, omnium virtutum Monasticarum delicatissimæ, propositive objectis præparentur insidiæ, nullus ante vel post lectiones in plateis aut in cubiculorum vel musæorum suorum fenestris, aut Collegii hujus & aliorum portis hærere præsumat, nisi velit competenti severitate coerceri: Mulieribusque nullus ad septa regularia pateat accessus, ne suspensionis à divinis, excommunicationis & irregularitatis à summis Pontificibus, præsertim à

Pio V. Gregorio XIII. latæ pœnæ incurrantur. *Quando*, inquit Augustinus cap. 3. suæ regulæ, *simul estis in Ecclesia, & ubicumque fœminæ sunt, oculi vestri in nullam figantur; quia impudicus oculus impudici cordis est nuntius: Sed invicem vestram pudicitiam custodite; Deus enim, qui habitat in vobis, etiam isto modo custodiet vos ex vobis.*

AD VOTI OBEDIENTIÆ ET LUDI LITTERARII, JURA REDDENDA.

OMnes ad obedientiæ votum, quod in altari Deo, coram Angelis & hominibus emiserunt, attendentes, & opera sua nullius valoris ac meriti apud Deum esse, nisi cum obedientia conjungantur, perpendentes, in voti illius amplexum avidè ruant, docente Christo Domino Lucæ 9. *Si quis vult venire post me, abneget semet ipsum.* Videlicet per propriæ voluntatis & libertatis abdicationem, quæ est omnium verior & perfectior abnegatio, & holocaustum medullatum, quo Religiosus non solùm bona externa, ut sunt divitiæ & voluptates corporis, sed & bona interna animæ, scilicet propriam voluntatem & libertatem Deo mactat & consecrat, Superiorumque arbitrio ac judicio moderandas submittit. *Ipse verò*, ut docet S. Augustinus Legislator noster in sua regula cap. ultimo, *qui vobis præest, non se existimet potestate dominante, sed charitate serviente felicem. Honore coram vobis prælatus sit vobis; timore coram Deo prostratus, sit pedibus vestris, semper cogitans Deo se pro vobis redditurum esse rationem: Unde vos magis obediendo non solùm vestri, sed etiam ipsius miseremini, qui inter vos quantò in loco superiore, tantò in periculo majore versatur.*

Ad consequendam igitur & conservandam hanc in vobis virtutum omnium absolutissimam virtutem, quæ, ut testatur D. Gregorius lib. 35. moral. cap. 21. *cæteras menti inserit, insertasque custodit*, omnes cum eruditione morum probitatem conjungant, mutuam sibi invicem reverentiam exhibeant, præsertim *junior seniori & sacris initiato.* Qui moribus & studiis præsunt, eos veluti animorum parentes venerentur, tantòque progressus suorum studiorum sperent feliciores, quantò iis aliquid imperantibus promptiùs obtemperaverint.

Nunquam cum ullo, nisi de virtute, vel de eruditione contendant; quæ honesta in aliis, imitari, quæ secùs animadverterint, quod in se erit, corrigere nitantur. *Si*, inquit regula nostra cap. 3. *aliquam oculorum petulantiam, aut quodlibet aliud peccatum adverteritis, statim admonete, ne cœpta progrediantur, sed de proximo corrigantur. Quemadmodum grave est alterum ad improbitatem quovis modo impellere, ita vel ad bonum perducere, vel à malo abducere, Deo gratissimum.*

Inchoent & terminent ludum litterarium, & quodlibet aliud negotium tam publicè, quàm privatim, oratione præmissâ & sequente.

Nullus ab hora octava vespertina usque ad octavam matutinam, alienum cubiculum aut musæum adeat; nullusve alium ad suum admittat, nisi à patre Priore permissus vel vocatus; sed in suo quisque studiis, servato silentio, vacet.

Si frigeat, postquam silenter & properi calefecerint, ad studia sua taciti revertantur, vel ad classes, si eundum fuerit, properent.

Omnes, ejusdem saltem classis & ordinis, Gymnasia sibi à patre Priore assignata simul adeant, simulque revertantur; lectioneque, libris aliisque necessariis instructi, sub pœna biduani jejunii in medio refectorii, assiduè frequentent; in iis diligenter attentèque docentem audiant. Scholam adituri lectionem prævidere, egressi auditam repetere nunquam negligant, dubiorumque, quæ occurrent, rationem à suis magistris poscere ne verecundentur.

Peractis regulariter prandio & cœnâ, fiat copia honestæ & religiosæ recreationis in horto ad sesquihoræ spatium: quâ finitâ, ad campanulæ signum instituentur in refectorio à studiorum & morum Præfecto repetitiones Grammaticorum post prandium, & Philosophorum post cœnam, duraturæ unius tantùm horæ spatio, quibus omnes interesse satagent; absentes verò absque licentia, negligentiæ suæ, secundùm Præpositi arbitrium, emendatoriam subeant vindictam.

His repetitionibus completis, in cellas suas taciti divertant, studiorum penso usque ad classium aut examinis conscientiæ pulsum, alacriter incubituri.

Campanulæ signo quidvis facere admoniti ne cunctentur, sed expeditè & cum tali agilitate sua munia peragant, ut studendi tempore nullus per hortum vel cubicula discursus. Fabulas, cantus, vociferationes, pulsus ac strepitus, omniaque, quibus vicinorum Confratrum studia turbare quovis modo possent, illicita arbitrentur.

Omnes Grammatici & Philosophi latinè loquantur semper, alioquin mulctentur graviùs, nisi cum, factâ rusticandi copiâ, ex urbe evolant, aut urbem adeunt, ut sic promptiùs componant, & audentiùs argumententur.

Præter libros necessarios habeant etiam aliquos spirituales, ex consensu Superioris, & morum Præfecti; quos saltem diebus Dominicis post prandium legant, de illorum lectione, praxi & meditatione, iisdem perscrutantibus, rationem reddituri.

A prohibitis libris caveant, fugiantque pejus cane & angue. Singulis diebus Veneris sancti P. N. Augustini regula in Conventuali mensa, alterius lectionis loco, legatur; eodemque die immediatè post Sacrum vel Collationem tractetur à patre Priore de eadem regula, vel de disciplina claustrali per modum explicationis, in Ecclesia vel refectorio: suosque Confratres ea quæ sunt religiosæ vocationis ita doceat, ut Religiosi probi evadant, & votorum suorum memores semper existant.

Quolibet die Sabbati statim à prandio, compareant Grammatici omnes coram patre Priore, vel coram eo quem ipse præfecerit, rationem de studiorum penso reddituri.

Singulis diebus Dominicis & festis triplicibus statim post Capitulum Canonicum concio latina vel vulgari idiomate, in Ecclesia habeatur alternatim à Theologis; ut hoc exercitio studii sui specimen aliquod edant, & ad animarum regimen idonei reddantur.

Semel in hebdomada, idque Dominicâ quoque, vel aliâ commodiori die, si Dominica fuerit festo solemniori impedita, fiant generales in refectorio disputationes, tam inter Theologos, quàm Philosophos; & de utraque scientia pridie Positiones in refectorii columna præfigantur, earumque probationes saltem principales, patri Priori offerantur, agitandæ à Theologis & Philosophis, præfuturo die sequenti ab hora prima usque ad sesqui-quintam vespertinam. Porro Philosophus quilibet confecto cursu Philosophico, statim assertiones ex tota Philosophia ibidem propugnare compellatur.

Grammatici item omnes semel in mense lectiones vel compositiones suas de suggestu refectorii declament, quos pater Prior, aut studiorum Præfectus ad pronuntiationem & gestus formandos instruet diligenter.

Omnes Fratris titulo, quo cæteri regulæ Augustinianæ alumni non parùm gloriantur, sint contenti.

Modestiam servent in omnibus; *in incessu*, inquit regula nostra cap. 3. *statu, habitu, & in omnibus motibus vestris nihil fiat, quod cujusquam offendat aspectum, sed quod vestram deceat sanctitatem.*

Vestes à vestibus Ordinis vel ratione formæ vel coloris dissonas, quàm primùm abjiciant; *non sit*, inquit S. Augustinus cap. 3. suæ regulæ, *notabilis habitus vester, nec affectatis vestibus placere, sed moribus.* Caveantque, quando student, laborant, recreationi indulgent, vel rus petunt, habitum religionis deponere, ne excommunicationis latæ sententiam in cap. *ut periculoso*, incurrant.

Convitio ac maleficio apud omnes semper abstineant. *A verbis durioribus*, docente regula nostra cap. 5. *Parcite; quæ si emissa fuerint ex ore vestro, non pigeat ex ipso ore proferre medicamenta, unde facta sunt vulnera.*

Nulli Gymnasii hujus septa egredi, nisi ad lectiones eundem fuerit, absque patris Prioris venia, præsumant, egressuri eidem patri Priori se sistant, idemque mox regressi faciant. Et quemadmodùm bini exire debent, sic bini & tempore præscripto redire compellantur; neque ad alia, quàm quorum gratiâ dimissi sunt, negotia divertant; nec cibi nec potûs quidpiam attingant foris, nisi permissi, vel urgente necessitate. Ad plures verò dies egressuri, obedientiam portent, vel commendatitias litteras.

Deambulationis ergò urbem egressuri, ad pagos vel domos quascumque non divertant; sed in loco ab omnium frequentia & conspectu, si fieri potest, remoto, deambulationes & recreationes suas instituant.

Nullus in cubiculis vel musæis suis ludere, comedere, aut extraneos quoscumque hospitari, nisi id per patrem Priorem licuerit, præsumat. Id enim disciplinæ monasticæ repugnat.

Cubiculorum seu musæorum ostia, fenestræ, reliquaque, uti quisque invenerit, sarta tectaque conservet.

Communibus officinis, culinæ, promptuarii, cellæ vinariæ, atque aliis similibus sibi omnes interdictum sciant.

Quolibet die ad campanulæ pulsum, qui dabitur præcisè horâ nonâ vespertinâ, omnes & singuli post præviam orationem, atque aquæ lustralis aspersionem, conscientiam, cogitationes, verba, opera & omissiones, per quadrantem horæ examinent: de erratis doleant, & de bonis Deo gratias agant, antequam lecto decumbant.

Studiorum seu morum Præfectus quotidie, post examen conscientiæ, cubicula omnia & musæa visitet ac perlustret, ut si quid desit, statim patrem Priorem moneat.

His verò, & quibuscumque aliis salutaribus monitis ac legibus ad substantiam regularis disciplinæ & studiorum pensum spectantibus, amore magis, quàm metu, quivis obtemperet; & delicti, si quod errore aut negligentiâ inciderit, reprehensionem seu pœnam ita accipiat, ut eâ ad munus suum obeundum & peragendum cautior vigilantiorque reddatur.

Acta, lecta, publicata in Sacello ejusdem Collegii Præmonstratensis, Religiosis omnibus præsentibus, feriâ v. in cœna Domini, quæ incidebat in diem XII. mensis Aprilis anni MDCXVIII. Quo quidem die communem vitæ rationem in eodem Collegio introduximus & stabilivimus.

Reverendissimi Domini Præmonstratensis Approbatio.

Suprascriptas Regulas Secretarii nostri manu sub Chirographo nostro approbamus, & executioni præcipimus ab omnibus, quorum interest, demandari. Datum Parisiis die XVII. mensis Martii anno MDCXXIII. *Signatum*, F. P. GOSSETIUS Abbas Præmonstratensis, & totius Ordinis Generalis, *& Paulo infra.* De mandato Reverendissimi Domini D. Præmonstratensis F. DOMINICUS GERARDUS.

Bulla Urbani Papæ VIII. Pro Collegio sancti Norberti De Praga.

URBANUS PAPA OCTAVUS.

AD perpetuam rei memoriam. Altitudo divinæ Providentiæ, à qua bona & sancta opera cuncta procedunt, ea suorum fidelium animis quandoque suggerit, quæ ad Collegiorum institutionem, & adolescentium litteris incumbere volentium, congruam manutentionem, & institutionem noscunt pertinere. Unde nos, quibus ab eadem providentia Sacrosanctæ militantis Ecclesiæ regimen est commissum, considerantes quantùm eidem Ecclesiæ, totique Rei-publicæ Christianæ prosit juventuti, cujusque conatibus rei familiaris non nunquam obstat angustia, commoditatem applicandi sese ad bonarum artium studia præberi, pias ipsorum fidelium voluntates ad id tendentes, ut votivos sortiantur effectus, libenter, cum à nobis petiti Apostolici favoris suffragio prosequimur ac in officii nostri partes favorabiliter interponimus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire. Sane pro parte Dilecti filii Gasparis à *Questemberg* Abbatis monasterii Abbatiæ nuncupatæ Strahoviensis, Pragensis Diœcesis, Ordinis Præmonstratensis, nobis super expositum fuit, quod ipse pro fide Catholica propaganda & Ecclesiastica disciplina in Regno Bohemiæ, quod Catholicorum operariorum laborat inopiâ, restauranda, zelo ductus, unum Collegium seu Seminarium sub invocatione, seu denominatione S. Norberti pro dicti Ordinis Canonicis regularibus, aliisque Clericis sæcularibus, bonarum litterarum studiis incumbere, cupientibus, in ea parte civitatis Pragensis, quæ urbs vetus apellatur, prope Seminarium, seu Collegium Archi-diœcesanum, seu Archiepiscopale nuncupatum, à dilecto filio nostro Ernesto Adalberto tituli sanctæ Mariæ Angelorum Presbytero Cardinali ab *Harrach* nuncupato, Ecclesiæ Pragensis, ex concessione & dispensatione Apostolica, Præsule, in eadem civitatis Pragensis parte fundatum & erectum, impensis hactenùs in primo dicti Seminarii seu Collegii sancti Norberti fabricam quadraginta duobus millibus, quingentis & septuaginta florenis monetæ illarum partium, pro illa verò perficienda depositis de consensu totius Conventûs, & Capituli Canonicorum Regularium dicti monasterii, aliis sex millibus florenis ejusdem monetæ, fundavit, & erexit; illique pro dote, & illius Rectoris & Alumnorum, aliorumque Ministrorum sustentatione, & manutentione, summam quinquaginta millium Talerorum Bohemicorum; ac alia duo millia annua similium Talerorum, quæ est datio salis Bohemiæ ad ejus religionem spectant; nec non quoddam prædium, seu prædia, civitati Pragensi præfatæ vicinum, seu vicina, juxta suos fines in instrumento desuper celebrando latiùs exprimendos, ab ipo Gaspare Abbate seu in eventum ejus obitûs, à suo successore, pretio sexdecim millium florenorum, ad ipsum solum finem & effectum ex nunc depositorum in præfata moneta, emendum seu emenda, ex tunc prout postquam emptum, seu empta fuerint, de præfato consensu attribuit & assignavit; in quo quidem Collegio, seu Seminario S. Norberti hujusmodi; deinceps perpetuò viginti ad minimùm alumnos studiosos, videlicet decem Canonicos regulares ex Professis dicti monaste-

rii Strahoviensis, seu in eorum defectum, ex Professis aliorum monasteriorum, sive Conventuum ejusdem Ordinis in dicto Regno Bohemiæ pro tempore existentium & alios ad minimùm decem seculares bonæ spei juvenes, studiis aptos atque ad statum Ecclesiasticum in ejusdem Regni solatium, animum exploratum habentes, recipi, degere, ali, vestiri, ac honestè ex prædictæ dotis fructibus, redditibus & proventibus sustentari, ipsosque alumnos, & alios ejusdem Seminarii sive Collegii sancti Norberti pro tempore inquilinos, ad frequentandum scholas & lectiones dicti Seminarii seu Collegii Archi-diœcesani per præfatum Ernestum Adalbertum Cardinalem, ut præfertur, erecti, duntaxat, omnino teneri voluit, his tamen conditionibus, videlicet quamdiu in Seminario seu Collegio Archi-diœcesano hujusmodi vigebunt, prout vigent ad præsens, humaniorum litterarum, ac Philosophiæ, & sacræ Theologiæ scholæ ac disciplinæ, eorumque Professores ex antiquioribus Ordinibus Regularibus ante ducentos annos à sede Apostolica approbatis, vel aliàs ex voto Prælatorum seu Capitum eorumdem Ordinum assumentur, nec non quamdiù præfatum Seminarium, sive Collegium Archi-diœcesanum sub manu, & directione dicti Ernesti Adalberti Cardinalis, ejusque in Ecclesia Pragensi successorum Præsulum eo quo cœptum est modo & instituto, ac sub hujus sanctæ Sedis & Congregationis venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotio propagandæ fidei præpositorum protectione, gubernabitur; salvo etiam respectivè, quòd si post ædificatum Seminarium S. Norberti præfatum, contingeret ob loci contiguitatem, & mutuum hinc inde commodum scholas humaniorum litterarum præfatarum duntaxat, quæ nunc omnes per Canonicos regulares præfati Ordinis Præmonstratensis docentur, transferri legitimè è præfato Archi-diœcesano in dictum Seminarium seu Collegium sancti Norberti, eo casu nihilominus scholæ præfatæ sic translatæ, pro scholis Archiepiscopalibus sicut ante translationem, haberi & censeri perpetuò debeant, perinde ac si illarum translatio hujusmodi minimè facta fuisset, cæteroquin post translationem semel factam, inde non amoveantur ampliùs, jus verò nominandi, recipiendi, & amovendi ex causa alumnos viginti præfatos, ac ipsiusmet Seminarii S. Norberti proprietatem, ejusque administrationem, idem Gaspar Abbas sibi, suisque in dicta Abbatia Strahoviensi Abbatibus successoribus canonicè intrantibus ac Ordinem Præmonstratensem præfatum expresè Professis plenè & perpetuò, salvis tamen supra & infra contentis, reservavit.

Cùm autem, sicut eadem expositio subjungebat, dictus Gaspar Abbas, erectionem, fundationem, & donationem Collegii, seu Seminarii S. Norberti hujusmodi aliaque præmissa, quò firmiùs subsistant & à pro tempore futuris dicti monasterii Strahoviensis Abbatibus, seu illius Conventu, immutari, rescindi, vel alterari nullatenùs possint, Apostolicâ authoritate comprobari, & confirmari summoperè desideret; Nos ipsum Gasparem Abbatem specialibus favoribus & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, à jure, vel ab homine, quâvis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes & absolutum fore censentes, supplicationibus ejusdem Gasparis Abbatis nobis super hoc humiliter porrectis, inclinati, de præfatorum venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio, erectionem & fundationem Collegii, seu Seminarii S. Norberti hujusmodi cum omnibus, & singulis præmissis, Apostolicâ authoritate tenore præsentium, perpetuò confirmamus & approbamus, illiusque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus; ac omnes ac singulos, tam juris, quàm facti defectus, si quid desuper quomodolibet intervenerint, supplemus. Ac insuper Collegium, sive Seminarium S. Norberti hujusmodi, sub nostra & sedis Apostolicæ, dictæque Congregationis protectione recipimus, ac præfato Abbati, & monasterio seu Congregationi Præmonstratensi, præfata omnia & singula, absque expresso consensu nostro, ac ejusdem sacræ Congregationis Cardinalium, retractandi, immutandi, & alterandi, seu circa ea aliter disponendi, & dispensandi omnem facultatem & authoritatem (Non tamen ampliandi) amodò adimimus; ita tamen, ut si temporum injuriâ, quod Deus avertat, dotatio & pecunia præfata, seu illarum fructus, redditus & proventus deperirent, minuerentur, aut non sufficerent, dictum monasterium Strahoviense ad illorum restitutionem, augmentum, vel supplementum nullomodò teneatur, sed semper ab his exemptum & indemne sit, & conservetur. Necnon eidem Collegio, seu Seminario sancti Norberti, illiusque Rectori, Scholaribus, Collegialibus, Alumnis, Officialibus & Ministris, omnia & singula privilegia, exemptiones, libertates, facultates, & indulta, cæterasque gratias tam spirituales, quàm temporales, Collegio sive Seminario Archi-diœcesano, sive Archiepiscopali præfato per nos concessa, & concessas, quibusque idem Collegium sancti Norberti, illiusque Rector, Scholares, Alumni, Collegiales, Officiales, & Ministri præfati, non solum adinstar, sed æque principaliter uti, frui & gaudere possint, eisdem authoritate, & tenore communicamus; salvis tamen, quoad Alumnos Seminarii, seu Collegii hujusmodi qui erunt dicti Præmonstratensis Ordinis, eorum regulâ & institutis regularibus Ordinis hujusmodi Apostolicâ authoritate confirmatis, quibus in aliquo per communicationem hujusmodi, quatenùs quoquo modo illis repugnet, vel adversetur, derogare non intendimus, sed illa servari omnino volumus.

Cæterùm, ne, succedente obitu dicti Gasparis Abbatis, fabrica, aut etiam dotatio respectivè dicti Seminarii S. Norberti imperfecta remaneat; omnibus & singulis dicti monasterii Abbatibus pro tempore futuris, sub excommunicationis, ac privationis vocis activæ & passivæ, aliisque nostris & pro tempore existentis Romani Pontificis arbitrio pœnis, districtè prohibemus, ne prædictas sex millium florenorum, item aliorum sexdecim millium florenorum summas, ad effectus supradictos destinatas, seu deputatas à præfato Gaspare Abbate, casu quo ipse moriatur, in alios usus impendant, vel convertant, seu impendere, vel convertere præsumant.

Insuper præcipimus, ut proventus Seminarii hujusmodi, qui factis sumptibus necessariis, singulis annis superfuerint, in tot alumnis alendis, aut in aliis ejusdem Seminarii necessitatibus & non aliter, nec alio modo, insumi debeant.

Quocirca Dilecto Filio nostro S. R. E. Cardinali Judici nunc & pro tempore à dictis Fratribus nostris pro negotiis præfatæ Congregationis deputato, per easdem præsentes injungimus; quatenùs ipse per se, vel alium, seu alios de consensu eorumdem Fratrum nostrorum, deputandum, seu deputandos, easdem præsentes litteras, & in eis contenta quæcumque, ubi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Gasparis Abbatis, ac Rectoris,

Alumnorum, Scholarium, ac Officialium prædictorum fuerit requisitus, solemniter publicans, illisque efficacis deffensionis præsidio assistens, faciat, authoritate nostrâ easdem præsentes, & in eis contenta hujusmodi ab omnibus ad quos spectat & pro tempore spectabit, firmiter & inviolabiliter observari, ac præfatos illis pacificè frui & gaudere, non permittens eos desuper per quoscumque quomodolibet indebitè molestari: contradictores quoslibet, & rebelles, per sententias, censuras & pœnas Ecclesiasticas aliaque permissa juris & facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo; ac censuras & pœnas ipsas, servatâ formâ Concilii Tridentini, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis; Nonobstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac monasterii Ordinis, & civitatis, præfatorum etiam juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quâvis firmitate aliâ roboratis statutis & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis & litteris Apostolicis, quibusvis Universitatibus, Collegiis, ac eorum Rectoribus & personis, etiam sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacibus & insolitis clausulis irritantibusque; & aliis decretis in genere, vel in specie, etiam motu, scientiâ, & potestatis plenitudine, ac aliàs quomodolibet, etiam iteratis vicibus, concessis, confirmatis & innovatis. Quibus omnibus, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus pro earum sufficienti derogatione, specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut alia aliqua exquisita forma ad hoc, servanda foret; tenores hujusmodi ac si de verbo ad verbum inserti forent eisdem præsentibus, pro plenè & sufficienter expressis habentes illis aliàs in suo robore permansuris: ad effectum præmissum, simpliciter & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque, aut si quibusvis, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum, quòd interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Volumus autem quòd earumdem præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo communi dicti Collegii, seu Seminarii S. Norberti, aut alicujus Curiæ Ecclesiasticæ, seu personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ, munitis, eadem prorsus fides in judicio & extra, adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris. Die xxx. Julii MDCXXXIX. Pontificatûs nostri anno decimo sexto.

M. A. Maraldus.

Bulla Innocentii P. P. XII. pro Seminario Archiepiscopali Pragensi.

INNOCENTIUS P.P. XII.

AD futuram rei memoriam. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii novem moderni Abbates Præmonstratensis ac Cisterciensis respectivè Ordinum Pragensis Diœcesis, quod aliàs videlicet die x. Novembris MDCXCII. inter tunc existentem Archiepiscopum Pragensem, ex una, & ipsos exponentes ex altera partibus, quædam Conventio super lectura in Cathedris sacræ Theologiæ, sacrorum Canonum, & Philosophiæ Seminarii Archiepiscopalis Pragensis, reservato tamen desuper nostro, & hujus sanctæ Sedis beneplacito, inita fuit, sub diversis pactis, & conditionibus prout continetur in scriptura desuper emanata, tenoris qui sequitur, videlicet: Joannes Fridericus Dei & sanctæ Sedis Apostolicæ gratiâ, Archiepiscopus Pragensis S.R.I. Princeps, & Comes de *Waldestein* Legatus natus, Inclitus Bohemiæ Regni Primas, sacri & Militaris Ordinis Crucigerorum cum Rubea stella per Bohemiam, Moraviam & Poloniam supremus ac Generalis Magister, quò ubetiores fructus Seminarium nostrum Episcopale in antiqua Pragensi civitate vulgò Aula Regia nuncupatum à piæ memoriæ Cardinale ab *Harrach* prædecessore nostro sub Urbano VIII. juxta præscriptum Sac. Conc. Trid. Sess. 23 de reform. cap. XVIII. erectum & fundatum multisque ab eodem Pontifice gratiis, & privilegiis munitum, & successu temporis notabiliter adauctum, & à nobis novis, iisque amplis ædificiis in formam veræ Regularis, & Religiosæ domûs redactum, cum summo Ecclesiæ Catholicæ, & Religionis in hoc Regno Bohemiæ emolumento firmiter stabiliendæ protulisse dignoscitur: eò magis nobis incumbit, & ad hoc nostra Pastoralis cura, & sollicitudo nos impellit, ut quò per Dei gratiam in dicto nostro Archiepiscopali Seminario florentiora sunt studia, & copiosior tam Alumnorum nostrorum, quàm religiosorum ex Ordinibus Abbatialibus incorporatis numerus quotannis accrescit & vigilantiùs & firmiùs, circa provisionem Cathedrarum prospiciamus. Hinc cùm infra scripti incorporatorum Ordinum domini Visitatores tam nomine suo, quàm infrascriptorum reliquorum Abbatum nobis instanter, & humiliter exposuerint, & repræsentaverint, qualiter post longa, & injuriosa tam bellorum quàm hæreseos tempora, cùm dictorum Ordinum monasteria Religiosis majori ex parte destituta, tempore creati Seminarii idonea pro Cathedris subjecta non haberent, altè memoratus Cardinalis ab *Harrach* propter viciniam loci, Patres Hybernos Ordinis sancti Francisci strictioris Observantiæ ex monasterio S. Ambrosii, ex pura tamen gratia & revocabili, assumpserit tam in Theologiæ speculativæ, quam Philosophiæ Professores. Post modùm autem, & tractu temporis postquam dicti Ordines incorporati, quasi postliminiò in pristinum florem scientiæ, & regularis observantiæ rediissent, non tantùm ad Cathedram Philosophicam per turnum admissi sint, verùm etiam nova sacrorum Canonum Professura iisdem collata fuerit, à prædecessore nostro Matthæo Ferdinando Archiepiscopo Pragensi, cui Ordo Præmonstratensis & Cisterciensis, hactenùs alternativè laudabiliter, & cum notorio studiorum fructu præfuerunt; ulteriorem nobis instantiam, ex sequentibus urgentissimis rationibus pro adipiscendis in perpetuum tùm Theologiæ, tùm Philosophiæ Cathedris fecerunt. Et primò quidem, quòd nunc sæpedicti Ordines Cisterciensis & Præmonstratensis per gratiam & benedictionem Dei præclaris abundent subjectis, & imposterum nunquam defutura in Domino confidant ut non tantùm pro præsenti & instanti cursu, sed etiam pro cunctis futuris temporibus, præclaros & eximios Professores pro universis Archiepiscopalis Seminarii Cathedris providere spondeant, & appromittant. 2°. Quòd cùm majori ex parte hactenùs electi sint, & juxta probabilem rationem imposterum assumentur Prælati Ordinum ex iis, qui in hoc nostro Archiepiscopali Seminario vel docuerunt, vel saltem laudabiliter absolverunt dictis Ordinibus magnum accederet decus & emolumentum & plurimùm interfit ut plura habeant subjecta, quæ non tantùm intra ter-

terminos Philosophiæ prout hactenùs, sed etiam in altioribus speculativæ Theologiæ, & sacrorum Canonum scientiis docendo exerceantur, & perficiantur. 3°. Quòd longa & multorum annorum experientia docuerit, quantùm nocumenti, & præjudicii omnibus studiosis attulerit crebra & sæpiùs inexpectata dictorum Patrum Hybernorum Professorum mutatio, quorum assumptio licet dependeret ab Archiepiscopis Pragensibus, tamen propter regularem Professionem, & vota suæ Religionis, vel continuatio, vel amotio remaneret in dispositione Superiorum Ordinis, qui cùm sint semper in Provinciis remotis, non semper habent cognitionem & discretionem personarum prout expedit huic nostro Archiepiscopali Seminario, quemadmodùm abundè sæpiùs experti sumus; cùm è contra per oblatam nobis viam securi esse possimus, nullos, nisi benè notos & meritos Professores præsentari posse, & qui à nobis, & suis Abbatibus immediatè dependent. Nos igitur attentis hisce rationibus, & benè perpensis, habito etiam cum Metropolitano nostro Capitulo desuper concilio, & deliberatione pro nobis & successoribus nostris Archiepiscopis Pragensibus conclusimus & statuimus cum sæpiùs memoratis Ordinibus Abbatialibus, sequentem perpetuò duraturam conventionem & dispositionem. Primò cùm Ordo Benedictinus per temporis revolutionem maximè passus sit, eapropter eundem non cupientes gravare, nec circa turnum hactenùs à tempore incorporationis observatum, quidquam innovare cupientes; relinquimus in statu, quo fuit, ita ut non nisi Professores Philosophiæ singulis sexenniis, postquam videlicet Seminarium Archiepiscopale Ordo Præmonstratensis & Cisterciensis binis vicibus dedissent Professores, subministrare teneatur. Quòd si tamen successu temporis majus onus in se suspicere & tam Seminarium Archiepiscopale, quàm præfatos Ordines sublevare voluerit, non intendimus prævio tamen consilio & assensu dictorum dominorum Visitatorum qui hujusmodi onus in se susceperunt, viam præcludere. 2°. Cùm R. Pater Godefridus *Ster* ex Ordine Præmonstratensi sacrorum Canonum Professor sit emeritus & senior in Professura, volumus & declaramus, ut quandiù ipse Professor fuerit, præ aliis omnibus Professoribus habeat ubique præcedentiam, successor verò illius, quicumque fuerit, sive Cisterciensis, sive Præmonstratensis, non gaudeat eadem prærogativâ, sed sedeat post binos Theologiæ speculativæ Professores. 3°. Pro sequenti anno 1693. assumetur primarius Theologiæ speculativæ Professor unus ex tribus, qui à domino Visitatore Ordinis Cisterciensis ex suo Ordine legitimè præsentatus & à nobis denominabitur unus ex tribus à domino Visitatore Strahoviensi legitimè præsentatus. Notandum autem, quòd inter hos duos Professores quoad primam Theologiæ Cathedram erit ejus successionis, itaut si primarius quocumque modo & tempore Cathedram primariam dimittat, alter secundarius ipso facto sit primarius. Pro his verò duobus Professoribus Seminarium Archiepiscopale pendet eandem pensionem, quam pendebat Patribus Hybernis, antehac Professoribus, videlicet prò utroque simul centum & viginti florenos annuos. Tenebuntur autem Reverendissimi D. D. Visitatores pro his duabus Cathedris præsentare Doctores promotos, vel saltem intra annum promovendos. Intendimus tamen, ut quivis Professor Theologiæ speculativæ ad minimùm per sexennium continuentur, nisi vel mors vel gravis & diuturna infirmitas, aut legitima promotio per viam electionis ad aliquam dignitatem intra suum Ordinem intervenerit, quo casu Ordo ille qui interessatus fuerit, iterum alios tres idoneos ex quibus Archiepiscopus unum substituere queat, præsentare tenebitur. Extra hos casus nullus legitimè institutus Professor poterit ante finitum suum sexennium quocumque alio titulo à Cathedra amoveri, nisi cum prævio scitu & consensu Archiepiscopi Pragensis pro tempore existentis. Quòd si casus contingeret, vacante Sede Archiepiscopali, & Professorum ordinarius cursus moram non pateretur, omnia fiant respectu nostri Metropolitani Capituli, quæ Archiepiscopis nostris successoribus, vigore hujus conventionis fieri aliàs debuissent. 4°. Porro Cathedra Canonica inter præfatos Ordines Præmonstratensem & Cisterciensem alternabitur, & quidem quolibet sexennio tum ut subjecta cujusvis Ordinis in hoc studio magis exerceantur, & perficiantur, tum ut quivis Ordo sciens suum determinatum tempus, pro hac Cathedra possit disponere & providere de idoneis subjectis, nobis ad illam præsentandis. 5°. Cùm juxta modum hactenùs observatum, Seminarium Archiepiscopale, & hi duo Ordines bis subministraverint Philosophiæ Professores, & Ordo S. Benedicti semel tantùm; ideo etiam, dum futuris temporibus Professura Philosophica cadet super Seminarium Archiepiscopale, inter hos duos Ordines alternabitur, ita ut loco Seminarii Archiepiscopalis, modò det unus Ordo Professores, alterâ vice alter, & sic in perpetuum. Pro quibus Professoribus, eadem pensio pendetur à Seminario Archiepiscopali, quæ pendebatur Patribus Hybernis, nempe pro utroque simul centum & viginti floreni annui, & cùm 1694. Turnus futurus sit Ordinis Præmonstratensis, anno verò instanti 1693. Turnus sit Seminarii Archiepiscopalis, Professores Philosophiæ præsentabit Ordo Cisterciensis loco Seminarii Archiepiscopalis, & ita imposterum alternatio Professorum Philosophiæ per se cursum suum habebit ordinatum. 6°. Et ne in futurum, quoad præcedentiam publicarum disputationum seu defensionum inter hos duos Ordines seu eorum Religiosos, detur ansa ullius controversiæ, ordinamus, ut quando præsidebit Professor Ordinis Cisterciensis, habeat præcedentiam Religiosus Ordinis Præmonstratensis, & vice versâ; præter Alumnos Archiepiscopales, quibus prima disputatio semper competit & imposterum competet. 7°. Porro ut hæc dispositio, & conventio perpetuis futuris temporibus suum robur, & integrum effectum habeat, non tantùm eandem propriâ manu subscripsimus, & sigilli nostri appensione jussimus muniri, sed etiam nomine nostri Metropolitani Capituli pariter subscripta est à Domino Decano, & Capitulari sigillo communita. Quod ipsum etiam nomine suo & infrà scriptorum Regni Bohemiæ Abbatum fecere Reverendissimi D. D. Visitatores & Abbates, idque in tribus æqualiter confectis instrumentis, ut unum in Archivio nostri Seminarii Archiepiscopalis, ultima verò duo Reverendissimis D. D. Visitatoribus tradantur, & dictorum Reverendissimorum D. D. arbitrio relinquimus, ut hanc conventionem possint, suis tamen expensis curâre, à Romano Pontifice confirmari. Actum in residentia nostra Archiepiscopali die x. mense Novembri, anno Incarnationis Dominicæ 1692. Archiepiscopatûs verò nostri, anno decimo sexto. Joannes Fridericus Archiepiscopus Pragensis, manu ppâ. Wenceslaus *Pilech* à *Pilemberg* S. M. E. Decanus m. p. Frater Andreas Abbas Plassensis Ordinis Cisterciensis Visitator, & Vicarius generalis m. p. F. Henricus Abbas Sedleensis m. p. Milo Ordinis Præmonstratensis Abbas Siloënsis m. p. Vitus Abbas Strahoviensis Ordinis Præmonstratensis Vi-

ficator generalis m. p. F. Raymundus Abbas Teplensis Ordinis Præmonstretensis. F. Benedictus *Osjoci* m. p. F. Mathias Abbas S. Coronæ Ordinis Cisterciensis m. p. F. Bernardus Abbas Altovadensis Ordinis Cisterciensis m. p. F. Volfangus Abbas Aulæ Regiæ m. p. *sequitur legalitatum forma.* Quare tam venerabilis F. Modernus Archiepiscopus Pragensis, quàm exponentes præfatis nobis humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportunè providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur ipsum modernum Archiepiscopum, & exponentes specialibus favoribus & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas, à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis, à jure vel ab homine, quàvis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existant, ad effectum præsentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Trid. Interpretum, qui tam relationem dicti moderni Archiepiscopi sibi super præmissis transmissam, quàm votum dilecti filii nostri Leandri, ejusdem S. R. E. Cardinalis *Colloredi* nuncupati, cui Congregatio dictorum Cardinalium, negotium hujusmodi examinandum remiserat, attenderunt consilio, præinsertum conventionis documentum, cum omnibus & singulis conditionibus & declarationibus in eo contentis, & expressis, authoritate Apostolicâ, tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes & singulos juris & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus. Ita tamen ut si aliquando præfatorum Ordinum Prælatos deficere contigerit inobservantia obligationum ab ipsis susceptarum & signanter in præsentatione idoneorum virorum ad Cathedras, tunc & eo casu, liberum sit Archiepiscopo ejusque pro tempore successoribus, à præfata conventione recedere, ac salvâ semper in præmissis authoritate memoratâ Congregationis Cardinalium.

Decernentes easdem litteras præsentes firmas, validas & efficaces existere, & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, in omnibus & per omnia plenissimè suffragari. Sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum & inane si secùs super his à quoquam quàvis authoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari; non obstantibus, quatenùs opus sit, felicis recordationis Pauli II. & aliorum Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum, *de rebus Ecclesiæ non alienandis*, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Ecclesiæ Pragensis, nec non Seminarii, & Ordinum præfatorum, aliisve quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quàvis firmitate aliâ roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis, illorum tenores, præsentibus pro plenè & sufficienter expressis; & ad verbum insertis, habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hâc vice duntaxat specialiter & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die VI. Julii MDCXCVI. Pontificatûs nostri anno quinto.

G. Card. ALBANUS.

Charta Raimundi Archiepiscopi Toletani, quâ monasterium S. Columbæ *tradit Abbati* Retortæ *anno 1152.*

IN Dei nomine & ejus gratiâ, Ego R. Toletanus Archiepiscopus & Hispaniæ Primas, unà cum consensu Canonicorum S. Mariæ de Toleto, dono tibi Sanctio Abbati de *Retorta*, & universo pio Conventui Fratrum tuorum, monasterium illud sanctæ *Columbæ*, quod est situm extra muros civitatis Toleti, inter scilicet *Almuniam* quæ dicitur *la Moisora*, & pagum qui dicitur *Algondari*; tali, inquam, pacto dono tibi Sanctio Abbati, & successoribus tuis & concedo prænominatum monasterium, ut salvo jure & obedientiâ nostrâ & Ecclesiæ nostræ sanctæ Mariæ in proprium possideatis, & habeatis ad servitium Dei celebrandum, & ut ibi fundantur semper orationes Deo à Fratribus vestris, Deo suffragante, à vobis ibi constitutis, & divina celebrentur officia pro nobis & vobis, & pro benefactoribus nostris. Quod præstare dignetur, qui vivit & regnat Deus in secula seculorum, Amen.

Ego R. Dei gratiâ, Toletanæ Sedis Archiepiscopus confirmo.
Ego C. Archidiaconus Toletanus confirmo.
Ego W. Archidiaconus confirmo.
Ego Joannes Sacerdos testis confirmo.
Ego M. Scholarium Magister, testis.
Ego W. Prior, testis.
Ego R. Sacrista; testis.
Ego A. Sacerdos, testis.
Ego W. Sanctius, testis.
Ego Dominicus Capellanus, confirmo.
Ego Raymundus Crispus, testis.
Ego Fridericus Presbyter, confirmo.
Ego Antonius Presbyter, confirmo.
Ego P. Geraldi Diaconus & Cancellarius D. Archiepiscopi, testis.
Ego Sanctius Diaconus, testis.
Facta Charta mense Januario, æra 1190.

Bulla Alexandri III. pro Combalonga *anno 1162.*

ALexander Episcopus servus Servorum Dei, Dilectis filiis Abbati & Fratribus Ecclesiæ S. Laurentii de *Cumbalonga*, salutem & Apostolicam benedictionem. Licet omnium Ecclesiarum nobis sit, licet immeritis, cura & sollicitudo commissa, Religiosis tamen locis tantò fortiùs & attentiùs adesse compellimur, quantò in eis omnipotenti Domino gratius obsequium exhibetur. Eà propter, dilecti in Domino filii, vestris postulationibus annnuentes Ecclesiam vestram cum omnibus bonis & possessionibus suis quas impresentiarum justè & canonicè possidet, aut in futurum justis modis Deo propitio poterit adipisci, sub B. Petri & nostra protectione suscipimus & præsentis scripti patrocinio communimus. Ad hæc autoritate Apostolicâ prohibemus ne cui liceat sine manifestâ & rationabili causâ, in vos excommunicationis vel interdicti sententiam promulgare. Cùm autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis clausis januis, exclusis excommunicatis & interdictis, non pulsatis campanis, suppressâ voce, divina officia celebrare; sepulturam quoque ipsius loci liberam etiam decernimus, ut eorum devotioni & extremæ voluntati qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi fortè ex-

communicati, vel interdicti sint, nullus obsistat; salvâ tamen justitiâ illarum Ecclesiarum à quibus mortuorum corpora assumuntur. Ad indicium autem hujus à Romana Ecclesia perceptæ protectionis, nobis & successoribus nostris obulum aureum nomine censûs annis singulis persolvetis. Nulli ergo hominum liceat vos, vel Ecclesiam vestram temerè perturbare, aut possessiones vestras auferre, ablatas retinere, minuere, seu aliquibus vexationibus molestare, aut hanc paginam nostræ protectionis & Constitutionis infringere, vel ei aliquatenus contraire. Si quis autem attemptare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & Beator. Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Ferrariæ 2. Kal. Januarii. Pontificatûs nostri anno IV.

Charta Fundationis Oratorii omnium Sanctorum.

IN Nomine Domini Amen. Nos Nicolaus Præpositus, Goetzo Decanus, Conradus Thesaurarius, totumque Capitulum Ecclesiæ sancti Petri Argentinensis, ad universorum tam præsentium, quàm futurorum præsens scriptum intuentium, notitiam volumus pervenire, quòd fundationem *Oratorii de omnibus Sanctis*, infra limites parochiæ nostræ in suburbio civitatis Argentinensis........ in platea lapidea. Quod Oratorium discretus vir Henricus de *Mulenheim*, civis Argentinensis à *Præposito & Conventu monasterii omnium Sanctorum* in nigra sylva, Ordinis Præmonstratensis, Argentinensis Diœcesis, cui idem Oratorium hactenùs suberat, & ad ipsum monasterium omnium Sanctorum pleno jure pertinebat, comparuit, ac dotare intendit de bonis suis eidem Oratorio conferendis, ut exinde certus Clericorum secularium numerus in Sacerdotalibus Ordinibus constitutorum; pro divinis officiis inibi celebrandis perpetuis temporibus, sustentetur, admittimus, ipsique fundationi nostrum consensum pro nobis, & nostris successoribus universis, præsentibus, adhibemus sub modis, pactis, conditionibus & conventionibus infra scriptis; primò videlicet, quòd ipsi fundatori & ejus hæredibus licitum sit quinque præbendarios dicto loco præficere nec suis hæredibus aut successoribus, vel aliis personis extraneis quibuscumque hujusmodi numerum præbendariorum extendere; aut aliquas ulteriores in ipso Oratorio præbendas creare, qui quidem numerus, si contra dispositionem hujusmodi fuerit augmentatus, præbendarius vel præbendarii his cum reditibus sibi communiter, vel divisim pro præbenda deputatis, nullum jus celebrandi ibidem habere debebunt, nec aliquem sibi titulum in eodem Oratorio ex fundatione vel institutione quacumque sibi debent, vel poterunt vindicare, sed eo ipso quòd numerum prædictum excesserint præbendarii, ipsi eundem numerum excedentes cum reditibus deputatis eisdem ad dictam nostram Ecclesiam sancti Petri translati esse & devoluti censeri debebunt, nec non talium præbendarum collatio & plena dispositio ad Præpositum Ecclesiæ nostræ, qui pro tempore fuerit, devolvi debebit, nullo jure fundatoribus ipsarum præbendarum taliter excedentium in præbendis ipsis, vel reditibus deputatis eisdem quomodolibet reservato, si infra mensem à tempore denuntiationis per Præpositum, vel Decanum, vel Thesaurarium Ecclesiæ nostræ S. Petri ipsis factæ non desisterent cum effectu, ab hujusmodi præbendarum & præbendariorum creatione ultra numerum prætaxatum. Jus verò patronatûs, seu præsentandi præbendarios in eodem Oratorio ad quinque præbendas institutas, vel instituendas ibidem, apud Henricum de *Mulenheim* præfatum, quandiù vixerit, debet remanere. Post mortem verò ipsius ad filium suum antiquiorem, Clericum vel Laïcum, ac deinde ad alios filios antiquiores, sed post mortem filiorum omnium ad consanguineos proximiores, & antiquiores, per lineam masculinam descedentes & ad unicam tantùm personam debet hujusmodi jus devolvi & apud eosdem permanere, vel residere, nec ultrà numerum prætaxatum debet ipsi Henrico vel ejus in dicto jure patronatûs successoribus, vel aliis personis qualibuscumque, aliquod jus competere quamcumque personam præficiendi, vel præsentandi ibidem aut personæ cuicumque in eodem loco quemcumque titulum conferendi: & quia prænominatus fundator jus patronatûs hujusmodi quinque præbendariorum, sibi & suis hæredibus & successoribus reservavit, eapropter Oratorium ipsum nec esse nec imposterum constitui debet, vel poterit Ecclesia Collegiata, sed hujusmodi præbendarii creati, vel creandi ut singulares personæ, & non in modum Collegii in ipso Oratorio debent & possunt titulum sibi obtinere, nec aliquem inter se Superiorem, Rectorem vel Prælatum habere, sed sub Decani Ecclesiæ qui pro tempore fuerit correctione debebunt consistere. Si divina officia juxta ordinationem Patroni prædicti legaliter non peragentur & devotè, nullâ aliâ coercione, seu jurisdictione ulteriori quàm Decani sancti Petri, vel etiam alteri ejusdem Ecclesiæ Prælato in eosdem traditâ vel concessâ, salvâ nihilominus jurisdictione ordinariâ Raimundi in Christo Patris ac Domini nostri nunc Episcopi Argentinensis, vel suorum successorum, quantùm ad legem jurisdictionis vel Diœcesanam, quæ sibi in eodem loco competit, sicut in aliis Oratoriis, vel ipsis locis in civitate vel Diœcesi Argentinensi constitutis. Ut autem quinque præbendariis prædictis jus instituendi in spiritualibus & divina officia in dicto Oratorio celebrandi competat, inter nos & dictum fundatorem actum est, & conventum, ut quotiescumque aliquam ex dictis præbendis vacare contigerit ipse fundator, vel ejus in dicto jure patronatûs successor infra tres menses à tempore vacationis & notitiæ computandos, aliam personam idoneam actu Sacerdotem, Præposito Ecclesiæ sancti Petri prædicto, si existat in eadem Præpositus, alioquin Episcopo Argentinensi qui pro tempore fuerit pro præbendario debet præsentare instituendam ab eodem ad eandem, ipseque Præpositus infra mensem à tempore præsentationis hujusmodi, præsentatum, de eadem præbendâ simpliciter & de plano procedendo sine quolibet sportularum gravamine, investiri debebit, in qua investitura si se sine causâ rationabili gravem, vel negligentem redderet, ex tunc, lapso mense prædicto, investitura & jus investiendi hujusmodi eâ vice tantùm ad Reverendum in Christo Patrem & Dominum Episcopum Argentinensem prædictum vel successorem ipsius debet devolvi. Si autem dictus fundator, vel ejus in hujusmodi jure patronatûs successor infra dictum spatium trium mensium in præstando negligens existeret, vel remissus, ex tunc donatione sibi factâ per Præpositum vel Decanum Ecclesiæ sancti Petri, qui pro tempore fuerint, ut ad hujusmodi præsentationem procedat, si hoc infra unius mensis spatium à tempore denuntiationis hujusmodi numerandum facere neglexerit, eâ vice tantùm collatio, seu provisio præbendæ sic vacantis apud Præpositum ipsius Ecclesiæ sancti Petri si quis ibidem tunc Præpositus fuerit, alioquin apud Dominicum Episcopum Argentinensem residebit. Qui Episcopus, vel Præpositus collationem hujusmodi tenebuntur facere infra

infra mensem computandum à fine mensis prædicti post dictam denuntiationem currentis. Oblationes autem quascumque quas in dicto Oratorio ad truncum, altaria, ad pixidem vel ad stolam, seu ad alia loca quæcumque offerri contigerit, debeant per prædictos quinque præbendarios fideliter recolligi, & absque fraude in pixidem cum duabus serratiis, quarum una clavis apud nostram Ecclesiam, alia verò in dicto Oratorio, vel ipsius Oratorii præbendariis à quibuscumque personis communiter vel divisim faciendis sine fraude. Si autem donationes inter vivos quarumcumque rerum à quibuscumque personis, dicto Oratorio vel personis ejusdem fieri contingeret, pleno jure in rebus hujusmodi ipsis donatoribus reservato, Ecclesia nostra de hujusmodi rebus donatis nullam recipiet portionem. Si autem donator hujusmodi in rebus donatis usumfructum sibi reservaverit, vel alias pro aliquo censu, modò sine augmentatione ejusdem usque ad mortem suam ne condixerit, aut quælibet fraus ad auferendam Ecclesiæ nostræ portionem tertiam intervenerit, de illis rebus sicut de rebus legatis, Ecclesia nostra tertiam debet percipere portionem. Nec etiam eadem nostra Ecclesia aliquam sibi portionem vendicare poterit, vel debebit in rebus quibuscumque quas præbendarii dicti Oratorii qui pro tempore fuerint, eidem Oratorio vel sibi ipsis inter se communiter, vel divisim seputaverint, vel legaverint, vel donaverint donatione inter vivos, vel causâ mortis, seu alio quovis titulo ultimæ voluntatis, sive pro melioratione præbendarum suarum, vel ad alios usus quoscumque. Nostræ etiam intentionis non est quid de cereis, candelis, sive cerâ, neque de ovis, nucibus, leguminibus & aliis rebus similibus, quæ à Christi fidelibus ibidem offerri contigerint, neque de calicibus, casulis, albis, stolis, manipulis, pallis altarium, & rebus similibus ad indumenta Sacerdotalia, & ornatum altarium pertinentibus obventis ipsi Oratorio in modum quemcumque Ecclesia nostra aliquam percipiet portionem, sed omnia talia ipsi Oratorio integraliter & sine divisione qualibet Ecclesiæ nostræ facienda remanebunt. Unam etiam Ecclesia nostra portionem habebit in denariis secretalibus, quos ipsis præbendariis ad manus dari contigerit antequam aliquibus Sacerdotalibus ad missam spectantibus induantur, ita tamen quòd nullos vel inducant per se, vel per alios ad hujusmodi donationes taliter eis dandas, sic Ecclesia nostra suâ portione fraudetur. Sepulturam etiam, & jus sepeliendi in dicto Oratorio personas quascumque, sive sint parochiani nostri, sive extranei, nullam habeant, nec sibi jus sepeliendi personas aliquas valeant aliqualiter vendicare. Præbendariis ibidem nunc & imposterum Deo servientibus, nec non prædicto Heinrico Fundatore, ac etiam filiis & filiabus suis nunc extantibus, cum ipsorum & ipsarum conthoralibus, videlicet uxoribus filiorum, & maritis filiarum, qui filii & filiæ sunt isti: Walterus Canonicus Ecclesiæ nostræ, Joannes & Burchardus Milites. Joannes dictus *Bischoff*, & Heinricus armigeri. Katharina & Greda, atque quolibet successore Heinrici Fundatoris prædicti, ad quem jus patronatûs, sive jus conferendi præbendas, in dicto Oratorio, devolutum fuerit juxta descriptionem superiùs factam, duntaxat exceptis, quibus eligere sepulturam in dicto Oratorio liceat ac etiam obtinere, aliis autem personis quibuscumque, si placet, præter personas jam exceptas, à sepulturâ in dicto loco omninò exclusis. Statuo, quod absit, præbendarii ipsi vel aliæ personæ qualescumque contra hujusmodi Ordinationem & Conventionem, se in sepeliendis personis quibuscumque intromitterent, extunc Thesaurarius, vel Officiati alii in Ecclesia nostra, & Canonici funera hujusmodi propriâ authoritate recipere poterunt & auferre, ac ipsos præbendarios per se aut alios quoscumque, etiam sine judicio quocumque, authoritate propriâ à sepulturâ hujusmodi prohibere. Cæterùm dicti præbendarii parochianis nostris, vel etiam extraneis quibuscumque, nulla Sacramenta Ecclesiastica ministrare, vel confessiones ipsorum audire, ac pœnitentias ipsis injungere debent, nec possunt absque licentiâ Thesaurarii vel Plebani, qui pro tempore fuerint specialiter determinati. Confessiones tamen inter seipsos dicti præbendarii audire poterunt, & pœnitentias injungere prout ipsis Dominus dederit faciendum. Debent etiam dicti præbendarii in interdictis vel cessationibus quibuscumque generalibus, vel singularibus Ecclesiæ nostræ, nullâ exceptione nullitatis vel iniquitatis hujusmodi interdictionum vel cessationum oppositâ, postquàm hujusmodi interdictum, vel cessatio ad ipsorum præbendariorum notitiam pervenerit, se eidem Ecclesiæ nostræ conformare. Si autem ex aliquibus Ecclesiæ nostræ Canonicorum dissentionibus & eorumdem inter se vitiationibus, Divina in Choro Ecclesiæ nostræ contingeret impediri, & tamen Viceplebanus Ecclesiæ nostræ, absentibus Canonicis, qui vitantur, divina officia posset celebrare, vel etiam celebraret tunc & ipsi, si volunt, Divina poterunt celebrare. In processionibus etiam quæ fiunt extra terminos seu limites Ecclesiæ vel Parochiæ nostræ, debent ipsi præbendarii ad requisitionem Decani & Capituli nostri convenire, ac eisdem processionibus cum habitu Religionis sicut alii Ecclesiæ nostræ præbendarii interesse, in ipso etiam Oratorio duabus tantum campanis contenti esse debent. Ut autem præmissa omnia & singula rata permaneant, atque firma, nec imposterum quâvis occasione possint infringi, quilibet ex dictis præbendariis in dicto Oratorio constitutus vel instuendus, postquàm per Præpositum, vel Capitulum fuerit institutus, statim absque moræ intervallo, tacto libro Evangeliorum, juramentum præstare tenebitur sub hac forma. Ego talis, præbendarius Oratorii, taliter juro ad hæc Dei Evangelia corporaliter per me tacta, quòd prædictos modos & pacta ipsi Oratorio nostro & præbendariis ejusdem Oratorii in sui fundatione impositos & imposita, in quantum me tangunt vel tangere poterunt, fideliter & sine dolo servabo, nec contra præmissa, vel aliqua ex eis per me, vel per alium, aut alios à sede Apostolicâ, vel aliundè aliquas litteras, privilegia, vel indulgentias impetrabo, vel aliis impetrata, aut etiam à sede Apostolicâ proprio motu concessa, ratificabo, vel impetratis, aut concessis hujusmodi utar, vel in ea ullo unquam tempore consentiam, sic me Deus adjuvet & quatuor conditores Evangeliorum. Præterea nos Præpositus & Decanus Thesaurarius & Capitulum supradicti, pro nobis & nostris in dicta Ecclesia sancti Petri successoribus universis, promittimus & præsentibus nos adstringimus prænominatum Heinricum fundatorem, & ejus in dicto jure patronatûs successores universos, denique Oratorium & præbendarios institutos vel instituendos ibidem, servatis nobis & Ecclesiæ nostræ prædictæ conditionibus & conventionibus supra scriptis, ultra easdem, non inquietare, vel aliquas eis aut contra eos molestias, vel gravamina inferre, seu facere, aut inferri, vel fieri procurare, & si ipse fundator vel ejus successores prædicti aut præbendarii prælibati præmissa vel aliqua ex eis infringerent, aut contra ea facerent, vel venirent, præter alias pœnas suprà positas, in suo vigore & statu debent

persistere, procedi contra eos poterit & debebit Ecclesiasticam per censuram, quod etiam procedi videtur per Ecclesiasticam censuram, contra nos & nostros successores fieri poterit, si contra tenorem præsentis instrumenti, dictos præbendarios vellemus molestare vel gravare minùs justè; renuntiantes nos & Henricus de *Mulenheim* prædictus pro nostris & suis successoribus universis exceptionibus doli mali, actioni in factum, beneficii restitutionis in integrum, rei non ita gestæ litteris, indulgentiis vel p r vilegiis à Sede Apostolica vel aliundè impetratis, vel impetrandis, consuetudinibus & statutis, tam publicis, quàm privatis, quibus nos & successores nostri, vel ipse Henricus & sui hæredes, seu successores ad veniendum contra præmissa directè vel indirectè qualitercumque juvari possemus, quibus omnibus & singulis suprascriptis de consensu expresso nostri & Henrici fundatoris præfati, Reverendus in Christo pater & Dominus Dominus Joannes Episcopus Argentinensis, consensum & authoritatem suam adhibuit, ea omnia & ex certa scientia confirmando, si quid eis solemnitatibus deesset ex sua ordinaria potestate supplendo. In quorum omnium & singulorum evidens testimonium & probationem sigilla nostra unà cum sigillis Reverendi Patris & Domini Domini Episcopi, necnon Henrici Fundatoris prædictorum, appendi mandavimus ad præsentes. Ego Henricus de *Mulenheim* prædictus, ne ex fundatione præbendarum secularium Canonicorum, quam in dicto Oratorio facere intendo, Ecclesiæ sancti Petri prædictæ & ipsius parochiæ aliquod præjudicium generetur, vel ipsi parochiæ in juribus suis parochialibus ex fundatione ipsâ nunc vel imposterum aliquatenùs detrahatur, in præmissas conditiones, conventiones, modos & pacta, renuntiationes & pœnas pro me, & universis hæredibus meis, seu successoribus meis, consentio, ipsasque & eos laudo, accepto & approbo in his scriptis & in eorumdem testimonium sigillum meum, unà cum sigillo Reverendi Patris ac Domini mei Episcopi prædicti, atque sigilla prædictorum Dominorum Præpositi, Decani, Thesaurarii & Capituli, præsentibus appendi mandavi. Nos Joannes, Dei gratiâ, Episcopus Argentinensis prædictus, considerantes quòd ex nova fundatione dicti Oratorii & donatione ejusdem pro secularibus Clericis actu Sacerdotibus creandis & sustentandis ibidem, magna & gravia pericula & damna possent dictæ Ecclesiæ sancti Petri & ejus Parochiæ evenire ac multa scandala inter personas ipsius Ecclesiæ S. Petri & præbendarios dicti Oratorii suboriri, si prædictæ obligationes, conventiones, renuntiationes & pœnæ in fundatione ipsâ appositæ non fuissent, quod præfatus Fundator ad suæ uxoris ac progenitorum & successorum suorum animarum remedium prævidisset, tendere posset ad noxam, quia juxta Canonica instituta Ecclesiasticus Ordo cito posset confundi, si suam unicuique Ecclesiæ jurisdictionem non contingeret observari, ad providendum quieti & tranquillitati eorumdem Ecclesiæ Oratorii & personarum, ipsorum præmissis conventionibus, conditionibus, pactis, modis, renuntiationibus, obligationibus & pœnis, consensum & authoritatem nostram interposuimus, & præsentibus adhibemus, omnia & singula suprascripta, ex certâ scientiâ confirmantes; & si quis alicujus solemnitatis in præmissis subesset defectus, illum authoritate nostrâ supplemus, & in præmissorum robur & efficax testimonium, præsentes nostras, prædictorum Præpositi, Decani, & Thesaurarii ac Capituli, necnon Henrici de *Mulenheim* sigillorum appensione munitas, sigillo nostro magno eisdem appenso, efficaciùs duximus roborandas. Actum & datum Kalendas Octobris anno Domini 1317. Hujus instrumenti duo sunt paria quorum unum apud dictam Ecclesiam sancti Petri; aliud apud dictum Fundatorem remanebit.

Charta Fundationis Præpositura Conradstorffii *1191.*

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Conradus, Dei gratiâ, Sabinensis Episcopus, Moguntinæ Sedis Archiepiscopus, in perpetuum. Ex injuncto nobis à Deo sacri Pontificatûs officio, tenemur quidem omnibus Christi fidelibus, pio charitatis affectu adesse, specialiter autem Ecclesiis Dei & ad nos respectum habentibus Ecclesiasticis personis, quæ sub regularis observantiæ disciplina Deo devotiùs obsequuntur, cùm opportunum fuerit, debemus & volumus, consilii & auxilii nostri adminiculum libenter impendere. Eâ ducti consideratione, notum fieri volumus, tam futuri quàm præsentis ævi Christi fidelibus universis, quòd fidelis noster ac dilectus Hartmannus de *Budingen* cœnobium in *Conradisdorff* à suis parentibus & ab ipso summa cum devotione contractum, cum omnibus possessionibus suis quas vel nunc possidet, vel imposterum possidebit, Ecclesiæ Moguntinæ contradidit. Præterea suis studiis accedentibus & consiliis, matrix Ecclesia in *Glauburg* præfato cœnobio collata est in hunc modum. Hartmannus de *Budingen* jus investiendi quod in eadem Ecclesia ab Henrico de *Hagenowe* in beneficio tenuit, eidem Henrico resignavit, deinde Henricus, rogatu nostro, jus investituræ, quod ipse super eadem Ecclesia à nobis feodali jure tenebat, nobis resignavit, postmodùm eandem Ecclesiam ad nos liberè & legitimè sic translatam, de consensu Archidiaconi Conradi, sanctæ Mariæ ad Gradus in Moguntia tunc Præpositi, præfato cœnobio contulimus perpetuò possidendam, eo libertatis tenore, ut quo ipsa Præpositura de manu Archiepiscopi confertur, Archidiaconus nullum jus Synodale in eadem Ecclesia habeat, sed tantùm ille, quem in officio Præpositi cœnobio in *Conradisdorff* contigerit præesse. Sciendum quoque, nos decimas illorum omnium novalium, quæ infra terminos jam dictæ parochiæ fuerunt excolenda, eidem cœnobio contulimus, & si qua novalia Fratres ibidem Domino servientes, propriis manibus vel sumptibus laboraverint, nullas inde decimas persolvent. Insuper sciendum quòd Hartmannus de *Budingen*, quandiu vixerit, ejusdem cœnobii advocatiam habebit, post obitum verò suum, quicumque in genere suo proximus hæres ejus fuerit, Advocatus erit, sine feodo tamen advocatiæ, & sine omni utilitate, tantùm ad deffensionem loci ejusdem & protectionem destinandus; & si fortè Advocatus cœnobio in aliquo gravare attentaverit, advocatia ad Dominum transeat Archiepiscopum, qui tunc Moguntinæ præsidebit Ecclesiæ, nec licebit Domino Archiepiscopo eam alicui infeodare, vel Præposituram ab Ecclesia Moguntina alienare.

Hæc omnia in præsentia & sub testimonio Ecclesiæ nostræ, eo modo quo jam diximus, ordinata sunt à nobis in generali Synodo Moguntinâ præsidentibus.

Si quæ igitur in futurum Ecclesiastica vel sæcularis persona, hanc nostræ Constitutionis paginam infringere attentaverit, nisi, secundò vel tertiò commonita, resipuerit, & dignè satisfecerit, authoritate Dei omnipotentis & Apostolorum Petri & Pauli, Apostolicæ Sedis, Beati Martini & no-

strâ, anathemati subjaceat, & cum Dathan & Abiron quos terra vivos absorbuit, accipiat portionem. Testes sunt. Arnoldus major Præpositus. Burchardus Præpositus S. Petri. Wernerus Præpositus S. Stephani; Wordutinus Præpositus S. Victoris. Conradus Præpositus S. Mariæ ad gradus. Henricus major Decanus. Rucherus Custos. Petrus Scholasticus. Godefridus Cantor.

MAJORIS ECCLESIÆ CANONICI.

Henricus, Fridericus, Ruchardus, Conradus, Sifridus, Conradus Archipresbyter, Simon Cellarius. Gerbodo Heinricus. Berdoldus, Decanus S. Petri. Theodoricus Cantor. Richardus Decanus S. Stephani, Wernerus Scholasticus. Wernerus Cantor. Æmilius Decanus S. Victoris. Heinricus Scholasticus. Embrico Decanus S. Mariæ in Campis. Arnoualdus Decanus S. Mariæ ad gradus. Gislebertus Scholasticus. Gislebertus Cantor. Heinricus Abbas S. Albani. Hezechius Abbas S. Jacobi. Godefridus Abbas de *Blindenstad*. Gebehardus Abbas S. Disiboldi. Benedictus Abbas de Monte S. Joannis

LAÏCI.

Gerlacus Comes de *Weldenzin*. Emercho Comes Irsutus. Bertoldus Comes de *Nidec*. Wernerus Comes de *Widenchenstein*. Hardardus de *Merenberg*. Reinhardus de *Dorneld*. Heinricus de *Hagnowa*. Cuno de *Mynzemberg*. Acta sunt hæc anno Dominicæ Incarnationis MCXCI. Indictione IX.

Charta Institutionis administratoris Conrasdorffii *1636*.

EGo Joannes Baptista Sylvius S. R. E. Protonotarius, monasteriorum B. Mariæ Magdeburgensis & S. Swiberti Quidsenburgensis Canonici Ordinis Præmonstratensis, Præpositus respectivè & Administrator, omnibus præsentes visuris salutem in Domino & obsequium.

Cùm jam temporum duriorum angustias, mediante Cæsareæ Majestatis clementissimâ diviniùs concessâ ope, aliquantisper tractu temporis in dies (Deo sint laudes) residere, mitigarique conspiciamus, & depulsis partim perduellibus, loca Religiosa quæ hactenùs ob grassantes bellicos tumultus deserta fuere, ad obedientiam, & solius Catholicæ Religionis exercitium reducantur, monasteriisque desertis, alii Directores, sive Administratores legitimè præficiantur, mandavit sacri & Canonici Ordinis nostri Præmonstratensis Reverendissimus D. Generalis suis Procuratoribus, Vicariis & generalibus Visitatoribus, deditque facultatem ut sive per se, sive per alios delegatos commissarios, desertis cœnobiis Ordinis nostri de idoneis personis ac incolis primo quoque tempore prospicerent ac providerent, ob varias difficultates & incommoditates devitandas.

Nobis igitur quoque ab admodùm Reverendo in Christo Patre ac Domino Joanne Abbate Ninivensi, & Ordinis nostri Procuratore generali, ac per superiorem Germaniam Reverendissimi Domini Præmonstratensis Vicario & generali Visitatore, facultas concessâ & per quasdam Germaniæ Circarias in scriptis commissio demandata est, ut ipsius vices in locis iis quæ ipsemet ob nimiam distantiam commodè visitare nequiret, suâ authoritate plenariè gereremus. Cùm verò interea temporis, nobis innotuit cœnobium Conrasdorffiense, antehac per vim Edicti Cæsarei recuperatum, Directore sive Præposito jam pro tempore carere ac destitui; certâ de scientiâ, justisque quantum humana discernit ratio, & confidimus, de causis, Te Patrem Norbertum *Nußbaum* Ilbenstadiensis monasterii Presbyterum Canonicum expressè professum, authoritate Reverendi admodùm Domini Ninivensis Vicarii generalis, mihi concessâ pro interim, in Administratorem cœnobii dicti Conrasdorffiensis constituimus ac constitutum volumus, curamque omnimodam demandantes tibi tam in spiritualibus quàm secularibus committimus, ac de tua vigilantia, sollicitudine & sufficientia nihil dubitantes, confidimus te omnia & singula juxta Statutorum præscriptiones tam Ordinis, quàm Religionis zelo, uti servum Dei decet, fideliter curaturum. In quorum fidem hisce propriâ manu subscripsimus Coloniæ 22. Junii 1636.

F. JOANNES BAPTISTA SYLVIUS Præpositus.

Charta Donationis & Fundationis Corneoli *anno 1134*.

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ego Ansericus * Bisuntinæ Ecclesiæ Archiepiscopus; Quia Pontificali Cathedræ, Deo authore, licet indigni præsidemus, etsi omnibus nostræ Diœceseos fidelibus, prout facultas suppetit, in communi prodesse debemus, circa illos tamen, qui, abjectâ mundi sarcinâ, felici naufragio, ad placidum & tranquillum contemplationis portum enatarunt, perpetuò vigilare decrevimus, quatenùs piâ vicissitudine, eorum orationibus, aliquod nostræ subsidium comparemus. Notum igitur esse volumus, tam præsentibus quàm futuris, qualiter locum, qui *Corneolus* * dicitur, cum terris, aquis, piscariis, sylvulis, & omnibus ad eum locum pertinentibus, ad consilium & ordinationem Domini Galteri Abbatis S. Martini Laudunensis cœnobii, Reinaldus nostro assensu tradidit, hoc interposito ut Abbas in eodem loco constituatur qui cum subjectis sibi Fratribus, secundùm S. Augustini regulam, ad tenorem Laudunensis cœnobii vivat. Si verò Abbas *Corneolensis*, ab ordine & consuetudine Laudunensis cœnobii deviaverit, Abbas S. Martini super correctione sua, bis tertiòve, eum commonebit. Quòd si incorrigibilis apparuerit, Archiepiscopus Bisuntinensis sub præsentia & testificatione Abbatis S. Martini & duorum ejusdem Ordinis Coabbatum, in Ecclesia Bisuntinensi, sine omni dilatione, & reclamatione majoris audientiæ, Ordinis sui transgressorem deponat. depositum autem illum, Archiepiscopus Bisuntinensis ad Ecclesiam B. Martini remittet, & alium idoneum, Canonicâ Fratrum electione, & Abbatis Laudunensis consilio, è vestigio subrogabit. Abbas autem S. Martini, de quo prædictus locus, scilicet *Corneolus*, Religionis suæ sumpsit exordium, ab omni illum temporalis commodi exactione, tam in præsenti quàm in futuro absolvit. Ut verò ibi ordo teneatur, invigilabit, & ob laboris sui mercedem, juges ibidem orationes habebit. Ut autem Fratres, qui ad eum locum, pro salute animæ suæ convenerint, sine omni inquietudine, soli Deo vacare possint, ab omni exactione tam nostrâ, quàm ministrorum nostrorum illos absolvimus. Canonicam verò Abbatum professionem, & filialem obedientiam, ac in Synodo nostra illorum præsentiam, & assiduas orationes, tam nobis quàm successoribus, in eodem loco retinemus. Præthereà confirmamus eidem loco & Fratribus Domino famulantibus ibidem, locum, qui *Manniacus* dicitur, quem idem Reinbaldus obtinebat, & annuente Reinbaldo Comite & Gerardo de *Strabona*, qui & ipse locum de Comite tenebat, eisdem contradidit Fratribus. Narduinus de *Straboná* situm molendini & allodium, quod ibidem ha-

* Ex Decano Æduensi fit Archiepiscopus Bisunt. anno 1117. moritur 12°. calend. maii 1134.

* Corneux.

cientes decrevimus, ut universa quæ nunc inibi commanentes Fratres possident, vel quæcumque in futuro, concessione Ecclesiasticâ, largitione Principum vel oblatione fidelium justè & canonicè poterunt adipisci, firma illis illorumque successoribus & illibata permaneant. Ut autem hæc rata & concussa permaneant in perpetuum, hoc scriptum fieri jussimus, & sigilli nostri impressione, & testium subscriptione roborari præcepimus; & ne quis aliquid horum infringere temerariè præsumat, anathematis sententiam interposuimus. Actum anno Incarn. Domini 1134. Indict. 12. Epactâ 23. concurrente septimo.

Hujus rei testes sunt, Petrus Decanus sancti Stephani, Hugo & Volbertus Archidiaconi, Zacharias Doctor Scholarum, Hugo Decanus de *Dolla*, Albericus Decanus, Vicecomes Bisontinensis, Hugo & Symeon Dapiferi, Aymo Pincerna, Hugo Marescallus, Petrus Villicus Bisontinensis.

Charta Ottonis Comitis Burgundiæ, pro confirmatione bonorum & libertatum Corneoli, *anno 1195.*

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ego Otto (*a*) Comes Palatinus Burgundiæ, omnibus scire volentibus, rei gestæ notitiam. Justæ petitionis desiderium, quod ad religionis pertinere dignoscitur augmentum, sine dilatione est Deo authore, complendum. Quapropter, dilectissime Gervasi in Domino, tuis, tuorumque inclinamus desideriis, & tuæ tibique succedentium providentes utilitati, Abbatiam S. Mariæ de *Corneolo*, cum omnibus possessionibus suis, & legitimis eleemosynis, quas largitate fidelium impræsentiarum possidetis, vel legitimè acquirere poteritis auctoritatis nostræ clypeo protegendum confirmamus, scilicet Abbatiam de *Corneolo* cum terris, pratis, aquis, molendinis, piscariis aquarumque decursibus, pasturis & sylvis, in potestate de *Graïaco*, lacum de *Anci*, vetus *Corneolum* cum appenditiis suis, grangiam de *Bonvillers*, cum possessionibus suis & pasturis, grangiam de *Majnil* cum appenditiis suis, allodium cum molendino, Nardium de *Noiront*, grangiam de *Arcens* cum possessionibus suis, grangiam de *Valay* cum possessionibus, usualibus & molendinum de *Planchis*, grangiam *Maigny* cum possessionibus & usualibus suis, divisionem territoriorum inter *Maigny* & *Ugier*, quemadmodum bonæ memoriæ Beatrix Imperatrix Romæ mater mea (*b*) consilio proborum virorum scilicet Odonis Campanensis, Magistri Danielis, Hugonis *Belli-joci*, & aliorum multorum terminari præcepit, & sigillo suo munivit, molendinum juxtà *Maigny* terras & prata, quas habetis apud *Soornay*, cum usualibus suis, & apud *Morègne*, & apud *Bay*, terras & prata cum usualibus suis, molendina de *Banne*, & piscarias in *Loignon*, grangiam *S. Mauritii*, cum possessionibus & usualibus suis, vineas de *Jai*, vineas & terras apud *Beljoy*, domos & vineas, & medietatem *Calderiae*, & census nummorum apud *Salins*, apud *Dolam* census nummorum, mansum & pratum apud *Vauer*, Maraydas & terram apud *Bombalum*, homines cum possessione sua apud *Gray*. Ut ergo hæc omni tempore rata & inconcussa permaneant, sigilli nostri impressione jussimus communiri. Hujus rei testes sunt Magister Daniel, Jeromundus de *Tremblay*, Bernardus de Bizuntio, Conraldus Notarius, Renaldus Clericus de Dola. de Canonicatu Ecclesiæ, Herbertus Martinus, Humbertus Sacerdos. Datum feliciter apud *Gray* anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo nonagesimo quinto.

Charta Ottonis Comitis Burgundiæ, quâ monasterii de Corneolo *bona omnia confirmat, & in suam protectionem suscipit, anno 1294.*

NOs Otho, (*c*) Dei gratiâ Comes Burgundiæ & Dominus Salinensis, Religiosis personis & honestis Abbati & toto Conventui monasterii Beatæ Mariæ de *Corneolo* Ordinis Præmonstratensis, Bisuntinæ Diœcesis salutem & gratiam. Cùm à nobis petitur quod justum est & honestum, nostri sanguinis altitudo, ac nostræ potentiæ liberalitas exigit, ut ad debitum perficiatur effectum, maximè cùm ad pacem & quietem sanctæ Matris Ecclesiæ & ipsius ministrorum cognoscitur pertinere. Quapropter viri Religiosi, nos devotionem vestram, solitudinem & labores continuos, quos divino culuti infatigabiliter impenditis & noctibus & diebus, attendentes, vestris justis petitionibus inclinamus, vos & vestra omnia in nostra protectione & custodia recipientes, dona, concessiones, gratias, eleemosynas, beneficia & etiam omnia alia de quibus modò possessionem pacificam obtinetis ex munificentia & liberalitate Domini Patris nostri, & Dominæ matris nostræ & omnium progenitorum & prædecessorum nostrorum, vobis & prædecessoribus vestris, nomine Ecclesiæ vestræ de *Corneolo* in Villis & Burgis, in Castris, in feudis in refeudis, justitiis, jurisdictionibus, in hominibus taillabilibus, vel non taillabilibus, in terris arrabilibus vel non arrabilibus, in nemoribus & pascuis, in sylvis usualibus seu usagiis, in pratis, in aquis, in furnis, & molendinis, in aquarum decursibus, in patronatibus Ecclesiarum, in decimis, in tertiis, & aliis servitutibus quibuscumque in Comitatu nostro, & in tota terra nostra, facta, concessa & tradita, rata & firma habemus & eisdem tanquam Princeps & Dominus consentimus, approbamus, ac etiam ex speciali gratia & ex certa scientia confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communivimus, inhibentes ne quis jurisdictioni nostræ subditus, super his prædictis omnibus vos inquietet vel molester, mandantes Baillivis nostris, Præpositis, villicis & servientibus qui ad presens sunt, & etiam aliis in futurum constituendis, ne in prædictis juribus vestris vos unquam permittant molestari; sed vos & vestra tanquam nostra tueantur. Datum apud *Gray* anno millesimo ducentesimo nonagesimo quarto, mense Aprili.

Constitutio Clementis Papæ IV. Bonorum & Immunitatum Corneoli *confirmatoria, anno 1261.*

CLemens Episcopus, servus Servorum Dei, Dilectis Filiis Abbati monasterii de *Corneolo*, ejusque Fratribus tam præsentibus quàm futuris re-

(*a*) Otto sive Odo III. filius Hugonis III. & Aleïdis à Lotharingia, Albigensibus bellum indixit & fecit anno 1209. moritur anno 1218. 6. Julii; jacet in Ecclesia Cistertii.

(*b*) Haud scio cur Beatricem appellet Imperatricem Romæ, imò & matrem suam, cum mater Odonis III. fuerit Aleidis filia Matthæi I. Lotharingiæ Ducis. Fortè aviam dicere voluit, Bertham scilicet sive Beatricem Sororem Friderici I. Imper. & Conradi III. neptem, quæ Matthæo. Lotharingiæ Duci in matrimonium locata est, quæque ob Imperialem suam prosapiam Imperatricis nomen obtinebat.

(*c*) Odo IV. filius Roberti II Ducis Burgundiæ Thessalonicæ Regis & Agnetis de Francia filiæ S. Ludovici, Comitatum Burgundiæ debuit adiisse vivente adhuc patre, cum ejus supremum diem annotent scriptores ad 12. Octobris 1305. Tardiorem facit annis tribus Vignier in hist. Ducum Burgundiæ,

gularem vitam professis in perpetuum. Religiosam vitam eligentibus Apostolicum convenit adesse præsidium, ne fortè cujuslibet temeritatis incursus aut eos à proposito revocet, aut robur (quod absit) sacræ Religionis infringat. Quapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus & monasterium de *Corneolo*, Bizuntinæ Diœcesis, in quo divino estis obsequio mancipati, sub Beati Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus. Inprimis siquidem statuentes, ut Ordo Canonicus qui secundùm Deum & B. Augustini regulam atque institutionem Præmonstratensium Fratrum, in eodem monasterio institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascumque possessiones, quæcumque bona idem monasterium in præsentiarum justè & canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, aut aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus, & illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis; locum ipsum in quo præfatum monasterium situm est, cum omnibus pertinentiis suis, jus patronatûs quod habet in Ecclesiis de *Permey*, de *Salveigney* de *Wedans*, de *Grayaco*, de *Bautherans*, de *Cresanay*, de *Chantonay*, de *Veneres*, de *Bay*, de *Sornay*, de *Gil*, de *Buayo*, de *Mostier* supra Segnam, de *Angerey*, de sancto Benigno, de *Velesmo*, & Capellis dependentibus ab eisdem; decimas quas habetis in villa quæ *Chargeum* nominatur, mansos cum pertinentiis eorundem quos habetis ibidem, mansos cum pertinentiis eorundem quos habetis in villa quæ *Veruz* nominatur, pascua, usagia, nemora quæ in territoriis de . . . . *Esculley*, *Veruz*, *Prantigny*, *Chargy*, & *Monsterel*, vulgariter nominantur. Domum, furnum, mansos cum pertinentiis eorundem quæ habetis in villa quæ dicitur *Bellus-jocus*: terras, vineas, prata, possessiones, pascua quæ habetis . . . . in sylvis ejusdem villæ; decimas & vineas quas habetis in villa quæ nominatur, *Petra-jovis*. Decimas & terragia quæ habetis in villis quæ *Mostier*, *Marcei*, *Halosantel*, nominantur; mansos cum omnibus pertinentiis eorundem quos in villa de *Savoeil* possidetis. Annuum redditum sexaginta solidorum stepaniensium quem habetis in pedagio quod *Seven* nominatur. Annuum redditum quatuor bicetorum bladi, quem habetis in villa quæ *Fuchsvolles* nominatur. Villam quæ *sanctus Benignus* nominatur, cum omnibus pertinentiis suis; jurisdictionem temporalem, domum, decimas, terras, prata, nemora, terragia, molendinum cum aquarum decursibus, piscarias, ac annuos reditus denariorum quos habetis ibidem. Domum, decimas, mansos cum eorum pertinentiis quos habetis in villa quæ *Salvaigney* nominatur. Decimas quas habetis in villa quæ *Angirey* nominatur; terras, vineas, prata, possessiones & pascua ac usum lignorum quæ habetis in territorio & in sylvis loci ejusdem, mansos cum pertinentiis eorundem. Decimas, terras, prata, possessiones, molendinum, pascua & usus nemorum quæ habetis in villis quæ *Busoe* & *Roches* nominantur. Mansos cum eorum pertinentiis, decimas, terras, prata, possessiones quas habetis in villis quæ *Choye*, *Charsenne* & *Cytans*, vulgariter nominantur. Pascua & usus lignorum quæ in territoriis & sylvis villarum obtinetis, ipsarum domos, vineas, terras, terragia, prata, nemora, mansos cum eorum pertinentiis, & possessiones quæ habetis in villis quæ *Velermum*, *Nantue*, *Chantonay*, *Veneres*, *Onmay*, *Noiron*, *Cresancey*, *Loncourt*, *Valay*, *Ongie*, *Sornay*, *Con*, *Bay*, *Bombaylon*, *Chancey*, *Mostier*, *Montaigney*, *Avadans*, *Ressie*, *Velet*, *Lencort*, *Grayl*, *Ancier*, *Bautherans*, & *Sornay*, nominantur. Nec non & redditus annuos denariorum quos habetis ibidem, pascua, & usagia nemorum quæ in territoriis & sylvis villarum obtinetis ipsarum. Villam de *Moroingne*, cum omnibus pertinentiis suis; jurisdictionem temporalem, molendina cum aquarum decursibus & omnibus pertinentiis eorum, quæ habetis in loco qui *Benna* nominatur. Piscarias quas habetis in fluminibus quæ *Longnion* & *Drujon* nominantur. Lacum quem habetis in finagio villæ, quæ *Ancier* vocatur. Mansos cum omnibus pertinentiis eorundem quos in villa quæ *Corre* nominatur, habetis. Furnum quem habetis in villa quæ *Charvant* nominatur. Annuos redditus denariorum quos habetis in villa quæ *Frambloy* nuncupatur. Annuum redditum trium bicetorum bladi quem habetis in grangia de *Charvant*; mansum cum pertinentiis suis quem habetis in villa quæ *Salins* nominatur. Annuos redditus denariorum salis & aquæ de qua sal conficitur, terras, vineas & prata quæ habetis ibidem. Annuos redditus denariorum quos habetis in villa quæ nominatur *Dola*. terras, prata & pascua quæ habetis in loco qui nominatur *Bureyum*. Prata cum eorum pertinentiis, quæ habetis in loco qui vocatur *Onna*. Mansos, decimas terras & prata quæ habetis in villa quæ *Eschevanne* nominatur. Usagium & pascua quæ habetis in sylva quæ vocatur *Rappe*. Usagium quod habetis in sylva quæ dicitur *Bellavarra*. Grangias quas habetis in locis qui *Grayaci*, *Maignacus*, *sanctus Mauritius*, *Bonusvillaris*, *Arcens*, *Desellangs*, *vetus Corneolum*, *fons Stephanus* & *Bellus-jocus*, vulgariter nuncupantur, cum terris, pratis, vineis, nemoribus, usagiis & pascuis in bosco & plano, in aquis & molendinis, in viis & semitis, & omnibus aliis liberalitatibus & immunitatibus suis. Sane novalium vestrorum quæ propriis manibus aut sumptibus collitis, de quibus aliquis hactenùs nihil percepit, sive de vestrorum animalium nutrimentis, nullus à vobis decimas exigere, vel extorquere præsumat. Liceat quoque vobis Clericos vel Laïcos, liberos & absolutos è sæculo fugientes, ad conversionem recipere, & eos absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper ut nulli Fratrum vestrorum post factam in monasterio vestro professionem, fas sit sine Abbatis sui licentia, de eodem loco, nisi arctioris religionis obtentu, discedere; discedentem verò absque communium litterarum vestrarum cautione, nullus audeat retinere. Cùm autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis clausis janSis, exclusis excommunicatis & interdictis, non pulsatis campanis, (dummodo causam interdicto non dederitis) suppressâ voce divina Officia celebrare; chrisma verò, oleum sanctum, consecrationes altarium seu Basilicarum, ordinationes Clericorum qui fuerint ad Ordines promovendi, à Diœcesano suscipietis Episcopo, siquidem Catholicus fuerit, & gratiam & communionem Sacrosanctæ Romanæ sedis habuerit, & ea vobis voluerit sine pravitate aliqua exhibere. Prohibemus insuper ut infrà fines parochiæ vestræ, nullus sine consensu Diœcesani & vestro, Capellam seu Oratorium de novo construere audeat, salvis tamen privilegiis Pontificum Romanorum. Ad hæc novas & indebitas exactiones ab Archiepiscopis, & Episcopis, Archidiaconis & Decanis, Ecclesiasticis, secularibusvè personis à vobis . . . . Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decernimus, ut eorum devotioni & extremæ voluntati qui se illic sepeliri deliberaverint nisi sint excommunicati aut alias publicè usurarii, nullus obsistat, salvâ tamen

justitiâ illarum Ecclesiarum à quibus mortuorum corpora assumuntur. Decimas prætereà ac possessiones ad jus Ecclesiarum spectantes, quæ à Laïcis detinentur, redimendi & legitimè liberandi de manibus eorum, & ad Ecclesias ad quas pertinent, revocandi, libera sit vobis de nostra authoritate facultas. Obeunte verò te ejusdem loci Abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi quâlibet subreptionis astutiâ vel violentiâ præponatur, nisi quem Fratres communi consensu vel Fratrum major pars consilii sanioris, secundùm Deum & B. Augustini regulam providerint eligendum. Paci quoque & tranquillitati vestræ paternâ in posterùm sollicitudine providere volentes, authoritate Apostolicâ prohibemus, ut infrà clausuras locorum vel grangiarum vestrarum nullus rapinam seu furtum facere, ignem apponere, sanguinem fundere, hominem temerè rapere vel interficere, seu violentiam audeat exercere. Prætereà omnes libertates & immunitates à Prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus monasterio vestro concessas, libertates verò & exemptiones secularium exactionum à Regibus & Principibus, vel aliis fidelibus rationabiliter vobis indultas authoritate Apostolicâ confirmamus & præsentis scripti privilegio communivimus.

Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatum monasterium temerè perturbare, vel ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet exactionibus fatigare; sed omnia integrè conserventur, eorum pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salvâ sedis Apostolicæ authoritate, & Diœcesani Episcopi canonicâ justitiâ, & in prædictis decimis moderatione Concilii generalis. Si qua igitur in futurùm Ecclesiastica, secularisvè persona hujus nostræ Constitutionis paginam sciens contrà eam temerè venire tentaverit, secundò, tertiòve commonita, nisi reatum suum congruâ satisfactione correxerit, potestatis, honorisque sui careat dignitate reamque se divino judicio existere de perpetratâ iniquitate agnoscat, & à sacratissimo Corpore & Sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ jaceat ultioni; cunctis autem eidem loco sua jura servantibus, sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenùs hic fructus bonæ actionis percipiant & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Amen.

Ego CLEMENS Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

Idibus Novemb. Indictione IV. Incarnationis Dominicæ anno MCCLXI. Pontificatûs verò Clementis Papæ IV. Anno primo.

Sententia Grayacensis Balliviatûs, quâ Abbas Corneoli *in jure & possessione administrandi Sacramenta tam domesticis quam Grangiariis, manutenetur 19. Decembris 1731.*

OUï le rapport du sieur Huot d'Avilley, Nous, sans s'arrêter à la demande formée par les Curé & Habitans de saint Beroing, de laquelle les déboutons, & faisans droit sur celle des sieurs Abbé, Prieur & Religieux de Corneux précisément, possessoirement & definitivement les avons maintenus dans la possession & faculté de leurs Privileges & notamment de desservir *in divinis* leurs Domestiques, Fermiers, Censiers, & autres résidents sur le territoire de ladite Abbaye, comme commenceaux du Clos & pourpris d'icelle, avec deffense auxdits Curé & Habitans de saint Beroing demandeurs originaires, de leurs y apporter aucun trouble ni empêchement directement, ni indirectement, aux peines de droit & Ordonnances. Condamnant lesdits Curé & Habitans à la moitié des dépens & à la vision du Procés, mandant &c. fait & jugé par nous Huot, de Noiron, Poncelin l'aîné, Duban de Cressia, & Pantenet de Vereux. Du 19. Decembre 1731.

Diploma Joannis Regis Bohemiæ & Poloniæ, in quo recensentur & confirmantur Diplomata Ottokari & Wenceslai Regum, pro fundatione & dotatione Cotischovii.

NOs Joannes, Dei gratiâ, Bohemiæ & Poloniæ Rex ac Lucemburgensis Comes, ad universorum tam præsentium quàm futurorum notitiam volumus pervenire, quòd constitutus in nostra præsentia devotus noster dilectus Bernoldus Præpositus Cotieschoviensis monasterii, Ordinis Præmonstratensium, Pragensis Diœcesis, nobis exhibuit quoddam Privilegium Illustris Domini quondam Ottokari Bohemiæ Regis, donationis quarumdam Ecclesiarum, Villarum, & aliarum possessionum seu jurium; & quoddam aliud Privilegium, illustris quondam Domini Wenceslai Bohemiæ Regis, soceri & prædecessoris nostri charissimi, confirmationis, ratificationis, & innovationis, ac donationis ejusdem factæ de novo, in quo prius privilegium Domini Ottokari Regis prædicti, de verbo ad verbum fuit insertum, cum instantia postulans ut privilegia ipsa & singula contenta in ipsis dignaremur de innata nobis clementia confirmare. Tenor verò privilegiorum ipsorum, quæ vidimus & cum bona maturitate perlegi & examinari per nostrum Protonotarium fecimus, quæ inventa sunt per eundem Protonotarium non cancellata, non vitiata, nec in aliqua sui parte suspecta de verbo ad verbum dignoscitur esse talis. Wenceslaüs, Dei gratiâ, Bohemiæ Rex & Marchio Moraviæ, omnibus in perpetuum. Ad cælestis Regis gloriam, ad felicem Regni statum, & ad salutis propriæ ac nostrorum progenitorum facere non diffidimus incrementum, si in nostris terris, à Deo nobis subjectis, monasteria & domos Dei non solùm largitionibus nostræ munificentiæ investimus, sed etiam à patre & Domino nostro celebris memoriæ quondam Rege Ottokaro beneficiis investitas, confirmamus, ipsa beneficia, nostrarum confirmationis ratificationis & gratiæ, inbalsamantes oleo, ita quòd persistentia in vigore vivido, perpetuò non marcescant. Præsentis igitur tenore confirmationis & munificentiæ nostræ noscat tàm præsens ætas, quàm successura mortalium posteritas, quòd vir honorabilis Dominus Myroslaüs, venerabilis Cotieschoviensis monasterii Præpositus, privilegium olim prædicti Domini & patris nostri charissimi, claræ memoriæ, Ottokari Regis Bohemiæ, super quibusdam Ecclesiis & Ecclesiarum possessionibus per ipsum Dominum nostrum & patrem eidem monasterio datis & concessis, nostris aspectibus præsentavit, attentè supplicans, quòd idem privilegium & omnia in eo contenta ratificare, atque innovari facere dignaremur. Erat autem ipsum privilegium, quod diligenter inspici, perlegi, & examinari fecimus, non abolitum, non cancellatum, nec in aliqua sui parte vitiatum, & ipsius continentia per omnia talis erat. In nomine sanctæ Trinitatis & individuæ unitatis Amen.

Nos Ottokarus Dei gratiâ Bohemiæ Rex, Dux Austriæ & Stiriæ, & Marchio Moraviæ, omnibus Christi fidelibus hanc paginam inspecturis, salutem in perpetuum. Si dextera nostræ munifi-

cenguæ generaliter ad universos extendi debeat, maximè tamen ad eos qui die noctuqtie sine intermissione non cessant insudare divinis laudibus & obsequiis, est extendenda. Nos itaque recognoscentes in Conventu Fratrum & Sanctimonialium in Cotieschoviensi monasterio, quibus Deus omnipotens est portio, qui diligentibus se, ad insistendum divinæ contemplationi, tribuit intellectum, devotarum orationum ipsorum, quæ dante Deo pro sui assiduitate fiunt ibidem, participes esse cupientes, pro nostra & progenitorum nostrorum salute, ob favorem, quem ex speciali prærogativa, circa Dominum Gotthardum Præfati monasterii Præpositum, dilectum & specialem Capellanum nostrum, & Conventum eundem habere dinoscimur, Aulæ nostræ Regiæ Ecclesiam sancti Laurentii apud *Pilsnam* cum jure patronatûs & cum omnibus Ecclesiis ab eadem dependentibus, & universis earumdem pertinentiis, sæpe dicto monasterio Cotieschoviensi perpetuò contulimus possidendam, nec non ad usus eorumdem Præpositi, & Conventûs jam dicti monasterii, pro eorum beneplacito redigendam. Et ne sæpius dictæ Ecclesiæ possessionum nomina de facili labi possint in oblivionis interitum, in quibus tam spiritualis, quàm temporalis obtinetur jurisdictio, quæ cum omnibus juribus suis à nobis sæpè dicto monasterio collata dinoscuntur, præsentis scripti series hic ea prosequitur sigillatim; Ecclesiam sanctæ Mariæ in latere Pilsensis civitatis, Ecclesiam sancti Joannis-Baptistæ, Ecclesiam sancti Wenceslaï, Ecclesiam sancti Martini in Pilsnensi civitate, Ecclesiam sanctæ Crucis, Ecclesiam sancti Petri in monte Castri prædictæ civitatis, Ecclesiam sancti Blasii extra eandem civitatem, Ecclesias in *Thetun* sancti Michaëlis & sanctæ Ludmillæ apud Veronam cum uno manso, sylvis & montibus & cum piscaria, quæ vulgariter *Zlup* nuncupatur, pertinentibus ad easdem. Item villam *Wscablatv*, *Zedlep* cum molendino & flumine Bradawa dicto, *Lubakavict*, in *Wodokrt* duos mansos, in *Dudlewect* similiter duos mansos, in *Malict* unum mansum, apud Dolam circa flumen quod Misa vocatur, tres mansos, villam *Popowict* juxta Veronam civitatem, cum omnibus pertinentiis suis, videlicet agris cultis & incultis, cum montibus & sylvis, pratis & arbustis, cum aquarum decursibus & molendinis, cum piscariis & cum omnibus pertinentiis earumdem villarum jam dictarum, decimis prædialibus Provinciæ Pilsensis nostrarum curiarum & cum minoribus decimis, videlicet vitulis, agnellis, porcellis, pullis, caseis & omnibus quæ possunt provenire de grangiis jam supra dictis, decimum forum in Pilsna, in Misa ac in *Domazlict* civitatum, Notariam ipsius sancti Laurentii Ecclesiæ, totam Provinciam per *Pilsen*: Cum omnibus Cancellaribus denariis nostræ generalis Collectæ, per totam Provinciam supra dictam. Volentes itaque ut ea, quæ per nos ordinantur, solemniter ab universis, firmiter & inviolabiliter debeant observari, præsentium testimonio Ecclesiæ præfatæ donationem, in præsentia Regni nostri nobilium & aliorum Christi fidelium favorabiliter celebratam, eidem monasterio Cotieschoviensi cum omni libertate, quâ nostræ mentis donatio gaudere debeat, providé confirmamus, & præsentis scripti patrocinio sigillorumque nostrorum munimine roboramus, firmiter inhibentes, ne quisquam hæredum vel successorum nostrorum, hanc nostræ donationis & confirmationis paginam, quâcumque occasione, valeat infringere, aut ei ausu præsumat temerario contraïre. Datum per manum magistri Petri regalis Aulæ nostræ Cancellarii & Dei gratiâ Wissegradensis Præpositi, & Pragensis Ecclesiæ Archidiaconi, anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo sexto, indictione septimâ, sexto Kalendas Julii. Decernentes autem limpidiùs quòd dicti Præpositi petitionibus annuere pium esset, cùm multiplicatis beneficiis præfati Cotieschov. monasterii possit ibidem multiplicari ad laudem Dei famulantium numerus personarum, ejus petitionibus assensum benignum exhibuimus, & ea, quæ in dicto Privilegio continentur, rata habentes de plenitudine nostræ mentis confirmamus, & in præsentem paginam de verbo ad verbum idem Privilegium autenticè fecimus innovari, volentes ut universa & singula in dicto Privilegio contenta, firma & rata permaneant, & authoritatis nostræ suffulta vigore constent perpetuis temporibus inconvulsa.... Ut etiam circa prædictum monasterium Cotieschoviense ampliùs nostræ munificentiæ singularis gratia elucescat, pro salute nostra & remedio animarum nostrorum progenitorum, villam *Podole* cum omnibus juribus & attinentiis suis, atque curriculus in *Thetun* cum agris præfato monasterio Cotieschoviensi de nostra liberalitate regia, damus, concedimus, & specialiter elargimur, volentes ut ad ipsum monasterium debeant perpetuò pertinere. Inhibentesque universis in Regno nostro degentibus, ne prædictum monasterium Cotieschoviense tam per nos in confirmatis, quàm etiam à nobis singulariter datis & perpetuò concessis, temerè audeant impedire. In cujus ratificationis, confirmationis, & innovationis nostrarum, & nostræ specialis donationis testimonium, præsentem paginam fieri, & ut persistant rigorosa perpetuò, nostris sigillis appendentibus jussimus roborari. Datum Pragæ per manus magistri Wenceslaï Pragensis, Wissegradensis & Olumucensis Ecclesiarum Canonici, Regni nostri Protonotarii, anno Domini millesimo ducentesimo octuagesimo octavo, duodecimo Calendas Aprilis, Indictione primâ.

Nos verò prædicti Bernoldi Præpositi humilibus supplicationibus benigniùs inclinati, præmissa privilegia & singula in ipsis contenta & concessa, ratificata, confirmata, & innovata, ut præmittitur, innovamus, approbamus, & ex certa nostra scientia præsentibus confirmamus, inhibentes omnibus universaliter & singulariter, ne prædicta privilegia Dominorum quondam Ottokari & Wenceslaï Regum prædecessorum nostrorum prædictorum, ac à nostra magnificentia regali concessa cujuscunque statûs vel conditionis existant, audeant in toto vel in parte, quomodolibet violare. In cujus nostræ visionis, lectionis, innovationis, approbationis, & confirmationis perpetuam evidentiam atque robur, præsentes litteras nostras fieri mandavimus, & sigillorum nostrorum munimine ipsas fecimus consignari. Datum Pragæ anno Domini millesimo trecentesimo vicesimo quinto, decimo septimo Calendas Maii.

In Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis feliciter Amen.

CArolus IV. divinâ favente clementiâ Romanorum Imperator semper Augustus, & Bohemiæ Rex, ad perpetuam rei memoriam. Præ cæteris virtutum operibus ad quæ ex injunctæ nobis Imperialis dignitatis aspiramus officio, illud libentiùs & ampliori desiderio Majestas nostra prosequitur, quod ad decorem & commodum domûs Domini & monasteriorum ejusdem, statumque pacificum in ipsis Deo militantium, ampliùs operatur & per quod inferendarum molestiarum aditus abferatur. Sanè pro parte Religiosarum Magistræ & Sororum monasterii Cotieschoviensis, Ordinis Præmonstratensis, Pragensis Diœcesis, devotarum nostrarum dilectarum, menti nostræ fuit humiliter

ſupplicatum quatenùs quoddam privilegium ſeu papale Reſcriptum nonnullas gratias continens, quas ipſæ Religioſæ à ſede Apoſtolica aliàs obtinuiſſe noſcuntur, ratum & gratum habere, & contentis in ipſo favorabiliter conſentire, pietate ſolitâ, dignaremur. Tenor verò dicti Privilegii ſeu Reſcripti per omnia talis eſt.

Gregorius Epiſcopus ſervus Servorum Dei in Chriſto filiabus Magiſtræ monaſterii Cotieſchovienſis ejuſque Sororibus tam præſentibus quàm futuris, regularem vitam profeſſis, in perpetuum. Religioſam vitam eligentibus Apoſtolicum convenit adeſſe præſidium, ne fortè cujuſlibet temeritatis incurſus aut eas à propoſito revocet, aut robur, quod abſit, ſacræ Religionis enervet. Ea propter, dilectæ in Chriſto filiæ, veſtris juſtis poſtulationibus clementer annuimus, & monaſterium Cotieſchovienſe Abbatiſſam propriam non habens, ſed per Magiſtram ſolitum gubernari, Pragenſis Diœceſis, in quo divino eſtis obſequio mancipatæ, ſub Beati Petri & noſtra protectione ſuſcipimus, & præſentis ſcripti privilegio communimus. In primis ſiquidem ſtatuentes ut Ordo Canonicus qui ſecundùm Deum & Beati Auguſtini regulam atque inſtitutionem Præmonſtratenſium Fratrum in eodem monaſterio inſtitutus eſſe dignoſcitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter obſervetur. Præterea quaſcunque poſſeſſiones, quæcumque bona idem monaſterium in præſentiarum juſtè ac canonicè poſſidet aut in futurum conceſſione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium ſeu aliis juſtis modis præſtante Domino poterit adipiſci, firma vobis, & eis quæ vobis ſucceſſerint, & illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis, locum ipſum, in quo præfatum monaſterium ſitum eſt, cum omnibus pertinentiis, villam *Cotiſſowicz* cum hominibus, *Mantow* cum foro & juriſdictione temporali, & omnibus pertinentiis & appenditiis ſuis: villam *Dobrzan* cum foro & cum duabus Eccleſiis, videlicet ſancti Viti & ſancti Nicolaï ac omnibus pertinentiis ſuis de *Wſchuſe*, de *Loſina* de *Czernotin*, de *Lazan*, de *Pretino*, de ſecunda *Czernotin*, de *Wzebono*, & de *Inbarcze* villas cum omnibus appenditiis & pertinentiis earumdem, villam de *Stanckow* cum Eccleſia ſancti Jacobi, & cum foro & certis pertinentiis & appenditiis earumdem de *Chusbon*, de *Holisbono*, de *Hnidonicz*, de *Kreliczi*, de *Lelova*, de *Stod*, de *Liſſowo*, & *Bitovo* villis, cum univerſis appenditiis & pertinentiis earumdem, villam de *Sekirſani* cum Capella ſancti Caſtulli, & aliam villam de *Sekirzan*, de *Przyſſon*, de *Zalnze*, de *Kotowiczi*, de *Zedleze*, de *Horzekowiczi*, de *Tinecz*, de *Zbuch*, de *Augezdecz*, de *Vherczi*, de *Nirzane*, & de alia *Augezdecz*, & de *Lien*, villas cum omnibus appenditiis & pertinentiis earumdem, medietatem villæ de *Oypernicz*, de *Geznowi* & de *Truowa*, villas cum attinentiis & pertinentiis earumdem: Eccleſiam ſancti Laurentii in Pilſna ſitam in monte cum Eccleſiis & Capellis dependentibus ab eadem, videlicet ſancti Joannis, ſanctæ Mariæ, ſancti Petri, ſancti Martini, ſanctæ Crucis, ſancti Wenceſlaï ac omnibus pertinentiis earumdem, Eccleſiam ſancti Blaſii de *Zraborzan*, & annuum redditum denariorum quem percipitis in civitate *Pilſen*: in *Miza* & in *Domazlich* & in foro civitatis ejuſdem, terras, poſſeſſiones, redditus, juriſdictionem temporalem, & quidquid juris in villis & locis prædictis monaſterium veſtrum noſcitur obtinere, decimas groſſas & minutas, quas percipitis in grangiis Regis in Pilſnenſi provincia conſtitutis Teloneum in villa de *Domazlich*, in *Wſchaſlaw* in *Zedleze*, & in *Lubokowicz*, in *Wodokrt*, duos manſos, in *Thetin* duas Capellas, videlicet ſancti Michaëlis & ſanctæ Ludmillæ, villam de *Hruſſowane* cum Capella ſancti Gotthardi, villam de *Praona* cum Eccleſia ſancti Nicolai, villas de *Tyrnowa*, de *Wrutize*, de *Swarzenicze*, & *Lutſchowicza* cum omnibus appenditiis & pertinentiis earumdem, & alias terras, & poſſeſſiones veſtras, & quidquid juris in Regno Bohemiæ monaſterium veſtrum noſcitur obtinere, cum terris, pratis, vineis, nemoribus, uſuagiis & paſcuis in boſco & plano, in agris & molendinis, in viis & ſemitis & omnibus aliis libertatibus & immunitatibus ſuis. Sanè novalium veſtrorum quæ propriis ſumptibus colitis, de quibus aliquis hactenùs non percepit, ſive de veſtrorum animalium nutrimentis, nullus à vobis decimas exigere vel extorquere præſumat; liceat quoque vobis perſonas liberas & abſolutas è ſeculo fugientes ad converſionem recipere, & eas abſque contradictione aliqua retinere. Prohibemus inſuper ut nulli Sororum veſtrarum poſt factam in monaſterio veſtro Profeſſionem fas ſit ſine Magiſtræ ſuæ licentia de eodem loco, niſi arctioris Religionis obtentu, diſcedere, diſcedentibus verò abſque communium litterarum veſtrarum exactione, nullus audeat retinere. Cùm autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis clauſis janius, excluſis excommunicatis & interdictis, non pulſatis campanis, ſuppreſſâ voce divina Officia celebrare, dummodò cauſam non dederitis interdicto. Chriſma verò, oleum ſanctum, conſecrationes altarium ſeu Baſilicarum, & benedictiones Monialium à Diœceſano ſuſcipietis Epiſcopo, ſiquidem Catholicus fuerit & gratiam & communionem ſacro ſanctæ Romanæ ſedis habuerit, & ea vobis voluerit ſine pravitate aliqua exhibere. Prohibemus inſuper ut infra fines parochiæ veſtræ, ſi eam habetis, nullus ſine aſſenſu Diœceſani Epiſcopi & veſtro, Capellam ſeu Oratorium de novo conſtruere audeat, ſalvis privilegiis Pontificum Romanorum. Ad hæc novas & indebitas exactiones ab Archiepiſcopis, Epiſcopis, Archidiaconis ſeu Decanis aliiſque omnibus Eccleſiaſticis, ſecularibuſve perſonis, à vobis omnino fieri prohibemus.

Sepulturam quoque ipſius loci liberam eſſe decernimus, ut eorum devotioni & extremæ voluntati, qui ſe illic ſepeliri deliberaverint, niſi fortè excommunicati vel interdicti ſint, aut etiam publicè uſurarii, nullus obſiſtat; ſalvâ tamen juſtitiâ illarum Eccleſiarum, à quibus mortuorum corpora aſſumuntur. Decimas præterea & poſſeſſiones ad jus Eccleſiarum veſtrarum ſpectantes, quæ à Laicis detinentur, redimendi & legitimè liberandi de manibus eorum, & ad Eccleſias, ad quas pertinent, revocandi, libera ſit vobisde noſtra authoritate facultas. Paci quoque & tranquillitati veſtræ paternâ inpoſterum ſollicitudine providere volentes, authoritate Apoſtolicâ prohibemus, ut infra clauſuras locorum ſeu grangiarum veſtrarum, nullus rapinam ſeu furtum facere, ignem apponere, ſanguinem fundere, hominem tenere, capere, vel interficere ſeu violentiam audeat exercere. Præterea omnes libertates & immunitates à prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus, monaſterio veſtro conceſſas, nec non libertates & exemptiones ſecularium exactionum à Regibus & Principibus, vel aliis fidelibus, rationabiliter vobis indultas authoritate Apoſtolicâ confirmamus, & præſentis ſcripti privilegio communimus: decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatum monaſterium temerè perturbare aut ejus poſſeſſiones auferre, vel oblatas retinere, minuere, ſeu quibuſlibet vexationibus

nibus

nibus fatigare, sed omnia integra conserventur earum, pro quarum gubernatione ac sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salvâ sedis Apostolicæ authoritate, & Diœcesanorum Episcoporum Canonicâ justitiâ, & in prædictis decimis moderatione Concilii generalis. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica secularisve persona, hanc nostræ Constitutionis paginam sciens, contra eam temerè venire tentaverit, secundò, tertiòve, commonita, nisi reatum suum congruâ satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui careat dignitate, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo corpore ac Sanguine Dei & Domini Redemptoris Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ subjaceat ultioni; cunctis autem eidem loco sua jura servantibus, sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenùs & hîc fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen.

Ego Simon sancti Martini Presbyter Cardinalis, Ego Ancherus sanctæ Praxedis Presbyter Cardinalis, Ego Gregorius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus, Ego Frater Joannes Portuensis & sanctæ Rufinæ Episcopus, Ego Joannes sancti Nicolaï in carcere Tulliano, Diaconus Cardinalis. Ego Jacobus sanctæ Mariæ in Cosmydin, Diaconus Cardinalis. Ego Jacobus sanctæ Mariæ in Cosmydin Diaconus Cardinalis. Ego Gottfridus sancti Georgii ad velum aureum, Diaconus Cardinalis.

Datum apud Urbem veterem per manum Magistri Janonii Leccatonii sanctæ Romanæ Ecclesiæ Vicecancellarii, decimo Kalendas Junii, Indictione primâ, Incarnationis Dominicæ anno millesimo ducentesimo septuagesimo secundo, Pontificatûs verò Domini Gregorii Papæ decimi anno secundo.

Nos igitur habitâ consideratione statûs Imperialis in quem nos Deus omnipotens, quamvis insufficientibus meritis, suâ benignitate præfecit, & cujus ordinato regimine commodis Ecclesiarum præesse tenemur, consideratis etiam propriæ salutis compendiis, animo deliberato; non per errorem aut improvidè, sed ex certa nostra scientia & maturo Principum, Baronum, Nobilium, & Procerum nostrorum accedente consilio, litteram supra dictam & contenta in ea, authoritate Regiâ Bohemiæ, rata & grata accipimus, præcipientes universis nostris fidelibus & subditis quatenus præmissa omnia & singula in suo vigore & robore manuteneant fideliter & conservent, sub pœna centum marcarum puri auri quam ab eo qui contra fecerit, totiens, quotiens, contra factum fuerit, irremissibiliter exigi volumus, & earum medietatem regali Bohemiæ Cameræ, residuam verò partem injuriam passorum usibus, decernimus applicari, nostris regni Bohemiæ & Coronæ ejusdem regni & aliorum quorumlibet juribus semper salvis. *Signum* Serenissimi Principis & Domini Domini Caroli quarti Romanorum imperatoris invictissimi & gloriosissimi Bohemiæ Regis. Testes hujus rei sunt nobiles Ernestus Pragensis Archiepiscopus, Joannes Lutomislensis Sac. Imperialis Aulæ Cancell. Joannes Olomucensis, & Theodoricus Mindensis Ecclesiarum Episcopi. Illustres Petrus Borbonensis &c. Datum Pragæ an. Domini millesimo trecentesimo quinquagesimo octavo, Indictione undecimâ, nono Kalendas Martii, Regnorum nostrorum anno duodecimo, Imperii verò tertio.

Charta Sigismundi Imperatoris, pro recuperatione bonorum Cothischovii, *tempore hæresis, oppignoratorum vel usurpatorum. 1422.*

SIgismundus, Dei gratiâ, Romanorum Rex semper Augustus ac Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croaciæ Rex. Notum facimus tenore præsentium universis, quòd licet aliàs quâdam arduâ necessitate constricti ad resistendum perversis conatibus & machinamentis hæreticorum in Bohemia validè insurgentium, qui etiam suæ immanitatis rabie fideles Dei, Christicolas tam morti tradentes atrociter, quàm in bonis funditùs spoliantes, Ecclesias Dei demolientes adeò debacchati sunt, & adhuc in sua pertinacia perdurantes, nomen etiam Christianum etiam hodie conantur extinguere penitus, non parcentes sexui, vel ætati, bona Ecclesiastica tam Pragensis Ecclesiæ, quàm etiam aliarum Ecclesiarum, Monasteriorum, & Parochialium, cujuscumque etiam conditionis existant tunc temporis certis personis proscripserimus, & dederimus possidenda, sicut etiam bona monasterii Chotiessoviensis, Ordinis Præmonstratensis, Nobilibus Willelmo de *Huchon*, Joanni *Hanovecz*, de *Trzebel*, Joanni *Hradeczko* Militi & quibusdam aliis nos fecisse prætetito tempore memoramus. Nos sentientes hujusmodi donationem & alienationem bonorum Ecclesiasticorum in personas seculares quâcumque occasione seu conditione factas, tam à legibus quàm canonibus fore irritas & inanes, nec debere subsistere, seu valere, non per errorem, aut improvidè, sed animo deliberato, maturo omnium Electorum Sacri Rom. Imperii & aliorum multorum Principum, Comitum, & Communitatum Imperii Sacri & Regni Bohemiæ communicato consilio, præfatam donationem & alienationem de possessionibus monasterii Chotiessoviensis, præfatis Wilhelmo de *Huchon*, Joanni *Hanovecz* de *Trzebel*, Johanni *Hradeczko* Militi seu aliis quibuscumque personis, quacumque occasione, conditione, seu colore factas, authoritate Romanâ, & Bohemiæ Regiâ, tenore præsentium, revocavimus, irritavimus, annullavimus, revocamus, irritamus, annullamus, & nullius dicimus, pronuntiamus & declaramus debere fore roboris, vel vigoris, decernentes & volentes quòd honorabilis *Hinco* Præpositus Monialium in *Chotiessow* unà cum Conventu, etiam authoritate propriâ assumptis sibi ad hoc, si opus fuerit, sibi fautoribus & amicis, eisdem bonis monasterii prædicti, omnibus & singulis ubicumque etiam fuerint constituta, debeat & possit intromittere, tenere, uti, frui & absque impedimentis cujuscumque etiam nostras litteras habentis, seu aliàs cum violentia possidentis, ac etiam sibi pro recuperatione eorumdem bonorum tutores, defensores, & adjutores eligere & recipere pro suo commodo, quoties sibi visum fuerit expedire, præsentium sub nostræ majestatis sigillo, testimonio litterarum. Datæ Nornbergæ anno Domini 1422. proximo Dominico ante festum S. Bartholomæi Apostoli, Regnorum nostrorum anno Hungariæ XXXVI. Romanorum X. Bohemiæ verò III.

Charta Ferdinandi I. Imperatoris, pro Cotischovio 1529.

FErdinandus Dei gratia Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Rex. Infans Hispaniarum, Archidux Austriæ, Marchio Moraviæ, Lucemburgen. & Silesiæ Dux & Marchio Lusatiæ: ad perpetuam rei memoriam. Notum facimus tenore præsentium universis quòd Nobis pro parte honorabilis Mathiæ Præpositi Sanctimonialium in Cotiessow, Ord. Præmonst. Pragensis Diœcesis, devoti nostri dilecti ac totius ejusdem Conventûs nomine humiliter extitit supplicatum, ut de innata nobis benignitate, omnia & singula Privilegia, Indulta & Jura, omnesque gratias, libertates & immunitates, ipsis & dicto monasterio, tam à S. Apostolica sede quàm à Serenissimis, olim prædecessoribus nostris Bohemiæ Regibus, piæ recordationis, videlicet Carolo, Wenceslao, Ladislao, Georgio, Wladislao atque Ludovico, data, donata, & concessa, datasque donatas & concessas gratiosiùs approbare & confirmare dignaremur. Nos itaque ejusdem Præpositi preces justas esse in hac parte censentes, attentis etiam laudabilis famæ preconiis, per quam puram Deoque gratam ipsarum Sanctimo ialium conversationem cognovimus, honestis ejusmodi desideriis atque votis favorabiliter duximus annuendum. Igitur non per errorem, aut improvidè, sed animo deliberato, sano & maturo Baronum & aliorum fidelium nostrorum accedente consilio, de certa nostra scientia, authoritate Regiâ, ipsa eorum Privilegia, Indulta & Jura universa, omnesque gratias libertates & immunitates, atque laudabiles & præscriptas consuetudines hactenùs diutissimè observatas, sicuti ritè & legitimè processerunt, ratificavimus, approbavimus & confirmavimus, atque præsentium vigore gratiosè ratificamus, approbamus & confirmamus. Volentes & decernentes, omnia & singula in eisdem contenta, rata & firma persistere, ac robur validum & inconcussum perpetuis futuris temporibus obtinere, in omnibus suis clausulis, articulis, punctis & sententiis, ac si præsentibus de verbo ad verbum plenissimè inserta, insertæque existerent. In quorum omnium fidem & robur plenissimum præsentes litteras fieri & regalis nostri sigilli appensione jussimus communiri. Datæ in civitate nostra *Budweis* Bohemicali, feriâ sextâ post Divisionem Apostolorum, anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo nono. Regnorum autem nostrorum Hungariæ & Bohemiæ tertio.

Pius Episcopus servus servorum Dei.

DIlecto filio Georgio de *Tachovia* Præposito monasterii Sanctimonialium Cotieschoviensis, per Præpositum soliti gubernari, Præmonst. Ord. Pragensis Diœcesis, salutem & Apostolicam benedictionem. Poscit tuæ devotionis sinceritas & Religionis promeretur honestas, ut tum te, quem speciali dilectione prosequimur, tum monasterium tuum dignis honoribus attollamus. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte tua petitio continebat, quòd scilicet olim prædecessores tui Præpositi monasterii Sanctimonialium Cotieschov. per Præpositum soliti gubernari Præmonst. Ord. Pragens. Diœces. mitrâ & baculo & aliis Pontificalibus insigniis uti & Moniales ejusdem monast. velare & benedicere ex specialibus sedis Apostolicæ privilegiis consuevissent, ipsaque privilegia & consuetudo probari potuissent, prout possunt, tamen per exterarum & hæreticorum partium illarum sævitiam monasterio exusto, rebus, & bonis orbato, ac privilegiis amissis antecedenter nonnulli tui prædecessores ipsius monasterii Præpositi, dictis privilegiis, quibus ut præmittitur, per sævitiam hæreticorum spoliati fuerunt, & propter carentiam eorumdem uti non potuerunt, & propterea ab usu hujusmodi destiterunt, prout tu desistis de præsenti. Nos igitur monasterium ipsum quod ut accepimus, à tempore gloriosæ memoriæ Ladislaï Hungariæ & Bohemiæ Regis, etiam ope & industriâ tuis restaurationem suscepit aliqualem, ut in eo amplius cultus divinus suscipiat incrementum, specialibus gratiis & privilegiis decorare volentes, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, ut tu & qui tibi in dicto monasterio succedent illius Præpositi pro tempore existentes, mitrâ etiam gemmis & lapidibus pretiosis redimitâ, nec non tunicâ, dalmaticâ, annulo, baculo, & aliis insigniis Pontificalibus uti possis & possint, atque in dicto monasterio & ad illud ac Præpositum pro tempore & dilectas in Christo filias Conventûs ejusdem communiter vel divisim pertinentibus, quamvis tibi & eis pleno jure non subsint, nec non oppidi Pilsnensis dictæ Diœcesis, Prioratibus, parochialibus & aliis Ecclesiis benedictionem solemnem post Missarum, Vesperarum & Matutinarum solemnia, dummodò in benedictione hujusmodi aliquis antistes vel Apostolicæ sedis legatus præsens non fuerit, elargiri: ac vasa, Sacerdotales vestes, pallas & corporalia, aliaque ornamenta Ecclesiarum ad divinum cultum necessaria, nec non Moniales ipsius monasterii præsentes & futuras benedicere, ac easdem Moniales velare valeas & valeant, felicis recordationis Alexandri Papæ IV. prædecessoris nostri, quæ incipit: *Abbates*, & aliis quibuscunque constitutionibus Apostolicis in contrarium editis nequaquam obstantibus, tibi & eisdem successoribus authoritate Apostolicâ, tenore præsentium perpetuò indulgemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contravenire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Tiburce anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo sexagesimo tertio, tertio Kalend. Augusti, Pontificatûs nostri anno quarto.

Charta Edvardi III. Regis, recensens & confirmans donationes Coverhamiæ.

REx &c. Inspeximus chartam Domini Henrici quondam Regis Angliæ, progenitoris nostri in hæc verba. Henricus Dei gratia Rex Angliæ & Dux Normanniæ & Aquitaniæ, & Comes Andegaviæ, Archiepiscopis &c. Salutem. Sciatis me ad petitionem Walleranni, filii Roberti concessisse & præsenti chartâ meâ confirmasse Ecclesiæ sanctæ Mariæ de *Swenesby* & Canonicis regularibus Præmonstratensis Ordinis, ibidem Deo servientibus, subscriptas donationes; quas ipse Walleranus eis fecit, scilicet Ecclesiam de *Coverham* cum pertinentiis, & terram de *Swenesby*, cum pertinentiis, & sexdecim acras terræ in *Retelervelle* & pasturam ibidem mille ovibus, quadraginta animalibus, & duas garbas decimæ de dominico suo in *Hederseta*, & in *Pikeham*; & tres carucatas terræ de acato matris suæ in *Textona*, cum pertinentiis suis, & duas bovatas terræ similiter de acato matris suæ in *Diervobighinge* cum pertinentiis suis, quæ eis dedit, & chartâ sua confirmavit. Præterea concedo eis, & confirmo omnes rationabiles donationes, quæ eis fiant, secundùm quod in chartis donatorum continebitur,

Quare volo. &c. testibus Will. Decano *Moretonia*, Radulfo Archidiacono *Colcestria*, Will. Comite *Arondellia*, Ranulfo de *Glanvilla*, Gilleberto filio Remfridi Dapifero; Radulfo filio Stephani, Theod. Walteri, Stephano de *Turncham* Gilleberto de *Aumari*, Henrico de *Cornhulle*, apud *Chinonem*.

Inspeximus etiam litteras patentes Domini Edwardi nuper Regis Angliæ, patris nostri in hæc verba; Edwardus &c. Licet de communi consilio regni nostri statutum sit, quòd non liceat viris Religiosis seu aliis ingredi feodum alicujus, ita quod ad manum mortuam deveniat, sine licentia nostra, & Capitalis domini, de quo res illa immediatè tenetur: per finem tamen, quem dilectus nobis in Christo Abbas de *Coverham* fecit nobiscum, concessimus & licentiam dedimus &c. Mariæ de *Neville* quod ipsa quatuor messuagia, quatuor bovatas, & quadraginta acras terræ & octo acras prati cum pertinentiis in magna *Crakhale*, & *Thoraldeby*, dare possit & assignare præfato Abbati & Conventui ejusdem loci habendas & tenendas sibi & successoribus suis imperpetuum &c. T. meipso apud *Westm.* Vigesimâ die Novembris, anno regni nostri septimo &c.

Inspeximus &c. Edwardus &c. licentiam dedimus &c. Godrico de *Neusum*, & Joanni de *Wendeslay* Capellano, quod ipsi undecim mesuagia, unum molendinum & triginta bovatas terræ cum pertinentiis in *Menyngthorpe*, quæ de nobis non tenentur in capite &c. Dare possint &c. præfatis Abbati & Conventui; habendas & tenendas sibi & successoribus suis imperpetuum &c.

Inspeximus, &c. Edwardus, &c. Sciatis, quòd cùm propter paupertatem Abbatiæ de *Coverham* & destructionem ejusdem per Scotos, de gratia nostra speciali, concesserimus &c. dilectis nobis in Christo Abbati & Conventui loci prædicti, quòd ipsi terras tenementa &c. Ad valorem decem marcarum per annum, &c. adquirere possint, &c. Nos, &c. concessimus & licentiam dedimus pro nobis & hæredibus nostris, quantum in nobis est, Edrico de *Neusum*, & Joanni de *Wendesley* Capellano, quòd ipsi quatuor meusagia, sex tofta, quatuor bovatas, LXXV. acras terræ, viginti sex acras prati, & quinque acras pasturæ, cum pertinentiis in *Crakhalle*, quæ de nobis non tenentur in capite &c. dare possint & assignare præfatis Abbati & Conventui; habendas & tenendas sibi & successoribus suis imperpetuum &c. in cujus &c. T. meipso apud *Westm.* primo die Martii, anno Regni nostri decimo quarto.

Nos autem donationes &c. prædictas; nec non donationem &c. quas Rannulphus filius Roberti per chartam suam fecit Canonicis prædictis de Ecclesia de *Coverham*, & de tota terra sua ab *Hanetre* usque ad *Tedicke*, ex transverso vallis ex utraque parte aquæ à *Quernesside*, usque ad *Waledene*, & de pastura ad sexaginta vaccas cum exitibus duorum annorum in pastura ab *Hanetre* usque *Rosletchgyle*, ex utraque parte aquæ à festo omnium Sanctorum usque ad festum sanctæ Crucis in Maio, & de loco & placea, & maeremio, de bosco suo in *Coverdale*, ad faciendum ibi domos, & receptacula sibi & averiis suis. Et de tribus carucatis terræ in *Textone*; & de sexdecim acris terræ in *Betelwelle*, & pastura ad mille oves & quadraginta animalia, & duabus garbis decimarum de dominico suo de *Hederseté*, & de *Pikenham*, & de duabus Bovatis terræ in *Coverham*, quas Theobaldus de *Valaines*, & duabus bovatis terræ in eadem villa, quas Robertus filius Willielmi nobilis; & sex acris terræ in eadem villa, quas Odardus *Carpentarius*; & medietate unius carucatæ terræ cum pertinentiis in *Dandeberth*, quas Adam filius *Wikeman*; & duabus bovatis terræ, cum pertinentiis in *Coverham*, quas Gillebertus de *Scrastone*; & duabus bovatis terræ cum pertinentiis in *Melmorby*, quas Rogerus filius Richardi eis dederunt, & de omnibus terris & concessionibus quas Robertus *Hervei de Suttone* eis fecit; & de omnibus aliis donationibus quæ eis de feodo ipsius Ranulphi rationabiliter factæ sunt in puram & perpetuam eleemosynam.

Donationem etiam &c. quas *Isoda* quondam uxor Joannis de *Fayerwald*, per chartam suam fecit Canonicis prædictis de duabus bovatis terræ cum pertinentiis in *Textone*, in liberam puram & perpetuam eleemosynam imperpetuum. Concessionem &c. quas Willielmus filius Willielmi de *Laceles* de *Arlagehthorp*, per chartam suam fecit Canonicis prædictis, de tosto & crofto & duabus bovatis terræ cum pertinentiis in *Textona* in puram & perpetuam eleemosynam imperpetuum. Donationem &c. quas Thomas de la *Wdehalle* in *Wandesleydale*, per chartam suam fecit Canonicis prædictis, de una acrâ prati, cum pertinentiis, in *Thornetone-Rust* & de toto prato suo in *Chresbelde*, in puram & perpetuam eleemosynam imperpetuum. Donationem &c. quas Elias filius Willielmi filii *Ulf* de *Est-Boulton*, per chartam suam fecit prædictis Canonicis, de medietate unius acræ terræ cum pertinentiis in *Thornetone-Rust* in puram & perpetuam eleemosynam &c. Data per manum nostram apud *Westm.* Duodecimo Februarii.

Charta Edvardi I. Regis Angliæ, donatorum concessiones & Richardi Regis, confirmationem recensens & approbans.

Rex Archiepiscopis &c. Salutem. Inspeximus chartam quam Dominus Richardus quondam Rex Angliæ, consanguineus noster, fecit Deo & Ecclesiæ sancti Joannis de Valle, & Canonicis ibidem Deo servientibus, in hæc verba: Richardus Dei gratiâ Rex Angliæ; Dux Normanniæ, Aquitaniæ, Comes Andegaviæ, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Comitibus, Baronibus, Vice-Comitibus, Justitiariis, & aliis Ministris & fidelibus suis salutem. Sciatis nos concessisse, & hac chartâ nostrâ confirmasse Deo & Ecclesiæ S. Joannis de *Valle*, & Canonicis ibidem deo servientibus, donationem quam Villielmus *Parcarius* fecit eisdem Canonicis, videlicet duas Partes de Parco de *Croxtone*, & quidquid in eodem juris ipsius fuit & libertatis, in bosco & plano, in prato & pastura, & omnibus cæteris aysiamentis infra ambitum muri. Duas etiam partes carrucatæ terræ Rogeri *Parcarii*: Prætereà totum redditum suum de sale in Hoinlandia, scilicet in *Dunningtone* ex donatione Marzariæ, & Wimeri de S. *Albino* filii ejus: tertiam partem de prædicto Parco, & quidquid juris & libertatis in eodem habuerunt in bosco, & plano, & prato, & pastura & omnibus aysiamentis infra villam, & extra totum etiam redditum ipsorum de sale in Hoinlandia, scilicet in *Dunningetone*; quare volumus, & firmiter precipimus quòd prædicti Canonici nostri hæc nostra prædicta, & omnes terras & tenuras, & possessiones, quæ eis datæ sunt, & in posterùm rationabiliter dabuntur, habeant & teneant benè, & in pace, liberè, & quietè, & integrè, & honorificè & plenariè cum omnibus libertatibus, quas chartæ donatorum suorum testantur, & cum *Socha*, & *Sacha*, & *Toll*, & *Theam*, & *Infangenetefe*, solutas & quietas de Siris, & Hundredis, & placitis, & de omnibus aliis querelis; & de geldis, & murdro, & danegeldo, & Scottis,

& auxiliis, & donis assisis, & scutagiis, & auxiliis Vicecomitum & Ministrorum suorum; de operibus Castellorum, murorum, pontium, vivariorum, & de omni servitio seculari & exactione. Volumus etiam ut habeant libertatem curiæ suæ in omni tenemento suo. Prohibemus etiam ut nullus prædictos Canonicos nostros, aut res ipsorum, aut homines suos, in aliquo disturbet, aut vexet, aut gravare præsumat, neque per aquam, neque per terram super decem libras foris facturâ. Hæc omnia præscripta concedimus eis & confirmamus in perpetuum, pro anima Henrici patris nostri & pro animabus antecessorum nostrorum & pro salute nostrâ, & pro salute Alianoræ Reginæ & matris nostræ. Testibus Balduino Archiepiscopo Cantuariensi, Hugone Lincolniensi, & Hugone Cestrensi Episcopis, Willielmo Comite de *Mandevill*. Willielmo Marescalco, Balduino *Wake*. Datum per manum Willielmi de *Longo Campo* Cancellarii nostri, decimo septimo die Septembris apud *Geitentonam*.

Inspeximus etiam chartam Roberti filii Galfridi *Luterell*, in hæc verba: Omnibus ad quos præsens scriptum pervenerit, Robertus filius Galfridi *Luterell*, salutem in Domino. Noveritis me pro salute animæ meæ & pro animabus omnium antecessorum & successorum meorum concessisse & hâc præsenti chartâ confirmasse Deo & Ecclesiæ S. Joannis Apostoli de *Croxtone*, & Abbati, & Canonicis ibidem Deo servientibus, & eorum successoribus in perpetuum, in liberam, puram, & perpetuam eleemosynam, omnes terras & tenementa, quæ habent de feodo meo in villa, & territorio de *Berttandeby*, de dono & confirmatione Philippi de *Gaunt* militis, & ex dono & confirmatione Philippi filii ejusdem Roberti de *Gaunt* & omnium antecessorum suorum; sive de dono aliorum quorumcumque feofatorum suorum, per chartas eorumdem tam in dominico, quam in servitio &c. Prætereà concessi, & præsenti chartâ confirmavi prædictis Ecclesiæ, Abbati, & Canonicis, & eorum successoribus, in liberam, puram, & perpetuam eleemosynam, liberam chaciam de Baronia de *Croxtone*, in Baroniam meam; & liberum introïtum & exitum omni tempore infra villam & extrà, cum omnibus animalibus & pecoribus suis quibuscumque, per vias & semitas, & omnia alia loca debita & consueta, prædictis villæ & territorio &c. His testibus Domino Thomâ de *Berkele*, Domino Richardo *Grey*, Domino Willielmo *Hamelyn*, tunc Vicecomite Leyc. Domino Benedicto de *Rolleston*, Militibus, Hugone de *Boby*, Joanne filio Richardi de *Vilers* &c.

Charta Alphonsi VIII. Regis Castellæ, pro Sancta Cruce *de* Monzonio, *anno 1176.*

QUoniam inter cætera pietatis opera, eleëmosyna excellentior dijudicatur, dicenté Domino: *Date eleemosynam & ecce omnia munda sunt vobis;* & iterum: *sicut ignem extinguit aqua, ita eleemosyna extinguit peccatum.* Ea propter Ego Alphonsus Dei gratiâ Rex Castellæ & Toleti, unà cum uxore mea Alienor, pro animabus parentum nostrorum, & salute propria, bono animo & voluntate spontaneâ facio chartam vobis Abbati Joanni *Sanctæ Crucis*, & omnibus Canonicis ibi degentibus, in perpetuum valituram. Dono, inquam, & concedo vobis Abbati, & universis ejusdem loci Canonicis tam præsentibus quàm futuris, totam hæreditatem *Sanctæ Crucis* ex integro, & totum infantaticum (a) quod est inter flumen, quod vocatur *Carrion*, & *Uzeza*. Istas verò præfatas hæreditates dono vobis prænominatis Canonicis *Sanctæ Crucis* sub regula B. Augustini viventibus, cum montibus & fontibus, cum terris cultis & incultis, cum pratis, pascuis, & cum proprio saltu, cum nemoribus, cum rivis & molendinis, cum vineis, cum ingressibus, & egressibus, & cum omnibus sibi pertinentibus, jure hæreditario sine fine possidendas. Si quis verò hujus donationis meæ paginam in aliquo rumpere, vel diminuere tentaverit, iram Dei omnipotentis plenariè incurrat; & Regiæ parti mille Moravetinos, & vobis, vel vocem vestram pulsanti, damnum, quod intulerit, duplatum in toto persolvat. Facta charta in *Frexna* Era 1214. quinto Calendas Aprilis. Ego Rex Alphonsus regnans in Castella, Estrematura, & in Toleto, hanc chartam manu meâ roboro, & confirmo ac proprio sigillo munio. Cenebrunus Toletanus Archiepiscopus & Hispaniæ Primas confirmat. Sanctius Abilensis Episcopus confirmat. Solcesius Segontinus Episcopus confirmat. Raymondus Palentinus Episcopus confirmat. Petrus Roderici Comitis filius, confirmat. Petrus de *Arazuri* confirmat. Garzias Martini confirmat. Rodericus *Martin* confirmat. Comes Munius confirmat. Comes Petrus confirmat. Comes *Gomez* confirmat. Petrus Goteri confirmat. Ordonius Garsiæ confirmat. Petrus Garsiæ confirmat.

Joannes Magister, Raymondo existente Cancellario, scripsit.

(a) Territorium Infantis Hispaniæ sustentationi assignatum.

Bulla Alexandri III. Pontificis, pro Sancta Cruce *de* Monzonio, *anno 1177.*

ALexander Episcopus servus Servorum Dei. Dilectis filiis Joanni Abbati monasterii sanctæ Crucis, ejusque Fratribus, tam præsentibus, quàm futuris, regularem vitam professis in perpetuum. Cùm in Ecclesia vestra per Dei gratiam Canonicus Ordo secundùm regulam B. Augustini & institutionem Præmonstratensium Fratrum, servetur, dignum est & rationi conveniens, ut vobis propensiùs adesse debeat Apostolicæ sedis suffragium, & contrà malignos incursus potissimum monumentum. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & Ecclesiam vestram, in qua divino mancipati estis obsequio, sub B. Petri, & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus. Statuentes ut quascumque possessiones, quæcumque bona impræsentiarum justè & canonicè possidetis, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum, vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poteritis adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis: locum ipsum in quo præfatum monasterium situm est, cum omnibus pertinentiis suis; Ecclesiam S. Petri cum omnibus pertinentiis suis; Ecclesiam S. Mariæ de *Villavilo* cum omnibus pertinentiis suis; Ecclesiam sanctæ Ceciliæ de *Covellices* cum omnibus pertinentiis suis; quidquid possidetis in *Havajona* de valle spinæ: quidquid possidetis in villâ *Exemena* vallis de Petro: quidquid possideris in spinosa de *Astudelo*: quidquid possidetis in villa Enega de *Astudelo*: quidquid possidetis in Palentia: quidquid possideris in *Montisono*: quidquid possidetis inter *Majolas* & *Villanela*; quidquid possidetis in valle de *Olmelos*: quidquid possidetis in valle fontis de Petro. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decernimus, ut eorum devotioni & extremæ voluntati eorum, qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi fortè excommunicati, aut interdicti sint, nullus obsistat; salvâ tamen justitiâ illarum Ec-

clesiarum à quibus mortuorum corpora assumuntur. Decernimus ergo ut nulli hominum liceat, præfatum monasterium temerè perturbare aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed illibata omnia, & integra conserventur, pro quorum sustentatione, & gubernatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salvâ sedis Apostolicæ authoritate, & Diœcesani Episcopi canonicâ justitiâ. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica, secularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contrà eam, temerè venire tentaverit, secundò, tertiòve commonita, nisi præsumptionem suam dignâ satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sanctissimo Corpore & Sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus, sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenùs & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant; Amen. Ego Alexander Catholicæ Ecclesiæ Episcopus. Ego Huvaldus Ostiensis Episcopus. Ego Gualterius Albanensis Ep. Ego Isidorus Presby. Cardinal. Tit. S. Anastasiæ. Ego Bonifacius Presb. Card. Eccles. S. Pudentianæ Tit. Pastoris. Ego Theodinus Presb. Card. S. Vitalis Tit. Vestin. Ego Hyacenthus Diaconus Card. S. Mariæ in Comesdim. Ego Ardino Diac. Card. S. Theodoræ. Ego Hugo Diac. Card. S. Eustachii juxta templum Agrippæ. Ego Manfredus Prænestinus Episcopus. Datum Venetiis in Rivo alto per manus Gratiani S. R. E. Subdiac. & Notarii, quarto nonas Augusti, Indict. decima, Incarnat. Domini anno millesimo centesimo septuagesimo septimo. Pontificatûs verò B. Alex. PP. tertii anno decimo octavo.

Bulla Alexandri III. pro confirmatione status & possessionum Abbatia Sanctæ Crucis Metensis, *anno 1181.*

ALexander Episcopus servus Servorum Dei, dilectis filiis Hugoni Abbati Ecclesiæ Sanctæ Crucis Metensis, reliquis Fratribus tam præsentibus quàm futuris regularem vitam professis, in P. P. M. Religiosam vitam eligentibus, Apostolicum convenit adesse subsidium, ne fortè cujuslibet temeritatis incursus aut eos à proposito revocet, aut robur, quod absit, sacræ Religionis infringat, quapropter dilecte in Domino fili, vestris justis postulationibus clementer annuimus & præfatam Ecclesiam Sanctæ Crucis, extra civitatem Metensem positam, in qua divino mancipati estis obsequio, sub Beati Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus. Inprimis siquidem statuentes ut Ordo Canonicus qui secundùm Deum & Beati Augustini regulam atque institutionem Præmonstratensium Fratrum, in eadem Ecclesia esse demonstratur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Prætereà quascunque possessiones quæcunque bona, eadem Ecclesia inpræsentiarum justè & canonicè possidet aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Deo, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant; in quibus hæc omnia propriis duximus exprimenda vocabulis.

Locum ipsum in quo præfata Ecclesia sita est cum omnibus suis pertinentiis, allodium de *Burris* quod dedit vobis Ida assensu hæredum suorum. Censum quem dedit vobis Albertus Advocatus per manum quondam Metensis Episcopi. Terram Richardi de *Remport*, terram Roselini *Matons* & sororis ejus Osannæ, vineas Renaldi filii Nemerici de *Viceto* in territorio de *Rosieiers*; vineas Brunerdis in *Plantoriis* & in *Martino-Campo*; vineas *Giler* apud Sanctum Julianum, vineas Gaulteri cognomento Pagani de *Vantous* ad *Mazin*; vineas Otonis de *Vi* ad *Loreifumos*, Bartholomæi ad *Portam Salia*. Domum Metis quæ fuit Ulliei militis. Censum quinque solidorum quem dedit vobis Bermundus in *Burgo* extra Saliam. Allodium de *Cavillo* de quo Allartus assensu Beatricis uxoris suæ & filiorum suorum suam portionem vobis dedit; & alias portiones ejus Allodii dederunt vobis Garselius, Gibertus & *Gimpa* uxor ejus & Theodoretus de *Perta* Gemasius de *Larei* & Hugo de *Novo Castro*. Terram de Sancti Petri fonte, quam per Episcopum Metensem Mathæus Dux & Marchio Lotharingorum assensu Comitis Sigiberti de Alsasia & assensu Cononis de *Manberch* & Cononis de *Cruenges* & Andreæ & Richardi Fratrum de *Mosterot* & Arnulphi Dapiferi & hæredum suorum vobis concessit in perpetuum quidquid in eodem territorio Wiricus & Gilo frater ejus & Anselmus eorum sororius, à summitate montis qui est versùs *Lates* & usque ad alium montem qui est versus *Thil* in proprios usus tenebant assensu Hugonis Comitis de *Dasbourch* & assensu Evrardi Advocati supradicti Ducis vobis dederunt & per totum bannum de *Lates* usum animalium vestrorum in vacuis pascuis. . . . .

. . . .

. . . .

. . . .

Sane novalium vestrorum quæ propriis manibus aut sumptibus colitis, seu de nutrimentis animalium vestrorum, nullus à vobis decimas exigere præsumat; liceat quoque vobis Clericos vel Laicos à seculo fugientes liberos & absolutos ad conversionem recipere & vos absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper ut nulli Fratrum vestrorum post factam in eodem loco professionem fas sit absque Abbatis sui licentia de eodem loco discedere, discedentem verò absque communium litterarum cautione, nullus audeat retinere; cùm autem generale interdictum &c. . . . . Si qua igitur in futurum Ecclesiastica sæcularisve persona &c.

Ego Alexander Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

Ego Paulus Prenestinus Episcopus.

Ego Petrus Presbyter Card. sancti Cassani.

Ego Vimiamus Presb. Card. sancti Stephani in Celio monte.

Ego Arduinus Presb. Card. S. Crucis in Jerusalme.

Ego Laboranus Presb. Card. sanctæ Mariæ novæ trans Tyberim.

Ego Jacobus Diac. Card. sanctæ Mariæ in Cosmedino.

Ego Joannes Diac. Card. sancti Augustini.

Ego Matheus sanctæ Mariæ Diaconus Cardinalis.

Datum Viterbii per manum Alberti sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyteri Cardinalis & Cancellarii Nonis Julii, Indictione xiv. Incarnationis Dominicæ MCLXXXI. Pontificatûs verò Domini Alexandri III. anno xxii.

Charta Hillini Trevirensis Episcopi, confirmantis bona concessa Abbatia Sanctæ Crucis Metensis, *anno 1161.*

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ego Hillinus, Dei gratiâ, Trevirorum Archiepiscopus, Apostolicæ sedis Legatus, cunctis Christi fidelibus tam præsentibus quam futuris, pacem æter-

nam in Domino. Dignitas Episcopalis quantò sublimior est honore, tantò in officio periculosior. Quis enim dignè tam profunda rimari mysteria, judicia morari & ad quæque Sacramentorum arcana dispensandorum, castum & prudens se habere gloriabitur corpus? Ea propter quoniam ad tanta indignos & minùs sufficientes meritis nostris exigentibus & multiplicibus præpedientibus curis nos judicamus, superest ut ad eorum suffragia orationum mentis devotione fugiamus, qui spretis seculi pompis, puras Deo offerant orationes, quieti & opibus divinis se mancipare decreverint. Pro divino igitur respectu vestrarumque intentu orationum, dilecte fili Stephane Abbas de sancta Cruce, Fratrumque vestrorum justis postulationibus inclinati, & confirmationem dilecti & venerabilis Fratris & Episcopi nostri Stephani Metensis quam de subscriptis vobis possessionibus fecit, insecuti, Fratribus ibidem in perpetuo Deo sub regula Beati Augustini militantibus, authoritate Dei omnipotentis & Beatorum Apostolorum Petri & Pauli Domini nostri Papæ & eorum vicaria quâ fungimur vice corroboramus & confirmamus vobis locum vestrum Beatissimæ Dei Genitrici & perpetuæ Virgini Mariæ consecratum & sub Metropolitanæ nostræ sedis tutela protectioneque, salvo per omnia Episcopi Metensis jure suscipimus. Statuentes ut quascunque possessiones quæcunque bona in Provincia justè & legitimè possidetis aut in futurum clementiâ Regum largitione Pontificum vel quorumlibet oblatione fidelium adipisci poteritis, firma vobis, vestrisque successoribus inperpetuum & illibata permaneant. Imprimis itaque confirmamus allodium de *Buris* quod dedit Domina Ida *Laride* & assensu filiarum suarum Beatricis & Ælidis & earum filiorum Ponzardi & Rodulphi Bertini & Philippi & aliorum hæredum Alberti de *Plappevilla* & filiorum & filiarum suarum, Cunegondis & filli sui Alexandri, Elisabeth de *Ruppenes-fillonis* uxoris Hugonis de *Margoil* & hæredum suorum, eo tamen tenore ut ibi Abbatia fundaretur, & inperpetuum permaneret; & censum quem dedit vobis Albertus Advocatus per manum Episcopi Metensis, terram quoque præfato loco adjacentem quam dedit vobis Richardus de *Rimport* assensu filiorum suorum & filiarum suarum, & terram quam dedit vobis Rocelinus *Mattons* & soror ejus Osanna, terram de *Rumanvara* quam Episcopus & Cives Metenses vestræ contulerunt Ecclesiæ. Confirmamus etiam vobis vineas quas vobis dederunt Rainaldus filius Nemmerici de *Viceto* pro uxore sua apud vos sepulta, in vineis de *Rozerul* & Bartholomæus Canonicus vester apud sanctum Martinum & Bernardo commissa vestra in *Planteris* & in *Martino-Campo* & in furtis & Gilla commissa vestra apud Sanctum Julianum & Waltherus Canonicus vester cognomento Paganus de *Ventons*.... & Otto de *Vi* ad *Lorez* quidquid jure hæreditario ex parte uxoris suæ possidebat legitimè, furnos quoque quos dedit vobis Bartholomæus vester præfatus Canonicus apud *Portam Saliam* & quinque solidos censuales in *Bureto* ultra Saliam, quos vobis dedit Berundis supradicta; terram etiam de *Cozilo* de qua Dominus Albertus assensu uxoris suæ Beatricis & filiorum, suam portionem assignavit Garsilius & Sigibertus suam quam sexaginta solidis emistis, Gueppa & Hugo vester etiam suam portionem pro salute animarum suarum, Hugo de *Bu* suam portionem VII. pro qua dedistis Baldinio, uxorique suæ viginti solidos; Gueppæ & filiæ ejusdem Hugonis viginti solidos. Ipse idem Hugo pro remedio animæ suæ, filiæ suæ, uxoris Theodorici de *Ponteu* persolvit viginti. Hugo de *Novo Castro* suam portionem & soror ejus uxor Gerardi suam quas Hugo de *Porta Salia* emit Ecclesiæ vestræ quatuor libris & decem solidis, Theodoricus de *Porta* suam portionem. Terram etiam de *sancti Petri Fonte*, quam per Episcopum Metensem Mathæus Dux & Marchio Lotharingorum assensu Comitis Sigisberti de Alsasia & assensu Cononis de *Manberch* & Cononis de *Cruenges* & Andreæ & Richardi Fratrum de *Mosterons* & Arnulphi Dapiferi & hæredum suorum & omnium qui aliquid juris ibi habere videbantur, quod unus post alium in feodo tenebant liberè vobis in perpetuum tradiderunt possidendum. Similiter in eodem territorio Wiricus & Gilo frater ejus & Anselmus sororius eorum, assensu Comitis de *Dasbourch* & assensu Gerardi Advocati supradicti Ducis dederunt vobis quidquid à summitate montis qui est versus *Lates* usque ad alium montem qui est versus *Thil*, in proprios usus tenebant, & quidquid à rusticis acquirere poteritis, insuper per totum bannum de *Lates* usum animalium vestrorum in vacuis pascuis. Acta sunt hæc in Trevirensi civitate anno Incarnationis Domini MCLXII. Indictione X. Epacta III. concurrente VII. anno verò Imperatoris Frederici Regni sui X. Imperii autem V. Pontificatûs quidem Hillini Trevericæ Urbis Archiepiscopi, anno decimo.

Charta Confirmationis Stephani Metensis Episcopi, pro confirmatione Sanctæ Crucis Metensis, *anno 1161.*

Stephanus de Barro filius Theodorici primi nomine Comitis Montis pelicardi, Barri &c. Et Ermentrudis filiæ Guillermi secundi de Burgundia cognomento caput audax Sororisque Papæ Calisti secundi.

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ego Stephanus, Dei gratiâ, Metensis Ecclesiæ Episcopus, Stephano Abbati sanctæ Crucis & ejus Fratribus, eorumque successoribus, in perpetuum. Paternæ traditionis æmulatrix posteritas, ejus mutuata est vicem, cujus sortita successionem. Quemadmodùm enim antiquorum solertia, quod infirmari noluit, cautione firmavit, ita & modernorum æmulatio idipsum vicariæ successionis legitimum conservavit sibi in pluribus profuturum. Ea propter Ego Stephanus sanctæ Metensis Ecclesiæ humilis Minister, dispositum habens pro modo, pro loco, pro tempore, servorum Dei negotiis insudare, studere paci, propulsare inquietationes, causas eorum terminare, terminatas memoriæ posterorum scripto commendare curavi, ne cum occasu temporum cadat memoria rerum gestarum. Inde est quòd præsenti cautione notum facio tam præsentibus quàm futuris, quòd Fratres Justimontis locum, & locum, qui dicitur Sancta Crux, inhabitantes in hoc convenerunt & pari unanimitate consenserunt, ut uterque præfatus locus Abbatiæ nomine insigniretur; hoc itaque suum ipsorum propositum Patribus Præmonstratensis Ordinis, quorum auxilio res effectui mancipari debebat, denuntiantes, beneplacitum eorum & assensum desiderio petentium examinato & ampliatione sanctæ Religionis inspectâ obtinuerunt, quorum etiam ordinatione prædicti Fratres certas possessiones pari voto assignaverunt, & quod utrique Ecclesiæ sigillatim fuit assignatum, generalis Capituli Præmonstratensium Abbatum authoritate confirmatum est. Ego igitur quia mei officii est piis assistere desideriis, benevolus, justis eorum petitionibus præbui assensum & utrique domui suum Abbatem Fratrum petitione designavi. Tibi itaque, dilecte fili in Christo Stephane, sanctæ Crucis Abbas, & Fratribus sub regula Beati Augustini secundùm tenorem Præmonstratensium consuetudinum inibi degentibus, tuisque & ipsorum successoribus prætaxatum locum sanctæ Crucis cum assignatis appenditiis,

sicut in sequenti subnotata sunt, confirmo; videlicet locum ipsum de *Burus* & censum quem dedit vobis Albertus Advocatus per manum nostram, terram quoque præfato loco adjacentem quam dedit vobis Richardus de *Rumport*, grangiam de *Cozslo* cum pertinentiis suis, grangiam de *Sancti Petri fonte* cum pertinentiis suis; locum etiam, qui dicitur *Vallis sanctæ Mariæ*, quem dedit vobis Walterus de *Ventous*, qui cognominabatur *Paganus*; eo tamen tenore ut singulis annis nostræ majori Ecclesiæ persolvetis aureum unum, vel duodecim nummos Metensis monetæ: Et sciendum quòd Conventus majoris Ecclesiæ hanc dignitatem in hoc loco retinuit ut si ibi Abbatia fundaretur, Abbas à Primicerio, communi consilio Conventûs baculum pastoralem accipiat; ut autem hæc nostræ subscriptionis pagina rata & inconcussa permaneat, Episcopali authoritate & sigilli mei impressione communio. Testes Theodoricus Primicerius, Simon Decanus Archidiaconus, Roalinus, Hugo, Fridericus Magister, Hugo, Richerus Præpositus sancti Salvatoris, Ancelmus, Warenius Capellanus, Albert de *Paroas*, & omnis Ecclesiæ Conventus. Albertus Abbas sancti Gorgonii, Lethardus Abbas sancti Martini, Robertus Abbas sancti Vincentii, Simon Abbas sancti Arnulphi, Joannes Abbas sancti Clementis, Hubertus Abbas sancti Simphoriani. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica secularisve persona, hanc nostræ Constitutionis paginam sciens, contra eam temerè venire tentaverit, secundò, tertiòve commonita, nisi præsumptionem suam congruâ satisfactione correxerit, potestatis, honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio de perpetrata iniquitate cognoscat, & à Sacratissimo Corpore & Sanguine Dei & Domini nostri Redemptoris Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo districtæ ultioni subjaceat, cunctis autem eodem loco sua jura servantibus, sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiatis, apud & districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Anno ad Incarnatione Domini nostri Jesu Christi MCLXI. Indictione IX. Epactâ XXII. concurrente. Data per manum Fulconis Cancellarii III. Kalendas Maii.

Charta Nicolai Episcopi Suessionensis, anni 1142. quâ approbat donationem Molendini factam à Comite Theobaldo, Dominabus Vallis - Christianæ *sub Abbate Grimaldo viventibus.*

NIcolaus miseratione divinâ Suessionensis Episcopus, salutem in Domino; notum sit omnibus hominibns tam futuris quàm præsentibus, Comitem Theobaldum Trecensium Palatinum, dedisse & Eleemosynasse Dominabus Vallis-Christianæ sub Abbate Grimaudo Deo servientibus, molendinum suum *Choiseullum* dictum en *Ru-prè* inter *Dormans* & *Solliacum* * situm, ita liberè sicut ipse eum tenebat cum tota justitia tam in terris quàm in pratis, Henrico filio suo concedente, testibus Godefrido Abbate Vallis-Secretæ, Petro tunc Præposito de *Dormans*, Gauterio de *Bernon* Præposito Sparnaci, Raimondo Archidiacono, Bernardo Decano. Actum est hoc anno ab Incarnatione Domini MCXLII. Willermus Clericus hanc chartulam signavit.

* Solly.

Charta Henrici Trecensis Comitis, quâ usum in nemoribus suis concedit Canonicis Vallis-Christianæ, *& Sororibus ejusdem Ordinis de* Sanctâ Cruce *super* Dormannum. *1178.*

EGo Henricus Trecensium Comes Palatinus, notum facio præsentibus & futuris quòd Deo & Ecclesiæ Beatæ Mariæ de Valle-Christianâ in eleemosynam dedi usuarium in nemore meo de *Riâ*, * videlicet ad pasturam animalium, & mortuum nemus ad comburendum, & vivum ad ædificia sua. Sororibus quoque ejusdem domûs quæ habitant apud sanctissimam Crucem super *Dormannum*, * usuarium prædicto modo donavi in memore meo, quod dicitur *Watsseium*, * quod autem ut notum permaneat, & ratum teneatur, litteris annotatum sigilli mei impressione confirmavi. Affuerunt autem hujus rei testes Robertus Abbas de *Ermerus*, Frater Obertus Præpositus *Vallis-Secretæ*, Theobaldus de *Funus*, Magister Hugo de *Monte Rapon*, Gaufridus *Bruolart* Senescallus Orschii, * Joannes Vicecomes, Roricus *Turches*, Gerardus nepos Artaudi, ipse Artaudus, & Milo de Pruvinio. Actum apud Nogentum anno incarnati Verbi MCLXXVIII. Data per manum Stephani Cancellarii.

Ex Cartul. Titul. 5.
* Le Buisson du Roy.
* Dorman.
* Le Bois de Vassieux ou Vassy.
* Ouchies

Charta Guidonis de Garlanda, confirmantis donationes à parentibus suis Parthenio Sanctæ Crucis *factas 1211.*

NOtum sit omnibus præsentibus & futuris quòd Ego Guido de *Garlanda* & Agnes uxor mea, quidquid Guido pater meus, & Guido avus meus Sororibus de sanctâ Cruce in eleemosynam contulerunt, pro remedio animarum nostrarum perpetuò, pacificè possidendum concessimus, scilicet viginti solidos apud *Brucolium*, * tertiâ die post festum omnium Sanctorum singulis annis persolvendos, & in nemoribus nostris ligna quæ dicuntur mortua, eisdem Sororibus, suorumque successoribus profutura, & unum modium bladi, medietatem frumenti, & medietatem *Tremelagii* * eadem mensura, quâ nobis redditur in molendino de *Molegno*, & pratum unum apud eandem villam; & ne hoc ullo temporis processu à memoria valeat recedere, sigilli nostri impressione signavimus, hujus rei testes & infra. Actum est hoc apud *Bruolium* anno incarnati Verbi MCCXI.

* Le Breüil.
* Tremois.

Charta Philippi, Flandriæ Comitis, pro Sororibus S. Nicolai Furnensis.

EGo Philippus, Comes Flandriæ, & Veromandiæ, notum esse volo tam futuris, quàm præsentibus, quòd ad petitionem & devotionem Karissimæ sororis meæ Gertrudis, quondam Maurianensis Comitissæ, piæ ipsius devotioni placito occurrens assensu, pro animabus nostris, & antecessorum nostrorum, concessi, dedi, approbavi eleemosynam, quam ex redditibus sibi ad vivendum assignatis, Sororibus S. Nicolai de *Furnes* assignavit; videlicet quinquaginta solidos ex officio Lambini Notarii, Brugis annuatim persolvendos. Notandum quòd ex prædictis quinquaginta solidis, Sorores habebunt

aliquam pitanciam in die Anniversarii ejus, & mei. Hoc addito, quod Sorores litteratæ Psalterium legant singulæ, infra Octavas utriusque Anniversarii: Illitteratæ quinquaginta *Pater noster* dicant. Si verò contigerit me post ipsam vivere, quandiu superstes ero, in Octavis S. Trinitatis celebrabunt Missam de *Spiritu Sancto*, pro salute & incolumitate meâ. Ut ergo hæc eleemosyna nostra rata permaneat, sigilli mei authoritate, & testium subscriptione præsens scriptum communiri curavi. S. Roberti Advocati. S. Roberti, filii ejus. S. Hugonis de *Orsy*. S. Willelmi de *Locra*. Actum anno Domini MCLXXXI.

Bulla Urbani III. pro iisdem Sororibus.

URbanus Episcopus, servus Servorum Dei, dilectis in Christo filiabus Christinæ Priorissæ, & Sororibus S. Nicolai Furnensis, salutem & Apostolicam benedictionem. Justis petentium desideriis dignum est facilem præbere consensum, & vota, quæ à rationis tramite non discordant, effectu prosequente complere. Ea propter, dilectæ in Domino filiæ, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, quinquaginta solidos Flandrensis monetæ, quæ vos annuatim, ex pia distributione Nobilis mulieris Gertrudis, quondam Comitissæ Maurianensis, authoritate Apostolicâ roborata contingunt, sicut in authentico Nobilis viri Philippi, Comitis Flandrensis, Fratris ipsius, & suo pleniùs continentur, vobis, & per vos, Ecclesiæ vestræ, authoritate Apostolicâ, & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Veronæ, Nonis Februarii.

Charta Wladislai Ducis Oppoliensis pro fundatione Bozidom, *sive* Czarnovans, *anno 1228.*

ANno Verbi incarnati millesimo ducentesimo sexagesimo, Indictione septimâ currente quartâ, Epactâ sextâ, Lunâ vigesimâ octavâ.

Nos Wladislaus divinâ miseratione Dux Oppoliensis dum in *Bosidom* resideremus, in Capitulo Fratrum & Sororum B. Augustini Præmonstratensis Ordinis, Wratislaviensis Diœcesis, oblatum est nobis privilegium per Dominam Margaretham Magistram, & Conventum ejusdem domûs in quo continebantur hæc quæ inferiùs subscribuntur.

In Nomine Patris & Filii & Spiritûs Sancti Amen. Nos Casimirus Dei gratiâ Dux Oppoliensis, filius Ducis Mesconis, quondam bonæ memoriæ, notum facimus universis, tam præsentibus quàm futuris, quod ex instinctu Dei pro remedio nostrorum peccaminum, ac salute animarum nostrorum prædecessorum, claustrum prædicti Conventûs, quod anteà per Dominam Ludmillam piæ recordationis matrem nostram, in *Ribnick* fuerat fundatum, de petitione & consensu sæpè dicti Conventus in *Bozidom* transferentes omnes donationes tam in hæreditatibus, quàm in libertatibus, jam sæpè fatæ domui litteras nostras quoque his superaddentes de Baronum nostrorum consilio confirmavimus. Primum ipsum *Ribnick* pro *Czarnovans* commutantes, exceptis tabernis & Capellâ cum sorte sua in *Falenik* quæ pro suis usibus detinuerunt. *Storogoston Most* quoque cum omnibus suis proventibus *Kneschen Krawarr*, *Wreblino*, *Bednichowici*, *Walchs*, *Gracholuba*, *Stradunia*, *Snjda*, *Broscz*, *Raduna*, *Sdazna*, *Dobrzen*, *Dzelnoza*, *Grudina*, *Lapcowici*, *Orrizen*, *Punczow*, *Radozevici*, *Dedobouci*, *Dzelhonem*, cum suis fortibus & molendino, & *Lgatam* quæ vocatur *Munco* Istas omnes villas supra dictas tam à nobis quàm à nostris Prædecessoribus, seu Baronibus collatas, placuit nobis de nostra libertate mera cum pleno jure nostri dominii, perpetuâ libertate donare. Ita quod homines sub jurisdictione eorum, in prædictis villis manentes, à nemine penitùs provocentur, vel judicentur nisi tantùm à Præposito domûs Dei, vel si causa talis fuerit, vel excessus, coram ipso Duce provocati stare tenebuntur, responsuri. Ita tamen quòd ibi judicatum fuerit, omnis pœnalis solutio domui cedet ratione juris dominii. Item excipimus sæpè nominatos homines ipsorum ab omni servitute Juris Polonici, ut est *Stan*, *Stroza*, *Powos Przewod*, qualitercumque *Bobrownici*, *Psare*, ad Castra etiam ædificanda, sivè reparanda, seu alias munitiones construendas ire non tenebuntur, ab omni quoque expeditione eos absolvimus, excepto eo dumtaxat, si fortè exercitus subitò super terram nostram occupandam (quod absit) ingrueret. Ut autem hæc nostra donatio per præsens scriptum robur obtineat firmitatis, hanc paginam, ne ab aliquo quocumque modo posset violari, sigilli nostri munimine eandem fecimus roborari, subscribentes nomina testium, qui nostræ huic donationi præsentes fuerunt. Videlicet Dominus Sebastianus Cancellarius, Comites Macheslano, Wernerus, Joannes Clementis, Sbrozlavius, Seleslavius, Jaslzo, Streclz, Petrus Laurentius, Goslavius, Joannes de Rudno, Joannes Sibochie, & alii quàm plures. Acta autem sunt hæc in Oppol. anno ab Incarnatione Domini millesimo ducentesimo vigesimo octavo.

Nos igitur Wladislaus Dei gratiâ Dux Oppoliensis sæpè dicti Ducis Oppoliensis Casimiri filius, inspectâ piâ devotione ac donatione patris nostri, & omnium antecessorum nostrorum, omnes villas cum suis attinentiis, & proventibus, omnesque libertates in supradicto privilegio datas, & conscriptas cœnobio Dominarum de *Bosidom* & Capellam de *Sever*, quæ pro ipsorum porrigeret voluntate, nec non decem lapides ceræ in villâ Oppoliensis Castellaturæ, sita, quæ Lublanæ nuncupatur, pro alendo lumine in prædictâ Ecclesiâ de *Bosidom* assignamus, confirmantes ac benevolè acceptantes omnia suprà dicta, & nostri sigilli munimine roborantes. Excepto tenolio quod pro nobis in dictâ Castellaturâ *Sever* excepimus, pro quo jam dictos decem lapides ceræ domui prænominatæ contulimus. Quam si habere ceram non potuerint, Coloni villæ prænominatæ de melle nihilominus quod nobis solvere debuerunt domui de *Bozidom* antefatum numerum ceræ annis universis in perpetuum solvere tenebuntur. Acta sunt hæc in *Rattibor* anno millesimo ducentesimo sexagesimo, præsentibus his testibus, Domino Thoma Wratislaviensi Episcopo, Domino Wilhelmo Lubecensi Episcopo, Fratribus de Ordine Prædicatorum, Vincentio & Martino, Gothardo Notario *Dzecchkone* Castellano de *Rattibor*, Sulcone Castellano de *Ifranow*, Januschio *Menchyc Dierzkone* Subcamerario, Ramoldo Subpincernâ & aliis quampluribus.

L. S.

Confirmatio Gregorii noni P.P. super fundatione in Ribnik *de anno 1227.*

GRegorius Episcopus servus Servorum Dei, dilectis in Christo filiabus Monialibus monasterii de *Ribnik* salutem & Apostolicam benedictionem

nem. Cùm à nobis petitur quod justum est, & honestum, tam vigor æquitatis quàm ordo exigit rationis ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Quapropter dilectæ in Christo filiæ vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, monasterium vestrum cum personis Domino famulantibus in eodem, nec non cum omnibus bonis, quæ idem monasterium in præsentiarum justè ac pacificè possidet, aut in futurum justis modis præstante Domino poterit adipisci, sub Beati Petri & nostrâ protectione suscipimus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ protectionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem attentare præsumpserit indignationem omnipotentis Dei & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani decimo Kalend. Maii Pontificatûs nostri anno primo.

GREGORIUS PP. IX.

Privilegium Laurentii Episcopi & Capituli Wratislaviensis *super decimis plurimorum Pagorum ibidem fusiùs insertorum cum Telonio in* Sevor *& aliis libertatibus quamplurimis, de anno 1223.* VIII. *Kalend. Junii.*

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Nos Laurentius miseratione divinâ Wratislaviensis Episcopus notum facimus præsentibus & futuris quòd cum communi consensu Capituli Wratisl. ad honorem Dei & ad sustentationem Sanctimonialium Ecclesiæ S. Salvatoris in *Ribnik* ad petitionem Reverendi Principis & Catholici Domini Casimiri illustris Ducis de *Oppol.* damus & concedimus Ecclesiæ S. Salvatoris in *Ribnik* decimas villarum in Castellaturâ de Tessin, quæ sunt *Bolesovo*, *Vizla Aschrichino*, *Zamaischi Nagervici*, *Suenchiezi* sub urbium *Zajere Clechenuge*, *Radovisque Punzo Beleviezo*, *Ogrozona Novoza* in perpetuum habendas. In decimis etiam, quæ in novalibus desertorum ejusdem Castellaturæ succrescere poterunt, cum dicti Capituli Wratisl. consensu prædictæ Ecclesiæ S. Salvatoris in *Ribnik* damus & concedimus medietatem. In ambitu autem de *Esl.uds* cum duabus villis adjacentibus *Rachou* & *Lechan* duas partes decimarum eidem Ecclesiæ S. Salvatoris in Ribnik, cum præfati Capituli consensu damus & concedimus. Decimas verò quas prædecessor noster piæ memoriæ D. Zyroslaus quondam Wratisl. Episcopus Ecclesiæ sanctæ Mariæ Virginis in Ribnik in ipsius Ecclesiæ consecratione contulit cum sæpè dicti Wratisl. assensu, eidem Ecclesiæ confirmamus. Decimas videlicet ipsius villæ *Ribnik*, *Smolna*, *Zalese*, *Knegnici*, quam ultimam villam recepit Ecclesia de Ribnik ab Ecclesiâ de Sale in concambium pro villâ Bolconis. Et ne in liberis decimis quas sæpè dictæ Ecclesiæ S. Salvatoris in Ribnik quidam milites se voluntate propriâ contulerunt, ipsa Ecclesia quoquo modo defraudari possit, ipsas eidem Ecclesiæ cum supra notato assensu confirmare dignum ducimus, decimas videlicet Vincentii & Przibislai, Crisani, & Joannis Bassomi, & Alberti, Alexandri, & Zetelzonis, Vincentii & Fratrum ejus Sventoslii & Michaëlis, Eustachii & Wisimiri, Witeslai, & Primislai, donationes siquidem ipsius gs. Ducis prænominatæ Ecclesiæ S Salvatoris in Ribnik liberrimè contulit. Huic vestræ donationi ad memoriale sempiternum dignum duximus interserere, quæ sunt; ipsum territorium de Ribnik cum Capellâ & omni jure & jurisdictione & libertate, & utilitate, tam Castrorum, quàm & aliorum proventuum quæ in præsenti seu in futuro possunt aut poterunt in eodem territorio succrescere: villa de Breze, *Smolna*, *Knegnici*, *Wroblino*, & *Susela* cum suâ circuitione, *Bresins*, *Scacovici*, *Cravarr*, cum suo ambitu, *Rachovo* & *Lechan.* cum plenâ libertate, *Grudina* & telonium de *Sevor* Ut ergo hæc nostra donatio & concessio à nostris successoribus inviolabiliter observetur in posterùm ipsâ præsentis paginæ attestatione, & tam sigilli nostri, quàm & suprà positi Capituli appensione roborando confirmamus. Actum in Wratisl. in choro S. Joannis anno ab Incarnatione Domini MCCXXIII. VIII. Kalendas Junii in præsentiâ Victoris Decani, & Janusci Archidiac. Ægidii Scholastici, Radulfi Cantoris, Laurentii Custodis, Radoslai Archidiac. Olomuc. Sdizlai Archidiac. de *Zauchost*. Canonicorum Wratisl. Othonis, Lupi, Alberti, Sdizlai, Procasii, Franconis, Lanitini, Simonis, Joannis Boguslai, & aliorum Canonicorum Wratisl. Comitis Radozlai, Judicis de Oppol. qui in hoc facto nuntius extitit Ducis Casimiri, & in præsentiâ multorum aliorum. Suprà dictis addidimus quod medietatem novalium in Castellaturâ de *Tessin* Ecclesiæ S. Joannis in Watisl. reservamus & tertiam partem decimarum in *Cravarr*, *Rachou* & *Lechan*, Ecclesiæ verò S. Nicolai in *Tessin* pro cambio quarumdam decimarum superiùs dictarum. Hæ ultimæ additiones factæ sunt in *Smarschov* eodem anno VI. Kalendas coram prædictis testibus, quadraginta ulnas mellis assignamus in *Cozle.*

L. S. L. S.

Privilegium Laurentii Episcopi & Capituli Wratislaviensis *super collatione decimarum Hospitali in* Schurgast, *de anno 1223.*

IN Nomine Domini Amen. Ego Laurentius miseratione divinâ Wratislaviensis Episcopus. Notum facio præsentibus & futuris hanc chartam inspicientibus, quòd accedente consensu Canonicorum meorum, dedi Ecclesiæ quæ est in *Schorogostov*, *Most* decimas harum villarum quarum nomina sunt hæc, *Nevodnici*, *Colcheine*, ipsum territorium quod est unum cum *Chrostina*, & cum *Boguslave* perpetuo jure possidendas, salvâ decimâ Decani Wratislaviensis, salvis etiam decimis Ecclesiæ S. Crucis in Oppol. quas justè petit. Ad cujus rei argumentum hanc chartam clave sigilli nostri roboratam eidem contuli. Actum in consecratione ejusdem Ecclesiæ ab Incarnatione Domini anno MCCXXIII.

L, S. L. S.

Confirmatio Henrici Ducis Silesiæ & Cracoviæ super fundatione Domûs-Dei. *de anno 1234.*

IN Nomine Dei æterni Amen. Ne lapsu temporis gestorum memoria facilè tradita oblivioni, res utiles & necessarias valeat corrumpendo infirmare, cautè ac providè tum prudentum providentiâ, quam etiam juris circumspectione gesta omnia ad perpetuam posterùm memoriam scripturæ notitiâ perenniter perpetuari est provisum. Ea propter nos Henricus Dei gratiâ Dux Silesiæ & Cracoviæ præsenti documento notum facimus præsentibus & futuris. Quod cùm tutelam & gubernationem filio-

rum dilecti Fratris nostri Ducis Casimiri Mesconis scilicet & Vladislai gerentes essemus, redeuntes de Cracoviâ & de colloquio Patrui nostri Ducis Conradi in monasterio Domo-Dei scilicet, sivè in *Czarnowans* constituti, orta coram nobis quæstione, & super eâ etiam dubitatione, de hoc videlicet quæ possessiones, & quæ etiam in eisdem possessionibus libertates dicto competent monasterio, & quâ libertate tam in ipsis possessionibus quàm aliàs ejusdem degentes homines monasterii fruendi ac utendi, liberi ab omnibus angariis & perangariis quibus alii homines terræ onerantur haberent facultatem. Omnibus coram nobis & dilectâ nuru nostrâ relictâ Ducis Casimiri, filioque ipsius nepote nostro Mescone convocatis de Oppol. Baronibus & omnium veridicâ assertione & testificatione hoc scilicet invenimus. Quia cum bonæ memoriæ Patrua nostra mater videlicet præfati Casimiri, claustrum in Ribniky piâ devotione (& in ipso Capellam cum tabernis piâ liberalitate contulit ac donavit) Sanctimonialium fundasset, ipsique Claustro dictum Ribniky & in ipso Capellam cum tabernis piâ liberalitate contulit ac donavit. Addidit etiam eidem Claustro seu monasterio donationis titulo & has possessiones *Schorgoston*, *Xezerice*, *Smolnam*, *Preze*, *Cravarrz* autem & *Wroblino* & *Ruselam* cum ipsorum omnibus pertinentiis. Post hæc autem cum Conventui Claustri seu monasterii prædicti mansio in Ribniky eodem loco displiceret quia incommoda & incompetens videbatur; de voluntate præfati fratris nostri ducis Casimiri Conventus nominatus cum eodem duce Casimiro Ribnici pro Czarnowans commutavit. Ejus Conventûs inspectâ devotione idem Dux Casimirus, commutatione præfatâ solemniter celebratâ, piâ liberalitate cupiens opera misericordiæ omnibus efficaciter adaugere, addidit ei telonium & Capellam in *sevor* cum his pertinentibus villis, *Dobren* scilicet & *Wysoka* & *Warsen*. Domina verò Ducissa uxor ejusdem Ducis Casimiri eidem Claustro medietatem tabernarum in *Bitom* piæ devotionis affectu jure perpetuo condonavit. Nobiles insuper & Barones præfati Ducis Casimiri ac Ducissæ uxoris scilicet ipsius provocati devotæ liberalitatis exemplo has villas donaverunt, *Dielnicam*, *Grudnam*, *Stefan*, *Lascowici*, *Ostrsevo*. Illud etiam & testificatione prædictorum nobilium & Baronum invenimus quod omnes ipsius Claustri seu monasterii homines in præfatis eisdem possessionibus aut villis, vel ubicumque manentes hanc libertatem ex concessione nominati Ducis Casimiri fratris nostri haberent, quod ad nullas prorsus angarias, seu perangarias nec Duci nec alicui Nobili, aut Castellano tenerentur. Ita quod nullus ab eis jure possit aliquod petere servitium aut aliquam præstationem seu solutionem. Quinimmò etsi aliquandò ad solutionem ex quocumque contractu sivè etiam ex maleficio eos contingeret obligatos condemnari; hanc pœnam seu solutionem non alius, sed monasterium sivè Claustrum *Czarnowans* scilicet ratione dominii, quod in ipsis jure perpetuo vendicet, debet percipere. His ergo omnibus à præfatis Nobilibus & Baronibus auditis diligenter ac etiam fideliter intellectis, ad petitionem omnium Fratrum & Sororum in Czarnowans commorantium propter hoc scilicet, ne aliquando super prænominatis possessionibus quæ eis piâ liberalitate conferentium obvenerant, in posterùm possit ab aliquibus calumniatoribus suboriri contentio, & ne etiam homines in eisdem possessionibus, seu aliàs monasterii ejusdem nomine degentes contrà privilegium libertatis ipsis à fratre nostro sæpè dicto Duce Casimiro præstitæ, ab aliquo possint in posterùm prægravari.

Hæc omnia ad cautelam & ad memoriam eorum, quæ intervenerunt, præsenti inserentes documento sigilli nostri impressione quod ei manifestè adhærere cognoscitur, corroboravimus. Actum in *Czarnowans* anno ab Incarnatione Domini 1234. præsentibus Discone, Javario, Zbrozlavo, Warnero Castellano de *Cosli*, Joanne Castellano de *Byton*: Distignero Castellano de........ Andreâ Castellano de .... Jaksâ Castellano de *Sevor*, Ceslao Judice, Joanne tribuno de Oppol. Gostislaus etiam tunc interfuit Comes de *Naroci*, & alii quam plures.

L. S.

Privilegium Henrici Ducis Silesiæ & Cracoviæ super molendinum in Olava, *de anno 1234.*

IN Nomine Domini Amen. Nos Henricus Dei gratiâ Dux Silesiæ & Cracoviæ. Notum facimus universis quòd piæ devotionis affectu ac etiam æternæ vitæ præmia summoperè nobis conquirere cupientes, Domui & Conventui Beatæ Virginis Mariæ in *Czarnowans* molendinum subter in *Olava* contulimus, ipsius Domûs & Conventûs usibus in sempiternum profuturum. Ut autem hæc nostra donatio in omnibus postfuturis temporibus firmiter stabilita inviolabilis perseveret, præsenti eam inserentes documento, sigilli nostri Corroboravimus impressione. Actum in *Czarnovans* nobis de Cracoviâ redeuntibus. Anno ab Incarnatione Domini 1234. Episcopo Thomâ Wratislaviensi Ecclesiam gubernante.

L. S.

Confirmatio Boleslai Ducis Oppoliensis, Testamenti Anastasiæ Comitissæ, super collatione villarum Muchenitz & Vresce, *de anno 1279.*

IN Nomine Domini Amen. Cùm sit labilis humanæ mentis memoria, necesse est ut ea quæ in præsenti ordinantur, scriptis & testimonio, & futurorum memoriæ commendentur. Notum sit igitur præsentibus & futuris hanc paginam inspecturis, quòd nos Boleslaus Dei gratiâ Dux Oppoliensis, cùm essemus in Oppol. accedentes ad nos Fratres de Domo-Dei Nicolaus & Rodgerus, asserebant Comitissam Anastasiam uxorem Comitis Henrici de *Mechnic* cùm adhuc esset sanæ mentis, in suo testamento quod faciebat, elegit sepulturam in Domo-Dei, & ibidem donavit hæreditates suas *Muchnice* & *Vresce* juxta *Crostinam* pro salute animæ suæ & omnium parentum ipsius scilicet post mortem viri sui Comitis præfati Henrici, quare Fratres jam prædicti ex parte totius Conventûs cum instantiâ nos petebant, ut nuntium nostrum dirigeremus ad eandem infirmam pro audiendâ & confirmandâ rei

• Philippus anno 1278 Firmanus Episcopus creatus ad petitionem Minoritarum divini verbi semen inter Tartaros spargentium, eodem anno a Nicolao 3°. legatus Apostolicæ sedis missus est in Ungariam, litteris datis Viterbii x. Kal. Oct. Ladislaum Regem Ungariæ ad Religionis causam in Cumanos suscipiendam anno sequenti adduxit, & pauló post mense Septembri Budæ Synodum celebravit, sed eam disturbavit impiorum consilio Ladislaus, quâ de causâ minaces litteras a Nicolao Pontifice Rex recepit & pro expiandâ impietate ad Xenodochium extruendum & ad ferendum edictum ut leges Pontificiæ in Hæreticos servarentur in Ungariâ, impulsus est.

veritate. Nos vero annuentes congruæ ipsorum petitioni, misimus idoneum nostrum nuntium Comitem Henricum de *Grabina*, qui cùm esset ibi, diligenter inquisivit à Comitissâ sæpè dictâ de suo testamento, quæ mente sanâ & ratione perfectâ idem factum ritè solemnisavit, prout Fratres asserebant, & hic idem ad nos coram nobis & nostris Nobilibus publicavit testamentum jam prænominatum; nos itaque audientes & scientes pro certo factum idem ratum habemus, hanc litteram sigilli nostri munimine fecimus roborari. Acta sunt hæc anno Domini 1279. præsentibus his testibus: Comite Simone Castellano Oppol. Comite Suetopole Castellano de Balâ, Comite Raymundo de *Bircan* & Fratre Joanne Guardiano de *Oppol.* & Fratre Rodgera, & aliis quam pluribus viris honestis.

L. S.

Confirmatio legati Apostolici super collatione Villarum* Muchenitz, *&* Vresce, *de anno 1282. II. Kalend. Julii.

UNiversis præsentes inspecturis Philippus miseratione divinâ Firmanus Episcopus, Apostolicæ sedis legatus salutem in Domino. Noverit universitas vestra quòd constitutis in præsentiâ nostrâ Religioso viro, Dominico Præposito domûs Dei, Ordinis Præmonstratensis, Wratislaviensis Diœcesis, ex unâ parte, & Cherlegio Milite filio quondam Caroli Militis de *Oppol.*ejusdem Diœcesis,ex alterâ. Idem Cherlegius pro se & suis hæredibus in perpetuùm recognovit, & confessus fuit hæreditates & possessiones infrà scriptas *Mechnitze & Vresce* nominatas, juxtà *Croslinam* sitas, quas Anastasia filia quondam Wratislai Militis pro animæ suæ remedio dictæ domui in eleemosynam perpetuam erogavit, & contulit perpetuò possidendas, ad domum ipsam pertinere, & spectare de jure, & quia dictam domum, Præpositum & Conventum ejusdem super ipsis hæreditatibus diù in judicio & extrà impetiverat & molestaverat minùs justè, cessit omni juri, actioni & rationi, si quæ sibi competerent veluti hæredi in hæreditatibus supràdictis, quâcumque ratione, vel causâ, & ea & hæreditates ipsas in manu dicti Præpositi recipientis, nomine & vice dictæ domûs liberè resignavit & renuntiavit expressè, promittens pro se & ejus hæredibus in perpetuùm dictam domum, Præpositum vel Fratres ipsius de cætero non impetere, turbare vel molestare in judicio vel extrà super hæreditatibus supràdictis,per se vel alios, de jure vel de facto, aliquâ ratione vel causâ, & licet idem Cherlegius occasione hæreditatum hujusmodi dictam domum,Præpositum & Fratres ipsius multis & gravibus fatigasset laboribus, & expensis ac damna plurima in prædictis bonis & aliis ipsius domûs occasione hujusmodi intulisset: Idem tamen præpositus pro se & dicta domo pro bono pacis & concordiæ omnia damna, labores & expensas prædictas liberè & absolutè remisit & relaxavit eidem promittens pro se & dictâ domo, ac Fratribus ipsius ipsum Cherlegium vel ejus hæredes nullo unquam tempore pro dictis damnis, laboribus vel expensis impetere, turbare vel etiam plus molestare; sed de ipsis eidem facit pro se & dictâ domo plenam remissionem quietationem & finem. Quæ omnia & singula suprà dicta promiserunt dictæ partes, scilicet una pars alteri, & altera alteri solemniter stipulanti pro se & suis successoribus rata & firma perpetuò habere & tenere, inviolabiliter attendere & observare & non contravenire, de jure vel de facto, aliquâ ratione vel causâ sub pænâ quinquaginta marcarum Wratislaviensis ponderis & argenti ab utraque parte stipulata & solemniter promissâ, & quæ pæna committatur & cedat parti servanti prædicta, & per eam exigi possit cum effectu, à parte non servante, & pænâ solutâ & non solutâ ratum remaneat contractûs, & in eo contenta; & pro prædictis omnibus & singulis attendendis, & inviolabiliter observandis obligavit una pars alteri, & altera alteri omnia sua bona pignori, præsentia & futura, omni lege, exceptione & defensione remotis. Et quia dictus Cherlegius occasione prædictorum, authoritate nostrâ, fuerat excommunicatus, excepto ab eo corporaliter, juramento de parendis super his Ecclesiæ mandatis & nostris ipsum ab excommunicatione ipsâ juxtà formam Ecclesiæ ducimus absolvendum, injungentes sibi sub debito præstiti juramenti ne de cætero domum ipsam, Præpositum, vel Fratres ipsius super præmissis, impetat, turbet, aggravet, vel molestet; in cujus rei testimonium ad instantiam partium prædictarum præsentes litteras fieri fecimus, & sigilli nostri appensione muniri. Actum & datum apud Wratislaviam in hospitio habitationis nostræ, anno Domini MCCLXXXVII. Indictione xv. 2. Kalend. Julii Pontificatûs Martini Domini Papæ IV. anno secundo.

L. S.

Concordia præsente Episcopo facta, inter ipsum Episcopum Wratisl. Abbatem Lubensem, & Præpositum* Domûs-Dei *propter decimas in* Schabischou, *&* Zuzel *de anno 1283. x. Kalend. Martii.

IN Nomine Domini Amen. Noverint universi præsentes litteras inspecturi, quòd exorta inter venerabilem in Christo Patrem Dominum Thomam Dei gratiâ Episcopum Wratisl. & Fratrem Harchilibum Abbatem de *Lubes*, & Conventum ipsius ex parte unâ ac Fratrem Dominicum Præpositum, & Magistram & Conventum eorumdem in *Bosidom* Wratisl. Diœcesis ex alterâ, materia quæstionis, super decimis villarum aut earum parte in *Wroblino* de septem mansis, in *Schabischow* de 8. mansis, in *Zuzel*, de 9. mansis. Tandem partes utræque volentes præsens negotium per amicabilem concordiam potiùs quam per judiciorum strepitum terminari, venerabilis in Christo Pater Dominus Episcopus jam prædictus personaliter, Dominus verò Abbas de *Lubens* per procuratorem idoneum Fratrem Othonem Monachum suæ domûs, Cisterfiensis Ordinis; Præpositus verò & Magistra, ac Conventus de Bosidom per Fratrem Rodgerum Monachum domûs ipsorum, Præmonstratensis Ordinis, procuratorem earumdem procuratoriis exhibitis infrà scripti tenoris de verbo ad verbum.

Innos Fratrem Wilhelmum monasterii S.Vincentii propè Wratislaviam Præmonstratensis Ordinis, & Fratrem Nicolaum monasterii S. Mariæ Ordinis S. Augustini Wratislaviæ Abbates, & Magistrum Andream Archidiaconum & Magistrum Ulricum Cantorem Wratisl. Ecclesiæ, tanquam in arbitros compromissarios arbitratores, seu amicabiles compositores præsentes, & arbitrium spontè suscipientes, compromiserunt & voluntariè sine contradictione aliquâ consenserunt. Ita quòd possimus pronuntiare examinare & cognoscere terminare & definitivam sententiam dare & ordinare juris ordine observato, vel penitùs prætermisso ordinariè vel extraordinariè prout nobis meliùs videbitur expedire

ſuper prædictis decimis de alto & baſſo diebus feriatis, & non feriatis, ſedendo, ſtando, omni horâ, omni loco, ubicumquè & quandòcumquè utrâque parte præſente, vel utrâque abſente, vel unâ præſente & aliâ abſente. Et quòd arbitri poſſimus ſemel vel pluries & noſtram ſententiam interpretari & corrigere ac moderari quoties nobis viſum fuerit expedire, & contumaciâ litigationis punire & citare partes ad quemcumque locum vel loca voluerimus ut poſſimus pronuntiare, in ſcriptis ſivè ſine ſcriptis, promittentes prædicti Dominus Epiſcopus & procuratores prædictorum monaſteriorum per ſolemnem ſtipulationem pro ſe & ſuis poſteris ſub pœnâ 20 marcarum fuſi & fini argenti Wratiſl. poſitionis quòd noſtro laudo, arbitrio, pronuntiationi ſeu definitioni ſtabunt, & obtemperabunt, & in nullo contravenient, vel de jure, vel de verbo, facto vel opere, per ſe vel per interpoſitam perſonam, & quòd nullum dolum impetrabunt reſcriptum, & nullum privilegium aut conſuetudinem allegabunt nullamque exceptionem opponent & quòd non utentur beneficio alicujus legis aut Canonis, quæ vitiat aut vitiare poſſit præſens compromiſſum ſivè ex perſonis noſtris ſivè ex perſonis compromittentium ſive ex rebus ſuper quibus compromiſſum eſt, renuntiantes beneficio omnium prædictorum, beneficiis, privilegiis, conſuetudinibus, exceptionibus, competentibus vel non competentibus, enarratis vel non enarratis, & prædictis ſpecialiter certificatis. Et hæc omnia & ſingula promiſerunt per ſolemnem ſtipulationem attendere & complere & obſervare pro ſe & ſuis ſucceſſoribus ad invicem ſtipulando & non contravertere ſub pœnâ prædictâ & obligatione omnium bonorum præſentium & futurorum, conſtituentes ad invicem unus pro alio bona poſſidere ita quòd liceat ei qui ſervaverit compromiſſum ſuâ authoritate ingredi bona illius qui fecerit contra compromiſſum in totum vel in parte & pœnâ ſolutâ vel non ſolutâ prædicta omnia & ſingula, & dictum compromiſſum in ſuâ remaneant firmitate, hoc adjecto quòd dicta pœna ſemel & pluries, & quoties contrà prædicta vel aliquod horum in omnibus & ſingulis ventum fuerit à quacumque partium prædictarum arbitrium non ſervando, in ſolidum committatur & commiſſa ſine contradictione qualibet exigatur; & in ſignum conſenſûs in nos Dominus Epiſcopus prædictus ſui ſigilli munimine & nos unâ cum eo ne noſtra juriſdictio deluſoria videatur ad perpetuum robur & æternam rei memoriam, noſtris ſigillis præſentem litteram roboramus. Actum in Wratiſl. præſentibus Dominis Magiſtro Petro Plebano in *Legnitz* Fratre Svatoſlao de S. Mariâ in Wratiſl. Ordinis S. Auguſtini, Staniſlao Procuratore de *Vyezd*, Smilone Plebano de Luciná, Nicolao de Odriza cive Wratiſl. Fratre Joanne cum ſocio ſuo de Ordine Fratrum Prædicatorum, & aliis quam pluribus anno Domini MCCLXXXIII. Indictione XI. 1°. Kalend. Martii.

Sequitur procuratorium ſivè tenor ejuſdem de verbo ad verbum Domini Abbatis de Lubes de quo facta eſt ſuperiùs mentio circà principium Compromiſſi.

In Nomine Domini Amen. Noverint univerſi præſentes litteras inſpecturi quòd nos Frater Harchilius Abbas Lubenſis Ciſtercienſis Ordinis cum Conventu noſtro in causâ quæ vertitur vel verti ſperatur inter venerabilem in Chriſto Patrem ad Dominum Wratiſl. Epiſcopum, & nos ac noſtrum Conventum ex parte unâ, & Præpoſitum & Magiſtram ac Conventum de *Boſidom* ex alterâ ſuper decimis villarum aut earum parte in *Wroblino* de ſeptem, in *Zhaborow* de octo manſis, in *Zuzel* de tribus araturis, in *Radinâ* de ſex manſis Fratrem Orthonem Monachum domûs noſtræ præſentem & mandatum ſpontè ſuſcipientem noſtrum facimus, ordinamus, ſeu conſtituimus procuratorem vel œconomum Syndicum, ſeu actorem ad eligendum judices pro parte noſtrâ de novo & conſentiendum in eos, concedentes Procuratori generalem & liberam adminiſtrationem dantes ei poteſtatem agendi, defendendi vice noſtrâ, excipiendi, replicandi, præſtandi in animam noſtram, & exigendi ex parte adverſâ cujuſlibet generis juramentum poſitionem & probationes offerendi, interlocutoriam quamlibet & definitivam ſententiam audiendi & ab eâ ſeu etiam ab interlocutoriâ quacumque ſi neceſſe fuerit appellandi & appellationem proſequendi & ſupplicandi, & ſpecialiter amicabilem concordiam ineundi ſi fortè pars adverſa non ſtrepitu judiciorum, ſed amicabili concordiâ voluerit negotium terminari, tranſigendi, ſeu componendi per quemcumque modum, arbitros ſeu arbitratores ſivè amicabiles compoſitiones eligendi, ſeu aſſumendi, vice noſtrâ quoſcumque vel qualeſcumque & nos ad arbitrium ſivè laudum ſivè compromiſſum ſervandum obligandi ſub quacumque pœnâ ordinariâ ſeu extraordinariâ per ſolemnem ſtipulationem, & ad omnia alia faciendi, quæ per verum & legitimum procuratorem, fieri conſueverunt, vel in propriâ perſonâ poſſemus facere perſonaliter ſi eſſemus, ratum & gratum habituri, quidquid factum fuerit per eundem. Nos autem à cautione ſatisfactionis ipſum relevare volentes ſub hypothecâ omnium bonorum noſtrorum promittimus pro ipſo judicatum ſolvi pro omnibus clauſulis ipſius, ſi defenſioni ipſum contigerit ſe offerre, & hoc tam ipſis judicibus, ſeu arbitris quicumque electi fuerint, quàm etiam parti adverſæ volumus eſſe notum in cujus rei teſtimonium præſens ſcriptum noſtri ſigilli impreſſionis caractere roboramus. Actum in camerâ Domini Epiſcopi in Wratiſl. præſentibus eodem Epiſcopo, magiſtro Andreâ Archidiacono, Domino Joanne Scholaſtico, Magiſtro Joanne dicto *Gozetius* & Laurentio Canonicis Wratiſl. Eccleſiæ Magiſtro dicto de *Calcow* & aliis pluribus, anno Domini MCCLXXXIII. Indict. XI. XII. Kal. Martii.

Sequitur tenor de verbo ad verbum inferius Procuratoris Præpoſiti, & Magiſtræ ac Conventus de Bozidom.

Noverint univerſi præſentes litteras inſpecturi, quòd nos Dominicus & Domicella totuſque Conventus Domûs Dei, Ordinis Præmonſtratenſis, facimus & ordinamus & conſtituimus Fratrem Rodgerum præſentem noſtrum nuntium & procuratorem, in omnibus cauſis quas habemus cum Domino Thomâ Epiſcopo Wratiſl. & cum Domino Abbate de *Lubes* coram quocumque judice competente, dantes eidem Procuratori noſtro liberam poteſtatem agendi reſpondendi & litem conteſtandi, ſententiam audiendi, appellandi, componendi, tranſigendi, teſtes producendi, & atteſtationes audiendi, & omnia alia jura faciendi quæ in propriis perſonis facere poſſemus. Ratum & firmum habituri quidquid dictum fuerit per prædictum Procuratorem atque ordinatum. Volentes ergo eundem Procuratorem noſtrum relevare, ab onere ſatisfactionis, promittimus pro ipſo judicatum ſolvi pro omnibus clauſulis ſuis ſub hypothecâ omnium bonorum noſtrorum tam mobilium quàm immobilium. Datum in Domo-Dei anno MCCLXXXII. in die B. Andreæ Apoſtoli.

Sequitur tenor ſententiæ laudi ſivè arbitri à nobis ſcriptis publicè promulgati.

Nos prædicti Domini Abbates, Archidiaconus, & Cantor Arbitri. Arbitrationes ſeu amicabiles compo-

sitiones in nos recepto sponte ac liberè compromisso utraque parte præsente per se sive Procuratores idoneos, & sponte consentiente, & sub stipulatione & obligatione supra dictâ promittente quotiescumque aliqua partium venerit contra Promissum prædictum, nobis dabit 10. marcas & parti alteri servanti arbitrium 10 marcas prædicti compromissi authoritate seu jurisdictione in nos, prout pacem operantibus prorogata auditis & intellectis multis causæ & partium assertionibus æquâ justitiæ lance prout poteramus meliùs discussis æquo libramine rationis præcepta priùs pro se cujuslibet voluntate, quod possit sine damno maximo acceptare, utraque parte petente instanter definitivam sententiam promulgari, consilio habito cum maximâ maturitate arbitrium pronuntiamus, definimus, sententiamus, ordinamus, seu promulgamus in hunc modum. Quòd Dominus Episcopus & Abbas de Lubes, debent habere decimas de 6 mansis in *Wroblino* & *Zchabirow* 8. mansorum. Conventus verò Domûs-Dei sive *Bosidom* debet habere decimas in *Zuziel* 18 mansorum & mensuratorum ibidem, in quorum numero ipsorum mansi qui pertinent ibidem ad eorum grandiam includentur. Cui sententiæ definitioni atque arbitrio sive pronuntiationi utraque pars spontè consensit in continenti, & ipsam voluntariè ac liberè acceptavit. Actum eodem anno mense & die quo & compromissum, & eisdem testibus præsentibus magistro Petro prædicto & cæteris.

L. S. L. S. L. S. L. S.

Concordia coram Officiali Wratisl. super decimam manipularem in Zalesia *de anno 1284.*

IN Nomine Domini Amen. Noverint universi præsentes litteras inspecturi, quòd coram Nobis Laurentio Officiali curiæ Wratisl. inter Fratrem Dominicum Præpositum de Domo-Dei & Joannem de *Zalesse* talis concordia intervenit. Qui idem Joannes promisit singulis annis libere dare domui supra dictæ velut ante fecit. Ita tamen quòd per famulum aliquem Domini Præpositi vel domûs prædictæ vel decimatorem in campis assignabitur decima supradicta. Et Dominus Præpositus eidem Joanni pepercit decimam annorum duorum, quibus eandem decimam non exsolvit; tali autem conditione quod supra dictus Joannes jurabit, qui dicat veritatem, quantum fuerit de decimâ anni præteriti quam non solvit. In cujus rei testimonium utraque pars petiit hanc litteram conscribi & nostri Officialatûs sigillo roborari. Actum in die S. Galli præsentibus Dominis magistro Petro Canonico S. Ægidii, Thoma Plebano de *Sevina*, Fratre Othone de *Lubes* anno Domini MCCLXXXIV.

L. S.

Privilegium celeberrimum Boleslai Ducis Oppol. super Gadibus, & limitibus Brenicensibus *de anno 1309.*

IN Nomine Domini Amen. Etsi in quibuslibet negotiis privilegiorum exigitur necessitas in illis tamen multo magis quæ ad sanctam Dei pertinent Ecclesiam, nam ad humanos usus redire numquam potest quod semel Deo exstitit dedicatum. Igitur nos Boleslaus Dei gratiâ Dux Oppoliensis notum esse volumus universis Christi fidelibus, tam præsentibus quàm futuris, quod cupientes intendere commodis Ecclesiæ Monialium quæ *Bosidom* vulgariter appellatur, pro salute nostrâ, nostrorumque progenitorum, & divini cultûs ob augmentum. Desiderantes itaque quòd eadem Ecclesia *Bosidom* in metis sivè gadibus ipsius perpetuâ pace perfruatur, metas sive gades dictæ Ecclesiæ *Bosidom* sic prout subsequitur duximus ordinandas. Quas amodò eadem Ecclesia *Bozidom* in metis sivè gadibus in pace pariter & quiete, perpetuò, liberè debet observare, inde jam dictæ metæ sive gades sic currunt. Et primo inter eandem Ecclesiam *Bozidom* & *Dobrzen* nostrum ducale, videlicet incipiendo ab *Odra* fluvio ad sylvam quæ *Larzech* nuncupatur & ab eadem sylvâ usque ad lucum quod est inter *Dobrzen* prædictum & agros ejusdem Domûs-Dei ita quod agri sunt domûs sicuti coli possunt, lucum verò jam dictum nostrum est ducale de quo luco currunt metæ usque ad pratum quod dicitur *Chowalcowicanti* à quo prato usque ad sylvam quæ *Sywirzli* est vocata scilicet usque ad finem superiorem sylvæ ejusdem, de ipsâ verò sylvâ currunt metæ ulteriùs usque ad agros qui dicuntur *Ubozowa* per *Borram* ita quod *Borra* est nostra ducalis, agri verò Domûs-Dei, deinde ab agris eisdem usque ad lucum quod jacet in fine agrorum *Goczelchi* & de ipso luco per *Borram* usque ad pontem qui dicitur *Chowalconis* qui est super *Brinizam* fluvium de quo ponte currunt metæ usque ad angulum superiorem sylvæ quæ vocatur *Velilas*, & *Dambrova* quæ est inter pontem & sylvam Domûs-Dei Borra verò nostra ducalis. Item de angulo suprà dicto usque ad pratum quod *Luckowagch* dicitur & ab eodem usque ad fluvium qui *Brunzenicha* dicitur, per sylvam directè, sed ipsius fluvii littus unum Domûs-Dei, aliud nostrum ducale & idem fluvius dividit metas usque ad sylvam quæ *Zebrar* appellatur. Item ab eadem sylvâ metæ currunt inter alias duas sylvas quæ *Cymolassi* nuncupantur, quarum una sicca, alia humida & est sicca nostra ducalis, humida vero Domûs-Dei, ab indè currunt metæ ad quemdam locum *Chissa* & de eodem loco ad flumen *Zegeviezd*, cujus fluminis unum littus nostrum ducale, & aliud Domûs-Dei supra dictæ. Item inter villam nostram *Lublany* & Domum-Dei prænotatam metæ sive Gades sic currunt, primo incipiendo à fluvio *Malpudica* per montem inter pratum, & agros ad locum qui vocatur *Coschin* & est *Borra* Domus-Dei sed sylva *Lanh* nostra ducalis, & deinde sic currunt metæ usque ad *Kaleam*. Item ab eodem loco usque ad alium locum qui vocatur *Martinowy Nitby* & ab ipso loco usque ad *Kneam* directè per sylvam usque ad locum qui dicitur *Kam*, de eodem loco usque ad sylvam quæ vocatur *Prandzenich Nalvawagh*, *Lawy* nostrum ducale, sylva verò Domus-Dei. Item de *Prandzenicha* per *Borram* directè ad sylvam quæ *Medzowade* appellatur, & in sylva Domus-Dei, sed *Borra* nostra ducalis, de eodem loco per medium luci usque ad montem qui est inter sylvas *Zelaichen* & de monte usque ad quercum quæ vocatur *Comess*, de quâ quercû usque ad Rubum qui vocatur *Groscina* currunt metæ de ipso itaque Rubo usque ad fluvium qui *Zegwiezd* dicitur, cujus fluminis unum littus nostrum ducale & aliud Domûs-Dei sæpe dictæ. Has verò circumferentiales metas sivè gades domui sivè Ecclesiæ præfatæ *Bozidom* damus, donamus, facimus, statuimus & ordinamus ipsas perpetuo vigore præsentium confirmantes. Præterea supradictæ Ecclesiæ sivè domui *Bozidom* infra easdem circumferentiales metas à nobis sic ritè & rationabiliter limitatas & omnibus ipsius hæreditatibus jam locatis vel locandis in futuro quia eidem Ecclesiæ hæreditates sive villas jure Polonico vel

Teutonico largam licentiam locandi damus & concedimus in his scriptis meram & omnimodam libertatem perpetuò duraturam. Volentes esse in futuro ab omnibus solutionibus,exactionibus,collectis,annonis, vecturis, expeditionum juvaminibus, contributionibus monetæ,ac aliis omnibus solutionibus vigiliis,civitatum angariis & perangariis quocumque censeantur nomine fore solutas & exemptas. Imò damus & donamus Ecclesiæ sæpè dictæ infrà memoratas metas, omnes & singulas utilitates, obventiones, usu fructus, quæ nunc sunt, & esse poterunt in futuro, perpetuò percipiendas, ac etiam omnium ferarum venationes liberè faciendas & exercendas; insuper ligaturas sivè congeries lignorum vel ædificiorum, sicut super aquam dimittuntur, de sylvis infrà easdem metas prædicta domus Bozidom vel ejus Præpositus, sivè ad usum domûs ipsius faciet vel etiam ipsas vendere liberè potest, disponendo pro suæ libitu voluntatis. Ut autem limitatio Gadium de quibus superiùs est expressum & etiam hæ prærogativæ & libertates per nos supradictæ domui collatæ perpetuum robur obtineant firmitatis, ipsas vigore istius instrumenti & sigilli nostri munimine confirmamus. Actum & datum in Oppol. Nonas Februarii anno Incarnationis Domini 1309 præsentibus his fidelibus nostris Dominis Radslao Custode nostro Oppol. Pastore de *Crosciná*, Jeroslao de *Michalor* Stanimero *Syrke* Sigfrido de *Wilkond* Joanne Prothonotario Curiæ nostræ & aliis multis ad hæc rogatis, & vocatis.

L. S.

Privilegium Ducis Boleslai Oppoliensis super Ecclesiam filialem in Magno Dobrzen, *de anno 1325.*

IN Nomine Domini Amen. Cunctorum perit memoria factorum, si non scripturæ Præsidio & testium adminiculo fuerint perennata. Hinc est quod nos Boleslaus Dei gratiâ Dux Oppol. Ad notitiam tam præsentium & futurorum quibus præsentes exhibitæ fuerint, volumus devenire. Quòd cùm Ecclesia in *Dobrzen* nostro Ducali invito Domino Præposito domûs Dei & suo Conventui propè Oppol. fundata exstitisset,in præjudicium matris Ecclesiæ Domûs Dei antè dictæ ubi prædictum *Dobrzen* nostrum parochialiter antiquitùs pertinebat. Nos volentes Ecclesiam circà jura sua sicut & tenemur dimittere eidem nullatenùs derogantes in eisdem sed potiùs ipsam Ecclesiam in plenitudine juris sui confoventes prædictam Ecclesiam in *Dobrzen* sic fundatam Ecclesiæ prædictæ Domûs Dei, sivè monanasterio filialiter habendam restituimus perpetuò præsentium per tenorem volentes & ipsam jam dictum monasterium Domûs Dei sibi tanquam matrici Ecclesiæ coadunet, vel in eâ jus patronatûs obtineat, disponens pro suâ voluntate, & libito voluntatis, ita tamen quod idem monasterium sollicitè providere studeat, deinceps quod prædicta Ecclesia in *Dobrzen* debito modo officietur, & parochialibus ipsius Ecclesiastica ministrentur Sacramenta. Præterea omni juri, actioni & patronatui, si quæ nobis competerent Ecclesia in eâdem perpetuò renuntiamus. Ipsa in Præpositum Domûs Dei & Conventum ipsius monasterii, videlicet prænotari liberaliter transferentes. In cujus rei testimonium & evidentiam pleniorem, præsentes litteras scribi fecimus, & nostri sigilli munimine roborari. Actum & datum apud Oppol. Kalend. Septembris, anno 1325 præsentibus his testibus, Domino Archulao, Radslao, Custode, Joanne Canonico nostro Notario, cujus manibus hæc sunt conscripta. Oppoliensibus Ningonevo Judice, Beldone Succentore cive nostro. Andreâ Pallacini, Bertoldo nostro Notario, Pribcone Vicario de Choro, nostris fidelibus, & aliis multis ad hæc rogatis & vocatis.

Privilegium seu Commutatio Boleslai Ducis Oppolia Villa Bowalno *pro Oppido* Schurgast *anno 1328.*

IN Nomine Domini Amen. Quoniam annorum revolutione, ac personarum successione, statuta priorum frequenter defluunt, & parta quamvis justa & licitè inita obliviscuntur, providâ discretione dantur scripta, ut & oblivioni, & calumniis valeant crebrescentibus obviare. Notum sit igitur universis, & singulis præsentem paginam inspecturis, quod Nos Boleslaus primogenitus illustris & magnifici principis Domini Boleslai Ducis Oppol. Dux & Dominus Dei gratiâ Falchenbergensis, visâ & consideratâ & communi utilitate terræ nostræ, si Oppidum in metis nostri Ducatûs situm, dictum *Scurgast*, Præpositi & Conventûs Sanctimonialium in *Bozedom* firmaretur, dictam incolis nostræ prædictæ terræ ac nobis, imò & monasterio memorato addiceretur, & munimen in quo nos telonium cum juribus ducalibus obtinentes ut ipsam civitatem meliùs & faciliùs firmaremus, instituimus præfato Præposito & Conventui, ut pro præfato oppido villam aliam eisdem æquè utilem, ac eorum bonis meliùs adjacentem reciperent in commutatione perpetuâ. Habitis igitur tractatibus inter nos competentibus nostrorum fratrum super hoc consilio, ac Ordinis eorumdem petitâ licentiâ, & obtentâ, talem permutationem fecimus, dantes dilecto nobis Præposito, & Conventui Fratrum & Sororum, ac præfato monasterio *Bozidom* pro memorato Oppido *Schurgast* villam nostram dictam *Wavalno* certis limitibus situatam cum agris cultis, & incultis, sylvis, pratis, piscationibus, venationibus, censis, exactionibus, judicibus sive culpis, honoribus, servitiis, & cum omni jure, quo nos possedimus, eandem villam ita quod nihil in ipsâ villâ nos ac nostri successores juris, potestatis vendicabimus nec in ipsâ utilitatis aliquid usurpabimus, nisi si Justitiarius D. Præpositi negligeret punire in præjudicium terræ nostræ. Nos vindictam ibi in maleficos exercentes bona maleficorum jam dicto Præposito integraliter remanebunt, ac suis successoribus ac Conventui prænarrato. Promittimus insuper fide bonâ quod in ipsâ villâ nunquam pernoctationes sinè memoratorum Præpositi & Conventûs voluntate aliquatenùs faciemus. Renuntiamus etiam expressè venationibus, pabulationibus, vecturis servitiisque à Sculteto, Rusticis seu famulis in dictâ villâ residentibus nobis antè commutationem, quibuscumque aliis angariis cujuscumque potestatis titulo debebantur.

Ah hoc & nos, & nostros hæredes seu legitimos successores astringimus quod ratione quietationis hujusmodi ipsorum curias, sivè villas occasione hujusmodi plùs solito non gravabimus. Sed ipsorum jura omnia ipsis conservabimus in villis residuis eorumdem secundùm tenorem libertatum quas magnifici Principes, nostri progenitores, piè sæpè dicto monasterio contulerunt, quæ per ignorantiam vel negligentiam ad solutiones devenerant indebitas, simul & servitia minùs justa in hoc maximè, quod tres vaccas, & porcos ejusdem numeri, sivè pernas, quæ monasterio memorato in *Golâ* quibusdam villis eorum debitè exsolvantur, nunquam nobis usurpabimus, nullius necessitatis occasione. Villam etiam *Zuzelam* cum agris, pratis ac sylvis, seu fluminibus monasterio antedicto cum

curiâ ibi sitâ, ipsis libera sicut in *Dempna* cum omnibus utilitatibus cum aliâ villâ desertâ dictâ *Zeborow*, cum eam locari contigerit gratuitè ab angariis quietas & pacificas relinquimus. Ipse etiam Præpositus & Conventus sæpiùs nominati nobis ac nostris successoribus de dicto Oppido *Schurgast* spontaneâ cesserunt voluntate secundùm quod in instrumento nobis per ipsas dato pleniùs continetur. Nos igitur inspectâ resignatione, perspectâ similiter & injuriosâ vexatione quæ fiebat in villis sæpè nominatis, ipsos ad libertatem reduximus prænotatam quam si quispiam nostræ posteritatis, imò & nosmet ipsi, quod absit, vellemus aliquo tempore violare, omnibus & singulis prænotatis ordinationibus ultrò jectis ex tunc dominium Oppidi in *Schurgast* cassatis commutationis memoratæ causis ad monasterium, Præpositum & Conventum sine contradictione quâlibet revertatur. Jus etiam patronatûs præsentibus profitemur memorato monasterio annexum per præfatum concambium, in nos nec in nostros successores aliquatenùs transivisse, sed debere ut anteà monasterio antè dicto aut ipsiûs monasterii Præposito collatio parochiæ memoratæ in perpetuùm reservari. Ne ergò nostris posteris præsentis ordinationis, ignaris aliquod dubium oriatur, præsenti scripto nostrum majus sigillum appendi mandavimus. Sigillis Domini Boleslai Patroni monasterii suprâdicti & Domini Ducis Alberti Fratrum nostrorum charissimorum, præsentibus appositis in robur & cautelam, evidentiam, & testimonium omnium præmissorum. Datum in Bozidom monasterio suprâdicto per manus Magistri Jacobi nostri Notarii 12. Kalend. Decembris anno Domini 1328. Præsentibus Domino Paschone de *Chroszinâ* Domino Wilhelmo Boëmo de *Oderâ*, & Bogussio de *Prand*, & Scamiviro Nobilibus, Jacobo Advocato civitatis antedictæ, Petro de *Libnow*, & Wilhelmo de *Provens*, nostris fidelibus, & aliis quam plurimis fide dignis.

L. S. L. S. L. S.

Privilegium Boleslai Ducis Oppoliensis super stagnum seu lacum magnum in Zelasna, *de anno 1353.*

NOs Boleslaus, Dei, gratiâ, Dux Oppol. recognoscimus universis quorum audientiæ præsens scriptum fuerit publicatum, quòd nos de stagno seu lacu in bonis Sanctimonialium monasterii Domûs Dei, alias *Czarnowans* dictum, circà villam *Zelasna* nostri districtûs Oppoliensis tertiam partem omnium utilitatum pro nobis ad tempora vitæ nostræ reservamus hujusmodi ratione, quod eundem lacum cum nostrâ pecuniâ duximus reformandum & corrigendum. Post decursum verò personalis nostræ vitæ præfatum lacum cum pleno jure prænotatum monasterium sicut alia bona sua sine omni impedimento nostrorum successorum possidebit in æternùm, & possidebit harum nostrarum testimonio litterarum sigillo nostro majori signatum in memoriam omnium prætensorum. Datum Oppol. 4 die mensis Aprilis anno Domini 1353 præsentibus Domino Stephano Plebano in *Scawenziz* Zavisio in *Gaveron* Notario nostro, qui hujusmodi ad conscribendum à nobis habuit in commissis & aliis multis. L. S.

Privilegium Boleslai Ducis Oppoliensis super Lacum novum in Zelasna *de anno 1356.*

IN Nomine Domini Amen, Ad perpetuæ rei memoriam noverint universi præsentes & posteri quod coràm nobis Boleslao, Dei gratiâ, Duce Oppol. Fritzko Scultetus de *Zelasna* publicè est confessus se ex nunc penitus nullam habere partem seu portionem in Lacu novo propè *Zelasnam*, resignando ipsam suam portionem totam quam habebat, Domino Jacobo Præposito Domûs Dei, abrenuntians pro se & suis filiis in totum proprietati, interpetitioni seu repetitioni dicti lacûs præsentibus attestando nostro sigillo subappenso. Datum in Castro Oppol. tertiâ feriâ Octavarum Epiphaniæ Domini. anno Domini 1356. His præsentibus Domino Nicolao Præposito, Jecone de *Griva* Castellano Oppol. Stralâ de *Rassov*, Arnoldi Viniconi, Domino Stephano protho-Notario nostro Plebano de Slawentzicz qui præsentia habuit in commissis. L. S.

Privilegium Urbani VI. PP. & Confirmatio privilegiorum, bonorum & decimarum Domus-Dei, *de anno 1382.*

URbanus Episcopus servus Servorum Dei, Dilecto filio Præposito & dilectis in Christo filiabus, Priorissæ & Conventui monasterii *Sanctæ Mariæ in aquis* aliàs dicti *Domûs Dei*, per Præpositum & Priorissam soliti gubernari, Præmonstratensis Ordinis, Wratislaviensis Diœcesis, salutem & Apostolicam benedictionem. Cùm à nobis petitur quod justum est, & honestum, tam vigor æquitatis quàm etiam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Quapropter dilecte in Domino fili, & dilectæ in Christo filiæ Priorissa & Conventus vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, personas vestras & locum in quo divino estis officio mancipati, cum omnibus bonis quæ in præsentiarum rationabiliter possidetis, aut in futurùm justis modis, præstante Domino, poteritis adipisci, sub Beati Petri protectione suscipimus, atque nostra, omnesque libertates & immunitates à prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus, sivè per privilegia, vel alias indulgentias vobis & monasterio vestro prædicto concessas nec non libertates & exemptiones sæcularium exactionum à Regibus, Principibus, vel aliis Christi fidelibus rationabiliter vobis & monasterio prædicto indultas specialiter antè terras, decimas, castra, villas, domos, possessiones, vineas, prata, & alia bona vestra, sicut ea justè & pacificè obtinetis, vobis, & per vos eidem monasterio authoritate Apostolicâ confirmamus, & præsentis scripti patrocinio cummunimus. Salvâ in prædictis decimis moderatione Concilii generalis. Nulli ergo omninò hominum hanc liceat paginam nostræ protectionis & confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum 3. Idus Martii, Pontificatûs nostri anno quinto.

URBANUS. PP. VI.

privilegium conservativum & protectivum Bonifacii IX. super possessiones Domûs Dei *amplissimum, de anno 1392.*

BOnifacius Episcopus servus Servorum Dei. Venerabilibus Fratribus nostro Archiepiscopo Gnesnensi, & nostrò Episcopo Wratislaviensi; ac dilecto filio nostro Abbati monasterii Brzewoniensis extrà muros Pragenses, salutem & Apostolicam benedictionem. Militanti Ecclesiæ, licet immeriti disponente Domino Præsidentes, circà curam Ecclesiarum, & monasteriorum omnium solertia reddi-

mus indefessa solliciti ut juxta debitum pastoralis officii eorum occurramus dispendiis & profectibus divinâ cooperante clementiâ salubriter intendamus. Sanè dilecti filii nostri Præpositi & dilectarum in Christo filiarum Priorissæ & Conventûs Monasterii Czarnowans aliâs Domus Dei propè Oppol. per Præpositum & Priorissam soliti gubernari Præmonstr. Ordinis, Wratisl. Diœcesis, conquestione percipimus, quod non nulli nostri Archiepiscopi & Episcopi aliique Ecclesiarum Prælati, & Clerici ac Ecclesiasticæ personæ Civitatum Diœces. & aliarum partium diversarum occuparunt tam Religiosi, quàm seculares, nec non Duces, Marchiones, Comites, Barones, Nobiles Milites & laici, Communia Civitatum, Universitates Oppidorum, Castrorum, Villarum & aliorum locorum, aliæ singulares personæ Civitatum Diœces. & aliarum partium diversarum occuparunt & occupari fecerunt, castra, villas, & alia loca, domos, terras, possessiones, jura & jurisdictiones nec non fructus, census, redditus, & proventus dicti monasterii, & non nulla alia bona mobilia & immobilia, spiritualia, & temporalia ad Præpositum Priorissam & Conventum monasterium prædicta spectantia & ea detinent indebitè occupata, seu ea detinentibus præstant auxilium, consilium vel favorem; nulli etiam civitatum, Diœces. & partium prædictarum, qui nomen Domini in vacuum recipere non formidant, eisdem Præposito nostro Priorissæ & Conventui super prædictis castris, villis, & locis aliis, terris, domibus, juribus, possessionibus, jurisdictionibus, censibus, redditibus, & proventibus eorumdem & quibuscumque aliis bonis mobilibus & immobilibus spiritualibus & temporalibus, & aliis rebus ad eosdem Præpositum, Priorissam, & Conventum spectantibus, multiplices molestias & injurias inferunt ad jacturas. Quarè dicti Præpositus & Conventus nobis humiliter supplicarunt, ut cum eisdem valdè reddatur difficile pro singulis querelis ad Apostolicam Sedem habere recursum, providere ipsis super hoc paternâ diligentiâ curaremus. Nos igitur, adversùs occupatores, detentores, præsumptores, molestatores, & injuriatores hujusmodi, illo volentes eisdem Præposito, Priorissæ, & Conventui subvenire remedio, per quod ipsorum compescatur temeritas, & aliis aditus committendi similia præcludatur. Discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus quatenùs ut vel duo aut unus vestrum, per vos, vel alium, seu alios etiam si extra loca in quibus deputati estis conservatores & judices præfatis Præposito Priorissæ & Conventui efficaci deffensionis præsidio assistentis non permittatis eosdem super his & quibuscumque aliis bonis & juribus ad Præpositum, Priorissam & Conventum ac monasterium prædicta spectantibus, ab eisdem vel quibusvis aliis indebitè molestari vel eis gravamina, seu damna vel injurias irrogari facturi dictis Præposito Priorissæ, & Conventui cum ab eis, vel procuratoribus suis, aut eorum aliquo fueritis requisiti de prædictis & aliis personis quibuslibet restitutione hujusmodi castrorum, villarum, terrarum, & aliorum, jurisdictionum, jurium, & bonorum mobilium, & immobilium, reddittuum quoque ac proventuum, & aliorum quorumcumque bonorum, nec non dequibuslibet molestiis, injuriis, atque damnis præsentibus & futuris in illis videlicet quæ judicialem requirunt indaginem summariè de plano, sine strepitu, & figurâ judicii, in aliis verò, prout qualitas eorum exigerit justitiæ complementum, occupatores, seu detentores, præsumptores, seu molestatores, & injuriatores hujusmodi, nec non contradictores quoslibet & rebelles cujuscumque dignitatis statûs, gradûs, ordinis, vel conditionis exstiterit, quandòcumque & quotiescumque expedierit authoritate nostrâ per censuram Ecclesiasticam, appellatione postpositâ compescendo, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachio seculari. Non obstantibus tamen felicis recordationis Bonifacii PP. VIII. prædecessoris nostri, in quibus cavetur, nè aliquis extrà suam civitatem & Diœcesim, nisi in certis exceptis casibus, & in illis ultrà unam diætam à fine suæ Diœcesis, ad judicium evocetur, seu ne Judices & Conservatores à sede deputati prædictâ, extrà civitatem & Diœcesin, quibus deputati fuerint, contrà quoscumque procedere, sive alii vel aliis vices suas committere, aut aliquos ultrà unam diætam à fine Diœcesis eorumdem trahere præsumant, dummodò ultrà duas diætas aliquis authoritate præsentium non trahatur; seu quid de aliis quam de manifestis injuriis & violatis, & aliis quæ judicialem requirunt indaginem, pœnis in eos si secùs egerint, & in id procurantes, adjectis conservatores se nullatenùs intromittant, quam aliis quibuscumque Constitutionibus à prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus tam de judiciis delegatis, & conservatoribus, quàm personis ultrà certum numerum ad judicium non vocandis & aliis editis, quæ vestræ possint in hâc parte jurisdictioni aut potestati ejusque libero exercitio quomodòlibet obviare. Seu si aliquis communiter vel divisim à prædictâ sede sit indultum quod excommunicari, suspendi, vel interdici aut extrà vel ultrà loca ad judicium evocari non possint, per litteras Apostolicas non facientes plenam & expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi & eorum personis, locis, Ordinibus & omnibus propriis mentionem, & quâlibet aliâ indulgentiâ dictæ Sedis generali vel speciali cujuscumque tenore existat, per quam præsentibus non expressam vel totaliter non insertam vestræ jurisdictionis explicatio in hâc parte valeat quomodòlibet impediri, & de quâ cujusque toto tenore de verbo ad verbum in nostris litteris habenda sit mentio specialis. Cæterùm volumus & Apostolicâ authoritate decernimus quod quilibet vestrûm prosequi valeat articulum etiam per alium inchoatum quamvis idem inchoans nullo fuerit impedimento Canonico præpeditus, quodque à dato præsentium sit nobis & unicuique vestrûm in præmissis omnibus & eorum singulis cœptis, & non cœptis præsentibus & futuris perpetuata potestas & jurisdicto attributa, ut eo vigore eâque firmitate in præmissis omnibus cœptis, & pro prædictis procedere, ac si prædicta omnia & corâm vobis cœpta fuissent, & jurisdictio vestra & cujuslibet vestrûm per citationem vel modum alium perpetuata legitimum exstitisset, Constitutione prædictâ super conservatoribus, & aliâ quâlibet in contrarium editâ non obstante. Præsentibus &c. Datum Romæ ad S. Petrum 4. Kalend. Novembris Pontificatûs nostri anno secundo. BONIFACIUS IX.

Privilegium Bolkonis Ducis Oppol. super quatuor marcas Domui-Dei *ex villis* Rogau *&* Dombrowka *singulis annis exhibendas, de anno 1403.*

NOs Bolko, Dei gratiâ, Dux & Dominus Oppoliensis, tenore præsentium recognoscimus quibus expedit universis, quòd in nostrâ constitutus præsentiâ Nobilis Joannes *Bees* de *Rogau* fidelis noster, suo ac Fratrum & hæredum suorum nomine, & corpore nobis exponens qualiter non coactus nec deceptus aut improvidè sed maturâ deliberatione & sano amicorum suorum præhabito consilio justo emptionis & venditionis interveniente titulo, ritè & rationabiliter vendidit Religiosæ

giotæ & devotæ Dominæ Agneti olim Vincentii Rzeconis filiæ, Professæ monasterii Beatæ Mariæ Virginis in *Czarnowans* Ordinis Præmonst. aut illi, vel illis, cui vel quibus in vitâ vel morte duxerit legandum assignandum, vel obligandum quatuor Marcas Grossorum Pragensium, numeri Polonici, reditus sivè censum annuum verum atque liberum ab omnibus, & singulis exactionibus, petitionibus, & contributionibus, angariis, vecturis, & quibuscumque operibus exemptum penitùs, & solutum pro 40 Marcis grossorum prædictorum. In & super universis censibus ordinariis, redditibus, utilitatibus, fructibus, sylvis, pratis, stagnis, piscaturis, & obventionibus, quibuscumque censeantur nominibus villarum & hæreditatum ipsius *Rogaw*, & *Dombrowka* nostri Oppoliensis districtûs dandum & solvendum præfatum censum quatuor Marcarum singulis annis in festo S. Michaëlis Archangeli, & in monasterium *Czarnowans* præsentandum dictæ Dominæ Agneti sub ipsorum solventium laboribus sumptibus, periculis, & expensis, tali tamen interpositâ conditione, quòd post obitum dictæ Dominæ Agnetis duæ Marcæ censûs prædicti ad prænominatum Joannem *Bees*, ipsius fratres & legitimos successores reverti, & resolvi debeant, qualibet conditione procul motâ, sed duæ Marcæ residuæ cedere debent dictæ Dominæ Agneti, aut illis, quibus cui eundem censum legaverit in vitâ vel in morte. Ita quod prænominatus Joannes *Bees* ipsius fratres & legitimi successores habeant plenariam facultatem remedendi eundem censum duarum Marcarum post obitum Dominæ Agnetis præfatæ, aut ab illis quibus dictum censum obligaverit in vitâ vel morte, petens idem noster fidelis, ut eidem contractui ac venditioni consentire dignaremur, ac ipsum gratiosiùs confirmare. Nos verò petitionibus ipsius inclinati præscriptum contractum ratihabentes, atque gratum ipsum in omnibus suis Clausulis, punctis, & articulis ratificamus, aprobamus, & confirmamus, annuentes & gratiosè consentientes, ut prædictus noster fidelis, nostri rustici & agricultores prædictarum villarum *Rogaw* & *Dombrowka*, se & hæredes suos pro tempore ad solutionem prædicti censûs quatuor marcarum, & præscribitur, obligare debeant, jurisdictionemque & censuram Ecclesiasticam in se prorogare, ut videlicet prædictus census tanquam Ecclesiasticus census repetatur ab eisdem, & hujusmodi censuram Ecclesiasticam per loci Ordinarium, ipsius Officialem tanquam super Notario, & re justè judicatâ promulgandâ exercendum, & excommunicationis ac interdicti sententias proferendum, petentes Venerabilem in Christo patrem & Dominum Wenceslaum Episcopum Wratislaviensem aut in his vices ejus gerentem, quatenùs præscriptum contractum cum authoritate, & decreti sui interpositione in omnibus ut præscribitur, dignetur confirmare. Quoties etiam præfati solventes in dicto censu quatuor marcarum ut præfatum negligentes forent, qualiter vel remissi, ex tunc præfata Domina Agnes aut quorum interest per Cancellarium nostrum super dictis bonis de sufficientibus pignoribus habet plenariam providendi facultatem cum eisdem faciendi & dimittendi, ac si forma juris plenariè peracta facta fuisset cum eisdem. In cujus rei testimonium sigillum nostrum præsentibus est appensum. Datum Oppol. anno Domini millesimo quadringentesimo tertio, feriâ quartâ post festum Epiphaniæ Domini, præsentibus fidelibus nostris, Adam de *Proshow*, Jacurchio de Campa, Nicolao, Diedciâ, Joanne & Bernardo Fratribus de Lauka, Miczcone Sculteto de Wroskaw & Jacobo Notario nostro in *Schurgast*.

L. S.

Bulla Alexandri VIII. super Mitram & Pontificalia Reverendissimo Balthazari de Gerbert *Præposito Domûs Dei in* Czarnowans *& ejus successoribus Prælatis collata, de anno 1690.*

ALexander Episcopus servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. In Apostolicæ dignitatis solio, & potestatis plenitudine summâ Redemptoris nostri clementiâ, meritis licet imparibus constituti, ad ea libenter intendimus, per quæ provisionis nostræ auspiciis monasteria insignia, eorumque Abbates, seu Præpositi eis pro tempore præsidentes majoribus semper honoribus, & dignitatum prærogativis extolli, & decorari valeant, sicque divinus cultus augeatur prout locorum & temporum qualitatibus debitè pensatis conspicimus in domino salubriter expedire. Sanè pro parte dilecti filii Balthazaris *Gerbert* moderni Præpositi monasterii Czarnowacensis per Præpositum regi, & gubernari soliti, Præmonstraten. Ordinis Wratis. Diœcesis, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod cùm monasterium prædictum admodùm insigne, & competentibus redditibus annuis dotatum, ac sufficienti Religiosorum numero refertum, ejusque pro tempore existens Præpositus tanquam in illâ Provinciâ Prælatus membrum inter illius Status, quorum multi sunt hæretici, respectivè existant, ipseque Præpositus eo nomine publicis functionibus, & Comitiis Provincialibus teneatur sæpiùs interesse, & sicut eadem petitio subjungebat, si dicti monasterii Præposito nunc & pro tempore existenti usum Mitræ & baculi, ac pontificalium, ut infrà per nos & Sedem Apostolicam benignè prout omnibus quasi Abbatibus & Præpositis dicti Ordinis in terris hæreditariis Cæsareæ Majestatis aliàs concessas fuisse reperitur, etiam concederetur, ea indè profectò majori decori & venerationi dicti Ordinis, ejusdemque monasterii & illius Præpositi ornamento, ac catholicorum spirituali consolationi opportunè consuleretur, nec contemnenda divini cultûs incremento, & orthodoxæ fidei propagationi illis in partibus fieret accessio. Quarè pro parte dicti Balthazaris *Gerbert* fuit humiliter supplicatum, quatenùs ei & pro tempore existentibus dicti monasterii Præpositis in præmissis opportunè providere de benignitate Apostolicâ dignaremur.

Nos igitur qui monasteriorum aliorumque regularium locorum decorem & eorum Præpositorum seu Abbatum honorem summoperè exoptamus, dictum Balthazarem & pro tempore existentes dicti monasterii futuros Præpositos specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure vel ab homine quâvis occasione, vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existant, ad effectum præsentium tantum consequendum harum serie absolventes, & absolutos forè censentes hujusmodi supplicationibus inclinati, ex voto Congregationis Venerabilium Fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, super ritibus Ecclesiasticis præpositorum, eidem Balthazari ac ejusdem monasterii pro tempore existentibus, ut Mitrâ, Annulo, & baculo Pastorali, ac aliis insigniis Pastoralibus seu Pontificalibus, tam in dicti monasterii, quàm aliis Ec-

clesiis, à jurisdictione tamen ordinariâ omnino exemptis, in quibus in Pontificalibus pro tempore celebrabunt. Nec non quibusvis processionibus, stationibus, & functionibus Ecclesiasticis, aliisque actibus publicis, & solemnibus celebrando, assistendo, ac interveniendo, uti & benedictionem solemnem post Matutinorum, Missarum, & Vesperarum, & aliorum divinorum officiorum solemnia, suprà populum inibi præsentem & interessentem, dummodo ibi aliquis Antistes, vel Sedis Apostolicæ Legatus, vel Nuntius præsens non sit; vel si præsens fuerit, ejus ad id accedat assensus, elargiri, nec non cruces, calices, imagines, campanas, patenas, & vasa, in quibus sacri olei unctio adhibetur, tabernacula etiam pro conservatione sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti, & Reliquiarum Sanctorum, ac corporalia, vestimenta etiam sacerdotalia, paramenta, & ornamenta quæcumque Ecclesiarum dicti monasterii, & ab eo dependentium, eorumque altaria benedicere, ac Ecclesias ultimò dictas, illarumque loca & cœmeteria sanguinis vel seminis effusione quovis modo polluta, aquâ tamen priùs per Catholicum antistitem, gratiam & communionem Sedis Apostolicæ habentem, ut moris est, benedictâ, reconciliare, liberè & licitè valeant, de licentiâ tamen & consensu Ordinarii loci, Apostolicâ authoritate tenore præsentium perpetuò concedimus, & indulgemus. Et desuper plenam, liberam, amplam, & omnimodam facultatem, licentiam, potestatem, & authoritatem, in perpetuum in præmissis omnibus & singulis, ac ad illa perpetuò quovis modo impartimur. Decernentes easdem præsentes quâvis ex causâ de subreptionis vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, vel quovis alio defectu notari, vel impugnari, seu etiam revocari, suspendi, restringi, limitari vel in aliquo eis derogari nullatenùs posse, sed ipsas præsentes semper & perpetuò validas & efficaces fore, & esse, ac ab omnibus firmiter, & inviolabiliter perpetuò observari, sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, vel delegatos quâvis authoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Nonobstantibus fel. Record. Alexandri PP. IV. prædecessoris nostri, quæ incipit, *Abbates*, nec non in universalibus Provincialibus & Synodalibus Conciliis editis specialibus vel generalibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac dictorum Ordinis & monasterii etiam juramento, confirmatione Apostolicâ & quâvis firmitate aliâ roboratis statutis, & consuetudinibus contrariis quibuscumque. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis, concessionis, indulti, impartitionis, & decreti infringere, vel ei ausu contrario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo nonagesimo, quinto, Idus Januarii; Pontificatûs nostri anno primo.

L. S.

Charta Resignationis Præpositurα sancti Michaëlis de Czorna, *in manibus Abbatis Perneneensis anno 1694.*

NOs Paulus, Dei gratiâ S. R. I. Princeps, Eszteras de Galantha, perpetuus Comes in *Trakno*, Regni Hungariæ Palatinus, Judex Cumanorum, aurei velleris Eques, Comitatuum Soproniensis, *Pest*, & *Solds* supremus Comes, nec non Sac. Cæs. Regiæ Majestatis intimus Consiliarius, Camerarius, partium regni Transdanubiarum, confiniumque Antemontanorum supremus Generalis & per dictum regnum Hungariæ locum tenens, ex una, & Franciscus Ordinis sancti Norberti Canonicorum regularium *Perentu* in Austria Prælatus, Sacræ Regiæ Maj. Consiliarius, Statuumque Austriæ infrà Onasum inter Prælatos deputatus, partibus ab altera. Memoriæ commendamus tenore præsentium significantes quibus expedit, universis, quod præprimis Nos Princeps Paulus Esteras, posteàquam fiscalem arcem, & dominium *Kapuvar*, ab altè titulata sua Majestate sacratissima jure perpetuo pro nobis, & successoribus nostris compatassemus, ac Præposituræ & Conventûs sancti Michaëlis Archangeli de *Csorna* in præfato Comitatu Soproniensi & Insula *Rabau* vocitatâ, existentis habiti, aliàs quoad collationem & jus Patronatûs à possessoribus attactæ arcis & dominii *Kapuvar* antehac dependentis, prælibata sua Sacratissima Majestas ejusmodi collationem & jus patronatûs pro se reservasset; Nos nihilominùs tanquam dictorum bonorum Kapuvariensium emptorem, & apprehensorem, legitimumque possessorem, in eo benignè, mediante etiam contractu, super emptione præfati dominii *Kapuvar* emanato & inito assecurasset & affidasset, quod nimirùm affulgente primâ quâvis occasione, dictam Præposituram & Conventum Csornensem, uni ex filiis nostris, aut alteri idoneæ & benè meritæ personæ, ad dimissam recommendationem præsentationemque nostram, clementer sit datura, & collatura. Considerantes itaque, & animo revolventes quàm ampla, & quot centena, in Apostolico hoc regno per divos quondam ejusdem Reges Sacrorum Ordinum cœnobia, monasteria, & Conventus fundati & erecti fuissent, qui tamen partim immani Turcarum jugo, & partim etiam intestinorum bellorum motibus adeò oppressi, devastati, incinerati, & dirutis soloque æquales essent, ut vix aliquot tantùm ex tot centenis superextarent. Unde in cultu quoque divino, & Mariano, cui hæreditario jure Regnum hoc obstrictum est, quàmplurimos defectus & remoras emersisse, hæreses præterea & sectas in Apostolicum Regnum irrepsisse, idemque desœdasse, & vel ex eo, justam Dei iram in seipsos provocasse, ipsa florentissima olim, jam verò afflictissima Patria & Natio Hungarica, tanquam à pristino, & vero Dei genitricis cultu multùm degener lamentabiliter experitur. Perpendentes præterea præfatum sacrum Ordinem Præmonstratensem, antehàc in regno Hungariæ nominatissimum, & olim prænominato Conventu gaudentem, omni meliori modo quasi postliminio reducendum, & præfato Regno Hungariæ incorporandum; per hocque præpotentis Dei gloriam, & sanctæ Ecclesiæ ejusdem propagationem subsecuturam, probè existimantes, præfatum Reverendissimum D. Franciscum prælibati sacri Ordinis Canonicorum regularium Conventûs Pernecensis Prælatum meritissimum, ac in ipsius officio successores pro prænominata Præpositura, & administratione Conventûs Csornensis, in casu affuturæ proximæ ejus vacantiæ, altè titulatæ suæ Majestati Sacratissimæ, in annotatæ contractualis benignæ ejusdem affidationis nobis, ut præfertur, clementissimè factæ, in locum & vicem unius filii nostri, cui præfata Præpositura contractualiter præ-appromissa competeret, demissè recommendavimus, & humillimè pro benignâ & infallibili Cæsareo-Regia hoc in passu consequenda clementiâ præsentavimus, totumque jus, ut prænotatæ Cæsareo-Regiæ affidationis hoc in passu, per nos habitum, in repetitum Dominum Prælatum, & dilectum ejusdem Conventum Pernecensem, totaliter & ex integro transderivavimus, eidemque cessimus & contuli-

mus; hoc tamen per expressum declarato, quòd siquidem annotata Præpositura Csornensis, ejusdemque Conventus, vi legum etiam Regni authentico sigillo polleret, ac ad instar aliorum Conventuum omnimodas executiones legibus regni præscriptas peragere possit ac debeat, quatenùs pro ejusmodi executionibus peragendis idoneas personas ibidem intertenere velit, nec intermittat; ac insuper, ubi per Dei gratiam idem Conventus Csornensis restaurabitur, ibidem Præpositum etiam ex prædicto Conventu Pernecensi idem Reverendissimus D. Prælatus constituere obligabitur, qui tamen à prædicto Domino Prælato Pernecensi & successoribus ejus per omnia dependebit: & cùm aliquot coloni in possessione *March* existentes, & ad dictum Conventum Csornensem spectantes, longè distarent ab eodem Conventu, Nos loco illorum aliquot colonorum alia æquivalentia bona in attacta Insula *Rabakoz* daturos appromittimus. E converso verò Ego Franciscus Prælatus, & totus Conventus meus Pernecensis, hanc piam suæ Celsitudinis Palatinalis ergà hunc Ordinem nostrum propensionem & gratiam gratâ mente recolere cupientes, promittimus & affidamus prætitulatam suam Celsitudinem Palatinalem quod eandem pro pio Fundatore nostro, semper & in æviternum recognoscere & venerari, ac ubi per Dei gratiam, Nos dictæ Præposituræ & Conventûs Csornensis realem possessionem apprehenderimus, eo facto præclarum quoque & magnificum Templum illud Conventuale injuriâ temporum & injuriâ etiam possessorum, ruinæ proximum, quantociùs restauraturos & redintegraturos, ac singulâ septimanâ perpetuò, in loco illo, pro sua Celsitudine velut Fundatore, unum Sacrum, nunc pro vivo, postmodùm verò post fata sua, mortuo celebraturos compromittimus, & obligamus, ita tamen, ut si ex infinita Dei misericordiâ ipse Celsissimus post mortem non indigeret, sacra illa applicata sint pro bono Illustrissimæ suæ familiæ. Prætereà Ego dictus Prælatus, & omnes mei Sacerdotes, tam in Conventu Pernecensi modò existentes, quàm in dicto Csornensi per Dei gratiam futuri, singulis annis perpetuò unum sacrum offeremus pro prædicto Celsissimo Principe vivo, in die natalis ejusdem; pro mortuo verò in die obitûs, & successivè anniversariis diebus. Quòd si verò ut priùs dictum, post mortem suam, sua Celsitudo ipsis sacrificiis non ampliùs indigeret, secundùm intentionem suæ Celsitudinis ipsa sacrificia applicabuntur pro illa anima ex Illustrissima familia, quæ ejusmodi suffragiis maximè opus habet. Ut autem publico quoque bono, legibusque dicti Regni Hungariæ quoad officium & exigentiam repetiti Conventûs Csornensis satisfacere possêmus, aptas & idoneas personas universis muniis obeundis sufficientes, nos ibidem servaturos, animarum verò saluti pro omni posse invigilaturos, & insuper, ut circà juventutis etiam institutionem nihil prætermittamus, eandem timore & servitio Dei educandam, ac in arte quoque grammatica, & linguæ latinæ rudimentis instruendam & educandam pariter nos obligamus, & adstringimus. Quæ omnia ad majorem Dei & Dei paræ Virginis gloriam augendam, Fidelium devotionem, suæ Celsitudinis verò, & totius Familiæ Illustrissimæ speciale cedant solatium. Denique ut hoc pium perpetuæ fundationis Instrumentum per altefatam Majestatem sacratissimam, ac suo tempore, authoritate etiam Sedis Apostolicæ approbari, confirmari & roborari possit, ab utrisque conventum est. In quorum præmissorum fidem & firmius testimonii robur, hasce nostras contractuales, fundationales, ab utrinque manuum nostrarum subscriptionibus, & authenticis sigillis nostris communitas, ad invicem extradendas esse duximus.

Datum in Archiducali Civitate Vienna Austriæ, die 24. mensis Martii, anno Domini MDCXCIV.

PAULUS ESZTERAS L. S.

FRANCISCUS à *Schollingen*, sacri & Canonici Ordinis Præmonstratentis Prælatus, Præpositus Pernecensis, Inferioris Austriæ. L. S.

NORBERTUS ZIETETIK de *Potienz*, Abbas Gradicensis & Vicarius Generalis. L. S.

VITUS Abbas Strahoviensis & Milovicensis, Visitator Generalis.

L. S.

Cartha Ludovici Crassi, Francorum Regis pro fundatione Dei-loci *anno 1132.*

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ludovicus Dei gratiâ victoriosissimus Rex Francorum. Notum omnibus fieri volumus tam præsentibus quam futuris, pro remedio & salute animarum nostrarum & successorum nostrorum nos concessisse Canonicis apud *Dei-locum* religiosè viventibus, successoribusque suis ibidem similiter victuris, omnia in *Orba* usibus suis necessaria, sive ad construendum ibidem monasterium, sive ad pascenda animalia, sive pecora, vel ad quoslibet alios usus. Concessimus etiam eis circa præfatum locum terram planam. Hoc autem donum ut stabile & ratum permaneat, sigilli nostri impressione signari voluimus.

Hoc actum est Senonis; testibus Henrico Archiepiscopo Senonum. S. Abbate sancti Dyonisii, Isnardo Comite Joviniacensi, Radulpho de Peroniâ. Anno ab Incarnatione Domini MCXXXII. Regni nostri XXV. Indictione X.

Donatio Dei-loci *per Henricum Archiepiscopum Senonensem, facta, anno 1133.*

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Henricus Dei gratiâ venerabilis Senonensium Archiepiscopus. Omnium Dei fidelium voluntas, præcipuè autem Prælatorum quibus Dominus curam animarum & sollicitudinem commisit, in desiderio religionis augmentandæ esse debet. Nos igitur *Dei-locum* quietum, & ab omni subjectione liberum, Senonensis Ecclesiæ & nostrâ subjectione exceptâ, Priori Jolberto, Canonicisque regularibus sibi commissis, successoribusque eorum in perpetuum possidendum concedimus cum omnibus ad eundem locum pertinentibus, ut ibi die ac nocte Deo serviendo Canonicus Ordo floreat, quem nemo pro alio Ordine mutare præsumat. Cùm autem locus, Deo volente, possessionibus & numero Fratrum, ut Abbatem habere possint, adeò creverit, idoneam personam de Fratribus suis, si ibi fuerit, canonicè eligant, sin autem, de Religioso monasterio personam quærant tali officio dignam. Concedimus etiam præfatis Canonicis, ut Abbate inibi facto, quoniam locus arctus est ad construendam Abbatiam necdùm amplus, nemus eradicando amplificent locum in tantum ut & officinas & domos suas ibi construere, & hortos, & virgulta plantare possint, & in cæteris nemoribus nostris concedimus eis usuale necessarium. Hoc autem ut firmum permaneat sigilli nostri impressione corroborando firmamus.

Actum est Senonis, anno ab Incarnatione Domini MCXXXIII. Pontificatûs autem nostri XI. Data X. Kalendas Augusti.

Charta Donationis Ecclesiæ sancti Pauli Senonensis Canonicis Dei-loci *per Guidonem Archiepiscopum, anno 1192.*

GUido * Dei gratiâ Senonensis Archiepiscopus, omnibus ad quos litteræ istæ pervenerint salutem. Æquitati consentit ut ea quæ zelo Dei fiunt ad utilitatem & incrementum Ecclesiarum perpetuâ gaudeant firmitate. Inde est quod omnibus tam futuris quàm præsentibus notum fieri volumus quod consideratione Religionis & honestatis domûs & Fratrum de Dei-loco, donavimus eis Ecclesiam Sancti Pauli de *Vanna* perpetuâ possessione tenendam, salvo per omnia jure Ecclesiæ sancti Stephani Senonensis & aliarum Ecclesiarum & Presbyterorum Senonensium, nec ement, nec aliquo modo acquirent Fratres Deilocenses terras aut vineas, sivè alias possessiones, unde aliæ Ecclesiæ decimas suas vel jura quæ in eis habuerint perdant, sive Presbyteri Ecclesiarum. Ut autem hæc donatio nostra rata maneat & inconvulsa, eam præsenti charta fecimus annotari & sigilli nostri impressione muniri. Actum Senonis anno Verbi Incarnati MCLXXXXII. astantibus nobis Ecclesiæ nostræ personis, Manasserio Archidiacono, Guillermo Thesaurario, Gaufrido Præcentore, data per manum magistri Petri Cancellarii.

* Guido de Noyers optimis studiis instructus, sæcularium non minus quam Ecclesiasticarum rerum notitiam adeptus, ex Præposito Autissiodorensis Ecclesiæ & Senonensi Archidiacono anno 1177. Archiepiscopus Senonensis factus est.

Charta Guillelmi Archiepiscopi Senonensis, qua Parochias de Bussiaco & de Pareto concedit Canonicis Dei-loci. *Anno 1176.*

GUillelmus * Dei gratiâ Senonensis Archiepiscopus sedis Apostolicæ Legatus. Dilectis filiis Abbati & Fratribus de Dei-loco in perpetuum, pacem. Considerantes Ordinis & Religionis vestræ honestatem & fidei constantiam & devotionis quam erga nos geritis sinceritatem attendentes vobis divinæ pietatis intuitu Ecclesiam de Bussiaco liberam & quietam ab omni exactione & consuetudine tam nostrâ quàm Archidiaconi Senonensis vel etiam Decani Presbyterorum, exceptâ Synodo & Circatâ, donamus & in perpetuum pacificè possidendam concedimus. Ecclesiam etiam de Pareto quam bonæ memoriæ Hugo Archiepiscopus prædecessor noster vobis donavit, eodem tenore inposterum habendam concedimus. Ne autem super eisdem Ecclesiis aliqua vobis de cætero molestia vel injuria possit inferri, eas præsenti scripti attestatione & sigilli nostri authoritate vobis & Ecclesiæ vestræ confirmamus, statuentes & sub anathemate prohibentes, ne quis huic nostræ confirmationi in aliquo contraire præsumat. Salvâ in omnibus Apostolicæ sedis authoritate. Actum anno ab Incarn. Domini MCLXXVI.

* Theobaldi Magni, Campaniæ Comitis & Mathildis de Carinthia, filius.

Bulla confirmationis bonorum Ecclesiæ Dei-loci *per Eugenium III. anno 1147.*

EUgenius Episcopus, servus Servorum Dei. Dilectis filiis Garnerio Abbati Ecclesiæ sanctæ Mariæ de Dei-loco, ejusque Fratribus tam præsentibus quàm futuris Canonicam vitam professis inperpetuum. Religiosis desideriis dignum est facilem præbere consensum ut fidelis devotio celerem sortiatur effectum. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus & præfatam sanctæ Mariæ Ecclesiam, in quâ divino vacatis obsequio, sub Beati Petri & nostra protectione suscipimus & præsentis scripti privilegio communimus. Statuentes ut Ordo Canonicus qui secundùm Beati Augustini regulam in vestra Ecclesia noscitur institutus, perpetuis futuris temporibus ibidem inviolabiliter conservetur. Præterea quascumque possessiones, quæcumque bona eadem Ecclesia impræsentiarum justè & canonicè possidet aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum aut Principum oblatione fidelium; seu aliis justis modis præstante Domino poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant. In quibus hæc specialiter duximus annotanda. Locum videlicet ipsum in quo eadem Ecclesia sita est. Locum qui dicitur *fossa Mauri*, cum omnibus eorum pertinentiis. Locum qui dicitur *Messiacus* cum territorio quod vocatur *Thorsiacum*. Locum qui dicitur *Malus repatus*, locum qui vocatur *Villapedis*. Locum qui dicitur *Arreavallis* cum omnium eorum pertinentiis. Molendinum de *Fricambault*, molendinum de *Salvâ-manu* & molendinum quod Domina Helia de *Villamauri* dedit Ecclesiæ vestræ cum omnibus eorum pertinentiis. Usuarium quoque quod illustris memoriæ Ludovicus Francorum Rex in suo nemore, juxta quod eadem Ecclesia sita est, vobis donavit, & quod Henricus bonæ memoriæ Senonensis Archiepiscopus similiter donavit in suo, ut videlicet ad omnes necessarios vestros usus inde accipiatis & animalia vestra pascatis. Sanè laborum vestrorum, quos propriis manibus aut sumptibus colitis, sivè de nutrimentis vestrorum animalium nullus à vobis decimas exigere præsumat. Prohibemus etiam ut nulli Fratrum vestrorum liceat post factam professionem absque Abbatis & Fratrum licentia de Claustro discedere, discedentem verò absque commendatitiis litteris nullus audeat retinere. Decernimus ergo ut nulli omninò hominum liceat præfatam Ecclesiam temerè perturbare, aut ejus possessiones auferre vel ablatas retinere, minuere, vel quibuslibet modis fatigare, sed omnia integra conserventur, eorum pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt, usibus omnibus profutura, salvâ sedis Apostolicæ authoritate & Diœcesani Episcopi Canonicâ justitiâ. Si qua igitur in posterum Ecclesia, secularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam, sciens contra eam temerè venire tentaverit, & secundò, tertiòve commonita reatum suum dignâ satisfactione non correxerit, potestatis, honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetratâ iniquitate cognoscat, & à sacratissimo corpore & sanguine Domini nostri J. C. aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco justa servantibus, sit pax Domini nostri J. C. & hîc fructum bonæ actionis percipiant & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveant. Amen. Ego Eugenius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus. Ego Albericus Hostiensis Episcopus. Ego Imarus Tusculensis Episcopus. Ego Humbaudus Presbyter Cardinalis tituli sanctorum Joannis & Pauli. Ego Julius Presbyter Card. tituli sancti Marcelli. Ego Hugo Presbyter tituli in Lucina. Ego Odo Diaconus Card. tit. Sancti Gregorii ad velum aureum. Ego Octavianus Diaconus Card. tit. sancti Nicolai in carcere Tulliano. Ego Gregorius Diac. Card. sancti Angeli. Ego Iacintus Diac. Card. sanctæ Mariæ in Cosmidium. Datum Altissiodori per manus Guidonis sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diac. Card. & Cancellarii x. Kalendas Augusti, Indictione decima Incarnationis Dominicæ MCXLVII. Pontificatûs verò Domini Eugenii tertii Papæ anno tertio.

Charta Huberti Decani Eboracensis Ecclesiæ.

OMnibus sanctæ matris Ecclesiæ filiis præsentibus & futuris, Hubertus, Dei gratiâ, Eboracensis Ecclesiæ Decanus, æternam in Domino sa-

lutem. Sapientis est, hiis quæ saluti animæ proficiunt, dum potest, intendere, & transitoriis, æterna commutare. Quod quidem intelligentes, in honore Dei, & gloriosæ Virginis Mariæ Matris ejus, quoddam cœnobium Præmonstratensis Ordinis in feudo nostro apud *Derham* fundavimus, pro salute animæ meæ, & patris, & matris meæ, & Domini Ranulphi de *Glanvilla*, & Dominæ Bertræ, uxoris ejus, qui nos nutrierunt, & pro salute fratrum, sororum, consanguineorum, famulorum & omnium amicorum meorum: & præfatæ Domui & Canonicis dedimus & concessimus, & hac præsenti Chartâ confirmamus, totum tenementum quod in eadem villa cum pertinentiis de *Gal* filio *Gal*, emeramus &c. Testibus Domino Joanne Norwicensi Episcopo, Ranulpho de *Glavill*, Waltero filio Roberti, Willelmo de Vuarenna, Galfrido filio Petri, Radulpho Archidecano Colcestriæ, Baldwino Cancellario, Magistro Barthol. Rich. de Derhram persona, Osberto de Glavilla, Theobaldo de *Walunes*, Theobaldo Waltero, Warino de *Bassingburn*, Osberto filio Harvei, Roberto de *Scalis*, Galfrido de .... Nicolao de Derham & multis aliis.

Charta Regis Joannis, Donatorum concessiones recitans & confirmans.

JOannes, Dei gratiâ, &c. Sciatis nos ad petitionem venerabilis Patris nostri H. Cant. Archiepiscopi concessisse & præsenti chartâ nostrâ confirmasse Ecclesiæ Dei & sanctæ Mariæ de *Derham* & Canonicis ibidem Deo servientibus, in Ordine Præmonstratensis Ecclesiæ, subscriptam donationem quam idem H. Cant. Archiepiscopus eis fecit in liberam perpetuam eleemosynam scilicet integrè & quidquid Gaufridus filius Galfridi habuit in villa de *Derham* & pertinentiis ejusdem villæ, ut in advocationibus Ecclesiarum, & in terris & in tenementis, & redditibus, & in omnibus aliis rebus in villa de *Derham* & pertinentiis ejusdem villæ, quæ omnia prædicta præfatus Gaufridus filii Gaufridi, dedit & concessit jam dicto H. Cantuariensi Archiepiscopo, pro servitio suo & pecunia sua. Præterea concessimus & confirmavimus eisdem Canonicis quietanciam servitii, quam Walterus filius Roberti fecit prædicto H. Cantu. Archiepiscopo, & supranominato Gaufrido filio Gaufridi, & quam idem H. Cantuar. Archiepiscopus eisdem Canonicis fecit; quod servitium debebatur prænominato Waltero filio Roberti, de terra de feodo suo de *Derham*: concessimus etiam, & confirmavimus eisdem Canonicis donationem, quam Adam filius Adæ eis fecit de Ecclesia de *Barkebr. Malghedale*, scilicet Ecclesiam prænominatam, cùm omnibus pertinentiis suis, & libertatibus. & liberis consuetudinibus ad eam pertinentibus, ad habendum eam in liberam & perpetuam eleemosynam. Concessimus etiam & confirmavimus quantùm ad regalem pertinet dignitatem, quod præfati Canonici præfatam Ecclesiam cum pertinentiis suis in usus convertant proprios, salvâ tamen decenti & honorificatâ administratione ejusdem Ecclesiæ; præterea concessimus eis & confirmavimus de dono Hugonis de *Diva* Ecclesiam de *Ratham* cum omnibus ad eam pertinentibus in puram & perpetuam eleemosynam possidendam, nec non quidquid ad ipsum Hugonem pertinet in eadem Ecclesia tam in jure advocationis, quam in aliis quibuscumque: Et ex dono Margaretæ filiæ Alexandri *le Moine* & Rogeri *Buche* feudum unius militis, cum pertinenciis in *Waleton* quietum ab omni servitio seculari; salvo servitio dominorum illius fundi & salvo forinseco servitio, de quo feudo unius militis, placitum fuit inter eosdem Margaretam & Rogerum in Curia nostra, & quod feudum per concordiam & finem factum in eadem Curiâ, de communi assensu dederunt eisdem Canonicis in perpetuam eleemosynam, sicut chitographum factum inter eos in Curiâ nostrâ testatur, & ex hoc dono memorati H. Cant. Archiep. & T. Walteri fratris sui terram de *Jelinton*, quam Hamo Walteri tenuit in eâdem villâ integrè, cum omnibus pertinentiis suis, solutam & quietam ab omni sæculari servitio, exceptis xxx. solidis quos Moniales de *Jelinton* debent & solent inde annuatim percipere, & amodò percipient per manus prædictorum Canonicorum. Et ex dono ejusdem H. Cantuar. Archiepiscopi totam terram & domos quas tenuit in *Oxonio* de feudo Prioris de sancta *Fredesuith*, scilicet illam terram & domos quæ fuerunt Hugonis de sancto Germano, integrè cum omnibus ad ipsam terram & domos pertinentibus; salvâ tamen Priori & Conventui de sancta *Fredesuith* dimidiâ marcatâ, quam annuatim percipere consueverunt de prædicta terrâ. Et ex dono Hamelini Comitis de *Warennâ* & Ysabellæ uxoris ejus, & Willelmi filii eorum, redditum XL. solidorum, quem Willielmus *le Curteis* præfato Comiti H. & Isabellæ uxori suæ & Willielmo filio eorum reddere consuevit de medietate piscariæ de *Merchenfen*, singulis annis ad tres terminos percipiendum; videlicet ad Pentecosten unam marcam, ad festum S. Mich. unam marcam, sicut idem redditus reddi consuevit, & ex dono Henrici de *Pomeras*, & Walteri de *Marmin*, quidquid ipsi habuerunt in villa de *Smalgreg* integrè, cum omnibus pertinentiis, sine ullo retenemento, reddendo annuatim præfato Waltero, & hæredibus suis, de suâ parte prædictæ villæ xx. sol. infrà Octabas Paschæ, pro omni servitio & exactione, & ex dono Simonis *Briton*, IX. acras in *Greva* maris de *Wrangle* mensuratas perticâ pedum xx. ad salinas faciendas, & unam placeam ad domum faciendam, longitudine quinque perticarum, & latitudine trium perticarum in tofto Gilberti filii Sacerdotis, super ripam portûs de *Richflet*, versùs Boream, & prætereà pasturam in communi pastura de *Wrangle* XXXVI. bobus, ex donoq; ipsius Simonis, & ex dono Rogeri de *Panells* XL. acras terræ in *Hilinton*, de dominio suo; illas scilicet quas Rogerus de *Etton* tenuit cum libertate habendi faldam suam; salvâ ipsi Rogero faldâ, quam habet in eadem villa de *Hillinton* liberas & quietas ab omnibus servitiis & exactionibus præter duos solidos reddendos eidem R. & hæredibus suis ad tres terminos; scilicet ad Purificationem B. Mariæ VIII. denarios & ad Pentecosten VIII. denarios, & ad festum S. Mich. VIII. denarios. Et ex dono Hervei filii Petri redditum dimidiæ marcæ in villâ de *Pleiford*, scilicet homagium Willielmi de *Roschemer*, quantùm ad ipsum pertinet; & homagium Alani filii Thurstani, & uxoris suæ, & filiorum & filiarum suarum omnium, cum toto tenemento suo quod de præfato H. tenuerunt in *Pleiford*, ita quod præfatus Willielmus persolvet præfatis Canonicis pro tenemento suo, quod in præfata villa tenet, XXXII. denarios annuos, pro omni servitio, & prædictus Alanus quatuor solidos pro tenemento suo, quod in eadem villâ tenet, annuatim eisdem Canonicis similiter pro omni serservitio, persolvet, & hunc redditum præfati Willielmus & Alanus reddent ad duos terminos, ad festum S. Edmundi medietatem & ad Pascha medietatem, uterque eorum quantùm ad ipsum pertinet. Ex dono autem Walteri filii Petri de *Wirham* totam medietatem molendini de *Aketon*, integré cum omnibus pertinentiis suis, solutam & quietam

dicti Canonici respondebunt prædicto Waltero & hæredibus suis de xvi. denariis ad scutagium, quoties scutagium dabitur per præceptum Domini Regis sive plus, sive minùs exigatur, & ex dono Juliani de *Elmingeham* redditum xv. solidorum in molendino suo de *Kingeland*, scilicet v. solidos ad festum S. Andreæ, & v. solidos ad Annuntiationem B. Mariæ, v. solidos ad festum S. Michaëlis. Et ex dono Willielmi *Luvel* de *Iveri*, dimidiam marcam de molendino suo de *Tichewell*, percipiendam singulis annis ad Pascha. Et ex dono Petri Walteri, redditum dimidiæ marcæ in molendino suo de *Isted* percipiendum, ad emendum sibi vinum ad celebrationem Missarum in Ecclesiâ suâ. Quare volumus & firmiter præcipimus quod præfati Canonici habeant & teneant omnia prædicta cum omnibus pertinentiis suis benè, & quietè, integrè, & plenariè, & honorificè, in advocationibus Ecclesiarum, & in terris, & tenementis, & redditibus, in bosco & plano; in pratis & pascuis; in aquis & molendinis; in vivariis & stagnis; in piscariis & turbariis; mariscis, & Rosariis; in viis, & in omnibus aliis locis & rebus, libertatibus, & liberis consuetudinibus, quieta ab omni servitio sæculari & exactione, sicut Charta Domini H. Regis Angliæ patris nostri, & Chartæ sæpedicti H. Cantuar. Archiepiscopi, & aliorum donatorum rationabiliter testantur. Præterea concessimus eis ut habeant per omnes terras suas, & tenementa sua, *Soch*, & *Sach*, *Thol*, & *Them*, & *infengenthef*, & teneant terras suas quietas & liberas de sectis Schiratum & Hundredorum, & de placitis Forestariorum, & querelis; & de pecuniâ dandâ pro forisfacto de murdro, & Wapetac, & de scutagiis, & geldis, & danegeldis, & hidagiis, & assisis, & operationibus castellorum, & parcorum, & pontium, & calcearum, & de *Ferdwita*, & de *Lenwitha*, & de *Hundrespeni*, & de *Themigpeni*, & de *Hengewitha*, & de *Flemenesfrethe*, & de *Hamsok*, & de *Wardpeni*, & de *Blodwitha*, & de *Fictwitha*. Et sint ipsi & homines sui quieti, per totam terram nostram, de omni tolneto, & de omnibus rebus, quas ipsi Canonici, vel homines sui poterunt assecurare, quod emant vel vendant ad proprios usus Canonicorum ipsorum, vel hominum suorum; & de pontagiis, & passagiis, & de lastagiis, & stallagiis; & de omni seculari servitio, & opere servili & exactione; & in omnibus aliis occasionibus, & consuetudinibus secularibus, exceptâ solâ Justitiâ mortis & membrorum. Et prohibemus ne ponantur in placitum nisi coram nobismetipsis, vel capitali Justitiâ nostrâ. Item concedimus eis, & confirmamus, quod si aliquis hominum suorum pro delicto suo vitam vel membrum debeat amittere, vel fugerit, & judicio noluerit stare, vel aliud delictum fecerit, pro quo debeat catalla sua perdere, ipsa catalla prædictorum Canonicorum sint, quantùm ad nos pertinet, vel ad Curiam nostram. Testibus Waltero *Roth*. G. *Ebor*. Archiepiscopis. H. *Sarum*, S. *Bathon*. Episcopis S. *Wellen*. (&c.) Datum per manum H. *Cant*. Archiepiscopi, Cancellarii nostri apud *Rothomagum*, vii. die Septembris, anno regni nostri primo.

Charta Galteri Cameracensis Episcopi, quâ Jettæ Cellam à se consecratam testatur, atque bona, Onulphi liberalitate, ad usus Canonicorum Regularium B. Augustini concessa, recenset & approbat, anno 1095.

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ego Galterus, gratiâ Dei, Cameracensium Episcopus, Cellam quæ sita est in villa quæ Jetta nuncupatur, ad laudem Salvatoris nostri Jesu Christi, in honorem S. Mariæ Virginis, octavâ decimâ Kalendas Octobris, Deo annuente dedicavi, atriumque divisum benedixi, & ab hujus villæ parochia, altaris quidem favente persona ex nomine Sichero separavi, & ut ad nullum cujuscumque hæreditatis, præter Sedem Cameracensis Ecclesiæ respiceret, liberum confirmavi. Ad usus autem Fratrum, in hoc loco, Domino famulantium, Beatique Augustini regulam observantium exaugerandos, Honulphus de *Wolwerthem*, homo liber ac timens Deum, duodecim allodii sui jugera omnino libera tradidit, decimamque de *Meibrouck* Domino suæque Genitrici pro redemptione animæ suæ, animarumque matris suæ, avæ, conjugisque suæ Renewidis, ac filiorum suorum Lamberti, W. S. W. omninò liberam tradidit, & dimidiam partem illius decimæ quam habebat in *Wuwerethem* similiter dedit. Hic autem prædictus Honulphus, quoniam nostræ dedicationis officio præsens esse non potuit, quemdam servum suum ad me misit, qui supra Sancta Sanctorum juravit, se Fratribus Ecclesiæ, quæ prædicta sunt, dedisse; præsentesque fuerunt quamplures liberi homines, qui testati sunt se donum vidisse & audivisse; præsensque fuit quidam liber homo nomine Steippo, qui ex parte illius donum hujus Beneficii renovavit, & altari in mea præsentia legitimè adaptavit. Ego verò ne quilibet mandatorum Dei transgressor hoc statutum violare præsumeret, neque solemnitatem Dei infringeret, Pontificali banno interdixi. Omninò etiam corroborans, remotâ omnium Laïcorum potestate, Fratrum esse, Abbatem liberè eligere, & Cameracensium Pontificis Pastoralem curam attribuere, & benedictionem adhibere. Ad quod testes introducti idonei sunt. S. Radulphi Archidiaconi. S. Alardi Archidiaconi. S. Bernardi Capellani. S. Alberici Præpositi. S. Fulgentii Abbatis. S. Asbaldi Capellani. S. Goffridi Clerici. S. Ansselli. S. Gerardi. S. Godefridi. SS. Clericorum Brufelle Tietdonis Decani. Alberti Shcolastici, Langerardi Henrici.

SS. Laïcorum Steypponis, Galteri fratris ejus. Alardi. Godezonis. Esnelardi. Ingrani. Mazelini. Franconis. Filii ejusdem Franconis Menzonis.

Charta Odonis Cameracensium Præsulis, qui, additis aliquibus privilegiis, Priora à decessore suo concessa, confirmat.

IN Nomine sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ego Odo, Dei gratiâ, Cameracensis Episcopus, Cellam quæ sita est in villâ quæ Jetta nuncupatur,

ad laudem Domini nostri Jesu Christri in honorem B. M. Virginis 18. Kal. Octob. Deo annuente dedicavi, atriumque assignatum benedixi & ut ad nullum cujuscumque hæreditatis, præter Sedem Cameracensis Ecclesiæ, respiceret, liberam confirmavi: & si pro alicujus culpâ imbannitur terra, remotis omnibus imbannitis hæc cantet Ecclesia. Et quia nos omnium domesticorum in Exaltatione S. Ecclesiæ promptissimorum bonæ voluntati congaudere debemus; decet nos etiam, si quid à nobis petierint, non abnuere, ut semper ad vitam proficiant, nostro exemplo præeunte. Ego itaque petitionem Gattelmi Abbatis filii mei, quem propriis manibus consecravi, non reprobandam existimavi, quærentis ut Parochialem Ecclesiam Jettensem cum appendicio suo Ganshoren & Mosengensem Ecclesiam, atque Himbecensem libertati donarem: quam petitionem bonam judicans, ideoque paternè exaudiens, prædictas Ecclesias ab omni exactione, debitisque obsoniis liberas facio, & in Ecclesiâ S. Mariæ Jettensi Fratribus trado. Deinde benignè concedo, ut suam Electionem liberè habeant in Abbate constituendo; Electus verò Cameracensi Episcopo præsentetur, ut ab eo sine ullâ contradictione consecretur. Ipse quoque Abbas ad Synodum ire non cogatur, nisi sigillatis Episcopi litteris fuerit admonitus. Ad usus autem Fratrum in hoc loco Deo famulantium, Beatique Augustini regulam observantium Onulphus de *Wolverthem* homo liber ac timens Deum, Fundator Ecclesiæ, ob redemptionem animæ suæ, animarumque matris suæ, avæ, conjugisque suæ Renuidis, parentumque, ac filiorum suorum Willelmi Walteri, Lamberti, Sigeri, Godescalii, Eustachii, Arnoldi, nobilisque filiæ suæ avæ, 14. Allodii sui Bonarios, & Cambam cum appendicibus suis quæ solvit singulis annis x. & vi. modios avenæ ad mensuram Bruxellensem & allodium molendini in *Ges*, decimam quam habebat in *Wolverthem*, allodiumque decimæ de *Malbrac*, Deo, sanctæ genitricis servientibus in supradictâ Ecclesiâ tradidit. Defuncto filio suo Lamberto 9. terræ bonarios & de decimâ totius villæ cum in novem manipulis dividitur, 2. manipulos & tertiam partem alneti superaddiderunt. Eustacius sex solidos dedit in *Rethem*, domina ava & fratres ejus allodium duodecim Bonariorum secùs villam quæ dicitur *Selleta*, Ecclesiæ dederunt. Prædictus verò Onulphus cum Domino Willelmo de *Wolverthem* plaustratum lignorum singulis diebus ad usus coquinæ Fratrum dederunt. Nostræ verò dedicationis officio interfuerunt duo liberi homines Walterus & Arnoldus filii Onulphi cum sorore eorum domina ava, qui omnes donum prædictorum beneficiorum renovaverunt, & altari in mea presentia legitimè attitulari fecerunt. Ut autem hoc ratum omni tempore habeatur, atque à nullo præsumptore maligno violetur, quoslibet dissipatores horum beneficiorum à sinu matris Ecclesiæ segregatos publicè excommunicavi, nisi ad emendationem & satisfactionem venerint.

Actum est hoc anno Dominicæ Incarnationis 1112. Pontificatûs nostri septimo, Imperante Henrico V. testes hujus confirmationis sunt hi. *S.* Joannis Archidiaconi. *S.* Anselmi Archidiaconi. *S.* Rodulphi Archidiaconi. *S.* Theorici Archid. *S.* Everardi Archid. *S.* Erlebaldi Archid. *S.* Adæ Abbatis. *S.* Reneri Abbatis. *S.* Godefridi Abbatis. *S.* Ernaldi Abbatis *SS.* Mascelini, Livini Capellanorum. *S.* Roberti Cantoris, Gerardi Everardi.

Ego Guerimbaldus legi & recognovi.

Diploma Concordiæ consilio & authoritate D. Bernardi Claravallensis *Abbatis, tunc A. S. Legati*, Jettenses *inter &* Niniven-ses *Canonicos initæ, quâ sopitur de possessione Ecclesiæ* Lidkerkensis *controversia.* Ex Chron. Balduini Ninivensis hæc Concordiæ charta cuia est anno 1141.

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ego Bernardus, Dei gratiâ, Claravallensis Abbas vocatus, omnibus sanctæ Ecclesiæ filiis perpetuam in Domino Jesu salutem. Notum esse volumus tam futuris quàm præsentibus dissensionem inter Abbatem Ninivensem & Jettensem pro Ecclesiâ de *Lidkerke* tali modo in præsentiâ nostrâ coram Religiosis personis determinatam. Consensit Abbas Jettensis suscipere in partem suam altare & Ecclesiam de *Lebbes*, cum omnibus appertinentiis suis, videlicet in terris, decimis, censu, ædificiis, mancipiis utriusque sexûs, vel si qua sit alia. Et sicut *Tenera* divit parochiam de *Lebbe*, & eam de *Lidkerke* præter decimam unam in parochiâ *Erenbaldighem* pertinentem ad Ecclesiam de *Lebbe*, quam Abbas Jettensis possidebit cum cæteris rebus ejusdem Ecclesiæ, Abbate Ninivense reliqua omnia ad Ecclesiam de *Lidkerke* pertinentia obtinente. Et ut hæc compositio consilio & hortatu nostro facta, permaneat rata, Chartam hanc fieri jussimus, sigilliique nostri impressione signavimus, subnotatis idoneis testibus qui interfuerunt: consentientibus etiam Fratribus, & invicem exsestuantibus utriusque Ecclesiæ, scilicet Jettensis, & Ninivensis.

S. D. Petri Abbatis Affligemensis Ecclesiæ. *S.* Robertis Abbatis de Dunis. *S.* Balduini Abbatis de Castellione. *S.* Gozvini Abbatis de Truncinis. *S.* Everardi Mo. Gerardi Mo. Geraldi, Mo: Gualfridi Mo.

Charta Nicolai Cameracensium Præsulis, quâ in gratiam Jettensis Abbatis, illius Ecclesiæ bona recenset atque confirmat.

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ego Nicolaus, Dei gratiâ, Cameracensis Episcopus &c. Debito charitatis affectu Ecclesiæ Beatæ ac perpetuæ Virginis Dei Genitricis Mariæ de Geth compatientes, omnia quæ Prædecessores nostri, cæterique fideles pro salute animarum suarum eidem Ecclesiæ legitimis donationibus contulerunt, petitione & dilectione Fratris Walteri ejusdem Ecclesiæ Abbatis, in hoc nostro Privilegio renovare & confirmare curavimus. Altare videlicet in Geth cum appendicio suo Tanshornen, altare Stembecæ, altare Immethiæ, altare Mosenchem &c.

Charta altera ejusdem Cameracensis Episcopi in quâ recensitis plerisque Diligemii *possessionibus, ita subdit.*

CHrisma, oleum sacrum, oleumque infirmorum ad usus Fratrum tuorum inungendorum potestatem concedimus. Interdicimus autem ne quisquam canonicè susceptum à prædictâ Ecclesiâ, sine licentiâ Abbatis, & assensu totius Congregationis discedentem, nullus Abbatum, nullus Sacerdotum, sine communium litterarum cautione suscipere præsumat. . . . . Obeunte te * nunc ejus loci Abbate, vel tuorum quoli-

* Walterus supra.

bet successorum, nullus ibi quâlibet subreptionis astutiâ, seu violentiâ imponatur, nisi quem Fratres communi consensu, vel Fratrum pars consilii sanioris de suo, vel de alieno, si oportuerit Collegio secundùm timorem Dei sibi providerint &c. Actum anno Incarnati verbi MCXLV. Indictione IX. Præsulatûs Domini Nicolai IX. Ego Guirimoldus Cancellarius scripsi & recognovi.

Charta Eugenii Papæ III. quâ universa Diligemii *bona & possessiones sub Apostolica Sedis protectione suscipit.*

EUgenius Episcopus, servus servorum Dei. Dilectis filiis Gualtero Abbati Ecclesiæ sanctæ Mariæ Jettensis, ejusque Fratribus tàm præsentibus quàm futuris regularem vitam professis, in perpetuam memoriam. Desiderium quod ad Religionis propositum & animarum salutem pertinere monstratur, animo nos decet lubenti concedere, & petentium desideriis congruum impertiri suffragium. Eapropter, Dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, præfatam sanctæ Mariæ Ecclesiam sub Beati Petri, & nostrâ protectione suscipimus, & præsentis scripti Privilegio communimus, statuentes ut quascumque possessiones, quæcumque bona eadem Ecclesia in præsentiarum justé & canonicè possidet, aut in futurum, concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis Deo propitio poterit adipisci, firma vobis, vestrisque successoribus, & illibata permaneant: in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis: Altare de *Geth* cum Capellâ de *Tansorna*, altare de *Hembecca*, altare de *Lewâ*, Capella de *Mosangen*, Capella de *Himethea* cum omnibus pertinentiis eorum. Decimam de *Molbrick*, tertiam partem decimæ in *Volurethem* ex dono Odulphi & filiorum ejus......... Molendinum in *Geth*, alnetum quod est juxta Ecclesiam ex dono Euwani, & sororis ejus......... Decernimus ergò ut nulli omninò hominum liceat præfatam Ecclesiam temerè perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur, eorum, pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salvâ Sedis Apostolicæ authoritate, & Diœcesani Episcopi Canonicâ justitia. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica, sæcularisvè persona hanc nostræ Constitutionis paginam sciens contra eam temerè venire tentaverit, secundò, tertiòvè commonita, si non satisfactione congruâ emendaverit, potestatis, honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetratâ iniquitate cognoscat, & à sacratissimo Corpore & Sanguine Dei & Domini nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat: Cunctis autem eidem loco jura servantibus, sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenùs hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Amen. Amen.

Ego Eugenius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus. ss.

Ego Albericus Ostiensis Episcopus. ss. Ego Imarus Tusculanus Episcopus. ss. Ego Gregorius Diaconus Cardinalis sancti Angeli. ss. Ego Hubaldus Presbyter Card. titulo SS. Joannis & Pauli. ss. Ego Gilbertus indignus Sacerdos titulo S. Marci. ss. Ego Jacintus Diac. Card. sanctæ Mariæ in Cosmedin. ss.

Datum Catalauni per manum Guidonis sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diac. Card. Cancellarii IX. Kal. Novembris, Indict. XI. Incarnationis Dominicæ an. MCXLVII. Pontificatûs verò Domini Eugenii Papæ III. anno tertio.

Charta Nicolai Cameracensis Episcopi, quâ Jettensium *Canonia Ecclesias de Hembeccâ minore, quæ nunc vocatur Hembecca Inferior, & de Wolverthem, concedit.*

NIcolaus Dei gratiâ Cameracensium Episcopus, Henrico dilecto Filio suo, Gettensis Ecclesiæ Abbati, ejusque successoribus in perpetuùm. Licet, juxtà Apostolum, bonum ad omnes operari debeamus, maximè tamen domesticorum & pauperum Christi, Deoque servientium curam agere, inopiam relevare necessarium duximus: quapropter Ecclesiæ Beatæ Mariæ in Geth compatientes, Fratrumque ibidem commorantium pauperiem considerantes, altare de Wolverthem, & altare de Hembeche minori, Henrico ejusdem Ecclesiæ Abbati & Fratribus ejus ibidem deo servientibus pro salvatione animæ meæ in perpetuum possidenda sine personali redemptione donavi. &c. Actum anno verbi Incarnati MCLV. Episcopatûs verò Domini Nicolai XIX. Datum Melini III. Idus Novembris.

Charta Ejusdem Nicolai Cameracensis, quâ quemdam Jonam nomine, à possessione altaris Hembecæ minoris repellit & illud ad Jettenses declarat pertinere.

QUoniam legitimè decisa, modò avaritiæ motu, modò memoriæ defectu solent in controversiam reverti, & sæpiùs everti, Ego Nicolaus Dei gratiâ Cameracensium Episcopus, quod in Curiâ nostra solemniter actum est, scripto commendare curavimus: scilicet quod Jonasin Consistorio nostro cùm Abbatem Hildebrandum de Jeth super possessione de Hembecke minori interpellaret, & vocaret in jus, & ut personam præfatæ Ecclesiæ se asserens, restitutionem possessionis implorans. Temonio litterarum Arnoldi Coloniensis, Hellini Trevirensis Archiepiscoporum, Henrici & Alexandri Episcoporum, quòd in Curiâ ipsorum de Cattorum hæresi convictus, & anathemate damnatus fuit nobis significatum & probatum est; eapropter communicato cum Ecclesiâ nostra consilio, præfatum Jonam, tanquam putridum membrum de Corpore Christi abcisum, & ideò omnibus Ecclesiasticis beneficiis indignum, ne de cætero super hoc audiretur, à nobis exsufflavimus, Abbati præfato, qui impetebatur, eam Ecclesiam quietè possidendam & habendam in perpetuum concedentes. *S.* Alardi. *S.*.......... Archidiaconi. *S.* Hugonis Decani. *S.* Willelmi mag. Hewrardi, Anselmi, Roberti Canonicorum.

Attestatio è Teutonico in Latinum versa, de modo, quo S. Blasii Reliquiæ Henrico Diligemii *Abbatum XVII°. traditæ sunt.*

SCiendum est quòd intrà hoc monasterium sint duo ossa brachii electi Dei amici sancti Blasii; & huc venerunt per certa signa & miracula, & per manum filiæ Regis Angliæ, conjugis Ducis Joannis, Ducissæ Brabantiæ, quæ nobis dedit, & impertita est ea anno 1300. & etiam ornavit, ac donavit suis temporalibus bonis, & Reliquias auro argentoque fecit ornari, & concludi in Monstrantiâ (*sic sonat teutonicè*) unius brachii, in honorem & laudem Dei omnipotentis, & magni amici Dei S. Blasii Martyris & Episcopi; & solius Maresc-

calci

calei feudorum, ulcerum & inflationum tam interiùs quàm exteriùs. In quo loco plura fiunt miracula, quàm in ullo loco ubi ejus Reliquiæ esse possint. Nam ipse hic singulariter vult honorari; quod ostendit multis personis ac bestiis, per preces piarum personarum pro eâ re orantium in hoc loco prædicto.

Charta Guidonis Episcopi Cameracensis, quâ de novo fundatæ in Ecclesia de Lewes, *Capellaniæ possessionem confirmat Jettensibus.*

GUido miseratione divinâ Episcopus Cameracensis, universis præsentes litteras inspecturis, salutem in Domino. Capellaniam de novo fundatam in honore Virginis gloriosæ in parochiali Ecclesiâ de *Lewes* super Teneram, quam competenter dotatam invenimus, ac bona mortificata, authoritate ordinariâ confirmamus per præsentes. Datum anno Domini MCCCIL. Feriâ secundâ post Martini.

Charta Raynaldi Archiepiscopi Remensis, pro fundatione Parthenonis de Dyona *anno 1135.*

IN Nomine Sanctæ &c. Ego Raynaldus, Dei gratiâ Remensis Ecclesiæ Archiepiscopus. Quia divinæ miserationis gratiâ infirmitatem nostram supportante, locum regiminis licet indigni tenemus, etsi omnibus in commune fidelibus qui intra Remensis Diœceseos fines continentur, paternæ sollicitudinis vigilantiam debemus, in eos tamen zelo charitatis impensiùs intendere compellimur, qui Deo soli vivere quærentes, sæculi blandientis illecebras, pro ipsius amore calcaverunt, projectâque omni fluxæ & caducæ substantiæ sarcinâ, ad tranquillum jucundæ contemplationis portum de mundi hujus fluctuante pelago, felici naufragio evaserunt. Notum igitur esse volumus tam præsentibus quàm futuris quomodo Ecclesia Beati Martini de suburbio Laudunensium, allodium illud de *Diona* ad opus Religiosarum mulierum sub illius obedientia Deo famulantium, partim pro dei amore, partim pretii comparatione, magna ex parte obtinuisset. Præpositus Rouïcus & Canonici sanctæ Mariæ Registestis, partem quam in eodem allodio habebant pro annuali censu decem denariorum, eidem Ecclesiæ perpetuo jure possidendum, concesserunt. Nos autem apud Dominum Joannem nostræ Ecclesiæ Canonicum, cujus est altare de *Avincurte* & apud Heliam ejusdem villæ Presbyterum, tam pro Dei amore, quàm nostra petitione obtinuimus, ut pro tota decima præfati allodii, quantùm videlicet ad ipsos attinet, tres sextarios frumenti & totidem hordei illius mensuræ, Fratres de *Diona*, tam ipsis, quàm successoribus ipsorum annuatim persolvant, & sic decimam suam perpetuâ pace possideant. Item Rigaldus de *Assontia*, annuentibus filiis suis Wihardo & Hebalo, annuente etiam Henrico Comite, de cujus feodo partem ejusdem terræ tenebat duas carrucatas terræ arabilis & decimam ipsius terræ quantùm ad eum attinebat & de pratis quantùm ad ipsas carrucatas sufficere possit, per manum Gualteri Abbatis Ecclesiæ sancti Martini in territorio *Cyriaci* in nostra præsentia & Comitis Registestis Witeri obtulit, postulans ut tam ipsius quàm antecessorum suorum memoria ibidem habeatur. Concessit & de sylva sua & pasturis suis, quantùm ibidem opus fuerit, & ad omnes terras illas ingressus liberos & egressus. Item Blihardus de *Herchri*, annuentibus filiis suis & filiabus, dimidium pratum de *Aldengule*, & totam terram illam quæ *Taran* dicitur, præter unam carrucatam quam filii sui sibi retinuerunt, Deo & Ecclesiæ præfati Confessoris concessit, impetrans ut tam pro ipsis quàm pro cæteris beneficiis, tam sui, quàm suorum memoria in eadem Ecclesia perpetuò habeatur. Has autem fidelium donationes supradictæ Ecclesiæ collatas, in hoc privilegio colligi, & sigilli nostri impressione, & testium subscriptione, corroborari præcepimus, & ne quis aliquid horum quæ sanctæ Ecclesiæ, fidelium devotione oblata sunt, sibi in posterum vendicare præsumat, anathematis sententiam interposuimus. Actum anno Dominicæ Incarnationis 1135. Indict. 13. Epacta 15. concurrente primo *S.* Raynaldi Archiepiscopi qui hoc privilegium fieri jussit. *S.* Odonis Abbatis. *S.* Remigii Aluiverensis, *S.* Willelmi Abbatis. *S.* Theodorici. *S.* Ursi Abbatis. *S.* Dionisii. *S.* Magistri Albrici Archidiaconi. *S.* Hugonis Archidiaconi. *S.* Fretherici Præpositi. *S.* Leonis Decani. *S.* Henrici Capellani. *S.* Joannis Diaconi. *S.* Witheri Comitis de Registeste. *S.* Henrici Comitis.

Charta Renaldi Remensis Archiepiscopi pro monasterio S. Judoci.

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen.

Renaldus, divinâ propitiante misericordiâ, Remorum Archiepiscopus, dilecto filio suo Miloni Ecclesiæ sanctæ Virginis Mariæ & sancti Judoci de nemore Præposito & ipsius Fratribus qui in eadem Ecclesia regularem vitam professi sunt, eorumque successoribus in eadem observantia permansuris in perpetuum. Religiosis desideriis dignum est facilem præbere consensum, ut fidelis devotio celerem sortiatur effectum; quia igitur vos filii in Christo Charissimi, divinâ præveniente gratiâ, vitam vestram sub regulari disciplina B. Augustini coercere, & communiter secundùm SS. Patrum institutionem omnipotenti Deo deservire proposuistis: Nos votis vestris paterno congratulaturi affectu, unde etiam postulationi vestræ juxtà petitionem Confratris nostri Ingeranni Ambianensis Ecclesiæ venerabilis Episcopi, benignitate debitâ annuimus; vitæ namque Canonicæ ordinem, quam professi estis, præsentis privilegii auctoritate firmamus, & vos vestraque omnia Metropolitanæ auctoritatis protectione munimus, universa etiam ad vestram Ecclesiam pertinentia, tam vobis quàm & vestris successoribus in perpetuum confirmamus: videlicet terram, quam Ingerannus de *Monsteriolo* dedit, in cujus parte Ecclesia fundata est, & quatuor campos, quos Ermanfridus de *Cunniaco* & Frater suus Ingerannus eidem concesserunt Ecclesiæ, & terram & nemus, quæ concessit Torgo de *Tortofoule*; Ecclesiam de *Buiris*, & terram eidem pertinentem, & nemus, quæ concesserunt Hugo de *Ponte*, & Wiardus de *Argnvio*: decimas & terram, quas Drogo de *Selincurtâ* tradidit: decimas etiam & terram, quas donavit Balduïnus de *Caio* in Boloniensi patria. Prætereà quæcumque in præsentiarum eadem Ecclesia justè possidet: quæcumque etiam in futurum legitimè adipisci poterit, firma vobis vestrisque successoribus, & inconcussa permaneant, salvâ in omnibus Ambianensis Episcopi Canonicâ reverentiâ. Statuimus etiam mortuo Abbate suo Fratribus ibidem Deo servientibus, liberam & Canonicam habere electionem, dum propositam secundùm B. Augustini regulam, firmam servaverint religionem; Auctoritate itaque Dei & nostrâ decernimus, & sub anathemate interdicimus, ut nulli omninò liceat eamdem Ecclesiam temerè pertubare, aut ejus possessio-

nes, vel cætera bona auferre, vel temerariis vexationibus fatigare. Actum Remis anno Incarnationis Dominicæ MCXXV. Indictione III. Regnante glorioſiſſimo Francorum Rege Ludovico anno XIX. anno autem Archiepiſcopatus noſtri primo. Colrades Cancellarius recognovit, ſcripſit ac ſubſcripſit. Teſtes ſunt Nicolaus & Hugo Archidiaconi Remenſes. Bartholomæus Laudunenſis Epiſcopus. Liſiardus Sueſſionenſis Epiſcopus. Robertus Attrebatenſis Epiſcopus. Ebalus Catalaunenſis Epiſcopus. Urſio Abbas S. Dionyſii. Nicolaüs Abbas S. Nicolai.

Charta Philippi Francorum Regis.

PHilippus Dei gratiâ Francorum Rex. Univerſis Ballivis & Præpoſitis ſuis, ad quos litteræ præſentes pervenerint, Salutem. Noveritis quòd nos intuitu Dei univerſa quæ pertinent ad dilectos noſtros Abbatem & Canonicos ſancti Judoci de nemore, tam in Abbatia, quàm in appenditiis Abbatiæ in poteſtate noſtra conſtitutis, in protectione & cuſtodia noſtra per jus ſuſcepimus; unde inhibemus ne quis contra jura ipſorum indebitè præſumat moleſtiam inferre. Vobis autem præcipimus, ut quotieſcumque præfati Fratres vos requiſierint, maturam eis juſtitiam exhibeatis, ne pro defectu juſtitiæ oporteat eos ad nos laborare. Actum Pariſiis, anno Incarnati Verbi MCXLV. menſe Januario. (a)

Bulla Gregorii IX.

GRegorius Epiſcopus ſervus Servorum Dei... Dilecto filio Abbati S. Judoci in nemore, Præmonſtratenſis Ordinis, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Solet annuere ſedes Apoſtolica piis votis, & honeſtis petentium deſideriis favorem benevolum impertiri. Ea propter, dilecte in Domino fili, tuis juſtis poſtulationibus grato concurrentes aſſenſu auctoritate tibi præſentium indulgemus, ut Fratribus & Converſis tuis qui ſua tibi confitebuntur peccata, ſi fortè ſunt vinculo excommunicationis aſtricti, niſi eorum fuerit tam gravis & enormis exceſſus quòd pro beneficio abſolutionis habendo, merito ad ſedem Apoſtolicam ſunt mittendi, impendendi abſolutionis beneficium, ac cum eis etiam diſpenſandi, ſi ante abſolutionem obtentam, vel ſacros ſuſceperint Ordines, vel functi fuerint ſuſceptis, plenam habeas facultatem. Nulli ergo omninò hominum liceat, hanc paginam noſtræ conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraïre: ſi quis autem hoc attentare præſumpſerit indignationem omnipotentis Dei & BB. Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Viterbii VII. Kal. Junii. Pontificatûs noſtri anno undecimo.

Bulla Innocentii IV.

INnocentius Epiſcopus ſervus Servorum Dei. Dilectis filiis Abbati & Conventui S. Judoci in nemore Præmonſtratenſis Ordinis, Ambianenſis Diœceſis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Eccleſiæ veſtræ utilitatibus paternâ ſollicitudine intendentes auctoritate præſentium diſtrictiùs inhibemus, ne quis ad vendendum, vel alienandum poſſeſſiones quas impræſentiarum juſtè & rationabiliter poſſidetis, vel in poſterùm juſtis modis, præſtante Domino, poteritis adipiſci, vos compellat invitos, conſuetudine contrariâ non obſtante; nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ inhibitionis infringere, vel ei auſu temerario contraïre; ſi quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei & BB. Petri & Pauli Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum. Datum Lugduni V. Idus Aprilis, Pontificatûs noſtri anno 2.

Bulla Innocentii IV.

INnocentius Epiſcopus ſervus Servorum Dei. Dilectis filiis Abbati & Conventui S. Judoci in nemore Præmonſt. Ordinis, Ambian. Diœceſis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Eccleſiæ veſtræ gravaminibus præcavere, & utilitatibus providere volentes, auctoritate vobis præſentium indulgemus, ut ad receptionem ſeu proviſionem cujuſquam in penſionibus vel beneficiis Eccleſiaſticis per litteras Apoſtolicas compelli nullatenùs valeatis, quæ de hac non fecerint indulgentia mentionem. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis infringere vel ei auſu temerario contraïre. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit &c. Datum Lugduni IV. Idus. Pontificatûs noſtri anno IV.

Bulla Innocentii IV.

INnocentius Epiſcopus ſervus Servorum Dei. Dilectis filiis Abbati & Conventui S. Judoci in nemore, Præm. Ord. Diœceſis Ambian. Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Solet annuere ſedes Apoſtolica piis votis, & honeſtis petentium precibus favorem benevolum impertiri. Ea propter. Dilecti in Domino, veſtris juſtis poſtulationibus grato concurrentes aſſenſu, ut de blado, vino, lanâ, lignis, lapidibus & aliis, quæ aliquoties pro veſtris uſibus emere vos contingit, nulli pedagia, vinagia, telonea, furaſia, roagia, quæ pro iis à ſæcularibus exiguntur, ſolvere teneamini, auctoritate vobis præſentium indulgemus. Nulli ergo omnino hominum &c. Si quis autem &c. Datum Lugduni IV. Kal. Junii. Pontificatûs noſtri anno V.

Bulla Innocentii IV.

INnocentius Epiſcopus ſervus Servorum Dei. Venerabilibus Patribus Archiepiſcopo Remenſi & ejus Suffraganeis, & dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, Decanis, Archidiaconis, Archipreſbyteris & aliis Eccleſiarum Prælatis per Remenſem Eccleſiam conſtitutis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Non abſque dolore cordis & plurima turbatione didicimus quòd ita in pleriſque partibus Eccleſiaſtica cenſura diſſolvitur, & Canonicæ ſententiæ ſeveritas enervatur, ut viri Religioſi, & hi maximè qui per Apoſtolicæ ſedis privilegia majori donati ſunt libertate, paſſim à malefactoribus ſuas injurias ſuſtineant & rapinas, dum vix invenitur qui congruâ illius pro tuitione ſubveniat, & pro fovendâ pauperum innocentiâ & qui ſe murum deffenſionis opponat. Specialiter autem filii Abbas & Fratres S. Judoci in nemore, Ord. Præm. Diœceſis Ambian. tam de frequentibus injuriis, quàm de ipſo quotidiano defectu juſtitiæ conquerentes, univerſitatem veſtram litteris petierunt Apoſtolicis excitari, ut ita videlicet eis in tribulationibus ſuis contra malefactores eorum prompta debeatis magnanimitate conſurgere, quod ab anguſtiis quas ſuſtinent, & preſſuris noſtro poſſint præſidio reſpirare. Ideoque univerſitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus atque præcipimus quatenùs illos qui poſſeſſiones, vel

(a) Hæc charta falſitatis convincitur ex caracteribus Chronologicis. Autographum videre non licuit, copiam emendare non licet.

nes, seu domos prædictorum Fratrum irreverenter invaserint, aut ex injusto detinuerint, quæ prædictis Fratribus ex testamento decedentium relinquuntur, seu in Fratres ipsos aut ipsorum aliquem contra Apostolicæ Sedis indulta, sententiam excomunicationis aut interdicti præsumpserint promulgare, vel decimas laborum de terris habitis ante Concilium generale quas propriis manibus aut sumptibus excolunt seu nutrimentis animalium suorum, spretis Apostolicæ Sedis privilegiis, extorquere, monitione præmissâ, si Laïci fuerint, publicè candelis accensis, singulis vestrûm in Diœcesibus & Ecclesiis vestris, excommunicationis sententiâ percellatis. Si verò Clerici, vel Canonici regulares, seu Monachi fuerint, eos, appellatione remotâ, ab officio & beneficio suspendatis, neutram relaxaturi sententiam, donec prædictis Fratribus plenariè satisfaciant, & tam Laïci quàm dicti sæculares, qui pro violentâ manuum injectione in Fratres eosdem, vel ipsorum aliquem anathematis vinculo fuerint innodati, cum Diœcesani Episcopi litteris ad Apostolicam sedem venientes, ab eodem vinculo mereantur absolvi. Datum Lugduni Nonis Octobris, Pontificatûs nostri anno 5°.

Bulla Alexandri IV.

ALexander Episcopus servus Servorum Dei. Dilectis filiis Abbati & Conventui monasterii S. Judoci in nemore, Præm. Ord. Ambian Diœcesis, salutem & Apostolicam benedictionem. Quantò studiosiùs divinæ vacatis contemplationi, Domino famulando, quantò quieti vestræ libentiùs providemus & ab iis, quæ vobis dispendia ingerunt, vos immunes libenti animo præservamus. Sanè petitio vestra nobis exhibita continebat, quòd, licet vobis à sede Apostolicâ sit indultum, ut de blado, vino, lignis & aliis, quæ aliquoties pro vestris necessitatibus emere vos contingit, nulli teneamini solvere pedagia, vinoagia &c. Quæ propter hoc à sæcularibus exiguntur, nonnulli tamen indulgentiam hujusmodi infringere molientes, & quadrigantibus ducentibus seu deferentibus bona, hujusmodi pedagia, vinoagia & alias exactiones contrà justitiam exigunt & extorquent, asserentes in fraudem quòd non faciunt ratione rerum monasterii vestri, sed ratione mercedis, quam quadrigantes ductores, seu deferentes recipiunt supradicti, propter quod hujusmodi operarios cariùs conducere vos oportet in vestrum & vestri monasterii dispendium non modicum & jacturam, super quæ subveniri vobis per Apostolicæ Sedis auxilium humiliter postulatis. Nos igitur vestris devotis supplicationibus inclinati, ne quis de cætero talia exigere vel extorquere præsumat, auctoritate præsentium districtiùs inhibemus. Nulli ergo omninò &c. si quis autem &c. Datum Anagniæ Id. Julii, Pontificatûs nostri anno 2.

Bulla Innocentii IV.

INnocentius Episcopus servus Servorum Dei. Dilectis filiis Abbati & Conventui monasterii S. Judoci in nemore, Præm. Ord. Ambian. Diœcesis, salutem & Apostolicam benedictionem. Solet annuere Sedes Apostolica piis votis, & honestis petentium precibus favorem benevolum impertiri. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, omnes libertates & immunitates à prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus per privilegia vel indulgentias monasterio vestro concessas, nec non libertates & exemptiones sæcularium exemptionum à Regibus, Principibus & aliis Christi fidelibus rationabiliter vobis & monasterio prædicto indultas, sicut eas justè ac pacificè obtinetis, vobis, & per vos eidem monasterio, auctoritate Apostolicâ confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo hominum &c. Si quis autem &c. Datum Laterani III. Id. Maii, Pontificatûs nostri anno primo.

Bulla Bonifacii VIII.

BOnifacius Episcopus servus Servorum Dei. Dilectis filiis Abbati & Conventui monasterii S. Judoci in nemore, Præm. Ord. Ambian. Diœcesis salutem & Apostolicam benedictionem. Solet annuere Sedes Apostolica piis votis, & honestis petentium precibus favorem benevolum impertiri. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, omnes libertates & immunitates à prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus, sive per privilegia seu alias indulgentias monasterio vestro concessas, nec non libertates & exemptiones sæcularium exemptionum à Regibus, Principibus & aliis Christi fidelibus rationabiliter vobis indultas sic ut eas justè ac pacificè obtineatis, vobis & per vos eidem monasterio auctoritate Apostolicâ confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omninò hominum liceat &c. Si quis autem &c. Datum Laterani v. Kal. Novembris, Pontificatûs nostri anno sexto. (a)

Charta Ottocari Regis pro confirmatione bonorum & jurium Doxana anno 1226.

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Amen. Cum Illustrium Virorum memoria nullius opinionis pravæ valeat notâ macerari, præsertim cùm in suis factis in suam, seu sui Creatoris laudem desiderent ampliari, dignum duximus Nos Ottocharus, qui & Premislaus D. G. Rex Boemorum, priorum exempla melioris partis competenter imitari, & præcipuè patris nostri Wladislai Regis, qui Fundator Cœnobiorum plurimorum in Boëmiæ partibus fuisse dignoscitur, quibus & prædia contulit excellentia, & libertatibus magnis ut decuit Regalem munificentiam decenter insignivit. Itaque licet studiosissimus circa Religionem, & cultum Dei extiterit, familiariùs tamen *Strahov* & *Doxan* quoad vixit tempore dilexit. Ex quibus Doxanensi Domui has villas donavit. *Doxan, Sstur, Rotrac:, Qualin, Lubothinic*, partem villæ cum navigio, *Dusnik*, medietatem villæ *Oleskec* cum *Bor* adjacente; *Chudimi, Gotoshov*, *Zalezli* in *Zedlez* circuitum, qui dicitur *Welichow*, *Pelez*, etiam & *Hostinici*, quod sui juris erat, cum equabus, & custodibus earum. Ducentos quoque denarios de moneta omni die Sabbathi eidem Domui ad usus proprios destinavit.

Nos quoque non minori studio Domum præfatam diligentes & profectum ipsius in omnibus impleri cupientes, Notum esse volumus universis tam præsentibus, quam futuris, quòd Nos divinæ pietatis intuitu pro salute nostra & antecessorum nostrorumque successorum, Domui præfatæ concedimus, donatione perpetuâ, ducentos denarios omni hebdomadâ de moneta nostra ad ejusdem domûs restaurationem, quia incendiis, & aliis incommodis multis vexata nullo modo recuperari valet, nisi, compassione Regali sibi fructuose subvenia-

(a) Et hæc pauca ac penè inutilia diplomata ex locuplete Domini Martini archivio, nobis præsentibus & aptiora melioraque desiderantibus, videre concessum est.

tur. Præterea donis potioribus prædictam domum ampliare cupientes, ſalmones noſtri juris in *Zalezl*, & in aliis aquis ipſorum ditioni ſubjectis, perpetuò condonamus ſperantes ex his & aliis donationibus noſtris Nos omnipotentis Dei gratiam plenè promereri.

Petitionibus quoque domûs prænotatæ benevolentiâ Regali competenter annuentes villam ipſorum in *Sſiur* jure teotonico decrevimus roborari propter malitiam & inſtabilitatem moderni temporis, qui ſe defenſare non valentes, mordacitati quorumlibet ſubjacere videntur.

Unde pleno conſilio, Dei cultoribus providere volentes, pacis ipſorum munimentum Nos firmiſſimè decet adornare. Item cùm noſtræ conveniat pietati, loca quæ Pater noſter Wladiſlaus Rex fundavit & donatione Regali ſublimavit majoribus Nos ampliare beneficiis, jam dictæ domui Doxanenſi conſervare cupimus libertatem & ea quæ hactenùs de communi jure terræ noſtris ſubſerviebant uſibus, eidem domui plenâ liberalitate relaxare decrevimus. Omnes itaque poſſeſſiones & villas ejus ab exactionibus, ſive debitis, vel indebitis abſolvimus, ut omnes habitantes in poſſeſſionibus præfatæ domûs, ſive ſint ſervi glebæ, ſive ſervi originarii, ſive adſcriptii, ſive aliquomodo teneantur præfatæ Eccleſiæ ratione fundi, & coram excellentia noſtra & Judice curiæ noſtræ in cauſam tracti fuerint & aſtantibus aliquot Fratribus domûs, culpam ſuam confeſſi fuerint vel inde convicti, ſi pœna fuerit pecuniaria, utilitas, quæ noſtris uſibus cedere debebat, ſive Officialium noſtrorum tam majori, quàm minori dignitate prædictorum, verùm etiam Clericorum qui inde uſum habere videntur, totaliter, & integrè remittimus. De judicio autem aquæ vel candentis ferri, quod fit per *Slawe*, ſive culpa quæ fit per *Ziwod*, ſive cauſa quæ appellatur *Hlawa*. Poſtqam hæc a Nobis, vel à ſucceſſoribus noſtris, vel à judicibus curiæ diſcuſſa fuerint, & determinata, omnia reorum bona ad uſum ſpectent prædictæ Eccleſiæ, nec hi, qui inde uti conſueverant, ſive Nos, ſive ſucceſſores noſtri, vel cujuſcumque nominis aliquid in eis vendicent poteſtatis. De ſucciſione, quòd *Preſſeka* ſylvæ dicitur & de foſſatis, vel operibus, quibus caſtra muniuntur, homines præfatæ domûs abſolvimus. Conſtituimus etiam omnium memoriæ commendandum, quòd *Nazblaz* dedimus jam dictæ domui, & heredes manentes in *Clobuk*, & terram ad aratum ſuorum hoſpitum in *Buſſovic*. Prætereà donavimus Congregationi domûs Doxanenſis, ut abſque thelonio per omnes tranſitus noſtræ ditionis, navem unam per Albiam in Zwerbiam educant & reducant cum ſale & aliis rebus quibus indiguerint. Ligna quoque Congregationis Doxanenſis, quæ per Albiam & per Agram deſcendunt, volumus, & auctoritate noſtrâ firmamus, ut ſine thelonio, & abſque omni impedimento contradicentium ad uſus ipſius deſcendant.

Donationibus noſtris etiam interſerimus, quia Fridericus Dux Frater noſter contulit antedictæ Eccleſiæ circuitum *Lothvin*. Patruus noſter Henricus Dux contulit memorato loco circuitum *Sbinik*, cum conjuge ſua Margaretha. Henricus Dux & Epiſcopus contulit *Odvech*. Henricus Dux & Epiſcopus contùlit *Colovech*. Juditha Regina mater noſtra dedit villam *Brebors* & mediam partem villæ *Rochow*.

Confirmamus præterea donationes Nobilium noſtrorum, qui teſtamentum ſuum diſpoſuerunt. Ex quibus Mathæus Comes filius Nemoii, omnia prædia ſua moriens domui Doxanenſi diſpoſuit præter villam *Pretviſch*, quam uxori legavit. *Chwal* cum uxore ſua *Silvanic*, & *Lubinic* contulerunt. Fridericus de *Spelunca* pro filio ſuo Henrico moriente mediam villam *Wreſka* contulit, pro ſe ipſo reſiduam partem ejuſdem villæ præfatæ domui decedens legavit. Reinardus filius Friderici non multo tempore poſt ipſum vivens in morte ſua *Breſen* pro ſe & parentibus ſuis Deo, & ſanctæ Mariæ in *Doxan* contutulit. Petrus frater Friderici jamdicti *Baſche*, quod ſui juris erat, vitam finiens, jam ſæpe dictæ domui contradidit. Item, quia mortalitatis iter omni humanæ patet creaturæ, & nihil ſtabile videtur eſſe ſub ſole, vigilanti memoriæ commendandum eſt, quod Wladiſlaus Rex pater noſter nominatim conferens Domui Doxanenſi prædia, ſuis terminis certis diſtinxit; nam *Welichow* à vado Radouani, uſque ad pontem paludum, quod dicitur *Mortiſche*, & ſic ad montem, qui dicitur *Zerani*, & ita in Ogram fluvium domui dictæ donavit: dedit etiam *Scalice*, & *Ledes* cum ſylva. Dux quoque Fridericus frater noſter conſilio pietatis fervens, in Sedlecenſi Provincia ab Imperatore Friderico domui ſæpe nominatæ petitione ſuâ firmiter obtinuit *Woycowic* cum ſylva his terminis prædium notatum diſtinguens. Primus terminus ejus eſt à *Binſtrice*, ſecundus à *Techomizt*; tertius ad *Hagradis*. Quartus ad villam nomine *Scanewalde* & ſic per directum ad fluvium *Leſche*, & ita tandem in Agram fluvium

Inter alia poſteris mandanda hoc quoque dignum eſt referri, quòd tempore Zobiſlai Ducis Adalbertus Abbas Strahovienſis cum Fratribus ſuis & Sororibus Doxanenſis domûs, Chrenoni filio Jurate Præpoſiti Melnicenſis dedit in concambio *Raduiſſic* Curiam cum annona additis IIII. marcis argenti pro toto patrimonio ſuo, quod habuit in *Chravar*, & omni ſylva attinente, à ſignis *Obleſſ* uſque ad *Skalka*, & iterum *Skalka* deinde via ducens in *Tunek*; præterea in *Stuolenic*, inde in *ſtrace*, ac ſic in Pulſnice rivum. Præterea donationibus Nobilium Daniel Pragenſis Epiſcopus formam virtutis prætendens dedit circuitum *Ozlow*, & *Chynovic* villam Cœnobio Doxanenſi. Nos quoque pro *Ozselow* in concambio dedimus *Petipezi*, *Lutmeric*, *Tribuchic*, totam villam *Lenesic*, totam villam *Lybedici*. In *Velperd* x. hoſpites, & terram ad duo aratra.

Item alii Nobiles divini amoris inſtinctu, ſuæ ſuorumque ſaluti intendentes temporalia bona pro ſemper manſuris commutaverunt; inter quos *Gotebor* eidem domui contulit villam *Ledvic* cum filia ſua Eufroſina: *Pribizlava* uxor *Gotebor* dedit *Zirbic*. Iheroneus frater Nemoii dedit tres hoſpites in *Alnetis*; Wlatiſlaus, filius Iheronei concambium fecit *Martinovez* partem prædii, quod ſui juris erat; ibidem dictæ domui dans *Niemſic* ſuper Wiltavam ſitum recipiens ab eadem domo conſenſu totius Congregationis. *Nemoii* & uxor ejus dederunt partem, villæ in *Wraſcow*. Weleſlaus & Mathæus filii Nemoii dederunt *Crabſic*. Ulricus Comes de *Scicencow*, dederunt *Brnen* cum filia ſua Margaretha, quod poſt modùm *Rochow* villam, pro C. marcis comparavit quas ei Frater ſuus Ulricus decedens in teſtamento legavit. Uxor Chaſtonis contulit *Ruſcin*. *Chval* dedit villam *Dechanzmil* dedit mediam partem villæ *Hnoynic*, cum filia ſua Scholaſtica, reliquiam partem Wolffranus, & Bertholdus Præpoſiti pro L. marcis emerunt à Zmilone, & Chaſtolao filio ejus. Item Wolffranus Præpoſitus Doxanenſis emit ab uxore Chaſtaonis quicquid ipſa poſſidebat in *Lubochan* pro xx. marcis. Emit & *Craſſin* à Conrado de *Lucik* pro xx. & duabus marcis; A Bunone filio Blehonis emit pro xL. & duabus marcis quicquid habuit in *Buſſovitz*. Concambium etiam fecit memoratus Præpoſitus cum

Zlaocone Fratre Grabissæ, dans ei *Ledvik* viillam, & addens xx. duas marcas, recepit ab eo, quidquid possidebat in in *Wrbechan*, & in *Cakchou*.

A Dionysio cognato Chrenonis emit terram in *Crabar* pro xxv. marcis. Ibidem emit à Bernata filio Bernatæ totam partem...... hæreditatis suæ pro xx. & duabus marcis. A fratre *Wojmeri* nomine *Obelss*, comparavit duas partes juris sui, quod habebat in *Witoslavic* pro xxx. & vi. marcis. Ab uxore Jacobi, & filio ejus Jacobo emit pro v. marcis sylvulam in *Otochene*. A Rhedore quoque emit quod habuit in *Perchou*, quod est juxta *Goreschou* pro xx. marcis. Quia verò præsens scriptum non solum auctoritate nostrâ, verùm etiam probatobatorum testium confirmatione pleniùs indiget, hic nomina perspicuè decrevimus annotari.

Wenceslaus Dux filius Regis & Frater ipsius Wladislaus, Marchio Moraviæ, Arnoldus Cancellarius Regis, & Præpositus Vissegradensis. Petrus Abbas Strahoviensis, cum Fratribus suis, Gerardo Priore, & Joanne Suppriore, & Petro Sacrista. Guntherus Præpositus Doxanensis. Hermannus Præpositus Litomericensis, & Notarius Curiæ, Vata Camerarius Ducis. *Chastlon* filius *Zmil*, Venator summus. Petrus filius *Milbozt*. Ludher & filius ejus *Milbozt*. Jan de Morasic. *Zuatober* de Pressiæ. Beneda filius *Stibor*. *Dalebor* de Conekulma. Zmil filius *Protivec*. *Zobecherde* de Rozalovic. Neostup miles. Trebata miles. Dritslzlaus filius *Radim*, & alii multi.

Acta sunt hæc anno verbi Incarnati MCCXXVI. Epacta xx. Indictione xiii. Concurrente tertio. Omnis itaque, qui Doxanensem domum gravare præsumpserit, & hæreditates ipsius à Nobis, vel ab aliis collatas contumaciter aggravare, vel impetere temptaverit, in perpetuam damnationem cum Sathana damnato ab omnipotente Deo æternaliter involvatur. Amen.

L. S.

Charta Wenceslai Regis Bohemiæ, varia privilegia exemptionis & libertatis Ecclesiæ Doxanensi concedentis, anno 1249.

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Nos Wenceslaus Dei gratiâ Rex Bohemorum universis Christi fidelibus tam futuri quàm moderni temporis. Quia Dei gratuitâ liberalitate plurima ab ipso bona præsentis vitæ super merita nostra percepimus, æquitatis exigit ratio & justitiæ libra deposcit, ut ei famulantibus de donis ejus aliqua conferamus, & ab aliis collata nostrâ protectione, quantùm nobis est possibile, defensemus, & nostræ circumspectionis industriâ roboremus. Ea propter commendatum esse volumus tam posterorum quàm præsentium notitiæ, quòd nos consilio pietatis inducti, Ecclesiæ S. Mariæ in *Doxan* & Sororibus ibidem Deo & Mariæ famulantibus, pro remedio animæ Patris nostri Regis Ottocari & etiam dilectæ conjugis nostræ Cunegundis, talem concessimus libertatem, videlicet quòd homines jam dictæ Ecclesiæ ubique per Regnum nostrum constituti, nullius Castri judicium seu beneficiariorum astent judicio, sed nobis præsentibus judicentur, & sint liberi & exempti ab omni jugo servitutis seu exactionis & gravaminis, tam ab his quæ vulgariter dicuntur *Narok* seu *Swode* quàm ab his quæ vocantur *Narezsen*, *Nozlech* & à retibus ad venationem ducendis, & à victualibus canibus dandis, ac ipsorum custodibus, qui *Holoti* vocantur, ab eo etiam quod dicitur *Ozzep*, atque à sex denariis, quod dicitur *Sezme*, qui dari debent Magistro venatoriæ dignitatis. Statuimus etiam ne homines præfatæ Ecclesiæ graventur in hoc, quandò aliquis occisus seu strangulatus, quod maternâ linguâ *Hlava* nuncupatur, sive se invicem seditiosè, sive a latronibus vulnerentur, quod dicitur *Rannik*, liberi sint & absoluti, Præposito tamen dictæ Ecclesiæ de culpis responsuri. Si verò aliquis hominum nominatæ Ecclesiæ suspensus fuerit vel suspendendus, quod *Wiseler* dicitur Bohemicè, ipsos penitùs decernimus absolutos, arbitrio D. Præpositi relinquentes ut pro his & aliis culpis homines suos pœnâ debitâ puniat in usus monasterii, quidquid ex culpa provenerit, convertendo.

Sint etiam pauperes ab hoc, quod dicitur *Wrez*, & à succisione sylvæ, quod vocatur *Preseca*, & ab operibus castrorum, seu fossatorum atque piscinarum, liberi & absoluti. Super omnia, id quod dicitur *Cetzne*, super currus ante dictæ Ecclesiæ & pauperes ipsorum exigi penitùs inhibemus, nisi quandò ducunt ligna de nostra sylvâ speciali, quandò verò de propria sylva quæcumque ligna duxerint in nullo prorsus molestentur. Sanè nullus Camerarius aliquem pauperem ducat in testimonium ad citandum alios homines, quod vocatur *Ozada*, nisi ad proximam villam Ecclesiæ suæ ad Castrum pertinentem. Et quia vitæ præsentis mansio, peregrinatio reputatur, nullam sui temporis habens stabilitatem, cum sit nugatoria & caduca, ne in posterum donationes nostræ per oblivionem hominum in interitum devolvantur, hanc donationem nostram privilegio & sigillorum nostrorum impressione fecimus roborari. Hujus rei testes sunt Hermannus Præpositus Luthomeritzensis, Otto Præpositus Melnichensis Cuno Præpositus Boleslaviensis, Trastolaus de Syttavia, & Henricus Filius ejus, Borso Aulæ nostræ Marescallus, Gallus de *Lebenb*: Jerossius de *Schbene*. Zmilo de Syttavia. Joannes *Lozzos*. Ludohldus judex de *Luthomeritz*. Henricus Rex dictus de *Lutomeritz* & alii quàm plures. Datum in *Lutomeritz* per manum Herbordi Pragensis Canonici Curiæ nostræ Notarii. Anno Domini MCCXLIX. x. Kalendas Augusti.

Decretum inhibitoriale Wenceslai Regis, quo vetat ne quis jurisdictionem in bona Doxanæ *exerceat ano 1290.*

WEnceslaus, Dei gratiâ Rex Boëmiæ & Marchio Moraviæ omnibus in perpetuum. Cùm internæ mentis nostræ ventilabro cœlibem Religiosorum vitam inspicimus, Creatoris nostri cui specialiter deserviunt, cælestem præmiationem, attentiùs contemplamur, & eorum devotis precibus benignius condescendere inducimur, & ipsorum commodis de benignitate Regia libentiùs providere. Noverint igitur præsentes ad quos iste privilegialis tenor pervenerit, & posteri non ignorent quòd nos ad petitionem dilecti nobis Fratris Sifridi Ordinis præmonstratensium, venerabilis Præpositi in *Dokzan*, bona Ecclesiæ *Doxanensis*, ubicunque in regno nostro sita fuerint, eò libertatis honore gaudere volumus, quòd nullus Burgraviorum bonorum Nobilium, seu officialium nostrorum tuitionem, seu jurisdictionem aliquam inconsuetam & illicitam bonorum eorumdem contrà voluntatem Præpositi & Conventûs jam dictæ Ecclesiæ, & sine singulari nostra licentia sibi assumere aliquo modo, vel exercere præsumat. Et ut circà prædictam Ecclesiam & bona ipsius favor amplioris nostræ gratiæ uberiùs relucescat, Burgravio

castri Cubitensis, qui pro tempore fuerit, districtè prohibemus, ne de bonis Ecclesiæ ipsius, sitis in districtu Cubitensi, inconsueta exigat onera, & illa servitia quæ juxtà antiquam consuetudinem de bonis ejusdem Cubitensi Burgravio de jure sunt reddenda, pro se & nomine Castri recipiat & servitia eadem nulli alteri submittat seu conferat loco sui; quod si forsitan factum est, vel fieret imposterum, illud in irritum revocamus cum bona præfata, ne ad exhibitionem prædictorum servitiorum cuiquam alteri quam Cubitensi Burgravio teneatur, reddamus perpetuò absoluta: quòd si aliquis nostræ ditioni subjectus, cujuscunque conditionis existat, contrà hujusmodi exemptionis nostræ gratiam quicquam acceptare præsumpserit, indignationem nostram gravissimam se noverit incurrisse. In cujus rei testimonium & robur, perpetuò valiturum, præsens privilegium conscribi & nostris sigillis jussimus communiri. Datum in *Misenburg* per manus Magistri Petri Prothonotarii Regni nostri anno Domini MCCXC. Idus Septembris Indictione tertiâ.

Charta Joannis Boëmiæ & Poloniæ Regis, confirmantis privilegia Monasterii Doxanensis anno 1333.

JOannes Dei gratiâ Boëmiæ & Poloniæ Rex ac Lucemburgensis Comes, omnibus in perpetuum. Justa petentium desideria favorabiliter admittimus, votisque rationi consentientibus, nec ab eadem aberrantibus, gratiosiùs assentimus. Ea propter ad universorum, tenore præsentium, notitiam volumus pervenire, quòd constitutus in nostra provincia devotus noster dilectus frater Theodoricus, Ordinis Præmonstratensium, Præpositus Sanctimonialium Ecclesiæ Doxanensis, Pragensis Diœcesis, præmissis quibusdam petitionibus specialibus, Ecclesiæ Doxanensis præfatæ, privilegia diversa continentiarum subscriptorum exhibuit, quæ suo & ipsius Ecclesiæ ac Sanctimonialium nomine prædictarum à nobis approbari, ratificari, innovari petiit, ac etiam de benignitate Regia confirmari, primi autem & minoris est per omnia tenor talis: In Nomine Patris & Filii & Spiritûs Sancti. Universitati fidelium innotescat, quòd nos Wenceslaus Dei gratiâ Boëmorum Rex, Bona Ecclesiæ Doxanensis circa *Loket* constituta, videlicet *Jacubob* villam sub jure Teutonicali locandum concedimus & alias dudùm locatas, ab omni vexatione & servitute omnimoda Castri jam dicti eximimus, libertatem quoque eandem quam nostris hominibus ibidem commorantibus, perpetuò conferentes, statuentes ut quicunque Castellanus sivè Præfectus fiat Castri prænominati, nullum habeat respectum ad pauperes villarum ante dictarum, nisi Ecclesia Doxanensis & secundùm quod Zulizlaus tunc Castellanus Castri sæpè dicti, in villis ponendis de nostro præcepto terminos constituit & distinxit, ratum & firmum incommutabiliter volumus à nostris successoribus observari; & ad hæc tres Laneos Ecclesiæ adjudicamus possidendos in bonis sæpe nominatis, quos à quodam Teutonico Ottone contrà justitiam detentos, coràm nobis rationabiliter Præpositus obtinuit & evicit. Hujus rei testes sunt Zulizlaus Burgravius de *Loket*, *Mistidruch* Castellanus Pragensis, *Aldik* judex, *Peley*, Gebehardus de *Horelbic* & *Bramer* qui & circuivit, *Wolffardus Koyan* Castrenses, Zacharias filius *Unech*: & ut hujus nostræ concessæ libertatis robur & firmitas permaneat, præsens privilegium fecimus exhiberi, nostri sigilli robore communitum, actum in *Strahov* in Capella sanctæ Catharinæ anno Dominicæ Incarnationis MCCXXXIV... NB. *Hic sequitur de verbo ad verbum insertum & expressum privilegium Ottocari Regis Boemiæ...* Ottocharus Dei gratiâ Rex Boëmiæ, Dux Austriæ, Styriæ, Carinthiæ, Marchio Moraviæ, Dominus Carniolæ, Marchiæ, Egræ, ac Portûs Naonis, omnibus in perpetuum. Ne illa quæ à nobis aguntur in præsentis instantia temporis vel vetustas deterat, vel obliviosæ mortalitatis imbecillitas de hominum memoria diluat, sicque quodammodo negotiorum vita valeat interire; idcircò præsentis tenore privilegii ad præsentium notitiam & memoriam deferri volumus futurorum, quòd privilegium Serenissimi avi nostri Ottocari qui & Premizlai tertii Regis Boëmiæ, vidimus & ipsum legi fecimus coràm nobis. Erat autem privilegium ipsum non cancellatum, non vitiatum, non abolitum nec aliquam in sui parte patiens corruptelam, ac tenor & continentia ejus talis... *Ponitur privilegium & habes eum in prima charta.* sequitur. Nos autem volentes ea quæ progenitorum nostrorum consultò providentia statuit inviolabiliter permanere, præscriptum privilegium Ecclesiæ sanctæ Mariæ de *Doxan* ut prædictum est, à præfato avo nostro concessum innovantes duximus confirmandum. In cujus confirmationis nostræ testimonium & robur perpetuò valiturum, præsens privilegium fieri & sigillis Majestatis nostræ jussimus communiri. Testes autem coràm quibus istam confirmationem fecimus, sunt hi: Andreas Camerarius Regni nostri, Theodoricus Spazmanus Subcamerarius, Gregorius Camerarius Dominæ Reginæ. Henco Dapifer noster, Onso Pincerna noster & Conradus Magister Coquinæ nostræ. Actum & Datum Pragæ per manus Magistri Henrici Prothonotarii nostri & Plebani in *Gors* anno Domini MCCLXXVI. III. Idus Martii IV. Indictionis. *Sequitur de verbo ad verbum privilegium Wenceslai Regis ut supra in charta secunda & sequens tenore illa privilegia innovat & confirmat.*

Nos itaque justis ipsorum petitionibus gratiosiùs annuentes omnia & singula Ecclesiæ Doxanensis ante dicta privilegia & quælibet in eis singillatim contenta seu expressa, ex innata nobis clementia de certa nostra scientia, nostro & hæredum nostrorum nomine approbamus, ratificamus, innovamus, & præsentis scripti nostri patrocinio confirmamus, adjicientes præsentibus & volentes quòd Præpositus & Conventus Sanctimonialium supradicti, obstaculum factum per fluvium qui *Egra* dicitur ex uno latere contingens bona Præposituræ Doxanensis, ex altero verò bona Præposituræ Melnicensis, possidere de cætero pacificè debeant & tenere, possintque illud remotâ contradictione quâlibet restaurare, firmare, & reformare quandòcunque aut quotiescunque necessarium eis videbitur, vel etiam expedire. Mandamus prætereà firmiter & districtè quòd quandò aut quoties Bernam * Regiam per nos aut hæredes nostros Regno nostro Boëmiæ communiter imponi contigerit, cives nostri Luthmericenses, & alii Oppidani jura civilia habentes, juxtà ratam seu quantitatem bonorum suorum ad Ecclesiam Doxanensem suprà scriptam pertinentium cum Ecclesiâ ipsa ad solutionem dictæ Bernæ faciendam propter omnem * Brigam ammodo teneantur. Etsi propter importunitatem petentium aut oblivionem fortassè à Prædecessoribus nostris Boëmiæ Regibus privilegia data sint aliqua, vel adhuc à nobis dari contigerit civibus nostris aliquibus aut etiam Oppidanis, ex quibus præsenti nostræ gratiæ posset aliqualiter derogari, ipsi omnia & singula quoad gratias in præsenti nostro expressas privilegio cassamus irritamus, annullamus, imò cassa & irrita fore penitùs volumus atque nulla. In quorum omnium testimonium atque robur perpetuum, sigillum nostrum

* Berna, vox Bohemica quæ eadem est ac tributum, collatio publica.

* Idem ac jurgium.

majus præsentibus est appensum. Datum & actum Pragæ in die Nativitatis Beatæ Mariæ Virginis anno Domini MCCCXXXIII.

Charta Joannis Boëmiæ Regis, pro quâdam commutatione cum Præposito & Conventu Doxanensi, 1336.

JOannes Dei gratiâ Boemiæ Rex ac Lucemburgensis Comes, universis præsentes litteras inspecturis gratiam Regiam & præsentibus fidem dare. Vestra noscat universitas quòd nos de maturo nostro & nostrorum Consiliariorum consilio, sponte & libenter cum devoto nostro dilecto Præposito monasterii Sanctimonialium Doxanensium, pro parte Conventûs ipsius monasterii, bonum & commodum pensantes non modicum in hac parte monasterii memorati de Curia *Welchow* cum villis & pertinentiis suis universis ad ipsas spectantibus; nec non Castro *Howenstein* quod idem Præpositus erit pro ipso monasterio à fidele nostro Wynklero possessum per eum à nobis in feudum cum pertinentiis suis ad ipsum monasterium spectantibus ex una parte, & alia quoque parte de villis nostris *Kmetynabess*, *Czernucze*, & molendino vulgariter dicto *Egermul* in confluxu *Albea* & *Egra* sito juxta *Lukomericz*, quod idem Præpositus etiam emit à quodam cive Luthomericensi pro ipso monasterio libertatum per nos & liberum reditum ab omnibus & singulis censibus, contributionibus, & aliis oneribus quibus civitati Luthomericensi vel cuique alii obnoxium tenebatur, permutationem ritè & legitimè fecimus, tituloque permutationis tradidimus monasterio prædicto cum omnibus & singulis agris, campis cultis & incultis, pratis, pascuis, sylvis, ruberis, montibus, planis, vallibus, fluminibus, stagnis, paludibus, rivis, aquis aquarumve decursibus, molendinis & limitibus ac pertinentiis suis universis & cum censibus, affitibus, utilitatibus, obventionibus, usibus, usufructibus quibuscunque, qualiacunque sint, & in quibuscunque rebus consistunt, quæ nunc ibi sunt, vel fieri poterunt in futurum, nec non cum pleno & toto dominio bonorum prædictorum ac jure, vindicatibus, jurisdictione merâ & mixta plenissimâ & cum jure patronatûs & Ecclesiarum ibidem utrobique hinc indè ad dicta bona spectantibus, & quovis modo vel titulo pertinentibus, per ipsum monasterium & Conventum ipsius tenenda, possidenda, utenda, uti fruenda perpetuò habenda. Verùm quià evidenter apparet ad oculum quòd prædictæ villæ *Kmetynabes* & *Czernuczic* cum pertinentiis suis, longè meliores sunt curiâ *Welechov* & Castro *Howenstein* prædictis. Idcircò prædictus Præpositus nomine monasterii sui trecentas triginta sexagenas grossorum denariorum Pragensium nobis superaddidit in permutatione præfatâ, quas nobis protinus persolvit, & quanquam fortassis imò sine forte dictæ villæ *Kmetynabes* & *Czernuczic* cum pertinentiis suis, adhuc majoris existimationis & valoris existant, bonis illis videlicet curiâ *Welechov* & Castro *Howenstein* ac cum pertinentiis suis, id tamen quod melius & præstantius est, eidem monasterio ob salutem animarum Prædecessorum nostrorum ac nostræ, damus & liberaliter donamus, ipsis etiam bonis ipsum monasterium uti & gaudere debet sub eisdem juribus, gratiis & libertatibus, quibus aliis bonis gaudet & potitur, & quòd ipsum monasterium & homines ipsorum bonorum occasione eorum non possint nec debeant trahi ad judicia vel Zudas terrestria, seu etiam provincialia quoquo modo. Ut autem dictum monasterium Doxanense dictis bonis tutè & perpetuò valeat gaudere, permittimus prædictam permutationem gratam, ratam, & firmam pro nobis & hæredibus nostris tenere, & inviolabiliter observare, & ab aliis inconcussè facere observari promittentes pro nobis & hæredibus nostris, ipsum monasterium penes ipsa bona manutenere, defendere, & perpetuò conservare, nec unquam verbo, facto, aut etiam de jure in contrarium venire renunciantes expressè omni juri, actioni, exceptioni, cavillationi, & alii objectioni, doli mali, non electi, non numerati, vel non ponderati auri vel argenti, & cuilibet alii suffragio tam juris Canonici, Civilis, aut etiam Regni Boëmiæ statutis vallato, & singulis omnibus aliis, qualiacunque sint, etiam si talia sint, de quibus de verbo ad verbum specialem & expressam fieri oporteret quomodo-libet mentionem, quibus omnibus & singulis & cuilibet eorum ex certa scientia esse & intelligi volumus penitùs derogatum, harum serie testimonio litterarum, quibus nostrum sigillum duximus appendendum. Datum & actum Pragæ sub testimonio & in præsentia Dominorum Joffridi Comitis de *Lynunga*, Ardoldi de *Blankenheim*, Conradi de *Sleyda*, Ulrici de *Hanow*, Hinconis Bercæ de *Duba*, Ulrici senioris, Pflugonis & aliorum fide dignorum. Anno Domini MCCCXXXVI. sextâ feriâ ante Dominicam quâ cantatur *Reminiscere* proximâ.

Charta Caroli IV. Imperatoris, quâ eximit subditos Conventûs Doxanensis, à jurisdictione extraneorum judicum, anno 1358.

CArolus IV. divinâ favente clementiâ Romanorum Imperator semper Augustus & Boëmorum Rex, ad perpetuam rei memoriam. Etsi imperatoriæ Majestatis circumspecta benignitas universorum fidelium subditorum suorum commodis & saluti dignatur intendere, ad illorum tamen profectus & commoda procuranda & libertates ac gratias conservandas, singulari quodam favore inclinatur sinceriùs qui obmissis mundi oblectationibus, virtutum Domino sub Religionis habitu devotiùs famulantur. Sane pro parte Religiosorum Præpositi & Conventûs Sanctimonialium monasterii Doxanensis, devotorum nostrorum dilectorum, Serenitati nostræ nuper oblata supplicatio continebat, quatenùs homines eorum ac dicti sui monasterii, à judiciis & jurisdictione extraneorum judicum sæcularium, sicut etiam præclaræ memoriæ Prædecessores nostros illustres quondam Boëmiæ Reges exempti fuerant eximere, libertare & absolvere dignaremur. Nos igitur votivis & rationibus eorum supplicationibus benigniùs inclinati, præsertim cùm justè petentibus non sit denegandus assensus, animo deliberato, non per errorem, aut improvidè, sed maturo Principum, Procerum, Baronum, & Nobilium Regni Boëmiæ fidelium nostrorum dilectorum, accedente consilio, universos & singulos homines, inhabitatores & incolas omnium bonorum præfati Doxanensis monasterii à jurisdictione & judiciis quorumlibet extraneorum sæcularium judicum, Zudariorum, Beneficiariorum & Officialium Pragensium, Luthomericensium & Melnicensium & aliarum quarumcunque Provinciarum Regni Boëmiæ, nec non civilium authoritate Regali Boëm. eximimus, libertamus, & penitùs absolvimus de Celsitudinis nostræ gratiâ speciali, eâ conditione, quòd perpetuis futuris temporibus nullam penitùs authoritatem habeant, seu habere debeant præfati monasterii homines, ad quorumcunque requisitionem seu instantiam citandi aut evocandi ad sua judicia, nisi in eum casum, si impetitoribus quibuscunque per judices præfati monasterii in consueto jure monasteriali, justitia

insufficienter ministraretur forsitan vel denegaretur, simpliciter ex tunc receptâ super eodem probatione sufficienti & legitimâ, licebit eis & eorum cuilibet, nomine & authoritate nostrâ petentibus quibuslibet, erga quoslibet homines dicti monasterii, in quolibet suo jure, justitiam ministrare. Nulli ergò hominum liceat hanc nostræ exemptionis, libertationis & absolutionis paginam infringere, vel ei ausu temerario quomodolibet contraire sub pœna centum Marcarum puri argenti, quas ab eo qui contraire præsumpserit, quoties contraventum fuerit, premissibiliter exigi volumus, & earum medietatem fisco Regalis nostræ Cameræ, residuam verò partem injuriam passorum usibus applicari. Signum Serenissimi Principis & Domini Caroli IV. Romanorum Imperatoris invictissimi & gloriosissimi Boëmiæ Regis. Testes hujus rei sunt venerabiles Arnestus Pragensis, Archiepiscopus, Preczlaus Wratislaviensis, Joannes Argentinensis, Joannes Olomucensis, & Theodoricus Mindensis Ecclesiarum Episcopi; & Illustres Joannes Marchio *Moraviæ*, Bolko Swidnicensis, Conradus Olsnicensis, Wenceslaus & Ludovicus Lignicensis, Bolko Falkenbergensis, Bolko Opuliensis. Przymislaus Thesthinensis & Joannes Opaviensis Duces, necnon spectabiles Ulricus & Joannes Landgravii de *Luttemberg*, Burchardus & Joannes de *Recz* Comites, & alii quam plures nostri Principes, nobiles & fideles Præsentium sub Imperialis Majestatis nostræ sigillo, testimonia litterarum. Datum Pragæ anno Domini MCCCLVIII Indictione XI. v. Nonas Maii, Regnorum nostrorum anno XII. imperii verò IV.

Charta Sigismundi Imperatoris, quâ eximit bona monasterii Doxanensis, à proscriptione, anno 1437.

SIgismundus Dei gratiâ Romanorum Imperator semper Augustus, ac Hungariæ, Boëmiæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c. Rex. Notum facimus tenore præsentium universis, quòd licet ex certis causis & quâdam opportunitate, certa bona Religiosarum Sanctimonialium monasterii in *Doxan*, Ordinis Præmonstratensium, devotarum nostrarum dilectarum, certis personis proscripserimus sub certis pecuniarum summis ad redimendum, ne tamen eædem Moniales ex defectu necessariorum ad victum pertinentium divagari videantur, sed magis ac magis cultus divinus in eodem monasterio felicia suscipiat incrementa; ideò animo deliberato & de certa nostra scientia infrà scripta bona ab antiquo ad idem monasterium spectantia, videlicet aream ejusdem cœnobii, cum promerio & molendino intrà muros Claustri situatis, agris, vineâ juxtà id monasterium jacentibus, silvam cum pratis ab Ecclesia sancti Petri usque villam *Dolanki*, se extendentibus, villam *Novi Dwor* cum curiâ allodiali & agris ac omnibus & singulis ejus usibus, fructibus, libertatibus & pertinentiis, unà cum navigiis in aquis *Albea* & *Egra* existentibus, & signanter vulgariter dicto *Nakosse* & retrò muros monasterii, præfatis monialibus jam dicti monasterii promittimus per præsentes. Deinceps in anteà nulli penitùs proscribere, aut eis abstrahere, seu aliquâ sinistrâ informatione obligare, in casu verò quo ad importunas instantias sivè preces, aliqua ex jam dictis bonis cuiquam proscriberemus seu obligaremus, hujusmodi proscriptionem & obligationem irritam & inanem esse decernimus, imò ex nunc prout ex tunc, & ex tunc prout ex nunc pronunciamus nullius esse roboris, vel momenti, præsentium sub nostræ Imperialis Majestatis sigillo, testimonio litterarum. Datum Pragæ anno Domini MCCCCXXXVII. die vigesimâ mensis Decembris Regnorum nostrorum anno Hungar. L. Roman. XXVII. Boëm. XVII. Imperii verò quarto.

Charta Ladislai Regis Boëmiæ, pro redimendis bonis monasterii Doxanensis, anno 1456.

LAdislaus Dei gratiâ Hungariæ, Boëmiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, &c. Rex, Austriæ Dux, & Moraviæ Marchio &c. Notum facimus universis, quòd desiderantes bona & res monasterii monialium in *Doxano*, Ordinis Præmonstratensis, Pragensis Diœcesis, divino cultui & ei ministrantium usui, & juri, & honestati convenit reintegrari & conservari deliberatè & sano nostrorum Procerum & fidelium accedente consilio, de certa nostra scientiâ, authoritate Regiâ Boëmiæ, Religioso Diopoldo dicti monasterii Præposito & ejus successoribus, damus & concedimus licentiam, facultatem, omnemque potestatem redimendi & reluendi bona & res quaslibet ipsius monasterii, quocunque nomine nuncupentur, cuique personæ, collegio vel universitati obligata seu alienata, obligatæ vel alienatæ existant; bona verò & res Monasterii præfati quæ à quâcunque personâ, universitate, sivè Collegio, sivè justo titulo aut nostrorum antecessorum inscriptione tenentur ipsi Diopoldo & suis successoribus vel alteri, cui ab eo vel ipsis mandatum fuerit, volumus sinè contradictione & morâ restitui. Mandamus igitur omnibus subditis nostris cujuscunque officii, dignitatis, nobilitatis, statûsvè sint, qui bona & res supradictas modis præmissis aut aliquo ex eis detinent, quatenùs sub pœna indignationis nostræ, eas ipsas quando per dictum Diopoldum, & ejus successores vel alterum, ejus vel ipsorum nomine fuerint requisiti, ipsi & eis vel alteri, cui ab eo vel ipsis, commissum fuerit, reddere & restituere omni resistentiâ & dilatione semotis, nullo modo omittant. Nolumusque deinceps bona vel res dicti monasterii per nos vel successores nostros vendi, aut aliter alienari, obligari, pignorari, inscribi, vel ad longum sivè breve tempus, cuique locari, aut super ipsis bonis vel rebus à nostris antecessoribus inscriptis & pignoratis, novas summas pecuniarum addi vel inscribi, sivè his qui dicta bona vel res tenent, vel aliis quibuscunque. Si quid verò in contrarium per inadvertentiam, petentium importunitatem, vel alio quovis modo fieret, id ex nunc prout ex tunc cassamus, annullamus, irritamus, & nullius roboris esse decernimus, aut validitatis, præsentium sub appensione nostri Regalis sigilli testimonio litterarum. Datum Viennæ die vigesimâ tertiâ mensis Augusti, anno Domini MCCCCLVI. Regnorum nostrorum Hungariæ decimo septimo, Boemiæ verò tertio.

Bulla Gregorii decimi confirmantis bona & privilegia monasterii Doxanensis anno 1273.

GRegorius Episcopus servus Servorum Dei, dilectis in Christo filiabus Magistræ monasterii de *Doxan*, ejusque Sororibus tam præsentibus quàm futuris, regularem vitam professis, in perpetuam memoriam. Prudentibus Virginibus, quæ sub habitu Religionis accensis lampadibus per opera sanctitatis jugiter se præparant obviam sponso ire, sedes Apostolica debet patrocinium impertiri, ne fortè cujuslibet temeritatis incursus aut eas à proposito revocet, aut robur, quod absit, sacræ Religionis enervet. Ea propter dilectæ in Christo filiæ, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & monaste-

nasterium de *Doxan*, Pragensis Diœcesis, Abbatissam propriam non habens, sed per Magistram solitum gubernari, in quo divino estis obsequio mancipatæ, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus. Inprimis siquidem statuentes ut Ordo Canonicus qui secundum Deum & B. Augustini regulam atque institutionem Præmonstratensium Fratrum in eodem monasterio institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascunque possessiones, quæcunque bona idem monasterium in præsentiarum justè & Canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium aut aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis & eis quæ vobis successerint, & illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipsum in quo præfatum monasterium situm est, cum omnibus pertinentiis suis; villam de *Mur*, cum terris, pratis, aquis, molendinis, & omnibus pertinentiis suis; villam de *Chualin*, cum vinea, terris, & aliis attinentiis suis; villam de *Peletz*, cum terris, pratis, aquis, & aliis pertinentiis suis; villam de *Rohatecz* & de *Olesk*, cum pertinentiis earumdem; villam de *Chotwitz*, cum Ecclesia quam habetis ibidem, & aliis pertinentiis suis; villam de *Luboteenitz*, cum reditibus denariorum, & aliis suis pertinentiis; villam de *Nachitz*, cum pertinentiis suis; villam de *Kopist*, cum terris, piscariis, reditibus, sylvis, molendinis, & aliis pertinentiis suis; villam de *Dussnik*, de *Martinowes* & *Wraskow*; villam de *Lenechitz*, cum Ecclesia quam habetis ibidem; villam de *Krabsitz*, cum vinea terris, & attinentiis suis; villas de *Gluczin*, de *Chinowitz*, de *Cotieschow*, de *Chirnowitz*, de *Wirbechlov*, de *Wognitz*, de *Bruan*, de *Banssowitz*, de *Choretzitz*, de *Kopitz*, de *Jaletzl*, de *Hostenitz* & de *Srbitz* cum Ecclesia; villam de *Cholowst* cum terris, sylvis, pratis, & aliis pertinentiis suis; villam de *Kravar*, cum foro, & aliis pertinentiis suis; villam de *Jansdorff*, de *Hermansdorff* & de *Paletz*, cum agris, aquis, molendinis, sylvis, & aliis attinentiis earumdem; de *Welchov*, de *Jacubav*, de *Potersdorff*, de *Lupelsdorff*, de *Wicowitz*, de *Dommitz*, de *Schenwald*, & de *Permundesarm* villas cum terris, sylvis & aquis, piscariis & aliis pertinentiis suis; villam de *Sbunitz*, cum Ecclesia quam habetis ibidem, nec non reditus, possessiones, sylvas, aquas, piscarias, homines, jurisdictionem temporalem, & quidquid juris tam in prædictis locis & villis, quàm aliis prædictæ Diœcesis, monasterium vestrum noscitur obtinere, cum terris, pratis, vineis, nemoribus, usuariis, & pascuis in bosco & plano, in aquis & molendinis, in viis & semitis, & omnibus aliis libertatibus & immunitatibus suis. Sanè novalium vestrorum quæ propriis sumptibus colitis, de quibus aliquis hactenùs non percepit, sive de vestrorum animalium nutrimentis, nullus à vobis decimas exigere vel extorquere præsumat. Liceat quoque vobis personas liberas & absolutas ex sæculo fugientes ad conversionem recipere, & eas absque contradictione aliqua retinere. Prohibentes insuper ut nulli Sororum vestrarum post actam in monasterio vestro professionem, fas sit sine Magistræ suæ licentia, nisi arctioris Religionis obtentu, de eodem loco discedere; discedentem verò absque communium litterarum vestrarum cautione nullus audeat retinere. Cùm autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis clausis januis, exclusis excommunicatis & interdictis, non pulsatis campanis, suppressâ voce divina Officia celebrare, dummodò causam non dederitis interdicto. Chrisma verò, Oleum sanctum, consecrationes altarium, seu basilicarum, sine gravitate aliqua exhibere valeatis. Prohibemus insuper ut infrà fines Parochiæ vestræ, si eam habetis, nullus sinè assensu Diœcesani Episcopi & vestro, Capellam seu Oratorium, de novo construere audeat, salvis privilegiis Pontificum Romanorum. Ad hæc novas & indebitas exactiones ab Archiepiscopis & Episcopis, Archidiaconis, seu Decanis, aliisque omnibus Ecclesiasticis, secularibusve personis, à vobis omninò fieri prohibemus. Sepulturam quoque illius loci liberam esse decernimus ut eorum devotioni & extremæ voluntati, qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi excommunicati vel interdicti sint, aut etiam publici usurarii, nullus obsistat, salvâ tamen justitiâ illarum Ecclesiarum à quibus mortuorum corpora assumuntur. Decimas præterea & possessiones ad jus Ecclesiarum vestrarum spectantes, quæ à laicis detinentur, redimendi & legitimè liberandi de manibus eorum, & ad Ecclesias ad quas pertinent, revocandi, libera sit vobis de nostra authoritate facultas. Paci quoque & tranquillitati vestræ paternâ imposterum sollicitudine providere volentes, authoritate Apostolicâ prohibemus, ut infrà clausuras locorum seu grangiarum vestrarum nullus rapinam seu furtum facere, ignem apponere, sanguinem fundere, hominem temerè capere vel interficere, seu violentiam audeat exercere. Præterea omnes libertates & immunitates à Regibus & Principibus, vel aliis fidelibus rationabiliter vobis indultas, authoritate Apostolicâ confirmamus, & præsentis scripti privilegio communimus. Decernimus ergò ut nulli omninò hominum liceat præfatum monasterium temerè perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur, earum pro quarum gubernatione ac sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salvâ sedis Apostolicæ authoritate & Diœcesani Episcopi Canonicâ justitiâ, & in prædictis decimis moderatione Concilii generalis. Si quæ igitur in futurum Ecclesiastica secularisve persona hanc nostræ Constitutionis paginam sciens contrà eam temerè venire tentaverit, secundò tertiòve commonita, nisi reatum suum congruâ satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui careat dignitate, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo corpore ac sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat; atque in extremo examine districtæ subjaceat ultioni, cunctis autem eidem loco sua jura servantibus, sit pax Domini nostri Jesu Christi quatenùs & hîc fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen.

Ego Gregorius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

Ego Fr. Joannes Portuensis & sanctæ Ruffinæ Episcopus.

Ego Simon tit. sancti Martini Presb. Cardi.

Ego Ancherus tit. S. Praxedis Presb. Card.

Ego Joannes S. Nicolai in carcere Julliani Diac. Cardi.

Ego Ottobonus S. Adriani Diac. Card.

Ego Jacobus S. Mariæ in *Cosmedin* Diac. Card.

Ego Godefridus S. Gregorii ad velum aureum Diac. Card.

Datum apud Urbem veterem per manum Magistri Janoni Leccacorvi sanctæ Romanæ Ecclesiæ Vice-Cancellarii. Idibus Maii Indictione 1. Incarnationis Dominicæ anno MCCLXXIII. Pontificatûs verò Domini Gregorii Papæ X. anno secundo.

Bulla Bonifacii IX. quâ eximit Doxanense *monasterium à solvendis decimis. anno 1399.*

BOnifacius Episcopus servus servorum Dei. Dilectis filiis Præposito, Priorissæ & Conventui monasterii Doxanensis Præmonstratensis Ordinis, Pragensis Diœcesis, per Præpositum & Priorissam soliti gubernari, salutem & Apostolicam benedictionem. Exigit honestas sanctæ Religonis, sub qua devotum & sedulum exhibetis famulatum, ut petitionibus vestris, illis præsertim per quas vestræ quieti & tranquillitati, nec non monasterii vestri commoditatibus consulatur, favorabiliter annuamus. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte vestra petitio continebat, quòd licet de agris, terris, allodiis, vineis, aliisque possessionibus vestris, quas manibus aut sumptibus propriis excolitis, decimas hucusque minimè persolveritis, tamen quia interdùm contigit pro necessitatibus vobis incurrentibus, quòd aliqua ex allodiis, terris & possessionibus, hujusmodi Ecclesiasticis, vel laicalibus personis sub annuis censibus, vel pensionibus arendatis, vel aliàs concedere vos oportuit & hujusmodi personæ ad solvendum decimas de iisdem allodiis, agris, bonis & possessionibus per vos eis pro annuis censibus vel pensionibus hujusmodi, ut præfertur arendatis, aut concessis, per Rectores Ecclesiarum, infrà quorum limites allodia, bona, agri & possessiones hujusmodi existunt compulsi, nonnulli etiam ex personis eisdem super solutione decimarum hujusmodi cum præfatis Rectoribus litigando coràm Ordinariis locorum, in quibus dicta allodia, agri, possessiones, & bona fore noscuntur, per definitivas sententias ad solutionem decimarum hujusmodi condemnati extiterant; & deinde non nulla ex allodiis, agris, possessionibus & bonis prædictis ad jus & proprietatem dicti monasterii reducta fuerunt, dubitatis super solutione decimarum hujusmodi posse molestari. Quare pro parte vestrâ nobis fuit humiliter supplicatum ut vobis de opportunæ declarationis gratiâ & aliàs super præmissis providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos itaque hujusmodi supplicationibus inclinati, authoritate Apostolicâ, tenore præsentium declaramus solutionem decimarum hujusmodi per easdem personas, ut præfertur, factam & in futurum forsan faciendam, nec non sententias prædictas contrà eas latas, & ferendam, non debuisse, aut debere vobis aut monasterio vestro in aliquo præjudicare, & nihilominùs vobis, ut nullo unquam tempore de agris, vineis, allodiis, bonis immobilibus & possessionibus vestris, quæ actu possidetis, aut in futurum, dante Domino, justis poteritis titulis adipisci, quæ propriis manibus, vel sumptibus excolitis, & excoletis imposterum, decimas cuiquam minimè solvere teneamini, harum serie authoritate Apostolicâ indulgemus; districtiùs inhibentes Rectoribus præfatis, ne vos aut monasterium prædictum contrà præsentis indulti tenorem perturbare, aut vexare, seu quoquo modo molestare, aut à vobis decimas hujusmodi petere vel exigere presumant, decernentes ex nunc omnes processus & sententias, quos vel quas contra præsentium tenorem quâvis authoritate haberi contigerit, seu etiam promulgari, irritos & inanes, constitutionibus Apostolicis & aliis contrariis non obstantibus quibuscumque. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ declarationis, concessionis, inhibitionis & constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire: si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud sanctum Petrū Kal. Jan. Pontificatûs nostri anno decimo.

Bulla Urbani VIII. concedens usum Pontificalium Præpositis Doxanensibus. 1628.

URbanus Episcopus servus Servorum Dei. Dilecto filio Crispino Præposito insignis monasterii per Præpositum gubernari soliti Doxanensis, Præmonstratensis Ordinis, Pragensis Diœcesis, salutem & Apostolicam Benedictionem.

Decet Romanum Pontificem personarum quarumlibet, præsertim dignitatibus pollentium, vota per quæ earum honori, ac monasteriorum quibus præsunt, decori & ornamento divinique cultûs celebritati peramplius consulitur, ad exauditionis gratiam admittere, ac in his Apostolici favoris partes libenter impartiri, prout locorum & personarum circumstantiis debitè pensatis ad Altissimi laudem & gloriam, nec non devotionis Christi fidelium augmentum, prospicit salubriter expedire. Cum itaque, sicut exhibita Nobis nuper pro parte tua petitio continebat, universum Bohemiæ Regnum Dei & sedis Apostolicæ providentiâ, ac charissimi in Christo filii nostri Ferdinandi Romanorum Regis in Imperatorem electi, qui etiam dicti Regni Rex existit incomparabili pietate pulsis, & debellatis hæreticæ pravitatis sectatoribus ad sanctæ Romanæ Ecclesiæ gremium, à qua ejusdem Regni Incolæ magna ex parte defecerant, sensim redire compellatur, ipseque Ferdinandus Rex statum Ecclesiasticum à Comitiis Regni pridem exclusum, in pristinum honorem reintegravit, Prælatisque Ecclesiasticis Jurisdictionem exercentibus, primum in eisdem Comitiis ante reliquos status locum assignaverit, solos tamen infulatos non ità numero frequentes hâc prærogativâ uti posse & debere reliquis statibus ità particulari studio fortè procurantibus cautum sit, adeoque plures Prælati cæteroquin hoc honore dignissimi, & de dicta Sede optimè meriti ex quo usum Mitræ non habeant, à Comitiis abesse cogantur.

Quæ verò Religionis existat plures Prælatos Ecclesiasticos publicis Regni actionibus interesse, quo jura dictæ Sedis à numeroso Prælatorum cœtu faciliùs, & securiùs defendi possint. Inter alios autem tu, qui ut accepimus, insigni monasterio per Præpositum gubernari solito Doxanensi Præmonstratensis Ordinis, Pragensis Diœcesis, præesse dignosceris, operâ tuâ civitates integras, & numerosum populum exemplari sollicitudine, ad fidem Catholicam converteris. Et prætereà monasterium tuum hujusmodi ab antiquitate insignes non modò pingues redditus annuos cum proprio fundo possideat, verùm etiam ipsius Præpositi pro tempore existentes amplam jurisdictionem exerceant. Et si tibi, tuisque successoribus dicti monasterii Præpositis pro tempore existentibus usus Mitræ ac alia infrà scripta concederentur, dignitas ipsius monasterii in majori honore haberetur, & divina officia ampliori cum decore in illius Ecclesia celebrarentur, idquè piis Catholicis in devotionis augmentum, Hæreticis verò ad terrorem cederet. Nos igitur te, & dictum monasterium ac illius Præpositos pro tempore existentes condignis favoribus prosequi volentes, teque à quibusvis excommunicationis, suspensionis & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis à jure, vel ab homine quâvis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum præsentium duntaxat consequendum harum serie absolventes & absolutum fore censentes, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, tibi & successori-

bus tuis præfatis, ut ex nunc deinceps perpetuis futuris temporibus, mitrâ, annulo & baculo, cæterisque insigniis, & ornamentis Pastoralibus uti, ac tam in dicti monasterii, quàm quibusvis aliis Ecclesiis in quibus Te & successores tuos præfatos in Pontificatibus celebrare contigerit, Benedictionem solennem post missarum, matutinorum, vespertinorum, & aliorum divinorum officiorum celebrationem seu decantationem, super populum inibi existentem, dummodò ibi aliquis antistes, seu dictæ Sedis Legatus præsens non sit, vel si præsens fuerit, ejus ad id accedat assensus, elargiri. Nec non imagines, cruces, vasa, tabernacula, etiam pro consecratione sacramenti Eucharistiæ, & sacrarum Reliquiarum, ac corporalia, omniaque & singula vestimenta, paramenta, & ornamenta Ecclesiastica, etiam Sacerdotalia, & divino cultui dicata, in quibus sacri Olei, aut Chrismatis unctio non requiritur, benedicere ac quascunque Ecclesias, & Capellas dicto monasterio subjectas vel ab eo dependentes sanguinis, vel seminis effusione, aut aliàs quomodolibet pollutas, aquâ priùs per te, vel successores tuos hujusmodi benedictâ juxta ejusdem Romanæ Ecclesiæ ritum, reconciliare liberè & licitè valeatis, auctoritate Apostolicâ, tenore præsentium earumdem perpetuò concedimus, & indulgemus: decernentes vos desuper à quoque quavis auctoritate fungente, quovis prætextu, colore vel ingenio molestari, inquietari, aut quoquo modò impediri nullatenùs unquam posse, sicque per quoscunque Judices ordinarios, etiam causarum palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, irritumque & innane quicquid secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac monasterii & Ordinis præfatorum juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quâvis firmitate aliâ roboratis statutis & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis & literis Apostolicis sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cùm quibusvis clausulis & decretis in contrarium forsan quomodolibet concessis, approbatis & innovatis. Quibus omnibus etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice duntaxat harum serie specialiter & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque.

Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis, concessionis, indulti, decreti & derogationis infringere vel ei ausu temerariò contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ, millesimo sexcentesimo vigesimo octavo, septimo Idus Februarii, Pontificatûs nostri anno sexto.

Charta Davidis I. Scotiæ Regis, pro fundatione Drieburgensis *Abbatiæ, anno 1153.*

DAvid Rex Scotorum, Episcopis, Abbatibus, Comitibus, Judiciariis, Baronibus, Vice-Comitibus, Ministris & omnibus hominibus totius terræ suæ, Francis, Anglis & Scottis, & Gallawidensibus, salutem. Sciant tam posteri, quàm præsentes, me concessisse & dedisse, & hâc meâ chartâ confirmasse Ecclesiæ sanctæ Mariæ de *Dribrughe*, quam

fundavi, & fratribus Canonicis ibidem Deo servientibus, pro salute animæ meæ, & pro salute animarum prædecessorum, & successorum meorum, ad tenendum de me, & hæredibus meis, in liberam & perpetuam eleëmosynam, Ecclesiam de *Drybrughe* cum Capellis, decimis, oblationibus, & omnimodis pertinentiis suis; Ecclesiam de *Lanarke*, cum terris & decimis, & omnibus rebus ad illam justè pertinentibus, & Ecclesiam de *Pedynane*, cum omnibus suis pertinentiis: & in eadem villa illam carucatam terræ, quam Nicolaus Clericus meus, de me habuit & tenuit, ita quietè & liberè ab omni seculari exactione, & consuetudine eisdem Fratribus perpetuò possidendas, sicut aliqua alia Ecclesia, vel Ecclesiæ terræ meæ eleëmosynas suas meliùs & quietiùs tenent & possident; ita tamen, quòd in Ecclesiis illis Officium divinum honestè fiat. Dedi iis insuper Landam illam, quæ vocatur *Caddylleya*, cum pastura infra forestam meam, pro salute animæ Henrici filii mei, in liberam & perpetuam eleëmosynam: & unum manerium in burgo meo de *Carville* eis dedi, cum tribus rudis terræ, ad illum pertinentibus. Dedi dictis Fratribus, & eis confirmavi illam terram, & omnia ad eam pertinentia, quam Beatrix de *Bellocampo*, de Rogero Janitore emit, & iis in liberam & perpetuam eleëmosynam dedit; & illud etiam tostum extrà portam occidentalem de *Bogelbrughe*, quod Joannis Capellani fuit, ita liberum & quietum eis concedo, sicut chartâ Henrici Comitis filii mei iis donatum est & confirmatum. Concedo etiam & confirmo iis illam terram, quæ est inter murum ejusdem portæ, quam Ada Capellanus meus iis concessit, & in liberam & perpetuam eleëmosynam dedit, cum eadem libertate, quam eidem Adæ concesseram; scilicet ut nullus super plenarium foresfactum meum de illa terra censum, aut aliquam omninò consuetudinem, quando in burgo advenerit, præsumat exigere. Præterea præfatis fratribus concedo, ut liceat iis in nemoribus meis accipere ea, quæ necessaria habuerint in usibus suis, & ædificiis, ita ut nullus eos injustè disturbet, & ut sint liberi & quieti in omni regno meo de teloneo, & omnibus secularibus exactionibus & consuetudinibus, sicut aliqui viri Religiosi in tota terra mea liberiores inveniuntur, quantùm ad se, & propria catalla sua. Volo itaque, & præcipio ut prædicta domus prænominatas eleëmosynas, donationes & libertates ita liberè, quietè & honorificè teneat & possideat, sicut aliqua Ecclesia in omni regno meo liberiùs & quietiùs tenet & possidet. Testibus Henrico Comite filio meo, Adâ Comitissâ suâ. Valterus Cancellarius; Duncanus Comes; Hugo de *Morvilla*: Valterus de *Lindesci*; Robertus *Avexell*; Walterus *Ridell*; Herbertus Camerarius; Nicholaus Clericus; Alvinus filius *Arkill*: *Even* Marischallus; *Gillecolme*, *Mackthumperhin*, *Mackbergh*, *Macktorphrin*, *Mevin* filius Colbani.

Ego Robertus S. Andreæ Episcopus, confirmo.

Ego Gregorius Dunkeldensis Episcopus, confirmo.

Ego Andræas Katenensis Episcopus, confirmo.

Charta Henrici Hose, *Fundatoris filii, qua patris donationes confirmat & auget.*

SCiant præsentes & futuri, quòd Ego Henricus Hosatus dedi & concessi, & hâc præsenti chartâ meâ confirmavi Deo & Ecclesiæ B. Mariæ & S. Joannis Baptistæ de *Dureford*, & Canonicis ibidem Deo servientibus, in puram & perpetuam eleëmosynam, ab omni servitio & seculari exactione quietam, donationem illam, quam Henricus Hosatus, pater

Ex additamentis ad tom. 1. monastici Anglicani pag. 78.

meus dedit ad Abbatiam conſtruendam, videlicet ipſum locum de *Dureford*, cum molendino de *Dureford*, & pratum de diviſa *Hamteſire*, uſque ad pontem de *Dureford*, & paſturam omnibus nutrimentis animalium, ovium, pecorum ac jumentorum ſuorum, ex parte Aquilonis aquæ quæ vocatur *Schire*, per omnia tam in boſco, quàm in plano, & breveriam ad omnia eorum negotia, quantùm eis opus fuerit, & pratum *de la Wuiſſe*. Et apud *Standenam* terram *Vure*, quam duo fratres Ranulphus & *Seech* tenuerunt: & Capellam meam de *Standene*, cum tertia parte omnium decimarum dominici mei de *Standene*: & unam virgatam terræ apud *Bugeſgate* ad eandem Capellam pertinentem, cum omnibus pertinentiis ſuis, tam in boſco, quàm in plano; & totam decimam eſſerti mei de *Standenè*: & decimam pannagii mei de *Herting* in denariis & porcis, & totam decimam caſei, qui venit de dominica paſtura mea de *Herting*, præter unam peiſiam, quæ ad Eccleſiam de *Herting* pertinet. Et triginta ſex acras terræ in dominico meo de *Redeland*; & unam virgatam terræ apud *Hagebedene, à la Sande*, quam Alwinus tenuit; & unam croſtam, quam Robertus filius *Seman* tenuit juxta heiſiam de *Demesfond*. Præterea dedi in perpetuam & puram eleëmoſynam ad dotandam prædictam Eccleſiam de *Dureford* in die Dedicationis ejuſdem, viginti ſolidos de molendino de *Haggebedene*, quod dedi Nicholao *Blundeel* pro ſervitio ſuo, & prædicti Canonici conceſſerunt, quòd ſingulis diebus celebrabunt Miſſam ad altare ſanctæ Crucis pro fidelibus. Et de eodem molendino dedi eis quinque ſolidos ad miniſtrandum lampadem ardentem die ac nocte ante majus altare, qui viginti quinque ſolidi reddentur annuatim prædictis Canonicis per manum Nicholai *Blundeell* & hæredum ſuorum, vel ſucceſſorum, qui illud molendinum tenebunt ad duos terminos; ſcilicet ad Nativitatem Domini, duodecim ſolidos & ſex denarios, & ad Nativitatem ſancti Joannis Baptiſtæ, duodecim ſolidos & ſex denarios. Dedi etiam prædictis Canonicis ad dotandam Eccleſiam de *Dureford* in die Dedicationis ejus, totum nemus meum, quod eſt in Occidentali parte, per viam Londonienſem, quæ tendit de *Dureford* uſque ad *Stryngel*. Et confirmavi eis terram quam Clementia uxor mea, eis dedit de libero maritagio ſuo, ſcilicet totum tenementum quod Ernaldus le *Burgunnum* tenuit de Feodo Joannis de *Port* patris ſui in Magno-Vico *Wynton* & prædicti Canonici conceſſerunt, quòd ſingulis diebus celebrabunt Miſſam de ſancta Maria ſolemniter ad altare ejuſdem Virginis. Præterea dedi eiſdem in dotem prædictæ Eccleſiæ de tota annona mea ſcilicet guannagii mei quæ expenditur in domo mea ad panem faciendum, decimum quarterium ubicumque reſidentia mea fuerit in maneriis meis: & decimam de carnibus larderii mei: & quia non poteſt de facili certa ſumma teneri de emptis, loco illarum aſſignavi eis in manerio meo de *Littleton* quindecim ſolidos de molendino quod Edmundus *Lubin* tenuit, qui reddantur annuatim à quocunque molendinum illud teneatur, ad duos terminos, ſcilicet ad Nativitatem Domini, & ad Nativitatem ſancti Joannis Baptiſtæ, prædictis Canonicis: Et volo quòd denarii expendantur in coquina refectorii per manus duorum Canonicorum, quos ad hoc Conventus elegerit: Cætera ſervicia prædicti molendini remanebunt mihi & hæredibus meis & hominibus meis, ut prædicti Canonici teneant præſcriptas donationes in pace liberè & quietè & honorificè, in boſco & plano, in pratis & paſturis, in viis & ſemitis, & in omnibus locis & in omnibus libertatibus, & liberis conſuetudinibus liberæ eleëmoſynæ congruentibus.

Præterea conceſſi & confirmavi quòd donationes ſubſcriptas quæ à liberis hominibus meis, eis rationabiliter datæ ſunt, ſcilicet ex dono Walteri de *Stapulford*, terram quam Walterus Caterarius tenuit ex dono Walteri de *Waltelegh*, quatuor acras terræ terræ in *Rideland*: ex dono Walteri Hoſati terram de *Statborp*. Præterea quidquid prædictis Canonicis rationabiliter datum fuerit in eleëmoſynam à liberis hominibus meis de Feodo meo, concedo & confirmo, ſalvo tamen ſervicio Domini Regis. Præcipio etiam hæredibus meis & hominibus meis, ut ipſi prædictam Eccleſiam diligant & protegant, & manuteneant, & prædictas donationes concedant & confirment; & ut omnes prædictæ donationes ſtabiles & firmæ permaneant imperpetuum, eis præſenti chartâ & ſigilli mei munimine roboravi, pro anima Regis Henrici & Regis Richardi, & W. Comitis de *Arundel*; & pro animabus patris mei & matris meæ & uxoris meæ & liberorum meorum & prædeceſſorum & anteceſſorum meorum. Hiis teſtibus Domino Seſtrido Cyceſtrenſi Epiſcopo, Chriſtofero de *Waverleg* & Roberto de *Leiſtone* Abbatibus, Guidone de *Suthyk* & R. & S. Dioniſio Prioribus. R. Archidiacono Surreiæ, Ada de *Port*; Henrico de *Percy*; *W.* de *Alta ripa* R. *Deſanzaver* & aliis.

Charta Regis Henrici II. donatorum conceſſiones recitans & confirmans.

HEnricus Dei gratiâ Rex Angliæ, & Dux Normanniæ & Aquitaniæ, & Comes Andegaviæ. Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, Comitibus, Baronibus, Juſticiariis, Vice-Comitibus, Miniſtris & omnibus Fidelibus ſuis totius Angliæ, ſalutem.

Sciatis me conceſſiſſe & præſenti chartâ meâ confirmaſſe Deo & Eccleſiæ ſancti Joannis Baptiſtæ de *Dereford*, & Canonicis ibidem Deo ſervientibus, omnes donationes ſubſcriptas quæ eis rationabiliter datæ ſunt, chartis donatorum confirmatæ. Ex dono Henrici *Hoſe* donationem quam pater ſuus eis dederat ad Abbatiam ſuam conſtruendam; videlicet ipſum locum de *Dereford* cum molendino de *Dereford* & pratis de diviſa de *Hamteshire* uſque ad pontem de *Dereford*; & pratum de la *Wyſſe* & augmentum; donationem terræ quam eis dedit, ſicut diviſarum illarum portio deſignat: & apud *Standenam* terram de *Hura* quam duo fratres tenuerunt, & decimam paſſuagii ſui apud *Herting* in nummis & porcis, & reſiduum decimæ caſei, præter id quod ad Eccleſiam pertinet, & viginti acras terræ de dominico ſuo in *Ridelonde* & in *Wellegaſton*; & unam virgatam terræ apud *Hagebedene à la Sande* quam Alwinus tenuit: & unam croftam quam Robertus Filius *Semanni* tenuit juxta *Heyſam* de *Demesford*.

Ex dono Jocelini Fratris Reginæ unam virgatam terræ in *Hetshule*, cum ſervicio Willelmi Clerici de terra quam tenet de dono ejuſdem Jocelini in *Colliton*; ex dono Gaufridi de *Sartilli* dimidiam virgatam terræ apud *Chintone*; ex dono Willelmi Comitis Glauceſtriæ partem ſuam moræ, quæ eſt diviſa inter tenementum *Peteresfeld* & villæ de *Herting*: & tres acras terræ in longum juxta prædictam moram: & quietantiam in villa de *Pretersfeld* de omnibus achatis ſuis quæ pertinent ad victum & veſtitum eorum; ex dono Radulfi de *Meyſ-Wyle* tres ſolidatas terræ in manerio de *Subertone*, quas Ulfus tenet: ex dono Gernagani & Baſiliæ uxoris ſuæ terram Alwini *Bullac* cum eodem Alwino. Quare volo & firmiter præcipio quòd præfata Abbatia &

Canonici ibidem Deo servientes, omnia prænominata habeant & teneant, benè & in pace, liberè & quietè, integrè & honorificè, in bosco & plano, pratis & pasturis, in aquis & molendinis, in vivariis & stagnis, in viis & semitis & in omnibus aliis locis, & aliis rebus ad ea pertinentibus sicut chartæ donatorum testantur, Testibus R. *Winton* & P. Menevensi Episcopis; Gaufrido Cancellario filio meo; Magistro Waltero de *Constance*; Ranulfo de *Glanvill*, Gilleberto *Pipert*; Bertramo de *Verdon* Roberto de *Witefeld*; *Michaele Belet* apud *Wynton*.

Confirmatio Hilarii Episcopi Cicestrensis, de Situ Abbatiæ.

HIlarius Dei gratiâ Cicestrensis Episcopus, omnibus Matris Ecclesiæ filiis ad quos charta ista pervenerit, salutem. Notum sit universitati vestræ quòd Henricus *Hosatus* assensu nostro concessit Berengario Abbati de *Vullebec*, terram quamdam in loco qui dicitur *Dureford*, ad ædificandum ibi locum Religioni ad instituendos Canonicos Regulares Ordinis Præmonstratensis, & eundem locum ditavit possessionibus & rebus multis, mobilibus & immobilibus. Nos verò eandem donationem & Ordinis Institutionem in manu nostra suscepimus tuendam & protegendam: & per omnia, quod ad rationem officii nostri pertinet, rationabiliter manutenendam: & inde est quòd Regiâ chartâ & Henrici confirmatione ad ipsum locum & ordinem pertinentia roborata esse cognoscuntur, nos præsentis scripti authoritate roboramus & confirmamus & imperpetuum illibata esse præcipimus. Valete.

Confirmatio Seffridi Cyceſtrensis Episcopi, de terris à Dominis de Herting, *& aliis, concessis.*

SEffridus Dei gratiâ Cycestrensis Episcopus secundus, universis Christi fidelibus æternam in Domino salutem, ad universitatis vestræ notitiam volumus pervenirre nos bonæ memoriæ prædecessoris nostri Joannis Cycestrensis Episcopi vestigiis piè inhærentes, præsentis scripti authoritate confirmasse dilecto filio nostro Abbati de *Dureford*, & Canonicis ibidem Deo servientibus, omnibusque eorum successoribus canonicè substituendis, Ecclesiam sanctæ Dei Genitricis Mariæ & sancti Joannis Baptistæ de *Dureford* in qua sunt divino mancipati officio, cum omnibus pertinentiis; videlicet ex dono Henrici *Hosati* locum ipsum de *Dureford*, cum adjacentiis suis, sicut terminorum designat positio; ex dono *Gemegan* & uxoris ejus, terram illam quam Alwinus *Bullnc* tenuit; ex dono Walteri *Hosati* de *Stapulforn*, terram quam Walterus Cartarius tenuit; ex dono Jocelini Castellani unam virgatam in *Hetsbite*, quam Willielmus *Albus* tenuit. Et servicium Willielmi Clerici de terra quam tenuit ex dono ipsius Jocelini in *Colliton*, id est, duo mesuagia & dimidiam virgatam terræ & octo acras, unde reddidit annuatim prædictæ Ecclesiæ unam libram piperis; ex dono Jocelini nepotis Castellani, unum masagium in *Arundell* quod *Alditt Falsa* tenuit; ex dono Alani *la Zucke*, duas solidatas terræ, scilicet essartum quod Robertus *Martin* tenuit; ex dono Willielmi de *sancto Joanne* unum masagium in Cycestria: ex dono Willielmi de *Elleste* de assensu & benevolentia Roberti hæredis sui, terram illam quæ *Wikes* appellatur, quæ est apud *Wib*, de tenemento de *Ellestede*: ex dono Galfridi de *Sartilis* dimidiam virgatam terræ in... ex dono Simonis de *Waura* unum masagium in *Midhurst*; ex dono Willielmi de *Braosa* unum tunellum vini rubei de tribus modiis & dimidia in villa de *Sortcham* ad Missas celebrandas; ex dono ejusdem Willielmi unam salinam, quam *Steric de la Lae*, tenuit, quæ *Herdopvre* vocatur; ex dono Radulfi *Sanzaver*, tres solidatas terræ in tenemento de *Budintone*, quas Edwinus tenuit; ex dono Willielmi de *Altaripa* totum tenementum suum de *Be lifeld*, quod Rogerus de *Me[illegible]k* tenuit; ex dono Willielmi *Weissehre* totam terram quam Radulfus *Gardinarius* tenuit de eo in *Midhurst*; ex dono Hugonis *Buci* quartam partem salinæ de *Bedlingetone*; ex dono Roberti *Agnill* decimam molendini sui de *Merdone*; ex dono Willielmi Comitis de *Arundell* secundi, unam marcam argenti in *Merdone* de terra quam Godwimus *Stille* tenuit.

Præterea confirmavi eis donationem Henrici *Hosati* secundi, videlicet viginti acras terræ in dominico ipsius in *Ridlanda* in *Welgarston*, & unam virgatam terræ in *Haggebedene à la sonde* quam Ailwinus tenuit, & unam croftam quam Robertus filius *Semanni* tenuit juxta heisam de *Demesford*: & decimam pannagii sui in denariis & porcis, & decimam casei sui de *Herting*, præter unam peisam, quæ pertinet ad Ecclesiam de *Herting*. Præterea confirmamus eis subscriptas donationes, quæ datæ sunt prædictæ Ecclesiæ in dotem, nobis præsentibus, in die Dedicationis ipsius. Ex dono ejusdem Henrici viginti quinque solidos annuatim de molendino de *Haggebedene*, & totum nemus suum in Occidentali parte per viam *London* quæ tendit de *Dureford* usque ad *Singel*, & decimam domûs suæ scilicet de pane & de carne & de pisce: & sexdecim acras terræ de dominico suo in *Rideland* in *Wilgarstone*; ex dono Willielmi de *Watelyb* quatuor acras terræ in eodem campo; ex dono Basiliæ de *Wenham*, croftam quæ est juxta terram, quam Walterus Cartarius tenuit, & pratum de la *Wesse*, quod jacet juxta aquam, à parte Aquilonis. Hæc & alia omnia quæ in Episcopatu nostro justis & rationabilibus causis in posterum ipsis obvenerint, ipsorum usui perpetuo profutura concedimus & confirmamus. Quod etiam ex privilegio Romanæ sedis eis indultum est, ut quilquis de Episcopatu Cestriæ apud ipsos se sepeliri delegerit, nisi excommunicatus vel interdictus fuerit, liberè ibi sepeliatur, annuimus, salvâ tamen justitiâ illius Ecclesiæ à qua mortui corpus assumitur. Ad hæc etiam confirmamus eis ex dono personæ de *Ellestede* Richardi, consensu Roberti fratris sui, omnes decimas de terra sua quas habent apud *Wibuse*, reddendo inde annuatim dimidiam libram liberi incensi Ecclesiæ de *Ellestede* in festo sancti Michaëlis: ex dono Alani de *sancto Georgio* quinque solidos annuatim recipiendos de terra quam Richardus de *Stanleg*, tenuit, & de homine illo quicumque ipsam terram in posterum tenuerit sicut Donatorum chartæ testantur. Testibus &c.

Charta pro fundatione Ecclesiæ Dunwaldensis *anno 1117.*

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Fridericus * licet indignus & peccator; tamen Dei gratiâ Coloniensis Ecclesiæ Archiepiscopus. Notum sit omnibus Christi fidelibus tam successuris quàm præsentibus, quòd quidam Heidenricus, vir totus in Dei opere conversus, cùm diligenter adverteret illum rectè frui rebus transitoriis, qui ex his adipisci merebitur præmia Regni cœlestis, cupiens & ipse consequi funiculum supernæ hæreditatis, quandam patrimonii sui portionem divinis usibus in hunc modum delegavit, nam prædium quoddam beati Petri quindecim videlicet jurnales, quindecim denariorum censum reddentes, pro eo quo ad divinæ re-

* De Carinthia primus nomine, frater Engelberti Carinthiæ Ducis & Ratisbonensis Episcopi: Hermanno 3°. Coloniensi Archiepiscopo defuncto 2. Kal. Decembris 1099. successit anno eodem.

ligionis cultum aptiùs videretur, octo sui patrimonii jurnalibus, decem & octo denarios solventibus per manum Comitis Adolphi legitimi Advocati, in hoc itaque prædio, consensu & authoritate nostrâ construi fecit Ecclesiam; Nos qui tum ob pium ipsius in divinâ servitute fervorem, tum etiam, ut sicut in devotione pares, ita essemus in remuneratione participes, precibus ejusdem annuimus, ut si qui viri Religiosi altioris propositi Deo illic sub regulari habitu servire deligerent, explendi desiderii sui liberam omnino haberent potestatem: porro ipsam Ecclesiam ab omni debito tam Episcopalis servitii, quam Chorepiscopi, Decani, nec non ab omni jure Synodali liberam prorsùs & immunem fecimus. Hoc insuper ei privilegium sanctientes, ne, nobis exceptis, cujusquam subjectioni quidquam debeat, sed quidquid illic tractandum, examinandumque fuerit, in nostro nostrorumque successorum arbitrio ac potestate consistat. Ad hæc visum est nobis eandem Ecclesiam baptismalem facere sepulturam & cum universis Sacramentis ad Matricem Ecclesiam pertinentibus indulgere, atque hæc omnia in eam fecimus conditionem, ut qui ibidem Deo deserviunt, nostram specialiter nostrorumque successorum in suis orationibus memoriam piè semper, inviolatèque custodiant. Hoc quoque providemus ut decimas omnium totius sylvæ, quæ *Dunwalt* vocatur, ubi & ipsa Ecclesia fundata est, quocumque tempore fiat, novalium ad eandem Ecclesiam in perpetuum terminaremus. Quisquis ergo seu prædictum concambium sive aliquid eorum quæ nostro beneficio prædictæ Ecclesiæ concessa sunt, ausu temerario vel infringere, vel imminuere præsumpserit, si non resipuerit, nec satisfacere voluerit, banno Dei & sancti Petri & nostro in perpetuum anathema. Ut igitur omnia firma & inconcussa permaneant, hanc inde chartam fieri, ac nostro sigillo jussimus insigniri. Factum est autem hoc concambium consentiente Domino Joanne sancti Petri Præposito; renovatum verò & confirmatum per Dominum Henricum, proximum ipsius successorem, anno Dominicæ Incarnationis MCXVII. Indictione x. cùm idonei testes adessent, quorum nomina subsequuntur. Henricus S. Petri Præpositus, Echebertus Decanus, Adelardus S. Andreæ Præpositus, Adolphus Comes de *Monte* & Frater ejus Everhardus. Gerhardus Comes de *Walsenbenz*, Theodoricus Comes de *Tonburch*, Theodoricus Comes de *Ara*, Dominus Goswinus de *Hennesberg* & frater ejus, Ministeriales S. Petri, *Almer* Advocatus, Conradus *Hardwigis*, quorum omnium testimonio præfatus Comes Adolphus ejusdem sylvæ jam dictas decimas, cùm à me in beneficio teneret, ut eidem Ecclesiæ attinuarentur, suâ voluntate coram omnibus mihi reddit: meo etiam rogatu Herimannus filius Herimanni Ministerialis mei, quique mansos in prædicto nemore sitos, quos à me in beneficio habuit, hâc reddidit conditione ut eidem Ecclesiæ ego pro ipsius animæ ac parentum ejus remedio contraderem, quod & libenter feci coram his testibus, quorum hæc nomina sunt: Adolphus Comes de *Monte*, Gerhardus Comes de *Trachsenberg* & filius ejus, Gerhardus Gosswinus de *Hennasberg* & frater ejus Gerardus de *Wiselkrade*, Almerus Advocatus, Heindericus de *Aldendorff*, *Hevnrich*, de *Dornicho Emelrich*. *Herman*; *Johan Reiber*.

Charta Walrami Coloniensis Archiepiscopi, pro fundatione altaris S. Blasii in Dwmwaldt. *Anno 1347.*

(a)

WAlramus Dei gratiâ, sanctæ Coloniensis Ecclesiæ Archiepiscopus, sacri Imperii per Italiam Archicancellarius, universis Christi fidelibus præsentes litteras visuris & audituris salutem in Domino sempiternam & rei gestæ cognoscere veritatem. Cura Pastoralis sollicitudinis nostris humeris incumbentis, postulat & exposcit, ut his, qui divini cultûs augmentum & profectum respiciunt animarum, libenti animo & congaudenti pietatis visceribus intendamus. Sanè itaque cum spectabilis vir Adolphus Comes consanguineus noster dilectus & Agnes ejus collateralis Commitissa de *Monte*, providè considerantes quòd hujus sæculi viatoribus ad æternæ beatitudinis felicitatem comprehendendam, nulla, testante Apostolo, prodesse possint beneficia si non fuerint charitatis operibus insignita, volentes suæ vitæ peregrinationis terminum hujus supremæ virtutis operibus prævenire, de bonis suis propriis altare S. Blasii situm in Ecclesia parochiali de *Dumwalde*, nostræ Coloniensis Diœcesis, per sustentationem Sacerdotis idonei, qui ipsi altari præsit in divinis, ac legitimo impedimento cessante quotidiè Missam celebret, vel per alium Presbyterum idoneum celebrari procuret, ac ipsorum suorumque progenitorum, militumque & fidelium eorumdem qui nuper in acie Comitis prædicti, in campis civitatis Leodiensis ceciderunt, memoriam ibi peragat, & omnium Creatori studeat devotè famulari, dotare desiderent & affectent: supplicantes nobis humiliter & devotè quatenùs bona per ipsos ad hoc deputata, videlicet redditus annuos viginti maldrorum * siliginis, mensuræ Coloniensis, ex curte eorum in *Upladin* & viginti maldrorum avenæ mensuræ ejusdem, & quatuor marcarum pagamenti Coloniensis ex curte ipsorum in *Odindarne* sita, & duorum quartalium lignorum ex sylva ipsorum, dicta vulgariter *Lambersbush* ipsi altari pro dote applicare & de ea perpetuum beneficium creare, ac Comiti prædicto suisque successoribus jus præsentandi personam idoneam secularem actu in Sacerdotio existentem duntaxat, ac totale jus patronatûs reservare dignaremur. Nos itaquè Comitis & Comitissæ prædictorum precibus inclinati, volentes in hoc ipsorum pio & laudabili proposito confavere, receptâ priùs fide, quod curtes & sylva prædictæ, sunt & fuerunt in Comitis & Comitissæ prædictorum potestate, quanquam dictarum curtium & sylvæ fructus ad præstationem annuam redditunm sufficiunt prædictorum, postquàm nobis de præmissis sufficienter constitit, dictos redditus pro sustentatione congrua Sacerdotis eidem altari præficiendi, sufficere decrevimus & decernimus per præsentes, ipsorum redditum resignatione recepta, ipsos altari prædicto pro dote applicavimus, & præsentibus applicamus, volentes quòd redditus prædicti, eidem altari per nos in dotem applicati, quos Ecclesiasticæ ascribimus libertati, omnibus privilegiis, libertatibus, immunitatibus, consuetudinibus & juribus, quæ alia bona Ecclesiastica nostrarum civitatum & Diœcesis, de jure vel consuetudine, ac statutis nostris vel prædecessorum nostrorum, habere dignoscuntur in an-

* Maldrum mensura Germanica continens quatuor modios.

(a) Walramus de Juliaco, Gerardi Comitis Juliacensis & Elisabethæ filiæ Comitis Geldriæ filius, ætatis suæ anno 27. Christi 1332. electus est Coloniensis Archiepiscopus contra Adolphum *de la Mark* Leodiensem Episcopum. Prius præpositus fuerat Leodiensis & Gandensis, ac Metropolitanæ Ecclesiæ Coloniensis Thesaurarius. Parisiis, deinde Aureliæ, studiis operam dederat. Carthusiam Coloniæ instituit, Bonnæ Carolum IV. unxit in Regem Romanorum. Rexit cum summa laude undecim annis. Cedens tamen fortunæ adversæ, Parisiis peregrinus, die 14. Augusti ibidem obiit; inde translatus est Coloniam.

tea, gaudeant & fruantur, ac de consensu dilecti nobis in Christo Marsilii Abbatis Steinfeldensis, Ordinis Præmonstratensis, nostræ Diœcesis, cujus curæ & sollicitudini monasterium Sanctimonialium in *Dwmwald* ejusdem Ordinis Præmonstratensis, dictæ Diœcesis, dignoscitur esse subjectum, cujusque Abbatiæ Ecclesia parochialis in *Dwmwalde* prædicta annexa est, ut dicitur, & unita, de altari prædicto perpetuum beneficium præsentibus facimus & creamus sub modis & conditionibus infra scriptis. Verùm ut pro nunc & in posterùm, Comes prædictus suique successores, personam secularem idoneam, actu in Sacerdotio existentem, duntaxat Abbati monasterii Steinfeldensis prædicti, pro tempore existenti, pro institutione & investitura ab ipso recipienda præsentet, aliàs præsentatio ad ipsum altare, facta investitura, si subsequuta fuerit, ipso jure non valeat, nec instituto ad ipsum altare ex institutione contra præmissa præsumpta jus aliquod acquiratur, & quòd oblationes quæ in dicto altari offeruntur, matrici Ecclesiæ præsententur & assignentur fideliter, & ex toto omni fraude cessante, quominùs offerantur, vel oblatæ jam prædictæ Ecclesiæ matrici præsententur; ad quam fraudem evitandam, quælibet persona postquàm in dicto altari instituta fuerit, suo juramento coram Abbate monasterii prædicti pro tempore existenti, se astringat, & nihilominus quòd hæ personæ, quæ in dicto altari instituuntur, domum habitationis infra septa dicti monasterii in *Dwmwalde*, nequaquàm habeant, sed extra ipsam & nihilominùs si eædem personæ vel infra septa dicti monasterii *Dwmwalde*, excesserint; quòd quibuslibet reclamationibus remotis in hoc præfati Abbatis & suorum successorum correctioni subjaceant. Volumus tamen & nostræ intentionis existit, quòd per præmissa seu eorum aliquid privilegiis & statutis ipsius Abbatis & monasterii Steinfeldensis supra dicti, seu dicti Ordinis, prout idem Abbas in consensu suo præmissis adhibito extitit protestatus, in quantum præmissa seu aliquid præmissorum contra ipsa privilegia & statuta factum est aut fieret, minimè derogetur. Datum sub sigillo nostro præsentibus appenso, anno Domini MCCCXLVII. decimâ sextâ mensis Aprilis.

Charta Conradi Coloniensis Archiepiscopi, pro restitutione Parthenonis Dwmwaldensis *Steinfeldiæ, anno 1257.*

* Electus est Coloniensis Archiepiscopus anno 1237. Coloniæ moritur anno 1261. 28. Sept. de Bo jam alibi.

CONradus * Dei gratiâ sanctæ Coloniensis Ecclesiæ Archiepiscopus, sacri Imperii per Italiam Archicancellarius, viris religiosis in Domino dilectis Abbati, totique Conventui Steinfeldensis Ecclesiæ, Præmonstratensis Ordinis, salutem in omnium salutari. Etsi non nostris meritis in vinea Domini Sabaoth positi simus cultores pariter & custodes, quia tamen sic placuit divinæ voluntati, ex officio sollicitudinis hujus, pro possibilitatis nostræ modulo, curam gerere satagimus & agere desideramus operam, ut vineæ Domini propagines, flores honoris & fructus afferant sanctitatis, dum videlicet vitiorum sentes eradicare cupientes, & errorum, plantulas fructiferas inserere curamus sollicitiùs & rigare, Dei gratiâ ministrante, incrementum profectûs salutaris pariter & virtutis. Ea propter cùm dilectæ in Domino filiæ Sanctimoniales in *Dwmwald*, quæ quondam vestro Ordini, vestræque curæ ac provisioni fuerant subjectæ, ex causis quibusdam tam ab Ordine vestro quàm à vestra sollicitudine fuerunt separatæ, quidquam in hac parte, vel per errorem, vel per ignorantiam seu aliam quamcumque causam actum est indebitè, vel injustè, ad justitiæ normam & æquitatis regulam cupimus reformare. Authoritate igitur præsentium ac tenore, de consensu totius Capituli, ac favore, memoratas Sanctimoniales Ordini Præmonstratensi & Ecclesiæ Steinfeldensi restituimus, cum omni jure ac disciplina, secundùm quod ad eundem Ordinem, eandemque pertinebat Ecclesiam, antequàm fieret memorata separatio, cujus supra fecimus mentionem. Verùm quoniam felicis memoriæ Fridericus Coloniensis Ecclesiæ Archiepiscopus prædecessor noster, privilegium quoddam dedit Sanctimonialibus antedictis, id ipsum salvum & illibatum per omnia volumus permanere: insuper absolvimus authoritate præsentium omnes personas quæ in præsentiarum tam in spiritualibus, quam in temporalibus, præsunt sæpedictis Sanctimonialibus, ita ut nec restitui possint, nisi personas easdem restitui Abbati Steinfeldensi, vel ejus Vicario visum fuerit expedire. Datum Coloniæ anno Domini MCCLVII. Idus Maii.

Bulla Urbani VIII. pro unione & applicatione redituum monasterii Dwmwaldensis*, Collegio sancti Norberti intrà Coloniam anno 1643.*

URbanus Papa VIII. ad futuram rei memoriam. Nuper pro parte dilecti filii Norberti *Horichem* Abbatis monasterii Steinfeldensis, ac per provinciam Rheni inferioris, Vicarii generalis & Commissarii Apostolici, Præmonstratensis Ordinis, Nobis expositum fuit, quòd ipse providè considerans onus & amplitudinem curæ animarum secularium Ordini præfato in dicta Provincia incumbentis, ac perpendens idoneorum Parochorum, qui in tanta hæreticorum, fidem orthodoxam in illis partibus impugnantium, colluvie, exemplo vitæ, & verbo doctrinæ salutaris, gregem dominicum pascant, raritatem & penuriam, illique nullâ salubriori ratione succurri, administrationemque curæ animarum hujusmodi, nullâ re feliciùs exerceri & efficaciùs promoveri posse, quàm per erectionem Collegii seu Seminarii Canonicorum regularium dicti Ordinis, in civitate Coloniensi, quæ etiam Universitas studii generalis Apostolicâ authoritate comprobata existit: in quo Collegio, seu Seminario Canonici regulares hujusmodi è diversis monasteriis illuc mittendi, præter pietatis & disciplinæ regularis exercitia, Philosophiæ ac Theologiæ, sacrarumque Litterarum studiis, graviter incumbant, ut ex eorum cœtu velut perpetuo virorum, pietate & doctrinâ insignium, Seminario, Parochi, Capellani, Confessarii, ac Cathechistæ, Philosophiæ quoque ac Theologiæ Professores, per diversas parochias & Conventus dicti Ordinis distribuendi seligerentur, qui vitæ morumque probitate ac doctrina præstantes, veram Catholicam fidem, voce & calamo propugnare, lupósque ab ovili Dominico arcere & animas pretioso Jesu-Christi Domini nostri sanguine redemptas, pulsis procul ignorantiæ errorumque tenebris, verbo doctrinæ salutaris instruere & in semitam veritatis & mandatorum Dei dirigere possint; idcirco his & aliis justis causis, animum suum moventibus, unum eorumdem Canonicorum regularium Seminarium in domo ad monasterium Steinfeldense præfatum spectante, in dicta civitate Coloniensi, cum Oratorio publico, sub invocatione S. Norberti, ac officinis,

cellis, & ſupellectile, vitæ regulari congruentibus, ſub certis modo & forma tunc expreſſis, inſtituit, erexit, & de fructibus Eccleſiæ de *Dimwald* Colonienſis Diœceſis, ad idem monaſterium Steinfeldenſe pariter ſpectantis, de conſenſu Conventûs monaſterii hujuſmodi dotavit, ac inſtitutionem, erectionem & dotationem hujuſmodi per venerabilem Fratrem Fabium Epiſcopum Neritonenſem, noſtrum & Apoſtolicæ ſedis ad tractum Rheni & partes inferioris Germaniæ cum poteſtate Legati de *latere* Nuncium, confirmari & approbari obtinuit, & aliàs prout in ſcripturis & patentibus ejuſdem Fabii Epiſcopi & Nuncii Litteris deſuper confectis, uberiùs dicitur contineri. Cùm autem ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, dictus Norbertus Abbas, Seminarium præfatum ſub noſtra & Congregationis venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium, negotio propagandæ fidei præpoſitorum, protectione ſuſcipi ſummoperè deſideret, Nos attendentes quòd Canonici regulares dicti Ordinis, ſub directione Epiſcoporum curam ſuſcipiunt animarum, quodque alumni in dicto Seminario inſtructi, poterunt ad Miſſiones in diverſis locis Germaniæ, hæreſi infectis, ab eadem Congregatione deſtinari ſine ejus diſpendio, cùm dictus Ordo multa habeat monaſteria in locis hæreticorum; ac dictum Norbertum Abbatem ſpecialibus favoribus & gratiis proſequi volentes, cumque à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis à jure vel ab homine, quavis occaſione vel cauſâ latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes & abſolutum fore cenſentes; ſupplicationibus ejus nomine nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, Seminarium S. Norberti hujuſmodi, ut præfertur, erectum & approbatum ſub noſtra & Sanctæ ſedis Apoſtolicæ, dictæque Congregationis protectione recipimus, ac præfato Abbati ſeu illius Conventui ſive Congregationi Præmonſtratenſi, omnia & ſingula in erectione dicti Seminarii & illius confirmatione contenta, abſque expreſſo conſenſu noſtro, ac præfatæ Cardinalium Congregationis, retractandi, immutandi, & alterandi, ſeu circa ea aliter diſponendi & diſpenſandi omnem facultatem, poteſtatem & authoritatem, non tamen ampliandi & augendi prorſus adimimus. Quocirca dilecto filio noſtro S. R. E. Cardinali Judici nunc & pro tempore à dictis Fratribus noſtris, pro negotiis præfatæ Congregationis deputato, per eaſdem præſentes injungimus, quatenus ipſe per ſe vel per alium, ſeu alios, de conſenſu eorumdem Fratrum noſtrorum deputatos ſeu deputandos, eaſdem præſentes Litteras & in eis contenta quæcumque, ubi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Norberti Abbatis ac Rectoris Alumnorum, Scholarium ac Officialium Seminarii præfati fuerit requiſitus, ſolemniter publicans, illiſque efficacis defenſionis præſidio aſſiſtens, faciat authoritate noſtrâ eaſdem præſentes & in eis contenta hujuſmodi, ab omnibus ad quos ſpectat & pro tempore ſpectabit, firmiter & inviolabiliter obſervari, ac præfatos illis pacificè frui & gaudere, non permittentes eos deſuper per quoſcumque indebitè moleſtari, contradictores quoſlibet & rebelles per ſententias, cenſuras & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque præmiſſa juris & facti remedia, appellatione poſtpoſitâ, compeſcendo, ac cenſuras ac pœnas ipſas, ſervatâ formâ Concilii Tridentini, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis, nonobſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac monaſterii, Ordinis & civitatis præfatorum etiam juramento, confirmatione Apoſtolicâ & quâvis firmitate aliâ roboratis, ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis & litteris Apoſtolicis quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus & inſolitis clauſulis irritantibuſque & aliis decretis in genere vel in ſpecie, etiam motu, ſcientiâ & poteſtatis plenitudine, ac aliàs quomodolibet, etiam iteratis vicibus conceſſis, confirmatis & innovatis. Quibus omnibus, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma, ad hoc ſervanda foret tenoris hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum inſerti forent eiſdem, præſentibus pro plenè & ſufficienter expreſſis habendis, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad effectum præmiſſum ſpecialiter & expreſſè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque, aut ſi aliquibus communiter vel diviſim ab eadem ſit Sede indultum, quòd interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per Litteras apoſtolicas, non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Volumus autem quòd earumdem præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis & ſigillo communi dicti Collegii ſeu Seminarii S. Norberti, aut alicujus curiæ Eccleſiaſticæ, ſeu perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in judicio & extra, adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die XXII. Decembris MDCXLIII. Pontificatûs noſtri XXI.

M. A. MARCALDUS.

Epiſtola Mathiæ Abbatis Kneeſtedenſis quâ ſupplicat Abbati Præmonſtr. ut Paternitatem in Ellenſe *Parthenium committat Abbati Steinfeldenſi. Anno 1308.*

REverendo in Chriſto Patri ac Domino ſuo cariſſimo Domino Abbati Præmonſtrati, M. Dei patientia Kneyſteydenſis Abbas, reverentiam & obedientiam in omnibus tam debitam, quàm paratam.

Cùm nobis Eccleſiam Sororum de *Eylteme*, quæ jam dudum ab Ordine apoſtaverat, regendam commiſeritis, & noſtra fuerit filia ſpecialis; nos verò propter defectum perſonarum & diſtantiam loci ipſam deffendere, & de ea diſponere non poſſimus; Reverendæ veſtræ paternitati ſupplicamus precibus ſerioſis, quatenùs nos à filiatione dictæ Eccleſiæ abſolvatis, & ipſam regendam Domino Abbati Steinfeldenſi committatis; qui ratione amicorum ſuorum, ac etiam ſufficientiâ perſonarum poterit ipſam commodiùs gubernare. In Domino valeat veſtra Paternitas reverenda. Datum anno Domini MCCCVIII. in Vigilia B. Michaëlis.

Inſtrumentum Tranſlationis juris Paternitatis in Ellenſe *Parthenium ab Abbate Kneſtedenſi in Steinfeldenſem. Anno 1308.*

UNiverſis Chriſti fidelibus præſens ſcriptum viſuris, M. Dei patientiâ Abbas Kneyſtedenſis, Prior, Supprior, totuſque ejuſdem Eccleſiæ Conventus, ſalutem cum notitia veritatis.

Cùm Eccleſia de *Elne*, quæ retroactis temporibus noſtra

nostra fuit filia specialis, in viam erroris jam longo tempore sit collapsa; ita quòd nostrum Ordinem reliquerit minus justè, & se subjecerit regimini aliorum: ipsæ tamen ad cor reversæ dicuntur pietatis gratiâ annuente & aspirante, ad viam justitiæ & æquitatis regulam redire desiderant & affectant. Verùm cùm jus Paternitatis in ipsam Ecclesiam ad nos hucusque pertinuerit, & nostro regimini subjecta fuerit, nos attendentes utilitatem ipsius Ecclesiæ, ad expensas minuendas, jus Paternitatis & quidquid juris in dictam Ecclesiam habere consuevimus, in manus Reverendi in Christo Patris Domini Abbatis Steinfeldensis, & suorum successorum in perpetuum resignamus in his scriptis, communi consensu & liberâ voluntate. Datum anno Domini MCCCVIII.

Decretum Capituli generalis, quo Paternitas in Ellen *asseritur Steinfeldia Abbati, Anno 1308.*

ADam Dei patientiâ Præmonstratensis Abbas, & Abbatum ejusdem Ordinis Capitulum generale, venerabili & dilecto in Christo Fratri Abbati Steinfeldensi, salutem, & sinceram in Domino charitatem. Paternitatem Ecclesiæ Sororum de *Ellene*, quæ quondam Abbati Kneestedensi subjecta fuit, de voluntate & consensu Abbatis & Conventûs dictæ Ecclesiæ Kneestedensis, vobis, successoribus vestris, & Ecclesiæ vestræ volumus perpetualiter assignari; mandantes vobis præcipiendo firmiter & districtè, quatenus de cætero, de dicta Ecclesia & Sororibus ejusdem sollicitè & attentè, tanquam de vestris & vestra propria Ecclesia filiali, curam gerere fideliter studeatis; contradictores, si qui fuerint, & rebelles per censuram Ecclesiasticam compescendo, invocato ad hoc, si necesse fuerit, auxilio brachii secularis. Datum Præmonstrati Anno Domini MCCCVIII., sedente nostro Capitulo generali.

Decretum Capituli generalis de eadem Paternitate. Anno 1492.

HUbertus permissione Divinâ Præmonstratensis Abbas, & Abbatum ejusdem Ordinis Capitulum generale, venerabili Confratri nostro Abbati monasterii Steinfeldensis, dicti nostri Ordinis Præmonstr., Diœcesis Coloniensis, salutem in Domino sempiternam. Jus Paternitatis in monasterio de *Ellene* Sororum ejusdem nostri Ordinis, siquidem vobis & vestris successoribus virtute cujusdam antiquæ & vetustæ concessionis Capituli nostri Generalis, de dato videlicet anni 1308, cui præsens hæc nostra confirmatio adnectitur, vobis & successoribus vestris confirmamus; præcipientes præfatis Sororibus, ut vobis & successoribus vestris obedientiam, reverentiam & honorem Patribus Abbatibus debitam impendant. Et ne cuiquam per hanc nostram confirmationem præjudicium faciamus, omnes contradicere volentes ad instans proximè Capitulum à tempore contradictionis, auctoritate nostrâ coram nobis citetis, causam suæ contradictionis allegaturos. Datum in monasterio S. Evodii de Brana, nostri prætacti Ordinis, Diœcesis Suessionensis, sub sigillo nostri generalis Capituli, anno MCCCXCII., die vigesimâ sextâ mensis Maii, sedente ibidem nostro Capitulo Generali.

Charta Henrici Episcopi Tullensis, pro confirmatione monasterii Flabonis-montis. *Anno 1140.*

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, Patris & Filii, & Spiritûs Sancti. Henricus Dei gratiâ Tullensium humilis Minister & Servus, dilecto filio suo Abbati de *Flabonis-monte*, ejusque Fratribus ibidem Deo servientibus, & eorum successoribus in perpetuum. Quoniam licet indigni vicem gerimus pauperis illius, qui cùm dives esset, pro nobis pauper fieri dignatus est, ut ejus inopiâ ditaremur, ex ejus imitatione decet, & exigit nostrum officium pauperibus compati & condescendere, commissis nobis paterno affectu subvenire, præcipuè tamen illis, qui ruptis hujus mundi illecebris, pro amore Christi se & sua relinquentes, exierunt ad eum extrà castra, improperium ejus cum gaudio portantes; de quorum quidem numero, charissimi Fratres & Filii de Flabonismonte, quia vos esse & speramus & gaudemus, memores paupertatis vestræ, & boni propositi vestri; paci & quieti vestræ, & successorum vestrorum providere curavimus, & ut beneficia Ecclesiæ vestræ collata tam vobis quàm posteris vestris rata & inconvulsa permaneant, auctoritatis nostræ paginâ munire decrevimus. Primùm igitur confirmamus vobis locum ipsum prænominatum, quem Deo & Sanctæ Mariæ & vobis vestrisque successoribus sub Regulâ B. Augustini, & secundùm instituta Præmonstratensis Conventûs Deo servientibus contulit per manum nostram Comes Hugo de *Wademont*, & uxor ejus Comitissa Adelina, pro remedio animarum suarû, petente hoc Widone de *Agremont*, cujus erat feodum, & annuentibus hæredibus ejus Ulrico de *Porterna*, & Viardo de *Deuilly*, cum omnibus appenditiis suis, terris cultis & incultis, pratis, sylvis, aquis, molendinis, & usuarium omnimodum in banno de *Baugneval*, tam in sylvis quàm in pascuis, & quod vobis contradidit Genoldus & Herbertus, & Regina & eorum hæredes, scilicet quidquid juris habebant in prædicta terra vobis collata, tam à se, quàm à Dominis suis. Prætereà confirmamus vobis locum, qui dicitur *Bertini rivus*, quem supradictus Comes Hugo, & uxor ejus Adelina vobis donavit, petente & annuente Nicholao de *Domeuvre*, & Alberto *Levasset* de *Wademont*, quorum erat feodum, & partem, quam ibidem habebat Dux Simon, quam vobis concessit pro remedio animæ suæ. Hoc quoque memoriæ commendare curavimus, quod Comes Hugo ad dilatandam pauperum possessionem, concessit ut quicumque suorum, vel de alodio suo, vel de feodo à se movente eisdem Fratribus aliquid vellet. . . . . Hæc itaque & alia, quæ justè possideris, & justè suscipietis, vobis confirmamus, & ut illibata vobis permaneant, sigillo nostræ auctoritatis firmare decrevimus. Si qua igitur Ecclesiastica secularisve persona, &c. Datum Tulli anno ab Incarnatione Domini nostri Jesu-Christi, MCXL., Indictione III., Concurrente I., Epactâ nullâ, præsidente sedi Apostolicæ Innocentio Papâ II., regnante Romanorum Rege Conrado.

S. Durandi Abbatis S. Apri.
S. Rainaldi Abbatis S. Mansueti.
S. Rurici Abbatis S. Salvatoris Calmosiacensis.
S. Durandi Abbatis Sanctæ Trinitatis.
S. Stephani Decani & Archidiaconi.
S. Hugonis Archidiaconi.

S. Hugonis de *Gundricurt* Archidiaconi.
S. Hannonis Archidiaconi.
S. Henrici Archidiaconi.
S. Hannonis Magistri.
S. Walteri Cancellarii.

Bulla Eugenii III. pro Abbatia Flabonis-montis. *Anno 1148.*

EUgenius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis, Stephano Abbati S. Mariæ de *Flabonis-monte*; ejusque Fratribus tam præsentibus quàm futuris, religiosam vitam professis, in perpetuum. Apostolicæ sedis auctoritate debitoque compellimur pro universarum Ecclesiarum statu satagere, & eorum quieti, auxiliante Domino, providere. Ea propter dilecti in Domino Filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & Flabonismontis Ecclesiam, in qua divino mancipati estis obsequio, sub B. Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti patrocinio communimus: statuentes ut quascumque possessiones, quæcumque bona in terris cultis & incultis, pratis, sylvis, pascuis, molendinis, decimis, seu aliis, eadem Ecclesia in præsentiarum justè & canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione Fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus illibata permaneant; in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Ipsam videlicet Ecclesiam Sanctæ Mariæ Flabonis-montis, cum eodem loco, & omnibus appenditiis suis. Decimam, quam Genoldus & hæredes ejus in prædicto loco habebant, & allodium de *Lielencourt*, cum molendino ab eodem & Horrico, cum hæredibus eorum, vobis concesso; & quidquid Ecclesia de *Romengis* ibidem possidebat. Duo molendina & usuarium territorii de *Baigneval*. Terram quam Luxoviensis Abbas infrà vestrum ambitum possidebat. Locum qui dicitur *Bertini rivus*, à Comite Hugone supradictæ Ecclesiæ pro animæ suæ remedio donatum, & quidquid à Simone Duce in eodem loco vobis concessum est. Libertatem quam à prædicto Comite accepistis, ut quicumque de alodio suo seu feodo ad eum pertinente, Ecclesiæ vestræ vellet impertiri, eis liceret dare, & vobis accipere. Curtem de *Dura aqua* cum molendino, quod vocatur *Munel*, & omnibus pertinentiis suis. Decimas quas Ecclesia S. Vincentii Bisuntini, & quidquid in culta terra per vos ad agriculturam reducetur, vobis concessit. Illud etiam quod à Leobaldo & hæredibus ejus de supradictis decimis vobis concessum est. Terram quæ dicitur *Frigidus fons*, cum usu pascuæ de *Hagevilla*. Præterea decimam quam Albericus de *Tillut* donavit vobis nihilominùs confirmamus. Decernimus ergò ut nulli omninò hominum liceat, &c.

Ego Eugenius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus, &c.

Datum Remis per manum, &c. VI. Idus Aprilis Indictione XI. Anno MCXLVIII. Eugenii Papæ III. Anno quarto.

Charta Henrici Tullensis Episcopi, Ecclesiam de Sancto Juliano *Flabonis-montis Abbatia concedentis. Anno 1161.*

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ego Henricus per Dei misericordiam Tullensis Episcopus, omnibus in Christo Fidelibus tam futuris, quàm præsentibus. Dignum esse arbitramur, &c. Indè est quod Ecclesiæ Flabonismontis ex dilectione ipsius Abbatis Stephani, & Fratrum suorum contulimus quidquid juris habebamus in Ecclesia S. Juliani; infrà terminos cujus Parochiæ sita est prædicta Abbatia. Concessimus autem prædictæ Ecclesiæ hoc donum tùm ex nostra devotione, tùm ex rogatu Olderici ejusdem Parochiæ Archidiaconi, & voluntaria concessione; salvo tamen jure Tullensis Ecclesiæ. Hoc etiam notum facimus quòd Petrus Sacerdos prædictam Ecclesiam spontaneè in manu nostra resignavit: quam cùm Abbati canonicè dedissemus, Abbas iterum eâ eundem reinvestivit, hâc tamen libertate, ut eo defuncto ad Abbatem, seu Abbatiæ Fratres deinceps pertineat quamlibet idoneam personam in præfata Parochia conducere. Illud etiam præterire nolumus, quòd Petrus Miles de Sancto Juliano conductum præfatæ Parochiæ, qui ad eum pertinebat, per manum nostram dedit Fratribus prædictæ Abbatiæ pro salute animæ suæ, & hoc laude & assensu eorum, à quibus eum lege feodi tenuerat, scilicet Olderici de *Gisneis*, & Domini Widonis *Junciville*. Et hoc ut in posterum ratum permaneat, sigilli nostri impressione confirmamus. Hujus rei testes sunt *Haimo* Decanus & Archidiaconus; Oldericus prædicti Archidiaconus loci; Petrus Decanus ejusdem Parochiæ; Hugo Abbas S. Apri; Cono Abbas S. Mariæ de nemore; Symon Abbas Rengisvallis. De dono Petri Militis testes Walterius Capellanus de *Deuly*; Rainerus Miles de *Nancey*; Beraldus de *Daule*. Anno 1161, ab Incarnatione Domini Indictione XI. Epacta XXII., concurrente VI. Luna XXVII.

Charta ejusdem Henrici confirmativa decimarum Sancti Juliani in gratiam Flabonis-montis.

IN Nomine, &c. Henricus Dei gratiâ Leuchorum Episcopus dilectis Filiis Stephano Abbati de Flabonis-monte & Fratribus ejus, &c. Pastoralis officii, &c. Ea propter dilectis præfatis filiis Stephano primo ejusdem loci Abbati, & Fratribus ejus, eorumque successoribus, quod à nobis postulaverunt ex dono Petri Militis de Sancto Juliano, & Adelmæ matris ejus, Hersendis uxoris præfati Petri, Cononis & Havidis, quæ *Blania* vocatur, hæredum eorum, tractum Ecclesiæ Sancti Juliani, & quidquid omninò ad tractum pertinet, & omnes decimas.... auctoritate nostrâ confirmamus, & sigilli nostri impressione munimus.... Notum etiam facimus quòd prædictus Abbas Stephanus & Fratres ejus... duas proneptes prædicti Petri habitum religionis quærentes susceperunt. Nolumus etiam oblivionis fera ottrudere concessionem, quam fecit Olricus de *Guineis* Flabonis-montis Ecclesiæ, de quibusdam donis supradictis, quæ ad eum pertinebant..... pro sorore sua, quæ Conversa facta est in eadem Ecclesia. Ut ergò hæc omnia supradicta rata sint, &c. Testes magister Hamo Archidiaconus & Decanus; Odo Archidiaconus & Thesaurarius: Petrus Archidiaconus & Cantor: Walterus Archidiaconus: Albricus Archidiaconus & Capellanus: Hugo Abbas S. Apri: Johannes Abbas S. Mansueti: Willelmus Abbas de *Mirvaut*: Milites Sigifridus Advocatus; Henricus de *Ceceuval*. Testes etiam qui donis supradictis apud Flabonis-montem factis interfuerunt, Olricus Dominus de *Deulleio*; Wiardus Rufus, & filii ejus; Walter & Bozo, Belradus Præpositus; Wiardus de *Gondecurt*; Warmannus de *Mosterol*; Garsirius & Rainerus frater ejus de *Tolo*; Walter de *Farnencurt*. Testes Ulrici de *Guineis* Wilentus de *Bosset*; Vualterus de *Tenbos*.

Data Tulli per manum Walteri Cancellarii, anno Incarnationis Dominicæ MCLXII.

Charta Gerardi Comitis de Vaudémont.

EGo Gerardus Comes de *Wadaymont*, præsentibus litteris omnium memoriæ tradidi, quòd cùm Dominus Hugo, laude Ulrici filii ejus, dederit Ecclesiæ Flabonis-montis bannum de *Begneval*, campum ad vineam, cum nemore de *Gates*, & *Mauri-nemore* dicti montis, qui antiquitùs *Flabonis-mons* appellatur, infrà dictum bannum usque ad divisum de *Fouchecourt* & ab inde usque ad divisum *Domini-Valeris*, & usque *li gros bosse*.... eodem jure, quo possidebat: propter quod inter Dominum Wiardum & Abbatem Flabonis-montis orta est magna querela. Tamen in mea præsentia inter eos modus pacis inventus est, quòd dictus D. Wiardus pro bono pacis laudavit, dedit, & confirmavit quidquid à prædecessoribus acceperat in eodem banno in omni jurisdictione suprema, salvo tamen jure antiquo..... Undè factæ rei sigillum proprium appendi, Anno Domini MCLXXII.

Charta Petri Tullensis Episcopi.

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ego Petrus Dei gratiâ Leuchorum Episcopus, dilectis filiis Stephano Abbati de Flabonis-monte, & Fratribus ejus, &c. Indè est quòd prælibatis dilectis filiis Stephano Abbati & Fratribus ejus eorumque successoribus dona & possessiones, quas à Comite Gerardo Wadanimontis, laude & assensu uxoris suæ, & Hugonis filii sui, & filiarum suarum, & Odonis fratris sui Archidiaconi, in eleemosynam acceperunt, nostrâ auctoritate firmare decrevimus. Confirmamus itaque eis eorumque successoribus locum de *Tontineis* ante ad allodium *Morinivilla* pertinentem, cum terris cultis & incultis, pratis, sylvis, certis metis determinatis. A parte Australi collis eminet, undè prospicitur villa, qui dicitur *Rahoncourt*, cui superposita est quercus. Ab ipsa ergò quercu rectâ dimensione, &c. Nihilominùs etiam sciendum est quòd Matthæus de Sancto Germano, & Albertus frater ejus, quidquid de loco præfato *Tontineis* ad Advocatiam suam pertinebat, prædictis Fratribus in perpetuum remiserunt. Hujus rei testes sunt Theodoricus de *Romont*, Theodoricus de *Archis*, Willelmus de Sancta Margareta; Rodulphus de *Lonvi*, & Walterus Alemannus........... Ubi autem Hugo prædicti Comitis filius, prænominata patris & matris suæ dona per omnia laudavit, interfuerunt & testes sunt Walterus de *Spinal*; Rodulphus de *Porta*, & Walterus Alemannus. Hæc superiùs annotata prædictus Comes Wadomontis Gerardus in manum nostram posuit, & sic per manum nostram contulit Ecclesiæ Flabonis-montis in perpetuum possidenda, præsentibus Archidiaconis nostris Waltero, Haimone; presente etiam Duce Matthæo, & Domino Theodorico de *Romont*, & Friderico de *Briseio* fratre nostro; & Fratribus de *Espinas* Waltero, Warnero, Tbalo, & Hugone de *Chacenval*.... Anno ab Incarnatione Domini MCLXXII. Indict. v. Concurrente vi. Epacta iv. Data Tulli per manum Theodorici Cancellarii.

Charta Gerardi Comitis de Vaudémont.

SIcut præteritorum memoriam nobis abscondit oblivio, sic & nostri temporis actus posteros latebunt, si silentio transigantur. Propterea ego Gerardus Comes de Wadémont præsenti scripto modernis notificans, posteris transmitto, quòd Orricus frater meus, Dominus quondam de *Deully*, gravi correptus infirmitate apud Flabonis-montem, quem locum pro sua religione valdè diligebat, transferri se fecit; ubi, juxtà divinum beneplacitum, morbo invalescente, dum exitùs sui diem timidiùs exspectaret, convocatis & consultis cum uxore sua Agnete, multisque eò conveneramus nobilibus viris, cœpit ab testamento disponere domui suæ. Itaque memoratæ Ecclesiæ, cujus benignam satis in corpore fuerat expertus humanitatem, & animæ in æternum salutare sperabat solatium, inter cætera non immemor, dedit illi, meo & uxoris suæ assensu, liberum usagium pascuarum, glandis & faginæ, marimentorum quoque & mortui nemoris in cunctis profectibus per cunctam *Castellariam* de *Deully*, solum bannale nemus quod antè ipsum Castrum est, excipiens. Remisit etiam eidem Ecclesiæ ventam in prædicti Castri foro. Dedit illi hominem unum à *Puyuncort* Wiardum nomine, cum hæredibus & hæreditate sua. Brolium quoque de *Puyuncort*, & campum ad vineam; pro quo quidem campo, si aliqua oriretur calumpnia, campum alabodire Ecclesiam habere decrevit. Omnia hæc sæpè taxatæ Ecclesiæ Fratribus piâ devotione contradidit in perpetuum; talem eis addens libertatem, ut si fortè in banno suo aliquid dampnificaverint, sine bannali jure restituant capitale. Testes Dominus Odo Archidiaconus frater meus: Ego Gerardus (*additum est inter lineas* Galtherus) de *spinas*; Gerardus de *Rocort*; Wiardus Rufus, & Gerardus Præpositus de *Deully*.

Huic testamento cùm aliquantò post interfuisse me & approbasse diffiterer, Fratresque à pascuis illis præciperem minaciter exterreri, ipsi Fratres super hoc conquerentes sæpiùs me convenerunt, ut à tam aperta eorum injuria cessarem multimodè supplicantes: quorum tandem justis precibus acquiescens Flabonis-montem adii; prætaxatum donum legitimè factum me laudasse, & exinde testem fuisse recognovi, apposuique ipsi dono ut ubicumque Fratres utilem sibi lapidicinam in jam dicta Castellaria repperérint, utantur eâ, prout voluerint. Et quia fratre meo defuncto terra illa in manum meam devenerat, obtuli omnia super majus Altare in Flabonis-monte, dans ea, quantùm ad me pertinebat, in perpetuum Fratribus Deo & B. Mariæ ibidem servientibus. Testes Wiardus minor, & Bozo frater ejus, Milites de *Deully*; Willermus Miles; Gillebertus & Simon, Æditui mei.

Sed nec hoc ad perfectam hujus rei confirmationem visum est sufficere. Fuit ergo consilii Comitissæ uxoris meæ Gertrudis, & filiorum meorum Hugonis & Jofridi super hoc habere consensus. Cùm ergo die quâdam apud Wadammontem pariter adessemus, modò dicti filii coràm se in Palatio meo conscriptionis hujus dona recognita unanimi voce tertiò laudaverunt, præsentibus & attestantibus Radulpho de *Asprimont*; Garnero de *Spinas*; Radulpho de *Porta*; Waltero Alemanno; Theobaldo Præposito de *Deully*. Prænominata verò Comitissa, quod ibi noluit, apud *Clermont* posteà laudavit, audiente, & vidente me, Gerardo Simon Domino de Clermont; *Waltero* Alemanno; Fulchone *Morel*; Gerardo de *Provencheres*, Militibus; Lamberto Lingonense hospite meo, & Bernardo Somonitore de *Deully*. Et frater meus hanc eleemosynam fecit Dominicæ Incarnationis Anno MCLXVI. Factam autem ego præscripto ordine recognovi sive iterum feci, & ut amodò stabili vigeat firmitate, sigillo proprio insignivi, Anno ab Incarnatione Domini MCLXXXI.

Charta Gerardi Comitis de Vadanomonte.

PRo pacis & veritatis integritate perpetuò conservandâ, ego Gerardus Comes Vadimontis præsentibus litteris ad omnium volui perferri notitiam quòd Dominicæ Incarn. anno MCLXXXVIII. cùm essemus ad Sanctum Jacobum peregrinaturi ego & Comitissa venerabilis uxor mea, Domina quondam de *Nogent*, pacis & devotionis gratia apud Flabonis-montem perreximus, ubi coram Fratribus & aliis multis concessimus pariter, & super altare Deo & B. Mariæ, jamque dictis Fratribus obtulimus quidquid ipsi ex feodis de me moventibus ab omnibus meis quolibet modo acceperant: Campum quoque ad vineam, & quidquid eis de præterito calumpniari poteram, pro animabus nostris in pace dimisimus. Quod ut stabile perseveret, subjunctis testibus ad confirmationem proptium appendi sigillum: Testes Durandus Canonicus de *Vas*; Theobaldus Præpositus de *Deully*; & filius ejus Gerardus; Guillermus Miles de *Fuchecort*, & Galterus de *Daville*.

Bulla Clementis III. pro Abbatia Flabonis-montis. *Anno 1188.*

CLemens Episcopus Servus Servorum Dei, dilectis filiis Hugoni Abbati Ecclesiæ Sanctæ Mariæ de Flabonis-montis, ejusque Fratribus tam præsentibus, quàm futuris regulariter substituendis in perpetuum. Religiosis desideriis, &c. Ea propter dilecti in Domino filii vestris justis postulationibus clementer annuimus, & præfatam Ecclesiam Sanctæ Mariæ Flabonis-montis, in qua divino estis obsequio mancipati, sub B. Petri & nostrâ protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus. Imprimis siquidem statuentes ut Ordo Canonicus, qui secundùm Deum & Beati Augustini Regulam, atque institutiones Præmonstratensium Fratrum in eadem Ecclesia institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Prætereà quascumque possessiones, quæcumque bona eadem Ecclesia in præsentiarum justè & canonicè possidet, vel in futurum concessione Pontificum, largitione Regum, vel Principum, oblatione Fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant; in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis: Locum ipsum in quo fundata est Ecclesia, qui antiquitùs vulgò *Flabonis-montis* appellatur, & cum nemore de *Wathes*. Pasturas in ipsis pratis, aquis, nemoribus; glandem & fagenam in iisdem nemoribus, ligna tam ad ædificandum, quàm ad comburendum & ad quoslibet usus: quæ dederunt vobis in suis portionibus totius territorii de *Baignevál*, Wido de *Acrimonte*, & Wiardus Ruffus de *Daville*, Genoldus & Herbertus de S. Juliano, Wido assensu Hugonis Comitis de Wadmonte; Guidus & Herbertus assensu Olrici de *Gisnes*; Wiardus assensu ejusdem Guidonis, à quibus ea in feodum tenebant: Guido etiam assensu Olrici de *Pesternis*, & uxoris suæ Esclamundiæ, & Walteri de *Derly*, &c. (*hic longissimè recenset Pontifex omnes possessiones Ecclesiæ Flabonis-montis: deindè suam Bullam claudit eidem concedendo privilegia & exemptiones ordinarias.*)

Ego Clemens, Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

Ego Theobaldus Hostiensis & Welletrensis Episc.

Ego Johannes Presbyter Card. tit. S. Marci,

Ego Laborans Presbyter Card. S. Mariæ trans Tiberim.

Ego Albinus tit. S. Crucis in Jerusalem Presb. Card.

Ego Melchior Presb. Card. SS. Johannis & Pauli, tit. Pamachii.

Ego Sacerdos Diac. Card. S. Mariæ in Cosmidin.

Ego Decamanus SS. Sergii & Bacchi Diac. Card.

Ego Soffridus S. Mariæ in via lata Diac. Card.

Ego Petrus S. Nicolai in carcere Tulliano Diac. Card.

Ego Radulphus S. Georgii ad velum aureum Diac. Card.

Datum Laterani per manum Moïsi Lateranensis Canonici, vices agentis Cancellarii, IV. Kal. Martii. Indictione VI. Incarn. Dominicæ anno MCLXXXVII. (a) Pontificatûs Domini Clementis Papæ anno I.

Charta Petri Tullensis Episcopi.

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, Patris & Filii, & Spiritûs Sancti. Petrus Dei providentiâ Leuchorum humilis Episcopus, omnibus præsentibus & futuris in Christo piè viventibus, pro terrenis cælestia, pro perituris æterna commutare: Cùm rerum gestarum series per oblivionis incommodum, vel per antiquitatem temporis, sive alia de causâ ab hominum memoria sæpè dilabatur, unde injuriosa malefactorum calumpnia solet suscitari. Nos per Dei gratiam Pontificalis dignitatis Tullensium auctoritate nobis commissâ, notum facimus tam præsentibus quàm futuris, quòd Theodoricus de Sancto Elepho pro salute animæ suæ, & antecessorum suorum, & pro XXII. libris Tullensium, laude & assensu uxoris suæ, & sororum suarum Tunicæ & Luciæ, & filii sui Petri, Fratribus de *Flabémont* contulit, dedit, concessit, quidquid in banno de *Cerzez* possidebat, videlicèt in campis, pratis, sylvis & aquarum decursibus. Sunt autem in banno illo homines, qui de terra, quam de manu prædicti Theodorici tenent, quosdam redditus eidem Theodorico solebant persolvere; quos eodem modo & eadem integritate prædictis Fratribus persolvent; si verò præfatos redditus solvere noluerint, vel minorare præsumpserint, vel prædictam terram tenere desierint, ad terram illam prædicti Fratres liberè revertantur. Omnia verò casamenta, quæ in præfato banno de *Cerzez* idem Theodoricus tenebat, in manu sua retinuit, exceptis tribus Cortariis, quos Theodoricus *Verrez* eisdem Fratribus contulit, laude & assensu ejusdem Theodorici de Sancto Elipho, quos de manu ejus tenebat. Casamentum etiam à manu Alberici Cervi sub annuali censu receperunt, similiter laude & assensu ejusdem Theodorici, de cujus manu prædictum casamentum tenebatur, &c.

Præterea notum facimus universis quòd Domina de *Borlemont*, & Petrus filius ejus, à quibus terra illa tenebatur, quæ Fratribus de *Flabémont* à præfato Theodorico prædicto modo collata est, eandem terram in manu mea deposuerunt: Nos verò domui de *Flabémont* in pace & quiete dedimus & concessimus perpetuò possidendam. Conventionis autem factæ inter prædictos Fratres, & prædictum Theodoricum testes sunt Stephanus Sacerdos de *Mandras*; Stephanus Presbyter de Bellomonte; Balduinus Miles de *Mandelet*; Matthæus Miles de *Theacurt*, laude & assensu filii sui Petri. Testes sunt Magister Gerbertus de *Toffeio*; Euronius Canonicus & Sacerdos de *Flabémont*; Widericus Miles de *Seona*.

(a) Id est anno 1188 juxta nostrum computandi morem, qui annum ab Kalend. Januarii ordimur: E-contra Pontifices in Bullis ab die duntaxat 25. Martii. Cæterùm Clemens III. electus est 6. Januarii 1188.

De hoc autem quod Domina de *Borlemont* prædictam terram in manu nostra deposuit, Testes sunt Abbas de *Miroault*, & prædictus Theodoricus de Sancto Elipho. De hoc etiam quod Petrus filius Dominæ de *Borlemont* prædictam terram in manu nostra deposuit testes sunt Willelmus Abbas de *Miroault*; Henricus Comes Barri; Gilbertus de Novo-castro; Fredericus de *Nueros*.....

Præterea confirmamus Fratribus de *Flabemont* allodium de Hadonisvilla, quod eisdem Fratribus contulit Guiardus de *Fol*, pro salute animæ suæ, & antecessorum suorum, & pro VII. libris Tullensium. Prædictis enim Fratribus dedit & concessit per manum nostram quidquid in prædicto allodio habebat in campis, sylvis & aquarum decursibus, & in omnibus aliis. Hujus rei testes sunt Fridericus, frater noster; Albericus de *Descelet*, Archidiaconus & Capellanus; Petrus de Sancto Aniano; Stephanus Presbyter de *Mandeles*; Albericus de Tholeio; Meinfridus etiam & Dodo de *Savoners*. Hujus rei testes sunt etiam fidei-jussores.

Confirmamus etiam prædictis Fratribus *le bruel elangle* contiguum *au bruel* de sub villa Sancti Juliani, & pasturam ejusdem villæ. Similiter pasturam de *Vilcie*, quæ omnia dedit & concessit prænominatis Fratribus Odo Miles de Sancto Juliano, priusquàm de alodio suo fecisset feodū Domino Wichardo de *Passavant*, & Domino *Alberto de Darney*. Dedit etiam prædictus Odo prædictis Fratribus truncos moustarum de nemoribus in banno de *Baigneval*, ubicumque inventi fuerint, & bestias sylvestres, ubicumque ab eis capi poterunt. Dedit etiam eis *Lumarre* nemorem, quæ sunt in banno de *Baigneval*, ad omnes usus suos in omnibus locis ubicumque necesse fuerit; hoc tamen excepto, quòd vendere non poterunt. Concessit etiam eis ut ferrent lateres ad quemlibet locum ad cooperiendum domos, vel Ecclesias suas, & etiam domos, vel Ecclesias villarum, vel aliorum locorum: hoc etiam excepto quòd vendere non poterunt. Molas etiam quæ in eodem banno inveniri ab eis poterunt, dare & vendere poterunt, & ad omnes usus suos habere. Dedit etiam & concessit prædictis Fratribus omnia dona, quæ ab antecessoribus suis eisdem Fratribus sunt collata tam in feodis, quàm in allodiis. Concessit etiam fagineam & glandem, & corticem in omnibus usibus & omni utilitate, sicut concessit Widericus Miles de *Dealleio*. Similiter dedit eis partem suam in omnibus quæ communicat cum prædicto Widerico in banno de *Baigneval*. Hujus rei testes sunt Odo Tullensis Archidiaconus & Thesaurarius; Gerardus Comes Wadommontensis, &c. Acta sunt hæc anno MCLXXIX. Indictione XII.

Charta Odonis Tullensis Episcopi, quasdam donationes Flabonis-montis Ecclesiæ confirmantis. Anno 1192.

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Odo cælesti munere Leuchorum Episcopus....... Noverit igitur omnis in æternum generatio, quòd Dominus Philippus de *Tilleul*, die defunctionis fratris sui Reinerii, disponens eundem apud Flabonis-montem sepeliendum efferre, sicut & factum est, dedit.... Fratribus Flabonis-montis in perpetuum tractum & medietatem omnium decimarum Parochiæ de *Tilleul*; nam & aliam partem Albricus de *Arches*, avus ejus, & Orricus pater ejus, jam dictis Fratribus longè ante dederant.... dedit etiam, &c. matre sua Emelina cuncta pariter annuente.... Data per manum Theodorici Cancellarii anno ab Incarnatione Domini MCXCII.

Charta Odonis Tullensis Episcopi.

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis Odo Dei gratiâ Leuchorum Episcopus.... per præsentem igitur scedulam notitiæ transmittimus præsentium & futurorum, quòd Richardus Miles de *Foas* (Foug) laude & assensu uxoris suæ *Lyart*, & filii sui Gileberti & Walteri nepotis sui, allodium quod in Sarnnadi villæ finibus jure possidebat hæreditario, Ecclesiæ de Flabonis-monte, pro remedio animæ suæ, & suorum antecessorum, in perpetuum concessit habendum; & contulit quod pater suus Walterus, laude uxoris suæ Bertæ, & filiorum suorum Richardi, Walteri, Geleberti, jam dictæ Ecclesiæ pro quinquaginta solidis impignoraverat. Idem etiam Richardus volens animæ suæ providere, omne allodium quod in finibus Hadonisvillæ jure possidebat hæreditario, lande & assensu supradictorum, & terram quæ Sancti Leodegarii dicitur...... memoratæ in eleëmosynam contulit Ecclesiæ. Et ut hoc ratum permaneat & stabile, nostri impressione sigilli confirmamus. Quicumque autem, &c. Actum anno ab Incarnatione Domini MCXCVI. Testes Gerardus Thesaurarius; Tirricus Cancellarius; Magister Matthæus Archidiaconus; Orricus Liberdunensis Decanus, &c.

Charta Frederici Archidiaconi de Vitello, pro Parochia S. Juliani & de Crainvilliers *Flabonis-montensibus collata. Anno 1200.*

EGo Fredericus Dei permissione Decanus Tullensis & Archidiaconus *de Vitello*, notum facio omnibus ad quos litteræ istæ pervenerint, quòd post donum piæ memoriæ Henrici & Petri Tullensium Episcoporum, cùm Dominus Odo Episcopus, Ecclesiæ Flabonis-montis integraliter Presbyteratum & curam Ecclesiarum de S. Juliano & de *Crainvillers* in perpetuum possidendam contulisset, & suæ confirmationis munimine roborasset; Ego etiam ut aliquid in Domini gazophilacium mitterem, volens nostrorum facta Pontificum inviolata conservari, consideransque quòd religiosis viris Ecclesiæ fideliùs disponantur; concessionem meam & laudationem apposui & appono: ità ut à Canonicis Flabonis-montis in Ecclesiis prædictis serviatur. Quod ut ratum sit, sigilli mei impressione firmavi. Actum anno Verbi Incarnati MCC.

Charta Orrici Domini de Acrimonte, quâ largitiones suas in gratiam Flabonis-montis testatur. Anno 1211.

IN Nomine Patris & Filii, & Spiritûs Sancti Amen. Quoniam lapsu temporum & mutatione personarum deperire solet memoria actionum; Ego Orricus Dei gratiâ Dominus Acrimontis, modernis & posteris scripto notificans, quòd laude & assensu Johannæ uxoris meæ, contuli in eleëmosynam Domino Galtero Abbati, & Fratribus Ecclesiæ Flabonis-montis omnimodum usuarium in nemoribus duarum villarum, quæ dicuntur *Thons de Aunvelle*, & de *Iche*. Addidi prætereà marimentum in nemoribus meis Acrimontis, ad carros & aratra facienda.... Testes Drogo, & Petrus, & Garnerus Sacerdotes & Canonici ejusdem Ecclesiæ; Orricus & Petrus Sacerdotes Acrimontis; Gerardus Miles de *Brixe*, Bovo Miles de *Blamont*; Simon Præpositus ejusdem Castri. Ut autem hæc omnia stabili firmitate vigeant, sigillo meo insignivi & corroboravi. Actum anno Verbi Incarnati MCCXI.

Charta de Ecclesia de Serocourt. *Anno 1212.*

EGo Guido Dei gratiâ Cari-loci dictus Abbas, & ego Fridericus Tullensis Comes, & ego *Guido* Dominus Juncivillæ, notum facimus præsentem inspecturis paginam, quòd Dominus Tiricus Miles de *Dumbrot*, laude & assensu uxoris suæ Hawidis, & filii sui Raineri, filiarumque suarum Aalis & Comitissæ..... contulit Ecclesiæ Flabonis-montis, per manum Galteri tunc Abbatis ejusdem loci, medietatem tractûs Ecclesiæ de *Sirocort*, & quidquid ad eandum tractum pertinebat, &c. Actum anno 1212.

Charta Friderici Comitis Tullensis in gratiam Flabonis-montis. Anno 1212.

EGo Fridericus Comes Tullensis, notum facio præsentibus & futuris me, laude & assensu fratris mei Rainaldi, pro remedio animæ meæ, & meorum, contulisse in eleëmosynam Ecclesiæ Flabonis-montis per manum Galteri ejusdem Ecclesiæ Abbatis, ligna ad comburendum ad usum Domûs suæ Tulli necessaria in toto banno de *Oschir*. Quod ut ratum sit, sigilli mei impressione firmavi. Actum anno Verbi Incarnati MCCXII.

Charta Raynaldi Tullensis Episcopi confirmantis plurimas donationes factas Ecclesia Flabonis-montis. Anno 1213.

IN Nomine, &c. Ego Renaudus Dei gratiâ Tullensis Episcopus omnibus in Christo piè viventibus veritati testimonium perhibere. Conditionis humanæ, &c. Guiardus Miles de *Deulleto* in nostra præsentia constitutus laudavit, recognovit & concessit omnes eleëmosynas & donationes, quas ipse & pater suus Widericus, & antecessores sui fecerant Ecclesiæ Flabonis-montis.... Scilicet dimidium campum contiguum molendino de *Sala*, quem Widericus pater ipsius Guiardi contulerat in eleëmosynam Ecclesiæ Flabonis-montis pro Bosone filio suo Clerico.... Item Galterus defunctus frater memorati Guiardi, dum adhuc viveret, & mater ipsorum Gileta, & amici eorum remiserunt in perpetuum, dimidium modium census frumenti.... contulerunt prædicta Gileta, & filii ejus Guiardus & Widericus campum Bartholomæi in *Borleuval*... Galtero etiam tunc temporis Abbate, cum quibusdam suorum præsente.... Præterea idem Guiardus quoddam carruagium, quod erat in bestancio, & quod hactenùs crantare noluerat, in præsentia nostra crantavit, & quidquid ultrà carruagium infrà designationem à se cum suis ministerialibus certis metis determinatam super addidit sæpè nominatæ domui pro remedio animæ suæ, & antecessorum suorum, in eleëmosynam contulit. Similiter & duo jugera terræ sita ad pitum *de Rossel*, & alia quindecim jugera terræ, quæ sunt ad *Cheminum*, quæ ad idem noscuntur carrugium pertinere. Hæc omnia laudaverunt & concesserunt uxor Guiardi *Oriethe*, Gileta mater, Widericus frater, Elisabeth & Hodierdis sorores ipsius Guiardi, virique earum Pontius & Petrus Milites. Præterea idem Petrus Miles de *Mandres* in nostra præsentia constitutus, laudavit, recognovit, & concessit omnes eleëmosynas & donationes, quas ipse & pater suus Matthæus, & mater sua Herenburgis fecerunt Ecclesiæ Flabonis-montis, sicut in præsenti pagina continetur; dederunt namque &c. Hæc itaque omnia dona prænotata prænominatus Petrus Ecclesiæ prætaxatæ, laude uxoris suæ Hodierdis contulit in eleëmosynam. Fratres verò ejusdem Ecclesiæ participationem orationum suarum prædicto Petro concedentes, matri quoque suæ Eremburgi, post obitum ipsius, servitium, quod propriæ sorori impendunt, facere fideliter promiserunt..... & pro anima patris sui Matthæi.... Nos igitur eleëmosynas istas Ecclesiæ supradictæ à præfatis Militibus Guiardo & Petro, & antecessoribus eorum collatas, approbamus, & sigilli nostri testimonio confirmamus. Datum Tulli anno Domini MCCXIII.

Charta Amedei Bisuntini Archiepiscopi. Anno 1214.

A. Dei gratiâ Bisuntinus Archiepiscopus, præsentibus & futuris rei gestæ notitiam. Ex paginæ præsentis officio modernorum & posterorum nosse relinquimus dilectionem, quòd Hamo filius Hamonis Rocelini, & Odo Miles de *Betocort*, sororius ipsius Hamonis, per manum nostram concesserunt in eleëmosynam in perpetuum contulerunt Ecclesiæ Flabonis-montis omnimodum usuarium in confinio duarum villarum quæ dicuntur *Thons*, in pasturis, in glande, in sagena, cæterisque fructibus in nemoribus ad comburendum & ad marimentum faciendum, quantùm ad se spectabant: necnon & omnes pasturas suas.... Hæc uxor ipsius Odonis Elisabeth, & Putefille, & filii & filiæ ejus. Nos autem hanc donationem & eleëmosynam à prædictis viris Ecclesiæ prædictæ collatam approbamus, & sigilli nostri testimonio confirmamus. Actum anno MCCXIV. Dominicæ Incarnationis.

Charta Guidonis Domini de Jonvelle. *Anno 1214.*

EGo Guido Juncivillæ Dominus, notum facio præsentibus & futuris, me laude & consensu Nicholæ uxoris meæ, & Elisabeth filiæ meæ, Fratribus Ecclesiæ Flabonis-montis per manum Alberti tunc Abbatis ejusdem loci, pro remedio animæ meæ in perpetuum concessisse, & in eleëmosynam contulisse quidquid à me & antecessoribus, ac hominibus meis in omni perfectu, vel usu, quoquomodo tunc temporis possidebant, necnon & pasturas meas.... Actum anno Domini MCCXIV.

Instrumentum de quibusdam jugeribus terra in finibus Masgnilli *&* Domni-Basoli. *Anno 1228.*

NOtum sit omnibus, ad quos præsens scriptum pervenerit, quòd Domina de *Tillul* Hersendis, laude & assensu filiorum suorum Huardi, Leobaldi & Infridi, ac filiæ suæ Reginæ, pro remedio animæ filii sui Orrici defuncti, contulit & concessit in perpetuum in eleëmosynam Ecclesiæ Flabonis-montis per manum Domini Alberti tunc temporis ejusdem loci Abbatis, quindecim jugera terræ in confinio Masgnili & Domni Basoli..... Ut autem hæc rata sint & maneant inconcussa, sigillorum Dominæ Abbatissæ de Stagno, & nobilis viri L. Domini de *Beffroymont* testimonio roboratur. Actum apud Flabonis-montem anno Verbi Incarnati MCCXVIII.

Charta Godefridi de Deullio *pro recognitione donationis allodii* d'Oseinviller.

EGo Josfridus Dominus de *Davilley*, notum facio præsentes litteras inspecturis, quòd hæredes Dominæ Giletæ, scilicet Widericus filius ejus, & Elisabeth filia ipsius, & Dominus Pontius vir ejusdem

Elisabeth, in mea præsentia constituti, Alberto Abbate & Conventu Flabonis-montis præsentibus, laudando & recognoscendo protestati sunt, quòd prædicta *Gileta* ultimâ voluntate & novissimâ voluntate, cùm laboraret in extremis, dedit & concessit in perpetuum pro remedio & salute animæ suæ, Ecclesiæ Flabonis-montis totum allodium suum de *Oseinviller;* & quòd ipsa sepulturæ locum elegit in eadem Ecclesia, cùm ab antiquo voto solemni se super altare præfatæ Ecclesiæ obtulisset, & pro sui voti recognitione octo nummos Stephamenses eidem Ecclesiæ annis singulis reddidisset, & quòd habitum Conversæ in novissimo recepisset........ Hæc recognitio & protestatio facta fuit in Ecclesia Flabonis-montis anno Verbi Incarnati MCCXIX in die quâ supradicta Gileta tradita est sepulturæ, primâ videlicet Dominicâ Quadragesimæ.

Bulla Honorii III. pro confirmatione jurium & bonorum Flabonis-montis 1224.

HOnorius Episcopus Servus Servorum Dei. Dilectis filiis Abbati & Conventui Flabonis-montis, Præmonstratensis Ordinis, salutem & Apostolicam benedictionem. Cùm à nobis petitur quod justum est & honestum, tam vigor æquitatis, quàm ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Ea propter, dilecti in Domino Filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu personas vestras & locum quo estis divino obsequio mancipati, cum omnibus bonis quæ in præsentiarum rationabiliter possidetis, aut in futurum justis modis, præstante Domino, poteritis adipisci sub B. Petri & nostrâ protectione suscipimus, specialiter autem Ecclesiam de *Fresnes*, de *Sandicort*, de *Hadonisvilla*, de *Boenes*, de *Aviser*, de *Bellodomo* grangias cum pertinentiis suis; nec non possessiones & alia bona vestra sicut ea omnia quæ justè & canonicè possidetis, vobis, & per vos monasterio vestro, auctoritate Apostolicâ confirmamus, ac præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergò liceat, &c. Datum Laterani Nonis Junii Pontificatûs nostri anno VIII.

Diploma Matthæi Lotharingiæ Ducis.

EGo Matthæus Dux Lotharingiæ & Marchio, universis præsentes litteras inspecturis notum facio quòd Liebaudus Dominus de *Tillo*, homo meus, laude & assensu uxoris suæ, & hæredum suorum, concessit & contulit in feodo & homagio Henrico Bleso de *Deully*, & hæredibus suis tertiam partem decimæ grossæ & minutæ de Ecclesia de *Marienville*, & ea quæ pertinent ad illam tertiam partem..... Ego verò & successores mei bonâ fide creantavimus dicto Henrico & hæredibus suis contrà omnes donum illud conservare & garantire. Si autem ipse Liebaudus & hæredes sui, vel aliqui malignitate aliquâ ducti, inquietarent sæpè dictum Henricum & hæredes suos, quod absit, & pro tali dono dicti Henricus & hæredes gravarentur, nos tenemur, ut suprà diximus, dampna proindè venientia sibi resarcire. In hujus rei testimonium, ut ratum habeatur, ad petitionem supradicti Liebaudi & hæredum ejus, litteras meas sigilli mei munimine roboratas dictis Henrico & hæredibus ejus tradidi. Actum anno Domini MCCXXIX. mense Aprili.

Charta Henrici Blesi de Deullëio concedentis Flabonis-monti decimas de Marenville.

EGo Henricus Blesus de Davillëio, notum facio omnibus præsentibus & futuris, quòd ego laude & assensu Elisabeth uxoris meæ, & Nicholai Clerici, & Simonis & aliorum filiorum meorum, contuli & concessi in perpetuam eleëmosynam Deo & Ecclesiæ Flabonis-montis decimas universas, quas habeo apud *Mareville*, in feodo & homagio à Domino Liebaudo de *Tillul*. Contuli insuper eidem Ecclesiæ quidquid habeo in feodo & homagio à Comite Tullensi in hominibus & rebus aliis, itâ quod de proventionibus rerum supradictarum Abbas Flabonis-montis, singulis annis in perpetuum, omnibus diebus in Adventu Domini usque ad Natale, & per totam Quadragesimam singulis diebus Conventui Canonicorum ibidem Deo servientium pintam vini ad mensuram Tullensem cuilibet administrabit. Contuli eidem Ecclesiæ centum libras Stephamenses eleëmosynam..... Datum apud Davillëium anno Domini MCCXXXVIII. in crastino B. Matthæi Apostoli.

Charta Matthæi Lotharingiæ Ducis.

EGo Matthæus Lotharingiæ Dux & Marchio, notum facio universis præsentes litteras inspecturis, quòd Nicholaus Clericus, & Simon frater ejus, filii Henrici Blesi de Davillëio, in mea presentia constituti, remiserunt & acquitaverunt in perpetuum Abbati & Ecclesiæ Flabonis-montis omnes querelas, quas habebant, vel habere intendebant adversùs eosdem super mobilibus & immobilibus debitis, chartis, litteris & rebus aliis universis; itâ quod de cætero reclamandi super hiis contrà ipsos nullam habeant actionem. Ut autem hæc acquitatio in posterum stabilis perseveret, ipsam in scriptis reductam ad preces Partium sigilli mei feci testimonio roborare. Actum anno gratiæ MCCXLI. Mense Augusto.

Charta Stephani Chaudron, *solutionem centum solidorum accusans pro reparatione molendini de* Sauville.

EGo Stephanus Miles dictus *Chandirons de Roocort* homo legius nobilis viri Domini Willelmi, Domini de Deulleïo; notum facio universis præsentibus & futuris, quòd cùm viri religiosi Abbas & Conventus Flabonis-montis Præmonstratensis Ordinis, medietatem haberent in stagno & molendino sitis propè *Saville*, & dictum molendinum cum stagno reparatione indigerent. & ego qui quartam partem in supradictis habebam, de meo reparassem, dicti Abbas & Conventus pro sua medietate, quam reparaveram, centum solidos Stephamenses mihi reddiderunt, de quibus habeo me pro pagato, &c. Anno Domini MCCXLIX. in Vigilia BB. Apostolorum Philippi & Jacobi.

Charta Thomæ Episcopi Tullensis, pro Parochiis de Mandris *ad duas Turres, & de* Ozainvillari. *Anno 1330.*

THomas Dei gratiâ Tullensis electus confirmatus, religiosis viris Fratri Richardo ejusdem Dei patientiâ Abbati monasterii de Flabonis-monte, Præmonstratensis Ordinis, Tullensis Diœcesis, totique ejusdem loci Conventui salutem in Domino. Officium debitum impendere credimus, si Deo sub regulari observantia famulantibus in hiis quæ eis sunt ad vitam necessaria providemus, ei dum eis corporalis sustentatio congrua ministratur, de eadem minùs solliciti in Dei laudibus perseverent, & ad divina officia peragenda fortiùs invalescant. Sanè consideratâ vestrâ & monasterii vestri necessitate, vobis & successoribus vestris in perpetuum damus & concedimus

potestatem & plenariam præsentandi Fratres monasterii vestri ad Parochiales Ecclesias de *Mandris ad duas Turres*, & de *Ozamvillari*, quando & quotiescumque eas, seu earum aliquam vacare contigerit, post mortem vel resignationem Curatorum illorum, qui nunc Ecclesias illas regunt. Quos quidem Fratres vobis & successoribus vestris perpetuò sine contradictione aliqua instituimus pro tempore, auctoritate ordinariâ, in Ecclesiis prædictis, salvo jure nostro, & successorum nostrorum in eisdem. In cujus rei testimonium sigillum nostrum præsentibus est appensum. Actum anno Domini MCCCXXX. Mense Novembri.

Charta Amartisationis Domûs & Prædiorum Domni-Valerii.

NOus Edouard Cuens de Bar, faisons sçavoir & cogneissant à tous, que à la Requête de Poincet & Haterine, comme Poincet de Donvalier, Ecuyer, & Damoiselle Katerine sa femme, Huguenin, Girars, Liebaulx & Beatrix, enffens Huet de Donvalier, qui fut, ayent vendu en heritaige, & quitté à Religieuses personnes, & Saiges l'Abbé & le Couvent de Flabémont de l'Ordre de Premontrez ou Diocése de Toul, leur maison de Donvalier, & plusieurs autres choses contenuës en lettres des vendaiges sur ce faites, esquelles ces presentes sont annexées. A sçavoir est que Nous ledit vendaige loons, grèons, & de certaine sçience, Nous y consentons tout en la maniere & en la forme, qu'il est contenu esdites lettres de vendaiges sur ce faites. Et toutes les choses venduës & contenuës esdites lettres desdits vendaiges amortissons pour Nous & pour nos Hoirs, comme Sire de cui lesdites choses meuvent: saulve la garde desdites choses que Nous retenons à toûjours-mais pour Nous & pour nos Hoirs: & promettons loyalement en bonne foi que contre ledit amortissement Nous ne venrons, ne aler ferons par Nous, par nos Hoirs, ne par autres que aïent cause de Nous. En témoignage de verité, & que ce ferme chose soit & estable, Nous avons fait sceller ces presentes lettres de notre grant Scel. Que furent faites l'an de grace MCCCXXXV. le jour de Feste de Saint Johan Evangeliste, ou moys de Decembre.

Reinerus Abbas Reinfeldensis, Joanni Kempis Abbati Floridi Horti, committit Visitationem & Reformationem aliorum monasteriorum Frisiæ.

JOannes Kempis Dei patientiâ Abbas Floridi Orti, Ordinis Præmonstratensis, Venerabilibus in Christo Dominis Domino Jacobo Abbati in *Dockum*, Dominoque Jacobo Abbati antiqui Claustri Merna, nec non dilectis Filiis & Fratribus Priori cæterisque Conventualibus monasterii Orti Sanctæ Mariæ Ordinis ejusdem salutem dicit plurimam. Venerabilis Domini Reineri Abbatis Steinfeldensis, humili pioque supplicatu devictus, Patris Abbatis curam officiumque vestra super monasteria præmemorata, ad certos annos uti in authentico desuper confecto patet evidenter, suscepi gerendum: hæc copia. Reinerus Dei patientiâ Abbas Steinfeldensis Ordinis Præmonst. Coloniensis Diœcesis, Pater Abbas monasteriorum ejusdem Ordinis *Dockum* Orti Sanctæ Mariæ, ac antiqui claustri Merna. Venerabili ac religioso dilecto nobis in Christo Confratri Domino N. Abbati monasterii Floridi Orti salutem ac fraternæ dilectionis plenitudinem. Quantò Ordinis nostri navicula in sæculi hujus Mari variis tribulationum procellis undique irruentibus turbulationibus concutitur tantò pius Dominus prô dolor! nunc in ea dormiens validioribus est vocibus excitandus, exurgens imperet ventis & mari serenum post nubilum largiturus. Verùm quia nos, cui hujusmodi pluribus in locis gubernatio dignoscitur commissa, eò fortè minùs ad Dominum clamantes ac devio gradientes piè revocare permittimur, quo tanquam in remigando variis occurrentibus periculis cogimur constantiùs laborare. Cùm igitur relatu veridico nostris insonuerit auribus, monasteria præfata nostræ sollicitudini, ut præmittitur, commissa, in utrisque regiminibus prô dolor! destituta ac nisi pio succurratur occursu, desolanda, quòd utique nostram per visitationem ac curam paternam emendari de facili forsitàn contingeret, nisi viarum discrimina locorum nimia distantia ac plura inopinatè occurentia obviarent offendicula, hoc tamen, ne omninò negligens ac ignavus videremur, gaudemus solatio, quod pios ac benevolos in cultu pietatis licet habere coadjutores, ac spinarum, vepriumque zelantes evulsores.

Vobis igitur, Pater amicissime, cujus zelantis animi quia plurimùm hujusmodi in facto sustentamur adminiculo, in visceribus Jesu Christi ac toto cordis desiderio humiliter supplicamus, quatenùs divinæ retributionis intuitu Ordinis totius decore ac nostrarum partium humilium instantiâ, auctoritate nostrâ paternâ; in his scriptis vobis in plenitudine potestatis concessa visitare, reformare, eligere Prælatos, electos idoneos admittere ac confirmare, insufficientes, senio fessos, seu quovismodo minùs idoneos reprobare, ac alio loco eorum idoneos, ordinis jure per omnia servato, reinstituere, ac demùm omnia & singula, quæ nos propriâ personâ præsentialiter facere ac ordinare possemus, vobis, ut præmittitur, plenariâ nostrâ auctoritate in hac parte ad decennium concessa ac credita, facere ac ordinare in præscriptis tribus monasteriis nostris dignemini, atque velitis Altissimo servitium acceptabile in plurimorum salutem ac ædificationem, nobisque ac Ordini rem gratissimam exercere, ac nostro pro modulo vestræ nobis colendæ Paternitati recompensandi Altissimo favente, qui eandem nobis amandam vestram Paternitatem cum subditis Religiosis, felicibus augeat incrementis. Datum Coloniæ sub Abbatiæ nostræ sigillo præsentibus in testimonium præmissorum appenso. Anno MCCCCLXXXV. die decimâ quintâ mensis Aprilis, præsentibus, ut præmittitur, ad Decennium in pio robore ac vigore duraturis.

Vobis igitur omnibus & singulis hujus nostræ commissionis auctoritate insinuamus per præsentes, insuperque in virtute sanctæ obedientiæ districtè præcipiendo mandamus, quatenùs omnia & singula quæ jus & curam Patris Abbatis concernunt, nobis insinuare studeatis, tempore oportuno, & nos ex tunc, prout ex præsenti commissione tenemur, humile paternumque exhibebimus subsidium. Cumque litteram præsentem legeritis, reddatis eam integram sub pœna Excommunicationis latæ sententiæ nuntio præsenti ut eam & aliis sicut & vobis valeant ostendere. Datum anno MCCCCLXXXV. ipso die Sancti Joannis Apostoli ad Portam Latinam nostro sub secreto præsentibus impresso in robur & fidem præmissorum. L. S.

1519. Sexto Idus Septembris.

Joannes Clivis confirmari petitur in Abbatem Mernensem.

FIlialem Obedientiam. Quantùm Reverende Domine Pater Abba, sit plena dispendiis Ecclesiarum prolixa vacatio, quantaque animarum pericula indè

indè proveniant, experientia rerum omnium efficax magistra pleniùs edocet; hinc est, quod nos Fratres & Sorores veteris Claustri in Merna partium Frisiæ, Monasteriensis Diœcesis, volentes hujusmodi damnis & incommodis obviare, post resignationem Domini Abolberti nostri veri & pacifici Pastoris & Abbatis, cupientesque viduitatem nostræ Ecclesiæ vestræ paternitati insinuare, uti institutiones nostri Ordinis tradunt, præpediti tamen sumus propter bellorum incursus, quos eo tempore nostris finibus verebamur, & propter certas causas magnoperè nostrum Conventum concernentes; habentes nihilominùs in præsentiarum Visitatorem nostræ Circariæ Abbatem in *Lidlum*, nec non Abbatem in *Dockum*, invocata Spiritus sancti gratiâ, omnibus ceremoniis & solemnitatibus canonicæ electionis præhabitis, postulavimus (quia elegi non potuit) honorabilem Dominum Joannem de Clivis in nostrum verum & indubitatum Pastorem & Abbatem, qui tunc temporis præerat Præpositus in Ripa B. Mariæ. Cui reverende Pater, propter habilitatem ac idoneitatem janua dignitatis non debet non patere, & is præfatus Dominus Præpositus, licet post multas instantias, tandem assensit suæ postulationi. Rogamus igitur vestram dignissimam Paternitatem, ut factam postulationem gratam & ratam habere velitis, & eundem Dominum Baculo præsenti literatoriè confirmare dignemini, nec non mittere in jus & administrationem rerum tam spiritualium quàm temporalium, ut sic sub eodem Domino Regi Cœli dignè militare valeamus. In fidem & robur præmissarum sigillum nostri Conventûs præsentibus duximus imprimendum. Anno salutis MCCCCCXIX. sexto Idus Septembris.

Joannes Clivis 3°. Aug. 1520. in Abbatem Floridi-Horti *electus resignavit in Merna.*

IN Nomine Domini Amen. Per hoc præsens publicum instrumentum cunctis pateat evidenter & sit notum quòd anno à Nativitate ejusdem Domini millesimo quingentesimo vicesimo, Indictione octavâ, die verò Martis nonâ mensis Octobris, horâ missarum vel circà, Pontificatûs Sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri Domini Leonis divinâ Providentiâ Papæ decimi anno octavo, in mei Notarii publici testiumque infrà scriptorum ad hoc specialiter vocatorum & rogatorum, præsentiâ, personaliter constitutus reverendus Pater Dominus Joannes Clivis Abbas electus & confirmatus monasterii in *Witteverum*, Ordinis Præmonstratensis, terræ Frisiæ, Monasteriensis Diœcesis, allegavit, recognovit, & in veritate confessus est se die Veneris tertiâ mensis Augusti proximè præteriti, in domo Capitulari dicti monasterii in *Witteverum* ex certis rationabilibus causis, animum suum ad hoc moventibus, non vi, dolo, metu, fraude, neque aliquâ sinistrâ machinatione circumventum, sed ex certâ ejus scientiâ, liberâ, spontaneâ & benè deliberatâ voluntate & omnibus melioribus modis, viâ, jure, causâ & formâ, quibus meliùs & efficaciùs potuit & debuit Abbatiam Monasterii monialium in *Oldenkloster*. Ordinis Præmonstratensis, Terræ Frisiæ, Monasteriensis Diœcesis, & jus sibi quodlibet competens ad eandem, in manibus Reverendi Patris Domini Joannis de *Duvellandia*, Visitatoris Monasteriorum in Frisiâ dicti Ordinis, ibidem præsentis, ac vice & nomine Reverendissimi Domini Præmonstratensis admittentis & recipientis, purè, liberè, simpliciter, & propter Deum resignasse, eidemque Abbatiæ atque juri sibi in eadem quovismodo competenti renuntiasse penitùs & ex toto, prout etiam eamdem Abbatiam cùm omnibus juribus & pertinentiis suis de præsenti, quatenùs opus sit, & aliquid juris quovis modo ad eandem sibi competere possit, quod non credit, in manibus mei Notarii publici infrà scripti, modo præmisso resignat & eidem renuntiat. Promisit nihilominùs Præfatus Dominus Joannes Abbas resignans, mihi Notario publico infrà scripto, per fidem nomine juramenti ab ipso corporaliter præstitam, quod in hujusmodi per eum, ut suprà facta resignatione & renuntiatione non intervenit neque interveniat, fraus, dolus, simoniaca pravitas, illicita pactio aut quævis alia corruptela, requirens me Notarium publicum infra scriptum, quatenùs sibi super præmissis omnibus & singulis conficerem unum vel plura publicum seu publica instrumentum, vel instrumenta. Acta fuerunt hæc in Aulâ Abbatiali dicti Monasterii in *Witteverum* sub anno, indictione, die, mense, horâ, & pontificatu quibus suprà, præsentibus ibidem honestis viris Joanne de *Woltersem* & Alberto de *Wuller* Laïcis Monasteriensis Diœcesis testibus ad præmissa vocatis specialiter atque rogatis.

L. S.

Dextera Fidesque mea.

Et ego Gerardus Scatter de *Groningen* Clericus Trajectensis Diœcesis publicus Apostolicâ & Imperiali auctoritatibus Notarius, quia præmissis recognitionibus, confessionibus, resignationibus, renuntiationibus & promissionibus, omnibusque aliis & singulis, dùm sic ut præmittitur, fierent & agerentur, unà cum prænominatis testibus subinterfeci eaque omnia & singula sic fieri vidi & audivi ac in notam sumpsi; ideò hoc præsens publicum instrumentum manu mea propria scriptum, exin confeci, subscripsi, publicavi, & in hanc publicam formam redegi, signoque nomine & cognomine meis solitis & consuetis signavi. In fidem & testimonium omnium præmissorum rogatus & requisitus.

Charta Burchardi Cameracensis Episcopi, varia conferentis altaria, ad augmentum cultûs divini in Sacello S. Foillani.

BUrchardus permissione Divinâ humilis Episcopus Cameracensis... Dono ad augmentum cultûs divini, in Sacello de *Senophe*, sito in loco Martyrii S. Foillani, altaria de *Strepy*, *Seresfle*, *Espinon*, *Mignan*, *de Crois*, *Walers*, *Derkenne*, *Trunere*, ut ex iis vivere possint Fratres è Fossensi Ecclesia sumpti. Et si contingat locum hunc ad Abbatialem dignitatem evehi, volo ut Abbas canonicè electus, pastorale pedum deferat ad Capitulum Ecclesiæ Fossensis, & solvant quotannis eidem Capitulo denarium aureum unum, aut denarios argenteos duodecim. Datum in *Senophe* anno millesimo centesimo vicesimo quinto.

Charta Burchardi Episcopi Cameracensis pro fundatione monasterii S. Foillani *in Hannonia. 1125.*

BUrchardus Dei miseratione Cameracensium Episcopus, tam futuris, quàm præsentibus in perpetuum. Cùm ad nostræ ædificationis profectum, Salomonis clamet autoritas, *Congregationi pauperum affabilem te facito, & si quod benefeceris, scito cui feceris & erit gratia in bonis tuis multa*, sanum reputavimus consilium ob animæ nostræ salutem, piæ petitioni Ecclesiæ B. Foillani de *Fossis* condescendere. Nostrarum igitur personarum communicato consilio altare de *Strepi* cum omnibus appendiciis suis, altare de *Arkenna*, propè Nivellas, altare de *Walers*, Capellam de *Burlafontana* eidem Ecclesiæ ad usus si quidem Fratrum qui in Capella S. Foillani in sylvâ de *Carboneriis*, ubi martyrisatus est, sub regulari habitu Deo deservientes, liberâ & absque omni pensione concessimus, ita tamen ut altare de *Streps* Episcopo Cameracensi sive ipsius ministris, quotannis in festivitate Lucæ Evangelistæ tres solidos persolvat.. tantumdem altare de *Walers*; altare verò de *Arkenna* decem & octo nummos Nivellensis monetæ: Burlafontana sex nummos. Hoc autem fiat salvo jure Archidiaconorum per omnia. Et quia omne membrum capitis sui dignitatem quocunque debet venerari respectu, statuimus ut singulis annis Capella illa Ecclesiæ *Fossarum* aureum nummum sive duodecim nummos censualiter reddat. Quod si locus ille meritis B. Foillani & Fratrum religione adeò excrevit, ut loci facultas Abbatis dignitatem exigat, sancimus ut Fratres in unum convenientes Fossensis capituli assensu & consilio sibi Abbatem eligant, electum Fossas conducant & assumpto baculo super altare, Cameracum ut consecretur, reducant, deinde consecratus per manum Archidiaconi in sede sua collocetur. Ut autem hujus rei series rata permaneat, terribili maledictione promulgatâ in prævaricatores, datâ pace conservatoribus, præsentem paginam nostræ imaginis impressione signavimus, & subsignatorum testium adstipulatione Canonicâ corroboravimus. Signum Anselmi eorumdem altarium Archidiaconi. Signum Erleboldi Præpositi, Medardi Decani, Roberti Cantoris, Balduini, Radulfi, Werinbaldi, Godefridi, Hugonis, Marcellini. Signum Guidonis, Gerardi Capellanorum. Actum anno Incarnati Verbi MCXXV. Præsulatûs Domini Burchardi octavo.

Charta Nicolai Cameracensis Episcopi, confirmantis donationes monasterio S. Foillani *factas.*

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ego Nicolaus Dei gratiâ Cameracensium Episcopus, tam futuris quàm præsentibus in perpetuum salutem. Cum nostri Ordinis sublimitas, imò omnium fidelium salus exigat, benefacta aliorum diligere & approbare, laudamus & quâ possumus, officii nostri auctoritate corroboramus piam devotionem & benefactum prædecessoris nostri Domini Burchardi qui Apostoli verba retractans, dicentis: *Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maximè autem ad domesticos fidei*, ob animæ suæ salutem, & B. Martyris Foillani meritum, frequenti & honestæ petitioni Ecclesiæ Fossensis condescendens, quæ de emancipatione & honorificentiâ illius loci erat, in quo prædictus Martyr passus fuerat, suarum personarum communicato consilio, locum illum sacri sanguinis illius undâ respersum, & frequenti miraculorum luce perspicuum, ubi & Capella in honorem illius sita erat, emancipavit; & tam ipsum quàm altare de *Strepy* cum omnibus suis appendiciis, seu & altare de *Archenne* prope Nivellam, item & altare *Wallers*, & Capellam *Borle-fontaine* Beato Martyri Foillano, & Ecclesiæ Fossensi, super sanctissimum ipsius corpus, quod ibidem ad hoc perficiendum, cum plurimis Sanctorum corporibus delatum erat, contradidit, ad usus siquidem Fratrum, qui in eodem loco in sylvâ, quæ *Cherbonirensis* dicitur, sub regulari habitu & Ordine, Deo & B. Martyri Foillano deservirent. Quia verò istud non sine aliquo labore & multimodâ expensâ Ecclesiæ Fossensis factum est, ut aliquid honoris & respectûs capiti & membro, prout justum est, proveniret, statuit etiam, ut singulis annis Ecclesia illa Cherbonirensis Ecclesiæ Fossensi, in dedicatione ejusdem, aureum nummum, vel duodecim nummos censualiter solveret: & si locus ille meritis B. Foillani & Fratrum religione eò multiplicaretur, ut loci facultas Abbatem exigeret, & Conventus ille Abbatem sibi canonicè eligeret, electumque Cameracum ad consecrandum perduceret; consecratus Fossas, ad accipiendum pastorale baculum ab altari B. Martyris Foillani, & ad revovandas societates & confraternitates veniret, & eo defuncto, prædictum baculum Fossas super idem altare, inde iterùm suo tempore à successore recipiendum fraternitas remitteret.

Hoc autem tam rationabile institutum, quod Deo annuente, à præmemorato antecessore nostro factum est, ut ratum & inconvulsum permaneat, Ego Nicolaus, Dei gratiâ ejus Successor, & Cameracensium Episcopus approbo, & quâ possum, officii mei auctoritate & sigilli impressione, & personarum mearum canonicâ adstipulatione corroboro, Dei gratiam & pacem concedens conservatoribus, terribilem maledictionem & iram tremendi judicii promulgans prævaricatoribus. Actum anno Incarnationis millesimo centesimo tricesimo tertio.

Charta donationis Fontis-Calidi. *Anno MCLIV.*

ANno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo quinquagesimo quarto, Nos Bernardus de Claromonte videlicet & Arnaldus frater ejus, & Guillelmus de Claromonte ac Bertrandus & Bernardus de *Rocha-fort*, ac Bernardus de *Dura-fort*, & uxores atque infantes nostri, donatores sumus omnipotenti Deo & gloriosæ B. Mariæ ejusdem Ecclesiæ honestissimæ Genitrici Dei, loci qui vocatur *Fons calidus* qui est in Comitatu Bitterrensi, tibi Fratri Guillelmo de *Nant*, atque aliis ibidem Deo servientibus tam præsentibus quàm futuris, donamus quoddam territorium nostrum quod est in Comitatu Bitterrensi, in loco quem vocant proprio suo nomine *Fontem calidum* & ipsum territorium, & illum jam dictum *Fontem* cum tota sua aqua, damus vobis, cum exitibus & redditibus suis, ita tamen quod de omnibus melioribus nostris terris, quas circa eundem præfatum Fontem invenire potueritis, habeatis & teneatis seu possideatis tantùm, quantùm tria paria boum pro cultivo laborare potuerint. Sic remotâ omni occasione, nostrâ bonâ fide ac justâ intentione pro amore Dei & gloriosissimæ Genitricis ejusdem Mariæ, & redemptione animarum nostrarum, seu parentum, donamus vobis ipsum jam dictum Fontem cum ipsius melioribus terris, quæ ibi circa illum Fontem fuerint & de aliis nostris, si vobis necessariæ fuerint pro aliquo ædificio, scilicet quantùm pro cultivo tria paria boum laborare potuerint. Sic pro allodio habeatis & teneatis illas terras & illum *Fontem* cum tota sua aqua, absque ullo usatico ac servitio, quod nullo modo à vobis pro illo jam dicto *Fonte*,

vel pro illis terris requiratur; quod sic vos, omnesque successores vestri, eas terras & illum Fontem habeatis & teneatis, omnemque voluntatem vestram in eis ac de eis faciatis perpetim; si verò in prædicto vobis ullus homo vel fœmina amparavit aliquid, seu fori fecerit, nos, omnisque posteritas nostra pro amore ac timore omnipotentis Dei & B. Mariæ erimus inde guirenti legales sine ingano; vel si aliquod ædificium in illis terris quas pro laborantia vobis damus, vel in illo Fonte facere volueritis, licentiam faciendi habeatis sine contradictione. Quod sic istud donum firmum & stabile omni tempore permaneat, supradictorum, Bernardi de *Claromonte* & Arnaldi Fratris illius & Guillelmi de *Claromonte*, & Bertrandi Fratris illius, & Bernardi de *Rocha-fort* & Bernardi de *Durafort*, & uxorum atque infantium illorum qui illud donum firmaverunt ac laudaverunt & sub dicto terminio, firmare rogaverunt. Hujus rei sunt testes Berengarius de *Carcassone* & Raymundus Guillelmus de *Montabruno* & Guillelmus de *Gairag*, qui omnes isti rogati ex præcepto prædictorum Bernardi de *Claromonte* & aliorum, sic istud donum firmaverunt. Hoc donum factum est decimo octavo Kalendas Octobris, in Francia regnante Ludovico Rege.

Charta confirmationis doni Fontis-Calidi, *data à Pontio Narbonensi Archiepiscopo. Anno 1154.*

IN Nomine Domini Amen. Anno ab Incarnatione Domini MCLIV. Notum sit omnibus ad quorum auditum ista pervenient, quod Ego Pontius Narbonensis Archiepiscopus cum consilio Guillelmi Roguerii & Petri Archidiaconi & Berengarii Archipresbyteri & totius Domini Capituli, dono, laudo & cum hac Charta in perpetuum valitura, concedo Ecclesiæ S. Mariæ de *Valle-Crosa*, & tibi Petro *Benedicti* ejusdem Ecclesiæ Procuratori, quemdam locum qui vocatur *Fons Calidus* cum Ecclesia & pertinentiis suis, & juribus suis in quocumque potuerint consistere, tali verò ratione ut qui in posterum illum locum & domum illam tenuerit, Archiepiscopo Narbonensi pro tunc existenti obediat & authoritatem Episcopalem recognoscat, ei persolvendo singulis annis duos solidos. . . . & hoc factum est feriâ v. post Pentecosten.

Bulla Alexandri III. data Senonis, anno 1164 confirmans donationem Fontis-Calidi.

ALexander Episcopus Servus Servorum Dei, dilectis Filiis & Fratribus Sanctæ Mariæ de *Valle-Crosa* Salutem & Apostolicam benedictionem, justis petentium desideriis, dignum est nos facilem præbere assensum, & ut à recto tramite non discordet, effectu sunt prosequente complenda, ea propter dilecti Petri *Benedicti* postulationibus grato concurrentes assensu, locum qui dicitur *Fons Calidus*, ubi Ecclesia S. Mariæ fundata fuit, cum juribus & omnibus suis pertinentiis à venerabili Fratre nostro Pontio Narbonensi Archiepiscopo vobis concessum, sicut in scripto authentico de ipso facto conspicitur, vobis & Ecclesiæ vestræ authoritate Apostolicâ cõfirmamus & præsentis scripti patrocinio munimus. Statuentes quod nulli hominum liceat omninò hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei aliquatenus contravenire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem Dei & B. Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Senonis XII. Kalend. Septembris.

Bulla ejusdem Alexandri III. data apud Montem-pessulanum anno 1165. pro restitutione Fontis-Calidi Fratribus de Valle-Crosa.

ALexander Episcopus Servus Servorum Dei. Venerabilibus Fratribus Pontio Narbonensi Archiepiscopo & Biterrensi Episcopo, Salutem & Apostolicam benedictionem. Conquestiones dilecti nostri Prioris *Vallis-Crosæ* nuper accepimus, quod Bernardus & Guillelmus de *Casulis*, Berengarius quoque de *Niciano* & Bernardus de *Dura-fort* Laïci, instinctu quorumdam Clericorum D. B. & Stephani de *Cornelsano*, Arnaldi quoque, Pontii Maureliani Conversi, quemdam honorem & locum qui dicitur *Fons-Calidus* auferre & Ecclesiæ suæ præsumunt.... Unde fit ut universis Dei fidelibus & præsertim viris religiosis, cum nos in nostra justitia existamus debitores, Fraternitati vestræ per præsentes mandamus quatenùs jam dictos homines commonere diligentiùs & convenire curetis, ut præscriptum honorem & locum commemorato Priori & Ecclesiæ suæ citò resignent, aut sibi in vestra præsentia sufficientem exinde indemnitatem, appellatione remotâ, facere proponant. Quod si alterum istorum effectus mancipare neglexerint, illos & principales fautores eorum, usque ad condignam satisfactionem excommunicationis sententiâ feriatis. Datum apud Montempessulanum VIII. Idus Augusti.

Transactio inter Fratres Vallis Crosæ *&* Fontis-Calidi. *Anno 1179.*

AMicis intervenientibus, quæstiones inter monasterium *Fontis-Calidi* & *Vallis-Crosæ* in hunc modum fuerint sopitæ. Scilicet Ecclesia *Vallis-Crosæ* Magalonensis Diœcesis, perpetuis temporibus, & absque ullâ retentione erit libera & penitùs absoluta ab omnibus rebus & personis præsentibus & futuris, ne in posterum ab aliquo Præsidentium seu Fratrum de *Comba-longa* seu *Fontis-Calidi*, vel ab aliis de Ordine Præmonstratensi valeat impeti, vel quâvis occasione in subjectionem aliquam vocari. Ecclesia quoque Fontis-Calidi penitùs perpetuis temporibus & absque ulla retentione penitùs sit libera & absoluta, cum omnibus rebus & personis præsentibus & futuris, ut imposterùm Prior vel Fratres Vallis-Crosæ, Episcopus Magalonensis, vel Præpositus, vel ejusdem Ecclesiæ Canonici, nullam in eam subjectionem exigant, vel contra eam aliquam querel. m proponant, sed in pace & quiete secundùm regulam B. Augustini & institutum Præmonstratensis Ordinis, Deo in perpetuum serviat sub præcepto & obedientia Abbatis Combæ-longæ, quod ad ejus certam dispensationem spectet. Scriptum per Raymundum Priorem Combæ-longæ & sigillis dictorum Episcoporum Joannis Dei gratiâ Magalonensis, Bernardi eâdem gratiâ Episcopi Biterrensis, & Rigaudi Combæ-longæ Abbatis & Petri Magalonensis Præpositi, & Petri Vallis-Crosæ. Combæ-longæ anno Dñi MCLXXIX mense Octobris.

Charta donationis nobilis prædii de Casale-veteri, vulgò Cazal-viel *facta Fonti-Calido per Guillelmum de* Minerva *& Marhesam ejus Conjugem. Anno 1328.*

IN Dei Nomine Amen. Anno ejusdem MCCC. XXVIII. regnante * Philippo Rege mense Martii omnibus hominibus hoc audientibus sit manifestum, quod ego Guillelmus de *Minerva*, & ego Domina Marhesa conjux ejus, nos pariter præsentes & per omnes nostros præsentes atque futuros, nullâ vi coacti, nullo dolo vel fraude inducti, sed spontaneæ voluntatis nostræ arbitrio, bonâ fide, sine omni dolo ac fraude, cum hac præsenti Charta perenniter valitura, pro remissione peccatorum nostrorum & parentum nostrorum, & ad salutem animarum nostrarum, donamus, cedimus, solvimus, & deffinimus & penitùs derelinquimus Domino Deo & monasterio B. Mariæ Fontis-Calidi, & tibi Marco Abbati ejusdem monasterii & omnibus Fratribus ibidem servientibus, tam præsentibus quàm futuris, totum integrè quod habemus, vel habere debemus sine ulla reservatione, in omni termino qui dicitur de *Casale-vetulo*, in superiore Mazatico & inferiore ad faciendum ibi & inde quidquid vobis placuerit in molendinariis, in paxeriis, in piscatoriis, in aquæ-ductibus, in pascuis & garrigiis, in sylvis in cultis & inculturis, & in omnibus aliis pertinentiis expressis & non expressis, à minimo usque ad maximum, in perpetuum & sine omni retentione. Damus adhuc prædicto monasterio Fontis-Calidi omnibusque habitantibus eodem modo, quo suprà dictum est, quidquid habemus, vel habere debemus ex Rupibus de *Portel*, usque ad Portellum de *Penis*, & à portello de *Penis* usque ad *Milesfogasse* versùs Meridiem, ad possidendum omni tempore. Item eâdem ratione & voluntate damus, ego Guillelmus de *Minerva* memoratus & ego Domina Mathesa per nos & per omnes nostros concedimus in perpetuum, liberum introïtum & exitum in castro de *Cessenone*, ut animalia vestra semper pascant & adaquent in omnibus terminis & pro omnibus ejusdem castri, sicut animalia instantium hominum de *Cessenone*. In hoc instrumento confirmamus vobis bonâ fide vobis, & successoribus vestris in perpetuum, quidquid vobis datum est olim à patre meo Guillelmo de *Minerva* & aliorum Dominorum, sicut scriptum est in vestris instrumentis, quod dono pertinet vobis ex castro de *Cessenone*, quidquid scilicet in terris jurium habemus vel quocumque modo habere debemus in toto supra scripto honore, totum damus, guspimus, omninòque desamparamus, prout meliùs potest dici, scribi, vel cogitari præfato monasterio & Fratribus monasterii, amodo usque ad sempiternum, & de his omnibus prædictis nos penitùs apud vos denudamus, & vos inde investimus. Promittimus etiam bonâ fide & stipulamus quod contra supra-dicta vel aliquid eorum nunquam veniemus, vel venire faciemus, jure, lege, ratione, seu consuetudine, vel alio modo qui dici possit, vel excogitari, nec fieri, vel dici consentiemus, quominùs hæc quæ supra dicta sunt, vel aliquid horum firma permaneant in perpetuum jussu & rogatu prædicti Guillelmi de *Minerva*. Testes horum sunt Petrus *Myr* de *Crudeo*, Raymundus de *Cario*, Bernardus de *Boursо*, D. Arnaldus Capellanus de *Milhano*, Petrus *Guisaure*, Raymundus *Boniza*; de mandato Dominæ Marhesæ prædictæ, sunt testes Bernardus de *Minerba*, Rogerius *Cama*, Bernardus de *Crenniziaco*, Bernardus de *Casulis*, Petrus de *Redorra*, & Frater Guillelmus *Baroni* qui hæc rogatus conscripsit. In quorum visionis & inspectionis testimonium, nos Bertrandus Castelli Judex sigillum majus Curiæ Bitterris Domni Regis hic jussimus apponi. Actum & dictum Bitterris xxx. die Martii, anno Dñi MCCCXXVIII. Philippo Rege Francor. regnante.

* VI.

Sequitur, vel potiùs antecedit donatio trecentarum terræ Cesteriatarum facta anno MCXC. Francisco de *Boria* Abbati Calidi-Fontis per Reverendum in Christo Patrem ac Dominum Raymundum de *Valenquesio* episcopum Bitterrensem, & Guillelmum de *Casulis* ad invicem Dominos de *Casulis*. Verum hæc Charta dubia mihi visa est, cum nullus hoc nomine Bitterris sederit Episcopus eo tempore; scrupulum addidit signum Stephani *Boers* Abbatis sancti Aphrodisii, qui in elencho Abbatum apud San-Marthanos Fratres non legitur. Equidem Raymundus de *Valliouquex* in serie Episcoporum Bitterrensium invenitur, sed anno MCCLI. adiit Episcopatum, subindeque aut error chronologicus, ex amanuensis oscitantiâ irrepsit in Chartam, aut peccarunt San-Marthani, ex ordine suo Raymundum subducentes. Paris culpæ postulandi erunt qui Stephanum ex Abbatum sancti Aphrodisii catalogo dispunxerunt.

Charta Arnoldi Archiepiscopi Coloniensis pro confirmatione Parthenii Fussnichensis. *Anno 1147.*

IN Nomine Sanctissimæ Trinitatis, & Individuæ Unitatis sciat & memoriter teneat tam futura quàm præsens Ecclesia, quod ego Arnoldus (a) Dei gratiâ Coloniensis Ecclesiæ Archiepiscopus, Spiritûs Sancti fervore accensus, religiosis viris & Deo devotis, qui Congregationes fidelium largitate eleëmosynarum suarum instituerunt & religionem longè latèque promoverunt, formam illorum imitando consociari cupiens quatenùs in retributione justorum cum ipsis bravio felicitatis æternæ non privarer. Hujus rei gratiâ petitione fidelium meorum videlicet Hermanni Advocati & piæ uxoris suæ Petrissæ qui in hac re unâ mecum unius devotionis extiterunt Ecclesiam Sancti Nicolai in *Vuessenich* ab omni debito tam Episcopalis servitii quàm Chorepiscopi & Decani, nec non ab omni jure matricis Ecclesiæ Pastoris Ludovici & successorum ejus consensu ipsius Ludovici & consilio Priorum nostrorum absolvi ac omni modo liberam instituti, quatenùs nullius debiti vexatione gravetur & regularis vita secundùm Regulam B. Augustini Canonicam & secundùm Ordinem Præmonstratensem Domino cooperante inviolabiliter inibi in perpetuum servetur. Quâ in re, dilecti Filii nostri Luberti Havenburnensis Ecclesiæ Præpositi Sorores Deo devotas de loco in quo manebant, assumere decrevi, & in prædicta Ecclesia illas secundùm professionis suæ regulam Deo servire disposui. Unde etiam prædictam Ecclesiam cum so-

(a) Primus nomine è Comitibus de Altena, *vir omninò Religiosus*, ut ait Bruschius, *justi ac æqui studiosissimus, qui violentiis restiterit & Ecclesiam defenderit.* Ex B. Andreæ præposito Coloniensis Archiepiscopus electus est anno MCXXXVII. Juxtà Chronicam Belgii Sacram Joann. Bapt. Lud. de *Castillion* substitutum Hugoni Prædecessori suo anno MCXXXVIII. contendunt San Marthani tardius hanc dignitatem adeptum fuisse asserit ex Gasparo Bruschio, Bernardus à Mallinkrot, scilicet post Cancellariatum Aulicum Imperialem, quem Arnoldo Conradum Suevum Imperatorem tradidisse anno MCXXXVIII. testantur recognitiones ab ipso factæ: Aquisgrani Fridericum primum Imp. 7. Idus Martii anni MCLXII. ab ipso Arnoldo coronatum fuisse volunt Sammarthani; postmodùm in Remensi Concilio de simonia cum Moguntinensi Archiepiscopo insimulatum, depositum fuisse: cum tamen die 30. Aprilis anni MCLXI. obiisse scripsit Ludovicus de Chatillion.

toribus illius dilecti Filii nostri Luberti præfati Præpositi providentiæ commisi, ut videlicet eis sollicitudinem paterni affectûs exhibeat, & eas sub omni Regularis vitæ disciplina regere non desistat, porrò quæcunque bona vel quæcunque possessiones Ecclesia supra dicta nunc in præsentiarum jure tenet vel in futurum Domino donante, liberalitate nobilium & cæterorum fidelium justè poterit adipisci, ex quibus quædam quæ jam nunc sive à me, sive à fidelibus meis Advocato Hermanno & uxore sua adepta est, dignum annotari duximus, nullus invadere, demere, minuere præsumat, ne sententiam nostræ animadversionis incurrat, nam quatuor areas eidem Ecclesiæ adjacentes, ex quibus in servitium mihi tres solidi & sex denarii annuatim persolvebant, octo prætereà jurnales per concambium à Trinando de *Gesch* acceptos de agro meo, quod vulgò *Selegne* vocatur in quibus officinæ Sororum constituerentur quod contradidit in nemore quod dicitur *Vile*; beneficium Henrici ministerialis mei de *Alpheim*, in *Hurle* quoque beneficium Theodorici ministerialis mei præfatæ Ecclesiæ delegati; ad hæc fideles mei supradicti Hermannus Advocatus cum uxore sua in *Ramersforph* curtim unam cum omnibus pertinentiis suis *Trerenzenrode* mansas duas, in *Pollo* mansum unum contulerunt in *Frilinghove*; Otto Frater Advocatæ Petrissæ duas mansas donavit. Cætera verò videlicet duas mansas de *Invilla-terrâ* in nemore quod dicitur *Ensehbusch* & unum de Villa in vicinio adjacentem quos homines Villæ *Vussenich* pro more cælestis patriæ jam dictis Sororibus contulerunt, & xxx. jurnales in *Ernbursch* quas Bertholdus de *Berschmuche* filiæ suæ ejusdem Ecclesiæ Sorori constituat viginti octo quoque jurnales quæ erant Ecclesiæ B. Georgii in Colonia quas videlicet censuali jure à Friderico ejusdem Ecclesiæ Præposito propriâ pecuniâ sæpè dictæ Sorores conquisierunt, ex quibus & annuali tempore præfatæ Ecclesiæ viginti octo denarios reddunt in *Vrisheim*. Similiter quinque jurnales quas Geva tam pro se quàm pro salute Winandi fratris sui defuncti eisdem famulabus Dei dedit, firmissimè stabilivi & super hæc tuenda, Walterum de *Hengenbach* legitimum Advocatum constitui, ita sanè ut nec ipse nec aliquis hæredum suorum sæpiùs dictæ Ecclesiæ, possessiones non vocatus intret, nec alicujus officii exactiones in eis faciat, nec omninò ob alterius causam in æternæ mercedis respectu ipso consentiente. Ut autem hæc omnia firma & illibata permaneant nostræ authoritatis banno munire decrevi & scripto signo nostræ imaginis signato, idoneis testibus subnotatis, ad notitiam posterorum direxi.... Arnoldus Præpositus majoris Ecclesiæ S. Petri, Walterus Decanus ejusdem Ecclesiæ, Godefridus Subdecanus, Bruno Præpositus Zalensis, Gerardus Præpositus Bonnensis, Lipoldus Præpositus S. Severini, Adolphus Comes de *Saphenberg*, Adalbertus Comes de *Norvenich*, Walterus de *Hengenbach* Ministeriales S. Petri, Hermannus Advocatus, Henricus de *Alpheim*, Henricus de *Valmettstein*, Amelricus. Si quis hæc instituta post tot & tanta gestarum rerum firmamenta infringere vel cassare tentaverit, alienus à sorte Dei efficiatur, & diabolo & angelis ejus æternis ignibus cruciandus reservetur. Actum Coloniæ anno Dominicæ Incarnationis MCXLVII. Indictione x. apud Romanam sedem residente Eugenio, nostri verò Episcopatûs IX. Anno Regni Conradi Romanorum Regis VIII.

Bulla Adriani IV. Papæ pro confirmatione & protectione Fussnichui. *Anno 1157.*

ADrianus Episcopus Servus Servorum Dei, dilectis in Christo filiabus Jepæ Priorissæ monasterii S. Nicolai in *Vussenich* ejusque Sororibus tam præsentibus, quàm futuris regularem vitam professis in perpetuum. Prudentes Virgines, & à Christo vero Sponso, annulo fidei subarratas, quæ abjectis carnalibus desideriis in amorem Conditoris, totis visceribus succenduntur, tanto celeriùs decet nos, atque attentiùs in suis postulationibus exaudire, & tam eas, quàm earum bona sub nostra defensione suscipere, quantò magis constat eas cælestibus desideriis jugiter inardere, & pro bonis operibus quæ gesserunt, venienti Sponso accensis occurrere lampadibus coronandas. Ea-propter, dilectæ in Christo Filiæ, vestris justis postulationibus clementer annuimus & præfatum monasterium, in quo divino mancipatæ estis obsequio, sub B. Petri & nostra protectione suscipimus & præsentis scripti privilegio communimus, statuentes ut quascunque possessiones, quæcunque bona, idem monasterium, in præsentiarum, justè & canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum, vel Principum, oblatione fidelium seu aliis justis modis; præstante Domino poterit adipisci, firma vobis, & his quæ post vos successerint, & illibata permaneant: in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. In *Vuessenich* quatuor areas, quas bonæ memoriæ Arnoldus Coloniensis Archiepiscopus per cambium acquisivit & Ecclesiæ tradidit ad constituendas in eis officinas ancillarum Dei. In *Larisbusse* quinque mansos, in *Vuessenich* unum mansum, in *Werenbenrove* duos mansos & dimidium, in *Hertene* unum mansum, in sylva quæ *Vile* appellatur, tres mansos, in *Bolenbrusch* Ecclesiam, cum omnibus pertinentiis suis, in *Heppendorp* unum mansum & quartam partem molendini, in *Budendorp*, quasdam vineas, & terram arabilem. In *Veilendorp* quinque mansos, in *Hurle* unum mansum, in *Egere*, unum mansum, in *Alvetre*, unum mansum, in *Vrisheim* decem jurnales, & in *Erceburche* unum mansum. Justas quoque & rationabiles libertates, ab Arnoldo bonæ memoriæ Coloniensi quondam Archiepiscopo, sicut in ejus privilegio continetur, vobis concessas, authoritate Apostolicâ vobis nihilominùs confirmamus. Sanè novalium vestrorum quæ propriis manibus aut sumptibus colitis, sive de nutrimentis vestrorum animalium, nullus à vobis decimas præsumat exigere. Decernimus ergò, ut nulli omnimò hominum liceat prædictum monasterium temerè perturbare, aut ejus possessiones auferre vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed illibata omnia, & integra conserventur, eorum pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salvâ sedis Apostolicæ authoritate, & Diœcesani Episcopi Canonica justitia. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica sæcularisve persona, hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temerè venire tentaverit, secundò tertiòve commonita, nisi præsumptionem suam, congrua satisfactione correxerit, potestatis, honorisque sui dignitate careat &c........

Ego Adrianus Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

Ego Aubaldus Presbyter Cardinalis tit. S. Praxedis.
Ego Octavianus Presb. Card. tit. S. Cæciliæ.
Ego Astaldus Presb. Card. tit. S. Priscæ.
Ego Joannes Presb. Card. tit. SS. Joannis & Pauli.
Ego Henricus Presb. Card. tit. SS. Nerei & Achillei.
Ego Odo Diaconus Card. S. Georgii ad velum aureum.
Ego Guido Diac. Card. S. Mariæ in Porticu.
Ego Jacintus Diac. Card. S. Mariæ in Cosmydin.
Ego Ardiao Diac. Card. S. Theodori.

Datum Laterani per manum Alberti S. Adriani Diaconi Cardinalis, vicem D. Rolandi S. Romanæ Ecclesiæ Presbyteri Card. Cancellarii, gerentis. III. Idus Novembris Indict. v. Incarnationis Dominicæ anno MCLVII. Pontificatus verò D. Adriani PP. IV. Anno III.

Charta Adolphi Coloniensis Archiepiscopi omnia bona monasterii Fussenich *in protectionem suam suscipientis. Anno 1194.*

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Adolphus * divinâ favente clementiâ S. Coloniensis Ecclesiæ Archiepiscopus, universis in Christo fidelibus tam præsentibus quàm futuris in perpetuum. Ex dignitate quam divina gratia in nos contulit, tenemur Ecclesiis quæ ad nos respectum habent, paternè prospicere, & nostram diligentiam ad hoc inclinare ut accipiant rerum exteriorum & religionis augmentum. Notum sit itaque præsentibus & posteris monasterium Dominarum in *Vossenich*, in quo sanctè & religiosè Deo servitur, à nobis petiisse & impetrasse, ut universa quæ ad illud pertinent nobis sint specialiter commissa & nostrâ gaudeant protectione contrà omnes molestias & violentias quorumcunque hominum. Sicut promisimus, sic per Dei gratiam nos speramus facturos, gladio utroque spirituali & materiali Religiosam domum Sanctarum Sororum efficaciter protecturi. Si qui ergo immemores salutis animarum, Sororibus prænominatæ Domûs, violentiam vel injuriam intulerint, non solùm iram Dei merebuntur incurrere, sed & nostram indignationem sustinebunt tantò graviorem & justiorem, quantò majori dilectione amplectimur Domum toties nominatam. Hæc autem in protectionem nostram suscipimus: curtim in *Werenzenrode* cum omnibus appenditiis suis; in *Herthene* curtim unam, in *Trosdorp* curtim usiam, in *Puthze* XL. jurnales, in *Luichzheim* curtim unam, in *Dirto* curtim unam, in *Burvenich* curtim unam, in *Valendale* curtim unam, in *Budendorp* curtim unam cum vineis, in *Alffhe* curtim unam cum vineis & alia bona quæ nunc possident, & postmodùm justis modis obtinere poterunt. Priorum consilio discreto & maturo ita ordinatum est & nostro consensu ad hoc favorabiliter inclinato, ut nostri successores in familiari suâ protectione bona Religiosarum Sororum semper habeant propter cohercendam malorum malitiam quæ de die in diem in malo accipit incrementum, & ubi non cohercetur, ibi magis diffunditur. Ut autem hæc rata & inconvulsa permaneant, redacta sunt in scriptum & nostro communita sigillo & banno. Acta sunt anno Dominicæ Incarnat. MCLXXXXIV. Indictione XII. Testes hujus rei sunt Ulricus Decanus, Conradus Xantensis Præpositus, Bruno Bunnensis Præpositus, Godefridus Præpositus S. Gereonis, Theodoricus Præpositus SS. Apostolorum, Theodoricus Decanus de Gradibus, Udo in majori Ecclesia secundus Decanus, Rudolphus Scholasticus. Nobiles Henricus Dux de *Limburgh* & filius ejus, Henricus de *Walenberg*, Henricus Comes de *Seyna* & frater ejus Everhardus, Reinerus de *Freitzbecth*, Gerardus de *Tonebergh*. Ministeriales, Hermannus Advocatus, Hermannus Camerarius, Gerardus de *Wolmuthotine*, Willelmus *Scillinch*, Otto. Datum Coloniæ Kal. Martii anno Pontificatûs nostri primo.

* De Altena Brunonis Prædecessoris sui nepos seu consobrinus ex majori Ecclesiæ Præposito factus est Archiepis. Coloniensis anno 1193.

Charta S. Engelberti Coloniensis Archiepiscopi, jus Patronatûs Ecclesiæ de Bettenhoven, *decimam de* Rodhe *monasterio* Fussenich *concedentis anno 1216.*

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Engelbertus Dei gratiâ Coloniensis Ecclesiæ Electus, universis Christi fidelibus in Domino salutem. Præsentiū ac futurorum notitia volumus declarari quod Hermannus de *Alffiro* Marscalcus noster jus patronatûs quod habebat in Ecclesia de *Bettenhoven* in manus nostras resignaverit, petens ut ipsam Ecclesiam monasterio de *Vusnich* conferremus in usus ipsius cum fructibus redigendam. Item decimam agrorum suorum de *Rodhe* quam tenuerat in pheudum à nobis, sub conditione resignaverit, intentionem piam gerens ut & personæ Deo servientes ibidem pleniorem consolationem haberent, & in monasterio eodem memoria ejus atque uxoris suæ ageretur post mortem. Nos itaque piis ejus precibus annuentes, dictam Ecclesiam eidem monasterio contulimus pleno jure, decimamque jam nominatam perpetuò ei profecturam. Ut autem hæc vires in perpetuum habeant, præsentem super his paginam fecimus conscribi, atque sigilli nostri appositione muniri sub anathematis districtione inhibentes ne quis hiis statutis audeat aliquatenùs contrairé. Acta sunt hæc coram testibus subnotatis Gerardo Præposito de *Kerpene*, Conrado Præposito de *Boborden*, Arnoldo Canonico sancti Petri in Colonia, Theodorico de *Brole* ejusdem Ecclesiæ Canonico, Godefrido Capellario & Canonico majoris Ecclesiæ, Peregrino Notario, Henrico Canonico Apostolorum. Hermanno nobili Advocato Colonico. Remaro *Van-den Rothe*, Theodorico de *Munichusen*, & fratre ejus Ludewico. Willelmo de *Onesterpe*, Winando de *Alffiro*. Et aliis quam pluribus. Anno Dominicæ Incarn. MCCXVI. Indictione IV.

Charta Friderici II. Imperatoris, quâ monasterium & bona Fussenich *sub protectione Imperiali recipit, anno 1236.*

FRidericus Dei gratiâ Romanorum Imperator semper Augustus, Jerusalem & Siciliæ Rex, per præsens scriptum notum fieri volumus universis fidelibus nostri Imperii tam præsentibus quàm futuris, quod Magistra & Conventus monasterii *Vusenicz* fideles nostræ majestati nostræ humiliter supplicaverint ut tam ipsas, quàm bona monasterii ejusdem sub nostra & Imperii protectione de gratia nostra recipere dignaremur; Nos igitur supplicationibus suis benignè & favorabiliter inclinati, dictas virgines & conventum fideles nostras & monasterium ipsum cum omnibus bonis suis quæ in præsentiarum justè tenet & possidet, & quæ in anteà justo titulo poterit adipisci, sub protectione nostra & Imperii recipimus speciali. Præsentium igitur tenore mandamus firmiter inhibentes quatenùs nullus sit qui præfatas Magistram & Conventum fideles nostras ac ipsum monasterium contrà hujus protectionis nostræ paginam usu temerario in aliquo molestare, indebitè impedire, vel inquietare præsumat: quòd qui præsumpserit indignationem culminis nostri se noverit incursurum. Ad hujus autem rei memoriam & perpetuam firmitatem præsens scriptum fieri jus-

simus majestatis nostræ sigillo munitum. Datum apud *Franszen* anno Dominicæ Incarnat. MCCXXXVI. mense Maïo, nonâ Indictione.

Instrumentum de positione primi lapidis Ecclesiæ S. Nicolai in Fussenich. Anno 1711.

IN Nomine Domini Amen. Hocce publico instrumento fit notum omnibus & singulis quod anno ab Incarnatione Domini nostri Jesu-Christi millesimo septengentesimo undecimo, Sanctissimi verò Domini nostri Clementis Papæ XI. anno regiminis sui XI. Invictissimi & Augustissimi Imperatoris Josephi primi anno tertio, Indictione quartâ, die quidem octavâ Aprilis horâ decimâ circiter antemeridianâ in loco *Fussenich* Coloniensis Archidiœcesis propè Tulpetum sub Reverendissimo Domino Patre Abbate Hambornensi Domino Wilhelmo de *Beningh*, admodùm Reverendâ & Prænobili Dominâ Magistrâ Catharinâ Elisabethâ de *Pulfeedt*, & pro tempore Priore loci admodùm Reverendo & Prænobili Domino Henrico à *Daell* Canonico Hambornensi, Ecclesia claustralis per vetustatem jam collapsâ & diruta sub titulo SS. Nicolai & Huberti Episcoporum Confessorum, & sub Præmonstratensi Canonico exempto Ordine olim fundata, rædificari incepta fuerit & de authoritate & consensu Reverendissimi & Serenissimi Archiepiscopi & Principis Electoris DD. Josephi Clementis utriusque Bavariæ Ducis, Domini nostri clementissimi seu ejusdem in Pontificalibus Vicarii generalis per Reverendissimum itidem & Amplissimû Dominum Michaelem *Knell* suprafati Ordinis ad Rheni tractum Progeneralem seu generalem Vicarium, Ecclesiæ Steinfeldensis Abbatem, post Sacrosanctæ Missæ solemnia primus lapis in loco novæ Ecclesiæ extruendæ solemniter benedictus & pro ritu Pontificalis Romani, assistente generoso & prænobili Domino Rudolpho Adolpho de *Geyr* altè nemoratæ suæ Serenitatis Consiliario Aulico, Domino in *Moderscheimb*, &c. quà Commissario ad hoc à dicta sua Serenitate specialiter deputato, & de clementissima & larga manu oblatum numisma aureum adjiciente in fundamento retrò futurum altare majus, idem lapis benedictus in capsula lapidea cum diversis Sanctorum reliquiis in nupera displuta Ecclesia inventis sed anonimis, positus fit, præsentibus toto hujus loci & monasterii conventu, nec non prænobili & clarissimo viro D. Joanne Henrico *Cramer* Juris utriusque Licentiato & monasterii Syndico. Et R. D. Joanne *Heck* ad S. Martinum in Tulpeto Pastore, & variis viris & Dominis ad hunc actum unà mecum specialiter vocatis & requisitis testibus. Acta sunt hæc anno, die, horâ, regiminibus & indictione ut suprà in loco *Fussenich* exturendæ Ecclesiæ claustralis juxtà ambitum Conventûs

Instrumentum Benedictionis Ecclesiæ in Fussenich. Anno 1716.

IN Nomine Domini Amen. Notum sit & manifestum qualiter anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo decimo sexto in die Dominicâ sub sextam mensis Septembris incidente, SS. Domini nostri Papæ Clementis XI. anno regiminis 16. nec non Invictissimi & Augustissimi Imperatoris nostri, & Regis Catholici Caroli sexti anno quinto, indictione nonâ, horis 7, 8, 9 & 10. antemeridianis in loco de *Fussenich* Coloniensis Archidiœcesis & territorii, coram me infrà scripto & testibus infrà quoque nominatis & populi accurrentis multitudine, Reverendissimus in Christo & Illustrissimus Dominus Claudius Honoratus Lucas, totius Canonici Ordinis Præmonstratensis Caput & Generalis SS. Theologiæ in Sorbona Doctor, dùm ad Rheni tractum, generalem fecisset Ordinis visitationem, ad Dei majorem gloriam & sui Ordinis incrementum, insimul accedente expresso ac speciali consensu illustrissimi D. Nuntii Apostolici à latere pro tunc Coloniæ Agrippinæ residentis. Ecclesiam claustralem dicti loci ex fundamentis noviter erectam, cujus primus est angularis lapis nuper anno 1711. die octavâ Aprilis per Reverendissimi & Serenissimi Principis Electoris Coloniensis Josephi Clementis Plenipotentiarium ritè benedictus, & in fundamento subter futurum altare majus cum aureo altefatæ suæ Serenitatis portreto, adjunctis variis SS. Reliquiis & notariali documento reverenter positus fuerat, juxtà Pontificalis Romani ritum & ceremonias in Dei omnipotentis, Patris, Filii, & Spiritûs Sancti gloriam & honorem, B. Mariæ Virginis, S. Patriarchæ Norberti & SS. Tutelarium Nicolai & Huberti Confessorum Pontificum, nec non altare majus pariter in honorem D. O. M. Mariæ Virginis Matris, & SS. Augustini & Norberti, impositis in eodem reliquiis SS. Mauritii & Sociorum, Gereonis & Sociorum, Pantaleonis & B. Alderici in arcula plumbeâ inclusis, solemniter consecraverit, missam solemnem in noviter consecrato altari habuerit & coronidis loco hymnum Ambrosianum, *Te Deum* intonaverit, subsonantibus Ecclesiæ fatæ omnibus campanis, & demùm indulgentias consuetas publicari & diem annuum Dedicationis hujusmodi quotannis cum 40. dierum indulgentiis Dominicâ proximâ post Octavam B. Mariæ Virginis natæ, servari jusserit. Actum coram Reverendissimo itidem Abbate Steinfeldensi D. Michaele Knell, admodùm Reverenda & Prænobili Domina Magistra Catharinâ Elisabethâ de *Pusfeldt*, admodùm Reverendo prænobili ac generoso Domino Priore loci de *Fussenich*, Henrico à *Daell*, Hambornensi Canonico, & me Notario ad hoc specialiter unà cum illis specialiter requisito, anno, die, loco, horis, regimine ut suprà.

Charta Philippi Augusti pro erectione Gaudii-Vallis. *Anno 1221.*

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis Amen. Philippus Dei gratiâ Francorum Rex, noverint universi præsentes pariter & futuri, quod nos concessimus dilecto & fideli nostro Bartholomæo de *Roya*, primo Franciæ Camerario, grangiam, quam Hugo de *Annemonte*, de assensu & voluntate Agnetis uxoris suæ & liberorum, vendidit in perpetuum dicto Bartholomæo pro ducentis libris, & centum solidis, sitam intrà nemora *Essartorum* & *Montis-gaudii*, cum viginti arpentis bosci, & triginta quinque tam terræ quàm prati, suprà censum, quem in prædictis habebam, ità quòd Bartholomæus ibidem Canonicos Præmonstratenses, numero duodecim, pro remedio animæ nostræ & parentum nostrorum & ipsius Bartholomæi, uxoris ejus, parentum & amicorum; & sciendum quod duodecim illi Canonici, tenentur Missas & alia divina officia singulis diebus celebrare in Capella dicti Bartholomæi apud *Essarta*.* Quod ut perpetuæ stabilitatis robur obtineat præsentem paginam sigilli nostri authoritate & Regii nominis caractere confirmavimus. Actum Parisiis anno Incarnationis Dominicæ MCCXXI. Regni verò nostri 42. astantibus in palatio quorum nomina supposita sunt & signa, Dapifero nullo, Buticulario nullo. S. Bartholomæi Camerarii. S. Matthæi Constabularii. Data vacante Cancellariâ.

* Essarts.

Charta Galteri Episcopi Carnotensis pro consecratione Ecclesiæ Gaudii-Vallis, *& confirmatione illius.*

GAlterus divinâ permissione ac Apostolicâ authoritate Carnotensis Ecclesiæ Minister humilis, universis præsentes litteras inspecturis, salutem in Domino. Noverit universitas vestra, quod cùm nos Ecclesiam Gaudii Vallis Præmonstratensis Ordinis, die 8. Pentecostes in honorem B. & Gloriosæ semper Virginis Mariæ, Sanctorumque Laurentii & Quintini Martyrum dedicaremus, quam Ecclesiam nobilis vir Bartholomæus de *Roya* Franciæ Camerarius de suis bonis fundavit, sacrisque dictorum Sanctorum reliquiis, Româ sibi allatis, decoravit, & præsentes nobis fuerunt idem Bartholomæus, & nobiles viri Almaricus Comes *Montis-fortis*, Guido de *Monte-forti* patruus ejusdem Domini, Burchardus Dominus *Malles*, & Mathæus frater ejus, Guillelmus Crispinus, & alii plures hujus regni proceres; qui per divinam inspirationem & nostram monitionem, aliqua de bonis suis in perpetuam eleëmosynam contulerunt Ecclesiæ supradictæ, quorum largitiones facimus inferiùs annotari. Videlicet dictus Bartholomæus locum istum in quo Ecclesia ista est fundata, grangiam suam de *Gonessia* cum appenditiis suis, grangiam suam d'*Epone* cum appenditiis suis, quam emit à Domino Roberto de *Hacquavilla*, vineas suas de *Maulia*, prata *Meduntæ* quæ sua sunt post decessum suum. Dictus Comes Almaricus ducenta arpenta nemoris sui in *Aquilina essartanda*: terræ campum grangiæ ædificandæ aptum & commodum, ab eadem foresta non longè situm, usuarium in plana foresta adhuc extrà defensa sicut hujusmodi alia Abbatia usuaria in eadem foresta & alia quæ in Charta dicti Comitis pleniùs continentur. Dictus verò Guido de *Monte-forti* 100. solidos annui redditus in Præpositura sua de *Beyna*. Guillelmus verò Crispinus unum modium salis, & millenarium halecum percipienda apud *Danguteum*, unum in prima Dominica Quadragesimæ. Amitia verò uxor ejusdem Guillelmi, de assensu viri sui xi. libratas annui redditûs, percipiendas post obitum patris sui in redditibus suis quos habebat apud *Montem-Calvisium*; Margareta verò Soror ejusdem Amitiæ, decem libratas, percipiendas singulis annis suprà forestam versùs *Stampas*, similiter post decessum patris sui. Præfatus etiam Dominus Bartholomæus pater earumdem Dominarum, in gratiam alterius filiæ suæ Ælidis decem libratas percipiendas in teloneo suo de *Roya*. Burchardus verò Dominus *Marleu* 20 sol. redditus percipiendos in redditibus suis de *Meulento* primâ die Decembris. Nos verò donationem & eleëmosynam omnium prædictorum, sicut piè & providè per eos factam esse dignoscitur, supradictæ Ecclesiæ, sicut & omnes alias donationes, si qua de cætero rationabiliter facta fuerit, bonam & gratam habemus, approbamus & confirmamus. In cujus rei testimonium præsentes litteras Regii & nostri munimine fecimus roborari. Actum in dicta Ecclesia Gaudii-Vallis anno Domini MCCXXIV.

Diploma Philippi VI. Regis Francorum munientis Canonicatum Pissiaci Abbatiæ Gaudii-Vallis. *Anno 1330.*

PHilippe par la grace de Dieu, Roi de France, sçavoir faisons à tous presens & à venir, que Nous considerant que l'Abbaye de Joyenval au Diocese de Chartres est moult petitement doté des biens temporels, & que le Service Notre Seigneur y est fait bien devotement & duëment, & que Nous y allons souvent pour cause de notre deduit en accroissement de leurs Rentes, donnons en aulmones de notre grace especial à nos amez les Religieux Abbé & Convent dudit lieu, une de nos Prébendes de l'Eglise Notre Dame de Poissy, qui sont de notre Patronage, c'est à sçavoir la premiere qui vacquera avec toutes ses appartenances, & tous les droits en icelle Prébende; adjoingnons à tous jours mais à ladite Abbaye de Joyenval, & voulons & ordonnons de notre authorité & plain povan Royal que si Abbé Guillaume qui ores est & ses successeurs Abbés soient Chanoinne perpétuel de ladite Eglise de Notre-Dame sans ce que ladite Prébende puisse ne doie vaquer ne reputer pour estre vacant en nul cas ne en nul temps, & quil puissent mettre Vicaire pour eux un des Chanoines de ladite Abbaye toutes fois quil leur plaira, & si comme les autres Chanoines de ladite Eglise peuvent faire & l'ont accoustumé; & que tout ce quy escherra en leurs mois ils puissent donner à Clers seculiers toust aussy comme les autres Chanoines & Vicaire de ladite Eglise le peuvent faire & quel l'ont accoustumée, & à perpétuelle fermeté de cette chose Nous avons fait mettre notre Seel en ces lettres donné à saint Germain en Laye l'an de grace mil trois cens & trente du mois de Fevrier, scellé de cire verte avec l'effigie de Philippe de Valois, d'autre coté les Armes de France; en lacets de soye rouge & verte.

Bulla Honorii III. confirmantis bona & possessiones Gaudii-Vallis. *Anno 1223.*

HOnorius Episcopus Servus Servorum Dei. Dilectis Filiis Abbati & Conventui Vallis-gaudii Præmonstratensis Ordinis, Carnotensis, Diœcesis salutem & Apostolicam benedictionem. Cùm à nobis petitur quòd justum est & honestum tam vigor æquitatis quàm ordo exigit rationis ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum; ea propter dilecti in Domino Filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, personas vestras, & locum in quo divino estis obsequio mancipati, cum omnibus bonis quæ in præsentiarum rationabiliter possidetis aut in futurum justis modis præstante Domino poteritis adipisci, sub BB. Apostolorum Petri & Pauli, ac nostrâ tutelâ & protectione suscipimus; specialiter autem possessiones ab inclitis Galliæ Regibus & à nobili viro Bartholomæo de *Roya* partim vestro Fundatore piâ vobis liberalitate concessas, & generaliter omnia alia bona vestra sive per donationem, sive per acquisitionem ab aliis quibuscunque personis accepta, sicut ea omnia justè, canonicè & pacificè possideris vobis & per vos eidem monasterio vestro authoritate Apostolicâ confirmamus, & præsentis sigilli patrocinio communimus. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam nostræ protectionis & confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraïre; si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & BB. Petri & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Datum Laterani decimo septimo Kalendas Februarii, Pontificatûs nostri anno octavo.

Bulla Gregorii IX. confirmatrix bonorum & immunitatum Gaudii-Vallis. *Anno 1232.*

GRegorius Episcopus Servus Servorum Dei. Dilectis Filiis Abbati & Conventui Vallis-gaudii Præmonstratensis Ordinis, Carnotensis Diœcesis, salutem & Apostolicam benedictionem. Justis petentium desideriis dignum est nos facilem præbere consensum, & vota quæ à rationis tramite non discordant affectu prosequente complere. Ea propter, dilecti

lecti in Domino, Filii vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, personas vestras & locum in quo divino estis obsequio mancipati cum omnibus bonis suis sub B. Petri & nostra protectione suscipimus, specialiter autem terras, vineas, prata, nemora, domos, reditus & res alias vobis à nobili viro Bartholomæo de *Roia*, Camerario charissimi in Christo Filii nostri Philippi Regis Francorum illustrissimi, monasterii vestri partim cum ipso Rege fundatore, piâ & providâ liberalitate collatas, nec non & alia bona vestra sicut ea omnia justè ac pacificè possidetis, vobis & per vos eidem monasterio vestro authoritate Apostolicâ confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus, districtiùs inhibentes ne quis de novalibus, quæ propriis manibus aut sumptibus colitis, de quibus aliquis nomine decimarum aliquid hactenùs non percepit, sicut & de virgultis vestris, ac vestrorum animalium nutrimentis, decimas à vobis exigere vel extorquere audeat. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam nostræ protectionis, confirmationis, & inhibitionis infringere, vel ei ausu temerario contraïre. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & BB. Petri & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Reate Nonis Martii Pontificatûs nostri anno sexto.

Bulla Urbani V. in eundem finem data anno 1367.

URbanus Episcopus Servus Servorum Dei. Dilectis Filiis Abbati & Conventui monasterii B. Mariæ Gaudii-Vallis, Ordinis Præmonstratensis, Carnotensis Diœcesis, salutem & Apostolicam benedictionem. Cùm à nobis petitur quod justum est & honestum, tam ratio æquitatis quàm ordo exigit rationis ut per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum, & nos, dilecti in Domino Filii, vestris justis postulationibus inclinati, omnem libertatem & immunitatem vobis anteà à summis Pontificibus Romanis per privilegia seu alias indulgentias vobis & regali monasterio vestro concessas, nec non exemptionem sæcularium exactionum à Regibus & Principibus & aliis Christi fidelibus vobis & regali monasterio vestro indultas, sicut eas justè ac pacificè obtinetis, vobis & per nos prædicto monasterio vestro authoritate Apostolicâ confirmamus & præsentis scripti patrocinio munimus. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraïre. Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem omnipotentis Dei, & BB. Petri & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Laterani septimo Kalendas Junii, Pontificatûs nostri anno sexto.

Bulla Nicolai V. pro ejusdem monasterii immunitatibus. Anno 1452.

NIcolaus Episcopus Servus Servorum Dei. Dilectis Filiis Abbati & Conventui monasterii Gaudii-Vallis Præmonstratensis Ordinis, Carnotensis Diœcesis, salutem & Apostolicam benedictionem. Cùm à nobis petitur quod justum est & honestum, tam ratio æquitatis, quàm ordo rationis exigit, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum, & nos, dilecti in Domino Filii, vestris justis supplicationibus inclinati, omnes libertates & immunitates vobis anteà à summis Pontificibus Romanis per privilegia, seu alias indulgentias vobis & monasterio vestro concessas, nec non exemptiones sæcularium exactionum à Regibus & Principibus, ac aliis Christi fidelibus vobis & eidem regali monasterio vestro indultas, sicut eas justè ac pacificè obtinetis, vobis & per nos prædicto monasterio vestro authoritate Apostolicâ confirmamus, & præsentis scripti patrocinio munimus. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraïre. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & BB. Petri & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Laterani septimo Kalend. Junii, Pontificatûs nostri anno sexto.

Donatio altaris Genliaci *in gratiam pauperum mulierum Conversarum de* Roez. *Anno 1177.*

RAinaldus Dei gratiâ Noviomensis Episcopus omnibus in perpetuum, notum fieri volumus tam futuris quàm præsentibus quod Odo Canonicus noster filius Adonis Ecclesiæ de *Crissy*, precipuè pauperibus Christi mulieribus Conversis de *Roez*, altare de *Genlis* cum omnibus appendiciis suis, tam in terra arabili, nemoribus & pratis, quam hospitibus, aquis & decimis, imò quidquid ibidem habebat, in præsentia nostra liberaliter dedit. Philippus verò Flandrensium & Viromodensium Comes & Elisabeth Comitissa uxor sua de quorum feodo prædictum altare idem Odo tenebat, concesserunt; ita tamen quòd in sola vita sua ipse Odo septem modios frumenti & tres modios avenæ ad mensuram Noviomensem domum suam Noviomis ductos, ex eadem decima singulis annis habebit, & candelas Purificationis Sanctæ Mariæ: ita quoque quòd post decessum ipsius Odonis ad nullum hæredum censura ista decem modiorum nostræ candelæ revertentur, sic præfatæ Ecclesiæ de *Roez* perpetuò possidenda remanebunt. Nos igitur susceptis precibus Comitis & inspicientes scriptum authenticum ipsius Comitis & Comitissæ de ejusdem altaris concessione, & quia iidem Comes & Comitissa idem altare de fedo nostro tenebant, Odonis donationem & prædictorum Comitis & Comitissæ concessionem approbantes, idem altare supradictæ Ecclesiæ dedimus & confirmavimus, dantes etiam pro salute animæ nostræ quod ad nos specialiter pertinebat; videlicet personatum & Cantuarium cum præsentatione Presbyterii, salvo tamen in omnibus jure Episcopali; ut autem præsens donatio rata atque inviolata, sicut decet, habeatur in posterum, eam tam sigilli nostri impressione, quàm testium subsignatorum assertione dignum duximus roborare. Signum Galfridi Cantoris Noviomensis & aliorum. Actum Noviomi anno Incarnati Verbi 1177.

Charta donationis domûs Hospitalis in Genliaco *ad solamen pauperum 1221.*

EGo Albertus de *Hangest*, & A. uxor mea Comitissa, notum facimus universis præsentem paginam inspecturis, quòd sanctæ charitatis intuitu, & ob remissionem peccatorum nostrorum & parentum nostrorum, apud *Genlis*, quandam domum hospitalem ad refugium & recreationem pauperum, qui sunt membra Christi, divinâ promoti inspiratione, ædificavimus. Ad cujus sustentamentum, sessum ipsius domûs cum horto adjacenti, & duas septariatas vinearum cum viginti solidis capiendis in Præpositura de *Genlis*, & unam modiatam melioris terræ, comparatæ à Domino Petro de *Falloiel* (*a*) & quatuor modios bladi capiendos annuatim super *Selenge* (*b*) & unum modium capiendum singulis annis

(*a*) Vicus sesqui-horâ distans Genliaco.

(*b*) Salaine.

apud *Urignes*, suprà hæreditatem Dominæ Comitissæ uxoris suæ, & pratum quoddam quod est sub Waresnia (c) & quatuor modiatas boschi capiendas in boscho comparato à Simone Præposito, & duobus filiis Jacobi, & in boscho qui participat cum hæredibus de *Viry*, & hoc totum de acquisitionibus nostris, de assensu Joannis filii nostri charissimi, & liberorum suorum, liberè & quietè contulimus in perpetuum possidendum. Si verò quatuor modiatæ boschi prædictæ, in locis prædictis non potuerint inveniri, debent perfici in boscho comparato à Domino Petro de *Failloüel*. Et ut maneat inconcussum, ego & Joannes filius meus præsentem paginam sigillorum nostrorum munimine roboravimus. Actum anno Domini MCCXXI. mense Augusto.

Charta Gerardi Episcopi Noviomensis prædictam donationem confirmantis. Anno 1226.

GErardus Dei gratiâ Noviomensis Episcopus, omnibus hæc visuris, salutem in Domino. Notum vobis facimus, quod vir nobilis Aubertus de *Hangest* Miles, in præsentia nostra constitutus recognovit, quod cùm ipse & A. quondam uxor ejus, de assensu Joannis de Hangesto Militis, filii eorum, quandam domum hospitalem cum horto adjacenti ad refugium & recreationem pauperum apud *Genly* constituissent, & ædificassent, ipse Aubertus postmodùm post mortem ejusdem A. uxoris suæ, quandam pieciam terræ extrà *Genly* acquisivit, in qua provisantia & largitate loci, dictum Hospitale transferens, illud ibidem ræedificavit & construxit, concedens in perpetuum coram nobis omnem mansionem cum appenditiis ipsius, quam ibidem fecerat, liberè & absolutè ad opus prædicti Hospitalis in eleëmosynam pacificam & quietam, & quidquid juris & jurisdictionis in dicto Hospitali, nec non in appenditiis ipsius habebat, illud in manu Ecclesiæ resignavit omninò. Recognovit etiam dictus Aubertus Miles coram nobis, quod uxore vivente sua, ipse & eadem uxor sua de assensu Joannis Militis filii sui, nec non & liberorum ejusdem Joannis de acquestibus suis contulerant & concesserant eidem Hospitali in perpetuum duas septariatas vineæ cum xx. solidis Parisiensibus in Præpositura de *Genly* capiendis, & unam modiatam melioris terræ comparatæ à Domino de *Failloüel* Milite, & quatuor modios bladi capiendos annuatim apud *Selaingne*, & unum modium capiendum singulis annis apud *Vrignes*, super hæreditates Dominæ uxoris suæ: & quoddam pratum quod est *Waresnia*, & quatuor modiatas boschi capiendas in boscho comparato à Simone Præposito, & duobus filiis Jacobi, & in boscho quod participat cum hæredibus de *Viry*, vel si in dictis locis non possent inveniri, debent perfici de boscho à Domino Petro de *Failloüel* comparato. Et de his omnibus concessionibus factis, quasdam litteras idem Aubertus nobis ostendit sigillo suo, nec non & sigillo Joannis filii sui sigillatas: unde à nobis postulavit, ut easdem sigillare, & authoritate Episcopali confirmare vellemus. Nos verò ad ipsius Auberti instantiam prædictas concessiones, sicut superiùs sunt expressæ; sigilli nostri appensione muniendas duximus, ut eas authoritate Episcopali confirmandas. Actum anno Domini MCCXXVI. mense Maïo.

(c) La Garenne.

Charta Ludovici IX. Regis Galliæ qua Xenodochium Genliaci in Abbatiam Canonissarum S. Victoris conversum, laudat & approbat. Anno 1245.

LUdovicus Dei gratiâ Francorum Rex, universis tam futuris quàm præsentibus præsentes litteras inspecturis salutem. Notum facimus quod cùm dilectus & fidelis noster Joannes de Hangesto domum Dei, quam quondam fundaverant pater & mater ipsius in villa de Genliaco, ob remedium animæ suæ & parentum suorum prædictorum, converterit in Abbatiam monialium Ordinis Sancti Victoris, dederitque in perpetuam eleëmosynam de suo proprio ad sustentationem dictarum monialium ibidem Deo servientium, triginta libratas terræ capiendas annuatim apud villam Genliaci, & in pertinentiis dictæ villæ, cum omnibus possessionibus seu tenentiis, quas dicta domus Dei percipere & habere consueverat ab antiquo. Nos ad preces & petitionem dicti Joannis omnia supraescripta, quia de feodo nostro movent, volumus & concedimus: ita tamen si prædicta translatio domûs Dei in Abbatiam prædictam de consensu & voluntate Diœcesani Episcopi fuit facta. Quòd ut ratum & inconcussum futuris temporibus habeatur, præsentes litteras, salvo jure nostro & alieno, fieri fecimus, & sigilli nostri munimine roborari. Actum Parisiis anno Incarnationis Dominicæ MCCXLV. mense Februario.

Charta Petri Noviomensis Episcopi confirmantis immutationem Xenodochii Genliacensis in Abbatiam sanctimonialium Ordinis S. Victoris, de consensu Abbatis Cuissiaci. Anno 1246.

UNiversis præsentes litteras inspecturis Petrus Dei gratiâ Noviomensis Episcopus, salutem in Domino. Noverint universi quòd cùm vir Nobilis Joannes de Hangesto Miles, in villa sua de *Genly* quandam Abbatiam de Ordine B. Augustini fundari & institui desiderio non modico desideraret, in eo loco, in quo videlicet solebat esse in dicta villa de *Genly* Hospitale quoddam; bonaque ad dictum hospitale pertinentia dictæ Abbatiæ applicari, & in usus dictæ Abbatiæ affectaret converti, & de bonis suis ad fundationem & institutionem dictæ Abbatiæ, divinæ pietatis intuitu, jucundo vultu largiri properaret: idem Nobilis nos tanquam loci Diœcesanum, & Abbatem & Conventum Cuissiacensem, tanquam jus parochiale in dicta villa de *Genly* obtinentes, animo desideranti rogavit, ut quòd in animo conceperat, id ad effectum perduci sustineremus. Nos autem qui justa & utilia petentium desideria nonnunquam, & maximè in iis quæ ad augmentationem divini cultûs faciunt, tenemur & volumus exaudire; precibus dicti Nobilis Inclinati, volumus & consentimus in hoc quod dicta Abbatia apud *Genly* in loco prædicto de Ordine S. Augustini prædicti, fundetur & instituatur salvo jure Diœcesani, ita quòd ultrà metas proprisii dicti hospitalis non extendantur fines Abbatiæ prædictæ. Frater etiam Blasius Præpositus de Cuissiaco habens per litteras apertas sigillatas sigillis Abbatis & Conventûs Cuissiacensis,

potestatem consentiendi pro ipsis Abbate & Conventu super præmissis, voluit & consensit in hoc coram nobis, quòd dicta Abbatia in loco prædicto apud *Genly*, ita quòd termini dictæ Abbatiæ, fines dicti hospitalis non excedant, fundetur & instituatur, quittans idem Blasius omnes personas commorantes in dicto loco, & etiam dictum locum nomine dictorum Abbatis & Conventûs, de omni jure quod habebant & habere poterant dicti Abbas & Conventus, tam ratione juris parochialis, quàm alio modo; hoc salvo & retento eidem Abbati & Conventui, quod si aliqua animalia infrà clausuram dictæ Abbatiæ fuerint, quæ non fuerint propria Abbatissæ & Conventûs dicti loci, dicti Abbas & Conventus, de illis animalibus decimam habebunt, parte dictarum Abbatissæ & Conventûs de illis animalibus excepta. Hoc etiam salvo & retento dictis Abbati & Conventui de Cuissiaco, quòd si locus prædictus ad talem statum rediret, quod in eodem loco non esset Abbatia, dicti Abbas & Conventus habebunt in eodem loco jus parochiale, quòd priùs habere solebant, nonobstante quittatione prædicta, & ipsi Abbas & Conventus reddere tenebuntur dicto loco sex modios tam bladi, quàm avenæ, sicut eos priùs reddere solebant. De omnibus autem animalibus, & de omnibus terris, & de omnibus rebus aliis decimalibus, quæ dictæ Abbatiæ & Conventûs habent & habebunt, tenent & tenebunt, possident & possidebunt extrà dictam clausuram infrà terminos Parochiæ de *Genly*, tenebuntur solvere integraliter decimam Abbati & Conventui supradictis. Si quam grangiam, vel grangias fecerint dictæ Abbatissa & Conventus extrà clausuram jam dictam, infrà metas dictæ parochiæ de *Genly*, dicti Abbas & Conventus jus parochiale in illo loco habebunt, exceptis tantummodò religiosis personis. Licebit autem parochianis de *Genly* in dicta Abbatia sibi eligere sepulturam, si voluerint, salvo eisdem Abbati & Conventui jure parochiali sub hac forma: quòd Missa illius, qui sibi ibidem elegerit sepulturam, in Ecclesia parochiali de *Genly* celebretur, antequam ad dictam Abbatiam ad sepeliendum ibidem deferatur. Si autem in præsenti, vel processu temporis aliqua Capellania in dicta Abbatia fuerit instituta & fundata, jus patronatûs illius Capellaniæ ad dictam Abbatissam & Conventum pertinebit, dùm tamen Capellanus qui dictæ Capellaniæ deserviet infrà dictam clausuram maneat. Sed si dictus Capellanus extrà dictam clausuram manserit, collatio dictæ Capellaniæ non ad Abbatissam, neque ad Conventum dictæ Abbatiæ pertinebit, sed ad illum ad quem de jure pertinere debebit. Dictæ verò Abbatissa & Conventus cùm ibidem creata fuerit Abbatissa, bona fide promittent dictis Abbati & Conventui, & super hoc dictis Abbati & Conventui litteras suo sigillo sigillatas tradere tenebuntur, & etiam litteras Reverendi in Christo Patris Noviomensis Episcopi, qui erit pro tempore, & litteras Nobilis viri Joannis de Hangesto Militis, Domini dictæ villæ de *Genly*, quòd ipsæ Abbatissa & Conventus per se, vel per alium contrà dictos Abbatem & Conventum, seu contrà jus Ecclesiæ eorumdem, seu contrà jus membrorum ejusdem, à Domino Papa, vel ab aliquo alio, nihil impetrabunt contrà conventiones prædictas, & quòd si aliquid fuerit impetratum, non utentur eo contra dictos Abbatem & Conventum, vel eorum Ecclesiam, vel membra ejusdem Ecclesiæ. Et dicti Abbas & Conventus de Cuissiaco similiter promittent, & super hoc litteras suas dare tenebuntur dictis Abbatissæ & Conventui, quod contrà ipsas per se, vel per alios nihil impetrabunt; & si impetratum fuerit, eo non utentur contrà conventiones prædictas. Dicti autem Abbas & Conventus de sex modiis tam bladi, quàm avenæ ad mensuram de Calniaco, quos in eorum decima de *Genly* habebat & percipiebat singulis annis hospitale de *Genly* prædictum, in quo fundata est dicta Abbatia & instituta, quitti & immunes remanebunt, nisi dictam Abbatiam ad statum devenire contingeret, in quo erat tempore fundationis ejusdem. Quæ omnia & singula nos, tanquam loci Diœcesanus, ad petitionem dicti Nobilis, & ad quorumdam bonorum aliorum instantiam, laudamus & approbamus; promittentes quòd nos Abbatissam & Conventum loci prædicti ad observationem omnium & singulorum prædictorum compellemus censurâ, qua convenit, si ipsas contrà prædicta, vel contrà aliquod prædictorum quandoque venire contigerit. Et ut prædicta omnia & singula perpetuum robur obtineant, præsentem Chartam sigilli nostri fecimus appositione muniri. Actum anno Domini MCCXLVI. mense Februario.

Charta Joannis de Hengest *Domini de Genliaco pro fundatione & dote Abbatiæ Genliacensis. Anno 1246.*

JOu Jehans de *Hangest* Chevalier Sires de *Genly*, fas savoir à tous ceaus cui ces lettres verront, que Mesire Aubert mes pere & me mere me requisent & proïerent d'une maison Dieu, que ils avoint faict à Genly, que jou en feisse une Abeye. Et je par le conseille de bonne gent & por Dieu, & por lor proïeres, & por moi, & por mon remanant, jou y ai mis tant del mien, que elle est faite des Dames de l'Ordre de sainct Augustin. Et en ces maison jai faict cent livres de terre à tenir quittes & franches, de tant comme à moy, & à mon remanant, tient que del mien que de tout que ly maison tenoit aujourd'hui en l'oneur de Dieu, & de Notre Dame saincte Marie la Mere de Jesus-Christ, & de sainct Ysabel. Et pourceu que ce soit ferme cose & estauble, jay conferme ces lettres de mon seel en l'an de l'Incarnation Nostre Seignor Jesus-Christ M. & CC & XLVI. el mois de Juin.

Charta Petri Noviomensis Episcopi dotem Abbatiæ confirmantis. Anno 1246.

PEtrus Dei gratiâ Noviomensis Episcopus, omnibus præsentes litteras inspecturis, salutem in Domino. Universitati vestræ notum facimus, quòd cum Aubertus de *Hangesto* Miles, quondam pater Joannis de *Hangesto* Militis, ob remedium animæ suæ & antecessorum suorum in villa de *Genly*, Noviomensis Diœcesis, quoddam Hospitale fundaverit; & idem Joannes de consilio bonorum virorum, ob remedium animæ suæ, & antecessorum suorum de eodem hospitali velit Abbatiam monialium de Ordine S. Victoris constituere; & ob hoc reditus ejusdem loci usque ad centum libratas terræ Parisienses augmentaverit, ad opus dictæ Abbatiæ propriè deputatos: Beatride uxore dicti Joannis præsente, laudante & approbante, & in suis omnibus expressè consentiente, & fidem corporaliter præstante, quod nihil juris de cætero per se, vel per alium super dictis centum libratis terræ, ratione dotalitii, vel alio modo, reclamabit, & recognoscente se sufficiens excambium recepisse à dicto Joanne marito suo pro dotalitio, quod in prædictis redditibus, vel in parte eorum habebat, vel habere poterat, & idem Joannes super fundatione dictæ Abbatiæ assensum nostrum humiliter petierit. Nos devotionem ejus in Domino commendantes, precibus ejus inclinati, vo-

limus, concedimus, & assensum præbemus, ut ad honorem Dei omnipotentis, Beatæ Dei Genitricis Mariæ, & Beatæ Elisabeth, Abbatia monialium de Ordine supradicto, salvo jure nostro in omnibus, & successorum nostrorum, jure quoque Parochiali, constituatur ibidem. In cujus rei testimonium præsentes litteras sigilli nostri munimine fecimus communiri. Actum anno Domini MCCXLVI. mense Julio.

Charta Joannis de Hengest *pro augmento dotis ejusdem Abbatiæ. Anno 1247.*

JOu Jehans de *Hangest*, Chevalier & Sieur de *Geniy*, fas savoir à tous ciaus qui ces lettres verront, que Mesire Aubert me pere & me mere me requiirent & proïerent, d'une maison Dieu que ils avoint faict à *Genly*, que je en faisse une Abbeye. Et je par le conseil de bonne gent, & por Dieu & por lour proïeres, & por moy & por mon remanant, ai tant faict que l'Abbeye est faicte des Dames de l'Ordre S. Augustin en l'oneur de Dieu, & Nostre-Dame saincte Marie Mere de N. S. J. C. & de Madame saincte Ysabel. Et si ai donné à ladite Abbeye en accroissement (avec ce que ly Hospital qui est muis en ladite Abbeye, pardevant tenoit) terre assise, & terroir de Genly. C'est à savoir en ces lius. Au *Mesquesnel* quatre moyés: en *Langle* quatre septiers: au *Sart-Remy* une moyè: en *Hattermont* une moyé, peu plus, ou peu moins en chacun liu; & se plus y avoit, ce seroit à ladite Abbeye; & se moins y avoit, à tent s'en tenroit. Et cette terre, & celle que ly Hospital pardevant tenoit, je veux que ladite Abbeye tienne de moy, & de mes hoirs quitte & franche de tout, comme à moy, & à me tenance à tient. Et parce que ladite Abbeye m'a quitté de ce que je ly devoit donner, se plus ny veut donner par me volonté, por ceu que ce soit ferme cose & estauble; ces presentes lettres sont scellées de mon seel. Ce fut faict en l'an de l'Incarnation M & CCXL VII. el mois de Février.

Charta pro solutione Amortizationis bonorum Genliaci. *1276.*

UNiversis præsentes litteras inspecturis, Galterus *Gardins*, Ballivus Viromandensis, salutem. Notum facimus, quod sicut nobis constat per cedulam Templi, Arnulphus de *Crispiaco* in *Valesio* Clericus, pro Abbatissa sanctæ Elisabeth de Genliaco, & Conventu ejusdem monasterii, & nomine eorumdem, persolvit Templo Parisiensi duodecim libras pro amortisatione omnium terrarum arrabilium, quas à triginta annis citrà acquisierant, ut dicitur, in Præpositura *Calniaci*; de quibus duodecim libris nos tenemus pro dicto Rege, pro pagatis, & dictam Abbatissam exinde absolvimus & quittamus. Datum anno Domini MCCLXXVI. mense Februario.

Bulla Innocentii IV. confirmatrix Abbatiæ Canonissarum Sanctæ Elisabeth in Genliaco Anno 1247.

INnocentius Episcopus Servus Servorum Dei. Dilectis in Christo filiabus Abbatissæ Ecclesiæ sanctæ Elisabeth de *Genlis* eisdemque Sororibus tam præsentibus quam futuris regularem vitam professis in perpetuum. Religiosam vitam agentibus, Apostolicum convenit adesse præsidium, ne fortè cujuslibet temeritatis incursus aut eas à proposito revocet, aut robur, quod absit, sacræ religionis infringat. Ea propter, dilectæ in Christo Filiæ, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & Ecclesiam S. Elisabeth de *Genlis*, Noviomensis Diœcesis, in quâ divino mancipatæ estis obsequio, sub B. Petri & nostrâ protectione suscipimus & præsentis scripti privilegio communimus, imprimis siquidem statuentes ut Ordo Canonicus qui secundum Deum & B. Augustini regulam in eadem Ecclesia institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Prætereà quascumque possessiones, quæcumque bona eadem Ecclesia in præsentiarum justè & canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium seu aliis justis modis præstante Domino poterit adipisci, firma vobis & iis quæ vobis successerint & illibata permaneant, in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipsum in quo Præfata Ecclesia sita est cum omnibus pertinentiis suis, terras quas habetis in villis de *Mareis* & *Neulien*, terras quas habetis in *Decalido-monte*, de *Plassis* & de *Selaigne* villis; terram quam habetis in loco qui dicitur *Mesquenel*, terram quam habetis in loco qui dicitur ad *Sartum Remigii*, terram quam habetis in loco qui dicitur *Angulus*. Redditus bladi quos habetis in locis de *Selaigne* & de Noviomensi villa; pratum, terram & vineas quas habetis in loco qui *Sardupus* dicitur juxtà grangiam de *Selaigne*. Annuum redditum viginti solidorum Parisiensium quem habetis in villa de *Genlis* super hæredes de *Lux*, cum terris, pratis, vineis, nemoribus, usagiis & pascuis in bosco & plano, in aquis & molendinis, in viis & semitis & omnibus aliis libertatibus & immunitatibus suis. Sanè novalium vestrorum quæ propriis sumptibus colitis, de quibus aliquis non percepit, sive de vestrorum animalium nutrimentis, nullus à vobis decimas exigere vel extorquere præsumat. Liceat quoque vobis personas liberas & absolutas è seculo fugientes ad conversionem recipere & absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper ut nulli Sororum vestrarum post factam in Ecclesia vestra professionem fas sit sine Abbatissæ suæ licentiâ de eodem loco discedere, nisi arctioris religionis obtentu, discedentem verò absque Communium litterarum vestrarum cautione nullus audeat retinere. Cùm autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis clausis januis, exclusis excommunicatis & interdictis, non pulsatis Campanis, suppressâ voce divina officia celebrare, dummodò causam non dederitis interdicto: Chrisma verò, Oleum sanctum, consecrationes altarium, seu basilicarum, benedictiones monialium à Diœcesano Episcopo suscipietis, si quidem Catholicus fuerit & gratiam & communionem Sacrosanctæ Romanæ sedis habuerit, & ea vobis voluerit sine pravitate aliqua exhibere. Prohibemus insuper ut intra fines Parochiæ vestræ nullus sine assensu Episcopi, & vestro, Capellam seu Oratorium de novo audeat construere sine privilegiis Pontificum Romanorum. Ad hæc novas & indebitas exactiones ab Archiepiscopis & Episcopis, Archidiaconis seu Decanis aliisque omnibus Ecclesiasticis, sæcularibusve personis à vobis omninò fieri prohibemus. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decernimus, ut eorum devotioni & extremæ voluntati qui & illic sepeliri deliberaverint, nisi fortè excommunicati vel interdicti sint, etiam publicè usurarii, nullus obsistat, salvâ tamen justitiâ illarum Ecclesiarum à quibus mortuorum corpora assumuntur. Decimas prætereà & possessiones ad jus Ecclesiarum vestrarum spectantes, quæ à Laicis detinentur redimendi, & legitimè liberandi de manibus eorum & ad Ecclesias ad quas pertinent revocandi libera sit vobis de nostra authoritate facultas.

Obeunte verò te nunc ejusdem loci Abbatissa vel earum aliqua quæ tibi successerit, nulla ibi qualibet subreptionis astutiâ seu violentiâ præponatur, nisi quam Sorores communi consensu vel Sororum major pars consilii sanioris secundùm Deum & B. Augustini regulam providerint eligendam. Paci quoque & tranquillitati vestræ paternâ in posterum sollicitudine providere volentes authoritate Apostolicâ prohibemus ut intra clausuras locorum seu grangiarum vestrarum nullus rapinas seu furtum facere, ignem apponere, sanguinem fundere, hominem tenere, capere vel interficere seu violentiam audeat exercere. Præterea omnes libertates & immunitatas à Prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus Ecclesiæ vestræ concessas, nec non libertates & exceptiones sæcularium exactionum à Regibus & Principibus, vel aliis sæcularibus rationabiliter vobis concessas, authoritate Apostolicâ confirmamus, & præsentis scripti privilegio communimus. Decernimus ergo ut nulli omninò hominum liceat præfatam Ecclesiam temerè perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur earum pro quarum gubernatione & sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura; salvâ sedis Apostolicæ authoritate & Diœcesani Episcopi Canonicâ justitiâ. Si qua in futurum Ecclesiastica secularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temerè venire tentaverit, secundò, tertiòve commonita, nisi reatum suum condignâ satisfactione correxerit, potestatis, honorisque sui careat dignitate, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo Corpore ac Sanguine Dei & Domini nostri Jesu Christi aliena fiat; atque in extremo judicio districtæ subjaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus, sit pax Domini nostri J. C. quatenùs hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum Judicem præmia æterna pacis acquirant. Datum Romæ per manum Magistri Maximi S. R. E. Vice-Cancellarii, sexto Idus Octobris, Indictione VI. Incarnationis Dominicæ anno MCCXLVII. Pontificatûs verò Domini Innocentii Papæ IV. anno quinto.

Charta donationis aliquot prædiorum facta à Joanne de Fallouel, *in gratiam Abbatia Genliacensis. Anno 1276.*

A Tous ciaus qui ces lettres verront & oiront, Je Jehans Chevalier Sire de *Fallouel* fas assavoir que je ai donné & assencé & delivré à l'Eglise de Madame Saincte Elisabeth de Genly, de l'Evechié de Noyon, deux septiers & demy de men bos.... tenant au bos de Monseigneur Aubert Chevalier Sieur de Genly; & toute telle droiture, comme jay en cent verges de terres, peu plus, ou peu moins, qui scient au preil qui est *Martin bourge* de *Genly*, en restong d'ung muid de bled, au muid & a la mesure de *Chauny*, que je leur devois por le laïs & l'aumosne paron jadis mon frere, dont Dey ait l'arme. Et ce bos devant dite, & tout le droiture de la terre devant ditte, je & mes hoirs leurs sommes tenu à warandir envers tous ciaus qui à droy & à loy vauroint venir, selon les us & coustumes du pays. Et pourchu que che soit ferme chose & estauble, je leur ai donné ces presentes lettres scellées de mon seeel. Che fut faict en l'an de l'Incarnation Nostre Seigneur, MCCLXXVI. el mois d'Aost.

Charta Philippi III. Francorum Regis, pro amortizatione quorumdam Genliaci bonorum. Anno 1283.

PHilippus Dei gratiâ Francorum Rex. Notum facimus tam præsentibus quam futuris, quòd cum fidelis & dilectus noster Aubertus de *Hangesto* Miles, ratione testamenti Joannis de *Hangesto*, quondam Militis, avi sui, assignare teneretur & assidere Abbatissæ & Conventui sanctæ Ysabellis de *Genliaco*, Noviomensis Diœcesis, quadraginta libratas Parisienses annui redditûs; idem Aubertus in Curia nostra comparens recognovit se dictas libratas Parisienses annui reditûs assedisse & assignasse dictis Abbatissæ & Conventui in locis & rebus inferiùs nominatis, videlicet, &c.... Nos divini amoris intuitu, dicto etiam Auberto hoc nobis supplicante, volumus & concedimus, quantùm in nobis est, quod dictæ Abbatissa & Conventus, & earum Abbatia prædictas res pro prædictis quadraginta libris Parisiensibus annui reditûs.... tenere possint in perpetuum, & pacificè possidere.... Actum Parisiis anno Domini MCCLXXXIII. mense Martio.

Bulla Martini Papæ V. quâ subrogationem in Abbatia S. Elisabeth in gratiam Præmonstratensium factam, approbat 1422.

MArtinus Episcopus Servus Servorum Dei. Dilecto Filio Abbati Ursicampi, Noviomensis Diœcesis, salutem & Apostolicam benedictionem. Romani Pontificis providentia circumspecta circa statum Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum Religiosorum locorum utiliter dirigendi, prout ex debito pastoralis tenetur officii, diligenter intendit; statum hujusmodi quandoque in melius immutando, sicut personarum, locorum & temporum qualitate pensatâ, id pro divini cultûs augmento, ac observantiâ regulari in Domino conspicit salubriter expedire. Sanè pro parte, dilecti Filii, nobilis viri Joannis de *Hangesto* Militis, Domini loci de *Genliaco* ac dilectæ Filiæ in Christo nobilis mulieris Mariæ de *Salbruche* ejus uxoris, Noviomensis Diœcesis, nobis nuper exhibita petitio continebat, quòd olim prædecessoris ipsius Militis de bonis sibi à Deo collatis quoddam Hospitale pauperum in honorem & sub vocabulo S. Elisabeth juxtà dictum locum, cum Ecclesia seu Capella eidem hospitali contigua erexerunt & fundaverunt, illudque de bonis eisdem sufficienter dotarunt; & deinde hospitale ipsum cum omnibus juribus & pertinentiis suis in monasterium monialium, secundùm Regulam & Ordinem S. Augustini viventium erigi, ac nonnullis privilegiis, gratiis, exemptionibus & indultis à sede Apostolica decorari obtinuerunt. Et licet ex tunc in dicto monasterio nonnullæ moniales etiam ipsum Ordinem professæ, canonicè receptæ fuerint, & etiam institutæ, quæ ibidem aliquandiù sub habitu & observantia regularibus laudabiliter viventes, devotè servierint Domino in divinis, tamen monasterium ipsum successivè propter varietates temporum cum in suis fructibus, redditibus & facultatibus adeò diminutum ac in ædificiis & officinis necessariis collapsum existeret, eisdem monialibus quæ ob defectum & penuriam rerum pro earum victu & vestitu ac aliis eis incumbentibus expensarum oneribus necessarium, in

ipso monasterio residere nequibant, quarum aliæ tunc oberrant, reliquæ verò ad alia monasteria & loca religiosa se transtulerant, fuit penitùs destitutum, & jam per biennium nulla ibidem resedit, sicut nec de præsenti residet. Itaque ipse Miles præfatus, & Maria pium prædecessorum prædictorum propositum continuare volentes, & de salute propria recogitantes ad hoc, ut in monasterio prædicto divinus cultus vigeat, & reformetur in eo observantia regularis, desiderant quod monasterium hujusmodi, nomine & Ordine supressis pariter & extinctis, in Præpositatum Conventualem Ordinis Præmonstratensis erigatur, & propterea præfati Miles & Maria pro suarum & parentum eorumdem animarum remedio, nec non ad omnipotentis Dei, ejusque Matris Virginis glorificatione, & dictæ S. Elisabeth laudem & gloriam, de bonis sibi à Deo collatis & justis titulis acquisitis, monasterium ipsum pro ejusmodi Præpositatu, cum Ecclesia, Claustro, Cellis, & aliis officiis necessariis pro usu & habitatione unius Præpositi Canonicorum dicti Præmonstratensis Ordinis, qui inibi religiosè & conventualiter viventes, Altissimo perpetuò famulentur, decenter reparare, ipsamque Ecclesiam libris, calicibus & ornamentis Ecclesiasticis ad divinum cultum spectantibus fulcire & ornare, nec non Præpositatum adaugere redditibus, possessionibus & bonis pro mille ducentis & quinquaginta coronis auri actu piè per ipsos ad id deputatis justo emptionis titulo pro Præpositi & Canonicorum prædictorum inibi pro tempore degentium sustentatione acquirendis dotare proponerent. Quare pro parte eorumdem Militis & Mariæ nobis fuit humiliter supplicatum ut ipsorum proposito grato concurrentes assensu, monasterium hujusmodi, illius nomine & Ordine S. Augustini hujusmodi extinctis & supressis in Præpositatum Conventualem dicti Ordinis Præmonstratensis, erigere, eique dilectum Filium Joannem de *Thoury* Priorem Monasterii Præmonstratensis, Ordinem ipsum expresè professum, vitâ, moribus ac regulari disciplinâ probatum, in Præpositum hac primâ vice præficere, ipsumque Præpositatum cum Præposito, Canonicis & personis, ac bonis mobilibus & immobilibus, præsentibus & futuris Præmonstratensi Ordini ac Abbati monasterii Cuissiacensis, ejusdem Præmonstratensis Ordinis, Laudunensis Diœcesis pro tempore existenti, qui ipsius Præpositatûs Pater Abbas & immediatus Superior existat, subjicere, de benignitate Apostolicâ dignaremur. Nos igitur qui libenter Ecclesiarum & Monasteriorum omnium utilitates & commoda procuramus, & divinum cultum augeri & regularem observantiam florere, nostris potissimùm temporibus, supremis desideramus affectibus, & de præmissis certam notitiam non habemus, hujusmodi supplicationibus inclinati, discretioni tuæ per Apostolica scripta committimus & mandamus, quatenùs, vocatis venerabili fratre nostro Episcopo Noviomensi, & aliis, qui fuerint evocandi, de præmissis omnibus auctoritate nostrâ te informes; & si per informationem præmissa vera esse repereris, postquam idem Miles & Maria præmissam coronarum summam pro hujusmodi redditibus & bonis acquirendis realiter assignaverint atque donaverint, aut penes aliquem fidum virum, de quo tibi videbitur, deposuerint cum affectu, atque de reparatione hujusmodi decenter facienda, ipsaque Ecclesia libris, calicibus & aliis ornamentis ad divinum cultum spectantibus fulcienda, ut præfertur, idoneam ac sufficientem cautionem præstiterint, super quibus tuam conscientiam oneramus, monasterium prædictum, illius nomine ac dignitate Abbatiali & Ordine S. Augustini per te in eodem suppressis penitùs & extinctis, in Præpositatum Conventualem dicti Præmonstratensis Ordinis, cum omnibus grangiis, terragiis, juribus & pertinentiis suis eadem authoritate erigas & statuas, atque decernas authoritate memorata, quod ipsum monasterium de cætero sit Præpositatus Conventualis, ad quem quis per electionem Canonicam dicti Ordinis Præmonstratensis, qui in illo pro tempore residebunt, concorditer assumatur ab omnibus, eligatur & etiam nominetur, eidemque præfatum Joannem de *Thoury*, qui, ut asseritur ipsum Ordinem Præmonstratensem expresè professus existit, in Præpositum hac primâ vice duntaxat præficias; nec non eidem Præpositatum cum Præposito, Canonicis, & personis ac omnibus suis bonis tam mobilibus quàm immobilibus, præsentibus & futuris ad illos tunc & deinceps perpetuis futuris temporibus pertinentibus, hujusmodi Præmonstratensi Ordini ac Abbati Cuissiacensi pro tempore existenti, qui ipsius Præpositatûs Pater Abbas & Superior immediatus existat, si tamen dicti Episcopi ac dilecti filii Patris Abbatis dicti Ordinis Præmonstratensis ad id accedat consensus, auctoritate prædictâ subjicias. Et nihilominùs si per te extinctionem, erectionem, præfectionem & subjectionem hujusmodi vigore præsentium fieri contingat, ut præfertur, Conventui ipsius Præpositatûs, qui pro vocationis ipsius Præpositatûs occurrente tempore, personam idoneam in ipsorum Præpositum eligere, ipseque Abbas Cuissiacensis pro tempore existens electionem hujusmodi, si canonicè fuerit celebrata, auctoritate ordinaria confirmare, ac Præpositatum ipsum ejusque personas ut Superior immediatus, quoties opportunum fuerit, visitare, excessus quoque defectus quoslibet inibi corrigere & emendare, & alia quæ secundùm instituta regularia & stabilimenta ipsius Præmonstratensis Ordinis, & salubrem statum ipsius Præpositatûs necessaria, penitùs statuere valeat, eadem auctoritate concedas. Nos enim Præposito ac Canonicis ejusmodi Præpositatûs pro tempore existentibus, ut omnibus & singulis privilegiis, indulgentiis, libertatibus, exemptionibus & immunitatibus, gratiis & indultis, quibus alii professores monasteriorum & aliorum locorum ejusdem Præmonstratensis Ordinis quomodolibet potiuntur & gaudent, uti & gaudere in omnibus licitè & liberè valeant, auctoritate Apostolicâ tenore præsentium indulgemus, non obstantibus quibuscumque constitutionibus & ordinationibus Apostolicis ac statutis & consuetudinibus monasteriorum & Ordinum prædictorum etiam juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quavis firmitate alia roboratis, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum, pridie Nonas Martii, Pontificatûs nostri anno quinto.

Executio præfatarum litterarum Pontificiarum. Anno 1422.

IN Nomine Domini Amen. Visis litteris Apostolicis nobis directis, evocationibus, citationibus & significationibus, ac etiam renuntiationibus tam per Religiosas ejusdem monasterii de *Genliaco* se asserentes, quàm per Reverendum in Christo Patrem ac Dominum D. Noviomensem Episcopum coram nobis debitè factis, ac etiam assignatione & donatione mille ducentorum & quinquaginta coronatorum auri, nec non etiam reparationibus ejusdem monasterii faciendis, de quibus præstita fuit sufficiens cautio coram nobis, omnibusque aliis diligenter attentis, quæ animum nostrum movere poterunt & debuerunt, ad executionem dictarum litterarum Apostolicarum procedere cupientes, auctoritate Apostolicâ nobis in hac parte commissa, prædictum monasterium de *Genliaco* cum Abbatiali dignitate,

& Ordine S. Augustini supprimimus & extinguimus, ac dictum locum in Præpositatum Conventualem Præmonstratensis Ordinis cum omnibus grangiis, terragiis, juribus & pertinentiis suis erigimus, statuimus & decernimus; ad quem Præpositatum, dum ipsum vacare contigerit, alter Canonicorum ejusdem Ordinis, qui pro tempore inibi residebit, per electionem religiosum ejusdem loci valeat assumi, & ab Abbate Cuissiacensis monasterii canonicè confirmari. In dictoque monasterio de Genliaco præfatum Fratrem Joannem de *Thoiry* dicti Ordinis expressè professum, in præpositum ejusdem loci de Genliaco hac prima vice præficimus, declaramus & ordinamus, dictumque Præpositatum de *Genliaco* cum Præposito & Canonicis & personis ac omnibus bonis suis mobilibus & immobilibus præsentibus & futuris secundùm tenorem earumdem litterarum Apostolicarum Ordini Præmonstratensi & Abbati Cuissiacensi pro tempore existenti, qui Pater Abbas ejusdem monasterii de *Genliaco* nominabitur authoritate prædictâ, subjicimus ipsumque F. Joannem de *Thoiry* per præsentes in corporalem & actualem possessionem ejusdem monasterii de *Genliaco* cum suis juribus & pertinentiis universis ponimus & inducimus, eidem F. Joanni curam & administrationem ipsius monasterii per hanc nostram definitivam sententiam quam fecimus in his scriptis committentes. Quocircà cum ad executionem præmissorum ulteriùs faciendam nequeamus quoad præsens personaliter interesse, pluribus aliis Ordinis occupati negotiis, venerabili Patri Abbati Cuissiacensis monasterii ac universis & singulis Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Sacristis, Thesaurariis, aliisque quibuscumque Religiosis ejusdem Ordinis Præmonstratensis ac Notariis & Tabellionibus publicis ubilibet constitutis & eorum cuilibet in solidum super ulteriori executione dicti mandati Apostolici atque nostri facienda requisitis, authoritate Apostolicâ supradictâ tenore præsentium committimus vices nostras, donec eas ad nos duxerimus revocandas. Ita quòd in his exequendis alter vestrûm alterum non expectet, nec unus pro alio se excuset, quatenùs ipsi vel eorum alter qui super his fuerit requisitus seu fuerint requisiti, eundem F. Joannem de *Thoiry* Priorem dicti monasterii Præmonstratensis aut ejus procuratorem pro eo, in corporalem realem & actualem possessionem hujusmodi monasterii seu Præpositatûs de *Genliaco* cum suis juribus & pertinentiis universis ponant, immittant pariter & inducant; inductumque & immissum manu teneant & deffendant, & ejusdem monasterii sive Præpositatûs de *Genliaco* subditis, servitoribus, familiaribus, & aliis quorum interest, ex parte nostra præcipiant & inhibeant ut eidem F. Joanni de *Thoiry* tanquam dicti monasterii de *Genliaco* Præposito pareant & intendant, ac de fructibus, redditibus, juribus, obventibus & emolumentis quibuscumque pacificè gaudere & possidere faciant & permittant. In quorum omnium præmissorum & singulorum fidem & testimonium præsentes litteras seu præsens publicum instrumentum per Notarium publicum infra scriptum, nostrum quoad hoc Scribam, scribi & publicari mandavimus ac suo signo solito sigillari, sigillique nostri fecimus appensione muniri. Datum & actum Noviomi sub anno Domini 1422.* more gallicano, indictione primâ, mensis verò Januarii die septimâ, Pontificatûs sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri Domini Martini divinâ providentiâ Papæ quinti, anno sexto. Præsentibus ad hoc Reverendo Patre ac Domino D. Arnulfo permissione divinâ monasterii S. Bartholomæi propè muros Noviomenses Abbate, nec non religiosis venerabilibus & discretis viris Fratribus Jacobo *Gontier* procuratore dicti monasterii Præmonstrati, Nicolao *d'Attichies* altero Curatorum Parochialis Ecclesiæ dicti loci de *Genliaco*, procuratore dicti monasterii Cuissiacensis, Presbyteris Magistris Petro *Grausse* in jure Canonico, Petro *Martin* in jure Civili, Licentiatis, Joanne de *Vianis* Magistro in Artibus, Joanne le *Clerc* & Joanne *Yvet* Rhemensis Diœcesis, Noviomi commorantibus, cum nonnullis aliis testibus ad præmissa vocatis specialiter & rogatis. Et ego Nicolaus *Galli* Presbyter Noviomensis Diœcesis, publicus Apostolicâ & Imperiali authoritate Curiæque Noviomensis Notarius & Tabellio juratus, quia prædictarum litterarum Apostolicarum præsentationi, receptioni, requisitioni, sententiæ prolationi, nec non omnibus aliis & singulis supradictis, dum sic, ut est præmissum, per ipsum Dominum Abbatem judicem & executorem ac coram eo fierent & legerentur, unà cum prænominatis testibus præsens interfui, eaque sic esse vidi & audivi, idcircò præsentibus litteris seu præsenti publico instrumento exinde confecto per alium, me aliis occupato, fideliter scripto, signum meum consuetum hic me propriâ manu subscribens apposui de mandato dicti Domini Abbatis executoris unà cum sui appensione sigilli requisitus & rogatus in majus testimonium omnium & singulorum præmissorum.

* 1423. more nostro.

Erectio Præpositurae Genliacensis in Abbatiam auctoritate Capituli generalis. Anno 1490.

UNiversis præsentes litteras inspecturis & audituris, Hubertus permissione divinâ Præmonstratensis Abbas & Abbatum ejusdem Ordinis Capitulum generale, salutem in Domino sempiternam. Unâ nobis petitione monstravit venerabilis Confrater Abbas monasterii nostri Cuissiacensis, Ordinis Præmonstratensis, Diœcesis Laudunensis & Pater Abbas Præpositurae S. *Elisabeth* de Genliaco, nostri prædicti Ordinis, Diœcesis Noviomensis, quod olim dicta Ecclesia S. Elisabeth per non nullas moniales Ordinis S. Augustini, quarum illarum altera erat Abbatissa, tandem per malum regimen earumdem & exigentibus suis demeritis fuerant per Fundatorem dicti monasterii ejectæ & expulsæ, & loco earumdem fuerunt non nulli Religiosi Ordinis Præmonstratensis in ipso monasterio instituti per Dominum de Genliaco Fundatorem ipsius monasterii, propter fervidum zelum quem habebat ad dictum Ordinem; & cum dictum monasterium à tempore ejectionis ejusmodi monialium fuerit per Præpositos nuper defunctum & modernum, adeò benè rectum, & præsentibus bonis quàm pluribus multipliciter videtur abundare, supplicavit nobis & idem supplicans ut transmutare vellemus nomen Præpositurae in monasterium, & præpositi in Abbatem ad honorem & reverentiam nostri dicti Ordinis. Nos volentes unicuique juxta suam mercedem sibi condignam, præmia nobis possibilia retribuere; Ipsum Fratrem Jacobum *le Pelletier* modernum Præpositum de Genliaco constituimus, creavimus & ordinavimus, constituimus, creamus & ordinamus Abbatem dicti monasterii, nomen Præposituræ in Abbatiam & Præpositi in Abbatem in perpetuum transmutandum. Volentes ipsum *Le Pelletier* & successores suos futuris & perpetuis temporibus his prærogativis & privilegiis uti & gaudere pacificè & quietè, & eundem ad obedientiam manualem recipimus prout est consuetum recipere Abbates, & eâ de re Religiosis ipsius monasterii de Genliaco in virtute salutaris obedientiæ mandamus, ut de cætero hanc Ordinationem nostram Capitularem teneant, & procurent sub pœnis juralibus consuetis ab aliis observari. Concedentes insuper eidem Abbati, ut à quocumque Antistite, Catho-

lico ritu promoto, sacram Ecclesiæ Communionem obtinente, possit munus Benedictionis suscipere, adhibitis solemnitatibus in talibus consuetis. In cujus rei testimonium sigillum nostri Capituli generalis præsentibus litteris duximus apponendum. Datum in oppido de Calniaco Diœcesis Noviomensis, anno Dñi millesimo quadringentesimo nonagesimo sexto, die tertiâ mensis Maii, sedente ibidem nostro generali Capitulo.

Charta Adalberonis (a) Bremensis Archiepiscopi, fundationem Stadensis *Præpositura confirmantis.*

ADalbero, Dei gratiâ, sanctæ Bremensis Ecclesiæ Archiepiscopus, omnibus orthodoxis in Christo salutem. Quoniam veri & summi Pastoris vicem in terris gerimus, cavendum est ne nomen Domini Dei nostri in vanum assumpserimus. Orandus igitur à nobis ipse Christus, ut non solùm oves suas ab ipso congregatas, & nostro regimini commissas reservet, verùm etiam alias dignetur adducere, velut nuper, sancto ordinante Spiritu, actum est, & nostro consilio per Rudolfum Comitem, & matrem ejus Richardim Marchionissam, qui Fratres secundùm Canonicam regulam B. Augustini, à loco, qui *Deigratia* dicitur, in nostram Diœcesim adduxerunt. Hi inter se communicato consilio, & pari collaudatione, pro sua salvatione, & pro remedio animæ Comitis Udonis nuper occisi, nec non & omnium propinquorum suorum se præcedentium, atque subsequentium, obtulerunt omnipotenti Deo, & Ecclesiæ in honorem *S. Georgii* ab ipsis fundata in *Stadhen*, & à nobis consecrata, de hæreditate sua curiam *Verwede* &.... ad usus Fratrum in *Stadhen* Christo militantium, in proprietate perpetualiter possidenda, sine contradictione devotissimè tradiderunt.

Epistola Ferdinandi II. Imperatoris, ad Generalem Tillium, *pro restitutione Præpositura S. Georgii* Stadensis.

REcordaberis, quæ nos non ita pridem ad litteras tuas duorum Ordinum, Benedictini & Præmonstratensis, monasteria concernentes, dederimus gratiosè. Interea jam dicti Ordinis Præmonstratensis Visitator, & alii Prælati apud nos se se submississimè insinuarunt, petentes instanter, ut sicut alibi, ita & hic Cæsaream manum auxiliatricem ipsis præbeamus, ad memoratum (S. Georgii) monasterium ut reintegrarentur, eos clementissimè dignaremur adjuvare. In singulari illa consideratione, quod eorum vocatio non tantùm ad vitam monasticam, & frequentationem chori, sed præcipuè & ex professo ad concionandum, & ad deffendendam sedulâ curâ Catholicam religionem adversùs hæreticos, eamque propagandam per bonas instructiones instituta sit: & ipsi doctis & exemplaribus Religiosis provisi, in statu sint hoc monasterium iterum instaurandi, divinum officium ordinandi, & omnia illa præstandi, quæ in partibus illis, ad restitutionem & incrementum fidei Catholicæ quoquo modo utilia sunt & expedientia. Quia ergo decrevimus monasteria, & Ecclesias, quæ contra *Pacem Religionis (a)* profanata sunt & in alium statum conversa, illis Ordinibus, pro quibus à piis Fundatoribus fundata sunt, quantùm fieri poterit, restituere; & absque hoc, Præmonstratensi Ordini (ut potè qui in nostris hæreditariis regnis & terris præclarè floret, & bonam utilitatem profert) singulari Cæsareâ gratiâ benè affecti sumus. Hinc tibi hisce gratiosissimè mandamus, ut supradicti Præmonstratensis Ordinis Commissario, qui se se apud te insinuabit, dictum monasterium, cum omnibus appertinentibus redditibus, & censibus iterùm restituas; illos in eodem protegas; etiam si quo loco archivium, seu scripturas & documenta esse alicubi insinuetur, ipsis præstes adjutorium, ut eadem consequantur. Idipsum cadit ad æquitatem & nos manemus tibi Viennæ 1629.

20. Januarii. FERDINANDUS.

Charta Rainaldi Remensis Archiepiscopi, confirmantis factam Cuissiacensibus Gerigniaci *donationem.*

IN Nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti. Cum omnibus, qui intrà ambitum nobis commissæ Diœceseos continentur, vigilantiam debeamus, illi tamen à nobis misericordiùs refovendi, & diligentiore cura in temporalibus etiam stipendiis, prout facultas expetit, sunt attollendi, qui ut liberiùs divinis vacare possint officiis, blandientis sæculi illecebras calcaverunt, & de hujusmodi fluctuante pelago ad quietum contemplationis portum enataverunt: quatenùs & nos eorum orationibus, aliquod imperfectioni nostræ subsidium piâ recompensatione comparemus. Ad posteritatis igitur memoriam pertinere dignum duximus, Fratres Cuissiacenses sub regula B. Augustini canonicè viventes, in Portensi territorio, loco videlicet *Gerigniaco* à Comite Godefrido mansionem ad Domino serviendum accepisse. Quæ cum usibus Fratrum inibi Domino regulariter degentium minùs plenè sufficeret à Canonicis de *Calvomonte* territorium de *Jussiaco* quantùm usibus Fratrum ibidem Domino canonicè servientium, necessarium esset. Decimam etiam de *Gerigniaco* cum molendino sub annuo censu tredecim solidorum accepisse. Quòd ego Raynaldus divinâ propitiatione Remensis Ecclesiæ Archiepiscopus, per Dei misericordiam advertens, ob nostrorum veniam peccatorum, altare de *Membriciis*, * cum adjacente Capella de *Rubiniaco*, * quod Concanonicus noster Rogerus tenebat ipso annuente, Ecclesiæ de *Calvomonte* perpetuo tenendam concessimus: eò videlicet tenore, quod à prætaxato censu Fratres Cuissiacenses omninò liberi essent. Ut autem donationis hujus schedula imposterum rata & inconvulsa permaneat, eam probabilium personarum subnotatione & imaginis nostræ impressione corroborari fecimus. *S.* Gosleni Suessionensis Episcopi. *S.* Odonis Abbatis S. Remigii. *S.* Guillelmi Abbatis S. Theodorici. *S.* Joranni Abbatis S. Nicasii. *S.* Albrici Archidiaconi. *S.* Hugonis Archidiaconi. *S.* Friderici Præpositi. *S.* Leonis Decani. *S.* Gervasii Cantoris. *SS.* Henrici, Rogeri, Gregorii Presbyterorum. *SS.* Gerardi, Bosonis, Joannis Diaconorum. Actum Remis, in Archivo Pontificali anno MCXXXI. ab Incarnatione Domini, Indict. IX. regnante autem gloriosissimo Rege Francorum Ludovico anno XXIV. Archiepiscopatûs autem Domini Raynaldi II. anno VI. Drogo Cancellarius recognovit, scripsit & subscripsit.

*Membrecy
* Rubigny.

(a) Sic vocant pacta conventa, inter Ferdinandum Romanorum Regem, & Imperii Germanici Status, Augustæ Vindelicorum, anno 1555. inita, ad sopiendas difficultates varias, quæ occasione varietatis religionum in Germania pullulabant.

Charta

Charta Sampsonis Remensis Archiepiscopi, quâ bonorum Gerigniacensium confirmationem concedit.

EGo Samson divinâ miseratione Remorum Archiepiscopus, universis Sanctæ Ecclesiæ filiis in perpetuum. Cum nos censura Divinæ dispositionis in populo suo pastores dici & utinam esse statuerit, certum est nobis incumbere ut pro Ecclesiarum pace & tranquillitate ex officio nobis injuncto, curâ pervigili operam demus. Notum igitur fieri volumus tam præsentibus quàm futuris, quod felicis memoriæ Rainaldus Remorum Archiepiscopus venerabilis, altare Cruisiensis villæ cum appendiciis liberum à Synodali consuetudine, Sororibus de *Geniaco* dedit. Ego etiam altare de Altâ-villâ cum appendiciis suis ob remedium animæ meæ concessi. Elisabeth Comitissa, annuente marito suo Clarembaldo & filio suo Rainaldo cum cæteris liberis suis, molendinum quod est sub *Rubiniaco* donavit. Alemannus verò filius Petri Azopardi, rogatu matris suæ Agnetis, terram arabilem & prata quæ habebat apud Altam-villam & tertiam partem molendinorum suorum apud sanctum Stephanum, & duodecim solidos de censu bonæ monetæ apud *Avenzon* ob animæ suæ remedium prædictis Sororibus contulit. Petrus & Albricus de Honoratâ-villâ decimam partem molendinorum suorum similiter contulerunt. Gobertus insuper de Regis-teste * cum fratribus suis scilicet Blihardo & Simone atque Raynaldo precibus matris eorum Cæciliæ, decimam totam omnium annonarum suarum eidem loco contulerunt. Hæc omnia quæ prælibata sunt Nos præsentis decreti pagina, Sororibus de Gerigniaco sub regula B. Augustini Domino militantibus, authoritate Metropolitana confirmamus, & sigilli nostri impressione & probabilium personarum subtitulatione communiri fecimus. Signum Blihardi Abbatis de loco Regio * &c. Actum Remis anno Incarnati Verbi 1145.

* Rhetel.

* Loroy.

Charta Gualteri Laudunensis Episcopi confirmantis donationem terræ de Yviers *&* Yverol.

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Amen. Pastoralis officii est Ecclesiarum paci & quieti providere & si quæ adversus eas querelæ emerserint, debitum finem imponere, & ne iterum pullulent scripto attestari & confirmare. Ea propter Ego Gualterus Dei miseratione Laudunensium Episcopus notum fieri volumus tam futuris quàm præsentibus, quod Gosvinus Castellanus de Petræponte & uxor ejus reclamaverunt adversùs Ecclesiam Cuissiacensem, super terra de *Yviers* & de *Yverol*, quam ipsa Ecclesia jam antea quindecim & amplius annis ex donatione Wiardi de *Tichi* in eleemosynam & in allodium cum tota decima liberè & quietè tenuerat. Siquidem ipse Wiardus sororem ejusdem Gosvini Beatricem nomine, conjugem habuerat, & ab ipso Gosvino in maritagium terram illam acceperat, quam postea assensu ejusdem uxoris suæ & filiarum suarum in præfata Ecclesia Conversarum, ipsi Ecclesiæ contulerat. Uxor verò ipsius Gosvini de terrâ illâ antequam Wiardo traderetur, se asserebat esse dotatam & ideo non posse constare ullam absque assensu suo donationem. Tandem Ecclesia mediantibus honestis viris dedit præfato Gosvino & uxori ejus centum solidos & tam ipse quàm ipsa ob remedium animæ suæ & prædecessorum suorum, querelam illam remisit: & quidquid ipse Wiardus in territorio illo tenuerat & præfatæ Ecclesiæ contulerat, totum liberè & absque omni exactione in eleemosynam & in allodium perpetuò possidendum, eidem Ecclesiæ concessit. Hoc autem concesserunt filii ipsius Gosvini, Guido, Guillelmus, Gosvinus, Joannes, Amilius, Rigaldus, & filiæ ejus Adhelidis & Maria. Recognovit etiam & concessit Joannes filius præfati Wiardi & Ida soror ejusdem Joannis. Quibus concessionibus interfuerunt & testes sunt Robertus & Godefridus Sacerdotes de Petræponte, Gualterus de *Gurdelencurt* Evrardus de *Curels*, Bonardus, Brixius; tres quoque fratres qui agnominantur *Pele*, videlicet Gualterus, Herbertus & Guillelmus. Ne ergo super his ulla ulterius oriatur perturbationis occasio, tam sigilli nostri impressione quàm testium inscriptione præsentem paginam communiri præcipimus, & in omnes qui temerare aut perturbare præsumpserint, donec ad condignam satisfactionem venerint, anathematis sententiam promulgamus. *Signum* Liziardi Decani, *Signum* Gualterii Thesaurarii. *S.* Gualteri Capellani, *S.* Gunteri Sacerdotis, *S.* Roberti Cantoris, *S.* Gerardi Subthesaurarii, *S.* Magistri Hugonis. Actum Lugduni anno Incarnati Verbi 1164. Angotus Cancellarius relegit, scripsit & subscripsit.

Charta Donationis Altaris de Novavilla.

DRogo Præpositus, Leo Decanus, Gregorius Cantor, cæterique Rhemensis Ecclesiæ Fratres futuris inperpetuum. Quoniam quæ scribuntur, diutius permanere credimus, conventionum, extractuum nostrorum modum & ordinem vobis scribere necessarium credimus ac ducimus. Cum Fratribus itaque & Sororibus de Gireniis ita convenimus, territorium de *Villanellis* cum omnibus appenditiis, sub trecensu duodecim solidorum Cathalaunensis monetæ, singulis annis in festo sancti Lucæ Camerario persolvendorum, perpetuò habendum concessimus. Justitiam verò de omnibus excessibus ibi factis, exceptâ justitiâ Conversorum, nobis retinemus; & terram quam homines de *Justeneio* excolunt, quæ de territorio illo est, ab hujus conventionis tenore excipimus. Præterea sciendum est quod prædicti Fratres nobis concesserint, quod si daretur eis aliquod altare non pluris in reditibus quam triginta solidorum pro supradicto trecensu, nobis illud commutarent. Ut autem statutorum nostrorum veritas firma permaneat, sigilli nostri impressione eam communimus & signamus. Actum Rhemis in Choro sanctæ Mariæ, anno Incarnati Verbi 1159. Indictione VII.

Charta Sansonis Remorum Archiepiscopi, concedentis Sororibus de Gerigniaco altaria de Eruisey, *&* Altæ-villæ.

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ego Samson divinâ miseratione Remorum Archiepiscopus, universis sanctæ Matris Ecclesiæ filiis, tam præsentibus quàm futuris in perpetuum. Ut quod expedit memoriter retinere, oblivione nequeat aboleri, compositionem de altaribus de *Eruisey* & *Alta-villa*, inter dilectum filium nostrum Hugonem Abbatem Cuissiacensem, & Guidonem Canonicum nostrum per nos factam, litterarum nostrarum testificatione & authoritate notam posteris & ratam volumus permanere. Facta est autem compositio ad hunc modum. Altaria prædictarum villarum Zacharias Canonicus noster possedit, quo decedente eadem altaria Guidoni dedimus: Cumque sua esse debere Abbas assereret, ad hunc modum ut diximus compositio facta est. Altaria Guido nobis reddidit,

nosque Abbatem, *ad opus sanctarum fœminarum de Gerigmaco*, investivimus, ut perpetuò possiderent: Guidoni verò per annos singulos, quoad vixerit in habitu isto, solidos sexaginta Cathalaunensis monetæ, tempore Synodi, Fratres loci illius Remis persolvent. Quod si eo tempore non fieret, diebus quindecim Guido expectabit: Et si neque tunc solidos sexaginta acceperit, ad usuram unum poterit accipere. Et nisi usque ad Natale Domini prædictos solidos & usuram Abbas, vel Fratres persolverint, Guido altaria adibit, & de cætero in vita sua quietè possidebit. Hæc omnia ad hunc modum, assensu Abbatis, totiusque Capituli Guidonisque approbata, juxta petitionem eorum, litteris mandari sancirique jussimus, & authoritate Metropolitana confirmantes, testimonia adhiberi censuimus. *S.* Bartholomæi. *S.* Bosonis Archidiaconorum. *S.* Drogonis Præpositi. *S.* Leonis Decani. *S.* Gregorii Cantoris. *S.* Petri. *S.* Thomæ Presbyterorum. *S.* Herluini. *S.* Letoldi. *S.* Radulphi Diaconorum. *S.* Milonis. *S.* Hilduini. *S.* Rogeri. *S.* Hugonis. *S.* Petri Subdiaconorum. Actum Remis Incarnati Verbi MCLXI. Indict. IX. regnante Francorum Rege Ludovico.

Archiepiscopatûs autem nostri XXI. Robertus Cancellarius recognovit, scripsit & subscripsit.

Charta Arnulphi de Chisneio, *quâ confert Dominabus de* Gerignies *salem navis de* Warco.

PRopter amorem & remedium animarum antecessorum nostrorum, Ego Arnulphus Comes de Chisneio & Agnes uxor mea, assensu filiorum meorum, scilicet Ludovici, & Raynaldi, damus & concedimus Ecclesiæ de *Gerignies*, & Conversis Dominabus perpetuo possidendum salem quem debet nobis ex proprio reditu navis una de Warco* quamcumque petierint ex multis. Et si illa aliquo casu defecerit, aliam electioni eorum restituemus nos, nostrique successores. *S.* Walteri Præpositi, Lamberti Capellani, Dodonis Sacerdotis, tempore Samsonis Archiepiscopi Remensis.

* Warc prope Macerias.

Charta Friderici II. Imperatoris, confirmantis & recensentis bona Gerusensis *monasterii, anno 1242.*

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Amen. Fridericus, Dei gratiâ, Dux Austriæ & Styriæ, Dominus Carnioliæ. Omnibus Christi fidelibus salutem in perpetuum. Quia Religiosam vitam eligentibus, ab omnibus Christi fidelibus congruâ perspiciendum est consideratione, Nos tamen specialiùs hoc votum in corde gerimus, ut circa ipsos ampliùs in beneficiis crescere, & profectui eorum intendere, propensiùs debeamus. Hinc est, quare duo monasteria, scilicet domum S. Mariæ in *Gerus*, sub regula S. Augustini secundùm Ordinem Præmonstratensem, & claustrum Monialium in *Berneck*, in nostram defensionem cum omnibus pertinentiis suscipimus, & universis nostræ jurisdictioni subjectis suademus fideliter & monemus, damusque potestatem Comitibus in *Hardekke*, Militibus, ministerialibus nostris, ut de bonis & possessionibus suis in vita & in morte erogandi, & testandi prædictis Domibus, sive sint curiæ, prædia, aut vineæ, plenam & liberam habeant facultatem. Ad fovendam autem monasticam quietem prohibemus fieri jurgia, contentiones & placida in prædictis claustris, ut semoti à mundano strepitu, Deum jugiter contemplentur. Reos sanguinis fugientes ad eos, & suos defendant, nullusque eos de claustris extrahere audeat, nisi priùs indempnitatem de personis eorum præstiterit vel fuerit publicus latro, vel nocturnus populator agrorum. Colonos in possessionibus eorum suos & mercenarios nullatenus sub prætextu Advocatiæ aggravare, vel exactiones, sive Steüras in eos facere præsumat. Item ne quis Clericos, Conversos vel Conversas prædictorum monasteriorum, trahat ad sæculare judicium inhibemus. Invasores eorum, detractores, calumniatores proscribimus, & perpetuâ infamiâ notamus, bona eorum pulicantes, & demùm, ni resipuerint, ultimo eos supplicio damnamus, ut quos timor Dei à malo non revocat, saltem pœna temporalis coerceat disciplinæ. Ad hæc per totam terram nostram Austriæ intra metas nostras, & ultra metas, de omnibus quæ eisdem Domibus ducuntur tam de propriis, quàm etiam de donativis, omnes mutas, sive telonea, quocumque censeantur nomine, perpetuò relaxamus. Ne autem propter defectum instrumentorum igne exustorum, justitia eorum periclitetur, & calumniæ vel lites eis suscitentur, innovamus & restauramus eorum privilegia, quorum scriptura est memoria hominis, juxta illud, cum mens nostra nihil capiat, quin deleat illud ætas, est mentis scriptura fidele sigillum. Innotescat ergo omnibus Christi fidelibus, qualiter vir nobilis Ulricus olim de *Berneck*, consilio & auxilio venerabilis Conradi Patris Episcopi & Domini Henrici attavi nostri Ducis Austriæ, spe æternæ retributionis in fundo suæ proprietatis apud Bernek Ecclesiam divinis Officiis mancipavit & ad honorem Dei Canonicos Regulares secundùm Ordinem Præmonstratensem, & regulam S. Augustini. Item monasterium Monialium fieri decrevit, quod propositum posteà mutavit, & in loco qui *Gerus* dicitur propter fontana & pascua & necessitates alias secundùm prædictam regulam in honore S. Dei Genitricis monasterium fundavit, Sororibus Monialibus in *Berneck* dimissis, quarum curam, & sollicitudinem Abbati, qui pro tempore ministraret in monasterio *Gerus* tam in spiritualibus, quàm temporalibus injunxit, ut debitam subjectionem & reverentiam ei exhibentes & secundùm regulam B. Augustini & Ordinem Præmonstratensem correctionem ab eo recipientes, ibidem Deo jugiter famulentur. Ad sustentationem autem tam Fratrum quàm Sororum, de bonis suis contulit Ecclesiam *Bernek*, cum consensu Episcopi pleno jure, in quam Fratres suos instituendi, & ad curam Sororum & parochiale officium exercendi liberam receperunt ab Episcopo potestatem, & duas partes decimarum ejusdem parochiæ. Apud monasterium *Gerus* octo ar[illegible]uras quas in feudo habuit quidam Nobilis nomine *Ranzierus*, qui liberaliter eis resignavit & prædictæ Ecclesiæ conferri rogavit. Item villam *Pfafenreut*, dimidiam villam *Chodo*[illegible]. Molendinum in *Saza* apud aquam *Tumbratz* in *Schernestreüt*, duo prædia & unam curtim in *Hart*, duo prædia in *Bozleinstorf*, duo prædia & unam curtim in *Le*[illegible]*endorf*, duo prædia & unam curtim, item sylvas & pascua & prata in his metis jacentia, in Oriente scilicet à villa *Fuknutz* usque ad Occidentem ad sylvam quæ *Saza* dicitur. Item à Septentrione scilicet à villâ *Lagno*[illegible] usque ad Austrum ad villam *Pokarsch*. Item in *Minnbach* quatuor prædia, in *Bomelstorf* unum prædium, in *Motsidel* dimidium prædium. Item has videlicet Ecclesias, Parochiam *Drosendorf* pleno jure in qua Episcopus jus suum & patronatus, jus situm dictæ Ecclesiæ contulerunt, & duas partes decimarum ad forum pertinentium, in aliis verò villis ejusdem Parochiæ tertiam partem decimarum, in antiqua civitate *Dro-*

sendorf tredecim curtes, in *Hystetin* mansum unum cum agris suis, item Ecclesiam *Ulrichslag* cum tertia parte decimarum, in *Weicharslag* tertiam partem decimarum, & duos mansos in *Perthiolto*. Item Ecclesiam *Japaus* cum tertia parte decimarum, & mansum unum & totum montem & Capellam *Ludwigs* & mansum unum, Ecclesiam *Bloumnelbe* cum tertia parte decimarum, Ecclesiam *Chirchperch* cum tertia parte decimarum, Ecclesiam *Nivndorf* cum tertia parte decimarum, Ecclesiam *Eibenstein* cum decimis & agris suis. Item in *Raving* duo prædia, circa *Pulka* septemdecim vineas, in *Varginsorf* curiam villicalem & tres curtes, in *Urkartsdorf* curiam villicalem & sex curtes, & vineam. In *Maving* curtim & vineam, in *Margberstorf* vineam, in *Reze* duas curtes. Item de parte ipsius sylvæ quæ *Saza* dicitur, cum rivulo qui *Pragwitz* dicitur, usque ad torrentem qui defluit à *Gerus* ipso claustro; item de ipsa sylva *Saza* singulis septimanis quatuor carradas lignorum pro necessitate ipsius claustri recipi statuit, atque jussit. Item Nobilibus suis, Militibus sive clientibus potestatem tribuit ut de bonis suis sive possessionibus, quæ ab ipsa Comitia *Berneck* habere dignoscerentur ad ipsa claustra *Gerus* scilicet & *Berneck* in vita & in morte erogandi & testandi plenam haberent & liberam facultatem. Item statuit ut omni jure quo universi ipsius Comitiæ Nobiles in suis utuntur possessionibus sive bonis, ipsæ etiam Domus in suis utantur bonis plenè, & gaudeant pacificè & quietè. Item Comites de *Hardenkke*, Leutholdus scilicet & Henricus etiam prædictæ Ecclesiæ *Gerus* contulerunt curiam in *Pulka*, & quatuor curtes & duo molendina. Ad hæc ipsi Comites profectui & utilitati dictarum Ecclesiarum piè & toto cordis desiderio intendentes, suis militibus, clientibus, civibus, seu aliis in ipsorum jurisdictione positis talem gratiam tradiderunt, ut de bonis suis, curiis, agris, vineis civilibus quæ *Pourchrett* dicitur, ad ante dictas Ecclesias in morte & in vita erogandi & testandi plenam habeant & liberam facultatem. Cæterùm etiam ut uno eodemque jure, quo & ipsorum milites & clientes in suis gaudent possessionibus & utuntur sæpè fatæ Ecclesiæ; in bonis talibus gaudere & frui debeant statuerunt. Nos igitur ob reverentiam sanctissimæ & gloriosæ Virginis Mariæ & propter salutem nobis in præsenti & in futuro sæculo augmentandam, universas donationes Comitum de *Herdekke*, seu aliorum nostrorum Nobilium ad cœnobia *Gerus* & *Bernek* factas, & quæ adhuc in posterum fient, perpetuò confirmamus. Nihilominùs eos qui hanc nostram potestativam & irrevocabilem confirmationem alterare vel infringere suis perversitatibus seu perfidiis attemptarint, ad nostram gravissimam & irremediabilem ascribimus indignationem. Post hac eosdem puniendos pro hac malitia & nequitia divinæ relinquimus ultioni, nisi conversi, prædictis cœnobiis, de omnibus que per eos vel ab eis fuerint subrepta, satisfecerint competenter. Ut autem hæc nostra confirmatio stabilis permaneat in sæcula sæculorum, & eisdem domibus proficiat indesinenter, hanc inde paginam scribi fecimus, & sigilli nostri munimine roborari, & prædictis Ecclesiis pro evidenti & lucidissimo testimonio assignari. Datum apud *Starchenburch*, anno Incarnationis Domini millesimo ducentesimo quadragesimo secundo, idus Julii feliciter. Amen.

Charta Guidonis Claromontensis recensentis & confirmantis bona monasterii sancti Gilberti *anno 1251.*

NOs Frater Guido, Dei gratiâ, Claromontensis Episcopus, Notum facimus universis præsentes litteras inspecturis nos vidisse & diligenter inspexisse quasdam litteras non deletas, non cancellatas, non vitiatas in aliqua parte sui, sigillis bonæ memoriæ Domini Roberti quondam Claromontensis Episcopi & nobilis Viri quondam Hugonis de *Castellione* sigillatas in hæc verba. In Nomine Domini nostri Jesu Christi anno ab Incarnatione millesimo ducentesimo duodecimo. Ego Hugo de *Castellione* notum volo esse tam præsentibus quàm futuris quod Hugo de *Castellione* avus meus donavit & concessit locum in quo fundata est Abbatia B. Gilberti, Abbati & Fratribus ejusdem loci tam præsentibus quàm futuris; eisdem etiam concessit in perpetuum ad censum viginti solidorum, molendinum de *Milando* cum subjacentibus insulis & piscatione. Item insuper donavit & remisit eisdem pedagia omnium rerum pertinentium ad dictam Abbatiam vel ad grangias ejusdem. Postea verò abrenuncians sæculo seseque tradens Canonicum, Deo & B. Mariæ *Novem-fontium* donavit & concessit Fratribus ejusdem loci *Boscha Bertin* & quidquid juris habebat à rivulo *Robert* usque in *Andalot*. Addidit præterea concedendo eisdem feuda quæcumque prædicti loci Fratres ab ipsius feudalibus seu hominibus per eleemosynam seu emptionem vel aliis justis modis, præstante Domino, potuerint adipisci. Pater insuper meus Godefridus Monachus donavit & concessit prædicti loci Fratribus terram de *Macerus* cum omnibus pertinentiis suis. Cum igitur locus prædictæ Abbatiæ & alia à me vel meis collata sint de eleemosyna parentum meorum & meâ, sicut verum est, & prædicti Fratres recognoscunt, & sub meo bono patronatu sint prædicta, quæ dicta sunt, constituta; omnia prædicta & singula confiteor & recognosco vera & firma esse, & omnia & singula laudo & concedo pro salute mea & parentum meorum, & quidquid jus competit in prædictis vel circa aliquid prædictorum, illud transfero & dono & concedo & trado Deo & Abbati & Fratribus *Novem-fontium* tam præsentibus quàm futuris & promitto omnia præmissa & singula me observaturum & contra non venturum aliquo jure scripto vel non scripto, communi vel speciali, prout melius dici potest ab aliquo vel excogitari, & rogo & supplico Domino Roberto Claromontensi Episcopo ut prædictam Chartam sigilli sui authoritate confirmet. Ego, Robertus Claromontensis Episcopus rogatu prædicti Nobilis viri præsentem Chartam sigillo meo communio ad perpetuam firmitatem. Ego Hugo de *Castellione* præsenti Charta sigillum meum appono ut immotam teneat firmitatem. In hujus inspectionis testimonium præsentes litteras sigillo meo communivi ut immotam teneat firmitatem. Datum anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo primo, mense Martii.

Charta Wladislai II. Bohemiæ Regis, pro confirmatione & sustentatione Præmonstratensium in Abbatia Gradicensi *1160.*

ANno Dominicæ Incarnationis MCLX. Epactarum XL. concurrentium V. Indictionis VIII. Ego Wladislaus, Dei gratiâ, II. Rex Bohemorum divinâ propitiante clementiâ, cognoscens ministros Ecclesiæ, quæ est secus urbem Olomucz, ædificata in Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, & in honore Beati Protomartyris Stephani dedicata, nocte dieque in Dei laudibus jugiter insudare, & tantorum Dei athletarum orationum particeps cupiens fieri corde & animo humiliter cœpi excogitare, quâ ratione mei celebritas memoriæ apud illos posset haberi in secula sine fine. Unde omnipotentis Dei inspirante gratiâ ac institutione admonitus Canonicâ, venerabili ejusdem Ecclesiæ Abbate Domino Blasio, meo occurente ac favente desiderio, Fratrum Prothomartyris Stephani precibus me subdidi. Atque ut eorum orationum particeps sine fine fierem, devotus munus communionis suscepi. At ego ne fratres meos in Christo Dilectissimos gratuitò mihi fraternitate concessâ aliquo modo aggravare videar, in signum hoc sacratissimi pacti inter nos habiti in retributionem pro mea Regnique mei incolumitate ac stabilitate, unàque pro germanorum meorum tam Teobaldi quam Henrici nec non filii mei Friderici, meorumque remissione peccatorum, quidquid illis propinquorum videlicet. Avi mei primi Regis Bohemorum Wratislai, ac primi Ducis Moraviensium senioris Ottonis, & prudens discretio ad usum in nomine Domini studuit deputare, nec non & omnium Principum Moraviensium ea sic se haberi & gaudeo & laudo, insuper & Regiæ potestatis autoritate ac consensu omnium Primatum Bohemiæ confirmo. Et ne hoc posteros latere queat, sub testimonio scripturæ meæ signo munitæ, usquequaque ratum esse commendo. Villarum autem nomina, quæ in obsequio eorum in privilegiis Patrumscripta reperiuntur, sunt hæc: *Kyssebrouici, Rochim, Baicin, Vagozd* in Bohemia quæ nominatur Ulipi. Præterea data est curia, quæ nominatur *Usobren* cum suis adjacentibus vills sub omni tributo & consuetudine, sicut ante solvebat Dominæ suæ. Data est sylva quæ vocatur *Luberzca*, in Bohemia, duæ villæ, quas dedit Rex primus Wratislaus *Ugerzco*, *Nedamerice*, *Nakel*, eà conditione, ut qui eam inhabitare deliberant, cum tributo Beato Stephano decimas solvent. Cæteris verò ad imperium Ducis bella exercentibus, sive urbem aut pontem reparantibus, seu sub qualibet necessitate laborantibus non aliud quam quod præfatus Pater cœnobii jusserit faciant. *Ugeze*, *Lasane*, *Lubos*, *Popouici*, *Selechovici*, *Bradcane*, *Jusotici*, *Zlobici*; *Besmirna*, *Obnicovici*, *Bunouici Tasalci*, *Ustin* ad III. aratra. *Stechovici* ad I. Aratrum, *Sarouici* ad I. A. *Celeici* ad 2 A. Prusi ad 2 A. *Subsici* ad duo A. *Topolae* ad duo A. *Surouici* ad I. A. *Bnevetine* ad unum A. *Unatici* cum omni consuetudine terræ. Waceslaus Dux Moraviæ pro remedio animæ patrui sui Ottonis dedit villam *Kygolt* cum omni utilitate sua. Otto Dux junior dedit duas villas *Rusca*, *Wrezouici* pro anima filiæ suæ Suatave. Datus est etiam de *Olzava* VI. denarius, & de ponte Brazilave Civitatis VI. denarius, de via verò quæ ducit ad Poloniam juxta civitatem Gradek VI. denarius & de moneta decimus denarius. Data sunt & duo Vivaria piscium, nomen unius Widoma & nomen alterius *Tecaler*. Et multa familia habetur. Hæc autem scripta quicumque cognoscant fideles sub Testamento Domini nostri Jesu Christi, & totius Ecclesiæ, nec non & harum personarum: Danielis Pragensis Episcopi, & Joannis Moraviensis Episcopi, & Theobaldi Ducis Boëmorum & Henrici germani Regis, Frederici filii Regis, Conradi Principis Moraviensium, & Bezonis Abbatis de Monte Sion, Petri Abbatis de *Brennos*, Petri Abbatis de Insula sylvestri, Abbatis de *Zasavva*, & Wilhelmi Abbatis de *Wilbelmow*, Bodescalci Abbatis de *Selew*, Deocari Abbatis de *Lutomizlo*, Hugonis Abbatis *Podelasirbesch*, & Mizlochonis de *Opatovvib*, Nadei Abbatis de *Trebeith*, nec non Udelrici Præpositi Pragensis, Pauli Decani, Jeronimi Magistri, Petri Præpositi Boleslaviensis, Jurette Præpositi Melnicensis, Alberti Præpositi Zachensis, & Hemoi Camerarii Regis, Lochan Dapiferi Regis, Vercellonis Pincernæ Regis, Voizlai Agazonis, Drizislai Urbis Præfecti Pelzono Jarognevi Præfecti Satcensis, Henrici Wissengradensis Præfecti, & omnium Primatum Bohemiæ. Ad hæc quoque ut mea hæc prædicta confirmatio rata & fixa in perpetuum permaneat, ex Canonica & Apostolica autoritate maledectionem in hujus decreti mei prævaricatores subscribi volui. Igitur ego Daniel, Dei gratiâ sanctæ Pragensis Ecclesiæ decimus tertius Episcopus, & Joannes sanctæ Olomucensis Ecclesiæ nonus Episcopus tali decreto bannum apponimus, ut si quis temerator hujus rei aut contemptor extiterit, perpetuis condemnationibus subjaceat innodatus, & Sanctorum Dei, quorum ibi Reliquiæ requiescunt, meritis & orationibus duplici contritione conteratur, ut laborando sine intermissione in angustia & tribulatione, dolore & amaritudine in fine mundi cum Juda traditore Salvatoris omnibusque membris diaboli in inferno inferiori sine fine crucietur. Amen. Amantibus hæc & laudantibus, pro posseque augentibus & defendentibus, sit salus & protectio, pax & exultatio, Sanctæ Trinitatis ejusdemque individuæ unitatis benedictio nunc & in ævum Amen. Datæ Pragæ per manum Gervasii Cancellarii & Præpositi Wissengradensis ejusdem anni XVI. Kalendarum Julii.

Bulla Clementis III. pro Abbatia Grandigurgitis, *anno 1187.*

CLemens Episcopus Servus Servorum Dei, dilectis filiis Radulpho Abbati Ecclesiæ S. Mariæ Grandigurgitis ejusque Fratribus tam præsentibus quàm futuris regularem vitam professis in perpetuum. Religiosam vitam eligentibus Apostolicum convenit adesse præsidium, ne fortè cujuslibet temeritatis incursus aut eos à proposito revocet, aut robur (quod absit) sacræ Religionis infringat: ea propter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus & præfatæ Ecclesiæ S. Mariæ Grandigurgitis, in qua divino mancipati estis officio sub B. Petri & nostra protectione suscipimus & præsentis scripti privilegio communimus; inprimis siquidem statuentes ut Ordo Canonicus qui secundùm Deum & B. Augustini regulam & institutionem Præmonstratensium Fratrum in eadem Ecclesia institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur; præterea quascumque possessiones, quæcumque bona eadem Ecclesia impræsentiarum justè & canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis, vestrisque successoribus & illibata permaneant, in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis: locumip-

ſum Grandi gurgitis in quo præfata Eccleſia de Bellelagia Henrico de *Larges*, Theodoro de *Plozoeſe* & Gerhardo fratre ejus; Curiam de *Courdumaco* quam dedit vobis Reimbaldus de *Ferretus* cum appenditiis ſuis aſſenſu Ludovici Comitis ejuſdem Caſtri, Curiam de *Gerivillari* cum appenditiis ſuis, cujus partem dedit vobis Richardus de *Gleure*, Curiam de *Burres* cum appenditiis ſuis quam habetis ab Abbatiſſa & Capitulo des *Balmes* * pro quinque ſolidis annuatim eidem Eccleſiæ perſolvendis; Curiam de *Courdemauche* cum appenditiis ſuis quam dedit vobis Otto de *Eglingues*, Curiam de *Seneve* quam vendiderunt & dederunt vobis Henricus & frater ſuus Billingus, aſſenſu Ludovici Comitis de *Saloerner*; eleëmoſynam decem & novem ſolidorum quam dedit vobis Reinbaldus de *Experpa* apud S. Ulricum in perpetuum poſſidendam, eleëmoſynam unius prati & duorum menſorum terræ apud *Eſlophum* quam dedit vobis Richardus *Librauchet*, eleëmoſynam quam dedit vobis Reigerus de *Bouchart* apud *Altoreille*. Sanè novalium veſtrorum quæ propriis manibus aut ſumptibus colitis ſive de nutrimentis animalium veſtrorum, nullus à vobis decimas exigere ſeu extorquere præſumat, liceat quoque vobis Clericos vel Laïcos è ſæculo fugientes, liberos & abſolutos ad converſionem recipere, & eos abſque contradictione aliqua retinere. Prohibemus inſuper ut nulli Fratrum veſtrorum poſt factam in eodem loco profeſſionem, fas ſit, abſque Abbatis ſui licentia, de eodem loco diſcedere, diſcedentem verò ſine communium litterarum cautione, nullus audeat retinere. Inhibemus etiam ne Eccleſias aut terras, ſeu aliquod beneficium Eccleſiæ veſtræ collatum liceat alicui perſonaliter dari, ſive aliquo modo alienari ſine conſenſu totius Capituli, aut majoris partis, vel ſanioris ejuſdem; ſi quæ verò donationes, alienationes aliter quàm dictum eſt, factæ fuerint, eas irritas eſſe cenſemus, ad hæc autem adjicimus ne aliqui Canonici, ſeu Converſi ſub profeſſione domûs veſtræ adſtricti, ſine conſenſu Abbatis & majoris partis Capituli veſtri pro aliquo fide jubeant, vel ab aliquo pecuniam mutuò accipiant, ultrà pretium Capituli veſtri providentia proviſum, niſi propter manifeſtam domûs veſtræ utilitatem: quòd ſi facere fortè præſumpſerit non teneatur Conventus, ſine cujus licentia & conſenſu hoc egerant, pro his aliquatenùs reſpondere. Præterea licitum ſit in cauſis veſtris Fratres veſtros idoneos ad teſtificandum adducere, atque ipſorum teſtimonio, ſi rectum fuerit, & propulſare violentiam & juſtitiam vindicare: ob evitandas verò ſæcularium frequentias, liberum ſit vobis, ſalvo jure Diœceſani Epiſcopi, & Eccleſiæ parochialis, Oratoria in grangiis veſtris conſtruere, & in ipſis cum neceſſe fuerit vobis & familiæ veſtræ divina officia celebrare; pro chriſmate verò, Oleo ſancto, conſecrationibus Eccleſiarum, ordinationibus Clericorum, qui ad ſacros Ordines fuerint promovendi, ſive Abbate inducendo ad ſedem, vel quibuſlibet aliis Eccleſiaſticis Sacramentis, nullus à vobis aut ſub obtentu conſuetudinis, aut quolibet alio modo quidquam audeat poſtulare; ſi quis autem contrà hoc venire præſumpſerit, portionem cum Gehieſi ſe noverit habiturum, cujus factum exactione turpis lucri & muneris imitati. Sepulturam præterea ipſius loci liberam eſſe decernimus, ut eorum devotioni & extremæ voluntati qui ſe illic ſepeliri deſideraverint, niſi fortè excommunicati vel interdicti ſint, nullus obſiſtat, ſalvâ tamen juſtitiâ illarum Eccleſiarum à quibus mortuorum corpora aſſumuntur. Paci quoque & tranquillati veſtræ paternâ impoſterum ſollicitudine providere volentes, authoritate Apoſtolicâ prohibemus, ne quis infrà clauſuras locorum, ſeu grangiarum veſtrarum furtum ſeu rapinam committere, ignem apponere, hominem capere, vel interficere, ſeu aliquam violentiam temerè audeat exercere. Decernimus ergo ut nulli omninò hominum fas ſit præfatam Eccleſiam temerè perturbare, aut ejus poſſeſſiones auferre vel ablatas retinere, minuere ſeu quibuſlibet vexationibus fatigare, ſed omnia integra conſerventur eorum, pro quorum gubernatione & ſuſtentatione conceſſa ſunt, uſibus omnimodis profutura, ſalvâ ſedis Apoſtolicæ authoritate & Diœceſani Epiſcopi Canonicâ juſtitiâ. Si quæ igitur in futurum Eccleſiaſtica, ſecularisve perſona hanc noſtræ conſtitutionis paginam ſciens contra eam temerè venire tentaverit, ſecundò tertiòve monita, niſi reatum ſuum congruâ ſatisfactione correxerit, poteſtatis honoriſque ſui dignitate careat, reamque ſe divino judicio exiſtere, de perpetrata iniquitate cognoſcat, & à ſacratiſſimo Corpore ac Sanguine Dei & Domini Redemptoris noſtri Jeſu Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine divinæ ultioni ſubjaceat. Cunctis autem eidem loco jura ſua ſervantibus, ſit pax Domini noſtri Jeſu Chriſti, quatenùs & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud diſtrictum Judicem præmia æternæ pacis inveniant Amen. Datum Laterani per manum Moyſi Lateranenſis Canonici Vice-agentis Cancellarii, Idus Februari, Indictione 3ª. Incarnationis Domini anno MCLXXXV. Pontificatûs verò Domini Clementi Papæ III. anno primo.

Ego Clemens Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus.
Ego Theobaldus Oſtienſis & Velletrenſis Epiſc.
Ego Laborans Preſbyter Cardinalis S. Mariæ.
Ego Melchior Preſbyter Cardinalis trans Tiberim tit. Caliſti SS. Joannis & Pauli &c.
Ego Jacobus Diac. Cardin. S. Mariæ in Coſmedin.
Ego Octavianus SS. Sergii & Bacchi Diac. Cardin.
Ego Goffredus S. Mariæ in via lata Diac. Card.
Ego Radulphus S. Georgii ad velum aureum Diacon. Cardinalis.

Sententia Epiſcopi Baſileenſis, pro reſtitutione Abbatiæ Grandi-gurgitis. *Anno 1208.*

LUtholdus * Dei gratiâ Baſileenſis Epiſcopus, ſalutem in Domino. Noverit præſens ætas & futura poſteritas, quòd cum Prior & monachi de *Alrkirk*, domum de *Grandi-gurgite* ad Bellelagienſem Eccleſiam liberè pertinentem, ſibi contrà juſtitiam uſurpaſſent, tandem ab utraque parte ſponte fuit in arbitros, fide hinc inde præſtitâ, compromiſſum, videlicet in Theodoricum Præpoſitum, & Henricum monachum S. Albani (*a*) in Rainaldum Priorem S. Ulrici (*b*) & Henricum Monaſterienſem (*c*) & Burchardum S. Hymerici (*d*) Canonicos in Hugonem Cellarium de *Alrkirk* (*e*) & Rudolphum Priorem de

* Baume les Nones.

* Lutholdus ſive Lupoldus ordine 3us. Baſileenſis Epiſcopus ſucceſſit Hugoni 2°.

(*a*) Monaſterium S. Albani intrà muros Baſileæ, Ordinis Cluniacenſis.

(*b*) Sanctus Ulricus quondam Prioratus Benedictinorum pendens ab Abbatia S. Morandi 4. horis a Grandi-gurgite diſtans, nunc a Jeſuitis occupatur, ſicut & Sanctus Morandus gallicè *S. Merand*.

(*c*) Eſt monaſterium Grandis-Vallis, *Moutier Grand-Val*, olim Abbatia, ſed in Collegium Canonicorum ſæcularium verſa, poſtmodum ab hæreticis prophanata, Canonici Delemonti ſe receperunt.

(*d*) Sanctus Hymerius eſt Eccleſia Collegialis Canonicorum ſæcularium, gallicè dicta, *la Vallée S. Hymier*, in qua Valle Eremiticam vitam duxerat S. Hymerius natus in pago *Lugnè* præfecturæ Bruntrutanæ. Hæc Collegialis Eccleſia agnoſcit fundatricem Bertham Reginam Burgundiæ, deſtructores 16. ſæculo habuit Calviniſtas, reditus in ditione Epiſcopi Baſileenſis ſitos, menſæ ſuæ univerunt Epiſcopi.

(*e*) Cellarium in *Alrkirk*, urbs eſt in Sungovia prope quam ſitum eſt monaſterium S. Morandi, a Jeſuitis Friburgenſibus devotum.

Bellelagia, sub hoc pacto, ut quidquid ipsi super jam dicta domo, dictarent, ratum & stabile in perpetuum haberetur. Tandem ab ipsis arbitris, citatis partibus, talis compositio intervenit, quod prædicta domus cum omnibus appendiciis liberè & absque contradictione ad Bellelagiensem devolveretur Ecclesiam, & Abbas Bellelag. monachis de *Alrkirk* pro recompensatione gravaminum suorum, quinquaginta libras Basileensis monetæ persolveret, ita tamen quod de illis quinquaginta libris, quindecim pro debitis sæpè dictæ domûs persolvantur. Hæc itaque compositio in Basileensi Synodo ab utraque parte in nostra præsentia rata fuit habita, & a nobis de communi consilio approbata. Nemo autem hanc compositionem ausu temerario præsumat in posterum violare. Eam præsenti scripti dignum duximus committendam sigilli nostri munimine roborantes. Actum anno Dominicæ Incarnationis MCCVIII. 4°. Idus Martii.

Charta Conradi Archiepiscopi Magdeburgensis pro confirmatione Fundationis Gratiæ-Dei. *1135*.

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ego * Conradus Dei gratiâ Sanctæ Magdeburgensis Ecclesiæ Archiepiscopus. Si semper sunt confirmanda quæ piis desideriis congruunt, quantò potissimum ea quæ divini cultûs prærogativa gaudent, privilegiis communienda; quapropter cupimus notum fieri omnibus sanctæ Ecclesiæ fidelibus hæc legentibus vel audientibus, quod quidam Nobilis Otto de *Reveninge* instinctu sancti Spiritûs ob spem vitæ æternæ seipsum cum omnibus bonis suis obtulit, & in consilium & dispositionem Prædecessoris nostri venerabilis Archiepiscopi Norberti, magni & incomparabilis viri, sese prorsùs deposuit, ejusque consilio & legitimorum hæredum consensu . . . . beneficio Beato Mauricio tradidit, proposuit etiam idem Otto pro sua suorumque parentum salute, ut in aliquo fundo allodii sui Canonici Regulares, secundùm institutionem ejusdem Norberti ordinarentur, in quorum usus omnia reliqua bona ejus cederent, & inter quos ipse sub eadem professione pauperum Christi, Christo militaret. Quia verò prædictus Norbertus, in sua Parochia religionem propagare semper studuit, rogavit eundem Ottonem, & ut hoc in suo potiùs Episcopatu vellet facere, promisit se omnem diligentiam tam in spiritualibus quàm in temporalibus adhibiturum, qui tandem ejus petitioni annuens partem bonorum suorum videlicet curtim *Cruttorf* cum omnibus suis appendiciis, & curtim *Ekkensteden* cum omnibus suis appendiciis, & curtim *Rinberche* cum suis appendiciis ad locum qui Gratia Dei dicitur, beato Victori in usus pauperum Christi contulit, quos in eodem loco venerabilis Norbertus in Regulari professione nuper ordinaverat. Porrò de reliqua parte bonorum suorum videlicet de *Reveningen*, & ejus appendiciis distulit, donec videret, si religionem ibidem ex consilio ejus aliquo modo posset nunciare. Interim autem Beatus Norbertus Archiepiscopus transivit ad Christum & de *Revingen*, & ejus appendiciis suis nec per eum nec per Ottonem quidquam ad Religionem dispositum vel ordinatum est. Postquam autem divina clementia nos invicem tanti viri Archiepiscopali dignitate substituit, communicato fidelium Christi consilio, volente quoque & consentiente eodem Ottone, cuncta quæ possederat tam in suis quàm in exteris locis ad prædictum locum qui vocatur Gratia Dei, attitulata & contradita sunt, ut in usus Fratrum ibidem Deo regulariter servientium in perpetuum maneant, & nos Castrum, quod dicitur *Reveninge*, cum redditibus VII. talentorum in consilio & consensu Præpositi, & Fratrum prædicti loci & ejus utilitate, liberi quoque in cambio pro supradicto loco qui dicitur Gratia Dei, quæ de pertinentiis erat Ecclesiæ nostræ, cum omnibus illius appendiciis, volente Ottone, nobis & Ecclesiæ nostræ retinuimus, ea videlicet ratione ut nullus Archiepiscopus idem Castrum alicui in beneficia præstet, nisi & consilio & consensu Præpositi, & Fratrum prædicti loci & ejus utilitate, liberi quoque sicut & ministeriales cum suis beneficiis ad nos, & ad successores nostros recipiant. Prædictæ verò Canoniæ Præpositum donamus libertatis privilegio, ut nullius expeditionis aut alterius servitii incommoda exactione gravetur. Si verò consilia Sanctorum Patrum aguntur, vocatus adveniat, & debitum honorem & reverentiam Episcopo jubeat, Canonici autem, defuncto Patre, alterius professionis Clericum non cogantur accipere, sed quem in ipsa Canonica vita probatum, moribus exornatum, prospexerint, liberè & concorditer eligant, & sibi Præpositum efficiant. Quòd si in eligendo Præposito vota partium se diviserint, aliis alium clamantibus, sanior pars, favente gratiâ Episcopi quem elegerit, obtineat. Statuimus igitur & authoritate Apostolorum Petri & Pauli Venerabilis Papæ Innocentii * & Prædecessoris nostri Norberti & nostrâ sancimus ut nulla Ecclesiastica secularisve persona locum, aut Fratres vel omnia eis pertinentia, inquietare, vel molestare audeat, sed ipsi liberè & quietè, Deo serviant, & tam in mancipiis quàm in terris cultis & incultis, agris, vineis, pratis, pascuis, sylvis, aquis, aquarumve discursibus, piscationibus, molendinis, mobilibus & immobilibus, vel si quid aliud dici potest, liberam habeant facultatem in proprios usus convertendi, vel etiam si voluerint commutandi. Et ut hæc nostri scripti pagina firma & inconvulsa permaneat, sigilli nostri impressione eam roborare curavimus. Si quis autem hujus confirmationis & privilegii transgressor extiterit, & eosdem Fratres inquietare, seu bona eorum alienare tentaverit, Corporis & Sanguinis Domini nostri Jesu Christi se reum ille & & anathematisatum noverit, qui verò observaverit pio intuitu, benedictionem & peccatorum remissionem à Domino consequatur. Hujus autem nostræ sanctionis hi sunt idonei testes nostræ Ecclesiæ suffraganei (*a*) videlicet Udo, Cizensis Episcopus, (*b*) Meyngottus (*c*) Merseburg. Episcopus. Anselmus Havelberg. Episcopus, Godeboldus Misnensis Episcopus. Ludolfus Brandeburg. Episcopus. Arnoldus (*d*) Abbas de Monte: Canonici sancti Mauritii Frithericus Præpositus. Gezo Decanus. Fridericus Præpositus de Bivera. Bodo Scholasticus. Gerhardus Cellerarius. Theodoricus...

* Conradus ex Nobilioribus Saxoniæ oriundus patre Gebehardo de *Querfort* nepote Lotharii Imperatoris, matre Oda filia Thietmari Comitis cõsobrini Henrici Regis moritur, anno Domini 1142. 6 non. Maii, post 7 annorum 10. dierum regimen Palliũ ab Innocentio 2°. habuerat.

* II.

(*a*) Olim Brandeburgensis, & Haverburgensis Episcopi suffraganei Moguntini Archiepiscopi erant. Sed ab Ottone I. Episcopatu Magdeburgensi ad Archiepiscopatûs dignitatem exaltato, Hatto Moguntini Archiepiscopus diplomate suo cessit eos Episcopatui Magdeburgensi, & adjecit Imperator Episcopatus Citizensem, Merseburgensem, Misnensem; quæ confirmata sunt a Joanne XIII.

(*b*) Filius Comitis Ludovici *Springers* de Turingia electus anno 1126 mortuus anno 1148. ab Oriente redeundo. De eo narratur quod fuerit eloquens, sobrius, castus, liberalis & sapiens.

(*c*) Anno 1126 Electus a Sto Norberto inauguratus.

(*d*) Magnæ fuit authoritatis Arnoldus apud summi Templi Canonicos; ideòque forsan nomen suum apposuit ante Præpositum & Decanum. Cum defuncto Rotgero novus eligendus esset Archiepiscopus, & plerique Conradum Gerardi F. Dynastam Questurtensem Canonicum primariæ Ædis designarent, Arnoldus pertracto in sententiam suam Præposito Friderico, electionem impedivit, prætendens illum qui Subdiaconus esset, nec posse nec debere eligi, idem suâ authoritate effecit ut vacante iterum post mortem Friderici Archiepiscopatu, Wigmannus Bavarus in Cathedram Magdeburgensem collocaretur. Chron. monast. *Bergens*. apud Meib. Tom. 3. pag. 298.

Lambertus Præpositus Hallensis, Wikerus Præpositus sanctæ Mariæ Magdal. reliquo clero annuente & consentiente. Principes: Henricus Marchio & Advocatus. Conradus Marchio. Adelbertus Marchio. Retrardus Comes, Rutolfus Comes; Fritthericus Comes Palatinus. Nobiles: Luthewicus, Burchardus, Lambertus. Ministeriales: Hathamarus, Rodulfus, Suitherus, Richardus, Sifridus. Data quarta Nonas Martii apud Canonicum sanctæ Mariæ Dei Genitricis Halle, quæ dicitur novum opus à venerabili Conrado Magd. Archiepiscopo, præsentibus..... Havelburgensi Episcopo. Hallensi Præposito venerando Lamberto, ex Gratia Dei Præposito primo, Religioso Evermundo cum aliis pluribus. Anno Dominicæ Incarnationis MCXXXV. Indictione XIII. præsidente sanctæ universali Romanæ Ecclesiæ Innocentio secundo Papâ. Regnante Luthario tertio.

Bulla Innocentii II. Canonicorum Præmonstratensium institutionem in Gratia-Dei, *eisque omnia bona concessa confirmantis. Anno 1138.*

INnocentius Episcopus Servus Servorum Dei dilecto Filio Henrico Præposito Ecclesiæ quæ Gratia Dei dicitur, ejusque Fratribus tam præsentibus quàm futuris in perpetuam memoriam. Pius votis assensum præbere, & Religiosos viros in suis postulationibus exaudire nos convenit, qui quantò flagitiores sumus, tantò magis eorum orationibus...... nec dubium quod si eorum petitionibus clementer annuimus, nostris opportunitatibus omnipotentem Dominum propitiatum reperimus. Quamobrem, dilecti in Domino Filii, vestris desideriis annuentes Ecclesiam quæ Gratia Dei dicitur, in qua divino vacatis officio, Apostolicæ sedis privilegio communimus. Statuentes ut Ordo Canonicus, qui secundùm B. Augustini Regulam, & formam traditam à Fratre nostro bonæ memoriæ Norberto Magdeburgensi Archiepiscopo, ibi est institutus, in eadem Ecclesia futuris temporibus inviolabiliter conservetur. Sancimus etiam ut nulli Fratrum post factam in vestra Ecclesia professionem absque Prælati, & Fratrum licentia ad alium locum liceat transmigrare, discedentem quoque nullus audeat retinere. Qui etiam à Prælato suo, secundò tertiòve commonitus, si redire noluerit, Canonicam in eum sententiam proferendi Præpositus, qui pro tempore fuerit, habeat facultatem. Quia verò Fratres, communi vita viventes, debent aliorum eleëmosynis & beneficentiis sustentari; simili modo decernimus, ut de laboribus quos propriis manibus vel sumptibus colitis, vel etiam de nutrimentis vestris, nullus à vobis decimas exigere audeat, nec ad eas persolvendas vos quandoque compellat. Adjicimus etiam ut universa bona, quæ vobis à Præfato Fratre nostro Norberto Archiepiscopo vobis concessa sunt, & à venerabili viro Conrado successore ejus scripto firmata, quæcunque etiam in præsentiarum justè & canonicè possidetis, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, Deo propitio, poteritis adipisci, firma vobis in perpetuum & illibata permaneant. Obeunte verò, te, nunc ejusdem loci Præposito, vel tuorum quolibet successorum, nullus eidem loco qualibet subreptionis astutia vel violentia præponatur, nisi quem Fratres cōmuni assensu aut Fratrum pars consilii sanioris, secundùm Dei timorem & B. Augustini Regulam, sibi elegerint, qui etiam alterius professionis Clericū in Patrem vel Prælatum suscipere non cogantur, sed potiùs quem ipsa Canonica vita probatum moribus & scientia idoneum indicaverint, liberè & concorditer eligant, sibique per se Præpositum faciant. Idem autem Præpositus hujuscemodi libertatis privilegio collato sibi à venerabili Fratre nostro Conrado Archiepiscopo gaudeat, ut nullius videlicet expeditionis, vel alterius servitii obtentu à Pastore Magdeburg. Ecclesiæ incommoda exactione gravetur. Si verò Concilia Sanctorum Patrum aguntur, vocatus adveniat & debitum honorem & reverentiam Archiepiscopo exhibeat. Nulli ergo omninò hominum fas sit eandem Ecclesiam temerè perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, vel aliquibus vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur, eorum pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt, usibus omnimodò profutura. Si quis autem imposterum huic nostræ constitutioni contraire tentaverit, secundò, tertiòve commonitus, nisi reatum suum congruâ satisfactione correxerit, omnipotentis Dei & BB. Petri & Pauli Apostolorum ejus indignationem incurrat, & excommunicationi subjaceat; conservantibus autem eidem loco quæ sua sunt, sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenùs & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Amen. Amen.

Ego Innocentius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

L. S. Data Laterani per manum Lucæ Presbyteri Cardinalis agentis vicem Domini Almerici sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconi Cardinalis & Cancellarii. VI. Idus Decembris, Indictione primâ, Incarnationis Dominicæ anno MCXXXVIII. Pontificatûs verò Domini Innocentii P. Papæ anno VIII.

Charta Conradi II. Imperatoris quâ ad petitionem Marchionis Adalberti; Hermanni de Severtz, *& Henrici Præpositi de* Gratia-Dei *Concambium villæ* Curouve, *suâ authoritate corroboravit, anno 1147.*

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Conradus, divinâ favente clementiâ, Romanorum Rex secundus. Notum sit omnibus fidelibus tam præsentibus quàm futuris, qualiter nos petitione fidelium nostrorum Marchionis Adalberti, & hominis sui de *Severtz* nec non & Præpositi Henrici de Gratia Dei & Fratrum ejus inducti, villam *Curouve* cum omnibus suis appendiciis, agris scilicet, pratis, sylvis, aquis, aquarumve decursibus, & cum omni demùm utilitate quæ in præsenti inde haberi vel in futuro inde elici potest, sub concambio infrà descripto, ad usus Fratrum in prædicto loco Deo servientium legitimâ donatione contradidimus, reditus enim quos iidem Fratres in tribus villis habebant, in villa scilicet *Kletouve*, talentum unum & triginta denarios, *Adelheresdorf* octo solidos, *Cornbeche* sex solidos, ab iis in servientium & in proprietatem Regni suscepimus, eò videlicet pacto, ut eosdem reditus à Marchione Adalberto prædictus Hermannus beneficiali jure possideat. Hoc autem concambii nostri statum regia authoritate & præsentis privilegii contestatione insignitum corroboravimus. Testes quoque in quorum præsentia hæc acta sunt, subter annotari fecimus, quorum nomina hæc sunt: Henricus Moghuntinus Archiepiscopus; Anselinus Habelbergensis Episcopus; Adolphus Fuldensis Abbas; Wibotius Corbeiensis Abbas, Henricus Herveldensis Abbas, Conradus Hildesheimensis Præ-

positus, Hermannus Palatinus Comes, Ludwicus Comes Provincialis Turingiæ, Sizo Comes, Ernestus & frater ejus Lambertus Comites, Alicho *Buenstat*. Signum Domini Conradi Romanorum Regis secundi.

Charta Alberti Archiepiscopi Magdeburgensis consecrantis Capellam S. Joannis *in* Gratia-Dei *sub Henrico Præposito. Anno 1207.*

ALbertus Dei gratiâ sanctæ Magdeburgensis Ecclesiæ Archiepiscopus. Cùm possimus tutò dicere cum Propheta: *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est*, si evadere volumus incolatûs hujus ærumnas, Domino adjuvante, oportet nos faciem miserationis divinæ misericordiæ operibus prævenire, quia ut de exilio veniamus ad patriam, nec est currentis, nec volentis, sed Dei potiùs miserentis, propterea notum fieri volumus omnibus tam præsentibus quàm futuris, quod cum nos circà initia promotionis nostræ de Romana curia venissemus, pontificalis officii plenitudine ab Apostolica sede recepta, invenimus apud Gratiam Dei Kapellam quandam de novo ante fores monasterii consecrandam, quam Bernhardus Prior loci ejusdem de laboribus suis & eleëmosynis fidelium construxerat, & à nobis humiliter consecrari petivit, consecravimus igitur eam in honorem B. Dei Genitricis, & S. Johannis Apostoli & Evangelistæ, Patroni nostri, & in venerationem ejusdem Apostoli, & propter primitias consecrationis ejusdem, quemadmodum ibi exorsi sunt, talentum unum eidem Kapellæ Magdeb. dedimus & assignari fecimus in moneta, de quo quinque solidi ad luminaria impendentur, de xv. solidis in anniversario Dedicationis ejusdem Fratribus in refectorio servietur, qui eadem die divinum officium in ipsa Kapella solemniter celebrabit, & habebit cum devotione nostri memoriam apud Deum. Quæ donatio ut futuris temporibus maneat inconcussa, præsenti eam autentico sub interminatione anathematis confirmamus, adhibitis testibus, quorum nomina sunt hæc Heidenricus Præpositus ejusdem loci, Rodulfus Præpositus S. Mauritii in Halle. Wilhelmus Præpositus in Cillen. Bernhardus Notarius. Wichmannus Canonicus S. Mariæ, Magister Gernandus Canonicus S. Mauritii in Magdeb. Heindericus, Ludolfus, Gerbertus Kapellani Curiæ nostræ, Gerbertus Advocatus de Magdeburg. Bertholdus Pincera, Heidenricus de Dodendorp, & alii plures tam clerici quam laïci. Actum anno Dominicæ Incarnationis MCCVII. *(a)*

Statutum Capituli de Gratia Dei *pro celebratione festi Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis. Anno 1415.*

NOs Henningus divino favore Præpositus monasterii *Godisgnad*, protestamur dilucidè coram omnibus litteram præsentem legentibus & audituris. Quatenùs nos cum consensu Conradi nostri Prioris, & totius nostri Capituli unanimiter, concorditer, & irrevocabiliter statuimus festum Beatæ *(b)* Conceptionis Mariæ solemniter in jubilo, & devotè celebrari, historiamque, *Deus ante luciferum, &c.* cantando & circuitas stationes in Capella & in monasterio servando. Insuper nos Henningus Præpositus, de consensu Capituli irrevocabiliter decernimus & statuimus primâ die feriâ post festum S. Urbani usque in diem nostræ mortis, sed cùm dies nostræ mortis venerit, isto die memorita præfata annuatim ob animæ nostræ & omniqm quorum interest, vel interesrit, salutem peragetur. In festo sanctæ Conceptionis Mariæ, Dominus Præpositus qui pro tempore fuerit omnibus Conventualibus largam in cibo & potu secundùm antiquam consuetudinem præparet in Refectorio administrationem. Et nos Henningus Præpositus quoniam addimus labori laborem, meritò etiam addamus, refectioni refectionem. Igitur volumus irrevocabiliter, quod, quicunque fuerit Cantor nostræ Ecclesiæ, distribuet IV. Rinenses florenos, ita quòd Præpositus, qui pro tempore fuerit, recipiet duplicem portionem, si in festo in choro præsens fuit, Dominus Prior alteram partem mediam, Cantor alteram partem mediam, pueri & conversi mediam portionem, Organizanti solidum denarium. Quicunque extraneorum Collegiatorum nostrorum ad festum sanctæ Conceptionis Mariæ seu ad anniversarii diem advenerit, & laboribus præmissis interfuit, percipiet portionem. In nostro anniversario Cantor nostræ Ecclesiæ qui pro tempore fuerit, IV. Rinense. florenos distribuat Præposito, Priori, totisque Conventualibus ut præmittitur de festo sanctæ Conceptionis Mariæ, saltem si in Vigilia fuerint & in Missa. Custos nostræ Ecclesiæ unum Rinens. recipiet florenum. Hos novem florenos scilicet IV. ad festum Conceptionis, & IV. ad nostram memoriam anniversariam, unum quem Custos accipiet nostræ Ecclesiæ, Cantor, qui pro tempore fuerit, de Lobio antiquæ Civitatis Magdeburg. quolibet anno, festo S. Martini recipiet, quos nos Henningus Præpositus pro ducentis Rinensibus florenis à Consulibus & Unionum Magistris justo emptionis titulo comparavimus, & ad præscriptum festum S. Conceptionis, & ad nostram anniversariam memoriam liberè nostris Conventualibus, ut præfertur, assignavimus, litteram verò Civitatis Magdeburg. antiquæ super redditus novem florenorum annuos confectam & sigillatam, Capitularibus nostris deliberatione maturâ & voluntate bonâ præsentavimus, nunquam repetendam, sed in veram & puram possessionem horum redditDuum introducendo, etiam quicunque in futurum Præpositus efficitur, ab anathemate nihil juris vel contradictionis hujus donationis sibi usurpare debit. Insuper si continget redemptio hujus annui census secundùm tenorem litteræ Civitatis Magdeburg. Dominus Prior & Seniores cum Cantore recipiant ducentos florenos, & consilio Capituli alios census annuos cum omnium diligentia & fidelitate emant ad festum Conceptionis & anniversarii memoriam, ut præmissum, sine omnium fraude, distribuant. Ne igitur aliquis hujus paginæ contradictio oriatur, sed firmè servetur, nostræ Præposituræ sigillum duximus appendendum. Et nos Conradus Prior totumque Capitulum in omnium ratificationem præmissorum præsentem litteram nostri Capituli sigillo curavimus roborandam. Datum anno Domini MCCCCXV. ipso die sancti Andreæ Apostoli gloriosi.

(a) Hoc diplomate erroris convincitur Magdeburgensis Chronici author apud Maibonium Tom. I. pag. 329. qui Albertum anno 1209 Archiepiscopatum adiisse tantum asserit, cui post 28 annos regiminis exactos, Burchardum successorem ann. 1233. sufficit.

(b) Cum anno duntaxat 1518. festum Conceptionis Beatæ Mariæ celebrari decreverit Capitulum generale Ordinis, mirum est Henningum Præpositum Gratiæ Dei privatâ authoritate hoc festum anno 1415. in suam Canoniam invexisse, sed mirum magis quòd in præjudicium paupertatis Religiosæ ad celebrationem hujus Solemnitatis suos pellexerit Canonicos in spem pecuniariæ solutionis præsentibus numerandæ.

Charta Lietardi Cameracensis Episcopi, quâ Præmonstratenses in possessionem Grimbergensis *Abbatiæ immittit. Anno 1132.*

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Liethardus Dei gratiâ Cameracensium Episcopus tam futuris, quàm præsentibus in perpetuum. Divinâ testante scripturâ quæ ait: ante mortem tuam benefac, quoniam non est apud inferos invenire cibum; ad benè agendum invitamur. Providendum nobis est, ne de nostra tarditate post mortem adjudicemur. Ecclesiam igitur Grimbergensem in honore sanctæ Dei Genitricis Mariæ, & sancti Petri Apostolorum Principis sitam, exaltare & nobilitare decrevimus, & qualiter ad nos à prædecessoribus nostris emancipata pervenerit, subnotare censuimus; cùm enim præfatam Ecclesiam Gualterus quidam Nobilis, quia in allodio suo sita erat, teneret, Dominus Odo prædecessor noster, petitione ipsius Gualteri & redditione eandem Ecclesiam ab omni laïca manu & exactione aliqua & debitis obsoniis ad usum Canonicorum secundùm Regulam B. Augustini viventium, primò emancipavit: succedentibus verò temporibus, cum illi nihil profecissent, & penitùs Ecclesiam in nihilum redactam reliquissent, iterùm petitione ejusdem prædicti Gualteri monachorum Ordinem sub eadem libertate ibidem imposuit, sed & illi persecutiones malefactorum & paupertatem sustinere non valentes, iterùm desolatam reliquerunt, novissimè verò defuncto Gualtero, hæredesque ejus, videlicet Gerardus & Arnulphus, quia patris & matris & parentum eorum ibidem ossa requiescebant, desolationem Ecclesiæ non ferentes petierunt à Domino Norberto viro spectabilis religionis, per legatum suum hominem quemdam Alvaricum nomine, ut suæ Religionis Fratres in præfata Ecclesia poneret. Ipse verò tandem petitionibus eorum acquievit, & Fratres ibidem impositi sub tutela Abbatis & Fratrum Præmonstratæ Ecclesiæ per aliquot tempus commorantes, & de die in diem adjutrice gratiâ in meliùs pro sua paupertate & proposito proficientes, à nobis & Abbatem, & præfatam libertatem innovari petierunt; nos verò justis eorum petitionibus annuimus, sic videlicet ut libera esset ab omni servitio & à cæterarum consuetudine Ecclesiarum, ab omni prorsùs exactione Episcopi, Archidiaconi & Decani; his autem Ecclesiæ concessis, Ecclesiæ Cameracensi, hoc solum de illa habendum retinui, Ordinationem Fratrum & filialem subjectionem loci, & siquidem secundùm ordinem & tenorem Præmonstratæ Ecclesiæ à qua descendit Religio, Abbatem canonicè elegerint, vel ejusdem Præpositum, Ego & successores mei sacrent, vel ubi petitione Fratrum & necessitate idonea cogente eum sacrari permiserint; si quid etiam in consiliis in Synodo de jure, & negotiis & utilitatibus Ecclesiasticis tractare contigerit Episcopum, de quiete sua Abbas evocetur ad ejus dirigendum consilium. Ipsemet verò Abbas Parochiam cuilibet Sacerdoti boni testimonii committat, quem Episcopo per se, vel per unum de suis Fratribus ad suscipiendam populi curam præsentet, qui si peccaverit, vel Fratribus in aliquo molestus fuerit, sicut ab Episcopo vel ministris ejus, sic ab Abbate removeatur vel corripiatur; concedo etiam, ut si imbannitur terra, remotis excommunicatis, hæc cantet Ecclesia, clausis janvis. Interdico autem, ne quemquam à prædicto Ecclesiæ claustro, sine permissione Abbatis & assensu totius Congregationis liceat discedere: discedentem verò nullus audeat recipere. Bona etiam & possessiones quas justè & legitimè prædicta Ecclesia possidet ad usus Canonicorum Regularium ibidem Deo servientium præsentis scripti paginâ confirmamus. Altare videlicet *Vuamblinis* cum appenditiis suis, *Barchehem*, *Radelegem*, & *Ramesdum*, Altare de *Meyse* cum appenditiis suis *Opehem* & *Rode*, Altare de *Strombeke* & decem & octo mansos terræ, è quibus prædictus Gualterus sex dedit, Gerardus filius suus unum, Alvericus tertius filius suus, Reinerus duos, & quod superest & antiquitùs possidet Ecclesia; quæcumque præterea justè adipisci poterit, firma & illibata illi conserventur. Ad arcendas igitur quorumlibet importunitates, data conservatoribus pace, in prævaricatores quoad resipuerint, excommunicationis sententiam proferimus atque Canonicâ subsignatione, nostrâque subsignatione hujus nostri Decreti paginam confirmamus. *S.* Mei ipsius Liethardi Episcopi. *SS.* Joannis, Theodorici, Alardi Theodorici, Gerardi, Archidiaconorum, *SS.* Elebaldi Præpositi, Gilardi Decani, Rothberti Cantoris, Guidonis, Hugonis, Vuerimbaldi, Lantberti, Adam, Bartholomei, Canonicorum. Actum est hoc Cameraci, anno Incarnationis Domini 1132. Indictione x.

Ego Vuerimbaldus Cancellarius scripsi & recognovi.

Diploma Eugenii Papæ III. quo confirmantur fundatio & bona Ecclesiæ Grimbergensis. *Anno 1147.*

EUgenius Episcopus Servus Servorum Dei, dilectis Filiis Humberto Abbati Grimbergensi ejusque Fratibus tam præsentibus quàm futuris, regularem vitam professis in perpetuum. Religiosis desideriis dignum est facilem præbere consensum; ut fidelis devotio celerem sortiatur effectum, quocirca, dilecti in Domino Filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & præfatum locum, in quo divino mancipati estis obsequio sub Beati Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus; statuentes ut quascumque possessiones, quæcumque bona in præsentiarum justè & canonicè possidetis, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum aut Principum, seu oblatione fidelium, seu aliis justis modis, Deo propitio poteritis adipisci, firma vobis, vestrisque successoribus & illibata permaneant, in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Altare videlicet de *Vuamblinis* cum appenditiis suis, *Berchem*, *Radelegem*, & *Ramesdunck*, altare de *Strumbeca*. Vualterus qui dicebatur magnus, quindecim mansos Grimbergensi Ecclesiæ dedit. Gerardus filius suus, unum: Alvericus & filius suus Reinerus duos & curiam de *Everchem*, Adeloia venerabilis Vidua, allodium in *Kerberghe* cum decima & quatuor solidos in *Vicele*, & terram quæ *Bochult* cognominata est, & dimidium molendinum in *Grimberghen* præfatæ Ecclesiæ tradidit. Gualterus Bertholdus cum hæredibus suis Gerardo & Vualtero de *Eme* terram in *Steelo* & piscaturam dederunt. Volfundis particulam terræ *Borolengem*, præfatæ Ecclesiæ, mansum verò unum in *Amelrengem Strumbegensi* Ecclesiæ dedit. Lambertus de *Ossele*, vir liberalis, seipsum & allodium suum & mancipia sua devotus obtulit. Otto de *Lenve* & cohæredes sui octavam partem quam possederant in *Macha*. Hugo & *Adanghem* nonam partem decimæ suæ in *Herne*. Vualterus de *Galmarden* duos mansos in veteri *Aingem* Commemoratæ Ecclesiæ obtulerunt: Willelmus & fratres sui cum sorore sua Bescela, mansum unum in *Adelegem*. Berta verò & filius ejus Hilis terram suam in

Berthem, & partem molendini dederunt. Gozoinus vir Nobilis de *Velſeka* dimidium manſum in *Beſengem* huic Eccleſiæ dedit. Godefridus Dux junior duos manſos & dimidium in *Oſſelle* cum ſylva liberè conceſſit. Pater autem ejus locum molendini ſuper *Strumbeccam*, præfatæ Eccleſiæ obtulit. Sanè laborum veſtrorum quos propriis manibus aut ſumptibus colitis, ſeu de nutrimentis veſtrorum animalium, nullus à vobis decimas exigere præſumat. Decernimus ergo, ut nulli omninò hominum liceat præfatum locum temerè perturbare, aut ejus poſſeſſiones auferre, aut ablatas retinere, minuere, aut aliquibus vexationibus fatigare, ſed omnia integrè conſerventur, eorum pro quorum gubernatione & ſuſtentatione conceſſa ſunt, uſibus omnimodis profutura, ſalvâ ſedis Apoſtolicæ authoritate; & Diœceſanorum Epiſcoporum Canonicâ reverentiâ. Si qua igitur in futurum Eccleſiaſtica, ſæculariſve perſona hanc noſtræ Conſtitutionis paginam ſciens contra eam temerè venire tentaverit, ſecundò, tertiòve commonita, ſi non ſatisfactione congruâ emendaverit, poteſtatis honoriſque ſui dignitate careat reamque ſe divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & à ſacratiſſimo Corpore & Sanguine Dei & Domini noſtri Jeſu Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine diſtrictæ ultioni ſubjaceat. Cunctis autem eidem loco juſta ſervantibus, ſit pax Domini noſtri Jeſu Chriſti, quatenùs & hic fructum bonæ actionis percipiant, & in futuro præmia æternæ pacis inveniant Amen. Datum Pariſiis, VII. Nonas Maii, Incarnationis Dominicæ MCXLVII. Pontificatûs verò noſtri anno III.

Bulla Alexandri Papæ III. bonorum Grimbergæ *confirmativa. Anno 1179.*

ALexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis Filiis Egeberto Grimbergenſi Abbati, ejuſque Fratribus tam præſentibus quàm futuris regularem vitam profeſſis, in perpetuum. Religioſam vitam eligentibus Apoſtolicum convenit adeſſe præſidium, ne fortè cujuſlibet temeritatis incurſus, aut eos à propoſito revocet, aut robur, quod abſit, ſacræ religionis infringat. Ea propter, dilecti in Domino Filii, veſtris juſtis poſtulationibus clementer annuimus, & Patris ac Prædeceſſoris noſtri ſanctæ recordationis Eugenii Papæ veſtigiis inhærentes, præfatum monaſterium, in quo divino mancipati eſtis obſequio, ſub B. Petri & noſtra protectione ſuſcipimus, & præſentis ſcripti privilegio communimus. Statuentes ut quaſcunque poſſeſſiones, quæcumque bona in præſentiarum eadem Eccleſia juſtè & canonicè poſſidet, aut in futurum, conceſſione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, ſeu aliis juſtis modis, propitiante Domino, poterit adipiſci, firma vobis, veſtriſque ſucceſſoribus, & illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. *Vuambluus* cum appenditiis ſuis *Berchem*, *Radelegem*, *Rameſdunck*. Altare de *Menſce* cum appenditiis ſuis *Obhem*, & *Rode*. Altare de *Strumbecca* & quidquid habetis in *Hembecca*. Eccleſiam de *Amelrenghem*, & quidquid juris habetis in villa illius loci. Curiam in *Novo-Sarto*, cum omnibus quæ habetis in Parochia de *Vuolverthem*. Eccleſiam de *Ruſchebruc* in uſus Sororum veſtrarum. Terram de *Figengem*, & quidquid habetis *Kien*, in *Rumureſta*, in *Lanclar*, in *Hoven*, in *Marſchenhoven*, in ſuperiori *Hembecca*. Altare de *Grimbergis*, cum omnibus quæ in eadem villa habetis, & animalibus veſtris, in agris paſcualibus, liberam ejuſdem villæ paſcendi concedimus facultatem, & quindecim manſos, quos donavit Eccleſiæ veſtræ magnus Vualterus in *Grimbergis*, & Guardus filius ejus unum, Alvericus & filius ſuus Reimarus duos, curiam de *Everchem*. Adelina Nobilis Vidua allodium quod habebat in *Kerberga* cum decima & quatuor ſolidos in *Vuela*, & terram quæ *Rocholt* cognominata eſt, & dimidium molendinum in *Grimbergis* præfatæ Eccleſiæ tradidit. Vualterus *Berthold* cum cohæredibus ſuis Giraldo & Gualtero de *Eſna*, terram & piſcatarum in *Steila* prædictæ Eccleſiæ dederunt. Folſuendis particulam terræ in *Botslgen* eidem Eccleſiæ dedit. Manſum verò unum in *Amelvengem Strumbegenſi* Eccleſiæ dedit. Lambertus de *Oſſele* ſeipſum & allodium ſuum & mancipia ſua devotus obtulit. Goſvinus Nobilis vir de *Velſeca* dimidium manſum in *Beſenghem* eidem Eccleſiæ dedit; Godefridus Dux junior duos manſos & dimidium in *Oſſela* cum ſylva Eccleſiæ veſtræ dedit; pater autem ejus locum molendini ſuper *Strumbeccam* præfatæ Eccleſiæ obtulit. Otto de *Lewva* & cohæredes ſui octavam partem quam poſſederant in *Marco*, Eccleſiæ veſtræ dederunt. Hugo *Hoienghem* nonam partem decimæ ſuæ in *Herna*, Vualterus de *Galmardem* duos manſos in *Haunghem* præfatæ Eccleſiæ dedit. Villelmus & fratres ſui cum ſorore ſua Beſcela, manſum unum in *Alenghem*; Bertha verò & filius ejus Hilis terram ſuam in *Berchem*, & partem molendini Grimbergenſi Eccleſiæ dederunt. Sanè novalium veſtrorum quæ propriis manibus aut ſumptibus colitis, ſeu de nutrimentis veſtrorum animalium, nullus à vobis decimas exigere vel extorquere præſumat. Cùm autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis, clauſis januis, excluſis excommunicatis & interdictis, non pulſatis campanis, ſuppreſſâ voce, divina officia celebrare, liceat quoque vobis clericos vel laïcos è ſæculo fugientes liberos & abſolutos ad converſionem recipere, & eos ſine contradictione aliqua retinere. Prohibemus inſuper, ut nulli Fratrum liceat poſt factam in eodem loco profeſſionem, diſcedere, niſi obtentu arctioris Religionis; diſcedentem verò abſque communium litterarum cautione, nullus audeat retinere. Sepulturam quoque loci illius liberam eſſe concedimus, ut eorum devotioni & extremæ voluntati, qui ſe illic ſepeliri deliberaverint, niſi fortè excommunicati ſint, vel interdicti, nullus obſiſtat: ſalvâ tamen juſtitiâ Parochialium Eccleſiarum à quibus mortuorum corpora ſumuntur. Decrevimus ergo ut nulli omninò hominum, &c. Si qua igitur, &c. Datum Signiæ VII. Idus Septembris, Incarnationis Dominicæ anno MCLXXIX. Pontificatûs noſtri anno XX.

Charta Alardi Cameracenſis Epiſcopi, quâ Eccleſiam de Ruisbroeck *tradit Grimbergenſibus. Anno 1177.*

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ego Alardus Dei gratiâ Cameracenſis Epiſcopus tam præſentibus quàm futuris in perpetuum. Quoniam quæ canonicè & legitimè aguntur, longo temporis interveniente ſpatio, quantociens oblivionis nebulâ memoria hominum ſoleant evaneſcere, quæ legitimè à nobis acta ſunt, ſcripto annotare, & ſigilli noſtri impreſſione confirmare duximus neceſſarium. Sciant igitur tam præſentes quàm poſteri nos altare de *Ruſchebroec* ad honorem S. Dei Genitricis Mariæ, ſanctique Joannis Evangeliſtæ, Eccleſiæ de *Novo-Sarto* in uſus Sororum ibidem Deo ſervientium, ſub idoneis teſtibus donaſſe, ſalvo jure Epiſcopali, & idipſum præſenti paginâ confirmaſſe.

Testes *SS.* Joannis Cantoris, Ulrici, Goberti, Canonicorum sanctæ Mariæ. *SS.* Wolcheri, Gaufridi Canonicorum S. Gaugerici. *S.* Henrici Decani Bruxellensis. *S.* Villelmi Decani Mechliniensis. *S.* Iveri, *S.* Balduini. *S.* Everardi Personarum. *S.* Gualteri. *S.* Gosvini Presbyterorum. Actum anno Incarnationis Dominicæ MCLXXVII. Episcopatûs Alardi primo. *(a)*

Diploma Nicolai Cameracensis Episcopi, quo bona & possessiones universas Ecclesiæ Grimbergentis *confirmat. Anno 1155.*

SIcut pii Pastoris officium est ovibus suis pabula ministrare, sic nimirum astuti Pastoris sollicitudo, ne oves sibi creditæ à lupis invadantur & distrahantur sedulo debet invigilare: inde est quod & nos, tam animarum quam corporum, pro modulo nostro curam gerentes, quæ & quanta oviculis nostris, dicimus autem Fratribus Grimbergensibus, à nobis seu à prædecessoribus nostris, sanctæ Cameracensis sedis Pontificibus, sive à Grimbergensis Ecclesiæ Principibus, vel à cæteris devotis Christicolis, usque ad tempora nostra religiosâ devotione collata sunt, sigilli nostri authoritate cupimus innovare; & innovata in perpetuum integra conservare.

In Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ego Nicolaus Dei gratiâ Cameracensis Episcopus tam præsentibus, quàm futuris in perpetuum. Sciant tam præsentes quam post futuri, nos altare de *Amelrengem* ad honorem S. Petri Apostolorum Principis Ecclesiæ Grimbergensi sub idoneis testibus donasse; & in perpetuum præsenti paginâ confirmasse. Testes *S.* Theodorici Præpositi & Archidiaconi. *S.* Radulphi Archidiaconi. *S.* Wilhelmi Decani. Actum anno Incarnationis Dominicæ MCLV. Episcopatûs Domini Nicolai XXI. Dominus Odo piæ memoriæ prædecessor meus dedit Ecclesiæ Grimbergensi, subscripta altaria, videlicet *Vuambelinus*, *Radeslengem*, *Berthem*, *Ramesdum*, *Menza*, *Ophem*, *Rode*, *Strumberges* quæ & nos quoque benignè concedimus, & orationibus Fratrum pro hoc benefacto animam nostram commendamus. Dominus autem Walterus *Dravoekenbart* Fundator Ecclesiæ Grimbergensis, dedit eidem Ecclesiæ in eadem villa in dotis nomine, sex mansos: Gerardus filius ejus unum, qui, quia pro diversitate locorum diversa sortiuntur nomina, eorum vocabula sic à nobis & ab incolis distinguntur, ad atrium duo, ad *Spreet* tres, ad vadum suum *Strumbec* unus, in *Heienbec* unus; præterea prædictus piæ memoriæ Walterus dedit antenominatæ Ecclesiæ extra eandem villam allodii sui non modicam quantitatem, quam hic exprimimus. In *Ghela* sex bunneria terræ, in *Oncla* mansum unum, in *Berlar* tres, in *Sulla* sex bunneria terræ. In *Meramer* de terra Reizonis sextarium siliginis, sextarium ordei, duo sextaria avenæ mensura Rumestensi, & denarium & capponem, in *Langlar* duos mansos. In *Hofs* unum. In *Linthout* novem buneria terræ, in *Marchtines* sex. Ad *Hamme* duo, in *Varendune* mansum unum. Anno ab Incarnationis Domini MCXLIX. Walterus de *Meldbruc* vir ingenuus, & cohæredes sui totum allodium suum quod habuerunt in *Hembec* liberâ & legitimâ donatione sub liberorum & legitimorum testium adstipulatione Ecclesiæ Grimbergensi dederunt; quorum nomina sunt: Walterus, Berthold, Gerardus frater ejus, Advocati ejus Ecclesiæ Walterus & Rabbodo de *Craunhem*, Gerardus de *Wolverhem* & alii multi. Anno verò Incarnationis Dominicæ Walterus de *Craparsunt*, frater uxoris præfati Walteri de *Meldbruc* qui & ipse vir ingenuus totum allodium suum quod possederat in *Amelrengem* cum omnibus cohæredibus suis præfatæ Ecclesiæ super altare liberè & legitimè sicut mos est, sub legitimarum personarum testimonio dedit, quorum nomina sunt hæc: Walterus Berthord & Gerardus Advocati supradictæ Ecclesiæ, Walterus, Antonius, & Arnoldus de *Meldbruc*, Walterus & Rabbado de *Craunhem*, Gerardus de *Wolturhem*, Alardus de *Berghem*, Gerardus de *Menza* & alii quam plures, cujus allodii partem Rothardus quidam Miles in feodo tenuit; quam concedentibus hæredibus suis, partim legitimè vendidit, partim cum filio suo parvulo Gerardo in eleëmosynam, Grimbergensi Ecclesiæ dedit. Hujus rei testes sunt Bernerius de *Offela*, Albertus de *Amelrengem* Sacerdotes. Egericus de *Merchten*, Willihelmus de *Ophem*. Perinde Walterus de *Eglergem* allodium quod in eadem prædicta villa habuit, Ecclesiæ Grimbergensi vendidit, & præsente & assentiente filio suo in manu Gerardi Advocati ejusdem Ecclesiæ, legitimè coram multis testibus resignavit. Testes Baldericus & Balduinus Canonici, Henricus de *Platea* & alii multi Christiani viri. Ut autem hæc omnia Grimbergensi Ecclesiæ integra conserventur, sigilli nostri authoritate præsens scriptum confirmamus; & optatâ conservatoribus pace, in malevolos & detractores Patris & Filii, & Spiritûs sancti anathema seminamus.

Diploma confirmationis omnium bonorum & jurium Ecclesiæ Grimbergentis, *in toto dominio Grimbergensi, datum à Comitissa de Viana Dominâ de Grimbergis, & filio ejus primogenito Godefrido. De anno 1280.*

NOs Maria Comitissa de *Viana* Domina de *Grimbergis*, de *Nimve* & *Perrucis*, ac Godefridus filius noster major natus, compos suæ mentis, annos discretionis attingens & sui juris existens, notum facimus universis, quod nos de consensu Philippi fratris ipsius Godefridi, monasterio Grimbergensi suam fundationem in perpetuum confirmamus cum toto ambitu ipsius monasterii, & pertinentiis universis in quantum ad nostrum dominium pertinere noscuntur Curiam de *Ametregem*, cum suis terris cultis & incultis, pascuis, rivulis, vineis, & cum suis pertinentiis universis; Curiam de *Biest*, cum suis pertinentiis universis, salvo nobis nostro semper dominio, & jure cujuslibet quod de conquirentibus facimus, tanquam verus Advocatus justitiæ cum plenitudine in quantum ad nostram Advocatiam dignoscitur pertinere; insuper confirmamus monasterio Grimbergensi omnia sua bona mobilia & immobilia, quomodo possidet, & possedit à nostris progenitoribus universis, sive à quibuscumque aliis in nostro dominio ab antiquo in terris cultis & incultis, pratis, pascuis, sylvis, vivariis, rivulis, molendinis, decimis emptis vel datis, eleëmosynis, & testamentis à quibuscumque collatis monasterio supradicto, in quibuscumque rebus vel rerum speciebus existant, hic expressis vel non expressis, vel postea exprimendis, in redditibus prædicti monasterii, censibus, caponibus, homagiis,

(a) Scribunt San Marthani & Ludovicus Castillion in brevibus historiis de Cameracensibus Episcopis hunc Alardum ex Archidiacono & Thesaurario electum fuisse in Episcopum anno 1175. quod stare nequit si componatur cum hoc Diplomate; vel igitur illius Amanuensis emendandus est error Chronologicus, vel San-Marthanorum & Castillionis detergendus anachronismus ex hoc Grimbergensi Autographo. In id adverterunt novæ Galliæ Christianæ autores.

mansionariis, censuariis, ac suis libertatibus universis, & omnia instrumenta prædicto monasterio collata, quæ tenet & habet à nobis, sibi à nostris progenitoribus sive quibuscumque collatis, in quantum nostræ ditioni subduntur, quocumque locorum ipsæ res contentæ sint, & bona sita & limitata, prout in nostro dominio existunt in alto & Basso, in viridi & arido, in humido & sicco, in decimis novalium, de terris cultis & colendis in Parochia Grimbergensi in quantum ad nos pertinere credebamus, & à nostris progenitoribus in eleëmosynam collatæ sunt monasterio supradicto, & collationem Capellaniæ de *Ruschebroëc* perpetuè conferendam, ac quindecim modios siliginis annuatim cum mensura de Bruxella, quos modios Gerardus quondam Dominus de Grimbergis constituit, & assignavit in Capellanim in monasterio Grimbergensi super decimâ sua de *Haverdenc* & de *Hinghenen*, ac sexaginta solidos, in quibus monasterium Grimbergense prædicto Gerardo fuerat obligatum, quos idem Gerardus remisit & assignavit eidem monasterio ad augmentationem Capellaniæ prædictæ, ac quindecim libras Bruxellensis monetæ minoris, quos Dominus Godefridus quondam Dominus de *Grimbergis* & de *Perusces*, ad Capellaniam in eodem monasterio constituit annuatim & assignavit super eadem decima in perpetuum capiendas, in quibus Capellaniis quindecim modiorum, & quindecim librarum superiùs prædictorum ipsum monasterium à quindecim annis, & amplius fuerat legitimè introductum ab ipsorum tempore testatorum, de quibus quindecim modiis siliginis, & quindecim libris prædictis omni anno ipsi monasterio respondebit semper & satisfaciet sine contradictione Dominus fundi decimæ supradictæ, non obstante obligatione quâcumque; insuper omnes querelas & injurias usque ad hanc diem habitas & motas ex parte nostra contra monasterium supradictum remittimus, & quitas clamamus singulas monasterio Grimbergensi quocumque jure vel nomine censeantur, hæc verò omnia & singula supradicta prout ad nostrum dominium spectare noscuntur, nos tanquam verus Advocatus monasterio Grimbergensi prout parita sunt & contenta, licet hîc non exprimantur, quod monasterium Grimbergense usque ad hanc diem possedit & possidet, habitâ deliberatione maturâ de consilio religiosorum & proborum virorum, quorum nomina subsequuntur, laudamus & approbamus, ac monasterio Grimbergensi tenore præsentium liberaliter confirmamus nostrorum sigillorum munimine ipsi monasterio hæc in perpetuum roborando, insuper venerabiles viros & discretos, qui huic confirmationi personaliter interfuerunt dignum duximus exorandos, Dominum Henricum Abbatem sancti Bernardi Ordinis Cisterciensis, Dominum Walterum *Berthaut* filium Domini de *Maghlinis*, & Dominum Arnoldum de *Lira* Milites, ut ad majorem firmitatem fiendam monasterio supradicto præsenti scripto sua sigilla apponant. Testes Jacobus Prior sancti Bernardi. Fr. Joannes dictus Pistor, Gregorius, Joannes de Lovanio, Jacobus de Leira Fratres Minores. Walterus Abbas Grimbergensis. Wilielmus Plebanus, Willelmus Præpositus, Willelmus de *Vualtaerthen* Fratres monasterii Grimbergésis, Dominus Joannes de *Lira* Miles, Franco Clericus Dominæ de Viana, Walterus Clericus de *Ummesta*, Walterus de *Russecbroek*, Joannes *Portra*; Henricus *Bec*, Villicus de Grimbergis, & plures alii fide digni homines de Grimbergis, in cujus rei robur in perpetuum & munimen, ut singula supradicta Grimbergensi monasterio confirmata inviolabiliter conserventur nostra sigilla cum sigillis prædictorum virorum præsentibus sunt appensa. Actum anno Domini millesimo ducentesimo octuagesimo, in Vigilia Inventionis sanctæ Crucis.

Aliud Diploma Joannis Ducis Brabantiæ. de anno 1284.

JOannes Dei gratiâ Dux Lotharingiæ & Brabantiæ, universis tam præsentibus quam futuris præsentes litteras visuris & audituris notitiam veritatis cum salute. Animadvertentes & diligenter considerantes qualiter antecessores nostri Duces Brabantiæ prosecuti fuerint & benignè pertractaverint Religiosos viros Abbates & Conventum Grimbergensem suscipiendo eosdem cum personis eorum bonis etiam mobilibus & immobilibus in tutela & protectione tanquam Domini & Advocati summi, velut patet per instrumenta publica super hoc confecta quæ nos inspeximus & intelleximus tuendos & defensandos à quibuslibet violentiis, injuriis & insultibus quorumcumque malevolorum, vel malignè contra eosdem Abbates & Conventum agere volentium; nos ad petitionem & instantiam Domini Walteri Abbatis ejusdem monasterii, quem diligimus & cujus promotionem libenter videmus, ob favorem etiam, quem ad eundem gerimus Conventum, nec non ob salutem animæ nostræ antecessorum & successorum nostrorum, ipsum Dominum Walterum nunc Abbatem ibidem, & Conventum cum monasterio & ambitu ejusdem, & omnibus bonis ejusdem monasteriii intùs & extrà ac pertinentiis infrà Ducatum nostrum existentibus, prout nunc sunt ac in futurum esse poterunt sub nostra suscipimus tutela, nostraque defensione ac tuitione tamquam Dominus & summus eorum Advocatus; prædia quoque eorum quæ propriis duximus exprimenda vocabulis, sylvas videlicet cum fundo emptas erga Dominum Godefridum Comitem Vianensem; super quibus ipsius Domini Godefridi, & Dominæ Mariæ suæ matris, litteræ Patentes sunt, & prædicto Abbati & suo Conventui traditæ & collatæ, & reliquas sylvas à prædecessoribus ipsius Godefridi universim prædicto monasterio benignè collatas & liberaliter acquisitas, cum donatione tum legatione, tum emptione, nec non sylvam quam Dominus Leonius de *As* in puram eleëmosynam contulit monasterio prænotato; sylvas etiam alias emptas & acquisitas erga quoscumque alios & datas monasterio prædicto à quibuscumque terras cultas & incultas, prata, paludes, pascua, vivaria, rivos, aquas, molendina, vineas, decimas novalium, redditus in denariis, in capponibus cum omnibus libertatibus, demistadiis & instrumentis, & cum omnibus immunitatibus, justitiis, homagiis, & universis juribus annexis, quocumque nomine censeantur, vel exprimantur, curtes etiam eorum de *Weelmont*, Novum sartum, *Amelverghem*, *Byst*, *Poddeghem*, *Everenthem* cum omnibus pertinentiis suis, culturas etiam eorum de *Boeckhout*, *Lonerghem*, *Bomekem*, *Windenveld*, nec non universa & singula bona eorumdem quæ possidentes sunt, & tenentes in Parochiis sequentibus.

In Pàrochia videlicet Grimbergensi, in *Strombeke*, in *Womblinis*, in *Wolverthem*, in *Filfordis*, in *Magle*, in *Harem*, in *Stertbeke*, in *Lovanio*, in *Antwerpia*, in *Bruxella*, in *Anderlecht*, in *Peda*, in *Ruschebroek*, in *Dindenghem* in *Rannsaone*, in *Berghem*, in *Honobeke*, in *Hombeke*, in *Hinghem*, & *Havendoneke*, molendinaque de *Tanga* cum fundo, vivario, paludibus, & pascuis etiam triginta quatuor

libras Lovanienſes annuorum redditinum, quos Abbas & Conventus de *feth* ſolvere tenentur, veluti declarat littera ſuper hoc confecta, quindecim etiam modios ſiliginis, & tres libras Lovanienſes annuorum redditTuum. Item adhuc quindecim libras ejuſdem monetæ deputatas, & collatas à Dominis quondam Grimbergenſibus ſupradicto monaſterio ad Capellanias in Eccleſia Grimbergenſi conſtructas velut clarum eſt per inſtrumentum publicum ſuper hoc conſcriptum, quæ quidem omnia bona & ſingula reliqua ubicumque locorum ſita ſint vel conſiſtant, quæ tum à nobis, tum ab anteceſſoribus noſtris, tum à Dominis Grimbergenſibus, tum à Comite Vianenſi, tum ab hominibus noſtris, & aliis quibuſcumque prædicti Abbates & Conventus donatione, emptione, legatione, eleëmoſynâ, mutatione, ſeu cambitione jam nacti ſunt & acquiſiverunt, aut in poſterum acquirentur prout ea ut ſuperiùs tactum eſt ſuſcepimus, & adhuc ſuſcipimus in noſtra & noſtrorum ſucceſſorum Ducum Brabantiæ defenſione & tutela, ratificamus, laudamus & approbamus, eidem monaſterio Grimbergenſi, ac Fratribus ſeu Canonicis ibidem profeſſis ac eorum ſucceſſoribus univerſis liberaliter confirmamus tanquam Dominus & ſummus eorum Advocatus, in quarum rerum omnium & ſingularum evidentiam, firmitudinem, robur & munimen, nos præſentes litteras contulimus prædicto Domino Waltero Abbati & Conventui monaſterii Grimbergenſis prædicti, ac eorum ſucceſſoribus univerſis, ſigillo noſtro patenter ſignatas, munitas & roboratas, perpetuo ſibi valituras. Actum & datum apud Bruxellam, anno Dominicæ Incarnationis milleſimo ducenteſimo octogeſimo quarto, pridie Nonas menſis Martii.

Diploma Joannis Sereniſſimi Ducis Brabantiæ, quo confirmat omnia bona Eccleſiæ Grimbergenſis, *de anno 1297.*

EGo Joannes Dei gratiâ Lotharingiæ, Brabantiæ & Limburgenſis Dux; notum facimus, tam præſentibus, quàm futuris in perpetuum, quod ego ob æternam quæ in Domino eſt ſalutem conſequendam, bona omnia quæ viri Religioſi, Abbas & Conventus de Grimbergenſi Ordinis Præmonſtratenſis, à tempore omnium prædeceſſorum meorum, quocumque juſto titulo acquiſierunt, uſque ad diem datæ hujus litteræ, & quæ tenent, habent, & poſſident per ſe vel per inveſtituram aliorum ubicumque in Ducatu, diſtrictu, ſeu dominio meo, directo vel utili, modo prædicto acquiſita, tenta, habita, ac poſſeſſa conſiſtunt, tanquam Dominus ſuperior laudo, approbo & confirmo Religioſis antedictis. In cujus rei teſtimonium, ſigillum meum præſenti confirmationi duxi apponendum. Datum anno Domini milleſimo ducenteſimo nonageſimo ſeptimo, menſe Februarii.

Charta fundationis Præpoſituræ Griphenſis *per Eckbertum Bambergæ Epiſcopum. Anno 1236.*

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis Amen. Eckbertus Dei gratiâ Bambergenſis Eccleſiæ Epiſcopus, omnibus in perpetuum. Quoniam homines hujus temporis pariter cum tempore ſunt mobiles & incerti, & veritati, propter ævitatis inconſtantiam, ſolent contraïre, geſta fidelium ſcriptæ memoriæ mancipantur, ne à ſuæ firmitatis conſtantia per exortam oblivionis calumniam elabantur. Noverint ergo tam præſentes quàm futuri fideles, quòd nos pro remedio animæ noſtræ Eccleſiam in *Oberndorff*, cum omnibus ſuis attinentiis de conſenſu Capituli noſtri communi, cujus etiam authenticum eodem loco ſuper donatione hujuſmodi eſt indultum, Ordini Præmonſtratenſi & Fratribus deo famulantibus liberè contulimus, de propriis quæ à fratre noſtro Henrico Marggravio de *Andechs* pro remedio etiam ejuſdem nobis vacarunt, aliquid adjiciendo, ſcilicet duos manſos in eadem villa *Oberndorff*, unum in veteri foro, unum quod dicitur *Gazernic*, in *Raine* duos, in *Roden* unum, in *Cavare* unum, in *Niderndorff* quinque, in *Tichings* tres: in *Tubemos* inferiori tres, in ſuperiori ſeptem. Tres vineas in *Puda*, & duos manſos culturæ earumdem attinentes; ſylvam inter *Griven* & ipſam Eccleſiam ſitam & Luaigam unam ſitam in loco qui dicitur *Lumerave* apud Eccleſiam S. Oſwaldi. Præterea univerſis miniſterialibus noſtris eidem Eccleſiæ, quidquid divinâ eis inſpirante providentiâ decreverint conferre, concedimus auctoritatem. Ut autem hæc à nobis & ſucceſſoribus noſtris inviolabilia conſerventur, præſens ſcriptum conſcribi & ſigilli noſtri robore fecimus communiri. Anno Domini 1236. Nonis Aprilis, Indict. 9. Pontificatûs noſtri 33. Teſtes autem ſunt Hermannus de *Ortenburc*, Albertus & Wilhermus de *Huneburc*, Comites Dominus Ulricus de *Beta*, Dictmarus & Eberchardus de *Griven*, Otto & Conradus de *Porta*, Fridericus & Hermannus de *Wolsfsperg*; Otto dictus *Ungenade* & filius ſuus, Wolframus Pincerna noſter, Henricus Magiſter Coquinæ, Eberhardus, Bertholdus, Conradus, Griſinut, Capellani; Volradus & Crafto Notarii, & alii quàm plures.

Bulla Gregorii IX. pro confirmatione monaſterii Griphenſis. *Anno 1138.*

GRegorius Epiſcopus Servus Servorum Dei. Dilectis Filiis Præpoſito Eccleſiæ ſanctæ Mariæ de *Griventhal* ejuſque Fratribus tam præſentibus quàm futuris regularem vitam profeſſis in perpetuum. Quoties à nobis petitur quod religioni & honeſtati convenire dignoſcitur, animo nos decet libenti concedere, ac petentium deſideriis congruum ſuffragium impertiri. Ea propter, dilecti in Domino filii, veſtris poſtulationibus clementer annuimus, Eccleſiam B. Mariæ de *Griventhal*, Salzburgenſis Diœceſis, in qua divino mancipati eſtis obſequio, ſub B. Petri & noſtra protectione ſuſcipimus, & præſentis ſcripti privilegio communimus. In primis ſiquidem ſtatuentes ut Ordo Canonicus qui ſecundùm Deum & B. Auguſtini regulam, atque inſtitutionem Præmonſtratenſium Patrum in eadem Eccleſia inſtitutus eſſe dignoſcitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter obſervetur. Prætereà quaſcumque poſſeſſiones & quæcumque bona eadem Eccleſia in præſentiarum juſtè ac canonicè poſſidet, aut in futurum conceſſione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, ſeu aliis juſtis modis, præſtante Domino, poterunt adipiſci, firma vobis veſtriſque ſucceſſoribus & illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipſum in quo præfata Eccleſia ſita eſt, cum omnibus pertinentiis ſuis; in veteri villa S. Georgii, in caſtro *Griven* S. Mariæ Magdalenæ, S. Joannis-Baptiſtæ. S. Cunegundis. In foro *Griven* S. Petri, in Alpibus S. Michaëlis in *Krentſhab*, S. Bartholomæi; in *Liuth* S. Matthæi Apoſtoli; in monte *Catſmer* S. Nicolai; in *Harde* S. Michaëlis & Jacobi. In *Elenntſhah* S. Thomæ, S. Colmanni, & S. Mariæ de *Puttris* Capellas, duos in *Oberndorff* manſos, unum manſum qui dicitur *Cizetniqs*, duos manſos in *Rain*, unum manſum

in eodem, unum mansum in *Kanns*, quinque mansos in *Miterdorff*, tres mansos in *Tenbnis*, tres mansos in *Durnmoss* inferiori, in superiori verò septem mansos, tres vineas in *Pnain*, & sylvam inter *Griven* & Ecclesiam supradictam; terras & possessiones alias cum pratis, vineis, nemoribus, usagiis & pascuis, in bosco & plano, in aquis & molendinis, in viis & semitis, & omnibus aliis libertatibus & immunitatibus suis. Sanè novalium vestrorum, quæ propriis manibus aut sumptibus colitis, de quibus aliquis hactenùs non percepit, sive de vestrorum animalium nutrimentis, nullus à vobis decimas exigere, vel extorquere præsumat. Liceat quoque vobis clericos aut laïcos, liberos aut absolutos è sæculo fugientes, ad conversionem recipere, atque eos absque contradictione retinere. Prohibemus insuper ut nulli Fratrum vestrorum post factam in Ecclesia vestra professionem, fas sit sine Præpositi sui licentia de eadem discedere, nisi vel arctioris Religionis obtentu; discedentem verò absque litterarum communium vestrarum cautione nullus audeat retinere. Cùm autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis in Ecclesia vestra clausis januis, excommunicatis & interdictis exclusis, non pulsatis campanis, suppressâ voce divina officia celebrare, dummodò causam non dederitis interdicto. Chrisma verò, Oleum sanctum, Consecrationes altarium seu Basilicarum, Ordinationes clericorum, qui fuerint ad Ordines promovendi, à Diœcesano suscipietis Episcopo, si quidem Catholicus fuerit, & gratiam & communionem sacrosanctæ Romanæ sedis habuerit, & ea vobis voluerit sine aliqua pravitate exhibere. Prohibemus insuper ut infrà fines Parochiæ vestræ, nullus sine assensu Episcopi Diœcesani & vestro Capellam seu Oratorium de novo construere audeat, salvis privilegiis Pontificum Romanorum. Ad hæc novas & indebitas exactiones ab Archiepiscopis & Episcopis, Archidiaconis seu Decanis, aliisque omnibus Ecclesiasticis sæcularibusque personis à vobis omninò fieri prohibemus. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decernimus ut eorum devotioni & extremæ voluntati, qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi fortè excommunicati vel interdicti, aut etiam publici usurarii sint, nullus obsistat, salvâ tamen justitiâ Ecclesiarum illarum à quibus mortuorum corpora assumuntur. Decimas præterea & possessiones ad jus Ecclesiarum vestrarum spectantes, quæ à laïcis detinentur, redimendi & legitimè liberandi de manibus eorum, & ad Ecclesias ad quas pertinent, revocandi, libera sit vobis de nostra authoritate facultas. Obeunte verò te nunc ejusdem loci Præposito, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutiâ, seu violentiâ præponatur, nisi quem Fratres communi consensu, vel Fratrum major pars consilii sanioris, secundùm Deum & B. Augustini regulam providerint eligendum. Paci quoque & tranquillitati vestræ, paternâ in posterum sollicitudine providere volentes, auctoritate Apostolicâ prohibemus, ut intrà clausuras locorum seu grangiarum vestrarum nullus rapinam seu furtum facere, ignem apponere, sanguinem fundere, hominem tenere, capere vel interficere, seu violentiam audeat exercere. Præterea omnes libertates & immunitates à prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus Ordini vestro concessas, nec non libertates & exemptiones sæcularium exactionum à Regibus & Principibus, vel aliis fidelibus rationabiliter vobis indultas auctoritate Apostolicâ confirmamus, & præsentis scripti privilegio communimus. Decernimus ergo, ut nulli omninò hominum liceat præfatam Ecclesiam temerè perturbare, aut ejus possessiones auferre vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integre conserventur eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salvâ sedis Apostolicæ auctoritate ac Diœcesani Episcopi Canonicâ justitiâ. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica sæcularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temerè venire tentaverit, secundò, tertiòve commonita, nisi reatum suum congruâ satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui careat dignitate; reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à Sacratissimo Corpore & Sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, ac in extremo examine divinæ subjaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenùs & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Ego Gregorius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus. Ego Joannes Sabinensis Episcopus. Ego Jacobus Tusculanus Episcopus. Ego Guifredus S. Marci Presbyter Cardinalis. Ego Rainerus S. Mariæ de Cosmidin Diaconus Cardinalis. Datum Viterbii per manum Magistri Guillermi S. R. E. Vice-Cancellarii, III. Nonas Julii, Indict. XI. Incarnationis Dominicæ anno MCCXXXVIII. Pontificatûs verò Domini Gregorii PP. IX. anno undecimo.

Bulla Sixti IV. quâ concedit usum Pontificalium Præpositis Griphentibus. *Anno 1475.*

SIxtus Episcopus Servus Servorum Dei. Dilectis Filiis Præposito & Conventui monasterii B. Mariæ in *Griphentale*, per Præpositum soliti gubernari, Ordinis Præmonstratensis, Salisburgensis Diœcesis, salutem & Apostolicam benedictionem. Exposcit vestræ devotionis sinceritas, & Religionis promeretur honestas, ut tam vos quos speciali dilectione prosequimur, quàm monasterium vestrum condignè honoribus & prærogativis attollamus. Hinc est quòd nos vestris in hac parte supplicationibus inclinati, ut tu, Fili Præposite, & successores tui Præpositi dicti monasterii per Præpositum soliti gubernari, in quo, ut accepimus, regularis viget observantia, & quod in partibus illius solemne admodùm & insigne reputatur, ac unicum in terris & dominiis charissimi in Christo Filii nostri Friderici Romani Imperatoris semper Augusti existit, & in tali loco situm est, quòd ad illum rarò declinant Episcopi mitrâ, annulo, sandaliis & aliis Pontificalibus insigniis, tam in dicto monasterio, quàm illius Ecclesiis & Capellis, hujusmodi Benedictionem solemnem post Missarum, Vesperarum, & Matutinarum solemnia, dummodò in Benedictione hujusmodi aliquis Antistes vel Apostolicæ sedis legatus præsens non fuerit, elargiri, ac calices, patenas, mitras, annulos, chyrotecas, corporalia, planetas, paramenta & altarium tegumenta, ac alia Ecclesiastica ornamenta benedicere & consecrare liberè & licitè possitis, & valeatis; felicis recordationis Alxandri Papæ IV. quæ incipit, *Abbates*, & aliis quibuscumque constitution bus Apostolicis in contrarium editis nequaquam obstantibus, vobis & eisdem successoribus auctoritate Apostolicâ tenore præsentium de speciali gratia indulgemus. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc nostræ constitutionis paginam &c. Datum Romæ apud S. Petrum, Incarnationis Dominicæ anno millesimo quadringentesimo septuagesimoquinto, Non. Julii, Pontificatûs nostri anno quarto.

Charta Adalberti (a) I. Pomeranorum Episcopi, confirmantis donationes Conventus Grobensi *à Duce Ratiboro, ejusque conjuge factas. Anno 1159.*

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Adalbertus primus Pomeranorum Episcopus omnibus tam præsenti quàm futuri temporis veritatem & justitiam requirentibus. Constat & manifestum est cunctis luce rationis utentibus, nostrum esse, & ad nostri Pontificatûs discretionem spectare, impietatis opera inhibere & improbare, pietatisque studia comprobare, & quo valemus, munimine firmare. Ergo freti Christi auctoritate, cujus legatione in terris fungimur, simulque illius cui dixit: *Quæcumque ligaveris super terram, erunt ligata & in Cœlis*: & cætera quæ sequuntur. Quoscumque usus seu quæcumque bona Dominus Ratiboro cum pia conjuge sua Pribisliva Ecclesiæ sanctæ Mariæ sanctique Godehardi in *Grobe* Domini intuitu pietatisque affectu tradiderit, eidem Ecclesiæ & Fratribus ibidem secundùm Regulam S. Augustini Deo servientibus privilegio nostro confirmamus. Sunt autem hæc in Provincia *Vanzlo*, ipsa scilicet villa *Groben* cum appendiciis suis, & taberna, in ipsa media Provincia, forum & taberna, teloneum quoque de navibus quæ transeunt per aquam juxta castrum *Uznam*, In Provincia *Scipbene*, duæ villæ *Rorbovicz* & *Corine*, & tertia pars villæ *Slauboritz*, & in eadem Provincia forum & taberna: In Provincia *Grozswina* villa *Doblovitz*, & in foro ejusdem Provinciæ taberna juxta castrum *Stellin*; juxta *Odoram* villa una *Zelechoa*, & ante castrum *Viduchova* super eandem *Oderam* situm; tertiam partem telonei de omnibus navibus ibidem transeuntibus, & in piscatura in fluvio *Thiemmnac*; & dimidia piscatura in torrente *Cripena*, quæ pertinet ad villam *Dambagora*. In Provincia quoque *Sliuuin* quæ pertinet ad castrum *Camin* villa una super mare *Bislichov*. In *Colubergh* census salis de sartaginibus Dominica die, & ante ipsum castrum taberna, & in eadem Provincia villæ *Poblote*, *Sunelube*, & teloneum de ponte, scilicet de uno quoque curru qui transit per eum, duo denarii Poloniensis monetæ, & panis de unoque viro ibidem sal coquente, & per eundem pontem transeunte denarius *Cromatorum*, & ante ipsum pontem taberna, & de alio ponte super ripam *Rodtua* simile teloneum & dimidius census lignorum quæ vehuntur per fluvium *Passavet*. Item in castro *Bellegarde* taberna una & tertius denarius de teloneo plaustrorum ibi transeuntium. His bonis sive beneficiis etiam & nos addimus omnem decimationem seu justitiam, quæ nobis debetur in villis ejusdem Ecclesiæ, & perpetuo jure donando eidem Ecclesiæ & Fratribus in eo Deo servientibus confirmamus. Hæc si quis temerario ausu prædictæ Ecclesiæ & Fratribus secundùm regulam S. Augustini & institutionem S. Præmonstratensis Ecclesiæ ibidem Deo servientibus infirmare, imminuere, vel quocumque studio attentaverit defraudare, sit anathema, maranatha. Acta sunt hæc in castro *Uznam* coram Principibus Buogoslavo & Casimiro fratre ejus & aliis Nobilibus terræ ipsius Osthobodo Castellano castri prædicti, & Dommizlo fratre ejus cæterisque quàm plurimis ipsius Provinciæ, quàm aliarum qui eodem tempore præsentes erant omnes idonei ad perhibendum actæ rei testimonium. Acta sunt itaque hæc anno Dominicæ Incarnationis 1159. Epactâ nullâ, Indictione VIII. concurrente III. VI. Idus Junii.

Tumulus Ratibori hoc Epitaphio decoratus, ante prostratum hæreseos motibus, monasterium, in Grobensi *Templo, visebatur.*

Centum cum mille quinquaginta quoque quinque.
Ratiborus Dux egregius fuit hic tumulatus.
Cum consorte simul vitæ & voti Primislava.
Qui Dux Slavorum fuerat & Lentitiorum.
Et fidei primus auctor, non actibus imus.

Hinc emendandus venit Bugenhagius, qui l. 3. Pomeraniæ, Ratibori obitum contigisse ait anno 1283.

Dicitur autem hic Ratiborus *fidei primus auctor*, apud *Lisitios* nimirum, quos multis jam anteà bellis attritos Christi jugo subjecit.

Charta Regis Johannis, de Manerio de Hales, *Petro de Rupibus Wintoniensi Episcopo, concesso.*

R. &c. Vic. *Staff.* Salutem. Scias quod dedimus venerabili Patri nostro, Domino P. Winton Episcopo, Manerium de *Hales*, cum Advocatione Ecclesiæ, & cum omnibus eidem Manerio pertinentibus, ad faciendum ibi domum Religionis. Et ideò tibi præcipimus, quod eidem Episcopo, vel nuncio suo, sine dilatione, cum omnibus pertinentiis suis, plenariam *Seisinam* habere facias T. me ipso apud *Windlesors* vicesimo septimo Octobris.

Charta Regis Henrici III. donationem patris sui, de prædicto Manerio, confirmans.

HEnricus Dei gratiâ Rex Angliæ, Dominus Hiberniæ, Dux Normanniæ & Aquitaniæ, & Comes Andegaviæ Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Prioribus, Comitibus, Baronibus, Justiciariis, Forestariis, Vice-Comitibus, Præpositis, Ministris, & omnibus Ballivis & fidelibus suis, salutem. Sciatis nos, intuitu Dei, & pro salute animæ nostræ, & animarum antecessorum & hæredum nostrorum concessisse, & præsenti Chartâ nostrâ confirmasse Deo & Sanctæ Mariæ, & Abbati & Canonicis Præmonstratensis Ordinis apud *Hales*, Deo servientibus, de ordinatione venerabilis Patris Domini Petri Wintoniensis Episcopi, manerium de *Hales*, cum omnibus pertinentiis suis, quod Dominus Johannes Rex pater noster per Chartam suam priùs concesserat eidem Episcopo ad ædificandum domum de Ordine Præmonstratensi. Habendum & tenendum eisdem Abbati & Canonicis in liberam, puram, & perpetuam eleemosynam: & quod prædicti Abbas & Canonici præfato Episcopo Wintoniensi & successoribus suis tanquam patronis suis respondeant & intendant. Quare volumus & firmiter præcipimus, (&c.)

Charta Willielmi Ruffi (Militis) de Ecclesia de Waleshale.

OMnibus sanctæ Matris Ecclesiæ Filiis, ad quos præsens scriptum pervenerit, Willielmus Ruffus de *Waleshale* salutem. Noverit vestra universitas, me causâ Dei, & intuitu pietatis, dedisse, concessisse, & hac meâ præsenti Chartâ confirmasse Deo & Ecclesiæ S. Mariæ de *Hales*, & Canonis Ordinis Præmonstratensis ibidem Deo servientibus, Ecclesiam de *Waleshale*, cum Capellis & pertinentiis, & omnibus aliis libertatibus suis; habendam &

a Chartam hanc refert *Ludewig*. Tom. II. *Reliq. Mss.* 2[illegible]0. Ex qua conficitur Adelbertum necdum fatis functum anno 1158. ut asserit author *Hist. Episcop. Camin.* Tom. II. *Script. Rer. German.* Ludewig. 578.

possidendam in liberam, puram & perpetuam eleëmosynam, ad hospitalitatem ejusdem domûs sustentandam, pro salute animæ meæ, & omnium antecessorum & successorum meorum. His testibus, Domino P. Wintoniensi Episcopo; Domino Willielmo Coventriæ Episcopo; Domino R. Abbate de *Wellebec*, Henrico de *Aldethelег*, Roberto *Marmiun*, Willielmo *Marmiun* fratre ejus, Richardo filio Willielmi de *Bramewice*, Willielmo *Hosato*, Ada de sancta Maria; Thoma Capellano de *Hales*.

Appropriatio ejusdem Ecclesiæ, & Ordinatio Vicariæ per Rogerum Conventrensem & Lichfeldensem Episcopum.

UNiversis Christi fidelibus ad quos præsens scriptum pervenerit, Rogerus Dei gratiâ Coventrensis & Lichfeldensis Episcopus, & Richardus Thesaurarius Lichfeld. Salutem in Domino sempiternam. Noverit universitas vestra, quod cùm Henricus, Dei gratiâ, Rex Anglorum illustris, Abbati & Conventui de *Hales*, Præmonstratensis Ordinis, quorum Ecclesiam pater ejus fundaverat, patronatum Ecclesiæ de *Walesbale* contulisset; optans quòd Ecclesiæ fructus in usus cederent eorumdem; iidem Abbas & Conventus ordinationi nostræ se supposuerunt, quoad Ecclesiam antedictam & pertinentias ejus, secundùm quod in eorum litteris patentibus, super hoc confectis pleniùs continentur. Nos igitur Domini Regis affectum pium in Domino commendantes, desiderantes etiam profectum dictorum Religiosorum, quibus propter confluentium hospitum, ut dicitur, propriæ non suppetunt facultates, divinæ caritatis intuitu, & ob ejusdem Domini dicti Regis reverentiam, & ad ejus instantiam de consensu Capituli Lichfeldensis, ordinando decrevimus, quòd cum Magister Vincentius Rector Ecclesiæ de *Waleshale*, ipsi cesserit, vel decesserit, dicti Abbas & Conventus, dictam Ecclesiam de *Walesbale* habeant, cum pertinentiis, & fructibus ejus, in usus proprios convertendis; salvâ tamen Vicariâ tredecim marcarum assignandarum Vicario, per viros fideles & discretos, ad hoc per Episcopum deputatos, in certis obventionibus Ecclesiæ; qui etiam aream & ædificia Ecclesiæ divident inter prædictos Religiosos, & Vicarium, secundùm quòd, ratione prævià, viderint expedire.

Vicarius autem, qui pro tempore fuerit, onera Episcopalia, & Archidiaconalia consueta & debita sustinebit. Ad onera verò Capellarum Ecclesiæ de *Waleshale* consueta; scilicet de *Wodnesburi* & de *Kushale*, & servitia sibi debita sustinenda, habeat idem Vicarius, præter tredecim marcas sibi, secundùm quòd dictum est, superiùs assignandas, omnes obventiones Capellarum earumdem, præter garbas. Quæ quidem obventiones, si ad servicia & onera in prædictis Capellis, in forma præmissâ sustinenda non sufficiant, in aliis ejusdem Ecclesiæ proventibus, unâ cum eisdem obventionibus, per viros suprà scriptos dicto Vicario provideatur; unde in prænominatis Capellis eadem servicia & onera honestè valeat sustinere: alia verò onera Abbas & Vicarius simul, pro suis portionibus sustinebunt; salvo etiam quòd Abbas & Conventus sæpè dicti, singulis annis solvant Ecclesiæ Lichfeldensi sex marcas, quod ad petitionem dictorum Abbatis & Conventûs duximus ordinandum, ad eorum perpetuam pacem, super Ecclesia sæpè dicta, in qua se dicebat aliquandò Lichfeldensis Ecclesia jus habere. De dictis autem sex marcis, sexaginta solidos deputavimus ad sustentationem operis Ecclesiæ Lichfeldensis, residuos verò xx. S. Vicariis qui ad Missam B. Virginis, vicissim, per annum, secundùm quod moris est, fuerint deputati, per Capellanum B. Virginis ipsis dicta pecunia tribuenda; cui dum viginti solidi solvi debent; sexaginta verò solidi, ipsi qui ad custodiam fabricæ fuerit deputatus terminis infra scriptis; ita scilicet, quòd tres marcæ solvantur apud Lichf. in festo S. Michaëlis; tres verò residuæ in festo Resurrectionis Dominicæ persolvantur. Jurabit etiam dictus Abbas de *Hales* qui pro tempore fuerit, se dictas sex marcas, dictis terminis fideliter soluturum. Non licebit autem Decano & Capitulo Lichf. in alios usus, quàm supradictos, convertere pecuniam memoratam. In præmissorum autem testimonium & munimen, præsentem paginam sigillis nostris, & sigillis Decani & Capituli Lichfeldensis, & Abbatis & Conventûs de *Hales*, in consensûs sui testimonium, fecimus roborari; salvo Conventrensis & Lichfeldensis Ecclesiæ jure Pontificali & Parochiali. Actum apud Lichf. in crastino B. Thomæ martyris, anno Domini millesimo ducentesimo quadragesimo octavo.

Ordinatio Vicariæ de Hales *per Godefridum Wigorniensem Episcopum.*

OMnibus sanctæ Matris Ecclesiæ Filiis, ad quos præsentes litteræ pervenerint, Godefr. permissione divinâ Wigornensis Ecclesiæ Minister humilis, salutem in Domino sempiternam. Sacrorum canonum statuta, per quæ genus humanum regitur in terris, vias Prælatorum ad disponendum in Ecclesia Dei, tam de regimine quàm regentium vita suo periodo ordinant & disponunt; quæ dùm inter cætera ipsorum statuta Vicarios in Ecclesiis parochialibus residere constringunt, nos eis de victûs necessariis, de bonis Ecclesiæ, cui vice regentis præsunt, competenter providere compellunt. Hinc est, quòd nos, consideratâ animarum curâ Ecclesiæ Parochialis de *Hales*, Wigorn. Diœcesis, quàm Religiosi viri Abbas & Conventus monasterii de *Hales*, Ordinis Præmonstratensis, in proprios usus obtinent, & onera curæ ejusdem, tam in temporalibus quàm in spiritualibus, statuimus & deffinivimus, quod in dicta Ecclesia perpetuus sit Vicarius nobis & successoribus nostris per dictos Religiosos præsentandus, qui de animarum curâ nobis respondeat & obediat, ut subditus, & nostris successoribus in futurum; cui de dictorum Religiosorum consensu expresso, nomine Vicariæ, decem marcas Sterlingorum singulis annis de Camera dicti Abbatis, per duos terminos anni, pro positione dimidia & æquali; scilicet quinque marcas in festo S. Michaëlis, & residuas quinque marcas in Pascate Dominicæ Resurrectionis fideliter persolvi præcipimus & ordinamus. Insuper assignamus eidem Vicariæ mansum cum ædificiis, horto, & gardino, quæ Vicarius habere consuevit, ad inhabitandum, cum herbagio cymiterii. Et iidem Religiosi de suis stipendiis Presbyterum alium secundarium invenient, in eadem Ecclesia ministrantem, & omnia onera ordinaria & extraordinaria, qualitercumque fuerint imposita, sustinebunt. In cujus rei testimonium, has litteras nostras Patentes sub sigillo nostro fieri fecimus communiri. Data apud *Hemburi* in *Salso-marisco* XI. Kalendas Octobris, anno gratiæ millesimo ducentesimo septuagesimo, Pontificatûs nostri anno secundo.

Assignatio

Assignatio unius Capellani Canonici, ad celebrandum pro animabus Joannis de Hamptone *&* Alianoræ *uxoris ejus.*

OMnibus sanctæ matris Ecclesiæ Filiis, ad quos hoc præsens scriptum pervenerit, Frater Thomas, permissione divinâ, Abbas de *Hales*, & ejusdem loci Conventus, salutem in Domino. Noveritis nos concessisse dilecto nobis in Christo Johanni de *Hamptone*, pro beneficio nobis & successoribus nostris in adquisitione Manerii de *Kobley* impenso, quod unus Capellanus Canonicus assignetur ad celebrandum divina pro anima prædicti Johannis & Alianoræ uxoris ejus, & puerorum suorum, patrum, matrum, prædictorum Johannis, Alianoræ, fratrum suorum, antecessorum suorum, & pro anima Richardi de *Hamptone* fratris prædicti Johannis, & pro animabus ominum Fidelium defunctorum, cum pleno servitio mortuorum. Et quod dictus Johannes & hæredes sui in perpetuum præsentent idoneum & aptum Canonicum ad stallum suum deffendendum, & ad officium prædictum exequendum, qui ad præsentationem ipsorum successivè, sine contradione admittetur, dummodò tamen dictum Manerium de *Kobley*, in manibus nostris & successorum nostrorum pacificè extiterit absque perturbatione regia, vel secta cujuscumque alterius, aliquid juris in prædicto Manerio vendicantis. Concessimus etiam eisdem, post decessum eorum, quòd nomina eorum in Martyrologio nostro scribantur; & quòd in anniversariis suis plenum pro eis servicium fiet. In cujus rei testimonium sigillum nostrum commune præsentibus est appensum. Datum apud *Hales* die Martis, in hebdomada Paschæ, anno Domini MCCCXXXI.

Charta Johannæ Botetourt, *Dominæ de* Weleye *de Manerio de* Werveleye.

OMnibus Christi fidelibus ad quos hoc scriptum pervenerit, Johanna *Botetourt* Domina de *Weleye*, salutem in Domino. Cùm nuper obtenta licentia à Domino nostro Edwardo, illustri Rege Angliæ III. post Conquestum, per quandam Indenturam, dedisse & concessisse dilectis mihi in Christo Abbati & Conventui de *Hales-owen*, Manerium de *Werveleye* cum pertinentiis in Comitatu Wigorniæ; habendum & tenendum sibi & successoribus suis, & Ecclesiæ suæ S. Mariæ de *Hales-owen*, de Domino Rege & hæredibus suis in liberam, puram & perpetuam eleëmosynam, ad certas cantarias, eleëmosynas, & alia, in forma, quâ in prædicta indentura pleniùs continentur, facienda. Ac etiam per eandem indenturam obligassem me & hæredes meos, ad warantizandum præfatis Abbati & Conventui, & eorum successoribus prædictum Manerium, cum pertinentiis suis, contrà omnes gentes in perpetuum. Noveritis me, nunc inspectâ indenturâ prædictâ, prædictas donationem, concessionem, & warantiam de prædicto Manerio, in omnibus ejus membris & parcellis, messuagiis, terris, pratis, boscis, moris, pascuis & pasturis, vivariis, stagnis, servitiis, redditibus, reversionibus terrarum & redditurum, & tam in servitiis & redditu Richardi de *Wrseleye*, quæ perquisivi de Adam de *Watecroft*, quàm cæteris parcellis Manerii prædicti universis, prædictis Abbati & Conventui, & eorum successoribus, pro me & hæredibus meis confirmasse in perpetuum ad prædictas cantarias, eleëmosynas, & alia, ut præmittitur, faciendas. In cujus rei testimonium, præsenti scripto sigillum meum apposui. Datum apud *Weleye*, die Dominicâ proximâ post festum Circumcisionis Domini, anno regni Regis Edwardi III. post Conquestum XI.

Charta Johannis Botetourt *Domini de* Weleye, *de advocatione Ecclesiæ de* Clent.

SCiant præsentes & futuri, quod ego Joh. *Botetourt*, Dominus de *Weleye*, intuitu Dei, & pro salute animæ meæ, & animarum antecessorum, & hæredum meorum dedi, concessi, & hac præsenti Chartâ meâ confirmavi Deo & Ecclesiæ B. Mariæ de *Hales-owen*, Abbati & Conventui ejusdem loci, Ordinis Præmonst. ibidem Deo servientibus, duas acras terræ, cum pertinentiis in *Clent*, & advocationem Ecclesiæ de *Clent* & *Kouleye*, cum Capellis suis, habendas & tenendas prædictis Abbati & Conventui, & eorum successoribus, in liberam, puram & perpetuam eleëmosynam, in perpetuum. Concessi etiam pro me & hæredibus meis, eisdem Abbati & Conventui, & eorum successoribus, quod ipsi prædictam Ecclesiam de *Clent* & *Kouleye* cum suis Capellis, cedente vel decedente persona ejusdem; in proprios usus habeant & teneant similiter in liberam, puram & perpetuam eleëmosynam in perpetuum. Et ego verò prædictus Joh. & hæredes mei, prædictas duas acras terræ, & advocationem prædictam, cum suis Capellis, cum omnibus suis pertinentiis, præfatis Abbati & Conventui & eorum successoribus, contrà omnes gentes warantizabimus, acquietabimus, & deffendemus in perpetuum. In cujus rei testimonium hanc præsentem Chartam sigilli mei impressione roboravi. His testibus Joh. de *Suton* Domino de *Duddeleye*; Domino Rogero *Hillary*; Domino Joh. de *Stafford*, Domino Henrico de *Burmyngham*; Domino Henrico de *Bisshebury*, Militibus, Richardo *Frebody*, Henrico *Atte-Hurst*, & aliis. Data apud *Weleye*, die Martis, in festo S. Ambrosii Episcopi, anno regni Regis Edwardi, post Conquestum 3tii. 14°.

Relaxatio Johannis de Botetourt *Domini de* Welegh, *de quadam Cantaria unius Canonici, in hujusmodi Abbathia; Cantariis per Dominam Johannam matrem suam perquisitis, specialiter reservatis.*

AS tous ceux, queux cestes lettres verrount ou orrount; John *Boutetourt* Seigneur de *Welegh*, saluz en Dieu. Connu soit à vous ceux, qe come le Abbé de *Hales-owen*, & le Covent de mesme le leu, nous eyent graunté, per lour feat enseale de lour comen Seal, de presenter un covenable person Clerk, que le serra per eaux reçu un Chanon de mesme la Meson, & chauntra pur nous & pur nos heirs, & fra divine service en ledite Mesoun, si come en ledite feat plus pleynement est contenuz & issynt à toux jours un altre après ly, par cause que nous le grauntauns, pur nous & pur nous heirs, license d'appropriier l'Eglise de *Clent* as eaux & lours sucessours, à toux jours: Nous voillaunez la deschargelesditz Abbé & Covent, & de lour sucessours; & per promes per nous attaunt ses homs promys, avouns graunte, pur nous & pur nous heyrs, asditz Abbé & Covent, e lours sucessours, qu'ils soient desore deschargé, desditz presentes de nous & de nous heirs receyver, per cause de lour feat, à nous graunte, per la cause suisditte; reservants tourz jours, as nos & as nos heirs, les chaunteries de eaux purchaseerz per nostre tres chiere miere, Dame Johanne de *Boutetourt*, per cause de la mortisement del manoir de *Werveleye*, fatte al Abbé & Covent tansoulement.

En tesmonaunce de queux choses, as cestes presentz nous avouns mye; notre seal per ceaux tesmoignez, Sire Roger *Hillary* Chivaller; William *Colesone*; Johan *Hweth*; Ric. *Frebods*; Ric. de *Everdone*, & altres. Donnee as *Weleab* le Venersdy procheyn aprés la feste de seynt *Jame* Appostle, l'an de regne Roy Edward le tierce, aprés le conqueste vintusine neovisme.

Ordinatio Vicariæ de Clent *per Wolstanum Wigorniensem Episcopum.*

UNiversis S. matris Ecclesiæ filiis, præsentes litteras inspecturis, Frater Wolstanus, permissione divinâ Wigorn. Episcopus, sempiternæ salutis felicitatem in Christo. Ad perpetuam futurorum memoriam, quæ ad Dei laudem salubriter processerunt, volumus scripturam evidentiis roborari, ne decursu temporis labilis priventur memoriâ, & sub dubio casualiter revocentur. Cùm itaque Parochialem Ecclesiam de *Clent*, cum Capella de *Kouleye*, eidem annexa, seu dependente ab eadem, nostræ Diœcesis, assensu Capituli nostri Wigorniæ, concurrentibus omnibus, qui de jure requiruntur in hac parte, religiosis viris Abbati & Conventui monasterii de *Hales-owen* Ordinis Præmonst. nostræ Diœcesis, ipsorumque monasterio, certis & legitimis de causis appropriaverimus; ac ipsam, appropriationis titulo, eisdem in usus proprios perpetuis temporibus concesserimus possidendam, congruâ portione perpetuo Vicario earumdem Ecclesiæ & Capellæ, qui inibi curam habeat animarum, per nos vel successores nostros, in certis fructibus, proventibus, & obventionibus ipsarum Ecclesiæ & Capellæ, eisdem assignandis, quam ad decem libras sterlingorum estimavimus & taxavimus plenariè reservatâ. Nos in sollicitudine pastorali cupientes inceptum negotium tam salubre effectum prosperè mancipare, ac Ecclesiæ & Capellæ prædictarum indemnitati, animarumque parochianorum eorumdem salubriter prospicere ut tenemur; hujusmodi procurationem, pro Vicario perpetuo in ipsis Ecclesia & Capella ministrante, qui curam habeat animarum earumdem, ejusque successorum, in Vicaria dictarum Ecclesiæ & Capellæ, qui pro tempore fuerint, in perpetuum, de consensu ac voluntate expressis dictorum Religiosorum, ac Domini Johannis *Andre*, dictarum Ecclesiæ & Capellæ de *Clent* & de *Kouleye*, perpetui Vicarii, ordinamus, assignamus, & stabilimus, ac consistere volumus in fructibus, proventibus, & obventionibus dictarum Ecclesiæ & Capellæ infrascripta, ac ipsos fructus, proventus & obventiones, juxtà inquisitionem legitimè factam in hac parte, ad decem libras sterlingorum æstimamus, & eos tantùm annuatim valere decrevimus & declaramus per Decretum.

Imprimis quidem statuimus & ordinamus: quòd Vicarius qui pro tempore fuerit in dictis Ecclesia & Capella, curam animarum parochianorum eorumdem sustineat; & quòd eisdem Ecclesiæ & Capellæ, ac parochianis earumdem, in divinis obsequiis & officiis ministret, seu faciet suis sumptibus congruè & honestè ministrari.

Item volumus & statuimus, quod idem Vicarius, qui nunc est, & successores sui, qui pro tempore fuerint, habeant illud mansum, sive messuagium, juxtà cimiterium dictæ Ecclesiæ de *Clent*, ex parte australi, cum curtilagio adjacente; quod quidem Mansum sive Messuagium, de dote dictæ Ecclesiæ esse dignoscitur; in quo Manso sive Messuagio, præfati Religiosi, pro statu dictæ Vicariæ ædificia competenter construi faciant ista vice, ad quorum constructionem seu reparationem, postquam semel sic constructa, sive ædificata fuerint, prædictus Vicarius, qui pro tempore fuerit, tenebitur, & nullatenùs ipsos Religiosos volumus onerari.

Item ordinamus & statuimus, quod idem Vicarius & sui successores, habeant & percipiant decimam vitulorum, porcellorum, agnorum, aucarum, ovorum, pullanorum, lanæ, lactis, casei, ceræ, mellis, apium, gardinorum, curtilagiorum, piscariarum, piscium, columbarum, molendinorum, lini, canabi, sylvæ, tam ceduæ quàm non ceduæ; arborum, fructuum, pascuarum, & fœni, & cæteras minutas decimas, infrà dictam Parochiam provenientes, exceptis decimis bladi cunctique generis: & extra decimis provenientibus de mansis, terris, pratis, & pascuis ad dictos Religiosos & eorum monasterio, nomine dotis dictæ Ecclesiæ seu Capellæ pertinentibus, & nutrimentis animalium eorumdem ibidem: quas quidem decimas de dictis locis, ut præmittitur, provenientes, sive minutæ fuerint, sive majores, unà cum redditibus & servitiis temporalibus quibuscumque tenentium dictæ Ecclesiæ, liceat ea dictos tenentes, per viam oblationis, præfatæ Ecclesiæ solvere contingat, unâ cum oblationibus de majori Capella de *Kelmestowe* obvenientibus, penes ipsos Religiosos & eorum monasterio; volumus integraliter permanere. Habeant insuper iidem Vicarii omnia mortuaria, tam viva, quàm mortua, nec non principalia legata, & omnes oblationes superiùs non exceptas. Annualia tricennalia, denaria S. Petri & caritatis. Erbagia, & arbores cimiteriorum, ac totum altaragium, quatenùs dictis Religiosis de hujusmodi Altaragio superiùs reservatur, tam Ecclesia de *Clent*, quàm Capellæ de *Kouleye* prædictarum.

Item volumus & statuimus, quod idem Vicarius, qui pro tempore fuerit ad solutionem procurationis.... hactenùs ex consuetudine deberet, pro dictis Ecclesia & Capella, ac etiam denaria S. Petri.... obolum quadrâ.... Martii & Pentecosta.... teneatur. Cætera verò & ordinaria, & extraordinaria, superiùs non expressa, eisdem Ecclesiæ & Capellæ qualitercumque incumbentia, præfati Abbas & Conventus, dictæ Ecclesiæ & Capellæ rectores debent .... & agnoscant .... quod intentionis existit, quod nolumus quibuscumque rebus, seu jure eisdem.... dictæ appropriationis competentibus, præterquam in jure seu rebus prædictis, Vicarios dictarum Ecclesiæ de *Clent* & Capellæ de *Kouleye*, superiùs per nos expressè reservatis.

Charta Arnoldi Coloniensis Archiepiscopi, confirmantis bona, & privilegia concedentis Hambornæ, *anno 1139.*

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ego Arnoldus Dei gratiâ, licet indignus, Coloniensis Ecclesiæ Archiepiscopus. Scire & memoriter tenere tam futuram quàm præsentem Ecclesiam volo, quod temporibus prædecessoris nostri Archiepiscopi Domini Brunonis secundi, Gerardus de *Hounetath* vir Nobilis & memoriâ dignus, Ecclesiam *Havenburne*, in allodio suo fundatam, cum omnibus pertinentiis suis, unanimi hæredum suorum consensu pro remedio animæ suæ suorumque, beato Petro omnimodò liberam tradidit; ea videlicet conditione, ut ibidem Canonicus Ordo secundùm regulam B. Augustini institueretur. Præfatus igitur piæ memoriæ Archiepiscopus justæ petitioni ejus gratum præbens assensum, instituit inibi Congregationem regularium Canonicorum, cujus nos piam in hac re devotionem approbantes, dignum duximus eandem Ecclesiam auctoritatis nostræ privilegio communire. Imprimis

siquidem statuentes, ut Ordo Canonicus qui secundùm regulam B. Augustini ibidem noscitur institutus, perpetuis futuris temporibus inviolabiliter servetur. Ipsos etiam Canonicos inibi Deo servientes, sic liberos esse volumus, ut nihil cuiquam obedientiæ debeant nisi mihi, & successoribus meis canonicè electis. Eandem quoque Ecclesiam sicut ab omni censu, vel servitio Episcopi, vel Archidiaconi liberam reperimus, ita in futurum permanere decernimus. De Advocato insuper ejusdem Ecclesiæ hoc ratum esse volumus, quod præmemoratus beatæ memoriæ Archiepiscopus ex petitione jam supradicti venerabilis viri Gerardi instituit, ut scilicet nullus Advocatus sit eidem Ecclesiæ præter eum, qui ei in castro *Wickerothe* legitimo jure successerit, qui verò nullatenùs Sub-Advocatum ullum eidem Ecclesiæ sæpiùs memoratæ præficiat, nihilque ab ea vel ab hominibus suis præter tertiam partem vadimoniorum de tribus generalibus placitis exigat, nec cum eis nisi invitatus placitare præsumat. Porrò quascunque possessiones quæcunque bona eadem Ecclesia Havenburvæ in præsentiarum justè & legitimè possidet, aut in futurum Domino præstante justis modis poterit adipisci, Fratribus inibi degentibus firma & illibata consistant. In quibus hæc propriis nominibus duximus annotanda: omnem decimam de ejusdem Ecclesiæ Parochia in *Havenburva*, duos mansos cum dimidia palude ibi adjacente. In *Rimusberg* duos mansos & molendinum In *Bruckhausen* tres mansos. In *Elpe* tres mansos. In *Hurst* quinque mansos. In *Lo* unum mansum. In *Mulen* tres mansos. In *Suttenfort* tres mansos, in *Westfelden* tres mansos. In *Vunh* unum mansum. In *Holthusen* unum mansum & quartam partem unius mansi. In *Apderlo* unum mansum & in *Colli* unum mansum. In *Hersongen* quatuordecim denarios. In *Urlouchem* unam mansum. Tractum in *Thevo* contra *Homberg*. In *Werbrich* unum mansum, de prædio B. Thitmari unum mansum. In *Hiclesdunck* duodecim denarios. In *Kaslo* unum mansum. In *Mulen* dimidium mansum. In *Bantzscheids* unum mansum. In *Sterkerothe* dimidium mansum. In *Hethun* duos solidos de levi moneta. In *Beene* duodecim denarios de levi moneta. In *Wideboneven* duodecim denarios. Ultra *Emescarın* tres denarios. Nulli ergo omninò hominum sit fas præfatam Ecclesiam temerè perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, aut aliquibus vexationibus fatigare. Ut autem hæc firma & inviolata permaneant, autoritate Episcopalis Banni & nominibus testium subnotatis, qui huic traditioni interfuerunt, confirmavimus. Arnoldus Præpositus majoris Ecclesiæ. Hugo Decanus ejusdem Ecclesiæ. Wilhelmus Subdecanus. Hildebrandus Presbyter. Godefridus Præpositus Xantensis. Gerardus Præpositus Bonnensis. Theodoricus Præpositus sanctorum Apostolorum. Berno Præpositus sancti Cuniberti. Arnoldus Præpositus sanctæ Mariæ de gradibus. Walraven Dux. Adolphus Comes de *Monte*. Adolphus Comes de *Lasenberg*. Gosweing de *Heinbnisberg*. Adelbertus de *Narvenich*. Ministeriales: Almarus Henricus de *Volmodisten*. Henricus de *Alphen*. Conradus Advocatus. Joannes de *Zelpeto*.

Si quis post tot & tanta rerum maximarum firmamenta ex his aliquid demere, vel mutare, vel acta cassare tentaverit, fiat ei sicut Chore detractori, sicut Judæ proditori, A sorte Sanctorum alienus efficiatur, & cum diabolo & angelis ejus æternis ignibus cruciandus reservetur. Amen.

Actum Coloniæ in celebri Conventu Cleri & Præpositorum anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo tricesimo nono, Indictione secundâ,

Diploma Philippi Coloniensis Archiepiscopi, pro confirmatione bonorum & immunitatum Hambornæ. *Anno 1173.*

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ego Philippus Dei gratiâ licet indignus, Coloniensis Ecclesiæ Archiepiscopus, scire & memoriter tenere tam futuram quam præsentem Ecclesiam volo, quod temporibus Domini Brunonis Archiepiscopi secundi, Gerardus de *Hoinstadten*, vir Nobilis & memoriâ dignus, Ecclesiam Havenburnensem in allodio suo fundatam cum omnibus pertinentiis suis, unanimi hæredum suorum consensu, pro remedio animæ suæ suorumque, beato Petro omnimodò liberam tradidit, ea videlicet conditione, ut ibidem Canonicus Ordo secundùm regulam B. Augustini institueretur. Præfatus ergo piæ memoriæ Archiepiscopus justæ petitioni ejus gratum præbens assensum instituit inibi Congregationem regularium Canonicorum, cujus nos piam in hac re devotionem approbantes dignum duximus eandem Ecclesiam authoritatis nostræ privilegio communire. In primis siquidem statuentes ut Ordo Canonicorum qui secundùm regulam beati Augustini ibidem noscitur institutus, perpetuis futuris temporibus inviolabiliter servetur. Ipsos autem Canonicos inibi Domino servientes sic liberos esse volumus, ut nihil cuiquam obedientiæ debeant nisi mihi & successoribus meis canonicè electis. Eandem quoque Ecclesiam sicut ab omni censu & servitio Episcopi vel Archidiaconi liberam reperimus; ita in perpetuum permanere decernimus. De Advocato insuper ejusdem Ecclesiæ hoc ratum esse volumus, quod præmemoratus beatæ memoriæ Archiepiscopus ex petitione jam supradicti venerabilis viri Gerardi instituit, ut scilicet nullus Advocatus sit eidem Ecclesiæ post eum, qui ei in castro *Wickerothe* legitimo jure successerit. Qui verò nullatenùs Sub-Advocatum ullum eidem Ecclesiæ sæpiùs memoratæ præficiat, nihilque ab ea vel ab hominibus suis post tertiam partem vadimoniorum de tribus generalibus placitis exigat, nec cum eis nisi invitatus placitare præsumat.

Porrò quascunque possessiones, quæcunque bona eadem Ecclesia *Havenburna* in præsentiarum justè ac legitimè possidet, aut in futurum Domino præstante justis modis adipisci poterit, Fratribus inibi degentibus firma & illibata consistant. In quibus hæc propriis nominibus duximus annotanda. Omnem decimam de Parochia ejusdem Ecclesiæ in *Havenburna*, duos mansos cum tota palude ibi adjacente, & curtem Dominicalem quam ab Ottone & Adelheida uxore ipsius, eorum liberis omnibus consentientibus, cum eo jure, quo ipsi tenuerunt. In *Rimisberg* duos mansos & molendinum. In *Bruckusen* tres mansos. In *Hurst* quinque mansos. In *Elpe* tres mansos. In *Lo* unum mansum. In *Mulen* tres mansos. In *Suttebforst* tres mansos. In *Westfelden* tres mansos. In *Vurdhe* unum mansum. In *Holthusen* duos mansos. In *Apderlo* duos mansos, & in *Colle* unum mansum. In *Hersolgen* quatuordecim denarios. In *Urlovisheim* duos mansos. Piscationem in *Theno* juxta villam quæ dicitur *Homberg*. De prædio beati Thitmari unum mansum. In *Kaslo* unum mansum. In *Bramscheide* unum mansum. In *Sterkrode* unum mansum. In *Widenhoven* duodecim denarios. In *Eppinckhoven* duodecim denarios. In *Berghem* unum mansum & duos solidos pro censu, ultrà fluvium *Emscharim* tres denarios. In *Berzheim* unum mansum & duos solidos pro censu. In *Differen* duos mansos. In *Caldinhuzen* unum mansum. In *Dumethe* quindecim denarios. In *Dusburg* quatuorde-

cim denarios. In *Nuiwrodhe* unum mansum. In *Meickenich* dimidium mansum. Justas quoque & rationabiles libertates ab Arnoldo bonæ memoriæ Coloniensi quondam Archiepiscopo, sicuti in ejus privilegio continetur vobis concessas authoritate Apostolicâ, & vobis nostra nihilominùs confirmamus. Sanè novalium vestrorum quæ propriis manibus aut sumptibus colitis, sive de nutrimentis vestrorum animalium, nullus à vobis decimas præsumat exigere.

Decernimus ergo ut nulli omninò hominum liceat supradictam Ecclesiam temerè perturbare, aut ejus possessiones auferre vel ablatas retinere, seu quibuslibet vexationibus fatigare aut parochianos avellere, vel Ecclesiam demembrare, sed illibata omnia & integra conserventur, eorum pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura. Si qua igitur in futurum ecclesiastica, sæcularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temerè venire tentaverit, secundò, tertiòve commonita, nisi præsumptionem suam congrua satisfactione correxerit, potestatis, honorisque dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sanctissimo Corpore & Sanguine Dei, & Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat.... Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi; quatenùs & hîc fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen.

Ut autem hæc firma & inviolata permaneant, authoritate Episcopalis Banni & nominibus testium subnotatis qui huic editioni interfuerunt, confirmavimus.

Bruno majoris Ecclesiæ Episcopus, Adolphus Decanus majoris Ecclesiæ. Philippus Xantensis Præpositus, Bertolfus Magister ejusdem Ecclesiæ. Hillinus Decanus, Engelbertus Comes de *Monte*. Arnoldus Comes de Altena, & Fridericus frater ejus. Theodoricus Comes *Hostaden*. Otto frater ejus Advocatus ejusdem Ecclesiæ, Everwinus de *Holtho*. Arnoldus Steecke, Gumbertus de *Elnere*. Gerardus Advocatus de *Col*... Hermannus de *Budberg*. Si quis post tot & tanta rerum maximarum firmamenta ex his aliquid demere, vel mutare, vel acta cassare tentaverit, fiat ei sicut Chore detractori sicut Judæ proditori, à sorte Sanctorum alienus efficiatur, & cum diabolo & angelis ejus æternis ignibus cruciandus reservetur. Amen. Anno MCLXXIII.

Bulla Adriani IV. pro confirmatione bonorum & privilegiorum Hambornæ. *Anno 1158.*

ADrianus Servus Servorum Dei, dilectis Filiis Gernodo Ecclesiæ S. Joannis Baptistæ in Havenburna Præposito, ejusque Fratribus tam præsentibus quàm futuris.... Quoties illud à nobis petitur quod religioni & honestati convenire dignoscitur animo nos decet lubenti concedere.... Ea propter, dilecti in Domino Filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus & præfatam Ecclesiam in qua divino mancipati estis obsequio sub B. Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus. Imprimis siquidem statuentes ut Ordo Canonicus qui secundùm Deum & B. Augustini regulam, & constitutiones Præmonstratensis Ecclesiæ ibidem noscitur institutus, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascunque possessiones, quæcunque bona, eadem Ecclesia in præsentiarum justè & canonicè possidet,... firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant, in quibus hæc duximus propriis exprimenda vocabulis. Omnem decimam de parochia ejusdem Ecclesiæ in Havenburna, duos mansos cum dimidia palude ibidem adjacente. In *Rimuberg* duos mansos & unum molendinum. In *Brockhusen* tres mansos. In *Elpe* tres mansos. In *Hurst* quinque mansos. In *Lo* unum mansum. In *Mulen* tres mansos. In *Suthesshorst* tres mansos. In *Wetfelde* tres mansos. In *Urtha* unum mansum. In *Holthejen* unum mansum, & quartam partem alterius. In *Apilderlo* unum, & in colle unum. In *Hersougen* quatuordecim denarios pro censu. In *Urlouches* unum mansum. Piscationem in Rheno juxta villam quæ dicitur *Homberg*. In *Werbruch* unum mansum, de prædio beati Thimari, unum mansum. In *Raslo* unum mansum. In *Mulen* dimidium mansum. In *Bamscheidt* unum mansum. In *Sterckrothe* dimidium mansum. In *Widenhoven* duodecim denarios, ultra fluvium Emscharim * tres denarios. Curtem quoque Dominicalem quam ab Ottone Comite, & Adeleluda uxore ejus, eorum liberis omnibus consentientibus, cum eo jure quo ipsi tenuerunt, emistis. Justas quoque & rationabiles libertates ab Arnoldo bonæ memoriæ Coloniensi quondam Archiepiscopo, sicut in ejus privilegio continetur, vobis concessas, authoritate Apostolicâ, vobis nihilominùs confirmamus. Sanè novalium vestrorum quæ propriis manibus aut sumptibus colitis, sive de nutrimentis vestrorum animalium nullus à vobis decimas præsumat exigere. Decernimus ergo ut nulli omninò hominum liceat supradictam Ecclesiam temerè perturbare.......

* In Bulla Alexandri IV. aqua Emscaria.

Datum Laterani per manum Alberti S. Adriani Diaconi Cardinalis vicem Domini R*... sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyteri Cardinalis & Cancellarii gerentis, III. Idus Novembris, Indict. VI. Pontificatûs Domini Adriani Papæ IV. anno IV. Incarnationis verò Dominicæ anno MCLVIII.

* Rolandi tunc ad Willelmum Siciliæ Regem ablegati, sub anno 1159. ad summum Pontificatû promotus, & sub nomine Alexandri III.

Ego Adrianus Catholicæ Ecclesiæ Episcopus. Ego Hubaldus Presb. Card. S. Praxedis. Ego Octavianus Presb Card. S. Cæciliæ. Ego Astaldus Presb. Card. S. Priscæ. Ego Joannes Presb. Card. S. Joannis & Pammachii. Ego Henricus Presb. Card. SS. Nerei & Achillei. Ego Odo Diaconus Card. S. Georgii ad velum aureum. Ego Guido Diaconus Card. S. Mariæ in Porticu. Ego Jacintus Diaconus Card. S. Mariæ in Cosmedin. Ego Arditio Diacon. Card. S. Theodori.

Bulla Alexandri IV. bona, jura, immunitates Hambornæ *recensens & approbans. Anno 1258.*

ALexander Episcopus Servus Servorum Dei, dilectis filiis Abbati sanctorum Joannis Baptistæ & Evangelistæ in Havenburna ejusque fratribus.... religiosam vitam professis Apostolicum convenit adesse præsidium,... Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & Ecclesiam SS. Joannis Baptistæ, & Evangelistæ, in Havenburna Coloniensis Diœcesis, sub B. Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus. Imprimis siquidem statuentes ut Ordo Canonicus.... perpetuis ibidem temporibus observetur inviolabiliter. Præterea quascunque possessiones, quæcunque bona.... possidet.... seu aliis justis modis præstante Domino poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipsum in quo præfata Ecclesia sita est cum omnibus pertinentiis suis. Duos mansos terrarum propè ip-

ſam Eccleſiam poſitarum, prout ſuis finibus terminatur. In villa quæ dicitur *Rimiſberg* manſum unum terræ citra fluvium qui *Emſcaria* nominatur, & manſum unum terræ ac molendinum cum aquarum decurſibus & omnibus pertinentiis ſuis juxta fluvium præfatum. Quatuor manſos terrarum quos habetis in villa quæ dicitur *Bruchuſen*. Duos manſos terrarum in villa *Haſle* vulgariter nominata. Sex manſos & dimidium terrarum in territorio villæ quæ *Hurſt* vulgariter appellatur. Unum manſum in villa *Elpe* communiter appellata. Tres manſos terrarum & dimidium in loco *Smitsforſt* communiter appellato. Quinque manſos terrarum in *Weefelde*. Sex manſos terrarum & dimidium in villis & locis *Holthuſen* & *Vort* communiter nominatis. Villam quæ *Apelderlo* dicitur cum omnibus pertinentiis ſuis. Manſum unum in loco qui appellatur *Colits*. Tres manſos terrarum in villa quæ *Urleſchem* vocatur. Piſcarias quas habetis in flumine quod Rhenus dicitur, & in aqua quæ dicitur Emſcaria, prout ſuis finibus terminatur. Manſos terrarum, domos & poſſeſſiones quas habetis in villis & locis quæ *Oſterich*, *Caſlo*, *Mullo* & *Eſtlinchoven* communiter appellantur. Manſos terrarum, domos & poſſeſſiones quos habetis in villis & locis *Cuthem*, *Barmſcheide*, *Eplincheim*, vulgariter nominatis. Manſos terrarum domos & poſſeſſiones cum omnibus pertinentiis ſuis quos habetis in villis & locis *Bercheim*, *Heige*, & *Mirckenich* communiter appellatis. Manſos terrarum, domos & poſſeſſiones quos habetis in villis & locis *Kaldenhoven*, *Parvo Dumethe*, *Urke*, *Delvne*, & *Lireke* communiter nominatis. Curtem unam, dimidium manſum terræ, & aream in villa quæ *Hamme* vulgariter appellatur. Molendinum & dimidium manſum terræ in loco qui dicitur ſuper *Lo*. Curtem unam, cum aquarum decurſibus & domos cum omnibus pertinentiis eorumdem quæ habetis in loco qui nominatur *Lo*. Curtem unam, & duos manſos terrarum in villa quæ dicitur *Srocheim*. Curtem unam & manſum unum terrarum in villa quæ vocatur *Beke*. Sylva quæ vocatur *Havenburnenſium* cum omnibus juribus & pertinentiis ejus prout ſuis finibus terminatur. Nemus quod dicitur *Voſſtechen* cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis. Molendinum ſitum in loco qui dicitur *Kinſvinckil* cum aquarum decurſibus & omnibus pertinentiis ſuis. Medietatem nemoris quod *Packerdunck* appellatur, cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis. Paſcua quæ habetis ibidem cum trinis pratis, vineis, nemoribus, uſagiis, & paſcuis in *Boſco* & plano in aquis, & molendinum in viis & ſemitis, & aliis omnibus libertatibus & immunitatibus ſuis. Sanè novalium veſtrorum quæ propriis manibus aut ſumptibus colitis, de quibus aliquis hactenùs non percepit, ſive de veſtrorum animalium nutrimentis nullus à vobis decimas exigere, vel extorquere præſumat. Liceat quoque vobis Clericos vel Laïcos liberos & abſolutos è ſæculo fugientes ad converſionem recipere, & eos abſque contradictione aliqua retinere. Prohibemus inſuper ut nulli Fratrum veſtrorum poſt factam in Eccleſia veſtra profeſſionem fas ſit ſine Abbatis ſui licentiâ de eodem loco in arctioris religionis obtentu diſcedere; diſcedentem verò abſque communi litterarum veſtrarum cautione nullus audeat retinere. Cum autem generale interdictum terræ fuerit; liceat vobis, clauſis januis, excluſis excommunicatis & interdictis, non pulſatis campanis, ſuppreſſâ voce, divina officia celebrare, dummodò cauſam non dederitis interdicto. Chriſma verò, Oleum ſacrum, conſecrationes altarium ſeu baſilicarum, ordinationes Clericorum qui ad Ordines fuerint promovendi, à Diœceſano ſuſcipietis Epiſcopo, ſiquidem Catholicus fuerit, & gratiam & communionem Sacroſanctæ Romanæ ſedis habuerit, & ea vobis voluerit ſine pravitate aliqua exhibere. Prohibemus inſuper ut infrà fines Parochiæ veſtræ nullus ſine aſſenſu Diœceſani Epiſcopi, & veſtro Capellam ſeu Oratorium de novo conſtruere audeat ſalvis privilegiis Pontificum Romanorum. Ad hæc novas & indebitas exactiones ab Archiepiſcopis, Epiſcopis, Archidiaconis ſeu Decanis, aliiſque omnibus Eccleſiaſticis, ſæcularibuſve perſonis à vobis omninò fieri prohibemus. Sepulturam quoque ipſius loci liberam eſſe decernimus, ut eorum devotioni & extremæ voluntati qui ſe illic ſepeliri deliberaverint, niſi fortè excommunicati, vel interdicti ſint, aut etiam publicè uſurarii; nullus obſiſtat ſalvâ tamen juſtitiâ illarum Eccleſiarum à quibus mortuorum corpora aſſumuntur. Decimas præterea & poſſeſſiones ad jus Eccleſiarum veſtrarum ſpectantes, quæ à Laïcis detinentur, redimendi & legitimè liberandi de manibus eorum, & ad Eccleſias ad quas pertinent revocandi libera ſit vobis de noſtra authoritate facultas. Obeunte verò te nunc ejuſdem loci Abbate, vel veſtrorum quolibet ſucceſſorum nullus ibi qualibet ſubreptionis aſtutiâ ſeu violentiâ præponatur, niſi quem Fratres communi conſenſu, vel Fratrum major pars conſilii ſanioris ſecundùm Deum, & B. Auguſtini regulam providerint eligendum. Paci quoque & tranquillitati veſtræ paternâ in poſterum ſollicitudine providere volentes, authoritate Apoſtolicâ prohibemus ut infrà clauſuras locorum ſeu grangiarum veſtrarum nullus rapinam, ſeu furtum facere, ignem apponere, ſanguinem fundere, hominem temerè capere vel interficere, ſeu violentiam audeat exercere.

Præterea omnes libertates & immunitates à prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus Eccleſiæ veſtræ conceſſas, nec non libertates & exemptiones à Regibus & Principibus ſæcularium exactionum, vel aliis fidelibus rationabiliter vobis indultas authoritate Apoſtolicâ confirmamus, & præſentis ſcripti privilegio communimus.

Decernimus ergo ut nulli omninò hominum liceat præfatam Eccleſiam temerè perturbare, aut ejus poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, ſeu quibuſlibet vexationibus fatigare, ſed omnia integra conſerventur eorum pro quorum gubernatione ac ſuſtentatione conceſſa ſunt uſibus omnimodis profutura, ſalvâ ſedis Apoſtolicæ authoritate & Diœceſani Epiſcopi Canonicâ juſtitiâ.

Si qua igitur in futurum Eccleſiaſtica, ſæculariſve perſona hanc noſtræ conſtitutionis paginam, ſciens contra eam temerè venire tentaverit, ſecundò, tertiòve commonita, nec reatum ſuum congruâ ſatisfactione correxerit, poteſtatis, honoriſque ſui careat dignitate reamque ſe divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & à ſacratiſſimo Corpore & Sanguine Dei & Domini Redemptoris noſtri Jeſu Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine diſtrictæ ſubjaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco ſua jura ſervantibus ſit pax Domini noſtri Jeſu Chriſti, & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud diſtrictum Judicem præmia æternæ pacis inveniant, Amen.

Ego Alexander, Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus.
Ego Odo Tuſculanus Epiſcopus.
Ego Stephanus Præneſtinus Epiſcopus.
Ego Fr. Joannes H. S. Laurentii in Lucina Preſb. Cardin.
Ego Fr. Hugo titulo S. Sabinæ Preſb. Cardinalis.
Ego Richardus S. Angeli Diaconus Cardinalis.
Ego Ottomanus ſanctæ Mariæ in via lata Diaconus Cardinalis.

Ego Petrus S. Georgii ad velum aureum Diac. Cardinalis.

Ego Joannes S. Nicolai in carcere Tulliano Diac. Cardinalis.

Ego Ottobonus S. Adriani Diaconus Cardinalis.

Datum Viterbii per manum Magistri Jordani sanctæ Romanæ Ecclesiæ Notarii & vice-Cancellarii, quinto Nonas Julii, Indictione primâ, Incarnationis Dominicæ anno MCCLVIII. Pontificatûs verò Domini Alexandri Papæ IV. anno quarto.

Diploma Michaelis Colbert *Abbatis Præmonstrati, quo unit monasterium* Viridis-stagni *in Scotia situm, monasterio* Hambornensi. *Anno 1673.*

NOs F. MICHAEL COLBERT Dei & Sanctæ sedis Apostolicæ gratiâ Præmonstrati Abbas, totiusque Canonici Ordinis Præmonstratensis, Caput & Superior generalis, Regi Christianissimo à consiliis sanctioribus &c. Reverendo admodùm Domino confratri Joanni Alberto ab *Heerdt* Abbati Hambornensi, Ordinis nostri Præmonstratensis, Diœcesis Coloniensis, salutem in Domino. Ex injuncto nobis in totum Præmonstratensem Ordinem sollicitudinis officio, sic tenemur diruta reparare, & perdita requirere, sicut integra conservare, & impedita desfendere dignoscimur obligari & tempore quo clavum Ordinis, Deo patiente, tenemus, onmem nostram convertimus attentionem, ut ad Ecclesias Ordinis nostri, regularis disciplinæ observantiâ claras, cursum visitationis dirigeremus, eas confirmaremus & stabiliremus imperitas & titubantes congruentibus decretis fulciremus, firmaremus & sustineremus. Nunc verò tempus est ut perditas & injustè occupatas requiramus & ab indebitis possessoribus repetamus, atque si quid per nos ipsos plurimis curis distentos fieri nequeat, idipsum aliis uti sedulis in vinea Domini operariis committamus. Sanè relatione nobis facta ad nostram venit notitiam monasterium *Viridis-Stagni* alias *Sanlesiete* Ordinis nostri, Diœcesis Glascoensis, in Circaria Scotiæ, infula & Pontificalibus conspicuum, hæreticorum violentia, à Religiosis inibi professis, Abbateque illius in exilium pulsis, & per casum mortalitatis è vivis sublatis derelictum, nunc vacare & ad nos Patrem & Generalem devolutum esse, cui malo tametsi efficax pro hoc tempore remedium afferre non liceat, ex quo tamen non parva spes suppetit fore ut suo tempore prædictum *Sanlesiete* monasterium ad antiquum Præmonstratensis Ordinis institutum resurgat; tunc ne injusti possessores longioris temporis decursum in iniquitatis suæ defensionem prætexant, providendum esse duximus ut ejusdem monasterii nobis subjecti sollicitudo & administratio tali in Ordine viro committatur quocum munus & onus humeris nostris incumbentia partiremur, quique moribus, scientia & ætate probatissimus prudentes conatus & indefessos labores pro dicti monasterii recuperatione potenter admoveat: attendentes itaque tuam in Deum sinceram pietatem, insignesque animi tui dotes, tibi ac monasterio tuo Hambornensi supradicto, tuisque deinceps legitimis successoribus authoritate nostrâ præfatum monasterium *Viridis-Stagni* Ordinis nostri, ut præfertur vacans, seu ejusmodi vacantem Abbatiam tam in spiritualibus, quàm in temporalibus, pleno jure, tenore præsentium subjicimus, unimus, annectimus, & incorporamus unà cum omnibus & singulis juribus, privilegiis, honoribus, emolumentis, prærogativis, dignitatibus, titulis, & prælaturæ dignitatis insignibus, bonis quoque temporalibus, prædiis, agris, villis & aliis, tam mobilibus quàm immobilibus omni meliori formâ & modo solitis & consuetis, teque Abbatem de *Sanlesiete* harum vigore nominamus, præficimus, constituimus & confirmamus, atque ex nunc & in posterum pro tali haberi, censeri, intitulari & nominari volumus; mandantes omnibus nobis subjectis utriusque sexûs personis, ad quas spectat, in virtute salutaris obedientiæ, quatenùs te ut Prælatum de *Sanlesiete* cum debito honore recipiant, & admittant, tibique in his quæ ad jurisdictionem tuam qualitercumque spectant vel spectare poterunt, reverenter pareant, faveant & assistant, atque efficaciter obedire teneantur. Dantes ea propter & concedentes tibi plenam & liberam potestatem atque omnimodam authoritatem per te, vel per procuratorem tuum, tuo & Ecclesiæ *Hambornensis* nomine sæpè dictum monasterium ejusque filias & Cœnobia ab eo dependentia, primâ quâ licuerit occasione ad obedientiam & subjectionem Ordinis vindicandi & reducendi, ejus realem corporalem possessionem apprehendendi, teque in illam collocandi, eamque tenendi & conservandi, iniquos eò usque detentores seu occupatores exinde amovendi, seu quibusvis juris ac facti remediis removeri faciendi, statum & œconomiam illius, novâ illuc è tuo claustro ducta Fratrum Religiosorum coloniâ ordinandi, disponendi, & juxta sanctæ Matris Ecclesiæ Romanæ ritus ac mores, nec non Ordinis nostri statuta ac laudabiles consuetudines in fide ac moribus reformandi, ac in qualitate Abbatis, per te, seu ubi personaliter adesse nequiveris per Substitutum, Priorem seu rectorem, virum ad hoc repertum idoneum, in utroque statu interiori & exteriori regendi seu gubernandi, cæteraque omnia & singula generaliter & specialiter faciendi, quæ facere possunt Ordinis nostri Abbates & Prælati, salvo in omnibus nostro jure & alieno.

Datum Parisiis in Collegio nostro Præmonstratensi, die decimâ septimâ mensis Aprilis, anno Domini millesimo sexcentesimo septuagesimo tertio. In quorum fidem ac robur præsentes manu propriâ & Secretarii nostri subscriptas, sigilli nostri impressione jussimus cummuniri.

Fr. MICHAEL COLBERT Abbas Præmonstratensis & Generalis.

Bulla Eugenii IV. immunitates, possessiones, paternitatis jura confirmans Abbatia Bresnensi. *Anno 1442.*

EUgenius Episcopus.... Dilectis Filiis Abbati totique Conventui de *Brzesko* Diœcesis Cracoviensis, salutem & Apostolicam benedictionem. Etsi omnes religionis Christianæ Ordines, paternâ diligamus charitate, Ordinem tamen Præmonstrat. ob nostrum ad B. Augustinum, sub cujus regula militare dignoscimini, reverentiam & dignitatem, speciali semper affectu prosequimur. Hinc est quod cùm ad nostram audientiam devenisset vos, in personis, vestris à potestate ordinaria Diœcesani Cracoviensis, suasque vires gerentium, temerè inquietari, jura exemptionum Ordinis vestri ab iisdem infringi & violari, jus pro tempore Abbati, Abbatibusque de *Brzesko* monasterii, super monasteriis ejusdem Ordinis in regno Poloniæ, Hungariæ, & alibi debitum à nonnullis impediri, *Vitoviensem & Sandecensem* Abbatiales, nec non *Sveruncensem* ad Cracoviam. *Imbramovicensem*, de *Busko*, *Kryzanovicensem*, & S. Mariæ Magdalenæ de *Plocko* Præposituràles Ecclesias, illarumque pro tempore Superiores ordinariam juris paterni jurisdictionem illegitimè detrectare, ac subjectionem (quam pro tempore existentes

D. D. Monasteriorum Superiores in manibus Abbatis pro tempore monasterii de *Brzesko* omninò jurasse dignoscuntur, successoresque sui in manibus Abbatum monasterii de *Brzesko* jurare secundùm instituta vestri Ordinis tenentur) temerè subterfugere, ut importunis litium dispendiis eatur obviam; vosque & successores vestri in quiete Deo, & observantiæ regulari vacare, ac penes jura Ecclesiæ monasterii vestri de *Brzesko* pacatè conservati esse possitis, proprio motu, ac de certa scientia, & non ad cujusvis instantiam, vos, successoresque vestros, unà cum bonis, possessionibus, juribus, gratiis, privilegiis, libertatibus, exemptionibus, à Regibus, Principibus, Ducibus, Toparchis, ac aliis devotis Christi fidelibus vobis rationabiliter indultis, sub protectionem SS. Apostolorum Petri & Pauli, nostramque suscipimus, & eadem omnia, & singula, specialiter autem fundos monasterii de *Brzesko*, & villo *Drvena*, *Modærs*, *Gonow*, *Muszsow*, *Nekanovice*, *Chebdow*, *Sucha*, *Gorka*, à devotis Strzezislao, & Vrocislao in dotem Ecclesiæ vestræ, cum pascuis, piscationibus, mellificiis (bonæ memoriæ Boleslai, cognomento *Crispi* Principis Poloniæ accedente favore) collatos, & inscriptos, nec non decimas, census, oblationes, fructus, redditus, à dilecto bonæ memoriæ Ivone Episcopo Cracoviensi, Ecclesiæ vestræ gratiosè datos; item sylvas in eremo vocata *Niepolamska*, agros, prata, casalia, grangias, oppidum, aquarum concursus, stagna, lacus, piscarias, item jus instituendi in Parochiali Ecclesia Oppidi Brzsko, prout & in aliis jam enumeratis Monasteriorum Ecclesiis, ac perpetuis etiam beneficiis Ecclesiæ vestræ monasterii de Brzsko jure paterno subjectis, authoritate Apostolicâ confirmamus, perpetuumque robur habere debere decernimus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Volumus quoque vos, successoresque vestros solis vestris regularibus Generali, aliisque vestris Superioribus conformiter ad exemptionem Ordinis vestri, & non Diœcesano Cracoviensi (salvo tamen ejus jure in iis quæ ad animarum curam in Parochiis concernunt) subjectos esse. Ecclesiam præterea vestram futuris temporibus ampliùs ornatam fore cupientes insistendo privilegio felicis recordationis Martini V. antecessoris nostri, quod incipit: *Exposcit vestræ devotionis sinceritas, &c.* Illud in omnibus punctis & clausulis innovamus, Abbatique pro tempore, & aliis Abbatibus successoribus vestri monasterii de *Brzsko*, ut in Ecclesiis Ordinis vestri quibuscumque solemnem in Pontificalibus benedictionem possit elargiri, indulgemus. Nulli ergo hominum hanc paginam nostræ susceptionis, confirmationis, communitionis, decreti, voluntatis, innovationis, & concessionis liceat infringere, vel ei temerario ausu contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Apostolorum Petri & Pauli se noverit incursurum. Datum Romæ apud sanctum Petrum VI. Kalend. Julii, Pontificatûs nostri anno decimo 1442.

ANGELUS MASCARDUS
B. de Aretio Grifius.

Transactio pacifica inter Abbatem Hebdovicensem, *& Prælatos Poloniæ super jure Paternitatis ejus, facta per Joannem* Sigern, *Commissarium Capituli generalis. Anno 1450*

FRater Joannes *Sigern* Prior sancti Augustini propè Morinum, in sacra pagina Baccalaureus, Ordinis Præmonstratensis, Moriensis Diœcesis Commissarius unicus ex parte Reverendorum in Christo Patrum Domini Joannis Dei & Apostolicæ sedis gratiâ Abbatis Præmonstratensis, & Abbatum ultimi Capituli generalis, in regnis, partibus & Circariis Poloniæ, Hungariæ & alibi, cum plenitudine potestatis directus; & mihi assistentibus Religiosis viris & Notariis inferius nominandis. Universis & singulis hanc seriem inspecturis notum facimus, quod cum anno Domini 1450. currente tertiâ die mensis Octobris in Civitate Cracoviensi in domo habitationis venerabilis in Christo Patris Domini Nicolai Abbatis Breznensis monasterii dicti Ordinis essemus capitulariter congregati & dudum, ut nobis referebatur, lis orta fuisset inter venerabilem & religiosum virum Dominum Joannem *Topeti* Priorem Præmonstratensem actorem ex una, & prænominatum Dominum Nicolaum Abbatem Presuensem partibus ab altera. Ideo quòd dictus Dominus Joannes *Topeti* contra prænominatum Dominum Nicolaum sententiam excommunicationis fulminavit, seu fulminari fecit, & tandem Dominus noster Præmonstratensis prænominatum Nicolaum tanquam reus in suis mandatis Paternitate suâ, & proprio monasterio privavit, seu privari jussit, donec de contemptu Ordinis & excessibus sibi illatis satisfaceret Ordini, jus quoque patrocionatûs ad suos subditos, scilicet Vithoviensem, vel S. Spiritûs in nova Sandec monasteriorum Abbates transtulit, quâ de re cæteri Prælati & Præpositi se dictis Vithoviensi & Sandecensi junxerunt, & eorum processibus adhæserunt, ipso prænominato & Dño Nicolao spreto & neglecto, & in Basilica sententiam contra ipsum obtinuerunt. Videns igitur prænominatus Dominus Nicolaus se taliter apud superiores Ordinis Patres & Prælatos indebitè, ut allegabat, accusatum & diffamatum, ad sedem Apostolicam de gravamine & sententia provocavit in Romana curia, in qua quæstio præfatarum partium longè latèque ante oculatos & prudentes Judices, prout ex processibus patet, extitit agitata, & tandem per Dominum nostrum sanctissimum Dominum Eugenium summum Pontificem Reverendo Patri Domino Paulo de sancta fide sacri Palatii causarum Auditori commissa fuit videnda, examinanda & ad finem justum terminanda. Qui quidem Judex Apostolicus, processibus hinc inde satis visis, & examinatis, partibusque vocatis cum earum procuratoribus minimè comparentibus, suam sententiam promulgavit in hunc modum. Christi nomine invocato, pro tribunali sedentes, & solum Deum præ oculis habentes de Dominorum coadjutorum nostrorum consilio & assensu per hanc nostram sententiam, quam fecimus in his scriptis pronuntiamus, decernimus, & declaramus præfatam prætensam sententiam deffinitivam per quemdam Radolphum *Rudeschen* Canonicum Vormatiensem prætensum Judicem, & olim à Concilio Basiliensi, prout dicitur, deputatum ad

instantiam quorumdam Petri Vithoviensis Gneznensis Diœcesis & Bartholomæi S. Spiritûs in *Nova-Sandec* Monasteriorum Abbatum & Joannis in *Bresko*. & Bartholomæi in *Krzyzanowice* Cracoviensis Diœcesis, & Matthæi S. Mariæ Magdelenæ extra muros Plocenses Monasteriorum Præpositorum, & eorum consortum de & super quadam contributione, & rebus aliis in ipsa causa designatis, & ipsarum occasione, ut dicitur, latis, malè & nulliter fuisse & esse processum, sententiatum, & definitum, ac omnia inde secuta nullitatis vitio subjacere, ipsamque & inde secuta declaramus fore nulla, & definimus & declaramus, & quatenùs de facto processit, illam irritandam, cassandam, & annulandam fore, & irritamus, cassamus, & annihilamus, præfatumque Dominum Nicolaum Patrem Abbatem monasterii Breznensis, dictæ Cracoviensis Diœcesis, Ordinis Præmonstratensis, prædictis prætensis excommunicationibus, aggravationibus, reaggravationibus, denuntiationibus, & aliis censuris in vim sententiæ contra ipsum latis & fulminatis minimè fuisse & esse ligatum, ipsumque ab eisdem, quatenùs indigeat; absolvendum fore ad cautelam & absolvimus. Nec non præfatos Petrum & Bartholomæum Abbates, ac Joannem Bartholomæum, & Matthiam præfatos in expensis propterea legitimè factis condemnandos fore, & condemnamus, quarum expensarum taxationem nobis in posterum reservamus. Quare omnia & singula supradicta vobis universis & singulis supradictis intimamus, insinuamus, & notificamus quod sub anno à Nativitate Domini MCCCCXLII. Indictione primâ, die Mercurii, XXVIII. mensis Maii, Pontificatûs præfati Domini nostri Eugenii Papæ IV. anno ipsius XI.

Attendentes igitur prænominatum Dominum Nicolaum per Apostolicam sententiam ad sua jura & proprium monasterium sic esse & fuisse repositum, & à sententiis absolutum, etiam ipso dolente si vultus Patrum Ordinis quoquo modo directè vel indirectè conturbaverit, & de sibi impositis articulis se plurimum excusandum & in quantum valuit, larga obsequia propter honorem Ordinis nobis præstandi; considerantes quoque quod divisio inter caput & membra tam scandalosa apud vulgum habeatur quod tandem materia seu occasio fuisset destructionis omnium monasteriorum nostrorum in Circaria Poloniæ, plurium sapientum virorum usi consilio, prænominatum Nicolaum Patrem Abbatem sicut hactenùs fuerat suscepimus, & authoritate quâ fungimur in hac parte, tenore præsentium suscepimus, utrique parti ac omnibus nostri Ordinis personis sub gravissimis pœnis perpetuum silentium imponentes, & verâ pace ac concordiâ inter ipsos suadentes ordinari. Denique quod omnia recitata & ordinata in facto religionis usque in præsentem diem ab utraque parte sive fuerint provisionis, sive alii actus in facto religionis, nullus ex tunc aliquid immutare, addere, vel minuere præsumat per se vel per alium sine interpretatione Dominorum Capituli generalis, ac Summi Pontificis quibus semper revereri tenemur. Renovantes tamen hunc articulum quem in aliis locis non posuimus, scilicet quod Prælati vel Præpositi qui per Dominum Patrem Abbatem Breznensem non sunt confirmati, & qui nondum fecerunt sibi obedientiam, præsertim citra tempus latæ sententiæ præfato Nicolao tenebuntur facere obedientiam manualem, & munus confirmationis accipere casu quo requirat. Verum quia taxa expensarum apud præfatum Judicem adhuc pro parte dicti Breznensis reservatur, considerantes quod Ecclesia prænominata in facultatibus fuit plurimum debilitata, & multis omnibus extraordinariis afflicta & attediata pro refusione expensarum sæpè dicto Domino Nicolao Breznensi, & ejus monasterio tallias ordinarias totius Circariæ prædictæ usque ad triennium & non ultra à data præsentium assignamus levandas, dempto tamen monasterio Vithoviensi cui ad idem tempus suas tallias remittimus. Si quis verò contra nostras ordinationes & concordias factas per consensum ambarum partium quoquo modo per se vel per alium contravenerit, ipsum tanquam pacis perturbatorem & Ordinis conspiratorem notabimus; & sententiâ excommunicationis innodamus à quâ absolvi non verebitur nisi à nobis, seu à Domino Præmonstratensi vel Capitulo generali.

Datum Cracoviæ, anno, mense, die & loco quibus suprà, præsentibus & astantibus venerabilibus & religiosis viris Dominis Martino *Imbramovicensi*, Venceslao *Swerzynecensi*, Mathia de *Barleo*, Alberto de *Krzyzanowice* Præpositis, nec non Nicolao de *Radom*, Petro de *Sczyrozow*, publicis Notariis, nostro sub sigillo.

Privilegium Floriani Abbatis, pro Advocato & civibus Oppidi Bresnensis *ab eo fundati. Anno 1279.*

QUia omnium habere memoriam, & penitus in nullo peccare, divinitatis magis, quàm humanitatis. Fragilitas conditionis humanæ, remedium solerti prudentia sibi reperit in quo summi defecit opificis voluntas. Igitur ne gesta mortalium in posteros propaganda, à memoria elabantur, assolent scripto testium semper testimonio perennari. Proinde tam præsens ætas noverit quàm futura, quod nos Florianus Dei miseratione Abbas, Wenceslaus Prior, Nicolaus Præpositus, totusque Conventus Fratrum omnium Ordinis Præmonst. domûs & monasterii Bresnensis, nostræ volentes Ecclesiæ reditus ampliare, conferimus & donamus, & titulo donationis tradimus perpetuò, Godefrido filio Arnoldi de *Glesin* liberam facultatem locandi nostram civitatem Bresnensem, jure theutonico quo civitas utitur quæ Novum forum in Silesia nuncupatur, ut eodem jure nostra Bresnensis civitas in omnibus gubernetur. Quapropter ut facilius & commodius, idem Advocatus ipsam civitatem incolis multiplicet & dilatet, permittimus bona fide, Ecclesiam fundare & locare in eadem civitate, nec non ipsi, suis posteris & omnibus ejusdem Advocati legitimis successoribus damus & concedimus, unum mansum in ipsa civitate, liberè & pacificè jure hæreditario, in perpetuum possidendum. De aliis verò universis & singulis mansis totius civitatis quæ in territorio Bresnensi, & in oppido mensurati fuerint hæc forma perpetuo servabitur, quod semper nostro monasterio quinque de ipsis Advocato Godefrido, quem dictæ nostræ civitati præfecimus, & successoribus, septus cadet, eosdemque mansos qui de sexta ejus cesserint personæ, sint ab omnibus juribus, censu & exactionibus, & ab omni solutione, & etiam à jure decimarum in perpetuum liberi & exempti. Qui autem domui nostræ de quinque partibus cesserint, volumus esse perpetuò censuales monasterio supradicto. Volumus etiam ut omnia nostra prata quæ sunt ex altera parte Vistulæ versùs ipsam civitatem, ad mansorum quantitatem mensurata, civibus divisa assignentur, & de qualibet tali quantitate prati, mansum continente, sive falcetum, sive aretum semper dimidium fertonem (a) argenti, ab ipsorum pratorum possessoribus persolvetur. Ita quòd de eadem solutione nostro monasterio quinque partes, memoratis verò

(a) Quatuor supra octoginta denariis constat.

Advocato

Advocato & successoribus, sexta portio semper cedet. Verumtamen mellificia monasterii, quæ in querцetis sunt pratorum, si eadem exarentur prata, volumus prorsùs illæsa & indemnia pro monasterio reservari. Reservamus etiam prata de *Gorka*, & *Nekanowice*, nostris hæreditatibus, cum ipsarum territoriis, & omnibus attinentiis pro nostra domo in perpetuum possidenda. Campum etiam, à via monasterii usque ad *Virowam*, pro incolis ibidem, qui ad servitium Domini Ducis terræ, quod *Prawod* vulgò dicitur, tenentur, perpetuò duximus reservandum. Vinea, nec non via quæ tendit ab eodem monasterio, in qua nullus alius præter ipsum monasterium, jus aliquod obtinebit. Item conferimus jam præfatis querceta *Coyecino* nominata, & querceta ex ilia parte *Wisle* pro pascuiis & aliis utilitatibus, liberè & quietè perfruenda. Præterea omnia macella, præter unum excipimus pro lumine tenendum nostræ Ecclesiæ, dicti Advocati & successores ipsius, cum omnibus cameris & stationibus quibus panes venduntur in foro, nec non omnia balnea in civitate, pro se jure hæreditario in perpetuum possidebunt. Locum etiam qui *Liwocew* nominatur, & alios parvos lacus videlicet *Bochlow*, *Piskorow*, eis conferimus jure semper hæreditario possidendos. Cæteri verò lacus monasterio pertinebunt. Insuper piscationes in Vistula ipse Advocatus civitatis, cum sagettis & retibus, certisque instrumentis, nec non quocumque maluerit genere piscandi, semper ubicumque fluvius idem nobis de jure spectat, liberè exercebit. Cives verò nequaquam aliter nisi cum hamis & gurgustriis, in eodem fluvio piscabuntur. Insuper sylva nostra magna, cujus libertatem cum à Domino Duce obtinuerimus, eisdem omnibus sit semper communis. Pascua etiam ibidem universa, sint ipsis communia universis. Item statuimus quod neque per nos, neque per nostrum Vicarium, sed Advocatum dictæ civitatis cum suis Scabinis, universas & singulas causas, tam capitales, quàm criminales & sanguinis, secundùm exigentiam jurisdictionis novi fori, liberam semper judicandi & sententiandi habeant facultatem. Ut autem dicta civitas Bresnensis proficiat & amplioribus gaudeat incrementis, cum dictis nostris civibus universis, gratiam facimus specialem, ut dictus Advocatus & sui cives à censu arearum & ab omni exactione sex annis gaudeant libertate; nec de aliis mansis, incultis terris, ubi adhuc sunt virgulta, infra octo annos, nec censum solvent aliquatenùs, nec malderatos, sed de quolibet manso terræ jam excultæ, modium tritici, modium avenæ & modium siliginis & fertonem argenti usualis. Item Pontem super Vislam nostrum, pro monasterii nostri dominio reservamus. In horum itaque omnium evidentiam prædictorum, ut justa incolumitate perseverent, roburque obtineant perpetuæ firmitatis, nulloque possint calumniæ scrupulo præpediri, præsentem paginam prædicto Advocato Godefrido contulimus, nostrorum munimine sigillorum, videlicet Abbatis & Conventùs Capituli, roboratam. Actum publicè Cracoviæ, anno 1279. in Octava S. Michaëlis, præsentibus D. Procopio Cancellario Domini Ducis. D. Floriano Abbate Vithoviensi, D. Arnoldo Præposito Zwierensi, D. Wenceslao quondam Abbate Bresnensi, Comitibus Sulcone & Immramo, Comite Seronone de *Glow*, Joanne Advocato Cracoviensi. . . . .

Litteræ testimoniales Rectoris Universitatis Cracoviensis, in gratiam studiorum & doctrinæ Hebdoviensium. *Anno 1684.*

FRanciscus Przewoski S. Theologiæ Doctor & Professor Collega major Ecclesiæ Collegiatæ S. Annæ Decanus, Scholasticus *Carzelovie*, Provisor contubernii Jerosolimitani, studii almæ Universitatis Cracoviensis Generalis Rector, universis quorum interest, præsertim notitiam habituris.

Magna semper viguit candidissimi Ordinis Canonicorum regularium Præmonstratensium, prout in aliis orbis Christiani partibus, ita & in Polonia nostra viget, huc usque pietatis, sanctimoniæ & eruditionis gloria, quam à primordiis suis in regno nostro feliciter cœptam, omnis deinceps ætas vidit innocentia vitæ, sacræ disciplinæ observantiâ & sapientiæ studio floruisse. Quod quidem ut solidiori fundamento niteretur, præclaris quibusque ex hoc florentissimo Ordine viris, ex antiquo observatum est, ut præter ea studia quæ intra Conventus suos instituta vigebant, in alma Universitate nostra studium generale potissimum deligerent in quo Philosophicis & Theologicis scientiis sedulo incumbentes, post multa probatissimæ doctrinæ experimenta, etiam Laureas doctorales consequerentur. Præivit hac in laude multis aliis celeberrimum monasterium Hebdoviense Cracoviæ vicinum, ex quo plurimi in Universitate nostra, studiorum curriculo feliciter exacto, Laureas eruditas meruerunt, & huc usque merentur, magno Ordinis sui solatio & ornamento. Æquissimum proinde censuimus ut celeberrimi hujus monasterii, pridem nobis spectatæ & toties ornatæ virtutis & sapientiæ decore, publico testimonio dignaremur, quod nunc libenter facimus & pro officio nostro rectorali, hisce præsentibus testamur, monasterii prædicti Canonicos regulares Præmonstratenses ab immemorabili tempore in Universitate nostra, Philosophica & Theologica studia tractare solitos, ad hanc usque diem id agere, prælectionibus & disputationibus publicis sedulo interesse, Laureis eruditis frequentissimè ornari, & ex iis qui in Universitate nostra promoti sunt, Lectores sæpiùs intra monasterium suum habere, virisque ingenio, virtute & eruditione in Ecclesia Dei conspicuis abundare. Atque hoc ut ad æternam Dei omnipotentis gloriam & candidissimi Ordinis hujus insigne decus, majora sumat in dies incrementa, dum ex animo vovemus, in meliorem hujusce rei fidem, præsentes testimoniales litteras nostras sigillo rectorali & manûs nostræ subscriptione muniri fecimus. Datum in Collegio majori, anno Domini 1684. die 4. mensis Novembris.

Bulla Innocentii II. qua recensetur & approbatur fundatio Abbatiæ Heylissemensis, *anno 1135.*

INnocentius Episcopus, servus Servorum Dei, dilecto Filio Rainero, salutem & Apostolicam benedictionem. Religiosis desideriis facilis est præbendus assensus, ut fidelis devotio celerem sortiatur effectum. Quia igitur, dilecte in Domino fili Rainere, ob peccatorum tuorum veniam promerendam, Ecclesiam ad honorem sanctæ Dei Genitricis Mariæ, ut juxta Beati Augustini Regulam, & formam Re-

ligionis Floreffienfium fratrum omnipotenti Deo inibi ferviatur, in proprio allodio, quod *Heylechſ-hain ſuperius* dicitur, conftruxifti; propofitum tuum ac defiderium in Domino collaudamus, & ad id propenfiùs exequendum omnimodis exhortamur. Nos tuis juftis poftulationibus clementer annuimus, & ut Ordo Canonicus in præfata Ecclefia perpetuis temporibus confervetur, præfenti decreto fancimus. Statuimus etiam ut poffeffiones & bona, quæ eidem Ecclefiæ à te, feu ab aliis religiofis viris collata funt, vel in futurum præftante Domino offerri contigerit, firma fratribus, qui inibi Domino famulantur, & illibata permaneant. Nulli ergo omninò hominum fas fit prædictum Ordinem in prænominata Ecclefia infringere, vel mutare, aut aufu temerario perturbare, vel bona ejus auferre, minuere, aut quibuflibet moleftiis fatigare; falva nimirum Diœcefani Epifcopi reverentia. Si quis autem huic noftræ conftitutioni audacter, vel temerariè contraire tentaverit, nifi congruè fatisfecerit, indignationem Beatorum Apoftolorum Petri & Pauli fe noverit incurfurum. Data Pifis v. Nonas Maii Incarnationis Dominicæ anno MCXXXV. Pontificatûs Domini Innocentii Papæ II. anno VI.

Charta Fundationis Prioratus de Heppe.

UNiverfis fanctæ matris Ecclefiæ filiis tam præfentibus quàm futuris qui has litteras vifuri funt vel audituri, Thomas filius Gofpatricii falutem. Sciatis quòd ego dedi & conceffi, & hac præfenti chartâ meâ confirmavi Deo & fanctæ Mariæ Magdalenæ & Canonicis de *Prefton*, qui funt de Ordine Præmonftratenfi, in liberam, puram & perpetuam eleemofynam pro falute animæ meæ, & fponfæ meæ, & omnium anteceſſorum meorum unam portionem terræ meæ in *Prefton*, in *Rendale* ad faciendum quandam manfionem Canonicorum; videlicet totum Dominicum parcum meum fubtus *Lackſloft*, & in *Lackſloft*, ufque viam quæ venit de *Preftonautreed*, & in inde fequendo viam, ufque ad viam quæ venit de *Holme*, & ita fequendo viam de *Holme* ufque ad ficum, quæ venit de *Hafaldmire*: & per ipfum ficum ufque aquam, quæ eft divifa inter duas *Preftonas*, & ita afcendendo ufque ad prænominatam viam de *Lackſloft*. Præterea dedi eis totam terram fubtus viam de *Wathſudden* ufque *Staunbrigge*, & totam terram de *Staunbrigge* ufque ad *Brackenthwait*, ficut fylva dividit & planum, & ita ufque ad terram Richardi filii *Sigith*, & fic ad viam quæ venit de *Staunbrigge* ufque ad divifam de *Farletone*; id eft totam terram quæ fuit Michaëlis filii Helenæ, & ita fequendo divifam de *Farletone* ufque in divifam inter duas *Preftonas*, & ita afcendendo ufque ad prædictam viam de *Wathſudden*, excepto dimidio prato de *Miresbrigge*, & decem acras apud *Siggethwait*, ad falum eorum. Et totam terram de furfum *Wathſudden*, fcilicet ubi Capella fuit infirmorum. Habebunt etiam de bofco meo, quantùm capere voluerint, & nunc habuerint, fine vifu Foreftariorum meorum, & cortices lignorum quæ præciduerint, ipforum erunt. Concedo etiam eis liberam communiam infra metas de *Prefton* cum omnibus aliis aifiamentis & libertatibus, quæ pertinent ad prædictam villam de *Prefton*, in bofco & in plano, in viis & femitis, & in aquis & in molendinis, & pafturam porcorum fuorum, five plenagiorum, & decimam panagii mei. Et molent ad molendinum meum fine multurâ, quando venerint, & tam mezea fuerit evacuata: & equum proprium habuerint molendinarium ad molendinum meum ceffabunt hominum prænominatum, volo quòd prædicti Canonici habeant & teneant eam in pace & plenariè & honorificè, in liberam puram & perpetuam eleemofynam, fine omni fæculari fervitio, confuetudine & exactione. Et ego & hæredes mei warantizabimus eis hanc donationem, contra omnes homines in perpetuum. Hiis teftibus, &c.

Charta Thomæ filii Gofpatricii de terra ubi Prioratus de Heppe *fituatur.*

UNiverfis fanctæ matris Ecclefiæ filiis præfentibus & futuris, Chartam iftam vifuris vel audituris, Thomas filius Gofpatricii fempiternam in Domino falutem. Noverit univerfitas veftra me dediffe, conceffiffe & hac meâ præfenti chartâ confirmaffe Deo & Ecclefiæ Beatæ Mariæ Magdalenæ de Valle *Magdalena*, & Canonicis Præmonftratenfis Ordinis ibidem Deo fervientibus, totam terram quæ fuit *Karl*, fcilicet per has divifas, de vado de *Karlwath* afcendendo per *Lowther* apud Auftrum ufque ad *Langesbabeck*, & fic afcendendo per *Langesbabeck* ufque ad femitam quæ venit de *Rendale*, & fic fequendo femitam illam verfus Aquilonem ufque dum veniat ad *Stanraſe* juxta *Rafland*, & ita per femitam illam ufque ad *Rafathe*, & fic defcendendo extra montem ufque ad magnum lapidem, ubi homines facere folebant *Leftablie*, & ita defcendendo ufque ad *Lowther*, & fic afcendendo per *Lowther* & ultra ufque ad divifas de *Rofgill* penes Orientem, de longo in longum apud Auftrum per fupercilium montis de *Kreſkeld*, & fic ufque ad *Alinbalike*. Præterea dedi eis vallem, cum Brufulâ in orientali parte contra fuam, tendens in longum per fupercilium montis ufque ad domum quæ fuit quondam Willielmi *Kink* & ita ufque ad terram, quæ fuit Matthæi de *Hepp*, & fic defcendendo verfus Occidentem ufque ad prædictum vadum de *Karlwath*. Dedi etiam eis communem pafturam cum hominibus meis, qui manent in *Rafath*, & pafturam in *Thamboord*, & in *Swindale* ex utraque parte, ufque ad fupercilium montis defuper *Binbarh*, & ex altera parte de *Swindale* ultra *Thengevehed*, ex utraque parte ubi voluerint, & opus fuerit, poffint die ac nocte infra dictam pafturam moram facere, & ad Abbatiam, & ad Vaccariam fuam, cum neceffe fuerit, ire & redire cum libero introitu & exitu. Hanc prædictam pafturam dedi eis & conceffi, fcilicet vaccis fexaginta, & equabus fylveftribus viginti, & quinque centum ovibus, cum fequela trium annorum, & quinque carneatis boum. Præterea dedi eis Turbariam & Petrariam, & Quareriam prædictam & ad Abbathiam fuam. Dedi etiam eis capere nemora licentiam ad Abbathiam fuam in bofco meo ad ædificandum & comburendum & claudendum, ubi meliùs voluerint, & cætera neceffaria fine vifu Foreftariorum cum omnibus communibus, aifiamentis & libertatibus, prædictæ villæ de *Hepp* pertinentibus. Hæc omnia fupradicta dedi Deo & prædictis Canonicis habenda & tenenda in puram eleemofynam pro falute animæ meæ & fponfæ meæ Greciæ & hæredum meorum & omnium anteceſſorum & fucceſſorum meorum. Et ego & hæredes mei warantizabimus omnia fupradicta prædictis Canonicis, contra omnes gentes in perpetuum. Hiis teftibus, &c.

Charta Roberti de Veteri Ponte *de fede & loco vallis* Magdalenæ.

OMnibus fanctæ matris Ecclefiæ filiis præfentibus & futuris Robertus de *Veteri ponte* falutem: Noverit univerfitas veftra me dediffe Deo & Beatæ Mariæ Magdalenæ, de Valle *Magdalena*, &c. fedem

& locum prædictæ Vallis *Magdalena*, in territorio villæ de *Heppe*: cum omnibus pertinentiis & rebus suis quæ continentur in Chartis Thomæ filii Gospatricii & in Chartis Thomæ filii Thomæ, filii sui quas de prædictis omnibus habent: & totam villam de *Renegill* cum omnibus pertinentiis suis, &c. sicut etiam Charta Mathildis matris meæ & confirmatio Yvonis fratris mei, quas inde habent, meliùs testantur. Dedi etiam dictis Ecclesiæ & Canonicis villam totam grangiæ de *Milburne*, sicut monachi de *Holmo*, meliùs eandem villam aliquando tenuerunt, cum grangia vocata fuit, cum omnibus pertinentiis & rebus, &c. Quam villam Nicolaus de *Stutevill* mihi dedit, & chartâ suâ confirmavit, quam chartam habeo & prædictis Canonicis dedi, &c. Dedi etiam dictis Canonicis omnes decimas mihi pertinentes omnium molendinorum meorum de tota *Westmeria* & omnes decimas novationis bestiarum quæ captæ erunt de cætero in omnibus forestis meis in *Westmeria* per me, vel per homines meos de domo, vel de maneriis meis, sive per arcus sive per canes, &c. Testibus Gilberto filio Rogeri, filii Reinfredi, Widone de *Hellebec*, Willielmo filio Ranulphi, Eudone de *Bello Campo*, tunc Vicecomite *Westmeria*, Henrico de *Redeman*, Senescallo de *Kendall*, Radulpho *Duncurt*, Anselmo de *Furnesio*, Henrico de *Cundall*, Willielmo de *Morvilla*, Willielmo *Anglico*, Willielmo de *Thirneby*, Joanne de *Hardela*, Alano Pincerna, Waltero de *Meburn*, Data apud *Cliburne* Anno decimo tertio Regis Joannis, octavo Kalendas Maii, die Sabati.

Charta Petri Abbatis Præmonstratensis, approbantis fundationem monasterii de Herentals, *& Electionem Abbatis Tongerloensis in Patrem Abbatem. Anno 1411.*

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Amen. Universis præsentes litteras inspecturis, Petrus permissione divina Præmonstratensis Abbas, salutem. Universitati vestræ notum facimus, quia inspirante rerum omnium auctore & gubernatore Deo, Illustrissimi conjuges Dominus Arnoldus de *Crayenhem* Miles, & Joanna de *Stimboert* Militissa conthoralis ejus, sanctissimum conceperunt propositum, quo per gratiam Salvatoris, omnipotenti ac divinæ Trinitati, & intemeratæ Dei Genitrici Mariæ Virgini, per vivam fidem servire decreverunt, dantes & concedentes in perpetuum dilectis nobis in Christo filiabus Sororibus Annæ de *Boechout*, Katherinæ de *Trajecto*, Elisabeth de *Clote*, & Mariæ *Zellemans*, Monialibus monasterii *Vallis Liliorum*, nostri Præmonstratensis Ordinis, Cameracensis Diœcesis, quandam domum cum adjacentiis ejusdem, quam præfati conjuges tunc possidebant in villa de *Herentals*, & quidquid juris & proprietatis habebant in eadem, si nostrum præberemus assensum, quod in memorata domo & adjacentiis ejusdem funderetur monasterium præsentium prænominatarum Sororum nostri Præmonstratensis Ordinis, & futurarum eisdem succedentium in dicto monasterio, fundatione factâ sub perpetuâ clausurâ septorum ipsius monasterii permanentium. Et prænominatæ Sorores in proposito manendi sub perpetuâ clausurâ diutius perstiterunt, & à sui propositi intentione minimè defecerunt, benedicimus Spiritum sanctum & Patrem Domini nostri Jesu Christi Deum nostrum, qui in nobilia corda præfatorum conjugum tantùm sui cultûs & nostræ Religionis infudit amorem. Et eisdem regratiamur datoribus præfatæ domûs, qui eam dederunt ad divini obsequii & nostræ Religionis ampliationem, ac eorum præeminentias, de Dei misericordia plenissimè confidentes, in participationem omnium orationum & spiritualium bonorum, quæ de cætero fient in universo Ordine nostro, benignâ & hilari recipimus charitate, nec non prænominatas Sorores, quæ contemplationi cœlestium ferventiùs invigilant, & ea quæ ad incrementum Religionis pertinent, & ad virtutum spectant ornatum sinceriùs amplectuntur, exhortamur in Domino Jesu Christo, quatenus sua fragrans religionis fama perseveret, & armatura suarum virtutum sic luceat coram hominibus, quod glorificent Patrem earum, qui in cælis est, & ut in odorem opinionis earum, & religiosissimi regiminis devotæ personæ fœminei sexûs currentes, ad operandum suam salutem in Domino pertrahantur. Prætereà quia sæpe & multùm exposita pleniùs prænominatarum Sororum petitio continebat, qualiter ipsæ Sorores religiosè vivere, & canonicam vitam ducere secundùm Beati Augustini institutionem, & nostri Præmonstratensis Ordinis instituta sub perpetua clausura, inspirante Domino, decreverunt: quapropter pro hujusmodi canonicâ vitâ perfectiùs peragendâ, petebatur ipsas in præfatâ domo, situatâ in villâ de *Herentals*, prout præmittitur, ipsis Sororibus datâ, temporibus includi perpetuis. Nosque personaliter præfatam domum quamvis in villa situatam, tamen ab hominum communione sepositam, & aptam Religioni conspeximus, in animo nostro revolventes hoc præcipuum desiderium, quod semper fuit in arcano nostri cordis reconditum, ut scilicet beneplacens Deo nostra Religio propagaretur, & Sorores, quæ pro ejus observantiâ rationabili providentiâ in castris Claustralibus nostri Præmonstratensis Ordinis, carnem suam cum vitiis & concupiscentiis crucifigentes, se claudere voluerint, in suo tam laudabili proposito foverentur ac tenerentur, ne fortè cujuslibet temeritatis incursus ipsas à tam sancto proposito revocet, aut robur (quod absit) sacræ religionis infringat, ipsis Sororibus prænominatis una vice pro omnibus liberaliter dedimus licentiam eligendi Patrem Abbatem, sicut juxta nostræ Religionis instituta, pro nova Abbatia construendâ requiritur. Quæ quidem Sorores elegerunt Venerabilem fratrem nostrum Dominum Joannem de *Zichemis* Abbatem Thongellensem, in Patrem, ejusque successores, & ejus Ecclesiam in matrem, seu matricem dictæ novæ Abbatiæ. Et ipsum Venerabilem Fratrem nostrum Abbatem Thongellensem præfatum, pro se, suis successoribus, & sua Ecclesia electioni hujusmodi consensum præbentem pariter & assensum, confirmavimus, & per præsentes iterum confirmamus. Deinde memoratus Pater Abbas confirmatus, & prænominatæ Sorores sæpe dictam domum ad Abbatiam novam construendam, prout præmittitur, nostro consensu pariter & assensu præhabitis, acceptaverunt & receperunt, & iterùm acceptant & recipiunt. Et quia pluribus Ordinis nostræ Præmonstratensis Religionis negotiis impediti, circa fundationem prætactam personaliter vacare non valemus, hinc est quòd de probitate, discretione & prudentia memorati venerabilissimi Fratris nostri Domini Joannis de *Zichemis* Abbatis Tongellensis, suis excelsis exigentibus meritis non ignotis, fiduciam gerentes in Domino plenissimam, eidem ad construendam novam Abbatiam Sororum nostri Ordinis in præfata domo, prout præmittitur, nostrum consensum præbuimus, & per præsentes præbemus pariter & assensum sibi quantùm ad prætactam fundationem sive novellam plantulam, & omnia & singula eandem concernentia committentes vices nostras, cum nostræ plenitudine potestatis, &c. In quorum omnium majorem fidem & testimonium, sigillum nostrum

præsentibus litteris duximus apponendum. Datum & actum anno Domini MCCCCXI. mensis Maii die undecimâ.

J. de MHLINIA.

Charta ejusdem Petri Abbatis Præmonstratensis confirmantis pensiones factas Sororibus de Herentals *per Præpositum & Conventum* Vallis Liliorum. *Anno 1411.*

NOverint universi quod nos Petrus permissione divinâ Præmonstratensis Abbas, certas pensiones annuas ad cujuslibet dilectarum nobis in Christo filiarum Sororum Annæ de *Boechout*, Katherinæ de *Trajecto*, Elizabeth de *Clote*, & Mariæ *Zellemans* Monialium monasterii *Vallis Liliorum*, nostri Præmonstratensis Ordinis, Cameracensis Diœcesis, pensiones ad vitam per Præpositum & Conventum dicti Monasterii *Vallis Liliorum* assignatas, prout continetur in certis litteris super his confectis, laudamus, ratificamus, approbamus & auctoritate nostrâ paternâ, de gratia speciali confirmamus, etiamsi ab obedientia dicti Præpositi, prænominatæ Sorores absolutæ, & ad alterius obedientiam Prælati, dum tamen Prælatus ille Ordinis nostri Præmonstratensis extiterit, receptæ fuerint, & in Ordine nostro sæpe dicto permanserint, quandiù in eodem Ordine perstiterint, præsenti nostrâ gratiâ gaudere volumus, mandantes per præsentes omnibus & singulis nostris subditis, & in virtute sanctæ obedientiæ præcipientes, quatenus circa perceptionem memoratarum pensionum prout præmittitur, prænominatas Sorores de cætero per se, vel alium, seu alios, non perturbent seu molestent, contrarium verò facientes in his scriptis ex nunc pro tunc, & ex tunc pro nunc, excommunicamus. In quorum omnium & singulorum plenam fidem & testimonium, sigillum nostrum, præsentibus litteris duximus apponendum. Datum anno Domini MCCCCXI. mensis Maii die XI.

J. de MHLINIA.

Charta Petri Cameracensis Episcopi confirmantis fundationem Ecclesiæ Horti conclusi *Beatæ Mariæ in* Herentals. *An. 1411.*

PEtrus Dei gratiâ Cameracensis Episcopus, universis præsentes litteras inspecturis salutem in Domino sempiternam. Cum ex dignitate pastoralis officii ad nos spectet institutio singulorum monasteriorum in tota nostra Diœcesi de novo erigendorum, & ad hoc noster specialis requiratur consensus, tam de habilitate locorum quàm personarum in novis monasteriis instituendarum, ac etiam de prædictorum dotatione Monasteriorum novorum, & ad honorem omnipotentis Dei, sanctæque matris Ecclesiæ & divini cultûs augmentum, semper tenemur esse vigiles & intenti. Sanè prout intelleximus per certam informationem, virtute commissionis nostræ, per dilectum Dominum Consiliarium *Guillyn de Brugis*, Decanum Lyrensem, factam, in qua comperimus quatuor Moniales monasterii *Vallis Liliorum* Ordinis Præmonstratensis, nostræ Diœcesis, unà cum novem aliis sæcularibus apud *Herentals* in certa domo & loco divinis Officiis insistentes, degentes, omnesque esse bonorum nominis & famæ, vitæ & conversationis honestæ, domumque, quam pro præsenti inhabitant, in qua constructa est quædam Capella, licet sit parva, esse tamen habilem ad erigendum seu instituendum ibidem monasterium Religiosarum inclusarum Ordinis Præmonstratensis, ipsasque habere in redditibus hæreditariis summam centum quinquaginta coronarum Regis, & ampliùs. Et in pensionibus annualibus ad vitam earumdem tredecim, obtinere centum quinquaginta septem coronas Regis, & ultra, quibus bene quoad vitam possent sustentari ibidem Deo deservientes inclusæ, attentis provisionibus, quas habent de bonis mobilibus & utensilibus, & unà cum libris, calice, ampullis argenteis, thuribulo & aliis ornamentis Ecclesiasticis, placet nobis ut in honore Beatissimæ Mariæ Virginis ibidem erigatur monasterium Ordinis Præmonstratensis Religiosarum monialium inclusarum, de quarum tredecim numero undecim remanebunt Moniales velatæ, sub regula dicti Ordinis ibidem degentes, & duæ Conversæ de dicto loco numquam recessuræ, sed quandiù vitam duxerint in humanis, ibidem Deo servituræ, & omnes tredecim in dicto loco reclusæ permansuræ, & quòd locus ille dedicetur & quòd Capella cum aula pro ædificatione Ecclesiæ, unà cum certa parte terræ fundo adjacentis, pro cæmeterio & decedentium sepultura, juxta æstimationem & ordinationem Religiosi Patris Domini Tongerloensis & Magistri Guillelmi de *Brugis* prædicti, ad hoc pro præsenti per nos commissorum & deputatorum, attento quòd consensus Patris Abbatis ad hoc intervenit, sicut & consensus curati dicti loci, prout per suas patentes litteras plenariè fuimus informati. Et quòd ultra dictum numerum de cætero nullæ recipiantur moniales seu conversæ, donec redditus hæreditarii dicti loci in totum fuerint augmentati, quòd ad sustentationem & victum dictarum tredecim & aliarum recipiendarum meritò valeant sufficere, ne inclusæ Religiosæ in necessariis & victualibus qualemcumque patiantur defectum, nisi tamen recipiendæ ad hoc habiles & idoneæ tantum habeant in bonis quod meritò in victu & vestitu tam extra monasterium quam intra meritò possent & deberent contentari. Et hæc omnia committimus nomine nostro peragenda per quemcumque Episcopum ritè promotum, gratiam & communionem sanctæ sedis Apostolicæ obtinentem, per dictos Abbatem & Decanum eligendum. Et ulteriùs in honorem omnipotentis, & Beatissimæ Matris ejus, & divini cultûs augmentationem, ad supplicationem etiam prædictorum Abbatis & Decani concedimus dictis Sororibus, & omnibus fidelibus verè pœnitentibus & confessis, qui dicto monasterio in eleemosynam manum suam porrexerint adjutricem, divinis ibidem, dum celebrabuntur, interessentibus, in diebus Dedicationis Ecclesiæ quadraginta, in aliis verò diebus Octavæ viginti, similiter in quatuor Festis annualibus quadraginta, & omnibus Festivitatibus Virginis gloriosæ totidem, & per Octavas dictorum festorum viginti dierum de injunctis eis pœnitentiis misericorditer auctoritate nostrâ ordinariâ in Domino relaxamus. Datum apud Chirinam nostræ Diœcesis, sub nostro sigillo, anno MCCCCXI. die XXIII. Julii.

J. de CARMII.

Bulla Lucii Papæ III. pro Abbatia Hermeriarum. *Anno 1183.*

LUcius Episcopus Servus Servorum Dei, dilectis Filiis Roberto Abbati Ecclesiæ S. Nicolai *Hermeriarum* Fratribus tam præsentibus quàm futuris regularem vitam professis in perpetuum. Quoties illud à nobis petitur quod virtuti & honestati convenire dignoscitur, animo nos libenti decet concedere & petentium desideriis congruum suffragium impertiri. Ea propter, dilecti in Domino Filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & præfatam Ecclesiam, in qua divino mancipati estis obsequio sub Beati Petri & nostra protectione sus-

ſcipimus, & præſentis ſcripti privilegio communimus; imprimis ſiquidem ſtatuentes ut Ordo Canonicus qui ſecundum Deum & Beati Auguſtini regulam in eadem Eccleſia inſtitutus eſſe dignoſcitur, perpetuis temporibus inviolabiliter obſervetur. Præterea quaſcunque poſſeſſiones, quæcunque bona eadem Eccleſia in præſentiarum juſtè & canonicè poſſidet, aut in futurum conceſſione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, ſeu aliis juſtis modis, præſtante Domino poterit adipiſci, firma vobis, veſtriſque ſucceſſoribus & illibata permaneant, in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipſum in quo præfata Eccleſia ſita eſt cum terris, pratis, & nemore Regis (*a*) & omnibus Abbatiæ appenditiis, omnes domos & vineas quas apud *Latiniacum* (*b*) habetis, & quidquid apud *Conche* (*c*) tam in domibus quàm in vineis & aliis tenementis poſſidetis. Curtem quam apud *Savias* (*d*) habetis, cum terris, pratis, & nemore & omnibus quæ juris veſtri ſunt, & quidquid apud *Medium Meldum* (*e*) tam in nemore quàm in pratis acquiſiviſtis, de eleëmoſyna Comitis Henrici. Duo molendina apud *Butreches* & apud *Eſpaule* (*f*) & centum ſolidos annuatim reddendos in *Barcho* de *Ari* (*g*) Eccleſiam ſancti Medardi (*h*) cum domibus, terris, vineis & pratis ad Presbyterum ejuſdem Eccleſiæ pertinentibus, & ab omni conſuetudine cenſûs & decimarum pertinentium ad Dominum Simonem de *Gliſeria* (*i*) & fratrem & hæredes ejus, liberis & immunibus. Medietatem decimarum minutarum *Turnonis*, (*k*) de *Caſtris* (*l*) de *Campo Roberis*, (*m*) de *Urſeia*, (*n*) de *Bernaio*, (*o*) de Capella *Helvidis*, (*p*) de Capella *Morcengin*, (*q*) duos modios annonæ de eleëmoſyna Guidonis de *Garlanda*, (*r*) & filii ejus Ancelli in grangia campi *Roberis* annuatim ſolvendos. Itemque duos modios annonæ de eleëmoſyna Domini Radulphi de *Bucy*. Sanè novalium veſtrorum quæ propriis manibus aut ſumptibus colitis, ſive de nutrimentis animalium aut de hortis, ſeu de fructibus arborum veſtrarum nullus à vobis decimas extorquere præſumat. Liceat quoque vobis Clericos vel Laïcos è ſæculo fugientes liberos & abſolutos ad converſionem recipere & eos abſque ullius contradictione in veſtro Collegio retinere. Prohibemus inſuper ut nulli Fratrum veſtrorum poſt factam in eodem loco profeſſionem, fas ſit aliquâ levitate animi, ſine Abbatis ſui licentia de clauſtro veſtro diſcedere, diſcedentem verò ſine communium litterarum cautione nullus audeat retinere. Ad hæc authoritate Apoſtolicâ prohibemus, ne quis in Eccleſias veſtras interdicti ſ vel in vos aut Clericos veſtros excommunicationis vel ſuſpenſionis ſententiam abſque manifeſta & rationabili causâ pronuntiet. Pro benedictione ſanè Abbatis ſive pro ipſo deducendo aut ponendo in ſede vel pro aliis quibuſlibet Sacramentis, ſive ſub obtentu conſuetudinis, ſive quolibet alio modo quidquam à vobis exigi diſtrictiùs prohibemus. Paci quoque & tranquillitati veſtræ paternâ ſollicitudine providere volentes autoritate Apoſtolicâ prohibemus ut infrà clauſuras locorum ſeu grangiarum veſtrarum nullus violentiam, vel rapinam, ſeu furtum committere, aut ignem apponere, ſeu hominem capere vel interficere, vel in aliquem manus præſumat injicere violentas. In Parochialibus verò Eccleſiis quas habetis, liceat vobis tres ad minùs vel quatuor ex vobis ponere, quorum unus Diœceſano Epiſcopo præſentetur, ut ab eo curam recipiat animarum; ita tamen quòd ei de ſpiritualibus; vobis verò de temporalibus, & de Ordinis obſervantia debeat reſpondere. Cum autem generale interdictum terræ fuerit, fas vobis ſit clauſis januis, excluſis excommunicatis & interdictis, non pulſatis campanis, ſuppreſsâ voce, divina officia celebrare. Sepulturam quoque ipſius loci liberam eſſe decernimus ut eorum devotioni & extremæ voluntati qui ſe illic ſepeliri deliberaverint, niſi fortè excommunicati vel interdicti ſint, nullus obſiſtat, ſalva tamen juſtitiâ Eccleſiarum illarum à quibus mortuorum corpora aſſumuntur. Decernimus ergo ut nulli omninò hominum liceat præfatam Eccleſiam temerè perturbare, aut ejus poſſeſſiones auferre vel ablatas minuere, retinere ſeu quibuſlibet vexationibus fatigare, ſed omnia integra conſerventur eorum pro quorum gubernatione ac ſuſtentatione conceſſa ſunt, uſibus omnimodis profutura, ſalvâ ſedis Apoſtolicæ auctoritate ac Diœceſani Epiſcopi Canonicâ juſtitiâ. Si qua igitur in futurum Eccleſiaſtica ſæcularìſve perſona hanc noſtræ conſtitutionis paginam ſciens contra eam temerè venire tentaverit, ſecundò, tertiòve commonita, niſi ſuam præſumptionem dignâ ſatiſfactione correxerit, poteſtatis, honoriſque ſui dignitate careat; reamque ſe divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & à Sacratiſſimo Corpore & Sanguine Dei & Domini Redemptoris noſtri Jeſu Chriſti aliena fiat, ac in extremo examine divinæ ſubjaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco ſua jura ſervantibus ſit pax Domini noſtri Jeſu Chriſti, quatenùs & hîc fructum bonæ actionis percipiant, & apud diſtrictum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Ego Lucius Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus. Ego Theodinus Portuenſis & S. Rufinæ ſedis Epiſcopus. Ego Henricus Albanenſis Epiſcopus. Ego Petrus Preſbyter Cardinalis tit. S. Suſannæ. Ego Laborans Preſb. Cardinalis ſanctæ Mariæ trans Tiberim & Caliati. Ego Pandulphus Preſb. Card. tit. Baſilicæ duodecim Apoſtolorum. Ego Jacobus Diaconus Card. ſanctæ Mariæ in Coſmed. Ego Ardicio Diaconus Card. ſancti Theodori. Ego Gratianus SS. Coſmæ & Damiani Diaconus Cardinalis. Datum Signiæ per manum Alberti ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Preſbyteri Cardinalis & Cancellarii v. Kal. Auguſti Indictione primâ, Incarnationis Dominicæ anno MCLXXXIII. Pontificatûs verò Domini Lucii Papæ III. anno ſecundo.

(*a*) Bois du Roi.
(*b*) Lagny.
(*c*) Conche villa prope oppidum de Lagny.
(*d*) Sery.
(*e*) Melun aut Meaux.
(*f*) Buire & Eſpaux, prés de Chateau Thiery.
(*g*) Berchere.
(*h*) Damard prés de Lagny.
(*i*) Gliſy.
(*k*) Tournant.
(*l*) Chatre.
(*m*) Champroſe prés Tournant.
(*n*) Houſſaye.
(*o*) Bernay. prés Rolay.
(*p*) Les Chapelles prés la Houſſaye.
(*q*) Marchange prés Neuf. Moutier ut ſuſpicor.
(*r*) Gui de Garlande Seigneur de Tournant.

Charta Adelæ Francorum Reginæ, fundationis* Hermeriarum *dotem confirmantis, juſtitiamque omnem concedentis. Anno 1202.

ADela * Dei gratiâ Francorum Regina. Nobis conſulimus, quoties labori pauperum ſubvenimus; notum fieri volumus tam præſentibus quàm futuris, quod nos Eccleſiæ de *Hermeriis* in honore S. Nicolai in feodis noſtris fundatæ, Deo & Fratribus in dicta Eccleſia Domino famulantibus, qui in manu & cuſtodia noſtra ſunt & quos ſub cuſtodia noſtra ſuſcipimus cum omnibus quæ poſſident, dedimus & conceſſimus ex nunc in perpetuum in eleëmoſynam, ob remedium animæ noſtræ & prædeceſſorum noſtrorum animarum, qui dictam Eccleſiam fundarunt, totas terras ſitas propè jardinum ipſius Eccleſiæ & cheminum per quod itur apud *Latiniacum*, * prata, nemora, & fundum in latum & longum & omne jus, & dominium prout in dictis feodis noſtris ſe comportant à dicto chemino uſque ad nemora de *Buciaco* * cum omni juſtitia alta & baſſa nichil in eiſdem retinentes. Et ut ratum ſit & firmum, ſigilli noſtri impreſſione præſentem paginam fecimus roborari. Datum apud Parcum noſtrum juxta *Meledunum*, anno Domini milleſimo ducenteſimo ſecundo.

* Adelena filia Theobaldi Comitis Campaniæ anno 1160. matrimonio juncta fuit Ludovico VII. Francorum Regi.

* Lagny.

* Bucy.

Charta Ancelli de Gallanda *concedentis bona quadam Fratribus Hermeriensibus. Anno 1297.*

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis & trinæ Unitatis Amen. Ego Ancellus de Gallanda tam præsenti quàm futuræ notum facio generationi quod divinæ tactus respectu miserationis & proximorum meorum sicut Dominus præcipit motus inopia, granchiam, quæ de *Roseria* dicitur juxta *Turnomum** sitam, Hermeriensis Ecclesiæ reddidi Fratribus quam Guido de Gallanda, avus videlicet meus, spe motus æternæ retributionis, illis contulit in eleëmosynam, unde prædicti Fratres duos modios frumenti quos in molendinis de *Turnomio* pro granchiæ illius restauratione habebant, mihi omninò quittaverunt. Et notandum quod nihilominùs censûs terrarum eis redditur, sed terras quæ per annualem censûs redditionem in manus eas tenentium devenerunt, ab hominibus meis nisi emptas aut in eleëmosynam datas, eisdem Fratribus non licet extorquere. Cujus rei testes subscribuntur Hugo Aurelianensis Decanus, Radulphus tunc temporis Turnomii tenens Prioratum, Gilbertus Sacerdos. De Militibus verò Albertus de *Andesello*, Guillelmus de *Alneto*, Bartholomæus de *Gres*, Petrus de *Maulny*, Stephanus Loradinus, Turnomiensium tunc Præpositus. Item noverint universi quod usque ad quindecim arpenta Brouciarum quæ sunt de feodo *Dorchens*, si tamen ibi perfecta esse possunt juxtà nemus Faveriarum, prædictis Fratribus concessi. Quod ut stabile perseveret in posterum, sigilli nostri impressione roboratur. Actum apud Turnonium in Claustro monachorum, anno Incarnati Verbi 1397. mense autem Julio.

*Tornan.

Charta concordiæ inter monasterium Hildeburgrodense, *& Nobiles de* Wertherde *super diversis bonis & fundis.*

Ex T. 1. reliquiar. Mss. de Ledwig. p. 417.

SI ratione injuncti nobis officii rationabiles quorumlibet petitiones tenemur admittere; potissimum tamen justis eorum desideriis efficaciter debemus concurrere, quos & Religionis commendat professio, & quorum nostra beneficia jugis & indefessa apud Dominum prosequitur devotio. Ea propter notum esse volumus tam præsentibus quàm futuris Christi fidelibus, quòd nos pro divina renumeratione simul & probabili petitione venerabilis viri A. Præpositi cœnobii sancti Albani in *Hildebergerothe*, ad hæc operam adhibuimus, quatenùs eadem Ecclesia, bona quædam injustè ab ea elongata reciperet, eo quò subscriptum est ordine. Secùs fluvium qui *Vona* dicitur, villa quædam sita est vocabulo *Kallenvorde* quæ præfatæ Ecclesiæ ab antiquo pertinebat, quippe quam à suis fundatoribus ab ipso sui exordio dotis nomine receperat, sed postmodùm per manum L. Comitis ab ea alienata, in potestatem cujusdam B. de *Wetherde* præpostero ordine cesserat, qui etiam eam pro adversario magis violenter, quàm justè tenuit, filiisque suis Hermanno *Indeluct*, & Fridehelmo quasi hæreditario jure possidendam dereliquit. Contra quos quemadmodum & compatrem cum à Fratribus memoratæ Ecclesiæ sæpè numero oborta fuisset querimonia & illi non ad justitiam, non ad amicabilem compositionem suum accommodarent assensum, tandem ex divina voluntate nobis mediantibus, hujus causæ ad hoc deductum est negotium, quod jam dictus Præpositus pro bono pacis prætaxatis Fratribus septuaginta libras exsolveret, ipsique eisdem bonis absolutè renuntiarent, debitam etiam præstantes Warandiam, quod nec ab eis, nec ab eorum successoribus contra prædictam Ecclesiam ullius imposterum querimoniæ strepitus contingeret, quin potiùs ipsa, quòd justè adoptionis titulo sortita est, liberâ & quietâ possessione gauderet. Igitur cum utriusque partis concessu & assensu, nos eadem bona supradictæ Ecclesiæ resignata, in nostræ tuitionis immunitatem recepimus, de nostræ etiam liberalitatis munificentiâ hoc superaddentes, ut quidquid in eadem villa & in altera eidem contingua quæ *Morsz* dicitur, quæ similiter præfatæ Ecclesiæ juris est, suprà id quod hactenùs exsolvere videbantur, Fratres sæpe dictæ Ecclesiæ suâ industriâ elaborare potuerint, eorum decimam quæ nostris nimirum rationibus legaliter imputari debuerat, nostrâ donatione cum integritate possideant, & recompensatione laudabili nobis protinùs apud Deum orationum suarum suffragio specialiter respondeant. Ut autem hæc actio legitimo celebrata ordine ex temporis defluxu, posteritatis non elabatur memoria ad hanc distinguendam scripta nostra interponere necessarium duximus, quæ & sigilli nostri impressione subter roboravimus, sub anathematis animadversione prohibentes, ne quis futuris postmodùm temporibus contra hanc constitutionem ausu temerario veniat, sed id quod rationabiliter actum est debiti vigoris pondere subnixum ratum & inconvulsum perpetuò permaneat.

Charta concessionis decimarum Religiosis Fratribus in Hildergerode *facta.*

NE ob labentis temporis cursum, aut per oblivionis caliginem ea quæ rationabiliter agimus, damnosa in posterum contrarietas intercipiat, operæ pretium arbitrati sumus scripta nostra interponere, quæ hæc posteritati elucident & distinguant. Notum itaque facimus universis Christi fidelibus quod nos ob spem vitæ perhennis, religiosis Fratribus in *Hildergerode* Deo servientibus, decimam novalium juxta *Rezstede* adjacentium, liberâ donatione contulimus, & ad largitionis hujus firmamentum aream unam in *Rezstede* XII. denarios annuo censu solventem, in concambium ab iisdem recepimus. Hanc itaque nostram donationem firmam & inconvulsam esse volentes, sigilli nostri impressione eam roboravimus, & ne quis eam infringat, authoritate Dei & beatorum Apostororum Petri & Pauli & nostrâ sub anathemate prohibemus, adhibitis idoneis testibus.

Charta Nicolai Episcopi Verdensis pro fundatione monasterii Hildegental *sive* Vallis sanctæ. *Anno 1314.*

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Amen. Nicolaus* Dei gratiâ Verdensis Ecclesiæ Episcopus, universis Christi fidelibus præsentis paginæ inspectoribus, sive auditoribus, salutem in Domino sempiternam. Non solùm religionis plantatæ devotionis sanctitas & disciplinalis observantia ne à rectitudinis tramite in devium prolabatur, pastoralis est officii sollicitudine confovenda, verùm etiam loci religiosi noviter erigendi ut divinæ laudis imperscrutabilis sublimitas tantò latius extollatur, quantò plures operarii ad Dominicæ culturam vineæ condu-

*Nicolaus Friderico successit. Fuit vir quietus & nummosus: obligata bona Ecclesiæ suæ redemit: pacem quam non potuit gladio obtinere, pecuniâ comparavit. Ecclesiam Cathedralem à Conrado prædecessore suo mediato ædificatam consecravit anno 1313. sedit annis viginti. Successorem habuit Joannem, Papæ Medicum.

cuntur, noſcat igitur fidelium ætas præſentium, & futura poſteritas quod Lippoldus Miles dictus de *Doren*, ſalutiferæ intentionis inardeſcens fervore, de conſilio Ermegardis uxoris ſuæ deſideranter cupientis, & aliorum hæredum ſuorum, quædam bona in ſuis litteris explicata jure proprietatis ſibi attinentia, Eccleſiæ *Gelderſen* filiæ videlicet Eccleſiæ *Solcenhuſen* matricis, contulit pro dote perpetuò poſſidenda; deſiderans ut Frater Everhardus Canonicus regularis de *Monte S. Mariæ* Ordinis Præmonſtratenſis, Bremenſis Diœceſis unà cum ſocio ſuo uno vel pluribus ſui Ordinis ſuſtentari cum ipſo valentibus, regant dictam Eccleſiam cum duabus villis videlicet *Suderghelderſen* & *Weſterghelderſen* ipſi annexis à dicta Matrice Eccleſia *Solcenhuſen* penitùs exemptam, eò duntaxat excepto quod ipſius Parochiani Synodum *Solcenhuſen* viſitabunt ſicut anteà pleno jure collatum, cum ſepultura defunctorum apud præfatam Eccleſiam *Ghelderſen* faciendo omnia Eccleſiaſtica Sacramenta memoratarum incolis villarum, divina celebraturi ſingulis diebus ibidem officia, & Domino ſecundùm ſui Ordinis ſtatuta tam in refectione quàm veſtitu & aliis regularibus diſciplinis ſervituri. Verumtamen Frater Everhardus præfatus, vel alter eo cedente vel decedente inter eos diſcretior, qui rector ſæpè dictæ nuncupabitur Eccleſiæ obedientiam faciat manualem Archidiacono in *Solcenhuſen* qui fuerit pro tempore, curam ab eo recepturus animarum, & omnia ſubibit onera undecumque impoſita ſicut alii noſtræ Diœceſis rectores plebano in *Solcenhuſen* ſæpè dicto in recompenſam partis Parochiæ ſuæ ſibi ſubterjectæ, quinque marcas denariorum Luneburgenſium, videlicet in feſto Michaëlis duo talenta, & in feſto Paſchæ totidem annis ſingulis ſoluturus, ſi verò divinæ bonitatis aſpirante ſuffragio ſæpiùs dicta Eccleſia *Ghelderſen* ex prædicti Militis vel amicorum ſuorum ſollicitaque Fratris Everhardi vel alterius ipſius rectoris circunſpectione & fidelium eleëmoſynarum largitione poſt temporum curricula ſucceſſum germinis tam pinguibus abundantiæ proventibus ceperit quod ex eis pluribus perſonis, & tot quæ Collegium facere valeant, prælatum ſibi eligere poterunt; neceſſaria miniſtrentur competenter ut ipſi circà divina officia & obſequia eò devotiùs, liberiùs & ſeduliùs vacare valeant, quò majori commoditatis ſuavitate ac tranquillitatis & libertatis dulcedine ſenſerint ſe munitos: gratioſè concedimus quod talis Prælatus unà cum ſuo Conventu nobis & ſucceſſoribus noſtris quoad juriſdictionis Diœceſanæ leges nullatenùs ſubjecti eſſe teneantur, omnia & ſingula quibus alii Abbates noſtræ Diœceſis dignoſcuntur aſtricti minimè ſervaturi, rectore tamen Parochiæ quicunque foret, ſub obedientia Archidiaconi in *Solcenhuſen* ſicut præmittitur perdurante, dictæ etiam perſonæ exſequias Epiſcoporum & Canonicorum Verdenſium decedentium peragent, facturi omnia ſuffragia animarum tam privata quàm ſolemnia, quæ ejuſdem loci fuerint confratribus facienda, cum ergo ejuſmodi affectu, ordinationis unam filiam primitivam Ordinis Præmonſtratenſis noſtræ Verdenſis Eccleſiæ acceſſu virorum honorabilium, Decani & Capituli noſtræ Eccleſiæ Henrici dicti de *Boyceneborch* Archidiaconi in *Solcenhuſen*, Hermerici plebani ejuſdem loci, ac præſcriptam ordinationem cum omnibus ſuis conditionibus ratificamus, approbamus, & in his ſcriptis in nomine Domini confirmamus præſentem litteram ſuper his confectam noſtri Capituli, Archidiaconi & Plebani ante fatorum munimine ſigillorum procurantes in perhennem memoriam & evidens teſtimonium roborari. Actum & Datum Verdæ anno Domini MCCCXIV. quinto Idus Februarii.

Litteræ conſenſûs Principum Brunſvicenſium *&* Luneburg. *1314.*

DEi gratiâ Otto Dux de *Brunſwic* & de *Luneborch* omnibus Chriſti fidelibus præſentibus & futuris in vero ſalutari ſalutem. Ut divinæ voluntati conformemur, piis actibus miſericordiam conſequi cupientes, expedit ut ad cultum ſui nominis ampliandum devotis mentibus ſinceris affectibus aſpiremus.

Itaque recognoſcimus publicè declarantes teſtimonio præſentium litterarum quod nos accedente voluntate unanimi pariter & favore noſtrorum filiorum ac hæredum omnium, quorum ad hoc requiritur conſenſus & voluntas, ordinationem factam à Lippoldo dicto de *Dorem*, Milite, de conſenſu venerabilis in Chriſto Patris Domini Nicholai Epiſcopi, ac totius Capituli Verdenſis Eccleſiæ, ſuper Congregatione virorum Religioſorum in villa *Ghelderſen* facienda ut ad laudem & honorem Dei & beatæ Genitricis ejus Virginis Mariæ, nec non B. Laurentii Martyris, ejuſdem Eccleſiæ Patroni, divini nominis cultus perpetuò habeatur, aſſignationem proventuum quam ad hoc de conſenſu ſuorum hæredum omnium aſſignavit, collaudantes ratum habemus, conſenſum plenarium adhibentes, dummodò in dictâ ordinatione nihil depereat juri noſtro. In hujus evidentiam ampliorem noſtrum ſigillum præſentibus litteris duximus apponendum. Datis anno Domini MCCCXIV. infrà Octavam Epiphaniæ.

Litteræ conſenſûs Epiſcopi Verdenſis *& Capituli de fundatione monaſterii.*

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis Amen. Nicholaus Dei gratiâ Verdenſis Eccleſiæ Epiſcopus univerſis Chriſti fidelibus præſentem Litteram viſuris, ſalutem in Domino ſempiternam. Eccleſiæ diſpendia alienationis jacturam læſionum perpeti non cenſentur, cum utilitate utrimque conſiderationis acumine decocta ſub forma permutationis bonorum, ipſarum melioritas exaratur: hinc eſt quod præſentibus cupimus fieri notum & futuris, quòd Frater Everhardus Proviſor Canonicorum regularium in *Ghelderſen* Ordinis Præmonſtratenſis, primò redemit Curiam in *Sibelinghehorſtolde* à prædeceſſore noſtro quondam Domino Friderico avunculo noſtro piæ recordationis, pro centum & quinquaginta marcis Hamburgenſium denariorum, laicis, ſine fructuum in ſortem computatione obligatam, & factâ ſolutione præfatæ pecuniæ Curiam in *Ghelderſen* dicti loci ad ipſum & ſuam Congregationem pleno jure pertinentem nobis, Eccleſiæ noſtræ & menſæ Epiſcopali aſſignavit perpetuò poſſidendam. Nos verò ſibi & ſuæ Congregationi præfatam Curiam in *Sibelinchehorſtolde* cum omnibus juribus & juriſdictionibus & proprietatibus ſuis prout ad nos & Eccleſiam noſtram pertinuit de bene placito & conſenſu honorabilium virorum Joannis Præpoſiti dicti *Gans*, Ludolfi dicti de *Bornovuc*, in Decanum electi, & Capituli dictæ Eccleſiæ noſtræ per modum concambii ſeu permutationis duximus ad poſſidendum perpetuò dimittendam, & licet hinc inde ſit dictarum æquivalentia redditũum curiarum; præſcriptus tamen Frater Everhardus perſolvit redemptionis pretium antedictum. In cujus permutationis certitudinalem memoriam, noſtro & antedicti Capituli noſtri ſigillis, præſentem fecimus Litteram roborari. Datum & actum in Capitulo noſtro antedicto anno Domini MCCCXV. VIII. Kal. Decembris.

Concessio juris Paternitatis.

JOannes Dei patientiâ Præmonstratensis Abbas, & Abbatum ejusdem Ordinis Capitulum generale, venerabili in Christo Fratri Præposito Capebergensi & sinceram in Domino charitatem, significamus vobis quod Frater Henricus Canonicus *Sanctæ-Vallis* ut dicebat de novo instauratæ, ad nos venit humiliter supplicando, quod nos jus Paternitatis ipsius novellæ plantationis vobis vellemus committere. Cujus petitioni benignè annuentes vobis Præposito Capebergensi nunc & in perpetuum Paternitatem prædictam committimus & tenore præsentium assignamus. Datum Præmonstrati anno Domini MCCCXXXVI, sedente nostro Capitulo generali.

Bulla Clementis V. confirmantis bona & monasterium de Hilgental.

CLemens Episcopus Servus Servorum Dei. Dilectis Filiis Præposito & Conventui monasterii in *Hilghendale*, per Præpositum soliti gubernari Ordinis Præmonstratensis Verdensis Diœcesis, salutem & Apostolicam benedictionem. Cùm à nobis petitur quod justum est & honestum, tam vigor æquitatis, quàm Ordo exigit rationis, ut id, per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Ea propter, dilecti in Christo Filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, personas vestras, & locum in quo divino estis obsequio mancipati cum omnibus bonis quæ impræsentiarum rationabiliter possidetis, aut in futurum justis modis præstante Domino poteritis adipisci sub B. Petri & nostra protectione suscipimus, specialiter autem decimas, terras, domos, vineas, hortos & alia bona vestra, sicut ea omnia justè & pacificè obtinetis vobis, & per vos monasterio vestro authoritate Apostolicâ confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus; salvo, in prædictis decimis, moderamine Concilii generalis. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ protectionis & confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Dat. Avenione XVIII. Kal. Januarii, Pontificatûs nostri anno tertio.

Translatio monasterii in civitatem Luneburgi sub approbatione Ducum, & cum requisitione Episcopi Verdensis *in idipsum, Anno 1382.*

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis feliciter Amen. Nos Wentzeslaus & Albertus Dei gratiâ Angariæ & Vestphaliæ, Saxoniæ & Luneborg Duces, Palatini Saxoniæ & in Bremen Comites sacri Romani Imperii Prnicipes Electores, & Bernardus eâdem gratiâ, Dux in *Brunswic* & *Luneborg* ad perpetuam rei memoriam. Cum ea quæ religionis & pietatis cultum ampliant, salutem animarum concernunt, & ad status & personarum subinstitutum ampliant, sub institutione regulari virtutum Domino famulantium, conservationem utilitatem cedunt & commodum, ex innata nobis clementia, quantùm inspirante Domino possimus, semper & ubique promovere cupiamus: quapropter ad omnium & singulorum præsentium & futurorum notitiam deducimus, quod cum in Ducatu nostro Luneburgensi per celebris memoriæ Ottonem & Wilhelmum quondam Duces in *Brunswich* & *Luneborg* prædecessores nostros, olim zelo devotionis accensos, monasterium in *Hilghendale* Ordinis Præmonstratensis instauratum, fundatum & dotatum non possit commodè ex eo quod in locis palustribus fœtentibus & immundis, aquis fontaneis omninò carentibus, horribilitate bufonum, ranarum & vermium, qui opprobrium humanæ conditionis sunt, ultra modum habundantibus & aliis multis evidentibus de quibus tunc cogitatum non erat, nunc gravatis incommodis instructum sit, in eodem loco verisimiliter diù sustinere cum locus ille palustris aëre corrupto continuè circumclusus, personas ejusdem monasterii robustissimas, sicut experientia docuit, multas infecerit, & ob hoc plures Novitii, præmissa ferre non valentes, habitum & monasterium reliquerunt: nos ne eorumdem fundatorum aliquandò fortassis pia frustretur intentio, neve prædicti novella plantatio monasterii hujusmodi gravissimis diutiùs afficiatur incommodis & ob hoc cultus divinus inibi minuatur ipsis super præmissis ex corde condolemus; acceptabile Domino reputantes obsequium, si quod per eosdem fundatores piè & laudabiliter factum est, oportuna provisione salubriter emendatum, in melius reformemus: volentes itaque prædictorum fundatorum, qui monasterium & alia pia loca multis sunt prosecuti favoribus, inhærere vestigiis & quodammodo censeri novi fundatores, maturâ deliberatione cum multis Prælatis & aliis fidelibus nostris præhabitâ, & de pleno & expresso consensu prudentium virorum Consulum & civium Luneburgensium fidelium nostrorum, pro eorumdem fundatorum & progenitorum nostrorum nec nec animarum nostrarum salute hoc modo fieri decernimus, & ordinamus ut venerabilis & Religiosus Dominus Otto Præpositus, Joannes Prior & Conventus ejusdem monasterii in *Hilghendale* prædictum ipsorum monasterium de loco in quo nunc constructum est, cum conventu, fratribus, personis & familia nec non habitatione & domicilio ad locum, fundum, grangiam sive possessionem inter oppidum Luneborg nunc ad jus & proprietatem præfati monasterii pertinentem, perpetuò transferre & de consecrato ipsorum monasterio ac de omnibus ædificiis & loco, qui nunc in *Hilghendale* dicitur, & de ipsorum omnibus & singulis appenditiis, & pertinentiis prout ipsis visum fuerit destruendo & transferendo disponere, facere & ordinare, nec non aliud monasterium novum in prædicto loco & fundo, intra oppidum *Luneborg* sub eadem denominatione *Hilghendale* ædificare, construere, erigere & inhabitare, & officia divina & alia juxtà Ordinis ipsorum instituta inibi celebrare, facere & exercere liberè & licitè valeant, possint & debeant quantùm nostri interest & ad nos pertinet, annuimus ac etiam volumus & mandamus; imò nos in eundem locum & fundum prædictum monasterium *Hilghendal* cum omni dote & pertinentiis ipsius, quantùm possumus, transferimus, & in prædicto loco & fundo monasterium novum *Hilghendale* fundamus, instituimus, erigimus, & instauramus, nec non præfatum novum monasterium & fundum cum omnibus, suis terminis & ampliationibus pro instauratione novi monasterii; & aliorum ædificiorum ipsius constructione, pro eorumdem fundatorum & progenitorum nostrorum ac animarum nostrarum salute, liberaliter deputamus & assignamus, ac ipsum locum & fundum cum omnibus & singulis jam in eo constructis ædificiis seu in posterum construendis, ab universis & singulis talliis, collectis, exactionibus, servitutibus, angariis & perangariis impositionibus & omnibus quibuscumque penitùs, & omninò liberamus, absolvimus & perpetuò immunes esse volumus

volumus ab eisdem; volumus etiam quòd in priori loco qui *Hilghendal* dicitur, una Capella pro celebratione Missarum per aliquem ipsius monasterii Fratrem Conventualem ad nutum Præpositi dicti monasterii, temporalem & revocabilem perpetuò debeat remanere: insuper omnia & singula jura, res, privilegia, exemptiones, libertates, honores, prærogativas, largitiones, eleëmosynas, proprietates & possessiones, bona mobilia & immobilia, litteras, commoditates, concessiones, gratias, indulgentias & pertinentias quaslibet, quibus per progenitores & prædecessores nostros, seu alios Principes Ecclesiasticos vel seculares, aut quoscunque alios sub quibuscumque modis, formis & tenoribus, Præpositus, Prior, Fratres Conventûs, monasterium & locus in *Hilghendale* prædicti sunt muniti, ex certa scientia confirmamus, innovamus, ac per præsentes de novo concedimus, volentes ut Præpositus... Fratres & Conventus & ipsorum monasterium novum præmissis omnibus & singulis pacificè & quietè gaudere debeant temporibus sempiternis, promittentes nihilominùs bonâ fide pro nobis nostrisque successoribus & hæredibus præfato Domino Ottoni Præposito, pro se suoque Conventu & monasterio stipulanti prædictam translationem, nec non omnia alia & singula promissa ipsis, ab omni homine & universitate legitimè deffendere, authorizare & expedire, & ea grata & rata perpetuo tenere & habere, nec contrafacere aliquâ causâ vel ingenio, de jure, vel de facto; nec prædictam translationem vel præmissorum aliquod ingratitudine vel alia quavis causa revocare, decernentes irritum & inane si secùs super his à quoquam quavis authoritate contigerit aliquid attemptari. Cæterum reverendum in Christo Patrem & Dominum Episcopum Verdensem ejusque Capitulum ac venerabiles viros Dominos.... Archidiaconum de *Modestorpe* in Ecclesia Verdensi, & Rectorem Ecclesiæ sancti Joannis in *Luneborg* præsentibus requirimus, hortamur & rogamus quatenùs prædictis omnibus & singulis canonicè pertractandis & perficiendis Dei, religionis, pietatis & nostri considerationis ob intuitum; ipsorum officium, consensum, authoritatem & decretum impendant, adhibeant, præstent & interponant. In quorum omnium & singulorum præsens testimonium, præsentes litteras sigillis nostris jussimus communiri. Datum *Luneborg* anno Domini millesimo trecentesimo octuagesimo secundo, vicesimâ quartâ die mensis Julii, præsentibus venerabilis Dominis, Joanne Præposito monasterii in *Lune*, Paulo de *Monte* Cancellario nostro, nec non Everhardo de *Marnbotte*, Seghebando *Vos* Advocato nostro, Thiderico *Hogheberte* fidelibus nostris, & aliis pluribus fide dignis.

Translatio Monasterii de consensu Episcopi Verdensis, *ad instantiam Principum Anno 1382.*

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis feliciter, Amen. Joannes Dei & Apostolicæ sedis gratiâ Episcopus Verdensis ad perpetuam rei memoriam. Cùm à nobis quod justum est petitur, & quod honestum postulatur, tam ordo juris quam vigor dictat æquitatis ut facilem ad id assensum præbeamus. Sanè magnifici & illustres Wentzeslaus & Albertus Angariæ & Westualiæ, Saxoniæ & *Luneborg* Duces, Palatini Saxoniæ & in *Brene* Comites, Sacri Romani Imperii Principes Electores, & Bernardus in *Brunswich* & *Luneborg* Dux, nobis insinuare curarunt, quod cum monasterium in *Hilghendale* Ordinis Præmonstratensi nostræ Diœcesis per, celebris memoriæ, Ottonem & Wilhelmum quondam Duces in *Brunswich* & *Luneborg* prædecessores ipsorum, olim zelo devotionis accensos, instauratum, fundatum & dotatum, &c. (*Vide Diploma Ducum, suprà*)

Super his & aliis dictorum Principum litteras vidimus, continentiæ plenioris, verùm, quia de præmissis omnibus & singulis nobis plena fides facta est & ea reperimus veritate fulciri, ne divinus cultusque augeri cupimus, in eodem monasterio ex cautis prædictis minuatur, & ut dicti Præpositus.... Prior & Conventus ab hujusmodi & aliis gravissimis oppressionibus & incommodis releventur, nos Principum, Præpositi, Prioris, Fratrum personarum & Conventûs prædictorum, ac etiam multorum prælatorum Diœcesis nostræ instantibus supplicationibus inclinati, de pleno & expresso consensu venerabilium virorum Dominorum Hermanni Decani, Nobilis Radolphi de *Dephelte* Archidiaconi de *Modestorpe* & Capituli nostri nec non Henrici de *Leze* Rectoris Ecclesiæ sancti Joannis in *Luneborg*, ad honorem omnipotentis Dei & intemeratæ Genitricis ejus Virginis Mariæ, ac totius militiæ cœlestis omnia & singula præmissa per supradictos Principes providè, piè & laudabiliter & gratiosè facta, ordinata, & concessa, rata & grata habentes, approbamus, indulgemus & concedimus ac præfatum monasterium in *Hilghendale*... Præpositum, Priorem, Fratres, personas & Conventum prædictos sub eadem denominatione *Hilghendal*, cum omnibus ipsorum juribus, rebus & privilegiis, exemptionibus, libertatibus, honoribus, prærogativis, largitionibus, eleëmosynis, donationibus, proprietatibus, possessionibus, bonis mobilibus & immobilibus, litteris, commoditatibus, gratiis, concessionibus, indulgentiis, & quibuslibet aliis pertinentiis ipsorum ad supradictum locum, & fundum intra oppidum *Luneborg*, authoritate Diœcesanâ in Nomine Domini transferimus & translationem ipsam præsentibus facimus, celebramus, & authorizamus, & in eodem loco & fundo monasterium novum *Hilghendal* instauramus, fundamus, instituimus & erigimus, & in eo prædictum Collegium & Conventum constituimus, firmamus, & in eum ponimus & inducimus, volentes in eodem loco divina & omnia & singula præmissa juxtà ipsius Conventûs, Ordinis instituta perpetuò celebrari, fieri, & exerceri, ac etiam omnia & singula præmissa eâdem authoritate in Nomine Domini confirmamus, decernentes irritum & inane si secùs super his à quoquam quavis authoritate contigerit attemptari; & nos Hermannus Decanus, Radolphus Archidiaconus totumque Capitulum Ecclesiæ Verdensis, nec non Henricus de *Leze* Rector Ecclesiæ sancti Joannis in *Luneborg* prædicti, præsentibus recognoscimus, quod omnibus & singulis præmissis consensum nostrum adhibuimus & præsentibus adhibemus. Datum & actum Verdis, anno Domini millesimo trecentesimo octuagesimo secundo, primâ die mensis Augusti, omnium nostrûm sub sigillis, præsentibus honorabilibus viris & discretis Dominis Nicolao dicto *Ruther* summo Vicario, Sandero dicto *Rodertzen*, Ottone dicto *Harst*, Joanne *Gesmann*, Hermanno *Remstede*, perpetuis Vicariis in Ecclesia Verdensi nec non Christiano *Kemerer*, & aliis quam pluribus fide dignis testibus ad præmissa vocatis specialiter & rogatis.

Charta Alexandri II. Leodiensis Episcopi pro fundatione monasterii Heinsbergensis, *Anno 1165.*

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Alexander II. Dei gratiâ Leodiensis Episcopus, omnibus Ecclesiæ Catholicæ filiis tam præsentibus quàm futuris in perpetuum. Si officii nostri locum & dignitatem consideremus, necessarium est ut bona non tantùm coram Deo, sed coram omnibus hominibus faciamus, & piam fidelium intentionem ergà S. Ecclesiam debitâ authoritate roboremus. Noverit itaque dilectio vestra, quòd Dominus Goswinus II. Hinsbergensis, & uxor ejus Aleïdis, salutis animarum suarum, parentum quoque & filiorum memores, Basilicam monti suo collateralem, in honorem Domini nostri Jesu Christi, matrisque ejus fundaverint; eamque per manum prædecessoris nostri beatæ memoriæ Henrici (*a*) consecratam, mancipiis & agris, & arbustis dotatam, divinæ servituti obtulerint. Anno verò Dominicæ Incarnationis MCLXV, Indictione XIII. regnante Friderico Romanorum Imperatore, in Ecclesia B. Mariæ in Aquisgrani ab ipso Fundatore Goswino & filiis ejus Philippo Archidiacono, Goswino & Godefrido consentientibus, rogati sumus, quæ prædictæ Basilicæ dotes sunt allodia, ne aliquis ausit diripere, ab ipsis Fratribus in Domino militantibus, banno sancire, & summam totius redditûs ejusdem Basilicæ scripto enumerare: in ipso etenim fundo Hinsbergensi duo, *Rode* mansi undecim, *Valdenrode* mansi duo, in loco qui vulgò ad *Quercum* dicitur, mansus & dimidius; eundem quoque locum, communionem sylvæ & pastûs per suæ potestatis ambitum habere instituit. Communicato itaque consilio cum ipso Domino Goswino & filiis ejus, maximè rogatu Domini Philippi Præpositi majoris Ecclesiæ, & Archidiaconi, hæc confirmata sunt, & sigillo nostro roborata 3°. Idus Martii, quod tunc erat in *Capite Jejunii*, in Curia nostra Leodii. Et testes idonei suppeditati, quorum hæc sunt nomina: Dominus Elbertus Archidiaconus; Dominus Reinerus Archidiac. Dominus Almericus Archidiac. Dominus Hubertus Decanus S. Lamberti; Abbas Drugo S. Jacobi; Abbas Everhelmus S. Laurentii, Abbas Gerlandus Floreffiensis; Abbas Lucas de *Corinul*; Godefridus Dux Lauvaniæ; Guirinus Comes Ruræmondensis; Lodewicus Lodensis; Herewigus Decanus; Rutgerus filius Domini Goswini. Ne igitur quispiam præsumat huic traditioni imposterum contravenire, omnimodis prohibemus, & sub anathematis intentatione interdicimus.

Charta confirmatrix dotationis & privilegiorum Hinsbergensis *monasterii, à Philippo Coloniensi Archipræsule. Anno 1180.*

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ego Philippus * Dei gratiâ sanctæ Coloniensis Ecclesiæ Archiepiscopus, omnibus Christi fidelibus in perpetuum. Cùm omnibus in bono servire debeamus Ecclesiis, maximè tamen honestum est ad confirmationem veritatis nos cooperantes exhibere domesticis. Noverit ergo omnis futura generatio, quod Dominus meus, & pater carnalis Goswinus hujus nominis 2us & Domina mea & mater Aleïdis, consentientibus omnibus suis hæredibus, me ipso scilicet, & fratribus meis Goswino, Hermanno, Godefrido, sororibusque Ida, Mechtilde, Salome, partem allodii sui, duos videlicet mansos, qui fuerunt Arnoldi continuati jacentes in suburbio ipsius castri, pro salute animarum suarum, omniumque parentum, Deo omnipotenti intimâ atque perfectâ voluntate obtulerunt; constructaque ibidem in honorem Dei, & sanctissimæ atque piissimæ Genitricis ipsius Mariæ, ad altare ipsius in die consecrationis, quando à Domino Henrico II. piæ memoriæ Leodiensi Episcopo prædicta consecrata est Ecclesia, addito insuper allodio suo, quod dicitur *Rode* subditi, & habet computationem undecim mansorum, & mansum & dimidium, qui vulgò dicitur ad *Quercum*; Curiam etiam *Hommersem* continentem 70. jurnales, qui vulgò dicuntur.... legitimâ donatione in sylvis, pratis, & agris delegaverunt, eidemque loco communionem sylvæ & pascuæ per omnem ambitum suæ potestatis concesserunt, tali ratione, ut absque omni debito censûs & obsonii solam advocatiam ipsi & proximi hæredes eorum retineant; scilicet ut qui castro præsidet, aut major natu existit, vel ex consilio aut propriâ deliberatione jus suum juniori concesserit, nec alicui eam infeudare audeant, ullique posterorum suorum eam aliâ ratione relinquant, quàm ut Fratribus ibidem Deo famulantibus pro sola animarum salute consulant; ubique ab omni injuria deffendant; nihil in rebus Ecclesiæ exigentes, nec aliquod ibi placitum tenentes, aut petitionem facientes, nisi si fortè pro utilitate Ecclesiæ Fratres omnes invitare necesse habuerint, ad hoc solum tempus, si ita contingere potuit, tertio denario contenti, nihil requirant ampliùs. De cæterò quantamcumque libertatem habuerint, tam ipsi, quàm Leodiensis Episcopus Dominus Henricus eidem Ecclesiæ concesserunt, ita ut si Deo autore ad Præposituram, vel alio quolibet Prioratu sublimari possit, solâ electione Fratrum, & nullâ violentâ accessione extraneorum, promoveatur, quicumque ipsis maximè idoneus videbitur; isque curam Fratrum de manu Episcopi gratis, & absque omni contradictione suscipiat. Nulli denique Archidiacono, nulli Diacono, excepto suo Præposito vel Priore rationem reddant de suo, aut familiæ suæ delicto: oleum quoque & chrisma ab ipso Leodiensi Episcopo quilibet Fratrum accipiet in Pascha, à quo & potestatem habent accipiendi ad baptismum & communionem & sepulturam, liberorum hominum infantes, vel quicumque ab eis exigunt, cum Parochiani sui licentiâ; in ægritudine verò mortis positus, curiam *Haneberghe*, quæ quinque mansos habet, & in *Haget*, *Sittart* XX. bonaria Ecclesiæ tradidit, in villa *Schmudust* allodium, quod solvit dimidiam marcam, tam ipse, quàm Domina mea, per manus nostras, & fratris mei Godefridi, prædicti dederunt Ecclesiæ. Quia verò discordia inter Canonicos castri, & Fratres prædicti loci habebatur, ita eos composuimus, ut Fratres de castro *Focquemont*, de dimidia marca à Fratribus inferioribus accipiant, & omnis requisitio minutæ decimæ de curia Fratrum inferiùs conquiescat *Helzelo*, etiam ut Gertrudis soror mea de patre, tres mansos, de prædicto allodio *Rode* subditi, qui ipsorum erant feudum, per manus nostras, matre mea, & fratre annuentibus, prædictæ dederunt Ecclesiæ. Hanc igitur & donationem & libertatem jam legatim factam, quamvis non titulo Episcopatûs, Archiepiscopatûs tamen jure ad nos respiciat, auctoritate Dei omnipotentis, atque nostrâ communivimus, & sigilli nostri impressione signavimus; & ne quæ in posterum spiritualis, secularisve persona minuere aut infringere audeat, sub anathematis vinculo interdicimus. Acta sunt hæc anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo octogesimo.

* De Hinsberg.

(*a*) Defuncti Papæ die 4. Septembris 1164.

Bulla Cælestini Papæ III. confirmantis bona Parthenonis Hinsbergensis. *Anno 1194.*

CÆlestinus Episcopus Servus Servorum Dei. Dilectis in Christo, Officiæ Magistræ & Sororibus Ecclesiæ S. Mariæ in *Heinesberg* tam præsentibus quàm futuris, regularem vitam professis in perpetuum....

Vestris justis postulationibus clementer annuentes, & præfatum monasterium S. Mariæ, in quo divino mancipatæ estis obsequio, sub B. Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus. In primis siquidem statuentes, ut Ordo monasticus, qui secundùm Deum & B. Augustini regulam in eodem loco institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur.....

Locum ipsum in quo præfata Ecclesia sita est, cum omnibus suis pertinentiis, possessiones quas habetis in *Heinesberg*, & bona quæ habetis in *Rode*, & ea quæ habetis in *Humberse* & in *Hoenge*, & alia quæ à bonæ memoriæ Philippo Coloniensi Archiepiscopo, & à Radulfo quondam Leodiensi Episcopo monasterio vestro confirmata sunt, vobis auctoritate Apostolicâ confirmamus.....

Datum Laterani per manum Egidii S. Nicolai in carcere Tulliano Diaconi Cardinalis, VI. Nonas Julii, Indict. XII. Anno Dominicæ Incarnationis MCLXXXXIV. Pontificatûs verò Domini Cælestini Papæ III. anno IV.

Charta Rudolphi Leodiensis Archidiaconi, confirmantis donationem factam monasterio Heinsbergensi *de Ecclesia de* Geilenkirken. *Anno 1201.*

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Rudolphus divinâ permittente clementiâ, Leodiensis Ecclesiæ Archidiaconus, universis Christi fidelibus, qui hoc scriptum inspexerint, salutem in perpetuum. Præsentis scripti attestatione notum esse volumus, quòd cœnobium quoddam S. Mariæ propè castrum in *Heinsberg*, quod ex Religiosis Fratribus & Sanctimonialibus fœminis, Dominus Goswinus secundus & uxor ejus Aleïdis, in suo allodio construxerunt, crescente jam religione, pro numero fidelium ibidem Deo famulantium, non est sufficienter ab his Fundatoribus dotatum. Quapropter Dominus Goswinus de *Walkenberg* nepos jam dicti Goswini, & Domina Aleïdis neptis ejus, decreverunt Ecclesiam de *Geilenkirken* quæ ad eorum pertinebat patronatum, prædicto cœnobio vacantem conferre. Pari quoque donatione prætaxati Nobiles G. & A. stipendium cujusdam præbendæ de *Geilenkirken* ad supradictum claustrum transtulerunt. Istorum verò Nobilium piam institutionem sanctaque desideria Dominus Albertus Leodiensis Episcopus, debita benignitate confovens, Fratres illius claustri nomine Ecclesiæ suæ sibi præsentatos, dono altaris in *Geilenkirken* investivit, quod eo tempore, post obitum Domini Ottonis Archidiaconi, ad eum pertinebat, curam animarum iisdem Fratribus indulgens. Cùm autem hujus rei ordinem justè ac legaliter, coram Prioribus Leodiensis Ecclesiæ & Fratribus *Swestrensis* Capituli, effectui mancipatum prædictus Dominus Albertus Leodiensis Episcopus scripti sui sanctione, ac sigilli sui munimine confirmare debuisset, morte præventus id non perduxit ad effectum.

Nos verò quia Domino Ottoni in Archidiaconatu successimus, & religiosas personas in Archidiaconatu nostro constitutas in sua justitia fovere debemus, donationem altaris in *Geilenkirken* his Fratribus factam, ratam habentes, totam hujus rei seriem auctoritate nostrâ confirmamus, cum signis authenticis Domini Goswini & Aleïdis, qui duo facti hujus auctores fuerunt, nostræ quoque imaginis sigillum præsenti scripto imprimentes. Data Swestris in generali Capitulo, in prima Dominica post Pascha, anno Incarnationis Domini MCCI. concurrente VII. Epactâ XIV. Indictione IV. Hujus rei testes sunt

Ericus Decanus prædicti Capituli.

Herimannus Pastor de *Swestris*.

Willelmus Præpositus Marnensis, & omnes Fratres Swestrensis Capituli.

Charta Aleïdis de Hinsberg, *Fundatorum neptis, quâ monasterii* Hinsbergensis *privilegia confirmat. Anno 1202.*

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Aleïdis Domina de Hinsberg, universis Christi fidelibus, tam præsentibus quàm futuris, quibus præsens pagina fuerit exhibita, salutem in Domino. Ecclesiasticæ religionis, libertatis utilitas, instituta fidelium devotione, præcipuum à cunctis Ecclesiæ filiis est observanda venerabiliter, & præcipuè successorum protegenda munimine, pro quorum etiam salute prædecessores eam instituêre. Inde est quod præsentis paginæ dispositione declarare volumus tam præsentibus quàm futuris, quod P. M. avus meus, videlicet D. Goswinus II. de *Hinsberg*, cœnobium quodpiam in honorem Dei, & B. M. Virginis ad pedem Hinsbergensis castelli construxit, atque illud magnificâ devotione sylvis, agriculturis, mancipiis & redditibus tam in bonis habitatis, quàm non habitatis, diversis in locis nostræ dominationis dotavit; tali addito libertatis beneficio, ut omnes censuales homines & mancipia, seu coloni bonorum ejusdem tali fruerentur quiete libertatis, quòd prorsùs nullo gravarentur hospitali accubitu, nec aliquâ afficerentur exactione singulari, vel publicâ: quia omnimodò rationi consentaneum, oblationem ipsi Christo, & perpetuæ Virgini in omni perfectione dicatam, in nulla parte suæ integritatis mutilare. Quò ergo prædictum cœnobium, & Deo quotidie in eo famulantes, imò gloriosa Virgo Maria, in cujus honorem dedicatum est, in omnibus incolis bonorum suorum nunquam aliquam sentiant exactionis molestiam; Nos veluti prædecessorum nostrorum imitatores, aut devotionis eorum conservatores, præsentis paginæ chirographo, ac honestorum virorum adhibito testimonio inviolabiliter firmamus & stabilimus, ut omnia bona sæpèdicti cœnobii, & omnes ea colentes, per nullum Advocatum, vel Officialem aliquem nostræ jurisdictionis, ullam patiantur exactionem, specialem vel publicam, seu aliquem vastatorum accubitum; quatenùs omnipotens Deus, interventu suæ sacro-sanctæ matris, nos & nostros hæredes in præsenti vita misericordi dispositione dirigat, & post hujus excursum, ad præmia pacis æternæ suscipiat. Si qua igitur Ecclesiastica, secularisve persona &c. Hujus autem rei testes sunt Theodorus *Ogier*, Reinerus de *Ralhem*: Theodorus de *Coste*: Godefridus de *Ende*; Rutgerus de *Hulhoven*, & Imanus Everhardus *Mersel*. Acta sunt hæc anno Incarnationis Dominicæ 1202. Indict. V.

Charta Engelberti Coloniensis Archiepiscopi, possessiones monasterii Heinsbergensis *confirmantis. Anno 1218.*

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Engelbertus Dei gratiâ sanctæ Coloniensis Ecclesiæ Archiepiscopus, universis Christi fidelibus in perpetuum. Pium attendimus, & ad præsentis vitæ decursum prosperiorem, & ad futuræ remunerationem æternam nobis maximè profuturum quod loca sancta monasticæ Religioni dicata, paternâ charitate diligamus, & ubicumque possumus, promoveamus & conservemus. Inde est quòd universitati vestræ cupimus constare, quòd nos monasterium B. Gerlaci & sanctæ Mariæ Virginis perpetuæ apud *Heinsberg*, ob intimam devotionem tam Fratrum quàm Sanctimonialium, quam ad cultum & servitium Dei habent, in specialem defensionis nostræ protectionem recepimus, eisque omnia bona quæ nunc habent, vel in posterùm, dante Domino, justè poterunt adipisci, præsenti paginâ confirmamus. Specialiter tamen exprimimus prædium in *Munen*, videlicet centum duodecim jugera terræ arabilis: quòd prædium idem monasterium justo emptionis titulo conquisivit ab Hermanno de *Brucge*, & ipse Hermannus in præsentia nostra apud *Lebegenich* in ipsa Ecclesia eidem monasterio contradidit: & frater suus Reimarus Clericus huic facto consensit, pro se & omnibus eorum cognatis vel amicis: & omni juri quod in prædio illo videbantur habere, uterque renuntiavit & exfestucavit. Ita mansum unum in villa *Herrene*, sexaginta jugera habentem, quem similiter ipsum monasterium justè comparavit, ipsi monasterio in perpetuum confirmavit. Ad cujus rei certam in posterum evidentiam, præsentem Chartam inde conscriptam sigillo nostro fecimus communiri. Hujus rei testes sunt Gerhardus Præpositus Carpenensis, Godefridus Canonicus Carpenensis, Fridericus Præpositus Monasteriensis, Comes Willelmus Juliacensis, Theodoricus de *Rostare*, Arnoldus de *Gimmenich*, Edmundus de *Brakele*, & alii quàm plures tam Clerici quàm Laïci. Acta sunt hæc anno Domini MCCXVIII.

Charta Theoderici Domini Heinsbergensis *augentis possessiones Cœnobii* Heinsbergensis *à suis prædecessoribus fundati. Anno 1223.*

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Theodericus, Dei gratiâ Dominus Heinsbergensis, omnibus tam præsentibus quàm futuris ad quos hujus scripti notitia pervenerit, in perpetuum. Cùm omnes qui se hæredes Dei & cohæredes Christi Christianæ professionis executione testantur, loca promovere debeant Domino dicata; illi tamen eorum promotioni diligentiùs intendere tenentur, & efficaciùs pro quorum salute perpetua principaliùs & specialiùs inchoata noscuntur. Quocircà in Cœnobio B. M. V. in *Heinsberg*, à nostris prædecessoribus pro sua suorumque salute fundato, Religiosum Conventum Fratrum & Sororum sub districtione Ordinis Præmonstratensis, regularibus intentum disciplinis, ac quotidianis eleëmosynis & hospitalitatibus, aliisque misericordiæ operibus opus impendentem propensiùs & operam, adhuc in nostris temporibus eo defectu cognoscentes laborare temporalium, quod de propriis reditibus aut laboribus annuam & necessariam annonæ nequeat habere sustentationem, indignum duximus sine compassionis exhibitione prætereundum. Unde prope *Heinsberg*, in quodam loco nostræ jurisdictionis palustri & nemoroso, qui vulgò *Palus* dicitur, à termino circa *Randerode*, qui *Hurst* nuncupatur, per terminos Parochiarum *Drummene* & *Heinsberg*, in eodem loco omnem decimam novalium, minorem & majorem, quam hactenùs habuimus, in honorem Dei & sanctæ Mariæ Virginis, ipsi Cœnobio contulimus, usu perpetuæ proprietatis habendam. Utque hæc collatio robur justæ ac perpetuæ protectionis haberet, venerabilem Dominum Hugonem Episcopum Leodiensem Ecclesiæ adivimus, eandem decimationem in manus suas resignantes. Placuit tamen nobis, & per ipsum & per nos decimam quamdam excipi, quæ jam dudum Canonicis Heinsbergensis castri, sub privilegio felicis memoriæ Domini Philippi Coloniensis Archiepiscopi, infra prædictum terminum est denominata. Cæterùm cum mater mea, & uxor unà cum filio meo Ecclesiasticam habeant in sæpèdicto Cœnobio sepulturam, itemque ibidem dilecta soror mea & filia, in statu religionis, mundi cordis & puræ conscientiæ vacent contemplationi; dictum factum nostræ devotionis in firmamentum perpetuæ stabilitatis, sigilli nostri fecimus appensione muniri. Primi verò facti nostri apud Cœnobium Heinsbergense testes sunt, Giselbertus Præpositus, Jwranus Prior, Sibertus & Henricus Sacerdotes ejusdem Cœnobii, Arnoldus Miles de *Gimmich*, Alardus de *Havekesdale*, Albertus Pincerna, Reinardus Schermus, Everhardus *Morsel*, Rudgerus de *Berg*, Goswinus *Knupsel*, Goswinus de *Holtheim*, & plures alii tam clerici quàm laïci. Facti autem posterioris Domini Leodiensis Episcopi, & nostri apud Leodium in proximo Sabbato post *Caput jejunii*, testes sunt, Sibodo Præpositus S. Alberti Aquensis, & Canonicus sancti Lamberti in Leodio; item alius Sibodo Decanus S. Mariæ in Aquis; Joannes Plebanus in *Pinne*, & Decanus Swestrensis Capituli, Godefridus Sacerdos in *Geilenkirken*; & Milites Walterus de *Bunde*, Adam de *Haren*, & Goswinus frater suus, Alardus de *Havekesdale*, Reinardus Scheirmus, Rutgerus de *Berge*, & alii plures. Acta sunt hæc anno Dominicæ Incarnationis M CC XXIII. VI. Nonas Martii, Indictione XI.

Charta donationis allodiorum de Jandoria *& de* Graveriis *factæ à Theoderico, Abbati Sancti Leonis Tullensis, ad constructionem monasterii. Anno 1126.*

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Quamvis humani generis creatio, à bono autore Deo condita sit ita, ut etiam cessante exteriùs datæ legis ammonitione, plerique mortalium dono liberi arbitrii, benignitatis ratione dictante, naturaliter ea quæ legis sunt facientes, in his, quæ sibi invicem sunt necessaria, subveniant, tamen quia non uniformis omnium habitus est animi, vel qualitas morum, pius conditor ac redemptor, cunctorum saluti in commune consulens, verbis & exhortationibus, simulque exemplis evidentioribus præcedentium, quatenùs sensim ad altiora convaleant, omnes pariter admonere curavit. Unde & quidam divini amoris igne ferventes, ac non solùm suas, sed aliorum animas salvari cupientes, atque pauperum indigentiæ ex propriis facultatibus subministrantes, locaque plurima in honore Dei & Sanctorum ejus, multis prædiorum suorum, aliarumque rerum collatis beneficiis stabilientes, ad regna cœlestia devotiùs festinarunt. Quapropter Dominus Theodoricus oppidanus Barri, laudante & concedente Gerardo filio suo ejusdem proprio hærede, simulque conjuge Hastica, cum filiis & tota familia sua, & si qui sunt alii, sciente ac vidente tanta multitudine testium, quanta in illo tempore, in eadem regione vel ca-

stello habitare potuit, allodium quod *Jandorias* dicitur, certis terminis designatum, simulque locum alterum, suum nihilominùs allodium, quod *Graverias* nuncupatur, metis propriis terminatum, ad domum Dei, id est monasterium, sive Ecclesiam construendam, concessâ propria libertate in rebus utensilibus ædificandis, molendinum scilicet, piscationem, vel ut breviter concludam quæcumque in talibus necessaria cogitari aut fieri possunt, Ecclesiæ S. Leonis, Tullensis episcopatûs, in honore Domini nostri Jesu Christi pro salute animæ suæ, vel parentum suorum gratanter concessit. Ad quod confirmandum, ut probabiliùs fieret, hi testes subscripti sunt Durandus Decanus Robertispaniæ, * Warinus Præpositus Canonicorum ipsius oppidi (Barrensis), Walterus etiam Decanus, Albericus Canonicus ejusdem Ecclesiæ, Balduinus Hato, Petrus Wimbaldus Canonicus S. Leonis, Adolricus Miles nepos ipsius Castellani, Hecelinus, Richerus Milites, fratres, Amalricus Abbas, Milo etiam Haronisvillæ, * Dodo miles Tremontionis, * & alii quam plures quos enarrare longissimum est. Si quis igitur hoc donum deinceps contradixerit, vel violaverit sit anathema. Marantha, in die futoris Domini, conservantibus autem hæc, sit pax & requies cum omnibus Sanctis Amen. Actum anno ab Incarnatione Domini MCXXVI. Indictione IV. Epacta XVII. concurrente VII.

* Robert-Espagne villa a Janduriis semihora distans.

* Heronville.

* Tremont.

Charta Henrici Episcopi Tullensis, quâ Sibaldus S. Leonis Abbas transfert allodia sibi à Theodorico collata, in Abbatem Regiæ-Vallis *ut ibi monasterium Ordinis Præm. ædificet. Anno 1140.*

IN Nomine Patris, &c. Henricus Dei gratiâ Leucorum Episcopus humilis, tam præsentibus quàm futuris in perpetuum. Generatio præterit & generatio advenit, & ut advenientes sciant quod fecerunt prætereuntes, litteræ inventæ sunt per quas mandatur futuris quod factum est à præteritis. Mandamus itaque posteris, litteris nostris, quod factum est diebus nostris, ne oblivio deleat, & ut ratum permaneat, regulares Canonici S. Leonis militantes Deo in urbe Tullensi quasdam possessiones quas jure Canonico in Parochia nostra juxta castrum Barri possidebant, Abbati *Regiæ-Vallis* Heriberto Fratribusque ejus possidendas tradiderunt sub trecensu annuo decem solidorum Tullensis monetæ quos annuatim Abbas persolvet; statutis terminis qui loca *Jandoriæ*, & *Graveriarum* & *Wacencurtis* * incolet; persolvet annuatim quinque solidos XIII°. Kal. Maii, & quinque V. Kal. Septembris; persolvet etiam XII. nummos Catalaunensis monetæ pro Ecclesia de *Wacincourt* Archipresbytero ad Synodum S. Remigii, si verò aliqua persona aliquando, quacunque occasione calumpniam aliquam de prædictis locis moverit, Fratresque juxta regulam Præmonstratensem ibi Deo militantes inquietaverit, non ideo censûs denominatus minuatur, sed annuatim statutis terminis sine aliqua occasione persolvatur. Factum est autem istud tempore Sibaldi Abbatis S. Leonis regnante Conrado Rege, anno ab Incarnatione Domini MCXL. Indictione III^a. Epacta IX^a. *Signum* Durandi Abbatis S. Apri. *S.* Rustici Abbatis S. Salvatoris Calmosiaci. *S.* Uttanni Abbatis S. Salvatoris de Vosago. *S.* Stephani Decani & Archidiaconi. *S.* Hugonis *Blanchard* Archidiac. *S.* Haimonis Archidiaconi. *S.* Hugonis de *Gondricort* Archidiac. *S.* Goberti Cantoris & Archidiaconi. *S.* Hugonis Rufi Archidiaconi. *S.* Henrici Archidiaconi. *S.* Walteri Cancellarii. *S.* Alberici Capellani.

* Variscourt.

Charta de allodio Jandoriæ *dato ab Abbate Bellogiensi * & Monachis.*

* Beaulieu.

QUoniam hujus mundi gloria, quasi ros ita deficit, & solus eleëmosynarum fructus in omnibus habitis subsistit. Ego Gervasius, non meis meritis, sed Dei gratiâ Abbas Bellogiensis & monachi mei, Nicolaus scilicet Prior, Wido Capellanus, Girbertus Præpositus & totus monachorum Conventus, Jandoriæ locum certis terminis designatum Præmonstrati Ordinis Fratribus ibidem Deo servientibus, per manum Domini Alberti Virdunensis episcopi, & assensu ejusdem loci Advocati pro animarum nostrarum salute concessimus, & sigilli impressione roboravimus; hæc autem à nobis donatio liberè fieri potuit quam ab eis qui eam jure hæreditario liberalissimè possidebant, Ecclesia nostra recepit. Quomodo autem & à quibus allodium prædictum habuimus explicare breviter necessarium duximus. Paschalis imminebat dies cujus secunda feria Walfridus quondam Barrensis Castellanus ad altare S. Mauritii accedens corpus S. Graudingi cum pignoribus gloriosi martyris Mauritii ab Ecclesia sua deportaturus cum maxima populi multitudine propriis humeris, & filio suo Waltero altrinsecùs suscipiente in prædium traditæ possessionis quod *Brasbant* dicitur, invexit: uxor verò ejus nomine Hildeburga devotissimè occurrens, Chartamque subarrationis suæ feretro sancti corporis superponens, Jandoriæ allodium sicut & alia quæ in dote jure maritali susceperat, hoc ipsum marito suo & filio fieri postulantibus, & libentissimè annuentibus obtulit. Hac itaque conditione locum dictum Fratribus memoratis contulimus, quod singulis annis crastina die post festum S. Trinitatis plenarium servitium, in Vigilia, Missa & commendatione pro monachis nostris defunctis ab eis exhibebitur, & tantùm pro omni Abbate Bellogiensi audito ejus obitu, quantùm pro Fratre domûs illius agetur, excepto quod pro eo ab eis correptiones non recipientur. Ne autem hæc eleëmosyna successoribus nostris esset incognita, & scripto eam commendare curavimus, & horum testium nomina subscripsimus. Richardus Archidiaconus. Willelmus Decanus. Chono Abbas S. Vitonis. Bartholomæus Abbas S. Pauli. Gelo Abbas S. Agerici. Raymundus Abbas Regiæ-vallis.

Charta Reinaldi Comitis Barri pro confirmatione allodii Janduriarum *dati Fratribus Ordinis Præmonstr. à Gerardo Castellano Barrensi. Anno 1154.*

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ne rerum gestarum series temporibus labentibus oblivioni tradatur quod nostris diebus actum est. Ego Comes Reinaldus Montionis & Barri, virorum meorum nobilium curiæ Barrensis, causâ veritatis confirmandæ, scripto & sigilli nostri impressione, ad posteros transmittimus. Notum igitur sit omnibus Girardum Castellanum Barrensem cum uxore sua Galiena, & fratre suo Alberto, & filiis suis Riquino cum uxore sua Ricolde, & fratribus Theodorico Roberto, & Hugone, filia quoque Mathilde, Girardo etiam filio Riquini cognomento Philippi, pro remedio animæ suæ, & antecessorum suorum, Fratribus Præmonstrati Ordinis apud *Jandorias* Deo servientibus, totum allodium, sicut infra terminos

(a) Reinaldus II. nomine, cognomento junior, filius Rainaldi primi Comitis Barri, sponsam habuit Agnetem de Campagnia, filiam Theobaldi magni de Campagnia, & sororem Adelis Reginæ Galliæ. Obiit 1170.

ejusdem loci possidebat in omnes usus per manum meam in perpetuum liberè tribuisse, Girardum quoque ipsum cum suis hæredibus contra omnem calumniam ad placitum & æquum defensorem, & ubi judicium exigeret, nunquam desistere. Huic pactioni, ego Comes Reinaldus non minimùm consulens; ipsius Castellani rogatu me ipsum obsidem pro meæ animæ, meorumque salute, domui & Fratribus prædictis concessi, ut si quis hæredum vel in posterum donatorum non varentire vellet, vel ignorare, meæ justitiæ manus hoc relevet, & Deo servientibus pacem conservet. Hinc hi testes habentur. Ego Comes Reinaldus. Abbas Nicolaus *Trium-fontium*. Frater Stephanus Magnus, Durandus Decanus Robertispaniæ. Raynardus Sacerdos de *Tremont* Magister Falco de Barro. Vuido *Mengere*. Jofridus *Hatz*. Jofridus *Montionis*. Wiardus *Focce*. Wlfandus de *Preurs*. Walterus de *Bussy*. Riquilinus. Boso de *Chenillum*. Wiardus de *Marez*. Radulphus Præpositus. Theodoricus *Bellarum*. Paganus filius *Busilas*. Bernardus filius *Gillondi*. Albricus *Cancuvent*. Si verò ipse Castellanus, aut quis ex propriis hæredibus se reddere voluerit hac conditione recipietur. Actum est hoc ab Incarnatione Domini MCLIV. regnante Francorum Rege Ludoyco, & imperante Romanorum Rege Friderico.

Charta Henrici Episcopi Tullensis, approbans fundationem & dotationem Janduriæ, *conferensque varia altaria* Janduriæ, *& laudans donatorum beneficentias. Anno 1163.*

HEnricus Dei gratiâ Leucorum humilis Episcopus, Petro dilecto filio suo Jandoriæ venerabili Abbati, Fratribusque suis sibi dilectissimis, successoribusque suis in perpetuum. Quoniam à summo Patre-familias super grege fidelium constituti sumus, debemus summo studio, officio injuncto intendere, ut sicut donatum est, præesse ita possimus & prodesse; quapropter cum illud à nobis exigitur, quod paci & utilitati Ecclesiarum proficere dignoscitur, libentissimè debemus precibus annuere, & eis auxilium ferre quibus debemus proposse spiritualia & temporalia providere. Hæc igitur diligenter advertentes, mi dilecte fili Petre *Jandoriensis* cœnobii Abbas, tuis precibus & tuorum Fratrum quibus nos humiliter & religiosè convenistis, gratantem aurem inclinavimus, easque exaudivimus scilicet ut sub testimonio scripti nostri, locum vestrum, aliasque possessiones quas novella plantatio Ordinis vestri loco acquisivit, non tam seriatim quàm capitulatim retexentes poneremus, eidemque scripto sigillum nostri nominis apponeremus. Confirmamus ergo vobis locum Jandoriæ & Graveriarum nec non & Wacincurtis cum possessionibus quas ibidem habebant Fratres nostri Canonici S. Leonis, concesseruntque vobis sub trecensu decem solidorum annuatim certis terminis solvendorum, quod utique factum est sub testibus, scilicet Durando Abbate S. Apri. Rorico S. Salvatoris Calmosiacensis Abbate, & Bertrando S. Salvatoris Vogiensis Abbate, aliisque quàm pluribus. Concedimus etiam vobis altare Jandoriæ liberum omni Parochiali jure, excepto quod XII. nummos Cathalaunensis monetæ Archipresbytero persolveris. Vos autem dotalitia & decimas, & cætera quæque ad altare pertinentia liberè habebitis, profectui verò vestro, & exaltationi loci congratulantes, & ut ibidem Religio floreat, & ex devotione fidelium viventium & morientium ad subsidium Fratrum vestrorum in dies temporalia augmententur non minimum, optantes liberam sepulturam vos habere constituimus, ita ut nullus Presbyterorum alicui ibidem fidelium se tumulari volentium negare præsumat conductum; concedimus quoque vobis, ut si quis fidelium ex devotione ad vos venire voluerit, nisi sit nominatim excommunicatus, & propter propriam culpam anathemate obligatus, liberè suscipiatis, vel vivum in Ecclesia vel mortuum in sepultura, concedimus etiam vobis altaria de *Wacincort* & de *Chambrot*, voluntate & assensu Archidiaconi Widonis cum dotalitiis & decimis, & suis quibusque appenditiis sub trecensu videlicet duorum solidorum, præsenti etiam scripto industriæ fidelium tam præsentium quàm futurorum manifestare volumus quod etiam ut ratum permaneat, sub anathemate confirmamus. Dominum Girardum Castellanum Barrensium cum uxore sua Galiena, & fratre suo Alberto, & filiis suis Riquino cum uxore sua Ricolde, & fratribus Theodorico, Roberto & Hugone, filia quoque Mathilde, Girardo etiam filio Riquini cognomento Philippi pro remedio animæ suæ & antecessorum suorum vobis totum allodium, sicut infra terminos loci *Jandoriæ* possidebat ad vestros usus per manum Comitis Rainaldi perpetuò possidendum tribuisse. Gerardum quoque ipsum cum suis hæredibus contra omnem calumniam ad placitum & æquum defensorem, & ut judicium exigeret nunquam desistere hujus pactionis conditionibus. Ipse Comes utilitati & paci Ecclesiæ consulens pro remedio animæ suæ rogatu ipsius Castellani se testem & obsidem constituit, ità ut si quis in posterum hæredum in aliquo contraire vellet, vel fingendo se ignorare, vel calumniando aliquâ factione, virtute justitiæ suæ omne pravum consilium infatuaret, & Ecclesiam prædictam eleëmosynam in pace possidere faceret, horum omnium testes fuerunt, Abbas Nicolaus *Trium-fontium*. Durandus Decanus Robertispaniæ. Rainaldus Sacerdos de *Tremonte*. Wido *Limengere*, Jofridus *Hatez*, Jofridus *Montionis*. Walterus de *Bussey*, aliique quàm plurimi tam clerici quàm laïci: volentes verò ex omni parte contra adversarios Ecclesiam præmunire, dignum duximus tam modernos, quàm secuturos testimonio nostro certos reddere in his omnibus quæ à Fratribus S. Leonis, vel à Castellano, & suis hæredibus Ecclesia vestra possidet, nihil Ecclesiasticam secularemve personam nunquam habuisse, unde querela justè possit moveri, vel haberi. Litardus Miles de *Lopes* * dederat vobis quidquid habebat apud *Graveriarum* omnibus usibus profuturum, assensu conjugis suæ & filiorum filiarumque suarum & hæredum suorum sub trecensu XII. nummorum quorum decem remisit eò quod combustioni horrei Jandoriæ interfuerat. Porrò Dondatus *Wacincurtis* cum Hugone ac Bonardo filiis suis, cæterisque hæredibus suis quidquid in territorio ejusdem villæ habebat, Ecclesiæ vestræ contulit, & quidquid patrimonii in eodem confinio habebant Ursus de *Muceio*, Anscherus de *Fontiniaco*. Herea uxor Rohandi, Albertus filius Gontini, Baldricus de *Tremont*, Ancelina filia Barrengerii, Willermus Conversus & Emelinus frater ejus cum sorore sua Autruda, Gerardus nepos eorumdem, Vicarinus Piscator, simulque filii Vascelini, Warinus Albercus, atque Waltridis uxor Roberti, assensu conjugum filiorum, filiarumque suarum fratrum & sororum, hæredumque cunctorum Ecclesiæ vestræ liberè contulerunt. Istis interfuerunt testes, Durandus Decanus, Dondatus, Hugo filius ejus, aliique quàm plurimi. Odo Miles de *Jarreia* quidquid habebat in *Lavatenne* in pratis & agris, & quidquid calumniabatur in *Insula*, & duo jugera terræ subtus *Bronchus*, quatuor etiam jugera juxta insulam *Rigault*, totam denique terram de *Planomonte* in agris

* Loupy.

& ſylvis cum omni integritate, ſicut eam ſuperiùs & inferiùs à Roberto de *Sollcio* poſſidebat, ſub trecenſu quatuor nummorum Eccleſiæ veſtræ liberè tradidit, qui cenſus quâ die volueritis infra Octavas Pentecoſtes in domo ſua apud *Poſſeſſe* perſolvetur, vel Capellano de eadem villa, ſi non ſit qui recipiat, omni occaſione remota tribuetur, factum hoc annuente uxore ſua *Treclot*, & filiis ſuis Rodulpho ſcilicet & Waltero cæteriſque hæredibus ſuis, quod donum ut firmiùs haberetur prædictus Robertus in domo ſua, & annuente Comite Reinaldo præſentibus compluribus nobilibus Militibus cum fratre ſuo Reinaldo teſtibus ſubſcriptis aſtantibus donando conceſſit, Abbate ſcilicet Bartholomæo S. Pauli Virdunenſis Widone *Lomengeer*, Wlfando *Dypecourt*. Si quis verò calumpniatus fuerit hoc donum, Odo promiſit defenſuram doni ſe facturum in omni Curia; conceſſit etiam eis paſcua in univerſa terra ſua tam in feodo quàm in allodio & ligna & lapides ad ædificandum, hoc totum conceſſit Hoduinus, & Petrus cognati ejus, ad quos hæc omnis poſſeſſio jure hæraditario debet redire, ſi Odo ſine legitimo hærede obierit. Teſtes ſunt Gervaſius Abbas de *Monaſterio*. Gerardus Caſtellanus *de Bar*. Philippus filius ejus, Joannes *Chapiron* de *Poſſeſſe*. Wivilandus cum uxore ſua & ſorore ſua cæteriſque hæredibus ſuis hoc annuentibus totum allodium ſuum de *Villa* in campis, ſylvis, pratis, paſcuis, aquis & in omnibus uſibus ſicut Dodo pater ſuus de *Lineio* poſſidebat Eccleſiæ veſtræ per manum Comitis Reinaldi perpetuò poſſidendum tradidit. Et idem Wivilandus quod donum illud contra omnem calumniatorem warentiret promiſit, hujus rei teſtes habentur ipſe Comes Reinaldus, Magiſter *Falco*, Philippus Caſtellanus Barri, Joſridus *Montionis*. Olricus Miles de *Inſula* cum uxore ſua Honorata & filio eorum Gilberto; ſimulque filia dedit vobis quidquid habebat in *Meheri prato* ſub teſtibus Gerardo Thibero, Girberto; ſimiliter Dodo Miles de *Tremons* cum uxore ſua Alede filioque Adam dedit S. Mariæ *Jandoriæ* jugera quæ habebat juxta aquam, hujus rei teſtes ſunt, Hugo de *Buſſeio*, Walterus frater ejus, Durandus Decanus, Reinaldus Sacerdos. Prætereа Rengardis de *Lémont* in extremo vitæ ſuæ pro remedio animæ ſuæ Eccleſiæ veſtræ contulit annuentibus filiis ſuis Hugone, Richero, Hecelone, totam terram quam infra Jandoriæ & S. Hilarii confinia poſſidebat; hanc cùm filia ſua calumniata fuiſſet poſtmodùm reſipuit cum filiis ſuis Waltero, Adam, Hugone, his interfuerunt teſtes Theodoricus Preſbyter de *Lémont*. Renardus Sacerdos de *Nova-villa*, Wido *Lumengere*, Letardus filius ejus, Joſridus *Montionis*: Reinardus filius Widrici de *Villa* dedit vobis juger ultrà aquam, cum Emelina uxore ſua ſub teſtibus Roberto, Milone de *Villa*, Clemente de S. Hylario. Gerardus *Haſtarius* contulit vobis quidquid habebat ultra aquam retrò Capellam, & quidquid habebat in *Meheri prato* ſub teſtibus ſcilicet Heſcelo & Richero Militibus de *Lémont*. Warenbertus conceſſit vobis quidquid calumniabatur in domo Domini Odonis de *Jarra*. Hoc idem conceſſerunt Girbertus nepos ejus, Gerardus *Haſtarius*, Therus, Girbertus, Roardus, Robertus de *Villa*, Cwrumus, Iſaac, Rodulphus filius Anſcheri, Lambertus ſororius ejuſdem, Milo, ſub teſtibus Roberto Villico de *Jandoria*, Pagano, Henrico *Robertiſpania*, Iſaac, Gerardus *Haſtarius* dederunt vobis quidquid habebant in *Chambore* ſub teſtibus Alberto, Tihero, Roberto Villico de *Jandoria*. Widricus pater Conſtantii, & Styulphus Widricus, & Hodierdis uxor ejus dederunt vobis quidquid habebant in *Meheri prato*, ſub teſtibus Alberto, Ernaudo, Tihero; Joannes de *Maros*, & fratres ejus, Adam ſcilicet & Falco dederunt vobis duo jugera terræ quæ ſunt juxta Abbatiam, unum ex una parte aquæ, unum ex altera ſub teſtibus, Philippo Caſtellano Barri, Adam de *Tremont*: Wiarz de *Maros*, Albertus & Dodo frater ejus dederunt vobis quidquid habebant in allodio de *Chambore* inter *Tremont* & *Sault*, & uſitarium quod habebant in eodem allodio inter *Spinel-vaul* & *Sault* ſub teſtibus Rainardo Preſbytero Robertiſpaniæ, & Henrico fratre ejus, & Dodone filio ejus. Dodo annuente fratre ſuo Petro, & Warinus *Leproſus* & Emelina *Livien* dederunt vobis quidquid habebant in allodio de *Chambroé* & in coſta *Gobant* ſub teſtibus, Renardo Preſbytero, & fratre ſuo Henrico, & Emmarico Preſbytero. Conſtantius Sacerdos & Theodoricus frater ejus, Gerardus, Martinus, Theobaldus; Conſtantius filius ejus, Petrus, Gerardus, Gilbertus, Dudo. Hi omnes de *Rozerez* dederunt vobis dimidiam partem ſedis molendini ſubtùs *Roſeris*, aliam dimidiam partem ſedis dederunt vobis Heſcelo Miles, & Eliſabeth neptis ejus ſub teſtibus ſcilicet Conſtantio de familia Oppidani, Walterus de *Conmarciz* filius Scibaldi, Warinus etiam & Martinus, avunculus ejus, Rainerus, Stephanus filius ejus, Arnulphus, Widricus, Roholdis ſoror Joannis, Joannes frater Theobaldi. Item Joannes Durandus filius ejus, Rodulphus frater Joannis, Ermentudis, Renardus & filii ejus, teſtes horum Stephanus Sacerdos, Gerardus & Olricus filii ejus, Widricus de *Borez* & Emengardis uxor ejus, filius eorum Ernaudus, Roholdis filia eorum, dederunt vobis ſimiliter ſub teſtibus Bernardo Sacerdote de *Valentia*, Wiardo; Joannes Meſchina hoc idem fecit Arnulphus Wimburgis uxor ejus, filii eorum & filiæ, Haymo, Emgilbertus, Herbertus, Hadierdis, Elierdis, Eremburgis manentes Atholevi; ſub teſtibus Willermo & Varnero de eadem villa. Similiter Bertha & Emengardis filiique earum Hogerus, Cono, Rodulphus, Joannes, Lambertus, Theodoricus, Albericus dederunt vobis partem ſuam ſub teſtibus Widrico, Encelino de villa quæ dicitur Vitulus;* ſimiliter Paganus de Jandoria & uxor ejus Wilburgis, cum filiis ſuis Alberico, Warino filiaque Edelina, ſub teſtibus Rehero & Conſtantio cognomento *Clarello*, Theodorico. Hæc igitur omnia quæ præſcripta ſunt vobis in perpetuum poſſidenda ſancimus Epiſcopali autoritate: contradicentes ne ullus cujuſcumque conditionis homo, ſive nobilis, ſive ignobilis ſuper his omnibus injurioſus Eccleſiæ veſtræ exiſtat, vel aliquid horum excrutare præſumat; conſervantibus autem hæc ſit pax & lætitia ſempiterna. Si quis verò temerarius hæc violare, his contraire, præſumptione temeriâ pertemptaverit, ſi ſecundò tertiòve commonitus corrigi neglexerit, & reſipiſcens contempſerit, communione Eccleſiaſtica privetur, & à ſocietate fidelium ſeparetur, & cum zabulo æternâ maledictione damnatus ſit, in æternum anathema; maranatha, fiat, fiat, Amen. Facta ſunt hæc & confirmata ſub teſtibus infra deſcriptis. *Sigillum* Magiſtri Haymonis Decani & Archidiaconi. *S.* Theodorici filii Ducis Archidiaconi, & Præpoſiti S. Gengulfi. *S.* Petri Cantoris & Archidiaconi. *S.* Odonis Theſaurarii & Archidiaconi. *S.* Walteri Archidiaconi. *S.* Olrici Archidiaconi. *S.* Haymonis Archidiaconi. *S.* Walteri Agnelli Archidiaconi. *S.* Theoderici Barrenſis Archidiaconi. *S.* Alberici Capellani & Archidiaconi. *S.* Hugonis Abbatis ſancti Apri. *S.* Joannis Abbatis ſancti Manſueti. *S.* Sifridi Abbatis ſancti Leonis. *S.* Walteri Cancellarii. Actum hoc anno Incarnationis Dominicæ MCLXIII. Epacta XIV. concurrente Indictione XI. regnante Fri-

* Veaux.

derico glorioso Imperatore, præsidente Ecclesiæ Tullensi venerabili Henrico Præsule, anno Ordinationis suæ XXXVIII.

Bulla Eugenii III. pro inducti in Janduriam *Ordinis Præm. approbatione, possessionum acquisitarum aut acquirendarum confirmatione, & decimarum exemptione. Anno 1147.*

EUgenius Episcopus servus Servorum Dei, dilectis filiis Theobaldo Abbati Jandoriensis Ecclesiæ ejusque Fratribus tam præsentibus quàm futuris regularem vitam professis in perpetuum. Religiosis desideriis dignum est facilem præbere consensum ut fidelis devotio celerem sortiatur effectum; ea propter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & præfatum locum in quo divino mancipati estis obsequio sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus, statuentes ut quascunque possessiones, quæcumque bona idem locus in præsentiarum justè & canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis Deo propitio poterit adipisci, firma vobis vestrisque justis successoribus, & illibata permaneant in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis, locum Jandoriæ certis terminis designatum, duas partes decimæ quas ibi ab aliis incolis recipitis, tertiam partem decimæ de *Wacincort* locum *Graveriarum* & de *Wacincort* certis terminis designatum, sicut ab episcopo Tullensi confirmatum est. Pratum quod Vivianus cum fratribus suis dedit vobis, locum de *Walt* quem Rodulphus de *Barroi*, & Anschetus de *Domno Martino* dederunt vobis. Sedem molendini quam hi qui eam jure hæreditario possidebant vobis dederunt subtus Roseriis. Sanè laborum vestrorum quos propriis manibus aut sumptibus colitis, sive de nutrimentis vestrorum animalium, nullus à vobis decimas exigere præsumat. Decernimus ergò ut nulli omninò hominum liceat præfatum locum temerè perturbare, aut ejus possessiones auferre vel ablatas retinere, minuere, aut aliquibus exactionibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salvâ sedis Apostolicæ autoritate, & Diœcesanorum Episcoporum canonicâ justitiâ. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica secularisve persona hanc nostræ confirmationis paginam sciens contra eam temerè venire temptaverit, secundò tertiòve commonita, si non satisfactione congruâ emendaverit, potestatis, honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à Sacratissimo Corpore & Sanguine Dei & Domini nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco justa servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenùs & hîc fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Datum Parisiis per manum Hugonis Presbyteri Cardinalis agentis vicem Domini Guidonis, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconi Cardinalis & Cancellarii. III. Nonas Junii, Indictione decimâ, Incarnationis Dominicæ anno MCXLVII. Pontificatûs verò Domini Eugenii Papæ III. anno III.

Appellatio ad Ecclesiam universalem facta ab Renato II. Lotharingiæ & Barri Duce in manibus Francisci de Contrisson *Abbatis Janduriarum anno 1495.* Ex Archivis Lotharing.

COram vobis venerabili Patre Domino Abbate (Francisco de *Contrisson*) monasterii de Jenduriis, Tullensis diœcesis, Ordinis Præmonst. tanquam authentica ac Notariis. Nos Renatus Jerusalem & Siciliæ Rex, Lotharingiæ & Barri Dux, per deliberationem Procerum proponimus, ac ad cujusdam Joannis *Marades*, natione, ut aiunt, Hispani, omniumque aliorum prætendentium notitiam deduximus, quod cùm deceat universos Principes vigilare supra eorum terras, dominia & subditos, ne ibi constituantur præsertim in Prælaturis majoribus, arces, villas, subditos, & jurisdictionem habentibus, viri suspecti: vacationem hujus Ecclesiæ Tullensis præveniens, illam invito & contradicente quondam Antonio de *Novo-castro* illius Pastore adhuc in humanis agente, nec nobis solum, sed & serenissimo Romanorum Rege, illustrissimoque Austriæ Archiduce, ac illustribus consanguineis ejusdem Pastoris, nec non Capitulo & Clero ac universis plebibus dictæ Diœcesis reclamantibus, reservasse, ac in eventum ipsius vacationis dicto *Marades* ex tunc fore provisum decrevisse, non minus doluimus & contradiximus. Contingit ex obitu dicti Pastoris ejusdem vacatio, cujus Capitulum per Spiritûs sancti inspirationem ritè & concorditer illustrem consanguineum nostrum Dominum Olricum Comitem *Albi-montis* Concanonicum suum elegerunt, ne dum nobis, sed serenissimo Regi Romanorum, Principibus tam Electoribus gratissimum & acceptum postulaverunt ipsum confirmari, ut potè utilem dictæ Ecclesiæ ac virtutum eximiarum dotibus clarissimum, Dominus Sanctissimus distulerit, si autem audire contempserit, ad universalem Ecclesiam, quod nobis aliud non restat, hoc secundo loco gradatim & alternatim, seu ad eum vel eos ad quos hæc nostra provocatio devolvi poterit, appellamus.

Charta Henrici Episcopi Tullensis confirmatrix donationis factæ à Gerardo Barri Castellano, & hæredibus suis videlicet totius allodii sicut infra terminos hujus loci possidebat.

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ne rerum gestarum series temporibus labentibus oblivioni tradatur quod nostris diebus actum est. Ego Henricus Leucorum Episcopus causâ veritatis confirmandæ, scripto & sigilli nostri impressione ad posteros transmittimus. Notum igitur sit omnibus Girardum Castellanum Barrensem cum uxore sua Ricolde & Fratribus Theodorico, Roberto & Hugone, filia quoque Mathilde, Girardo etiam filio Riquini cognomento Philippi, pro remedio animæ suæ, & antecessorum suorum Fratribus Præmonstrati Ordinis apud Jandorias Deo servientibus, totum allodium, sicut infra terminos ejusdem loci possidebat, in omnes usus per manum meam in perpetuum liberè tribuisse, Girardum quoque ipsum cum suis hæredibus contra omnem calumniam ad placitum & æquum defensorem, & ubi judicium exigeret nunquam desistere.

Bulla

Bulla Alexandri III. bona & immunitates Jandoriæ *recensens & confirmans anno* 1180.

ALexander Episcopus servus Servorum Dei. Dilectis filiis Abbati S. Mariæ de *Jandoria* ejusque Fratribus tam præsentibus quàm futuris, religiosam vitam eligentibus. Apostolicum convenit adesse subsidium, ne fortè cujuslibet temeritatis incursus aut eos à proposito revocet, aut robur (quod absit) sacræ religionis infringat. Ea propter, in Domino dilecti filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & felicis recordationis Patris & Prædecessoris nostri Eugenii Papæ vestigiis inhærentes præfatam Ecclesiam S. Mariæ de Jandoria, in qua divino mancipati estis obsequio sub B. Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus, imprimis si quidem statuentes ut Ordo Canonicus qui secundùm Deum & B. Augustini regulam, atque institutionem Præmonstratensium Fratrum, in eadem Ecclesia institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascunque possessiones, quæcunque bona eadem Ecclesia in præsentiarum justè & canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Principum vel Regum, oblatione fidelium seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant: in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis, locum ipsum in quo præfata Ecclesia sita est, cum omnibus pertinentiis suis; locum *Graveriarum & Wacincort* cum possessionibus quas Canonici S. Leonis concesserunt vobis sub censu decem solidorum annuatim certis terminis solvendorum, & alias possessiones quas ibi habetis. Allodium *Jandoria* & allodium *Graveriarum* quæ dedit vobis Gerardus Castellanus Barri assensu hæredum suorum, allodium de *Sourvelaines* quod dedit vobis Ricuinus Castellanus Barri cognomento Philippus, assensu hæredum suorum; pratum subtùs *Andernai* quod dedit vobis prædictus Ricuinus assensu hæredum suorum sub censu xi. denariorum quos præterea remisit vobis, insuper & alios xxxiii. denarios quos dedit vobis singulis annis in reditibus suis de *Wacincourt* ut ex eis ematur oleum & lampas, & ardeat nocte ac die in Ecclesia vestra ante altare majus. Terram quam dedit vobis Odo de *Jarria* videlicet quidquid habebat in *Lavarrene*, in pratis & aquis, & quidquid habebat in *Insula*. Terram subtùs *Bouchien* & juxta insulam *Rigalt*, & terram de *Plano-monte* cum omni integritate sub censu 4. denariorum & pascua in omni terra sua tam in feodo quàm in allodio, & ligna & lapides ad ædificandum. Quidquid Wrardus, Albricus, Dodo fratres de *Mures* habebant in allodio de *Chambroe* inter *Tremont* & *Saux*, & usuarium quod habebant inter *Pinnel* & *Saux*. Quidquid Dodo & Guarinus leprosus & Emelina *Ludiere* habebant in allodio de *Chambore* & in costa *Gobalt*; quidquid Wivilandus de *Linei* & Rogerius *Gerdes* habebat in allodio de *Villa*, in campis, sylvis, pascuis, pratis, aquis, & in omnibus usibus; partem allodii de villa quam dedit vobis Hersandis de *Trémont*, & filii ejus Aucredus & Albertus certis terminis designatam. Terram juxta *Largicourt* in loco qui dicitur *Campenolis* quam dedit vobis Henricus Comes, filius Comitis Theobaldi. Pascua communia & usuarium in sylva *Dervens*, sine omni censu & exactione, ita ut nihil ex eo vendatis nec ad excolendum extirpare præsumatis, sed porcis & cæteris animalibus vestris pascua in ea liberè habeatis, sine redemptione & exactióne. Quidquid Letardus Miles de *Lopes* habebat apud *Graverias* assensu conjugis suæ & hæredum suorum sub censu xii. den. vobis datum, quorum decem remisit eo quod combustioni horrei *Jandoria* interfuit. Quidquid Ursus de *Buacio*, Anscherus de *Fontiniaco* & alii hæredes qui in cartulis vestris continentur habebant in territorio de *Grauieres*, totam terram quam Raingerdis de *Laumont* infra confinia Jandoriæ & S. Hilarii possidebat. Juger juxta aquam quod Renardus filius Wildrici & Emelina uxor sua vobis dederunt. Quidquid Wildricus pater Constantii, & Alnulphus & Wildricus & Hodiellis uxor ejus habebat in *Macriprato*. Sedem molendini subtùs *Rozieres* quam dederunt vobis Constantius Sacerdos, & Theodoricus frater ejus & alii quàm plurimi qui eam de jure tenebant. Allodium de *Willeroncourt* quod Windemuldis hodierna, Hugo de *Grisiencourt* & Omandus de *Sauces* dederunt vobis allodium de *Huppé-mont* quod Odo *Lipovires* & filii ejus & nepotes ejus Garnerius, Garinus, Hysembardus & filius fratris eorum Petrus, vobis dederunt sub censu xx. sols & 13. mod. frumenti, & duorum avenæ, de quibus pro remedio animæ suæ contulit vobis Warnerus de *Neutancourt* portionem quæ eum contingebat laude & assensu uxoris suæ *Hodeil* filii sui Philippi, fratrumque suorum Warini *Ysambert* & hæredum suorum. Vineam quam dedit vobis Petrus qui dicebatur Balduinus, & alias vineas quas habetis in territorio de *Faveresse*. Vineas quam habetis ad *Laiguen* à fratre vestro *Theora* & sorore ejus Amelina. Altare de *Jandoria* quod habetis ab Henrico quondam Tullensi episcopo liberum, tamen Parochiali jure excepto xi. denarios Cathalaunensis monetæ Archipresbytero annuatim persolvetis. Vos autem dotalitia & decimas & cætera quæ ad altare pertinent liberè possidetis. Altare de *Chambroe* quod tenetis sub censu xii. denariorum Cathal. quos Archipresbytero annuatim persolvetis. Ecclesiam de *Wassincourt* quam habetis ab Henrico quondam Tullensi episcopo omni exactione liberas, cum omnibus quæ ad eas pertinere noscuntur, salvo tamen censu qui pro eis singulis annis exolvitur. Quidquid etiam Dominus Vidricus de *Barres*, hominibus exceptis, possidebat ad *Haut* in decimis, in sylvis, in aquis, in grangiis, in portione quæ eum in molendino ejusdem villæ adjacenti contingebat, laude & assensu uxoris suæ Emelinæ, & filiorum & filiarum suarum vobis pro remedio animæ suæ in perpetuum concessit, quinque etiam solidos qui ei annuatim in moledino de *Robert-Espague* debebantur vobis adjecit. Quod si idem molendinum fortè destructum fuerit, in portione decimarum prædictæ villæ, quæ ad eum spectat, eos accipietis. Decimas de *Vroil* quas Ulricus Castellanus Barri dedit vobis in perpetuum pro remedio animæ suæ. Ecclesiam de S. Hylario cum appenditiis suis quam Mathæus episcopus Tullensis contulit vobis in perpetuum. Modium bladi quem W. Castellanus Barri dedit vobis in decimis de *Wacincort*. Dimidium etiam modii bladi quem Philippus de *Betancourt* dedit vobis apud *Combleus*, & furnum bannalem ipsius villæ, quem homines ejusdem à quibus jurisdictio pertinebat contulerunt vobis in eleëmosynam. Dimidium etiam modii bladi quem M. W. Milites de *Hanton-villa* dederunt vobis in decima ejusdem villæ pro quadam sorore eorum vestræ domûs Conversa, & quidquid Ysembertus & W. fratres, & Philippus nepos eorum Milites habebant in decima de *Vittoncort* quod ipsi contulerunt vobis in perpetuam eleëmosynam. Liceat quoque vobis clericos vel laïcos à seculo fugientes, liberos & absolutos

ad conversionem recipere, & eos absque contradictione aliqua recipere. Prohibentes insuper ut nulli Fratrum vestrorum post factam in eodem loco professionem fas sit absque Abbatis sui licentia de eodem loco discedere, discedentem verò absque communium litterarum cautione nullus audeat retinere; Cum autem generale interdictum datum fuit, liceat vobis clausis janvis, exclusis excommunicatis & interdictis, non pulsatis campanis voce demissâ officia celebrare. Libertates prætereа & immunitates Ecclesiæ vestræ indultas & hactenùs observatas, ratas habemus, & eas perpetuis temporibus illibatas permanere censemus. Pro Chrismate verò, Oleo sancto, consecrationibus Ecclesiarum, ordinationibus Clericorum qui ad sacros Ordines fuerint promovendi, seu Abbate deducendo ad sedem vel quibuslibet Ecclesiasticis, nullus à vobis aut sub obtentu consuetudinis, aut quolibet alio modo quidquam audeat postulare. Præterea novas & indebitas exactiones ab Archiepiscopis, Episcopis, Archidiaconis seu Decanis, aliisve quibuslibet Ecclesiasticis personis omninò fieri prohibemus. Sepulturam etiam illius loci liberam esse decernimus ut eorum devotioni & extremæ voluntati qui se illic sepeliri deliberaverunt, nisi fortè excommunicati vel interdicti sint pro delicto, nullus obsistat, salvâ tamen justitiâ illarum Ecclesiarum à quibus mortuorum corpora assumuntur. Paci quoque & tranquillitati vestræ paternâ sollicitudine providere volentes, autoritate Apostolicâ prohibemus ut infra clausuras locorum, seu grangiarum vestrarum nullus violentiam vel rapinam seu furtum committere, ignem apponere, aut hominem capere, vel interficere audeat. Decernimus ergò ut nulli omninò hominum fas sit præfatam Ecclesiam temerè perturbare, aut ejus possessiones auferre & ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur, pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salvâ sedis Apostolicæ autoritate & Diœcesani Episcopi canonicâ justitiâ. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica secularisve persona hanc nostræ institutionis paginam, sciens contra eam temerè venire tentaverit, secundò, tertiòve commonita, nisi reatum suum dignâ satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, ream se divino judicio existere, de perpetrata iniquitate cognoscat, & à Sacratissimo Corpore & Sanguine Dei, & Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine divinæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenùs & hîc fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniant Amen. Datum Viterbii per manus Alberti S. R. E. Presbyteri Cardinalis & Cancellarii, 7°. Idus Julii, Indictione 14ª. Incarnationis Dominicæ anno MCLXXX. Pontificatûs verò Domini Alexandri Papæ III. anno 21°.

Bulla Honorii III. pro ejusdem Ecclesiæ bonis, beneficiis & juribus. Anno 1211.

HOnorius Episcopus servus Servorum Dei. Dilectis filiis Abbati & Conventui de *Jandoria* Præmonstratensis Ordinis, salutem & Apostolicam benedictionem. Sacro sancta Romana Ecclesia devotos & humiles filios & assuetos pietatis officio, propensiùs diligere consuevit, & ne pravorum hominum molestiis agitentur, eos tanquam pia mater suæ protectionis munimine confovere. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu personas vestras, & locum in quo estis divino obsequio mancipati cum omnibus bonis vestris quæ in præsentiarum rationabiliter possidetis, aut in futurum justis modis præstante Domino poteris adipisci, sub B. Petri & nostra protectione suscipimus. Specialiter autem de *Contrisson*, de *Andernay*, de *Wassincourt*, S. Hilarii & S. Mariæ de *Combles* Ecclesias cum pertinentiis earumdem, grangias, libertates & immunitates vestras, cum decimis, possessionibus, nemoribus, pratis, reditibus, & aliis possessionibus vestris sicut ea omnia justè & pacificè possidetis, vobis & per vos monasterio vestro autoritate Apostolicâ confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ protectionis & confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem omnipotentis Dei, & BB. Petri & Pauli se noverit incursurum. Datum Laterani quarto Idus Martii, Pontificatûs nostri anno secundo.

Charta Guidonis Castellani Barrensis, unum frumenti & alterum avenæ modium delegantis in eleëmosynam Jandoriæ. *An. 1220.*

EGo Guido Castellanus Barri. Notum facio omnibus præsentes litteras visuris quod Domina Helvidis Castellana Barrensis uxor mea laude & assensu filiorum suorum Philippi Barri, Simonis de *Janni* & Simonis de *Insula* Militum, & filiarum suarum Galyæ & Aelydis, contulit in eleëmosynam Ecclesiæ Jandoriensi pro remedio animæ suæ & successorum suorum salute apud *Robertespagne* duos modios bladi unum frumenti, & unum avenæ perpetuò possidendos. Quos verò duos modios annuatim Ecclesia Jandoriæ & integraliter percipiet, quod ut hæc eleëmosyna rata & inviolabilis permaneat, sigilli mei impressione signavi. Abbas verò & Conventus ejusdem Ecclesiæ concesserunt quod soror mea Leucardis Professa ejusdem Ecclesiæ, quandiù vixerit, illud modium frumenti prædictum recipiet, ipsa verò de modio facta sæpe dicta Ecclesia memoratum modium frumenti liberè & integraliter perpetuò possidebit. Actum anno Dominicæ Incarnationis millesimo ducentesimo vigesimo,

Charta Regum Hungariæ pro confirmatione jurium & bonorum Præpositura in Jazzo.

FErdinandus, divinâ favente clementiâ, Romanorum Rex semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ, &c. Rex, Infans Hispaniarum, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carnioliæ, Marchio Moraviæ, &c. Dux Luxemburgi, ac superioris & inferioris Silesiæ, Vitembergæ, & Thecuæ, Princeps Sueviæ, Comes Habspurgi, Tyrolis, Ferretis, Kiburgi & Horitiæ, Landgravius Alsatiæ, Marchio sacri Romani Imperii, Burgoviæ, ac superioris & inferioris Lusatiæ Dominus, Marchio Sclavoniæ, &c. Omnibus Christi fidelibus præsentibus & futuris, præsentium notitiam habituris, salutem in Domino.

Bono Principe dignum esse ducimus, ut jura fidelium subditorum, ac imprimis Ecclesiarum D. O. & tueri & litterarum monumentis, fulcire roborareque debeat. Proinde ad universorum notitiam harum serie volumus pervenire, quod pro parte fidelium nostrorum Præpositi, & Conventûs Ecclesiæ de *Jazo* exhibitæ sunt nobis litteræ serenissimi

Principis quondam Wladislai, Dei gratiâ Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ Regis, soceri & prædecessoris nostri charissimi, piæ memoriæ, in pergameno sub duplici sigillo ejusdem pendenti roboratæ; quibus mediantibus, idem Rex Wladislaus alias litteras inclyti quondam Belæ, Hungariæ, Dalmatiæ &c. Regis privilegiales, nomina terrarum, distinctionesque earum, deinde libertates populorum ad præfatam Ecclesiam ipsius Conventûs pertinentium, litteris inseruisse, ac solemni privilegio roborasse, memoriæque posterorum mandasse dignoscebatur tenoris infra scripti; supplicantes nobis, & ipsas litteras, ac omnia in eis contenta, rata & accepta habere, litterisque privilegialibus inseri & inscribi facientes, perpetuò valituras confirmare dignaremur, quarum tenor talis est: Wladislaus Dei gratiâ Hungariæ, Bohemiæ &c. Rex, &c. congruit Regiæ Celsitudini, ut inter alias sollicitudines suas, Ecclesiarum etiam Dei præcipuam curam semper habeat, & illas pro temporis qualitate & conditione in his libertatibus, & libertatum prærogativis, quibus eadem divorum Regum & Principum, salutiferâ dispositione donatæ sunt, conservet, & eorum privilegia desuper ad memoriam futurorum providâ diligentiâ confecta, novo privilegiorum patrocinio perpetuò duraturo roboret & confirmet. Proinde ad universorum notitiam harum serie volumus pervenire, quod pro parte & in personis venerabilis & Religiosorum Præpositi & Conventûs Ecclesiæ de *Jazo* exhibitæ sunt, coram nostra majestate, & productæ quædam litteræ serenissimi Principis quondam Domini *Belæ*, Dei gratiâ Regis Hungariæ &c. in pergameno privilegialiter confectæ sigilloque suo duplici impendente consignatæ; quibus mediantibus idem nomina terrarum & earumdem metales distinctiones quæ eisdem, & prædictæ Ecclesiæ tam à divis Regibus suis, antecessoribus, quàm etiam à fratre suo Colomano Duce illustri collatæ fuissent, & simul etiam libertates, leges & conditiones, quibus idem populi eisdem Præposito & Conventui obstricti, & obligati extitissent modo & ordine inferiùs in tenore earumdem contentis: pro eadem Ecclesia, dictisque Præposito & Conventu in perpetuum roborasse, & confirmasse dignoscebatur, tenoris infra scripti. Supplicatum itaque extitit nostræ majestati pro parte eorumdem Præpositi & Conventûs, humiliter & devotè, quatenùs hujusmodi litteras præfati quondam Domini Belæ Regis, ac omnia in eis contenta, ratas, gratas, & acceptas habere, ac pro eadem Ecclesia, ac ex consequenti, eisdem Præposito & Conventu, innovare perpetuò valituras confirmare dignaremur gratiosè. Quarum quidem litterarum tenor talis est. Bela Dei gratiâ Hungariæ &c. Rex universis &c. Effectum justa postulantibus tam vigor æquitatis, quàm ordo exigit rationis, præsertim cùm petentium vota & pietas adjuvat, & justitia non relinquit. Proinde ad universorum notitiam, tam modernorum quàm futurorum, præsentium insinuatione volumus pervenire, quod cùm gens rapida Tartarorum & crudelis, Domino permittente, cujus nequit judicio contradici, Regnum nostrum crudeliter invasisset, & nos post excessum eorumdem versùs Turma divertissemus, fideles nostri Albertus Præpositus & Conventus de *Jazo* ad nostram præsentiam accedentes, nobis conquerentes significaverunt, quòd omnia privilegia & instrumenta, quibus vigorem & fortitudinem terrarum Ecclesiæ & populorum suorum libertatem obtinebant, in fornacis fervore furor supradictorum Rapiorum succendisset; supplicantes nobis humiliter & devotè, ut summæ retributionis intuitu omnes facultates Ecclesiæ, tam à nostris antecessoribus, quàm à charissimo fratre nostro Colomano illustri Duce collatas, litteris nostris renovare, & renovatas sigilli nostri autoritate confirmare dignaremur; quorum precibus inclinati, preces eorum audivimus & exaudivimus cum effectu, nomina terrarum & libertates populorum, ac cursus metarum & conditiones alias in scriptum redigi facientes, jussimus confirmari. Quarum series talis est: quod prima meta terræ monasterii nostri de *Jazo* incipit à parte meridionali in uno monticulo lapidoso, inter duas valles, & è contigua villa Cruciferorum nostrorum *Zeleres* vocatæ; deinde tendit ad fluvium *Bolelva*, & in eodem fluvio descendit usque ad spatium & usum trium molendinorum, & exeundo de aqua, descendit per quandam viam ad monticulum, ubi vigent arbusta versùs Occasum, relinquens viam ipsam, descendit per eundem monticulum contra Meridiem ad unam vallem, transeundo ipsam vallem, vadit directè ad viam qua itur ad magnam sylvam *Fekete Erdeu* vocatam, transeundo ipsam directè tendit ad quandam petram existentem circa pratum *Debregil*, villam ejusdem Ecclesiæ relinquendo ipsam petram vadit ad fontem versùs Occasum, & deinde tendit ad quandam particulam terræ ejusdem monasterii *Nybataselesk* vocatæ juxta nigra sylvam; deinde vadit inter duos montes, quorum unus vocatur *Aysaya* parte meridionali, & alius vocatur *Hygysbyg* à parte Septentrionali, & ipse mons dictus *Hygysbyg* continetur in terra ejusdem Ecclesiæ, deinde tendit ad fontem *Sumugy Bolduafeu* vocatum, relicto ipso fonte tendit ad alium fluvium *Zumulnukseu* vocatum, & per eundem fluvium descendit ad alium fluvium *Gylnuch* vocatum, qui superas à terris & metis *Scepus* & in eodem fluvio *Gylnuch* vadit usque ad *Wyznano Proloka*, & ab inde descendit ad fluvium *Bernanopotoka* vocatum, & per eundem fluvium ascendit ad Alpes *Golsha* vocatas, & dividit ipsas Alpes & transit versùs Orientem, & ab inde descendit ad fluvium *Ida*, & circa eundem fluvium à parte meridionali, tendit ad monticulum unum, & ascendendo ipsum monticulum descendit ad *Mylbuck* vocatæ fluvium *Aranas* per sylvam *Cosd* vocatum, relictoque ipso fluvio tendit versùs metas *Dilla*: quam quidem villam cum omnibus suis utilitatibus & pertinentiis universis Isaac filius Abraham de genere *Aba* Ecclesiæ S. Joannis-Baptistæ de *Jason*, salubriter consulens dedit, donavit & contulit, irrevocabiliter possidendam, pleno jure & perpetuo pro offensis & spoliis quæ post recessum Tartarorum ipsa Ecclesia intulerat pro trecentis marcis & captivitate Alberti Præpositi ejusdem Ecclesiæ circumeundo terram ipsam, ascendit ad monticulum unum juxta arbores quercus & per eundem monticulum descendit ad vallem contra Meridiem ad ipsam villam *Zehores* ubi meta prima est incœpta & ibi terminatur. Præterea quia ipsum monasterium nostrum per insultum Tartarorum ad tantam devenerat egestatem, ita quod tres in eodem existentes commodè non possent sustentari, eisdem Præposito & Fratribus pro remedio animæ fratris nostri charissimi Colomani felicis recordationis, dedimus tributum exigere, & pro reparatione dicti monasterii, quia ipsum monasterium à Colomano fratre nostro charissimo nondùm erat consummatum, item omnem collectam populorum suorum quæ ratione Regum exigi consuevit pro reficiendis ædificiis temporibus successivis dicto monasterio donavimus pacificè possidere in perpetuum; insuper omnes causas populorum suorum Judex Præpositi monasterii ejusdem pro tempore constitutus & villicus judicabunt, & omnia juramenta in monasterio S.

Joannis præstabunt. Hanc igitur specialem gratiam jam dicto monasterio duximus faciendam, quod nullus Comitum de *Abaugnar*, & de aliis Comitibus castri pro tempore constitutorum in quibuslibetcumque articulis causas populorum ipsius monasterii nostri audeat & præsumat judicare. Item in illa villa *Jason*, & in foro ejusdem monasterii nostri exercebunt officia sua cum Judice & Villico eorumdem. Præterea terras videlicet *Pochin* & *Pochey*, *Moncykeddi*, *Neste*, *Pereche*, & *Jeche* à Colomano Fratre nostro charissimo, eidem Ecclesiæ collatas cum antiquis metis & terminis confirmamus. Item terras *Noe* & *Sauli* vocatas quas nos eidem Ecclesiæ contulimus de novo, & terram Andreæ emptivam, quam Dux Colomanus eidem Ecclesiæ contulerat, cum cæteris confirmamus; item populi sæpè dicti monasterii de *Jason*, de *Debragh*, *Oichuan*, & *Rodnuk* tenebantur solvere decimas, tam in magnis quàm in minutis quæ nos contingebant, & ad nostra olicia portabantur, eidem Ecclesiæ in perpetuum conferimus. Item propter majorem devotionem, quam ad ipsos Fratres de *Jason* Ordinis Præmonstratensis, habuimus & habemus, Præposito & Fratribus ejusdem monasterii, hanc duximus gratiam faciendam ut privilegia & litteræ Præpositi ac Fratrum monasterii ejusdem evidenter emanatæ, ratione possessionum, vendentium & ementium & universarum causarum in Regno nostro rationabiliter moventium, seu motarum pro centum marcis credantur coram quibuscumque Capitulis, seu Judicibus in Regno nostro per nos deputatis, & acceptentur. Ecclesiam verò S. Michaëlis Archangeli Præpositus, cui voluerit, poterit assignare. Ut igitur hujus confirmationis series robur obtineat perpetuæ firmitatis, nec unquam nostris, aut nostrorum temporibus successorum valeat in irritum retractari, in argumentum majoris certitudinis litteras nostras concessimus duplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus discreti viri Magistri Smaragdi Albensis Ecclesiæ Præpositi, Aulæ nostræ Vice-Cancellarii dilecti & fidelis nostri; anno Domini 1255. regni autem nostri anno 2°. Nos igitur commissâ supplicatione pro parte præfatorum Præpositi & Conventûs Ecclesiæ de *Jason*, nostræ modo quo supra, porrecta majestati, Regiâ benignitate exauditâ clementer & admissâ præscriptas litteras dicti quondam Domini Belæ Regis non abrasas, non cancellatas, nec in aliqua sui parte suspectas præsentibus litteris nostris privilegialibus verbo tenùs sine diminutione & augmento aliquali insertas, quoad omnes eorum continentias, clausulas & articulos, eatenùs, quatenùs eodem ritè & legitimè existunt emanatæ, viribusque earum veritas suffragatur, acceptamus, approbamus, & ratificamus, ac pro præfata Ecclesia de *Jason*, & ex consequenti eisdem Præposito & Conventui innovandas perpetuò valituras confirmamus, præsentis scripti nostri patrocinio mediante, in cujus rei memoriam firmitatemque perpetuam, præsentes litteras nostras privilegiales pendentis & authentici duplicis sigilli nostri munimine roboratas duximus concedendas. Datum per manus R^mi. in Christo Patris D. Thomæ Episcopi Jauriensis & electi Agriensis Ecclesiarum, Aulæ nostræ summi & Secretarii Cancellarii, & fidelis nostri dilecti, Cassoviæ 24. die mensis Maii an. Domini 1494. regnorum nostrorum Hungariæ anno 4. Bohemiæ verò 24. Reverendissimis illustrissimis ac venerabilibus in Christo Patribus DD. Hippolito *Estend* de Aragonia S. R. E. Cardinali Strigoniensi, Petro Colocensi Archiepiscopis, præfato Thomâ postulato Agriensi, Osualdo Zagrabiensi, Valentino Varadiensi, Ladislao Transylvanensi, Sigismundo Quinque Ecclesiensi, præfato Thoma Jaurinensi, Joanne Wesprinensi, Levâ Clanodiensi, & Nicolao de *Bathor* Waciensi, Antonio Nitriensi, Sirimiensi sede vacante, Gabriele electo Boznensi, Briceio electo & confirmato Tininiensi, Christophoro Modrusiensi, Michaële electo Segniensi episcopis, Ecclesias Dei feliciter gubernantibus. Item magnifico Stephano de Zopolia Comite Supusiensi, & regni Hungariæ Palatino, Comite Paulo de Kyniis, Judice curiæ nostræ, ac generali supremoque Capitaneo partium Regni nostri inferiorum; Ladislao de *Lossoncz* & Bartholomæo de *Draggs* de *Belebenk* Waivodis nostris Transylvanis, Ladislao de *Kanysa* regnorum nostrorum Dalmatiæ, Croatiæ & Sclavoniæ, Georgio *More* de Gyula, & Francisco *Balassa* de *Gyarmath* Zeuveniensi banis &c.

Nos igitur supplicatione præfati Præpositi & Conventûs clementer exaudita, præscriptas litteras serenissimi quondam Wladislai Regis non abrasas, non cancellatas, nec in aliqua sui parte suspectas, præsentibusque litteris nostris privilegialibus de verbo ad verbum insertas, & inscriptas, si, & in quantùm eædem ritè & legitimè sunt emanatæ, viribusque earum veritas suffragatur, approbamus, ratificamus, easdemque ac omnia & singula in eis contenta præfato Præposito & Conventui Ecclesiæ ipsorum, perpetuò valituras, confirmamus. In cujus rei testimonium, præsentes litteras nostras privilegiales, similiter duplici sigillo nostro pendente roboratas, eidem Ecclesiæ duximus concedendas. Datum per manus R^mi. in Christo Patris Domini Pauli de *Warda* Archiepiscopi Ecclesiæ Strigoniensis, Primatis Hungariæ, Legati nati, Aulæ nostræ summi & Secretarii Cancellarii, fidelis sincerè dilecti. Anno Domini MDXXIX. regnorum nostrorum Romani anno IX. reliquorum verò XIV.

Charta Henrici Comitis Trecensis, de dono quod fecit Petrus de Oisni *Abbatia Vallis-Serena. Anno 1169.*

IN Nomine &c. Sicut officium est charitatis &c Ego itaque Henricus Trecensis Comes Palatinus perpetuæ litterarum commendo memoriæ, quod Petrus de *Oisni* dedit in eleëmosynam Ecclesiæ Vallis-serenæ terram ad quinque modios sementis apud *Oisni* absolutè & perpetuò possidendam, eò quòd prædictæ Ecclesiæ Fratres duas ejus filias in Religionis suæ consortio collegerunt. Aliam quoque partem terræ suæ ad septem modios; terram etiam circà medium *Furcheretum*, & campum *Villersi* concessit prædictis Fratribus perpetuò ad terragium excolendum. Partem insuper aliam ad tres modios dedit eis in perpetuum, ea quidem ratione, quod Fratres eam excolerent: in seminando verò Petrus medietatem seminis dabit, & in collectione frugum, terragio suo separatim accepto, totius reliqui medietatem accipiet. Concessit prætereà in eleëmosynam eidem Ecclesiæ, ad ædificandum domum, sedem, & fundum, & clausuram ejus apud *Oisni*. Præterea nemoris & totius villæ commoditates, quæ vulgò *Aisances* dicuntur, pro amore Dei, ad ipsam Ecclesiam, & ad nutrimentum animalium suorum liberè & perpetuò habere concessit. Usuarium etiam nemoris concessit ad omnes necessitates tam ipsius Abbatiæ, quàm aliorum locorum omnium sibi appendentium, eâ quidem conditione, quòd non liceat Fratribus vendere illud, vel donare.

In omnibus porrò his quæ ipse Petrus sæpedictæ Ecclesiæ in eleëmosynam contulit, uxor ejus Helisandis, & filii Petrus & Aszo: Ego quidem Henri-

eus Comes omnibus assensum præbui, de cujus feodo hæc omnia descenderunt. Testes sunt, Dodo Abbas Vallis-serenæ.

Garinus Abbas Loci restaurati.
Guillelmus Cancellarius.
Baldus de *Guazeran*.
Drogo *Bristandus*.
Ertandus de *Nogento*.

Actum anno Domini MCLXIX. Datum per manum Guillelmi Cancellarii, apud castrum Theoderici.

Charta Ludovici Brandeburgici, data in die festo SS. Petri & Pauli, Berolini existens. Anno 1335.

IN Berlin in die Petri & Pauli. Appropriavimus (*a*) monasterio in *Jericho*, Præmonstratensis Ordinis, Havelbergensis diœcesis, vel alii loco sacro donationem octo mansorum in villa *Stenitz*, & duorum frustrorum in villa *Majenstorp* sitorum; nec non trium annuarum vini ex vinea *Villegardtz* propè Brandinburg, quam strenuus Miles Jo. de *Buch*, pro remedio animarum suæ, & progenitorum atque successorum facere disponit. Ita quòd cuicumque idem Miles præsentem nostram paginam de certa causa sua scientia dederit, tali hujusmodi bona cum plena proprietate perpetuè permanebunt. Datum, *ut supra*.

Diploma Adelberdi Moguntini Archiepiscopi pro fundatione Ilbenstadii. *Anno 1123.*

EGo Adelberdus Dei gratiâ Moguntinus Archiepiscopus, & Apostolicæ sedis Legatus. Notum facio omnibus Christi fidelibus tam posteris quàm præsentibus qualiter Comes Godefridus de *Cappenberg*, & frater ejus Otto pro remedio animæ suæ & parentum suorum, omne patrimonium suum quod habuerunt in villa quæ vocatur *Elvenstatt*, præter ministeriales, B. Martino contradiderunt: videlicet Ecclesiam cum universis decimationibus, mancipiis, & appendiciis suis, insuper etiam dominicalia sua, agros, vineas, sylvas, prata, culta & inculta, quæ specialiter suis usibus mancipaverant; prætereà mansionarios cum mansis & omni ipsorum justitia quod factum est hoc tenore, ut ibidem de omnibus supradictis bonis Fratres secundùm regulam B. Augustini, & secundùm institutionem venerabilis Fratris Norberti degentes ordinaremus, & ne decalescente rigore regulam & institutionem unquam prævaricarentur, tam nos quàm nostri successores diligentissimè provideremus. Concedimus etiam atque firmamus ut quotiescunque eisdem Fratribus Pater monasterii ordinandus fuerit, is tantum quem communi consilio & assensu dictante Spiritu sancto unanimiter elegerint, ab Episcopo investiatur. Si verò infra Claustrum de persona non consenserint, liceat eis in nomine Domini assumere personam ejusdem professionis ac propositi, quemcunque magis idoneum invenerint; Parochianus quoque Presbyter à Fratribus & eorum Patre de ipsorum Collegio constituatur, ut omni remota inquietudine securâ libertate Dei laudibus perseverent. Hac enim libertate præfatam Ecclesiam donavimus, ut prædicare, baptizare, sepelire habeat, solique Archiepiscopo suo subjecta sit & de omnibus respondeat; inter cætera & hoc adjiciendum putavimus ut quem voluerint commodum & mansuetum sibi eligant Advocatum, liberam habentes facultatem ipsum deponendi & alium assumendi si onerosus & importabilis eis fuerit, quod totum oportebit fieri consilio & auxilio Archiepiscopi. Hujus itaque paginæ seriem stabilientes sigilli nostri impressione signavimus præcipientes & sub perpetuo anathemate omnibus interdicentes Christianis, ne quis contra eam venire, impetere sive destruere, præsumpserit, sed firma & inconvulsa permaneat omnibus ævis autoritate omnipotentis Dei & beati Petri Apostolorum Principis. Testes verò qui præsentes fuerunt sunt isti Episcopi, Bruno Spirensis, Bucco Wormatiensis: majoris Ecclesiæ, Dudo, Sancti Petri, Asmarus, S. Stephani Richardus, S. Victoris Henricus: Abbates S. Albani, Folbertus, S. Jacobi, Werembodus, Magister scholarum Forenbertus, Cantor, Reichardus & cæteri Primores & Majores Ecclesiæ nostræ. Laici autem Comes urbis & Ecclesiæ Advocatus Arnoldus, Comes Gerlacus, Embrio Vice-Dominus, Sculretus Ernestus: Ministeriales: Folbertus, Emecho, Uderbertus, Gerardus, Reinhardus, Herswinus & frater ejus Arnoldus, & complures alii. Acta sunt hæc anno Dominicæ Incarnationis MCXXIII. Indictione I. regnante Domino nostro Jesu Christo, imperante Henricio IV. Data Moguntiæ per manum Henrici Notarii S. Victoris Canonici Pinguensis Ecclesiæ Præpositi.

Bulla Innocentii II. quâ Canonicum institutum in Ecclesia Ilbenstadienli *confirmat, privilegiaque varia largitur. Anno 1139.*

INnocentius Episcopus servus Servorum Dei, dilecto filio Antonio Præposito, & Fratribus in Elofsstadensi Ecclesia Canonicam vitam professis tam præsentibus quàm futuris in perpetuum. Ad hoc Ecclesiæ Catholicæ cura nobis a summo Pastore Deo commissa est ut ipsius servos paternis affectibus diligamus, & eo amplius studeamus ipsorum devotiones modis omnibus confovere, quo ferventiùs ipsi disciplinis Ecclesiasticis, & Sanctorum Patrum regulis inhærere noscuntur. Tunc denique omnipotenti Domino gratus erit famulatus, si sanctorum locorum salubris institutio sanctæ Romanæ Ecclesiæ patrociniis in Religionis puritate fuerit conservata. Ea propter, dilecte in Domino fili Antoni Præposite, tuis justis postulationibus clementer annuimus, & Ecclesiam Elofsstadensem, cui authore Domino præsides sub Apostolicæ sedis tutela & protectione suscipimus, & præsentis scripti paginâ communimus. Statuentes siquidem & Apostolicâ authoritate firmantes ut Ordo Canonicus secundùm B. Augustini regulam inibi perpetuis futuris temporibus irrefragabiliter conservetur. Prædicandi per omnem Provinciam & modis omnibus in vita & morte salutem animarum operandi licentiam ab Archiepiscopo vobis concessam, vel quæcunque alia bona eadem Ecclesia in allodiis, decimis, mancipiis, terris cultis vel incultis in præsentiarum justè & legitimè possidet, tibi, tuisque successoribus, & per

(*a*) Ibi loquitur Ludovicus Dux Brandeburgicus, & Bojoariæ.

* Adelbertum Lotharingiæ Ducem extitisse colligunt Sanmarthani ex Diplomate Lotharii anni 1131. at originem traxisse ex Comitibus de *Sarbruck* astruit Serarius ex prognammate Willegisiani, ut vocat, valvis inscripto. Ruthardo anno 1109. defuncto successit in Archiepiscopatum Moguntinum & Coloniæ ab Othone Bambergensi in festo S. Stephani factis initiatus est. Non modo Henrici V. Cancellarius, sed & primus inter primos ejus præcipue fidelis Consiliarius fuit, ut scribit Otho Frisingensis l. 7 hist. cap 14. Ipse author fuit ut a Paschali Pontifice investituras Episcopatuum extorqueret Imperator: sed circa annum 1112. conspirationis apud Cæsarem accusatus initium fecit inimicitiæ exitialis. A Calixto II. in Germaniam legatus missus est. Obiit anno 1137. Julii 14.

nos eidem Ecclesiæ in perpetuum præsenti privilegio confirmamus; in quibus hæc propriis nominibus annotanda subjunximus, fundum in quo nobiles Comites Godefridus & Oddo Fratres eandem vestram Ecclesiam in honorem Dei Genitricis Mariæ & Apostolorum Petri & Pauli pro suorum peccatorum venia construxerunt, cum aliis possessionibus ab ipsis vobis collatis, allodium *Dorcheim*, allodium *Roda*; teloneum vel naulum quod dilectus filius noster Lotharius Imperator bonæ memoriæ *Franckenvorda* pro animæ suæ salute donavit, & allodium *Tutnendorff*; quæcunque præterea imposterum concessione Pontificum, liberalitate Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu quibuslibet aliis justis modis auxiliante Domino poteritis adipisci, firma vobis, vestrisque successoribus & illibata permaneant. Obeunte verò te nunc ejusdem loci Præposito, vel tuorum quolibet successorum, nullus inibi qualibet subreptionis astutiâ vel violentiâ præponatur, nisi quem Fratres communi consensu vel pars consilii sanioris secundùm Dei timorem, & B. Augustini regulam prævider int eligendum. Liceat etiam vobis Clericos vel Laicos è seculo fugientes, vel vestræ societatis castris inseri cupientes ad communionem in vita & in morte suscipere nisi sint excommunicationis & alicujus conditionis vinculis innodati, nulli etiam Fratrum liceat post habitum assumptum, & facta inibi professione ex consortio vestro sine communi Fratrum permissione discedere: discedentem verò nullus Episcoporum, Abbatum, Monachorumque nullus omninò hominum audeat sine Præpositi & Fratrum licentia suscipere vel retinere. Ipsum verò transfugam si secundò, tertiòve commonitus resipiscere fortè contempserit, excommnnicandi eum Prælatus suus liberam habeat facultatem. In Ecclesiis verò quas Ecclesia vestra instituit, vel Domino cooperante futuris temporibus propagatura est, debita vobis reverentia secundùm institutionem vestri Ordinis impendatur. Si verò, quod absit, Prælati Ecclesiarum quæ fuerint de vestro Collegio propagatæ, Religionis destructores, vel alias turpis vitæ & malæ conversationis fuerint deprehensi, nihilominùs corrigantur secundùm quod Apostatis seu Fratribus vestrarum Congregationum noscitur regulariter institutum. Insuper Apostolicâ authoritate præcipimus ut vester locus invitis Fratribus Advocatum suscipere non cogatur. Si verò in Moguntina Provincia interdictum fuerit generale prolatum, exclusis excommunicatis & interdictis, in Ecclesiis vestræ Parochiæ liberè divina vobis liceat officia celebrare. Decernimus ergò ut nulli Archiepiscopo, nulli Episcopo vel Archidiacono, nulli omninò Ecclesiasticæ, secularive personæ liceat vestram Ecclesiam perturbare, vel aliquibus exactionibus opprimere, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, aut quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur, vestris ac pauperibus Christi, pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt, necessitatibus omnimodis profutura, salvâ nimirum Moguntini Archiepiscopi canonicâ justitiâ & reverentiâ. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica, secularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temerè venire tentaverit, secundò, tertiòve commonita, si non congruè satisfecerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à Sacratissimo Corpore ac Sanguine Dei, & Domini Jesu Christi Redemptoris nostri aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis eidem loco sua jura servantibus, vel ibidem Domino servientibus sit pax Domini nostri Jesu Christi quatenùs & hic fructus bonæ actionis percipiant, & apud districtum Judicem præmia æternæ pacis mereantur Amen. Amen. Amen. Ego Innocentius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus. Ego Conradus Sabinensis episcopus. Ego Theodewinus S. Rufinæ Episcopus. Ego Albertus Albanensis Episcopus. Ego Albericus Hostiensis Episcopus. Ego Gerardus Presbyter Card. tit. sanctæ Crucis in Jerusalem. Ego Lucas Presbyter Card. tit. Sanctorum Joannis & Pauli. Ego Chrisogonus Presb. Card. tit. Praxedis. Ego Georgius Diaconus Card. S. Angeli. Datum Laterani per manus Almerici S. R. E. Diac. Card. & Cancel. II. Idus Decembris, Indict. II. Incarnationis Dominicæ MCXXXIX. Pontificatûs verò Domini Innocentii PP. II. anno X.

Bulla Lucii II. confirmatrix Status, bonorum & immunitatum Ilbenstadii. *Anno 1144.*

LUcius Episcopus servus Servorum Dei. Dilectis filiis Antonio Elvestadensi Præposito ejusque Fratribus tam præsentibus quàm futuris regularem vitam professis in perpetuum. Quotiens illud à nobis petitur quod rationi & honestati convenire dinoscitur; animo nos decet libenti concedere, & petentium desideriis congruum impertiri suffragium. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & B. Dei Genitricis semperque V. M. Elvestadensem Ecclesiam, in qua divino mancipati estis obsequio, sub B. Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus, statuentes ut quascumque possessiones, quæcumque bona eadem Ecclesia in præsentiarum justè & canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis Deo propitio poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant. In quibus hac propriis duximus exprimenda vocabulis. In villa *Eberbach* censum unius mansi vinearum, & in *Alta-villa* censum dimidii mansi quem Frater noster Henricus Moguntinus Archiepiscopus vobis donavit, & scripto suo firmavit. Prohibemus autem ut ejusdem loci advocatiam nullus sibi usurpare præsumat; sed sicut hactenùs ab omni advocato libera & quieta de cætero maneat. Decernimus ergò, ut nulli omninò hominum liceat præfatam Ecclesiam temerè perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, aut aliquibus vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur, eorum pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salvâ Apostolicæ sedis authoritate & diœcesani Episcopi canonicâ justitiâ. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica secularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temerè venire temptaverit, secundò, tertiòve commonita, si non satisfactione congruâ emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à Sacratissimo Corpore ac Sanguine Dei, & Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco justa servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniant Amen.

Ego Lucius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

Datum Laterani per manum Baronis S. Roman.

Ecclesiæ Subdiaconi IV. Nonas Decemb. Indict. VII. Incarnat. Dominicæ MCXLIV. Pontificatûs verò Domini Lucii II. PP. anno I.

Bulla Eugenii III. pro Ilbenstadio *in eundem finem. Anno 1147.*

EUgenius Episcopus servus Servorum Dei. Dilectis filiis Antonio Præposito B. Mariæ de *Elvestad*, ejusque Fratribus tam præsentibus quàm futuris canonicam vitam professis in perpetuum Quotiens illud à nobis petitur quod religioni & honestati convenire dignoscitur, animo nos decet libenti concedere, & petentium desideriis congruum impertiri suffragium. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & præfatam S. Mariæ Ecclesiam in qua divino mancipati estis obsequio sub B. Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus. Imprimis siquidem statuentes ut Ordo Canonicus qui secundùm B. Augustini regulam & Præmonst. Fratrum institutionem ibi noscitur institutus, perpetuis futuris temporibus ibidem inviolabiliter conservetur, quascumque etiam possessiones, quæcumque bona in præsentiarum justè & canonicè possidetis, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, Deo propitio poteritis adipisci, firma vobis, vestrisque successoribus, & illibata permaneant. In quibus hæc nominatim duximus exprimenda. Allodium *Dorcheim*, decimam & allodium *Wincrsheim*, censum & omne debitum mansi & dimidii vinearum quas habetis in *Everbach*, & in Alta-villa, quæ videlicet censum & debitum venerabilis Frater noster Henricus Moguntinus Archiepiscopus vobis concessit & scripto firmavit; libertatem quoque à bonæ memoriæ Alberto Moguntino Archiepiscopo Ecclesiæ vestræ concessam, & scripto suo firmatam vobis nihilominùs confirmamus, ut nulli videlicet Archidiaconorum vel Clericorum Moguntinæ parochiæ, nisi soli Archiepiscopo respondere debeatis. Prohibemus insuper ut nullus vobis Advocatus præter communem vestrum assensum in posterùm constituatur, sed semper sine alicujus advocati perturbatione, sicut hactenùs fuisse dignoscitur, vestra Ecclesia libera quietaque permaneat. Decernimus ergò ut nulli omninò hominum liceat præfatam Ecclesiam temerè perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, nec quibuslibet molestiis fatigare; sed omnia integra conserventur eorum pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salvâ Apostolicæ sedis autoritate & Moguntini Archiepiscopi canonicâ justitiâ. Si qua igitur imposterum Ecclesiastica secularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temerè venire temptaverit, si secundò, tertiòve commonita satisfactione congrua non emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à Sacratissimo Corpore ac Sanguine Domini nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco justa servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenùs & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Amen. Amen. Ego Eugenius Catholicæ Ecclesiæ Episc. Ego Albericus Ostiens. Episc. Ego Oddo Diaconus Card. S. Georgii ad velum. Ego Imarus Tuscul. Episc. Ego Octavianus Diac. Card. S. Nicolai in carcere Tulliano. Ego Humbaldus Presb. Card. SS. Joannis & Pauli. Ego Gillebertus indignus Sacerdos tit. S. Marci. Ego Guido Presb. Card. tit. SS. Laurentii & Damasi. Ego Servatius Presb. Card. tit. S. Marcelli. Ego Hugo Presb. tit. in Lucina. Datum Altissiodori per manum Guidonis S. R. E. Diaconi Card. & Cancellarii VI. Idus Aug. Indict. x. Incarn. Domin. anno MCXLVII. Pontificatûs Domini Eugenii III. PP. anno III.

Charta Friderici I. Imperatoris confirmantis conventionem factam cum quodam Ruberto; & Theloneum à prædecessoribus concessum. Anno 1158.

IN Nomine Sanctissimæ & Individuæ Trinitatis. Fridericus Romanorum Imperator semper Augustus. Omnes Christi, nostroique tam præsentis quàm futuri ævi fideles indubitanter scire volumus qualiter Fratres in *Eloffstat* sub Religionis Canonicæ habitu degentes, & regulariter in domo Dei conversantes cum quodam Ministeriali nostro nomine Ruberto quandam conventionem commutationis utrimque profuturam nostro consensu fecerint: Erat enim villula quædam nomine *Wineden* propria regni nostri possessio quæ eidem Ministeriali à prædecessoribus nostris Regibus seu Imperatoribus provenerat beneficio, hancque quia deserta & inutilis ipsi, Fratribus autem illis vicina erat & commoda, quatuor mansis tantumdem persolventibus duo videlicet talenta, alterutrum sibi consulentes commutaverint. Sed quia hoc sine nostra Imperiali authoritate ratum & tutum esse non potuit, nec debuit, pars utraque nostræ majestatis præsentiam adiit, obnixè imprecans quatenùs diù deliberatam conventionem assensu nostræ benignitatis firmaremus. Et quia facilem præbere debemus assensum, ubi vox est justa petentium, quod rogaverunt, clementer annuimus, scilicet IV. mansos quos Fratres prædicti donabant in propriam regni nostri possessionem assumendo & præfato Ministeriali nostro infeodando, villulamque illam ab ipso recipiendo, & Fratribus illis in perpetuam possessionem divinæ renumerationis intuitu, Imperiali & liberali largitione tribuendo. Præterea Theloneum in *Frankenvort* quod eisdem Fratribus à prædecessoribus nostris donatum est, & nos perpetim indulgemus. Ut autem hæc nostræ autoritatis confirmatio pleniorem, nec non firmiorem in Dei nomine obtineat vigorem, & ab omnibus fidelibus nostris veriùs credatur, & diligentiùs observetur, sigilli nostri impressione insigniri jussimus. Acta sunt hæc *Frankenvort* anno Incarnationis Dominicæ MCLVIII. Indictione VI. anno regni Domini Friderici invictissimi Cæsaris VII. Ordinationis ejus Imperii III. feliciter.

Signum Domini Friderici Romanorum invictissimi. L. S.

Ego (*a*) Reinaldus Cancellarius vice Ar-

(*a*) Reinaldus è familia Comitum de *Dassel* à Friderico I. Cancellariatum obtinuit anno 1156. sub eo enim anno apud *Hund. in Metropoli Tom. I. pag. 113.* erectionem Ducatûs Austriæ, & apud Mabillon. *in supplem. librorum de re Diplom. append. part. 2. num. 15. pag. 100.* Diploma recognovit quo Comitatus Ecclesiæ Virdunensi confirmatur. Ex Præposito Hildesiensi Coloniensis archiepiscopus creatus est anno 1159. Imperatori fidus Comes in Italiam ascitus est, & anno 1164. solemni pompâ in urbem suam introductus est cum plurimis Sanctorum pignoribus. Laudatur ab eruditione & probitate, Ecclesiæ suæ benefactor insignis habetur; Palatium magnis sumptibus Coloniæ construxit, & aliis ornamentis civitatem decoravit, sed hujus viri egregia facta facilè superat memorabilis ad Tusculum de Romanis victoria qua 40000. hostium viriliter opitulan-

noldi (a) Moguntini Archiepiscopi & Archicancellarii recognovi.

Charta Friderici I. quâ Ilbenstadium, *& Præpositura possessiones parthenonemque Sororum sub sua custodia recipit. An. 1166.*

IN Nomine Sanctissimæ & Individuæ Trinitatis. Fridericus divinâ favente clementiâ Romanorum Imperator Augustus. Frequenter audivisse nos recolimus, & verum ex scripturis esse credimus, quòd charitas multitudinem peccatorum operit, & bonum illud quod cæteræ virtutes inchoant, sola eleëmosyna perficit & feliciter ad præmium perducit. Unde quia quam plurimos nostros antecessores, divos Reges & Imperatores, charitatis operibus & eleëmosynarum studio piè insudasse perpendimus, nos eorum exempla sequentes, in tabernaculo Dei quod possumus sola spe æternorum, ita offerre intendimus, ut in omnibus quæcunque plantamus & rigamus, salutis incrementum cum fructu centesimo à Deo recipiamus, Ea propter cognoscant universi fideles Imperii præsentes & futuri, quod nos pro nostra omniumque parentum nostrorum salute, locum qui dicitur *Elvenstath*, & Religiosos Fratres atque Deo dicatas Sorores Deo ibidem servientes, & omnia bona quæ nunc habent intùs & extrà, vel quæ adhuc in posterum Deo juvante rationabiliter acquirere poterunt, sub nostram defensionem atque custodiam recepimus, nominatim & præcipuè illa bona in *Rithusen* quæ Comes Gerardus de *Noringes* cum filia sua Juttha, & cum cæteris hæredibus suis prædicto monasterio in *Elvenstath* legitimè contradidit, & legitimè sive per emptionem, sive concambium ibidem delegavit; sicut in privilegio ab Arnoldo bonæ memoriæ * Moguntinæ sedis Archiepiscopo super hoc facto pleniùs continetur, videlicet sex mansos & Capellam, cum suis pertinentiis, exceptâ tertiâ parte decimæ quæ Abbati S. Albani attinere dinoscitur, & omne prædium quod idem Comes Gerardus habebat in *Rithusen* & in *Himmenhusen*, cum omni utilitate scilicet cultis & incultis, pratis, pascuis, aquis, aquarumque decursibus, viis & inviis, exitibus & reditibus. Præterea ad hujus emptionis, seu commutationis & traditionis firmamentum cum apud *Frankeneverth* ad nostræ majestatis præsentiam, astantibus ibidem Fratribus monasterii de *Elvenstath* prædictus Comes Gerardus hanc rem ita esse confessus est, & veritatem manifestè recognovit, & ad munimen Ecclesiæ de *Elvenstath*, ad similitudinem privilegii quod Archiepiscopus Moguntinus Arnoldus eidem monasterio de prædictis bonis contulit, unà cum prædictis Fratribus à nostra majestate fieri privilegium humiliter supplicavit & impetravit. Inde est quod nos prædictam emptionem, sive commutationem, vel etiam traditionem illorum bonorum à Comite Gerardo & ejus filia *Juttha*, & cum cæteris hæredibus suis eidem monasterio legitimè factam, ratam habemus & approbamus, & nostrâ imperiali autoritate confirmamus. Quæ omnia ut firma & inconvulsa omni tempore permaneant, præsentem inde Chartam conscribi jussimus, & nostræ majestatis sigillo insigniri fecimus. Hujus autem recognitionis & confirmationis testes sunt Comes Emmicho de *Liningen*, Comes Henricus de *Diez*, Bertholdus de *Schowenburch*, Eglolfus de *Urselingen*, Gerardus de *Hagenhusen*, Conradus de *Torneide*, Wernerus de *Orthenberch*, Hatthmannus de *Budingen*, Wernerus de *Bonlant*, Everardus de *Dorenburch*, Cuno de *Minzenberch*, & alii quàm plures. *Signum* Domini Friderici Romanorum Imperatoris invictissimi. L. S.

* Ex hoc loci constat falli Mallinkrotobitum Arnoldi post 15. regiminis annos contigisse scribendo, hoc est, anno 1168. cum jam anno 1166. inter mortuos deputatur in hoc Diplomate.

Ego Christianus * sacri Palatii Archicancellarius & Moguntinæ sedis electus recognovi. Acta sunt hæc anno Dominicæ Incarnationis MCLXVI. Indictione XIV. regnante Domino Friderico Romanorum imperante victoriosissimo, anno regni ejus XIII. imperii verò XI. feliciter Amen. Datum apud Frankevorth IV. Kalend. Februarii.

* Dicitur Electus Moguntinus Archiepiscopus, quia invaserat sedem vivente Conrado legitimo Præsule.

Bulla Alexandri IV. pro jure succedendi paternis bonis. 1259.

ALexander Episcopus servus Servorum Dei. Dilectis filiis Præposito & Conventui S. Mariæ in *Elsenstad* Præmonstratensis Ordinis Moguntinensis diœcesis, salutem & Apostolicam benedictionem. Devotionis vestræ precibus inclinati præsentium vobis autoritate concedimus, ut possessiones & alia bona mobilia & immobilia quæ liberas personas Fratrum vestrorum mundi relictâ vanitate ad vestrum monasterium convolantium & professionem facientium in eodem jure successionis, vel alio justo titulo si remansissent in seculo contigissent, & ipsi potuissent liberè aliis erogare, rebus feudalibus duntaxat exceptis, valeatis petere, recipere, ac etiam retinere. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Anagniæ XII. Kalend. Julii, Pontificatûs nostri anno quinto.

Bulla Innocentii Papæ VI. pro Ilbenstadio, *in eundem finem. Anno 1358.*

INnocentius Episcopus Servus Servorum Dei. Dilectis filiis Præposito & Conventui monasterii in *Elvenstad* per Præpositum soliti gubernari Ordinis Præmonstratensis, Moguntinæ diœcesis, salutem & Apostolicam benedictionem. Cùm à nobis petitur quod justum est & honestum tam vigor æquitatis quàm ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, omnes libertates & immunitates à prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus, sive per privilegia, seu alias indulgentias vobis & monasterio vestro concessas, nec non libertates & immunitates & exemptiones secularium exactionum à Regibus & Principibus, ac aliis Christi fidelibus rationabiliter vobis & monasterio prædicto

te suo Collega Christiano Moguntino, de quo alibi, parvâ Germanorum manu superavit. Prope Romam mortuus est anno, ut volunt San-Matthani, 1167. sed ejus obitum ad annum 1181. refert Malinckrot in suo lib. de Cancellariis & Vicecancell. Imperialibus. Laudes ejus apud Radevium l. 3. de Gest. Frid. cap. 18. legere est.

(a) Arnoldus ex nobili familia *Selenhofen* Henrico Moguntino Archiepiscopo successit anno 1153. cum prius fuisset Moguntinæ Ecclesiæ Canonicus & Camerarius. Decanusque Aquisgranensis Sedisse scribit Malinckrot usque ad 1160. sub initium Friderici jam Cancellis præfuit. Extat enim apud Goldastum Tom. III. Const. Imp. pacificatio inter Eugenium III. Papam, & Fridericum I. in Comitiis Constantiensibus sancita quam recognovit anno 1152. Est etiam ejusdem anni declaratio Imperatoris super juribus Advocati Ecclesiæ Marscensis apud Miræum l. 2. donat. cap. 51. & Notis Eccles. cap. 158. itidem ab Arnoldo recognita. Scribit Bruschius *ob acumen ingenii, admirabilem facundiam & summam prudentiam, maximè etiam mansuetudine & humanitate decoratam Friderico summe carum fuisse*, & Serarius ex Chronico Manuscript. Moguntino, *factum esse Arnoldum illustrissimum Imperialis aula Cancellarium & quasi alterum Imperatorem.*

indultas

indultas sicut eas justè & pacificè obtinetis, vobis & per vos eidem monasterio autoritate Apostolicâ confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & BB. Petri & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Avenione Idibus Decembris, Pontificatûs nostri anno quinto.

Bulla Joannis Papæ XXIII. in eundem finem. Anno 1415.

JOannes Episcopus servus Servorum Dei. Dilectis filiis Præposito & Conventui monasterii Elvenstadiensis, per Præpositum soliti gubernari, Præmonstratensis Ordinis, Moguntinensis diœcesis, salutem & Apostolicam benedictionem. Cùm à nobis petitur quod justum est & honestum, tam vigor æquitatis quàm etiam ordo rationis exigit, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu personas vestras, & locum in quo divino estis obsequio mancipati, cum omnibus bonis quæ in præsentiarum rationabiliter possidetis, aut in futurum justis modis, præstante Domino, poteritis adipisci sub B. Petri & nostra protectione suscipimus atque nostra, omnesque libertates & immunitates à prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus, sive per privilegia vel alias indulgentias vobis & vestro monasterio prædicto concessas, nec non libertates, exemptiones secularium exactionum à Regibus, Principibus & aliis Christi fidelibus, vobis & eidem vestro monasterio prædicto concessas, specialiter autem parochiales Ecclesias in *Sodel* & in *Rendel* dictæ Diœcesis quas in proprios usus obtinetis, terras, decimas, possessiones, jurisdictiones, & alia bona vestra sicut ea justè & pacificè obtinetis, vobis & per vos eidem vestro monasterio autoritate Apostolicâ confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis & communitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & BB. Petri & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Constantiæ 8. Idus Februarii, Pontificatûs nostri anno quinto.

Bulla Martini Papæ V. in eundem finem. Anno 1418.

MArtinus Episcopus servus Servorum Dei. Dilectis filiis Præposito & Conventui monasterii Elvenstadensis, per Præpositum soliti gubernari, Præmonst. Ordinis, Moguntinensis diœcesis, salutem & Apostolicam benedictionem. Cùm à nobis petitur quod justum est & honestum, tam vigor æquitatis quàm etiam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, personas vestras & locum in quo divino obsequio mancipati cum omnibus bonis quæ in præsentiarum rationabiliter possidetis, aut in futurum justis modis, præstante Domino, poteritis adipisci, sub beati Petri protectione suscipimus atque nostra, omnesque libertates & immunitates à prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus, sive per privilegia vel alias indulgentias, nec non libertates & exemptiones secularium exactionum à Regibus, Principibus & aliis Christi fidelibus vobis & eidem monasterio concessas, ac etiam parochiales Ecclesias & Capellas dictæ Diœcesis, quas in proprios usus obtinetis, sicut eas justè & pacificè possidetis, vobis & per vos eidem monasterio autoritate Apostolicâ confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis & communitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & BB. Petri & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Constantiæ XII. Kal. Februarii, Pontificatûs nostri anno primo.

Charta Abbatis Gradicii *quâ prohibet ne alius Advocatus* Ilbenstadii *eligatur quàm Moguntiæ Archiepiscopus. Anno 1478.*

BErnardus permissione divinâ Abbas Ecclesiæ Gradicensis Ordinis Præmonstratensis, Olmucensis diœcesis, solus & unicus per Reverendissimum in Christo Patrem, ac Dominum Hubertum, Dei & Apostolicæ sedis gratia, Abbatem Ecclesiæ, & Ordinis Præmonstratensis Superiorem, nec non venerabile Capitulum generale Abbatum ejusdem Ordinis in regnis & circariis Hungariæ, Bohemiæ, Poloniæ, Daciæ, Vadgotiæ, Ilveldiæ, Sueviæ, Bavariæ, Westphaliæ &c. Commissarius & Visitator in plenitudine potestatis cum clausula & quatenùs omnia & singula facientes dispositionem, ordinationem quæ Visitationis requirit officium, & quæ monasteriis & eorum personis utilia & decentia noverimus seriò quomodolibet profutura, specialiter constitutus ac deputatus. Venerabili nobis in Christo Joanni Præposito, & dilectis filiis Priori & Conventui monasterii Ilbenstadiensis nostri Præmonstratensis Ordinis, Moguntinæ Diœcesis, salutem & perprosperum ad vota successum cum augmento virtutis in Domino. Visâ veridicâ relatione... Et litterarum instrumentorumque necessariorum testimonio sufficienter informati, reperimus vos & monasterium vestrum, sicut & alia nostri Ordinis Præmonstratensis generosè à Fundatoribus dotatum. Inter cætera tamen evidentius privilegium Episcoporum, ita ut à nullo Tutore vel sic se nominante quovismodo possit nec debeat gravari, & quem duxerimus ad hujusmodi tuitionem, protectionemque recipere, vobis placito tempore rejicere, & alium assumere sit condonatum atque admissum & concessum, habito tamen respectu in talibus ad Archiepiscopum Moguntinum in cujus Diœcesi persistitis. Cùm ergo nunc multis elapsis temporibus non sit repertum quod aliquis Principum, seu Comitum vel Nobilium, tempore aliquo hujusmodi superioritatem, seu tuitionem commissionem in vos & super monasterium vestrum habuerit, vel ad hanc assumptus per prædecessores vestros, vel vos huc usque fuerit, & usque in hodiernum diem monasterium in tuitione & protectione Archiepiscopi Moguntini, & nullius alterius cum personis & bonis & eorum attinentiis perpetuò fuerit & de præsenti ut reperitur existit, & hinc est quod nos volumus paci & unitati maximè impræsentiarum consulentes, vobis omnibus & singulis nunc existentibus, & futuris in virtute salutaris obedientiæ districtè præcipientes mandamus, & sub pœna excommunicationis prohibémus, ne quis vestrûm per se vel per alium directè vel indirectè, occultè seu manifestè, quovis quæsito colore audeat vel præsumat ad hoc laborare, nisi ultimâ necessitate cogente, ut dictum vestrum monasterium in protectionem & tuitionem alterius cujuscunque conditionis aut dignitatis existat, de cætero committatur, nec

alieni hujusmodi petenti concedatur, nec Ecclesiæ permittatur nisi adveniente voluntaria ac liberâ resignatione & consensu Archiepiscopi Moguntini & Domini Præmonstratensis, cujus filia immediatè est dicta vestra Ecclesia. Quicunque autem de vestris secùs attemptare præsumpserit, & hujusmodi nostræ Ordinationi non obedierit, si sic repertus & convictus fuerit, absque misericordia, per obedientiam nobis debitam, etiamsi Prælatus fuerit, incarceretur, cujus liberationem Domino Præmonstratensi, aut Capitulo generali, dummodò tamen resipiscat, resignamus, & ab Ecclesia sua sit per decennium expulsus. Nolentes tamen Ordinatione præsenti privilegiis Ordinis nostri in aliquo præjudicare. In quorum fidem & testimonium præsentes litteras fieri fecimus, & sigilli nostri Abbatialis appensione jussimus communiri, anno Domini MCCCCLXXVIII. die verò decimâ septimâ mensis Februarii.

Charta Maximiliani I. Imperatoris, pro confirmatioue conventionis facta ab Ilbenstadiensibus *Fratribus cum quodam Ruberto, & Thelonii ab Imperatoribus concessi. Anno 1495.*

MAximilianus divinâ favente clementiâ Romanorum Rex semper augustus, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c. Rex, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Lotharingiæ, Brabantiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ, Lymburgiæ, Lucemburgii, & Gueldriæ, Comes Flandriæ, in Habspurg, Tirolis, Ferretis, in Kiburg, Arthesii & Burgundiæ Palatinus Hannoniæ, Hollandiæ, Clezandiæ, Namurci &c. &c. firmiter ad salutem æternæque vitæ gaudia nobis credimus pervenire, cùm Ecclesiasticarum personarum, quæ divinis sunt obsequiis deputatæ, profectibus & commodis libenter intendimus, atque eisdem favorem Regium impartimur liberalem. Sanè oblata nobis nuper pro patre honorabilium Religiosorum devotorum nobis dilectorum Præpositi & Conventûs monasterii in *Eloffstat* Ordinis Præmonstratensis, Moguntinensis diœcesis, petitio continebat, quatenùs litteras quasdam ipsis quondam à divæ memoriæ Friderico II. Romanorum Imperatore prædecessore nostro, super quadam commutatione seu conventione, ac Theolonei confirmatione datas & concessas, & coram nobis exhibitas, de nostræ benignitatis clementia approbare, ratificare, auctorizare, confirmare, & de novo concedere gratiosiùs dignaremur. Quarum quidem litterarum tenor de verbo ad verbum sequitur, & est talis: In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Fridericus Romanorum Imperator semper Augustus; omnes Christi nostrosque tam præsentis quàm futuri ævi fideles &c. Nos itaque hujusmodi ipsorum petitioni benignè & favorabiliter inclinati præsertim cùm justa & licita petentibus non sit denegandus assensus, animo deliberato & ex certa scientia ac de plenitudine Romanæ Regiæ potestatis supra scriptas litteras in omnibus & singulis articulis, & punctis de verbo ad verbum quemadmodùm præsentibus insertæ sunt, approbamus, ratificamus, auctorizamus, & prout dignè possiumus, tenore præsentium confirmamus, & de novo concedimus, supplentes omnem defectum. Si quis in præmissis ex obscuritate verborum vel sententiarum dubietate, aut aliàs quovismodo ex vetustate temporum in sigilli fractura videretur admissus, decernentes & hoc nostro regali statuentes edicto easdem litteras, omniaque & singula in iisdem contenta inconcussi roboris obtinere firmitatem. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc nostræ approbationis, ratificationis, auctorizationis, confirmationis, ac innovationis paginam infringere, aut ei quovismodo calumniosè contraire. Si quis verò hoc attemptare præsumpserit, is ultra indignationis nostræ aculeos, quadraginta marcarum auri puri pro una Regali fisco sive ærario nostro, pro alia verò medietatibus injuriam passorum usibus applicandarum se noverit pœnam incurrisse. Præsentium sub nostri regalis sigilli appensione testimonio litterarum. Datum in civitate nostra imperiali Wormacensi quartâ die mensis Junii, anno Domini MCCCCXCV. regnorum nostrorum Romani decimo, Hungariæ verò sexto annis. Ad mandatum Domini Regis à consilio Bertoldus (a) Archiepiscopus Moguntinus Archicancellarius subscripsi.

Charta Raymundi Cardinalis & Legati, pro usu Casei & Lacticiniorum concesso Fratribus Ilbenstadiensibus. *Anno 1502.*

RAymundus *miseratione divinâ Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ tituli Sanctæ Mariæ novæ Presbyter Cardinalis, venientes ad universam Germaniam, Daniam, Sueciam, Norwegiam, Frisiam, Prussiam, omnesque & singulas illarum Provincias, civitates, terras, & loca etiam sacro Romano Imperio in ipsa Germania subjecta, ac eis adjacentia Apostolicæ sedis de latere Legatus, dilectis nobis in Christo Philippo de *Carben* Præposito & Conventui monasterii per Præpositum soliti gubernari in *Ulstimstad*. Ordinis Præmonstratensis, Moguntinensis diœcesis, salutem in Domino sempiternam. Sinceræ devotionis affectus quem ad Romanam Ecclesiam gerere comprobamini, non indignè meretur ut petitiones vestras, illas præsertim quas ex devotionis fervore prodire conspicimus, ad exauditionis gratiam admittamus, Hinc est quod nos vestris devotis in hac parte supplicationibus inclinati, ut vos vestrique successores ac in dicto Conventu pro tempore existentes vestrique & eorumdem successorum vestrorum familiares domestici ac continui commensales, & ad mensam vestram cibi sumendi gratiam declarantes & concedentes quadragesimalibus & aliis diebus quibus butyri, casei & aliorum lacticiniorum esus de jure vel consuetudine patriæ, aut aliàs ex præcepto prohibitus est, cum sicut accepimus in partibus Germaniæ, oleum olivarum non crescat, butyro, caseo, & aliis lacticiniis, sextâ feriâ majoris septimanæ duntaxat exceptâ, in perpetuum uti & vesci liberè & licitè absque alicujus conscientiæ scrupulo possitis & valeatis, possint & valeant, vobis & ipsis autoritate legationis nostræ quâ fungimur in hac parte, tenore præsentium de specialis dono gratiæ concedimus pariter & indulgemus, non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus in provincialibus & synodalibus editis Conciliis generalibus vel specialibus, cæterisque contrariis quibuscunque. In quorum fidem præsentes litteras fieri, nostrique sigilli jussimus appensioné communiri. Datum in oppido *Fridberg* dictæ Diœcesis, anno Incarnationis Dominicæ MDII. octavo Idus Octa-

* Cùm Alexander VI. in Turcas sacram expeditionem promulgare decrevisset anno 1500. Raymundum Cardinalem S. Mariæ novæ, Gurcensem episcopum, cum gratia & indulgentiis in Germaniam &c. Legatum à latere misit eodem anno.

(a) Bertholdus de *Henneberg* Metropolis Decanus, nominatus Antistes Moguntinus anno 1484. Maii 20. consecratur in majori Templo anno sequenti. *Fuit Maximiliani Imperatoris*, ait Bruschius, *per multos annos Cancellarius Aulæ, Aulam nusquam non sequens*. Facundiam ejus, prudentiam, aliasque multas dotes mirificè in Bertoldo laudant qui de eo scripserunt, in arduis quibusque negotiis præcipuè prudentia ejus enituit. Egregium ejus rei specimen & immortale monumentum est Camera judiciaria Spirensis, hujus consilio & suasu instituta. Alterum hujus viri prudentissimi documentum fuit erectio Suevici fœderis in historia illorum temporum celeberrimi, hujus etiam suasu initi, quod multis illo ævo ludibrio & terrori fuit. Vitam finiit 21. Decemb. an. 1504. Moguntiæ in majori Templo depositus.

vo Idus Octobris, Pontificis sanctissimi in Christo Patris, & Domini Domini Alexandri divinâ providentiâ Papæ VI. anno undecimo.

Charta Ferdinandi II. Imperatoris renovantis & confirmantis omnia jura, privilegia indulta Ilbenstadio. *Anno 1629.*

FErdinandus II. divinâ favénte clementiâ, electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ &c. Rex, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ &c. Recognoscimus & notum facimus tenore præsentium universis; cum pro ratione officii ac muneris nostri à Deo optimo maximo nobis commissi in hanc sollicitudinem nos vocatos arbitremur, ut pacem & tranquillitatem fidelium omnium sedulo procuremus, in hanc tamen cogitationem & curam nobis incumbendum esse in primis ducimus ut Ecclesiis Dei & personis, locisque divino cultui dedicatis clementer assistere, & virtute autoritatis nostræ quod suum cuique attribuere & conservare studeadeamus, maximè verò illis qui injustè atque indignè oppressi, rebus suis afflictis opem atque præsidium à nobis implorant. Itaque cùm honorabiles Religiosi devoti nobis dilecti F. Georgius Conradi Præpositus, nec non Prior & Conventus monasterii *Ilbenstat*, Ordinis Præmonstratensis, Moguntinensis diœcesis, supplici prece à nobis petierint, ut ipsis & monasterio ipsorum prædicto, omnia & singula privilegia, litteras, indulta, concessiones, donationes, gratias, libertates, immunitates, jura, proprietates, emphyteuses, prærogativas & exemptiones tam personales quàm reales, & myxtas à divis Romanorum Imperatoribus & Regibus prædecessoribus nostris augustæ memoriæ, aliisque Principibus & Dominis tam Ecclesiasticis quàm secularibus, & quibuscunque Christi fidelibus cujuscunque sexûs, Ordinis & conditionis eisdem Præposito, Priori & Conventui, eorumque antecessoribus & monasterio Ilbenstadiensi tam in capite, quàm in membris data & datas, indulta & indultas, concessa & concessas, ac confirmata & confirmatas, seu aliis titulo fundationis, donationis, concessionis, emptionis, commutationis, transactionis, pacti aut legati ex testamento, vel alia quavis ultimâ voluntate, aut quocunque alio titulo legitimo acquisita & acquisitas. Consuetudines quoque usus & observantias hactenùs laudabiliter introductas & usitatas, nec non quæcunque alia bona mobilia sive immobilia, jura, monumenta litterarum, actiones, reditus, census, proventus, decimas, fructus atque emolumenta justè acquisita & possessa, & præsertim privilegium Innocentii Pontificis maximi, de dato Latrani secundo Idus Decembris anno Domini MCXXXIX. Præterea parochiales Ecclesias & domus cum fabricis templorum & scholis in *Ilbenstat*, *Rendel*, *Assenheim*, *Bonstat*, *Erbstat*, *Sedell* & *Wolfersheim*. Porrò ædes in *Franckfort*, monasterio à Lothario II. Romanorum Imperatore donatas; item jus piscandi in fluvio *Nidano*, & venandi per omnem districtum Burggraviatûs Fridbergensis, confirmare, approbare, ratificare, & quatenùs opus est de novo concedere dignaremur. Nos verò qui quorumlibet justa petentium votis respondere propensi sumus, eorum præsertim qui suis precibus vota nostra pro Imperii salute apud Deum altissimum juvare solent, & possunt & proindè ipsorum Præpositi, Prioris & Conventûs monasterii Ilbenstadiensis benignè annuentes animo deliberato & ex certa scientia, sano & maturo accedente consilio; & de Cæsareæ nostræ potestatis plenitudine, præfato Præposito, Priori, Conventui, atque ipsi monasterio Ilbenstadiensi omnia & singula privilegia, litteras, indulta, concessiones, donationes, gratias, libertates, immunitates, jura, proprietates, emphyteuses, prærogativas & exemptiones tam personales quàm reales, aut myxtas à divis Romanorum Imperatoribus & Regibus prædecessoribus nostris, aliisque Principibus & Dominis Ecclesiasticis & secularibus, ac quibuscunque Christi fidelibus data, indulta, concessa & confirmata, datas, indultas, concessas, & confirmatas, seu aliquo titulo fundationis, dotationis, concessionis, emptionis, commutationis, transactionis, pacti, legati, tam ex testamento, quàm aliâ quâcunque ultimâ voluntate, & quocunque alio legitimo titulo acquisita & acquisitas, consuetudines quoque usus & observantias hactenùs laudabiliter introductas & usitatas, nec non quæcunque alia bona, sive mobilia sive immobilia, litterarum monumenta, actiones, conventiones, transactiones, redditus, census, proventus, decimas, emolumenta justè acquisita & possessa, & præsertim memoratum privilegium Innocentii Pontificis maximi; præterea parochiales Ecclesias & domus unà cum fabricis templorum & scholis in *Ilbenstat*, *Rendel*, *Assenheim*, *Bonstat*, *Erbstat*, *Sodell* & *Wolfersheim*, porrò ædes in *Franckfurt* monasterio à Lothario II. Imperatore donatas; item jus piscandi in fluvio Nidano, & venandi per omnem districtum Burggraviatûs Fridbergensis, nec non alias fructuum perceptiones in quibuscunque rebus consistant, & quorum omnium tenores, nomina, cognomina, perinde ac si tenores hujusmodi in propriis apicibus & clausulis adhuc extarent, & de verbo ad verbum huic Diplomati inserti essent, & quos pro insertis & specialiter expressis habemus & haberi volumus quæ ipsi Præpositus, Prior & Conventus atque ipsum monasterium Ilbenstadiense ad hæc usque tempora quovis legitimo titulo impetrata & impetratas, concessa & concessas possederunt, seu possidebunt, etiamsi talia essent, de quibus de jure vel consuetudine specialis mentio fieri deberet, confirmavimus, approbavimus, ratificavimus, atque de novo quatenùs opus est, concessimus, prout tenore præsentium confirmamus, approbamus, ratificamus & de novo concedimus, & imperialis authoritatis robore & firmitate munimus, volumusque ac decernimus has nostras perpetui ac inviolabilis roboris firmitatem in omnibus & singulis supradictis juribus & actionibus tam personalibus quàm realibus & mixtis, consuetudinibus, item & usibus, nec non emolumentis, proventibus, redditibus, censibus, fructibus, decimis, pratis, pascuis, vineis, agris, ædibus, curiis, prædiis, sylvis, nemoribus, molendinis, ripis, stagnis, aquarum decursibus & aliis quibuscunque legitimis accessionibus, quorum & quarum præfati Præpositus, Prior & Conventus, successoresque eorum, qui pro tempore fuerint, quamcunque legitimam & longævam possessionem, deducere, demonstrare, & probare poterunt omni contradictione & impedimento, prætextu aut colore omninò cessantibus, & aliis in contrarium facientibus non obstantibus quibuscunque. Nos enim ea omnia & quæcunque alia, quæ huic nostræ approbationi, confirmationi, ratificationi, provisioni, decreto & voluntati quovismodo obstare, aut eorum vim elidere, aut invalidare possent, motu proprio, scientiâ & auctoritate prædictis annullamus, cassamus, irritamus, cassaque, irrita & nulla decernimus & declaramus. Supplentes omni & cuicunque defectui tam juris quam facti, si quis in præmissis quovismodo intervenerit, seu intervenisse dici & allegari possit, ita tamen quod præfati Præpositus, Prior & Conventus unicuique actionem

contra eos habenti in locis ordinariæ juriſdictionis, & eorum Judice competenti reſpondere teneantur. Præterea cùm aliquando contingere poſſit ut reipublicæ cauſâ extra fines imperii Germanicæ nationis neceſſario abeſſe cogamur, aut difficile futurum ſit præfatis Præpoſito, Priori & Conventui monaſterii Ilbenſtadienſis pro executione hujus noſtræ confirmationis, conceſſionis, proviſionis atque decreti, quoties res eorum poſtulare videretur ad nos habere recurſum, idcircò animo, ſcientiâ, & autoritate prædictâ venerabilem N. * Archiepiſcopum Moguntinum ſacri Romani imperii per Germaniam Archicancellarium, Principem Electorem, & nepotem noſtrum chariſſimum, item Cameræ noſtræ imperialis Spirenſis Judicem & Aſſeſſores prout & curialis judicii noſtri in *Rothweil* Judicem, eorumque ſucceſſores, privilegiorum, rerum, bonorum, jurium & poſſeſſionum, prædictarum tam perſonalium quàm realium & mixtarum ad præfatum monaſterium Ilbenſtadienſe, ejuſque Præpoſitum, Priorem & Conventum ſpectantium, & hujus noſtræ confirmationis, approbationis, proviſionis & decreti conſervatores & executores in ſolidum vice & nomine noſtro eligimus & deputamus, eiſdem & cuilibet eorum ſerio, & ſub noſtræ & imperii ſacri gratiæ obtentu præcipientes & mandantes ut ipſi omnes, aut duo, aut unus illorum, per ſe vel ſuos deputatos nomine dicti monaſterii, vel per ipſos Præpoſitum, Priorem & Conventum vel eorum Procuratores, aut mandatarios tam præſentes quàm futuros, requiſitus aut requiſiti fuerint, toties, quoties ſe caſus obtulerit, ejuſdem monaſterii Præpoſito, Priori & Conventui, eorumve procuratoribus ac mandatariis antedictis noſtro & ſucceſſorum noſtrorum ac imperii nomine, loco & vice, efficaci defenſione noſtra Cæſarea autoritate aſſiſtant, non permittentes eoſdem in privilegiis, libertatibus, bonis, poſſeſſionibus, fructibus, redditibus, proventibus, decimis & aliis quibuſcunque rebus, poſſeſſionibus & juribus antedictis, contra hujus noſtræ confirmationis, proviſionis & decreti formam per quempiam indebitè moleſtari, vel eis conjunctim vel diviſim gravamina, damna vel injurias quoviſmodo irrogari, quin ipſos autoritate noſtrâ Cæſareâ tueri, defendere, fovere & manu tenere ſtudeant, occupatores, detentores, moleſtatores, turbatores & injuriatores ſi qui fuerint, nec non contradictores, rebelles & inobedientes, omnibus remediis oportunis coercendo & contra præmiſſa, ſeu ipſorum aliquod in noſtræ majeſtatis, ac præfati monaſterii, nec non Præpoſiti, Prioris & Conventûs, eorumque jurium læſionem facientes cujuſcunque dignitatis, ſtatûs, gradûs, ordinis aut conditionis extiterint, quandocunque & quotieſcunque opus fuerit, etiam ad pœnas inferiùs expreſſas procedant, ipſoſque vice & autoritate noſtrâ Cæſareâ compeſcant & compellant, & à turbationibus & moleſtationibvs hujuſmodi deſiſtant, invocato ad hoc eorum auxilio, quorum videbitur invocandum, hoc noſtro ſtatuentes edicto ut omnes & ſinguli Principes tam Eccleſiaſtici quàm ſeculares, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Duces, Marchiones, Comites, Barones, Milites, Provinciarum Præſides, Præfecti locorum, Vicedomini, Prætores, Judices, Sculteti civitatum, Capitanei, Magiſtratus, Decuriones & cæteri alii, ſive Nobiles, ſive Plebei in quacunque dignitate, officio aut ſtatu conſtituti ſint, qui à prædictis conſervatoribus aut eorum ſubdelegatis, vel eorum aliquo requiſiti fuerint, eiſdem & ſucceſſoribus eorum, noſtro & ſucceſſorum noſtrorum ac imperii nomine, loco ac vice aſſiſtant, foveant, opitulentur, atque obtemperent, dictoſque Præpoſitum, Priorem, Conventum, ac monaſterium ipſum, eorumque bona, res, jura, libertates, privilegia, & poſſeſſiones, ut præmittitur, efficaciter defendant, ac tueantur, nec in contrarium attentare quidquam præſumant. Quod ſi ſecus factum & per quempiam contra præmiſſa attentatum fuerit, is noſtram & Imperii ſacri indignationem graviſſimam & pœnam quadraginta marcharum auri puri pro dimidio fiſco ſeu ærario noſtro Cæſareo inferendam, reliqua verò parte injuriam paſſorum uſibus irremiſſibiliter applicandam ſe noverit incurſurum. Quas quidem pœnas pecuniarias, aliaque juris remedia prædicti conſervatores & executores, eorumve delegati ſimul & in ſolidum in prænominatos occupatores, detentores, præſumptores, moleſtatores, injuriatores, contradictores quoſlibet & rebelles, niſi poſt monitionem & requiſitionem ipſorum conſervatorum & executorum, ſeu ab eis aut aliquo eorum deputandorum ſeu deputandi, intra certum terminum peremptorium præfigendum ab injuria & moleſtatione hujuſmodi ceſſaverint, atque deſtiterint, noſtro & ſucceſſorum noſtrorum nomine & vice decernant & quilibet eorum decernat. Vocatis tamen & citatis qui meritò fuerint vocandi & faciendo quod decreverint per bannimenta, & alia juris remedia firmiter obſervari & executioni mandari. Super quibus omnibus & ſingulis ſic ut ſupra peragendis & exequendis, ipſis conſervatoribus ſeu executoribus, & eorum ſubdelegatis & cuilibet ipſorum Cæſareâ autoritate noſtrâ plenam poteſtatem concedimus harum teſtimonio litterarum manu noſtrâ ſubſcriptarum, & ſigilli noſtri Cæſarei appenſione munitarum. Datum in civitate noſtra Viennæ die vigeſimâ ſeptimâ menſis Martii anno Domini MDCXXIX. regnorum noſtrorum Romani decimo, Hungarici undecimo, Bohemici verò duodecimo. FERDINANDUS ad mandatum Sac. Cæſ. majeſtatis proprium ut. Petrus Henricus Gerh. à Zwethen. à Tralindo.

Inſtrumentum ſuper ſacras Reliquias B^mi. Godefridi Comitis Cadpenbergenſis, Fundatoris monaſterii Ilbenſtadienſis. *De anno 1639.*

IN Nomine Sanctiſſimæ ac Individuæ Trinitatis. Amen. Cuivis Inſtrumentum hoc publicum legenti, ac audienti, planum, certum & indubitatum ſit, quòd anno, à nato Chriſto Redemptore ac Salvatore noſtro unico, milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo nono, Indictione ſeptimâ: imperante ac regnante illuſtriſſimo, potentiſſimoque Principe, ac Domino Domino Ferdinando III. hujus nominis, electo Romanorum Imperatore ſemper Auguſto, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ & Sclavoniæ Rege, &c. Archiduce Auſtriæ, Duce Burgundiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ & Wirtembergæ, Comite Tyrolis & Domino noſtro clementiſſimo: anno Imperii Cæſareæ ſuæ majeſtatis tertio, regni Hungariæ decimo quarto; & regni Bohemiæ duodecimo; in infra nominatorum, ſpecialiter ad hoc vocatorum, & requiſitorum, fide dignorum teſtium, videlicet admodùm reverendorum & religioſorum Dominorum, Patrum ac Fratrum Joannis Adami abbatis Arnſpurgenſis, Henrici *Hoberg*, Collegiatæ Eccleſiæ B. Mariæ Virginis, Apud Franncfurtenſes Decani, Dominici Leonardi Ordinis Prædicatorum Francofurtenſium Prioris, Caſpari Swenckelii, Burſarii Arnſpurgenſis, ac mei infraſcripti publici ac Cæſarei Notarii præſentiâ die Lunæ menſis Junii, novi Calendarii vigeſimo ſeptimo, reverendus admodùm atque religioſus Domi-

* Non invenio quomodo Georgius Fridericus, qui ab anno 1626. 20. Octobris uſque ad 1629. 6. Julii Moguntinam ſedem tenuit, Ferdinandi II. potuerit eſſe nepos, cùm ex equeſtri Rhenana ſtirpe Greiffenclaviorum de *Volrath*, fuerit, ut aſſerit lib. 2. Cap. 2. de notitia. S. R. I. procerum Imhoſius.

nus Georgius Laurentii Præpositus sacræ domûs & monasterii Ilbenstadiensis Ordinis Præmonstratensis, in ipsius monasterii hypocausto, *Die Tafel Stuben* nominato, intra octavam & nonam horam ante-meridianam comparuerit, nobisque sequentia verba oraliter proposuerit: admodùm reverendi, amplissimi, doctissimique Domini, religiosissimi Patres ac venerandi Confratres: quòd ad meam indigni hujus sacratæ domûs Antistitis invitationem, prompti in hoc loco comparueritis, vestram agnosco summam humanitatem, laudo gratificandi promptitudinem, & gratias ago meo, & totius cœnobii nomine, quàm possum maximas, offeroque omnibus votis & singulis, mea, meorumque vicissim honesta servitia, & humillima obsequia; & ut porrò sine ambagibus, propter quid & quem in finem vestrum sollicitaverim, utique pergratum adventum, aperiam vobis; cùm reperissem litteras diversas, ab Ordinis nostri Prælatis amplissimis, jam pridem ad prædecessores meos, piæ memoriæ, missas, ac pro particulis aliquibus de Reliquiis B. Godefridi Comitis Cappenbergensis, Fundatoris nostri munificentissimi, & permaximi Patroni, sibi concedendis, magnæ pietatis & devotionis affectu sollicitantes, accessisseque ejusdem Ordinis nostri procerum ex causis apprimè rationabilibus consilium; decrevi cum venerandi Conventûs mei consensu unanimi, loculum B^mi^. illius Comitis, in lapide, ipsius venerandâ effigie insignito, infernè incisum & obseratum, reserare; quod, quia requirebat testes, omni exceptione majores, & lumina actum istum condecorantia, vestras admodùm reverendas & amplissimas Dominationes, & religiosissimas Paternitates advocare & humiliter invitare volui, & quia honoratissimæ suæ præsentiæ mihi dederunt desideratam copiam, præmisso sacrosanctæ Missæ sacrificio, *id*, quod ob rationes allegatas decretum à nobis anteà, jam vobis aperui, in nomine Domini aggrediemur; oro igitur & obsecro, ut ad Dei gloriam & B. Godefridi honorem, tanquam testes probatissimi & indubitatissimi assistere, & singula, quæ agentur, diligentissimè attendere dignemini. Factâ hâc propositione reverendus supradictus Dominus Præpositus, oblato auro & argento, me infra nominatum Notarium Cæsareum solemniter requirebat, petebat & rogabat, ut unà cum ipso & Dominis testibus prænominatis præsentibus ad Templum sacri illius monasterii quamprimùm contenderem ac ibidem omnia & singula, quæ peragerentur, studio summo observarem, ac memoriæ demandarem, desuperque unum, aut plura instrumenta, quibus pro occasione & necessitate uti posset, pro debito conficerem, ac sibi communicarem; quòd ego Notarius ratione officii mei me facturum consensi & promisi. Posthæc statim unà cum Domino requirente Præposito & Dominis ac Patribus supra nominatis testibus, similiter & reverendis religiosisque Dominis Stephano *Inlauff*, Norberto *Nusbaum* & Jeremiâ *Faber*, Canonicis Norbertinis Ilbenstadiensibus in Templum sæpedicti monasterii sumus progressi, ibi ante omnia Deum omnipotentem sacris cantionibus & precationibus laudavimus & adoravimus, & absolutis precationibus, & celebratis sacris, ad lapidem B^mi^. Comitis Godefridi à Cappenberg, Fundatoris sæpedicti monasterii venerandâ effigie insignem, rectà è regione summi altaris, in medio Chori in sex lapideis columnulis, ac quatuor ferramentis elevatiùs positum, atque asseribus acuminatis instar tumbæ tectum accessimus, in quo loculus seu secretum scrinium infernè insculptum, querno assere coopertum, & tribus ferreis vinculis plumbo infusis, benè munitum, & omninò illæsum inventum, per Joannem *Weignerum* monasterii Molitorem, malleo & scalpro apertum, & reliquiæ Comitis beati Godefridi, monasterii ipsius Fundatoris, primò in albo, deinde in rubeo & flavo panniculo serico positæ, inventæ, & cum magna reverentia & devotione exemptæ sunt, quas omnes præsentes Domini supradicti, simul & ego Notarius venerati & devotè osculati sumus, postea in altare summum reverenter posuimus, & sequentes reliquiarum particulas invenimus: nimirùm dentes septemdecim, os magnum Coxendicis, tres particulas cranii, particulam maxillæ cum sex dentibus, tres fistulas longas, duodecim particulas costarum, septemdecim particulas spinæ dorsi, septemdecim partes majores & minores diversarum fistularum: item quinquaginta quinque particulas variorum ossium minores & majores; item pulveres, cineres & ramenta ossium; de quibus partibus reliquiarum in sæpenominatorum Dominorum Patrum & adhibitorum testium, nec non mei Notarii præsentiâ in album panniculum involutæ, & statim in priorem tumulum summâ veneratione repositæ, & modo pristino obseratæ sunt hæ: particula mediocris cranii, fistula de brachio, duæ partes spinæ dorsi, duæ costæ, adhuc particula fistulæ, tres dentes, quinquaginta quinque majores & minores ossium partes nobis ignotæ seorsim; & tandem mistæ cineribus plurimæ particulæ cum ramentis: quas Reliquias Dominus Præpositus, supradictus in membranea Charta, unà cum nominibus præsentium Dominorum Patrum & Canonicorum, meique Notarii conscripsit, & ipsis Reliquiis apposuit, tandemque loculo iterùm clauso, & obseratis Reliquiis prædictis, in gloriam Dei omnipotentis, cum cantione, *Te Deum laudamus*, huic actioni solemniter finem imposuimus. Hæc Ordine ita enumerato, anno, *indictione*, imperio, mense, die, horâ, ac distinctis locis, ut supra in ingressu & alibi positum est, specialiter ad hoc vocatis & rogatis, supra etiam sæpedictis fide dignis testibus, & Dominis Patribus præsentibus, facta sunt. Et quoniam ego Engelbertus *Weilandt*, Cæsareæ ac Imperialis civitatis Fridbergæ in Wetteravia civis, ibidemque ordinarius judiciorum Procurator, ex Romana Cæsarea potestate & autoritate publicus Notarius & Scriba, apud prædictam propositionem, reserationem & obserationem Reliquiarum, ac omnia alia superiùs enumerata ipsemet præsens fui, & omnia prout supra scriptum, vidi & audivi, ad legitimè factam requisitionem, officii gratiâ, publicum hoc Instrumentum in publica forma concessi, ac propter alias meas occupationes, per alterius manum in hac præsenti membrana fideliter describi & ingrossari curavi; postea cum originali suo diligentissimè contuli ac relegi, illudque in omnibus ac singulis verbis conforme reperi; ideòque propriâ manu nomen ac cognomen meum subscripsi, consuetoque meo Notariatûs signo obsignavi ac confirmavi, idque omne in omnium ac singulorum supra fideliter & studiosè enumeratorum fidem ac certitudinem, debito modo & diligentiâ ad hoc vocatus & rogatus.

L. S.

Engelbertus Weilandus, Fridbergensis, Notarius publicus, in fidem omnium suprascriptorum manu propriâ subscripsit, & signo consueto confirmavit.

Quod ita se habere nos infrascripti, ad hunc actum

solemniter invitati, testamur: Fr. Joannes Adamus de *Grunngen* Abbas Arnsburgensis.

Henricus *Heberg* Decanus Ecclesiæ B. M. V. in monte Francofurti.

F. Casparus Swenckelius Ordinis Cisterciensis, monasterii Arnsburgensis Bursarius.

Aliud Instrumentum super levatione sacrarum Reliquiarum B^mi. Comitis Godefridi Fundatoris Ecclesiæ Ilbenstadiensis *facta die 9. Jan. Anno 1731.*

IN Nomine Sanctissimæ ac Individuæ Trinitatis. Amen. Omnibus & singulis futuri temporis successoribus Instrumentum hoc publicum legentibus, notum, certum ac indubitatum sit, quod anno quo è cunis nati nuperrimè Salvatoris, dulcissimus in animis nostris & auribus adhuc resonabat Angelorum Chorus laudantium Deum & dicentium

GLorIa In EXCeLsIs Deo, & In terra paX HoMInIbUs, indictione nonâ, regnante in Sede Romana, S^mo. Domino Clemente hujus nominis XII. summo Pontifice; in Moguntina verò eminentissimo ac serenissimo Domino Francisco Ludovico Archiepiscopo. S. R. Imp. per Germaniam Archicancellario, Principe Electore Episcopo Wormat. & Wratislaviensi Reverendissimus Dominus Jacobus *Munch* hujus Ecclesiæ Ilbenstadiensis, Sacri & Canonici Ordinis Præmonstratensis, Archidiœcesis Moguntinæ, Abbas amplissimus & dignissimus: præfatus Angelicis vocibus procul dubio inflammatus & accensus: ad gloriam Dei ter optimi Maximi per cultum B^mi. Godefridi Comitis Cappenbergensis, hujus & aliarum Ecclesiarum Fundatoris munificentissimi, nec non pacis Deum inter & homines zelatoris summè insignis &c. tam apud Vetteraviæ nostræ in et accolas, quàm apud exteras Sueviæ & Moraviæ nationes, magis & magis promovendam, nos infra scriptos Fratres dictæ Ecclesiæ Sacerdotes, Canonicos & professos die Martis mensis Januarii nonâ sub colloquio mensali, per plurimùm reverendum Dominum Norbertum *Kraz* Priorem nostrum, ad extraordinarium Capitulum invitaverit, cumque post Nonam in Ecclesia persolutam, dato signo Nolæ dormitorii, circa medium primæ pomeridianæ, statione præviâ, superpelliceis omnes induti, domum Capitularem subsequente nos Domino Abbate ingressi fuissemus, idem Dominus Abbas, dicto *Benedicite* & responso à nobis: *Dominus*, sermonem verbo tenus protulerit hisce expressis formalibus: Venerabiles ac Religiosi Domini Confratres, ratio, cur modo, die, horâ & tempore extraordinariis ad Capitulum convocati sitis hæc est: post octiduum solemniter, volente Deo, celebraturi sumus festum Sancti Godefridi, qui Ecclesiam nostram fundavit & dotavit; hic vixit, hic obiit, & animam suam per manus occurrentium Angelorum Deo reddidit, in cujus honorem summus Pontifex Benedictus XIII. piissimæ memoriæ omnibus fidelibus plenarias indulgentias concessit in perpetuum valituras: indulgentias has ante annum primâ vice promulgavimus & vidimus, & vix non cum lachrimis mirati sumus concursum & teneram devotionem populi erga hunc Sanctum, cùm ergo summus Pontifex Sancti hujus honorem & externum cultum per has indulgentias intenderit ampliare; imò populus ipse videatur de ejus cultu exultare, dignum est ut nos, qui de munifica hujus Sancti fundatione vivimus, vestimur & sustentamur, etiam majori cultu & solemnitate, quam hactenus factum est, hunc Sanctum prosequamur, & populum magis ac magis excitemus; quod sine dubio fiet, si istum pretiosum thesaurum, quem in Ecclesiæ nostræ Sanctuario, in tumba elevata, absconditum habemus, reseremus & & saltem aliquam Reliquiarum particulam devotioni populi publicè exponamus, quod cum sine consensu venerabilis Capituli, nullatenus facturus sum, ideo quæro: an Capitulares consentiant? omnibus consentientibus, nulloque reclamante, Dominus Abbas in hæc verba perrexit: ergo in nomine Sanctissimæ Trinitatis & Sancti Godefridi, hoc opus non ex curiositate, sed ex pia & pura in Sanctum Godefridum devotione aggrediamur, omnes inspicientes attendant, quid ibi fit & agatur; simul tamen inhibeo omnibus sub pœna excommunicationis ne quis præsumat vel minimam particulam Reliquiarum occultè elepere & auferre. Siquidem autem D. Domini Confratres Sorethani in Circaria Sueviæ tam lamentabiliter ad me aliquoties scripserunt & humillimè supplicarunt pro aliqua particula de Reliquiis beati Godefridi, judicantes se maximè felices, si quâ potiri possint, ego huic petitioni libentissimè deferam, si venerabile Capitulum consentiat, quia certus sum per hanc communicationem cultum S. Godefridi etiam in terris alienis ampliari, Deumque in hoc Sancto magis glorificari &c. Annuentibus hic quoque cunctis tandem subjunxit sequentia: debuisset quidem ad hunc actum requiri Notarius publicus, quia verò non libenter adhibeo secularem, Religiosum autem non habeo, hinc constituo F. Ottonem ut specialiter ad omnia attendat, omnia notet & scriptis mandet, quæ ab omnibus præsentibus Fratribus subscribentur, & in Archivio reponentur. Post hæc statim unà cum Domino Abbate bini & bini ad Ecclesiam progressi ante omnia per Antiph. *Beati estis &c.* & subjunctam Collectam, omnipotentem Deum in suis Sanctis laudavimus & adoravimus; deinde ad lapidem B^mi. Godefridi Fundatoris nostri venerandâ effigie insignitum, rectâ è regione summi altaris, in medio Sanctuarii, in sex lapideis columnulis ac quatuor ferramentis elevatius positum accessimus, tabulato circum circa in quadrum sex picturis B^mum. Comitem in vita, ac post mortem mirabilem repræsentantibus vestitum & exornatum, quo remoto loculus, seu secretum scrinium, infernè insculptum, querno assere coopertum & tribus ferreis vinculis plumbo benè munitum, inventum, per Andream *Mugnes* Molitorem nostrum & murarium, malleo & scalpro apertum & mox supra prædictum asserem quernum, capsula bractealis duos circiter pedes longa & uno lata, bracteali tegumento operta & decussatim circumligata, manibus excepta & mensæ linteamine mundo stratæ inter duos cereos ardentes cum magna reverentia imposita est; solutis autem ligulis & bracteali tegumento panniculisque binis sericis: quibus desuper tectæ erant: uno albi, altero punici coloris, semotis, apparuerunt Reliquiæ B^mi. Godefridi Fundatoris nostri, in substrato panniculo lineo albo, nomine Amplissimi Domini Georgii Conradi Præpositi, piæ memoriæ, insignito vel acupicto, quas omnes provoluti in genua & vix non etiam in lachrymas præ gaudio effusi R^mo. Domino Abbate nostro eas prætere thurificante, devotè venerati & ex iis partem majorem cranii, & unam dentem piè osculati sumus. Reliquiæ autem à nobis inventæ, visæ & numeratæ sunt hæ: Coxendix, duæ partes cranii, major & minor, duæ fistulæ brachii major & minor. Octo partes spinæ dorsi majores & minores, septem dentes separatim involuti serico: pars mandibuli, tres partes costarum fractæ; quatuor partes fistularum, duo ossa juncturæ & multæ particulæ cum ramentis: quinquaginta particulæ & ultra panno serico flavo invo-

lutæ: Hisce adjectæ erant litteræ Domini Joannis Suicardi Archiepiscopi Moguntini de anno 1614. die 29. Junii datæ ad Cardinalem Burg. pro clarificatione B^mi. Godefridi; & membrana aliqua oblonga, in qua notatæ erant Reliquiæ ejusdem B^mi. Godefridi illuc anno 1639. die 27. Junii, sub amplissimo Domino Præposito Georgio Laurentii, piæ memoriæ, repositæ &c. Sed pro cultu B^mi. Fundatoris nostri amplificando, & prædictis ejusdem sacris Reliquiis exemptæ sunt à nobis sequentes: pars cranii major, & Coxendix, utraque pro Ecclesia nostra publicæ venerationi populi exponenda: item dens pro cruce Pastorali R^mi. Domini Abbatis nostri, & quædam ramenta inter nos distribuenda uti & panniculus sericus albus desuper stratus & ille sericus flavus, cui separatim involutæ erant prædictæ quinquaginta particulæ: ad instantias autem iteratas exemptæ sunt ex iisdem SS. Reliquiis pro reverendis Dominis Confratribus Sorethanis in Suevia pars de spina dorsi: pro reverendis Dominis Confratibus Gradicensibus prope Olmuziam in Moravia particula costæ. Felix quoque inter hæc erat plurimùm reverendus Dominus Augustinus *Geissel* Prior inferioris Ilbenstadii actui huic superveniens, cui in partem cessit notabilis quædam particula cum ramentis aliquibus pro suo ascæterio Virginum. Reliquæ particulæ reverenter repositæ sunt in Priorem capsulam, prædicto panniculo lineo substratum ut sequitur: pars cranii minor, duæ fistulæ brachii, major & minor, septem partes spinæ dorsi, majores & minores, sex dentes separatim serico ut priùs involuti, pars mandibuli, duæ partes costarum fractæ, quatuor partes fistularum, duo ossa juncturæ & multæ particulæ cum ramentis, quinquaginta particulæ & ultra &c. novo albo panno serico involutæ. Omnes hæ tectæ sunt similiter novo albo panno serico & suprad[i]cto priore purpureo; adjunctæque sunt desuper litteræ Priores Domini Suicardi Archiepiscopi, uti & membrana prædicta oblonga, cui ex altera parte inscriptæ sunt Reliquiæ à nobis inventæ & exemptæ. His ita positis & compositis omnes denuò in genua procumbentes per Antiphonam: *Benedicamus* ergo Deum laudavimus cum omni creatura, qui tam pretioso locum hunc decoravit patrocinio, subjunctâque de sancto Godefrido collectâ R^mus. Dominus Abbas capsulam hanc cum sacris ejusdem Reliquiis tegumento bracteali ut priùs opertam, triplici quoque priore funiculo in modum Crucis ab extra circumligatam, ad summum altare deportavit, thure flexis genibus incensavit & in priorem locum infra tumbam, super quernum asserem propriis manibus abscondit & reclusit, quam mox murarius supradictus, & Joannes Jacobus Samuel Faber noster ferrarius, tribus novis ferreis ansis, tumbam ex utroque latere ab infra vinculantibus plumbo liquato infusis, benè obseraruint, tabulato supradicto circumnexuerunt & incluserunt. Nos vero inter hæc omnes læti & gaudentes in Domino & B^mo. Godefrido Fundatore nostro hymnum Ambrosianum præcentantibus & alternantibus Organis decantavimus, subjunctaque per R^mum. Dominum de Sanctissima Trinitate Collecta actui huic solemniter immediatè ante Vesperas finem imposuimus. Hæc ordine ita enumerato anno, Indictione, regimine, mense, die, horis ac distinctis locis ut supra in ingressu & [illegible] positum est, facta & acta sunt. Et quoniam ego Fr. Otto *Wallau* in Secretarium capitulariter denominatus & assumptus apud prædictas propositiones, reserationem, obserationem ac omnia alia, huc usque enumerata ipse præsens fui, publicum hoc Instrumentum hâc formâ concepi, in hac membranea Charta scripsi, propriâ manu subscripsi, sigilloque meo Parochiali communiri omnia jussu R^mi. Domini mei Abbatis. Ne verò quis Instrumentum hoc ex aliqua parte impugnare vel de veritate Reliquiarum prædictarum B^mi. Fundatoris nostri etiam minimum quid in dubium vocare possit vel audeat, nos infra scripti omnes & singuli hujus Ecclesiæ Ilbenstadiensis Sacri & Canonici Ordinis Præmonstratensis sacerdotales Canonici & Professi, in testes à R^mo. Domino Abbate nostro vocati, & huic actui corporaliter præsentes & attenti omnia & singula, quæ circa prædictas sacras Reliquias ipsi audivimus, oculis nostris perspeximus & manibus contrectavimus, ita ut præfertur, actitata esse hisce attestamur, & futuris temporibus annunciamus. In quorum fidem nomina nostra hic ex ordine professionis subscripsimus, ac præter sigillum privatum R^mi. Domini Abbatis nostri etiam sigillo nostro, ad acta adhiberi solito, corroboravimus.

L. S.

Jacobus Abbas Ilbenstad.

F. Norbertus *Knat* Prior Ecclesiæ superioris Ilbenstad.

F. Otto *Wallau* P. T. Parochus in *Dornaszenheim* Secretarius assumptus.

F. Augustinus *Geissel* Parthenonis infer. Ilbenstadii Prior.

F. Wernerus *Rizer* Subprior.

F. Adolphus *Schirling* senior.

F. Bernardus *Lipp*.

F. Joannes Sifrid. Parochus in *Villel*.

F. Adamus *Reuschel* Parochus in *Oberwulstatt*.

F. Antonius *Hemler* Cellarius.

F. Georgius *Hartman* Parochus Ilbenstad. & Cant.

F. Wilhelmus *Rebhun*.

F. Augustinus *Rueff*.

F. Godefridus *Frismann*.

F. Melchior *Kirn*.

F. Joannes *Haas*.

F. Sebastianus *Englerth*.

F. Franciscus *Becker*.

F. Casparus *Jansen*.

F. Michae *Ress* Sacrista.

F. Adrianus *Henrich* Diaconus.

L. S.

Hanc copiam cum originali collationatam de verbo ad verbum eidem uniformem esse hisce sub sigillo meo Pastorali, & propriæ manûs iteratâ subscriptione attestor.

F. Otto *Wallau*
qui supra.

Charta Renaldi de Pavellio pro fundatione & dote Insulæ-Dei.

NOtum sit omnibus tam præsentibus quàm futuris, quòd ego Renaldus de *Pavellio* divinæ pietatis intuitu, & pro salute animæ Henrici Regis Angliæ filii Mathildis Imperatricis, & pro salute animæ meæ & antecessorum meorum dedi in perpetuam & quietam elemosynam Ecclesiæ S. Mariæ de Insula-Dei & Canonicis ibidem servientibus, totam decimam redditum totius terræ meæ tam in Anglia, quàm in Normannia, scilicet decimam redditûs medietatis villæ de *Aberlenton*, quam medietatem in manu mea retinueram, nam aliam medietatem prædictis Canonicis priùs donaveram in perpetuam & quietam eleëmosynam. Præterea dedi eis decimam redditum meorum de *Ponte Aldemer*, & decimam redditum meorum de *Wesbire*.... testibus Goualtero Rothomagensi Archiepiscopo, Willelmo Abbate de *Resson*, Radulpho Abbate de *Silleio*, & aliis multis....

Charta Reginaldi filii Fundatoris Insulæ-Dei.

NOtum sit omnibus sanctæ matris Ecclesiæ filiis tam præsentibus quàm futuris, quod ego Reginaldus de *Pavellio* pro remissione peccatorum meorum, & pro salute animarum patris & matris meæ & amicorum meorum donavi Ecclesiæ sanctæ Mariæ de *Insula-Dei*, & Canonicis ibidem Deo servientibus, in perpetuam & quietam & liberam eleëmosynam xxxi. solidos d'*Esterlin*.... testibus Domino Rothomagensi episcopo in die qua sacravit altare S. Mariæ, Goualtero de R. C. O. Walarico Archidiacono, Balduino de *Cantelu*, Enguerrano d'*Erveville*, Willelmo de *Cromare*, Radulpho de *Corcheles* & multis aliis.

*Charta Henrici * Regis Angliæ confirmantis fundationem* Insulæ-Dei.

HEnricus Dei gratiâ Rex Angliæ & Dux Normanniæ & Aquitaniæ & Comes Andegavensis. Archiepiscopis, Abbatibus, Comitibus, Baronibus, Justiciariis, Vice-comitibus, Ministris, & omnibus fidelibus suis totius terræ suæ, salutem. Sciatis me concessisse & præsenti Chartâ meâ confirmasse Deo & Canonicis B. Mariæ de *Insula-Dei* subscriptas donationes quæ eis rationabiliter factæ sunt & Chartis donatorum confirmatæ, scilicet ex dono Reginaldi de *Pavellio* medietatem totius *Chereletonia* villæ suæ in leonibus & in plano & in bosco & in omnibus quæ ipse ibidem possidet salvo capitali mesagio suo, & salvâ unâ marcâ argenti quam Abbas S. Georgii ibi habet. Concedo & eis confirmo quæcunque.... sicut Chartæ donatoris testantur. Testibus Petro Menevensi episcopo, Joanne Lexoviensi Thesaurario, Willelmo de S. Mariæ Ecclesia, Hugone de Mara.... & multis aliis.

Charta Walteri de Pavellio *qua* Insulam-Dei *dispensat de obligatione subministrandi Capellani domestici. 1237.*

NOverint universi tam præsentes quàm futuri quòd ego Walterus de *Pavellio* Miles, filius Reginaldi de *Pavellio* Fundatoris Ecclesiæ B. Mariæ de *Insula-Dei* Præmonstratensis Ordinis, pro evitando periculo animæ meæ & hæredum meorum; pro reverentia Religionis & disciplina Ordinis erga Religiosos liberiùs & securiùs observanda, dictæ Ecclesiæ de *Insula-Dei* in perpetuum pro me & hæredibus meis, pro salute animæ uxoris meæ & antecessorum meorum, liberè & absolutè & in bona pace relaxavi & quietum clamavi, quod nec ego nec hæredes mei de cætero ab eadem Ecclesia exigemus præsentiam alicujus Canonici nomine Capellani, nec nomine alicujus servitutis nobiscum moraturi. Actum est hoc anno Domini 1237. testibus his Godefrido, Waltero de Quercu, & multis aliis.

Charta donationis Ecclesiæ de Matonvilla.

OMnibus Christi fidelibus ad quos præsens scriptum pervenerit. Robertus Dei gratiâ Rothomagensis, salutem in Domino. Noverit universitas vestra, quòd cùm inter nos ex una parte, & Nicolaum *Bessencourt* ex altera super jure patronatûs Ecclesiæ S. Vedasti de *Matonvilla* contentio verteretur, tandem de consensu ejusdem Nicolai eandem Ecclesiam de Matonvilla, divinæ charitatis intuitu dedimus & concedimus in puram & perpetuam eleëmosynam. Deo & B. Mariæ de *Insula-Dei*, & Canonicis ibidem Deo servientibus, salvo jure Pontificali in proprios eorum usus convertendam, ita tamen quod Fulco de *Busencourt* Clericus cui curandam Ecclesiam contulimus, etiam quandiù vixerit, possidebit, reddendo annuatim prædictis Canonicis tres bisantios in festo S. Vedasti nomine pensionis.... Datum apud *Novian* super Andelam anno Dominicæ Incarnationis MCCXIV. Idus Augusti.

Charta donationis Ecclesiæ S. Laurentii de Bournanbusco.

WAlterus Dei gratiâ Rothomagensis Archiepiscopus, omnibus Christi fidelibus ad quos præsens scriptum pervenerit, salutem in Domino. Noverit universitas vestra nos intuitu charitatis concessisse & dedisse, & confirmasse in perpetuam eleëmosynam Deo & Ecclesiæ B. Mariæ de *Insula-Dei* & Canonicis ibidem Deo servientibus Ecclesiam de *Bournanbusco*, salvo jure Pontificali nostro.... testibus Joanne Rothomagensi Decano, Richardo Rothomagensi Archidiacono, Nicolao Capellano & multis aliis.

Charta Caroli V. Regis Franciæ confirmans donationem Ecclesiæ de Vinemervilla.

CArolus Dei gratiâ Francorum Rex, notum facimus universis tam præsentibus quàm futuris quòd nos litteras dilecti fidelis nostri Guillelmi Castellani Belvacensis, & Domini Dyonisii Tibundi Militis sigillo in cera viridi & filo serico sigillatas & signo & subscriptione magistri Guillelmi de *Mara* Ecclesiastici publici, Apostolicæ & Imperiali autoritate Notarii signatas vidimus, formam quæ sequitur continentes. Universis Christi fidelibus præsentes litteras inspecturis, Guillelmus Castellanus Belvacensis & Dominus S. Dyonisii Tribundi Miles, salutem in omnium Salvatore ac præsentibus fidem indubiam adhibere. Noverit universitas vestra quòd ego insequens pia studia & laudabilia vestigia progenitorum meorum qui ad monasterium B. Mariæ de Insula-Dei Ordinis Præmonstratensis Rothomagensis diœcesis suis quidem temporibus devotionem præcipuam habuerunt & effectum singularem, ipsumque amplis donationibus jugiter honorarunt, cupiens ferventibus in Christo desideriis, & eo propitio monasterium hujusmodi per operis exhibitionem diebus meis honorare, & laudem & gloriam divini nominis, & pro remedio & salute animæ meæ, parentum, progenitorum meorum & successorum animarum, in augmentationem proventuum & victûs Servorum Dei, Abbatis videlicet & Canonicorum hujus monasterii, quibus in visceribus charitatis, nimirùm afficior, eorumque perpetuorum successorum ... melioribus modo & formâ quibus possum, dono, cedo & relinquo purè, liberè, simpliciter & adsolutè ex nunc in perpetuum donatione primâ, perpetuâ & irrevocabili inter vivos, præfato monasterio Ecclesiam meam de *Vinemervilla* Decanatûs de *Valido-monte* dictæ Diœcesis, jusque patronatûs quod in ea habeo, & nihilominùs totum & quidquid possideo & ad me pertinet in eadem, venerabilem Patrem Dominum Abbatem prædicti monasterii præsentem & ad suppliciter accipientem, de prædictis, & per traditionem cujusdam sedulæ potentialiter investiens .... Actum & datum Rothomagi in domo habitationis meæ anno Domini 1363. secundùm morem Franciæ die 12. mensis Martii.

Nos

Nos autem attentis & consideratis in suprascriptis litteris, contentis, & affectione speciali quam ad dictum monasterium habemus.... prædictas litteras suprascriptas, ratas & confirmatas tenentes, eas & omnia & singula in eisdem contenta, corroboro & confirmo, quod ut firmum & stabile perpetuò perseveret, nostrum præsentibus litteris fecimus apponi sigillum, salvo in aliis jure nostro, & in omnibus, quolibet alieno. Datum & actum in prædicto monasterio anno Domini MCCCLXIV. mense Junii.

Charta Philippi IV. Regis Franciæ pro donatione juris patronatûs Ecclesiæ de Abernon.

PHilippus Dei gratiâ Francorum Rex, notum facimus universis præsentibus & futuris, quòd nos religiosis viris Abbati & Conventui monasterii de Insula Dei qui sub tenuissima dote dicuntur esse fundati, intuitu pietatis & ut ipsi pro animarum charissimi progenitoris nostri & aliorum prædecessorum nostrorum remedio, nostraque & carissimæ consortis nostræ Johannæ Reginæ Franciæ salute; jus patronatûs Ecclesiæ B. Bartholomæi de *Abernon* ad nos pertinens contulimus & præsentium tenore transferimus... concedentes etiam Religiosis ipsis, quod jus patronatûs Ecclesiæ prælibatæ habeant, teneant & possideant in perpetuum absque coactione vendendi, vel extra manum suam ponendi, aut propter hoc præstandi finantiam quamcunque, salvo in aliis jure nostro, & in quolibet alieno. Quod ut firmum & stabile permaneat in futurum, præsentibus litteris nostrum fecimus apponi sigillum. Actum apud Novum-Mercatum anno Domini 1302. mense Augusti.

Charta Ludovici IX. Regis Galliæ pro Capella de Groseliers.

LUdovicus Dei gratiâ Francorum Rex. Noverint universi præsentes & futuri quòd nos litteras Hugonis *des Grozeliers* Presbyteri, vidimus in hæc verba. Universis præsentes litteras inspecturis Hugo *des Grozeliers* Presbyter Lexoviensis diœcesis, Dominus & Capellanus villæ ejusdem, æternam in Domino salutem. Noverint universi quòd cùm dicta villa *des Grozeliers* & Capellania prædicta moveant de feodo & dominio illustris Regis Francorum, Domini mei secularis, ego præfati Regis Domini mei, meæ & antecessorum meorum animarum cupiens providere saluti, concedo & quitto, donatione inter præsentes, in puram & perpetuam eleëmosynam Abbati & Conventui B. Mariæ de *Insula-Dei* Præmonstrat. Ordinis, Rothomagensis diœcesis, ad opus trium Canonicorum ipsius monasterii Sacerdotum qui ibidem perpetuò morabuntur.... In cujus rei testimonium & munimen sigillum meum .... præsentibus duxi litteris apponendum anno Domini 1258. die Jovis ante Pascha.

Nos autem ad petitionem supradicti Hugonis prædictam donationem & quittationem prout superiùs continetur, volumus, concedimus & autoritate Regiâ confirmamus, retentâ nobis in possessionibus supradictis omni justitiâ quam habebamus ibidem & salvo jure nostro, in omnibus alieno; quod ut ratum & stabile permaneat in futurum, præsentes litteras sigilli nostri fecimus impressione muniri. Actum apud Corbelium anno Domini 1258. mense Aprilis in Vigilia Dominicæ Resurrectionis.

Charta Henrici Ducis Lotharingiæ, & Antuerpiæ Marchionis pro monasterio Insulæ-Ducis. *Anno 1229.*

IN Nomine Patris & Filii & Spiritûs Sancti. Ego Henricus* Dux Lotharingiæ & Marchio Antuerpiæ. Notum vobis facio tam præsentibus quàm futuris, quòd cùm in Parochia de *Pellenberga* Conventûs Dominarum Ordinis Præmonstratensis, in cantando & legendo Deo devotè servientium, per aliquot dies fim commoratus, & idem locus Religioni non fuerit satis aptus, earum considerans incommodum, & miseratus defectum, de abundantiis meis earum alleviare defectum proposui, & locum Religiosis magis congruum providi. Cùm ergo ante multos annos duodecim circiter bonaria tam terræ vacuæ quàm nemoris & prati vel broci in Parochia de *Winga* ab hominibus terræ meæ comparaveram, & in quieta pace possederam dicto Conventui ad Claustrum suum ibidem construendum, & se, ut ibi maneant, transferendum, de consensu majoris filii mei Henrici, cum molendino meo super vivarium quod ibidem habeo, constructo, in perpetuam eleëmosynam contuli. Et dictam congregationem ac omnia ad ipsam pertinentia tam mobilia quàm immobilia, de cætero in meam ac successorum meorum deffensionem ac conservationem suscepi, omnem eis aisentiam & usum in pascuis, aquis & aliis communitatibus per totam terram meam & ditionem concedens, & tantâ ac tam plenariâ (qua omnes Abbatiæ Præmonstratensis Ordinis in terra mea congaudent) libertate condonans. * II.

Ut autem hæc omnia rata in ævum maneant & inconcussa, præsentem paginam tam mei quàm præfati filii mei sigillorum emisimus munimine roboratam.

Actum apud Lovanium anno Domini MCCXXIX. mense Novembri.

Charta Joannis de Appia episcopi Leodiensis, monasterium Insulæ-Ducis *in suam suscipientis protectionem anno 1230.*

JOannes Dei gratiâ Leodiensis episcopus, universis Christi fidelibus salutem in Domino nostro Jesu Christo. Cùm Ecclesia Dei ante mundi constitutionem ab Angelis sumpserit exordium, & mundo constituto à tempore Abel justi, & postmodùm succedentibus temporibus tempore gratiæ ritus Synagogæ cessaverint, Ecclesia Dei in cultu divino per institutionem Apostolorum & sanctorum Patrum suscepit incrementum, ex tunc inolitum est & traditum, ut cultus Dei ab omnibus Christi fidelibus in unitate fidei & vinculo charitatis per devotionem & operis exhibitionem pleniùs augeatur. Ea propter, dilectæ in Domino filiæ Ecclesiæ de *Insula-Ducis*, vestris justis petitionibus annuentes, personas vestras & locum prædictum cum omnibus bonis vestris secundùm regulam B. Augustini, & regulares observantias Ordinis Præmonstratensis, sub nostra protectione suscipimus, & ad preces & requisitionem dilecti & fidelis nostri Henrici illustris Ducis Brabantiæ, qui eundem locum vobis contulit, in perpetuum auctoritate Pontificali confirmamus. Et cùm idem Dux prædictum locum Ecclesiasticâ donaverit libertate, & eundem ab omnibus exactionibus & seculari justitiâ & consuetudine exemerit, nos hujusmodi exemptionem & libertatem

perpetuo jure vobis duximus confirmandas; statuentes ut eadem Ecclesia vestra gaudeat privilegiis Ecclesiasticæ immunitatis & libertatis, quibus gaudent aliæ Conventuales Ecclesiæ diœcesis Leodiensis. Si quis autem contra hanc nostram confirmationem venire præsumpserit, indignationem Dei omnipotentis & sanctorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum. Quòd si monitus ut à sua præsumptione desistat, infra quindecim dies post monitionem non destiterit, sciat se vinculo excommunicationis innodatum. Ut autem hæc perpetuam obtineant firmitatem, præsentem Chartam sigilli nostri munimine fecimus roborari. Datum anno Domini 1230.

Charta Florentii Abbatis S. Cornelii Indensis, approbantis quandam donationem factam Insulæ-Ducis *monasterio anno 1241.*

FLorentius Dei gratiâ Indensis Abbas omnibus præsentes litteras visuris perpetuam in Domino salutem. Sciant universi tam præsentis ætatis quàm futuræ, quòd cùm Geldolphus Miles dictus de *Oppendorp*, & quidam alii jus Patronatûs in Ecclesia de *Winge* in eleëmosynam Ecclesiæ *Insula-Ducis* Præmonstratensis Ordinis contulerunt, Præpositus dictæ domûs dictam eleëmosynam à nobis ratificari postulaverit. Nos verò ad petitionem dicti Præpositi intuitu divinæ renumerationis præambulo, quidquid supradictus Geldolphus & sui participes fecerunt, ratum habemus & firmum, factæ donationi consentientes; salvo tamen omni per omnia nobis jure. Et hoc vobis sub sigillo nostro significamus. Datum anno Domini 1241. mense Augusto.

Charta Archidiaconi Leodiensis, confirmantis donationes factas eidem monasterio. Anno 1235,

UNiversis sanctæ matris Ecclesiæ filiis ad quos istæ litteræ pervenerint. Magister B. de Vallibus Dei gratiâ Leodiensis Archidiaconus, salutem & æternæ salutis jucunditatem. Cum Sancti Spiritûs gratia in tantùm sit per orbem terrarum diffusa, ut ibi possit esse habitatio fidelium, & sanctificatio habitationis nostræ, ad hoc inducti sumus & operam damus, ut per nos augeatur cultus divinus & Religio sancta. Ea propter omnibus notum fieri volumus in perpetuum quòd in præsentia nostra constitutus Godefridus Spiritu Dei, ut credimus, repletus & zelo accensus, eleëmosynam novæ plantationi Dominarum de *Insula-Ducis* facere constituit, ut ex illius eleëmosynæ emolumento Domicellæ illius *Insula* vitam & sustentationem perciperent aliquantùm uberiorem, quàm de bonis suis habebant à principio fundationis. Hanc ergo eleëmosynam ita disposuit & ordinavit, quod prædicto loco de *Insula* & habitantibus in ea, contulit omnes fructus & proventus Parochiæ suæ de *Nurode*, cum omni integritate, quandiù vixerit in anima & corpore, eosque resignavit in manu nostra, ad investiendum Procuratorem illius domûs nomine ipsius. Nos quoque eundem Procuratorem scilicet Arnoldum Præpositum de dicta *Insula*, investivimus, & in corporalem dictorum fructuum induximus possessionem, salvo Ecclesiæ dictæ servitio. Quia verò Presbyter Godefridus sine dependio corporis & rerum non posset illi Parochiæ commodè deservire, supplicavit nobis ut in ministerium prædicto Præposito, qui vicinus est, conferremus. Unde quia volumus in quantùm possumus, omnia agere secundùm Deum ad utilitatem prædictæ domûs, ministerium & officium prædictæ Parochiæ jam dicto Præposito duximus indulgendum, salvâ curâ Presbyteri sæpedicti, donec à nobis fuerit revocatum. Statuentes ut nullus huic Ordinationi nostræ audeat contraire: alioquin omnes qui se duxerint opponendos, anathematis sententia percellimus, & eâ denuntiamus involutos. Datum apud Parchum juxta Lovanium anno Domini MCCXXXV. feria.... ante festum B. Mariæ Magdalenæ.

Charta Henrici II. Lotharingiæ & Brabantiæ Ducis, conferentis eidem Parthenoni, jus suum quod habebat in Capella de Nurode. *Anno 1239.*

HEnricus Dei gratiâ Dux Lotharingiæ & Brabantiæ, omnibus præsentes litteras inspecturis, salutem & scire veritatem. Noverint universi quòd ob salutem animarum nostrarum & prædecessorum nostrorum, quidquid juris habebamus in Capella de *Nurode*, contulimus monialibus Ecclesiæ S. Mariæ de *Insula-Ducis* Præmonstratensis Ordinis in eleëmosynam perpetuò possidendam. In cujus rei testimonium præsentem paginam sigillo nostro duximus roborandam. Datum apud Furam anno Domini MCCXXXIX. in crastino sanctorum Innocentium.

Charta Joannis de Arschot *conferentis Ecclesiæ* Insulæ-Ducis *omne jus suum quod habebat in Patronatu Capellæ de* Nurode *anno 1241.*

UNiversis præsentes litteras visuris, Joannes Miles de *Arschot*, dictus de *Steenhoven*, salutem & rei subscriptæ cognoscere veritatem. Noveritis, quòd ego ob salutem animæ meæ & parentum meorum, compos mentis & in bona valetudine constitutus, contuli & confero monasterio *Insulæ-Ducis* Præmonstratensis Ordinis, Leodiensis diœcesis, in puram, veram & perpetuam eleëmosynam, quidquid juris habui & habeo in Patronatu Ecclesiæ seu Capellæ de *Nurrode* in meo allodio constructæ, ut etiam in altaris collatione, constructi in honorem Beatæ Mariæ Virginis in dicta Capella: eo salvo quòd Dominus Oliverius à me, de consensu tamen & voluntate Præpositi, Priorissæ & Conventûs dicti monasterii, præsentatus ad dictum altare, ibidem permanebit usque ad diem mortis suæ absque calumnia monasterii sæpedicti. Post decessum verò præfati Oliverii, volo & ex nunc consentio & ordino, quòd fructus altaris sæpedicti & proventus seu redditus, dicto altari assignati, in usus monialium monasterii prædicti, ut ex eisdem possint meliùs sustentari, convertantur, deductâ certâ portione novem librarum Lovaniensium parvæ monetæ, per idem monasterium Capellano, qui pro tempore fuerit per ipsum monasterium institutus, singulis annis solvendarum. In cujus rei testimonium & perpetuam memoriam, sigillum meum præsentibus est appensum. Datum & actum anno Domini MCCXLI. mense Novembri.

Charta Henrici Leodiensis episcopi, confirmantis jus Patronatûs Capellæ de Winghe *monialibus* Insulæ-Ducis *à Patronis collatum. Anno 1252.*

HEnricus Dei gratiâ Leodiensis electus, universis præsentes litteras inspecturis, salutem in Domino. Cùm Geldolphus Miles de *Winghe* Magister & Conventus domûs Leprosorum de *Bancho* *

* Terbanc,

in Lovanio, Reinerus de *Winghe* Diaconus, jus Patronatûs Capellæ de *Winghe* quod habere dignoscebantur, dilectis in Christo Præposito & Conventui monialium in *Insula-Ducis*, Præmonstratensis Ordinis, Leodiensis diœcesis, in eleëmosynam liberè contulerint, sicut in litteris autenticis super hoc confectis, quibus fidem adhibemus, pleniùs vidimus contineri: nobis verò Geldolphus de *Winghe* Miles prædictus, dictique Præpositus & Conventus supplicaverunt, ut hoc gratum habentes, collationem dicti Patronatûs dignaremur confirmare: nos ipsorum piis supplicationibus annuentes, dictam collationem ratam habemus, & autoritate nostrâ confirmamus: sub anathematis vinculo districtiùs inhibentes, ne quis ei ausu temerario contraire præsumat. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, beatæ Mariæ Virginis, beatique Lamberti Martyris, & nostram se noverit incursurum. Datum & actum Lovanii anno Domini MCCLII. mense Aprili.

Charta Henrici de Bautersem, *conferentis eidem monasterio omne jus suum quod habebat in Ecclesia de* Cortelke, *anno 1255.*

UNiversis præsentes litteras inspecturis, Henricus de *Bouterzeem*, salutem & scire veritatem. Noveritis quod nos jam * dudum in præsentia viri venerabilis Petri Decani Concilii Lovaniensis constituti, tempore nostræ adolescentiæ jus Patronatûs quod nobis in Ecclesia de *Cortelke* competebat, de consilio bonorum virorum amicorum & consanguineorum nostrorum, intuitu Dei, pro nostra & antecessorum nostrorum salute, Ecclesiæ *Insulæ Ducis* Præmonstratensis Ordinis, pleno jure contulimus ab eadem in perpetuum possidendum. Et ne supradicta nostra collatio à quocumque in posterum valeat impediri, prætextu ejus quod tempore collationis prædictæ vicesimum quintum ætatis nostræ annum tunc nondùm compleverimus, collationem ipsam de consilio bonorum ratam habemus, & eandem innovamus. Volentes quod supradicta Ecclesia jure patronatûs prædicto, liberè & pacificè in perpetuum uti possit & frui. Insuper jus quod videbamur in novalibus in prædicta villa habere, ob remedium animæ nostræ & parentum nostrorum, in eleëmosynam contulimus Ecclesiæ memoratæ; ita quòd patris nostri ac matris nostræ, nec non & nostrûm, & dilectæ uxoris nostræ Mariæ anniversaria Conventus sæpedictæ Ecclesiæ in perpetuum celebrabit. Testes Dominus Alardus Abbas de Parcho, Ægidius Prior, Wilhelmus Canonicus Parcensis, Ludovicus Canonicus Parcensis, Geldulphus & Henricus fratres, ac Milites, Joannes investitus de *Winghe*, Frater Walterus Canonicus Antuerpiensis, & alii quàm plures. Ut autem hæc rata & inconcussa permaneant, sigillum viri venerabilis Abbatis de Parcho Ordinis Præmonstratensis cum sigillo nostro, præsenti scripto fecimus apponi. Datum & actum anno Domini MCCLV. mense Maio.

* An. 1236.

Bulla Innocentii Papæ IV. pro confirmatione juris Patronatûs de Nuerode, *anno 1254.*

INnocentius Episcopus servus Servorum Dei, dilectis filiis Præposito & Conventui monasterii de *Insula-Ducis*, Præmonstratensis Ordinis, Leodiensis diœcesis, salutem & Apostolicam benedictionem. Cùm à nobis petitur quòd justum est & honestum, tam vigor æquitatis quàm ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Sanè vestra petitio nobis exhibita continebat, quòd claræ memoriæ Henricus Lotharingiæ ac Brabantiæ Dux, Joannes de *Scoenhove* Miles, & Oliverius natus quondam Wilhelmi de *Bruxella*, jus Patronatûs quod in Capella de *Nuerode* juxta *Arschot*, Leodiensis diœcesis, habebant, vobis pietatis intuitu contulerunt, ac dilectus filius Henricus Leodiensis electus, collationem hujusmodi confirmavit, prout in litteris inde confectis pleniùs dicitur contineri. Nos itaque vestris supplicationibus inclinati, quod super hoc providè factum est, ratum & gratum habentes, id auctoritate Apostolicâ confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Laterani VIII. Idus Februarii, Pontificatûs nostri anno undecimo.

Bulla ejusdem Pontificis, pro confirmatione juris Patronatûs de Winghe, *anno 1254.*

INnocentius Episcopus servus Servorum Dei. Dilectis filiis Præposito & Conventui monasterii de *Insula-Ducis*, Præmonstratensis Ordinis, Leodiensis diœcesis, salutem & Apostolicam benedictionem. Cum à nobis petitur quòd justum est & honestum, tam vigor æquitatis quàm ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Sanè petitio vestra nobis exhibita continebat, quòd Regnerus de *Winghe* Diaconus, & Geldolphus ejusdem loci Miles, jus Patronatûs, quod in Capella de *Winghe*, Leodiensis diœcesis, habebant, vobis pietatis intuitu contulerunt, ac dilectus filius Henricus Leodiensis electus, collationem hujusmodi confirmavit, prout in litteris inde confectis pleniùs dicitur contineri. Nos itaque vestris supplicationibus inclinati, quod super hoc providè factum est, ratum & gratum habentes, id auctoritate Apostolicâ confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergò omninò hominum liceat, &c. Datum Laterani VIII. Idus Febr. Pontificatûs nostri anno XI.

Est etiam alia ejusdem Pontificis Bulla confirmativa juris Patronatûs Capellæ de *Cortelke* data eisdem die & anno; sed propter conformitatem præcedentium à scribendo abstinemus. Nec mirum quòd confirmata videatur ante collationem. Si quidem illa Capella primò collata fuit anno 1236. deinde ratificata per eundem Dominum de *Bautersem* anno 1255. propter rationem quam videre est in ejus Charta superiùs allata.

Charta Guarini episcopi Ambianensis pro Abbatia S. Firmini *in* Valle. *1131.*

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis.... Guarinus * divinâ propitiante misericordiâ, Ambianensis episcopus, dilecto filio suo Fulconi Ecclesiæ S. Firmini in Valle, humillimo Abbati, ipsiusque Fratribus qui in eadem Ecclesia canonicam B. Augustini profitentur regulam, eorumque successoribus in eadem observantia permansuris in perpetuum. Religiosis desideriis dignum est facilem præbere assensum, ut fidelis devotio, celerem sortiatur effectum. Quia igitur vos filii in Christo dilectissimi, divinâ præveniente gratiâ, vitam vestram sub regulari disciplina B. Augustini coërcere, & communiter secundùm SS. Patrum institutionem, omnipotenti Deo deservire proposuistis; nos votis vestris paterno congratulamur affectu, unde & postulationi vestræ juxta petitionem vestram, benignitate debitâ annuimus, vitæ namque Canonicæ Ordinem quem professi estis,

* Guarinus, sive Warinus, eligitur Ambianensis episcopus anno 1127. usque ad an. 1144. vixisse, eum constat ex Tabulis S. Joannis Ambianensis.

præsentis privilegii autoritate munimus & firmamus, & vos, vestraque omnia materna Ambianensis Ecclesiæ protectione munimus. Universa ad vestram Ecclesiam pertinentia, tam vobis quàm & successoribus vestris in perpetuum confirmamus, Ecclesiam videlicet S. Germani, altare quoque de *Marchel* cum appenditiis & terra dotali & tota decima Casæ Ecclesiæ. Altare & de Ultrabosco, * terram quoque arabilem apud eandem villam de *Marchel:* mansionem quoque quam Ollardus Clericus eidem Ecclesiæ B. Firmini dimisit, & unum hortum juxta puteum ante domum Odonis Sacerdotis; domos etiam Radulphi cum appenditiis earum, octo quoque hortos quos ipse Radulphus & uxor ejus Maria eidem Ecclesiæ dederunt, quorum tres sunt ante novum molinum, quartus juxta marescum, quintus quem emit à Fulcone de Valle, sextus juxta vineam, septimus juxta vadum Comitis, octavus juxta S. Walaricum. * Areas quoque quæ sunt in parvo maresco, quatuor quoque areas quas Radulphus Conversus cognomine *Boso* eidem Ecclesiæ dedit, tertiamque partem terræ arabilis culturæ Rainaldi *Mancevin* ipse eidem Ecclesiæ dedit. Sex etiam nummos quos dedit prædictus Rudolphus de allodio juxta . . . . . & terragium quod habet de terra quæ est supra S. Petrum ultra pontem, & aliud quod habet in Mulge Rosa valle. Terragium quoque quod dedit Radulphus de *Cratibus* in terra arabili ultra pontem de *Metz*. Terram etiam quam eidem Ecclesiæ dedit Walerannus de *Metz* juxta parvum marescum. Vobis etiam juxta morem & institutionem aliorum religiosè viventium, liberam & canonicam electionem concedimus, ut quem sanior pars Ecclesiæ ad sui custodiam canonicè promoverit, à me & successoribus meis inconcussè suscipiatur. Synodalia verò & Episcopalia præfatorum altarium nostris & nostrorum successorum usibus retinemus. Actum est hoc anno Dominicæ Incarnationis 1131. Indictione 9. 13. Julii feliciter Amen. *Signum* Guarini Episcopi. *S.* Radulphi Archidiaconi. *S.* Simonis Archidiaconi. *S.* Rogeri. *S.* Achardi. *S.* Rogeri Sacerdotum. *S.* Nantandi. *S.* Radulphi Diaconorum. *S.* Andreæ. *S.* Adelelmi Subdiaconorum. *S.* Deolonis Abbatis S. Luciani Bellacensis. *S.* Theoderici Abbatis S. Eligii Noviomensis. *S.* Henrici Abbatis S. Quintini de monte S. Widonis Abbatis Forestensis-monasterii.* *S.* Adæ Abbatis regularium Canonicorum clericorum Ecclesiæ S. Judoci de Crispiniaco. Radulphus Cancellarius per manum Arnulphi Notarii scripsit & subscripsit.

* Oultrebois

* S. Valery.

* Fores-Montier.

Bulla Innocentii II. confirmatrix translationis Abbatiæ à S. Firmino *ad* S. Joannem *secùs Seylam, nec non possessionum ejusdem Abbatiæ. 1137.*

INnocentius Episcopus Servus Servorum Dei. Dilecto filio Fulconi Ambianensi Abbati de S. Joanne, ejusque Fratribus regulariter substituendis in perpetuum. Pia postulatio voluntaris debet effectu prosequente compleri, quatenùs & devotionis sinceritas laudabiliter enitescat, & utilitas postulata vires indubitanter assumat. Quamobrem, dilecte in Domino fili Fulco Abbas, venerabilis Fratris nostri Milonis Tervanensis Episcopi, religiosi siquidem prudentis atque discreti viri, precibus inclinati, tuis justis desideriis clementer annuimus, & Ecclesiam de S. Joanne cui Deo auctore præesse dignosceris, Apostolicæ sedis privilegio communimus, statuentes ut quæcunque possessiones, quæcunque bona, eadem Ecclesia impræsentiarum justè & canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium seu aliis justis modis rationabiliter, præstante Domino, poteris adipisci, firma tibi tuisque successoribus & illibata serventur, in quibus hæc propriis visa sunt exprimenda vocabulis. Altare videlicet S. Germani, & altare S. Firmini de Valle, & altare S. Marcelli, cum tota decima Ecclesiæ, ad quod videlicet altare S. Marcelli, pertinet villa quæ dicitur *Merlémont*, & villula quæ dicitur *Bertuncuria*. Molendinum quoque quod dedit vobis Vicedominus de *Pinchem*.* Decimas etiam animalium & nutrimentorum vestrorum quas utique venerabilium Fratrum nostrorum precibus Rainaldi Rhemensis Archiepiscopi, & Guarini Ambianensis episcopi, vobis Canonici S. Mariæ Ambianensis Ecclesiæ concesserunt. Curiam quoque in valle Guidonis sitam cum Oratorio & terra quæ pertinet ad ipsam vallem cum decima. Extra verò ubicumque in territorio de *Marm* terram Fratres excoluerint. Tertiam partem decimæ, quæ pertinet ad altare. Dimidiam quoque partem decimæ casæ Ecclesiæ de *Wanbercurte* quam dedit Robertus Clericus. Quæ nimirùm omnia ad Ecclesiam vestram spectare noscuntur. Decernimus ergo ut nulli hominum liceat præfatam Ecclesiam B. Joannis-Baptistæ temerè perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, aut aliquibus visitationibus fatigare, sed omnia ei cum integritate serventur, eorum pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt, usibus profutura; salva nimirum Diœcesani Episcopi canonicâ justitiâ, & reverentiâ; si qua igitur in posterum Ecclesiastica, secularisve persona, hanc nostræ constitutionis paginam, sciens contra eam venire, temerè temptaverit, secundò, tertiòve commonita si non reatum suum congruâ satisfactione correxerit, potestatis, honorisque sui periculum patiatur, & à sacratissimo Corpore & Sanguine Dei ac Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in examine districtæ subjaceat ultioni: cunctis autem eidem loco sua jura servantibus, sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenùs & hîc fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniant Amen.

* Pepigny.

Ego Innocentius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.
Ego Guil'elmus Prænestinus Episc.
Ego Theodeuvinus S. Vufinæ Episc.
Ego Drogo Ostiensis Episc.
Ego Albertus Albanensis Episc.
Ego Anselmus Presbyter Card. tit. S. Laurentii in Lucina.
Ego Lertifredus Presbyter Card. tit. Vestinæ.
Ego Lucas Presb. Card. tit. SS. Joannis & Pauli.
Ego Martinus Presb. Card. tit. S. Stephani.
Ego Guido indignus Sacerdos.
Ego Gg. Presbyter Card. tit. S. Priscæ.
Ego Bernardus Presb. Card. tit. S. Grisogoni.
Ego Gregorius Diaconus Card. tit. SS. Sergii & Bacchi.
Ego Guido Diacon. Card. SS. Cosmæ & Damiani.
Ego Guido Diacon. Card. tit. S. Adriani.

Data Pisis per manum Alberici S. R. E. Diaconi Card. & Cancellarii III. Kalend. Febr. Indictione xv. Incarnationis Dominicæ anno 1137. Pontificatûs verò Domini Innocentii Papæ II. anno 7.

Charta Guarini Episcopi Ambianensis pro confirmatione bonorum Abbatiæ S. Joannis, *olim S. Firmini. 1139.*

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis Amen. Guarinus divinâ propitiante misericordiâ, Ambianensium episcopus, dilecto filio suo Fulconi Ecclesiæ S. Joannis Baptistæ humillimo Abbati, ipsiusque

Fratribus, qui in eadem Ecclesia canonicam institutionem B. Augustini professi sunt, eorumque successoribus in eadem observantia permansuris, in perpetuum. Religiosis desideriis dignum est facilem præbere consensum, ut fidelis devotio celerem sortiatur effectum; quia igitur vos filii in Christo charissimi, divinâ præveniente gratiâ, vitam vestram sub regulari disciplina B. Augustini cohærere & communiter secundùm SS. Patrum institutionem omnipotenti Deo deservire proposuistis, nos votis vestris paterno congratulamur affectu. Unde & postulationi vestræ juxta petitionem vestram benignitate debitâ annuimus, vitæ namque Canonicæ Ordinem quem professi estis, & locum quem ad inhabitandum, Deo authore, elegistis, præsentis privilegii authoritate firmamus, vobisque & successoribus vestris juxta morem & institutionem aliorum religiosè viventium, liberam & canonicam electionem concedentes, ut quem sanior pars Ecclesiæ ad sui custodiam canonicè promoverit, à me & successoribus meis inconcussè suscipiatur, Ecclesiamque vestram, & universa ad eam pertinentia, materna Ambianensis Ecclesiæ protectione munimus, ut firma vobis successoribusque vestris, & illibata serventur; in quibus hæc propriis visa sunt exprimenda vocabulis. Altare S. Germani cum decima, & altare S. Severini de *Ulvrebois*. Ecclesia quoque S. Firmini de *Valle*, & cambigium quod dedit Anseberus Ecclesiæ S. Joannis. Duo quoque horti quos dedit Radulphus juxta vadum Comitis, terra etiam quam Philippus de *Saleu* die conversionis ejus filiæ, & Evehenbaldus, & Hugo dederunt præfatæ Ecclesiæ in fine territorii de *Saleu*. Terra quoque quæ jacet juxta ripam amnis inter *Saleu* & molinum de *Til* cum terragio, donamus quoque vobis Ecclesiam de *Marcel* cum tota decima, & terra dotali, & appenditiis scilicet *Bettincalte*, & nova villula, mansionem etiam Fratrum in eadem Parochia sitam ab omni exactione liberam, & tertiam partem altaris de *Vadincalte*, confirmamus & arationes camporum quos in diversis locis habet præfata Ecclesia in territorio de *Marcel* & in territorio de *Hamecurt*: arationem videlicet campi quam dedit Odo de *Hamecurt*, & arationem campi quam dedit Radulphus *Arisleif* assensu Dominorum suorum, videlicet Evrardi, Petri & Roberti, & arationem campi quam dedit Robertus Clericus in territorio quod est inter terram de *Hamecurt*, & terram de *Rancurt* cum tota decima ipsius territorii. In fine ejusdem territorii juxta marescum, campum unum. Curiam quoque in valle Guidonis sitam cum Oratorio, & terram ad eam pertinentem cum tota decima & terragio quæ terra ex una parte metam habet Vicoriam, ex altera antiquam calcciam. Ultra quam in territorio de *Marui* si quid ampliùs adipisci poteritis ibi; tertiam partem decimæ quæ pertinet ad altare habeatis. Annonam quoque Fratrum in valle Guidonis habitantium gratis molendam in molino quod est juxta *Sartum*. Molinum etiam quod Girardus Vicedominus de Pincheni dedit vobis; mansionem etiam in territorio de *Savrres* * ab omni exactione & decima
* Savieres.
liberam cum terra quæ est ante mansionem ad excolendum designata quam Imarus & Engenranus cum tertia parte decimæ, partibus sibi retentis duabus & terragio in præsentia Domini Guidonis de *Lane*, vestræ Ecclesiæ liberè concesserunt, & nemus quod circa ipsam terram habent ad omne quod necessarium fuerit Fratribus ibidem commanentibus; curtem quoque in territorio de *Olincurt* sitam, ab omni exactione liberam cum terra quæ est circa eam ad colendum metis designatâ, quam Giroldus *Eburnes*, Nicolaus de *Metz*, Robertus & Hugo freti consilio Dominorum suorum, & amicorum, & assensu Domini sui Girardi Vicedomini de *Pincheny* solummodo retentis sibi terragiis & dimissis omnibus servitiis quæ Domini exigunt ab agricolis, vobis concesserunt, & omne nemus illius territorii usibus Fratrum ibi cohabitantium, & areas de *Ham*. Si quis, quod absit, contra hoc ire tentaverit anathema sit. *Signum* Guarini Episcopi. *S.* Milonis Morinorum Episcopi. *S.* Andreæ Decani. *S.* Radulphi Præpositi & Archidiaconi. *S.* Guarini Thesaurarii. *S.* Fulconis Cantoris. *S.* Theoderici Abbatis S. Eligii. *S.* Mainardi Abbatis de *Gart*. *S.* Adæ Abbatis S. Judoci. *S.* Walteri Abbatis S. Petri. *S.* Achardi & Adelmi Sacerdotum. *S.* Ingelbrandi & Walteri Diaconorum. *S.* Rogeri & Adelmi Subdiaconorum. Actum est hoc anno Dominicæ Incarnationis M C XXXIX. Indictione 2. feliciter. Amen. ... Radulphus Cancellarius scripsit & subscripsit.

Bulla Alexandri III. pro confirmatione bonorum S. Joannis *Ambianensis. Anno 1163.*

ALexander Episcopus servus Servorum Dei. Dilectis filiis Eustachio Abbati Ecclesiæ S. Joannis super Seylam positæ, ejusque Fratribus, tam præsentibus quàm futuris regularem vitam professis in perpetuum. Religiosam vitam eligentibus Apostolicum convenit adesse præsidium, ne fortè cujuslibet temeritatis incursus aut eos à proposito revocet, aut robur, quod absit, sacræ Religionis infringat. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & præfatam Ecclesiam, in qua divino mancipati estis obsequio, & prædecessoris nostri sanctæ recordationis Eugenii Papæ vestigiis inhærentes, sub B. Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus. In primis siquidem statuentes, ut Ordo Canonicus qui secundùm Deum & B. Augustini regulam & institutionem Præmonstratensis Ordinis, in eodem loco noscitur institutus, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascunque possessiones, quæcunque bona eadem Ecclesia impræsentiarum justè & canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis; altare de *Marcel* cum decima & appenditiis ejus, & terra dotali: curtem de *Marcel* liberam cum pascuis ejusdem territorii: decimam vobis canonicè concessam apud *Walbercurt*: altare S. Firmini: altare S. Germani. Campum S. Germani cum terragio & decima: curtem de *Bertricurt*, in qua Conversæ vestræ habitant cum cemiterio & tota decima, sicut rationabiliter vobis est concessum: quartam partem territorii Longi-prati, & dimidium Maresci, & ejusdem quartæ partis dominium: molendinum, quod vobis contulerunt Domini de Pinchonio, & curtem ejusdem molendini: usuarium Maresci. Hetaencurtis: cursum Seylæ à prædicto molendino descendentis usque ad Abbatiam & Fratrum officinas, liberum absque omni obstaculo: communia civitatis Ambianensis pascua: domos & terras Radulphi *qui non ridet*, cum appenditiis earum: curtem de *Ollaincurt*, liberam cum suis agriculturis & usibus nemoris, totam decimam de *Wattincurt* cum suis appenditiis & terris, quas Giroldus de *Petraclou*, & Gualterus & eorum participes vobis dederunt. Campum Ulmorum & campum S. Petri de *Bribercurt*. campum & curtile S. Petri de Gaudiaco. Tertiam partem decimæ de *Hornast* cum terragio & de-

cima. Decimam de *Ultrabaiz*. Sextam partem decimæ de Argovia cum duobus campis & prato, quod est ibidem inter terram & rivulum. Quinque campos terræ allodii in territorio Longi-prati cum terragio & decima. Terras & decimas, quas habetis apud *Noiutel*, & sex vini modios singulis annis vobis persolvendos. Molendinum de *Eures*, molendinum de Prato. Molendinum censuale ex concessione Flaviacensis Capituli. Curtem de Septemvilla, & totam decimam ejusdem territorii cum pascuis & usibus nemoris. Sextam partem totius Septemvillæ, quam contulit vobis Ingelramnus Rufus cum duodecima parte ejusdem territorii, quam concessit vobis Aquicinensis Ecclesia. Curtem in Viconia sitam, quæ Vallis domorum dicitur, ab omni exactione liberam cum suis pascuis & usibus nemoris, & decima, & undecim carrucatarum terræ agriculturam in eodem territorio cum tota decima. Curtem, quæ vallis Guidonis dicitur, liberam, cum terris quas possidetis in Viconia & in territorio de *Mairia*, cum terris, decimis, pascuis & usibus nemoris. Campum Stephani & campum de *Maharavesne*. Sextam partem decimæ de S. Amando. Annuales census terrarum & domos, quas in diversis locis habetis. Septuaginta & sex jugera terræ supra Somenam cum terragio. Pascua Argoviæ libera cum octava parte maresci Argoviæ, quam concessit vobis Radulphus de *Haidincurt*. Curtem de *Savieres* liberam & ejusdem terræ agriculturam cum pascuis & usibus nemoris & tertia parte decimæ, quæ pertinet ad altare, cum alia tertia parte ejusdem decimæ. Terram, quam vobis concessit Bernardus de *Baratangla* in territorio de *Baratangla*. Terram etiam, quam contulit vobis Arnulphus *Ferez* & Ernoldus de *Artois* in territorio de *Driber-curt*. Terram quoque & nemus de *Hernencurt* cum terragio & decima. Sanè novalium vestrorum, quæ propriis manibus aut sumptibus colitis, sive de nutrimentis vestrorum animalium, nullus à vobis decimas præsumat exigere. Decernimus ergo, &c... Si qua igitur in futurum, &c.... Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus, sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenùs & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen.

Ego Alexander Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.
Ego Hubaldus Ostiensis Episcopus.
Ego Bernardus Portuensis & S. Ruf. Episc.
Ego Hubaldus Presb. Card. tit. S. Crucis in Jerosf.
Ego Henricus Presb. Card. tit. SS. Nerei & Achillei.
Ego Joannes Presb. Card. tit. S. Anastasiæ.
Ego Albertus Presb. Card. tit. S. Laur. in Lucina.
Ego Jacobus Diac. Card. S. Mariæ in Cosmydin.
Ego Joannes Diac. Card. S. Mariæ in Porticu.

Datum Turonibus per manum Hermanni S. R. E. Subdiaconi & Notarii VIII. Kal. Junii, Indictione XI. Incarnationis Dominicæ anno MCLXIII. Pontificatûs verò Domini Alexandri Papæ III. anno IV.

Bulla Cælestini Papæ III. confirmantis bona ejusdem monasterii. Anno 1196.

CÆlestinus Episcopus servus Servorum Dei. Dilectis filiis Odoni Abbati Ecclesiæ S. Joannis Ambianensis, &c. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipsum, in quo præfata Ecclesia sita est, cum omnibus pertinentiis suis. Molendinum, quod vobis in eleëmosynam contulerunt Domini de Pinchonio, cum exclusa quatuor pedes in altitudine & septem in latitudine, absque omni obstaculo liminis in aqua positi; mensura pedum est communis agricolarum terras extirpantium & colentium; & curtem ejusdem molendini cum areis & cæteris pertinentiis suis. Molendinum censuale ex concessione Abbatis & Capituli Flaviacensis, cum tota moleria, quam dedit Achardus *Chabui* & soror ejus, & Petrus *Vivez*. Cursum Seylæ à superiori molendino descendentis, & Abbatiæ vestræ officinas ambientis, ab omni obstaculo liberum. Domos & terras Radulphi *qui non ridet*, cum appenditiis suis. Arationes terrarum, quas vobis dederunt Mainerus Abbatis-villæ & filii ejus. Terram quam vobis dedit Philippus de *Saleu*, & terram quæ jacet inter *Saleu* & molendinum de *Til* cum terragio. Terram quamdam, quæ jacet supra S. Petrum ultra pontem cum terragio. Annuales census domorum & terras, quas in civitate Ambianensi & in aliis locis habetis, vel habituri estis. Septuaginta & sex jugera terræ supra Seylam sitæ, cum terragio. Agrum à leprosis Ambianensibus ereptum. Quadraginta jugera prati de *Ernencort* contigua vestro molendino & rivulo currenti pro *Ernencort*, & usuarium in maresco ultra rivulum versùs *Mez*. Clausuram piscium, quæ vulgò dicitur exclusa, quam Gilo filius in Seylam vobis dedit sub censu sex solidorum & sex caponum. Vallem S. Germani cum terragio & decima. Terram quam dedit vobis Richardus de *Mez* ad excolendum & ad lapides extrahendos. Arationes terrarum vestrarum ubicumque sint. Cambagium, quod dedit Anscherus de *Vinarcort*. Relaxationem consuetudinis illius, quæ vulgò dicitur *Travers*, in tota terra Alelmi de *Flescicort* ex dono ipsius & filiorum suorum Drogonis & Petri per omnes terras ad Archiepiscoporum, Episcoporum & totius Clericatûs dominium pertinentes sine usu telonei & transversi & omnium aliarum consuetudinum. Ea quæ ad usum vestrum pertinent liberè emere & deducere ac vendere. Curtem de *Bertricort* cum cæmiterio & fossatis & areis ab omni decimatione & exactione & violentia seculari liberam, cum tota decima ejusdem territorii. Rivulos fontium ejusdem curtis ad piscandum, & pratum, quod est versus Orientem, ad pascendum, ex legato Balduini *Chaldron* & concessu filiorum ejus Wermundi & Balduini. Quartam partem territorii Longi-prati liberam cum medietate molendini, prati & maresci. Ex legato Balduini manducatoris, & concessu sororis Gode & filiorum ejus, & Domini sui *Nivel* & *Reverel*. Quinque allodia de feodo de *Poz* descendentia in eodem territorio. Duo jugera terræ in territorio de *Bertricort* supra fontes jacentia. Rivulum à Semena descendentem usque ad domos Sororum, ex dono & concessione Balduini Chaldronensis, & Arnoldi de Arteis, & Agnetis uxoris ejus, & Nicolaus de *Didincort* & filii ejus. Terram quamdam, quæ est in fine territorii de Argovia & marescum, quod est inter eandem terram & rivulum; liberam ex dono Adæ de *Poz*, Balduini Chaldronensis & Ælinæ de *Haidincort*, Ailulfi, Radulphi, Æmilii, Wermundi & Girberti filii eorum, cum pascuis ejusdem territorii tam in pratis quàm in campis. Campum unum in eodem territorio ex dono Evrardi & filiæ ejus. Sextam partem decimæ de Argovia quam dedit prædicta Ælina cum filiis suis Stephano & Radulpho. Universa quæ de feodo de *Poiz* possidetis, quæ Galterus Tirellus vobis concessit & suo sigillo confirmavit. Ecclesiam & altare S. Firmini de Valle. Ecclesiam & altare & campum S. Germani cum terragiis & decimis suis. Ecclesiam & altare S. Severini de *Ultrabaiz*, cum tota decima & appenditiis suis. Altare de *Wadencort* cum appenditiis suis, videlicet; *Marricort*, *Boocort*, *Armermont*, *Grisleu*, *Ollencort*, *Diencort*, *Monsi*. Terram fagorum, cum tota decima & terra dotali & pascuis & duobus cam-

pis; & campos S. Petri cum tota decima, pro quibus persolvitis singulis annis Ecclesiæ S. Petri de Gaudiaco dimidium modium frumenti & dimidium avenæ, & dimidiam partem terragii campi S. Petri cum tota decima & agricultura. Ex dono Hugonis *Bonnement* totam decimam de *Grislen* liberam. Ducenta quadraginta jugera terræ & nemoris in eodem *Grislen* cum decima & terragio libera, quæ Petrus de Pinchonio sub censu octo modiorum annonæ semis frumenti, & semis avenæ, assensu Gerardi Domini & nepotis sui & fratrum suorum sub annuo censu viginti quatuor modiorum avenæ semis frumenti & semis avenæ recipiendorum in curia de *Ollencort* de meliori annona post semina vobis in eleëmosynam dedit; & quidquid in eodem territorio Nicolaus de *Jarton* & Valo & Petrus frater ejus assensu Dominorum suorum sub annuo censu viginti quatuor modiorum annonæ semis frumenti & semis avenæ recipiendorum in curia de *Ollencort* de meliori annona post semina, vobis concesserunt, & quidquid in eodem territorio tam in nemore quàm in planitie Drogo Ambianensis vobis cum decima & terragio concessit. Campum Ulmorum. Terram, quam Gualterus & Petrus, Crispinus & Giroldus de Petraclex & Emelina Arnulphi filia, concedentibus Dominis suis, vobis dederunt, retento tantummodò terragio, altare de *Marcel* cum tota decima & terra dotali & appenditiis suis, scilicet; *Betencort*, Novi-tellus, *Girafol*. Mansionem Fratrum inibi manentium ab omni exactione & violentia liberam cum arationibus terrarum quas dederunt Galerannus de *Mez* in territorio de *Marcel*, Oddo Calicula, Radulphus *Aristez* in territorio de *Amercort* assensu Dominorum suorum Evrardi, Roberti & Petri. Ex dono Varini & concessu Dominorum suorum quinque jugera terræ in territorio Novitelli. Ex dono Willelmi *Brichet* & concessu Domini sui Valeranni duo jugera terræ sita juxta fossatum Fratrum versus meridiem. Ex dono Roberti Clerici campum unum cum decima de *Varbercort*. Ex dono Galteri bajuli duo jugera terræ & curtile de Spina. Ex dono Givardi de *Vaubercort*, decimam de *Framescains* & de *Ronsous*. Ex dono Willelmi filii Arduini relaxationem quadrigæ pro duobus modiis frumenti & uno modio avenæ. Universas Fratrum de *Marcel* agriculturas cum suis terragiis & decimis. Ex dono Valeranni de *Mez* mansionem in villa liberam ad opus Sacerdotis. Curtem de *Ollencort* ab omni exactione & violentia liberam & totius territorii agriculturam cum pascuis & usibus nemoris & molteriam annonæ ejusdem Curiæ liberam in molendino de *Eures*, & idem molendinum liberum cum tribus piscationibus & vivario ipsius. Duo curtilia, quæ dedit Stephanus *Canis* de *Vaus* assensu Domini & sororis suæ Adæ de *Mez*. Tria curtilia, quæ dederunt Girondus *Barnez*, Hugo *Dominus* assensu Dominorum & hæredum suorum. Unum curtile, quod dedit Nicolaus de *Mez*. Curtile Presbyteri, quod legavit Radulphus de *Rivers*. Unum curtile ex dono Adæ de *Mez* pro anima matris suæ. Viginti duo jugera de nemore libera, quæ dicuntur *Busisabel*, ex dono Radulphi de *Rivers*. In eodem territorio ex dono Alelmi de *Flescicort* & assensu Galteri de *Vadercort* & Joannis fratris ejus sub censu duodecim denariorum, quinquaginta jugera terræ libera, quæ dicuntur, campus Grimoldi, cum aliis quadraginta tribus in territorio de *Hernast*. Tertiam partem decimæ totius de *Hornast*, & sextam partem decimæ de *Roencort*. Terram quam dedit Helinandus de *Hornast* in territorio de *Vadencort* cum terragio. Curtem de *Savieres* ab omni exactione & violentia liberam, & dilationem Curiæ, in qua sit cimiterium, & totius ejusdem territorii agriculturam cum pascuis & usibus nemoris, & tertiam partem decimæ, quæ pertinet ad altare cum terragio & decima. Agriculturam unius carrucatæ terræ in territorio de *Driercort*, & sedecim alia jugera terræ in eodem territorio ex dono Arnulphi *Ferret*, Arnulphi de *Arteis* & Agnetis uxoris ejus & filii eorum Arnulphi & Girardi de *Vaus* & uxoris ejus. Ex dono Evrardi filii Matthæi de Septem-villa tria jugera terræ contigua terræ de *Ernencort* & *Barelange* libera cum terragio & decima. Ex dono Alelmi de *Flescicort*, Roberti de *Naors* & filiorum ejus, Ingelranni, Letardi, agriculturam unius campi in territorio de *Briercort* cum tertia parte terragii. Terram, quam dedit Bernardus de *Barretagle* cum tota decima terræ de *Savieres* & *Erminiort*. Totam terram de Septemvilla, quam vobis quondam Furnensis abbas cum assensu Capituli sui vobis concessit unanimiter recipiens inde ducentas quadragina marcas argenti, & quadraginta libras & decem solidos. Duodecimam partem ejusdem territorii ex dono Aquicinensis Ecclesiæ & sigillo suo confirmatam. Curtem in eodem territorio sitam ab omni exactione & violentia liberam, & totius territorii agriculturam cum tota decima & suis clausurís & usibus nemoris, quæ Radulphus de *Haudencort*, Stephanus frater ejus feodo de *Vadencort*, & fratres ejus, & alii vobis in eleëmosynam concesserunt. Curtem in territorio Viconiæ sitam, quæ Vallis domorum dicitur, ab omni exactione & violentia liberam cum pascuis & usibus nemoris & tota decima, & sexaginta jugera nemoris libera ex dono Girardi Vicedomini Pinchonii & filiorum ejus, & assensu Guidonis Comitis Pontivi, retento sibi tantummodò terragio. Curtem, quæ Vallis Guidonis dicitur, ab omni exactione & violentia liberam, cum terris, quas possidetis in Viconia, & in territorio de *Marieu* & decimis & terragiis omnibus earumdem terrarum, & pascuis & usibus nemoris. Terram quamdam, quæ dicitur *Haja-laca Verlace*, cum decima & terragio sub censu unius modii annonæ semis frumenti & semis avenæ. Campum S. Stephani, & campum de *Martavesna* liberos. Sextam partem decimæ de S. Amando. Apud *Noentel* curtem de Alneto cum prato, quam dedit Hugo de *Noentel* sub censu quatuor solidorum, assensu uxoris & filiorum ejus à baragio & terragio, exactione & violentia liberam. Vineam quam idem Hugo donavit sub censu duodecim denariorum, & quidquid de feudo ipsius Hugonis Ecclesia vestra possidet vel possessura est. Sex modios vini ex dono Amelinæ de *Villers* ab eodem Hugone, sive ab ejus successoribus hæredibus annuatim recipiendos, nisi vini defectus apud *Noentel* evenerit. Sin autem, tres modios persolvet. Sanè novalium vestrorum, quæ propriis manibus vel sumptibus colitis, sive de nutrimentis animalium vestrorum, nullus à vobis decimas exigere, vel extorquere præsumat. Liceat quoque vobis clericos vel laïcos liberos & absolutos è seculo fugientes ad conversionem recipere, & eos absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper ut nulli Fratrum vestrorum, post factam in Ecclesia vestra professionem fas sit de eodem loco absque Abbatis sui licentia discedere; discedentem verò absque communium literarum cautione nullus audeat retinere. Chrisma verò, Oleum sanctum, consecrationes altarium seu basilicarum, Ordinationes Clericorum vestrorum, qui ad sacros Ordines fuerint promovendi, à Diœcesano recipietis Episcopo, siquidem Catholicus fuerit, & gratiam atque communionem Apostolicæ sedis habuerit, & ea vobis gratis & sine pravitate aliqua voluerit exhibere; alioquin liceat vobis, quemcumque malueritis, Ca-

tholicum adire antistitem, qui, nostrâ fretus autoritate, vobis impendat, quæ à vestro vobis fuerint indebitè denegata. Ad hæc etiam duximus inhibendum, ne cui Episcopo vel alii ampliùs à vobis pro vestris decimis petere, vel recipere liceat, quàm à prædecessoribus eorum usque ad hæc tempora requisitum. Cum autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis, &c.... Prohibemus insuper ut infra fines Parochiæ vestræ sine assensu Diœcesani Episcopi & vestro Capellam seu Oratorium de novo construere nullus audeat, salvis privilegiis Pontificum Romanorum. Præterea novas & indebitas exactiones ab Archiepiscopis, Episcopis, Archidiaconis seu Decanis, aliisque omnibus Ecclesiasticis secularibusve personis omninò fieri prohibemus. Decreto insuper præsenti districtiùs inhibemus ne quis à vobis vel Abbate vestro pro benedictione ipsius, vel pro eo deducendo ad sedem, seu collocando in ea, equum palefridum, cappam sericam, vel aliquid aliud, cùm simoniacum videatur, alicujus obtentu consuetudinis requirere, exigereve præsumat. Sepulturam quoque ejusdem loci liberam esse, &c.... Obeunte verò te nunc ejusdem loci Abbate, &c.... Paci quoque & tranquillitati vestræ paternâ in posterum sollicitudine providere volentes, autoritate Apostolicâ prohibemus, ut infra clausuras locorum seu grangiarum vestrarum, nullus rapinam seu furtum facere, ignem apponere, sanguinem fundere, hominem temerè capere vel interficere, seu violentiam audeat exercere. Decernimus ergò, &c.... Si qua igitur Ecclesiastica, secularisve persona, &c..... Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus, sit pax D. N. J. C. quatenùs & hîc fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniant, Amen, Amen, Amen.

Ego Cælestinus Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.
Ego Albinus Albanensis Episcopus.
Ego Octavianus Ostiensis & Velletrensis Episc.
Ego Petrus Portuensis & S. Rufinæ Episc.
Ego M......
Ego Guido Presb. Card. S. Mariæ transt. Tiberim tituli....
Ego Hugo Presb. Card. S. Martini tituli Equitii.
Ego Joannes tituli S. Stephani in Cœlio monte Presb. Card.
Ego Cintius tit. S. Laurentii in Lucina Presbyter Cardinalis.
Ego Serfredus Presbyter Cardinalis tituli S. Praxedis.
Ego Joannes tituli S. Priscæ Presb. Card.
Ego Gratinus SS. Cosmæ & Damiani Diaconus Cardinalis.
Ego Gerardus S. Adriani Diac. Card.
Ego Gregorius S. Mariæ in Porticu Diac. Card.
Ego Gregorius S. Mariæ in Aquino Diac. Card.
Ego Gregorius S. Georgii ad velum aureum Diac. Card.
Ego Lotharius SS. Sergii & Bacchi Diac. Card.

Datum Laterani per manum Centii S. Luciæ in Orthea Diaconi Cardinalis, Domini Papæ Camerarii IV. Idus Julii, Indictione XIV. Incarnationis Dominicæ anno MCXCVI. Pontificatûs verò Domini Cælestini Papæ III. anno VI.

Bulla Innocentii II. confirmantis domum hospitalem erectam Falesiæ *à Gonfrido. Anno 1130.*

INnocentius Episcopus servus Servorum Dei. Dilecto filio Gonfrido salutem & Apostolicam benedictionem. Ex injuncto nobis à Deo Apostolatûs officio, Religiosis desideriis debemus assensum præbere, ut fidelis devotio celeriùs sortiatur effectum. Quocircà, dilecte in Domino fili Gonfride, tuis postulationibus clementer annuimus, & hospitalem domum de *Falesia*, consensu charissimi filii nostri, Henrici gloriosi Anglorum Regis, à te constructam & scripti sui paginâ roboratam, sub B. Petri protectione suscipimus, & Apostolicæ sedis robore communimus. Statuimus igitur, ut quæcunque bona, quascunque possessiones concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, eidem loco collata sunt, vel deinceps præstante Domino, conferentur, nullus auferre vel minuere audeat, sed omnia integra conserventur, pauperum usibus, pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt, omnimodis profutura. Si quis itaque locum ipsum temerè perturbare, aut ejus possessiones auferre vel minuere, fortè tentaverit, indignationem BB. Apostolorum Petri & Pauli & nostram incurrat: conservantes autem, peccatorum remissionem & eorumdem Apostolorum gratiam consequantur. Datum Rothomagi 7. Idus Maii.

Charta Henrici I. Anglorum Regis largientis molendinum, & confirmantis omnia bona Falesiæ. *Anno 1132.*

HEnricus Rex Angliæ, Archiepiscopo Rothomagensi & Episcopis & Baronibus, & omnibus fidelibus totius Angliæ & Normanniæ salutem. Sciatis quoniam ego Henricus concedo & do Deo & Hospitali Falesiæ, & Fratribus tam Clericis, quàm Laïcis in eo deservientibus in eleëmosynam perpetuam pro remissione peccatorum meorum & salute animarum parentum meorum, molendinum meum de *Falesia*, quod Gaufridus fecit fieri & unam partem in campo *Feriæ*, & præterea concedo & confirmo eidem Hospitali totam terram & omnes domos & furnos, & aurum & argentum & omnes redditus, & res cujuscunque sint generis, quas Gaufridus eidem Hospitali & Fratribus in eleëmosynam concessit in Anglia & Normannia & villa *Falesiæ*, & quas ipse vel aliquis alter, quicunque sit, Deo & Hospitali, dedit in eleëmosynam, vel in futuro daturus est. Sciatis etiam quòd coram me concessit Robertus hæres & filius Gaufridi, omnia quæ pater suus ei in eleëmosynam dederat, vel in futuro legaliter daturus erat, inconcussa permanerent Deo & Hospitali. Ego autem Hospitale ipsum & Fratres meos qui in eo sunt, in custodia propria & manûs meæ protectione servans, tanquam meam Dominicam, eleëmosynam ipsam & omnes ejus possessiones, & res tam eas quas modò habet, quam quas in futuro habebit, quietas & solutas à thelonio & passagio & omni consuetudine & querela & occasionibus & omnibus exactionibus nunc & in sempiternum statuo, & omnia, ut supra memoratum est, per regnum meum Angliæ & Ducatum Normanniæ intemeratè, illibatèque in perpetuum Deo & Hospitali illi & Fratribus in eo regulariter Deo servientibus permansura confirmo, & Regiâ autoritate & à Deo mihi collatâ potestate corroboro, corroborata etiam autoritate Innocentii summi Pontificis venerabilis Patris nostri. Testibus Rogerico Episcopo. H. Vincester & Alexio Episcopo Lincoln. & G. Canonico. Et R. de Sigillo. Et Comite de *Glace* Comite meo. Apud Clarendonam anno ab Incarnatione Domini MCXXXII.

Bulla Innocentii IV. quâ Falesiæ *monasterium sub protectione Apostolica suscipit, ejusque bona confirmat. Anno 1251.*

INnocentius Episcopus servus Servorum Dei. Dilectis filiis Gualtero Abbati & Conventui S. Joannis-Baptistæ de *Falesia*, salutem .... Sacro-sancta Romana Ecclesia devotos & humiles filios ex assuetæ pietatis officio propensiùs diligere consuevit, & ne pravorum hominum molestiis agitentur, eos tanquam pia mater suæ protectionis munimine confovere. Ea propter, dilecti in Domino filii, devotionem .... attendentes, Ecclesiam & personas vestras cum omnibus bonis tam Ecclesiasticis quàm mundanis.... sub B. Petri & nostra protectione suscipimus. Specialiter autem Ecclesiam S. Martini de *Baillolo* cum omnibus pertinentiis suis, patronatum quoque ejusdem Ecclesiæ ...... ex donatione Gunfridi ...... ipsius loci Fundatoris locum ipsum cum omnibus appendiciis suis...... ex donatione ipsius Regis Henrici unam *feriam* per annum ad festum S. Michaëlis quæ tribus diebus ante festum incipit, & tribus diebus post festum durat...... præterea de nemore Goserni * apud *Argentonum* quantùm ad proprium ignem & ad domorum ædificationem sufficerit...... nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ protectionis & confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hanc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Romæ anno MCCLI.

* Forêt de Gouga ou Hery.

Bulla Alexandri IV. recensens & confirmans bona Abbatiæ S. Joannis *de* Falesia.

ALexander Episcopus, &c. Dilectis filiis Gualtero Abbati S. Joannis de *Falesia*, ejusque Fratribus tam præsentibus quàm futuris regularem vitam professis.... Apostolicum convenit adesse præsidium ne fortè cujuslibet temeritatis incursus, aut eos à proposito revocet.... Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & præfatam Ecclesiam in qua divino mancipati estis obsequio sub B. Petri & nostra protectione suscipimus... in primis siquidem statuentes ut Ordo Canonicus qui secundùm Deum & B. Augustini regulam, atque institutionem Præmonstratensium, in eadem Ecclesia institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascunque possessiones, quæcunque bona præfata Ecclesia in præsentiarum rationabiliter possidet.... firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant, in quibus hæc duximus propriis exprimenda vocabulis. Ex dono Gunfridi furnum, molendinum, & terras quas in villa *Falesiæ* & extra, habebat : ex dono Henrici Regis Anglorum filii Guillelmi Regis Anglorum molendinum &c..... medietatem terræ *feriæ* & quittancias omnium quas habetis, vel estis in posterum habituri, à thelonio, videlicet, passagio...., consuetudine, occasione & exactione sicut vobis ab eodem Rege rationabiliter sunt indulta, & in scripto secundi Henrici Regis Anglorum filii Mathildis autentico continetur. Alteram iterùm medietatem terræ *feriæ* ex dono ejusdem Henrici filii Mathildis.... Prohibemus insuper ut nulli Fratrum vestrorum post factam in eodem loco professionem, fas sit aliquâ levitate aut sine Abbatis sui licentia de claustro vestro discedere; discedentem verò sine communium litterarum cautione nullus audeat retinere.... Apostolicâ auctoritate prohibemus ne quis in Ecclesias vestras interdicti vel in vos vel in Clericos vestros excommunicationis vel suspensionis sententiam absque manifesta & rationabili causa promulget.... In Parochialibus verò Ecclesiis quas habetis liceat vobis tres ad minus vel quatuor ex vobis ponere, quorum unus diœcesano Episcopo præsentetur ut ab eo curam recipiat animarum, ita quidem quod ei de spiritualibus, vobis verò de temporalibus & de Ordinis observantia debeat respondere. Cùm autem generale interdictum terræ fuerit, fas vobis sit clausis januis, expulsis excommunicatis & interdictis, non pulsatis campanis, suppressâ voce, divina officia celebrare: Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decernimus, ut eorum devotioni & extremæ voluntati qui se illic sepeliri deliberaverint nisi fortè excommunicati vel interdicti sint, nullus obsistat, salvâ tamen justitiâ illarum Ecclesiarum à quibus mortuorum corpora assumuntur....... Si qua igitur in futurum Ecclesiastica, secularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam venire tentaverit, secundò, tertiòve commonita, nisi reatum suum dignâ satisfactione correxerit, potestatis, honorisque sui dignitate careat &c. &c.

Charta vetus recensens historiam & progressus Abbatiæ S. Joannis *de* Falesia.

GUnfridus filius Rogerii Burgensis Faleziensis fecit unam Ecclesiam in vico de Boccio juxta Hospitale quod fecerat fieri, quæ dedicata fuit à Joanne Sagiensi Episcopo, anno Domini millesimo centesimo vigesimo septimo in honorem B. Michaëlis Archangeli, & se ipsum dedit ibi ad serviendum pauperibus. Postea plures alii se dederunt; processu verò temporis aliis Clericis sibi adjunctis videntes locum in quo erant, angustum, construxerunt aliam Ecclesiam in honore S. Joannis-Baptistæ, & dormitorium & alias officinas ordinatas juxta suam possibilitatem. Rogerium de *Devutry* sibi præfecerunt in Priorem, & fuit hæc Ecclesia dedicata & benedicta à prædicto Joanne Sagiensi episcopo anno Domini millesimo centesimo trigesimo quarto. Ubi aliquandiu religiosè secundùm regulam B. Augustini in nigro habitu conversantes, saniori usi consilio & suam volentes meliorare conversationem, habitum album suscipientes Ordinem professi sunt Præmonstratensem, paternitati sancti Judoci subjicientes se: postmodùm verò electo Ordine Præmonstratensi Canonico, hujus domûs anno gratiæ millesimo centesimo quinquagesimo, Robertum de Mircheo sibi præfecerunt in Abbatem, qui fuit primus Abbas hujus domûs, cui successit in Abbatem Robertus *Taon*, & post eum Fulco de *Languet*; hi tres rexerunt Ecclesiam annis septemdecim, anno igitur millesimo centesimo septuagesimo septimo, Dominus Walterus nepos prædicti Rogerii primi Prioris suscepit curam hujus Ecclesiæ Faleziensis cujus tempore Walteri, de consilio Henrici II. Regis incœpta fuit altera Ecclesia in honore S. Joannis-Baptistæ in eodem fundo, in quam (nondum ad plenum perfecta fuerat) quia altera minabatur ruinam, intravit Conventus anno gratiæ millesimo ducentesimo tertio 8. Kal. Aprilis.

Charta donationis monasterii S. Joannis de la Penna *facta Sanctio Retorta Abbati.*

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis Patris & Filii & Spiritûs sancti. Cùm cuncta loca Deo dicata ab universa plebe Catholica veneranda sint, præcipuâ tamen veneratione, atque crebrâ eleëmo-

ſynarum largitione ita præferenda dicuntur, quæ excellentiori dignitate cætera præcellunt, tam pro inhabitantium converſatione, quàm etiam pro conceſſa cœlitùs poteſtate. Et quoniam temporalia præſentia, & inſtantia tranſitoria ſunt, atque caduca, idcircò ea quæ dantur, ex ſcripto tutiora & firmiora habentur, ne temporum diuturnitate oblivioni tradantur. Quapropter ego Comes Lupus Naxarenſis, atque Virchaienſis, Didaci Lupi filius, nullius cogentis imperio, nec ſuadentis ingenio, ſed bono animo, alacri voluntate, pro remedio animæ meæ, patris & matris, & omnium parentum meorum, cum conſilio uxoris meæ Cometiſſæ Dominæ *Endolez*, & voluntâte filiorum meorum atque parentum, dono, & concedo omnipotenti Deo, & tibi Patri Sanctio Abbati, atque ſucceſſoribus tuis, & Ordini Præmonſtratenſis monaſterii unum monaſterium meum proprium in Vizcaia, quod vocatur S. Joannes de *la Penna*, & eſt ſitum ſecùs littus maris in territorio quod vocatur *Bago*, ut ſit Abbatiæ propria ſub regula B. Auguſtini, & Præmonſtratenſis monaſterii, cum omnibus appenditiis, cum montibus, vallibus, paſcuis, piſcariis, terminis cultis & incultis, & cum arboribus fructuoſis & infructuoſis, cum omnibus mobilibus ſuis, & cum omni hæreditate ſua, jure hæreditario, ingenuè & ſine ulla inquietudine alicujus filii mei, ſive parentis, aut alicujus hominis. Similiter dono vobis prænominato Abbati & illi monaſterio ſupraſcripto, & ſucceſſoribus veſtris, de meis collatis propriis, ad ſuſtentationem & adjutorium Fratrum, qui aſſiduè in monaſterio jam dicto omnipotenti Domino ſervierint, unum collazum in Vegonia; alium collazum in Arratia; alium in Ezbarrena; alium collazum in *Guernicaz*; ut jure hæreditario vos ſemper poſſideatis & habeatis per cuncta ſecula. Si verò aliquis de mea, aut de aliena progenie hanc donationem, quam libens & hilaris Deo & Ordini Præmonſtratenſis monaſterii ſub regula B. Auguſtini dono, infringere, vel diminuere temptaverit, anathema maranata ſit, & cum Juda traditore in inferno inferiori damnetur, & mea donatio inconcuſſa, illibataque Deo & Ordini jam dicto permaneat in perpetuum. Amen. Inſuper pro temerario auſu Regiæ majeſtati centum libras auri puriſſimi perſolvere cogatur.

D. Joannes Toletanus Archiepiſcopus & Primas Hiſpan. confirmo.

D. Rodericus Caluguritanus Epiſcopus.

D. Petrus Burgenſis Epiſcopus.

D. Lauſias Abbas S. Emiliani.

D. Raymundus Prior S. Mariæ de …. ta.

Comes Malricus. Zutier *Fernandez*. D. *Gomiz*. Diago *Lopez* filius Comitis Lupi. Sanctius *Diaz* frater Comitis. *Lop Diaz* de fridas Comitis filius. Rodrigo *Lopez* filius Comitis. Lope de Tolono filius Comitis. Diago *Diaz* de Blaſchori. Bernardus *Diaz*. Diago Alphonſo major-domus Comitis. Petrus *Garzez* de villa Fovar. Petrus Zamora. Lop de Mendoza. Petro *Lopez* de Bago. Garcia *Martinez* de Bago. Garcia *Garzez* de Duyſto. Garcia Nunuza de Vegonia. D. *Lop* de Aranzazu. D. Sanctio de Duya. D. Seqn de Cen….

* 1162. Facta Charta æra M C C.* regnante Aldefonſo Rege filio Regis Sanchi in Toleto, in Eſtremadura, in Caſtella, in Naxara: dominante Naxaram, & Riodoia, & Caſtella Vieiba, & Traſmiera, Comite Lupo.

Ego verò Comes Lupus, qui hanc Chartam fieri juſſi, hoc ſignum manu † propriâ feci, & teſtes ſuperiùs ſcriptos ad roborandum exhibui.

D. Joannes Capellanus Naxarenſis hanc Chartam dictando ſcripſit.

Licentia ab episcopo Tullensi data Canonicis Præmonstratens. domûs S. Joseph erigendi Oratorium privatum pro Missarum celebratione. Anno 1636.

CArolus Chriſtianus de *Gournay* Dei & ſanctæ ſedis Apoſtolicæ gratiâ Epiſcopus Sitienſis Vicarius generalis in ſpiritualibus & temporalibus epiſcopatûs Tullenſis à Capitulo, ſede vacante, deputatus, Reverendo Domino Petro *des Baus* monaſterii S. Mariæ majoris de Ponti-Muſſo Ordinis Præmonſtratenſis Tull. diœceſis Abbati, ſalutem in Domino. Veſtris petitionibus tanquam rationi congruis inclinati, ut in Oratorio in domo quam Nanceii dictæ Diœceſis poſſidetis decenter erigenda ſacrum Miſſæ officium à Canonicis regularibus Ordinis veſtri privatim duntaxat, adhibito altari portatili, horaque in Eccleſia conſueta aliiſque ſervandis, juxta Canonicas ſanctiones & decreta ſervatis, celebrari valeat, ac inſuper Preſbyteros ſeculares vel regulares Ordinis prædicti legitimè approbatos, in Eccleſiis parochialibus locorum de *Moulins* & de *Pargneyo* ſubtus *Pryneium* ejuſdem Tull. diœceſis, pro officiis muniiſque Paſtoralibus ibidem obeundis, deputare valeatis in dicta Parochiali de *Moulins* ad annum, in alia verò ad beneplacitum noſtrum, Reverentiæ veſtræ per præſentes licentiam & facultatem impartimur. Datum Pariſiis in domo ſolitæ habitationis noſtræ è regione Chartuſiæ, anno Domini milleſimo ſexenteſimo trigeſimo ſexto, die verò vigeſimâ ſecundâ Januarii.

S. de *Gournay* Epiſcopus
Sitienſ. Vic. generalis.

Licentia data eisdem pro construenda ampliori & publica Capella, tam à Vicario generali Tullensi, quàm à serenissimo Duce Carolo IV. Anno 1642.

JOannes *Midot* ſacræ Theologiæ & J. U. Doctor, Archidiaconus major & Canonicus in Eccleſia Tullenſi, Vicarius generalis Epiſcopatûs Tullenſis à Capitulo, ſede Epiſcopali vacante, deputatus, univerſis & ſingulis præſentes litteras inſpecturis, ſalutem in Domino. Pro parte V. V. Patrum Ordinis Præmonſtratenſis reſidentiæ S. Joſephi in oppido de Nanceio diœceſis Tullen. nobis expoſitum fuit, quòd cum Capella in ædibus quas ipſi in oppido prædicto incolunt hactenùs extructa, nimis anguſta ſit, & populum ad eam ex devotione confluentem continere non valeat, aliam ampliorem & capaciorem extruere parati erant, noſtrum deſuper conſenſum petentes; nos qui fidelium Chriſti devotionem divinique cultûs augmentum, quantùm cum Domino poſſumus, promovere cupimus, in hujuſmodi Capellæ ædificationem conſenſimus & conſentimus per præſentes, & poſtquam completa fuerit, ut per aliquem è prædictis Patribus juxta formam in Rituali hujus Diœceſis præſcriptam benedici, donec conſecrata fuerit, in eaque ipſi Patres, & quicumque alii Sacerdotes in hac Diœceſi debitè approbati, ſacrum Miſſæ officium cum altari portatili celebrare, verbum Dei ſecundùm Orthodoxorum Patrum & Eccleſiæ ſenſum prædicare, & alia Sacramenta Eccleſiaſtica miniſtrare valeant, permittimus & indulgemus; utque utiliùs Patres in dicta reſidentia in poſterùm moraturi, in agro Domini laborent, & ii quos Superior ejuſdem reſidentiæ pro tempore exiſtens, idoneos judicaverit verbo Dei prædicando, & Sacramentalibus Confeſſionibus audiendis, ab eo tanquam à nobis approbati, verbum Dei prædicare & Confeſſiones Pœnitentium ad ſe accedentium, extra

tamen tempus Paschale, nisi de Pastoris eorum expresso consensu, iisque S^mum. Eucharistiæ Sacramentum ministrare valeant, per easdem præsentes ad revocationem usque valituras, concedimus; dictoque Superiori sic Religiosos suos approbandi, & prædictis functionibus exponendi facultatem impertimur. Datum Tulli sub nostro & Curiæ Tull. sigillis ac signo manuali Secretarii Cameræ Episcopalis. Anno Domini millesimo sexcentesimo quadragesimo secundo, die verò decimâ nonâ mensis Maii; sic *signatum*. Joannes *Midot* Vic. generalis, & inferiùs *de Husson*, cum parafo; & sigillatum utroque sigillo.

De par le Duc de Lorraine, Marchis, Duc de Calabre, Bar, Gueldres. L'an 1642.

AUjourd'huy dixiéme jour de Juillet, l'an mil six cents quarante-deux, Son Altesse étant dans sa ville de Valle-de-france, voulant toûjours donner des nouveaux témoignages de son insigne pieté, & faire croitre par son exemple la dévotion de ses sujets envers S. Joseph; a permis aux Religieux réformez de la Congrégation de S. Norbert, Ordre de Prémontré en sa ville de Nancy, de bastir & fonder en l'honneur d'iceluy en leur maison, une Chapelle capable d'y faire les Services, & recevoir le peuple; ordonne à tous, qu'il appartiendra, de leur permettre sans obstacle ou empéchement quelconque. Tel étant son bon plaisir; en foy de quoy elle a aux présentes, signées de sa main & contre-signées de l'un de ses Sécrétaires d'Estat, de ses Commandments & Finances, fait apposer le Cachet secret de ses armes. Ainsi signé CH. Lorraine. Au bas GERVAISE avec paraphe, & cacheté du Cachet secret de ladite Altesse.

Partage de la donation faite par Monsieur Havuy entre la Communauté, & les Religieux de S. Joseph de Nancy. L'an 1646.

COmme ainsi soit que la dévotion & charité de M^r. Nicolas Havuy Prestre cy-devant résidant dans cette ville du Pont-à-Mousson, se soit portée à élargir bonne partie de ses biens pour fonder en la Congrégation de S. Norbert, Ordre de Prémontré, l'entretien suffisant à toujours-mais, de huit Novices & un Religieux, ainsi qu'il est plus amplement porté au contrat de donation du 25. Septembre 1636. pour ce fait & passé, par lequel il est nommément dit que ledit Religieux sera de la famille & résidence de la maison de S. Joseph de Nancy, dépendante de ladite Congrégation, à laquelle neanmoins laditte donation a semblé infructueuse jusqu'à present, pour n'y avoir reçû desdits biens spécifiez par article pour l'entretien dudit Religieux en laditte maison, ainsi le tout demeuré par indivis, & pour à ce remédier à l'avenir, R. P. en Dieu Godefroy Mouron Superieur de laditte résidence de S. Joseph ayant été député par ledit Couvent pour assister au Chapitre annuel de laditte Congrégation qui s'est tenu au mois d'Avril de l'an courant 1646. en l'Abbaye Notre Dame de Bellevalle en Dieulé, auroit remontré ce que dessus à ladite assemblée pour y être pourvû, & sur quoy auroit été conclu & ordonné par ledit Chapitre que le R. Pere en Dieu Pierre Thienville Docteur en sainte Theologie, Vicaire géneral de laditte Congrégation & Abbé de sainte Marie majeur dudit Pont, & R. Pere Sebastien Collignon Abbé de Notre-Dame de Flabémont & Visiteur d'icelle Congrégation reconnoitroient conjoinctement faisant le cours de leur visite, l'estat des biens portez en ladite donation, & sans préjudice à l'érection, ou fondation du Novitiat commun y mentionnée, déclareroient & spécifieroient quelles piéces devroient être distraites de la generalité desdits biens, pour à l'avenir être particuliérement affectez à ladite maison de S. Joseph, pour l'entretien d'un Religieux en icelle, conformément à l'intention dudit sieur Havuy; pour ce est-il que lesdits RR. PP. Thienville & Collignon étant presentement audit monastere de sainte Marie majeure sont comparus en personne, assistez de R. Pere Dominique Colin Prieur de Rangéval, Docteur en sainte Theologie & Définiteur d'icelle Congrégation, ont en presence des Notaires jurez au Tabellionnage du Pont-à-Mousson, souscrits en éxécution de la résolution dudit Chapitre: aprés avoir éxactement examiné le contenu audit contrat, & en communiqué au R. Pere Servais Regnault Procureur de ladite Congrégation, distrait & separé des biens mentionnez audit contract, les piéces cy-aprés. Sçavoir, le gagnage des terres arrables scises & situées au ban de Bouxieres sous Froidmont, ainsi & comme il se contient & comporte en tous ses membres, appartenances & dépendances, une maison scise & située audit Pont en la descente du pont de pierre du côté de l'Evéché de Metz, les hoirs Charles Marchand d'une part, & George le Fondeur d'autre. Une maison à Champigneulle, le ruisseau d'une part & ..... d'autre. Encore une autre maison audit lieu sur le chemin de Nancy, la ruë qui va à l'Eglise d'une part, & Claude Thiriet d'autre, avec vingt-cinq ou trente jours de terres que la Congrégation a acquerré audit lieu conjoinctement aux susdittes maisons, à elle adjugée, & en outre une portion portant somme de deux mils six cents francs & interêts courants dez le cinquiéme Mars 1637. deus par M^re. François Richard Prêtre Chanoine de S. Diez par contract dudit jour cinquieme Mars 1636. comme pareillement une autre somme de mil francs deuë par ledit Claude Thiriet en vertu de plusieurs pieces, & icelles transportées par une cession particuliere de la présente dudit sieur Havuy à laditte Communauté, lesquels biens cy-dessus, comme aussi tous les titres & enseignements qui les concernent, seront mis ès mains des Religieux de ladite maison de S. Joseph de Nancy, pour du revenu d'iceux, subvenir à l'entretien d'un Religieux de laditte famille, laquelle s'en est contentée au moyen du consentement de ce donné par ledit R. Pere Godefroy Mouron fondé de procuration spéciale passée par ledit Couvent en datte du huitiéme Décembre courant apparu ausdits Notaires, & réservé audit R. Pere, & pourra à l'avenir icelle maison de S. Joseph disposer desdits biens cy-dessus spécifiez comme de chose à elle propre & appartenante au moyen de la presente division & partage ainsi fait, sans préjudice de l'érection dudit Novitiat commun, & se sont lesdittes parties obligées de ce que dit est, garder & entretenir de tout point, sans y rien innover sous quelques prétextes se puissent être; que furent faites & passées audit Pont l'an 1646. le 14. Décembre avant midy, & ont signez F. P. THIENVILLE Abbé de sainte Marie majeur & Vicaire susdit. F. COLLIGNON Visiteur susdit. F. Dominique COLIN Prieur de Rangeval. Godefroy MOURON Superieur à S. Joseph. F. Servais REGNAULT Procureur de la Communauté. N. ROYOT & GENIN.

Bulla Alexandri VII. ſummi Pontificis pro unione Prioratûs Bona-vallis reſidentiæ S. Joſephi Nanceïani. Anno 1661.

ALexander Epiſcopus ſervus Servorum Dei. Dilecto filio Metenſi, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Ex debito Paſtoralis officii nobis ex alto commiſſi, ad ea per quæ in Eccleſiis quibuſlibet præſertim regularibus, erga Sanctos devotionis augmentum procuratur ac ſubventioni Preſbyterorum regularium piis inibi addictorum operibus opportunè occurritur, libenter intendimus, officiique noſtri partes etiam per unionis beneficiorum Eccleſiaſticorum, miniſterium favorabiliter interponi mandamus, prout rerum & perſonarum qualitatibus debitè penſatis conſpicimus in Domino ſalubriter expedire. Dudum ſiquidem omnes Prioratus, cæteraque beneficia Eccleſiaſtica ſecularia & quorumvis Ordinum regularia apud ſedem Apoſtolicam tunc vacantia, & in anteà vacatura, collationi & diſpoſitioni noſtræ reſervavimus, decernentes ex tunc irritum & inane ſi ſecùs ſuper his à quoquam quavis autoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, cum itaque poſtmodùm Prioratus Bonævallis, Præmonſtratenſis Ordinis, Metenſis diœceſis, per liberam reſignationem dilecti filii Godefridi *Mouron* nuper ejuſdem Prioratûs Prioris, de illo quem tunc obtinebat in manibus noſtris ſponte factam, & per nos admiſſam apud Sedem eandem vacaverit & vacet ad præſens, nulluſque de illo præter nos hâc vice diſponere potuerit ſive poſſit, reſervatione & decreto obſiſtentibus ſupradictis; & ſicut exhibita nobis nuper pro parte dilecti filii Sebaſtiani *Collignon* Superioris domûs regularis Canonicorum regularium ejuſdem Ordinis, Congregationis antiqui rigoris, oppidi civitatis nuncupati Nanceii, Tullenſis diœceſis, petitio continebat, in prædicto oppido Provinciæ Lotharingiæ capite, & illius Ducum reſidentia, jam à viginti circiter annis prædicta domus regularis cum ſua Eccleſia ſub invocatione S. Joſephi & denominatione reſidentiæ conſtructa reperiatur, & ad Eccleſiam prædictam, ob ſingularem quem populus dicti oppidi erga prædictum S. Joſephum gerit devotionis affectum, magnus utriuſque ſexûs Chriſti fidelium fiat concurſus, & propterea quatuor Religioſi dictæ Congregationis qui in dicta domo reperiuntur ad audiendas Confeſſiones & alia Eccleſiaſtica munia obeunda ac frequentiſſimæ devotioni incolarum dicti oppidi non ſufficiant, & nihilominùs dicta domus regularis tam modica bona poſſideat, ut illorum reditus annui dictis quatuor Religioſis alendis adhuc impares reperiantur; ac eadem petitio ſubjungebat, ſi prædictus Prioratus à monaſterio beatæ Mariæ Mirævallis, Ordinis & Congregationis prædictorum, dictæ Diœceſis, dependens, dictæ domui perpetuò uniretur, annecteretur & incorporaretur, ex hoc profectò Religioſorum incremento ac ſubventioni ac egeſtati, nec non populi hujuſmodi devotioni ſatis opportunè conſuleretur; dilecti etiam filii modernus dicti monaſterii perpetuus Commendatarius Apoſtolicâ autoritate deputatus, & Conventus ejuſdem monaſterii in id libenter conſentiant. Quare pro parte dicti Sebaſtiani aſſerentis fructus dicti Prioratûs & illius reditus & proventus viginti quatuor ducatorum aureorum Cameræ ſecundùm communem æſtimationem, valorem annuum non excederet, fuit humiliter ſupplicatum, quatenùs ſibi ac dictæ domûs egeſtati ac divini cultûs in dicta Eccleſia, incremento in præmiſſis opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur qui miniſtrorum Eccleſiaſticorum pia exercitia, ac eorum commoda potiſſimùm ad ſalutem animarum, ac ſupremi numinis gloriam & honorem tendentia, zelo ac charitate paternis confovere debemus, quique dudùm inter alia, quod petentes beneficia Eccleſiaſtica aliis uniri, tenerentur exprimere verùm valorem annuum ſecundùm exiſtimationem prædictam, etiam beneficii cui aliud uniri peteretur, alioquin unio non valeret, dictum Sebaſtianum à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit ad effectum præſentium duntaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenùs vocatis ad id qui fuerint vocandi, Prioratum præfatum qui Curâ & Conventu caret, ſive præmiſſo, ſive alio quovis modo, aut ex alterius cujuſcunque perſona, ſeu per ſimilem dicti Godefridi vel aliam liberam cujuſvis alterius de illo in Romana curia, vel extra aliam, etiam coram Notario publico & teſtibus ſponte factam reſignationem, & aſſecutionem alterius beneficii quâvis autoritate collati, non tamen per obitum vacet etiamſi tanto tempore vacaverit quod ejus collatio, juxta Lateranenſis Statuta Concilii ad Sedem prædictam legitimè devoluta, dictuſque Prioratus diſponi apoſtolicè ſpecialiter vel aliàs generaliter reſervatus exiſtat, & ſuper eo inter aliquos lis cujus volumus ſtatum præſentibus haberi pro expreſſo, pendeat indeciſa, dummodò ejus diſpoſitio ad nos hâc vice pertineat, ac præfati Abbatis, ſeu Commendatarii dicti monaſterii ad hoc accedat aſſenſus cum annexis hujuſmodi, ac omnibus juribus ac pertinentiis ſuis domui præfatæ, ita quòd ſupportatis invicem per Canonicos regulares dictæ domûs ejuſdem Prioratûs oneribus, liceat illius Superiori & Religioſis, per ſe, vel alium, ſeu alios veram, realem, ac actualem poſſeſſionem dicti Prioratûs & illius omnium & ſingulorum bonorum ſtabilium, ac proprietatum, ac jurium actionum, ac pertinentiarum, nec non illorum fructuum, redituum, proventuum, obventuum, & emolumentorum quorumcunque propriâ autoritate liberè apprehendere, & apprehenſam perpetuò retinere, ac fructus, jura & obventiones ac emolumenta ejuſmodi percipere, colligere, levare, exigere, percipere & recuperare, arrendare, locare & diſlocare, ac in ſuos uſus, & utilitatem convertere, Diœceſani loci licentiâ deſuper minimè requiſitâ, autoritate noſtrâ perpetuò unias annectas & incorpores, non obſtantibus felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri, ac priori voluntate noſtrâ præfatâ, aliiſque conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, nec non monaſterii, Prioratûs Ordinis & Congregationis præfatorum etiam juramento confirmatione Apoſtolicâ, vel quâvis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus contrariis quibuſcunque, aut ſi aliqui ſuper proviſionibus ſibi faciendis & Prioratibus hujuſmodi ſpeciales, vel aliis beneficiis Eccleſiaſticis in illis partibus generales dictæ Sedis aut Legatorum ejus litteras impetraverint, etiamſi per eas ad inhibitionem, reſervationem & decretum, vel aliàs quomodolibet ſit proceſſum, quas quidem litteras & proceſſus habitos per eaſdem & inde ſecuta quæcumque ad dictum Prioratum volumus non extendi; ſed nullum per hoc eis quoad aſſecutionem aliorum beneficiorum præjudicium generari, & quibuſvis aliis privilegiis, indultis, & litteris Apoſtolicis, generalibus, vel ſpecialibus quorumcunque tenorum exiſtant, per quæ præſentibus non expreſſa, vel totaliter non inſerta earum effectus impediri valeat quomodolibet vel differri & de qui-

bus quorumcunque tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in nostris litteris mentio specialis; volumus autem, quod Prioratus præfatus per unionem annexionem, & incorporationem præfatos, in spiritualibus non lædatur, neque in temporalibus detrimentum patiatur, neque Ecclesia hujusmodi debitis fraudetur obsequiis, sed eorum congruè supportentur onera consueta, quodque si apparuerit super resignatione dicti Prioratûs, antea per dictum Gottefridum alium consensum præstitum & extensum fuisse, præsens gratia nulla sit eo ipso. Datum Romæ apud S. Mariam majorem, anno Incarnationis Dominicæ, millesimo sexcentesimo sexagesimo primo, tertio decimo Kalendas Augusti, Pontificatûs nostri anno septimo.

Charta Theobaldi I. Ducis Lotharingiæ quâ prædium S. Pancratii iisdem ornat privilegiis quibus gaudebat Prioratus Bonæ-vallis. *Anno 1217.*

THeobaldus Dux Lotharingiæ & Marchio, Comes Metensis & *Dasburg*, Roberto Abbati de *Mirvolt*, * & Fratribus ejus, salutem. Quia nuper in grangia vestra de *Grimaviller* juxta *Hunandimaville* sita, devotam Capellaniam in honorem sancti Pancratii construxistis, in qua sæpè divina mysteria celebratis, ipsam favore dignam reddidistis, ideò liberam & immunem, iisdemque franchesiis quibus Prioratus vester Bonævallis, aliæque domus exemptæ, gaudere volumus. Actum & sigillo nostro consignatum anno salutis millesimo ducentesimo decimo septimo, die sanctorum Fabiani & Sebastiani, vigesimo Januarii. Apud Novum-Castrum præsentibus ibidem Friderico Comite Tullensi, Theodorico patruo nostro, Alberto de *Darurio*, Galtero de *Prisney*, Carolo de *Gondreville*, Theodorico & Frederico de *Brixeio* fratribus, aliisque testibus.

* Miravallis

Charta concordiæ inter Joannem de Hanaudimavillo *Militem, & Abbatem Miravallis super nemoribus* Bonævallis. *Anno 1261.*

EGo Joannes de *Hanaudimavillo* Miles & Dominus. Universis notum facio quod cùm discordia verteretur inter me & homines meos ex una parte, & viros Religiosos Abbatem & Fratres Ecclesiæ Miravallis, ex altera super nemoribus Bonævallis, meoque, & hominum meorum, nemorum dicti loci usuario, tandem fuit inter nos in hunc modum de bonorum virorum consilio concordatum & pacificatum, quod ego recognoscens nihil habere juris in ipsa discordia, in eleemosynam concessi perpetuam dictæ Ecclesiæ quidquid pro me & hominibus meis in ipsis nemoribus poteram reclamare. Fuit autem nemorum Bonævallis divisio à meis nemoribus divisa concordata in hunc modum & concessa, quòd dicti Abbas & Fratres liberè possidebunt & habebunt omne nemus quod est sub via magna quæ tendit à *Hanaudimavillo* versùs *Haremont*, usque ad rivum qui dicitur *Anbourus*, sicut rivus de *Anbourn* determinat desuper campum Bonævallis, qui dicitur *Lacloni* cum nemore censuali de *Surris*, à nemore quod dicitur *Lifranchez*, ab uno latere Bonævallis, & ab alio latere, omne nemus quod est à campo *Manissers* sicut rivus de *Recant* determinat usque ad viam magnam quæ tendit à *Basomonte* ad nemus de *Vercul* & ab illa via, usque ad locum illum qui dicitur *Lamarg* usque ad summitatem campi Bonævallis, qui est desuper rivum de *Ruant* versùs *Crion*, & à summitate dicti campi usque ad viam quæ tendit à villa de *Crion*, ad Bonamvallem, & ab illa via, usque ad quercum quæ dividit nemus de *Crion* à Bonavalle, ab illa quercu, lineando rectè ad quercum quæ est versùs nemus quod dicitur *Chanois* per medium campi Balduini, usque ad pratum *Bertrand*, concessi siquidem dictis Abbati & Fratribus dictæ Ecclesiæ in Metensi diœcesi commorantibus, omnimodum usuarium pro sibi necessariis in nemore meo de *Vercul*, & liberum transitum per pontem meum de *Hanaudimavillo*, sicut hactenùs habuerunt, cum de prædictis in tenore legitimo fiunt ab antiquo; & istam pacem & concordiam & eleemosynæ concessionem, si quæ est eleemosyna, creantavi juramento corporaliter præstito inviolabiliter conservare, & quod contra per me, vel per alium non veniam in futurum, & ne super præmissis alia moveatur quæstio, vel dissensio, in hujus rei testimonium sigillo discretorum virorum Domini Abbatis Belliprati, & Domini Richardi Archipresbyteri de *Marsallo*, ad petitionem & supplicationem meam præsentibus sunt appensa. Actum anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo primo, mense Aprili.

Charta Henrici episcopi Tullensis pro confirmatione locorum Rengis-vallis *&* Jovillaris, *concessorum Herberto Abbati Regiævallis. Anno 1141.*

IN Nomine Sanctissimæ & Individuæ Trinitatis. Henricus Dei gratiâ humilis Minister, tam præsentibus quàm futuris in perpetuum. Mala tegenda sunt, ut deficiant, bona publicanda ut proficiant, ea propter cunctorum scripto memoriæ commendamus eleemosynas nostris factas temporibus Herberto Abbati Regiævallis, cunctisque Fratribus ejus ac successoribus in perpetuum, locum videlicet Rengis-vallis, cum universis appendiciis suis, sylvis, campis, pratis, & pascuis cultis, incultisque, à Tullensi Ecclesia, & à Petro de Brisseio, & à Leuchardе de Vimplona filiisque & filiabus ejus, & à Domina Hadeuride de Asperomonte filiisque ejus, cum Romundi curia, nobis præsentibus receperunt. Terram etiam Traciæ quam eis nos & Theodoricus de Sorceio, * qui de nobis eam tenebat, in feodo, assentiente & cooperante uxore ejus Mahilde, filioque suo Stephano contulimus, pro animarum nostrarum remedio: usuarium quoque & molendinum in Commarceiensi fageto, quod à Comite habent Renaldo, & ab utroque ejus filio, Hugone & Renaldo, à Dominoque Stephano Metensi episcopo, sicut in eorum continetur privilegio; & vallem de *Bernaicuria*, * sicut ab hæredibus Sibaldo scilicet & filiis ejus, Girvino & filiis ejus, Rodulfo & filiis ejus, Harduino & filiis ejus, Salemanno & filiis ejus, Albrico & Lefrido, cum Garino fratre ejus. Cæterisque quorum multa sunt nomina; assentientibus Dominis Comite videlicet Renaldo, Odone & Stephano de *Sorceio*, Girardoque Castellano, eis est attributa cum universis portionibus, quas in adjacenti adepti, vel adepturi sunt sylvâ, nec non & Curiam *Gauvillaris* * cum universis finibus & appendiciis suis, sylvis, campis, pratis & pascuis, cultis & incultis, decimarumque duabus portionibus à Gaufrido *Jovilla* * Domino, uxoreque ejus Felicitate, & Roberto fratre suo, omni exactione postpositâ, sibi collatam multarum personarum testimonio, sicut in eorum continetur chirografo: eis quoque contulit Renaldus de *Mansilo* Clericus, quidquid hæreditario jure & beneficio, emptioneque & vadimonio in prædictis possidebat finibus, assentientibus cum matre cunctis filiis ejus & filiabus, curam altaris cum terris ejus & decimis, Henrico Archidiacono gratiâ ipsorum volente, nihil sibi vel suis ibidem penitùs

* Sorcy.

* Bernécourt

* Joviller.

* Jouville.

retinens. Quod ne sequacibus fiat incognitum, personarum testimonium ab utroque est scripto commendatum. Habent & à Bordino de Tribus-fontibus, generoque ejus Garnero, quidquid in eodem possidebant prædio, quod non gratis, sed quinquaginta adquisierunt solidis, testantibus duobus Clericis: Renaldo scilicet de *Masnilo*, & Garino de *Brasseio*, habentes alias ibi plurimas possessiones, quas eis vendiderunt & contulerunt possessores. Vineas quoque quas habent apud Seronas (*Ecrouve*) eis concedimus: quæ cuncta eis cum universis quæ justè & canonicè possident, vel possidebunt auctoritate Pontificali confirmamus præsenti inscriptione & personarum harum attestatione. *Signum* Domini Durandi Abbatis S. Apri: Domini Sibaldi Abbatis S. Leonis. Domni Renaldi Abbatis S. Mansueti. Stephani Decani. Hugonis Cardinalis Archidiaconi, Haimonis. Hugonis de *Condricuria*. Goberti Custodis; Hugonis, Henrici Cantoris. Rotici. Data per manum Walteri Cancellarii, anno ab Incarnatione Domini MCXLI. Indictione IV. concurrente II. Epacta XI. VII. Idus Martii, in majore aula Tullensi.

Charta venditionis Clari-fontis facta Abbati Jovillaris *per Martinum Abbatem S. Urbani. Anno 1172.*

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Notum sit omnibus tam præsentibus quàm futuris, quod ego Martinus Dei gratiâ Ecclesiæ S. Urbani Abbas, laude & assensu totius Capituli nostri, concedente etiam Guidone Cathalaunense episcopo, & Jofrido Jovisvillæ * Domino, Advocato nostro, ingruente necessitate Ecclesiæ nostræ vendimus Raimondo Abbati & Fratribus Ecclesiæ S. Petri Jovillaris quidquid possidebamus in loco qui dicitur *Clarus-fons*, & in villa quæ dicitur *Sauvonarias* apud *Juvigneium*, in sylvis, pratis, pascuis, terris cultis & incultis. Concessimus etiam eis pascua quæ sunt in confinio ejusdem loci usque ad Ripariam Marnæ. Quod si aliqui dampnum intulerint, dampnum restituant. Si quis autem horum quæ prædiximus aliquid calumpniatus fuerit, Ecclesia nostra garantiam debitam eis feret hujus rei testes sunt Humbertus Presbyter. Theobaldus Clericus, Herbertus Clericus, Rodulphus Miles, Brutinus Miles, Jofridus nepos ejus, Gaslebertus Burgensis, Albertus Bugius, Robertus & Rudolfus fratres, Boninus. Actum est hoc anno ab Incarnatione Domini MCLXXII. Indict. IV. Epactâ XII. concurrente IV. in Capitulo S. Urbani.

* Joinville.

Charta Guidonis Catalaunensis episcopi confirmans venditionem Clari-fontis, & donationem Ecclesiæ de Savonariis. *An. 1172.*

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ego Guido Dei gratiâ Cathalaunensis episcopus, propter inevitabilem temporum mutationem & casum decedentium quotidie personarum, necesse habemus litteris annotare, quod dampnosa delere non possit oblivio. Notum itaque fieri volumus tam futuris quàm præsentibus sanctæ Matris Ecclesiæ fidelibus, quod Domnus Martinus Abbas S. Urbani ad nos veniens, laude & assensu totius Capituli sui, altare de *Savonerüs* * cum suis appendiciis, quod Ecclesia S. Urbani longo tempore quietè & pacificè possidebat in manus nostras resignavit, & nos exinde, Domnum Raimundum Abbatem S. Petri Jovillaris, pro remedio animæ nostræ & antecessorum nostrorum canonicè investivimus. Vendidit etiam præfatus Abbas S. Urbani, volentibus & laudantibus ejusdem Ecclesiæ Fratribus, pro imminenti & evidenti necessitate Ecclesiæ suæ Raymundo prædicto Abbati de Jovillaris, quidquid apud Clarum-fontem, & quidquid apud *Savonerias*, quidquid etiam apud *Jovemiacum* * Ecclesia S. Urbani possidebat, in sylvis, pratis, pascuis, terris cultis & incultis, & in omnibus commodis, & pascua quæ sunt in confinio ejusdem loci usque ad ripariam Marnæ. Si qua autem calumpnia super his aliquo tempore emerserit, Ecclesia S. Urbani præfatæ Ecclesiæ Jovillaris garantiam portare promisit. Ut autem hoc ratum & inconcussum permaneat, sigilli nostri autoritate firmavimus, eorum qui viderunt & audierunt subnotatis nominibus. *Signum* Guidonis de *Provino*. *S.* Balduini. *S.* Magistri Roberti Archidiaconorum. *S.* Hugonis de *Brevereio*. *S.* Magistri Guarnerii de *Marceio*. *S.* Stephani de *Novocastello*. *S.* Magistri Jacobi. *S.* Rollandi Decani. *S.* Magistri Petri de *Cusseio*. *S.* Herverdi de *Panceio*. *S.* Albrici de *Waleriis* Decani. *S.* Durandi Subdecani. *S.* Mathei de *Warseio*. *S.* Gilberti de *Junvilla*. *S.* Hugonis Notarii. Actum Cathalauni anno ab Incarnatione Domini MCLXXII. Indictione IV. Epactâ XII. concurrente IV. Datum per manum Girardi Cancellarii.

*Savonieres

* Jurigny.

Bulla Alexandri III. bonorum Jovillaris *confirmatrix. De anno 1178.*

ALexander Episcopus, servus Servorum Dei, dilectis filiis Raimundo Abbati S. Petri de Jovillari, cunctisque Fratribus tam præsentibus, quàm futuris. Quoties illud à nobis petitur quod religioni & honestati convenire dignoscitur, animo nos decet libenti concedere, & petentium desideriis congruum suffragium impertire. Quapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & præfatam Ecclesiam, in qua divino mancipati estis obsequio, sub B. Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus; statuentes ut quascunque possessiones, quæcunque bona, eadem Ecclesia impræsentiarum justè & canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum, vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis, vestrisque successoribus, & illibata permaneant; in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum videlicet, in quo præfata Ecclesia sita est, cum appendiciis suis; decimas videlicet de *Marchas*, & de monte *Corgelon*, cum omni integritate, & tertiam partem decimarum de *Baudrites*, per manum Henrici Leucorum Episcopi, laude & assensu Henrici ejusdem loci Archidiaconi, vobis concessarum; & quidquid Radulphus de *Maville* in eisdem finibus possidebat tam in campis, quàm in sylvis, pascuis cultis & incultis, & in omnibus aliis utilitatibus: allodium, quod Domina Mathildis de Vienna vobis dedit, assensu filiorum suorum Albrici, & Raindrii; quidquid Godefridus de Joinvilla in eodem allodio possidebat, assensu Felicitatis uxoris suæ, Roberti fratris sui, vobis datum; quidquid similiter Uduinus de *Molem* in eodem allodio habebat, assensu Albrici filii sui & hæredum suorum vobis datum; ex dono Guidonis cognomine Manducatoris, usuarium pasturas in *Pererio*, & in omni terra sua; quidquid in eisdem finibus habebat, & apud *Marches*; ex dono ejusdem Guidonis molendinum juxta *Bussum*, & partem suam de prato, quod adjacet eidem molendino, ex dono Elisabeth partem quam ibi habebat; ex dono Letardi nepotis ejus partem, quam ibi habebat: ex dono Ricari de *Salamna* * partem quam ibi habebat; ex dono Guidemonis uxoris

* Salemagne.

Bosonis de *Cerilam* pratum, quod adjacet supradicto molendino; ex dono Guidonis partem quam in Varenna apud Mavillum habebat, quæ Araldi pratum dicitur, & partes, quas prænominati Letardus & Ricerus, & præfata Elisabeth in eadem Varenna, & in toto allodio ejusdem villæ *Mavills* habebat; ex dono Dominæ Reilendis medietatem ejusdem Varennæ, & partem, quam in *Perererio* habebat; ex dono Henrici & Walteri filiorum Bonconis & sororis eorum, Walteri & Radulphi de *Asperomonte*, & Eliæ fratris ejus, partes, quas apud Savonerias habebant in allodio, pratis, campis, sylvis, pascuis, cultis, & incultis, & in aliis utilitatibus; allodium quod prædicti Fratres, scilicet Radulphus & Elias, & dicta Rina consobrina eorum, apud Satanævillam * habebant, & tertiam partem decimæ ejusdem villæ, & octavam partem in tertia parte Movacorii; ex dono Azelini de *Bucceio*, quidquid habebat in eadem villa *Laian*, quod est inter *Bakennes*, & *Siennam*, quod Richardus & Fuduinus, assensu Albrici filii sui, & filiæ suæ, sub censu duorum solidorum vobis vendiderunt, quidquid Ado de *Cerilum* habebat inter *Bazencourt* & *Lavincourt*; ex dono Milonis de *Bersam*, & Viardi patris ejus de *Trenvilla* .... *herbeciens*, cum appendiciis suis, allodium quod Gucinardus & frater ejus Volfandus inter *Marche* & *Jovillare*, & quid quidapud *Satenpam* habebant; ex dono Brunelli & Hugonis patris, Petri Decani, & Juliani, allodium quod habebant apud *Marche*; quidquid Radulphus, Galleranus, Albuinus & cæteri, qui in Chartulis vestris continentur, habebant apud *Siennam*, & *Pulauval* in terris, pratis, sylvis; Ecclesiam de *Juvigny*, cum appenditiis suis, quam Petrus Leucorum Episcopus vobis dedit, laude & assensu Theodorici ejusdem loci Archidiaconi & Petri Decani Donnomariæ,* in liberam & perpetuam eleemosynam; allodium de *Foucheres*, quod Letardus de Dagonvilla, & Ricerius de Salamanna, sororum ejus assensu, uxoris, & hæredum suorum, sicut hæreditario jure possederant, tam in servis & ancillis, quàm in terris, sylvis, pascuis, hoc tenore vobis datum, quòd si alii hæredes, scilicet Guiardus & Albertus sine liberis morerentur, Fratres vestri loco prænominati succederent; ex dono præfati Alberti terragium, quod in villa de Savoneriis possidebat, & duos modios frumenti in *Lenvart*; ex dono Viardi *Pratl* allodium quod habebat apud *Villiers* & *Nant*; locum qui dicitur Clarus-fons, quem emistis à monachis S. Urbani, per manum Guidonis Catalaunensis episcopi, & per manum Geofridi Joinvillæ Domini, ejusdem loci Advocati, & quartam partem allodii de Savoneriis, & quidquid præfati monachi habebant apud *Juvigny*; altare de Savoneriis, cum medietate grossæ decimæ, & minuta decima tota, & cæteris quæ ad altare pertinent, quod Guido Cathalaunensis episcopus vobis dedit in liberam & perpetuam eleemosynam; altare de *Baudricourt*, cum molendino & cæteris appenditiis suis, quem dedit vobis Petrus Leucorum Episcopus; locum qui dicitur *Hurtebise*, juxta Cathalaunum, cum vineis & appenditiis suis; sepulturam quoque illius loci liberam esse concedimus, ut eorum devotioni & extremæ voluntati, qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi fortè excommunicati, sive interdicti fuerint, nullus obsistat, salvâ tamen justitiâ illarum Ecclesiarum, à quibus mortuorum corpora assumuntur. Cùm autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis clausis januis, exclusis excommunicatis & interdictis, non pulsatis campanis, suppressâ voce, divina officia celebrare: liceat quoque vobis clericos vel laicos è seculo fugientes liberos & absolutos ad conversionem recipere, & eos sine contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper ut nulli Fratrum vestrorum, post factam in eodem loco professionem, liceat de claustro discedere, nisi obtentu arctioris Religionis; discedentem verò, absque communium litterarum cautione nullus audeat retinere. Paci quoque & tranquillitati vestræ paternâ sollicitudine providere volentes, autoritate Apostolicâ prohibemus, ut intra clausuram claustri vestri, seu grangiarum vestrarum, nullus violentiam, vel rapinam, seu furtum committere, aut ignem apponere audeat. Sanè novalium vestrorum, quæ propriis manibus, aut sumptibus colitis, sive de nutrimentis animalium vestrorum, nullus à vobis decimas exigere, aut extorquere præsumat: autoritate quoque Apostolicâ districtiùs inhibemus, ne quis pro Abbate benedicendo, seu Chrismate, vel aliis Ecclesiasticis Sacramentis, seu obtentu consuetudinis, aut quocumque modo aliquid à vobis præsumat exigere. Decernimus ergo ut nulli omninò hominum liceat præfatam Ecclesiam temerè perturbare, aut ejus possessiones auferre vel ablatas retinere vel minuere, vel quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur, eorum, pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salvâ sedis Apostolicæ autoritate, & Diœcesani Episcopi Canonicâ justitiâ. Si quæ igitur in futurum Ecclesiastica, secularisve persona, hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temerè venire tentaverit, secundò, tertiòve admonita, si non satisfactione congruâ emendaverit, potestatis, honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere, de perpetrata iniquitate cognoscat, & à Sacratissimo Corpore & Sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine, districtæ ultioni subjaceat; cunctis autem eidem loco jura sua servantibus, sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenùs & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Amen.

Ego Alexander Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.
Ego Hubaldus Ostiensis Episcopus.
Ego Theodinus Portuensis, & Ecclesiæ S. Rufinæ Episcopus.
Ego Petrus Tusculanus Episcopus.
Ego Bernardus Praviensis Episcopus.
Ego Josephus Presbyter Cardinalis SS. Josephi & Pauli Romaesii.
Ego Josephus Presbyter Card. tit. S. Anastasiæ.
Ego Petrus Presb. Card. tit. S. Susannæ.
Ego Vicianus Presb. Card. tit. S. Stephani in Cœliomonte.
Ego Cinthira Presb. Card. tit. S. Cæciliæ.
Ego Hugo Presb. Card. tit. S. Clementis.
Ego Arduinus Presb. Card. tit. S. Crucis in Jerusalem.
Ego Isaac Diaconus Card. S. Mariæ in Cosmidem,
Ego Ardicio Diac. Card. S. Theodori.
Ego Laborans Diac. Card. S. Mariæ in Porticu.
Ego Gratianus Diac. Card. SS. Cosmi & Damiani.
Ego Johannes Diac. Card. S. Angeli.
Ego Raimarius Diac. Card. S. Adriani.
Ego Mathæus S. Mariæ novæ Diac. Card.
Ego Bernardus Diac. Card. S. Nicolai in carcere Tulliano.

Datum Laterani per manum Alberti S. R. E Presbyteri Card. & Cancellarii XI. Kal. Julii, Indict. XII. Incarnationis Dominicæ anno MCLXXVIII. Pontificatûs verò Domini Alexandri PP. III. anno XX.

* Joinville.

* Dame Marie.

Diploma Roberti Barri Ducis, quo Jovillari *factas donationes confirmat, & amortizat. Anno 1386.*

ROBERT Duc de Bar, Marquis du Pont, à perpétuelle mémoire ; faisons sçavoir à tous présens & à venir, nous oyé l'humble supplication de nos amez Warion de *Lignuelles* Escuyer, & de Damoiselle Alix sa femme, fille de feu Jacques de même Escuyer, sur ce que ledit feu Jacques considerant digne chose, & mémoire, tellement user des biens temporels, que on ne perde de la gloire des Celestes, & pour ce, désirant pourvoir au salut de son ame, de ses progéniteurs, & successeurs, en remerciant nostre Seigneur Jesus Christ des biens qu'il lui avoit presté en ce monde, de ferme propos & dévotion donna & aulmona à une Chapelle à l'honneur de S. Jehan en l'Eglise de Jauvilliers, Ordre de Prémontré, on Diocese de Toul, en laquelle a eslû sa sepulture, & pour les siens hoirs, vingt cinq livres de sous tournois viez à estre prinses en & sus tous les héritages situés en notre Duché de Bar en fondit propre bien tant en franc alœufs fief, arrifiez, rotures, qu'autrement ; encore avoit permis à li Abbé & Convent d'acqueter & recevoir par dons & par tout sa Seigneurie de *Mesnul* tant en fief, arrifiez, justice, qu'autrement cent livres de terre à petits tournois, comme dessus. Avec ce, disoit faire ratifier auxdits Religieux ung amortissement que feu Thiebaux Cuens de Bar leur avoit donné, lesquelles donations, promesse & permission nous ont humblement supplié, & implorez permettre : nous ces choses considerés, & la petite fondation d'icelle Eglise, & les baux services que nous ont fait, désiderant de tout notre cueur le service divin estre augmenté, & la continuation d'iceluy, voulons ensuivire le louable propos dudit feu Jacques, & la bonne affection desdits conjoints, & afin que des prieres que de ces dons, permission, ratification, & aulmone s'ensuiveront participant, de notre certeine science, & pleine puissance, à la supplication desdits Conjoints & Religieux, avons à iceux donnés congié, licence, & octroyé, & par les presentes donnons, gréons, confirmons, & octroyons ausdits Religieux avoir prandre chaun an les vingt cinq livres de terre au petits tournois viez, comme dit est, sur tous les héritages dudit Jacques & Conjoints, soit en fief, & arrifiez, justice, & acquetz, roturiers ; & permettons auxdits Religieux acqueter par tout ladite Segnorie de *Mesnu* les cent livres de rente tous les ans à petits tournois, comme dit est, & quant faire le pourront, & ratifions & corroborons & confirmons ledit amortissement de Thiebaux, on quel à deux mots glossez à sçavoir *finaiges, terres*, lesquels par ces presentes approuvons, veu que nous est apparu sain & entier avec son grand scel pendant à filz de Chambvre, & ce commence ledit amortissement, Je *Thiebaux Cuens de Bar, & in finem*, quant le Miliare notre Signore courroit par mil douz cens soixante & quatre ans, en mois d'Octobre. Lesquelles & toutes une chacune des choses cy-dessus dittes, avons amorties, & amortissons, ratifiez & ratifions par ces presentes, voulons & octroyons & permettons que selon l'Ordonnance cy-dessus ditte jaçois que ledit acquetz ce fasse en terre de fief & arifiez, justice & roturiez, le tout & une desdittes choses demeure perpétuellement à li Abbé & Convent, & que usant de tout le contenu en ledit amortissement de Thiebaux, & les puissent tenir, posseder, acqueter recepvoir par dons, & jusqu'à laditte somme de cent livres de terre & rente chacun an à petit tournois, comme dit est, soit en fief, arifiez, franc alluf, justice & roturiers & en soy joyr, comme de leur propre bien & choses à eux amorties, approuvés & ratifiez, sauf ce que par nous, nos hoirs, ou Officiers, ores, & ont temps avenir, soient, puissent, ou doibvent estre contraints à les mettre hors de leurs mains, ne à nous, nos successeurs, ou ayant causes, pour ce payer aucune finance, toute laquelle finance, qu'après ce nous pourroit estre dub, d'abondant grace leur avons quitté & quittons par ces presentes, par lesquels donnons en mandement à tous nos Justiciers, Officiers presents & advenir, & à chacun d'eulx, si comme à lui appartiendra, que lesdits Religieux & leurs successeurs facent, souffrent & permettent joir paisiblement de notre presente grace, & octroye en toute la teneur d'icelle, ne les contraindent, molestent, perturbent, ne empechent en aulcune maniere, réservé par nous & nos hoirs, & choses dessusdittes admortiez par la maniere que dit est, la garde, la souveraineté & ressurt ; & que ce soit ferme à tonjours, nous avons fais mettre notre grand scel aux presentes, sauf en autre chose notre droit en tout. Donné à Bar le douzieme d'Octobre mil trois cens quatre ving & six ans.

Par Monseigneur le Duc.

ROLAND.

Bulla Lucii III. pro confirmatione bonorum & privilegiorum Jovillaris. *Anno 1181.*

LUcius Episcopus servus Servorum Dei. Dilectis filiis Raimundo Abbati Ecclesiæ S. Petri Jovillaris, ejusque Fratribus tam præsentibus quàm futuris, regularem vitam professis in perpetuum. Religiosam vitam eligentibus Apostolicum convenit adesse præsidium, ne fortè cujuslibet temeritatis incursus, aut eos à proposito revocet, aut robur, quod absit, sacræ Religionis infringat. Quapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & felicis recordationis, prædecessoris nostri Alexandri III. vestigiis inhærentes, præfatam Ecclesiam S. Petri Jovillaris, in qua divino mancipati estis obsequio, sub B. Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus. Imprimis siquidem statuentes ut Ordo Canonicus qui secundùm Deum & B. Augustini regulam, atque institutionem Præmonstratensium fratrum, in eadem Ecclesia institutus esse dinoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascunque possessiones, quæcunque bona eadem Ecclesia in præsentiarum justè & canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino poterit adipisci, firma vobis, vestrisque successoribus, & illibata permaneant ; in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipsum *Jovillaris* in quo fundata est Abbatia quem habetis à Gaufrido Domino de *Jonvilla*, assensu filiis sui Jofridi, & à Mathilde de *Vienna*, cognomine Lupa, assensu filii sui Henrici, & filiæ suæ Sybillæ cum omnibus appenditiis suis, terris, pratis, sylvis & quorumlibet animalium pasturis ; Ecclesiam & altare de *Juvinico* * cum omnibus appenditiis suis, dotibus videlicet & decimis, oblationibus, & eleemosynis, quos dedit vobis venerabilis Frater noster Petrus Tullensis episcopus, assensu Theodorici Archidiaconi, & totius Capituli sui. Ecclesiam & altare de Savoneriis cum omnibus pertinentiis suis, dotibus & decimis, oblationibus & eleemosynis, quod dedit vobis Guido Cathalaunensis episcopus, cum assensu

* Juvigny.

assensu totius Capituli sui. Partes allodii ejusdem villæ quas habetis in terris, pratis, sylvis, & quorumlibet animalium pasturis. Curiam de Claro-fonte quam habetis ab Abbate, & communi Capitulo S. Urbani, assensu Jofridi ejusdem Ecclesiæ Advocati, cum omnibus appenditiis suis, terris, pratis, sylvis, & pasturis. Locum de *Nantolio* * cum molendino & stagno superiori & aliis pertinentiis suis. Allodium de *Fauchers* cum omnibus pertinentiis suis, terris, pratis, sylvis, mancipiis, & quorumlibet animalium pasturis, quod dedit vobis Richerius de *Salemanna*, pro filiabus suis & uxore in Ecclesia vestra conversis, assensu filii sui Lethardi & omnium hæredum suorum. Molendinum juxta villam situm, cum prato adjacenti, quod habetis à Guidone Comestore Barri, assensu uxoris suæ Petronillæ, & filiorum suorum Gerardi, Lethardi, Gilonis, & filiarum suarum Alburgis & Deuvidis. Allodium quod dederunt vobis apud Satanævillam Rodulphus de Aspe romonte, assensu filiorum suorum, & Robertus de *Solers*, assensu omnium hæredum suorum, cum omnibus pertinentiis suis, terris, pratis, sylvis, decimis, mancipiis & pasturis. Molendinum quod habetis infra Parochiam supradictæ villæ, cum introitu & exitu aquarumve decursu quod appellatur *Retucvasach*. Medietatem alterius molendini quam habetis apud *Siunam*. Domum quoque hospitalem juxta *Maresum* sitam cum omnibus pertinentiis suis, terris, vineis, & Capella infra Curiam ejusdem domûs constructa, & dotibus ad eam pertinentibus quam dedit vobis Guido Cathalaunensis episcopus, assensu totius Capituli sui, eo tenore ut Abbas vester, tam Fratres instituendi, quàm remittendi, & bona tam spiritualia quàm temporalia prout & visum fuerit, & Deus inspiraverit caritativè dispensandi liberam habeat facultatem. Sanè novalium vestrorum quæ propriis manibus aut sumptibus colitis, sive de nutrimentis animalium vestrorum, nullus à vobis decimas exigere præsumat. Liceat quoque vobis clericos vel laïcos è seculo fugientes liberos & absolutos ad conversionem recipere, & eos absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper ut nulli Fratrum vestrorum post factam in eodem loco professionem, fas sit, absque Abbatis licentia, de eodem loco discedere; discedentem verò absque communium litterarum cautione nullus audeat retinere. Prohibemus etiam ne Ecclesias, aut terras, seu quodlibet beneficium Ecclesiæ vestræ collatum, liceat alicui personaliter dari, sive alio modo alienari, sine consensu totius Capituli, aut majoris & sanioris partis ejusdem. Si quæ verò donationes aut alienationes aliter quam dictum est factæ fuerint, eas irritas esse censemus. Ad hæc autem adjicimus ne aliqui Canonici, seu Conversi sub professione domûs vestræ astricti, sine consensu & licentia Abbatis & majoris & sanioris partis Capituli vestri pro aliquo fidem dent, vel ab aliquo pecuniam mutuò accipiant ultra pretium Capituli sui providentia provisum, nisi propter manifestam domûs vestræ utilitatem: quod si facere præsumpserit non teneatur Conventus, sine cujus licentia & consensu hoc egerunt, pro his aliquatenus respondere. Præterea licitum sit vobis in causis vestris Fratres vestros idoneos ad testificandum adducere, atque ipsorum testimonio si ratum fuerit propulsare violentiam, & justitiam vendicare. Ob evitandas verò secularium frequentias, liberum sit vobis, salvo jure Diœcesam Episcopi & Ecclesiæ parochialis, Oratoria in grangiis vestris construere, & in ipsis vobis & familiæ vestræ divina Officia celebrare. Pro Chrismate verò, Oleo sancto, Consecrationibus Ecclesiarum, Ordinationibus Clericorum qui ad sacros Ordines fuerint promovendi sive Abbate deducendo ad Sedem, vel quibuslibet aliis Ecclesiasticis Sacramentis, nullus à vobis, aut sub obtentu consuetudinis, aut quolibet alio modo quicquam audeat postulare. Si quis autem contra hoc venire præsumpserit, portionem cum Giesi se noverit habiturum, cujus factum exactione turpis muneris imitatur. Sepulturam præterea ipsius loci liberam esse decernimus, ut eorum devotioni, & extremæ voluntati qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi fortè excommunicati, vel interdicti sint, nullus obsistat. Salvâ tamen justitiâ illarum Ecclesiarum à quibus mortuorum corpora assumuntur. Paci quoque & tranquillitati vestræ paternâ sollicitudine providere volentes autoritate Apostolicâ prohibemus ut infra clausuras locorum seu grangiarum vestrarum nullus violentiam, vel rapinam, furtum committere, ignem apponere, seu hominem rapere, vel interficere audeat. Decernimus ergo ut nulli omninò hominum fas sit præfatam Ecclesiam temerè perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur. eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salvâ sedis Apostolicæ autoritate, & Diœcesani Episcopi canonicâ justitiâ. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica secularisve persona, hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temerè, venire tentaverit, secundò, tertiòve commonita, nisi reatum suum dignâ satisfactione correxerit, potestatis, honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo Corpore & Sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine divinæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus, sit pax Domini nostri Jesu Christi quatenùs & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen, Amen.

Ego Lucius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

Ego Thodinus Portuensis & S. Rufinæ Sedis Episcopus.

Ego Paulus Prænestinus.

Ego Petrus Presbyter Cardin. Ecclesiæ Susannæ.

Ego Vivianus Presb. Card. tituli S. Stephani in Cœlio monte.

Ego Cyrethius Presb. Card. S. Cæciliæ.

Ego Hugo Presb. Card. tit. S. Clementis.

Ego Arduinus Presb. Card. tit. S. Crucis.

Ego Marcus Presb. Card. tit. S. Marcelli.

Ego Laborans Presb. Card. tit. S. Mariæ trans Tiberim.

Ego Jacobus Diac. Card. S. Mariæ in Cosmidin.

Ego Ranulphus S. Georgii ad velum aureum Diac. Card.

Ego Gratianus SS. Cosmæ & Damiani Diac. Card.

Ego Ramerius Diac. Card. S. Adriani.

Datum Laterani per manum Alberti sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyteri Card. & Cancellarii, XI. Kalendas Februarii, Indictione XV. Incarnationis Dominicæ anno MCLXXXI. Pontificatûs verò Domini Lucii Papæ III. anno I.

Charta Godefridi II. Joinvillæ *Domini quatuor Prabendas Ecclesiæ Collegialis, & parochialem Ecclesiam de* Monte-oculi *assignat quinque Canonicis* Jovillaris. *Anno 1213.*

A tous ceux qui verront & orront ces presentes lettres. Je Geffroy Seigneur de Joinville, Seneschal de Champaigne, salut. Tous sachent, que

* Nantel.

comme eusse fondé pieca en l'honneur de Dieu, de sainct Jehan-Baptiste, & de sainct Anthoine, de tous Saincts & de toutes Sainctes pour le salut de m'ame, & des ames de mes ancesseurs, & de mes hoirs, une Eglise à Montoul en l'Eveschye de Toul & mis Chanoines seculiers pour desservir à l'Eglise dessusditte. Lesquels Chanoines ont long-tems alaise laditte Eglise à desservir, tant de leur propre volonté, comme pour la commune renommée, qui a esté contre eux pour leurs excés, pourquoy ils ne povoient, ne ne peulent bonnement desservir à laditte Eglise. Je tant comme Patron de laditte Eglise & Fundateur loyalement en forme des choses dessusdittes, qui dois avoir & ay desir que laditte Eglise moye fondation soit perdurable à tousiours pour Dieu & les Saincts dessusdits mieux servis en l'Eglise dessusditte, pour oster les esclandres qui ont esté en laditte Eglise, & réformer l'estat d'icelle, veulx & octroye pour plusieurs causes avec les dessusdits, que ly Abbé de Jovilliers de l'Ordre de Prémontré de l'Evesché de Toul, & suy successeurs Abbé de Jovilliers mettent & ayent à toujours quatre de leurs Chanoines Religieux en ladite Eglise, qui desservent en l'Eglise dessusditte, en nom de Dieu & de ses Saints dessusdits, & que ly Abbé de Jovilliers puisse présenter un de ses Chanoines en la Cure de *Montol le bas*, & de *Montol le hault*, toutesfois qu'il en sera mestier, lequel Curé & ly autres trois Chanoines, seront gouvernez & réglez par leur Abbé selon leur Ordre, auxquels Chanoines j'ai donné & donne tout ce que j'ai à Rouvroy & à Dongeux, & ez finaiges & appartenances desdits lieux en terres arrables, en preiz, en vignes, & en courvées. Item nous avons donné & donnons & quittons à toujours à notre Eglise de Montol par un commun accord nous deux mon cher frere Sire Guillaume Archevesque de Bezançon, les arraiges & le four de Morancourt entiérement, & vingt cinq sols sur les deniers de la Ville pour le luminaire de notre Eglise de Montol, payez au terme S. Remy. Item je veulx & octroye que lesdits Chanoines ayent & puissent faire four pour leur propre, pour cuire leur pain, & ce que mestier leur sera. Item je leur donne leur usaige de prendre en mes bois de machons pour mariner, pour édifier, pour affoüer leur four, pour paistre & paisonner & faire toutes leurs aisances. Encore donne je ausdits Religieux la terre, où ma thuillerie seoit, ainsi qu'elle se contient & comporte de tous sens, pour faire toutes leurs aisances. Derechief j'ai donné & quitté franchement tout mon bois, qui est auprés ma grand' vigne, ainsi comme ce costel se comporte, pour paisseller, & pour garder & faire toutes leurs aisances, & pour faire toute leur volonté, comme du propre héritage de laditte Eglise. Item je leur octroye qu'ils puissent acquester en mes fiefs, & en mes arriere-fiefs pour laditte Eglise de Montol, jusqu'à la valeur de cent livres de petits tournois. Item je leur ai donné & donne tout l'héritage que Messire Guillaume tenoit de moy. Item je leur donne tous les terraiges de bled & de chanve de Montol & du finaige pour soigner une lampe. Item je leur donne tout le clou de notreditte chatellerie, comme il se comporte, des fosses & l'Eglise comme je l'ay devisé. Item nous donnons en fondation ausdits Religieux de Montol, par un commun accord nous deux mon cher frere Sire Guillaume Archevesque de Bezançon, la collation de notre Chapelle de S. Gille séant à Villers sur Marne. Donnons toutes leurs rentes, revenus, preys, terres, & toutes choses qui appartiennent à laditte Eglise de S. Gille, de quoi lesdits Religieux nous doivent toutes les sepmaines une Messe le Mecredy en laditte Chapelle, & nous doivent faire un Anniversaire le lendemain de S. Anthoine & de S. Suplice, & ledit Religieux doit tous les jours dire & celebrer Messe en notre Eglise de Montol, & feront les Obits de mes amys & de mes amyes, ainsi comme je leur ferai escrire en leur Calendrier, & mesmement l'Obit mon cher frere Sire Guillaume Archevesque de Bezançon, Seigneur de la moitié de Morancourt, qui moult aymoit laditte Eglise de Montol, lequel Obit estre chacun an fait le lendemain des Ames. Et retiens la garde & la justice temporelle desdits Religieux & de leurs biens pour moy & les Seigneurs de Joinville, qui seront aprez moy. Et les promets à garder bonnement & à garentir les choses dessusdits par moy & par mes hoirs Seigneurs de Joinville à toujours, & ne peulent lesdits Religieux faire autre Gardien, ne autre Advoüé, que le Seigneur de Joinville, si n'estoit par deffaut de droit, ou pour mauvais jugement. Et s'il advenoit, que ja Dieu ne veuille que ly Seigneurs de Joinville fissent ausdits Religieux aucun grief, & ils le conviennent aller au Souverain, la chose deffait & addressée, ils revanroient en la garde & Seigneurie de Joinville, ainsy comme devant. Et je promets en bonne foy pour moy & pour mes hoirs à tenir & à garder férmement à toujours les cholses dessusdittes, ainsy comme elles sont devisées cy-devant, & à garentir contre tous ceulx, qui à droit voudroient venir. Avons donné & donnons, louons & agréons, & veuil que se je, ou my hoirs aillions de rien contre les choses dessusdittes, & redit en tout, ou en partie, que ly Evesque de Toul, *ou* ly Evesque de Chaalons nous contrainissent au tenir par sentence d'excommuniment, & tous ceux qui empeschement y voudroient faire. En tesmoing de vérité, & pour ce que ces choses soient fermes & estables à toujours, j'ay scellé ces presentes lettres de mon grand scel, duquel je use. Lesquelles lettres furent faittes en l'an de l'Incarnation nostre Seigneur Jesus Christ mil deux cents & treize ans ou mois de Décembre, jour de sainct Thomas l'Apostre.

Charta confirmatrix donationis Montis-oculi *per Vicarium generalem diœcesis Tullensis. Anno 1307.*

Ecclesiâ de Montis-oculi solo æquatâ ab hæreticis, ejus proventus penè abierunt in in nihilum.

GUido Canonicus Tullensis, Vicarius generalis reverendi Patris Domini Odonis de Columpna, episcopi Tullensis, Religioso viro Abbati monasterii Jovillaris Præmonstratensis Ordinis, Tullensis diœcesis, & omnibus aliis præsentes litteras inspecturis, salutem in Domino sempiternam. Cùm nobilis vir Dominus Johannes Dominus de Joinvilla & Senescallus Campaniæ, Fundator & Patronus de *Monte-oculi alto*, Tullensis diœcesis, donaverit & concesserit jus patronatûs quod in Ecclesia de Monte-oculi prædicta sicut vidimus apparere per litteras sigillo ipsius viri nobilis sigillatas, quantum ad articulum concessionis & donationis ejusdem, concessionem & donationem eandem approbamus, & eam autoritate ordinaria confirmamus, volentes quod si & quando dictam Ecclesiam de Monte-oculi vacare contingat rectore quoquomodo, vos Abbas, successoresque vestri monasterii ad curam & gubernationem ejusdem Ecclesiæ de Monte-oculi nobis vel successoribus dicti reverendi Patris tanquam Patroni ipsius Ecclesiæ præsentare possitis, & illi per nos vel successores dicti reverendi Patris instituto tres vel quatuor de Fratribus vestri monasterii associare, ut Ecclesia supradicta numero servitorum gaudeat ampliori, & Deo in divinis laudabiliùs serviatur; reservamus tamen nobis & dicto re-

verendo Patri, ipsiusque successoribus & Archidiacono loci, Episcopalia & Archidiaconalia jura, nec per hoc volumus Ordinationi factæ per prædecessores Domini nostri supradicti inter Ecclesiam de Monte-oculi supradictam, & Ecclesiam de *Locheriis*, in cujus Parochiatu, dicta Ecclesia de Monteoculi situata est & fundata, præjudicium generetur, sed eam volumus & jubemus in suo robore duraturam. In cujus rei testimonium, sigillum nostrum præsentibus litteris est appensum. Actum & datum Tulli anno Domini millesimo CCC. septimo die Mercurii ante festum Annuntiationis Dominicæ.

Bulla Clementis V. pro eadem Ecclesia Montis-oculi. *Anno 1309.*

CLemens Episcopus servus Servorum Dei. Dilectis filiis Abbati & Conventui monasterii de Jovillari Præmonstratensis Ordinis, Tullensis diœcesis, salutem & Apostolicam benedictionem. Cùm à nobis petitur, quod justum est & honestum, tam vigor æquitatis, quàm ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum deducatur effectum. Sanè petitio vestra nobis exhibita continebat, quod nobilis vir Johannes de *Joinvilla* Senescallus Campaniæ, olim Patronus Ecclesiæ de *Monte-oculi alto*, Tullensis diœcesis, jus patronatûs, quod in eadem obtinebat Ecclesia, vobis pro suorum remissione peccatorum piâ & providâ libertate donavit, ad id loci Diœcesani accedente consensu, prout in patentibus litteris inde confectis ipsius nobilis & Episcopalis curiæ Tull. sigillis munitis pleniùs dicitur contineri. Nos itaque vestris supplicationibus inclinati, quod super hoc providè factum est, ratum & gratum habentes, id autoritate Apostolicâ confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & BB. Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Pictaviis XI. Kal. Maii, Pontificatûs nostri anno tertio.

Charta Reginaldi episcopi Tullensis attestantis elocationem prædiorum factam ab Abbate Jovillaris, *de consensu sui Patris, Abbatis* Regiæ-vallis. *Anno 1211.*

EGo R[us]. Dei gratiâ Leuchorum Episcopus. Omnibus ad quos præsentes litteræ provenerint. Notum facimus, quod P... Abbas Jovillaris & Conventus, laude & consilio Patris sui Regiæ-vallis Abbatis, quidquid habebant apud *Vellenas*,* apud *Nancei* super Ortiam, & apud *Lineium* in omni usu & fructu, exceptis hominibus, Magistro R. Clerico Domini Comitis Barri, omni tempore vitæ suæ, possidere & habere concesserunt. Et ipse R. Clericus prædicta omnia, de XL. & I. lib. redemit à manibus *Lapceny*. Quam pecuniam Ecclesia Jovillaris contulit in eleemosynam; & post obitum suum, prædicta omnia ad Ecclesiam Jovillaris libera & absoluta in integrum remittentur. Si verò Abbas Præmonstratensis, vel alius super hoc ipsum R. impedierit, & aliquod gravamen intulerit, ipsi prædicto R. gravamina & expensas quæ ei inde provenerint, teneantur restituere, & legitimam warentiam portare. Si verò conventiones istas venerint laude suâ & per creantum suum in eos sententiam interdicti sumus missuri. Ut autem concessionis istius integritas inconcussa permaneat, nos ad preces Abbatis & Conventûs, & Magistri R. præsens cyrographum sigilli nostri autoritate confirmavimus. Anno Domini MCC. undecimo, mense Martii.

* Velaines.

Charta Hugonis Abbatis Jovillaris, *quâ certa bona delegat suo Conventui sub onere celebrationis duarum Missarum annuatim, idque sub approbatione Patris sui Abbatis de* Regia-valle. *Anno 1350.*

UNiversis præsentes litteras inspecturis. Frater Hugo de *Tronvilla* Dei gratiâ humilis Abbas Ecclesiæ Jovillaris, Præmonstratensis Ordinis, Tullensis diœcesis, salutem in Domino sempiternam. Noverint universi, quod cùm olim vir venerabilis & piæ memoriæ Dominus Andreas Abbas Jovillaris prædecessor noster, quondam assignavit Conventui Ecclesiæ nostræ prædictæ pro vineis eidem Conventui pertinentibus excolendis decem libras parvorum Turonensium in minuta decima de *Savonieres* capiendis & levandis, quatuor quarteronos bladi apud *Annoy* super terram de *Poulasnvaul* annuatim percipiendos & levandos quæ non sufficiebant pro dictis vineis excolendis. Frater Hugo de *Luceyo* Abbas Ecclesiæ nostræ successor ejus, prædictam totam minutam decimam dictæ villæ de *Savonieres* de communi assensu Conventûs eidem Conventui Ecclesiæ nostræ prædictæ dedit & assignavit unà cum blado supradicto; nos verò Frater Hugo de *Tronvilla* prædictus Jovillaris Abbas, ut divinum Officium meliùs & devotiùs agatur, dictusque Conventus Ecclesiæ nostræ nobis in spiritualibus efficaciùs teneatur, totum quidquid habemus, seu habere debemus & possumus in grossa & minuta decima de supradicta villa prædicto Conventui nostro damus & assignamus in perpetuum percipiendum & levandum, omnesque fructus proventus, & exitus in augmentationem pitanciarum suarum, & ad dictas vineas excolendas, quam decimam poterit amodiare, & emolumenta ejusdem cuncta percipere & levare. Item eisdem Fratribus nostris damus & concedimus totum virgultum retrò Claustrum qui incipit juxta viam quæ vadit in hortum magnum, vadens & extendens se usque ad portam magnam introïtûs Ecclesiæ juxta domûs portam, poteruntque dicti Fratres ibidem plantationes facere, arbores renovare, & quidquid commodi fieri poterit, vel honesti, muscas, seu apes quæ nutriuntur in eodem loco, quidquid in eisdem habemus & habere consuevimus totum eisdem liberaliter damus & quittamus. Item unum modium bladi quem apud Ancervillam habemus, assignamus & concedimus eisdem. Item viginti solidos supra domum Robini damus eisdem & assignamus, & concedimus & de omnibus his emolumenta, fructus & proventus in perpetuum cum omnibus supradictis, eleemosynas omnes, seu legata sibi facienda, ascendentes usque ad summam quadraginta solidorum parvorum Turonensium duntaxat, damus & concedimus eisdem benignâ charitate cum cæteris donationibus, assignationibus, pitanciis quæ sub litteris prædecessorum nostrorum continentur & sciendum est, quod pro hujusmodi assignatione vel gratia sibi facta, dictus Conventus Missas duas quolibet anno de sancto Spiritu, unam & alteram de Beata Virgine quoad vixerimus, tenebitur sub voto Religionis celebrare, & post decessum nostrum, duas Missas de *Requiem*, in quibus dicti Fratres & Prior Conventûs, vel qui prædictarum pitanciarum deputatus, die anniversariorum prædictorum tenebitur facere pitanciam Fratribus congruentem. Et ut hæc præcedens assignatio stabilis & irrevocabilis remaneat in futurum, & ad

ipsam meliùs observandam, nos & successores nostros qui erunt, pro tempore firmiter sub voto Religionis nostræ obligamus; utque demus assignationis stabilitatem, nos prædictus Abbas supplicamus & petimus venerabili Patri Domino Henrico Abbati Regiæ-vallis Patri nostro, quatenùs hanc præsentem ordinationem & assignationem nostram dignetur confirmare. Nos verò Henricus Dei patientiâ Regiæ-vallis Abbas prædictam ordinationem & assignationem ratam & gratam habentes, prout piè & justè esse actam attendimus, autoritate paternâ quâ fungimur, confirmamus, & eandem præcipimus irrevocabiliter, sub pœna excommunicationis & voto Religionis observari. In cujus rei testimonium, sigillum nostrum, unà cum sigillis Abbatis & Conventûs dicti loci duximus apponendum. Datum anno Domini millesimo trecentesimo quinquagesimo, decimo quinto, die Maii 5.

Charta Conradi Archiepiscopi Moguntini, Ordinem Præmonstratensem in Iveldia *institutum confirmantis. Anno 1193.*

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Conradus Dei gratia Sabiensis episcopus, Moguntiæ Sedis Archiepiscopus, in perpetuum. Decet, & huic Pontificali quidem congruit dignitati, ut ea quæ ad honorem & gloriam Dei omnipotentis per discreti Ordinis rationem fidelium fuerint instituta, nostræ auctoritatis robur obtineant & vigorem; ne nostræ posteritatis successio, vel quisquam homo malignus studens malignari, regulariter & catholicè ordinata possit infringere, vel retractare, per quod factum devotorum hominum animi perturbentur. Unde ad notitiam universorum tam futuri, quàm præsentis ævi omnium Christi fidelium pervenire volumus, quod ex conniventia & ordinatione Patroni & Fundatoris Ecclesiæ in *Ilevelt* in eadem Ecclesia Canonici, qui Norbertini dicuntur, Præmonstratensis Ecclesiæ vitam & habitum gerentes, regulariter sunt instituti; in cujus Religionis habitu, multis retroactis temporibus Fratres ibidem degentes Domino devotissimè servirent. Unde quoniam omnis ætas pronior est ad malum, prædictæ Ecclesiæ in *Ilevelt*, & ejus Conventui talem nostræ auctoritatis probamus confirmationem, sub anathematis interpositione prohibentes, ne aliqua in posterum spiritualis secularisve persona Religionis habitum vel regulam, sub qua militatur Domino, vivendi normam videlicet Præmonstratensis Ecclesiæ, in alterius Religionis habitum, vel regulam per alterationem permutare præsumat. Ut autem hæc nostra constitutio rata permaneat in perpetuum & inconvulsa, præsentem paginam sigilli nostri impressione signavimus, & idoneorum subscriptione testium roboravimus, quorum nomina sunt hæc: Bardolphus Halberstad. Electus: Benns Hildesheim. Episcopus: Arnoldus major in Mog. Præpositus: Henricus Abbas S. Albani: Thirmarus Abbas de Monte S. Petri in *Erpsford*: Withekindus Abbas de valle S. Georgii: Bervicus Præpositus S. Severi: Capellani quoque Curiæ nostræ Sacerdotes: Arnoldus Decanus S. Mariæ in Mog. & Cunemannus: Scriptores Magister Warnerus de sancto Stephano, Hermannus & Harethmul: Laïci quoque Comes Christianus de *Rodenburg*: Bertholdus Vicedominus in *Erpsford*: Thidericus Pincerna noster, & frater ejus Thidericus Camerarius; Hellevicus de *Ringelthered*: Henricus Villicus in *Erpsford*: Hugo Magister; Ton & Tribudo, necnon & alii tam Clerici, quam Laïci viri, testes idonei. Acta sunt hæc anno Dominicæ Incarnat. MCXCIII. Indict. III. Domino Cælestino Apostolicæ sedi præsidente; Henrico VI. gloriosissimè Rom. Imperatore Imperium gubernante, & anno nostræ electionis in Mogunt. Archiepiscopatum XXXIV. exilii XXIX. reversionis verò ab exilio XI.

Charta Sigefridi Archiepiscopi Moguntini indulgentis fidelibus, præsertim de Northusin *sepulturam in Ecclesia* Iveldensi. *Anno 1223.*

SIgefridus Dei gratiâ sanctæ Moguntinæ Sedis Archiepiscopus. Scripti præsentis indicio ad cunctorum notitiam volumus pervenire; quòd nos ad honorem Religionis Ecclesiasticæ promovendæ, & ad sublevationem temporalis sustentationis regularis professionis in *Ilevelt* Dei famulis largiùs providendam, auctoritate, quâ fungimur, indulgemus, ut iidem Fratres quibuscunque apud ipsos postulantibus sepulturam conferant, salvâ tamen Plebani sui licentiâ, qui rogatus concedet suis Parochialibus apud dictum cœnobium sepeliri. Porrò hanc specialiter indulgentiam locum volumus obtinere circa Plebanos in *Northusin*, & in confinio eodem. Quod ut ratum & inconvulsum permaneat, scriptum istud sigillo nostro fecimus roborari. Datum apud Erfordiam VI. Kal. Novemb. Pontificatûs nostri anno XXIII. anno Incarnationis MCCXXIII.

† *S.* Sigefridi Archiep. Mogguntin.

Charta Henrici Comitis de Kirchperg, *transferentis quasdam possessiones in* Iveldenses. *Anno 1285.*

NOs Henricus Dei gratiâ Comes dictus *de Kirchperg*. Quoniam actiones hominum ex facili deleri possunt, necesse est ut firmentur robore litterali. Noverint igitur universi præsentes & futuri præsentem Chartam inspecturi, quod de bona voluntate nostra mansum & dimidium, & unam curiam in *Thabasites*, quos Henricus de *Widermuthe* Laïcus hactenùs à nobis habuit jure feudi, venerabilibus & in Christo dilectis Dominis Alberto & Conventui Ecclesiæ B. Mariæ Virginis *Ilevelt*, ad supplices preces prædicti Henrici, proprietatis titulo contulimus perpetuò possidendos. Dantes eis hanc litteram in hujus rei testimonium & munimen. Anno Dominicæ Incarnationis MCCLXXXV. IV. Non. Decembris.

Diploma Caroli IV. Romanorum Imperatoris protectorium & confirmativum Iveldensis *Abbatiæ. Anno 1365.*

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis feliciter, Amen. Carolus IV. divinâ favente clementiâ Romanorum Imperator semper Augustus, & Bohemiæ Rex; ad perpetuam rei memoriam venerabili Hermanno Abbati Ilveld. monasterii, Ordinis Præmonstratensis, totique Conventui ejusdem monasterii, suis & Imperii sacri devotis; dilectis, gratiam suam, & omne bonum. Devoti, dilecti &c. Quanquam Imperialis nostra benignitas suis & Imperii sacri fidelibus & devotis se in eorum justis requisitionibus semper exhibeat liberalem; votis tamen illorum proniùs & faciliùs condescendit, qui divino cultui sedulitus intenderunt, vitæ continentissimæ & exemplaris esse, & morum honestissimorum per magnam rerum experientiam comprobantur. Sanè his, quæ vestra supplicatio continebat, diligenter inspectis, videlicet, ut nostra Celsitudo Cæsarea dignaretur, intuitu nostri Domini Jesu Christi, ejusque beatissimæ Genitricis, bona monasterii vestri, quæ à piæ memoriæ quondam Eilgero Comite in *Honstein* Fundatore ipsius monasterii præ-

libati; necnon à pluribus Christi fidelibus in nemoribus, mansis, prædiis urbanis & rusticis, ac in pratis, pascuis, piscinis, vineis, pensionibus & censibus sunt legata, gratiosè appropriare, & appropriationes per divos quondam Romanorum Imperatores & Reges.... vestro monasterio factas ratificare, ac omnia gratiosissimè confirmare, ex liberali munificentia dextræ Cæsareæ: fideli devotione quam ad nos & sacrum Imperium geritis, diligenter attentis & consideratis etiam morum honestate ac sacra Religione, quibus vitam in hoc ducere concernimini, de plenitudine Cæsareæ potestatis, quâ publicè fungimur, ac de gratia speciali, de omnibus & singulis, quæ in vestra supplicatione continebantur, ut præmissum est, vobis & monasterio vestro prædicto gratiosè duximus complacendum; bona quæcunque legata tùm à dicto quondam Elgero, quàm à quibuslibet Christi fidelibus, monasterio vestro addicto appropriari & appropriata per divos quondam Romanorum Imperatores & Reges prædecessores nostros, pleniùs confirmantes, non obstantibus aliquibus legibus, quibus vel in municipalibus, seu constitutionibus tam factisquàm futuris, quibus obstantibus, vel obstare volentibus, quantùm est de nostra certa scientia, & non per errorem, totaliter derogamus, & esse intendimus omnimodè derogatum, ac si de eis & earum qualibet fieret mentio specialis. Nulli ergò omninò homini liceat hanc nostræ appropriationis, ratificationis & confirmationis paginam infringere, aut ei quovis ausu temerario contraire. Si quis autem contrarium attemptare præsumpserit, indignationem nostram, pœnamque quinquaginta marcarum auri puri, quarum medietatem fisci nostri Imperialis, & reliquam læsorum usibus applicari statuimus, toties, quoties contra factum fuerit, se noverit ipso facto irremissibiliter incursurum.

S. præmissum Principis & Domini Domini Caroli IV. Romanorum Imperatoris invictissimi & gloriosissimi Bohemiæ Regis.

Testes hujus rei sunt venerabiles Gerlacus Moguntinus Archiepiscopus, sacri Imperii per Alamanniam Archicancellarii; Marquardus Aquilegensis Patriarcha; illustris Rudolphus, Saxonum Dux, Archimarchallus; & Otto Marchio Brandenburg. Romani Imperii Principes Electores: venerabilis Joannes Olmacensis, Imperialis aulæ Cancellarius; Petrus *Ulixen* Apostolicæ sedis Nuntius; Johannes Wormacensis; Johannes Argentinensis; Lambertus Spinensis; Johannes Brixensis & Petrus Curiensis Ecclesiarum Episcopi: illustris Wilhelmus Misnicus, & Rudolphus de *Baden*, Marchiones: spectabiles Borchardus & Johannes Magdeburgenses; Fridericus Norinbergensis, Burggravii, Nobiles *Henrich* de *Schwartzburg*; Rudolphus & Johannes de *Wertheim*; Wolfram de *Oppenheim*, & alii quàm plurimi nostri & Imperii sacri Principes, Comites, Nobiles, & fideles, sub nostræ Imperialis majestatis sigillo, testimonio litterarum. Datum in *Franckfort* super Magum, anno Domini MCCCLXVI. Indict. IV. pridie Idus Septemb. regnorum nostrorum anno vicesimo primo; Imperii verò duodecimo.

Instrumentum quo jus patronatûs in Ecclesiam de Schilffe *adjudicatur Abbatiæ* Iveldensi. *Anno 1318.*

IN Nomine Domini, Amen. Nos Fredericus Decanus, & Gotscalcus, Canonicus Ecclesiæ, & Officiales Præpositura *Jechburg*, ex una; Meinardus in *Lecha*, & Hartmodus Archipresbyter Sedis in *Gruzen* Ecclesiarum Plebani, ex parte altera, in causa, quæ super jure patronatûs Ecclesiæ Parochialis in *Schilffe*, inter Dominum Albertum & Conventum in *Ilvelt*, & Commendatorem & Conventum Fratrum S. Johannis in *Wizzensee* vertitur, arbitri, seu amicabiles compositores hinc inde electi, visis instrumentis & probationibus partium; quia invenimus Dominum Albertum in *Ilvelt* pro sua intentione sufficienter probavisse, & Commendatorem & Conventum in *Wizzensee* prædictos in probatione defecisse, pronuntiamus sententialiter in his scriptis; Commendatorem & Conventum in *Wizzensee* nullum jus habere in Ecclesia *Schilffe* prædicta, & ipsis perpetuum silentium imponimus in prædictis; ita quòd iidem nullum jus in jure patronatûs in Ecclesia *Schilffe* de cætero usurpabunt. Dicimus etiam & pronuntiamus in his scriptis, quod idem jus patronatûs spectare debet ad Dominum Albertum in *Ilvelt* perpetuo, & ad suum Conventum. In quorum omnium certitudinem pleniorem hanc litteram dedimus sigillis Officiolatûs & Decanatûs nostri in *Jeche* sigillatam. Acta sunt hæc anno Domini MCCCXVIII. IV. Nonas Januarii.

Instrumentum quo jus patronatûs in Ecclesiam de Berghe *conceditur* Iveldensi *monasterio. Anno 1315.*

NOs Fredericus Decanus Ecclesiæ *Jechaburg*, recognoscimus litteras Reverendi Domini Eberhardi, Cantoris Ecclesiæ Moguntinæ, & Præpositi in *Jechaburg* recepisse in hæc verba: Eberhardus Dei gratiâ &c. Harum igitur auctoritate litterarum de statu & circumstantiis in *Berge*, & in *Osterhaba* Ecclesiarum nos diligentiùs inquirentes, de conjecturis propriis, & ex informatione aliorum discretorum invenimus, quòd collatio Ecclesiæ in *Osterhaba* Præposito in *Jechaburg* magis competebat, quàm in *Berge*, hac ex causa; quia ipse Præpositus est Patronus in *Westernhaba*, quæ villæ vix distant ad jactum lapidis, & quia in eadem villa vicina est Ecclesiæ Moguntinæ, & est in materia, quam Præpositum de Mogunt. Jechenb. jure contingit. Præterea villa *Berge* sita est in finibus Præpositi, & apud monasterium *Ilvelt*, ita quòd magis competit illi Ecclesiæ ibi Capellanum habere propter multa commoda, quæ ipsi Ecclesiæ in *Ilvelt* exinde poterunt provenire. Ex his omnibus causis æquanimiter consideratis & pensatis, permutationem prædictarum Ecclesiarum in nomine Domini admittimus pro præsentibus, ita ut quando Ecclesia in *Osterhaba* vacaverit, ipsam Dominus Præpositus in *Jechab*, vel suus successor conferre habebit. E converso Dominus Albertus in *Ilvelt*, vel quicumque pro tempore fuerit, Ecclesiam in *Berge*, cùm ad id se obtulerit facultas, conferendi liberam habeat potestatem. In quorum omnium perpetuam firmitatem Ecclesiæ in *Ilveld* prædictæ has nostras litteras dedimus, Decanatûs nostri & Officialiatûs in *Jechenburg* sigillis fideliter sigillatas. Testes hujus sunt Dominus H. Scholasticus; Gotscalcus de *Verunse*, Canon. Ecclesiæ *Jecheb.* Datum anno MCCCXV. pridie Idus Julii.

Charta Henrici Moguntinensis Archiepiscopi, concedentis monasterio Iveldensi *plures Parochiales. Anno 1333.*

HEnricus Dei gratiâ sanctæ Moguntinæ sedis Archiepiscopus, sacri Imperii per Germaniam Archicancellarius, dilectis in Christo Albello & Conventui monasterii in *Ilveld*, Præmonstr. Ordinis, Mogunt. diœcesis, salutem in Domino. Justis petentium desideriis dignum est nos facilem præbere consensum, & vota, quæ à rationis tramite non recedunt, effectu prosequente complere. Ea propter,

vestris devotis precibus inclinati, obtentu quoque dilecti fidelis nostri Henrici nobilis viri Comitis de *Honstein*, cujus precibus nolumus refragari, auctoritate præsentium vobis indulgemus, ut parochiales Ecclesias in villis *Gruzen*, *Holzengilde*, *Veldengilde*, *Bercka*, *Belstethe*, *Hesserode*, *Sunthausen*, *Girsbuchetrode*, *Saxwersen*, *Vockenrode*, quarum jus patronatûs progenitores sui, qui vestrum monasterium fundavisse noscuntur, ac ipsemet, necnon alii Ecclesiæ vestræ fautores, vobis vestrisque successoribus contulerunt, habeatis pleno jure, ita quòd officietis easdem per idoneas personas domûs vestræ, aut Fratres, jure tam Archidiaconi, quàm nostro per omnia nobis salvo, proventus ipsarum Parochiarum in usus propositos licitè convertentes. Nulli igitur omninò hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, seu ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentaverit, seu attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & B. Martini, ac nostram se noverit incursurum. Datum anno Domini MCCCXXXIII. 3. Idus Septembris.

Charta Odonis II. Episcopi Bellovacensis pro introductione Canonicorum Præmonstratensium in Abbatiam S. Justi. *An. 1147.*

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Amen. Quoniam mundus in maligno positus est, crescente versutiâ seculi, & invalescentibus insidiis hostis antiqui vigilanter præcavere debet devotio fidelium, ne quid molestiæ & inquietudinis patiantur novellæ plantationes Ecclesiarum. Sit ergò notum omnibus quoniam ego Odo II. (a) Dei gratiâ indignè vocatus Belvacensis episcopus, consensu & assensu Capituli nostri; apud S. Justum in Ecclesia nostra Canonicos regulares posui de Ordine Præmonstratensi, & de Ecclesia S. Jodoci, eisque de suo ipsorum Collegio, Religiosum Abbatem præfeci, nomine Joannem. Contuli etiam eidem loco & confirmavi quidquid venerabiles prædecessores nostri Belvacenses Episcopi, Dominus Godefridus, D. Petrus, & D. Odo contulerunt. Justitiam scilicet post Episcopum Ecclesiasticam; jus Archidiaconale, Capellaniam integram totius Capellaniæ. Quod ut ratum &c. Datum anno Verbi incarnati 1147. Indictione x. regnante Ludovico, Ludovici Regis filio. Anno regni ejus x.

Charta Henrici Archiepiscopi Remensis pro confirmatione juris Annatarum. An. 1163.

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ego Henricus Dei miseratione Rhemorum Archiepiscopus, universis Ecclesiæ filiis tam præsentibus quàm futuris, salutem in perpetuum. Quoniam nostri regiminis cura exigit Ecclesiarum patrimonia & fidelium eleemosynas, ad Dei honorem & Ecclesiæ utilitatem, adversus malignantes seculi indesinenter emergentes defensare calumnias; ea propter Ecclesiæ S. Justi nostræ quondam alumnæ, & filiis nostris dilectissimis in eadem Deo tirocinantibus confirmare curavimus quædam beneficia sibi quondam à nobis collata, dùm Ecclesiæ Belvacensi præsideremus, domum scilicet de *Morangulo*, cum universis appenditiis, & Annalia quinque Ecclesiarum Belvacensium, videlicet S. Mariæ, S. Michaëlis, S. Bartholomæi, S. Laurentii & S. Vedasti, quoquo modo mutatio personæ fiat. Quod ut in perpetuum ratum & inconvulsum permaneat, præsentem paginam & sigilli nostri auctoritate, & testium subscriptorum, muniri præcipimus. Actum anno Verbi incarnati 1163. Indictictione undecimâ, regnante Ludovico Rege Francorum, anno regni ejus xxvi. Archiepiscopatûs secundo.

Bulla Gregorii IX. pro confirmatione juris Annatarum in gratiam S. Justi. *An. 1238.*

GRegorius Episcopus servus Servorum Dei. Dilectis filiis & Conventui S. Justi Præmonstratensis Ordinis, Belvacensis diœcesis, salutem & Apostolicam benedictionem. Solet annuere sedes Apostolica piis votis & honestis precibus favorem benevolum impertiri. Ex parte siquidem vestra fuit nobis humiliter supplicatum, ut cùm bonæ memoriæ Henricus Belvacensis episcopus, monasterii vestri paupertate pensatâ, quosdam redditus, qui Annualia vulgariter nuncupantur, in S. Mariæ, S. Michaelis, S. Bartholomæi, S. Laurentii & S. Vedasti Ecclesiis Belvacensibus percipiendos annis singulis, Capituli sui accedente consensu, prout spectabat ad ipsum, duxerit liberaliter concedendos, sicut in litteris ejusdem Episcopi dicitur plenius contineri. Quod ab ipso proinde super hoc factum est, Apostolico curaremus munimine roborare. Nos igitur vestris precibus inclinati, eosdem redditus, sicut ipsos justè & pacificè possidetis, vobis & per vos monasterio vestro auctoritate Apostolicâ confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & BB. Petri & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Viterbii 14. Kal. Junii, Pontificatûs nostri anno xi.

Charta Euphemiæ Dominæ de Vaudronis-villa *pro donatione* Justimontis *anno 1124.*

EGo Euphemia Domina de Vaudronis-villa ex consilio & consensu fratris mei Ursionis Dei gratiâ Ecclesiæ Virdunensis episcopi, pro remedio animæ meæ, & omnium hæredum meorum, dedi viro Religioso Domino Zachariæ primo Abbati Justimontis, ipsum montem cum pertinentiis suis, ut in eodem monte Ecclesiam ad honorem Dei & ejusdem Genitricis Mariæ construeret. Item etiam eidem viro, suisque successoribus in perpetuum, villam meam de *Beuvranges*, quæ in pede dicti montis sita est, dedi, cum banno & pertinentiis suis, cum servis & ancillis, in eadem villa submanentibus ad me de jure hæreditario pertinentibus, dicto Abbati & tam præsentibus quàm futuris Fratribus in puram eleemosynam donavi & contuli perpetuò possidendam, & ut firmum & stabile permaneret, annulum sigilli mei appensione communiri decrevi, anno ab Incarnatione Dominica millesimo centesimo vigesimo quarto.

(a) Tertius in Ordine existit. Hunc quippè præcesserunt Odo antea Corbeiensis Abbas. Et anno 1160. Episcopus creatus II. fuit, Odo quondam Abbas S. Simphoriani electus Episcopus anno 1136. III. est Odo noster priùs Abbas S. Geremari Flaviacensis in Episcopum assumptus anno 1144. & denatus circa annum 1149.

Bulla Alexandri III. pro confirmatione bonorum Justimontis *anno 1181.*

ALexander Episcopus servus Servorum Dei, dilectis filiis Abbati Justimontis. Quoties à nobis petitur quod Religioni & honestati convenire dignoscitur, animo nos decet libenti concedere, & petentium desideriis congruum suffragium impertiri. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & præfatam Ecclesiam Justimontis, in qua divino mancipati estis obsequio, sub B. Petri & nostra protectione suscipimus; & præsentis scripti privilegio communimus. In primis siquidem statuentes, ut Ordo Canonicus, qui secundùm Deum, & B. Augustini regulam, atque institutionem Præmonstratensium Fratrum in eadem Ecclesia institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascunque possessiones, quæcunque bona eadem Ecclesia in præsentiarum justè & canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum, vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis præstante Domino poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant, ex quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipsum in quo præfata Ecclesia sita est cum omnibus pertinentiis suis. Allodium de *Bovengis* cum pertinentiis suis. Allodium de *Firmecourt*. Hortum de *Morvre* quem dedit vobis Theoricus de *Marseio* laudante uxore suâ Euphemiâ, & filio suo Simone, & filiabus ejusdem Euphemia, Mathilde, Elisabeth & Petronilla, earumque viris laudantibus. Terras & vineas quas habetis in banno *Viersacs*. Vineas de *Suarcen* & de *Huppigny* quas vobis dederunt frater Fridericus, & frater ejus. Terram in cacumine montis præfati, & frustrum nemoris, & octavam partem de *Bobos*. Pratum apud *Calvangis* quod dedit vobis Alardus de *Bodangis*, assensu filiorum & filiarum suarum. Molendina in *Urna*. Duo virgulta apud *Bodangis* jacentia, quorum alterum dedit vobis Hugo Conversus, dimidietatem verò alterius Arnulphus de *Susangis* assensu filiorum filiarumque suarum; alteram partem *Cunza Bodangis*. Allodium de *Gandrange*, super Urnam fluvium situm cum banno, & cum familia & omnibus appenditiis suis. Quidquid apud *Marenge* & apud *Veange* de eodem allodio possidetis, quod allodium contulit vobis Elbertus quondam Abbas S. Huberti assensu bonæ memoriæ Rodulphi Leodiensis episcopi & totius Capituli sui; eâ conditione quod singulis annis monachis S. Huberti quadraginta solidos Catalaunensis monetæ persolvetis in Septembri die natalis B. Virginis. Terram cum banno d'*Amelange* quam bonæ memoriæ Hillinus Trevirensis Archiepiscopus assensu Joannis de *Brouille* & *Pagani albi* & Henrici Ducis vobis dedit, & scripti sui munimine roboravit, in qua quandam partem decimæ habetis ex concessione Isembardi Abbatis Gorziensis, & totius Capituli assensu. Unde ipsi Ecclesiæ quindecim quartas annonæ in festo S. Remigii persolvitis, ita quod exceptis duabus leguminis, dimidietas erit avenæ. Terram quam Judith de *Arganey* & filiæ ejus dederunt vobis, assensu Dominorum de quibus in feodo tenebat. Pratum quod Gaufridus de *Heenges* dedit vobis, & aliud pratum quod Berneldus de *Teonis-villa* vobis dedit. Pratum quod dedit vobis Lambertus parvus, & Arnulpha mater, terræ suæ pro anima Arnulphi avunculi sui. Pratum quod Galterus Malamenus de *Marsbach* vobis dedit. Grangiam de *Staples* in qua Odo & filii ejus Radulphus, & Theodoricus; triginta jornales allodii vobis dederunt, & alios triginta quos Alexander de *Wapeis* vobis dedit. Terram quam Theodericus filius Rikildis vobis dedit. Terram quoque cum banno & universis in sylvis seu pratis ad ipsam pertinentibus quam Gervasius de *Lacceķis* pro salute animæ suæ, tam uxoris suæ quàm filiorum assensu, vobis in perpetuum dedit sub annuo censu unius marcæ argenti quam præfato Gervasio vel ipsius successoribus, singulis annis in festo S. Clementis, vel infra Octavas, persolvitis. Trium quoque jugerum commutationem quæ commodiùs & viciniùs vestro horreo ibidem sito, adjacent, pro tribus aliis jugeribus utiliùs adjacentibus S. Vincentii Fratribus quorum duo secùs terram S. Vincentii, scilicet sub prato Gervasii jacent; tertium verò ad Salicem secùs viam quandam partem decimæ de *Falmacres* quam Lefaldus quondam Abbas sancti Martini assensu Capituli sui vobis dedit & confirmavit. Terram videlicet quæ jacet inter duas vias Justimontis, quarum una ducit ad Abbatiam, altera de sub fonte per medium *Bobos* usque ad novas *Cassas*, salvo censu quinque solidorum Metensis monetæ, quorum in festo S. Martini viginti duos denarios Sacerdoti de *Falmacres*, & tres solidos & dimidium Abbati S. Martini persolvitis. Duas fessas quas habetis apud *Marsas* quas Stephanus quondam episcopus Metensis liberas fecit. Curiam de *Hameviller* cum decima, salvo censu quinque solidorum Metensis monetæ quos Ecclesiæ S. Clodesindis annuatim persolvitis, & terras ad Curiam pertinentes. Terram scilicet S. Huberti, salvo censu octo solidorum monachis ejusdem Ecclesiæ apud *Sancy* annuatim persolvendorum. Terram S. Xisti de *Rutila* quam liberè ab eadem Ecclesia possideris data commutatione alterius terræ scilicet de *Burmelangis*, *Hazembach* & *Biseretho* quas dederunt vobis Galterus de *Grangis* & uxor ejus Leuchardis; Advocatiam quoque terræ de *Humeviller* quam Gerardus in eleemolynam vobis dedit. Grangiam de *Corneleus* quam vobis dederunt Hugo de *Turre* & filius ejus Theodericus. Decimam de *Herrus*. Allodia de *Radruth*, de *Druzine*, & de *Harnencourt*, quæ Gaudefridus de *Cunz* & filius ejus assensu nepotum hæredum suorum vobis dederunt. Terram quoque totam quam Lambertus & mater ejus de *Domisum* stabulo habebant in confinio præfati *Radruth*. Pratum quod vobis Rolandus assensu filiorum suorum vobis dedit. & aliud pratum quod uxor Gerardi de *Virtun* apud *Gisoncourt* vobis dedit. Minutum etiam nemus cujus dimidietatem dederunt vobis Godefridus *Cunz*, & filius ejus Galterus, Gassilius & Girardus de *Virtuns* Gervasius & Almaricus de *Bu*, Alburs & filius ejus Rogerius. Alteram verò medietatem dederunt vobis Petrus Miles prædictæ Ecclesiæ Henricus & Petrus tractum Ecclesiæ de *Rouveros* cum medietate decimarum quem Abbas S. Mansueti Tullensis respectu quindecim solidorum Catalaunensis monetæ prædictæ Ecclosiæ in festo S. Remigii vel Omnium Sanctorum annuatim persolvendorum in perpetuum concessit. Vineam de *Nouverais* quam Elisabeth Sanctimonialis assensu hæredum suorum vobis dedit. Allodium de *Grangia* quod Galterus & filius ejus Odo & Radulphus vobis dederunt. Allodium de *Busse*, quod vobis dederunt Margareta, Otto & uxor ejus & filii eorum Gerlandus, Beradus & Domicuria soror eorum. Mansum etiam sexaginta jornalium allodii quæ Odilia de *Godelangis* vobis dedit, & aliud allodium totidem jornalium quod vobis dederunt Vescelo & frater ejus Henricus, & decimas de *Hamelangis*, pro quibus ministris Abbatis Gorziensis annuatim quindecim quartas annonæ circa festum S. Martini persolvitis quarum dimidietas est avenæ, excepto quod duæ quartæ sunt leguminis. Sanè no-


valium vestrorum quæ propriis manibus aut sumptibus colitis, sive de nutrimentis animalium vestrorum, nullus à vobis decimas exigere præsumat; liceat quoque vobis Clericos vel Laïcos è seculo fugientes liberos & absolutos ad conversionem recipere, & eos absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper, ut nulli Fratrum vestrorum post factam in eodem loco professionem fas sit absque Abbatis sui licentia retinere, de eodem loco discedere, discedentem verò absque communium litterarum cautione nullus audeat retinere. Cùm autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis clausis januis, exclusis excommunicatis & interdictis, non pulsatis campanis, suppressâ voce divina officia celebrare. Libertates præterea & immunitates Ecclesiæ vestræ indultas hactenùs observatas, ratas habemus, & eas perpetuis temporibus illibatas permanere sancimus. Pro Chrismate verò, Oleo sancto consecrationibus Ecclesiarum, ordinationibus Clericorum qui ad sacros Ordines fuerint promovendi, seu Abbate deducendo ad Sedem, vel quibuslibet aliis Ecclesiasticis officiis, nullus à vobis aut sub obtentu consuetudinis aut quolibet alio modo quidquam audeat postulare. Præterea novas & indebitas exactiones ab Archiepiscopis, Episcopis, Archidiaconis seu Decanis, aliisve omnibus Ecclesiasticis personis omninò fieri prohibemus. In parochialibus autem Ecclesiis quas habetis, liceat vobis quatuor vel tres ad minùs de Canonicis vestris ponere quorum unus Diœcesano Episcopo præsentetur, ut ei curam animarum committat, ita quidem quòd ei de spiritualibus, vobis verò de temporalibus debeat respondere. Sepulturam præterea ipsius loci liberam esse decernimus, ut eorum devotioni, & extremæ voluntati qui se illic sepeliri desideraverint; nisi fortè excommunicati vel interdicti sint, nullus obsistat, salvâ tamen justitiâ illarum Ecclesiarum à quibus mortuorum corpora assumuntur. Paci quoque & tranquillitati vestræ præterea paternâ sollicitudine providere volentes, autoritate Apostolicâ prohibemus ut infra Clausuras locorum seu grangiarum vestrarum, nullus violentiam, vel rapinam, seu furtum committere, ignem apponere, aut hominem capere vel interdicere audeat. Decernimus igitur ut nulli omninò hominum fas sit præfatam Ecclesiam temerè perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur, eorum pro quorum sustentatione, aut gubernatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salvâ sedis Apostolicæ autoritate, & Diœcesani Episcopi canonicâ justitiâ. Si quæ igitur in futurum, Ecclesiastica secularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temerè venire tentaverit, secundò, tertiòve commonita, nisi reatum suum dignâ satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se digno judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo Corpore ac Sanguine Dei & Domini nostri Jesu Christi receptione aliena fiat, atque in extremo examine divinæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus, sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenùs & hìc fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniant, Amen. Amen. Amen. Ego Alexander Catholicæ Ecclesiæ Episcopus. Ego Petrus Presbyter Cardinalis tituli S. Susannæ. Ego Vivianus Presbyter Cardinalis tituli S. Stephani in Cœliomonte. Ego Arduinus Presbyter Cardinalis tituli sanctæ Crucis in Jerusalem. Ego Jacobus Cardinalis Diaconus sanctæ Mariæ in Cosmedin. Ego Joannes Diaconus Cardinalis S. Angeli. Ego Mathæus sanctæ Mariæ novæ Diaconus Cardinalis. Datum Viterbii per manum Alberti sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyteri Cardinalis & Cancellarii, septimo Julii, Indictione decimâ quartâ, Incarnationis Dominicæ anno millesimo centesimo octogesimo primo, Pontificatûs verò D. Alexandri Papæ III. vigesimo primo.

Charta Theobaldi Comitis Barri, conferentis Ecclesiæ Justimontis *allodium suum de* Franchie-Preie. *Anno 1243.*

EGo Theobaldus Comes Barri-Ducis, notum facio universis præsentes litteras inspecturis, quòd ego pro remedio animæ meæ & antecessorum meorum, contuli & concessi in puram & perpetuam eleemosynam domui & Ecclesiæ Justimontis domum meam de *Franchie-Preie*, cum ejusdem domûs appenditiis possidendorum. In cujus testimonium præsentes litteras sigilli mei munimine roboravi, anno Domini MCC. quadragesimo tertio, mense Junio.

FINIS PROBATIONUM TOMI PRIMI.

INDEX



INDEX

RERUM PROBATIONUM Tomi I. Monasteriologiæ Præmonstratensis.

viomensi

 Ccc

F

G

H

ERRATA PROBATIONUM.

Stupetis, Lector, quot tot menda in hac primi tomi Editione irrepserint, non tam Typographi, quàm amanuensium in scribendo incuriæ sunt adscribenda.

Columna xxj. linea 57. Waltеri, *lege*, Walteri.
Colum. xxiij, l. 59. Præmonstratem, *lege*, Præmonstratensem.
colum. xxiv. lin. 60. dicas, *lege*, diætas.
colum. xxx, lin. 58. Canonicus, *lege*, Præpositus.
colum. xxxiv, lin. 57. mittendis, *lege*, mittentis.
colum. xxxv, lin. 31. Jem, *lege*, Item.
colum. xxxviij, lin. 12 Inclita, *lege*, Inclinæ. *Ibid.* lin. 32. Regum, *lege*, Regnum.
colum. xlj. lin. 44, filialibus, *lege*, filiabus.
colum. xlij. lin. 1 *dele*, debito cur.
colum. xliij. lin. 7. poteSterum, *lege*, posterum.
colum. xlvj. lin. 15. roboravi, *lege*, roborari.
colum. xlviij lin. 51. Ecclesiasticis, *lege*, indulgentiis.
colum. lx. lin. 1. omnibus, *lege*, in omnibus.
colum. lxij. lin. 47. signante, *lege*, regnante.
colum. lxiv. lin. 5. Jaliniaci, *lege*, Janiliaci.
colum. lxv lin. 13. Ermengerdis, *lege*, Ermengardis
colum. lxix lin. 22. item, *lege*, idem.
colum. lxx, lin. 18. Anselwi, *lege* Anselmi.
colum. lxxij. lin. 25. *dele* Filius
colum. lxxiv. lin. 14 aliorum, *lege*, aliarum. *Ibid.* lin. 61 Falever, *lege*, Falcoer. *Ibid.* lin. 66. In Hatoit, *lege*, in Haloit. *Ibid.* lin. Sifchy *lege*, Fifchy. *Ibid.* lin. 67. post unum, *supple* terram omnis Aucupis & Rohardi; subtus viam de terra Rohardi campum unum.
colum. lxxviij. lin. 49. cantuadium, *lege*, cantuarium.
colum. lxxix lin. 7 Viralns, *lege*, Vilains.
colum. lxxx. lin. 67. Domus, *lege*, Dominus.
colum. lxxxj lin. 3. Domino, *lege*, coram Domino. *Ibid.* lin. 51. illo, *lege*, illi.
colum. lxxxij. lin. 11. post protectione, *supple* suscipimus, & præsentis scripti privilegio.
colum. lxxxiij. lin. 55. Kendale, *lege*, Rendale. *Ibid.* lin. 64. Wulkacres, *lege*, Wulfacres.
colum. lxxxiv. lin. 56. Kanes, *lege*, Ranes. *Ibid.* lin 61. Rane, *lege*, Ram.
colum. lxxxv. lin 19. 3. *lege*, 2.
colum. lxxxvj lin. 7. pressoribus, lege pressoriis.
colum. lxxxvij. lin. 59. Gaudefrinus, lege Gaudefridus
colum. lxxxix. lin. 16. Tresnel, *lege*, Fresnel. *Ibid.* lin. 18. *supple* 1207. *Ibid.* lin. 44. Wryanem, *lege*, Bryanem.
colum. xc. lin. 32. Chertone, *lege* Chettone. *Ibid.* lin. 50. hagle, *lege*, Halghe.
colum. xcj. lin. 11. Elkington, *lege*, Ellington. *Ibid.* lin. 16 Dunelmensi, *lege*, Dunelmensi. *Ibid.* lin. 24. Heschrubia, *lege*, Heschrugia.
colum. xciv. lin. 16. protectionis, lege sublimitatis. *Ibid.* lin. 30. tencantur, *lege*, tueantur. *Ibid.* lin. 47. 57. Lona, *lege*, Zona. *Ibid.* lin. 60. piscatoribus, *lege*, piscationibus.
colum. xcv. lin. 19. verlaretur, *lege*, veneretur. *Ibid.* lin. 37. & Karoo, *lege*, Eckardo. *Ibid.* lin. 4. meæ, *lege*, nostræ.
colum. xcvj. lin. 36. Lona, *lege*, Zona. *Ibid.* lin. 37. piscatoribus, *lege*, piscationibus
colum. xcviij. lin. 63. cœnobicum, *lege*, cœnobium.
colum. cj. lin. 15 1454. *lege*, 1154
colum. ciij. *supple*, curiam in Bodeshusen. *Ibid.* lin. 54. DCCCXXXij, *lege*, DCCCXXij. *Ibid.* lin. 67. *dele*, ut.
colum. civ. lin. 2. credo, *lege*, credendo. *Ibid.* lin. 3. sperando, *lege*, pavendo. *Ibid.* lin. 9. Iberus, *lege*, Iberius. *Ibid.* l. 30. *post* reliquiæ, *supple*, S. Mariæ semper Virginis, & in titulo de dextera parte, inveni reliquiæ S. Pelagiæ. *Ibid.* lin. 71. fernas, *lege*, Sernas.
colum. cv. lin. 2. *dele* fructis. *Ibid.* lin. 33. Setmino, *lege*, Sesmino. *Ibid.* lin. 41 Saymes, *lege*, Sayones.
colum. cvj. lin. 10. laborandum, *lege*, roborandum. *Ibid.* lin. 29. præcedente, improb. *lege*, , præcedente improb. *Ibid.* lin. 63. Legoviensis, *lege*, Segoviensis. *Ibid.* lin. 66. Navarran, *lege*, Navarron.
colum cvij. lin. 59. sibi, *lege*, ibi. *Ibid.* lin. 65. Toleræ, *lege*, Toletanæ.
colum. cviij. lin. 31. Roderici, lege Rodericus *Ibid.* lin. 56. futuro, *lege*, futurum.
colum. cx. lin. 1. Tirci, *lege*, S. Tirsi.
colum cxj lin. 42. ædificaverunt, *lege*, adfidicaverunt. *Ibid.* lin. 10. Ælardo, *lege*, Cælardo. *Ibid.* *ante* post, *supple*, nisi. *Ibid.* lin. *post*, quia, *supple*, nothus erat. ob.
colum. cxij. lin. 15. ex, *lege*, est. *Ibid.* lin. 18. Ovardus, *lege*, Odardus.
colum. cxvj. lin. 8. ad m. consanguinibus, *lege*, consanguineus.
colum. cxvij. lin. 44. Canonicam, *lege*, Canoniam.
colum. cxviij. lin. 12. Weltere, *lege*, Welhere. *Ibid.* lin. 15. Geinele, *lege*, Geivele.
colum. cxix. lin. 15 & commodis, *lege*, omnimodis. *Ibid.* Gracianus, *lege*, Gratianus.
colum. cxxj. lin. 6 Salenæ, *lege*, Sabinæ.
colum. cxxiv. lin. 26. *post* debere, *supple*, confovere
colum. cxxvij. lin. 6, Waganhes, *lege*, Wahanges. *Ibid.* lin. 58 prætextatam, *lege*, prætaxatam. *Ibid.* lin. 63 Diolo, *lege*, Diolo.
colum. cxxx. lin. 32. Ludovi, *lege*, Ludovici. *Ibid.* lin. 58 Zualquella, *lege*, Quaquella.
colum. cxxxj. lin. 26. Rincy, *lege*, Rincq. *Ibid.* lin. 29. 34. corbela, *lege*, Creseca. *Ibid.* lin. 65. Clo, *lege*, Ego.
colum. cxxxj. lin. 6. ad m. Innocentium, *lege*, Eugenium.
colum. cxxxiij. lin. 4. S. Martini, *lege*, de Viconia. *Ibid.* lin. *supple* 2. Gilberti de monte Sancti Martini. *Ibid.* *post* S. *supple*, Adæ.
colum. cxxxiv. lin. 9. Carnulphi, *lege*, Ernulphi. *Ibid.* lin. 17. Bortne-linghem, *lege*, Bonne-linghem. *Ibid.* lin. Robevilla, *lege*, Orbevilla *Ibid.* lin. 66. Rincy, *lege*, Rincq
colum. cxxxv. lin 41. *post*, terragio, *supple*, in perpetuum tenens; unam carrucam terræ apud. *Ibid.* lin. 57. Gurrardi, *lege*, Everardi.
colum. cxxxvj lin. 45. Romy, *lege*, Bomii. *Ibid.* lin. 47. Boucy, *lege*, Bomii. *Ibid.* lin. 48. balerils, *lege*, raleriis.
colum cxxxvij. lin. 62. *ante* sex, *supple*, usque ad.
colum. cxxxviij. lin. 44. flavale, *lege*, flavele. *Ibid.* lin. 46 Rouchout, *lege*, Bouchout. *Ibid.* lin. 25. 1223, *lege*, 1220.
colum. cxlv. lin. 6. nomine, *lege*, homine. *Ibid.* lin. 10. Ludovici, *lege*, Judoci. *Ibid.* lin. 30 prædicta, *lege*, prædicto. *Ibid.* lin. 35. Borgone Nulette, *lege*, Rorgone Mulette.
colum cxlvij. lin. 19. anni, *lege*, Junii. *Ibid.* lin. 22. Augustius, *lege*, Augustinus. *Ibid.* lin. 40. dicitur Dzeneye, *lege*, dicitur Dreneye. *Ibid.* lin. 52. Malmesgare, *lege*, Walmesgare. *Ibid.* lin. 57. Sazeby, *lege*, Sazeby.
colum. cxlviij. lin. 4. Mest-Markham, *lege*, West-markham. *Ibid.* lin. 13. Duatham, *lege*, Duncham. *Ibid.* lin. 19. Thoilhelmi, *lege*, Wilhelmi. *Ibid.* lin. 30. clivestion, *lege*, Clipesion. *Ibid.* lin. 45 Mraggeby, *lege*, Wraggeby. *Ibid.* lin. 49. Mest-wike, *lege*, West-vike. *Ibid.* lin. 51. Hotingham, *lege*, Notingham.
colum. cl. lin. 4. Prose, *lege*, Prosel.
colum. cliij. lin 21. etiam, *lege*, tam.
colum. cliv. lin. 56. vocatis, *lege*, vocatas.
colum. clvj. lin. 47. illa, *lege*, illæ.
colum. clviij. lin. 42 Dominiorum, *lege*, Dominorum.
colum. clx. lin. 32. Illud revert, *lege*, illue non revert.
colum. clxj. lin. 42. castriatos, *lege*, castratos.
colum. clxiij. lin. 50. promittitur, *lege*, præmittitur. *Ibid.* lin. 67. Rossardia, *lege*, Kossardia.
colum. clxv. lin. 41. devectus, *lege*, dejectus.
colum. clxx. lin. 48. publicavi, *lege*, publicam.
colum. clxxj. lin. 64. permittur, *lege*, præmittur.
colum. clxxiij. lin. 71. Apostolicis, *lege*, Apostolis.
colum. clxxviij. lin. 22. Informavi, *lege*, informari.
colum. cccxij. lin. 49. Jorlelo, *lege*, Jorscio.
colum. cccxiij. lin. 14. ac, *lege*, liceat *Ibid.* lin 65. Theodorinus, *lege*, Theodinus.
colum. cccxvj. lin. 8. dommeige, *supple*, ils sont tenus de vendre le chapel & le dommeige.
colum. cccxix. lin. 17. domi, *lege*, dont.
colum. cccxxiij. lin. 19. culveris, *lege*, culturis. *Ibid.* lin. 51. arabiles tres, *lege*, arabiles. In.
colum. cccxxx. lin. 66. numtrare, *lege*, numerari.
colum. cccxxxij. lin. 67. Mygisleye, *lege*, Wygesley.
colum. cccxxxiij lin. 1. Migesleie, *lege*, Wigesleie. *Ibid.* lin. 21. Heuland, *lege*, Neuland. *Ibid.* lin. 29 filius, *lege*, filii. *Ibid.* lin. 42. chaipol, *lege*, claipol. *Ibid.* lin. 48. Forkeley, *lege*, Tockesey.
colum. cccxxxiv. lin. 43. Razam, *lege*, Izaram.
colum. cccxxxv. lin. 53. comesso, *lege*, commisso.
colum. cccxxxvj. lin. 9 abolatam, *lege*, obolatam. *Ibid.* lin. 65. prima, *lege*, undecima.
colum. cccxxxviij. lin. 2. 4. Rogerus, *lege*, Galterus.
colum. ccclv. l. 31. Mertseri, *lege*, Mercheri.
colum. ccclvj. lin. 62. *dele*, &c. *Ibid.* lin. 63. ne, *lege*, nec.
colum. ccclvij lin. 37. villam, *lege*, silvam. *Ibid.* lin. 38. Viviam, *lege*, Verlam. *Ibid.* lin. 39 Sata, *lege*, Sarta. *Ibid.* lin. 43. sub lana, *lege*, sublana.
colum. ccclviij. lin. 46. 8°. *lege*, 80°.
colum. ccclxj. lin. 26. primo, *lege*, quarto. *Ibid* lin. 30. 1626, *lege*, 1627. *Ibid.* lin. 31. Catemeliboci, *lege*, Catemelliboci.
colum. ccclxij. lin. 30. *post* temporaliter, *supple*, illic æternaliter.
colum. ccclxiv. lin. 30. 1626. *lege*, 1627.
colum. ccclxxj. lin. 61. Ilmanus, *lege*, Ismarus.
colum. ccclxxij. lin. 49. decimus, *lege*, decimis. *Ibid.* lin. 51. *dele*, nemoribus, campestribus, montibus.
colum. ccclxxiv lin. 51. *post* Theloneum, *supple*, accipere. Quòd qui fecerit, viginti libras auri pro pœna.
colum. ccclxxv. lin. 35. qualemque, *lege* quatenus. *Ibid.* lin. 39. Cancellarius, *lege*, Cellarius *Ibid.* lin. 44. Sefedensi, *lege*, Scheidensi. *Ibid.* lin. 57. hunc, *lege*, huic. Lin. 8. ad marg. manibus, *lege*, mœnibus.
colum. ccclxxvj. lin. 26 prout, *dele*, ut. Ad marg. Godefridum, *lege*, Segefridum.
colum. ccclxxxj. lin. 34. canonice, *lege*, Canonici.
colum. ccclxxxij. lin. 70 Idem, *lege*, eidem.
colum. ccclxxxiij. lin. 42. Baro, *lege*, Bavo. *Ibid.* lin. 61. omni, *lege*, omnis.
colum. ccclxxxiv. lin. 23. Ragenhant, *lege*, Ragenhart. *Ibid.* lin. 35. filli, *lege*, fili.
colum. ccclxxxv. lin. 18. 3. *lege*, 4. *Ibid.* lin. 61. *dele*, anno 1157.
colum. ccclxxxvj. lin. 32. Urnelt, *lege*, Urvelt.
colum. ccclxxxviij. lin. 2. Himmissart, *lege*, Himmissart. *Ibid.* lin. 49. 14. *lege*, 15. *Ibid.* lin. 70. 1181, *lege*, 1181.
colum. cccxc. lin. 2. secundo, *lege*, tertio *Ibid.* lin. 35. *dele*, &c.
colum. cccxcj. lin. 31. 1077. *lege*, 1107. *Ibid.* Alval, *lege*, Alvar. *Ibid.* lin. 70 *post* populator, *adde*, & non populator.
colum. cccxcij. lin. 1. Gonzalico, *lege*, de Gonzalvo. *Ibid.* lin 10. *adde*, & non populator. *Ibid.* lin. 38. hæreditas, *lege*, hæreditates. *Ibid.* lin. 53 fecerit, *lege*, fuerit. *Ibid.* lin. 64. MCXV. *lege*, MCXLV.
colum. cccxciij. lin. 5. Rodericus, *lege*, Rodericus. *Ibid.* lin. 10. arium, porco, *lege*, arietem, porco. *Ibid.* lin. 31. alia, *lege*, alio. *Ibid.* lin. 35. cartel allio, *lege*, cartellio. *Ibid.* lin. 62. dei tintre, *lege*, de itinere.
colum. cccxciv. lin. 52. Incarnationes, *lege*, incarnationes
colum. cccxcv. lin. 17 Xuplo, olithepe, *lege*, Rupio, Elthepe. *Ibid.* lin. 45. Hathemaresso,

lege, Harkonsarello.
colum. cccxvij. lin. 68. osillarholte, *lege*, ost. clarholte.
colum. cccc. lin. 59. IV. *lege*, I. *Ibid.* lin. 56. ulius, *lege*, hujus.
colum. ccciij. lin. 30. potuit, *lege*, poterit.
colum. ccccv. lin. 49. fontem, *lege*, pontem.
colum. ccccvj. lin. 1. Herbiis, *lege*, Gerbiis. *Ibid.* lin. 7. Mansocio. *lege*, Manso suo.
colum. ccccvij. lin. 20. Saluencal, *lege*, Salvenere.
colum. ccccxj. lin. 8. nostris, *adde*, in perpetuum ad feodi firmam, reddendo inde nobis & hæredibus nostris.
colum. ccccxij. lin. 1. Fefordia, *lege*, Tefordia. *Ibid.* lin. 34. Delamespoe, *lege*, Belamespoc. *Ibid.* lin. 50. cestriæ, *adde*, fecit Deo & S. Mariæ de Cokersand, & Canonicis ibidem Deo servientibus de quadam charta Joannis Comitis Lincolniæ & Constabularii Ceistriæ. *Ibid.* lin. 54. filiæ, *lege*, filii.
colum. ccccxvij. lin. 8. portone, *lege*, portione. *Ibid.* lin. 46. easimenta, *lege*, aisimenta.
colum. ccccxiv. lin. 57. Fahibim, *lege*, Fabium.
colum. ccccxxviij. lin. 22. *dele*, Et.
colum. ccccxxx. lin. 12. Parisius, *lege*, Parisiis. *Ibid.* lin. 18, parbus, *lege*, partibus.
colum. ccccxxxiij. lin. 21, obrolventes, *lege*, obvolventes.
colum. ccccxxxviij. lin. 18, super, *lege*, nuper.
colum. ccccxliij. lin. 54, post præsentatus & à nobis, *supple*, declaratus, fuerit, alter verò Theologiæ Professor pariter à nobis.
colum. ccccliv. lin. 67, Piluh à Pilemberg. *lege*, Bileck à Pilemberg.
colum. ccccxlvj. lin. 4, Raimundi, *lege*, Roderici. *Ibid.* lin. 43, 1162, *lege*, 1163.
colum. ccccxlvij. lin. 31, Comparvit, *lege*, Comparavit.
colum. ccccxlviij. lin. 19, Decani, *lege*, Decano. *Ibid.* lin. 32, Raimundi, *lege*, Reverendi. *Ibid.* lin. 76, Dominicum, *lege*, Dominum.
colum. ccccxlix. lin. 9. *post* oratorio, *supple*, remanebit. Quæ pixis duabus vicibus singulis annis, videlicet in festis paschæ & nativitatis Domini aperienda existit, & pecuniæ ibidem inventæ tertia portio ad pixidem nostræ Ecclesiæ in qua aliæ oblationes ipsius Ecclesiæ recondi solent, debens imponi aliis duabus portionibus apud dictum oratorium remanentibus, quæ etiam divisio pro iisdem portionibus debet fieri de legatis quibuscunque dicto oratorio. *Ibid.* lin. 28, seputaverint, *lege*, deputaverint.
colum. ccccl. lin. 62, *post* positas, *supple*, quæ.
colum. cccclij. lin. 23, contractum, *lege*, constructum.
colum. cccclij. lin. 10, Ruchardus, *lege*, Richardus.
colum. cccclív. lin. 28, *post* nostræ, *supple*, imperfectioni. *Ibid.* lin. 34, Reinaldus, *lege*, Reinbaldus. *Ibid.* lin. 71, *post* ibidem, *supple*, habebat, eisdem fratribus concessit. Ad hæc adjicientes.
colum. cccclv. lin. 7, concussa, *lege*, inconcussa. *Ibid.* lin. 58, Jal, *lege*, Juy. *Ibid.* lin. 59, Calderiat, *lege*, Calderiæ.
colum. cccclvj. lin. 2, Jeromundus, *lege*, Fromundus. *Ibid.* lin. 23, calui, *lege*, cultui.
colum. cccclvij. lin. 17; Cresanay, *lege*, Cresancey. *Ibid.* lin. 47, Hepanienfium, *lege*, Stephaniensium. *Ibid.* lin. 63, Busoe & Rochès, Busoe & Roches.
colum. cccclx. lin. 47, vigore, *lege*, virore.
colum. cccclj. lin. 52, *post* Pilsna, *supple*, per totam septimanam; beneficium in Pilsna. *Ibid.* lin. 53, civitatum, *lege*, civitatibus.
colum. cccclxiij lin. 8, *post* Dei, *supple*, dilectis.
colum. cccclxiv. lin. 72, oblatas, *lege*, ablatas.
colum. cccclxv. lin. 16, *dele*, Ego Jacobus S. Mariæ in Cosmidin Diaconus Cardinalis.
colum. cccclxviij. lin. 44, Tiburce, lege Tiburi.
colum. cccclxix. lin. 72, dandeberth, *lege*, Randeberth.
colum. cccclxx. lin. 23, Creshelde, *lege*, Cresfelde. *Ibid.* lin. 57, *post* infra, *supple*, ambitum muri & tertiam partem carrucatæ terræ, quæ fuit Rogeri Parcarii, cum omnibus pertinentiis & aisiamentis infra.
colum. cccclxxij. lin. 59, Hazajona, *lege*, Harajona. *Ibid.* lin. 49, dilecte.... fili, *lege*, dilecti filii.
colum. cccclxxv. lin. 4, morari, *lege*, moderari. *Ibid.* lin. 53, Bernardo, *lege*, Bernardus.
colum. cccclxxvj. lin. 22, MCLXII, *lege*, MCLXI. *Ibid.* lin. X, *lege*, IX. *Ibid.* lin. 63, benevolus. *lege*, benevolum.
colum. cccclxxvij. lin. 12, persolvetis, *lege*, persolveretis. *Ibid.* lin. 21, Archidiaconus, Archidiaconi. *Ibid.* lin. 38, eodem, *lege*, eidem. *Ibid.* lin. 40, percipiatis, *lege*, percipiant. *Ibid.* lin. 42, ad, *lege*, ab.
colum. cccclxxix. lin. 44, Lublanæ, *lege*, Lublana. *Ibid.* lin. 57, 1228. *lege*, 1260.
colum. cccclxxxj. lin. 57, sc, *lege*, de.
colum. cccclxxxiij. lin. 1. ad marg. Firmamus, *lege*, Firmanus
colum. cccclxxxv. lin. 16. Rodgera, *lege*, Rogero.
colum. cccclxxxvj. lin. 24. M. CCLXXXVII, M. CCLXXXII. *Ibid.* lin. XV. *lege* X.
colum. Dvj. lin. 19. *post* marcam, *adde*, & Purificationem beatæ Mariæ unam marcam. *Ibid.* lin. 71. *post* quittam, *adde*, ab omni sæculari servitio & exactione, ita quod prædicti.
colum. Dviij. lin. 42. *post* Bonarios, *supple*, Eidem dedit Ecclesiæ, pro anima filii sui VI. terræ bonarios contulit, pro anima Sigeri dederunt fratres sui & domina Ava soror, ipsorum novem terræ bonarios. *Ibid.* lin. 45. Rethem, *lege*, Rochem. *Ibid.* lin. 46. *post* Manzonis, *supple*, hoc autem factum est anno Dominicæ Incarnationis, MXCV. Indict. III. prædicti quidem Pontificis anno I.
colum. Dx. lin. 48. Tanshornen, *lege*, Vanshornen. *Ibid.* lin. 49. Immetrriæ, *lege*, Immechiæ.
colum. Dxj lin. 32. Tansorna, *lege*, Vansorna.
colum. Dxiv. lin 53. Tortofoule, *lege*, Torto fonte.
colum. Dxvij. lin. 1. nes, *lege*, res.
colum. Dxviij. lin. 36. In suam, seu, *lege*, non suam sed. *Ibid.* lin. 48. Sllur, Rotraci, *lege*, Mur, Rohaci.
colum. Dxix. lin. 9. Sllur, *lege*, Mur. *Ibid.* lin. 33. prædictorens, *lege*, prædictorum. *Ibid.* lin. 50. aratum suorum, *lege*, aratrum duorum. *Ibid.* lin. 57. Agram, *lege*, Egram.
colum. Dxx lin. 17. Agram, *lege*, Egram. *Ibid.* lin. 58. dederunt, *lege*, dedit.
colum. Dxxj. lin 32. xiij, *lege*, xiv. *Ibid.* lin. 65. Naretsen, *lege*, Naret, seu.
colum. Dxxv. lin. 18. erit, *lege*, emit. *Ibid.* lin. 47. *post* perpetuo, *supple*, &.
colum. Dxxvij. lin. 11. premissibiliter, *lege*, irremissibiliter
colum. Dxxxiij. lin. 6. Pontificatibus, *lege*, Pontificalibus.
colum. Dxxxiv. lin. 27. Bogelbrughe, *lege*, Rogesbrughe.
colum. Dxxxv. lin. 8. breveriam, *lege*, brueriam. *Ibid.* lin. 25. Demesfond, *lege*, Demesford.
colum. Dxxxvj. lin. 25. R. & S, *lege*, R. de S.
colum. Dxxxvij. lin. 49. Stapulforn, *lege*, Stapulford.
colum. Dxliv. lin 43. Byltene, *lege*, Byllene. *Ibid.* lin. 44. apostaverat, *lege*, apostataverat.
colum. Dxlv, lin. 61, M. CCCXCII, *lege*, M. CCCCXCII.
colum. Dlxiij. lin. 52. Trinitatiæ, *lege*, Trinitatis.
colum. Dlxiv. lin. 24. revovandas, *lege*, renovandas. *Ibid.* lin. 38. tertio, *lege*, septimo.
colum. Dlxix. lin 22. delegati, *lege*, delegavi. *Ibid.* lin. 24. Treremenrodo, *lege*, in Werehmenrode. *Ibid.* lin. 26. Trinande, *lege*, Winando. *Ibid.* lin. 28. invilla, *lege*, inculta. *Ibid.* lin. 29. villa, *lege*, culta. *Ibid.* lin. 30. more, *lege*, amore.
colum. Dlxxj. lin. 48. usiam, *lege*, unam. *Ibid.* lin. 49. dirto, *lege*, Dirlo.
colum. Dlxxiij. lin. 52. extruendæ, *lege*, extruendæ
colum. Dxciij. lin. 29. extractuum, *lege*, & tractuum.
colum. Dxciv. lin 26. suberpsit, *lege*, subscripsit *Ibid.* lin. 56. Berneck, *lege*, Perneck. *Ibid.* lin. 66. placida, *lege*, placita. *Ibid.* lin. 68. &, *lege*, ut.
colum. Dxcvj. lin. 12. pullicantes, *lege*, publicantes. *Ibid.* lin. 14. pœna disciplinæ, *lege*, pœnæ, ... disciplina. *Ibid.* lin. 27, 31, 39. 48. Berneck, *lege*, Perneck. *Ibid.* lin. 55. confieri, *lege*, conferri. *Ibid.* lin. 61. Fuknitz, *lege*, Tuknitz. *Ibid.* lin. 69. patronatus, *lege*, patronum.
colum. Dxcvij. lin. 1. Hostetin, *lege*, Hofsteten. *Ibid.* lin. 4. Pertholto, *lege*, Perthtolts. *Ibid.* lin. 24, 25, 50. Berneck, *lege*, Perneck.
colum. Dcj. lin. 1. *post* Ecclesia, *lege*, sita est cum omnibus pertinentiis suis, quam habetis à vestra matrice Ecclesia.
colum. Dcij. lin. 2. imitati, *lege*, imitatur. *Ibid.* lin. 36. Februari, 3°. *lege*, Februarii. 6°. *Ibid.* lin. 37. MCLXXXV, *lege*, MCLXXXVII. *Ibid.* lin. Clementi, *lege*, Clementis.
colum. Dciij. lin. 18. scripti, *lege*, scripto.
colum. Dcviij. lin. 1. circuitas, *lege*, consuetas. *Ibid.* lin. 6. memorita, *lege*, memoria. *Ibid.* lin. 18. Rivense, *lege*, Rinenses.
colum. Dcx. lin. 2. *post* videlicet, *supple*, de. *Ibid.* lin. 5. Stiombeke, *lege*, Strombeke. *Ibid.* lin. 14. que subsignatione, *lege*, que sub imaginatione. *Ibid.* lin. 66. commeratæ, *lege*, commemoratæ
colum. Dcxi. lin. 66. Kien, *lege*, in Rien.
colum. Dcxij. lin. 10. piscatarum, *lege*, piscaturam. *Ibid.* lin. 16. Vellcia, *lege*, Velseca.
colum. Dcxiij. lin. 49. suum, *lege*, fecus. *Ibid.* lin. 53. oncla, *lege*, ovela.
colum. Dcxiv. lin. 12. Rabbaro, *lege*, Rabbodo *Ibid.* lin. 2, 13. Wolturhem, *lege*, Wulterthem.
colum. Dcxv. lin. 3. sibi, *lege*, sive. *Ibid.* lin. 37. parita, *lege*, posita. *Ibid.* lin. 64. Vualtaerthem, *lege*, Wolterthem.
colum. Dcxvj. lin. 56. Ameluergem, *lege*, Amelsenghem. *Ibid.* lin. 66. Raunsaone, *lege*, Raunsdune.
colum. Dcxviij. lin. 11. Tubemos, *lege*, Trebemos. *Ibid.* lin. 50. patrum, *lege*, fratrum. *Ibid.* lin. 65. Liuth, *lege*, Linth. *Ibid.* lin. 67. *post* &, *supple*, S. *Ibid.* lin. Eleunthah, *lege*, Cleunthah. *Ibid.* lin. 68. Purtris, *lege*, Pustris.
colum. Dcxix. lin. 1. Kanus, *lege*, Kauns.
colum. Dcxx. lin. 31. 1425. *lege*, 1475.
colum. Dcxxv. lin. 10. Kowley, *lege*, Rowley. *Ibid.* lin. 17. ominum, *lege*, omnium.
colum. Dcxxvj. lin. 14, 20. Kouleye, *lege*, Rouleye.
colum. Dcxxvij. 19, 46. Kouleye, *lege*, Rouleye.
colum. Dcxxviij. lin. 31. 48. Kouleye, *lege*, Rouleye.
colum. Dcxxix. lin. 22, 28. Haverburnæ, *lege*, Havenburnæ. *Ibid.* lin. 33. Vunch, *lege*, Vurch. *Ibid.* lin. 37. tuum, *lege*, unum. *Ibid.* lin. 43. Beene, *lege*, Biene. *Ibid.* lin. 60. Heinbnisberg, *lege*, Heinmisberg.
colum. Dcxxxij. lin 10. Urtha, *lege*, Wrtha. *Ibid.* lin. 38. MCLVIII. *lege*, MCLVII.
colum. Dcxxxiij. lin. 33. Eisinchouen, *lege*, Esclinchouen. *Ibid.* lin. 43. Vosiechen, *lege*, Vosleken.
colum. Dcxxxviij. lin. 7 Moriensis, *lege*, Morinensis. *Ibid.* lin. 20. Presnensem, *lege*, Bresnensem. *Ibid.* lin. 34. Basilica, *lege*, Basilea.
colum. Dcxliv, lin. 47, Carnetis, *lege*, Cacucatis. *Ibid.* lin 49, *post* Quarteriam, *supple*, ubicumque invenire poterias in territorio villæ de *Heppe*, & viam liberam eundo & redeundo ad Turbariam, & petrariam, & Quarteriam.
colum. Dclv. lin. 38. Stinboert, *lege*, Steinvoert.
colum. Dcxlvj. lin. 57. nostræ, *lege*, nostri.
colum. Dclj, lin. 9, Roseriæ, *lege*, Roseria. *Ibid.* lin. 3. 1297, *lege*, 1197. *Ibid.* lin. 33. 1397, *lege*, 1197.
colum. Dclv, lin. 67. Luneborg, *lege*, Luneborg.
colum. Dclix, *post* Heinsbergensi, *supple*, mansi. *Ibid.* ad marg. Papæ, *lege*, Papiæ.
colum. Dclx. lin. 12, 70. *lege*, 80. *Ibid.* lin. 68. minuero, *lege*, minuere.
colum. Dclxviij. lin. 57, Tremonze, *lege*, Tremontz. *Ibid.* lin. 48. graveriarum, *lege*, graverias. *Ibid.* lin. 61, Vicarinus, *lege*, Warinus.
colum. Dclxix, lin. 64, Cwrumus, *lege*, Ceveulnus. *Ibid.* lin. 70, SeyulPhus, *lege*, Ayulphus.
colum. Dcliij, lin. 42. 2j, *lege*, xl. *Ibid.* lin. 55. Chambrue, *lege*, Chambore. *Ibid.* lin. 63. Aucredus, *lege*, Avredus.
colum. Dcliv, lin. 6, Buscio, *lege*, Buxeio. *Ibid.* lin. 19, vobis allod. *lege*, vobis. Allodium. *Ibid.* lin. 34, *post* excepto, *supple*, quod. *Ibid.* lin. 41, *post* Episcopo, *supple*, sub censu duodecim denariorum Catalaunensis monetæ Archipresbytero solvendorum. Ecclesiam de *Contriffons*, & Ecclesiam de *Combles* quas habetis à venerabili fratre nostro Petro Tullensi Episcopo.
colum. Dclv, lin. 2, recipere, *lege*, remittere.
colum. Dclvj, lin. 9. potteris, *lege*, potueritis. *Ibid.* lin. 41, modio, *lege*, medio.
colum. Dclvij, lin. 60, insinuatiare, *lege*, insinuatione. *Ibid.* lin. 64, Turma, *lege*, Turna.
colum. Dclviij, lin. 11, ê, *lege*, est. *Ibid.* lin. 22. villa, *lege*, villæ. *Ibid.* lin. 13, Bolelua, *lege*, Boldva. *Ibid.* lin. 34. superas, *lege*, superat. *Ibid.* lin. 43, Myhluck, *dele*. *Ibid.* lin. 45, *post* villæ, *supple*, Myhlock vocatur.
colum. Dclix, lin. 43. 2°. *lege*, 10.
colum. Dclx. lin. 36. MDXXIX, *lege*, MDXXXIX..
colum. Dclxij, lin. 18, 1. *lege*, 15.
colum. Dclxx. lin. 44. vulvo, *lege*, nullo.
colum. Dclxxj. lin. 37. patre, *lege*, parte.
colum. Dclxxxiv. lin. 6. vixitit, *lege*, vixerit.
colum. Dcccij. lin. 45. Vusinæ, *lege*, Rusinæ.